2.793

713.

713-4-7






APIS
LIBANI
Circumuolitans
flores
In Horto
Salomonis.
Veni auster perfla hortũ meum & fluant aromata illi? Cant. 4.
Breuis in uolatilib? est apis, & initium dulcoris habet fructus illi? Eccli. 11.
Rigabo hortum meum ionum &c. Eccli. 24.

LIBRARY
Horæ
In Artic
Salomonis.

APIS
LIBANI
CIRCUMVOLITANS FLORES
in horto Salomonis,

CONDIENDIS VIRTUTUM DAPIBUS MELLIFICANS,
Fraudum sæculi folia pungens.

SIVE

COMMENTARIA
IN CAPUT XIII. & XIV.
PROVERBIORUM,

CUM QUINQUE INDICIBUS AD CALCEM OPERIS rejectis; quorum primus seriem titulorum indigitat: Secundus Biblica testimonia: Tertius copiam pro concionibus: Quartus doctrinam Sanctorum Patrum, & priscorum Sapientum: Quintus sententias è Sacra Scriptura confirmatas.

Authore R. P. D. FR. ANTONIO A DEI MATRE
Olyssiponensi, Sacræ Theologiæ Emerito Lectore, Ordinis
D. Pauli primi Eremitæ.



LUGDUNI,
Sumptibus ANISSON, & POSUEL.

M. DC. XCVIII.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.





SERENISSIMÆ D. D.

CATHARINÆ REGINÆ MAGNÆ BRITTANIÆ, GALLIÆ, HYBERNIÆ, &c.

IN oblivionis tumulo conditi lumina tenebris assueta reverberans, terreret me nimius Majestatis fulgor; ne provolutus ad Magnitudinis tuæ plantas libellum supplex oblaturus accederem; nisi maximæ benevolentiæ speciosissima lenitas formidantem vocaret, atque traheret volentem. A Lusitanis abduxerat olim te fortunata sors Angliæ: quæ regalis consortem diadematis reverita dilexit, ac lætabunda coluit. Sed, ut solent adversa regnis, prosperaque frequenter alternari; Brittaniæ, non memoranda siccis oculis, infelicitas, quæ Regni justissimum successorem voluntarium pepulit in exilium, felicitatem restituit Lusitaniæ: tibi præbens ansam, ut proprios iterum revisseres, non relictura penates.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelsa loco:
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem,
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas. Senec. Trag. 8.

Hæc Tragicus tristi plectro cecinit. Hæc etiam Nostrates memorantur, dum jam te redeuntem susceperе miscentes gaudia fletibus. Gaudent, inquam: præsentiæ quippe tuæ rursus exoriens lux tersit mœroris caliginem, quam longa desideria per absentiæ prolixa tem-

porum ſpatia cordibus obduxerant ; quin illuſtraretur nox amoris flammâ. Triſtantur verò, cum te dolentem cernant quòd Anglorum converſionis initia, quæ plantaveras, vaſtaverit hæreſis incendium. Jam regnum illud Petri clavibus piè ſubjeceras : plurimáque cœperas ex parte catholicis dogmatibus imbuere. Libitus, heu, furor & impius valde (quem neque ſummi regnantium Arbitri vindictæ metus continuit ; nec affinitatis nexus emollivit) Regem levirum in odium veritatis orthodoxæ perfidis armis invadens, præcordia tua tranſadegit ; quantumvis in ſuſtinendis adverſitatibus prædita robore plurimo : noveras etenim, coronæ tuæ micantiorem extare gemmam cultum eximium fidei ; religionis adamantem. Pectoris unctione ſolemniter adhibitâ conſecrabantur antiquitus Chriſtianorum Reginæ. Quis pectora tua neſciat pietati conſecrata cœlitus ? Hæſit cordi tuo proavorum virtus inclyta : quam citra levem ipſorum irreverentiam præcellere conabaris : quaſi regem audires Athalaricum ſcribentem Caſſiodori calamo : Nam ſi glorioſum eſt poſteris avitas excellere facultates, quantò præſtantius eſt hereditarias augere virtutes ? *Nequaquam poſt evectionem ceſſavit hoc animi piiſſimi propoſitum.*

Sic narrat. Humbert. l. 2. de modo promptè cud. ſerm. tr. 2. ſerm. 82. Caſſiod. l. 9. var. cap. 22.

Id teſtetur illa ſollicitudo, quâ medios inter hæreſum rubos, palatii tui clauſtra, vèlut hortum regiis manibus irriguum, florere curabas, atque divinarum laudum harmoniâ reſonare : quibus aderas devotiſſima (præter ferè continuam ſpiritualium librorum lectionem, & multam orationis frequentiam) quô fiebat, ut adverſariis fidei veræ tunc admirationi fores, & laudem coacta ſuſciperes ab iiſdem, cum ſoſpes erat ille Rex Carolus, animæ dimidium tuæ. Quem tandem, oblatis Deo precibus, ad agnitionem veritatis & Eccleſiæ Matris gremium credimus converſum ; eâ tui ſpiritûs lætitiâ ſubſequente, quòd teipſam continere non valentem celebrare converſionem iſtam deſideratiſſimam fide digni viderunt ipsâ mortis ejus die, candidâ ſplendenti veſte, poſt Regis obitum jam tranſactis horis aliquot. Idipſum quod prædixi conteſtata fuiſti ſuffragiorum pluralitate, quæ pro anima dilecti ſponſi largiter per annorum ſpatia libens offerri curaſti.

CAROLO ſublato de vivis, Heres fraterni ſolii, necnon tibi ſacræ lucis cognitione conjunctus, ac eterodoxæ perfidiæ deteſtatione compar, exempli tui ductu, pios fovebat, & execrandos novatores è Brittania denique parabat exterminare. Suadebat hoc ipſi cor ejus amans doctrinæ ſanæ : divinæ quidem nixum protectioni ; ſed te ſociam rei tantæ prudenter adhibens ; & agnoſcens quantùm piiſſima deſiderares, Anglos iterum ſic imbui diſciplinâ cœleſti, quòd, ut antea vulgò circumferebatur, ab Angelis unâ tantùm litterâ diſtare viderentur. Conatibus tuis obſtitit ſæva tempeſtas ; at meritò non ſpoliavit ; neque prohibuit quòd religionis tuæ candorem admirabundi

di noſceremus apprimè. Valemus aptare nobis in tua commendationem virtutis quod Naſo cecinit:

Nominis ante mei venient oblivia nobis, Ovid. 2. Pont. 11.
Pectore quàm pietas ſit tua pulſa meo.
Et priùs hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia vana tui.

Et quia Dominus in paupere ſuſcipitur, eamdem animi tui probitatem nobis prædicant innumeri miſerorum greges, quos tum occultos fovebas, tum publicos alere mos erat, quin dedignareris aurum ſceptri magnificenter ad eorum ſublevandas inopias inſumere. Præconium ſuimet eſto regia liberalitas, qua naufragis in Anglia favebas: velut ſi corrigeres quod erraſſet adversùs illos fortuna ſiniſtra. De te ſpectatoribus multis dictitare pronum fuit verba Caſſiodori: Sub clementia boni principis nihil conſtat licere fortuitis: quando ſiniſtros caſus corrigunt, qui præſtare proſperrimè conſueverunt. *Teſtes benignitatis ejuſdem ſint Ordines religioſi, quos protegere dignaris benevolè. Quos inter hæc minima Pauli gnatorum Congregatio non in benevolentia tua ſignis promerendis locum ſortita fuit poſtremum. Iſta gratiſsima ſuaſit humanitas mihi parvulo, ſimul & ignoto prorſus ejuſdem Religionis alumno, majeſtati tuæ munuſculum fidenter afferre gratitudinis ergo: qua vel indignus filius devincitur ab imperio dignâ Celſitudine Tuâ, meam prædictam genitricem refovente benigniſsimè. Vivas, Deum precor, in humilium protectionem, excelſorum lætitiam, atque virtutum exemplar. Ex Eremitarum D. Pauli Cetobrigenſi monaſterio* Caſſiod. l. 12. var. cap. 7.

TUÆ REGIÆ MAJESTATI SUMMAM
deprecans felicitatem

FR. ANTONIUS à MATRE DEI.

LECTORI
CANDIDO VALE.

S Basil. Mag. ep. 33.

JAM non est animus, ut antea, contra Zoilum tueri me calamo, sed benevolentiæ tuæ dignas persolvere grates, Lector humanissime: gratus quippe non frustra loquar: nam sic utcumque me prout possum exsolvam; detrectatoribus autem supervacuum foret vel preces offerre, seu veniam flagitare: *Quos enim non persuasit longum tempus, quomodo brevis Epistola persuadebit?* Inexpertum fateor errasse me, dum calumniatoribus os claudere præsumpsi. Velut nutriuntur isti calumniis: tunc desinent calumniari, cum jamjam vivendi terminus aderit. Imo, ferventiùs murmuratione pascuntur, quàm cibo famelicus: hic enim per saturitatem cessat; illi nunquam rodendo satiantur. *Esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam semper admodum cibo, nunquam detractione saturamur.*

Salvian. l. 3. de gubern. Dei. post med.

Detractores itaque præteriens, ad beneficia tua recolenda totus impendar: quibus & sapientissimum te probasti clemens; & veniam nostris erratis indulsisti prudens. Agnosco nunc, difficilem aggressum fuisse provinciam, cum libros à te, doctisque multis aliis perlegendos dictare deliberavi: *Nimis quippe arduum est tale aliquid inter illos dicere, quod nequeat tantis prudentibus displicere.* Nihilominus animos injecit ad scriptoris munus arripiendum nosse quàm benevolè conniveant scribentium erroribus ij, qui suæ partus eruditionis, vel scripto, seu verbo, committunt publico censorum judicio. Dicebam, verbis abutens, quibus de semetipso præfabatur Cassiodorus: *Non me addicere poterit, qui se in talibus periclitatum esse cognoscit.* Condolet militantibus qui bellico sudore proluit ora quondam: navigantibus miseretur qui priùs fluctuavit inter gurgites. Ita benignus est in censendo scriptore qui proprii martis expertus est aleam; proponens aliorum censuræ lucubrationum suarum fructus. Hoc me denuo docuit experientia cùm te mei laboris judicem benevolum compertus fui circa duplicem priorem tomum: quod impulit ut insuper offerrem tertium. Sed quamvis opus inceptum, quò duceretur ad coronidem plura desideraret adhuc volumina, pondere cogor ætatis fractæ viribus è languenti manu deponere calamum, tibique dicere: Vale.

Rex Athalaric. apud Cassiod. l. 9. var. ep. 7.

Cassiod. l. 11. var. in præf.

D Eugen. Episc. Tolet. in præfat. ad opusc.

At tu qui nostras tranquillo pectore nugas
Perlegis, & blandè rustica verba foves;
Sis vitâ locuples, & Christi munere dives,
Nec metuas libris æmula flabra tuis.
Præsens incolumi transcurras tempore sæclum,
Et faveat jugis pax tibi, paxque tuis.

AUTHORI

AUTHORI CONDOLENS PLECTRUM resumpsit, & carmen Apologeticum cecinit ad Zoilum

P. Fr. MACARIUS A S. JOSEPHO RELIGIONIS D. Pauli nobilis Theologus, & Concionator eruditissimus.

QUID ventosus Apem dentato murmure lædis?
Linguoso, & lassæ flamine fundis onus?
Quidve novos comples atrâ caligine saltus,
Ne pungat flores hæcce mellissa suos?
Desine jam pressam placidas volitare per auras,
Atque suum cellis tendere pondus Apem.
Desine, luce bonâ percurrat vivida silvas,
Et semel apricam sentiat ista diem.
Auribus illa tuis primùm est blandita susurro,
Gratum & mellifico traxit in ore sonum:
Mox' offensa tibi circum te bombilat iris,
Et verbi aculeo sat tua dicta premit.
Ast nil comis amor, nil spinea verba tulerunt,
Nil furor iste loquax, nil tenor ille dedit.
Jam non te quærit, cæsam neu quære malignus;
Te sine lambenti mella parabit Apis.
Intonsus potiùs campos, ne alvearia lustres.
Non tuo Apes ori dulcia mella facit.

CENSURA

CENSURA R. ADMODUM P. D. Fr. JOSEPHI à D. Antonio ; in S. Theologia Profeſſoris Emeriti, Diffinitoris Ordinis D. Pauli, trium Ordinum militarium Examinatoris.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris Fr. Caroli à Divo Bonaventura jubilati Magiſtri, Doctoris egregii, S. Inquiſitionis Cenſoris æquiſſimi, Ordinis noſtri digniſſimi Generalis hunc tertium Tomum, cui titulus eſt : *Apis Libani circumvolitans Flores in horto Salomonis*, à R. admodum P. Fr. Antonio à Matre Dei in ſacra Theologia eximio Doctore, ac Profeſſore emerito, Magiſtroque meo dilectiſſimo accuratè perlegi, & ad examinis trutinam devenire coactus, non cenſuræ materiem, ſed argumentum panegyri aſpicio : encomiaſtem namque ſibi vendicat, dùm rapit in admirationem. Sub ideis multa indefeſſus Minervæ artifex parat, & architectat. Omnium ſcientiarum varietate delectari ſolitus modò ex his, modò ex aliis ſanctorum Patrum, & priſcorum Sapientum ſententiis ſuccum guſtui ſuo accomodatum delibat, velut Apis, quæ in aperto horto ſupra complures flores luxurians in emblema ſtudioſi à Carolo Rancato epigraphen cepit, *Libat ut lubet.* Peroptimè D. Auguſtinus *Vtile eſt plures à pluribus libros fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat : ad alios ſic, ad alios autem ſic*, Ea propter decantare poſſumus cum Ovidio.

Apud Mund. Symb. l. 8. c. 1. n. 60.

D Aug. l. 1. de Trinit. c. 1.

Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Ac ut Apis, ſatuſque ſuos, & olentia nacta
Paſcua, per flores, & thyma ſumma volat.

Certè Apis Libani circumvolitans flores, parans omnibus, quam legit, dulcedinis menſam, audiens à Chryſoſtomo : *Sicut Apis circumvolitat omnia prata, ut promptam alteri præparet menſam, ſic & tu fac... ſivè doctrinæ verba habeas, nè defodias, ſed apponas indigentibus in medium &c.* Expreſſiùs idem : *Narrant quod apiculæ levibus pennis arborum, & herbarum floribus inſident, latentemque in floſculis liquorculum innocuâ depredatione avehunt, ut tandem dulciſſimos mellis favos hominibus præſtent. Ita & Eccleſiæ Doctores ſuper amæna, vernantiaque Scripturarum viridaria, levi mentis alâ reſidentes, & inſitum litteræ ſuccum ſpiritûs haurientes ſolliciti ſunt, ut dulciſſimum mel fidei auditorum cordibus planè inſtillent.*

Chryſoſt. hom. 12. ad Pop. Antioch.

Chryſoſt. in Pſal. 115.

Quid, ut mactè, & enixè in publicum commodum arcana, & myſteria profunda dexteritate declaret, de ſuâ in litteris aſſiduitate mihi liceat proferre? Niſi, quod de Academicis præclaris ſymbolo commonſtraturus apibus inſcripſit Laterenenſis Abbas : *Nulla dies dum licet*, alludens ad illud Apellis dictum : *Nulla dies ſine lineâ.* Haud aliter Plinius junior in Plinio Hyſtoriographo : *Erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia, lucubrare à Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſa, ſed ſtudendi ſtatim à nocte multâ, hyeme verò ab horâ ſeptimâ, ſæpè ſexta : æſtate, ſi quid otii jacebat in ſole, liber legebatur, adnotabat, exercebatque.* Et ſi, teſte Laureto, *in numero ternario eſt principium, medium, & finis, unde tria ſunt omne.* Omne in hoc tertio Apis volatu invenies ad ſummum, principium ad primatum, medium ad virtutem, & finem ad coronam. Ita cenſeo in hoc Liſbonenſi Conventu D. Pauli primi Eremitæ 19. Junii 1694.

Picinell. l. 8. c. 1. n. 31.

Plin. l. 3. ep. 5.

Lauret. Sylv. Alleg. verſ. Ternarius.

Fr. JOSEPHUS à D. ANTONIO.

CENSURA R. ADMODUM P. Fr. GABRIELIS à Nativitate, S. Theologiæ Magiſtri Emeriti, Ordinis D. Pauli Secretarii, in Tribunali S. Officii Cenſoris.

JUbente mihi Reverendiſſimo Patre Fratre Carolo à D. Bonaventura, in Sacra Theologia Doctore meritiſſimo, Magiſtroque Jubilato; in rebus ad Sanctum Officium ſpectantibus Cenſore æquiſſimo; & noſtræ Familiæ Eremiticæ Generali digniſſimo; attentè & non ſine admiratione hunc tertium Tomum, cujus inſcriptio eſt: *Apis Libani circumvolitans flores in horto Salomonis*, à R. admodum P. Fr. Antonio à Matre Dei in ſancta Theologia Magiſtro & Doctore ter maximo celeberrimo divini Verbi declamatore, magiſtroque meo amabiliſſimo, perluſtravi. Opus equidem tam præclarè elaboratum, & tanta eruditione refertum, ut de illo magis quàm de alio illud Divi Ambroſii videatur dictum: *Plus in eo eſt quod probetur aſpectu, quàm quod ſermonibus laudari poſſit; ſuo enim utitur teſtimonio, non ſuffragio alieno.* Non enim indiget liber iſte, niſi ut videatur: unde ad hoc viridarium inoffenſo occurrant pede ſacri Verbi præcones, convolent ingenioſæ & litteratæ apes: in illo enim invenient ſubtiles, quos legant, flores; ſuaves quos ſugant favos, pretioſos, quibus diteſcant, theſauros; nam in hoc viridario (dicam cum Geminiano,) *Apes & volando ſe ſublevant, & aliis multa fructificant.* Ambr. lib. 1. Hexam. Gemin. lib. 4. cap. 31.

Tertio in hoc tomo tam dulce, tam cultum ſui ingenii, & ſapientiæ acumen oſtendit Author, ut ad ſolam audientium legentiumque delectationem & eruditionem genitus videatur. Quadraginta florum venuſtate idem tertius tomus condecoratus apparet (unoquoque eorum cuilibet eum lecturo dulcedinem oſtendens) ut jure dici poſſit, novos jam in noſtra terra apparuiſſe flores, tempuſque putandi adveniſſe. Et cum iſti ſapientiæ ſint flores, non tam flores dices, quàm fructus juxta illud Sapientiæ: *Flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Eccl. 24.

Quâ de causâ divini Verbi præcones ad hunc tertium tomum ſummâ aviditate debent properare in quo litteralem ſacræ Paginæ ſenſum tam præclarè exponit, ut nec faſtidium generet, nec legentium animos jejunos relinquat. Mira dexteritate mores componit, mentem elevat, animos juvat; ita ut ſi haſce tanti interpretis lucubrationes compares, ſolùm cum aliis ejuſdemmet ingenii comparationem invenias. Duo enim ante hunc tertium tomum ejuſdem ſolis radii in lucem prodierunt; & licet hôc ſint priores tempore, iſtum tamen inter ipſos non minorem fatearis: æquales enim ſunt lucis radii; Ne igitur abſconſus lateat, ad communem utilitatem digniſſimum Cenſeo ut in lucem prodeat, & prælo & æternitate donetur. Ita judico in noſtro Conventu Montis Oſſæ, Die 26. Julii, anno Domini 1694.

Fr. Gabriel à Nativitate.

FACULTAS

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS Generalis Ordinis D. Pauli.

NOs Fr. Carolus à Divo Bonaventura in ſacra Theologia Doctor & Magiſter Jubilatus, Sanctique Officii Cenſor, Generalis Ordinis Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ Congregationis Montis Oſſæ in his Portugalliæ, & Algarbiorum regnis, facultatem, quoad nos ſpectat, ex Commiſſione noſtri Diffinitoris ad id ſpecialiter factâ perlibenter concedimus Reverendo admodum, pariterque Venerando P. Fr. Antonio à Matre Dei, ſanctæ Theologiæ eximio Doctore, Profeſſoreque emerito, ac Magiſtro meo amantiſſimo, ut ſuum tertium Tomum, cui titulus eſt : *Apis Libani circumvolitans flores in horto Salomonis*, à Theologis noſtris juxta ſolitam Commiſſionem noſtram reviſum, & approbatum, typis mandare poſſit, ſervatis aliis de jure ſervandis. In quorum fidem præſentes manu propriâ ſubſcriptas, & ſigillo majori noſtri Officii munitas, damus in Conventu Montis Oſſæ, die 26. Julii, anno Domini 1694.

D. Fr. Carolus à Divo Bonaventura, Generalis.

SUMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

AUctoritate Regia ſancitum eſt, ne quis *R. P. D. ANTONII à MATRE DEI Olyſſiponenſis, Sacræ Theologiæ emeriti Lectoris, Ordinis Divi Pauli primi Eremitæ, Commentaria in Parabolas Salomonis*, intra ſex annos à prima editione numerandos imprimat, aut alibi impreſſa in hoc regno divendat, præter Fratres ANISSONIOS, Bibliopolas Lugdunenſes, aut alios quibus id juris conceſſerint, hocque omnibus perinde clarum, notum, indictum habeatur, ac ſi Regii Diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finive poſtponatur. Qui ſecus faxit, librorum confiſcatione, aliiſque pœnis Regio Diplomate declaratis mulctabitur. Datum Pariſiis die 13. Novembris 1685.

De mandato Regis, ſignatum, JUNQUIERES.

Quod quidem Diploma in Acta Typographorum Pariſienſium relatum eſt, die 19. Novembris 1685.

CAROL. ANGOT, *Sindic.*

Prima hæc editio abſoluta fuit die 29. Novembris 1697.

E CELLULIS
API TERTIO
PRODEUNTI,

DENUO CONSTRUCTURÆ DÈ SAPIENTIS nectare favum, volatum jam audenti poſtremum;

LICET ADHUC QUARTAM ET QUINTAM Horti Salomonis areolam pervolanti nunc offertur.

FLOS PRIMUS.

Filius ſapiens, doctrina patris: qui autem illuſor eſt, non audit cùm arguitur.

APERITUR.

1. Beda in Pro. 13. 1. Carth. 16.

PRIMAM expoſitionem hujus verſiculi tradit Beda, Carthuſianus approbat, qui ſic habet: *Tantùm diſtat inter ſapientem, & ſtultum, ut hic aliquando profectu eruditionis ad eum, qui ſe docuerat, docendum perveniat; ille nec cùm arguitur, novit audire.* Ipſi viderint an loquantur in ſenſu litterali. Mihi ſanè videtur, hanc interpretationem non eſſe juxta rigorem litteræ: quia ex hac gnome ſic intellecta minus eruetur doctrinæ pro gnatis & genitoribus monendis: qui videtur hìc extare ſcopus vel unicus, vel præcipuus Eccleſiæ. Salazar ſecundam nobis exhibet acceptionem, inquiens: *Q. d. aliorum quidem monita facilè excidunt; parentum vero documenta altiùs infiguntur*, &c. Alicui videbitur aliquantum liber hic dicendi modus: cum non inſinuetur in præſenti parabola comparatio inter doctrinam patris, & verba extranei arguentis filium alienum. Cornelius A lap. priorem partem ſententiæ commentatur ita: *Preſſius & ſignificantius*, Filius ſapiens eſt doctrinâ patris: *quia non tantum eam ſuſcipit, ſed & refert ac repræſentat, ſicut imago repræſentat ſuum exemplar.* Et infra: *Filius ſapiens dicitur* doctrina patris *metonymicè, id eſt, effectus doctrinæ patris; vivum ſimulacrum, in quo intuearis doctrinam & virtutem patris; vivus liber in quo expreſſam legas ſapientiam patris*, &c. Plauſibilis eſt hæc expoſitio: ſed pendet ab incerto; ſcilicet an in Vulgata nomen, *Doctrina*, ſit nominativi caſus. Alii ſic intellexere Salomonem q. d. ſapit ſapientiâ patris. Ferè coincidunt cum interpretatione Cornelii Alap. ſuprà.

Salaz. ibid.

Cornel. alap. ibid.

2. Genuinus intellectus litteræ hic eſt: ſolet probitas filii à doctrina patris ejus oriri; gnatorum verò improbitas ſæpe naſcitur ab iniquitate filiorum, qui monita parentum ſurdis auribus prætereunt. Quam proficua ſit recta gnatorum inſtitutio, legitur apud Mapheum: *Quid eſt vel impenſæ, vel laboris, vel periculi, quod causâ filiorum non ultrò ſuſcipiant parentes? ut quos intensè amant, videant etiam aliquando inter cæteros mortales & divitiis & gloria & virtute præſtantes haberi? Ad quod nulla certè commodiore aut aptiore viâ perveniri poteſt quàm ſobriâ & ſanctâ eorum primâ inſtitutione*: &c. Expendere parentes oportet, quanta ſibi filiiſque bona paret educatio prudens eorum: & ita ſaltem propter eum, quo rapiuntur affectu circa illos, non ipſorum curam negligant; ne poſtea ſerò defleant id, quod tardius curantes non corrigent.

Mapheus Veg. l. 1. de educ. lib. c. 1.

3. Duo tamen animadvertenda ſunt. Primum quod ſæpiſſime peccat in hoc amor parentum, quia nimius. Et (quod mirum eſt) cum in rebus aliis una per augmentum non tranſeat in oppoſitam ſibi: dilectio geniti ſic per nimietatem degenerat,

rat, ut non videatur affectus; ſed contemptus. Lege Chryſoſtomum. *Servos quidem*, ait, *etſi non ſui causâ, attamen noſtrâ caſtigamus: liberos verò tantum providentiæ nequaquam tribuimus, ſed quaſi viliores mancipiis prætermittimus.* Et ſi forte genitores aliqui deſpiciunt emolumenta, quæ ſibi parantur ex accurata filiorum diſciplina, eò quòd ita ſuperbiant, ut nihil ſibi cupiendum reſtare putent; moveat ſaltem eos timor damni futuri: quinimo doloris, quem patitur genitor prudens cum experitur filium perditis moribus fœdum: de quo Petrarcha, dum queritur apud eum dolor, inquiens: *Perditæ filius eſt vitæ.* Introducit rationem reſpondentem ſic: *Pondus infauſtum, eóque gravius, quod dum ferri poteſt, neque abjici, perfer, & qua datur corrige. Sic enim aut filium curaveris, aut certe patrem egeris, hoc tibi debitum, illud optabile.* Secundum patribus advertendum eſt ut in correctione ſeveritatem commiſceant manſuetudini, more medici miſcentis lene medicamentum acri. Bene Mapheus proximè citatus: *Parentes ita cautè & prudenter filios educent, ut ne tanquam aſellos eos cædant, nec aſſentatiunculis hiſce ineptiſſimis tanquam catellos, qui deliciarum causâ tantum habentur, corrumpant: ſed mediâ gradientes viâ, nunc blandè, nunc ſeverè, ut cujuſque vel rei vel temporis ratio vocat, moneant;* &c.

Chryſoſt. to. 2. hom. 60 in Matth.

Petrarcha de reme. adver. fort. dial. 44.

Mapheus Veg. ſup. c. 19

4. In ſecunda parte hujus proverbii notatur quod filius *illuſor*, ſeu ut legit Syrus, *improbus* non acceptat monita patris; vel quod indicat, non audiviſſe monitiones auribus cordis. Aliud eſt externis; aliud internis auribus doctrinam excipere. Prodeſt Gregorius Magnus: *Sed qui cunctis aures habentibus, ſi quis habet aures audiendi audiat, dicit: aures proculdubio cordis requirit. Curate ergo, ut acceptus ſermo in cordis aure remaneat.* Si quæras unde proveniat hujuſmodi ſurdaſtris impedimentum auditûs, utar verbis D. Antonii Ulyſſiponenſis: *Surdus dicitur quaſi ſordidus. Habet enim ſordes in auribus, quibus oppilantur viæ auditûs.*

Greg. Mag. to. 1. hom 15. 15. in Evang.

S. Ant. Ulyſſip. ſer. 2. Advent.

5. Modò Salomonis dictum exponamus verbatim, de more noſtro. *Filius.* Quamvis ſonet hæc vox maſculum; mens tamen ſapientis eſt idem circa filias docere. Imo circa ipſas educandas, curâ ſollicitiori parentum opus eſt, & quia fragilior ſexus, & quia faciliùs infamiam ſubeunt indiſciplinatæ fœminæ, quàm juvenes, quos non coercet recta diſciplina. Rurſus audi Mapheum: *Quod autem in maribus ſupra monuimus, majore etiam erit in fœminis obſervandum ſtudio & diligentiâ, quarum & famæ cautiùs eſt conſulendum, & periculis vigilantiùs occurrendum.* Suadet hoc ipſum innata fere mulieribus animi varietas leviſſima, de qua Petrarcha: *Cum ſit enim in omnibus rara conſtantia, tum in fœminis nulla eſt.* Qui alibi refert memorabile Romani Monarchæ apophthegma. *Duas ſe habere filias delicatas, ſed ferendas tamen, Rempublicam ſcilicet & Juliam dicere ſolitus fertur Auguſtus Cæſar*, &c. Rectè cenſuit Imperator, æquiparandam Reipublicæ filiam: in qua locum nobilium tenent motiva ſuperbiæ; cogitationes extant artifices mechanici; appetitus plebs viliſſima ſunt.

Mapheus Veg. l. 3. de educ. liber. c. 12. in pr.

Petrar. de re me. proſp. fort. dial. 74.

Sapiens. Nomen iſtud, ſatis honorificum, principaliùs ad opera, quam ad ſcientiam refertur. Audi quiſnam ſit verè ſapiens ex mente S. Iſidori Peluſiotæ. *Nec dictionum aucupes, nec oratores, nec dialectici, nec qui ob dicendi facultatem gloriantur, ſapientes appellandi ſunt: verùm ij, qui eo philoſophiæ genere, quod in actione verſatur, elucent.* Concinit Caſſiodorus: *Sciamus tamen non in ſolis litteris poſitam eſſe prudentiam, ſed perfectam ſapientiam dare Deum unicuique prout vult. Nam ſi tantùm in litteris eſſet ſcientia rerum bonarum: qui litteras neſciunt, utique rectam ſapientiam non haberent.* Iſta quidem ſilentio ſupprimerem, ſi loquerer ad indoctos: ſolent enim hi homunciones inſultare peritis, quòd veram ſapientiam non teneant, quæ requirit opera recta; ſed potius laxiores vias quærant ſub prætextu ſapientiæ. Fortè putant, virtutem infallibiliter annexam eruditioni. Paradoxum eſt hoc, riſu potiùs, quàm reſponſione dignum. 6.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 201.

Caſſiod. l. 2. de divin. lect. c. 28.

Doctrina. Hebraïcè legitur ex Salazar: *Eruditio:* ex Sanſenio poteſt verti: Doctrinam, ſubaudiendo: *Audit.* Unde incertum eſt utrum *doctrina* in littera vulgata ſit caſus ablativus, an autem nominativus. Adverte deinde quod notat Sanſenius, ſcilicet hoc loco nomen Hebraïcum ſignificare tam doctrinam, quàm caſtigationem. Optimo jure, ſi Hebræo ſermone ſumenda eſt caſtigatio hîc pro ſupplicio: meritò, inquam, eodem vocabulo conjunguntur patris monitum & flagellum: quippequi, ſi pepercit virgæ pro filii diſciplina, ſinet illum in præcipitia ruere: nam, ut ait S. Antonius Ulyſſiponenſis, *pater tenet una manu filium: & altera concutiens percutit ipſum. Tenet ne in præcipitium vadat: & percutit ne inſoleſcat & ſuperbiat.* Nec filiis graviter acerbum hoc eſſe debet; neque parentibus. Non, inquam, genitis: *quia* (ſic habet Theodulus Epiſcopus) *levius & filiis parentum qualibet flagella ſuſcipere, quam Dei iram incurrere.* Non denique parentibus durum ſit hoc idem; cum extet eximii amoris opus; quod ſi negligant, convincuntur remiſſè diligere filios. Congruum autem eſt ut affectus erga ipſos in parente ſit exardens. Accipe Salvianum. *Non ſolum enim*, ait, *amandos dicimus filios, ſed præcipuè ac ſuper omnia; nec quicquam his omnino anteponendum, niſi Deum ſolum .... quid eſt ergo aut quomodo amandos dicimus filios? quo abſque dubio niſi quo Deus ipſe conſtituit?* 7.

Lect. Heb. ex Salaz. & Sanſen. hic.

S. Ant. Ulyſſip. ſer. Dom. 13. poſt. Trinit.

Salv. in opere qui inſcrib. Timotheus l. 1. poſt. pr.

Patris. Genitorem Salomon exprimit, matremque tacet: fortè quia rarò contingit ut ex genitricis educatione ſola evadat filius, qui ſapiens vocari poſſit: nimia namque teneritudo, qua diligunt genitos ut plurimum, eorum indolem bonam ſæpiſſime perdit; malam verò non refrænat. Legito rurſus Mapheum. *Matrum propter modicam rerum cognitionem & experientiam, indulgentior eſt quam par ſit cura,* 8.

Mapheus Veg. l. 1. de educ. liber. c. 19.

ra, ſtudiumque propenſius .... Quid ſtultius? quid prodigioſius hac tanta, qua præcipuè matres uti ſolent, educandi facilitate & indulgentia dici poſſit? quis ad corrumpendos perdendoſque filios aptior ullus modus excogitare queat? Huc fortaſſis reſpicit quod legimus Prov.29.15. Proverb. 29. *Virga atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ confundit matrem ſuam.* Nec objiciant matres hoc eſſe tantùm patris munus: ſicut enim nollent ipſæ quod ſolis genitoribus obediant filii, ſolos diligant, ſolos revereantur: ita nec velint ut à ſolis ipſis correctionem accipiant. Non fruſtra dixit Ambroſius: S. Ambr. to. 5.l.3.ep.25. *Matres monete filios ut magis crucem domini tollant, quam hanc vitam diligant.*

9. *Qui autem.* Hîc non expreſſè nominatur filius. Et certè nomine filii dignus non eſt qui parentis monitiones non accipit. Nam ſi vulgò novimus, indignum illum eſſe nomine geniti, qui patris exempla bona non ſectatur, ferè pari ratione dicendum idem eſt de illo, qui doctrinam patris reluctatur ſequi. Richardus Archiepiſcopus: Richard. Archiep. Cantuar. apud Petr. Bleſ. ep. 47. *Avelle à ſole ſolis radium, & non lucet: rivum à fonte, & areſcit, ramum ab arbore, & ſiccatur: membrum à corpore, & putreſcit. Separa filium à devotione paterna, & jam non eſt filius*, &c. Attendant hùc adoleſcentes procerum filii: qui ſuperbiſſimâ ſolicitudine numerant claros progenitores: quorum excellentia facta nequaquam imitantes, patris hortationes deſpiciunt: ac ducunt inter præcipitia juventutem: reputantes tamquam ſuæ generoſitatis partem doctrinæ parentum non obſequi. Coæqualium ſimiliter viventium indiſciplinatio movet eos amplius, quàm commonentis genitoris veneranda canities. Et himetipſi, cum ad virilem ætatem venerint, ac filios procreaverint: ſi forſan iſti docentes eos contemnant, dolebunt valde. Apud Petrarcham, dolori querenti ſic: Petrar. de re med. adver. ſort. dial. 44. *Habeo filium contumacem*, Reſpondet ratio: *Æquum eſt, ut qui patrem ferre non poteras, filium feras, utique ſarcinam graviorem: magis animum premit, pungitque acrius ſuperbi filii verbum unum irreverenter prolatum, quam ſeveri patris quæcunque durities. Ille enim injuriam facit, hic jure ſuo utitur.* Urget iterum dolor apud eumdem: *Filium habeo rebellantem.* Ratio ſic reponit: *Impudenter de minorum rebellione conqueritur qui majorum juſta contemſerit imperia.*

10. *Illuſor.* Sumi poteſt, vel ut valeat: *Contemptor diſciplinæ*, prout commentatur Hugo Cardinalis: vel generaliùs pro improbo, conformiter ad id, quod alibi dixit Cornelius Alapide: *Improbus ergo vocatur* illuſor; *tum quia ſeipſum & alios deludit ſpecie illecebroſa voluptatis, qua ſibi peccatum, indeque damnationem accerſit: tum potius quia valde improbi, uti impii & athei, non tantum monitores & monita contemnunt, ſed & omnia humana, & divina deridet*, &c. Magis placet hic ſecundus intellectus hujuſcemodi vocis. Ducor ex eo, quòd in prima parte ſententiæ nomen, *Sapiens*, ſatis amplam recipit interpretationem. Unde vocabulum, *Illuſor*, quod habetur in ſecunda parte, reſpondebit aptiùs priori, ſi non arctetur in primo ſenſu; ſed extendatur, ut in ſecundo. Hug. Card. hîc.

Non audit: id eſt, non obtemperat. Notum eſt quod audire ſumitur aliquando ſic ut ſignificet obedire. Legis in libro Exodi: *Loquere tu nobis & audiemus.* Et Exod.20.19. apud Pſalmiſtam: *Iſraël ſi audieris me*, &c. Pſal.80.9. Expoſitionem iſtam approbat ſub disjunctione Rodolphus, dicens: *Aut ipſe noluit obedire majoribus recte monentibus, aut* &c. Rodol. hîc. Non filiorum tantummodò morbus eſt ſanis cohortationibus obſurdeſcere. Vix eſt aliquis reprehenſione dignus, qui libenter alterius correctionem ſuſcipiat. Confæderantur hîc ut reſiſtant monitori voluntas & mens: voluntas, inquam, ne deſerat venenum dulce, quod appetit; intellectus verò ſuperbiâ turgens, ne diſcat, vel doceri videatur. Unde Salvianus ait: Salvian. l.8. de gubern. Dei in princ. *Omnes enim admodum ſe laudari volunt. Nulli grata reprehenſio eſt: imo, quod pejus multò eſt, quamlibet malus, quamlibet perditus, mavult mendaciter prædicare, quam jure reprenendi*, &c.

11.

Cùm arguitur. Arguere ſæpe ſignificat errantem ratione convincere, & mitioribus verbis reprehendere; interdum acerbitatem habet. In præſenti nullum video ſignum ex quo dignoſcamus in quo ſenſu ſit interpretandum illud, *Cùm arguitur.* Forſan ità manſit indifferens hoc verbum ad utramque acceptionem, ut inſinuaretur quod jam ſupra notavi; ſcilicet oportere ſeveritati correctionis miſceri lenitatem prudentiâ duce. Nunc addo Radulphum cujus hæc ſunt verba: Radulph. Flav. l.1. in Lev. c.6. *Hanc corripiendi formam Apoſtolus nobis in ſeipſo repræſentat, cum Galatas arguens, nunc in eos acriùs invehitur, nunc eis paternâ pietate blanditur*: O inſenſati, &c. *Et poſt pauca*: Sic ſtulti eſtis, &c. *Sed poſt hujus increpationis aſperitatem quâ eorum dilectione ad hujuſmodi verba deſcenderit, eis minimè tacuit, cum ſubjunxit*: Filioli mei, &c.

12.

DELIBATIO I.

Laudes obedientiæ.

13. *Obedientia ſimilatur martyrio.*

AD moralia nunc viam faciamus: occaſionem deſumentes ab eo, quòd textus doctrinam tradat, quæ filiorum frugi circa patrem obedientiam in monitis accipiendis reducat in memoriam. *Non audit cum arguitur* genitus contemptor diſciplinæ; aures verò præſtat obſecundantes *filius ſapiens*: noſti quippe, obedientiam auribus deſignari. S. Eucherius: *Aures obedientia fidelis.* Nec de obedientia S. Eucher. l. form. ſpirit. c.7. tractantes longe ſumus à Salomone: præſentis namque dogmatis prima verba Septuaginta verterunt: *Filius aſtutus obedit* Lect. Sept. Prov.c.13. *patri.* Cum igitur æſtimatio rerum non fallibiliter æqua ſit à divino judicio petenda, hinc ſumamus initium. Superexcellentem locum obtinent in mente Conditoris invicti Martyres. Nullus reluctabitur, ſi dicam obedientes quam ſimiles

tyribus. Obedientiam exercuit in cruce Martyrum caput Filius Dei. Proinde quotquot ejus amore ducti ſuperioribus obediunt, crucis quotidianæ martyrium tolerant. Scio deeſſe tyrannum (vel potius deſidero quod nullus regens obedituros tyrannidem exerceat) ſed amorem ignoras blandi tyranni vices agere? Non meminiſti Philoſophos in operatione quamdam vitæ rationem conſtituere? Mactat iſtam perfectus obediens: opera ſua quaſi dividens à ſeipſo; cuncta regenti libentiſſimè tradens. S. Antiochus:

S. Antioch. hom. 29. de obed. *Voluntatem propriam à te excindere, perinde eſt ac ſi proprium fundas ſanguinem: ſed & hæc homini imputatur pro victima.* Maneat ergo quod martyrio ſimilatur obedientia ſuperioribus præſtita.

14. Mortis deſtructor Author vitæ Chriſtus Dominus de principibus tenebrarum gloriosè triumphum reportaverat jam. Sed cum non ſit inhoneſtum duci poſt victoriam ſuos milites alloqui benignè: diſcipulis verba facere, certantibus adhuc in prælio, non dedignatus eſt Redemptor noſter. Cum tertiò manifeſtus eſt illis; poſt prandium recreari cupiens, Petrum interrogat de dilectione quâ ferebatur in Magiſtrum: non certè dubitans qui novit omnia; ſed ejus confeſſionem cupiens audire Simonis ore prolatam. Reſpondit Apoſtolus humiliter ſimul & amanter. Tunc ipſi Dominus ait: *Amen amen dico tibi: cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Addit Joannes: *Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Non valde perſpicuè ſignificaſſe dices rem tantam Petro divinum Præceptorem; cum ibi martyrium Simonis inſinuet per phraſim quæ non nimis exprimit cædem; clariuſque ſonat ambulationem quò propria voluntas Apoſtoli renititur. Aptiùs locutus eſt Dominus apud Lucam exhortans ad patienda tormenta pro Dei honore: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam.* Beda in hunc locum: *Quia vero ſancta Eccleſia aliud tempus habet perſecutionis atque aliud pacis, Redemptor noſter ipſa ejus tempora deſignavit in præceptis. Nam perſecutionis tempore ponenda eſt anima, pacis autem tempore ea quæ amplius dominari poſſunt, frangenda ſunt deſideria terrena.* Hîc dilucidè Chriſtus Dominus loquitur de morte, tamquam animæ poſitione? poſt reſurrectionem verò de Petro morituro fatur, quaſi nihil aliud ſit martyrem eſſe, quam duci quò non vis? Expende cuinam loquatur hîc, & illic: ſtyli diſparitatem non adeo miraberis. Quod à Luca ſupra refertur non ad ſolos regimen habituros dixit: ait enim Evangeliſta: *Dicebat autem ad omnes: Si quis*, &c. Gloſſa Ord. ibi: dicebat autem. *hæc ad omnes.* At verò quæ ſcribit Joannes proximè citata ſoli Petro dicta ſunt, qui rectus erat Eccleſiam. Operæ pretium fuit ad ipſum loqui de morte, quam ſubiturus erat, per verba ſonantia ductum alienæ voluntatis contra propriam: *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Ita Simoni præbebatur occaſio meditandi, cum poſtea regeret ſubditos, obedientiam perfectam ſimilem eſſe martyrio; cùm Dominus de hoc ipſi loquutus fuerit verbis quæ plus videntur obedientiam ſonare, quàm tormentum. Non mirum quod ſimilia proferantur ſermone pari. Obedientia vera ſimilis eſt martyrio valde prudenter exprimitur à Domino paſſio martyris, ac ſi de actu loqueretur obedientiæ, quô propria voluntas immolatur. Non te pigeat legere Rupertum: videtur enim favere dictis per hæc verba: *Cum*, inquit, *junior, & tamquam ſub tyrocinio militans, pericula belli non dum expertus fuiſſes, cingebas te, hoc eſt, tuâ fortitudine plurimum confidebas, & ſine duce ambulabas ubi volebas .... Cum autem ſenueris, cum interioris hominis tui ſenſus incanuerit, tunc vadens mecum & in carcerem & in mortem extendes manus tuas in cruce, ita tamen ut alius te cingat, ſcientem quod teipſum cingere non poſſes, & ducat quò tu non vis, id eſt, regat in paſſione mortis, quam naturali timore paveſcis.* Nihil ſuperaddam, ne te divertere vel pauliſper faciam à Ruperto.

Rupert. l. 14. in Joan. loco ante fin.

Joan. 21. 18. & 19.

Luc. 9. 23. 24

Bed. in 9. Luc c. 38. longe poſt princ.

Gloſ. Ord. in Luc. c. 9. 23.

15. *Obediens exaudietur aliquando citiùs quàm martyr.*

Hoc tamen pro laude obedientium adjicere liceat, ſi martyribus in cœlo regnantibus præferre decertantes in terris fas eſt. Triumphatoribus illis, etſi fulgidiſſimis redimiantur laureis eorum tempora, videntur in aliquo præponi nonnumquam à Deo ij, qui pollent obedientiæ virtute. Acceptationis divinæ, quam juſtus apud Altiſſimum nanciſcitur, manifeſtum ſignum eſt ejus orationes exaudiri benevole, poſtulataque donari liberaliter. A D. Laurentio Juſtin. accipe quantum valeat obedientis oratio: *Quod vult à Deo impetrat hæc virtus beata. Si cor noſtrum non reprehendit nos (ait Joannes) fiduciam habemus apud Deum, quod quicquid petimus accipiemus, quia mandata ejus cuſtodimus. Non enim obedientis poteſt repelli oratio, quæ de puritate cordis exhibetur. Sicut enim ſeipſum Deo tradidit voluntatem propriam immolando, ſic à Deo omne quod poposcerit, conſequetur.* Video S. Doctorem de obedientia loqui præſtita Deo: ſed accommodari poſſunt hæc verba necnon ei, qui ſuperioribus ad nutum obtemperat: utpotè qui non tamquam homini ſubdit arbitrium proprium; ſed uti vices Dei gerenti. Fateor etiam, plurimùm acceptas eſſe Domino preces eorum, qui vitam in odium fidei per tyrannos ereptam perdidere. Suſpicor attamen, aliquando citiùs obtinere petita perfectum obedientem in hoc exilio, quàm Chriſto conregnantem in cœlo martyrem. Clamet hic voce magna poſtulans: fortè differetur id quod flagitat. Obſecretur obediès in vita mortali; forſitan obtinebit velociùs quod cupit: ille reſponſum accipiet ut expectet; iſte recipiet ſtatim quod rogat.

S. Laur Juſt. in lig. vit. c. de obed. 1. Joann. 2.

Erat

16. Erat in vinculis Doctor Gentium : ſed nec alligatur verbum Dei, neque ſolet compediri charitas, ne prorumpat in proximorum ſpiritualia commoda. Flammæ ſimilis extat : non premitur catenis. E vinculis, inquam, ſcripſit Paulus ad Philemonem ſic : *Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi : ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies. Simul autem & para mihi hoſpitium : nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Exponit Cornelius Alapide tibi: *Ut ſcilicet liberatus è vinculis, vobis reſtituar.* Nota quòd non in longinquum expectabat liberationem à carcere ; ſed brevî conſequendam per orationes illas confidebat : aliter non jam diceret ut hoſpitium ſibi venturo præparetur. *Para mihi hoſpitium*, &c. Hanc Pauli confidentiam expendenti, & non vanam extitiſſe ſpem ejus meditanti, locus occurrit Apocalypſeos ; in quo refertur, animabus Martyrum clamantibus pro vindicta ſanguinis effuſi non ſtatim donatum quod petebant ; ſed potius dilatum uſque ad judicii diem. Joannes hæc verba tradidit : *Et clamabant voce magna, dicentes : Uſque quò Domine, (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra ? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ : & dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum*, &c. Per animas intelligit ibi Martyres Lira : Animas interfectorum : *Id eſt Martyres interfectos*, &c. & per tempus illud modicum vide quid accipiat, inquiens : *ſcilicet uſque ad judicium, quod dicitur modicum æternitati comparatum*, &c. Bonè Deus ! juſtiſſimam vindictam, quam non odio, ſed æquitatis amore ducti Martyres illi poſtulabant, ſic in longa tempora differs ? Nullus reſpondebit, dilationem iſtam fuiſſe congruentem, ut Martyres ampliùs merentur, expectando confidenter diutiùs : non enim jam erant in ſtatu merendi. Potiùs notabit aliquis, congruiſſe Paulo, quòd ejus incarceratio foret diuturnior, ut meritum illius augeretur. Et ipſe non inaniter expectat, eripiendum ſe brevî de carcere ? Meritò ſic Apoſtolus fidebat : quia nitebatur orationi Philemonis, qui obediens erat : nec enim ſolet exauditio precationis obedientum nimis longè protelari ; quamvis aliquando Martyrum rogatui non donetur petitum, niſi poſt longi temporis decurſum. Memini, quod Paulus ibi pluraliter dixerit : *Per orationes veſtras* ; nihilominus non eſt cur excludatur ab orantium numero Philemon. Notandumque, hunc extitiſſe virtute obedientiæ ornatum. *Confidens in obedientia tua*, &c. Commentatur D. Anſelmus ibi : *Id eſt, omnino fiduciam habens & certus exiſtens, quia in hac re mihi obedies, ſicut in cæteris ſemper obedire conſueviſti*, &c. Præſtolentur Martyres in tempus definitum poſtremi judicii ; non autem diù fraudatur optatis deprecatio ſupplex obedientis perfecti : quaſi plus iſte ſit gratus Domino, quàm fuerit Martyr.

Ad Philemo. n. 21. & 22.

Alap. ib.

Apocalyp. 6. 10 11.

Lir. ib. n. 9. & 11.

S. Anſ. in Ep. ad Philem. v. 21.

17. *Obedien-*

Nec obſtat gratiæ quam ſortitur obediens apud amorem Dei, quod adhuc degat in terris, ubi continuum Deo paratur bellum, etiam ab his, qui ſub Chriſti nomine militant. Non, inquam, obſtat : nam obedientiâ refulgentis converſatio in cœlis eſt. Tempeſtivè dono tibi Humbertum. *Obedientia*, inquit ille, *ſtatui cœleſtium civium aſſimilatur.* Proportionatur egregiè cœtus obedientium ſenatui cælicolarum. In cœleſti curia periculorum immunitas habetur : inclytus triumphus perennat ; ſecuraque perdurabit immortalitas. Quòd autem in alumnis obedientiæ quodammodò reperiantur hæc tria, patronum habeo pro duobus prioribus eumdem Humbertum. *Per obedientiam*, ait, *nobiliſſimus triumphus acquiritur. Nobiliſſimum enim vincere ſeipſum, quod facit obediens.* Et infra : *Obedientia hominem à periculo conſervat.* Ad poſtremum facit illud quod refert Climacus : *Quomodo, inquit, mi pater fieri poteſt, ut verus obedientiæ alumnus moriatur ?* Verba ſunt cujuſdam Acacii monachi defuncti, de ſepulchro prolata, quæ multam poſtulant recogitantis expenſionem. Cum hæc ita ſint, non dubites, obedientiam conſtituere hominem in cœleſtibus : obedientium congregatio cœlorum æmula videbitur conſideranti.

tium congregatio cœlorum æmula.

Humbert. Gen. 5 Ord. Prædicat. in ſpecul. relig. c. 1.

Idem. ib.

S. Joan. Clim in ſcal. gr. 4. longe ante fin.

18. Eccleſiam non unicâ ſimilitudine deſignatam reperimus apud ſacra : & cum ſit viſibilis, confertur iis, quæ percipiuntur ſenſibus noſtris ; ut vel ſic amorem inviſibilem Dei percipiamus ; cujus divitias in opus tantum velut effudit. Apud Matthæum ſub ænigmate vineæ nominatam Eccleſiam invenimus in parabola patrisfamilias : qui non ſemel exiit conducere operarios, ut in ejus agricultura laborarent. *Exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam.* Exponit Anſelmus : *Hic pater ad excolendam vineam ſuam tertia hora manè, ſexta, undecima, operarios conducit, quia à mundi hujus initio uſque in finem, ad erudiendam fidelium plebem, prædicatores mittere non deſtitit.* En Eccleſia vocatur vinea : licetque ſimul appelletur regnum cœlorum, hæc honorabilis appellatio ſatis imminuitur per hoc quòd ibidem nominetur vinea. Nam per id forſan inſinuatur, quòd militans Eccleſia plurimum terrenæ conditionis habet immixtum, quantumvis ob peculiarem aſſiſtentiam ſummi Regis, vel ob ſpem beatitudinis, vel ob alias rationes regni cœlorum nomine decoretur. Sic proviſum eſt humilitate : ne fideles, & præcipuè juſti, quadamtenus Deum poſſidentes per fidem & amorem, putarent ſe jam in cœlis conſtitutos. Benè. Sed non lego, ſimili cautela Redemptorem noſtrum fuiſſe uſum, cum promiſit Eccleſiæ claves Petro : dixit enim : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Interlinearis ibi : *Eccleſiæ*, cur addidit : Et tibi tradam vineam meam ? Quia ſimilitudo vineæ, cum terrena ſit, non erat tam opportuna, pro ſignificanda hoc loco Eccleſia. Alibi verò maximè. Rationem hujus diſparitatis aſſignare debeo. Hæc ſeſe offert ad rem noſtram. Agebatur in parabola vineæ de Eccleſia in ordine ad prædicationis officium: quod non reſpicit ſubditos quà ſubditos.

Matth. 20. 1. S. Anſ. com. in Matth. ib.

Matth. 16. 19.

Principem Apoſtolorum verò ſermo Redemptoris erat de Eccleſia in ordine ad gubernationem, quam illi tunc ſpondebat Salvator. Eccleſia igitur quatenus obeditura, ſic excellit claritate, ut nequaquam hîc terrena comparatione fuerit exprimenda; ſed regnum cœlorum abſolutè nominanda. Hæc eſt obedientiæ prerogativa: quòd ſcilicet filios adhuc exules velut in cœleſtem patriam reducat, priuſquam à corpore mortis hujus liberentur. Unde cernere pronum eſt, quàm ſit verum illud: *Obedientia ſtatui cœleſtium civium aſſimilatur.*

19. *Subditus quandoque præfertur deſtinato ad prælaturam.*

Nullus exiſtimet, me ſubditorum ſtatum ſic efferre nimis, & prælatorum vivendi rationem rectam prorſus damnare. Sed hoc unum ſubjiciam, ſcilicet quòd ad prælaturam deſtinatus non ideo pluris ſit à Domino; ſed ei quandoque præfertur ſubditus. Ingrata plebs Hebræa fidem exploratoribus illis præbens, qui detraxerunt Terræ promiſſionis, vociferans flevit, ac execrabatur illuc ingredi, ubi falsò putabat mortem ſuam, & uxorum ac liberorum captivitatem imminere. Voluerunt conſtituere ducem ut reverterentur in Ægyptum. Ad hæc Joſue, necnon Caleb, *qui & ipſi luſtraverant terram, ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſraël locuti ſunt: Terra, quam circuivimus, valde bona eſt.... Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum Terræ hujus*, &c. Iram Domini contra populum placavit Moyſes. Et poſtea dixit Omnipotens: *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & ſemen ejus poſſidebit eam.* Hujuſmodi præmium conſecutus eſt Caleb, qui pro Domino locutus eſt adversùs rebellionem filiorum Iſraël. Sed non video ſimiliter hîc dici remunerandum Joſue. Quare? an non ipſe conjunctim cum Calebo ſeſe oppoſuit multitudini? Caleb afficitur honorifico titulo ſervi Dei? *Servum meum Caleb*, &c. & inſuper accipit in præmium, ut inducatur in repromiſſam terram, & ſemen ejus poſſideat eam; & tacetur ibi de Joſue, qui ſimili modo munerari promerebatur? Ne demireris. Joſue quidem deſtinatus erat ut regeret populum Dei Moyſe defuncto. Noluit ergo Deus hoc loco quidquam circa ipſum proferre, quô ſignificaret eum in æſtimatione divina magnî fieri: ne putaretur, Altiſſimum imitari mores hominum, qui habent in plurimo pretio illos, qui vocandi ſunt ad publicos honores; & eos contemnunt, qui ſubditi manent in perpetua quiete. Calebum videtur prætuliſſe, promiſſis exhibitis, quæ jam retuli: quia neutiquam conſcendit ad regimen, quod poſtea tenuit Joſue. Vides quomodo nonnumquam præferatur apud Æquiſſimum æſtimatorem poſitus in obedientiæ convalle, quàm deſtinatus ad poteſtatis culmina? Claudat periodum S. Thomas à Villan. qui te docebit quid ſignificent exploratores, de quibus in libro Numerorum agitur. *Exploratores*, inquit, *conſtituti ſumus in populo Dei electo.... Hic per hujus ſæculi ſqualentem eremum in patriam ſuam properat, & audire geſtiens in deſerto bona quæ in ea ſunt, exploratores deſtinant religioſos & perfectos viros, qui eam penetrent, & de illa ſibi nuntient.* Applica igitur ſubditis religioſis quæ ſupra diximus: ut ipſi Deum glorificent (ſi bona ſua noverint) attendentes quantum Deo placeant, cum eorum quilibet prælato velut *filius aſtutus obedit patri.*

Numer. 14. 6. 7. 9.

Ibid. n. 24.

S. Thom. a V. N. ſer. de S. Doroth. ad Numer. 13.

DELIBATIO II.

Fructus obedientiæ victoria, quies, humilitas, ſecuritas.

NOn omnibus datum eſt jugum tollere ſolo ductos amore virtutis quam actualiter exercent. Eis qui non adeo volant in ſublimi conveniens eſt præ oculis habere ſpiritualem ſui laboris fructum. Chryſoſtomus: *Fructus enim, qui in laboribus comparatur non ſinit quicquam grave aut oneroſum videri.* Quapropter ut obedientiæ colla ſubdere volentes onus haud meticuloſi paveant, otioſum non erit quoſdam obedientis fructus expendere. Quatuor eligo ſcilicet victoriam illuſtrem, quietem placidam, humilitatem ſolidam, ſecuritatem imperterritam. Ad primum. Plurima ſuperanda reſtant athletæ ſpirituali jugiter. Sed illud ante omnia ſolicitè curare non deſinit, nempe de ſeipſo victoriam reportare: agnoſcit quippè nullum animæ hoſtem ei poſſe vulnus etiam leviſſimum infligere, niſi homo ſibi noceat ipſe. Quantum ad victoriam ſui proficiat obedientia certatori fortiſſimo doceat Humbertus. *Obedientia*, inquit, *perfecta facit hominem nobiliſſimè triumphare de hoſte fortiſſimo, ſcilicet animo ſuo: cui qui dominatur melior eſt ſecundùm Salomonem expugnatore urbium.* An putas tenuem eſſe victoriam tui, quia conditor in tua poteſtate reliquit animam tuam? Crede victoriam hujuſmodi ſimilem eſſe pluribus conjunctim ſumptis; necnon gloriosè perſonare. Vincere nemine ſciente, minus clareſcere facit victorem: ſemel tantùm ſuperare non adeo nobilitat vincentem. Igitur dicam. Victoria de ſeipſo, quam aſſequitur vir obediens, non unica ſed multiplex appellari valet: non eget præcone; ipſa prædicat ſplendorem ſuum.

20. *Obedientis victoria dici valet multiplex: non eget præcone.*

Chryſoſt. to. 3 hom. 21. in Joann. in pr.

Humber. in expoſ. reg. S. Aug.

Salomonem conſule noſtrum: qui licet aſſuetus imperare, novit excellentiam obtemperantium. *Vir obediens loquetur victoriam.* Aliter legitur apud S. Gregorium Papam ſtatim citandum: habetur enim ibi: *loquitur victorias.* Ubi primò notandum quòd pluraliter dictum ſapientis apud Beatiſſimum Pontificem habemus; cum in vulgata reperiatur in ſingulari, *Victoriam.* Nec prætereundum eſt quod Eccleſiaſtes de obediente viro (cujus eſt humilitatem diligere profundam) proferat, ipſum victoriam propriam eloqui. Multiplicitatem victoriarum in obedientia numerabimus? an unica tantum eſt? In quolibet

21. Prov. 21. 28.

libet exercitio virtutis hujus victoriam dari multiplicem nonnemo dicet : quia ſemetipſum vincit homo ſubdens voluntatem propriam ſuperiori : nec multum audebit qui victoriam hominis de ſemetipſo vocaverit æquivalentem pluribus.

S.Greg.M-g tom. 1. l.35. mor.c.10. Promiſi Gregorium Magnum. *Hinc per Salomonem*, ait, ille, *in oſtenſione obedientiæ dicitur : Vir obediens loquitur victorias. Vir quippè obediens victorias loquitur : quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus.* O inclytum triumphatorem, qui quoties ſeipſum debellat quaſi multas adipiſcitur victorias ! Obiter, ſed lentè notandum, quòd iſta non verificantur de ſegni vel coacto ſubdito. Hos forte nos meminiſſe voluit Hugo Cardinalis ; qui premens ibi vocem illam, *Vir*, ait : *Vir obediens : id eſt viriliter obediens Deo vel prælato ſuo.* Nunc ſcrupulum proximè ſuperius exurgentem ſedabimus. Quomodo ſuam loquetur victoriam vir obediens humiliter ? Hæc eſt obedientis veri conditio, ſcilicet quod ſine voce proclamat triumphum ; ipſe mutus præconium extat ſuî. Rodolphus ad eum locum : *Vel perpetuo loquetur, hoc eſt non peribit, ut loqui pro vivere capiatur*, &c. Obediens nec ore proprio laudem ſuam vileſcere facit, ſi perfectus eſt : nec alienis encomiis indiget extolli. Latere vellet victoriæ de ſeipſo claritatem ; non tamen hoc patitur obedientiæ fulgor.

Hug. Card. in Pr.21.28.

Rodolp. ib.

22. *Sub obedientia quies.* Hucuſque propoſui priorem ex obedientia fructum. Ad ſecundum pergo, ſcilicet quietem animi. Mirabilis eſt Authoris gratiæ ſapientia ; quæ providit, ut in ipſo labore quietem invenire poſſimus. Hoc non poterit ſæculum præſtare ſuis clientibus in laborioſo nimis ejus obſequio deſudantibus. Non tantùm poſt equitem ſedet atra cura, ut canit Poeta. Sed abſconditur ſub ipſo mundanorum cervicali, quò ſomnos eorum perturbet, & reperiant in ipſa requie dolorem. Viceverſa Domino ſervientes quieſcunt ſupra jugum. Hoc præſertim experiuntur qui ſeipſos amore Dei ſubdiderunt alienæ voluntati.

S.Laur. Juſt. in lig.ni.c.3 de obed. fin. S. Laurentius Juſtinianus : *Nam multi quieti ſub præceptore vivunt, quos ſi ab jugo obedientiæ ſolvas, videas non poſſe quieſcere, nec ſe ullo modo ſervare innoxios :* Verum quidem eſt, quod fragilitas humana fingit laborem in præcepto, duriſſimumque dicit alieno ſub imperio degere perpetuò. Sed an ne hoc eſt unicum dulce, quod mens noſtra deluſa phantaſia putat amarum ? Si, prout par eſt, ſenſitiva pars hominis accommodet ſe rationali ; tunc experietur in obedientia requieſci jucundè. Tranquilla requie perfruuntur ij qui ſub religioſo vexillo militant Altiſſimo : ac turbarum æquora pertæſi religionis portum appulere.

23. Longe poſitus à felici tempore legis gratiæ præco cæleſtis, ac præſcius Iſaïas, ad illud extendens lumina prophetica ſic aiebat : *Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum : fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis : & vocaberis ædificator ſepium, avertens ſemitas in quietem.* Legit S. Hieronymus : *Convertens ſemitas in quietem.* Notum eſt hæc ad inſtitutionem & reformationem Ordinum regularium libentiſſimè referri. Cornelius Alap. ad prædicta verba Prophetæ : *Multo magis loquitur Iſaïas de inſtitutione, vel reformatione ſtatuum & Ordinum, tum Eccleſiaſticorum, tum Religioſorum* : Et infra : *Tales ædificatores ſepium fuerunt & ſunt reſtauratores Religioſæ diſciplinæ, & nominatim clauſuræ. Hæc enim, ut docet Concilium Tridentinum, ipſaque experientia, eſt ſeps & murus Religioſo*, &c. Conſonat Hugo Cardinalis ibidem, inquiens : *Nota quod ſepes dicitur regularis inſtitutio, ſive præcepta regulariter vivendi.* Cum expenderem Hieronymi lectionem : cujus luce utentes intelligimus illam permutationem ſemitarum, quam propoſuit Vates per verbum, *Avertens* : adnotabam, quod non dicitur, commutandam viam laxam ſæculi per inſtitutionem vel reformationem Ordinum regularium in arctam ſemitam, quæ ducit ad vitam ; ſed afferitur, convertendas fore ſemitas in quietem. Cur non prophetat Iſaïas hîc priori modo ; ſcilicet prænuntians, tranſmutandum hoc pacto ſpatioſum valdè mundi callem in anguſtum cœli tramitem, ſcilicet Religionum clauſuram ? ſed potius prædixit, ſemitas convertendas in quietem ? Non fruſtra ſic vaticinatus eſt. Qui de viâ latâ tranſit ad ſtrictam aliò tendentem, non ideo requieſcit in ea. In ambulatione materiali tam pergentes anguſtiſſimo tramite, quàm via regia, utrique laborant in ambulando. Non ita dicemus comparatione factâ iter facientium per ſæculi vias, cum eis, qui religionem ſub obedientia ſunt amplexi. Sæculares in ipſomet otio laborem experiuntur improbum. Religioſi verò in itinere, quò per ſuperiorem diriguntur, laborantes quieſcunt. Mundani dulcia ſomniant, ac dura patiuntur : ſub iniquo domino cui morem gerunt, nec mora nec requies : obedientiæ filii Deo ac prælatis illius vice morigerantes, blandam, & non otioſam, invenere quietem, virtutis illius fructum.

S. Hieron ib.

Alap. ibid.

Hug. Card. ibid.

Iſaï.58.12.

24. *Verè humiles magni ſunt.* A quiete facilis eſt deſcenſus ad humilitatem, quam tertium fructum numeravimus obedientiæ. Facilis, inquam : ait enim Guerricus Abbas : *Quis autem niſi humilis, quietus eſſe poteſt* ? Si quæras cur humilitatem dicam fructum obedientiæ, verbis utar Joannis Abbatis. *Obedientia enim*, ait, *principium humilitatis, quoniam qui ſeipſum non condemnat ſicut deficientem à virtutibus, ſub manu alterius eſſe non valet.* Fateri non dubito, frequenter obedientiam ex humilitate prodire ; ſed hoc non tollit, ſæpè viciſſim humilitatem ex obedientia naſci. Valde ſodales mutuò ſunt virtutes iſtæ, ſe juvant ad invicem : ita ut nunc humilitas obedientiam nutriat ; nunc obedientia foveat humilitatem. Nec exiſtimes, parcè commendari per hoc obedientiam, quòd ſubmiſſionem generet : quia valde ſublimi loco ſtat ſe dejiciens humilitas. Noſti quàm ſit prælata ſacerdotalis dignitas ?

Guerric.Abb ſerm. 3. Aſſumpt. B.M.

Joann. Abb Raythu. in contẽp. ſup. ſcal S Joan. Clim.

Audi

S. Petr. Abb. Clun. l. 2. p. 50.

Audi quid S. Petrus Abbas de humilibus judicet. *Novi ſacerdotalis ordinis dignitatem, agnoſco ſublimitatem: ſed altiorem & ſecuriorem his judico humilitatem.* Qui cernit arborem in ſpeculo econtra poſito, ſic ut vitrum teneat locum infimum, videt in eo ſuperiora manere quæ in arbore ſunt ima. Non tantùm divina, ſed etiam humana quædam aſpicimus velut in ſpeculo, dum vita mortalis manet: & ſpeculum iſtud abjicimus in locum infimum, quia parum de veritate judicanda curamus. Arbor mundus eſt, cujus inferiora tenent humiles: applica ſpeculum rectæ meditationis, & ſuſpicies humilitatem in ſublimi. Verâ magnitudine præcellet ſe demittens. Jam non meditor quòd exaltabitur; ſed attentè lumina ſpiritualia fige in voluntariè ſubmiſſos; & agnoſces magnos.

25. Eccleſ. 3. 20.

Siracides magnos exhortatur ut ſe humilient, inquiens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*: &c. Sententia ſic perſpicua eſt ut ferè non indigeat expoſitione. In ratione verò, quam immediatè mox Eccleſiaſticus addidit nonnihil hæreo, quæ ſic habet: *Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* An in hoc oſtenditur potentia Dei, quod honoretur ab humilibus? nonne digniùs eam proponeret, ſi dixiſſet Deum à Regibus, nedum à magnis honorari? Non ita loquitur quia noverat humilium excellentiam. Dum colitur ab iſtis Deus, à magantibus honore perhibetur affici non exiguo. Meritò proinde Siracides hoc loco tacens de cultu, qui à potentatibus offertur ſummo Principi, meminit honoris, quem ei dicant ij, quos humilitas decorat: ſunt enim iſti divino conſpectui præcelſi valde. Hi ſunt adeo magni coram Deo, ut divina celſitudo non parum commendetur per honorationem, qua Deum colunt humiles. Poſtremo loco jacent apud ſæculum; ſed in mente Dei ſuperexcellenter magni, ſublimeſque reputantur. Et cum non de mortalium, quos illudunt ſæculi mendacia; ſed potius de judicio ſapientiæ divinæ metienda ſit verax magnitudo; humilis credatur excelſus: nec fallimur. Putabas obedientiam laudari modicè, cum dixerim, humilitatem eſſe illius prolem.

Ibid. n. 21.

26. *Superbus queritur ſi humiliatur; humilis non ita.*

Quanta ſint, & quot, in quibus obedientia promovere ſoleat humilitatem, non vacat modò trutinare ſingulatim. Obſecundat fortè ſubditus ei qui niſi ſedem prælaturæ conſcendiſſet, foret in cunctis inferior eidem: nec parum exercetur demiſſio, cum te minorem fateris eo, quem diviſum à prælatione nullus diceret æqualem tibi. Deinde ſæpiſſimè per obedientiam intellectus proprius offertur in holocauſtum, eò quòd oporteat præcipientis judicio tuum ſubjicere. Ecce nobile genus martyrii, multum requirens humilitatis pondus, ne virtus intellectiva (quæ non operatur) reluctetur. Accedit, quòd non ſemel reum ſe credit ſubditus innocens (ſi jam ad perfectam humilitatem deſcendit) ut non contradicat ſuperiori punienti juſtè prout putat. Hæc & alia dimitto, pro quibus unum addam, & expendam. Humilitas odit querimonias, & per earum omiſſionem valde clareſcit. Hunc ſplendorem, qui de querelarum ſilentio venit, obedientia frequentiſſimè donat humilitati. Tamque religioſæ vitæ proprium eſt querelas taciturnitate ſupprimere quod Abbas Paſtor dixerit: *Qui queruloſus eſt, monachus non eſt. Ex quo patet quod murmur facit de monacho non monachum.* Perfectio non mediocris eſt animi rectà petentis queſtus non edere, dum ab alio patitur humiliationem: nam ipſa natura, quin rationem offendat, poſtulat hujuſmodi ſolatium citra læſionem humiliantis. Sed verus humilis putat, ſe non iſta conſolatione dignum; tacet humiliatus. Queritur ſuperbus; Silet humilis: ille tamquam vulneratus exclamat; iſte veluti defunctus obmuteſcit.

Abb. Paſt. relat. in vit. Patr.

27. Pſal. 142. 3.

Pſaltes regius loquens de ſemetipſo, cum perſecutionem paſſus eſt Abſalomi, cujus ingrata perfidia naturæ legem abrupit, ut omnibus eſt notiſſimum: David, inquam, ait: *Perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi*: &c. Commentatur Lorinus, ibi: *Si vis in humiliandi fiat verbo, poteſt exponi de dejectione ab honore, dignitate, ſtatu priore in vilem, abjectum, ignobilem: de hoſtili, quam dixi, afflictione*, &c. Perpendebam quod licet hoſtilis fuerit contra Davidem perſecutio gnati, multamque peperit anxietatem parenti miſerando; non tamen ipſe vulneratum appellet ſe hoc in Pſalmo, qui ſic inſcribitur: *Pſalmus David, quando perſequebatur eum Abſalom filius ejus.* Retrogrediamur in libro Pſalmorum, & inveniemus Prophetam Deo ſic dicentem de diabolo ſuperato per crucem Dominicam: *Tu humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum*: S. Hieronymus ibi: *Diabolum, qui clavis crucis tuæ ſauciatus, humiliatus eſt in ſpoliis.* Hîc adnotabam, non dixiſſe Davidem collocatum fuiſſe dæmonem in obſcuris ut mortuum, quò ſic ejus abjectionem, quâ per victoriam crucis fuit contritus exaggeraret. Equidem ſi dejectiones illas ambas conferamus ad invicem; diaboli, ſcili. per triumphum crucis Domini, Davidiſque per Abſalomi rebellionem, longe plùs inveniemus abjectum remanſiſſe dæmonem, quam Davidem. David coactus fuit ſibi fuga conſulere, ſceptrumque ferè perdidit regni cujuſdam privati. Diabolus autem in eo quod paſſus eſt ſibi remedium quærere non valuit; & quamvis amicos habeat (proh dolor) rarus erit qui non dedignetur amicitiam ejus fateri: nonne hoc abjectiſſimum eſt? Sane David fugiens non ad tantam devenit humiliationem, ut non multos habuerit fidos comites. Lege hiſtoriam: *Omnis autem populus, & univerſi bellatores, à dextro & à ſiniſtro latere Regis incedebant.* Tandemque Princeps tenebrarum perdidit imperium totius orbis, quod tyrannicè poſſidebat. Vides quam fuerit per merita

Pſal. 142. 1.

Pſal. 88. 11. S. Hier. ib.

2. Reg. 16. 6.

merita Christi Salvatoris conculcatus hostis communis ? cur ergo non de illo sic loquitur Domino Psalmista : Tu collocasti superbum in obscuris sicut mortuos ? David autem in semetipso per Absalonem hostiliter dejecto ait : *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi*, &c. David quare non expressit hoc loco sui cordis anxietatem per similitudinem vulnerati ? diaboli verò depressio (qui cum corpore careat vulneris propriè capax non est) exponitur sic : *Humiliasti sicut vulneratum, superbum:* &c. Facilis est solutio. Qui vulnus accepit ab hoste, sed adhuc vivit, queri solet, dolore suadente ; defunctus autem nom emittit adversùs occisorem querimonias. Dæmon superbus est ; David extitit humilis valdè. Cumque superborum sit questus edere, si humilientur, æquum erat ut humiliatio dæmonis proponeretur sub imagine vulnerati : *Humiliasti sicut vulneratum, superbum :* &c. Econtrariò, cum vita functus non emittat querelas adversùs eum, qui vitam abstulit ei : meritò David, qui nequaquam queruloſus fuit contra filium persecutorem, & humiliter abjectionem passus est, se composuit mortuis : *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi* : &c. Humilium est obmutescere cum ab aliis humiliantur ; sicut elatorum mos esse solet, si quid patiantur, clamoribus aëra replere. Hanc humilitatis perfectionem suadet obedientia religioso viro: comprimitur, ac tacet humiliter ; fructum colligens pulcherrimum ex obeditione strenuâ nimis.

28. *Obedientia securitatem parit.*

Humber. in expos. reg. S. Aug. part 10. longe ante med.

Quintus ordine fructus obedientis est imperturbata securitas à quamplurimo discrimine. Redeamus ad Humbertum observantiarum regularium commonitorem disertissimum. *Obedientia perfecta*, inquit, *custodit à periculis peccatorem. Exequens enim obedientiam est negotiator Regis cælestis, cujus mandatum exequitur : & ideo securior est, quam qui in proprio scilicet mercatur.* Sæculo degentes propriâ voluntate negotiantur ; non alius eorum pericula subit ; sed ipsi periclitantur passim. Subditi cum propriam voluntatem abjecerint negotium agunt sibi quidem lucrosum ; discriminaque rejecerunt in prælatum, cujus est examinare quid agendum, quid omittendumve sit. Non quidem audebimus asserere, subditos immunes degere in spirituali prælio, quasi sint jam extra teli jactum positi. Nihilominus in obedientiæ, veluti matris, gremio constituti non ita patent hostibus, ut ij qui liberâ voluntatis propriæ fruuntur aurâ. Ex degentibus in sæculo plurimi quidem, gratia juvante, se custodiunt ab oppugnatoribus tartareis : at nec ipsi diffitentur, se pluribus patere casibus, & urgeri conflictibus, quorum patiuntur quosdam coacti ; quærunt alios ipsimet ultrò. In obedientia transigentibus vitam, feliciorem multò sortem contigisse manifestum est : subditus etenim in superioris potestate positus velut clauditur, à discrimine tutandus. Ibi securus degit quantùm conceditur in terris moranti : necnon a prælato solum dirigitur, sed, sicut dicere fas est, assecuratur.

29.

Inter varias opiniones mortalium de Christo Domino refulsit vera Petri fides : cujus luce doctus Magistri divinitatem confessus est. Redemptor beatum pronuntiavit eumdem : nec distulit sponsionem præmii, quô tam præclaram discipuli confessionem remuneraturus erat. Expendas vellem illa verba Domini : *Tibi dabo claves regni cælorum.* Potestatem supremam ad universalis Ecclesiæ regimen Petro per hæc verba promissam agnosco. In hoc tantum hæreo, quòd magis proportionatum videbatur homini, cujus in sæculo fuerat munus enavigare, quod ei sponderetur gubernatio sub ænigmate clavi nautici. Cur non ait ad Petrum : Tibi dabo clavum, quô dirigas Ecclesiæ meæ cymbam : ille Dominus, qui ut valde proportionatè loqueretur ad Simonem rete mittentem in mare, dixit ei, fratrique : *Faciam vos fieri piscatores hominum* ? Certè nomen cymbæ non dedignatur Ecclesia Dei. S. Thomas à Villanova sic loquitur : *Gubernatores, doctores sancti sunt, quorum peritia Ecclesiæ cymba dirigitur*, &c. Quare non sub imagine gubernaculi dicitur tradenda Petro potestas ; cur non magis utitur hîc Dominus vocabulo temonis, quo gubernatur navicula, quam nomine clavium, quibus aperiuntur & clauduntur fores ? Quia potestas Apostolorum Principis respiciebat obedientiam subditorum : quæ non tantùm dirigit ; sed custodit à discriminibus eos. Clavo navarchus regit viam navis rectam ; sed an gubernaculo poterit præstare navigantibus, ne fluctus insurgant ? ne scopulis illidantur ? Nequaquam. At clavis custodit à latrone quæ sub foribus clausis continentur. Aptissimè divinus Magister usus est voce, *Claves*, cum regimen Petro repromittebat. Subditus quippe sub prælati potestate positus obedientiâ servante custoditur plurimis à periclis. Ibi contutatur eum clausura, voluntariaque felix obtemperatio : quam qui non abjicit *filius sapiens doctrina patris* est.

Matth 4. 19.

S. Thom. a Villanov ser. de S. Ildef.

DELIBATIO III.

Damna quædam propriæ voluntatis.

UNum ex duobus oppositis melius dignoscitur post alterius notitiam. Locuti sumus de fructibus obedientiæ : post hæc dicemus de voluntatis propriæ damnis, quæ *non audit cum arguitur.* Ista non audiens malè audit apud Scriptores sacros. Imitatus forte D. Bernardum ait S. Laurentius Justinianus : *Propria voluntas est quæ paradisum expoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, & ditioni diaboli mundum subjugat.* Heu quot & quam ingentia detrimenta nobis affert hæc iniqua domina ! Vix numerari valent : ideo non expectas ut omnia percurram ; eligam nonnulla. In primis cœcitatem expendo illam, quæ pluribus vocibus nominatur : damnabilis amor sui. De hoc S. Aelredus ait : *Amor autem sui a propria*

30. *Amor sui sic delirat, ut meritorium videatur homini peccatum.*

S. Laur. Just. in lig. in c. 4. de obed. fin.

c. 13. Iſaï. ſer. de Adv. Domin.

Plat. l. 5. 1

pria voluntate procedit : &c. Quam multæ peccatorum ſpinæ progerminentur ab iſta peſſimâ radice, cunctis eſt in comperto. Pudet adducere Patres in comprobationem rei, quam novit Plato. *Sed revera nimius in ſe ipſum amor omnium peccatorum omnibus ſemper eſt cauſa.* Alios è profanis authoribus congerere poſſem ; at ſufficit mihi unus Plato. Philautia nobis inimica, noſque diligens multa machinatur in perniciem ſpiritualem, tum aperto, tum occulto marte pugnans. Stratagemata potius timeamus. Et aliis omiſſis unum eſt peculiariter paveſcendum ; ſcilicet quod ipſam iniquitatem nobis proponit aliquando quaſi meritoriam. Non adeo timetur in æquore bellica navis hoſtium, dum ſigna tradit in puppi vento vera : nempè talia, quòd per ea notum ſit ſpeculatori ex carcheſio diligenter obſervanti, an ſit amica navis, an hoſtilis. Cum verò verbi gratiâ, Turca navigio vexillum apponit Hiſpanum, ars hujuſmodi formidabilior eſt. Sic minori curâ propria voluntas indigeret, ut vinceretur, ſi propria ſigna ſemper nobis oſtenderet. Accidit frequenter ut aliena ſumat. Et aliquando ſic audet ut velut opus meritorium repreſentari faciat quod peccaminoſum eſt. Scio quod nullus intendens ad malum operatur ; ſed putabam, quòd peccans quæret ſolum bonum utile, jucundum, delectabile. Nec non ſub honeſti boni colore decipimur. Imo deſipimus adeo, quòd meritum fingimus in demerito, virtutiſque lucrum imaginamur in peccato : laudabilitatem in ſcelere comminiſcimur : præmium per delicta conſequi ſomniamus.

31. Ad Judam Dei nomine dixit olim Jeremias : *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis. Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis : Liberati ſumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.* Audis quid iſti dixerint ? Aliqui docent, Hebraïſmum eſſe ibi ; quo ponitur, *Eò quòd*, pro, *Quamvis*. Attamen ſequar Dionyſium Carthuſianum hoc loco, dicentem : *Liberati ſumus de manibus inimicorum, vel à peccatis*, eò quòd fecerimus abominationes iſtas, *id eſt, oblationes & ſacra deorum. Unde ipſi dixerunt : Oblationes, vel aliquid tale. Sed quoniam talia erant abominabilia vero Deo, ideo ponit Propheta rem magis, quam nomen*, &c. Quomodo venire potuit in mentem hominibus enutritis in populo, qui legem Dei acceperat, quòd per crimina liberati fuerint à manibus hoſtium ? imo à peccatis per culpas ? Obcæcatio voluntatis propriæ fuit in cauſa. Nam hæc aliaque delicta habent pro genitrice propriam voluntatem, ſic, ut ejus nomen tenentes appellari queant propriæ voluntates. Lege verba Domini poſt apud eumdem vatem : *Abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis ſui mali* : &c. Non ſibi ſatisfacit propria voluntas per hoc tantùm,

Jerem. 7 8. 9. 10.

Dion. Carthus. ib. n. 10.

Jerem. 7. 24.

quòd amplectatur bono ſpirituali nociva non metuens pœnam : peccata diligit, ac ſi forent præmio digna. Non ſolùm infamiam non pavet, ſed ſicut laudadabilia ſectatur vituperanda : meritoria credit quæ ſupplicio digniſſima ſunt. Jam non miror, ſi *non audit cum arguitur.*

Secundum de voluntate propriâ natum detrimentum eſt ſervitus infima. Pudore multi afficiuntur de ſervitute, quam vel de matris utero traxerunt, vel de belli caſu : quos poſſet ſolari Petrarcha, dicens ad eos qui ſervi nati ſunt : *Liberaliter vive, meliore tui parte liberum eſſe nil prohibet, una eſt peccati ſervitus graviſſima, ſed quæ premere neſcit invitos. Illam excute, liber eris.* Econtra ſuperbiunt qui à ſervitutibus illis temporalibus liberi ſunt quibus iterum Petrarcha dicere potuiſſet : *Multis ſerva libertas, multis eſt libera ſervitus.* Vix eſt quem pudefaciat ſervum eſſe peccati : quod rubore multo plangendum erat. Hujuſmodi ſervitus ortum habet à voluntate propriâ. S. Bernardus : *Voluntas enim eſt quæ ſe, cum eſſet libera ſervam fecit peccati*, &c. Et velut à genitrice captivâ deſcendit in filium propriæ voluntatis ſordida captivitas. De ſervitute hac peccati vide quid Bernardus humiliter dixerit : *Miſer ego homo, quis me liberabit à calumnia hujus pudendæ ſervitutis ?* &c. Hoc ſervile jugum imponit homini propria voluntas : quod equidem erubeſcere debueramus fixis in terra luminibus. Verecundiâ dignior eſt captivitas ad quam mala voluntas adducit peccatorem ; quam ea quæ de bellico venit infortunio : plùs confundis à ſuomet arbitrio captivari perfidè ; minus verecundum eſt à debellantibus inimicis in mancipium capi.

32. *Verecundiâ dignior eſt ſervitus veniens à voluntate propriâ, quam ab hoſte.* Petrar. de remed. proſp. fort. dial. 7.

Idem ib.

S. Bernar. ſer. 82. in Cant.

Idem ib.

Bonis abundavit Ephraim, & ſecundùm abundantiæ multitudinem ſimulacrorum altaria multiplicavit ; proprium ſibi conciliavit interitum, ſic ut Aſſirii inter alia ſpolia detulerint vitulos, quibus Ephraïmitæ cultum exhibuere. De hoc legitur apud Oſeam : *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit ſuper eum populus ejus, & ædituï ejus ſuper eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi ultori : confugio Ephraim capiet & confundetur Iſraël in voluntate ſua.* Attende ſenſim ad poſteriora verba : *Confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua.* Statim in verbis immediatè ſequentibus tibi veniet in mentem captivitas in quam propter idololatriam populus ductus eſt : *Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Liranus ibi : *Quia conſenſit regi in cultu vitulorum, ideo ſubditur* : Tranſire fecit, *id eſt fecit eum duci in captivitatem viliter, ſicut ſpuma eſt res vilis : eo enim quod populus conſenſit regi in cultu idolorum, idololatria fuit multiplicata in regno, quæ fuit occaſio captivationis regis & populi.* Quæres : Et cur non potius dictum eſt : Confundetur Iſraël in captivitate Aſſyriorum ?

33.

Oſe. 10. 5. 6.

Ib. n. 7.

Liran. ibid

Sed

Sed legimus ibi : *Confundetur Iſraël in voluntate ſua ?* Quia duplici captivitati populus ſubfuit : extitit una ſervitus peccati : expertus eſt alteram per hoſtilem cladem. Ex his duabus confuſibilior eſt coram Deo captivitas culpæ. Ut hoc inſinuetur, ſuſpicor non dici : Confundetur Iſraël in captivitate hoſtium ; ſed : *Confundetur Iſraël in voluntate ſua.* Pudendum eſt capi videntem à cœco. Cumque voluntas oculis careat ſatis pudendum eſt ab illa ſervum fieri dolo malo.

34. *Aliquando Deus punit unius hominis peccatum purè commiſſum electione propriâ ; diſſimulatque plura crimina peccantiũ, qui voluntatẽ alienam ſecuti ſunt.*

Aliud notabo detrimentum, propriæ voluntatis effectum : ſcilicet, quod illa Dei patientiam exaſperat. Circumſeptus malis homo conſolatur dolorem cordis animadvertens patientiam Dei, qui velut medicus acerbum propinat medicamentum ; cujus amaritudo longe minor eſt inferni pœnis, cupiens ut peccator ad ſanitatem reducatur. Hunc Dominus poſſet ſtatim atque peccavit ad inferni flammas detrudere : ſed patienter expectat, donec acrimoniâ medicaminis illius expergefactus is, qui læſit eum graviſſimè, revocetur ad ſemitam vitæ. Hæc patientia Dei, ſi bene perpendatur, non poteſt non ſolatium adhibere miſero peccatori. At ſi ductus aliquo ſigno credat exaſperatam contra ſe manſuetudinem Clementiſſimi, heu quantum anxiatus cor ejus ! Hæc non diffiteberis, ut reor. Scito igitur ſupremum Dominum à propriâ noſtrâ voluntate frequenter exaſperari. Lege mellifluum Doctorem hîc non blandè, ſed minaciter, prout oportet, ſeverum. *Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem ?* Et infra : *Porro voluntas propria quo furore Dominum majeſtatis impugnet, audiant, & timeant ſervi propriæ voluntatis. Primo namque ſeipſam ſubtrahit & ſubducit ejus dominatui : cui tamquam auctori ſervire jure debuerat ; dum efficitur ſua. Sed numquid contenta erit hac injuriâ ? Addit adhuc : & quòd in ſe, omnia quoque, quæ Dei ſunt tollit, & diripit.* Ponamus hinc peccata plura commiſſa ductu voluntatis alienæ ; illinc verò unicum patratum purè per electionem arbitrii proprii. Fiat inter extremum utrumque comparatio : dicamque, nonnumquam Dominum ſe gerere tamquam plùs offenſum per hoc unum, quàm per illa plura. Diſſimulat Deus aliquando delicta multorum ſimul orta ex eo, quòd ſecuti fuerint deliberationem alienam ; & in eâdem occaſione, materiaque punit haud leviter unius hominis piaculum procedens à voluntate propriâ tantùm.

S. Bernard. ſerm. 3. de Reſurrec.

35. Vindictam decreverat Omnipotens adverſus Amalec juſtiſſimam, quia reſtiterat populo ſuo, cum aſcenderet ex Ægipto. Mandavit Saüli per Samuelem, ut Amalecitarum univerſa demolirẽtur : nec parceret, nec aliquid ex bonis ejus concupiſceret. Tranſgreſſus eſt Saül mandatum, parcens regi Agag : nec fuerunt Amalecitarum omnia deſtructa ; ſed quædam ſervata ſunt. Hoc adeo tulit ægrè Dominus, ut locutus fuerit ad Samuelem ; quaſi pœnitens, quod Saülem conſtituerit ſuæ plebis moderatorem. Denuntiatur ei ſupplicium ore prophetico : *Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis rex.* Citra omnem æquitatis divinæ reprehenſionem ſtupere nobis licet de mulcta graviſſima nunc denuntiata Saüli. Demirabor, inquam, advertens, in iſto caſu non ſolum regem, ſed etiam populum Iſraëliticum deliquiſſe. Ipſam plebem Hebræam, vel per cupiditatem, vel per imprudentem clementiam parcentem gregibus, à peccato non libero ; videns quod populus voluntatem Dei circa demolitionem Amalec, vel agnovit, vel non inculpabiliter ignoravit, præſertim ob memoriam eorum quæ acciderunt præteritis temporibus, cum ſublatis manibus Moyſis, & pugnante Joſue victus eſt Amalec : quam reminiſcentiam traditio, ſicut exiſtimo, conſervabat. Quòd autem non ſolus pepercerit Saül, ſed etiam populus, habemus ex ipſo textu : *Et pepercit Saül, & populus Agag, & optimis gregibus*, &c. Qua igitur de cauſa populus hoc loco non punitur ; ſed rex ? Manifeſtum eſt quod regibus in acie pugnantibus, ipſorum eſt deliberare circa res magnas ; non autem militum. Proinde judico, plebem armatam reſtitiſſe ordinationi divinæ, ut regem ſequeretur inobedientem. Saül autem non alieno ſed ſuo ſic operatus eſt arbitrio. Diſſimulat Altiſſimus populi crimen ; & punit Saülis tranſgreſſionem. Illi quidem multi fuerant peccantes ; rex autem unus : attamen Dei juſtitiam plus irritavit iſtius delictum, quàm plurium ſcelera : nam voluntatis propriæ temeritatem Deus peculiariter odit. Aliquando punit unius hominis peccatum purè commiſſum electione propriâ ; diſſimulatque plura crimina peccantium, qui voluntatem alienam ſecuti ſunt.

1. Reg. 15. 23.

Ibid. n. 9.

36. *Pertinax in voluntate propriâ, deteſtabilior.* S. Laur. Juſt. l. de diſcipl. & perfect. monaſt. converſ. c. 7.

Unum eſt quod temeritatem aggravat propriæ voluntatis, ſcilicet, pertinacia. Hanc fortaſſe notare voluit Patriarcha Venetiarum, dicens : *Propria voluntas Deo ſemper inimicatur. Dominari totô poſſe conatur, rationis judicium extorquet ſuo faciens arbitrio militare.* Annectitur voluntati propriæ ſuperbia, quæ humanam conditionem ſupergredi veſanè deſiderans, & Angelicam naturam inflexibilem adæquare : duritiem velut inflexibilitatem amat. Sed qui vult Angelo ſimilis eſſe, diabolo ſæpe fit par, cujus eſt valde propria obſtinatio. Execrabilis equidem circumſtantia eſt iſta cordis obfirmatio tenax : quia non ſolùm tunc errat animus in opere ; ſed pro errore pugnare contendit. Minus execranda voluntas propria, ſi tandem ad obedientiam revertatur ; abominabilior erit ſi contentiosè perſiſtat, nec aliqua ratione ſe majori ſubdat. Vix amor ullus diſſimulare perpetuò quibit pervicatiam pertinacis : qui nec poſtquam arbitrii proprii malum contra voluntatem regentis ad exitum perduxit, factum ſuum ſuperiori ſubjicit. Minus deteſtabiliter operatur is, qui ſaltem poſt erratum, deliberationem ſuam ei ſubmittit, cui debet obedientiam exhibere.

37. Inſano præceps amore Sichem rapuit, & oppreſſit virginem filiam Jacobi. Sed, quod mirum eſt, reſipuit laſcivus amor, tranſire cupiens in conjugalem. Sic humiliavit potentem affectus, ut in paſtu pecorum vitam agentibus ipſe regis filius, non ſolius dotis augmentum, & quæcumque munera poſtularent, ſed etiam preces obtulerit pro conſecutione Dinæ ſororis in uxorem. Reſponſum præbuere fratres in dolo, ſævientes ob ſtuprum: & pactum eſt ut circumciderentur omnes maſculi; quâ conditione poſita, daturos ei Dinam in conjugem ſpoponderunt. Sed en die tertio, cum propter circumciſionis vulnus erant illi defenſionis incapaces, Simeon & Levi filii Jacob maſculos cunctos, Regem & Principem occiderunt. *Arreptis duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis Hemor & Sichem pariter necaverunt*, &c. Contextus inſinuare videtur, regem Hemor non priori loco fuiſſe traditum neci: nam priùs habetur in hiſtoria, maſculos omnes interfectos; & poſtea refertur, Hemor eſſe necatum. Exinde collige, non eſſe credibile, regem haud (multo ſpatio temporis antequam occideretur) ſciviſſe perniciem, quæ contingebat propter laſciviam geniti. Nihilominus, nec ſtatim, neque cum jamjam interficiebatur maledixiſſe filio ſuo legitur, eò quòd tanti mali publici cauſa fuerit per libidinem. Tranſeamus ad Jacob, cum veniens ad vitæ mortiſque veſperam filiis benedixit, & quorumdam defectus arguit. De Simeone dixit atque Levi: *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſraël.* An plus Hemor diligebat Sichem, quam Jacob Simeonem & Levi? Non video cur id aſſeramus. Ergo quare non ſicut ob furorem ex ore patris audierunt iſti maledictum; ſic & Hemor mortis pavore ſaltem cogente prorumpit in verba contra Sichem? Duo fratres Dinæ vindicaverant injuriam factam patri; & genitor de illis ait ore paterno: *Maledictus furor eorum?* Sichem luxuriâ ſuâ peſſundavit parentem & Rempublicam: cur non in eum conjicit maledictionem pater? Quia licet tam in Sichem, quam in duobus fratribus Dinæ propria voluntas exorbitaverit, non tamen in omnibus æqualiter ſe geſſit. Princeps amanter & amenter peccavit, arbitrium ſequens proprium, ſed ad minus poſt factum ſe reduxit ad obedientiam patris: *Et pergens ad Hemor patrem ſuum*, Accipe, inquit, *mihi puellam hanc conjugem.* Pepercit maledictioni Rex: forſan quia vidit minus execrabilem remanere veſaniam præcipitis electionis; quæ reſipuit obedientiam patris quærens, dum ab eo poſtulavit ut acciperet Dinam in uxorem. Non ſic habuere ſe duo prædicti fratres voluntatis propriæ milites (*in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſuffuderunt murum.*) Non factum ſuum ante, vel poſtea ſubjecerunt obedientiæ Jacob parentis eorum: imo huic, cum eis dixit: *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci ſumus illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. Reſponderunt: Numquid ut ſcorto abuti debuere ſorore noſtra?* Cernis contumaciam? Meritò Jacob, quamvis moribundus dixit de Simeon & Levi: *Maledictus furor eorum, quia pertinax:* &c. Humanum eſt ut ſua trahat unumquemque voluntas contra præcepta dantis voluntatem; ſed fere diabolicum eſt, ut nec poſt errorem voluntarium homo revertatur ad obedientiæ tutum iter & planum.

Gen. 34. 25. & 26.

Ib.c.49.7.

Ib.c.34.4.

Ibid.c.49.6.

Ib.c.34.30.31

38. Ultimò notandum venit aliud non vulgare nocumentum propriæ voluntatis. Illud colligere poteris ex dicto S. Laurentis Juſtiniani. *Grande prorſus malum propria voluntas, qua fit ut bona noſtra bona non ſint.* Multoties ex eo quòd quis feratur optione ſua, quin ab alieno judicio ducatur, exerrat in eâdem pene materia, in qua ſi regeretur ab alio laudabiliter operaretur. Eâdem viâ cæcus tendens abſque ductore cœſpitat, & cadit; quà ſi pergeret duce præeunte, non laberetur. Sic accidit non ſemel ſequentibus delectum ſuum: errant in eo, quod laudabiliter agerent, ſi deducerentur ab altero. Nonnumquam Deo placeret in ſubmittente voluntatem propriam alieno placito illudmetipſum, quod ſi foret electionis propriæ partus, diſpliceret eidem.

Aliquando Deo placet factum ex voluntate aliena, quod non placeret ſi fieret ex propria. S.Laur. Juſt. in lib.in c.1. de obedi.

39. Humilitas Moyſis in duplici loco præbeat exemplum. Paſcebat ille gregem, Hebræici populi decretus à Domino paſtor. Vidit ardentem rubum, & audivit: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Iſraël de Ægypto.* Humilitate, qua pollebat, ſuadente, repoſuit: *Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Urget amor divinus: contendit ſubmiſſio Moyſis, legationem tantam ſubire non audens. Non placuit Domino iſta humilitatis contentio, cum tandem legamus in Sacro textu: *At ille: Obſecro*, inquit, *Domine, mitte quem miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſen, ait:* &c. Alibi legimus, Moyſen exercuiſſe raram ſatis humilitatem, in eo, quòd cum eſſet in poteſtate conſtitutus, elegerit ſocios regiminis, qui faciliora judicarent: nec Domino diſplicuit iſta ſubmiſſio Moyſis: imo conformem fuiſſe prædictam electionem voluntati Dei, videtur inſinuare Cornelius Alapide ſequenti commentario: *Voluit Deus Moyſen, virum alioqui ſapientiſſimum ab alienigena & gentili, puta à Jethro inſtrui, ut oſtenderet nemini datum eſſe, ut in omnibus ſemper ſapiat, ac proinde humiliter audiendos quoque eſſe inferiores, qui ſaniora conſilia ſuggerunt.* Utrobique movit humilitas Moyſen, tam in monte Horeb, quam in electione illorum, qui juverunt eum in populo judicando. Prior illa demiſſio quare Domino diſplicuit; & non ſecunda, quamvis in hac partem laboris Moyſes recuſaret? Puto quia ductu proprio nixa voluntas. Moyſis in monte decepit humilitatem ipſius; & quæ de ſe virtus erat, ex electione tamen

Exod.3.10.

Ib.n.11.

Ib.c.4.13.14.

Alap.in Exo. 18.18.

men propriæ voluntatis ita deſipuit, ut ipſi Domino, qui humilia reſpicit, diſplicuerit. In partitione poteſtatis, cujus memini ſuprà, longe aliter ſe Moyſes habuit: non enim ſolo ſuo fiſus judicio; ſed monente ſocero ſuo viros elegit illos.

Exod. 18 19. 21. *Audi verba mea* (dixit Moyſi Jethro) *atque conſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent .... Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos*, &c. Animadverte quam promptus Moyſes obtemperavit monito. *Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat.* Hîc non potuit non complacuiſſe Dominus in humilitate Moyſis eligentis voluntariè multos, in quos authoritatem ſuam partiretur; quod valde magnum ſubmiſſionis animi ſignum eſt, in paucis laudabile. Alibi, cum legati munus ipſemet ſe humilians renueret, expertus eſt iram Domini. Etiam virtutes deturpat voluntas propria, *quæ fit ut bona noſtra bona non ſint.* Illudmet, quod acceptabile Deo foret exhibitum ſecundùm beneplacitum alienum; ſi fiat ex proprio, dehoneſtatur, ac deſinit eſſe virtus. Quid non operabitur ad ſpirituale damnum propria voluntas, *grande prorſus malum*; cum etiam alioquin digna laude mutet in damnabilia? quas non inveniet ruinas contemptor obedientiæ, qui *non audit cum arguitur*?

Ib. n. 24.

DELIBATIO IV.

Peccatoris multimoda ſurditas.

40. *Malus audit acutè infamiam alienam; non ſic ſuam ortæ à peccato.* S. Baſil Mag. hom. 12. inter var. ad init. Prov.

CUm intra nos alter homo ſit, & iſte perſæpè vigorem à gratia datum imminuat, veluti ſenectute premitur calamitoſa. Quo poſito Baſilii Magni verbis abutar. *Quandoquidem verò ætatum differentiam ad internum hominem tranſtulimus, conſequens eſt etiam ſenſuum nomina ad potentias animæ transferre. Quare cum dicat Paræmiaſtes: Meis verbis aurem tuam adhibe, ſcire nos oportet, quòd obedientiam animæ requirit. Quemadmodum etiam Dominus: Qui habet aures ad audiendum audiat. Et illud: Sermo ſapiens in aurem obedientem.* Occaſione igitur veluti ſurditatis, quam voluntariè patitur, qui *non audit cum arguitur*; nonnihil dicemus generaliùs de mali hominis obturatione aurium: & priùs in iis, quæ per auditum corporis ad auditionem animæ tranſeunt. Contingit ut ſceleſtus apud alios male audiat; & ipſe propriam infamiam non percipit malè cordis auribus utens. Ad alienæ famæ peſſimum rumorem pronis auribus excipiendum perſpicax eſt auditus ejuſdem. Mirum eſt quam velociter ex parva ſæpe ſcintilla ſuccendatur ignis infamiæ. Linguæ, fateor, peſtilens morbus hic eſt. Non tamen inficiandum quòd incendium alitur per facilitatem, quâ ſine judicii maturo delectu præbentur aures dictis proximo nocivis. Chryſoſtomus: *Nulla enim res alia magis famam auget, vel bonam vel malam, quàm vulgus incompoſitum: ut quod citra omne delectum, ac judicium, & audire, & eloqui cum aſſuſecerit, id omne quicquid occurrerit, temerè proloquatur, nullâ prorſus veritatis ratione habitâ.* Exurgit contumelioſus in proximum ſermo, vel in angulo: jam longe ſtans audit clariſſimè ſonum ictus quem patitur alienus honor. Non ita circa propriam famam aures iniqui ſolent acutè ſentire. Perſpicit peccator aliorum dedecus; proprias verò de ſceleribus ortas ignominias, quantumvis clamor perſtrepat, *non audit.*

Chryſoſt. to. 5. lib. 5. de Sacerdo. longe à princ.

41. Infirmatur Lazarus, & vitam agit priuſquam veniret ad eum Author vitæ: non in Domino mora ſegnis extitit; ſed potius mira pro noſtrûm omnium doctrina, quam ſæpius variis in locis notaviſſe memini. Dilectus erat Filio Dei Lazarus: ne tamen juſti ſuperbiant, in eo peccatoris figuram delineari vix eſt qui neſciat. Hoc tantummodò nunc adnotare juvat, quòd, cum tandem Redemptor dixit ut ſepulchri lapis tolleretur quatriduanus fœtebat: *Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Et quia ſumus in ſenſu ſpirituali, jam dubitas quid per fœtorem ſignificetur. Accipe Clichtoveum additum Cyrillo: *Per Lazarum mortuum*, ait, *intelligitur peccator*, &c. Et infra: *Benè autem de illo qui peccare conſueverat, dicitur: fœtet. Incipit enim habere peſſimam famam tamquam odorem teterrimum*, &c. In commentatoris hujus verbis hærebam, requirens cur odori fœtido fama conferatur mala, cum hæc ad auditum pertineat; non autem ad olfactum. Quare non potius æquiparabitur decoris labes clamoribus illis, quos nonnumquam excitant coram graviter ægrotante cognati, necnon & amici ficti, nequaquam ex dolore provenientes verò; ſed ut extorqueant in teſtamento ligatum, vel ut veracem falsò teſtentur amorem? Minus aptè componeretur iſtis clamoribus infamis publica nota, quam odori tetro cadaveris. Emortuus fœtorem ſuum non percipit; hunc tamen odorantur alii quamvis non accedant valde propè. Aliter evenit in plangore flebili, qui fit circa moribundum: nam iſtum audit infirmus ipſe; niſi jam auditûs perdiderit uſum. Propterea opinio ignominioſa, quæ perſonat altè de peccatore, congruentiùs aſſimilatur fœtori corporis defuncti; quam plangentium clamori: quia ſolet homo nequam ſonitum opprobrii de ſcelere ſuo natum non audire; cum tamen alios non fugiat mala proximi fama. Ecce quædam ægritudo ſequitur ex alia: de cæcitate ſurditas: cæcus enim proprius amor ſuadet peccanti, vix fieri poſſe quòd alii contra honorem ipſius male ſentiant. Reſonat forum plenum vitæ peſſimæ nequiſſimi: ſed ille clauſis etiam ad ſonitum illum foribus animæ, neſcit quantum peccatis jam dedecoretur. Imo ſi quis moneat eumdem ut audiat quid fama vociferetur

Joan. 11. 39.

Clichtove. additus Cyr. l. 7. in Joann. 12. c. 23.

ciferetur adversùs eum, *non audit cum arguitur.*

42. *Eò quòd homines præbeant aures malæ famæ proximi; bonæ minimè præbent auditum.* S. Anton. ſer. Dom. 16. poſt Trin.

Notavi quàm expergefactis auribus homines percipiant voces infames contra proximos. Nunc adjiciam effectum ſatis deplorandum, ex hac auditione promanantem. Aſſuetus detractionibus excipiendis auditus, frequentiſſimè cum bene loquuntur homines obſurdeſcit. Etiam poſſet in hoc ſenſu dicere Paduanus: *Nota quod tria ſunt quæ depravant auditum noſtrum, ſcilicet, verba elationis, detractionis, & adulationis.* Novum non eſt quod artis inſtrumenta fabrilia per malum eorum uſum hebetentur: ut videre licet in iis, quibus utuntur opifices mechanici. Senſus noſtri (multoque magis hominis interni ſenſus allegorici) ſunt inſtrumenta quædam artis vivendi: proinde ſi malè utaris ipſis retunditur eorum acies. Examina poſſintne ad hoc trahi quæ legis ex D. Hieronymo apud Epiſcopum Zachariam. *Genus humanum tamquam unus homo variâ peſte abſumptus in Protoplaſto, cæcatur dum videt, ſurdus fit dum audit,* &c. Bona loquitur quis apud impium de homine, quem odio proſequitur. Claudit aures ille. Quare putas, auditum laudibus accommodare nolle? Quia detrahentibus aliis de illomet aurem libenter inclinat. Surditatis erga laudem proximi radix eſt auditio detrahentium.

Ex D. Hier. Z cha. Epiſc. l. 2. in un. ex quattuor. c. 85.

43. Perſequente Saüle factus eſt adeo neci proximus David, ut jam veluti mortuus latitaret in antro. Saül hoc ignorans ingreſſus eſt eandem ſpeluncam. Potuit illum David interficere; ſed gloriosè de ſeipſo triumphavit, parcens hoſti. Præcidit oram chlamydis ejus tacitè: egreſſoque Saule clamavit poſt illius tergum ſuppliciter, & adoravit pronus regem iniquum: *Dixitque ad Saül: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* Credi poterat verba Davidis adeo parvifacienda per Saülem; quòd congruentius videbatur, ut adduceret David in ſui defenſionem teſtes optimos, quibus non omnino deſtitutus erat, potiùs quàm rationes proprias, quas poſſet ſpernere facillimè rex odio cœcatus. Bene quidem locutus fuerat Jonathas ad Saülem de Davide: *Reſpondens autem Jonathas Saüli patri ſuo, ait: Quare morietur? quid fecit?* Laudaverat eundem coram rege Achimelech ſacerdos dicens: *Et quis in omnibus ſervis tuis, ſicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?* Cur igitur non inquit Saüli David: Quare non audis hominum verba, qui bene tibi locuti ſunt de me? ſed ait: *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* Quia cupiit ſanare morbum quo laborabat Saülis auditus, radicem ægritudinis proximam tollens. Deſideravit, inquam, ut regis aures occluderentur detractionibus contra Davidem: quod ſi obtineret, ejudem Saulis auditus bene loquentibus de Davide patefieret. Ideo rex Davidis laudem ſprevit auditam, quia ſolas obtrectationes adversùs innocentem libenter audiebat. Ecce quomodo malus fit ſurdeſcens ad bona, quæ de aliis nonnulli proferunt: ſcilicet lubentiſſime ſuſcipiens aure malum à detractoribus aſſertum. Aſſueſcit auditus iſti veneno; morbiduſque proinde fit, ut non ſentiat quod in honorem proximi redundat. Jam non eſt mihi mirabile nimis, quòd qui ſurdus eſt ad bonum alienum percipiendum; ſi mala propria conjiciantur in faciem ipſi per corrigentem, *non audit cum arguitur.*

1. Reg. 24. 5.

Ibid. n. 10.

Ib. c. 20. 32.

44. *Plus obſurdeſcis peccator ad beneficia Dei quàm ad minas.*

Deſcendamus ad ſurditatem aliam peccatoris obſtinatiorem. Parum eſt ei, quòd infamiam propriam culpabiliter ignoret, ac alienam excellentiam neſcire velit. Minis terretur & dormit: beneficiis vocatur Altiſſimi; dureſcit. Puto, quòd, licet homines iniqui ſurdis auribus prætereant comminationes Dei nomine factas; adhuc minus percipiunt vocationem, qua per beneficia Domini trahuntur ad ejus amorem. Alimenti donatione vocas brutum: audit, & obedit. Homo non tantùm alitur à Deo; ſed mille donis aliis cumulatur. Brutis ingratior reſiſtit; duritie lapides imitatur; imo ſuperat: nam aqua cœleſtis cavat lapidem; paſſim accidit econtra, quòd ab illo fonte perenni torrentes emanant; & non emolliunt hominem. Tempeſtivè Præſul Valentianus: *Putleat te ex ſchola jumentorum addiſcere gratitudinem, & virtute à jumentis ſuperari, qui ea ſuperas intellectu. Quòd, ſi nec tanta Dei majeſtate, nec tanto beneficiorum pondere alliceris ad amorem, lapides ipſos & ſcilices cordis tui duritiâ vincis.* Quantumvis magna ſit hominum in audiendis minis obduratio; duriores illi ſunt ad hòc ut amoris benefici Dei ſuavitatem aure ſuſcipiant. Si minaciter ad eos locutus fueris in nomine Domini, clama; fortaſſis audient. Ut autem Dei beneficiis excitentur, ſupervacaneum erit clamare: ſurdi ſunt penitus.

S. Thom. a V. N. ſerm. 3. Dom. 17. poſt Pentec.

45. Ad Judaïcam populum non qualicumque modo jubetur Iſaïas loqui; ſed clamore valido. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam,* &c. Septuaginta vertunt: *Clama in fortitudine & ne parcas;* &c. Sapientiſſimè Dominus providit ut Iſaïas more tubæ ſe gereret, cum in verbo Dei nuntiaturus erat populo mala: nam ejuſmodi minas haud perciperent qui velut ſurdi minacibus monitis erant. Appoſitè S. Hieronymus: *Et quia ſurdas aures habeant & audire vix poſſint: juxta Symmachum & Aquilam, guttur ſuum vertat in buccinam,* & infra: *Non jubetur Propheta ut aſcendat in montem: ſed tantùm ut exaltet ſicut tuba vocem ſuam, & eis nuntiet bella ventura.* Ea, quæ dicta ſunt hîc ad Iſaïam confer cum his, quæ de Redemptore noſtro ſcripta legimus apud eumdem: *Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris.* Jam dubiolum emergit ex prædictis. Clamare præcipitur Iſaïas; & Meſſias divinus non clamabit, quem omnia mortalium peccata lædunt? Ut iſte ſcrupulus tollatur, adverte priùs, locum proximè poſitum Iſaïæ citari apud Matthæum: *Ut adimpleretur quod dictum eſt*

Iſaï. 58. 1. Lect. Sept. ibi.

S. Hieron. to. 5. lib. 16. in Iſaï. ib.

Iſaï. 42. 2.

Matth. 12. 17. 18. 19.

per

per Iſaïam Prophetam, dicentem : Ecce puer meus, quem elegi.... Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : &c. Et inſuper oportet notare, locum Iſaiæ citatum referri ſecundùm Evangeliſtæ mentem ad iſtius verba, quæ præceſſerant ; ſcilicet : *Curavit eos omnes :* teſtante Maldonato, qui ait : *Meo judicio probabilius, hoc teſtimonium ad v. 15. referri. Reddit enim cauſam, cur omnes curaverit, quia quemadmodum Propheta prædixerat, adeo benignus & manſuetus erat, ut nemo in plateis vocem auditurus eſſet*, &c. His præmiſſis ad quæſtiunculam reſpondere liceat in hunc modum. Chriſti Salvator nequaquam præcipue miſſus eſt ut malorum annuntiator ; ſed pertranſiit benefaciendo, ſanandoque. Hæc certè beneficia vocabant mortales : qui tam ſunt in hujuſmodi vocatione percipiendâ factâ per dona Dei ſpontaneè ſurdi, quòd fruſtraneum foret, ad homines venire Meſſiam clamantem quaſi tubam : quia neque ſic auditur à mortalibus vox munera dantis Dei. Clamet Iſaïas voce quaſi buccinæ : quoniam, cum verba minitantia fuerit locutus, forſan adaperientur obduratorum aures. Hæc eſt ingratitudinis humanæ marmorea duritas. Imo, prout expendebam (& forte probavi) cor humanum ſceleribus obfirmatum & infirmum, eſt ad ſupplicia ferreum ; ad beneficia verò adamantinum : cum eruditur flagellis omnino ſtat immotum ; dum invitatur muneribus durius fit, & velut inflexibile.

Ib. n. 15. Maldon. ib. n. 17.

46. *Surdus eſt peccator ut percipiat exemplum punitionis alienæ.*

Ulterius alio vocis genere Clementiſſimus Dominus invitat peccatorem, ut viam perditionis deſerens, ad ſemitam rectam accedat. Ob oculos ei proponit aliorum punitiones, quorum gemitus monent illum ne tendat ultra per laxum mortis callem. Ad hæc etiam malus obſurdeſcit. Niſi mens leva fuiſſet, multum prodeſſe potuerant alieni capitis exempla mæſtiſſima. *Multum ad coërcendam audaciam*, inquit Paulus Oroſius, *valet propoſitum punitionis exemplum, cum ipſa miſeri præſens forma viventis, ad recordationem admonere conſcios, & ad ſciſcitationem cogit ignaros.* Deus equidem puniens monſtrat viam ſalutarem, juxta dictum S. Hieronymi relatum in jure Pontificio : *Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monſtravit*, &c. Attamen pœnam, qua flagellatur malus, aure non ſuſcipit iniquus : ad exemplum alienæ punitionis capiendum ſurdus eſt.

Paul. Oroſ. l. 6. hiſt. c. 11.

S. Hier. relatus in c. Non afferamus 24. q. 1.

47.

Deus per Jeremiam proponit abominationes Judæ, & ſuperbiam ejus. Avertereque cupiens à perditione peſſimos filios benigniſſimus Pater minatur puniendos. Vide quid præmittat priùs quàm futurum denuntiet malum expreſſioribus verbis. *Ite*, inquit, *ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio : & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël :* &c. Commentatur S. Hieronymus : *Comminatur eis ſimilia ſe eſſe facturum templo in Jeroſolymis, quæ fecit loco Silo, ubi primum fuit tabernaculum : ut peccata ſimilia pari ſententia feriantur.* Quæro. An iſti propter Domini monitionem ituri erant ad Silo ? Non credam. Ergo cur non potiùs Dominus ait eis per vatem : Quærite à majoribus veſtris, & ab illis audite quæ fecerim ibi ? Nam forte deſtructio illius loci apud homines nefarios abierat in oblivionem. Non dixit : Interrogate quid ibi ſim executus ob ſcelera, ſuſcipiteque veſtris auribus exemplum alienæ ultionis, quam inflixi propter crimina : non inquam, ita locutus eſt Sapientiſſimus arbiter, quia ſurdos non congruebat hortari ad audiendum iſta ; ſed ad videndum. Exemplum offerebat in alieno capite : nec ſceleratis mos eſt auribus attendere ad alterius criminoſi tormentum veniens à culpa. Aliorum facta mala multi percipiunt, ut ſibi placeant & imitentur ea ; cum autem punitur ille, cujus facta damnabilia ſequuntur, quamvis reboet percuſſionis ictus, nequaquam audiri ſolet.

Jerem. 7. 12.

S. Hier. to. 5. l. 2. in Jer. 16.

48. *Augetur crimen per hoc quòd auditus non præbeatur bono poſt monitionem humanâ voce factam.*

Hinc, ut ad textum noſtrum revertamur, conſideranda venit induratio illorum, qui non tantùm animadverſiones alieni flagitii conſideratione librare nolunt ; ſed clariùs adhuc moniti dureſcunt. Fraternè vel judiciali ter corripis delinquentem : obſiſtit ille tenax. Quæ pertinacia culpam aggravari facit commiſſam : quia morum perditionem diligere probat qui ſceleris emendationem odio habet. Scitè Humbertus : *Qui odit correctionem amare videtur corruptionem.* Nec excuſari valet ille, qui reprehenſione auditâ reſiſtit corripienti, dicens, doluiſſe de confuſione, quam attulit ei correctio, proptereaque reluctatum fuiſſe impatienter. Non, inquam, excuſationem iſtam bono jure prætendit : ait enim Chryſoſtomus : *Non eſt confuſio ab alio corrigi, imo confuſio eſt repellere corrigentes, & in damnum propriæ ſalutis hoc facere.* Unde fit quod ab homine correptus graviùs aliquando puniatur, licet minùs peccaverit, quàm alter, qui plus deliquit, & nullius hominis correctione monitus eſt. Satis piè agitur cum peccatore, dum admonetur paternè (forteque minùs acriter, quàm par erat) & adhuc repugnat ? Severè meretur damnari pro culpis non tam horrendis ; magis quàm alter, nonnumquam committens execrabiliora ; ſed à nemine mortalium adhortatus ne peccaret.

Fr. Humb. Gener. 5. Ord. Præd. in ſpec. rel. l. 4. c. 22.

Chryſ. tom. 3. hom. 10. in Act.

49.

Corruptis moribus præbebant ſcandalum populo duo filii Sacerdotis Heli. Moniti ſunt, quamvis remiſſè ; non tamen obediverunt correctioni paternæ. *Et non audierunt vocem patris ſui : quia voluit Dominus occidere eos.* Et in ſceleratæ vitæ ſupplicium ceciderunt à Philiſthæis percuſſi, cùm arca teſtamenti capta fuit. *Arca Dei capta eſt : duo quoque filii Heli mortui ſunt, Ophni & Phinees.* Eorum peccato fateor non levia. Sed quid hoc, ſi conferantur cum Salomone ? Ille, qui quondam dictus eſt, Amabilis Domino : illemet, qui ſapientiam plurimam divino munere felix acceperat : ille, inquam, devotiſſimus ædificator magnifici templi, ſic miſerè corruit, ſic deſipuit, ſic odium

1 Reg. 2. 25.

Ib. c. 4. 11.

Dei

Dei provocavit, ut per mulieres depravato corde, cœcam fuerit amplexus idolatriam in ſenectute mala. *Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alienos .... colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.* An ideo Rex occiſus eſt à Domino? Neutiquam. Sceptrone ſpoliatus eſt? Imo neque diadematis pars imminuta fuit, niſi poſt ejus obitum. *Diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam*, &c. O Moderatoris judicia nequaquam ſcrutabilia mentibus noſtris! Minora peccaverant Heli gnati: punitique ſunt internecione? graviſſimè deliquerat Salomon; & nec morte, neque ſolii privatione plectitur? Alia motiva prætereamus, ex quibus æquitas Dei ſic judicare diſpariter potuit. Unum apponemus è re noſtrâ, fortaſſiſque de mente Domini. Salomon in veſaniâ ſuâ nullo mortalium corripiente peccavit. Sic timor & adulatio ſubditorum connivere ſolitant regum crimina. Minus acerbè ſe geſſit Clementiſſimus erga Salomonem, de quo non valet affirmari, quòd à propheta, vel alio correptus perſtitit in malo. Auſterè duo filii Heli pœnas dederunt vindices: quia utcumque reprehenſi fuerint à genitore ſuo, *non audierunt vocem patris ſui*, &c. Contremiſcat *illuſor* filius, qui *non audit cum arguitur.*

3. Reg. 11. 4. 5.

Ib. n. 11. 12.

DELIBATIO V.

Voluntas propria vitetur. Sapientia vera utplurimum non corrumpitur. Docens docetur ſæpe. Contra doctrinæ, monitorumque ſpretores.

50. *Sequenda non eſt in re virtutis propria voluntas.*

Filius! Exiſtimares, magis proportionatè dicendum fore: Diſcipulus ſapiens: nam vocabulum, *Sapiens*, proportionatur peculiariùs cum ſequente magiſtri doctrinam ſalubrem, vel publicè, vel privatim docentis morum diſciplinam. Quâ de causâ non hîc voce diſcipuli Salomon uſus eſt? præſertim, cum geniti doctrinam ſalutarem etiam à patre derivent, ita, quòd eorum diſcipuli vocari queant. Non fruſtra ſic Eccleſiaſtes effatus eſt. Diſcipulus etenim eligit quam velit ſcientiam addiſcere: quidam uni facultati malunt incumbere: alteri dant operam alii. In virtutum academia non utilis eſt electio propria diſcentis. Adversùs propriam voluntatem dixi quædam to. 1. fl. 10. a n. 18. & proximè delib. 3. Nonnihil addam: quia valde cavendum ab iſta blanda morum inimica. S. Bernardus: *Ab ea, quæ dormit in ſinu caveat, propriâ ſcilicet voluntate.* Appetitus inordinatus frequenter ſe transfigurat in amorem virtutis. Ideo Chriſtianus viator ſuimet ipſius ductum pertimeſcat; ductoriſque regimen cautus admittat. Non prout libet; ſed ut virtutum natura poſtulat operandum eſt. Bonorum ſpiritualium fructus non eligas pro libito; ſed fac ut germines opera ſancta, ſicut virtus ipſa requirit.

S. Bern. ſerm. de dup. bapt.

51.

Gentium Doctor ad Galatas enumeravit opimos quoſdam Spiritus fructus, dicens: *Fructus autem Spiritus eſt: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Hærebit aliquis, inquirens, cur non arboribus aſſimilavit eas virtutes Paulus præcitato loco; ſed fructibus? Nec ſine ratione dubitandi rogabit, cur ita? fructus quippe collectus ex arbore moritur; opera virtutum autem opportet quod viva ſint. Certè non caſu Magiſter optimus hîc omiſit nomen arboris; & vocem, *Fructus*, elegit: aliter non diceret Anſelmus in eum locum: *Opera ſancti Spiritus habitantis in homine, ſunt iſta quæ ſubduntur: quæ magis ſunt appellanda fructus, quoniam ex bona arbore ſicut optimi fructus prodeunt, ut refectionem perpetuæ ſaturitatis præbeant electis*, &c. Igitur quare virtutes potius fructuum nomine, quàm arborum deſcribuntur ab Apoſtolo? Fallor niſi ratio ſit, quia viridarium plantans homo ſolet arbores eligere, ſicut ei ſuggerit appetitus prudens, vel imprudens. Dum verò quis legit fructum ex diviti ligno, minime colligit eum, qui magis arridet ſibi: non, inquam, decerpit ex malo pirum; ſed quem naturâ ſuâ fert arbor. Non aliter iuſtitiæ cultor in agro ſui cordis nequaquam ſequens electionem arbitrii proprii inſerit eos, qui magis appetitui lenocinantur, actus virtutum; ſed prout iſtarum conditio requiſiverit. O propriæ voluntatis corruptelam: quam oportet fugere, non ſolùm ad hoc ut vitemus turpia providi; ſed etiam in bona facta vitiata per illam reddantur infecta.

Ad Galat. 5. 22. 23.

S. Anſe. com. Ep. ad Galat. ibid.

52. *Ut pluriùm ſapientia non degenerat; ſed amittitur.* Lect. Sept. Prov. 13. l. 1. Baſil. Mag. hom. 12. inter var.

Sapiens. Septuaginta legunt: *Aſtutus.* Quæ vox malam & bonam ſignificationem patitur; ſed hîc in bonam partem ſumitur. S. Baſilius Magnus: *Duo ſignificat aſtuti appellatio. Et qui quidem in detrimentum aliorum aſtutiâ operum utitur, malus eſt. Verùm laudabilis eſt aſtutus, qui repente & prudenter proprium bonum invenit, & dolosè ac inſidiosè ſtructas ab aliis fraudes evitat.* Mundus etiam in hoc fallere doctus, in dictionario ſuo nomina mutat rebus innumeris. Inter hæc, ſapientiæ vocabulo malam aſtutiam honorat. Inde fit, ut multorum ſapientia tranſmutetur in malitiam, quia vera non erat. Sed aurum veræ ſapientiæ non degenerat: hæc, ſi talis veraciter eſt, non corrumpitur. Benè S. Ambroſius aſſimilari credidit argento examinato per ignem eloquia Dei. *Sed*, inquit ille, *tu quaſi bonus nummularius eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum reconde, purgatum ſpiritu ſeptiformi, nec adulteratam imaginem regis (quia & ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis) impia commutatione ſuſcipias*; &c. Hæc ſimilitudo transferri poteſt ad illam ſapientiam, quæ acquiritur in eloquiis Dei. Unde colligere liceat, quòd, ſicut argentum flammis exploratum non adulteratur

S. Ambr. to. 3. com. in Luc. l. 9. c. 19.

ut

ut fiat ſtannum ; ita ſapientia vera non corrumpitur ; non in mente vitiatur : perdi valet ; non depravari.

53. Prov.2.3.4. Audi noſtrum Paræmiaſtem, ſic alumnos inſtruentem doctrinæ ſuæ : *Si enim ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ : ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam* : &c. Commentarium Carthuſiani hoc loco nonnullum obtulit motivum dubitandi, quare non potius hîc ſapientia confertur aquæ ; ſed pecuniæ ? Nam ad illa verba : *Et ſicut theſauros effoderis illam*, Dionyſius ait : Dion.Carth. ib. n.4. *Id eſt, ex fonte ſapientiæ ſtudueris eam haurire*, &c. Accedit hæſitandi ratio. Pecunia de ſe ſterilis eſt, nec fœcundum reddit ſacculum, quo reconditur : unde lucra venientia de pecuniis vocare ſolemus fructus induſtriæ ; non autem partus nummorum. Latices verò fœcundant agros. Inſuper aqua ſuamet conditione fluit ; pecunia verò non ita. Cur ergo non magis utitur in præſenti Salomon ænigmate fluentis & fœcundantis undæ, quàm ſtantis & ſterilis pecuniæ ; cum ſapientia ſuapte naturâ diffluat ut communicetur, & non ſolum proprium, ſed alienum fœcundum reddat arvum ? Conjector, ita locutum, quia lympha, vel terræ malignitate, vel aliunde corruptionem patitur ; nummus autem probatus perditur ; ſed non corrumpitur. Sic. vera ſapientia non degenerat ; licet amittatur facillimè, ſicut pecuniarum copia.

54. *Docentis intellectus illuminatur docendo.* *Doctrina patris.* Recole Bedæ venerabilis expoſitionem relatam noſtro commentario ſupra num. 1. Occaſione cujus notandum, quòd nomine doctrinæ frequenter utimur, nunc activè pro ea, quæ præſtatur diſcenti ; nunc paſſivè pro illa, qua doctus fit audiens inſtillantem. Hinc exhortationem eruamus, eorum, qui miniſterium exercent docendi ; quo levior fiat eorum labor improbus, & probus. Meminerint ij, ſe doceri docendo : cumque nunquam ulteriùs acquirendi ſcientiam deſideria deponant, pergant alacres in magiſterii munere ; quoniam per iſtud negotiantur augmentum ſapientiæ propriæ. Oculi corporei res homini manifeſtant ; & manifeſtando cernunt eaſdem ſimul ipſimet. Haud aliter, cum aliis aperit ſapiens ignota, ſibimetipſi diſciplinam ſæpiſſimè præbet : luminibus quippe ſimiles dices non impropriè docentes imperitum. Tempeſtivè Philo Carpathius, quem incertum authorem voco, quia, ut alibi notavi, multa ſunt in eo aliena inſerta. Incert. Phil. Carp. in Cãt. *Si per oculos prædicatores Eccleſiæ, & quoſque illuſtriſſimos ſanctitate viros accipimus, quod cæteris quaſi lumen oſtendant, ac viam, qua bene gradiantur ad vitam* : & Igitur ipſa doctrinæ communicatio docentis eruditio eſt : accipit mente quod aliis profert : novam lucem ejus intellectus acquirit, cum homines illuminat.

55. Dominus Jeremiæ notificat ipſum prophetam in Gentibus conſtitutum. Ille tunc recuſat onus tamquam viribus impar, ſe dicens puerum. *Et dixi, A, a,* erem. 1.6. *a, Domine Deus : ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Dionyſius Carth. ibi : Ecce neſcio loqui, *tam perfectè, ſapienter & eleganter, ut pertinet ad prophetam.* Animos injecit ei Dominus : tetigit os ipſius, & ait : *Ecce dedi verba mea in ore tuo* : &c. Dion Carth. in com. ib. Ib. n.9. Accommodatiûs excuſationi Jeremiæ crederes dicendum à Domino : Ecce dedi verba mea in mente tua : namque minimè prætendebat ipſe balbutiem ; ſed ignorantiam ; quæ non labiis inſidet, ſed intellectui. Quo myſterio non Vatis judicium, ſed os ejus repletum eſt dono Dei, quoad citata verba ſonant. Certum eſt, illuſtratum fuiſſe ſplendide cœlitus intellectum Jeremiæ. Non tamen ſine myſtico pondere Deus tacet quod ad mentem ſpectabat ; verborumque meminit : *Ecce dedi verba mea in ore tuo* : nam intellectiva potentia non per ſeipſam loquitur ad alios ; oris proprium eſt inſtruere cæteros. Voluit igitur Altiſſimus inſinuare Jeremiæ, ſe fando perdocendum : quaſi diceret : Quid tu reformidas munus propheticum, aſſerens, te puerili neſcientia præpediri : *Ecce dedi verba mea in ore tuo* : & ore proferens illa, percipies auditu quæ loqueris, & ab ore tuomet novum fulgorem quaſi reverberatum ſuſcipiet mens tua ; quam neſcientem affirmas in loquendo. Prædicantis negotium valde lucroſum hoc eſt : à ſuamet doctrina perfici : propriis verbis erudiri noviter. Proinde non miror, in textu noſtro dubium eſſe, an ſit activè ſumendum pro doctrina, quæ datur ; an paſſivè pro ea, quæ accipitur, illud quod legis hîc : *Doctrina patris.*

56. *Fruſtra tempus teritur pro docendis contemptoribus doctrinæ.* Sap. 5 4. *Qui autem illuſor eſt.* Solent plures eorum, qui tenent mortis viam, contemnere doctrinam ſalubrem. Vitam juſtorum exiſtimantes *inſaniam*, & *finem illorum ſine honore*, quaſi non ſatis ad ipſorum ineptam lætitiam foret propriis erratis gaudere, bonos irrident ; imo ſolidam iſtorum philoſophiam contemnunt. Vix locus relinquitur ejuſmodi contemptorum correctioni. Chryſoſtomus : Chryſ. tom. 2. hom. 40. ep. imperf. in Matth. c. 21. *Nihil autem impoſſibilius, quàm illum corrigere, qui omnia ſcit, & tamen contemneus bonum, diligit malum.* Exaggeratio S. Doctoris probat, difficile valde prædicanti reducere contemptores doctrinæ ſalutaris ad tramitem vitæ. Vas aëre plenum, niſi vacuaretur illo ſenſim, quantalibet vi non mergeres in ſtagnum, ut repleretur aqua. Sic difficulter aqua ſapientiæ ſpiritualis intrabit ad hominem, qui levitatis & ſuperbiæ plenus aëre, contemnens docentem, claudit mentis oſtium. Fruſtra pro docendis contemptoribus iſtis tempus inſumitur.

57. Ad perantiquum ſcientiarum emporium, Athenas, inquam, Venit Paulus. Poſtquam in ſynagoga cum Judæis diſputaverat, ductus eſt ad Areopagum. Stans ibi publicè docuit veræ ſapientiæ dogmata : nec tamen diu moratus eſt ibidem ; licet converterit aliquos ; ſic enim videtur colligi de textu.

Cum etenim converſio prædicta narrata fuerit in fine capitis Actor. 17. ſtatim di-
Actor. 18. 1. citur immediatè ſequentis initio: *Poſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum*: &c. Cum eſſet apud Corinthios, dixit ad Apoſtolum Dominus nocte per viſionem
Ib.n.9.10. Paulo: *Noli timere, ſed loquere, & ne taceas: propter quod ego ſum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te*, &c. Nunc Ducem ſuum per viſum nocturnum accendit ad pugnam Imperator; & non animos addidit, ne relinqueret Athena. Apud Corinthios quidem videbatur Paulus non indiguiſſe hac exhortatione: quia, licet ibi contradictionem fuerit
Ibid.n.6. expertus (*contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus*, &c.) animosè tamen, *excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.* Hic ſtrenuiſſimum bellatorem Dominus erigit, quaſi corde ceciderit; quare non ſimiliter prius excitavit pectoris ejus fortitudinem, ut perſeveraret amplius prædicans Athenis? Quia non magnum prædicationis fructum expectare poterat Apoſtolus apud Athenienſes; utpote qui doctrinam ſuam excipi quorumdam riſu fuerit expertus.
Ib.c.17.n.32. *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant*, &c. Apud irriſores veræ ſapientiæ difficillimus eſt proventus; non ſolum apud eos, ſed apud reliquos ipſorum exemplo. Propterea nec gentium Doctor Athenis longiora tempora traxit; neque Dominus excitavit eumdem, ut ibi diutius munus ageret Apoſtolicum. Aliquantum prode-
Chryſ. to.3. ho.39.in Act. in princ. rit nunc legere Chryſoſtomum. *Cur nam*, inquit, *Paulus, cum ſic perſuaſerit, ut & Athenienſes dixerint: Audiemus te iterum ſuper hac re, cumque pericula non eſſent, feſtinat relinquere Athenienſes? Fortaſſis ſciebat, ſe non magnum lucrum facturum.* Potentes erant irriſores illi, qui doctrinam ſubſannarunt in Areopago. Quilibet contemptus viam præcludit utili morum inſtructioni; ſed præſertim cum à magnatibus deſpicitur illa: nam ſolent ipſorum proterviam ſuperbam alii catervatim ſequi, velut oraculum.

58. *Poſt correctionem patris peccans filius provocat iră Dei.*

Non audit. Contemptor ille filius monito patris aurem non accommodat pervicax. Eſt in cauſa vitiorum corruptela: nam hæc non ſolum ea, quæ ſupra naturam ſunt, odio habere ſuadet: ſed necnon illa, quæ ſunt conformia naturæ, faſtidire facit. Gravis morbus non ſolùm impedit actiones, quæ tantùm robore multo prævalentibus conveniunt; ſed etiam naturalium operationum quarumdam faſtidium generat; ut in ægroti cibis experimur. Natura monet genito revereri patrem. Diſcolus tamen filius parentem deſpiciens, naturæ ductum exe-
S.Amb.to.1. l.6.Hex.c.4. med. cratur. Fruere S. Ambroſio, qui ait: *Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam obliterat; filius patrem deſpicit, pater abdicat filium*, &c. Vide an illud Ambroſii: *naturam obliterat*, cadat tam ſupra filium, quàm ſupra patrem: nam S. Doctoris ambiguus eſt hîc ſenſus. Hoc certò dicam verbis ejuſdem Antiſtitis: *Ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum.* Quàm longe fuit à genitore contemnendo Princeps ille, de quo refertur dictum factumque memorabile valde. *Decius Imperator, cum Decium filium ſuum imperiali diademate proponeret inſignere, renuit, dicens minor Decius: Vereor, ne ſi fiam Imperator, dedifcam eſſe filius. Malo tamen non eſſe Imperator, & humilis filius, quam eſſe Imperator, & filius indevotus. Imperet pater meus: meum imperium ſit parere humiliter imperanti*: O vocem Homeri calamo dignam! Propter hujuſmodi filialia verba Decius redderetur dignus imperio, ſi nativitas anticipatò non evexiſſet illum ad ſpem ſolii. Oppoſitam huic humilitati ſuperbiam patiuntur à filiis identidem parentes plurimi. Reluctantes geniti monitis patrum provocant iram Dei. Ultimo ſupplicio juſtum eſt mulctari rebelles gnatos; qui adhortationes genitorum non audiunt. Si pater non correxiſſet, conniveret fortè divina juſtitia culpam; poſtquam verò parens corripuit prolem, hæc ſeveriùs à Domino punitur.

Idem.tom.3. l.8 in Luc.c. 18.

Richard.Archiep. Cantuar.ad Henric. 3. Angl. reg. ep. 47. inter ep.Pet. Bleſ.

Judicabat Samuel propheta populum Dei. Cumque ſenuiſſet, filiis tradidit regimen Iſraëliticæ plebis. Si nequaquam ſecuti ſunt rectitudinem parentis: cupiditate cœca deturpaverunt ſemetipſos. Non tamen legimus, à Deo propter hoc fuiſſe punitos; niſi dixerimus, ideo Deum permiſiſſe ut Hebræi denique noluerint eorum gubernationi ſubjici, poſtulaverintque regem ſibi, dicentes ad Vatem: *Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut judicet nos*, &c. Mirari non deſinam in hac re patientiam Dei: qui temporibus illis ita ſeverus extabat in æquâ punitione ſcelerum, ut legamus in Deuteronomio ſtatutum: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum .... Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur*, &c. Lapidatur genitus iſte jubente Deo; peccant impunes geniti Samuelis; Forte reſpondebis lapidationem decretam fuiſſe gravibus piaculis. Adhuc inſto: Nonne magnum erat filiorum Prophetæ ſcelus, qui *declinaverunt poſt avaritiam acceperuntque munera, & perverterunt judicium*? Judex equidem donis corruptus injuſtè judicans committit crimen cœli fores clamore pulſans. Judicantes iſti loco Samuelis, & judicium per avaritiam pervertentes, quare non juſſi fuerunt à Domino morte necari viliſſima? ille verò filius, de quo agitur in Deuteronomio, lapidibus erat obruendus? Quia Samuel ignarus avaritiæ filiorum non corripuit eos: & aliquando ſummus Arbiter diſſimulat male facta filii, qui non reprehenſus peccat. Legito Gloſſam, ne me prorſus liberè dicentem credas. *Eos autem*, inquit, *ſolùm accuſat quòd corrumperentur muneribus. Neque hoc ſciebat Propheta. Habitabat enim Ramathaim, illi verò Berſabée.* At ille, de

59.

1.Rep. 8. 5.

Deut.21.18. 21.

1.Reg.8.3.

Gloſ.Ord.ex Theodore. & Procop.ib

de quo ſermo ſit in Deuteronomio ſupponitur in textu ſatis expreſsè, talem eſſe, *qui non audiat patris aut matris imperium*, & infra ſcribitur : *Dicentque ad eos : Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit*, &c. Adeo gravitant peccata filiorum poſt correctionem paternam ſpretam, ut meritò culpæ fuerint iſtorum ſolitâ blaſphemorum punitione damnandæ. Ne puerili judicio filii rebelles audeant æſtimare procaciam ſuam, quâ illudunt hortatus pios parentum : unuſquiſque perhorreſcat damnationem æternam, lapidatione duriorem ; quam promeretur perditam agens vitam, deſpecto patre commonente : nam eâ dignus eſt qui ſic degit, & *non audit cum arguitur.*

Deuteron. 21 18. Ib. n. 20.

Sequebantur explicanda verba hæc : *De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua.* Sed ea dimitto : nam quæ pro morali doctrina circa primam partem occurrebant, videre poſſunt tom. 2. ad cap. 12. n. 12. Quoad ſecundam verò, morum philoſophiâ, quam nunc prætereo, lector inveniet ſparſam duobus prioribus tomis. *Expoſitionem in ſingulis non quæramus, ut liberius neceſſaria pertractemus.*

Bed. com. in Joan. c. 11.

FLOS II.

Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam : qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſenteit mala.

APERITUR.

1. Hug. Card. in Prov. 13. 3.

EXPOSITIO Cardinalis Hugonis circa priorem verſiculi dimidietatem hæc eſt : *Qui cuſtodit os ſuum exterius & interius, quod eſt intellectus : per quem omnia noxia & ſalubria intrant in ventrem affectus* : &c. Concinit Carthuſianus, inquiens : *Qui cuſtodit os ſuum corporale ab omni culpabili locutione : & multò plus qui cuſtodit os ſuum mentale, videlicet intellectum, quo verbum cordis profertur, ab omni prava cogitatione, providendo ne oriatur in ſe, vel ortam mox reprimendo & expellendo* : &c. Quod attinet ad intellectum non judico ſic litteraliter exponendum Salomonem : quia poſterior ſententiæ pars (per quam, ut ſolitum eſt, explicatur prima) intellectivam loquelam, ſeu verba mentis non tangit. Magis ad rigorem litteræ de ſolo ſermone corporali proverbium iſtud ſumitur in prioribus verbis. Hæc interpretatur Lira ſic : *Ab indiſcreta locutione.* Conſonant Janſenius, Rodolphus, Salazar. Contra linguæ diſcrimen lubricum certiſſimè locutus eſt unus è duobus doctis incertus. Alter ex iis dixit : *O lingua periculum immittis ; tu luctum producis, concordiam tu ſæpe frangis ; ventum detractionis ſæpe paris, ad infernum qui tibi ſe credunt conducis.* Alius necnon incertus inquit : *Aurium videlicet, linguarumque magnum periculum eſt. Quapropter & linguam ſub duobus labiis cuſtodiri Deus ſapienter inſtituit, intra dentium firmamentum ipſam conſtringens, ut tam accurata adhibita cuſtodia à facili motu cohiberetur.*

Dion-Carth. ib. Liran. Janſ. Rodolph. & Salaz. ib. Vel S. Bonavent. vel Fr. David de Aug. in form novit. c. 15. Incert. inter opera Cæſarii dial. 3.

In ſecunda parte deterretur imprudens ab inconſiderata verborum prolatione per timorem malorum, quæ venient eidem : *nam ſæpe incurrit*, ait Carthuſianus hîc, *ex hoc aliorum offenſam, & inquietudinem propriæ mentis, conſcientiæ quoque remorſum : & ſi fuit in eo devotio & recollectio aliqua mentis in Deo, mox perdit eas, læditque animam ſuam, ac debitas luet pœnas.* Interlinearis verbo, *Sentiet*, ait : *Perdet animam ſuam.* Omnia in iſtis expoſitionibus contenta dogma noſtrum complectitur ; excepto quod dicitur circa devotionem, demptaque pœna æterna, ſic mens hujuſmodi commentatorum fuit loqui de hac. Damna linguæ multa paucis verbis expreſſit Goffridus Abbas, dicens : *Lingua animæ & corporis ſubſtantiam perdit.* Proinde multam requirit cuſtodiam ignis hic, nempe lingua ; quo tam loquentis, quàm aliorum bona ſuccenduntur. Non omittam Euthymium, qui ſic habet : *Dedit autem linguæ Deus duo mania, dentium nimirum & labiorum, ut per ea irrationabiles illius motus coërceret. Verùm Propheta aliam etiam cuſtodiam ad hæc implorat, timens adhuc ne indecorum aliquid proloquatur.*

2. Dionyſ. Carth. hîc art. 13. Interlin. ib. Goffr. Abb. ep. 22. l. 4. Euthym. in Pſal. 140.

3. *Qui cuſtodit.* Cuſtodia integra labiorum fit per vitationem duplicis extremi ; ne ſcilicet ore depromantur ſilenda ; neque taceantur quæ loquenda fore monet prudentia. Humbertus : *Notandum quod ſicut peccatur linguâ in loquendo, ita peccatur eâ in tacendo : quia Eccleſ. 3. dicitur : Tempus loquendi, & tempus tacendi. Gregorius : ſicut mali Deum exaſperant, qui loquuntur & faciunt mala : ita nonnumquam boni, qui tacent bona.* Nequaquam vigilanter cuſtodiam iſtam obſervant illi, qui detractionis verba, vel injuriæ, non ex animo loquuntur ; attamen ea ſinunt à labiis prodire, quæ præ ſe ferunt opprobrium alienum ; ſeque probare putant innocentes eò quòd animus non fuerit ipſis injuriandi proximum. Non ſolum interiora noſtra cuſtodienda ſunt ; ſed etiam loquela : homines iſtam agnoſcunt ; illam neſciunt. Chryſoſtomus : *Verbo hominibus ſatisfacimus, conſcientia autem Deo.*

Humbert. in expoſ. reg. S. Aug. Chryſ. to. 2. hom. 13. ep. imperf. in Matth.

4. *Os ſuum* : Dixi jam, accipiendum pro exteriore : Non tamen diffiteor, ad cuſtodiendam linguam conducere valde cuſtodiam cordis. Hæc forte mens Ambroſio, dicenti : *Rectè ergo David non ſilentium ſibi indixit perpetuum, ſed cuſtodiam. Cuſtodiamus ergo cor noſtrum, cuſtodiamus os noſtrum.*

S. Ambr. to. 4 l. 1. de off. c. 3.

Cuſtodit. Rodolphus hîc : *Animam ſervabit tranquillam & inconcuſſam : nam per os & ſermonem ad animum tamquam ad interiora domus per oſtium, intrant commotiones & turbulentæ paſſiones.* Addo Janſenium : *Animam*, inquit, *ſe ſeque ipſum à multis incommodis & malis præſervat, in quæ ſæpe homo imoderato uſu linguæ incidit, utpote ab odio & inſectatione hominum, qui alterius dicacitate irritantur*, &c. Inſinuantur mala ventura non claudenti januam iſtam ; ſanè fragilitate luteam ; difficultate clauſuræ ferream : damna quippe ſolent futura minui

Rodolph. in Prov. 13. 3. Janſen. ib.

minui per eorum præſcientiam. Gregorius Mag. *Quæ enim futura prævidentur, cum præſentia fuerint, minoris timoris* (fortè legendum, *Virtutis*) *fiunt: quia dum contra ictum quiſquis paratior redditur, hoſtis, qui ſe inopinatum credidit, eo ipſo quo prævijus eſt, enervatur.*

S. Greg. M. g to. 1. 3. p. Paſt. c. 33.

5. *Animam ſuam.* Dubitabis intelligendumne ſit pro anima qua vivimus, an pro vita, ſeu pro utrâque? ſenſui priori favent Hugo Cardinalis & Rodolphus: ſecundo verò Salazar & Lira: tertiò demùm Carthuſianus & Cornelius Alapide. Hoc ultimum probabilius. De anima ſola minus curant aliqui, meritò comminatur tacitè Salomon inſimul damna vitæ dilectiſſimæ nobis. Ad hujus, necnon & ſpiritûs detrimenta cavenda prodeſt plurimùm linguæ moderamen; qua Deus læditur, & proximus. Fr. Ludovicus Granatenſis Philoſophiæ morum inſignis magiſter: *Ad utrumque igitur linguæ moderatio valet, ut & animæ periculum, quod ex lapſu linguæ provenire poteſt, devitemus: & anguſtias variaque incommoda, quæ ex hac injuria conſequi ſolent, fugiamus.*

Hug. Card. Rodolp. Salazar. Liran. Dionyſ. Carthuſ. & Alap. in Prov. 13. 3.

Fr. Lud. Gran in ſyl v. Linguæ modera. tio.

6. *Qui autem inconſideratus eſt.* Exponit Carthuſianus: *Non præmeditando qualiter ſit loquendum, nec providendo ne Deum offendat loquendo*, &c. Ridicula quidem eſt hominum ambitio de conſcendendo judicialem ſedem, ut ſententias ferant adverſus alios, de quibus judicare commiſſum eis non eſt; cum recuſent officium ſubire judicis traditum ſibi pro verbis propriis examinandis. Bene conſulit S. Ambroſius, inquiens: *Sedens loquere tecum, quaſi qui judices.* Addit infra: *Juſtus enim cum loquitur judicium Dei, vel cum loquitur quæ juſta ſunt, & verè plena judicii, non cum iracundia loquitur, non ex animi mœrentis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua paſſione, ſed loquitur ex veritate, loquitur ex æquitate: ut non propendeat affectu, ſed quæ loquitur vero pendat examine. Judicat enim quæ dicenda ſint, vel non promenda.* Magnam circumſpectionem in ſubjecta materia teneat ſui judex incorruptus: nam ſæpe teſtes falſos deprehendet.

Dion. Carth. prox. ſup.

S. Amb. to. 2. enarr. in Pſal. 36.

7. *Ad loquendum.* Satis liquet per ſupra dicta, conſideratione librandum etiam quid & quando tacendum ſit: aliquando quippe dæmon ſuggerit malam taciturnitatem ſub humilitatis figura. Cancellarium Pariſienſem accipe. *Hoſtis nonnumquam ſub humilitatis ſpecie & ſeſe cuſtodiendi, facit ut quis ſileat ex contemptu, iracundia, ſuperbia, vel cum loqui deberet ex vecordi puſillanimique metu reticeat.* Alii ſunt, qui non meticulosè claudunt labia; ſed ad hoc ut ſecuriùs feriant; more ferarum, cum ne ſentiantur à paſtore, accedunt ad prædam tacitè. A Magiſtro cunctorum Chriſto Domino diſcendum etiam eſt non ita ſilere; ſed prout ille tacuit: de quo Doctor Luſitanus: *Tacuit Dominus tamquam ovis ad paſſionem ductus.* Alii denique tacent uti lapides: hoc eſt, minime diſcernere curant utrùm congruat loqui, vel reticere. Id etiam damnabile ſilentium dubium eſt nemini. Conſideranda veniunt in tacendo, præter alia, tempus & perſona. S. Baſilius M. *Silentii decorum ex temporis opportunitate & perſona ſpectatur*, &c.

Gerſon. p. 3. tr. de diver. ſ. tenta. diab.

S. Ant. Ulyſſ. ſer. Dom. 1. Adv.

D. Baſil. M. in reg. brev. ſub tit. Numquid rectum, &c. 8.

Hinc deduco, ſecundùm rigorem litteræ in ſecunda parte hujus parabolæ ſermonem haud eſſe de malo culpæ: tum quia hoc non percipitur facultate ſenſitiva: tum quia nec voluntas in peccatoribus paſſim hoc ſentit malum animæ dirum. Corporis damna dolore dignâ multo penè ſemper creduntur; patitur ſpiritus per crimen; & illius malum parvi fit. Moraliſſimè Chryſoſtomus: *Atque animâ quidem ſingulis diebus corruente, nullus eſt qui lugeat: ſi quando verò corpus hoc aliquid patitur, id verò* (fortè legendum, *Vere*,) *durum atque intolerabile eſſe judicatur.*

S. Joann. Chr. to. 5. l. 2. de provid. Dei longe poſt princ.

Mala. Vox iſta comprehendit (excepto peccato, propter ea, quæ proximè dicta ſunt) omnia mala, quæ non conſideratè loquenti veniunt à lingua. Quod adeo verum eſt, ut extendatur ad ſeram pœnitentiam de verbis prolatis. Janſenius hîc dixit: *A ſerâ pœnitentiâ, quæ ſubitò animam ob linguæ lapſus percutit.* Igitur prudens rector ſuî quaſi dictum ſibi complectatur animo S. Paulini monitum: *Diù ante conſidera quid loquendum ſit; & adhuc tacens provide, ne quid dixiſſe pœniteat.*

Janſen. in Prr 13. 3.

S. Paulin. ep. 51.

DELIBATIO I.

Jejunium cuſtodit ab ira Dei, à diabolo, à peccatis, ab hoſtibus.

9. *Abſtinens confidit placare Deum.*

NE ſenſus myſticus videatur à litterali penitus dividi, non eſt oblivioni dandum quantum conducat vitare gulam, ut ſobriè loquamur. Veritas hæc eſt cunctis aperta. Nihilominus proderit audire Patriarcham Venetiarum. *Vir etenim*, ait, *ſobrius ſermones ſuos præcogitat, & examinat priùs in pectore, quàm proferat in ore: qui autem comeſſationibus deditus eſt, nullo rerum pondere innixus loquitur quæcumque animo ſuggeruntur. Alliga igitur, o homo, virtute ſobrietatis linguam tuam, ne inconſideratè loquatur, nec laſciviat: ſed decenter proferat ſermones ſuos.* Habes, quòd ea delectabilia, quæ per os intrant, aliquibus in cauſa ſunt, ut ab eodem exeant mala. Nunc, ne putes, hanc gnomen in ſenſu ſpirituali trahi liberè ad abſtinentiam, dictum præſtet Hugo Cardinalis in præſenti, dicens: *Cuſtodiendum autem eſt os ab ingredientibus, id eſt eſca & potu.* Aliqualem proportionem ſervant inter ſe quæ per os ingrediuntur, & illa damnabilia quæ prodeunt ab eodem: non ſolùm quia, ſicut lingua ſaporem gratum percipit in dapibus, ita loquaci verba detractoria, ſimiliaque dulciter ſapiunt proferenti; ſed etiam quia veluti verba non conſideratè dicta paſſim illaqueant plures, ita guloſus laqueos vorat: ad quem dici poteſt illud Guigonis Carthuſienſis: *Laqueos comedis, bibis, veſtis, dormis: omnia laqueus.* Et quia periculorum timor homines avocat à vitiis; expendam per partes,

S. Laur. Iuſt. in lig. vit. c. 3. de ſobrietate.

Hug. Card. in Prov. 13. 3

Guigo Prior. 5. Carthuſ. in medit. c. 5. med.

tes, jejunium cuſtodire mortales ab ira Dei, à diabolo, à peccatis, à corporeis hoſtibus. Quoad primum. Cum, prout audiſti ſæpe, jejunium nos faciat in cœleſtia quaſi tranſire; cumque habitans in cœleſtibus multò confidentiùs deprecetur Dominum, quàm nos exules miſeri; non audere me nimis exiſtimes, cum probare nitor, jejunantem vigere peculiari fiduciâ, ut precibus placet indignatum judicem integerrimum. Confidenter accedet abſtinens, ut mitiget iram Domini; non audebit eam oratione mollire carens abſtinentiæ virtute.

10. Notavi ſæpius quàm fidenter Moyſes Deo per idololatriam populi graviſſimè læſo fuerit locutus. Nunc denuo ruminabimus illa verba ſervi fidelis ad majeExod.32.12. ſtatem ſummam: *Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* Nec eſt cenſendum, reprobaſſe Dominum confidentiam, qua dixit iſta Moyſes; cum Ib.n.10. ad eumdem priùs ipſe dixerit: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* S.Hier. to.5. l.4. in Eze-chiel.c.13. S. Hieronymus: *Unde & Moyſi dicitur: Dimitte me & delebo populum iſtum. Cui enim dicitur: Dimitte me: oſtenditur quòd tenendi habeat facultatem.* Poſtulavit Moyſes, inquam, à Domino clementiam. Bene. Sed cur non ſimiliter obſecratus eſt Adamus, ut ignoſceretur ei culpa, qua peſundedit orbem? ſcis, non abſtinuiſſe Protoplaſtum à cibo, contra præceptum impoſitum, ne comederet ex eo. Moyſes immoratus in monte jejunus perſeveravit. Quidni fiduciaiter ſatageret lenire ſupplicatione ſanctam Numinis iram? Favere nobis credes aliquatenus ChryſoſtoChryſ. to. 5. ho.1. de pœnit. poſt pri. mum, qui ait: *Nam & Moyſes & Elias veteri in teſtamento prophetarum turres tametſi ex aliis illuſtres magnique habentur, ac multâ fiduciâ gaudent: tamen ſi quando ad Deum volebant accedere & colloqui, quantum homini poſſibile erat, ad jejunium confugiebant*, &c. S.Baſi.M.ho. 1.interv. Accedit Baſilius M. *Moyſen*, inquit, *per jejunium ad montem acceſſiſſe cognovimus. Non enim auſus fuiſſet vertice fumante, neque confiſus fuiſſet ingredi in caliginem, ſi non jejuno fuiſſet armatus.* Videſne quantas confidentiæ vires animo tribuat ciborum abſtinentia? Quid mirum eſt, Moyſen jejunum ſic egiſſe cum Domino confidenter? Econtrariò præceptum quodammodo jejunandi fuerat Adamo datum, prout placuit Chryſ. prox. ſup. Chryſoſtomo. *Nam*, ait, *ab omni ligno quod eſt in paradiſo comedetis, de ligno verò ſcientiæ boni & mali non comedetis, ſpecies jejunii eſt.* Fregit Adam jejunium. Idem S. Idem. tom.5. ſer 1 de jejun poſt. prine. Doctor: *Ab uno ligno ſi abſtinuiſſet Adam, ſi ab uno jejunaſſet, mortua fuiſſet mors, imo non fuiſſet mortua, quæ non erat*, &c. Incurrit comeſtione mortem: & adeo meticuloſus redditus eſt, ut auſus non fuerit efflagitare veniam. Si jejunaſſet confidentiâ potiretur majori, quam habuit Moyſes, ut poſtularet veniam populo Judaico.

11. *Abſtinentia docet agnoſce.* Reponit ad hæc ille, cujus Deus venter eſt: Ego certè non ad illam familiaritatem, qua fruitus eſt cum Domino Moyſes, aſpiro: ſat eſt mihi deplorare peccata, ſolitamque donari pœnitentibus indulgentiam præſtolari: fugere nova crimina; vincere noxias paſſiones. Et putat qui reſpondet iſta, ſe parum juvandum per abſtinentiam ad ea, quæ proponit? Oppoſitum oſtendam. Sed præſupponendum eſt, unam ex radicibus iniquitatis eſſe non ſentire ſupplicium, quod à delicto venit. S. Maximus: *Non ſentire pœnam, quæ ob neglectas virtutes infligitur, via prona eſt ad impietatem.* Flagellamur continuò: tribuit quod patitur homo vel inimico, vel ſortis inconſtantiæ: paupertatis effectum lividæ credit alter; propter quam non valuit adhibere media, quibus damnum præcaveret: vix ullus eſt, qui detrimentum patiens dicat: Ecce pro peccatis meis vapulo cœleſti manu. An ignorantia hæc obſtat modicùm pœnitentiæ? Multum igitur huic prodeſt jejunium: nam per hoc eruditur mens, ut agnoſcat plagam Dei. Quinimo dixerim: Etiamſi adeo judicii deſtitutus eſſes acumine, quod bruto poſſes aſſimilari; cognoſceres abſtinendo manum Domini verberantis. Hoc te docebit abſtinentia ſupplicium imminere.

re manûi Dei flagellantis.

S.Max. cent. 3. de virt. & vit.c.18.

12. Provocata culpis æquitas Dei contra Ninivitas præcepit Jona ut in ea civitate prædicaret. Vates injunctum recuſavit fugâ munus. Conſcendit navem; & ingruente procellâ, miſer fugitivus agnitus eſt eſſe cauſa malorum. Prophetametipſe contra ſe demerſionis tulit ſententiam. Merſus in æquor deglutitur à ceto. Precatur ibi Deum; cujus nutu piſcis evomuit Jonam in aridam. Juſſum accipit ſecundò Vates ut prædicet in urbe. Obediens jam adverſitate magiſtrâ, fructum retulit pœnitentiæ, quæ miſericordiam Domini movit, ut civitati parceret iniquæ. Non potui non mirari, quod legamus in iſta multitudine pœnitentium annumerari bruta, jubente rege. *Et clamavit,* Ion.3.7. *& dixit in Ninive ex ore regis & principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquam: nec paſcantur, & aquam non bibant.* Quid irrationalia pecavere? Homines viventes irrationabiliter cibos linquant, ut caſtigatione corporis aſſequantur pietatem Dei; quem velut hoſtem factis oppugnauerunt. Animantia capacia non ſunt amicitiæ, vel inimicitiæ cum Creatore ſuo: ut quid abſtinent paſtu? Quia ſic (hyperbolicè dicam) agnoſcerent quodammodò plagam divinam, quam verbis edoceri non poſſent: id bruta didicerunt abſtinentiâ docente. Patronum habeo Chryſoſtomum: Chryſ. to. 5. ho.3 ad pop. ante med. *Non*, ait, *licet brutis ſermone Dei iram diſcere, diſcant fame quod à Deo infligitur plaga*, &c. Solutionem dubio præbui nixus aureâ S. Doctoris authoritate: probavique ſufficienter, ut puto, quod prædixeram: nempe, jejunium fere bruta ſapienter inſtruere, quò noſcant imminere verbera Domini. Sed ut ad utilitatem animæ transferas clariùs ea quæ diximus, dimitte litteram; ſpiritum ejus attende. A Ruperto quære quid ſignificent ibi ju-

Rupert. l. 2. in c. 3. Joann.

menta. Reſpondebit : *Sane homines & jumenta ſaccis operta, & clamantia ad Deum, rationabiles, & irrationabiles, ſive prudentes ac ſimplices intelligere debemus ad prædicationem Evangelii pœnitentiam agentes*, &c. Etiam ſtupidas mentes illuminat parcimonia cibi, quò percipiant quæ aliter ignorarent. Illa docet revereri ſummitatem virgæ, qua cædimur per Omnipotentis manum: cujus agnoſcentes juſtiſſima decreta movemur ad ſcelera deflenda. Sic per jejunium cuſtodimur ab ira Dei.

13. *Jejuni dæmonem facilius vincunt.*

Tutatur etiam à diabolo nos abſtinentia victrix. Non fruſtrà pro noſtra doctrina Filius Dei prius jejunavit : poſtea diabolum vicit certamine triplici. Adeſt Ambroſius. *Unde*, inquit, *& Dominus Jeſus volens nos adversùs diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut ſciremus quia aliter illecebras mali non poſſumus vincere.* Diabolus optimè novit, quod humano generi nequaquam attuliſſet ruïnam, ſi primus homo jejunium ſervaſſet; prout ex proximè dictis apertè colligitur. Ideo valde metuit, ne per jejunium propriũ reſtauremus quod per Adæ comeſtionem perdidimus. Propterea malignus valde pavet jejunantes. Et accedit, quòd mortificata per alimenti ſubtractionem caro militat ſpiritui ; quod hoſti communi ſatis ingratum eſt. Cum enim caro rebellis ipſum juvet ut animam debellet ; dum hæc deſinit ſervire ſpiritibus malis in ejuſmodi præliis, & mortificationem complectens tranſit ad caſtra Dei ; diabolus plangit, ſe derelictum à ſocia cum ipſo pugnante contra nos. Imo, quia timendum eſt valde, cum ſodalis in partem oppoſitam declinat ; ſerpens infernalis timet : potiùs dicam validè proſternitur facilè per jejunantes. Ne comedentes percutiat malignus, protectio ſpecialis Dei tuebitur eos quidem, ſi placuerit illi ; perirent attamen, niſi protegeret eoſdem. Non ita jejunantibus difficile dæmonem vincere : manibus, ut ita dicam, inermibus iſte ſuperatur.

S. Ambr. to. 5. l. 3. ep. 25.

14.

Amalecitæ contra Dei populum inſurgentes injuſtum inivere bellum. Debellavit eos Joſue : ſed inficiabitur nemo, multum in hoc perfeciſſe manus Moyſis : quibus levatis vincebant Hebræi ; declinantibus autem ſuperabantur. *Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël : ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Et infra : *Et factum eſt ut manus illius non laſſarentur uſque ad occaſum ſolis. Fugavitque Joſue Amalec, & populum ejus in ore gladii.* S. Iſidorus Hiſpalenſis allegoricè diabolum intelligit in Amalec deſignatum. *Amalec*, inquit, *deſignat diaboli figuram*, &c. Ergone tam facilè diabolus ab homine vincitur, ut per manus inermes (quales erant Moyſis tunc temporis) levatas proſternatur ? Retrogrediamur ad exitum Iſraëliticæ plebis à Pharaonis poteſtate. Jamjam tempus aderat, quô libera gens egreſſura fuerat à ſervitute, cum Dominus præſcripſit Iſraëlitis agni paſchalis myſticam ceremoniam : quæ primò per filios Iſraël obſervata fuit ante quàm greſſum facerent ab Ægypto. Juſſum eſt, ut ſanguinem agni aſpergerent in ſuperliminari, & utroque poſte domûs. Quare ? Perlege textum. *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domûs, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere.* Rupertus exiſtimat, percuſſorem iſtum fuiſſe angelum malum. *Quamvis*, ait, *dicatur Dominus Ægyptios percutere, non tamen per ſeipſum percutit, ſed percuſſori, ſcilicet angelo malo, poteſtatem dat percutiendi.* Conferamus nunc utrumque locum. A diabolo timendum erat utrobique plebi Dei: ſcilicet in Amalecitis figurato ; in Ægypto autem verô. Cum hic percuſſit Ægyptios, & etiam læderet, ſi permitteretur, Hebræos, ipſi non jejunabant ; ſed agnum comederunt. Jejunio non dantes operam, quamtumvis licita comeſtio ſit, egent particulari protectione Dei, ne lædantur à dæmone : *Non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere.* At verò cùm adversùs Amalec figuram diaboli fuit inita pugna, jejunarunt Iſraëlitæ. S. Hieronymus : *In Exodo adverſus Amalec, oratione Moyſi, & totius populi, uſque ad veſperam jejunio dimicatum eſt.* Jejuni Moyſis manus non armatæ prævaluerunt, ad hoc ut meditaremur quantùm valeat jejunans contra communes adverſarios. Cacodæmonis arma per abſtinentem à cibis eluduntur.

Exod. 12. 23.

Ruper. l. 2. in Exod. c. 16.

S. Hier. to. 2. l. 2. contra Jejunia.

15. *Sæpe jejunium præſervat à culpis.*

Necnon ut cuſtodiamur à delictis proficuum jejunium eſt ita, ut moralis Pontifex dicat : *Nullus palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo priùs per afflictam ventris concupiſcentiam, carnis incentiva devicerit.* Perpetim caro & ſpiritus inter ſe digladiantur ; & notiſſimum eſt, virium confractionem hoſtis unius, vigorem alterius incrementare. Proinde per macerationem carnis, quæ per abſtinentiam fit, augetur animæ robur. Timendum econtra, ne per ingluviem ventris accidat quod legimus apud eumdem S. Doctorem. *Dum*, inquit, *venter non reſtringitur, per carnis concupiſcentiam ſimul cuncta virtutes obruuntur.* Abſtinendum ergo, ne ſuperbiens caro ſpiritum in crimina trahens inſultet : abſtinentia te reddet immunem à culpis aliquot, etiamſi periculum illarum adeas, neceſſitate bonâ cogente, ſecundùm rationis dictamina. Jejunans præpara cor tuum ; diſcrimina ſcelerum ſuperabis, in quæ te conjecit rationabile motivum.

S. Greg. M. tom. 1. l. 30. mor. c. 23.

Idem ib.

16.

Duas teſtamenti veteris Heroïnas comparatione factâ memorabor ad invicem ; Juditham, & Eſtherem. Illa, cùm Bethuliam obſideret exercitus Aſſyriorum, deliberavit in hoſtilia caſtra ſe conferre. Holofernem alloquitur, pulchritudine capit, ejuſque tandem pugione ſtrenuè jugulat. Eſther, cum traditus eſſet morti populus per odium Amani, necnon & imprudentiam crudelem Aſſueri, flectit animum Regis, eruit innocentes. Notabit quilibet, Reginam cupientem afflictis opem ferre, mæſtiſſimamque de ſuorum futurâ

futurâ clade, vocaviſſe tunc Regem ad convivium. Hæccine fuerat occaſio convivandi? Non deerit, cui videatur intempeſtivum excipere lautâ mensâ nunc Aſſuerum, cum rem tantam & lacrymabilem verſabat anxio corde ſapiens fœmina. Modò convivandum eſt, quando cædes impendit capitibus Hebræorum; quibus opitulari deſiderabat illa. Memini, Judith abſtinentiæ ferè jugiter vacaſſe. *Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſraël.* Cur non ſimiliter jejunium protendit Eſther, ſaltem uſquedum liberetur populus? Caſus uterque non in paucis diverſus erat. Eſther non tunc agebat de vitando proprio peccato; Judithæ verò cavendum erat, ne per aliquid ad idololatriam ſpectans, vel turpitudinem, peccaret. Unde poſtea dixit: *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis*, &c. Ideo manducare noluit illa de Holofernis convivio. *Conſtituit quid daretur illi de convivio ſuo. Cui reſpondit Judith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui*, &c. nec ſolitam interrupit abſtinentiam. Sic evaſit crimina, quæ vereri poterat. Non ipſa tantùm Holofernem vincere parabat; ſed etiam laſciviam ejus curavit expugnare. Fruere S. Fulgentis verbis. *Denique*, ait ille, *cum Holofernes innumero Bethuliam obſidiſſet exercitu, & omnis Iſraëlitarum virtus perturbata langueſceret; egreditur caſtitas oppugnatura laſciviam, & ad interitum ſuperbiæ humilitas ſancta procedit: ille pugnabat armis, iſta jejuniis.* Hæc forte dicit S. Doctor non tantùm ad perſonam attendens Ducis inimici; ſed ad luxuriam caſtitate devictam. Triumphat libidinem abſtinentia; nec ſolam ſubigit illam: validiſſima namque ſunt jejuniorum arma contra culparum tela.

Judith. 8. 6.

Ib. c. 13. 20.

Ib. c. 12. 1. 2.

D. Fulgen. ep. 2. ad Gallam c. 14. fin.

17. *Jejunium conducit victoriæ de temporalibus inimicis.*

Deſcendamus ad temporanea bella. Infirmatur corporis robur, fateor, parcimoniâ cibi: ſed inficiaberis, non in lacertorum fortitudine præcipuè conſiſtere bellicam virtutem? Quinimo deliciæ corpus enervant; jejunia ferendis laboribus expeditum reddunt. Utere Baſilio M. *Viatoribus*, inquit, *ſuccinctus & expeditus comes eſt jejunium. Quemadmodum enim deliciæ ad onus ferendum ipſos cogunt, nimirum fruitiones voluptatum circumferentes, ſic leves & expeditos jejunium ipſos facit. Deinde militiæ extra terminos præſcriptâ, milites neceſſario victu, non voluptuario aluntur.* Bellator, ſi gravetur ſarcinâ facilè manus dabit hoſti. Quin & arma ponderoſa nimis induens impeditur ad pugnam. Crapula ſanè pondus eſt: hoc abjicitur per abſtinentiam. Putant aliqui roborari corpus ad certamina ciborum nimiis auxiliis. Fallantur. Potius congruit jejunium decertaturis pugnatoribus: parcitas victûs opportuna victuris eſt. Imperator Carolus Magnus, expeditione in Avares ſuſceptâ, triduanum jejunium cum exercitu celebravit; nequaquam formidans, milites per abſtinentiam invalidandos. Otho necnon Imperator adversùs Hungaros conflicturus jejunium caſtris indixit. Et ut aliquid è noſtratibus depromamus, Viriatus princeps Luſitaniæ, ubi bellum aliquod mente conceperat, non priùs accumbebat menſæ, quàm propoſitum abſolviſſet. Senſerunt Heroës iſti, non armis tractandis aptum ſtomachum gulæ deditum. Eſto, quòd cum adverſariis pacificè degens jejunare non curet; abſtinentia convenit pugnaturo: jejunio munitur ad victoriam.

S. Baſi. M. ho. 2. inter var.

18. Egredientes ab ergaſtulo Ægyptiaco farinam tulerunt Hebræi: nec Dominus hoc prohibuit illis. Percupivi ſcire, quare providentiam iſtam humanam eis permiſit qui tam paterna curâ providit eiſdem? Liberalitatis Dei providæ videbatur injuria, quòd Iſraëlitæ præcaverent ſibi contra famem; protectorem habentes eum, qui non obliviſcitur alere corvorum pullos. Inſuper, etiamſi deferrent plauſtra cibis onuſta; quid hoc ad tot annorum ſpatium in via conſumptum; nedum farinæ menſura non magna; quàm poterat ex illis viam carpentibus quiſque propriis humeris bajulare? *Tulit igitur conſperſam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, poſuit ſuper humeros ſuos.* Nonne diuturna decreverat annona cibare filios Iſraël? qua de cauſa non ſtatim atque pedem ſolverunt è ſervitute manna donavit eiſdem? Priuſquam reſpondeam ſupponendum ex Ambroſio, Judæos in eremo jejunaſſe paſtos Angelorum pane deſuper cadente. *Sed dicet aliquis, filios Iſraël in eremo, quando manna ſaturati ſunt, minimè jejunaſſe. Ego autem dico, illos non niſi abſtinentiæ tunc vacaſſe, atque ideo cæleſtis alimoniæ gratiam meruiſſe. Primum quia deſertum omne jejunium eſt, quia anxietas ſolitudinis concupiſcentiam repellit eſcarum: deinde in eremo unde accuratæ epulæ?* Et infra: *Intelligimus ergo jejunaſſe filios Iſraël, quia cognoſcimus illis eſcarum copiam defuiſſe; & tunc ſumpſiſſe cibum, quando largienti Domino placuiſſet.* Hoc poſito rem aperio. Cum Judæi ſumentes manna jejunaturi forent; non erat cur hoc jejunium tunc inciperet, quando pacificè verſabantur adhuc inter hoſtes; nec mox atque primùm ab urbe ſunt egreſſi. Poſtea verò quò roborarentur ad præliandum, fuit opportunum abſtinentiâ vegetari vires ipſorum, & de cœlitus veniente refectione provideri: per jejunium quippe validiſſimos devicerunt hoſtes. Non fruſtra revertes ad Ambroſium. Dicentem audi: *Quid autem mirum ſi vino decipiuntur animæ fœminarum, cum omnes illæ Tribus patrum, cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validiſſimas vincerent, & non erat in his ullus infirmus: ubi verò carnes deſiderare cœperunt. & deſideriis in Ægyptum convertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum in Terram promiſſionis præter duos pervenire potuerunt?* Frequenter audiveras non ſponte, quod alimenti frugalitas ad animæ triumphos requiratur. Nunc forte libentius accipies, eamdem eſſe pro vincendis temporalibus contrariis perutilem. Saltem ab iſtis evadere

Exod. 12. 34.

S. Ambr. to. 5. ſer. 31. Quadrag.

Idem to. 1. l. de Elia & jejunio c. 18.

dere cupiens, vitamque diligens, memento, quòd à gulæ ſordibus *qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.*

DELIBATIO II.

Gulæ mala quædam.

19. *Helluo ſic dehoneſtatur ut cum ſuiſmet famulis numeretur.* S. Iſid. Hiſp. l. 2. ſent. c. 42.

COeptum proſequar jejunii præconium : numerans aliquot ab oppoſito vitio venientia mala. Non unicum promanat à gula detrimentum : plurium radix eſt infauſtè fœcunda. *Quod enim* (ait S. Iſidorus Hiſpalenſis) *tam noxium, quàm ut animus ſerviat ventri & eſcæ*, &c. Incipiam ab ignobilitate ; quam apud cordatos incurrit ſtomachi procus, ne dicam, poreus cum Poëta.

Suſque velut vivit ; ſus moriturque velut.
Truncus is, horrendumque humano in corpore monſtrum eſt,
Prorſus ad immanes dignus abire feras.

Canenti fortè decidit vox involuntariè : nam ventri ſervientem appellaverat ille truncum ; poſtmodùm feram vocat ; quod minus eſt opprobrium. Bruta quidem ſenſitivâ, nutritivaque facultate pollent, & noxia vitant alimenta. Non ſic is, quem reprehendit Poëta, ſe gerit : nam ſe totum ad officium nutriendi corpus natum putat ; & nociva devorat. Trunco valde ſimilis eſt ; qui ſolâ vitâ potitur vegetativâ, nec ſenſu gaudet, neque nocitura fugit. Solent plurimi nobilitatis exiſtimationem nimis diligere : quâ ſi carent, illuſtriſſimos proavos & atavos ad libitum ſibi fingunt, & infelicem natalium ſortem ſomnio ſuo conſolantur. Vellem, ut nobilitatis amor inſerviret ad fugam abjecti adeo ſceleris. Sed heu ! potius credunt plures, annexum claro ſanguini menſæ luxum. In oppoſitum ſtat veritas clamans, fœdari per guſtus voraciſſimi luxuriam claritudinem generis. S. Baſilius M. *Contendit de te ebrietas velut mancipio, & non dimittet te merito, adeo evidentes ſervitutis demonſtrationes exhibentem, odorem videlicet vini, velut in vaſe permanentem.* S. Baſil. M. hom. 2. inter. var. Epulones ditiſſimi, quamvis omnibus abundent, neſcio qua ratione reperiant miniſtrantes ipſorum opiparis menſis, & eorum juſſa facientes. Neſcio, inquam, nam inter pocula vix diſcernitur quiſnam ſit famulus ; & quis herus. Hunc ita gulæ vitium abjicit, ut cum ſuiſmet famulis gregatim numerari poſſit. Dignus non eſt ut ſeorſim nominetur diviſus a ſibimet inſervientibus qui ſuperfluis dapibus ingurgitat ſe : tamquam unus de ſuorum turba famulorum cenſeatur.

20. Luc. 16. 21.

Meminiſti divitem illum ſuo malo celebrem ; ad cujus fores jacebat Lazarius. Iſte plenus ulceribus dolebat ; ille deliciis nunquam ad ſatietatem replebatur. Lazari ſummam paupertatem Dominus explicuit, his verbis : *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat* : &c. Nota, quod non ſolum famuli divitis hujus renuebant opem ferre pauperis fami ; ſed etiam opulentus ille ſuperbus, qui clauditur proximo dicto Salvatoris, *Nemo illi dabat.* Dionyſius Carthuſ. ad hæc verba : *Quo conſtat, quod minimo* (fortè legendum vel, *Minimè*, vel, *Minima*) *poſtulavit, & quod non ſolum dives ille, ſed & miniſtri ejus dari immiſericordioſiſſimique fuerunt, qui infirmo, egeno, famelico, tam parva negabant. Crudeles namque, & immiſericordes domini habere ſolent familiam ſibi conſimilem* : &c. Dionyſ. Cart. in Luc. 16. ib. Hoc poſito penſitabam, cur non dicitur in ſacro textu : Dives non Lazaro donabat, nec ejus famuli ? ſed potiùs de his, & illo ſimul aſſeritur à divino Magiſtro : *Nemo illi dabat* ? Reſpondeo. Fuit æquum miſceri cum ſibimet ſervientibus hominem, qui *epulabatur quotidie.* Sic dedecorat helluonem ingluvies, ut ſuiſmet famulis par exiſtimari queat. Indigniſſimus erat iſte vorax dapium, quòd honoris gratiâ fieret ejus mentio diviſim à miniſtris, qui famulabantur eidem. Et erit ex nobilibus aliquis adhuc impudenter credens, unum de nobilitatis inſignibus eſſe ventrem deliciosè nimis opplere cibo ? Ib. n. 19.

21. *Gula deditus oſtendit, obliviſci ſe hominem eſſe liberum.* S. Joan. Clim in ſcal. pr. 14. ad fin.

Non ad quemcumque famulatum, hoc eſt, famulorum conſortium ſe dejicit cultor palati ; ſed uſque ad mancipiorum ſimilitudinem. Lege S. Joannem Clim. & agnoſces, captivitatem gulæ filiam eſſe. *Filiæ* (loquitur in perſona gulæ per proſopopœiam) *porrò ex me natæ ſunt deſidia, loquacitas, audax confidentia, ſeu audacia, risûs concitatio, ſcurrilitas, contradictio, pervicacia, contumacia, ſtupor animi, & captivitas* (*alibi lege* : Captivitates,) &c. Deſponſatus huic fœdæ culpæ, filiam iſtam, hoc eſt, ſervitutem, non agnoſcit, quam genitrix gula ſuam fatetur. Non, inquam, meminit ſe captivum. Attamen ita ſe gerit, ut videatur obliviſci, ſe factum eſſe liberum dono Dei. Satur tam ſervilem induit conditionem, quod facilè cadet ab ipſius memoria, ſemetipſum liberum eſſe, nec ſervum. Addicitur ſervilibus operibus infimis à malo domino ſuo, ſcilicet peccato : & ſervitutis aſſuetus exercitio, propriæ libertatis ingenuitatem oblivioni tradit. Sic ementat ſaturitas, ut periculum ſit, non recordari miſerum, quod prædilectâ libertate fruatur.

22. Deuteron. 6. 10. 11. 12. 13.

Meditationem aſſiduam præceptorum Dei commendavit populo Moyſes. Poſtmodùm in futura tempora cautelam præmonuit, inquiens : *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua juravit patribus tuis . . . . & comederis, & ſaturatus fueris : cave diligenter, ne obliviſcaris Domini, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo ſervitutis.* Tene poſteriora verba ; quibus hortatur Iſraëlem, ne, cum comederit & ſaturatus fuerit, obliviſcatur eum, qui ſolvit Hebræos à captivitate quondam. Diceres, quòd, ut major proportio loquendi ſervaretur, ſic eos moniturus fuerat Moyſes : Vide, ne, cum ſatur extiteris, oblivioni tradas illum, qui tibi donavit manna per tot annorum ſpatia : nam ſi loqueretur ita, mannæ comeſtionem veluti componeret cum ea manducatione,

catione, cujus diſcrimen præcavebat : q. d. Ne captus voluptate de minoris momenti cibis, terga des Benefactori, qui te cœleſti pane providus aluit. Ut quid nunc memoriæ commendat ipſorum, pro futuris temporibus, Dominum ſub ratione liberatoris *de domo ſervitutis*? Quia non per manna, ſed per illam redemptionem liberi facti ſunt Iſraëlitæ. Periculoſum erat, ne ſepelirent ingratis obliviis libertatem eis potenti brachio reſtitutam. Nam, ut ante dicebam, diligens gulam jugum ſervile fert, ſic ut ſemet exhibeat velut oblitum quod liber ſit. Dulcis eſt & pretioſa conditio libera; ſed obediens guſtui nimis, quaſi mittit poſt dorſum liberam ſuam ingenuitatem.

23. *Videtur, hominem plus deſtrui per gulam, quàm per mortem.*

Poſt avitæ nobilitatis opinionem, charamque libertatem, complacent homines in dilecta mortalibus vita. Diximus, per gulam commaculari ſplendorem originis generoſæ. Nunc, vitam lædi per eamdem adjiciemus. Non ad hoc digitum conſiderationis intendo, quòd epularum nimietas interitum acceleret; de quo ſatis erit audire Politicum, dicentem : *Gula plures occidit, quàm gladius*, &c. Ulteriùs tendo. Viventem hominem per guloſitatem perire meditemur priuſquàm adveniat obitus ejus. Dono tibi S. Baſilii M. verba. *Ac*, inquit, *ne multa, ſi gulam in officio continueris, paradiſum habitabis : ſin minus, hoc tibi perſuade, pabulum te mortis futurum.* Tuum ſit examinare, fueritne Baſilio mens, quòd, ſicut alimenta viventis ab eo ſumpta comminuuntur; ita mors edacem tamquam ipſius necis eſcam deſtruit, dum adhuc vivit. Hoc unum ſubjiciam. Plùs multò diſperire videtur homo per intemperantiam cibi, quàm per fata. Mors non tollit morientis laudabilem famam; crapula verò reddit infamem. Nex non ſopit animæ facultatem intellectivam; convivia mentis uſu privant quamplurimos. Ex his, & aliis, fieri videbitur, magis dirui mortales per gulam, quàm evertantur cùm interunt. Fine tuum times, quaſi mortalis non eſſes, ac debitum illud ſoluturus omnibus commune. Potiùs metue gulam, quæ morte dirior eſt. Iã exigis ut probẽ: debitũ agnoſco.

Franc. Patric. l. 5 de Rep. c. 8.

S. Baſi. M. ho. 37. inter var.

24. Eccl. 31. 24.

Secundùm lectionem Tigurinam expende Siracidem. Ubi legit vulgata : *Somnus ſanitatis in homine parco. Dormiet uſque mane, & anima illius cum ipſo delectabitur.* Tigurina vertit : *Somno ſalubri fruuntur viſcera temperantis: mane ſurgit idem & compos eſt animi : Labor autem vigil & cholera torſioneſque exercent hominem inſatiabilem*, &c. Preme illud: *Mane ſurgit idem* : nam ex eo quòd id aſſeratur de temperante, colligitur, innui contrarium de non ſobrio. Iſte conſopitus in lectum decidit unus; & craſtinâ die ſurgit velut alter. Animadvertis jam qualis deſtructio facta ſit in homine gulam nutriente? Scis, nos, cum reſurrexerimus, eſſe futuros eoſdem homines, qui nunc ſumus. De anima luce clarius eſt, eamdem futuram, quæ redibit ad corpus. De carne verò certiſſimum etiam id eſt. D. Gregorius Papa: *Fatemur, carnem noſtram*, inquit, *poſt reſurrectionem futuram, & eamdem & diverſam: eamdem per naturam, diverſam per gloriam: eamdem per veritatem, diverſamque per potentiam.* En mors hominem ſtravit in cadaverem : ſepulcrum diſſolvit in cineres; & nihilominus idem poſtea ſurget homo; non ſic autem dicere ſolemus de quaſi reſurrectione matutinâ, qua, dum expergefit, prodit velut alius qui nocte præcedente comeſſationibus & immodico potui vacaverat. Nocte cubitum ivit mente phreneticus, pene ſenſibus privatus; excitante ſole relinquit cervical ſenſu vigens, judicio polleris. Non potuit mors, vel tumulus efficere, ut homo tempore definito reſurgens non ſit futurus ipſemet, qui fuerat antea. Sed quod nec interitus, nec ſepultura valuit, agit præpotens gula : ſic epulonem conterens & imminuens, ut cum ille ſepultus pridie per intemperantiam, poſt expergefactus derelinquit antrum, jam poſſit vocari non ipſemet qui ceciderat heſterna die, ſed alius. Ab hac everſione liber eſt *qui cuſtodit os ſuum.*

S. Greg. Mag. tom. 1. l. 15. mor. cap. 30. Eſt prine.

25. *Helluonis anima videtur quaſi mortalis.*

Ridet iſta quilibet inſaturabilis ore. Cum ſint comeſtio, potatioque viventium actiones, nequaquam terretur; quantumlibet ejus auribus inculcetur, ipſum per fercula deſtrui. Animam utique retinet addictus menſarum ſuperfluitati blandæ : ſed velut emortuum claudit ſpiritum in dapium ſordidâ voragine. Non loquor tantùm de morte culpæ : ſuperaddo (hyperboli datâ veniâ) helluonis animam quaſi mortalem apparere, cum ipſe brutis aſſimiletur, quorum animas emori novimus. Chryſoſtomus dixit : *Ebrius fera magis eſt quàm homo.* Animam gulonis, ut cæteras humanas, efformavit ad imaginem ſuam Conditor. Et licet ipſe non ſit moroſus artifex, illam pinxit æternitati; hoc eſt condidit æternùm duraturam. Sed imago hæc per gulæ vitium deformatur ita, quòd Bleſenſis dixerit : *Hinc imaginem & ſimilitudinem Dei, quæ refulget in homine, cæca deformavit ebrietas, & in animal brutum inſenſata hominem ſenſualitas declinavit.* Non igitur liberè dixi, ſpiritum epulonis ab immortalitate ferè degenerare. Pene videtur, iſtum, qui creatus eſt immunis à morte, factum eſſe mortalem, & ejus vitam per annos computari, ſicut vita corporis clauditur menſurâ temporum.

S. Joann. Chr. to. 5. hom. 54. ad pop.

Petr. Bleſ. ſer. 65. ad pop. poſt med.

26.

Adeamus divitem illum, de quo Dominus apud Lucam. Nihil ultrò donabit avarus; ſed ad animæ noſtræ refectionem verba nos accipiamus ejuſdem ſollicitudine vexabatur ille propter uberes fructus, quos non capiebant horrea ſua. Quid paupertas ageret, ſi reddidit anxium abundantia? Decrevit ampliora cellaria conſtruere, qui reconderet agri proventus. Audi quid ille cogitatione verſaverit. *Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos : requieſcere, comede, bibe, epulare.* Inſultat Baſilius ei ſic : *O abſurditatem, ſi ſuillam haberes animam, quid aliud quàm hoc ipſi annuntiare potuiſſes? Adeo beſtialis es, adeo bonorum animæ non gnarus, ut carnalibus eduliis ipſam excipias, & quæ ſeceſſus locus ſuſcipit, ea ad animam demittas.* Id tantùm adnotabo, quod ſecum loquens ad animam ſuam dives ait, habere bona repoſita in annos. Quid animæ cum annis; an illa non durat per

Luc. 12. 19. D. Baſil. M. hom. 6. inter var.

ævum? Æviterna certè creata fuit rationalis anima : ſed qui bibere, comedere, ac epulari ſpiritum ſuum hortabatur, neſciens illum gerebat quaſi mortalem ; ac ſi numeraretur animæ vita per annos. Ignorabat ipſe quid cogitatione proferret : at nobis licet efficere, ut è tenebris illius ignorantiæ lux mentibus noſtris effulgeat, ut cernamus quàm grande malum voracitas afferat homini ; ſaltemque, ne dignitatem immortalitatis anima noſtra videatur projicere ; curet unuſquiſque nè tam abjectæ voluptati ſe dedat. Ingenuitatem animæ ſervabit ab hoc opprobrio qui circa potum & eſcam *cuſtodit os ſuum.*

27. *Anima gula tradita videtur corporea.*

Sed ne per immortalitatem animæ, quam certò credimus, doctrinam datam ſpernas, aliâ viâ tendam. Jam non dicam, ſpiritum epulonis habere ſe veluti mortalem. Cum videam hominem totum corporalibus alimentis alligatum, penè videor, illum aſpicere, quaſi careat animâ, ſitque totus corporeus. Non mihi, ſed Baſilio M. reverenter aures accommoda. *Cum verò*, ait, *terreſtria ſapias, & deum habeas ventrem, & totus carneus ſis, & affectibus inſervias, audi convenientem tibi appellationem, quam nullus hominum, ſed ipſe Dominus tibi dedit : Stulte, hac nocte animam tuam à te exigent ; quæ verò parata habes, cujus erunt ?* Anima noſtra cibo paſcitur longe diverſo. Paſtus huic eſt meditatio rerum cœleſtium; doctrina ſana, Dei mandatorum obſervatio. Commiſſum eſt homini prædictis alimentis, & ſimilibus animam propriam alere. De hoc non curat epulator. Proinde rectè conſiderantibus occaſionem præſtat verendi ne forte careat animâ qui nihil providet ad iſtius neceſſariam nutritionem. Contra, cum ſolius corporis proviſioni ſtudeat luxurioſæ ; ſuſpicabitur aliquis, non aliud in eo dari præter corpus, quod arte neſcio quâ movetur. Nonnemo ſic æſtimabit vilem animam ejus, qui ſe dapibus ingurgitat, ut velut in carnem verſa fuerit, & functiones corporeas exercere valeat per ſemetipſum.

S. Baſil prox. ſup.

28. Prov. 27. 7.

Inter prudentiſſima dogmata Salomonis illud ſæpe legentibus occurrit nequaquam prætereundum : *Anima ſaturata calcabit favum* : &c. Dubitabis, an vox, *Anima*, ſumenda ſit pro ſpiritu, quo vivimus ; an pro vitâ potius illâ, quæ morte perit ? In primo ſenſu gnomen iſtam expendemus, favente Beda, qui ſic illam commentatur : *Anima divitum qui habent conſolationem ſuam, & quibus dicitur à Domino : Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, ſpernit auditam cœleſtis regni dulcedinem* : &c. Favet, inquam, Venerabilis : quia regni cœleſtis audita dulcedo non ſpernitur, vel guſtatur à vita, quæ falce mortis percuſſa tandem interit ; ſed ab anima, quæ noſtrum corpus informat. Hoc peracto fundamento, notabam, actionem calcandi tribui ſolere corpori. Ut quid ergo calcatio tribuitur animæ, quæ ſpiritualis eſt, & actus corporeos per ſemetipſam non valet exequi ? Myſterium conjector : nam de anima ſaturata ſermonem habuit hoc loco Paræmiaſtes, alludens ad ſaturitatem, quæ per os corporeum fit. Janſenius : *Veram autem eſſe hanc ſententiam ad litteram quiſque in ſe experitur : qui enim ſatur eſt cibo & potu, faſtidit mox omnem cibum quamtumvis delicatum*, &c. Itaque per favum accipiens juxta Bedam dulcedinem regni cœleſtis auditam (quæ quidem noſtri ſpiritûs nobile alimentum eſt) meritò dixerim, quòd quamvis calcandi verbum ſonet actionem corporalem, appoſitè accommodatur animæ hominis quem ſaturari non pudet : ipſa quippe, quaſi corporea foret, ita ſibi contemnenda quærit avidè ; pede terens favum ; id eſt, non curans rationale pabulum, in quo prædulcem guſtum experiri poſſet. Ut iſtum aſſequatur, alimoniam corporis accipit parcè *qui cuſtodit os ſuum.*

Janſen. ib.

DELIBATIO III.

De cuſtodia intellectûs.

29. *Difficultas veniæ peccatis ex ſuperbia de ſapientia.*

DOgma præſens Dionyſius Carthuſ. extendit ad os mentis, cujus verba dedi ſupra n. 1. Concinit Hugo Card. ibidem citatus. Quamvis in Republica pectoris noſtri ſit intellectus veluti princeps ; non ideo tamen à periculis vel majeſtate ſecurus. Regum exterorum ſolito more, cuſtodiam oportet adhibere fidelem hujuſmodi principi, ne vel à proditoribus, vel ab hoſtibus manifeſtis lædatur. Sanctarum cogitationum cohors adſit intellectum cuſtoditura : vigilet, ne mens erroribus capiatur. Primum diſcrimen, à quo moneo cuſtodiendum intellectum, eſt ſuperbia, ruinarum artifex. Hæc ſi mentem ligaverit, oculis privabit crudeliter, hoc eſt, cognitionem tollet humanarum divinarumque rerum : nam S. Maximus ait : *Superbia igitur eſt divinæ humanæque cognitionis privatio.* Etiam virtutibus divites impugnat elatio mentem obcœcans. Ipſomet ſplendore bene geſtorum amittunt non ſemel oculorum ſpiritualium aciem, cum de virtuoſis factis inflantur : quo fit ut rectam viam taliter cœcutientes deperdant, quòd per actus virtutum ſerviant vitio. Opportunè Radulphus : *Oculos ſanos radius ſolis illuminat, lippientes opprimit & excœcat. Pari modo & virtutum executio, quæ aliis acquirit vitam, aliis operatur perniciem. Superbia namque vitiorum radix, mentem, quam invaſerit, in omni labore ſuo corrumpit : & quicquid illâ invadente agitur, etiam ſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſervitur.* Alii ſunt, qui non de probitate, ſed tantum de ſapientiâ ſuperbiunt : & hac vertigine ruunt in ſcelera. Confidunt iſti, ſe Deum placaturos oratione prudenti facillimè ; quâ vel tollatur ab eis, vel non adveniat calamitas. Decipit eos vana fiducia. Deponant iſtam : ne præſumant, Deum inclinatis auribus fore ſuſcepturum preces eorum, qui de ſapientiâ turgentes peccaverunt. Confidat humilis peccator, experturum ſe clementiam Domini, ſi non ſapienter deliquiſſe putat ; ſed irrationabiliter agnoſcit erraſſe. Fremiſcat velut inevitabilem

S. Max. cent. 3. de virt. & vit. c. 64.

Radulp. l. 9. in Levit. c. 7.

bilem pœnam ſuperbus, qui ſapientiâ tumidus peccavit.

30. Verberat genitor filium: ſed poſt flagellationem nonnumquam virgam projicit in terram. Sic Dominus, cum fuerit uſus Babylone tamquam inſtrumento, pro cædendo populo ſuo (quem filium appellaverat olim qui non mutatur: *Filius meus primogenitus Iſraël.*) Denuntiat ei per Evangelicum Prophetam vaſtationis excidium: *Veniet ſuper te malum & neſcies ortum ejus: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare:* &c. Exponit Alapide: *q. d. Calamitas tua eſt inex piabilis & inevitabilis: Deus enim inexorabilis eſt,* &c. Diſſonare videntur à divina benignitate hujuſmodi verba; cum ſit ille multus ad ignoſcendum. Hoc inculcare ſolemus peccatoribus, ut citra præſumptionem confidant, accepturos indulgentiam delictorum. Multitudinis miſerationum Domini teſtis probatiſſimus eſto David: qui tam confidenter in hac re fuit locutus, quòd ab eo rogaverit, ut quæreret ſe. *Quære ſervum tuum,* &c. quod animabus peccatricibus aptat S. Bernardus, inquiens in hæc verba Pſaltis: *O homo, redire vis? Sed ſi in voluntate res eſt, quid opem flagitas?* Et mox: *Quamquam non omnino illam animam expoſitam dixerim vel relictam, quæ reverti cupit & requiri petit.* Confiſus miſericordiis Domini David exorabilem credit; & Babyloni Dominus idem apud Iſaïam proponitur inexorabilis. Diſparitas ad rem noſtram in eo eſt, quòd Rex erat humilis, ideoque ſe comparavit ovi. *Erravi ſicut ovis quæ periit,* &c. *Confitens ovi ſe ſimilem, erranti ac perditæ, quæ per ſeipſam redire in caulam, & in ovile non valeat:* &c. Sic exponit Lorinus inibi. Babylon verò ſuperba fuit & per mundanam ſcientiam excœcata deliquerat. *Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te.* Propterea de peccato illius adeo terribiliter agitur in ordine ad futuram pœnam. Non ſic de ſe fatur David: quem prædictis verbis exiſtima locutum de criminis curatione cum S. Cyprianus, dicente: *Ille qui relictis nonaginta novem ovibus, quæſivit illam, quæ de ſuo erraverat grege, ſicut David dicit: Erravi velut ovis quæ periit;* &c. Ergo fiducialiter Deum oret pœnitens, qui ſe novit erraviſſe. Amplius pertimeſcat ſuperbus, qui per ſcientiam carnalem turgeſcens deviavit à recto. Non cuſtodivit mentem is à morbo faſtûs: idcirco miſer adeo factus eſt, ut ipſum Clementiſſimum, quem alii ſcelerati confidentes orant, reperiat inexorabilem. Ecce quantùm ſit utilis cuſtodia, qua proprius intellectus à ſuperbia ſervatûr illæſus.

Exod. 4. 22.

Iſaï 47. 11.

Corn. Alap. in tom. ib.

Pſ. 118. 176.

D. Bern. ſer. 84. in Cant.

Pſ. 118. 176. Lorin. ib.

Iſaï. 47. 10.

S. Cypr. to. 3 l. contra Novatia. longe ante fin.

31. Secundò vigilandum eſt, ne mens nonnimium deſiderium ſciendi: nam & in ſubjecta materia, de copia naſcitur ſitis avara plus acquirendi, S. Anſelmus expendens illud Pauli: *Sed ſapere ad ſobrietatem*, ait: *Ut mens eorum non inebrietur, ut ſenſum perdat nimietate ſapientiæ, dum in his, quæ ſupra vires humanæ rationis ſunt, ſe immerſerit, ſed moderato intelligentiæ poculo ſobria ſit. Obediendum valde huic præcepto.* Et infra: *Non eſt ſupra modum exquirenda ſapientia, ſed in hujuſmodi inquiſitionibus ſervanda eſt temperantia.* Appetitus, fateor, ſciendi non malus à natura datus eſt homini; depravatus autem invenitur ſæpe. Nam cùm per deſiderium ſciendi primò peccaverimus in Adamo, veſtigia relicta ſunt nobis hujus inſanæ cupiditatis; qua feruntur multi neſcientes, malum ſibi cupere, dum majores nido pennas extendunt; ardorem concipiunt agnoſcendi ſuis viribus intellectivis occulta. Cuſtos itaque pervigil curabis, ne quæras altum ſapere. Præſumentem deterreat meminiſſe, quòd peccatori ſæpius multa ſcire numerari poteſt inter ſupplicia. Non optimo jure dicam, unam ex delictorum pœnis illud vocari poſſe, per quod multæ peccatorum excuſationes tolluntur? Accedit anxietas, quam patitur multa ſciens, niſi patientiâ corroboretur. Liranus ad illud Eccleſiaſtæ: *Qui addit ſcientiam, addit & laborem*, ait: *Quia indignativi, & impatientes intra ſe ſentiunt multas anxietates.* Donum Dei ſapientia quidem eſt: ſed novum non exiſtimabis, in ſupplicia peccatoris aliquando verti munera Domini. Igitur eadem ſcientia, quæ dono data fuerat juſto; ſi poſtea ruerit in flagitium, locum habet inter vindices pœnas culpæ. Non erit cur propter commiſſa mala privetur impius acceptâ ſapientiâ; ſeveriùs punitur eâdem ſcientiâ manente.

Peccatori ſapientia locum ſupplicii vendicat.

S. Anſel. to. 2. com. in Ep. ad Rom. 12. 3

Lir. in Eccl. 1. 18.

Creatori dilectus erat Salomon; quamvis non in cunctis ipſi placeret. Per ſomnium apparens eidem, facultatem obtulit poſtulandi quod vellet. Regis optimi partes agens ille, potiùs ad bonum regimen, quàm ad utilitatem propriam direxit orationem ſuam; rogans à ſummo Largitore ſapientiam pro gubernando populo multo nimis. Conceſſit poſtulatum Dominus, & addidit alia liberaliter. Vitam repromittens prolixam, adjecit conditionem notatu dignam. *Si autem ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta, mea, & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Ne ſuſpiceris, conditionem hanc extendendam eſſe ad ſapientiam; ita, quòd non conſervaturus eam foret Salomon, ſi recederet à divinis mandatis. Magis crede Sanctio qui ſic habet: *Quidam omnia hæc eâ Salomoni conditione promiſſa exiſtimant, ſi parentis veſtigiis ingreſſus divina mandata ſeriò, atque intemerata cuſtodiat. Quod, opinor, verum non eſt;* &c. Regii commentatoris doctrinam complectens inquiro: quare non ſub conditione data fuit Salomoni ſapientia (ſcil. niſi declinaret cor ejus ad iter ſiniſtrum) pariter atque promiſſa fuit annorum diuturnitas ei, ſi vias Domini teneret? Conjector diverſitatis hujus cauſam extitiſſe quod ſapientia delinquenti vertitur in cruciatum frequentiſſimè. Cur Deus minaretur Salomoni, privandum ſcientiâ propter iniquitatem? Peccavit, & ſapiens permanſit, ad hoc ut à ſuamet perfectiſſima cognitione flagellaretur. Beneficium divinæ manus extitit illi priùs multa rerum notitia quandiu perduravit in bono; ſed poſthâc, jam factus iniquus, illud ipſum donarium verſum eſt in tormentû. Hoc experiûtur (niſi penitus cœcutiunt) ſapiêtes mali:

32. 3. Reg. 3. 14.

Sanct. in eò. ibid.

quorum eruditio punctiones cordis affert pluſquam quotidianas. Vide quid cupias, cum exorbitat in te deſiderium ſciendi: ne vexationem ambias illuſa mente per humanæ ſapientiæ pulchritudinem. Os mentale cuſtodi, ne tota ſiti mergatur aquis.

33. *Sapientem non ex audi tu ſolum æſtimes: oculos adhibe.*

Invigila deinceps, ne tuus decipiatur intellectus in ferendo judicio circa ſapientiam alienam. Plura ſunt minima, quæ valde ſonant auribus. Reboat ex æthere tonitrus: & quid eſt niſi vapor? Ingens fragor aëra complet: halitus eſt ſonitum edens. An tibi perſuades non ſimiliter longe lateque multorum ingenia reſonare, cum adeo magnifico ſono laudis indigna ſint? Sapientia mundana fucus & fumus eſt. S. Ambroſius: *Nam*, inquit, *licet Scriptura divina mundanæ vacuet ſapientiæ diſciplinam, quod majore fucata verborum ambitu, quàm rerum ratione ſubnixa ſit:* &c. Nec famæ nimis deferas, noſcens hominis mendacitatem: *Quidquid enim falſum eſt, ab homine eſt*, inquit idem S. Doctor. Ut æſtimes æqua lance maturè ſapientiam alterius, ne fidas auditui tuo: luminibus ipſis examina ſcientiæ lumen. Cum enim plura ſint, quæ longe poſita multò majora videntur, quàm invenies accedens propè, (ſicut in picturis experimur) oportet ad exactum judicium de ſapiente ferendum, oculis probare ſplendorem ejus: non ſolis auribus id committas.

D. Ambr. to. 3. com. in Luc. in proœ.

Idem ib. in ep ad Cor. 12

34. Revertar ad Salomonem. Narrat hiſtoria Regum celebrem adventum Reginæ Saba in Jeruſalem, illo regnante. Quo fine, quæſo, regionem ſuam linquit, & à finibus terræ ſe confert ad Regiam Salomonis, ſexus fragilitatem vincens, itineris moleſtias non metuens? *Venit tentare eum in ænigmatibus.* O exquiſitam fœminæ curioſitatem! Quid ſuâ refert an ſit, vel non, Rex valde ſapiens? & eſto quod illa de ſapientia Salomonis æſtimandâ curet, an ſatis non eſſet per nuntios ænigmata proponere; verbaque Regis in reſponſum data ſuſcipere? imo nonne ſufficientiſſimum erat, ut excellenti ſcientiâ præditum crederet quod ipſi de ſapientia narratum fuerat ejuſdem? Memini quondam Abner deliberantem ab obſequiis filii Saül Isboſeth ad partes Davidis tranſire, miſiſſe nuntios ad illum; quorum interventu ſuam obtulit amicitiam. *Miſit ergo Abner nuntios ad David pro ſe dicentes: Cujus eſt terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te univerſum Iſraël.* Inæqualis erat Regi Davidi quidem Abner: & quaſi familiaris eſſet ei valde, non accedit ad illum ſtatim perſonaliter; ſed per nuntios proponit ei negotium tantæ molis; & fœmina regnans, cujus nihil intererat, foretne vera ſapientia Salomonis, vel non, famæ nuntianti non credit, venit ad eumdem, ut certiorem ſe faciat; Prudenter operata fuit. In ſapientum examine faciendo vix unquam admittenda teſtis fama. Scientiſſimum audiverat; & auditum plenè minimè præbuit: venit, vidit, & vicit propriæ deceptionis periculum. *Dixitque ad regem:* 3. Reg. 10. 6. 7
Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audivi. O mulierem prudentiſſimam! ſapientem eſſe valde Salomonem audiverat: noluit in hac re judicare, ſumpto documento de famigeratione clamante; ſed oculis examen commiſit. In ferendo judicio de aliorum peritia cuſtodiendus eſt intellectus. Et aliquando non modicum proderit in ſubjecta materia cunctari; ne contingat, ut exemplum ſequens illius, quem reputabas à longe, nunciante famâ, ſapientem, erratum admittas.

3. Reg. 10. 1.

2. Reg. 3. 12.

35. *Aliquando per amorem ſapientiæ mundanæ multi ſimul corruunt, & in plurima peccata labuntur.*

Potiſſimùm cuſtodiam congruit judicis ſervare vigilem à peccatis: nam per ſæculi ſapientiam inciditur in plurima piacula. O miſeram Rempublicam pectoris humani, tot portis patentem ſpirituali morti! Non per ſolas quinque ſenſuum januas: non tantùm per arbitrii leviſſimam inconſtantiam; ſed etiam per intellectum ingreditur mors animæ. Proditoriè fit iſta cœdes à mundana ſapientia; de qua Bleſenſis: *Cum ſapientia hujus mundi ſit terrena, animalis, & diabolica*: &c. Bene diabolicam dixit: nam ſicuti diabolus non ſibi ſatisfacit inducens ad unicum delictum ſingulos hominum; ſed paſſim multa ſuadet uni: ſic prudentia ſæcularis non ad crimen unicum, ſed ad quamplurima provocat animam. Emphaticè Gregorius M. damnabilem ſapientiam propoſuit ſub emblemate luti. Ad illud, quòd legitur Habachuc. 2. 6. *Denſum lutum*, ait S. Doctor: *Luti nomine doctrina ſordidum ſapiens deſignatur*, &c. Pronum erat Gregorio ſapientiam iſtam æquiparare magis laqueo, quàm luto: ſed potuit ei mens eſſe per hoc inſinuare tacitè, quòd prudentia carnis multis nocet, ac in pluribus. Si quis incidat in laqueum, ligatur ipſe tantum, & utplurimùm comprehenditur ipſius pes unicus. Si verò cadat occaſione luti, ſordidatur veſtis, manus utraque, forteque facies. Adde quod eodem luto greſſum fallente decidunt plures; cum econtrariò laqueus, qui comprehendit unum, tendi rurſus debeat, ut vinciat alterum. Sapientia mundi lutoſa non ſingulariter unum hominem tantummodo, ſed multos crimine fœdat: non unicæ noxæ miniſtrat materiam, ſed multarum: *quia luxui*, inquit S. Ambroſius, *& voluptatibus & laſciviis & carnis cupiditatibus vivit qui ſecundùm carnis ſapientiam converſatur.* Tam fertilis malorum radix eſt ſæculi ſcientia, ut aliquando per eam non ad unum vel alterum ſcelus tentetur unicus homo tantùm; ſed ruina pluribus intentetur ab hoſte communi. Quin etiam hac viâ caſum parat homini multiplicem. Sic & multi labuntur per ardorem ſcientiæ nimium, & in plurima præcipites ibunt.

Petr. Bleſ. ſet. 1. de Adv.

S. Greg. M. tom. 1. l. 34. mor. c. 13. n. 9

S. Ambr. to. 2. expoſ. Pſal. 37.

Perpendebam non ſemel quare Tentator obtulerit Chriſto Domino regna mundi, 36.

di, ſi cadens adoraret eum. Verum eſt, quòd illum exiſtimabat purum hominem, ſicut ſcribit Anſelmus, dicens: *Viſa eſurie acceſſit tentator, quia non putabat Deum quem fragilem videbat*, &c. Attamen videbatur incredibilem rem proponere, vel ſaltem creditu difficilem, etiamſi Salvator noſter nec Deus foret, nec tantam poſſideret ſapientiam. Facilius perſuadere poſſet homini, qui Chriſtus non eſſet, ſe datu. rum ei fore, quod plura valde ſciret: præſertim, cùm ſciendi cupiditas inſit naturæ noſtræ; vix autem reperiatur qui dominus fieri cupiat omnium regnorum. Accedit alia ratio dubitandi. Contigerat feliciter diabolo dum per Hevam tentavit Adamum, offerens utrique futuram ſcientiam divinæ ſimilem, ſi de vetito ligno guſtarent. Qua de cauſa non eodem pacto ſecundum Adam impugnavit (quem non agnoſcebat eſſe Deum) ſcilicet Redemptorem; ſpondens ei, ſe facturum, quòd maximâ ſcientiâ potiretur, ſi cultum adhiberet ipſi? Quia tunc de ſolius Chriſti peccato curabat. Euthymium non tacebo. *Quomodo*, inquit, *O doloſe tot ac talia commutas unicâ adoratione? Utique: ut ubi præcepti facilitate deceperis avaritiæ hamo eum transfigas, videlicet cum amore poſſidendi regnorum divitias te adoraverit.* Ut ſolus ille, quem tunc oppugnabat, rueret, ſuperfluum foret (ſi peccati capax eſſet; nec fortiter muniretur cœlitus) uti machinâ tam validâ; qualis eſt inordinatus amor ſapiendi. Atverò cum dæmon per uxorem impugnavit Protoplaſtum, non mulierem ſolam; non virum tantùm; ſed univerſum genus humanum ad peccandum incitabat in parente primo: quod peccatum abſque auxilio Theologiæ quiſque novit, radicem fuiſſe plurimorum. Ad multiplices adeo tot hominum ruinas uſus eſt ſerpens infernalis medio potentiſſimo, ſcilicet cupiditate ſcientiæ. Sapientia quidem à diabolo veniens matrix eſt criminum permultorum. Frequenter accidit, ut hujus tentationis laqueo non unus incurratur lapſus tantummodo, ſed plures. Voluntas eſt, quæ perperam deſiderat ultra metas hominem conſequi rerum cognitionem: ſed intellectus eſt in cauſa, dum rapitur nimis à ſcientiæ pulchro fulgore. Pes labitur, id eſt affectus; at mentales oculi dirigentes eum, duxerunt in fo. veam. Exinde multitudo plurium peccatorum exurgit; quorum aliqua proximos lædunt: & hoc evenit in judiciis temerariis (quæ vocari ſolent ſapientum culpæ, qui divinare præſumunt,)-& quod pejus eſt, deſcendentibus ad linguam: hæc autem plurima parit mala ſine conſiderationis fræno loquenti. *Qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.*

S. Anſe. com. in Matth. 4.

Euthym. ib.

37. *Uſum rationis aliquibus videtur auferre mundi ſapientia.*

Tandem ſubjiciam, quòd, etſi mundi ſapientia nullum aliud afferret menti noſtræ nocumentum præterquam ſeipſam; hoc ſatis eſſet, ut intellectus egeret excubiis vigilantiſſimis. Ipſamet, inquam, ſcientia mundialis intellectivæ facultati nociva plurimum eſt: & ſic, ut rationis uſus omnino per eam tolli videri poſſit. Novum non eſt quòd mundus promittat ſibi ſervientibus bonum quoddam; & illi malum recipiant oppoſitum. Spondet opes, & eiſdem pauperrimum facit avarum: per iniqua media pollicetur honores; & eiſdem ſic acceptis dedecorat poſſidentem. Similiter pollicitatur ſapientiam, & per eam rationis uſum ferè prorſus aufert. Bellè S. Leo Papa: *Mundo*, ait, *ergo, id eſt prudentibus mundi, ſapientia ſua cæcitas facta eſt*, &c. Lucem, quam intellectui præſtant ſæculares doctrinæ, multus comitatur ſuperbiæ flatus: quô turbatur ita mens, ut pene rationis incapax exiſtimari valeat. Tumor ejuſmodi ſapientiæ ſupra hominem conſcendere nititur; & mortales ab humana conditione dejicit, quaſi privans rationis uſurâ.

S. Leo Pap. ſer. 5. in Nat. Dom.

38. Romanos inſtruens per epiſtolam Gentium doctor inter alia dixit: *Sapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.* Prætereo (quod meritò facit ambas aures tinnire dantibus operam rei litterariæ) formidabilem ſententiam, quâ dicitur, ſapientiam carnis inimicam eſſe Deo. Quis de ſeipſo rectè judicabit, utrum ſapientiâ polleat mundiali; vel ſcientiam ſpiritûs fuerit aſſecutus, aut ſaltem ex corde quærat? Illud me nunc hærere tantùm facit, quod aſſerat Apoſtolus, carnalem ſapientiam ſubjici non poſſe legi Dei: *Legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.* Quod præceptis reluctetur illa, manifeſtum eſt; nam ſuis auditoribus leges præſcribit oppoſitas mandatis Altiſſimi. Dominus jubet injurias non ulciſci; neminem fallere; nequaquam ſuperbire. Sapientia carnis contraria ſtatuta promulgavit: ſcilicet ultione vanum honorem tueri: dolos artificioſè componere, altiora petere faſtigia: comminaturque ſupplicium; nimirum quod non ita ſe gerens, habeatur ſtultus. Satis capio quod ſapientia carnis Deo ſit inimica. Sed vix percipio quomodo ſubjicere ſe non valeat divinæ legi. Tamen hæc meditanti ſe ſe obtulit ſolutio. Sapientes mundani per fumum elationis ita cœcantur, ut pene rationis uſum deperdant. Quæcumque ſunt irrationalia, non extant ſubjecta divinis legibus: nec poſſunt eis propriè loquendo ſubdi: nam obedientiam reſpicit lex; & obedire non valet qui ratione non utitur. Privilegium non eſt hoc; ſed incapacitas. Parum diſtat, ut hanc in ſæculi prudentibus inveniri dicamus impoſſibilitatem; quaſi deſinerint eſſe homines. Adeſt Anſelmus ad ea verba Pauli. *Non ſit*, inquit, *ſapientia carnis, & homo eſt. Sic dictum eſt: Legi enim Dei non eſt ſubjecta, neque enim poteſt, tamquam ſi diceretur: Nix non calefacit, neque enim poteſt.* Incapax itaque non immeritò dicetur qui doctrina mundi ſatis inſtructus ad mala, pro capeſſendo juſſa divina bruteſcit; niſi dicas: In lapidem verſus eſt. Si non præberet aditum philoſophiæ ſæculi, non peſſundaretur ita, quod animum taliter dejiceret à rationalium dignitate: nam

Ad Rom. 8. 7

S. Anſelm. in com. ib.

qui cuſtodit os ſuum mentale, cuſtodit animam ſuam.

DELIBATIO IV.

De cuſtodia cordis.

39. Interlin. Proverb. 13. 3. *Aliquis eſt metus adeo pernicioſus, ut illius cõparatione plures hoſtes dici valeant quaſi nemo.* Diog. Cyn.

INterlinearis hoc loco, verbo, *Os*, addit: *Cordis exterius.* Hinc occaſione deſumptâ dicendum nunc eſt de cuſtodia cordis; quam anima noſtra peculiariter inhabitat arcem. Vigilandum in primis eſt ab indiſcreto pavore. Triplicem hujus moniti rationem propono. Primam ex dicto Diogenis philoſophi ſumam. Dixit ille: *Omnia ſanè mala plus terrere ſolent eos, qui ipſa futura expectant, quàm ubi jam acciderint moleſtare.* Hoſtis fortè non exequetur damnum; & perfidus timor torquens indiſertè paventem, inimici defectum ſupplet. Secunda ratio ſit, quia potiſſima contra nos impugnantes munitio judicium noſtrum eſt: quod valde minuitur in timido. Dixit Hierocles: *Eſt autem timiditas corruptio legitimi judicii de rebus metuendis, aut non metuendis*, &c. Corrupto judicio circa metuenda, munimentum jſtud, quod te poterat validè tueri langueſcit: quapropter à tali timore cavendum. Eſto denique tertia ratio de militum experientia, Salluſtiique notatu ſumpta. *Semper*, inquit, *in prælio in iis maximum eſt periculum, qui maximè timent; audacia pro muro habetur.* Ejuſmodi murum diruit in fortalicio pectoris metus imprudens: à cujus invaſione cuſtodiendum eſt cor vigilanter. Diſcurſum jam ſiſtam, ut oſtendamus, aliquem reperiri timorem tam pernicioſum, quòd, ſi hoſtibus comparetur, iſti veluti nemo reputari queant. Comparatione factâ non ſemel inter inimicos & propriam formidinem; illorum copia quaſi nullus.

S. Hierocl. l. de juſt.

Salluſt. de conjur. Catil.

40. Levit. 26. 17. Iſych. l. 7. in Lev. c. 26. ib. Idem. ib.

Spes remunerationis, & comminatio ſupplicii, duo ſunt perfecti regiminis axes. Idcirco Rex regum populum ſuum dirigens, promiſit olim bona ſervantibus præcepta; tranſgreſſoribus autem comminatus eſt mala. Inter hæc ait: *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his qui oderunt vos. Fugietis, nemine perſequente.* Legit Iſychius: *Perſequentur vos, odio habentes vos, & fugietis nullo perſequente.* Acumen ipſi Commentatori debeo: qui movit quæſtionem in hæc verba: *Hîc quodammodò contrarium eſſe videtur quod dicitur. Si enim ab hoſtibus perſecutionem patiuntur, quomodò nullo perſequente fugiunt?* Occaſionem dubitandi ſatis offerebat Vulgata lectio; ſed ex Commentatoris verſione dubium ab eo notatum pungit ampliùs: nam in ea legitur conjunctio *Et*, inter hoſtes populum ſubigentes, & ipſum capientem fugam; quam conjunctionem Vulgata non habent. Percupiebam iſta duo componere: ſcilicet qua ratione foret eventurum, quod Iſraël perſecutionem ab hoſtibus pateretur; & fugeret ſine perſecutore. Non ſine veriſimilitudine dicet aliquis, quòd licet impeterentur ab inimicis, ſic tamen tamen comparati cum proprio metu non prudenti; vocari poſſunt veluti nemo. Pro quo nota, quòd ille pavor Iſraëlis futurus erat minimè nixus ratione. Radulphus ibidem: *Contumacibus*, ait, *metum etiam irrationabilem minatur, dicens: Fugietis nemine perſequente.* Propterea timor ita pro millibus hoſtium computandus erat, ut cæterorum armata manus exiſtimari valeret quaſi nullus homo. Cavere ſibi credit meticuloſus ipsâ formidine: fallitur; nam inſipienter metuens tradit proprii cordis turrim hoſti ſævo. Pertimeſcendus eſt ergo timor iſte pluſquam exteriùs oppugnantium arma.

Radulp. com in Levit. ib.

41. *Amor pravus tyrannè poſſidet amantem.*

Secundò cuſtodire congruit hominem cor ſuum ab amore pravo. En alter hoſtis, ex inſidiis pugnans, quamvis non horrificus, ut inimicus alter, de quo proximè dixi; ſed blandus & jucundus. Hic ligat hominem, cum diſſolvit eumdem: diſſolutio, inquam, amoris mali, vinculum eſt. Opitulatur Ambroſii doctrina, quamvis incerti. *Quia*, inquit, *ſicut amor ſponſum & ſponſam ligat, ut una caro efficiantur; ita & amor ſæculi amatores ſuos ſic terræ conjungit, ut unum cum ea efficiantur, à qua, ſi fieri poſſet, in perpetuum ſegregari nollent.* ſimilitudinem his verbis contentam agnoſco: ſed (ut loquamur cum Logicis) analoga eſt, non univoca: & hoc oſtendo ratione duplici. Matrimonii vinculum non mittit in dominium tyrannicum; amor autem improbus hominem tyrannidi tradit. Secunda ratio conſiſtit in eo quod amor hic non parit mutuum dominatum; ſed minime reciprocum, atverò nexus conjugalis efficit ut conjuges mutuò ſibi dominentur ad invicem. Et accedit quod neuter conjugatorum dominationem iſtam uſurpat in alium; ſed eam alter alteri tradit. Non ita contingit ei, qui ſe mittit in amoris prohibiti catenam. Tyrannicè tranſit in amati poteſtatem; quaſi non illam dilecto donaverit ipſemet in ſe. Qui vetitis amoribus contra fas incumbit, ſubditur amato ſic irrationabiliter, quaſi more tyrannorum is, quem diligit, invaderet cordis ejus ditionem; non autem amator ille ſponte tradidiſſet eam.

Incert. inter opera Ambr. to. 5. in com. Apoc. c. 18.

42. Eccl. 4 21. Alap. ib.

Eccleſiaſticus pangens antiquorum Herœum catalogum ſatis copioſum, immoratur Salomone; utpote cujus utraque vita, recta ſcilicet, ac mala præbet lectoribus variæ doctrinæ motiva. Ad examen vocabimus illa tantûm verba, quæ poſt alia Siracides ad Sapientem dirigit: *Et inclinaſti femora tua mulieribus: poteſtatem habuiſti in corpore tuo*, &c. Senſus litteralis oppoſitus eſt hîc ſono verborum, quem præ ſe fert illud. *Poteſtatem habuiſti in corpore tuo*, quia non ſignificat poteſtatis poſſeſſionem habitam à Salomone; ſed à fœminis in corpus ejus. Ita Cornelius Alap. *Paſſivè, q. d. Alienam poteſtatem, putà mulierum tibi dominantium, admiſiſti in corpus tuum, permiſiſti ut illæ poteſtatem in te exercerent,*

exercerent, &c. Expoſitioni libenter ſto. Quæro tamen : Cur non magis dictum eſt : Poteſtatem dediſti mulieribus in corpore tuo ? Supponendum eſt, amorem Salomonis erga fœminas ex parte damnabilem fuiſſe : tum quia per magnam pluralitatem uxorum fregit præceptum impoſitum regibus lege Domini (*Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus*, &c.) tum quia ex illis conjugibus plures erant alienigenæ, de Gentibus Judææ vicinis : quapropter Rex tranſgreſſus fuit mandatum Dei : *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis* : unde ſcribitur in Chronica regia ſacra : *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas : de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël : Non ingrediemini ad eas*, &c. Ardentiſſimus igitur amor, quo Salomon copulatus eſt uxoribus prohibitis, effecit ut non tam ille poteſtatem ſit viſus ipſis in ſemet donaviſſe, quàm eæ per tyrannidem occupaſſe. Tyrannicum eſt amoris inordinati regnum : quò non tam imperat quàm ſubjicitur amator. Scis illud Herodoti, dicentis : *Tyrannide nihil eſt in rebus humanis neque injuſtius, neque magis mortiferum.* Hæc de tyrannis, qui non ſunt animarum domini. Quomodo formidandus eſt ille, qui regnatum animæ crudeliter invadit, ſcilicet non bonus amor ? Ab iſto cuſtodiendum eſt cor prudentiſſimè.

Deut. 17. 17.

Exod. 34. 16.

3. Reg. 11. 1. 2

Herod. l. 3.

43. *Sit cura nobis magis cöſtätia virtutis, quàm periculum à temporali hoſte.*

Tertiò ſuadeo, ſervandum eſſe cor noſtrum ab inconſtantiâ. Non ago nunc de mutatione, quam experimur continuò de bono in malum : ſed conſtantiam ſtabilire curo tenendam in ipſo bono, quin loquamur de vitatione peccati. Studiosè ſatagunt hoſtes communes ut non perſiſtamus in virtuoſis operibus. Mapheus : *Illud*, inquit, *tantopere ſtudent intentatis undique crebris & gravibus pugnis, ne diutius ullos ſanctо propoſito immorari firmiter ſinant, faſtidium illis bene cœptorum eorum atque odium ingerentes, neque dolentius quicquam ferunt, quàm cum fixas immotaſque vident eſſe devotas mentes, & ab inchoatis bonis operibus inconcuſſas.* Hæc diaboli. Non tamen à ſolo dæmone conſtantia virtutis impugnatur. Eandem conatur mundus commovere. Ad Mapheum redi. *Magis*, ait, *etiam debent vileſcere hæc quæ cœptis inſiſtere non ſinunt fragilia & interitura mundi bona, ne quem Noë ex arca dimiſit corvum imitari videamur : qui oblitus hoſpitii, ad quod redeundum erat, fœdâ correptus ingluvie, obſcœno cadaveri immoratus eſt.* Idiomate latino loci diſtributi militibus in acie ; quæ tenere ſingulis opportunum erat, ne caderent hoſtili gladio, vocabantur olim ſtationes, aut ſtativæ ; ſumptâ de ſtando etymologia. Militamus quamdiu degimus ; & continuam agimus pugnam : oportet ne ſtationem tuam deſeras ; hoc eſt, ne conſtantiam derelinquas, niſi ſuperari velis in ſpirituali bello. Et ſemel quòd appoſuimus de re militari proximum ænigma ; comparatio fiat inter bellatorum temporalium ab hoſte diſcrimina, virtutiſque periculum : & aſſeverabo, plus curæ nobis eſſe debere de laudabilis operis firmitate, quàm de adverſariorum incurſu. Nos amplius eſſe congruit ſollicitos, ne circa virtutem deſiſtamus ab inceptis, quàm ne per externos impetamur hoſtes.

Mapheus. Veg. l. de perſev. relig. cap. 3. poſt princ.

Idem ib. c. 6.

Locutus ad populum ſuum David retulit expenſas, quas in ædificium domûs Dei præparaverat. Sed quia non erat honoris ambitione captus, haud recuſabat ut quiſque ſponte offerret pro ejuſdem ædificatione templi : parvifaciens quod poſtea dicerent æmuli, tantum opus non à ſolo Rege peractum, ſed juvante plebe. Multa fuerunt oblata ; Rexque lætatus. Orationem tunc Altiſſimo devotus conſecrans, dixit poſt multa : *Populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, patrum noſtrorum cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.* Audis Davidem ſollicitum de perſeverantia bonæ voluntatis populi ? Statim orat pro Salomone Dei domum ædificaturo ; ſed miror, quòd non à Domino poſtulaverit ne, ſicut ipſe fuerat impeditus per bella conſtruere templum, ſimiliter poſtea Salomon inſurgentibus adverſariis poſtea præpediretur, ut non perficeret ædificium. Sic pro filio precatus eſt : *Salomoni quoque filio meo da cor perfectum ut cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat univerſa : & ædificet ædem : cujus impenſas paravi.* An incurſio bellica, ſi contra Salomonem exurgeret, non poſſet rem turbare tantam ab ipſo peragendam ? cur non flagitat à Deo, ne contingat ita ? plebis autem virtuoſam voluntatem à Domino conſervari rogat ? Noverat vir fortiſſimus, plus humano cordi timendum ab inconſtantiâ propriâ, quàm ab armato exercitu. Notum eſt, hoſtes domeſticos formidabiliores, quàm extraneos. Metuis extrinſecùs tela jacientem ; & pectore non propulſas inconſtantiam ? Ab iſta ſedulus cuſtodi cor tuum.

44.

1. Paralip. 29. 17. 18.

Ibid. n. 19.

Tuendum tertiò cor à mœſtitia vituperabili. Recolendum eſt, duplicem dari triſtitiam : alia vocatur ſecundùm Deum ; altera ſecundùm carnem. Primaſius Epiſcopus : *Sæculi triſtitia eſt*, inquit, *ut de amiſſis rebus præſentibus, aut de aliena felicitate torqueri. Secundùm Deum verò triſtitia eſt, aut ſua, aut aliena peccata lugere.* Longè differt uterque mœror : unus quippe quærendus ; alius vitandus. Qui ſecundùm Deum triſtatur, gaudium generat ſibi : nec poteſt non aſſimilari lætitiæ luctus ille voluptatem ſolidam progenerans. Ex oppoſito qui mœret ſecundùm carnem, æternos adquirit nonnunquam cruciatus, anxietates, veluti prælibans haud finiendas. De triſtitia ſæculi ſermo nobis nunc eſt. Ne patiaris, hanc ingredi (melius dicerem aggredi) pectoris tui domum. Guarricus Abbas : *Muniendus eſt*, inquit ille, *thelamus cordis noſtri, ne triſtitia rediens introeat : illam dico quæ mortem operatur, quæ de amiſſione rerum temporalium venit.*

45. *Aliqua lætitia media eſt ad virtutem.*

Primaſ. Ep. com. in Ep. 2. ad Cor.

Guarric. Abb. ſer. 5. de Purific. B. M.

Ut agnoſcas, congruere munire te ſolerter ab hac tetra paſſione; tranſeamus ad extremum oppoſitum illi; ſcilicet gaudium ſanctum. Hoc eſſe valde proficuum teſtantur ſpiritualis æconomiæ præceptores. Humbertus, poſtquam retulit hæc S. Bernardi verba: *Quando autem ad iram & iracundiam, & amaritudinem animi provocor: diabolica ſuggeſtio eſt: cui non aliter quàm ipſi diabolo reſiſtendum eſt*: addit: *Et contra hanc diaboli tentationem valet lætitia ſpiritualis.* An miſeri nos virtutem putamus horribilem truci facie? Non id attendo nunc, quod gaudium ipſa miniſtrat. Hoc tantùm ſuadere cupio; nimirum bonam lætitiam gradum ad virtutem eſſe. Ut Deum ex præcordiis timeas, utere gaudio, quaſi medio perutili pro conſequendo fine tam piè deſiderabili.

S. Bern. in medit. c. 14. juxt. fin.

Fr. Humber. l. 3. ſpec. relig. c. 8. ad fin.

46. Orationem Davidis inſpiratam à Deo, cum amaro eſſet animo, & conſolatione divina indigeret, continet Pſalmus ille, cujus hæc leguntur verba: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Niſi deſuper edoctus Propheta fatus foret ita; vererer an cordis anxietas verba turbaverit. Si dictum ejus præcitatum leviter expenderis, forſan dices, potiùs loquendum fore ſic: Timeat cor meum, ut poſtea lætetur in nomine tuo. Sane timor Dei gignit gaudium. De hoc non dubito. Sed Vates aliam doctrinam propoſuit verbis præfatis: quæ Bellarminus exponit in hunc modum: *Id eſt, non affecto conſolationem propter conſolationem, ſed ut per eam quaſi cibo recreatus perſeverem in timore ſancto tuo, & timendo offenſionem tuam pergam recto itinere per viam mandatorum ad patriam*, &c. David, *ut erat homo ſpiritualis* (ſic loquitur idem Bellarminus) *& in ſchola Spiritus ſancti eruditus*, probè noverat, lætitiam cœlitus datam conducere ad hoc, ut anima timeat cuncta potentem; & ideo per viam tendat mandatorum. Cumque cuperet per dextrum callem pergere timore duce, lætitiam cordis affectabat, ut medium virtutibus congruum. Jam credis utilitatem gaudii, quod ſancta ſibi permittunt. Et cum iſti contrarietur mundanus angor, inde conjice quantum ſit operæ pretium tutari cor ab execranda mœſtitia.

Pſ. 85. 11.

Bellarm. in com. ib.

Idem Card. ib. in præf.

47. Excubias necnon agere convenit haud oſcitanter, ne fores cordis tui pulſet amor alienus improborum; ſi dilectionis utendum eſt nomine, cum incidit ſermo de amore, qui nocet amato. Quidam ſe venditant amicos; & ferè nihil minus habent quàm quod vendunt. Res equidem hæc eſt multo diſcrimine plena. Belle Petrarcha: *Ambiguum*, ait, *nomen, & familiaris amicus, & familiaris hoſtis dicitur, quo periculo majus vita hominum non habet.* Malis amicis eſt in primis votis ad ſcelera pertrahere: ſed poſt etiam in damnis temporalibus non parcunt ei, quem diligere mentiebantur. Incertus: *Sunt*, inquit, *etenim multi, qui eos quos odio habent, aut quibus invident, fingentes ſe eſſe amicos, ſuis callidis ſuaſionibus ad quædam flagitia perpetranda pertrahunt. Quos cum in aliquod ſcelus veluti in foveam alicujus peccati præcipitaverint, contra eos verſi atrociùs quàm cæteri perſequuntur: & qui videbantur amici, quod fuerint peſſimi inimici comprobantur.* Hac inſtructus doctrinâ vulgaribus amicis ne cito credens, eorum dilectioni januam pectoris aperias incautus, ut amplexeris affectum, quo te proſequi dicunt. Inter eos multi ſcelerati dantur. Horum penitùs amore deſtitui felicitas eſt. Ab iniquis te non diligi numerabis inter beneficia Dei, ſi fideliter computare ſoles ejus dona.

Vtile non diligi ab iniquis.

Petr. de rem. adv. for. dial. 80.

Incert. inter opera S. Ambr. to. 5. in c. 21. Apoc.

Enarrat Pſalmiſta beneficia multa præſtita populo Dei, ſpiritu fervens, & invitans ad laudes ejuſdem. Illud tantùm ſupremi Benefactoris donum trutinare mente modò juvat: *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus: & dolum facerent in ſervos ejus.* Ut non iſta præteritem, lucem præbuere verba, quæ præcedunt immediatè: *Et firmavit eum ſuper inimicos ejus.* Quomodo firmavit populum ſuper hoſtes Dominus, qui permiſit, ut Iſraëlem ipſi haberent odio? Auguſtinum conſului: reſpondit ſic: *Si autem ſcire vultis quomodo eum firmavit ſuper inimicos ejus: audite.* Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, &c. S. Doctoris luce repercuſſus intellectus adhuc obſcurè cernit quod illi perſpicuum valde credo. Sed tenui cogitatiuncula myſterium dignoſcere nitens, dicam. Sceleſti erant illi hoſtes. Iſraëlis: hunc ab eis diligi periculoſum foret. Ut ergo firmaret eumdem, adhibuit eorum odii contra populum permiſſionem, tamquam ſapiens medium, ne ab iniquorum dilectione periclitarentur. Et hoc providentiæ divinæ munus eſt; malis hominum ad ſibi dilectorum protectionem utentis. Non quod ipſe, qui ſanctiſſimus eſt, odium donet; ſed quia ſuorum bona ſcit ex aliorum peccatis eruere mirabiliter. Quis putaret, utilitatem unius naſcituram ex alterius potentis odio? damnum autem ex ejuſdem amore proventurum? Ne primâ rerum ſpecie decipiaris: non in pectus admittas hominis mali dilectionem: ab ea cuſtodi cor tuum.

48.

Pſ. 104. 25.

Ib. n. 24.

S. Aug. tom. 8. ib.

DELIBATIO V.

Vigiliæ vires. Detractionis timor. Homo ſibi hoſtis. Animæ juſti cuſtodia. Animam quidam habent velut non ſuam.

Qui cuſtodit. Solito de more textum denuo ruminanti placuit nunc vigilantiæ vires admirari. A ſomno & vigilia corporis deſumamus aliqualem ſimilitudinem. Omnipotens valuit efficere, ut ſomnus foret ſolummodo ſenſuum ligatio; non autem virium reſolutio. Videmus attamen, hominem fortiſſimum, quandiu dormit nulli reſiſtere: ligabitur a puerulo, veluti defunctus imagine mortis. Expedietur à vinculis poſtea facillimè; ſed ad hoc oportet quod vigilet. Creator per opera naturæ viam nobis fecit, ut meditaremur plura, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ. Tranſi nunc ad vigiliam ſpiritualem; & videbis hominem deſidioſè

49. *Vigili difficultas dum vincit, eſt quaſi non fuerit.*

desidiosè dormientem sic infirmum, ut in facilibus difficultates inveniat; econtra verò vigilibus multa facilitari cernes, quæ satis ardua sunt. Chrysostomus: *Dilecte*, inquit, *grave malum est desidia, facitque ut facilia omnia videantur difficilia: sicut studio & vigilantiâ, etiam omnia ardua & difficilia facilia nobis fiunt.* Tentationum discrimini subduntur & insomnes, & sopiti. Sed pervigil ita superat illas, quasi non fuissent: vincit, ac si non tentaretur, ut putes, periculum esse vigilanti velut nihil.

Chryſ. to. 1. hom. 14. in Geneſ.

50. Flos campi descendit in hortum, mox colligendus crudeli manu; non ut hæc frueretur eodem; sed ut perdendum traderet. Christus Dominus, inquam, jamiam capiendus erat, cum oravit Patrem in Gethsemani. Post primam precationem *venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem.* Ambigua sunt illa verba: *Ut non intretis*, &c. Priorem expositionem S. Hieronymus tradit: secundùm quam *Intrare* sumitur pro *Consentire*. *Non ait: Vigilate & orate ne tentemini, sed* ne intretis in tentationem: *hoc est, ne tentatio vos superet, & vincat, & vos intra casses teneat.* Secunda expositio est quasi valeat illud Salvatoris: *Ut non intretis in tentationem*, ac si diceret: Ut non tentatio veniat. Huic interpretationi favere nonnihil putabit forsan aliquid D. Hilarium, qui sic habet: *Cur autem ne in tentationem venirent orare eos admonuisset, ostendit, dicens:* Spiritus, &c. quamvis ipse Doctor egregius paulo post indicet, complecti se primam & secundam expositionem simul: inquit enim: *Sed vigilare præcepit & orare: ne in tentationem incidant, ne infirmitati corporis succumbant.* De mente S. Hilarii judicet alter, de qua dubito. Sequar Hieronymum, sumens de textu sacro sonum verborum tantùm, ad hoc, ut quæstiunculam excitem. Cur divinus Magister, loquens de victoria tentationis, utitur verbis, quæ sonare videntur carentiam tentaminis. *Ut non intretis in tentationem.* De vigilia loquebatur: *Vigilate*, &c. Excubantes ita de tentationibus triumphant, ut respectivè ad eos illæ sint quasi non forent. Adeo feliciter ipsi tentamenta repercutiunt, velut si tentatio non advenisset. Nequaquam ita contingit somnolento; hoc soli datur ei; qui proprium castrum excubias agens *custodit*.

Matth. 26. 40. 41.

S. Hilar. Can 31. in Matth. ante fin.

Idem. ib.

51. *Os suum.* Duplicem oris custodiam notavi supra: quamdam, ut non ingrediantur superflua per gulam; alteram ut non egrediantur mala per linguam: reliquum est inquirere, quænam ex hujusmodi custodiis digna sit vigilantiori sollicitudine? Pro lingua solvenda quæstio; seu potiùs adversùs illam: contra quam nunquam satis me dixisse puto. Cum à Spiritu sancto appelletur universitas iniquitatis. Invenies multa to. 1. sententiarum tabula verbo *lingua*: quædam alia similiter occurrent 2. to. Nunc. aliquid addam. Vulgò notum est, quædam esse peccata ex infirmitate; quædam ex malitia. Apud Zachariam Episcopum, qui citat Augustinum, sic legitur: *Qui ex amore peccat, non ex languore naturæ, nec ex ignorantia levi, servus est peccati. Alia enim sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas & imperitia contraria sunt virtuti & sapientiæ; malitia est contraria bonitati.* Certum est, cæteris paribus, ex malitiâ peccantem delinquere gravius; quàm si laberetur ex infirmitate. S. Antonius: *Quidam*, ait, *ex ignorantia, & hoc est grave: quidam vero ex fragilitate, & hoc est gravius: quidam verò ex propria malitia, & hoc est gravissimum.* Crimina gulæ infirma sunt; plurima verò delicta linguæ ardent igne malitiæ. Quapropter dicam, gravius peccatum, magisque pertimescendum esse (ut omittam cætera linguæ vitia) detractionem, quàm affectum pravum gulæ, citra damnum tertii grave, seu quid simile.

Detrahere time.

Zachar. Epiſ.

Chriſop. citans Aug. l. 3. in unum ex 4.

S. Ant. Ulyſſ. ſer. fer. 2. hebd. 2. Quadrag.

52. Nec fratri lingua parcit sanctissimo. Detraxerunt Moysi Aaron & Maria soror. Dominus ad eos loquitur in defensionem amici laudator ejusdem, & concludit, inquiens: *Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Ingrati deliquerunt Hebræi; cùm insanè concupierunt, non egressos fuisse de terra Ægypti; sed ibi potius emori. *Dixeruntque filii Israël ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti*, &c. Motus per injuriam ad beneficium Deus locutus est ad Moysen promittens manna. Non legimus, hîc dixisse: Cur non timuistis desiderare malum, quo vos liberavi redemptor è servitute? nonne timendum fuerat istud peccaminosum desiderium? Ita quidem. Sed hujusmodi vesanum, & ingratissimum votum, quia prodiverat à gula: (*Quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate:*) peccatum erat ex infirmitate; proindeque videbatur minùs timendum; quidquid sit de qualitate illius. At verò fratrum detractio contra Moysen pavenda nimis erat à detractoribus; & apertam Domini promeruit iram. Benedictum fuit eis: *Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Rupertus ibi: *Percunctatio hæc reos concludens, irati animi est, quam & protinus pœnalis sententia vestigiò secuta est.* Cadens infirmus potissimùm non tam horribiliter peccat, quàm ex malitiâ delinquens. Cumque gula sit infirmitatis culpa; linguæ verò piacula de malitia trahant ortum suum ex parte plurimâ; idcirco dixi, cautiùs circa prodeuntia vigilandum esse illi, *qui custodit os suum.*

Numer. 12. 8

Exod. 16. 3.

Ib.

Rupert. l. 1. in Num. c. 34 fi.

53. *Custodit.* Hic non addit à quo propriam custodiat animam. Plurimi sunt à quibus custodienda. Sumamus initium à nobis metipsis. A quonam tu credis, tibi non esse metuendum; cum à teipso timeas malum, nisi te pessimè nosti? Tu quidem tibi charus; sed an propterea putas, in omnibus te tibi proficuum? Utinam nocivus non esses. *Nihil est* (ait Episcopus Hildebertus) *quod vacet, quod homini sit inutile, nisi homo ipse.* Et infra. *Omnia homo in suum congregat judicium, omnium reus:* Audi quem diligis perditè, qui dicis, impossibile tuum amore prosequi adversarium proximum. Esto nimis ille tibi damni potens

Homo sibimet hoſtis.

Hildebert. Epiſc. ep. 33.

tens attulerit; An valuit interimere ſpiritum quô vivis? Nequaquam. Hanc tu cædem exequeris in teipſum quoties lethaliter peccas. Ergo, ſi de menſura damni per hoſtem inflicti ſolet inimicitia quanta ſit æſtimari; conſideratione verſa quàm ſis infenſus tibi; qui de ſævo inimico exteriori quereris identidem. Et præſertim penſita, quòd externos adverſarios fugere valeas; teipſum fugâ vitare non poſſis. Ad minus agnoſce, te vere tibimet hoſtem. Vis ut probem?

54. Indignatus adversùs Iſraëlitas æquiſſimè Dominus propter idololatriam, dixit Jer. 7. 16. 19. Jeremiæ: *Tu ergo noli orare pro populo hoc*, & poſt pauca: *Nunquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui?* Poſt illud *ſemetipſos*, ſubintelligendum eſt verbum *Provocant*, ſic monente Lirano: qui ad ea Lira ib. verba: *Nonne ſemetipſos*, ait: *Supple provocant*, &c. Vix capere ſufficio qua ratione verum ſit, idololatras illos non provocaſſe culpis Deum ad iracundiam, ſublatis imperfectionibus. Nitor in eo, quòd ſatis indignationem divinam oſtendit ad Vatem dixiſſe, ne pro tali populo Eodem c. n. precaretur. Quin addidit: *Et non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* Mehercle niſi Deus hoc loco ſe iratum exhibuit, neſcio quandone Dominum indignatum fuiſſe credemus; cum ibidem non ſolùm comminetur ſupplicium: non tantùm avertat Prophetam ab oratione pro delinquentibus offerenda; ſed expreſſis verbis aſſeveranter dixerit, non exauditurum fore Vatem, ſi precetur pro eis. Igitur quâ veritate Dominus affirmat, perfidos illos non ipſum ad iracundiam provocare; ſed ſemetipſos? Emphaſis moraliſſima latet ni fallor in illis interrogationibus habentibus affirmationis, vel negationis vim. Attende. Ad iracundiam provocare ſolet adverſarius. Ut ergo daretur intelligi, peccatores illos magis inimicari ſibi quàm Deo, Dominus negavit ſeipſum provocatum ad iracundiam per tanta crimina: necnon aſſeruit, reos peſſimos iſtos provocare ſeipſos. En habes, enormiter delinquentem adverſari ſibi. Confide tibi, ſi placet. Hoc ſcio, quòd animam ſuam rectum ſapiens à ſe *cuſtodit.*

55. *Aliquando animæ cuſtodia juſtæ difficilior eſt, quàm peccatricis.* *Animam.* Cum Sapiens de cuſtodia loquatur oris in hac paræmia, quod tam à juſtis, quàm a peccatoribus oportet cuſtodiri; verbum, *Animam*, coarctandum non eſt ad ſolas animas peccatrices: præſertim quia non dixit Salomon: Suſcitat animam ſuam, vel: Redimit illam à ſupplicio; ſed ait: *Cuſtodit animam ſuam.* Sanè quandoque plus ineſt periculi probo, ne cadat; quam improbo, ne præcipitetur ulteriùs. Iniquus ambulat per ima loca repens; bonus per ſublimia: proindeque ſæpe rectus homo diſcrimini majori ſubeſt, ut vertigine rotatâ mente decidat. Inde ſit, quòd hic ſollicitus quotidiana conſidera- S. Greg. M. tione vocat in examen opera ſua D. Gre- tom. 1. l. 6. gorius Papa: *Hæc namque eſt ſollicitudo juſ-* mor. c. 16. *torum ut actus ſuos quotidiè juxta vias veritatis examinent, & eas ſibi in regulam proponentes, à rectitudinis earum tramite non declinent.* Nonnunquam facilior eſt peccatoribus animæ cuſtodia, quàm juſto: cum enim iſte fortiùs invadatur à communi adverſario, contingit quandoque, difficiliorem eſſe cuſtodiam animis virtute divitibus, quàm ſcelere pollutis.

Conferamus ad invicem duplicem Pſalmiſtæ locum. Is memor eorum, quæ paſſus eſt quando Abſalonem fugiebat, inquit: *Dixi: Cuſtodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.* Euthymius ibi: *Fugiens enim, inquit, dixi in meipſo: In poſterum ego cuſtodiam vias meas, vias, inquam, linguæ meæ, id eſt, ſermones meos, ita ut linguâ meâ ampliùs non peccem, nec blaſphemum aliquem emittam ſermonem*, &c. Alibi Domino dixit ille: *Cuſtodi animam meam*, &c. Quòd hîc loquatur de ſeipſo colligitur ex eodem Euthymio: qui ſuper inſcriptionem Pſalmi hujus, habet ſic: *Illud tamen ad inſtitutionem noſtram pertinet, quòd cùm Prophetæ noſtri preces videmus, quas ad Deum fundebat, nos illinc pariter docemur.* &c. Quod autem etiam hoc loco David agat de cuſtodia ſpiritali, credi poteſt. Nitor in eo quòd ad verba immediatè præcedentia: *Quoniam inops & pauper ſum ego*, ſcripſerit Commentator citatus proximè: *Veluti qui adversùs viſibiles aut inviſibiles inimicos, idoneas vires non habeo, & eis reſiſtere non poſſum.* Habemus, Davidem utrobique loqui de ſemet in ordine ad cuſtodiam ſpiritualem. In eo diſparitas notanda, quòd nunc ſuî cuſtodiam Deo committit, & ab eo poſtulat? *Cuſtodi animam meam*, nunc ſibi tenendam proponit: *cuſtodiam vias meas*, &c. Quænam, putas, diverſi ſtyli ratio? Hanc offero meditandam. Poſteriore Pſalmo, citra ſuperbiam, de ſeipſo tamquam de juſto Dominum alloquens orat: *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum:* &c. Ne faſtidias, quæſo lector, iteratum Euthymium: *Vel ſanctum ſeipſum appellat quaſi pium ac religioſum erga Deum, inimicorum ſcil. comparatione, qui impii erant.* Ideo nequaquam ſibi confiſus, Deum rogat, ut ſe tueatur, eo quòd animæ ſanctæ difficillima ſæpe cuſtodia ſit. At verò Pſalmo priore David agit humiliter de ſe tamquam peccatore: *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Tunc ego (licet non præſumptuoſus divinum reſpuat auxilium) tamen, velut de re minus arduâ tractans, vigiliam, quâ propria defendatur anima, ſibi ſumit. *Cuſtodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.* Vulgò docet militaris experientia, præcipuam victoriæ partem in ea proſequenda conſiſtere. Juſtus prælioruſn victor, ne, poſtquam vicit feliciter, ceſſet ab excubando ſolerter.

56. Pſ. 38. 2. Euthym. ib. Pſ. 85. 2. Euthym. ib. ad tit. Pſ. Pſ. 85. 1. Euthym. ib. Euthym. ib. Pſ. 38. 9.

57. *Animam habent aliqui velut nō ſuam.* *Suam.* Nullus credat, ſuperfluum eſſe pronomen, iſtud: nam quamvis illo ſuppreſſo, ſatis clarè noſceremus, hîc ſermonem eſſe de animâ cuique propriâ; tamen emphaſis abſconditur in verbis illis: *Animam ſuam.* Si moraliter loquamur, non tunc incipimus anima frui tamquam noſtrâ, cûm illa recipitur à Creatore; ſed cûm nobis ipſis cœpimus dominari per vitiorum fugam. D Greg. M. Audi moralem Pontificem. *Idcirco*, inquit, to. 2. hom. 35. *poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur*, in Evang. *quia*

quia radix omnium cuſtoſque virtutum patientia eſt. Per patientiam verò poſſidemus animas noſtras : quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus. Equidem ſic aliqui mores præcipitant, animam flagitiis deturpantes, ut ipſam non quaſi ſuam diligere, ſed ut alienam ſpernere viſum ſit. Non ſolemus aliquoties curare quæ noſtra non interſunt ; ſed alterius omnino ſunt ; dimittentes unicuique lubenter ut ſua tutetur ipſe. Quidquid mali contingat aliorum bonis, quia noſtra non ſunt, minimè dolemus ; imo, quod pejus eſt, non ſemel exultamus. Damnum propter ea, quæ noſtra non ſunt, vix eſt qui ſubire velit : ſuis tantùm quiſque proſpicit, ſic ut propterea detrimentum pati non recuſet. De anima pluribus cura non ineſt ; quaſi de re non ſua : multaque providens homo corpori ſuperflua, ſpiritui non quærit neceſſaria. Contingunt huic infortunia paſſim (ſi licet infelicitatis nomen uſurpare, cum loquimur de malo voluntario, qualis eſt culpa) ſed quaſi nos in ullo non tangerent, nequaquam dolore proſequimur miſerum ſpiritum : quin etiam frequenter quaſi de ſorte jucundâ gaudemus. Denique pati pro animæ commodo libenter acquieſcit vel unus, vel nemo. Dixerim optimo jure, dari quoſdam, qui ſuas non poſſident animas. Rigoroſè loquendo poſſidetur id quod ſub proprio dominio tenemus : non omnium eſt in poteſtate habere animam ſuam.

58. Salomonem conſulamus. Ejus hæc pro-
Prov.23.1.2. funda myſteriis verba cogitatione verſemus. *Quando ſederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam : & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*, &c. Non coactè ad ſpiritualem directionem iſta ducuntur. Memineris illud Auguſti-
S.Aug. to.9. tract. 47. in Joann. ni : Menſa, inquit, *potentis, quæ ſit noſtis, ubi eſt Corpus & Sanguis Chriſti*, &c. Hoc præmiſſo quiſquis inquiret ultrò : Ut quid ſapiens in hac re loquitur de poteſtate in animam propriam ſub conditione, ſi tenetur, quaſi non omnium ſit hominum poſſidere ſpiritum ? *Si tamen habes in poteſtate animam tuam*, ſeu prout legitur ex
Lect. Hebr. Prov.23.2. Hebræo : *Si es dominus animæ*, &c. Supervacanea videbuntur iſta verba ; cum ſingulis mortalibus propria tradita fuerit anima. Sed mortalitate plena ſunt hæc. Traditur certè cuique ſpiritus, ut illo degat ; & ſimul ad hoc ut à malo culpæ ſervet eumdem liberum. Quidam nihilominus ita ſollicitudinem iſtam renuunt, ac ſi non ſua, ſed aliena res anima foret. Ille verò tamquam propriam poſſidet ipſam, qui non ſinit vitio fœdari. Hugo Cardin. ad præfata verba Paræmiaſtæ, non longe myſtico ſenſu loquens ibiit. Si tamen habes in poteſtate animam tuam:
Hug. Card. ib. *id eſt, ſobriam, non depravatam vitio vel errore.* Quaſi parum foret, hominem donis gratiæ ſpoliari per ſcelera ; privatur etiam quadamtenus animæ dominatu, quaſi non illam in poteſtate ſua malus habeat ; vel ſaltem gerat ſe cum ea velut cum aliena poſſeſſione. In eo tantùm ſenſu vellem quod unuſquiſque proprium reputaret ſpiritum quaſi minimè ſuum, quod perpetuò recordaretur, illum eſſe Creatoris depoſitum ; cujus exactam rationem reddere nobis incumbit : nam qui non obliviſcitur iſtam aliquando reddendam, is animam cuſtodit uti *ſuam.*

DELIBATIO VI.

De conſiderationis fructu : meditatione verborum : miſericordia Dei, quæ latet in flagello : agnitione proprii ſupplicii, & mali loqui timore.

Qui autem inconſideratus eſt. Secundam proverbii partem ſimiliter per ſingula nunc explanabimus ad mores. Fateor, non intellectum, ſed voluntatem delinquere. Nihilominus exerrat vel ſæpe, vel omnibus in peccatis, quia priùs intellectus erravit practicè. Notandum, non unum judicio noſtro errorem ineſſe, quo deſipit. Nunc ignorat, quia pravam cogitationem admiſit ; nunc verò neſcit, quia bona caruit. De priori errato crimen oriri, cunctis eſt in comperto. Prætereamus hoc : unicè contenti verbis edoceri Smaragdi Abbatis. *Si prius pravæ cogitationi reſiſtimus, in lapſum operis non incurrimus.* Veniamus ad alium errandi modum ; ſcilicet per inconſiderationem voluntariam : in quo ſibi nocent mutuò mens & arbitrium : nam voluntas retrahit judicium à conſiderando, & intellectus ducit voluntatem in foveam peccati ; quaſi lippus dirigens omnino cæcam. Defectus iſte ſpontaneus conſiderationis, plurimorum criminum radix eſt. Cuncta proſequi non vacat : de ſola detractione dicam. Præeat S. Antiochus. *Detractio*, inquit, *& mumuratio germanâ quâdam propinquitate confines ſunt, ac mutuo fœdere copulantur. Utraque porro aliud nihil, quàm rami inconſiderationis & ſtultitiæ.* Audiant hæc exiſtimantes, felicis ingenii partum eſſe famæ proximorum artificiosè notas inurere. Judicii potiùs inadvertentia dicatur incurrere malum tantum (nempè mortale peccatum) ob lucrum tam exiguum ; ſcilicet vanam complacentiam de verbo pungente alterius honorem peracutè. Detractores aliquos equidem reprimeret conſideratio, ſi vellent illa plus uti ; licet eis diabolica foret nequitia. Si dæmoni ſimilis exiſtat obtrectator (imo quamvis ipſe dæmon ſit) forſan tacebit, ſi rem perpenderit ampliùs ; & exiſtimationem alienam lædere deſinet.

59. *Etſi detractor ſit dæmoni ſimilis, tacebit forte, ſi majorem conſiderationē adhibeat.*

Smaragd Ab. in diadema. monac.c.36.

S.Antiochi hom.29.

In paucis dilectus degebat olim Deo Job, abundans proſperè, ſceleriſque purus. Dominus, qui decreverat exercere juſtum in ſtadio patientiæ, dixit ad ſatan : *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job,* Job.1.8. *quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo ?* Malignus inculpatam ſanctitatem ejus vellicans, appellavit quaſi mercenarii

60.

laborem; ac ſi Job ſolummodo propter Dei mercedes temporaneas rectus eſſet; Dominoque terga daturus eoipſo quòd bonis privaretur. Ad confuſionem hoſtis hujus divina providentia permiſit, ut poſſeſſionibus ablatis, etiam filiis necem afferret. Nec tamen vel modicum tempeſtas valida columnam fortitudinis illam declinare coegit. Rurſus poſt hæc
Ib.c.2.3. ait ſatanæ Dominus: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job: quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Ut quid iterum ſpiritui peſſimo dictum eſt à Domino: *Numquid conſideraſti*, &c. Jam de conſideratione Deus illum prius interrogaverat erga Jobum. Quo motivo denuo ſic loquitur eidem: *Numquid conſideraſti*, &c. Voluiſſe reor, ut inſtruerentur homines per hæc, ut animadverterent quantùm detractioni reſiſtat meditatio detracturi, ne calumnietur innocentem. Diabolus murmuraverat primo loco de Job, inquiens: *Numquid Job fruſtra timet Deum .... Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Exponit
S. Greg. M. to.1. lib.2. mor.c.5. Magnus Gregorius: *Ac ſi apertè dicat: Qui tot bona in terra recipit: quid mirum eſt, ſi pro eis ſe innocenter gerit? Innocens verè eſſet, ſi bonus inter adverſa perſiſteret. Cur autem magnus dicitur, quem merces uniuſcujuſque operis, tantâ rerum multiplicitate comitatur?* Ecce detraxerat Jobo dæmon, quaſi de non veraciter juſto. Dominus, ut occluderet os ejus, opportunum poſthac offert medium, ne rurſus murmuret contra ſibi charum, nempe conſiderationem. Quo remedio ſi vel ſatan uteretur lentiùs meditando, fortaſſis propterea nequaquam detractionem iteraret. Hinc ad homines dæmonis diſcipulos tranſeamus: cum tam parum diſtent quaſi caput & membra, & unam veluti perſonam cum eo conſtituant. Ad S. Pontificem Gregorium redi.
Idem ib.l.4. mor.c.13. *Antiquus*, inquit, *hoſtis una perſona eſt cum cuncta collectione reproborum, quia ipſe eis ad iniquitatem quaſi caput præeminet; illi autem dum ad perſuaſa* (aliter legitur: *Perverſa*) *deſerviunt, velut ſubjunctum capiti corpus inhærent.* Quamvis ergo detractor adeo juſto malevolus extet, ut imitetur diabolum detrahentem de Jobo, ſicut ex prædictis colligitur, potuiſſe dæmonem per majorem conſiderationem ſanctitatis illius juſti, detractionem vitare; ſic de membris diaboli detractoribus, gratiâ juvante dicendum eſt. Perſæpe de inconſideratione voluntaria prodeunt obtrectationis flammæ, quaſi de ſcilice multus ignis. Similitudini parce: ſat ſcio, parvos ſiniculos à lapide reſilire; magnum verò incendium graſſare linguæ. Simul tamen agnoſco, ſcintillam parvulam progenerare rogos, cœlum ferè tangentes; & aliquando ſatis eſſe murmurantis unicum verbum, ad hoc ut fama plurimorum pereat. Hoc nonnunquam accidit eo quòd loquens noluerit priùs maturè penſare quid tacendum. Hinc non ſolum proximi dedecus oritur; ſed exinde promanant ejus mala, qui pro loquendis *inconſideratus eſt.*

61. *Aliquando plus, eſt conſiderandum quid loquaris, quam quid agas.* S. Ambr. to.2. expoſ. Pſ.48.

Ad loquendum. Non ſola res opere perficienda prudenter eſt conſideranda; ſed ipſemet ſermo proferendus examinari debet lento judicio. S. Ambroſius in illud: *Meditatio cordis mei prudentiam*, ſic habet: *Deinde admonemur non tumultuarium proferre ſermonem; ſed exercitio quodam meditationis, & ſtaterâ mentis internæ examinare dicenda:* &c. Frequentiùs aperitur cor prolatione verborum, quàm exhibitione operum. Propterea, quamvis fatear, in opus non eſſe prodeundum temerè, ſed accuratè diſcutiendum quid agere congruat, quid omittere; nihilominùs multò plùs (cæteris paribus, & ordinariè loquendo) ſapienti cautelâ recogitandum eſt quid loquaris. Ad operandum feſtinantem ſæpiſſimè te detinebit operis eademmetipſa difficultas: quam dum vincere conaris, conſideras per majus frequenter ſpatium temporis, quid tibi faciendum reſtet, ut conſequaris intentum finem. At oris in aſſerendo, vel negando, ſi tantùm attendamus ad prolationem vocum, ſumma facilitas eſt. Iſta linguæ lubricitas cogitatû ſano temperanda. Nonnunquam in re magna facienda ſapiens deliberabit cito; pro verbis autem depromendis cordatè ſumet auxilium temporis, ut loquenda meditetur: non imprudens quandoque ſtatuet feſtinus quid exequendum circa rem non modicam; de locutione verò ſuâ per moram temporis decernet.

62. Nabuchodonoſori viſum propoſitum eſt nocte, lucem allaturum futurorum. Fugit ex illius memoria ſomnium: nec mirum: quia, cum regia majeſtas, & cuncta, quibus exornatur ejus pompa, ſomnia ſint; quomodo mirabimur quòd unius inſomnii fuerit oblitus ille, qui tot atque tanta ſomniabat? Convocantur ſapientes, & ſub pœna capitis jubet eis Rex, ut ſomnium, quod receſſerat ab ejus mente, indicarent ſibi, & interpretationem proponerent illius. Rem certe ridiculam; ſed frequentiſſimam neſcientibus: non enim verum putabunt aliquem ſapientem nonnulli, niſi repente doceat eos quidquid ignorant illi, quamvis difficillimum ſcitu. Prædicti ſapientes conſulti fatentur ingenuè, nulli homini datum quod Nabuchodonoſor exigebat ab eis. Furit iſte, decernitque barbarus, ut perirent omnes in Babylone ſapientes. Inter hos numerabatur Daniel, ac jam quærebatur ad necem. Vide quid egerit. *Tunc Daniel requiſivit de lege atque ſententia, ab Arioch principe militiæ regis*, &c. Dani.c.2.14. 15.16.
Et poſt pauca: *Cum ergo rem indicaſſet Arioch Danieli, Daniel ingreſſus rogavit regem, ut tempus daret ſibi ad ſolutionem indicandam regi.* Notandum, Danielem non feciſſe moram, ut cogitans deliberaret, an foret expediens, vel non, loqui ad Arioch, *qui egreſſus fuerat ad interficiendos ſapientes Babylonis*; cum ipſe Daniel ſapiens eſſet; ideoque non immunis ab eorum periculo. Non etiam valde tutumerat accedere tunc ſapientem ad regem furibundum;

cujus

cujus iram ſatis oſtendebat ferale decretum. Daniel tamen haud interpoſuit longum ſpatium, ut ſecum ſtatueret, an congruum foret Nabuchodonoſorem adire. Ipſum lego poſtulaviſſe tempus, ut exponeret ſomnium. Quid hoc? nunc temporis decurſum expectare vult qui Deo confidebat? antea verò non examinat lentius circa quærendum principem interfectionis illius executorem, & regem tyrannorum? Deſine mirari. Cunctandum putavit, ut ſeſe præparet ad loquendum aptè de ſomnio regali; non verò cunctanter deliberat quid operandum, cum ſapientes interficiebantur; ſed ad Magnatem ſe contulit, imo necnon ad regem feſtinatione prudenti. Nonnunquam altioris indaginis eſt locutio, quàm opus magnum, & alea plenum. Nihil in præſenti paræmiâ dicitur de non conſiderante quid agendum ſit; & annuntiantur mala, quibus capietur is, qui *inconſideratus eſt ad loquendum.*

63. *Sub punitione latet ſæpe miſericordia Dei.*

Sentiet. Verbum iſtud videtur inſinuare, malorum cognitionem accipiendam ſenſu corporeo per experientiam. Sed cur ita Salomon? Ratio difficultatis eſt: quia ſenſus non aliud percipit, quàm accidentia. Proindeque, ut ſapiens inſinuaret, ullius (imo plurimæ) ſubſtantiæ fore mala ventura temere loquenti, non videbatur accommodum de ſenſatione meminiſſe, cum agitur de damnis tanto pondere gravibus. Rem explico. Sic aperitur via meditandi quòd externa mala ſæpiſſimè tantùm extrinſecùs detrimenta ſunt; ſicut accidentia plura deforis adhærent. Imo quælibet infortunia temporalia more accidentalium entitatum perſæpe contegunt aliud à ſeipſis diverſum valde: nam vel pro ipſo patiente, vel pro aliis, vel pro utriſque, verè ſunt intus miſerationes Domini; cum exterius meræ punitiones judicentur. Abbas Goffridus: *Verè*, ait, *bonus & benignus eſt per omnia Dominus, cujus indignatio artem exhibet piæ & compatientis juſtitiæ; & ejus ira eſt operatio juſtè conſulentis miſericordiæ.* Exurit medicus, ne putreſcant ulcera: putrida ſecat, ne corrumpantur ſana. Si tantùm exteriorem apparatum attendas, repræſentant ſævitiem ferrum & ignis: latet pietas ubi remedia dolorem infligunt perutilia. Eximitur à vagina gladius Domini, ferit clamantem. Externè ſupplicium irrogatur; ſubtus miſeratio reconditur: tegit benignitatem ſeveritas.

Goffr. Abb. ſer. 2. de Nat. Dom. non parum à pr.

64. Iſai. 59. 17.

Poſtquam Iſaias enumeravit ſcelera graviſſima Judæorum, ſubdit, Deum in rebus deſperatis curationem adhibuiſſe. Sed quia res magnæ molis erat, inducit Vates armatum Dominum. *Indutus eſt juſtitia ut lorica, & galea ſalutis in capite ejus: indutus eſt veſtimentis ultionis*, &c. Non ibi videtur allegoria conſtare, qua Propheta Deum quaſi militem armatum deſcribit: nam poſt loricam & galeam ſequebatur, ſic ut primâ facie videri poteſt, ut aſſereret, accinctum fuiſſe Deum gladio vindice. Quid ultioni cum veſtimentis? denudato enſe locuturum crederes Iſaiam; & apud eumdem legis ultionis veſtes? Congruam elegit Propheta phraſim: de Altiſſimo namque ſermo fiebat; cujus ultio tegere ſolet pietatem, ſicut veſtimentum cooperit quod ab eo diverſum eſt valde: *Indutus eſt veſtimentis ultionis*, &c. Cornelius Alapide: *Figuratè ergo hic Chriſtus Dominus veniens ad redimendos homines inducitur quaſi dux cataphractus, qui furore divino actus, non tantùm in dæmones, ſed etiam in homines peccatores eis ſubditos irruit, atque obvios quoſque deturbat, proterit, trucidat*, &c. Non dubitas, hanc Salvatoris armaturam, non contra peccatorem; ſed in ejus utilitatem, adversùs peccatum aſſumptam fuiſſe. Crede pariter, cum propter delicta feriris deſuper, non tam cœdi te, quàm tuum crimen. Ulciſci de te Deum tamquam perſecutorem putas; exiſtima potiùs, quod *indutus eſt veſtimentis ultionis.* Audis hyberno tempore tonitrua, quibus fractus illabitur orbis? Vel ſimul, vel ſtatim decidit imber: horrendè valdè reboat æther; proficua valde pluvia vel pariter, vel poſtea defluet agris. Fruere libens Auguſtino. *Audi*, ait, *compluentem Dominum: Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum, pluit, & ipſa pluvia tonitruus eſt, terret. Time tonantem, & excipe pluentem.* Vix unquam invenies hominem præ iracundia projicientem pecunias proprias: & jam tibi perſuades, cum puniris, projici à Deo teipſum? ignoras, te nummum eſſe Domini? Fidem adhibe S. Doctori: qui dixit ibidem: *Feciſti nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam, feciſti nos nummum tuum*, &c. Si percuteris malleo tribulationis, intellige retundi ſic monetam, ut reformetur imago ſummi Regis, quaſi deleta peccato. Hæc meditabitur grata mens eodem tempore, quò ſenſus ictum *ſentiet.*

Alap. in cap. ib.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſ. 66.

Idem ib.

65. *Non ſine miraculo credent aliqui ſibi malum accidiſſe in ſupplicium ſuum.* D. Greg. M. to. 1. l. 20. mor. c. 17.

Perſiſtens adhuc in expenſione verbi, *Sentiet*, animadverto, non omnes, cum perpatiuntur mala, ſentire, quòd ſupplicia Dei ſint, ſenſum tollente criminum lethargo. Niſi foret hoc verum, non ſcriberet S. Gregorius Papa, quaſi laudans Eccleſiam: *Eccleſia ſcit bona ſua miſericordiæ Redemptoris, ſcit mala ſua juſtitiæ tribuere judicis: quòd & bona illo largiente habeat, & mala illo permittente patiatur.* Ardor emittendi querimonias, & ſic dolorem egerendi, nobis eſt in cauſa ſæpius, ut neſciamus, à Dei manu venire damnum, quod ferimus: hinc namque fit, ut, ne Domini ſanctiſſimam æquitatem calumniari tamquam crudelem videamur, nequaquam ipſi tribuimus adverſitates, quibus caſtigamur juſtiſſimè. Cœci ſumus adeo pro ſubjecta materia nonnunquam, ut miraculo nobis aperiendi ſint oculi mentales. Privatus luminibus non cernet, niſi miraculosè: homo quandoque non perſpiciet, infortunium ſuum extitiſſe flagellum Dei, niſi prodigio doceatur. Aliter non ipsi deerunt cauſæ, quibus appropriet eventum ſiniſtrum, judicans pro libito. Congruum erit, omnipotentiam patrare contra leges naturæ quid mirabile; quò ſic advertat, non caſua-

liter eveniſſe rem, qua torquetur; ſed Altiſſimi providâ manu ſic fuiſſe verberatum.

66. Heli ſacerdotis tempore cæſi ſunt Hebræi per Philiſthæos: & ut inſinuaretur, minimè Deum placari per devotionem ſceleri mixtam; arca teſtamenti, quam adduxerant in auxilium, capta ſimul eſt. At, ne ſuperbirent infideles adverſarii, percuſſi fuerunt cœlitus validè. Tunc eorum ſacerdotes & divini conſulti multa dixerunt. Sed tantùm occurrit modò notandum, quòd inſtructo plauſtro quo ferretur arca, junxerunt Philiſthæi duas vaccas, quæ lactabant vitulos: recluſerunt domi filios, & ſic ad Iſraëlitarum poteſtatem venit arca Dei. Quæres, cur Deus, cujus majeſtas coli gaudebat in arca, ſic indecenter permiſerit illam reſtitui? quare non diſpoſuit, ut Philiſthæi per nuntium filios Iſraël monerent, pacificè dato ſalvo conductu, venire ducturos arcam ſuam? Sic Iſraëlitæ vocarent ſacerdotes, quorum bajularetur humeris arca, comitatum deferrent; & illa reſtauraretur decenti modo. Puto, conveniens fuiſſe, potiùs arcam fuiſſe reſtitutam eo pacto, quo Textus enarrat: ſic enim agnoſcerent Philiſthæi, mortes, & percuſſiones, quas paſſi fuerunt, in pœnam accidiſſe culpæ, ſi vellent iſtum ingenuè fateri. Nitor ipsâ littera, quam ſic legimus: *Et aſpicietis: & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minimè: ſciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, ſed caſu accidit.* 1.Reg.6.9. Liranus commentatur: *Si ipſæ non reverterentur ad fœtus, & portarent arcam directè ad terram Iſraël, & maximè quia erant inconſuetæ ad portandum jugum vel plauſtrum trahendum, ſignum foret manifeſtum, quod ducerentur occultâ Dei virtute: & ex hoc eſſent Philiſthæi certificati quod plaga eorum fuiſſet à Deo inflicta: ſin autem, alteri cauſæ imputaretur.* Lira ib. Miraculoſus fuit ille brutorum greſſus: miraculo tamen congruebat aperiri cœcorum Philiſthiim oculos mentis, ut plagam ſuam à Domino veniſſe crederent certò, pro contumelia, quam intulerunt ei capientes arcam. Ita cœcutiunt quidam, ut non niſi patrato mirabili videant, ſe percuſſos in vindictam piaculi; caſualiter putent aliàs eveniſſe. Sic peccator ſæpe coactus, verbera ſua non eſſe fortuita ſentiet.

67. *Mala.* Verſio Chaldaïca legit: *Et qui aperit labia ſua, terror imminet ei.* Lect. Chald. Prov.13.3. Vulgata pluraliter ait: *Mala*; Chaldæus vertit in. ſingulari: *Terror.* Vide quantùm pavor torqueat humana corda; cum ſub eadem voce legas & unicè metum; & mala plura. Bene Xenophon aſſeveravit: *Uſque adeo metus inter omnes res horribiles maximo terrore animos percellit.* Xenoph. l.3. de inſt.Cyri. Corde vulnus acceptum ſcis eſſe præ cæteris grave. Varia damnorum congeries nunc unam invadit, nunc alteram hominis partem: timor autem corda cruciat, premitque durè. Diſertè Philo Hebræus contulit metuentem homini merſo torrentis aquâ; ſimilem existimans metum fonti moleſtiarum. *Quemadmodum*, inquit, *torrente correptus timet aquas, quibus trahitur, atque magis etiam quæ ſupernè inundant: eodem modo mala præſentia majorem metum afferunt. Metus enim tamquam è fonte moleſtias exhibet.* Phil. Hebræ. l. de præm. & pœn. poſt med. Detrimentum per adverſarios illatum certos multoties vendicat fines vel defectu virium, quia non ampliùs potuere; vel quoniam per occaſionem haud licuit eis ad majora progredi. Non ſic in metu contingere ſolitat: nam cogitatio noſtra dici valet infinita propemodum finitè: utque latiùs extendantur vires pavoris, magna ex parte non judiciô paventis cruciatus miniſtratur; ſed apprehenſionibus committitur hæc tortura. Tam grave malum ſatis meretur inconſideratus ad loquendum adversùs alterum. Maliloquus experitur poſtea timorem; quo forte carebit alter opere ſe præbens hoſtem. Compone duos: unum, qui protervus calumnietur proximum; alterum, qui facto ſe geſſerit hoſtiliter in ipſum. Dicam, primum jure meliori timere ſibi, quam ſecundum. Qui fuit operatus inimicè minùs horreat; qui verò locutus eſt mala contremiſcat.

68. Nudis pedibus incedens, operto capite plorans egreſſus erat fugiens Abſalomum David. Et cum arborem præcelſam, quæ tempeſtate quatiente decidit in terram, nemo proculcare vereatur; Semei contra Davidem! linguam exacuit. *Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saül: quoniam invaſiſti regnum pro eo*, &c. 2.Reg.16.7.8 Pertranſiit furens turbo, ſecum deferens præcipitem ſuperbiæ collem; ſcilicet ingratiſſimum filium; qui patrem coegit ad fugam. In ipſis ruinis montis elati proſtratis ad genitoris plantas, denuo radices egit lignum illum convulſum à procella: David nempe; qui veluti ſurrexit Abſalom devicto. Feſtinat ille Semei, qui priùs patienti maledixerat Heroï: quærit adulationis remedium ad regis pedes (quaſi noſceret, non alio loco ſe inventurum adulatoria verba coram prudentiſſimo rege, niſi ſub ejus plantis) metuens, propter injurias præteritas malum ſibi non dubitanter imminere. *Semei autem filius Gera proſtratus coram regè; cum jam tranſiſſet Jordanem, dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris injuriarum ſervi tui in die quæ egreſſus es domine mi rex de Jeruſalem, neque ponas rex in corde tuo. Agnoſco enim ſervus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Joſeph, deſcendique in occurſum domini mei regis.* Ib.c.19.18.19 20. Acutè quidem invenit ſimilitudinem adulatoris ille quicumque priùs eum vocavit umbram. Cadente ſole caligines elevantur; cum poſtea renaſcitur, concidunt. Non aliter, ſi potens ruat, extolluntur quidam; cum poſt emergit in altum, in ejus conſpectu procumbunt. Non iſtud me movet in Semei circa Davidem; ſed quod ipſe poſtulaverit indulgentiam ab eo; non autem Abner, cùm venit ad Regem amicitias initurus

Maliloquus quandoque plus timet, quàm hoſtiliter ſegerens in facto.

turus cum illo. Sanè vel utilitas propria, vel comis urbanitas videbatur exigere, ut rogaret Abner à Davide ſibi parci quòd partes Isboſeth filii Saül fuerit ſecutus adverſùs ipſum. *Cum ergo eſſet prælium inter domum Saül & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saül.* Cupiebam diſparitatis ejuſmodi rationem indagare. Hanc accipe quandiu non repereris meliorem. Abner minimè fuerat linguâ conviciator adverſùs Davidem ; quamvis facto ſe præſtiterit inimicum. Semei verò læſit ore David. Hic petiit condonationem regiam quaſi tremens ; Abner autem, licet opere ſteterit contra Regem, neutiquam rogavit ſibi dimitti. Formidat bono jure temerarius in verbo : nam digna loquacitatis ille *ſentiet mala.*

Ib.c.3.6.

FLOS III.

Vult & non vult piger : anima autem operantium impinguabitur.

APERITUR.

1. SENTENTIÆ prius hemiſtichium exponitur primò ſic : Piger vult fines quos ipſe cupit ; non autem laborioſa media, quibus itur ad eos. Ita Lira & Carthuſianus hoc loco. Multis eſt familiare, bona quæ placent intendere ; ſed abhorrent vias, quibus eundum eſt, ut conſequantur ea. Primum reperiunt deſiderii ſui obſtaculum in ipſo propriæ mentis conſilio, quo media tractantur difficilia. Verè dixit Ariſtoteles : *Conſilio contraria cupiditas eſt : cupiditas cupiditati non eſt.* Expoſitionem ſecundam affert Salazar : Id eſt, piger nunc vult, nunc mutat voluntatem circa idem. Riſu digna varietas cordis noſtri ; vel potius deploranda : imitare quem velis ; Heraclitum ſcilicet, vel Democritum. Inter hos duos hæret medius interrogans Cordubenſis. *Quid*, ait, *eſt hoc Lucilli, quod nos aliò tendentes, aliò trahit, & eò unde recedere cupimus impellit ? quid colluctatur cum animo noſtro, nec permittit nobis quidquam ſemel velle ? Fluctuamus inter varia conſilia : nihil liberè volumus, nihil abſolutè, nihil ſemper.* Nimia facilitas, qua nonnulli ſibi fines eligunt proſequendos, prænuntiat, extinguendum citò deſiderantis amorem. Anonymus : *Inconſtantis deſideria palearum flammis ſimilia in ortu evaneſcunt. Mirum videri poſſit, quod hujus odium vel amor ad paucos dies prorogetur. Eſt quidem probatorum affectuum hoſpes :* &c. Paleæ feſtinanter concipiunt ignem ; ſed non diù ſervant. Leves propere votis ardent ; at ocyùs retrocedunt.

Lira & Dion Carth. Prov. 13 4.

Ariſt.l.3.eth. c.2.

Salazar. in Prov.13.

Senec.ep.52. in princ.

Anonym.

2. Hominem inſtabilem altero depinxit emblemate Pierius, ita referente S. Joanne Climato : *Hominem qui modò riſui indulgeat, modò luctui, modò auſteritati atque temperantiæ ſe reddat, modò delictis diffluat, & voluptatibus implicetur, cancro æquiparavit, nunc ante, nunc retro, nunc in tranſverſum gradienti, miraque vitam ſuam inconſtantiâ traducenti*, &c. Sed pejus eſt quod ejuſmodi rationales cancri paululum progreſſi, penè ſemper convertunt ſe retrorſum. Mutationis hujus aſſiduæ radix eſt in percupientibus ipſa percupiditatis mobilitas, quæ naſcitur ex eo quòd ſit res leviſſima : quod non omiſi notare, ne gravem putes, videns illam ſemper ad vilia deſcendere. *Cupiditas ſine ratione res eſt levis, & quæ confeſtim in alteram partem inclinat.* Arundinis more, nunc flectitur illuc ; mox ventis obediens diverſis in contrariam partem declinat hominum cupido.

S Joan.Clim refert (verbis omiſſis ſententiam ex Pier. Valer.in hicroglyph.l.28.

Dion. Halic l.2.

3. Tertiam interpretationem adjice, q. d. Piger vult expreſsè quod non vult interpretativè. Theologicos terminos ſatis noſti. Huic ſenſui concordat aliqualiter Cornelius Alapide, qui ſic habet : *Piger vult, id eſt, optat inefficaciter opes, ſapientiam, virtutes : at non vult abſolutè & efficaciter : quare in eo eſt velleitas duntaxat, non abſoluta voluntas : vult enim, id eſt, vellet finem ; at non vult abſolutè adhibere media*, &c. Verba Cornelii probè vides quantùm accedant ad primam expoſitionem : unde necnon acceptio verſiculi, quam tertio loco propoſui, reduci valet ad primam. Hic adnotabis, ipſum laboris odium in executione mediorum reperti, mortalium animos commovere, ut fluctuent : qui labore, velut anchorâ, firmarentur. Adi S. Nilum. *Paulus*, ait ille, *ſciens, laborem eſſe anchoram mentis, ipſam præparando ut appellat ad portum ſecurè. Quamvis turbines undique inſtent procelloſi, & impetuoſæ tempeſtates, ac vehementes venti flatibus violentis minitantes naufragium, ſtat ipſa inhærens operi velut anchoræ*, &c.

Alap.in Proverb.13.4.

S. Nil. tract. ad Mag.c.25

4. Quæſtio litteralis eſt, utrum hanc gnomen extendere poſſimus ad virtutes ; ita ut piger velit, & nolit eas ; exercens autem ipſas pingueſcat ſpiritaliter ? Affirmat Cornelius Alapide. Dionyſius autem Carthuſianus explicat parabolam de ſpiritus perfectione, beatitudineque perpetuâ : videtur excludere penitus fines temporales. Salazar inſinuat, ſtare cum Alapide. Liranus exponit de nolentibus bonum utile vel honorabile : ſed ſecundam partem interpretatur de pertinentibus ad ſpiritum & frequenter de proventibus temporaneis. Rodolphus dixit, ſecundam partem accommodari poſſe ad virtutes. Unde non exprimit an doceat, hunc ſenſum eſſe litteralem : nec utrum ſimiliter accipiat primam partem. Gloſſa Ordinaria ſic habet de poſteriori parte paræmiæ : *Quia perfecta ſupernorum dulcedine reficietur . . . . vel qui pro Domino laboribus inſudant, immarceſſibili corona donabuntur.* Placet intelligere dogma præſens, ita ut ſpiritualia, necnon temporalia comprehendat. Pinguedo, de qua ibi, valet explicari : tum in hac vita, tum in futura. Nec rudem voces interpretationem, qua pinguedinem agnoſcimus in anima. Hunc loquendi modum non faſtidiet qui legerit Bedam in præſenti. *Qui autem*, ait, *juſſa operatur dominica, ideo faciunt, quia anima illorum perfectâ ſupernorum dulcedine reficitur, juxta eum, qui Dominum obſecrat,*

Alap.& Carthuſ. in Proverb.13 4.

Sal.& Lir.ib.

Rodolp. ib.

Gloſſ.Ord.ib

Bed. ib.

obſecrat, dicens: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Vel certè* anima operantium impinguabitur, *quia qui pius pro Domino laboribus inſudant, cœleſti & immarceſſibili poſt labores mercede donabuntur.*

5. Modò textum verſemus expenſione minutiori. *Vult.* oppoſitæ volitiones, poſito quòd ſimul dentur circa idem, juxta tertiam interpretationem ſupra datam, inſinuant veluti duplicem potentiam volitivam; quarum velit una quod altera non vult. Sed non recuſabit duplicem quaſi voluntatem in ſeipſo cognoſcere qui meminit duplicem hominem in unoquoque reperiri; externum ſcilicet ac interiorem. Appoſitè Chryſoſtomus ait: *Sicut duas in nobis habemus naturas, animæ ſcilicet & carnis: ſic duas habemus voluntates, unam animæ, alteram carnis.* Mala reperimus elogia paſſim de voluntate animæ: quid aſſeremus de voluntate carnis?

Chryſ. to. 2. ho. 12. oper. imperf. in Matth.

Et non vult. Nota, nihil hoc loco proferre Salomonem de hoc quod poſſit, vel non poſſit: ſolum agit de velle, ac non velle. Nec ſine meditatione percurras Eccleſiaſtæ ſermonem. Crede, verum in multis eſſe dicere: velis, & poteris. Rurſus lege Chryſoſtomum. *Ita enim*, ait, *velle efficit poſſe, ut efficit nolle non poſſe. Magna enim vis eſt voluntatis, quæ nos efficit poſſe quod volumus, & non poſſe illa, quæ nolumus.* Ne tamen, dum audis, voluntatem dare tibi quòd valeas, aut inſanus de teipſo præſumas, adjutorium Dei non flagitans; vel nimis fidas voluntati, quam domi habes adeo potentem: nam poteſtatem, quam illa tibi dedit volendo; pariter nolendo tollet facilè.

Idem ib. ſer. de Zachæo.

Piger. Inter pigrum ac torpentem hoc diſtat, ſi fandi rigorem exactè ſervemus: quòd, ut ait Hiſpalenſis Præſes, *torpor, dormitantis eſt: pigritia, vigilantis.* Audis videſque pigrum? Non ille caret ſollicitudinibus (utplurimùm, ſi mundo ſervit, nec ſtupidus eſt, aut ferè lapideus) quæ vigilare cogant, quamvis pigrè.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. diff. litt. p.

6. *Anima autem.* Cum temporalia comprehendi putem in hoc proverbio, relinquitur locus exquirendi, cur hîc de corpore nihil omnino dicatur? Adeo vide comparatione ſpiritûs eſt vas iſtud luteum, quòd noluit illius mentionem Salomon immiſcere. Caro famula, ſpiritus dominus extat. Memorare quantùm deliret qui famulæ dominum poſtponit. S. Eucherius: *Nam*, ait, *ſi rectè quidam carnem hanc famulam, animam verò dominam eſſe dixerunt: non oportet poſteriore loco nos dominam ponere, ac famulam inique jure præferre. Meritò poſcit ſtudia majora pars melior:* &c. Quid vir piiſſimus clamaret, ſi nullum ſtudium circa res animæ; ſummum autem erga corporea cerneret? Obedit heu ſervæ dominatrix, & pejus agitur cum iſta, quàm tractari ſoleant ab heris ancillæ: nam fame tabeſcit miſera; caroque deliciis pingueſcit.

S. Eucher. ep. parænet. ad Valerian.

7. *Operantium.* Hujus vocis loco ſubjici poterat: Laborantium. Non fruſtra labor hîc nomine proprio non exprimitur. Si loquamur de virtutis operibus exercitis per eum, qui guſtavit quam ſuavis eſt Dominus, experientiâ prædito fidem adhibe S. Antonio. *Opus*, inquit, *viri juſti eſt mellis dulcedo, id eſt, puritas conſcientiæ, honeſtas vitæ, odor bonæ famæ: gaudium de divina contemplatione.* Attendant hæc illi, qui duriſſimos fingunt labores in præcepto.

S. Ant. Ulyſſ. ſer. Dom. 11. poſt. Trinit. longe antè fin.

Impinguabitur. Sumi poteſt primò de pinguedine gratiæ: nam S. Hieronymus ad illud Pſalmi 62. *Sicut adipe*, &c. ait: *Sic repleatur anima mea de pinguedine Spiritus ſancti*, &c. Secundò valet accipi de miſericordia Dei, cum ſimiliter ad prædictum Pſalmum loquatur Euthymius, dicens: *Eo pacto, quo adipe quis repletur & pinguedine, eodem opto ut anima mea tua repleatur miſericordia*, &c. Minimè timendum, quòd animæ impinguatio tardam faciat illam in ambulando per viam vitæ, ſicut pinguedo carnis reddit corpus moroſum in itinere faciendo ſuper terram. Imo ſpiritualiter pingues reperiuntur alacres; acidioſi verò debiles: infirmorum conditionem induunt; nauſeantes ad omnia, quæ ſpiritum concernunt. Do tandem Cardinalem Bellarminum dicentem: *Qui gratia ſpirituali, quaſi bonâ adipe pleni ſunt, devoti, ferventes, ac ſemper gaudentes ſunt: & contrà qui ſpiritu carent, ad omnia ſpiritualia nauſeant, acidia conſumuntur infimi ac debiles nihil boni facere, nihil mali tolerare valent.*

S. Hier. to 8. expoſ. Pſ. 62.

Euthym. ib.

Card. Bell. ib

DELIBATIO I.

Otii mala quædam vult & non vult piger.

8. *Otioſitas diabolo præbet acceſſum facilem ad tentandum.*

CUm juxta ſapientum axioma nullus operetur intendens malum; fortiori ratione quidem nemo dum nihil agit, quærit effectus otii malos. Si vivit adhuc otioſus (quod non ſine fundamento dubito, moxque dubium reſolvam) ab eo ſciſcitarer velitne per ſuam ſegnitiem ingreſſum aperire diabolo. Signabit ſe ſigno crucis: & ſatis feret illud ori apponere oſcitanti. Dæmoni locum dare *vult & non vult.* Nonvult, inquam, nam pravos inertio partus odit; ac ſimul vult eoſdem, quia per deſidiam languentem patefacit januam hoſti communi. Occupatus honeſte, per hoc ipſum reſiſtit cacodæmoni quaſi murata civitas; & econtrariò per turpem quietem diruitur murus, incurſum facit adverſarius. Optimè Humbertus dixit: *Secundò ad repugnandum diabolo multum valet honeſta occupatio. Eſt enim velut murus prohibens, ne tentator acceſſum habeat ad ſervum Dei. Homo otioſus eſt ſicut villa abſque muro.* Itaque otioſitas facilitat hoſtibus tartareis acceſſum ad tentandum. Occupatis non adeo facilè tendit malus inſidias, ut otio torpentibus: acidioſis valde timendum, quòd a maligno provocentur ad culpam.

Fr. Humbert in ſpec. relig. l. 3. c. 8.

9. Corinthios inſtruens Magiſter Gentium hortabatur ut ſupportarent eum. O paterna viſcera! Hæc inſuper oſtendit addens: *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit*

2. Corinth. 11. 3.

ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Quæret aliquis, cur non magis dixit Paulus: Vereor, ne ſicut Chriſtum Dominum tentavit ſatanas, ita vos proſternere curet; Nec ſine rationis alicujus momento dubitatio conſurgit. Hevam quippe dejecit per ſcientiæ divinæ ſimilis deſiderium: & vel rarò, vel numquam per ejuſmodi ſcientiæ cupiditatem Hevæ filios anguis diabolicus tentat. Plurimos equidem per amorem gloriæ mundanæ, cæterorumque ſæculi bonorum invadit. Et poterant Corinthii facilius hac viâ tentari, quàm per cupiditatem ſciendi more divino: quod genus tentationis vix unquam diabolus immittit poſteris Adæ. Igitur qua de cauſa nunc utitur Apoſtolus exemplo matris primigeniæ; non verò ſimilitudine tertiæ tentationis Chriſti Domini; quem fideles imitari cupiunt? Quia Hevam dæmon tentavit inventam in otio; Salvator autem otioſitatis capax non erat. Quod otiaretur Heva probat colloquium ejus cum ſerpente: circa quod ita Chryſoſtomus habet: *Oportebat*, inquam, *initio colloquium illius non ferre, ſed illi ſoli loqui, propter quem, & in cujus adjutorium facta particeps dignitatis illius.* Per otii rimam coluber adiit cor ejus. Et quia ſic viam ad humani generis perditionem expertus eſt; eodem foramine ſe nobis inſinuat anguis diabolicus, & rurſum perdit multos, quos acquirit ſibi. An vult hoc piger otioſus? *Vult & non vult.*

Chryſ. to. 1. hom. 16. in Geneſ.

10. *Otium via detractionis.*

Interroga quoſdam ex iis, qui detractionis vitio non ſunt nimis dediti, an cum nihil prorſus agunt, ſit animus eis de proximi fama ledenda. Reſpondebunt: Apage. *Vult & non vult piger.* Non vult honorem alienum auferre, timens reſtitutionis pœnam; ſed vult per angulos & fora vagari, nihil agens, & colloquia vana quæritans: ex quo fit ut in murmurationis foveam denique labatur, otio ducente. Opportunè S. Laurentius Juſtinianus: *Semper hujuſmodi diſcurrunt ſemper ſimilium ſibi conſortia quæritant: in angulis, in latibulis, ſilentii tempore ut plurimum confabulari appetunt: & abſentium vitam lacerare non definunt: & tamquam ipſis non ſufficiat propria perditio, alios ſecum damnare conantur. Nil autem perniciouſius detractore in collegiis juſtorum.* Ferè docti per ipſam naturam, cùm nutu ſilentium poſtulamus ab aliis, manum imponimus ori. Quin & Job uſus eſt ſequenti phraſi: *Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperimponebant ori ſuo.* Scimus, operationes manibus deſignari. Ad illud Canticorum: *Manus meæ ſtillaverunt myrrham*, S. Gregorius Magnus, ait: *Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonſtrat*, dicens: Manus meæ ſtillaverunt myrrham. *Quid permanus niſi operationes: quid per myrrham niſi mortificatio carnis accipitur?* Igitur valde congruè ſilentium digito deſignamus, quia manus, id eſt operatio, ſilere facit os. Econtra per otioſitatem, quæ velut eſt manuum ligatio, ſolvitur lingua. Cum ceſſat manus ab opere, tunc detractio deſcendit ad labia.

S. Laur. Juſt. l. de diſcipli. & perfect. monaſ. conver. cap 22. juxta med.

Job. 29 9.

S. Greg. Mag. to. 2. expoſ. in Cant. 5.

Paterfamilias ille, qui, cum ſit omnium Dominus, & poſſet homines cogere ut in cultura vineæ ſuæ tamquam verè mancipia laborarent, non expectata mercede; voluit potiùs eos ut operarios conducere, ſtipendium donaturus. A cortice nunc parabolæ non egrediar. Primo mane conduxit quoſdam, alios circa horam tertiam, & ſimiliter circa ſextam & nonam: circa tandem undecimam alios vocavit, ut in eâdem vinea darent operas. Cum ſero factum eſſet, hi, *qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant adverſus patrem familias*, &c. Manifeſtum eſt, ex invidia detraxiſſe. Paſchaſius ibi: *Quia & iſta itaque murmuratio, non de juſtitia, ſed profecto ex invidia naſcitur, eo quod noviſſimi coæquantur eis in premio, qui prima hora conducti fuerant, licet ipſi acceperant denarium, de quo conventio facta fuerat.* Quo poſito ſic meditabar. Invidorum eſt non ſolùm torqueri præſentibus aliorum bonis; ſed impedire ne veniant illis, dato quòd poſſint. Iſti murmuratores invidi, cur, quæſo, non ſtatim cum venerunt illi circa undecimam horam vocati (ad quos dominus vineæ dixit: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?*) dixerunt ad patremfamilias: Iſti ſunt otio dediti ganeones, qui pigritiâ putreſcunt, & ideo nunc otioſi fuerunt inventi? Quia cùm poſtremi acceſſerunt, primi laborabant adhuc: & operatio ſolet eſſe detractionis obſtaculum. Poſtea ceſſaverant à labore; tunc in detractionem ſoluta fuit eorum lingua contra patremfamilias Murmurandi pruritus magnâ ex parte ſedaretur, niſi vacaret omnino plurima detractorum turba: vivunt iſti velut ad nihilum nati forent; ideo (ſicut regibus mos eſt) à principe tenebrarum convocantur ad militiam ſuam, ut accincti gladio linguæ pugnent in obtrectationis injuſtiſſimo bello.

11.

Matth. 20. 9. 10. 11.

Paſchaſ. l. 9. in Matth. ib.

12. *Otioſitas incentivum libidinis.*

Si quoſdam, qui turpia peccata commiſerunt per otioſam confabulationem illecti, rogares antea, foretnam illis tunc animus peccandi turpiter: reſponderent, nihil minus ipſis in mentem veniſſe. Tamen de ſingulis eorum, cum dant operam inertiæ molli, dici poterat: Iſte luxuriam *vult & non vult piger.* Otioſitas noverca virtutum caſtitatem odit ſummè: quia rixatur cum filia ſua ſcilicet voluptate carnis, Huc faciunt verba Chryſoſtomi. *Ideo autem*, inquit, *mulier facile peccatum fornicationis incurrit, maximè quia hoc vitium facile ex vacantia & otio naſcitur: Nam qui ſollicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dat. Nam definitio amoris hæc eſt, Animæ vacantis paſſio.* In corde noſtro fabricari dicimus cogitationes, cum ab illo prodeant. Si libido cordis officinam invenerit occupatam in fabrica ſeriorum cogitatuum, non ingredietur ad artificem, ut ibidem cogitationes

Chryſ. to. 2. ho. 40. oper. imperf. in Matth.

tiones obſcœnas, ac noxias imagines cudat ſibi. Etiam non parum luxurioſus abſtinebit, ſi mens ejuſdem ſollicitudinibus prematur. Alter verò, qui deliciosè languet, ſe præcipitem dabit in luxuriam petulanter.

13. Hiſtoriam Judithæ piget à capite repetere etiam cunctis notiſſimam, quoties aliquid occurrit in ea mentis examine volvendum. Aderat inter hoſtes fœmina bellatrix, inſignem reportatura triumphum. Quartus numerabatur dies, cum per Eunuchum Holofernes advocavit eam. Ut videas qua mente, lege verba Iudith.12.11 ſequentia : *Fœdum eſt enim apud Aſſirios, ſi fœmina irrideat virum, agendo ut immunis ab* Lira ib ad n. 10 & 11. *eo tranſeat.* Liranus : Ut ſponte conſentiat habitare mecum *per concubitum carnalem.* Fœdum eſt enim. *Id eſt, probroſum.* Si fœmina irrideat virum, *id eſt quod fuerit per aliquod tempus in ſua poteſtate abſque carnali copula.* Quiſque demirabitur, hominem præ licentia militari non modeſtum, & amoris facibus exardentem, non intuliſſe vim Judithæ luxurioſam ; ſed Iudith.12.11. voluiſſe ut ipſa ſponte conſentiret : *Vade, & ſuade Hebræam illam, ut ſponte conſentiat habitare mecum.* Regrediamur ad tempora Davidis. Hujus filius Amnon deperivit ſororem Thamar, per cujus amorem tandem periit. Memini, violenter eam op- 2.Reg 13.14. preſſiſſe. *Prævalens viribus oppreſſit eam, & cubavit cum ea.* Æger uterque libidine fuit, Amnon ſcilicet ac Holofernes ; & ambo potentes. Cur Amnon præcipitans temerariè ruit ad inceſtum ? Holofernes autem continet ſe, ne vi copulam extorqueat ? Non virtus Ducem à violentia docuit abſtinere ; ſed continuæ ſollicitudines, quas affert ſecum regimen exercitûs ; præſertim cum eſſet in actuali civitatis obſidione. Econtrariò degebat Amnon inter curiæ delicias otians. Ea propter hic detruſus eſt à laſcivia præceps in horribile ſtuprum ; ille verò non eſt executus cupidinem. Etiam pravis occupatio prodeſt, ne pejores fiant ; otium dejicit malos in profundum. Torpens ignavia corrumpit amplius jam non ſanum: imo, prout cecinit Poeta, Otia ſi tollas, periere Cupidinis artes.

14. Adoleſcentes illos, qui nec ſtudiis, *Otium mors eſt.* nec aliis honeſtis exercitiis cellaria providentſenectuti ; ſed otiantes perpetuò plateas fatigant, percontari poſſemus (quamvis de reſponſo valde certi) cupiantne citius vitam finire. Reponent (niſi riſu pro verbis utantur) ætatis flore ſe potiri ; nec de morte cogitare quidquam : & opprobriis fortè projicient fortiter à ſe percontantem. Dato quòd ſint minùs procaces, reſpondebunt, à Deo tempus mortis eſſe præfinitum, & ab illo ſe necandos, cum placuerit ei. Scire nolunt, multas eſſe mortes animæ, licet vitæ ſit unicus finis. Otium, cui ſe totos committunt, veluti mors eſt. Ericius Putea- Eric.Putea, orat.9. nus : *Cadaver*, inquit, *eſt hominis, non homo, qui otioſus, & cujus vivo in corpore mens ſepulta.* Sicut non unus eſt vivendi modus ; ita multipliciter emorimur. Quamdam agnoſcunt Philoſophivitam in actione conſiſtentem. Econtra fateri debemus (ne philoſophiæ contradicamus quamcertæ) nihil agentem eſſe vita functum. Bellè S. Bernardus : *Quomodo vita cum ſterilitate ? arbor arida & in ſterilitatem verſa nonne mortua judicatur ?* Nec ſolùm dicam, otioſum perſimilem defuncto ; ſed verè dixerim, eumdem appellari valere mortuum. Ubi non videmus facta, videntur jam fata veniſſe. Næ ſomnus vulgò dicitur mortis imago : aliquid ampliùs, vitæque contrarium eſt deſidioſa quies. Non ſatis erit, ſi dixeris, inertem dormire : cadaver eſt. S. Beraard. ſerm. 63. in Cant.

Epheſiis doctrinam ſalutarem propinans, & ſimul exiſtentes in peccato compellans Gentium Doctor ſcribit, Spiritum ſanctum per ſe monentem dicere peccatori : *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*, &c. Exponit Auguſtinus : *Dormientem audis cum dicit :* Surge qui dormis. *Sed mortuum intellige, cum audis :* Exurge à mortuis. Sanè dormitio congruit viventibus : eſt enim requies à natura data, qua ceſſantes à ſenſuum functionibus reſumamus labori ſequenti vires. Hæc non mortuis congruunt, ſed vivis. Qua ratione Paulus peccatorem alloquens, inſimul dormire dicit, & monet ut à mortuis reſurgat malus ? Reſpondeo. Somnus, ut nuper dicebam, effigies mortis eſt. Unde, ſi malos vocaret ſolùm dormientes ; cum eorum plures vitam in deſidia tranſigant, videretur putare, ſibi ſatis eſſe tunc ipſos vocare ſimiles defunctis. Plùs voluit inertiæ malum aperire ; ſic inſinuans, pigrè torpentes in rebus animæ, non tantum aſſimilari cadaveribus (hoc enim reperitur in quolibet noſtrûm quandiu dormit) ſed reipſa moraliter emortuos. Tempeſtivè S. Anſelmus in eum locum : *vel* Surge qui dormis, *id eſt qui torpes in obſcuritate cordis, non recogitans Deum ; nec advertens peccata tua, ſed in terrenis deſideriis oculos mentis habens, ſurgens ſub* (forte legendum : *Ab*) *illa pigritia per recordationem Dei & intelligentiam culparum tuarum*, & exurge, *id eſt, ex toto ſurge per dignam pœnitentiam*, &c. An mortem otiando ſubire deliberat malè quieſcens ? *Vult & non vult.* 15. Ad Epheſ. 5. 14. S.Aug.ſer.44 de ver.Dom. S.Anſ. in cap. Ep.ad Epheſ. 5. 14.

Otioſum dixi mortuum : nec tu credas inſepultum. Fœtorem quis toleraret illius cadaveris, hoc eſt, dedecoroſam famam, niſi tumulatus exiſteret ? Citra furtum bene Saresberienſis uſurpavit, quod antiquior alter jam dixerat, ſugillans otioſos. *Et me*, inquit, *curialibus nugis pauliſper ademi, volvens in animo, quia otium ſine litteris mors eſt, & vivi hominis ſepultura.* Renues fortè fidem adhibere dictis. Quomodo, inquis, tumulo reconditum credam hominem, quem nunquàm non cunctis in locis video ? Otioſus, cum nullo prorſus negotio præpediatur ne varia loca perambulet, huc & illuc diſcurrit vagus : offendiculum cunctis eſt : nunc eorum ſocietati ſemetipſum ingerens fruſtra ; nunc in foro ſedens tamquam telluris onus ; nunc aliorum laboribus 16. *Otioſus ſepultura traditus eſt.* Ioan.Saresb. l.de nug. curial.in prol.

ribus adeſt ſpectator inutilis factus. Et hunc, quem jugiter præ oculis habeo, ſepulturæ mandatum exiſtimabo? Tu, qui reſpondes iſta, videris oblitus dicti celebris antiqui Philoſophi. Is ad ferè meridianam lucem addens lucernam, quam tenebat manu, procedebat in loco pleno maximâ populi frequentiâ; velut ſi mediis in tenebris ibi quemquam inquireret adjutorio laternæ. Rogatus quidnam quæreret ſollicitus, repoſuit: Hominem quæro. Rurſus ad illum dixit quidam: Et iſti, quos video, nonne ſunt homines? Minime, inquit, ſed hominum figuræ. Otioſum vides, & audis: viventem reputas; umbra illius eſt; meritò pertimeſcis. Ille certè ſub terra jacet, ſua quiete ſepultus in pace mala.

17. Vario, prout ſolet, eruditionis genere Paræmiaſtes noſter ſapientiam depromens, ad pigrum ſe convertit; hortatus, ut formicam accipiat magiſtram: quæ principe, præceptore, ac duce carens, providet ſibimetipſi; parans annonam in æſtate, ne poſt fame pereat. Solers equidem eſt formica: ſed an apis minus argumentoſa? Lege S. Ambroſium. *Cernas*, inquit, *omnes certare de munere, alias invigilare quærendo victum, alias ſollicitam caſtris adhibere cuſtodiam, alias futuros explorare imbres, & ſpeculari concurſus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infuſum floribus ore colligere*: &c. Cur ergo legimus in Vulgata: *Vade ad formicam o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam*: &c. Imo quia monebat inertem, non apis (juxta Vulgatam loquor) mentionem egit; ſed formicæ; tamquam proportionem habentis ampliorem, ut hortamentum deſidioſus acciperet. In quo magis proportionata formica? jam quæris. Dicam. Apis, dato quod aliquantùm ceſſet à labore, non tunc reconditur ſub terra. Formica verò quandiu non dat operam laborando, veluti ſepelitur antro. Piger conderet formicas, & meditetur, quòd ipſe nullum prorſus operis exercitium ſibi ſumens, quaſi ſepulturâ tegitur. Amatne deſidioſus vitâ comite ſepeliri? *Vult & non vult.*

S. Ambr. to. 1 l. 6. Hex. c. 21. ante fin.

Prov. 6. 6.

DELIBATIO II.

Virtutum quædam bona vult & non vult piger.

18. Chryſ. to. 5. ep. ad Epiſc. *Plus aliquando ſe Deus offenſum exhibet ficta volitione boni.*

SAnctus Joannes Chryſoſtomus de virtute ſic pronuntiat: *Tanta res eſt virtus, ut illam etiam impugnantes admirentur.* Admiratio laudem ſæpe gignit. Cumque mali ferè cuncti laudationis humanæ tangantur amore; fit inde, corda ſontium experiri quaſdam velleitates erga bonum, quibus aliqualiter amplectuntur illud. Sed iſti rectum volunt quaſi nolentes. Non integrè velle dicatur animus, qui ſibimet imperans ut velit, non obedit ſibi. Opportunè S. Auguſtinus: *Imperat, inquam, animus, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult: non ergò ex toto imperat.* Homo conſuetudine peccaminoſâ gravatus, partim exurgit, & ex parte jacet. Videre poteris quæ dixi ſemivirtuoſis to. 1. fl. 10. à n. 22. & fl. 16. à n. 42. Necnon to. 2. fl. 32. n. 41. Monſtrum ne dicas hunc ſemirationalem in volendo bona: monſtroſitas non eſt; ſed morbus. Rurſus Auguſtinum legito. *Quoniam*, inquit, *voluntas imperat ut ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa. Non utique plena imperat, ideo non eſt quod imperat: nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet. Non igitur monſtrum partim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi eſt, quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus*: &c. De pigritiâ languido dici quit, in eo non parum ab ægro differre, quòd morbidus veraciter vult à lecto ſurgere; deſidioſus autem fingit, velle ſe recipere ad meliorem frugem. Hanc hypocriſim, prætendentium, ire ſe velle per viam dextram, non immeritò dices, aliquando plùs diſplicere Deo, quàm ſi aperte nollent. Subdola figmenta ſolent hominibus rectis odio eſſe multo; nedum ſummæ Veritati diſplicebunt. Non ſemel Dominus ampliùs offenſum exhibet ſe fictè bona volentium perfidiâ; quàm ſi manifeſtè nollent impudentes.

Idem ib.

19. Evangelico Præcentori Dominus injunxit, ut in morem tubæ clamaret, annuntians Iſraëli ſcelera ſua. Sic ſtupidi ſunt aliqui nequam, ut non tantùm non exurgant; ſed videantur quòd velut cecidiſſe neſciant. Conſideratione digna ſunt illa verba Dei: quibus aperuit quare ſe contra populum oſtendat indignatum. *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt*: &c. Quis non arbitraretur, ibi potiùs dicturum fore Dominum: Scire vias meas nolunt? cur non ſic loquitur? Quia fictitiè volebant Hebræi vias noſſe bonas: & iſtud mendax figmentum adeo ingratum erat Altiſſimo, quòd fortaſſis minus inviſum foret ei, ſi nolle ſe dicerent pergere virtuoſo tramite. Dictis aliqualiter favet Lira, dicens: Volunt, *id eſt, prætendunt quod velint.* Sic mendacitas hypocritarum eſt odioſa Deo nimis, ut Paſchaſius dixerit: *Propterea & major iniquitas populi ejus, actuum videlicet & operum peccato Sodomorum prædicatur, quæ manus non miſerat ad fructum boni operis, ut hypocritarum ſocietas, quæ multis decorata videtur operibus, ſed iniquioribus illecta vitiis, quàm qui in aperto teneri videntur peccatorum criminibus*: &c. Ad iſtam ſæpiſſimè declinat fictorum ſocietatem piger. Venenum ſibi conflat ex optimo cibo: ſcilicet ex aliorum virtutibus, quas laudat, eruit occaſionem hypocriſis; quâ mentitur, illos imitari velle. Proinde valemus de hoc aſſerere, quod bonum *vult* mentiens; & *non* verè *vult.*

Iſaï. 58. 2.

Lira ib.

Paſchaſ. l. 4 in Thren. ante med.

Quædam virtutis emolumenta peccatoribus etiam nota ſunt; erga quæ deſides afficiuntur nonnulli. Primum eſt, incedere hominem propinquum Deo. Audiunt ſceleſti, Jobum dixiſſe: *Libera me Domine & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Tunc illi dicunt: O

20. *Aliqui ſic affirmant, ſe velle Chriſtum ſequi, ut nec aſſerere, nec negare videantur.*

S. Aug. to. 1. l. 8. confeſſ. c. 9.

Iob. 17. 3. quam felices ii, qui virtuosè degentes, juxta Dominum sunt; cum nullius hostis manum pertimescant! Vellem appropinquare Deo. Sed ista dicentes multi, nec paululum accedunt quò propinqui fieri cupiunt. Super illud, quod legitur apud Isaïam: *Et appropinquare Deo volunt*, Hieronymus ait: *Et appropinquare Deo desiderant: cum hoc non in loco sit, sed in affectu: non mentis otiosæ, sed laboriosi operis.* De illis, qui per accediam detinentur, proferre possumus, simul velle nolleque Salvatori conjungi. Præbere se Christo socios cupere protestantur, & ad sequelam ipsius offerunt semetipsos; affirmantes paratos, ut ejus ductum sectentur. Hæc tamen affirmatio vel hæsitationem tegit, vel dubio similis est. Aliquorum assertionibus minimè fidas: nam dum asseverant, ita se gerunt in hac re, ut nec affirmare, nec negare videri possint.

S. Hier. to. 5. l. 16. in Isai. c. 58.

21.

Matth. 8. 19. Accessit unus de Scribis ad Redemptorem, ipsiusque discipulatui se non vocatus obtulit. *Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque jeris.* Ex responso Domini satis colligitur, hunc non admissum. Repulsæ motivum nunc omitto. Moveor tantùm ex eo quòd apud S. Hilarium referatur hæc eadem oblatio Scribæ sic, ut vel S. Doctor aliter versa repererit citata verba penes aliquam lectionem aliam; vel ipse de suo legerit diversimode, quàm scripsit Vulgatus. Hilarius habet sic: *Et quidam Scriba, qui est unus ex doctoribus legis, an sit secuturus interrogat.* Non parum in votis erat S. Præsulem quadamtenus componere cum versione Vulgata. Vix audeo: tibi judici rectissimo, lector committo censere, possit ne citra violentiam utrumque stare simul in hunc modum. Iste veniens ad sequelam Christi Domini, significabat concupiscere sequi eumdem. Sed cum repulsus fuerit, suspicor, ejus cor sic affectum erga virtutem, ut quamvis affirmaret secuturum, gereret se tamquam nec id asseverans, nec inficias iens. Qui scisciatur nec asserit, nec abnuit. Ille juxta S. Hilarium *an sit secuturus interrogat*; quasi hocipsum non aiens, neque repugnans. Hoc modo plures jurant ferè, se deliberare fieri proximos Domino per emmendationem vitæ: sed eorum quilibet præ torpore, bonum istud *vult & non vult.*

S. Hilar. can. in Matth. post med.

22. *Piger modo claudit januam utilitatibus temporaneis, modo operit eã.*

Piger, fateor, exercet aliquas operationes laudabiles nonnumquam. Hominum fragilitati condescendens Creator sæpe divitiis munerat istos bene operantes; ut minus difficile videatur eis militare, cum recipiant ab virtuosa facta stipendium perceptibile sensibus; quibus alligatur anima, dum vita manet misera. Accedit aliud summi Regis ita quosdam bonos remunerantis motivum: scilicet quòd opes inserviunt eis ad quædam virtutis exercitia. Nam, ut ait Ambrosius, *licet in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum; pleraque tamen sunt etiam incentiva virtutum.* Pigritantes, cum oderint labores industriosos, quibus tot mundi cultores pro argento & auro desudant; & non oblivisc antur justos aliquos divina manu ditatos in præmium sanctitatis, desiderium concipiunt hac viâ ditescendi. Sed etiam in subjecta materia *vult & non vult piger.* Quid efficaciter volet homo temporalium dilector: qui nec in volenda pecunia se præstat efficacem? Vult, inquam, & non vult rerum copias acquirere cœlitus per bene gesta: nam ita componit vitam suam, ut nunc bonis temporariis ejusmodi claudat januam; nunc aperiat. Necnon proventus, qui sub sensum cadunt, minimè reddunt sollicitos inertes; etsi cupiditas eorum commoveat eos. Inconstantes ipsi modò patefaciunt viam, qua recipiant concupita; modo eamdem obstruunt.

S. Amb. to 3. l. 5. in Luc. c. 6.

23. Prov. 26. 13. 14.

Meditemur quid Sapiens de pigro dixerit, notans ejus ignaviam. *Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Commentatur Salazar: *Et quia duplex est actionis & laboris materies, aut agricultura, quæ ruri exercetur, aut negotiatio quæ in plateis peragitur, quonam modo homo deses, ac piger, ab utraque absterreatur, aperit Salomon hic verbis:* Dicit piger, &c. Hoc tantum non a me prætereundum est in præsenti: scilicet quanam proportionetur analogiâ piger in lectulo jacens, cum ostio mobili. Magis forte diceres eumdem lapidem. Sed emphaticè contulit eum Salomon cum ostio: nam istud modò ad unam partem, modò versùs aliam impellitur: vertitur huc, & claudit januam; convertitur illuc, & aperit eam. Non dissimiliter desidiosus nunc movetur à concupiscentiâ facultatum habendarum: en istis referat viam; ipse mox desiderium istud ultro deponit, ne quietem deponat amicam: ecce bonis eisdem concludit fores. Opportunè S. Augustinus: *Pigritia dicit, dormi: avaritia dicit, surge: pigritia dicit, noli pati frigidos dies: avaritia dicit, tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit, quiesce: illa non sinit quiescere*, &c. Nonne tibi cernere videris, Augustino describente, pigrum velut ostium, quod vertitur in cardine suo, nunc ad opum inquisitionem propellente cupidine fortiter; nunc ad inertiæ requiem detinente socordiâ graviter? Multò facilius erit hanc stabilitatem reperire desidis, quando per virtutis viam cupit bona mundi lucrari donante Deo. Aliquantùm surgit à pigritiæ lecto, desiderans ista justitiæ lucra: sic aliqualiter aditum referat eis. At statim decidit rursus in pristinum somnum, quô præcludit limen concupitis. Habes, quod virtutum auxilio ditari temporaliter *vult & non vult piger.*

Salaz. in co. ib. n. 97.

S. Aug. to. 10. ser. de verb. Apost.

Aliud est bonum, quod à virtute manat, nempe gaudium. Non ago de voluptate perpetua patriæ; sed tantùm de gaudio viæ: de quo solent magistri spirituales incipientibus multa proponere; longeque majora provectis docet experientia gratissima. Quantùm præcellat ista voluptas eam, qua gestiunt amatores mundi, saltem ex eo discerne, quia mundanæ finem luctus occupat; illam autem præcedit mæstitia, quæ vertitur

24. *Voluptatem aliqui videtur velle simul, & nolle.*

in

in gaudium. Et cum certum ſit, anxietatem præcedentem incrementare lætitiam ſubſecutam ; inde conjice, quantâ perfundatur jucunditate Vir juſtus. D. Bernardus : *Et*, inquit, *gaudium de regno Dei : ſed non gaudium carnale : non gaudium ſæculare : non gaudium, cujus extremum luctus occupat : ſed in quod magis triſtitia vertitur.* Hæc ille ſuper verba Pauli : *Non eſt regnum Dei eſca*, &c. Numera ſenſim, & æſtima ſigillatim varia, per quæ trahit ſua quemque voluptas ; & nihil invenies delectabilius virtute : quin potiùs illa cuncta, comparatione hujus, triſtia cenſebis. S. Joannes Chryſoſtomus : *Quid enim*, ait, *tibi videtur in præſenti vita jucundum atque ſuave ? menſane delicioſa, bona valetudo corporis, ingens gloria, divitiarum copia ? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata, amara, & mœſtitiæ plena videbuntur.* Prædictum gaudium ſocors optat multoties adipiſci ; quantumvis rarò credat certò quæ de hoc inculcantur ei. Tamen idipſum vult, & non vult : nam de ſupra dictis patet, eum cenſeri nolle finem, qui non apponit media, cum poſſit. Hos voluptatem de virtute natam peroptantes relinquo. Veniam ad illos inertes, qui vituperabili deſiderio feruntur ad ſenſibiles voluptates. Et iſti videntur eas velle ſimul, & nolle. Gaudium amant, & adeo cupiditatem ſequentes, ita ut per eam torqueantur : unde ſuavitatem animi pariter exoptant, atque voluntariè deperdunt : præ jucundi boni concupiſcentiâ ſponte cruciantur ; eapropter convincuntur, illam in ſimul velle, nolleque miſeros.

S. Bern. ſer. 1. de ver. Apoſ. Non eſt regnum Dei eſca, &c.

Chryſ. to 2. hom. 54. in Matth. aate fin.

25. Progrediebantur ad repromiſſam Terram Hebræi : profectique de monte fuerant, cùm pertæſus laborem populus, ingrato murmure læſit Benefactorem ſummum. Igne puniti ſunt ; & neque ſic Iſraëlitarum frigida corda penitus ingratitudinem ſunt execrata. Venerat cum eis promiſcuè vulgus Ægyptiorum : qui deſiderio comedendi carnes conflagrarunt, ſedenteſques fleverunt. Et videtur, hæc omnia ſimiliter ibidem narrari de Judæis: nam textus ait : *Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis flagravit deſiderio ; ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſraël, & ait : Quis dabit nobis ad veſcendum carnes ?* Lorinus inibi : *Juncti ſunt prioribus*, inquit, *filii Iſraël non tam ſermonis perſuaſione, quàm exempli ſui, quadamque ſympathia lacrymantium*, &c. Hoc poſito mirabar lacrymas iſtas Hebræorum, ſatis memor, quod, perſequente Pharaone, quamvis pertimuerint, antequam tranſirent mare Rubrum, clamaverint Domino, necnon pœnituerit eos egreſſionis ab Ægypto ; nequaquam lacrymati fuerint. Non extorſit fletum necis timor ? & plangere ſuaſit cupiditas edendi carnes ? Res mira ! Ne diutiùs hæreas in hoc : voluptate ſenſûs tracti tanto ferbuerunt deſiderio, quòd per iſtud anxii, vehementer ſint paſſi dolorem. Pariter in jucundum guſtûs bonum ferebantur ; & viſi ſunt jucunditatem unà reſpuere, quatenus voluntariè

Numer. 11. 4.

Lorin. in com. ib.

dolebant : complectebantur animo voluptatem ; ſponteque ſuavitate cordis carebant per cruciatum. Vix eſt inter homines terrenis deditos qui veraciter integrè voluptatem diligat : præſertim, cum ſolam cupiat carnalem, & propter illam conſequendam appetant laborioſa. Proficuus eſt hîc S. Gregorius Papa : *Manna igitur*, ait, *deſerentes, cum pepombus ac carnibus porros cæpaſque quæſierunt : quia perverſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt : & pro carnalibus voluptatibus laborioſa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiſcunt : contemnunt habere ubi ſpiritualiter gaudeant ; deſideranter appetunt, ubi & carnaliter gemant.* De quolibet iſtorum, quos Gregorius notat, qui voluptates quærunt, & optant ubi gemiſcant, cur non iterum dicam : Hic *vult & non vult* voluptatem ?

S. Greg. M. to 1. l. 20. mor. c. 16.

Honorem non ſolum apud homines pios virtus conciliat ; ſed etiam apud malos, exceptis quibuſdam vel perditiſſimis, vel mente læſis. Nonnulli vecordes, dum pulchram juſti famam audiunt, ardore tanguntur acquirendi ſimile decus. Attamen cum eligunt media, ut ſibi contingat honos de virtute ; dedecus negotiantur ſibimetipſis. Non de iis loquor, qui falſam, & inanem quærunt mundi gloriam : nam iſtos longe clarius eſt, ſuam dejectionem ſollicitare nolentes, cùm ſuperbè diligunt extolli. Quippe ſuperbiâ turgidus dejicitur cùm elevatur. Gregorius Magnus ad quædam verba Pſalmi 72. *Non enim ait : Dejeciſti eos poſtquam elevati ſunt, ſed* dum elevarentur : *quia hoc ipſum ſit ſuperbis interius dejici, quod eis falsâ contingit gloriâ exteriùs elevari.* Omiſſis ergo mercatoribus fumi ; hoc eſt, venantibus mendacem gloriolam ſæculi, tranſeam ad eos, qui pulchritudine virtutis, propter quam juſtus apud homines honoratur, allecti, laudabiliter operantur. Ex his quilibet honorem vult ad modum nolentis : quia ſic opprobrium ſibi parat. Animus erat illi per virtutis exiſtimationem honeſtari ; ſed fallente greſſu venit ad ignominiam quà laudem ille quæſierat : pudendum invenit probrum eâ viâ, quâ tetendit ad laudationem requirendam imprudens.

26. *Dedecus aliqui negotiantur ſibi per viam, quæ volunt honores conſequi.*

S. Greg. M. to 1. l. 32. mor. c. 7.

Parabolam hominis, qui peregrè proficiſcens diviſit ſervis talenta, divinus Magiſter propoſuit. Tradita ſunt uni talenta quinque ; duo alteri ; alii autem unum. Priores negotiati ſunt, & revertente domino ſuo rationem reddiderunt, ac laudem accepere ſtudioſæ fidelitatis ambo. Tertius nequaquam negotiatus eſt ; ſed talentum ſepelivit : &, cum poſſet prætendere quòd infeliciter ei contigerit, ac mentiri, ſe commiſiſſe negotiationi talentum, dicens, nullum ſuſcepiſſe lucrum ; & ad ſummum retuliſſe citra diminutionem quod receperat : cum, inquam, ita ſe gerere poſſet, aliter locutus eſt. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait : Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti : & timens abii, & abſcondi talentum tuum*

27. Matth. 25. 24. 25.

in terra : ecce habes quod tuum eſt. Libenter interrogarem ſervum iſtum quid intenderet iſta loquens ? in faciem conjicit domino ſuo quòd ſit homo durus ! quòd metat ubi non ſeminaverat ! Audaciam vidit Aquinas, ad Illud n. 26. *Serve male,* dicens : *Eum malum vocat : quia malum dixerat de domino ſuo.* An ille voluit dominum ſuum ad iracundiam provocare ? Quinimo ſuſpicor, acceſſiſſe, ut ab eo laudaretur tamquam ſervus bonus valde timens dominum. *Voluit* juſtificare ſeipſum de timore humili ; ſed erravit adeo craſsè, quòd oſtenderit, non laudabiter ſe metuere quem ſic inhoneſtavit, ut ipſi dixerit : *Scio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti :* &c. Commendare ſeipſum credidit ille de humilitate, metuque ſubmiſſo ; contrarius tamen ſibi ſuperbum & audacem detexit ſeſe nolens. Servus hic pigritiæ notatur in ſacro textu : *Serve male, & piger,* &c. & vecordium eſt accipere dedecus, dum laudem ambiunt. Igitur necnon & honorem per virtutem adipiſci *vult & non vult piger.*

S. Thom. in com. ſup. Matth. ib. ad n. 26.

Matth. 25. 26.

DELIBATIO III.

De quibuſdam Dei donis animæ collatis.

28. *Pot. ſtas Dei plus oſtenditur in evitando peccata mortalia, quàm in cõdonando.*

DEſcendamus ad illa verba Salomonis : *Anima autem operantium impinguabitur.* Relege ſupra commentarium noſtrum : & invenies, quam dedimus interpretationem Bedæ : quâ præſuppoſitâ æſtimare juvat quanta quotque dona largiatur Altiſſimus animæ juſti. Difficilem aſſumo provinciam ; ſed voluiſſe ſat eſt. Quis hæc appretiare valebit, omne pretium longiſſimè ſuperantia ? Piè dixit : Fr. David de Auguſta : *Ipſa beneficia ejus, quibus in nobis operatur ſalutem, tam pretioſa ſunt, quod nullo pretio ſunt condigna. Quid enim poteſt condignum gratiæ Spiritus ſancti excogitari, quam dat fidelibus ſuis, vel Corpori Chriſti, & Sanguini, & gloriæ cæleſti, præter alia abſque æſtimatione & numero, quæ ab eo percipimus.* Ut igitur difficultatem loquendi, plura dimittens imminuam, eligo ſolum ea, quæ Deus homini confert, intendens nec peccet. De neceſſariis providet, ut non aliena ſumat : in adverſitate protegit, ne deſperatione corruat : verbo ſuo per Evangelicos miniſtros enutrit, ut non à via mandatorum declinet : juſtorum conſortium vel ſaltem exemplorum notitiam, exhibet, ut infirmitas corroboretur : ac internis munit auxiliis, ut adverſarii tentationes propellat. Quorſum hæc omnia ? Ne malus fiat homo. *Nihil enim,* ait Firmianus, *ſancta & ſingularis illa majeſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam : quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis piè, ſatis religioſè litavit.* Deus equidem ſumma bonitas eſt: proindeque ſummè contrariatur malitiæ. Hinc fit quod notavit Chryſoſtomus, inquiens : *Deus omnia facit ut extinguatur malitia,* &c. Infidelis calumniabitur Deum, quaſi meticuloſum, ne per homines offendatur. Novum non erit, humanam ſic audere mentem, ut afficiat calumnia Dominum ſupremum. At vero fide firmus nihil omnipotentiæ derogari credet per hoc quòd evitare curet offenſas proprias. Quin potiùs magis divina poteſtas clareſcit in obſtando ſapienter delictis, quàm per donatam clementer veniam commiſſorum. Rationem debeo. Hanc accipe. Deus concedens indulgentiam peccati probat ſe Dominum voluntatis propriæ. In humanis injuriis, quas homo infert homini (ſi maxima licet componere minimis) eum qui non ulciſcitur ſeipſum vocamus dominantem valde ſuis operationibus apprimè. Quidni dicam, Deum per noxæ remiſſionem clariùs aperire quàm perfectè dominetur propriæ voluntati. Sed quid hoc ut æſtimetur potentia Dei ? Longe plus iſta cernitur in flectenda voluntate noſtra, ſine violentia, quò velit. Hoc maximè proprium Domini eſt. Audi S. Auguſtinum. *Quæ,* inquit, *ſcriptura divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam : verum etiam illas quæ conſervant ſæculi creaturam ita eſſe in Dei poteſtate ut eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari,* &c. Comparatio fiat inter peccatorum veniam, & criminum providam vitationem : aſſerere non metuam, Deum ſe glorioſiùs potentem detegere dum it obviam ſceleri, quàm cum remittit piacula. Minus eſt quod ligatum ſolvat ; magis inclytum poteſtatis opus immunem à laqueo reddere.

Fr. David de Aug. in formu. novit c. 29. vel forte S. Bonav. ib.

Lact. Firm. l. 6. divin. inſtit. c. 1.

Chryſ. to. 5. hom. 64. ad pop.

S. Aug. to. 7. l. de grat. & liber. arbitr. c. 20.

Paralyticus offertur Domino ſanandus. 29. Redemptor, ut graviori malo citiùs medelam apponeret, remiſit ei peccata. Blaſphemiam hoc dixere blaſphemi loquentes intra ſemetipſos. Repulit injuriam Filius Dei mitiſſimè verbis & facto. *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge,* &c. Ecce Chriſtus Dominus conſuluit honori proprio, temerarioſque reprimere conatus eſt. Memini, Salvatorem alibi verba protuliſſe, de quibus infideles poſſent anſam deſumere, ut negarent, Chriſtum æqualem Patri ſecundùm Divinitatem ; cum aſſeruiſſet, rogaſſe pro Simone, ut non deficeret illius fides. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua* : &c. Hic tam humiliter loquitur, ut non dixerit ad Petrum : Ego poteſtate mea roborabo te, ut fides tua non deficiat ; ſed rogaviſſe pro Simone, ſubmiſſus animo palam affirmat ? antea priuſquam reſoluta membra conſolidaret ægri, notum facere curat, ſe poteſtate remittendi peccata fulgere ? Solitus erat Redemptor Patris gloriam quærere ; non ſuam. De duobus prædictis operibus omnipotentiæ (ſcilicet indulgentiâ criminum, & Petri munitione, quâ roboratus non peccet deficiens in fide) primum attribuit ſibi, dicens : *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata,* &c. quia minus glorioſum

Matth. 9. 6.

Luc. 22. 32.

rioſum erat poteſtatis opus condonare ſcelera : ſecundum (ſcilicet obſtare ſupradicto Simonis lapſui) quia glorioſius extabat potentiæ factum , appropriavit æterno Parenti ; cum rogaverit eum pro iſto dono conferendo Simoni. *Rogavi* , &c. Ad hæc verba Quidam : *Per hæc Dei Verbum verè carnem ſe factum planum facit : ſiquidem precari tantùm in humanam naturam convenit ; in divinam autem nequaquam.* Ut homo ſollicitavit Salvator immunitatem Petri , ne deficiens in fide caderet : quia ſic ad majorem , ſcilicet Patrem ; humiliter ipſe remittebat opus tantæ molis ; quò potentia Dei ſplendidiùs elucet, quàm veniâ delicti. Qualiter ſit excelſum brachium Domini viſitur inſigniter quando lapſuro manum porrigit , ne ruat : manum , inquam , non vacuam ; ſed auxiliorum donatione plenam , quâ *impinguabitur* anima.

Incert. ſub nomi. Titi In Lucæ 22. ib.

30. *Deus gaudet vincere culpam , ne cadas , per media ad ſpeciem contraria.*

In hac ipſa Dei cura , quæ ſuos liberali manu tenet ut non prolabantur , patefit etiam Altiſſimi ſapientia : præſertim quia ſæpe mediis primò videri contrariis multoties hunc perficit prudenter finem. Legiſti Chryſoſtomum , dicentem : *Et vide quomodo variæ viæ ſint ſapientiæ Dei , & quomodo omnia juxta ſuam voluntatem faciat , & in inviis viam inveniat , per illa ipſa , quæ maximè adverſa videntur , ſalutem ſervorum ſuorum conſervans.* Noſti , ſapientis eſſe munus proprium , aliquando per media , quæ videbuntur oppoſita fini , ſcopum intentum attingere. Dominus omnium , quò non corruant homines in flagitia , donat quibuſdam opes , aliis honores ; ut primi non delinquant per ſuggeſtionem turpiter male ſuadæ famis ; ſecundi verò non deſperent blaſphemè , videntes abjici viliter ſe benemeritos : cum tamen divitiæ , necnon & mundanus honor , ſoleant culpis miniſtrare materiam. At Sapientia ſumma novit his ad vincendam culpam prudenter uti , ſimilibuſque ſanctitati paſſim adverſantibus. Gloriatur Deus in eo quòd , per contraria vincens , de peccato per idipſum , quod eſſe valeret incentivum criminis triumphet. Sunt hæc peculiariter bella Domini : qui gaudet pro delicto ſuperando (ne ſcilicet collabaris) uti medio , quod ſolitat ſervire vitio. Extinguit ſapienter ignibus ignes , & illo ; quò malus flammam frequenter accendit , Dominus dat ſuis à peccato ſe tueri victores.

S. Joan. Chr. to. 1. hom. 51. in Geneſ. prope fin.

31. Recolamus Judith hiſtoriam ſæpius ad varia themata repetitam. Cum premeretur Bethulia , deliberans ad inimicorum caſtra progredi , concives liberatura , ſe prius orationis armamento munivit. Poſt *omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem* , &c. O inveſtigabilem Dei providentiam ! Quid pulchritudinem augere fuit opus Judithæ ; de qua ſcribitur : *Erat autem eleganti aſpectu nimis* , &c. Inſuper quærerem : Indigetne Deus fragili manu fœminæ , ut interficiat Holofernem ? Ad proterendos exercitus integros ſatis eſſet nutus Dei. Ac , ſi vellet armare creaturam in ultionem impiorum , ſufficerent ſciniphes , ut agnoſceretur ibi digitus Dei. Si Dominus volebat potiùs per creaturam libertate menteque pollentem perdere Ducem hoſtilium copiarum ; quare non mittit Angelum , qui vitam eripiat Holofernis ? pulchra mulier , & ornata deligitur ad opus bellicum ? & adhuc illi novus additur faciei decor ? Ita ſapientiam demonſtravit ſuam Gubernator ſupremus orbis. Ambroſio docente notandum , Heroïnam haud ſolam reportaſſe victoriam civitatis à clade liberæ ; ſed etiam puritatis retuliſſe palmam. *Non minus* , ait S. Doctor, *ſervatæ caſtitatis ex hoſtibus revexit trophæum , quàm patriæ liberatæ.* Itaque , licet fœminea venuſtas , & ſpecioſus ornatus , frequentiſſimè caſtitati noceant mulieris pulchræ ; Deus per ornamenta muliebria , perque pulchritudinem (quam idcirco libens adauxit) vincere voluit Juditham laſcivum in caſtitatis prælio : Dictis proderit Auguſtinus , inquiens : *Judith caſto vultu prius dimicatura quam ferro. Monilium tela pudori ſemper adverſa hoſtem ferire didicerunt* , &c. Ut imbecillitas fœminini ſexus detineretur , ne lutum Juditha calcans libidinis barbari decideret in lubrico ; pugnavit ejus puritas hoſtilibus turpitudinis armis ; pulchritudine ſcilicet ac ornatu muliebri. Sic manifeſta redditur ſapientia Domini ſuſtentantis per contraria dilectos , ne concidant in peccata. Pinguedo præpedit hominem in iter agendo : gravitate ſuâ propellit , ut facile cæſpitet , atque labatur. At econtrariò juſtus , ut in calle recto progrediatur alacriter ; & nequaquam in ſcelera præcipitatur , nonnumquam bonis temporalibus *impinguabitur.*

Judith. 10. 3. 4.

S. Amb. to. 4. l. de vid.

S. Aug. in append. ſer. 67.

Largitas etiam pateſcit Conditoris in eò quòd homini munera donet ad impediendum ejus crimen. Omnem excedit admirationis rhetoricam quantos fecerit ſumptus Creator , ut virtuti demus operam. Imo pro deſiderio , quo Deum ſitit homo , tanta totque largus offert , ut jam non dicam eum negotiatorem (prout aliquando meditabar) ne putes , infeliciter agere negotium in emendâ re ſibi minimâ tam grandi pretio. Audi Clementem Alexandrinum ſuper illud quod legitur apud Iſaiam : *Omnes ſitientes* , &c. *Adhortatur* , inquit , *ad lavacrum , ad ſalutem , ad illuminationem , propemodum clamans & dicens : Do tibi , o fili , terram , & mare , & cœlum , & quæ in eis ſunt tibi omnia largior animantia. Solummodo o fili patrem ſitias , Deus tibi gratis oſtendetur.* Zelo tangitur Dominus , ut non appareat humanæ menti , ſe per ingratitudinem noſtram ſuperari : Quapropter , cum peccans demereatur beneficia divina , Dominique manum detinere videatur , ne ſibi munera conferat ; propter hocipſum Deus effundit largiùs bona peccatori multoties , ut claudat illius os , & hic à peccato deſiſtat. Cum Dominus alio fine tribuit hominibus rem deſiderabilem , aliquando non utitur adeo magna liberalitate : cùm verò ſatagit de ceſſatione culpæ , ſæpe donum confert majus peccantibus.

32. *Cum Deus largitate magis utitur intendit aliquando quòd homo ceſſet à peccato.*

Ad Iſai. 55. Clem. Alex. or. de Gent. poſt med.

33. Venit multitudo filiorum Iſraël in deſertum Sin, & murmuravere contra Moyſen & Aaron queruli quod eduxerint eos in illam ſolitudinem, ut occiderent fame. Poſtquam locutus Dominus Moyſi fuit, iſte Dei potentiâ fretus dixit ad eos : *Veſpere ſcietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti : & mane videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur veſtrum contra Dominum :* &c. Non feſtinus prætereas quòd minime dixit Moyſes, Dominum eduxiſſe illos ex Ægypto, eo quòd audiverit murmur illorum contra Dominum : nam murmuratio contra duos illos fratres miniſtros Dei, cenſebatur eſſe contra Deum. In præſenti narratur : *Murmuravit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen & Aaron*, &c. ipſi tamen dixerunt ad plebem : *Nos vero quid ſumus quia muſſitaſtis contra nos ?* Et poſt pauca legitur Moyſen dixiſſe : *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Deducitur inde quod etiam adversùs Deum cenſeri valet, Hebræos in Ægypto murmuraviſſe, cùm ibidem contra fratres eoſdem illi dixerunt : *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos.* An non & iſta verba murmurationem continebant adverſus Moyſen & Aaron, & conſequenter contra Dominum ? quare non dicitur, Omnipotentem eduxiſſe illos ex Ægypto propterea quòd audierit ſic murmurantes ? Quia redemptio de ſervitute fuit aliquâ ratione minor largitas Dei : quoniam redimens eos donavit eiſdem libertatem verè propriam ipſorum, injuſtè ablatam : & minus tibi confert qui dat quod tuum eſt. Atverò cùm poſt murmur donavit Hebræis carnes & manna, videtur, Deum ſe præbuiſſe liberaliorem ; nam impertitus eſt quod erat purè ſuum : & potiori munificentiâ te proſequitur ille, qui dono dat illud quod vocare non poteras tuum. Sic oportuit fieri, quò cerneremus extentam Domini manum, quâ vult homines à peccato retrahere. Contulit Judæis annonam cœleſtem, quia murmur eorum audivit, & compeſcere voluit iſtud. Effudit alimoniæ theſaurum deſuper, ut emeret ab illis pretio multo, ne rurſus murmurarent ſimiliter. O Deum infinitè magnificum ! Adeo magnîfacis à ſervis diſcolis non offendi, quòd tantis expenſis peccatum avertere conaris ? Hæc olim Deus. Quid in tempore felici legis gratiæ ? Tu cogita, gratus ineffabili tuo Largitori.

Exod. 16. 6. 7.

Ib. n. 2.

Ib. n. 7 & 8.

Ib. c. 5. 21.

34. *Amorem peculiariter Deus oſtendit curans impedire peccatii per donum.*

De potentiâ liberalitateque diximus, qua Deus utitur, cupiens ire delictis obviam, quibus anima debilitatur ; cum econtra virtutibus pingueſcat. Meditemur nunc amorem, cujus peculiare facinus eſt munera conferre dilecto, quò devictus beneficio non lædat benefactorem. Dilectionem Dei circa peccantes nunquam fatis verba noſtra deprome nt ; cum ab ipſo deficientes non ſolum amet ; ſed veluti deprecetur ut ſuos non dedignentur amores. Dulciter loquentem accipe S. Dionyſium Areopagitam : *An non ineffabilis, incomprehenſibiliſque bonitatis, quod ea quæ ſunt* (forte legendum : *Non ſunt*) *eſſe faciat . . . . quid quod à ſe deficientes amore proſequatur, contineatque ac roget, ne dedignentur amores : quin & delicioſos ipſos ac fruſtra provocatos ſuſtinet, atque ipſemet excuſat*, &c. Inter homines (quorum offenſæ ad invicem factæ, ſi ſumantur ſimul omnes, non æquant minimam læſionem Dei) miramur cùm aliquis offenſus non tantùm non averſatur offenſorem ; ſed petenti munus exhibet ; præſertim ſi veniam non petierat. Conſcendit altiùs divinus amor : peccantes enim, quamvis non adhuc ſtatum inimicitiæ reliquerint, vocat : quaſi parum foret non avertere faciem, & petentibus donare quod oportet. Fruere Theodoro Studita : qui ait : *Ergo nihili nos (o humanitatem inauditam !) protulit in lucem, collapſos iterum exerit : tertium munus largitus eſt, perfectionem monaſticam : jam peccantes inſuper nec tum averſatur quidem, ſed adciſcit*, &c. Cæteris dimiſſis, quibus Deus benefacit peccatori, nunc illud tantùm expendam dilectionis inexplicabilis officium ; quòd ſcilicet curet dono dato ſollicitare voluntatem ingratiſſimam, ut peccandi propoſitum deponat. Hæc donatio affectum exhibet excellenter : peculiariſſimeque Dei teſtificatur amorem. Eximiè ſe perhibet amantem Dominus, cum per munus curat hominem à crimine retrahere.

op. ep. 8. poſt princ.

S. Theodor. Studi. ſerm. catech. 24.

35. Privilegium obtinuiſſe dilectionis præcipuæ Joannem inter Apoſtolos, eſt in comperto. Nuſquam tamen legitur, Filium Dei vocaviſſe diſcipulum dilectum ſingulariter amicum. Hoc nomine compellavit perfidum Judam, cùm dixit : *Amice, ad quid veniſti ?* Paſchaſius ibi : *Verùm quantum ex ſeipſo ei amicus erat Chriſtus, quem diligebat etiam inimicum.* Bene. Sed nonne Joannes dilectus à Salvatore ; quare nullibi diſcipulo, quem diligebat, dixit : Amice ? Quoniam ex motivo jam ſubjiciendo Chriſtus peculiariſſimè dilectionem oſtendit erga Judam. In quo putas ? In ſatagendo per donationem Euchariſtiæ ſacræ, ne proditionem perficeret. Non id obtinuit piiſſimus Redemptor ; ſed hoc non tollit, beneficio, & honore collato Dominum curaviſſe quod traditor emmendaretur. Accipe Chryſoſtomum. *O cæcitatem proditoris*, ait, *qui cum ineffabilibus myſteriis communicaſſet, idem permanſit, & divinâ mensâ ſuſceptus, in melius commutari noluit . . . . Tali animo myſteriis ſuſceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus eſt. Chriſtus autem, omnia quamvis ſciret, vetare tamen eum noluit : ut tu diſcas, nihil ab eo prætermitti, quod ad emmendationem pertineat.* Preme verba poſtrema Doctoris, qui totus aureus : ex illis colliges, Filium Dei munere pretioſiſſimo voluiſſe Judam revocare à complendo ſcelere horrendo ; quaſi per illud reſipiſcentiam ejus emere cuperet. O magnum dilectionis opus ! Meritò ſoli Judæ ; non autem Joanni, dictum eſt inter Apoſtolos numero ſingulari : *Amice*, quia ſingulariſſimam dilectionis atteſtationem Dominus

Matth. 26. 50 Paſchaſ. l. 12. in Matth. ib.

Chryſ. to. 2. hom. 83. in Matth. in princ.

minus profert, cùm peccatorem trahere conatur à delicto per munera. Quid non exequetur amor de Deo triumphans? Amantem, liberalem, atque potentem experitur anima Deum: ſi, prout par eſt, ei cooperetur, *impinguabitur*.

36. *Comparativè ad gratiam ſanctificantem, diadema regiũ, imo creatio noſtra, quaſi non videntur dona Dei.*

Hucuſque dixi de mediis, quibus Omnipotens diteſcere facit animam, ut ſurgat à peccato, vel non decidat in illud. Nunc tandem pauca ſubjiciam circa donum gratiæ ſanctificantis, qua vivificatur poſt crimen. Illud ſæpe repetitum noſtræ paræmiæ, *Impinguabitur*, exponit ſic Hugo Cardinalis: *Hic pinguedine gratiæ.* Donum iſtud vix æſtimabile, tantî valet, ut omnia noſtra merita ſumpta collectim, & illi ſoli comparata, videantur eſſe nihilum. Tempeſtivè S. Thomas à Villanova ſuper illud Pſalmi: *Pro nihilo ſalvos facies illos*, habet ſic: *Utique pro nihilo: nam agnoſcere peccatum, diſplicere de peccato, & confiteri te eſſe quod es, qualis eſt ſatisfactio pro delicto? Utique de ſe nulla: ſed Dei miſericordia dignatur ſalvos nos facere pro nihilo*: &c. Tam copiosè Deus beneficio proſequitur animam per collationem juſtificantis gratiæ, quod neque regales coronæ cum ipſa compoſitæ, dignæ videantur nomine doni; nec ipſummet eſſe noſtrum ferè cenſeatur, dignè vocandum fore munus Dei. Conferatur diadema regium cum divina gratia: comparetur creatio cum juſtificatione: quodammodo videri poterit, comparativè ad gratiam, ſceptrum non eſſe numerandum inter dona Dei, nec ſimiliter creationis beneficium.

Hug. Card. in Prov. 13. 4

S. Thom. a Villan. ſerm. Dom. 3. Quadrag. adver. Pſal. 55. 8.

37. Judaicum populum non ex totò repulſum à Deo Paulus pro viribus defendit, loquens ad Romanos: ubi miſcuit ſequentia verba; quæ non ſemel apud Theologos abierunt in proverbium. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.* Sto acceptioni vulgari, ſecundùm quam ſignificatur, dona Dei ſtabilia eſſe. Gloſſa ex Auguſtino: Sunt ſine pœnitentia, *id eſt, ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt.* Scio, S. Ambroſium aliter Apoſtolum exponere: proindeque de illius interpretatione ſumam tantùm quòd hîc gratiam baptiſmalem intelligit. Ad illud: *Sine*, &c. ſubdit: *Verum eſt, quia gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum*, &c. Agnoſco Deum immutabilem: ſed audio dicentem olim ante diluvium: *Pœnitet enim me feciſſe eos.* Poſtea dixit: *Pœnitet me quod conſtituerim Saül regem*: &c. Quo ſtylo Paulus profert ſententiam, cui, cum primâ facie videatur affirmare Doctor Gentium, omnia dona Dei pœnitudinem haud recipere donantis, objiceret aliquis exempla duo proximè relata? Nonnemo ſic argueret adversùs Apoſtolum: Quomodo aſſeris, non cadere pœnitentiam ſupra dona Dei, cum pœnituerit illum de creatione hominis, ac de promotione Saülis in regem? an non creatio diademaque regium dona Dei ſunt? Reſpondere poſſet facillimè Paulus: Utique: ſed ago de gratia ſanctificante recepta per baptiſmum; de coronis regalibus mihi ſermo non eſt: imo nec de ſubſtantia hominis ipſa: tamen ſic pluraliter abſolutè loquor; quia munera hæc, ſi comparentur cum prædictâ gratiâ, tantopere manent infra illam, ut ferè nihil eſſe videantur, quaſi dona Dei non forent: Igitur, cum gratia baptiſmatis, & quæcumque alia, qua juſtificatur homo, ſint ejuſdem rationis, liquet manifeſtè quantùm per illam anima bene *operantium impinguabitur*.

Rom. 11. 29

Gloſ. Ord. ib ex Aug.

S. Amb. to. 3. com. Ep. ad Rom. ib.

Geneſ. 6. 7.

1. Reg 15. 11.

DELIBATIO IV.

Bonorum ſæculi parcitas inops.

38. *Bona mundi non tantùm præterreunt, ſed evaneſcunt.*

VUlgo fertur in proverbio: Vilis non eſt paupertas; vilia tamen ſuadet. Quot fraudes in promiſſis: quot varia figmenta docet? Mundus equidem bonorum pauperrimus eſt: non enim ſolet abundans eſſe carcer. Ob inopiam in pollicendo tam fallax, & in fingendo tam frequens invenitur. Accedit, quòd, cum ſit omnino tenebroſus, deceptionibus aptiſſimus eſt. S. Laurentius Juſtinianus: *Quidve hic mundus, & omnia quæ in mundo ſunt appellari poſſunt rectiùs, quàm tenebræ, quamquam enim aliter judicentur ab ipſorum amatoribus, veræ tamen tenebræ ſunt, & palpabiles. Oſtendunt enim ſe eſſe quod non ſunt, & falſis ſuis pollicitationibus inſipientium deludunt animos.* Tam verum eſt hoc, quàm difficile creditu multis. *Inanitas quam putatis ubertatem*, dixit Gilbertus. Facilius id ſuadebitur attendenti jam ſæcularibus abundantiis expoliatos. Ubinam ſunt Creſi theſauri? Semiramis reginæ pretioſa metalla? opes Tantali, vel Midæ? opulentia maxima Caonii receptæ ab Artaxerxe rege propter aquam ipſi datam ſitienti? Evanuere cuncta. Minus apparerent contemptu digna bona mundi, ſi tantùm præterirent, & non evaneſcerent. Haud ſolùm tranſeunt: inſuper diſparent, recedunt, proripiuntur, effugiunt. De voluptate peccaminoſa Cæſarius Arelatentis ait: *Fecit quiſque peccatum ut aliquam caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat. Conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertranſit.* Jam non miror, voluptatem evolare: nam, cum à cauſis, quibus movetur, in fieri & conſervari pendeat, iſtis abeuntibus, quomodo perſiſteret? Hujuſmodi cauſarum aliquot mutabilitatem parciùs quam poſſet, Hieronymus exprimit ſimilitudine deccurrentis aquæ. *In hoc*, ait, *mundo, quo ad momentum, aut aliquod tempus, aut ditamur, aut fortes ſumus, aut pulchri ſumus, & poſt modicum tranſit ſicut aqua & perit.* Non ſolum in aquæ morem, bona, quibus illudimur, decurrunt: ſcimus enim quò tendant aquæ: fontana deſcendit ad fluvium: fluvialis properat in æquor; ſed amata bona terrena frequenter pereunt ita, ut mihi dicere nequeas ubi ſunt. Sicut antea prædixi, nunc oſtendere tentabo, prædicta mundialia non tantummodo currere, ſed evaneſcere.

S. Laur. Juſt. in lig. vi. c. 15. de fide.

Gilbert. ſer. 15. in Cant.

Cæſ. r. Arel. hom. 3. de Paſchat.

S. Hier. to. 8. expoſ. Pſ. 136. n. 1.

39. In exercitio patientiæ Job ſtabat immotus. Et calumniæ reſiſtens iniquæ ; ne putarent illi tres amici, moleſtiſſimi conſolatores, ipſum à Deo ſic graviter percuſſum fuiſſe propter ſcelera ; curavit oſtendere, præſentis vitæ proſperitatem infallibilem innocentiæ teſtem non eſſe : quò ſic à contrario ſenſu probaret, afflictiones temporaneas à Domino miſſas nec ſemper convincere malum illum, qui patitur. Ut igitur manifeſtum faceret, fœlicitatem non eſſe teſtimonium ſanctitatis irrefragabile, de quibuſdam haudquaquam laudabilibus dixit : *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi.* Si per alium mihi liceret, exponerem in ſenſu morali hæc Jobi verba ſic, ut per inſtrumenta muſica prædicta ſignificentur eorum ſono bona terreſtria ; de quibus mundani concipiunt puerile gaudium. Si tibi, lector, hæc expoſitio vero ſimilis viſa fuerit, hanc ſuppone. Tunc à Jobo quære, quâ de causâ non hoc loco bona mundialium æquiparavit florentibus viridariis, vel pulchris picturis ? Mundus utique non diſſimilis eſt hortulo floſculis variegato : quorum quilibet exoritur ſole naſcente, marceſcit ad ejus occaſum. Deinde ſæculum valde ſimilatur picturæ : nam in hac multa ſunt ; quæ ſi manu tangas, longe alia cenſebis, quàm apparebant. Sic multa peritura veluti coloribus fallunt oculos ; & contraria veritas percipitur per experientiæ manum. Ergo cur non horto, vel imagini cauſas voluptatis mundanorum comparavit Jobus in præſenti ; ſed harmoniæ, quæ fit per inſtrumenta muſicalia ? Quia dum progreditur homo per viridarii ſemitas, iſtud permanet ; quamvis abeat ſpectator. Similiter quamvis picturâ decipiaris optimâ, perſiſtit illa tamen. At verò cùm delectationem capis à muſicis inſtrumentis, de ſono gaudes. Et quò ſonus ille placens abit ? Non dices quò iverit : cum enim ſit acris percuſſio, penitus evanuit. Sic accidit bonis, quibus frequenter exultamus : diſparendo nos relinquunt inanes. Non equidem per iſta *impinguabitur anima.*

Job.21.12.

40. *Magus poſt ſuas cogitationes it aliquando malus ; quàm poſt bona delecta.*

Cum evanida ſint univerſa quotquot avertunt hominem à bono, quæ præcipitant ad malum ; quiſquis rationem habere cum ſemetipſo curans, interrogabit cor ſuum, dicens : Quid te rapit amantem ? poſt quæ vadis inſanè ? Obmuteſcet fortè : ſed ejus vice tibi reſpondebit aliquis : Poſt imaginationem vadit cor tuum. Proſequamur ænigma fluentis aquæ datum à S. Hieronimo proximè. Super flumen ſtans intentis oculis ad cryſtallinum ſplendorem lymphæ, putat eamdem, quam primò cernit ibi manere ; rurſumque delectabiliter complacet in ea, quaſi foret eadem. Mentitur ei viſus & phantaſia ; ſed imaginatio facit cauſam gaudio complacenti : nam velox difluit unda : vix illam perluſtras oculis, cum abiit, quantumvis conſiſtere putes, quia ſtagnat. Cauſam, rurſus inquam, complacentiæ noſtræ ab internâ ſumimus imagine : cum enim ea, quæ foris per ſenſus agnoſcimus, non poſſimus in animum intromittere, picturas quaſdam illorum ſumptu noſtro formamus, & in has ferimur, quibus ferimur, conjungentes nos ipſis amore tanto, quòd res nihili valentes reputemus aliquid extare. Auguſtinum tacere nolo. *Et quia*, inquit, *illa corpora ſunt, quæ foris per ſenſus carnis adamavit, eorumque diuturnâ quadam familiaritate implicata eſt, nec ſecum poteſt introrſum tamquam in regionem incorporeæ naturæ ipſa corpora inferre, imagines eorum convolvit* (loquitur de anima S. Doctor) *& rapit, factas in ſemetipſa, de ſemetipſa. Dat enim eis formandis quiddam ſubſtantiæ ſuæ, ſervat autem aliquid, quo liberè de ſpecie talium imaginum judicet .... Errat autem mens, cum ſe iſtis imaginibus tanto amore conjungit, ut etiam ſe eſſe aliquid hujuſmodi exiſtimet.* Non firmam dicas hanc dilectionem, ſed obſtinatam : utpote velut apertis verbis fateatur, ſe poſt cogitationes proprias ire. O cæcitatem fruſtra videntem ! Quandiu ſe malus excuſat, dicens utilia quærere bona, minus intolerabilis eſt ejus electio ſtulta. Sed heu, ſunt aliqui vel experientiis, vel aliter edocti : qui noverunt ferri ſe poſt mentis imagines ; & contendunt adhuc, aientes, ituros eſſe poſt eas. Deſperatorum eſt nonnunquam poſt cogitationes ire ſuas.

S.Aug.to.3.l. 10. de Trin. c. 5.

41. Judæis Jeremias venturum ſupplicium prænuntiare jubetur Dei nomine junctâ monitione ad pœnitentiam. Vide qualiter eorum obſtinationem proponat Vates. *Qui dixerunt : Deſperavimus : poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.* Commentatur Cornelius : *q. d. Actum eſt, non poſſumus inolitas voluptates, conſuetudines & peccata relinquere ; præ difficultate habitu, tædio & negligentia, non poſſumus ad Dei timorem & legis obſervantiam reverti.* Sperabam, dicturos: Legem Dei non ſectabimur ; ſed quidquid nobis inter creaturas invenerimus amabile, quæremus : Deum quippe non cernimus ; illa verò quæ nos trahunt, ſenſibus utplurimùm percipimus. Se conſtentur ituros poſt ſuas cogitationes ? Veritas perſæpe vel in os, vel in mentem aſcendit non advertenter invitis. Quaſi noſcerent, creaturas amatas contra præceptum Dei penitus eſſe nihil, præter imaginationem diligentis, *dixerunt : Deſperavimus : poſt cogitationes enim noſtras ibimus*, &c. Mali ſæpiùs ita rebus tranſitoriis addicti ſunt, ut eas relinquere deſperent, ac propriæ mentis imagines, quibus depinguntur ut amore dignæ, pertinaciter inſequuntur. O mentes hominum deluſas inaniter ! Quid eſt, quæſo, facultatum perpetuitas, quam dedocet clamans experientia, niſi mera phantaſia, poſtquam it cupidus, avens opes multitudinis pondere ſtabilire ? quid illum pulchrum digito monſtrari perfidæ manus, niſi fumus tegens invidiæ flammas, adulationis laqueos : qui certè nemini placent ?

Jerem.18.12.

Alap.in com. ib.

cent ? Sed apprehenſionem ſequitur ſuam ſervus ambitionis. Hi cœterique morbis animæ perturbantibus mentem deluſi, poſt mendaces judicii ſui colores currunt velociùs, quàm puer perſequitur fugientem aviculam, & ad ſimilitudinem illius cadit : Utinam puellum imitaretur flens propter lapſum.

42. *Congregans divitias congregat cupiditates.*

Ex iis quæ dicta ſunt oritur, ut mundanos haud ſatient peritura bona : quod S. Iſidorus Peluſiota circa divitias loquens, notavit in hæc verba : *Diſce non à me, ſed ab ipſâ rei natura, ſi infinitas quærendæ pecuniæ vias excogitaris ſatietatem minimè reperies. Non enim ſatietas eum divitiis convenit.* Quis per imagines mentales rerum ſaturabitur ? Sitis hujus, quâ homines ardent, ne culpam rejiciant in mundum omnino. Viam facientes per deſerta loca, quantumvis illi ſitiant, nunquam audiſti queruloſos contra ſolitudinem, quaſi noceat eis hoſtiliter in denegando potum. Mundus, per quem iter carpimus, eremus eſt. Quid emittis querelas de terra, quòd ſit inaquoſa ? Expendens Gilbertus profundè ſæculum tamquam deſertum, verè dixit : *Denique terra ſitis eſt, & imago mortis, ſicut dicit Jeremias propheta.* Terra, *inquit*, ſitis. *Cupiditates enim mundanas magis irritat, quam ſatiat.* Reſtinguere ſitim querebas in loco ſolitudinis ? Reſpondebit querimoniæ tuæ Chriſtianus Philoſophus : Sitis eſt appetitus frigidi & humidi. Graſſatur in orbe multus ignis vitiorum, ſiccans pluvias de cœlo cadentes, & exurens terræ viſcera. Quid tu per inanem philoſophiam quæritas in calido & ſicco frigidum & humidum ? Dices me citò reliquiſſe nunc aquarum allegoriam, quam proximè ſupra cœperam. Et hunc tibi ſcrupulum ſedare conabor. Quidquid aquarum in ſæculo vel inveneris, vel imaginatus fueris, ineptum eſt ut ſitientem refrigeret : imo ſitim adauget. Sitibundus accedit viator ad lacunam valde lutoſam : applicat manum, ut in os projiciat potum, cujus deſiderio torquetur. Sed videns aquam luto fœdam, non ſolum eam nequaquam bibit ; ſed ardor, quo ferebatur in illam, accipit incrementum. Haud multùm aliter contingit (ut cæteros omittam) opulentiæ dilectoribus : quamvis illius potent aquas, nec placant eam cupiditatem quâ ſitiunt ; neque deſinunt æſtu majore cruciari. Solent ita per abundantiam inopes fieri qui fervent avaritiâ, quòd veraciter aſſeverare poſſumus, congregantem facultatum cumulos, congregare ſibi cupiditates. Coacervat pretioſa non ſedantia cordis inquietudinem, ſed gignentia novam : proindeque dicemus, hunc avaritiam accumulare.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 543.

Gilbert. ſer. 35. in Cant.

43. Habac. 2. 9. Sanct. in eo. ib.

Verba Domini legimus apud Habacuh ponderatu digniſſima. Dixit vati Deus fore ut adveniret poſtea tempus, quo diceretur de quodam rege Chaldæorum alienum rapiente : *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ*, &c. Sanctiùs ibi : *Avaritia pro divitiis ſumitur avarè conquiſitis*, &c. Quo loquendi genere ſignificantur opes avaritiæ nomine ? Objiciet Ariſtoteles definitionem ſuam, quam deſcripſit huic indefinito vitio. *Avaritia*, inquit, *eſt animæ avitas, ob quam omnifariam congerendarum opum creſcit appetitus.* Ad rem noſtram dubium ſolvo. Divitiæ nominantur avaritiæ vocabulo rectè, cùm per iſtam nominis tranſmutationem ſumimus effectum pro cauſa. Copiæ frequenter faciunt ut creſcat amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit : ac ſimiliter in aliis quibuſcunque ditantur avari. Quiſquis eorum, cum bona multiplicat felix, deſiderium plus habendi miſer centuplicat : avaritiam congregat. Febricitans medico fidem non habet vitandi deſideratas aquæ nimiùm placentis potationes ; & clanculum exhaurit amphoram, licet aliquando labatur, dum pergit infirmis pedibus ad eam noctu quærendam. Revertitur ad lectum plenè refrigeratis viſceribus, ut putat. Sed mox experitur febrim illo falſo remedio magis accenſam. Non diſſimiliter cupidi ; quorum febris, ut legiſti ſæpius, avaritia eſt. Hi nimis exæſtuantes quietem deſerunt & ut quærant deſideratas divitiarum aquas, negatas lege Dei, ſalutem curantis illius, feſtinat furtim ; ſed in mediis tenebris culpæ : labitur, & bibit abundè. Regreditur quærens in lecto impœnitentiæ requiem ; nec invenit : nam epotis aquis increſcit avara febris.

Ariſtot.

44. *Aliqui dites inopes verè ſunt.*

Rationem exigis, lector, quare ſic divitum cupido recipiat augmenta per opes. Cogis me rationem afferte paſſionis abſque ratione operantis. Morbus eſt : non hunc dirigit ratio. Cauſam tamen adnotabo, cur ita ſe res habere ſoleat. Mundanus dives bonorum ſæcularium ſervus eſt : & rarò videbis captivum, qui pauper non ſit : minimè quippe loquimur de bello captis infeliciter ; ſed tantùm de ſervis emptitiis ; quales illi ſunt opulenti ; quos nempe mundus pretio ſibi comparavit. Quidni ſuſtineat inopiam qui ſervus emptitius eſt ? Egeſtas hæc movet poſſidendi vota, quæ vigent in pectore ditis inſatiabili. Cellaria replentur frumentis : & grana cupit ibi fieri ſemina pro germinandis acervis. Claudit arca pecunias : ſed repoſitum cor ejus ubi theſaurus abſconditur, ſtudet fœnori lucrando. Avari paupertas eſt in causâ. Servitus, inquam, prædicta non in facultatibus eſt poſita ; ſed in culpa. Da mihi malum divitem ; dabo pauperem. Non tam adverſitas hominem depauperat, quàm proſperitas multos ad indigentiam reducit. Adverſo tempore dives forſan eſſet qui ſuccedentibus proſperis indigus fit.

45. Eccl. 40. 13.

Eruditionis variam, prout ſolet, copiam ſapienter miſcens Eccleſiaſticus, hoc annuntiat pravis divitibus triſte ſatis dogma ; vel de cunctis, vel de quibuſdam loquatur. *Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur*, &c. Eſto quòd amni comparentur opes iſtorum. Sed videbantur potius aſſimilari fluvialibus aquis in pereundo, cum flumen in mare præcipitat fluenta ;

ta : ſic ut argentum ſuum (ne damnes quòd argentum appellem quod fluit) æquori tradat non egenti. Nequaquam impropria foret iſtius modi ſimilitudo : nam divites iniqui bona conſumentes cum falſis amicis, & in moribus æquè perditis, & in opulentiâ paribus, propriam ſubſtantiam præcipites mittunt in mare, quod illâ non indiget. Accedit, quòd flumen, cum in Occeanum decurrit, ſuas ita perdit aquas, ut ipſæ nomen ejus amittant. Nonne mali poſſeſſiones ita præterfluunt, quòd jam neſcitur cujuſnam fuerit illa domus ampla, prædium hoc pingue ? quâ de causâ Siracides injuſtum ad paupertatem redactum non æqualem dixit fluvio dum præcipitat undas ; & ſimilem putavit amni deſiccato? Acutum eſt ænigma. Quod ut aperias, memento, per hyemen ſignificari ſæpiûs adverſitatem ; ſortem verò ridentem nonnunquam verê deſignari. Petrus Bleſenſis ad illud Zachariæ 14. *In æſtate & in hyeme erunt.* Sic habet : *Æſtas & hyems ſunt proſperitas & adverſitas.* Non areſcit fluvius tempore hyemis ; æſtate per nimium calorem arefit. Similiter plures non in adverſis pauperiem tam patiuntur, quàm in proſperis : æſtivis abundantiarum temporibus exſiccantur quorumdam exuberantes copiæ, peccatis urentibus. Opportunè Clemens Alexandrinus : *Quod ſi ſit*, ait, *vel* Mida *&* Cynira *ditior, ſit autem injuſtus & inſolens, quemadmodum qui purpura & byſſo luxuriosè veſtiebatur* Lazarum *autem contemnebat, & miſer eſt, & in mœrore vivit .... Quare non qui habet & ſervat, ſed qui impertit, eſt dives :* &c. Ecce jam dedi quare multis augeat cenſus inexplebilem ampliùs poſſidendi famem. Egeni ſunt ; ideo ſaturari cupiunt.

Ad Zachar. 14. 8. Petr. Bleſ. l. contra perfid. Judæo c. 26. in pr.

Clem. Alex. l. 3. Pædag c. 6.

46. *Injuſtus non ditatur alienis.*

Adhuc inſurgis adversùs hæc, dicens: Quî fieri poteſt, ut inopes credamus eos, quorum fæva rapacitas alios pauperes efficit, ut ſe repleat ipſam ? De cauſis oppoſitis contrarii prodeunt effectus : ergo quo pacto facultates pariunt indigentiam duplicem atque ſimilem : unam ſcilicet, quæ ſit effectus oppreſſionis paſſivæ, quam patitur damnificatus violenter ; alteram quæ naſcatur ex activa oppreſſione, qua dives alteri nocet malus ? Reſpondeo. In primis, cum is, qui patitur ſpoliationem illam philoſophatur Chriſtianè, ſuſtinens æquanimiter factam ſibi rapinam ; hic non verè pauper fit. Igitur falsò tuum ſupponit argumentum. Sed quia rarum eſt hoc, venio ad ægrè ferentes ablata ſibi fuiſſe bona, clamoribuſque ferientes aſtra, propter crudelem divitis rapacis avaritiam facti pauperes. Dicam. Tunc & ſpoliatus factus eſt egenus, & ſpolians nihil per injuſtitiam veraciter acquiſivit. Exemplo res pateſtet. È rebus deſumpto naturalibus. Commendat agricola triticum agro, non longe poſito à ripa fluvii. Poſtea flumen exundans rapuit agri ſemina. Miſer agricultor pauperiem paſſus eſt per iſtam fluviis ſuperbiam. Sed quid amnis inde lucratus fuit, ſublato ſic tritico ? Nil penitus ; niſi quod ſordidus factus eſt à luto, qui pellucidus erat antea. Simillimus eſt ſuperbus & injuſtus opulentus inundanti fluvio. Non ex rapto veraciter ditatur ille : nihil inde colligit, niſi culpæ ſordes. Non, rurſus dicam, quiſque diteſcit alienis. Audi flumen aliud, ſed ſapientiæ. Ne calumnieris quod nimis comptus loquar, dum ſic Ambroſium appello. Sat meminiſti, S. Bernardum longe plus ornato ſermone Doctorem eumdem nominaſſe, cum dixit : *Ait illa cœleſtis fiſtula Ambroſius.* Ambroſium itaque legito. *De ærumnis*, inquit ille, *ditaris, de lacrymis lucrum quæris, de fame alena paſceris, de exuviis deſpoliatorum hominum cudis argentum : & judicas te divitem, qui ſtipem poſcis à paupere ?* Concludam, & è ſacro Textu probare conabor, iniquum per aliena bona minimè ditem reddi.

S. Bern ſer. de quadrup. debito. S. Amb. to. 2. l. de Job. c. 14 fi.

Iterum ad prophetam Habacuc veniamus. Apud illum de quodam Babyloniæ rege dicitur : *Qui dilatavit quaſi infernus animam ſuam : & ipſe quaſi mors, & non adimpletur : & congregabit ad ſe omnes gentes,* &c. Theodoretus inibi : *Omnis ſapiens ejus inexhauſtam aviditatem inferno & morti comparabit, & eum lamentabitur, ex alienis bonis ſuas opes augentem, & ſatietate affici non valentem, ſed tributis, & vectigalibus ſubditos onerantem,* &c. Inferno ſimilari propriiſſimè hominem flammis avaritiæ ſuccenſum facilè capio. Quâ verò proprietate dicatur iſte ſimilis morti, non ſatis percipio. Mors equidem pauperrima : quidquid pictoribus liceat, nunquam illos fuiſſe auſos eam pingere niſi nudam vidiſti. Verum eſt quòd tributum ei ſolvitur à mortalibus : tamen exigitur juſtiſſimè ; rex autem ille, de quo ſermo fit apud vatem, dicitur à Commentatore tributis, & vectigalibus ſubditos onerans, proindeque non juſtus in exigendo. Quapropter mirabar æquiparari morti : *Ipſe quaſi mors*, &c. Sed jam hîc nil mirum puto, cum lentiùs animadverterim analogiam pulchram inhiantis alieno, cum ipſa morte. Multitudinem opulentorum copioſam ſpoliavit mors. An illa per ſpolia dives facta fuit ? Nequaquam. Sic & raptores avari, quantumlibet proximorum ſubſtantias deprædentur, minimè propterea diteſcunt. Hæccine ſunt dona mundi, quibus trahit ſuos ? opes retribuit, per quas pauperiem patiuntur accipientes ? phantaſias omnino re vacuas, fumoſque venditat ſub ſpecie munerum ? iſta ſuis præmia largitur clientibus ? O laborioſe nimis infelices ! o ter beati, qui Deo famulantur munificentiſſimo ! Animæ ſæculo ſervientium erunt ſpiritualiter macilentæ : *anima autem* bene *operantium impinguabitur.*

47. Habac. 2. 5.

Theodor. in com. ib.

DELIBATIO V.

Stupiditas peccatoris ; & cæcitas ligans. De radicibus terrenis ; & virtutis cum anima ſimilitudine. De vocante Deo, atque donante.

48. *Peccator aliquando veluti neſcit dicere quò tendat.*

Vult. Non exprimit Salomon in præſenti quid velit piger. Et ſi loquamur de accedioſis in rebus animam attinentibus, taliter aliqui ſe gerunt, ut aliquando nec ipſimet interrogati quò tendant, apte reſpondeant. Viatores equidem ſumus : & quamvis in iterfactione corporali vix inveniatur ullus etiam vagus, qui, ſi rogetur quò pergat, reſponſum non det ad rem : tamen etiam prudentiſſimus, cum illi contigit a via exerrare ; cognito errore neſciens quà ſe reducat in ſemitam, nunc retro, nunc ulteriùs, nunc in tranſverſum ambulat ignorans quò pergat. Non aliter multi, qui ſalutis viam perdidere, ſic incertos ponunt greſſus, ut nec ipſi videantur de via ſua certi. Similes iſti ſunt navibus in medio mari ſine pondere ſaburræ, nullo tenente gubernaculum : quæ potiùs impelluntur ab undis, quàm ſecant æquoris fluctus. Similitudinem debeo Magno

S. Baſil. M. ho. 25. int. r var. Baſilio, qui ait : *Aut ſic ſanè fuerimus palam velut navigia non ſaburrata, & nulla nobis mente ad animæ gubernacula deſidente, temere per vitam ſurſum ac deorſum feremur?* Navigamus per occeanum fluctibus procelloſum, ſcopis malefidum : humilitatis pondus abjecimus, quô navigium rationale firmatur. Si nauclerus, hoc eſt, intellectus clavum nauticum non dimiſiſſet, ab eo quæreremus quò tenderet ratis. Sed cum ille proprium nolit agere munus, quis interroganti reſpondebit ad quem portum navicula faciat viam ? Quibuſdam peccatoribus dic : Quò tenditis ? Velut incertus de ſemetipſo, nequaquam reſponſum dabit quiſque. Viam perdidit : quâ ratione dicet quò vadat peccator ?

49. Vilium eſt de fortuna ſuperbire. Levia quiſquilia tollit ventus in altum ; qui non movet frondoſam quercum, nobilemve cedrum. Erat Agar ancilla Sarai : dedit hæc ſervam uxorem conjugi ſuo : quæ quia vidit ſe concepiſſe, dominam deſpexit. Superbam affligendo coercere curavit Sarai ; ſed illa fugam iniit. Invenit eam juxta fontem Angelus

Geneſ. 16 8. Domini. *Dixit ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis ? & quo vadis ? quæ reſpondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Nôtaſti quàm ſit interrogatis inæquale reſponſum, quod præbuit Agar ? Duo ſuſcitatus eſt Angelus : primum ſcilicet unde veniret ; ſecundum quò vaderet. Ancilla dicens à Domina ſua fugere, ſoli primæ reſpondit interrogationi. Quid retulit, ut ſatisfaceret ſecundo quæſito ? Nihil prorſus : nec Angelicus iterum ſpiritus inſtitit, ut ſibi reſponderet quonàm viam carperet. Sapienter quidem non hanc iteravit quæſtionem, intelligens hoc fruſtra fore : quia terminum ad quem paſſus incertos dirigebat ſerva penitus ignorabat. Verum eſt quòd non imprudenter Angelus prius rogaverat quò faceret iter : ut nempe reſipiſceret agnoſcens, à domo Sarai dominæ ſuæ factam alienam, ſic miſerè fluctuare, ut vix inveniret ubi pedem figeret congruè. Sed poſtquam de hoc primò percontatus eſt, non erat cur iterum ſciſcitaretur de fine viæ, quem intendebat ancilla : nam quid reſpondere valebat congruenter ? Dimitte litteram ; attende myſterium ductus Auguſtini luce. *Non autem ignoras*, inquit, *quod iſtæ duæ mulieres Sara & Agar, & duo filii earum Iſaac & Iſmaël pro ſpiritalibus & carnalibus figurentur*, &c. Carnalem ſectantes vivendi modum ſic multoties incertiſſimo gradu viam, ſeu, quod in idem recidit, vitam agunt, quòd vix dicere queant ad quem ſcopum intendant, vel quam proponant ſibi metam. Et utinam probè ſcirent unde veniunt : quem fugiunt, nempe Dominum ſuum : quo relicto, cuncta ſunt invia ſolitudo. Fortaſſis hoc pacto major ſpes foret, ut aperirent lumina, cernentes quò vadunt ; ad æternum ſcilicet præcipitium. Meritò Salomon hîc de pigro non expreſſit quid velit ; ſed abſolutè ſolum ait : *Vult.*

S Aug. to. 2, ep. 48. longè poſt princ.

50. *Ad virtutis conſtantiam oportet radices in terrâ non figere.*

Et non vult. Hæc voluntatis inconſtantia ſæpe naſcitur ex eo quòd nequaquam radicitùs avellimus animum à terrenis. Quandiu non integre tollitur ab ægroto cauſa morbi ; quantumvis appoſitis medicamentis parti læſæ, melius habeat ; poſt modicum renovatur id quod patiebatur antea. Niſi penitus auferatur ægritudinis radix, in vanum laborat medicina. Sic & in ſpiritualibus oportet malorum cauſas non reſecare tantùm, vel moderari ; ſed avellere. Barlaam Epiſcopus : *Illam*, inquit, *commotionem perturbationum in eis appellamus, in qua mens à conſtantia egreditur, & obſcuratur, & acumen intelligendi obtunditur : manifeſtum eſt quòd non eſt reſecanda vel moderanda ; ſed penitus evellenda.* Una ex potiſſimis delictorum originibus eſt amor terreſtrium. Dum non illum dimiſerimus ex toto, volentes patiemur crebras mutationes in re virtutis. Congruum erit ad vincendam inſtabilitatem noſtram ut radices non relinquamus permanere fixas in terra. Cultor agri, ſi comperiat, arbuſtum fructus edere non propter peſſimam conditionem terræ, quâ plantatum eſt ; non ramos putat ; ſed totum illum à radicibus avulſum transfert ocyus in fertile ſolum. Aliter quantamlibet impendat curam in arboris illius culturâ, nunc bona, nunc mala germinabit poma : tranſlatum verò jam ad agrum fœcundum, conſtanter gignet optima. Quidam ad meliorem frugem ſe recipientes ; à terra non adhuc evulſi, perſuadent ſibi, mutato veſtitu luxurioſo in modeſtum, addito jejunio bis vel ſemel in hebdomada, cæteris affectibus ut antea radicatis in terreſtribus, jam totum

Barl. Epiſc. in Ethic. c. 15.

peractum esse negotium salutis. Sic putant, inquam, sed ista putatio tantùm fuit arboris ; & oportebat avelli. Virtutem diligentium est radices in terra non figere, sed super illam elevari.

51. Zachar 9.16. Expensione donare vellem verba quædam Zachariæ prophetæ : *Lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* Spiritualiter sic exponit locum S. Hieronymus : *Lapides sancti volventur super terram ejus : qui tantum erunt leves & in sublime nitentes, ut non præstolentur ædificantium manus : sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi, & contineri angulari lapide .... & volventur quandiu in corpore fuerint super terram : quia aggravat terrena habitatio sensum multa curantem :* &c. Præsuppositio Doctoris in sacras exponendo Scripturas maximi commentario, quæro : Cur Vates justos, de quibus in spirituali sensu loquitur sic, non appellavit cedros ? Elevationem eorum certè prædicebat : & sublimis arbor cedrus est. Quare non inquit : Cedri sanctæ levabuntur super terram ; sed ait : *Lapides sancti elevabuntur super terram ejus ?* Dicerem. Cedrus, cum sit arbos, radices in terra condit ; nec adeo constans est, ut ramos ejus ventus non moveat. Lapis non sic. Radices non mittit in terram ; nec flatus etiam fortissimus impulsum præbet ei sufficientem, ut moveatur. Ita justus constans in virtute persistit : quoniam sicut lapis radicibus missis in terram caret ; in eo dispar à ligno, quòd arbor, licet crescat sublimiter, attamen fibris amplectitur amicè glebam : justus autem ascendit, prorsus terram dimittens. Ita fit ut ad similitudinem lapidis, etsi volvatur dum vivit, constans permaneat ; & minime de illo pronuntiari valeat : *Vult & non vult.*

S.Hier. to.6. l.2. in Zach. ib.

52. *Peccator eo religatur, quo cæcutit.* *Piger.* Et quid est illud, quod præcipuè pigritare facit peccatorem, ne de rebus animæ cito deliberet ? Vide quò cæcutiat ille ; scies quô detineatur cor ejus, ne solerter ad vitæ semitas accedat. Abbreviator Gregorii Magni S. Odo Cluniacensis dixit : *Somnus aliquando torpor negligentiæ, ut illud :* Hora est jam nos de somno surgere. Accommodâ locutione dicitur negligentis inertia somnus quandoque. Sopor etenim duo præstat ; seu potiùs duo tollit : excœcat oculos, & ligat pedes. Ita contingit negligenti quod accidit soporato : cæcatur quippe simul, atque præpeditur. Et utplurimùm illometipsô, quô mentis lumina clauduntur, gressus operationum implicantur. Advertendum tamen est, effectus istos duos, ligare scilicet, ac reddere cæcam, non soli desidiæ convenire : plura passim reperiuntur scelera, quæ peccatorem catenis vinciunt, & mentis visu privant. Deterioris conditionis hi sunt, quam à nativitate cæci, vel ab ortu claudi. Qui natus est luminibus orbus, gressum liberè facit, quamvis egeat sustentante baculo, quô tentat viam, vel duce dirigente dubios passus. Miserior est ille peccator : nam baculus arundineus (hoc est spes ejus inanis) quantumvis eô nixus tentat incedere firmus, novas adducit illi tentationes, quibus & feritur, & cadit. Si verò cæcutiens iste ducatum alienum quærit, sæpe non eligit videntem, à quo regatur ; sed alium fortè cæcio rem : & ambo labuntur in foveam. Claudus à natura non oculis claudicat ; sed viam facit, docentibus palpebris quà vitet impedimenta. Spiritaliter vero claudicans, animæ pedibus, id est, affectibus, pariter cæcutit : non supplebunt oculi defectus pedum. Statuamus, peccatores eometipsô religari ne lumen quærant, quô simul impediuntur ne videant : ipsa peccatorum caligo catena est.

S.Odo Clun. l 5 in Job.

53. Diversis plagis flagellaverat Omnipotens Pharaonem rebellione contumaci persistentem in detinendo tyrannicè populum suum. Et quia malus indignus est luce, quâ fruuntur vel bruta, jubente Domino factæ sunt per Moysis manum horribiles tenebræ. *Extenditque Moyses manum in cælum : & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat :* &c. Hæc ultima preme. Ægyptiorum aliquos comprehendisse repentinam caliginem haud inficiaberis, ubi non haberent ignem ad manum, nec instrumenta, quibus accenderent illum, pro lucernis parandis. Ergo cur non pergunt ad alibi quærendum igneam lucem ; cujus adjutorio cernant, cum tenebræ factæ fuerint diebus tribus ? *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat :* &c. Existimo, tenebras tam horrificas fuisse, quod impedimentum viæ pepererunt Ægyptiis. Ex eadem causa prodiit illa cæcitas, & ista pedum ligatio. Ne me putes liberè vocare tenebras ligamen Ægyptiorum, lege quid Salomon dixerit de ipsis iniquis : *Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis,* &c. Jam insurgis contra pauperem cogitatiunculam, objiciens, eumdem Sapientem affirmare, tenebras illas illuminari non potuisse per ignem. *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere,* &c. Condoles scrupulosæ conscientiæ tuæ ; quò sic reddens bonum pro malo, mihi nequaquam parcentibus retribuam. Agnosco textum. Sed quæro. An omnes Ægyptii noverant, illam caliginem haud posse per ignem illustrari ? Stat ergo mea dubitatiuncula saltem pro aliquibus, & solutio data, cum implacabilium censorum pace. Rem applica moribus. Do tibi Venerabilem Bedam. *Moraliter unaquæque anima in hoc mundo dum in erroribus vivit, posita est in Ægypto, id est, hoc mundo .... gestorum suorum tenebras videt :* &c. Doctrinæ morali quæ dicta sunt aptemus. Non præsumat peccator, se liberandum à nexibus, quibus irretitur, nisi aperiat mentis oculos ; neque putet, istos aperiendos, quandiu non soluta fuerint ligamina : quoniam utriusque damni peccatum noscitur una causa. Nec dissolvetur ergo, nisi videat ; nec aspiciet dum non vincula dimiserit. Hæc manifestiùs verificantur in eo, qui peccandi consuetudine gravatus, per inertiam factus est *piger.*

Exod. 10. 22. 23.

Sapien. 17. 2.

Ib. n. 5.

Bed. com in Exod. 10. prox. sup.

54. *Opus bonum videtur esse anima bene operantis.*

Anima autem. Septuaginta verterunt hoc loco : *Manus.* Nec existimabo, sic factum casu : potius annuente Dei providentia nunc puto legisse, *Manus*, pro, *Anima* : quò meditaremur, spiritum nostrum coram Domino ferè nihil habere nisi manus, id est, opera, Scis illud Gregorii Magni : *Quid per manus, nisi operationes accipimus ?* Vulgò dicitur, operandi consuetudinem esse naturam alteram. Augere fas est istud vulgare proverbium, ita ut non dicatur altera quasi nova superaddita natura, sed velut hæc in ordine ad opera consuetudo sit quasi prior natura nostra. Loqui non cum pluribus audenti mihi patronus esto Chrysostomus. *Nonne*, ait, *etiam audisti illud antiquum, & sæculare proverbium, quod fiat ex consuetudine secunda natura ? Ego verè dixerim quod etiam prima, sicut superiùs dicta docuerunt. Vides igitur & haberi posse illam, quæ in natura est, firmitatem, si sit voluntas fortis, ac vigilans :* &c. Virtutes equidem nequaquam nostræ naturæ adversantur inimicè : quin imo sunt aliquæ sympathiam habentes cum illa. Sit exemplo, condolere pauperi lacrimanti, Deum rogare pro vitæ necessariis, & similia. Cumque non sit impossibile converti sæpius unum in aliud, cum quo servat aliquod genus consanguinitatis : inde fit, ut quâdam commutatione morali nonnunquam virtus mutata videatur in bene operantis naturam. Continget quandoque, ut synonyma ferè sint virtutis opus & anima exercentis illud.

Greg.M.to.1 l.6 mor.c.18.

Chrys.to.3. hom. 6. de laud.Pauli.

55. Sterilitatis probrum (illis temporibus in Hebræorum populo non modicum) patiebatur Anna Elcanæ uxor, objectum à Phenenna conjuge simul ejusdem. Dominum rogavit Anna lacrymas addens, in precibus mediatrices optimas. Votoque facto, consecuta denique fuit optatam prolem. Postquam filium ablactavit, adduxit Sacerdoti. Memini, quod antea, cum stirpe carens amaro conflictabatur animo, sacerdos idem, cernens illius labia tacitè moveri, putavit eam temulentam. Illa volens à calumnia se tueri, dixit : *Nequaquam*, inquit, *domine mi : nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Emittere dicitur animam qui subit mortem. Fuitne mens hujus fœminæ prædictis verbis asseverare, se præ dolore mortuam? Nullo fundamento quis judicabit, hoc eam dicere voluisse. Quid ergo ait : *Effudi animam meam in conspectu Domini ?* cùm potius dictura videretur : Orationem meam in conspectu Domini fudi : similiter atque David, qui ait : *Voce meâ ad Dominum deprecatus sum : effundo in conspectu ejus orationem meam*, &c. Non dissimilem nimis credas in hoc Annam Davidi : nam in consideratione morali pene valent idem opus bonum, & anima benè operantis. Bellè Chrysostomus in Annæ persona loquens : *Effudi preces ad Dominum, & ille dedit mihi petitionem, quam petebam ab eo.* Oratio Annæ laudabilis erat : & exercitia commendabilia velut anima sunt exercenti. Et quoniam exordium de vulgari sumpsimus axiomate, ducente Chrysostomo ; non pudet aliud adjicere (quò res clarior fiat, si Deo placet) de vulgi loquentis idiomate. De viro pessimo, qui nullum bonum opus agit, asseritur ab execrantibus eum : Hic animâ caret. Vel inviti fatentur, animam sine factis virtuosis esse nihil. Meritò ubi legit Vulgatus : *Anima*, Septuaginta verterunt : *Manus*, quasi nullum aliud habeat esse spiritus noster, nisi manus, id est, operationes.

1.Reg.1.15.

Ps.141.v.2.3.

Chrys.to.1. hom. de fide Annæ.

Operantium. Chaldæus legitur, *Fortium* : Syrus vertit : *Validorum.* Timeo, ne, si protulerimus hæc auditorum plebi, pro commendatione virtutis ; reponat unus & alter. Propterea virtutem non audeo sequi : nam illa fortium est exercitium ; ego autem infirmus. At facilè redarguetur hæc humilitas falsa ; quin sit multopere laborandum. Fateatur ingenue fictus humilis ita loquens, in vitiorum calle quot & quanta sunt multam postulantia fortitudinem, ne peccator habeatur malus mundi miles. Hoc & agnovit, prout potuit, oratorum princeps Quintilianus : quinimo difficilius putavit contra leges naturæ degere, quàm secundùm illas. *Faciliùs*, inquit, *secundum naturam, quàm contra eam vivitur.* Et si virtutis amori accedat consuetudo, quisquam experietur veram doctrinam Chrysostomi, de virtute, si assuefiamus ei, dicentis : *Quam enim facile est dormire, comedere, bibere, respirare : tam nobis facilia erunt etiam opera virtutis : ex quâ etiam capiemus honestissimam voluptatem quietissimo in portu sedentes, & serenitate continua perfruentes.* Vulgò mundani fingentes, non odisse virtutem, affirmant, se non posse asperitatem illius ferre ; proinde coactos impossibilitate suâ non capere viam salutis. Palliatur per hoc appetitus nequam. Et mirum est quot pallia jungamus ad contegendum illum. Non vacat numerare nunc excusationes adhiberi solitas in subjecta materia : quarum singula sunt pallium quo vestitur appetitio mala. Si decem palliis cooperueris hominem fœdum ; & sic onustus, magis quàm vestitus, processerit ad forum, quid videbitur cunctis, nisi ridicula, turpisque figura ? Mille palliis operit malus appetitum suum ; & sic auget ejus fœditatem. Peculiariter considerandæ venit excusatio sumpta de necessitate. Hoc velamen apponimus frequenter culpis, quandoque verum, quandoque falsum. Judica precor, quid S. Gregorius Magnus de necessitatis fictione diceret, si consuleretur : qui de necessitate verâ dixit sequentia. *Dum*, inquit, *necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat.* Malè cooperiri valet integumento necessitatis iniquitas : quia necessitas, cum sit pauperrima, utitur veste valde scissâ, proindeque non aptâ ut bene tegat. Tamen ad imitationem

56. Vers. Chald. & Syriac. Prov.13.4. *Aliquando Deus indignatur, si vocanti respondeas : Non possum.*

Quintilian.

Chrys. to. 2. hom. 11. in Matth.fin.

S.Greg.M.to. 1. l.10. mor. c.13.

nem veſtis hujus ex eodem ſquallenti panno veſtimentum ſumimus novum, hoc eſt, noviter quotidie fingimus neceſſitates, ut peccata ſatis inſipienter excuſemus. Et, quod pejus eſt, coram Deo proponimus, non poſſe nos aliter vivere: provocat hoc illius indignationem juſtiſſimam. Audeo dicere, non ſemel Deum plus offenſum oſtendere ſe, cùm vocanti reſpondet : Non poſſum ; quàm ſi dicere : Nolo : quaſi ferat ægriùs Dominus tibi pene videri, quòd ipſum decipere valeas, quàm, ſi reſiſtas impudenter. Iraſcetur, ſi vocationi reponas tamquam impotens ad veniendum ; fortè non indignabitur, ſi te clarè nolle ſignifices.

57. Cuidam principi Phariſæorum, à quo fuerat invitatus, Redemptor ſpiritualem doctrinæ cibum retribuit : docens, vocandos ad convivium eos, quorum egeſtas tutum reddit largitorem, ne quærat à beneficio lucrum ; & ſic remunerandum aſſeruit in reſurrectione juſtorum. Hujus occaſione dicti quidam ex diſcumbentibus, hæc verba protulit : *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Opportunitatem videns Magiſter ſummus propoſuit parabolam huic de cœna magna. Cum per ſervùm dictum eſt ad invitatos ut venirent, excuſaverunt ſe cuncti. Vide quid ſequatur. *Tunc iratus paterfamilias*, &c. Juſſit iſte convocari pauperes, debiles, cæcos & claudos. Cumque locus adhuc ſupereſſet, *ait dominus ſervo : Exi in vias & ſepes : & compelle intrare*, &c. Tene verbum illud, *Compelle*, quod videtur quamdam præ ſe ferre violentiam : unde videtur inſinuari quòd hi poſtremi venere compulſi. Nunc omitto ferè totum parabolæ ſpiritum : in ejus corpore dubius hæreo ; licet nonnihil de ſenſu ejus tangere ſit animus. Noſſe peropto, cur iſte paterfamilias non iraſcitur adverſus illos, qui ad cœnam acceſſere compulſi ? Concipit autem iram contra priores, quos vocaverat ? Meritò quidem : nam ille paterfamilias Deus Pater eſt. Incertus ſub nomine Titi : *Per hunc hominem Deum Patrem denotatum exiſtimare licet.* Invitati dum ſeipſos à cœna ſubtraxerunt per excuſationes, videbuntur quaſi præſumere quod fallerent Omniſcium prætextu quòd non poſſent vocati venire. Hoc magnum extitit iræ motivum. Qui venere compulſi ſatis inſinuaverunt, ſe nolle : non ob hanc ingratitudinem Deus indignatus eſt. Multi ſunt ſpecie tenus timorati : nullus horum audet proferre : Nolo recte vivere : ſed excuſationes quærit, inquiens : Non poſſum, quia fragilis naturâ ſum : in ſæculo dego, cui conformari cogor, vel perſecutionem pati. Hæc ſimiliaque patientiam Dei multum irritant. Igitur quamvis bene operari ſit *validorum*, ne vanè te putes per id excuſare quòd ſis invalidus.

Luc.14.15.

Ib.n.21.

Ib.n.23.

Incert. ſub nomine Tit. in Luc. ib.

58. *Deus menſurat dona temporalia cum proportione ad accipientem.*

Impinguabitur. In commentario dixi, tam ſpiritualia, quàm temporalia bona per virtutem acquiſita comprehendi hoc verbo. Valdè propriè ſignificantur hæc dona Dei per vocem iſtam : nam ut pinguedo non ſit monſtroſa, poſtulat accommodari capacitati pingueſcentis hominis. Ita munera Domini per diſtributionem accommodam diſpertiri ſolent mortalibus quibuſque ſecundùm quod ſunt ipſi pro tempore capaces ; non quidem parcâ manu ; ſed prudenti. Non loquar de ſpiritualibus ampliùs : nam vix eſt qui multùm ambiat in iſtis pingueſcere. Contentus eſto verbis Ambroſii. *Non omnibus tamen*, ait, *Chriſtus donat omnia.* Tranſeam ad temporanea. Dominus, quamvis infinita largitate bona conferat univerſis ; nihilominus dare ſolet ſub menſura certa ſingulis, prout fert conditio perſonæ recipientis. Non quomodo mundus dat, ille dat nobis. Sæculum per modum alluvionis coacervat apud quoſdam fortunas pluribus auferens quod projicit in unum. Non liberalitas hæc eſt (nam virtus iſta ſiſtit in medio) ſed inundatio : quam timere debuerant etiam qui per illam onerantur : non enim horribilis minus tempeſtas eſt ei, cujus ager tempore procellæ reperitur plenus arboribus aliunde convulſis, & alienarum domuum ruinis ; quàm eis, quorum domus corruerunt, & ligna ſunt eradicata. Deus aliter: metitur frequenter largitionem ſuam, ſervatâ proportione ad accipientem. Non coarctatur ita liberalitas inexhauſta ; ſed ejus effectus menſurantur. *cipientem.*

S.Ambr.to.1. l. de Ioſeph. c. 11.

59. Conquerebatur Sion, ſe deſertam à Deo. Conſolatur eam Dominus apud Iſaïam, dicens : *Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi : vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* Exponit Sanctius : *Sion Deus & civibus implevit, & ſic ornavit antiquo pallio, quod hoſtis abſtulerat, id eſt, ornamentis, quæ ante Babylonicam prædam habuit ampliſſima*, &c. Videbatur æquiparanda futura gloria Sionis excelſo throno, ſuper quem ſeſſura diceretur ; non autem veſtimentis induendis : nam gloria veſtimentorum non eſt durabilis valde, novitate quippe faciunt placere pompam diebus primis ; poſtea verò rarus erit qui glorietur illis. Mentem contineamus noſtram : agnoſcamus, non myſterio vacuam eſſe metaphoram diſertiſſimam, utpote divinam. Non thronum hîc ſpondet ; ſed veſtimenta : quoniam thronus haud fabricatur ad menſuram conſcendentis illum : poteſt enim rex valde ſtaturâ puſillus aſcendere ſolium elevatiſſimum. Atvero veſtis non induitur nimiùm prolixa, ne det occaſionem lapſui ; ſed ad menſuram cujuſvis induturi proportionatur. Ita Deus diſtribuens temporanea ſolitat menſurare munus, ne quid nimis, ad vitandos caſus delictorum Ditat benemeritos, cum illa proportione ſubjecti, quæ poſtulatur necnon in corporis pinguedine. Prudenter igitur appoſitum eſt per Salomonem (cum etiam de temporariis largitionibus Dei fiat ſermo nunc) hoc loco vocabulum, *Impinguabitur.*

Iſaï.49.18.

FLOS IV.

Verbum mendax justus detestabitur : impius autem confundit, & confundetur.

APERITUR.

1. QUÆSITUM primum litterale se nobis offert : sitne sensus istius paræmiæ, justum detestari mendax verbum in se, ne proferat ; an in aliis mentientibus ? Primum docuit Rodolphus : secundum Cornelius uterque : videtur consentire Cajetanus. Alii loquuntur indistinctè. Placet interpretationem unàm & alteram complecti simul : tum in execrationem linguæ mendacis : tùm etiam quia justus, cùm odit aliena peccata, non obliviscitur oculos reflectere vigiles in seipsum. Zacharias Episcopus : *Cum necessitas nos cogit aliquem reprehendere, primò cogitemus, utrum tale vitium unquam habuimus : & si nunquam habuimus, cogitemus nos habere potuisse .... Si verò habuimus, tangat memoriam communis infirmitas :* Prælati viderint an ita se gerant : cæteri vereantur, ne se habentes oppositò modo, fatui notentur. Qui de propriis peccatis plorandis non curant, & zelantes emendationem orbis lamentantur aliorum perditos mores, videntur similes homini, cujus frater, vel uxor defuncta jacet in domo, nec illius mortem deflet ; sed vadit ad ædes vicini, cujus consanguineus ibi tunc vitam obiit, ut ejus interitum lacrymetur. Smaragdus Abbas : *Stultitia*, inquit, *est enim homini habenti mortuum suum, & relicto eo, abire, & flere mortuum proximi sui .... Unusquisque ergo mortuum, id est, peccatum suum plangere debet.*

Rodolph. Jansen. Alap. Cajet. in Prover. 13 5.

Zachar. Epis. Chrysop. in unum ex. 4 l. 1. c. 39.

Smarad. Abb. in diade. monac. c. 77.

2. Quæritum secundum circa eamdem primam partem parabolæ sit, quid intelligatur per *verbum mendax* ? Liranus interpretatur de solis verbis : Cajetanus de simulatis operibus tantùm & fallacibus : Rodolphus accipit hoc loco certa quædam opera, verbi gratiâ hypocrisim, falsam religionem ; sed necnon comprehendit mendacia linguæ : cohæret Cornelius Alapide (si excipiamus illud de falsa religione) sic ut hoc extendat ad omne opus injustum : nisi dicas non excludere religionem falsam, cum ista sit opus iniquum. Sequar interpretationem Liræ : quia fundamentum non video cur asseramus hîc, Salomonem sumpsisse verbum pro re, vel opere. Quàm sit abominabile mentiri, manifestissimum est ; præsertim cum dixerit S. Augustinus : *Omne opus malum cogitatum, mendacium ducem habet.* Sed quid ad Augustini doctrinam recurrimus, cum & poëtæ, quibus data (vel usurpata per eos) fingendi potestas, abominati fuerint mendacia ? Homerus ait :

Lira Cajet. Rodolph. & Alap. sup.

S. Aug. to. 8. expos. in Ps. 139.

Homer. iliad. 1.

Exosus enim mihi ille, veluti inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus, aliud verò ore profert.

Menander cecinit :

Profectò intolerabilis res est, mendacia loqui. Menand.

3. Aliam acceptionem proponit Salazar, & approbat Cornelius Alapide : qua scil. *verbum mendax* sumitur de adulatorio. Veniens autem Salazar idem ad verba textus : *Impius autem confundit*, commentatur q. d. Exponit adulatos confusioni. Citatus Cornelius hoc intelligit q. d. Adulator confundit eum cui laudem præbet assentatoriam : cum enim laudatus illo dignus encomio non sit, laudans assentator afficit pudore laudatum. Neuter interpres arridet modò, cum bona commentatorum insignium veniâ. Contra Salazar stat quòd ii, quibus mendaciter blandiri solet adulatio, sunt utplurimum potestate magni, proindeque multos habent clientes, & qualesquales amatores : quibus placet, quoad exteriora saltem signa, præconium potentis, ne displiceant eidem. Igitur quomodo per illam adulationem exponitur iste confusioni ? Contra Cornelium verò satis urget, quod rarus invenietur collaudatus per adulantes, qui non præsumat, se dignum laudatione. Qualiter credemus, hunc pudore confundi, cum extollitur ? Fateor, hoc accidere justis : præcipuè, cum timeant hi post trophæa superari per appetitum laudis humanæ. *Verè appetitus laudis & humanæ gloriæ, scabies est virtutis, tinea sanctitatis, quod ultimum malum sæpe expugnatus hostis in fine expectat. Cum enim gloria nostra sit bonæ testimonium conscientiæ, sæpe fit ut victores vincamur, dum de ipsa victoria in nobis, non in Domino gloriamur*, &c. Hæc Arnoldus.

Sal. & Alap. in Prov. 13 5.

Arnold. trac. de opere 6. dierum. aliquantum ante fin.

4. Sed quam rarum est, ut homo laudari non appetat ! Non tamen inficior, dari quosdam sibi displicentes, qui nolint ab aliis commendari. S. Augustinus : *Illud*, inquit, *etiam quod vetus poëta dixit Ennius*, Omnes mortales sese laudari exoptant, *profectò & de seipso & his, quos expertus fuerat, conjecit in aliis, & videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates. Denique si & minus ille dixisset, Laudari omnes vultis, nemo vestrûm vult vituperari, similiter quod esset omnium voluntatis dixisse videretur. Sunt tamen qui vitia sua oderint, & in quibus sibi displicent ipsi, nec ab aliis se laudari velint*, &c. Non, inquam, frequentissimè reperitur displicentia propriarum laudum, etiam in eis, qui humanam gloriam despicere curant, & fastidiunt. Sicut mel, quamvis nimiâ dulcedine comedenti generet aliqualem nauseam ; non ideo tamen haud invenitur in ore dulce. Sic laus humana dulcescit in ore mentis aliquorum abhorrentium sæculi præconia. Similitudinem, lector, non abjicias : nam S. Bernardus ad illud Proverb. 25. 16. *Mel*, &c. sic habet : *potest non incongruè hoc loco mellis nomine, favor humanæ laudis intelligi.* Attamen quod S. Doctor ibi mox addit non præteribo. *Meritóque*, ait, *non ab omni, sed ab immoderato mellis hujus edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus ;*

4.

S. Aug. to. 3. l. 13. de Trinit. c. 3 fi.

Ad Prov. 25. 16. S. Bern. ser. 47. ex parvis.

cipimus, fraternæ dumtaxat intuitu charitatis: & ad ſalutem eorum, qui nobis propterea facilius acquieſcunt. Caveat nihilominus audiens de melle ſuavi laudis hominum loquentem ſic Mellifluum : non quòd ab ipſo dolum timeat : ſed ne facilè putet, eumdem loqui ſecum ; veluti cum viro perfecto, qui ſolum ex charitate proximi laudem ſuam recipit, ut magis proſit.

5. Pro ſecunda parte dogmatis hujus, aliquid proximè jam dictum eſt. Adjicio, Janſenium illam ſic interpretari, q. d. Impius mendaciis quæ amat, contra ingenium juſti, ſeſe dedecorat apud homines. Addit alium intellectum in hunc modum : *Impius mendaciis ſuis confundit ſe, hoc eſt, pudore ſe afficit quantum in ſe eſt, & pudore ab aliis afficietur*, &c. Magis accommodatum litteræ noſtræ Vulgatæ mihi videtur exponere textum de pudore, quem aliis infert, malè loquens de illis, impius. Cardinalis Hugo ſumit hæc de verbo mendaci & contumelioſo : & illud, *Confundetur* accipit de opprobrio ſempiterno. Liranus ibidem verbum, *Confundetur*, intelligit quando qui mentitus eſt arguitur falſitatis. Sed videtur abſolutè loqui de mendaciis : & non placet ejus expoſitio, niſi limitetur ad aliqua mendacia. Notandum, quòd in priori parte ſententiæ mentionem expreſſam Paræmiaſtes egerat juſti. O quoties ejuſmodi fallaciæ contra juſtos inſurgunt odio habitos propter veritatem ! Cardinalis Goffridus : *Et veritas ſæpe odium, & odium ſæpe mendacium parit.* Sed mendaces iſti confundentur, & quia veritas pugnabit pro juſto, detegeturque mentientis calumnia pudenda, necnon & quia detectâ fraude fiet, ut eidem, qui mentitus eſt, non credatur poſtea, quamvis loquatur verum. *Is*, Dorotheus ait, *nunquam fidelis eſt, nunquam verax, & quandoque contigerit ut verbum unum verum dixerit, facit ſibi ut nunquam credatur.*

Janſ. in Prov. 13. 5.

Hug. Card. ib

Card. Goffr. l. 4. ep. 46.

Doroth. Archimand. doctr. 9. de mędac. poſt medic.

6. *Verbum.* Locutio ſingularis eſt : ſed paſſim obtundit aures multa mendaciorum pluralitas. Utinam abſque proximorum nocumento lingua ſolummodò loqueretur : innumera ſunt genera verbi nocivi. Duplex tantùm notabimus ex Odone. *Duo ſunt*, inquit, *verba noxia humano generi. Unum quod curat etiam adverſa laudare, aliud quod ſtudet etiam ſemper recta corripere*, &c. Minus deteſtari ſolemus primum : ſed ex hoc facilis tranſitus eſt ad ſecundum, ut conſideranti patebit : nam is, cui mala facta vel grata ſunt, vel eſſe fingit, proclivis fit ut opera bona putet ſcelera, vel tamquam ſi putaret, illa corripiat. Utrumque verbum proximè dictum damnoſum eſt valde : nam proximis de primò naſcitur in malis perſeverantia ; de ſecundò gignitur metus operandi bene.

S. Odo Abb. Cl. l. 7. mor. in Iob. n. 26.

7. *Mendax.* Etſi non arctaviſſem vocem iſtam ad verbum contumelioſum ; non diffiteor, juſtum inter mendacia nociva deteſtari præſertim illud, quod vulnerat honorem alienum. Non omnes ægritudines corporis horrorem pariunt ſtantibus propè. Minime tamen ſic evenit in ſpiritualibus morbis reſpectu juſti : cujus eſt illos omnes perhorreſcere, cùm vident ipſis infectos alios. Haud tamen cuncti languores impiorum pariter ſunt horrori viro probo. Detractio ſanè morbus eſt, quem veluti lepram exhorret in detractore juſtus. S. Nilus : *ſimul*, inquit, *ut quis conviciatur proximo ſuo, ſtatim leprâ inficitur in corde. Quamobrem fuge murmurationem & maledictum.* Cum leproſos eſſe meditor detractores, jam non quæro, cur iſtorum ſinguli, dum alienæ famæ detrahunt, inveniant facile ſocios in eodem honore lædendo. Murmuratio lues contagioſa, ſicut & lepra.

S. Nil. ep. 194

8. *Juſtus.* Nomen iſtud, tum qualitate, tum quantitate rei ſublime valde. De una & altera ſæpius non pauca dedi. Quantitas, inquam, ſignificationis hujus vocis multa complectitur. Sed in præſenti peculiariter verificatur de illo, qui ſervat æquitatem, non damnans innocentem verbo. Antiquitus judicum tribunalia ſedebant in portis urbium : ibi partium jura proponebantur, & proferebatur ſententia cauſæ. Civitatis pectoris noſtri janua os eſt : ſed ibi ſæpius judicia decernuntur ſine judicio ; cauſæ miſerorum inſontium damnantur ſine cauſa. S. Fulgentius : *Lingua*, inquit, *clavis eſt pectoris, teſtimonium cordis. Magnum tribunal gerit intra prætorium ſui oris, aut gratæ ſalutis, aut amaræ mortis.* Clavis inſigne poteſtatis eſt. At proh dolor, multi ſunt, qui juriſdictionem exercentes injuſtam, in oris proprii ſævo prætorio clavem abjecerunt, hoc eſt, non juvat quidquam linguâ claudere : potiuſque fractis habenis innocentium vitam ex abrupto capitali damnatione feriunt.

S. Fulg. Epiſt. ho. 77. in pr.

9. *Deteſtabitur.* Oportebat, ut omnibus deteſtabilis eſſet malitioſa lingua : cujus peſtes alibi lentius ſum proſecutus, ut antidotum propinarem. Vide to. 1. fl. 19. delib. 4. & 5. fl. 32. delib. 5. & 6. fl. 33. delib. 6. & to. 2. fl. 19. & 32. Do tibi nunc S. Valerianum, qui dixit : *Quando autem poteſt freri, ut homo aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus ?* Magniloquum dimitto riſu ſapientum digniſſimum. Quod ad maliloquum ſpectat, proximè citatus attendit ad id tantum (ſi de cunctis audientibus ibi ſermonem fecit ille) quod ratio dictat : nam gratiſſimi ſunt non raris malè loquentes. Apud cordatos non ita : cum lingua, quàm infecit malitia, venenum omne ſuperet, quocumque lethalior. Dixerat prius Idem : *Quid mihi autem aliquis in comparatione malitioſæ linguæ artificium veneficii increpet, & noxias poculorum compoſitiones accuſet ? Exceſſit illa res omne genus veneni, quæ non poteſt niſi morte compeſci.*

S. Valer. ho. 5. poſt med.

Idem ib.

10. *Impius autem.* Non ſemel aliis in locis notaviſſe memini, vocem iſtam, cùm ſumitur in toto rigore, ſignificare quoſdam inſigniter malos. Video non hîc in tanto rigore ſumendam. Sed optimo jure vox tanti ponderis aſſumitur in textu, cùm agitur de confuſione detractoris. Murmurantis malum adeo magnum eſt, ut quandoque

doque dæmonis imitatio vocari queat.

Guerri. Abb. ser. 3. de Bap. Guerricus Abbas : *Quid denique*, ait, *cum alium velut trucidas venenosâ & insidiosâ linguâ, ut gloriam ejus tibi rapias : ut de malo ejus melior, de contemptu ejus tu glorioſior appareas ? Sit ergo illud, gloriam ſcilicet accipere vel quærere ab homine, inſipientium vanitas: quid iſtud, niſi ſævientium crudelitas ? Sit certè illud, ut mitius loquar, tentatio humana : quid iſtud niſi imitatio diabolica ?* Et ne judices, minus terribilem eſſe detrahentem occultum, audi Petrum Bleſenſem.

Petr. Bleſ. ep. 40. *Iſtiuſmodi homines*, inquit, *cyniphes ſunt mordentes & pungentes occultè, dumque bona aliorum detractionibus æruginant, & corrumpunt, comparantur æruginì, & ſerpenti.*

11. *Confundit.* Maledicus minus crudelis foret, ſi vel uni, vel alteri perperam loqueretur in proximi damnum. Sed, cum ſit latro, ſæpe meticuloſus eſt : propterea nollet ſolus aggredi honorem alienum : quærit complices adjutores : & ita confuſio, quâ proximum afficit, longe terribilior manet ob infamiæ publicitatem. Lupo ſimilis eſt hæc fera. Alia bruta rapacia, vel omnia, vel ex majori parte non curant habere ſimilium conſortium ad rapinam ; lupus autem multoties convocat æquales, ut juguletur grex. Ita quidam, licet veluti lupinâ fame detrahendi moveantur, ſibi conſociant alios, ut catervatim irruentes trucident linguâ familias integras. Fruere S. Antiocho.

S. Antioch. hom. 29. *Detractor*, ait, *& ſeipſum it perditum ; nec ſolum, ſed & audientes. Siquidem is hoc unum ſpectat, ſuâ ut detractione conciat & alios, proinde & conturbet ; ſuæque ſtultitiæ adſciſcat ſibi ac paret complices.*

12. *Et confundetur.* Una de confuſionibus, quæ contingit maliloquo, ſolet eſſe quòd homines probatæ vitæ, vel ſaltem non ſimiles eidem, fugiunt eum. Non vitabit illum qui laborat ægritudine conſimili : nam in nozocomiis, quamvis in eâdem domo jaceant multi febricitantes contagioſè, nunquam vidi quòd alter evitaret vicinitatem alterius ; quem ſani declinant. Libertas damnabilis loquelæ,

Idem ho. 16. febris eſt. Lege proximè citatum. *Temeraria*, inquit, *illa & impudens loquendi libertas videri poſſit aſſimilis cauſoni magno ; febri nimirum exæſtuanti, cujus incendium cæteri neutiquam ferentes illinc ſe proripiunt, curſuque præcipiti in locum concedunt umbratilem, animæ refrigerandæ gratiâ, Umbra hæc refrigeratrix cenſetur is, qui in loquendo modeſtior eſt, eoque circumſpectior.* Vellem, ut cuperes magis eſſe miſeris innocentibus umbra, quàm eorum famæ malignus obumbrator : ſi te præſtiteris umbram talem, clarus eris.

DELIBATIO I.

Objurgatur adulatio.

13. *Juſto detestabilis eſt adulatio ab* NUnc juxta primæ partis expoſitionem, quam nobis obtulit Salazar, & retuli ſupra n. 3. libet exponere quàm ſit execrabile vitium adulationis peſſimum.

Quia ſapiens & ſanctus erat Iſidorus Peluſiota, protulit ſequentia : *Nihil meo quidem judicio adulatoribus moleſtius eſt, qui de divitum lingua ſuſpenſi, adhibito jurejurando confirmant, ſi quid illi, etiam quod tuepiſſimum & abſurdiſſimum ſit, mirificis laudibus efferre inſtituant, id omnium optimum ac præſtantiſſimum eſſe :* &c. Mehercle, ſi perpendantur ſaltem mediocri prudentiâ circumſtantiæ, quibus veſtitur adulator, apparebit quàm ſit abominabile genus inviſum. Si fortunâ prævales, ille ſe tibi comitem ingerit importunum : laudes in faciem jacit impares adeo, quòd ejus laudatio ſubſannationis vindicat ſpeciem : licet illi fortè non credas, tamen exultat interiùs, quaſi te fefellerit. Hæc omnia certè moleſtiſſima ſunt. At ſeponamus iſta : ſolam aſſentationem aſpiciamus rectis oculis : illa juſtis abominabilis eſt per ſemetipſam. Et ut videas, quàm verum ſit hoc, minimè jam loquar de verbis adulatoriis, quibus ipſum juſtum circumvenire ſollicitat aſſentator : patet enim, iſtas mellitas linguas (imo dulce venenum) ſummopere diſplicere laudato viro laudabili. Procedam ulterius. Etiamſi probus audiat, adulantes blandiri, non ipſimet quidem, ſed alïs ; adhuc maximè deteſtatur adulatorum verba. Non ſolùm de ſuo diſcrimine curat vir bonus : etiam aliena pericula ſpiritualia timet. Cumque laudatus alter aſſentatione periclitetur ; rectus homo ſignum execrationis veluti perturbatus exhibet, cum aliquos audit aliis adulari.

aliis alteri præſtita. S. Iſid. Peluſ. l. 3 ep. 281.

Hebræos Moyſes eximiâ benificentiâ 14. devinxerat : ſed non ideo fuit immunis ab invidorum telis. Inſurrexerunt adversùs eum quamplures dignitate proceres, livore viles. *Cumque ſtetiſſent adverſum Moyſen & Aaron, dixerunt : Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus. Cur elevamini ſuper populum Domini ? Quòd cum audiſſet Moyſes, cecidit pronus in faciem :* &c. Suſpicor in faciem ſuam procubuiſſe præbentem ſignum execrationis : *Cum audiſſet Moyſes, cecidit*, &c. Dices, proſtraviſſe Moyſen ibi ſemet, ut oraret. Forte verum eſt hoc : ſed Scriptura non exprimit. Unde nihil prohibet nunc intelligere Moyſis proſtrationem, quaſi per eam demonſtraverit, audiviſſe rem abominabilem valde ſibi. Puniti ſunt rebelles. En ſeditio movetur iterum contra Moyſen & Aaron. *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moyſen & Aaron, dicens : Vos interfeciſtis populum Domini.* Non hîc lego, Moyſen in faciem procubuiſſe ; cum ſatis percuſſus fuerit gladio linguæ tunc ; Cur ita ? Reſponderem. Quia proximè dicta murmuratio nullius adulationem laudati continebat : econtrariò verba priora, quibus auditis Moyſes procidit ſuper os ſuum, pariter Moyſen ferierunt, & aliis blandita ſunt ; quatenus eïs aſſertum eſt, cunctam Iſraëlis multitudinem ſanctam eſſe. Manifeſtum apparet, non adulari ſic loquentes voluiſſe Moyſi : tamen, cum non omnes Iſraëlitæ ſancti

Num. 16. 3. 4.

Ib. n. 41.

forent, adulationem involvunt verba relata ſupra. Cum eſſet juſtus Moyſes, adeo deteſtabatur adulantes, ut quantumvis ad illum hæc aſſentatio fallax non dirigeretur, velut abominatus eamdem, ad ejus execrandum ſonum prociderit in faciem. Ita ſe gerunt juſti; mali verò contra, percipientes auribus blandiloquas illecebras laudis nequaquam alienæ, ſed propriæ, non tantùm haud cadunt perterriti; ſed erigunt colla tumidi.

15. *An aliquando juſto videatur abominabilior inimicitia mali contra virtutem; quàm blaſphemia adverſùs Deum?* Ioan. Seresb. l. 3. de nog c. 10. fi.

Rationes aliquot adjiciam quare juſtus taliter abhorreat à blandis vocibus mendacis linguæ. Prima ſit : quia dulcibus & compoſitis mirè ſermonibus omnia dilaudans, frequenter odit virtutem, quam juſtus enixè diligit. Habet hic eam tamquam ſponſam prædilectam : quidni deteſtabilis ei ſit virtutis inimicus? Audi quid affirmet Seresberienſis de blandientibus. *Unum tamen*, inquit, *certum eſt, illis, qui huic vitio dediti ſunt, non magis placere virtutem, quam illos bene olere, qui in culina habitant.* Meminiſti quantùm exhorreat homo ſceleris purus blaſphemiam auditam contra Deum? ſummè, fateor, perhorreſcit eam : quia Dominum ſic immediatè graviter affectum injuriâ proſequitur amore veraci. Dicam tamen ferè videri, juſtum plùs abominari prædictam inimicitiam, quam cum virtute gerit malus, etiam comparatione factâ cum blaſphemiis. Rationem hyperbolis addo. Blaſphemia nihil tollit à Deo, ſi rigoroſè loquamur : ſimilis eſt iſta latratui canis contra lunam. Hoſtilitas autem, quâ proſequitur iniquus virtutem, nocere ſolet proximo. Cumque bonus affectu pio conjungatur proximis; inde fit, ei nonnunquam plus abominandum quaſi videri diſſidium, quo vir nequam oppugnat virtutem, quam audaciam blaſphemantium Dominum.

16. Proconſul Sergius Paulus accerſitis Barnaba & Saulo, jam in alterum virum converſo, deſiderabat audire verbum Dei. Reſiſtebat præconibus veritatis Elymas magus quærens avertere Proconſulem à novæ legis fide. Tunc Apoſtolus ad impium iſtum dixit : *O plene omni dolo, &* Actor. 13. 10. *omni fallacia, fili diaboli*, &c. Imo ipſum excœcavit : *Eris cœcus, non videns ſolem* 11. *uſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ*, &c. Audis quam ſevere Gentium Doctor ſe modo geſſerit; Pergamus ultra. Cum eſſet Paulus Antiochiæ ſermonem habuit in ſynagoga : rogatuſque in ſequenti ſabbato loquebatur verbum Dei, quod penè civitas univerſa convenit audire. Contradixérunt Pauli di- Ib. n. 45. ctis Judæi blaſphemi. *Videntes autem turbas Judæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes.* Quid Apoſtolus ad hæc? an ipſos reddidit mutos miraculosè, vel cœcos? vocavitne filios diaboli, plenos omni fallacia, doloque? Nil tale audio; ſed conſtantiam ejus lego, necnon & Barnabæ. Ib. n. 46. *Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei : ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*, &c. Quàm ſibi diſſimilis utrobique Paulus! Verbo cædit magum Elymam, atque facto? blaſphemantibus autem parcit clementer? Credo, quod indoluit, adulatorem iſtum ſic inimicari virtuti, quod avertere conaretur Sergium à fide. Quòd adulatorem vocavi, non gratis dixi : nam ipſe familiaris erat Proconſuli; utque familiaritatem iſtam vel conſervaret, vel augeret, curabat ne Chriſtianus fieret; cum diverſitas religionum ſoleat conſortia diſſolvere, ſeu minuere. Liranus ad illud : *Quærens avertere*, &c. ait : Lir. ib. ad. n. 8 *Ut eum magis in ſua familiaritate poſſet tenere.* Hoſtem virtutis eumdem appellavi, nixus verbis Pauli : *Inimice omnis juſtitiæ, non* Eod. c. n. 10. *deſinis ſubvertere vias Domini rectas.* Judæi poſtea blaſphemarunt : & cum hoc Deo non intulerit damnum, forſan aliquis dicet, Apoſtolum plùs execratum fuiſſe multùm nocivam adulationem tacitè factam Proconſuli, quàm aliorum blaſphemias contra Deum. Peſſimè nocet adulatio. Diſcurſum coronat Bleſenſis, inquiens : *Hic eſt ventus adulationis, ventus* Petr. Bleſ. ep. *peſſimus, ventus urens, multos erigens in ſuper-* 100. *biam, atque à propoſito & deſiderios ſanctitatis avellens*, &c.

17. *Adulator etiam eum aliàs bono ducatur fine, cæcat adulatum.*

Sed quia mortalis infirmitas cordis noſtri frequenter ampliùs horreſcit ea damna, quæ non egrediuntur naturæ terminos, quæramus intra fines hujus rationem ſecundam, quare juſtus deteſtetur oris blandientis *verbum mendax.* Illa ſit, quia per adulationem obcœcatur intellectus adulati; non qualitercumque, ſed effoſſis oculis. Id agnovit moralis Philoſophus : ait enim : *Corvi mortuorum oculos corrumpunt, cum jam eorum nullus eſt uſus: at adulatores vivorum animos perdunt, & animarum oculos excœcant.* Cœcitas hæc non tantùm illorum crudelitate fit, qui blandiuntur ut noceant; ſed etiam illorum doloſitate : qui vel gratitudine ducti, vel indigentia, ſeu alio quodam affectu ſimili, dant operam blanditiis labiorum. Non agnoſco bonam adulationem ullam ſed negandum non eſt, animum laudabilem, vel indifferentem deviare multoties in quærendis mediis ad intentum finem : ſic per viam pravam tendit ad rem non malam. De iſtis vel ſimilibus bene affectis dictum habe, quòd per adulatorium ſermonem cæcutire faciunt adulatos. In errorem labi, quaſi mentis acie lippientes, videbis eos, qui non rejiciunt oris blandi vincula. Quantumvis loquentem audiant illum, qui ſic fatur ductus fine recto; nihilominus miſerabiliter per hoc impeditur viſus mentis eorum, ita quod hinc fiat, ut reſpuant utile conſilium, & complectantur inutile, vel noxium. Etiam ex bono motivo propinans dulcem, nocuumque potum, valet perturbare corporeos oculos; quin ſit animus ei nocere. ſimiliter necnon intendens bonum, ſi blandiatur, lumina mentalia tua tenebris opplebit, & exerrabis. Epict. in Enchirid.

18. Exemplar impietatis gnatorum erga parentes Abſalom timorem peperit prudentiſſi

dentiſſimum Davidi: pavens loquebatur, & proſpiciens incolumitati ſuorum, di-
2.Reg.15.14. xit ad eos: *Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom:* &c. Non parum demirabar, cum vel omnes hi ſervi regis, vel ſaltem ex illis aliqui ſtrenui forent, fugam voluiſſe: nam dicto Da-
Ib.n.15. vidis nullus reſtitit. *Dixeruntque ſervi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noſter rex, libenter exequemur ſervi tui.* Iſt ifugientes proripiunt ſeipſos?& Chuſai, quem noverat Abſalom, amicum eſſe Davidis, audet ad illum ſe conferre? non metuit quòd ſtatim occidatur ab eodem? conſidit ſibi credendum à principe rebelli, cùm ſatageret diſſipare conſilium Achitophel, quod munus à Davide fuerat ei commendatum? Non immeritò: exiſtimavit enim (ſicut rei probavit eventus) per blandientia verba ſua cœcandam fore mentem Abſalomi, taliter ut rejecto pro futuro conſilio Achitophelis amplecteretur ſuum. Bono quidem animo locutus eſt ad Abſalom Chuſai; cum intenderet ſervare Davidem indemnem: ſed non eſt cur eum ab adulatione liberemus: nam regia ſalutatione duplicata ſalutavit
Ib.c.16.16. Abſalom, dicens: *Salve rex, ſalve rex.*
Ib n.18. Addidit poſtmodum: *Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & univerſus Iſraël, & cum eo manebo.* Quare non putabimus adulatorem fuiſſe dum protulit iſta Chuſai, quem officiosè mentitum pronuntiavit ad eadem verba Liranus?
Lira ib. *In hoc*, ait, *mentitus eſt Chuſai, quia Abſalom non erat à Deo electus: ſed dixit hoc Chuſai, ut Abſalom eum reciperet citius, nec oportet eum excuſari de mendacio officioſo.* Per ſuavem loquelam Chuſai ſic factus eſt intellectus Abſalomi (cum eſſet alioqui ſatis induſtrius) luminis expers, ut non ſolum crediderit, amicum Davidis ad ſe transfugiſſe fideliter, ad hoc ut ſerviret eidem; ſed conſiderit ei diſſipanti utile
2.Reg.17.7. conſilium Achitophelis: *Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Bonus erat animus Chuſai, prout ſupra dicebam: ſed, cum aſſentatoriè locutus fuerit, cæcavit mentem Abſalom. Non tantùm cæcus fies per blandientes ad pravum finem; ſed etiam per eos, qui bono ducti motivo loquuntur tibi roſas & mella. Prudenter itaque juſtus hæc *deteſtabitur.*

19. *Sufficit complacere in adulatione audita, ut uſu rationis carere videaris.*

Si principibus proponas iſta quæ diximus; & moneas ut vigilent circa blanditores, ne per eorum vicinos fumos ſubeant periculum amittendi luminum interiorum aciem: fortaſſis (dato quod benignè tibi reſpondeant: quod rarum erit in ipſorum indocili ſuperbiâ) ſic reponent hortanti: Ne tibi ſuadeas, me tam ſtupidum, quod ſinam blandâ manu tangi meos internos oculos; cum ſciam, iſtos levi tactu perturbari. Venatores gratiæ regalis meæ ſat intus & in cute novi: commoda propria quærunt: adſunt mihi, ſeu potius obſident, ut incautum amore proprio vinci me contingat, & donaria rapiant velut ſpolia. Quid agam? Adulatores omnino ſi de palatio propulſaverim, remanebo ſolus, curis afflictatus aſſiduis: & neque majeſtati congruit ſolitudo; nec valeo deſertus ferre ſolis meis humeris tantum regiminis onus. Audis quanta reſpondeat amor proprius! Non admireris de ſolio multa loquentem; cum etiam privati plurima dicant, quibus excuſant in hac re defectum cautelæ. Similiter hi proteſtantur, noſſe falſitatem adulatorum; credentes nequaquam ſibi diſcrimen eſſe deperdendi rationis lumen per blanditias alienas. Falluntur miſerè, ne dicam, egregiè; ſi veritatem fateantur, gaudere ſe confitebuntur ſermonibus auditis adulantium: & hoc ſatis ut per illos quaſi priventur uſu rationis. Semel quòd in ſuavitate dictorum complaces, ſis velut infans non adhuc attingens mentis uſuram.

20.

Diſcipulum doctrinæ ſuæ Salomon eru-
Prov.1.10. diens, ait: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Commentatur Car-
Dion. Carth. in com. Proverb.ib. thuſianus: *Id eſt blandis ſermonibus mulſerint* peccatores, ne acquieſcas eis *in rebus illicitis, nec eorum adulatione delecteris, aut extollaris*, &c. Ergone maternorum uberum lacti ſimilis eſt adulatio? Lac certè candidum, & utile nimis alimentum; in adulatoribus autem ſimplicitatem (quam etiam vocamus candorem) non reperies. Inſuper illorum verba quomodo nutrient? Magis illa dixerim peſtes, quam nutrimentum. *Adulatorum quoque*, ait S. Pau-
S.Paul.ep.51. linus, *aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ velut quædam peſtes animæ fuge: nihil eſt, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulcè & molli vulnere animum feriat.* Quid ergo adulationi cum lacte, quod non ferit, ſed alit? Quæ lactentis analogia cum aſſentationem audiente? Aperiam quod ſentio. Suave puellis eſt genitricis lac, dum ab ubere pendent; quo ſi potentur adulti jam abhorrebunt. Aptum eſt alimentum illud cum rationis uſu carent, ac eiſdem ſuaviſſimum; non poſtea quando mens illis expedita. Heus tu, qui te ſapientiâ, conſilioque præditum, & virum ingenio pollentem æſtimas: ne fugens adulationis lac, nobis inſinues, illud tibi tamquam prædulce placere; vel credemus, quaſi puellulo, non adhuc lumen rationis illuxiſſe.

21. *Adulatio fomentum peccati.*

Satis ea ſint quæ propoſuimus hucuſque de non modico damno temporali; quod eveniet audientibus libenter adulatores; ut iſtos abominari faciamus hac viâ. Nunc altiora quæram. Frequentiſſimum in labiorum blandimentis eſt, efficere quod peccatum nutriatur in ſuſcipientibus ea grataner. Peccatoris crimen ignis eſt: alitur blanditione; ſed non eò modò, quò viſibilis flamma lignis, quæ vorax abſumit (utinam combureretur, & periret adulatio) ſed uti fomentatur incendium oleo. Ex Beda Zacharias Epiſcopus: *Ipſa enim*, ait, *peccati nutrix adulatio, ſic in culpa ardentibus ſolet adminiſtrare fomentum, ſicut flammis oleum.* Aptâ ſimili-
Ex. Bed. in Luc.6. Zach. Epiſc. l.1. in unum ex 4.c.23 fi. tudine valemus parem adulationem dicere, non unicâ de cauſa, ſi comparetur cum oleo. Iſtud ſupernatat aliis liquori-

bus : in ſæculo, quò reperimus eſſe cuncta fluida, ſupereminet adulatio. Blandiens habetur prudens, urbanus, gratus, & quidquid volet. Oleum frigoris tempore congelatur, & ſe multis functionibus veluti negat ; æſtate verò facilè dilabitur in ima. Supra fl. 3. n. 45. diximus ex Bleſenſi æſtatem & hyemem deſignare proſpera & adverſa tempora. Adulator, ſi tibi fortuna ridet, currens profluit ad pedes ; at, ſi triſtia ſuccedant, amicitiæ functiones exequi durus & frigidus recuſat. Oleum per valdè parvam rimulam ſeſe inſinuat ; & vix eſt aliquid pulchrum, quod ejus vicinitate non maculetur. Aſſentator quantumlibet præbeas aditum leviſſimum, ingeret ſe cordi tuo : necnon pulchra maculis criminum inficit pectore tuo clauſa. His & aliis prætermiſſis, ad eam, quam ſuperius retuli, paritatem blanditiarum cum oleo revertar : nempe, quòd, ſicut iſto reſperſæ flammæ creſcunt altiùs : ita fomentum ex ardentibus in culpa ſolet adulatio miniſtrare. Mirarer, niſi foret peccatis amicum illud, quod virtutibus adverſatur ; aſſentatio ſcilicet. Igitur iſta præbet augmentum criminibus alienis, fovens ea blandè.

22. Propheta Rex nobis aperuit hunc malignum adulatoriè laudantis auſum : illius nempe, qui non veretur laude celebrare deſideria peccaminoſa, quæ peccator concepit. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ :* &c. Bellarminus ibi : *Peccator malè agit, & tamen quia dives eſt & potens, laudatur à multis quaſi bene agat., & deſideria animæ ejus, id eſt, deſideria ipſius .... quamvis iniqua & injuſta, approbantur,* &c. Cum non pateant oſtentationi cordis occulta, requirebam, cur non ſibi ſatis putat ille qui blanditur peccatori, laudibus afferre quod opere complet malus ; ac laudationem extendit ad ejus iniqua vota ? Rationem dubitandi non difficilè reperies. Laudis amator, audiens ejus cupiditatem celebrari, fortè contentus erit in rebus arduis hoc præconio ; nec laboriosè contendet operando perficere deſiderium ſuum. Blandiens cupit vel expreſsè, vel tacitè, quod peccator in executionem deducat iniquitatem ſuam. Ut quid igitur aſſentator improbum laudat in deſideriis ? Fortaſſis, ut adulationis fomento magis accendatur cupiditas mala, prodeatque tandem in opus. Adulantis verba ſunt incentiva nutrientia ſcelus : atque diabolicum dicam delinire blandis lubricum delinquentem, ut ei nocumentum inferatur ſpirituale. Chryſoſtomus de dæmone dixit : *Blandiri enim ut noceat, diaboli eſt :* &c. Et ne putes quod tantummodò ſanctis adulatio diſpliceat, & apud ſolos eos reperiat iſtud opprobrium, nempe quod ſit delictorum adjutrix ; delibationem finiant noſtram verba Tullii. *In obſequio*[1], inquit ille, *comitas adſit ; aſſentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur,* &c.

Pſ.9.24.Card. Bellarm.b.

Chryſ. to 2. hom. 13. in Matth.

Cic. in Læl.

DELIBATIO II.

Odit juſtus mentiri.

23. *Calumniam de mendacio multùm dolet patiens.*

DUpliciter deteſtatur veritatis amicus mendax verbum : & in ſemetipſo, ne mentiatur, & in aliis, cùm verum audit adulterari. De priori deteſtationis genere dicam in præſenti : poſtea locuturus de ſecundo. Sicut veritatem appellamus lucem ; ſic & mendacium tenebras eſſe dicimus. Nec ſimilem putes falſitatem caligini tenui tantùm, ſed piceis & craſſis umbris. Clichtovens loquens de diabolo ſic habet : *A veritate ſiquidem & Deo, qui veritas eſt, ſponte ſuâ ſe avertens, horrendas mendacii tenebras incurrit :* &c. Hinc ad hominum mendacia tranſeamus; & etiam reperiemus horribiliter illa tenebroſa : diabolum namque mendaces imitantur ut parentem : & frequentiſſimè geniti ſimiles evadunt patribus malis. Exinde fit, ut juſtus æſtimet dedecoroſum ſibi maximè, non dicam jam committere mendacium ; ſed ab aliis mendacem reputari. Vix probus ejuſmodi calumniam foret æquanimiter. Ejus tolerantia pati dura non recuſat ; fortiſque perſiſtit retundens adverſitatis ictus. Hoc unum ei videtur eſſe curæ ; ſcilicet ne credat aliquis, ipſum locutum fuiſſe mendaciter. Cætera, quæ jaciuntur in ipſum opprobria validè ſuſtinet ; at nollet verax argui de mendacio : calumnia hæc unica videtur eum reddere ſollicitum.

Clichtove. additus Cyr. Alex. l. 6. in Ioan. c. 6.

24. Sciens malignus hoſtis, duriora valde quæ patimur ab amicis, tres armavit in Jobum ; quò torqueret ejus cor per illos, à quibus potuit miſer expectare levamen. Iſti ſic diabolo ſuadenti dedere conſenſum, ut ferè taliter verbis afflixerint eumdem, quòd videri poſſet, non meliùs id effecturum fore cacodæmonem, ſi per ſeipſum ibidem loqueretur contra Job in figura corporis humani. Non multùm audeo, cum tres amicos perfidos uni diabolo confere, ſimul & antepono : nam econtrariò ſinguli de falſis amicis pro tribus diabolis velut computari valent. Eò ventum eſt, ut Job, quamvis non impatiens, tamen oppreſſus dixerit : *Super pupillum irruitis, & ſubvertere nitimini amicum veſtrum. Verumtamen quod cœpiſtis explete : præbete aurem, & videte an mentiar.* O tolerantiæ columna : tibi curam ſpecialiter ingerit à mendacis opinione teipſum tueri ? nonne moleſtias illatas ab amicis ita fortiter ſuſtines, ut ad eos dixeris : *Quod cœpiſtis explete ?* Hoc intelligo ſic ductus à Gregorio Magno, qui loquens in perſona Job ait : *Nec ante illatas moleſtias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adjutoria abſcondo : quia & malis preſſus exerceor, & ipſis meis perſecutoribus benignè impenſus creſco.* Quid ergo de veritatis exiſtimatione ſollicitus ait : *Videte an mentiar ?* Juſtus erat : & adeo ſolent probi diligere veritatem, ut vix tolerandam reputent infamiam, ſi mendaciter ſe locutos exiſtimetur.

Iob.6.27.28.

S.Gregor.M. to.1.l.8.mor. c.1.

metur. Si autem rectus exhorrescit esse mendacem apud mentem alienam tantùm ; expende quàm vigilanter abominabitur, ne revera falsum dicat.

25. *Virtutis amator vix unquam se tutum putat à mendacio proferendo.*

Vigilat assiduè rectus vir, inquam, ne fictionem ore depromat, ita ut vix unquam se tutum credat passim ab hujusmodi lapsu. Rationem jam insinuavi hujus odii, quô bonus prosequitur vitium illud ; amorem nempe veri. Nunc eamdem ex Augustini verbis illustrabo. *Inter se sunt*, ait, *veritas, mendaciumque contraria. Unde quantò amamus istam, tantò illud odisse debemus.* Audis vulgo tot homines veritatis amorem potestantes, & propriæ falsitatis odium ; quòd tibi consulam non facilè credere tot amatorum veri dilectionibus ; nec omnibus indifferenter confidere profitentibus abominationem falsi. Istimet, quos audis, mox ut obtulerit sese quævis utilitas, vel necessitas, apparens, aut vera, jam veritatis amorem deponent, & fingere non dedignabuntur. Quos postea si redarguas, alii necessitatem prætendent, ut excusentur ; alii, pudore sepositò, respondebunt, veritatem infructuosam sibi ; propterea que nonnunquam omittendam : addentes, vix in orbe toto commodè vivere posse illum, qui semper vera loquitur. Hæc atque similia proferre non verentur ii, qui longe distant ab eo, quod verè justi nominari valeant. Virtutis amator verus, ut veritatem non fictè diligit ; sic exosum habet mendacium. Istud ille refugit ; & adhuc securum se non credit ab eo : quantumvis fictionem vitet elongans ab illa semetipsum ; rursus magis cupit abesse.

S. Aug. to. 4. l. contra mendac. c. 3. in pr.

26. Prov. 30. 8.

Salomon Dominum rogavit, dicens : *Verba mendacia longe fac à me.* Ut genuinè precem istam Sapientis intelligamus, consolatur interpres antiquus Rodolphus, qui sic exponit, non quidem ex propriâ mente ; sed aliorum. *Alii vanitatem*, inquit, *& mendacium ad errores, & deceptiones referunt : quasi peteret Sapiens, ut neque ipse erret, neque alios in errores & deceptiones mittat*, &c. Adde Cornelium ibi. *Salomon*, ait, *hic orat, & orare nos monet, ut nec prosperitate extollamur, & inducamur ad vanitatem superbiæ, ac Dei neglectum cum idolorum cultura ; nec per adversitatem deprimamur ad inhonesta & mendacia*, &c. His positis, inquiro. Nonne jussum fuerat Hebræis in lege veteri : *Mendacium fugies* ? Fugiat ergo Salomon mendacium ; & non maculabitur eo. Superfluum videbitur postulare Dominum, quod longè seponat ab illo mendacium. Non supervacua fuit postulatio. Fugiebat quidem à mentiendo Sapiens : utpote qui sanæ mentis erat, virtutisque dilector, cum ita precatus est. At ex hac ipsa ratione tantoperè mendacium abominabatur, ut se tutum non crederet ab illo. Vellet dupliciter ab eo dividi : primò per fugam, qua devitabat ipsum : secundò per manum Dei longe facientis à se mendacia verba. Etiam veritatis amor solliciti res plena timoris : afficitur eximiè vir sanctus erga verum : propterea metuit ne lædat illud : idcirco *verbum mendax justus detestabitur.*

Rodolph. ib

Alap. ibid.

Exod. 23. 7.

27. *Non mentiendum ad finem bonum.*

Ut quamdam vulgarem fallaciarum excusationem abscindam, superaddendum est, illas à justo declinari, quantumlibet sint utiles ad opus bonum. Non tantùm vulgares homines audivi, sed quosdam ex alioquin prudentibus, congruum & laudabile mentiri pro nonnunquam efficiendo laudabili facto. O paradoxum contra naturæ lumen ; quô docemur, finem rectum non honestare media mala. Theologiâ non est opus, ut scias, furandum non esse ad præbendum eleemosynam. Sic mendacium per intentionem benefaciendi proximo non exuit malitiam suam. Imo qui mentiuntur, ut operentur bonum, videntur inferre virtuti peculiarem injuriam : nam indicant, illam adeo vilem, ut adjumento indigeat peccati. Proinde certum habe, non mentiendum etiamsi opportunum sit ad salutem æternam proximi. Adest Augustinus. *Ab hoc invidiosissimo clamore*, ait, *quo cogimur non pro cujusquam opibus vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quò confugiam, nisi ad te veritas* ? Sed timeo, nec Augustini doctrinam, neque momenta rationum prævalitura contra palliatam ignorantiam tegumento virtutis (quidquid sit an inculpabilis extet) putantium, rem esse dignam laude mentiri, quin & in judicio peierare pro bono proximi ; forteque non sine damno tertii. Mendacium est caligo ; virtus autem splendor. Nemo non mente captus existimavit, caliginem esse medium conveniens ad splendorem consequendum. Prudens & justus non ore promet falsum ad faciendum opus etiam laudabile valde.

S. Aug sup. c. 20. in princ.

28. Marc. 15. 43.

Morti facta potestas fuit in Authorem vitæ. Cumque Parentis æterni providentia curare potuisset, ut ab Angelis consepeliretur Domini cadaver sacrosanctum ; curans tamen potius hominum in isto ministerio meritum, quàm in obsequio spirituum cœlestium Filii majestatem ; non Angelicis manibus datum est sepulturæ corpus ejusdem, sed per Joseph & Nicodemum. Josephus *audacter introivit ad Pilatum & petiit corpus Jesu.* Intempestiva fortè videbitur hæc audacia sancta : necnon & insperata de discipulo : qui Judæorum timore nunquam fuerat ausus detegere se doctrinæ Salvatoris alumnum. Joannes ait : *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu : occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu.* Pilatus equidem Judæus non erat : attamen accidere potuisset, ut in Hebræorum gratiam durè acciperet petitionem istam, & puniret Josephum tamquam fautorem hominis, quem ipse damnaverat. Nonne tutius foret Josepho comminisci licentiam Pilati, quò nemo prohiberet à cruce depositum corpus Magistri mandare tumulo ? quare non utitur ista fictione, quâ rectus gestum commendabile perficeret, quin accederet ad judi-

Ioan. 19. 38.

cem

cem iniquum ? Noluit mentiri ; quamvis tam bono fine, qualis erat honorem ſepulcri deferre Præceptori ſuo. Erat ille *vir bonus & juſtus* : prudentiâ, virtuteque ſuadentibus, fingere non deliberavit ; quantumvis egregium eſſet opus quod intendebat. In animæ ſalute longe diſpariter procedendum eſt ac in ſanitate corporis ; quamvis hanc præcellat illa. Leviter feritur ægrotus, ut hoc medio ſanetur : anima non ſic : nec leviſſimè ferienda pro conſequendis bonis ad æternam ſalutem ſpectantibus.

Luc.23.50.

29. *Nec ad liberandum Salvatorem ab humanâ malitia, ſi oporteret, mendacium foret.*

Adhuc veritatem iſtam, licet cunctis rectè ſentientibus apertam roborare conabor : ſuperaddens, quòd, ſi Chriſtus Dominus viveret nunc ſuper terram vitâ mortali, ſubeſſetque, prout antea, calumniis hominum ; nec tunc mentiendum foret, ut Salvatorem dilectiſſimum liberaremus ab eo quod per calumnias argueretur. Ratio facilis eſt inventu. Non ſolet amor obſequii titulo rem exequi diſplicentem dilecto, niſi prorſus ignoranter operetur. Nullus eſt, qui neſciat, cunctas iniquitates etiam tenuiſſimas ingratas eſſe valde Redemptori ſanctiſſimo. Quâ fronte diligens eum dedicaret illi mendacium tamquam obſequium, committens hoc, ut Filium Dei nemo calumniaretur ? an exiſtimas, mendacium, quamvis leve, non venire ſub nomine *Iniquitas* ? Lege S. Iſidorum Hiſpalenſem. *Nullum juſtum mendacium*, inquit, *omne mendacium peccatum eſt, omne quod à veritate diſcordat iniquitas eſt.* Accedit, quod Aſſertor noſter ſol eſt, & veritas. Plures adoravere ſolem, quem videmus ; nullus tamen litavit ei tenebras, quas diſſipat. Quantò magis fulgentiori juſtitiæ Soli placere velle per mendacii tenebras in utilitatem ejus prolati, ridiculum eſſet ? offerre Veritati mendacium tamquam donarium, quàm foret ſtultum ! Unde vel exîmius amator Chriſti mendacium non ore proferret, ad hoc ut obviaret humanæ malitiæ contra Dominum inſurgenti.

S. Iſid. Hiſp. l. 2. ſynony. c. 10.

30. Venit Chriſtus Dei Filius in urbem Capharnaum. Acceſſerunt ad Petrum ii, qui recipiebant didrachma, quod Cæſari ſolvebatur in tributum : & malitiâ ſuggerente dixerunt : *Magiſter veſter non ſolvit didrachma* ? Unico verbo reſpondit Apoſtolus : *Etiam.* Nimis verborum parcus viſus erit alicui Simon ; cum ignorare minimè credamus, iſtos malitioſè percontari ; de qua malitia nonnihil Paſchaſius : *Diſcipulum*, ait, *conveniunt, ſivè malitioſè interrogant, utrum reddat tributa, aut contradicat Cæſaris voluntati, ne cenſum ſolvere velit.* Cur non dixit Petrus : Adhuc hodie Magiſter meus mihi præcepit, ut quærerem pecuniam, & eraſtinâ die ſolverem pro eo tributum ? Falſum diceret utique ; nam res non ita ſe habuit : ſed Magiſtrum dilectiſſimum erueret à periculo, ne malitioſi putarent, ipſum internè contradicere voluntati Cæſaris, & compulſum ſolvere didrachma tantùm, quoniam intellexiſſet ab illis exigi. Memini Jonatham alioquin optimæ indolis principem, falſitatem dixiſſe quondam in gratiam Davidis. Abſconditus hic erat à furore Saülis : qui videns, eum ad menſam regiam nec præcedenti die, nec illo veniſſe, dixit Jonathæ : *Cur non venit filius Iſai, nec heri nec hodie ad veſcendum ? Reſponditque Jonathas Saüli : Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem, & ait : Dimitte me, quoniam ſacrificium ſolemne eſt in civitate, unus de fratribus meis accerſivit me . . . . Ob hanc cauſam non venit ad menſam regis.* Falſum locutus eſt Jonathas, quia ſic Davidi congruere judicavit. Diligebatne minus Petrus Chriſtum, quàm Jonathas Davidem ? Abſit. Diſparitas in eo fuit, quòd Princeps mundi conſuetudinem ſecutus eſt, ubi vel timorati nonnulli ſæpiùs, ut amico benefaciant, leve mendacium non formidant ; mali verò necnon & gravia non metuunt. Atverò diſcipulus eruditus in ſchola ſummæ Veritatis, neutiquam utens fictione curavit obſiſtere malignitati contra Magiſtrum ſuum inſidias tendenti. Quidquid ergo boni poſſit à mendacio promanare ; ſemper *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

Matth.17.23, 24.

Paſch. l.8. in Matth.ib.

1.Reg.20.27. 28 29.

31. *Qualiter Deus offendatur per fictiones aliquas.*

Ad finem, quæſtionem inſtituo ſolvendam. Dupliciter exerrant homines in ſubjecta materia. Quidam virtutis opus exercent ad perficiendum aliquid culpabile non modicum. Sic operantur qui veritatem hîc & nunc aperiunt ſub colore non adulterandi verum ; ſed animo vindicandi per hoc injurias proprias, quia nocivum eſt offenſori ſuo quod loquuntur. Alii ſunt utentes peccato ſuo ad aliquem finem de ſe bonum : cujuſmodi ſunt verbî causâ peierantes, ut faveant proximo. Reſtat examinare quidnam ex his duobus Altiſſimo diſpliceat plùs ? Putarem cæteris paribus quòd ſecundum : ſcilicet fingere, quò per figmentum perficiatur aliquid commendatione dignum, quantùm eſt de ſe. Moveor ex eo, quòd turpiſſimum eſt intentionem virtuoſam quaſi cogere, ut à viâ virtutis quæ dextra eſt, in ſiniſtram deviet, dum quærit media mala : hoc enim erit veluti naturam ipſius virtutis mutando fœdare. Notum eſt, virtuoſa facta ſuos vendicare terminos, à quibus non declinandum, nec ad ſiniſtram, nec in dextram. S. Antonius Ulyſſiponenſis : *Omnes*, inquit, *virtutes debent habere terminos ſuos, ut regiâ viâ gradientes non declinent ad dexteram vel ſiniſtram, ... Et colores non fuſcos, ſed veros & vivos, ne vitia virtutum tincta colore animam decipiant.* Ex hoc duplici declinandi modo turpior ille videtur, qui deviat in dextram : infamatur enim ſic via virtutis. Ita ſe gerunt fallaces, qui verbo, vel opere fingunt, ut ex callido commento ſequatur aliquid bonum. Hic fingendi ſtylus ampliùs videtur ingratus amatori veritatis Deo. Plùs, inquam, Dominus, cæteris paribus odit fictiones, de quibus aliquid laudabile provenire valet ; quàm ſi virtutem aliquam operemur ad malum. Hoc ultimum ſanè Deum lædit, ſed aliquando plùs oſtendit ſe Dominus

S. Ant. Ulyſſ. ſer. 2 Dom. 3. poſt Paſ. long. poſt med.

per

per homines offenſum, cùm ad finem laudabilem utuntur ſimulatione.

32. Phariſæi cupientes in ſermone capere Sapientiam incarnatam, mittunt ad eum diſcipulos ſuos cum Herodianis. Quæſtio propoſita tunc eſt Filio Dei nimis doloſa, ſcilicet an licitum eſſet Cæſari dare
Matth. 22.18. cenſum. *Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?* Non tam ſevera fuit reſponſio, quam nequitia promerebatur iſta. Nunc tranſeamus ad ſequens Matthæi caput. Ibi narratur ſeveriſſimè locutum contra Scribas & Phariſæos mitiſſimum Dominum. Poſt multa
Ib. c. 23. 33. dixit eis: *Serpentes genimina viperarum; quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Audiſtine quàm loquatur auſterus qui ſuperiori loco non ita? quâ de causâ non redarguit acerbiſſimè doloſitatem interrogantium liceretne cenſum tribuere Cæſari? modò verò protulit ſententiam aſperitate multâ, ſed juſtiſſimâ? Reſpondeò. Cùm excitata fuit quæſtio de tributo, nequitia Phariſæorum fuit uſa confeſſione veracitatis Chriſti Domini (quæ quidem virtutis actus eſt ex natura ſua, quidquid ſit de mente, vel intentione proferentis) ad fi-
Ib. c. 22. 15. nem malum, hoc eſt *ut caperent eum in*
Ib. n. 16. *ſermone.* Dixerunt enim diſcipuli Phariſæorum: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum:* &c. Redarguta fuit à Salvatore nequitia, ſed non duriſſimo flagello: quia multoties non tam ſe Deus læſum oſtendit per applicationem virtutis ad prava. Poſteriori verò loco notaverat Scribas & Phariſæos de ſimulatione ſanctitatis: quæ reverà poterat effectui bono multùm inſervire: nam & illa rectitudo exterior de ſe bonum præbebat exemplum, ac utilis eſſe volebat, ut non ſcan-
Ib. c. 23. 28. dalizaretur populus. *Vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Hæc apparentia juſti-
S. Anſel. com. in Matth. c. 23. tiæ mendacium erat. S. Anſelmus: *Phariſæos arguit ſimulationis ſcilicet & mendacii, quod aliud oſtendatur hominibus foris, aliud agatur intus*, Mendacium, inquam, erat: nam, ut alibi latiùs dixi, necnon & facto mentiuntur homines. Non tantùm verba dantur, ſed etiam res mendaces.
S. Brun. Aſt. com. in Pſal. 115. S. Bruno Aſtenſis: *Unde*, inquit, *& denarios falſos vocamus, & aurum, & argentum, falſum eſſe dicimus, & quicquid à puritate ſuæ naturæ degenerat, mentiri non dubitamus.* Ea propter, cum Scribæ Phariſæique per mendacium ſuæ hypocriſis intenderint, vel intendere potuerint bonos fines, nempe ſcandalum vitare, rectum exemplum præbere; non miror quòd tam rigidè Dominus locutus fuerit ad eos, cùm dixit: *Serpentes*, &c. nam plurimùm diſplicet eidem quòd fictio ſumatur ut medium ad bonum; imo quòd homo ſe conſtituat in periculo ſic agendi. Maneat itaque, deteſtandum quid eſſe admittere mala, ut veniant bona. Bona dixi? Melius dicerem fortè mala. Rationem dabit pulchrè Magnus Gregorius aliorſum loS. Gregor. M. quens. *Aliud eſt pro peccatis miſericordiam facere, aliud pro miſericordia facienda peccare, quæ jam nequaquam miſericordia nuncupari poteſt: quia ad dulcem fructum non proficit, quæ per virus peſtiferæ radicis amareſcit.* to. 1. 3. part. Paſt. c. 22.

DELIBATIO III.

Execratur probus audire mendacia.

SOnus auribus gratior ex majori parte non naturæ, ſed opus artis eſt, cùm ab homine profertur ad hominem, ut ſenſui tantùm lenocinetur, prout in muſicis vocibus videre licet. Mendacium artificiosè componit mendax, & ſæpe ſuave nimis auditui mundanorum, quos voluntariè circumvenit, ac ſi foret harmonia cantùs illius loquela. Nequaquam iſta dulciter ſonat viro probo: ſed *verbum mendax juſtus deteſtabitur.* Operæpretium erit rationes aliquot aſſignare, cur tam vehementer bonis mendacia diſpliceant. Prima ſit, quia cernunt falſitatem in ſæculo præpotentem; & verum proculcari nimis. Veritas queruloſa proponitur à Grapheo: qui ſic ejus nomine loquens:

33. *Odit bonus mendacium, quia potens illud eſt.*

Inviſa toto divagor mundo, undique
Me ceu canem pellunt procul:
Nullus latendi uſquam locus; dicam mihi
Minantur omnes heu necem
Niſi fugitem impias manus, niſi fileam
Linguamque & os compreſſerim.

Corn. Graph. in poem de veritate exule.

Similiter queritur veritas apud Vegium, dicens: *Nam ut rotabar undique & exagitabar incerta mei atque anxia*, &c. Ex eo quòd veritas protrita jaceat, & ab hominibus pellatur in exilium, naſcitur, mendacium prævalere viribus frequenter, & multos aſſeclas numerare. Quod ita miſerabiliter experimur, ut mentiri noſſe reputetur ſignum felicis indolis. Non deſunt qui ſpem concipiant magnam de pueris, qui mentiri fallereque aſſueſcunt. Id notavit Mapheus proximè. (*Quod deteſtabilius eſt*) *eò magis etiam indoles probatur, atque magnum aliquid de ſe polliceri prædicatur, quo mentiri magis ac fallere aſſueſcunt.* Laudibus ejuſmodi ſuperbiens, & induſtriâ ſuâ felix exaltatur falſitas, potenſque fit; & plurimos vendicat annuentes ultrò ſibi. Fateor, non omnem fictionem potentiâ frui: nam pauperes audimus crebrò fingentes, qui vix fruſtulum panis extorquent ab avaro. Sed cum hoc ſtat, quòd plures fortunæ ſuæ ſervi dediti ſunt vili mentiendi vitio. Quidquid iſti falſum dicant approbatur à plurimis, & vincit obſtantem veritatem deſertam, & fugitivam. Hoc juſtus execratur, odit, abhorret.

Maphe. Veg. dial. de verita. Idem ibi.

34. Siracides de tribus inviſis iſtam protulit ſententiam Spiritus divini calamo digniſſimam: *Tres ſpecies odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: Pauperem ſuperbum: divitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum.* In ſecundo de tribus iſtis, curioſiùs inquiro, cur non potius dixit, odiſſe mendacem pauperem? nam etiam valde miſericors notat ſummam quorum-

Eccl. 25. 3. 4.

dam egenorum impudentiam in mentiendo. Miſericordiæ plena fuerunt viſcera Chryſoſtomi, prout ejus indicant ſcripta: dixit attamen : *Majori miſericordia moveor, cum in eam neceſſitatem incidiſſe homines videam, ut impudentiſſimè mendaciis vivere cogantur* : &c. Quare non Eccleſiaſticus odium proponit præfato loco ſuum contra fallacias egenorum ? figmenta verò ditum odiſſe teſtatur ; Quia mendacium opulenti deteſtabilius eſt, quàm indigi commentum. Mentitur pauper : ſed cum adulatoribus careat, comites non inveniet aſſentientes : nec aliquid magnum valebit induſtriosâ fictione moliri. Contingit oppoſitum repleto facultatibus : qui multis aſſentatoribus vallatus eſt ; & iſti, ſi dixerit ille, dum nix cadit hyberno tempore : Nunc æſtuo ; ſudant. Accedit quod falſitas divitis prævalida multum eſt. Ejus gazæ (ſicut olim notavit quidam) fortaſſis propterea vocantur facultates, quia facultatem illi ferè tribuunt ad complendum opere quidquid conceperit mente. Proinde merito Siracides fictitium verbum locupletis duxit abominandum. Favet ad præcitatum locum Gandavenſis Epiſcopus. *Nam & is*, inquit, *non ita cauſam habet mentiendi ſicut pauper, quem inopia ſæpe ad mentiendum provocat ; & ſuis mendaciis propter authoritatem quam habet in Republica, magis nocet. quam pauper, cujus verbis non facile fides habetur.* Poteſtas, quam falſitas uſurpat, & exequitur, nociva nimiùm reperitur : & propterea vir inculpatus eam peculiariter proſequitur odio ſancto.

S. Ioan. Chr. to. 2. hom. 36. in Matth.

Corn. Janſ. com. in Eccl. 25. ib.

35. *Idem, quod, ſi verum eſt non creditur; ſi falſum foret, crederetur.*

Semel quòd incidit mentio de falſitatum viribus ; iſtas adeo validas adnotabo, ut idem prorſus, dato quòd ſit falſum, credatur ; at ſi verum foret, minimè. S. Ambroſius dixit : *Difficile ſolemus credere quæ non videmus* : &c. quaſi putemus noſtris oculis eſſe continuò tutam fidem. At S. Doctoris dictum non in omnibus, quæ viſu nequaquam percipimus, æqualiter procedit. Quædam ſunt ingrata cordibus ; & illa minus facilè credimus : alia palato dulciter arridentia ; quæ ſicut patulis auribus excipimus, ita proni ſumus ad credendum. Belle Cæſar : *Ferè libenter homines id, quod volunt, credunt.* Aliqui dantur intellectus, quos, niſi philoſophia reſiſteret, appellarem quaſi liberos : nam velut pro libito rejiciunt ut incredibilia quædam ; alia complectuntur uti digna fide. Quin potius & ſi verum ſit, aliquando reputatur impoſſibile penitus idem, quod, ſi falſum foret, crederetur ut pura veritas. Inæqualitas iſta judicii corrupti, ſcilicet judicii noſtri, frequentiſſimè viſitur in auditis ad honorem alienum ſpectantibus. Divulgetur nuntium fictum : fidem adhibebit illi populus, gens, turba. Nuntietur idipſum verè : pauci præbebunt conſentientem auditum.

§ Amb to. 2. expoſ. Pſal. 1.

Cæſar l. 3. de bello Gallic.

36. Inſatiata ſævitiis Judaïca feritas, emortuo jam Filio Dei, rurſus in ejus honorem crudelis invehitur. Non ſemper verum, invidiam parcere defunctis. Eximii factis vivunt poſt fata quodammodo : propterea livor adhuc perſequi non ceſſat eos, quaſi viventes. Principes ſacerdotum & Phariſæi acceſſerunt ad Pilatum, poſtulantes, ut præciperet cuſtodiri Chriſti Domini ſepulchrum uſque ad tertium diem. Et quare ? Dixerunt ipſi : *Ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi : Surrexit à mortuis, & erit noviſſimus error pejor priore.* Poſt reſurrectionem Salvatoris, à quibuſdam cuſtodibus nuntiata ſunt ſacerdotum principibus quæ facta fuerant : iſti verò *congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes : Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Inconſtans Judæorum videtur in hac re judicium ; cum tam pertinaces fuerint mentes illorum, ut veritati reſurrectionis agnitæ mendacium excogitatum oppoſuerint, imo pecuniis emerent. Rupertus : *Dum conſultarent*, inquit, *& per pecuniam obtinerent, quatenus verbum hoc divulgaretur*, furati ſunt eum nobis dormientibus, *ſciebant & conſcientiam refragantem intus audiebant, quia non eſt verum. Poſtquam ſic peccaverunt, non veritatem ignorando, ſed mendacium excogitando, jam emundari non potuerunt*, &c. Inquiro. Quomodo principes ſacerdotum ſibi perſuaſerunt, plebem crediturum, furto ſublatum fuiſſe Chriſti Domini cadaver ; & non potius timent, fidem adhibendam Apoſtolis prædicantibus poſtea reſurrectionem ejus ? nonne veriti ſunt, quòd, ſi diſcipuli furarentur corpus, & plebi dicerent, Magiſtrum ſurrexiſſe, crederetur eis ? Ita liquet ex ipſo textu. Quo motivo, quæſo, ducti non formidant credendum eſſe diſcipulis reſurrectionem veram aſſerentibus ? putantque, mendacium ab ibſis confictum prævaliturum fore contra veritatem, quam prædicarent Apoſtoli ? Reſpondeo. Si reſurrectio Salvatoris extitiſſet falſa, diſcipulique poſt furtum cadaveris fingentes eam affirmarent, fides illis præſtaretur : dictum enim fictitium in commendationem alterius multoties à vulgo creditur. Sed vera Chriſti reſurrectio prædicata per Apoſtolos, inveniret (ut ſacerdotum principes putaverunt) credentes paucos ; & ſic judicarunt, prævalituram fore falſitatem inventam ab illis, & à cuſtodibus aſſertam. Quod alium honorat, ſi veraciter dicatur, non ſolet facile credi ; ſi verò mendaciter, maximè.

Matth. 27. 64

Ib. c. 28. 12. 13

Rupert. com. in Oſe. c. 8.

37. *Mali pluribus linguis loquuntur dolos; juſtis velut os omnibus unum.*

Secundam rationem execrandi mendacium ſumit juſtus ex eo quòd ſit illa verſipellis. Dato quòd falſitati color unicus eſſet, non tam facile deciperemur : at quia fictio multicolor eſt, magno diſcrimini patet hominis recti candidus animus, ne circumveniatur : idcirco perhorreſcit eam audire. Inſtabile nimis eſt figmentum. S. Hieronymus ait : *Et revera mendacium inſtar fluminis tranſit & præterfluit : & nunquam poteſt ſtabili manſione conſiſtere.* S. Antonius Ulyſſiponenſis æquiparavit linguas multorum linguæ ſerpentis. *Certe hunc*, inquit, *gladium in lingua portant hodie multi, habentes*

S. Hier. to. 5. l. 6. in Iſaï. c. 15.

S. Ant. Ulyſſ. ſerm Dom. Quinquag.

habentes ad modum ſerpentis linguas biſurcatas. Hoc mendacibus applicari valet : nam quamvis illorum linguæ ſint frequenter acuti gladii ; tamen haud pondus enſis habent ; ſed quaſi ſerpentina lingua leves, & facillimè verſatiles reperiuntur. Id oſtendit varietas inconſtantiſſima, quâ mendaces ita loquuntur, ut ſingulis ora data mille putes. Sed, age, relinquâmus iſtos, ut humani conſortis toxica. Veniam ad mendaces aliquos nonnihil vendicantes conſtantiæ. Videbis eos quaſi diſtribuere dolos inter ſe. Mentitur unus hoc modô : jam alter circa penitus idem fingit aliter. Non ita fantur juſti ; quorum in locutione concors eſt uniformitas. Mali pluribus loquuntur linguis ; juſtis autem velut eſt omnibus unum os.

38. In Patmos exul Diſcipulus dilectus vidit cum Agno centum quadraginta quatuor millia, de quibus ait : *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium* : &c. Per multitudinem illam tota deſignatur Eccleſia. Legitur apud Bedam : *Hanc viſionem Tychonius non de virginibus ſpecialiter, ſed de tota generaliter interpretatur Eccleſia*, &c. Adverte quòd in ſingulari dixit, loquens de tam numerosâ cohorte : *In ore*, &c. Hoc tene, quandiu conſulo Pſalmiſtam. Invenio locutum aliter de mendacibus : inimicis Eccleſiæ. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas : cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant*, &c. Bellarminus ibi : *Quod dixerat*, Non eſt in ore eorum veritas *repetit, dicens* : Linguis ſuis dolosè agebant. Ut quid iſta repetitio ? Dixerat, *In ore* : quo fine de verbis doloſis agens eorumdem, rurſus ait : *Linguis ſuis*, &c. Fortaſſe, ne putaretur, affirmare, cunctos eos inimicos ore uno loqui falſum ; ut inſinuaret oppoſitum, repetens idem, quod jam dictum erat, ſuperaddidit locutione plurali, ſic : *Linguis ſuis dolosè agebant.* Non ſolum Spiritus ſanctus, ſed etiam ſpiritus malignus dat eloqui variis linguis ; ut malum diſſeminetur amplius. Per os unius mendacis narrat commentum nocivum proximo ſic : Per linguam alterius evomit adhuc idemipſum, jam aliqualiter diverſum. Candor juſtorum ægrè fert audire verſicolorem iſtam varietatem : propterea *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

Apoc. 14. 5.

Bed. l. 2. in Apoc. c. 14.

Bell. Card. in com. Pſal. ib.

39. *Homo gubernat mendacium à corde ad os ; diabolus vero ab ore deinceps.* Dixi proximè, dæmonem per labia mendacium hominum nomen venenum. Operæpretium erit hoc exponere, ne putes, me negare, fallacias mortalium opus humanum eſſe ; quamvis propter effectus illarum terribiles, vocari queat inhumanum. Duo fateor : primum, quòd hominis fictio illum habet pro cauſa particulari. Sole clarius eſt hoc ; aliter peccatum non foret : ſicut non peccat energumenus, per quem involuntarium diabolus mendaces contumelias loquitur. Secundum quòd malignitas diabolica dici poteſt quorumdam, qui delectantur in proferendo mendacia. Cancellarius Pariſienſis : *Malignitas*, inquit, *eſt diabolica delectari in mendaciis quia fallunt*, &c. Com-

Gerſ. to. 3. in centiloq. de

ponamus iſta duo. Falſitas & à diabolo dirigitur, & ab homine : ſed ambo concurrunt in eam, ita, quod homo gubernet illam quandiu prodit à corde in os ; ab ore autem prodiens defertur à dæmone, collimaturque ad intentum finem. Habent ſe cacodæmon, & mendax homo quaſi duo conſortes hujus negotii peſſimi, diſtribuentes inter ſe mutuò certos fines, ut unus curet opus illud uſque ad metam ſibi præſcriptam ; & alter promoveat ulteriùs rem. Hominis eſt effingere falſitatem in corde, illamque deferre proprium ad os ; diabolus verò ſibi ſumit regere mendacium idem à proferentis ore, uſque ad alienum auditum. impulſibus decad. 8.

Cupiens Achab tollere Ramoth Galaad de poteſtate regis Syriæ bellicâ manu, Joſaphat auxiliarem habebat regem Juda. Achab rogatus ab iſto ut quæreret ſuper eventu futuro reſponſum Dei, congregavit pſeudoprophetas quadringentos circiter viros. Inquiſivit ab eis, ire ne deberet ad bellandum in Ramoth : qui reſponderunt proſpera. Joſaphat avens audire prophetam Domini, deſiderium ſuum quadamtenus inſinuavit Iſraëlitico regi. Repoſuit iſte, remanſiſſe Michæam ; ſed à ſe odio habitum, quia ſibi malum, & non bonum prophetabat. Attamen, ut morem gereret Juda regi, juſſit eum adduci. Propheta veniens rogatur à rege, utrum iri debeatur in Ramoth ad prælian-dum : ac tandem adjuratus, poſt alia dixit, vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium ; & ipſi Deo ſpiritum dixiſſe malignum, egreſſurum ſe fore, futurumque fuiſſe mendacem in ore cunctorum prophetarum Achab. *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Penſitabam, quid in cauſâ fuerit, ut ſpiritus hic malus non dixerit : Egrediar & introïbo in cor prophetarum regis Achab, ut ibi fabricem aptè mendacium, & illum decipiam ? nonne doli prodeunt à corde ? Sane divinus Magiſter inter ea mala, quæ numeravit apud Marcum de corde prodeuntia, nominavit dolum. *De corde hominum malæ cogitationes procedunt .... nequitiæ, dolus*, &c. An cor Judæ perfidi non eſt ingreſſus diabolus ? Haud quidem inficias ibis. Quâ de cauſâ non dixit coram Domino ſpiritus ille perverſus, intraturum ſe cor pſeudoprophetarum ? Quia Judas non decepit Judæos mentiendo : dæmon in damnum Achab de mendacio ſatagebat. Ut hoc efformaretur, neceſſarium non erat, illum in corda prophetarum Achab ingredi : nam ipſi fabricatores eſſent mendacii ſuis in cordibus ; illudque deſcendere facerent in linguam propriam. Sed quia dæmonis eſt peculiare munus gubernare falſitatem pernicioſam ab ore mentientis ad aures decepti, dictum eſt ab eo : *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Cernis quam conformis, partitis officiis, hæc ſocietas inveniatur inter dæmonem, atque deceptorem ? Stat ergo, mendacium pariter appellari poſſe diabolicum opus, & humanum. Si foret humanum ſolum-

40.

3. Reg. 22. 22.

Marc. 7. 21. 22.

modò, rectus vir miserans infirmitatem naturæ, minus illud abhorreret; sed cum dæmoniacum extet, *verbum mendax justus detestabitur* valde.

41. *Veritas mixta mendacio perdit pulchritudinem.*

Postremò tertiam rationem adnumerabo, quâ motus vir probus execratur fictionem alienam. Mendacium naturâ suâ fœdum est: ac proinde mentalibus oculis ingratum. Corporeis luminibus pulchritudo materialis placet ita, quòd secretâ quasi vi rapiat corda; multa verò fœditas parum abest ut gignat odium. Mentis visui, sublatis impedimentis, veritas est pulcherrima; mendacium autem sordidè turpe. Quantùm viro bono veritatis formositas placet amantissimè; tantò displicet mendacii turpitudo. Recole Augustinum, quem dedi supra n. 25. Adde loquentem opportunè de malitia mentientium Anonymum sub nomine S. Martialis: nam assimilavit eam fumo. *Indigni sunt*, inquit, *cognoscere veritatem Deo*; *& si cognoscunt, non eam diligunt, quin potius persequuntur quantum in ipsis est*; & infra: *Vapor enim est nebulæ malitia eorum, quæ cito pertransibit, sicut fumus noxius oculis.* Nonnullæ similitudines parificant fumum & mendacium. Prima quòd neutrum est solidum: secunda quòd utrumque maculat frequenter id à quo non est ortum: tertia quòd utrumlibet extollitur in æthera. Sed, ut alias omittam, sufficit ad rem nostram, quod tam fumus, quàm fictio fœda valde sunt. Mendacii talis est deformitas; ut licet veritas multum speciosa sit; admixta falsitati, speciositatem deperdat. Verùm est quid candidum; & fuligine figmenti denigratur: unde jam decorum non remanet.

Incert. sub nom. S. Martial. Epist. ep. 2. ad Tolos.

42. Postquam Ecclesiasticus proposuit quamdam inter mendaces & veridicos disparitatem: priores nempe sanctitatem, puritatem, ac districtum judicium æternæ sapientiæ non attendere nec ponderare; veraces autem huic adhærere sapientiæ, subjicit istam sententiam: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*: &c. Commentatur Jansenius: *Hoc est, etiamsi in ore ejus inveniatur, non est tamen ibi speciosa, nec decet eam ibi esse, quia dedecoratur vel admixtione vanitatis & falsitatis, vel saltem vitæ improbitate. Denique quia non est ibi Deo grata, nec placet ei, unde apud Psalmistam Deus peccatorem bona docentem redarguit*, &c. Ex hac expositione deduco, verba textus præcitata comprehendere laudem virtutis. Hoc supposito quod non formidabis concedere, sic inquiro. An non laus virtutis veritas est? nonne veritas pulchritudine pollet? Lege Gregorium Nyssenum. *Veritas in dictis*, ait, *& splendida & illustris conspicitur. Nam talis est lilii species, cujus splendor quasi quodam ænigmate puritatem ac veritatem eorum quæ dicuntur significat.* Quid ergo deturpavit venustatem de se repertam in veritate, qua virtus commendatur à peccatore? Mixtura falsitatis. Cum laudat malus bonum, vel addendo, seu minuendo mentitur, vel saltem insinuat illam diligere; quod utplurimùm falsum est. Quidquid mendacii commiscetur veritati, denigrat ejus candorem: proindeque laus virtutis in scelesti labiis non est pulchra. Fœda tandem concludam nunc, diabolica, sed potens in sæculo flalsiloquentia meritò justis est horrori, cùm auditur: & *verbum mendax justus detestabitur.*

Eccl. 15. 9.

Jans. in co. l. b.

S. Greg. Nyss. or. 14. in Can. longe post princ.

DELIBATIO IV.

Abominatur justus audire detrahentes.

43. *Sanctus detestatur detractorem quasi blasphemum.* Gers. in resp. ad 4. quæstiones q. 1. concl. 3. fi.

VEreor, ne multus existimer in loquendo contra linguæ malum. Sed tuebor à censore meipsum, verba Cancellarii Parisiensis usurpans. *Longiùs quàm intendebamus, & forsan duriùs quàm debueramus, de vitio linguæ disseruimus. Sed nemini displiceat: nullus sinistrè dijudicet: pro communi bono factum est: coram Deo loquimur; nulli in contemptum.* Nemo dixit, superfluum tempore pestis remedia multiplicare, ne lacrimabiliter inficiamur horrenda lue. Detractionem pesti similem quis negabit? Detractores fateberis odibiles, cum expenderis verba S. Bernardi, qui ait: *An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ?* Idem S. Doctor alibi dixit: *Vereor dilectissimi ne quis forte sit & in nobis Domini persecutor: manifesta docuit ratio impedire salutem esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum: qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum?* Meritò *detractores Deo odibiles describuntur: tamquam persecutores.* Habemus, detractorem similem esse persecutori Dei. Cumque verbo delinquat; & lingua persequi Dominum vel sit blasphemia, vel affine blasphemationi; relinquitur, non parum assimilari murmuratorem blasphemo. Ad minus credo, sanctos abominari detractorem quasi blasphemum. Jubes ut hoc ipsum probem. Obediam, ni fallor.

S. Bern. ser. de tripl. custod. Idem ser. 1. in convers. D. Pauli.

44. Jacobi 4. 11.

Inter varia doctrinæ monita S. Jacobus eloquitur ita. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Venerabilis Beda commentatur sic: *Detrahit legi qui detrahit fratri, quasi ipsa non rectè fecerit quæ detractionem vetuit*, &c. Hac interpretatione suppositâ, nunc arguo. Censetur detrahere legi prohibenti detractionem ille qui detrahit? Igitur pari ratione censebitur, homicidam detrahere legi Dei vetantis occisionem hominis: nam & opere tacitè loquimur sæpius; & homicidium committens insinuare similiter videtur, divinam legem perperam statuisse, quòd authoritate privatâ non occideretur homo. Disparem rationem non assignabis facile. Legimus ibidem Jacobum de homicidio loquentem: *Occiditis*, &c. & non addidit: Occidendo legi detrahitis, quasi non illa bene prohibuerit necare. Quænam ratio diversitatis? homicida non detrahit legi? detractor vero maxime? Conjicio, Jacobum sic diversimodè locutum: quia, cum sanctus esset, execrabatur detractionem quasi blasphemiam.

Bed in co. ib

Jacobi 4. 12.

miam. Si quis aſſereret, legem Dei prohibentem detrahere non eſſe rectam, blaſphemo loqueretur ore. Iſtudmet inſinuat affirmare ſe detractor juxta Bedam: & in hoc ſenſu detrahit legi qui detrahit fratri. Conſequentiam colliges: ergo detractor veluti blaſphemus eſt. Illationis vim non repetam rurſus, ne me prolixum dicas; vel ſaltem illi, penes quos author in eorum laborans utilitatem, ſi rem tantùm ſemel verbis aperiat obſcurus vocatur; ſi vero dicat bis, nimius: & certè neſcio quomodo medium inter ſemel & bis in ſubjecta materia poſſit inveniri. Hoc unum ſcio, quòd cum detractor quaſi blaſphemus apud ſanctos extet; optimo jure detractorium *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

45. *Detractio peſte pejor.*

Non oblitus, me detractionem appellaviſſe peſtem initio delibationis hujus, vellem hocipſum corroborare dictum: Cupiens, ut à peſtifero contagio te cuſtodias immunem. Subitaneas mortes peſtis affert. Honor proximi linguâ detractoris tam ſubitò moritur, ut intereat uno verbo. Meritiſſimè S. Laurentius Juſtinianus hoc ſcelus inſignivit nomine peſtis, dicens: *A charitate exciſum ſe fatetur qui detractionibus aſſuetus eſt. Hæc etenim peſtis, per quam charitatis vinculum diſſolvitur, à collegiis ſervorum Dei omnino amovenda eſt.* Aliquid audebo. Peſti dixerim pejorem eſſe detractionem. Hoc ratio ſatis clara convincit. Graſſatur per urbem hanc funeſta contagio: diſcedis ad alteram civitatem longinquam, & ſecurus ibi manes. Fuge murmurationem contra teipſum inſurgentem: nuſquam ab illa tutus habitabis; quin abſentes dirius infeſtat ulla mortifera lues. Maneat igitur, detractionem terribiliorem eſſe peſtilente contagio. Illemet, qui peſtem non exhorruit nimis, linguam doloſam perhorrebit.

S. Laur. Juſt. de diſcipli. & perf. monaſt. conver. c. 13. ante med.

46. Pſ. 119. 2.

Ut exemplo ſuo multos inſtrueret, cecinit Propheta regius, à lingua doloſa ſe liberari petiiſſe, dicentem: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Bellarminus ibi: *Dixi, inquit*, Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa, *quod eſt unum ex majoribus & frequentioribus malis hujus noſtræ peregrinationis. Labia iniqua proferunt detractiones, convicia, calumnias, falſa teſtimonia, & ſimilia verba contra legem juſtitiæ:* &c. Nonne hic eſt ille David qui poſtquam peccavit in caſu numerationis populi, de ſuppliciis tribus optione ſibi datâ peſtem elegit? Sat memini. Velut meticuloſus de aliorum dictis contra ſe, precatur Dominum, clamorem adhibens? *Ad Dominum cum tribularer clamavi*, &c. Nequaquam formidoloſus David erat: ſed linguæ iniquæ tam horrendum eſt malum, quòd ſtrenuum quemque perterere poſſit. Is, qui peſtiferam luem delegerat, detractionem tamquam peſti magis horribilem pati recuſans, ad Altiſſimi protectionem confugit clamans. Omnibus contagiis venenoſior eſt obtrectatio. Quò niſi ad auxilium Dei recurreret, ut ſe tam lethali pluſquam peſtilentiâ liberaret? Quamvis enim virtutum dilector in ſe Deum habeat immanentem, non ideò non ſuſtinebit detractionum lethiferos ictus: imo quoniam bonus eſt, ſubjacet amplius percuſſionibus linguæ nequam.

Card. Bell. in expoſ. cujus Pſ. ib.

Eod. Pſ. n. 1.

Adhuc urgeo juſtum odium labiorum iniqui. Morti perſimilem verè compellabimus os detrahentis. Quare putas? an quia cunctos interficit? Multa ſunt quæ vitam hominis eripiunt; & cunctis detractio præponenda. Mortalis interficitur veneno, ferro, quin & lapide. Sed vita noſtra fragilis eſt adeo, quod leviſſima ſufficiant, ut pereat. Tarquinius Priſcus tranſverſo piſcis oſſe gutture miſerabiliter expiravit. Fabius Prætor hauſto in lacte pilo animam egit, præcluſo ſpiritu re, quam vix percipit oculus. At nec levia, nec gravia, quamvis occidentia mortem vocamus; detractionem autem vocabulo mortis digniſſimam judico, quia morti ſimilis eſt in occidendo; non vitam corporis utique, ſed honoris. Rationem ſimilitudinis hujus aſſigno. Contra mortem nec arma bellica, nec induſtria prævalebunt. Quænam erit ars, vel in quam te recipies arcem, ne tandem obeas præfixo tempore? S. Gregorius Thaumaturgus loquens nomine Salomonis adeſt: *Nec ars omnino ulla & aſtutia invenietur, quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione ſubmoveat:* &c. Os doloſum gerit in hoc mortis imaginem; quod ſcilicet, ſicut nullâ viâ poteris effugere, ne revertaris in terram, unde ſumptus es; ita nullum tibi proderit ingenium, quò linguam peſſimam evadas. Non armis, non ſolertiâ tibi præſtabit incolumitatem ab ore nequam. Propterea dixi, quòd iſtud, cùm eructat verba nociva, malum egerit ſimile morti.

47. *Detractio ſimilis eſt morti.*

D. Gregor. Thaumat. in metaphra. Eccl. c. 8.

Revertamur ad iterum perpendenda verba regii Pſaltis; de quibus aliquid jam notavi delibatione præcedenti. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant*, &c. Non credas, Davidem iſta loqui de malis, quorum ibi mentio fit, quaſi loquentibus falſum ſimpliciter: nam iſti, de quibus agit Pſalmiſta, digni ſunt commentario Genebrardi ſuper illud: *Non eſt in ore eorum*, ubi ait: *Nam nihil aliud expetunt, quam accuſandi, & perdendi anſam.* Agnoſco feritatem accuſantium falsò, perdereque volentium. Propter hoc ipſum tamen dubitabam, cur David non potiùs dixerit: Os leonis patens eſt guttur eorum. Sepulchrum equidem non homini quicquam nocet: quinimo requiem ejus cadaveri præbet: ac licet comminuat illud, id jam non eſt homo, ſed artus exanimes. Deinde tumulo tantùm ſemel tradimur; atverò pravum accuſatoris os vel ſæpius nocet, vel pluries nocere poteſt. Hoc igitur meliùs diceres comparari cum rictu voraci leonis. Quare duxit æquiparandum ſepulchro patenti? Quia leonem vel armis vincet robuſtus, vel arte capiet induſtrioſus. Non ſic tibi continget cum noxia loquente. Sepulturam nullus

48. Pſ. 5. 10. 11.

Genebrar. in com. ib.

viribus præſtans, vel artificiosâ mente præditus evadet ; niſi ſit adeo nimis infelix, ut non terræ mandetur ejus corpus. Hoc ipſum experieris in detractoribus ; quorum guttur appellavit ſepulchrum patens & fœtens Petrus Bleſenſis, dicens : *Ipſorumque detractiones apud Deum & homines fœtent ; quia ſepulchrum patens & fœtens eſt guttur eorum ; venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Ab oris maligni ſepulchro fœtido, patuloque, nequaquam ſeu vi, ſeu dexteritate multâ ſervabis immunem teipſum : ſicut morti nunquam ſubeundæ non proficiet virium præſtantia, vel callida machinatio.

Petr. Bleſ. ep. 40.

49. *Terribilis eſt detractio, cui laus miſcetur.*

Parcus dixi, detractionem eſſe morti conſimilem : cum præſertim agam de juſto deteſtante vitium iſtud : nam rectus vir non execratur mortem ſuam : hæc enim futura ſibi vitæ janua. Ut altius inſiſtam cœptis, præmitto Guerricum. *Diabolus*, ait, *quia ſuperbivit, meliori ſe, id eſt Deo, invidit : quia invidit, detraxit. Sic filii ſuperbiæ ejus, mox ut infecti ſunt vitio ejus, id eſt, amore propriæ excellentiæ, invident alienæ. Ut cœperint invidere, incipient ſi poſſunt detrahere*, &c. Scis, âudientem libenter detractiones participare cum detractore. Vide qualiter de utroque loquatur ille quicunque author eſt libri de ſalutaribus documentis. *Detractor*, inquit, *& libens auditor, diabolum portant in lingua.* Ergo rectus vir dæmonem odio habens, tamquam juratum Dei hoſtem : ne contingat, ut aurem præbens murmurationi lubentem, communem inimicum in lingua propria vel parvo tempore portet, abhorret ab audiendo murmuratore. Sed, cum non dubites, diabolicum eſſe detractionis crimen ; hoc unum adnotabo, quòd ei commixtum reddit illam deteſtabiliorem. Id collige de verbis D. Aelredi. *Habent*, ait, *quippe detractores hoc proprium, ut ſemper vituperationibus, quibus alios infamare nituntur, parvas aliquas laudes admiſceant* : &c. Terribillimum eſt hoc. Detractor cùm linguâ carpit eum, qui læditur, vult ſimul ipſum habere debitorem pro laude ? Durum eſt iſtud. Patientiſſimus etſi valeat ora claudere murmurantium, non miſcentium aliquid præconii circa læſum, nequaquam faciet illos obmuteſcere ; atverò patientia vel invicta feret ægrè laudantem cùm detrahit. Commixtio laudis, juxta contrariorum naturam, velut auget murmurationis malum : quis tolerabit ſic detrahentem ?

Guerr. Abb. ſer 3. de Bap. ad fi.

Incert. inter opera S. Aug. to. 4. l. de ſalut. docum. c. 26.

S. Aelred. ſer 13. in c. 13. Iſaï, ante medi.

50. Erat in Synagoga miſer obſeſſus immundo ſpiritu. Salvator aderat ibidem : ad quem dæmon exclamavit : *Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene : veniſti perdere nos ? ſcio qui ſis Sanctus Dei. Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens : Obmuteſce, & exi de homine.* Ex D. Hilario commentatore liquet, malignum hoc loco detraxiſſe de Chriſto Domino. *Sed*, inquit S. Doctor, *in hominibus dæmones proclamant, cur ſedem invideat, cur ante judicii tempus infeſtet.* Ecce Redemptoris honorem ignominiâ protervus affecit, quaſi foret invidus Filius Dei, cunctorum dator bonorum. Tacere juſſit illum Dominus, quamvis tolerantiæ ſupremum exemplar. Quæro nunc. An Judæi non eumdem Salvatorem inhonoraverunt, dicentes : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes ?* Neutiquam ſanè clauſit eorum labia pervicacia qui nutu potuit eos reddere mutos. Cur ita ? Diſtabat nimis obtrectatio dæmonis, ab opprobriis Judæorum. Iſti nunc minimè commiſcuerunt quicquam laudis, quâ ſimul extollerent Chriſtum Dominum ; conviciis impetebant ſolummodò. Cacodæmon autem detractioni contumelioſæ permiſcuit laudationem Chriſti, dicens : *Scio qui ſis Sanctus Dei.* Duriſſimum eſt laudari, cum tuus offenditur honos. Provocatur patientia maxima : tacere coget qui potuerit laudatorem ſubdolum, qui canit unà, fremitque ſævè : commendat, & conviciatur. Detractoribus frequentiſſimum eſt, ad hoc ut iniqua verba ſua credibiliora maneant apud auditores, encomium aliquod intermiſcere ſimul hominis læſi. Diaboli diſcipulorum ars hæc eſt. Et cum vir ſanctus talem abominetur magiſtrum, etiam diſcentium *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

Marc. 1. 24. 25.

Ioan. 8. 28.

S. Hilar. in Matth. can. 8.

51. *Juſtus, cùm abominatur detractionem de aliis auditam, non timet, ne propter hoc detractor linguam vertat in eum.*

Reſtat objectioni cuidam occurrere contra prædicta. Diximus, juſtum abominari detractiones auditas. Aliquis inſurget, inquiens : Et quid magnum eſt homini virtuoſo detractionem execrari ; cum etiam frequenter ſcelerato ſit odibilis detractio, dum ab âliis profertur ? ſatisfaciam. Aliter & aliter peccator atque juſtus alienam detractionem abominantur. Peccator, inquam, ex eo quòd metuat, ne murmurator in ipſum convertat linguæ ſuæ gladium, quem cernit in alios vibrare. Juſtus verò non ex hoc timore verba detractoria malorum, ſe non attingentium abhorreſcit ; ſed amore virtutis ductus. Eruditus à Gregorio Magno ſcit, non eſſe murmurationem contra ſe metuendam. *Nec*, inquit, *obtrectationis ſermo timendus eſt, ne dum vituperatio perverſorum metuitur, recti operis via deſeratur.* Imo rectus vir agnoſcit, injuriam ferre (citra deſiderium ruinæ, proximi peccantis) eſſe quid optabile. Incertus inter opera Baſilii Seleucienſis : *Quare optabilius, inquit, eſt injuriam ferre, quàm inferre.* His, & aliis monitionibus doctiſſimorum commonitus atque munitus amator virtutis, cùm audit alios de proximis detrahentes, & execratur eorum ſcelus, neutiquam formidat, ne propter abominationem iſtam, cædatur ipſorum labiis deteſtationem vindicantibus. Imperterritus murmuratoribus oſtendit, ſibi diſplicere valdè ſermonem, quo feriunt proximum ; hac ipsâ ſtrenuitate patenter inſinuans tacitus, minimè ſe pavere, quòd propterea detractores vertant in ipſum peracutos oris enſes.

S Greg. M. to 2. ho. 9. ſup. Ezech. poſt med.

Incert. vel Baſil. Seleuc. vel Chryſo.

52. David abſque ſuperbiæ labe, anteactæ vitæ probæ rationem Deo proponit, ejus extollens gratiam. Inter alia dixit : *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Ut melius Iſraëlitici Regis

Pſal. 100. 5.

in

in materiâ ſubjectâ laudabilitatem agnoſcas, accipe quam S. Hieronymus doctrinam ex præcitatis verbis eruerit. *Intantum non oportet conſentire detrahenti, ut etiam quantum in nobis eſt perſequamur talem, providentes in utroque utilitatem : ut nec libenter audiamus : nec illum permittamus peccare.* Velut Hieronymum docentem audiſſet, ita Rex pius operatus eſt. Illud tantum hîc dubito, quare non dixerit, ſe perſecutum ſuperbos ? ſed, inſecutum fuiſſe *detrahentem ſecretò proximo ſuo* ? Fallor, niſi voluit oſtendere, ſe non metuiſſe, quòd in illum converteret aciem linguæ detrahens quem perſequebatur. De ſuperbis non erat ratio par : nam quamvis regiâ poteſtate fulgens aliquem ſuperbientem perſequendo coercere curet; ille non paſſim facilè ſuperbus inſurgit contra regem. Non fuit quare David quaſi quid magnum indicaret hoc loco, ſe quidquam egiſſe contra ſuperbos, quin eos timeret ſibi ſubditos. Atverò, cum reges obtrectantium linguis pateant, laudabile valde fuit, quòd ipſe non pertimuerit, ſeipſum feriendum ore detrahentis de proximo ; quem maliloquum propter detractionem perſequebatur. Rarum eſt apud multos non trepidare, ne detractoris vulnere feriantur, ſemel quòd, triſti vultu ſaltem, abominati fuerint ipſius venenoſam loquelam adversùs alios. Ideo tam proclivè fragilitati mortalium, jam non dicam audire libenter eum, qui verbis alterum vulnerat ; ſed, quod pejus eſt, eumdem in aſſertione ſuâ malâ juvare, dicta confirmando. Non ſic Dei proximique dilector, non ſic, ſed *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

S. Hier. to. 8. in co. Pſ. ib.

DELIBATIO V.

Deteſtatur juſtus peccato detractionis maculari.

53. *Detractio pœna ſui ipſius eſt.*

QUamvis omnia peccata mortifera turpitudine ſuâ ſint fœda ; negari nequit, eſſe quædam ſpecialia, quæ plus abhorremus. In exemplum ſufficiat comeſtio carnis humanæ ; cujus horrorem nec imminuit neceſſitas, nec tollit, niſi ſumma barbaries. Hac de horrore ſcelerum incuſſo per ipſam naturam. Similiter ſe res habet in tædio criminum facto per gratiam. Juſtus itaque peculiariter inhorreſcit nonnulla delicta committere præ cæteris : inter quæ locum inſignem, atque vilem, detractio vendicat. Hanc non minus abominatur aſſecla virtutum, quàm ſi foret humanæ carnis ejus. Adſtipuletur doctrina Chryſoſtomi. *Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit : propterea & Paulus terruit, dicens :* Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne invicem conſumamini. Cernis quàm ſit inhumanus ultra quam putabas detractor ? Barbaros exæquat hominum voratores ; & adhuc illis deterior exiſtimari nonnihil meretur : nam qui paſcitur alieno cadavere, deglutit membra jam doloris incapacia ; detrahens autem, vivum, quem dirus mordet, dolore conſumit. Ille ferus paſtum ſumens ratione fruentibus inviſum, recipit ex hinc nutrimentum naturæ ſuæ penè brutalis ; detractor verò ſæpè gratis atrox, nequitiæ propriæ cibos offert humanos, inde nullum capiens emolumentum. Quia tamen rarus erit is, qui talem concipiat horrorem, ut alteri detrahere ſic fugiat, ſicut verba Chryſoſtomi videntur monere ; rem tractabo mitiùs ; proponens rationes alias, obquas murmuratio vitanda ſuadeatur. Prima ſit, quia peccatum iſtud ſupplicium ſuimet ipſius eſt. Gravibus quibuſdam ſceleribus proprium eſt, quòd ipſa pariter culpæ ſint atque pœnæ ſui. Numeremus inter iſta vitium detractionis. Quod adeo verum eſt, ut, ſi charitas erga proximum arderet pectore noſtro, læſi per obtrectatoris linguam, delinquenti commiſerantes lacrimaremur. *At te injuriâ & contumeliâ affecit, & tibi detraxit proximus. Ejus ergo miſerere, & luge : non enim tu es, qui Deum offendiſti, ſed ille.* Hæc Anaſtaſius ex Chryſoſtomo. Sed quia refriguit charitas multorum, hoc mihi ſatis erit, ſi tibi ſuadeam, quòd vites detractionem quaſi timore dignam, tamquam pœnam : cum enim pavore ſupplicii deterreantur homines à malo, proficuum erit agnoſcere, ſcelus iſtud eſſe punitionem ſui ; proindeque timendum propter ſeipſum.

Ex Chryſ. Anaſt. q. 63. ad fi.

54. Apud Salomonem in libro Sapientiæ legitur hortatoria monitio pro detractione vitanda : quæ verba non patiar præterire ; quin expendamus phraſim illorum, ſi Carthuſianum legas, non vulgarem. Verba Sapientis hujuſmodi ſunt: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ*, &c. Scio vulgarem expoſitionem ſatis manifeſtam ; qua ſcilicet illud, *Parcite*, valet idem atque *Abſtinete*. Alteri tamen expoſitioni lucem præbet inibi Dionyſius, inquiens : *Itaque qui detrahit, non parcit, ſed crudelis eſt linguæ : quia abutitur eâ, & ei injuriatur*, &c. Crudelem diceres potius linguam detractoris contra proximos, quorum dilacerat famam, & honorem injuriis comminuit ; quàm de crudelitate notares ipſum detrahentem contra linguam ſuam. Fortene murmurator percutit ſeipſum ſermone ? Fateor, aliquos eſſe, tam aſſuetos detractioni, quòd ſi non occurrerit alius quem carpant, loquentur malè de ſemetipſis. Tamen, his prætermiſſis, univerſaliùs loquamur. Cupiebat Salomon ita contra detractionem propinare doctrinam, ut homines id crimen paveſcerent, velut pœnam ſuimet ipſius. Ea propter obtrectationem tamquam ſævam adversùs linguam detractoris proponit, monens ut ipſi linguæ parcatur abſtinendo : quaſi non parum torqueatur lingua per ipſam detractionem, cui velut coacta ſervit. Igitur maledicus timeat vitium detractionis exequi, tamquam ſupplicium labiorum nequam.

Sapient. 1. 11

Dion. Carth. in com. ib.

Diximus detractionem eſſe pœnam ſui. 55.

Reſtat

Juſtus mortis periculum ſubibit potiùs, quàm denigrabit alterius honorem.

Reſtat examinare quantum ſit hujus punitionis pondus : cum non omnis vindicta peccati ſumatur per æquum Judicem pari menſurâ. Gravitatem, quâ plectitur ipſe detractor labiis propriis, nunc aperiam. Quàm ſit noxium delinquenti murmurationis crimen, proferam, non de Sanctorum theſauris; ſed (ut pudeat Chriſtianum) de gentilis hominis eruditione ſæculari. Tullium lege. *Arbitrari debemus*, inquit, *magis eſſe contra naturam homini detrahere hominem, ſui commodi causâ, quàm omnia incommoda ſubire, vel externa, vel corporis.* Plurimi ſunt : qui, ſi prædicatorem Evangelicum hæc inculcantem audirent, muſſitaſſent, inquientes, ut ſolent : Hæc doctrina peroptima quidem; ſed illam opere complere ſanctorum eſt; ego peccator fragilis. Ridiculum eſt hoc effugium. An Cicero ſcribebat hæc anachoretis ? eumdem rurſus legito plùs adhuc urgentem. *Detrahere igitur*, inquit, *aliquid alteri, & hominis incommodo ſuum commodum augere, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt, aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollunt convictum hominum, & ſocietatem.* Linquamus damna cætera : mortem, quæ nobis ampliùs eſt formidini, cum detractione comparemus; & invenire pronum erit, juſtum magis evitare famæ proximi nocumentum inferre, quam vitam propriam exponere diſcrimini. Deo charus mortis periculum ſubibit potiùs, quàm honorem alienum denigrabit.

Cic. de offic.

Idem ib.

56. Joſeph peculiariter dilectus genitori ſuo fratribuſque graviter exoſus, ab iiſdem venditus eſt, in Ægyptumque delatus ab emptoribus; quin vel ementes, aut venditores probè noſſent quanti valeret virtutis theſaurus. Ibi rurſus à Putiphar magiſtro militum emptus, illi fideliter inſerviebat. Ejus domina, ipſius exteriori pulchritudine capta laſcivè, pudicitiam illius tentavit importunè. Inſiſtenti fœminæ relicto pallio, caſtus aufugit. Mulier ſe contemptam non ſuſtinens, marito reverſo domum accuſat Hebræum intentati mendaciter adulterii. Traditur carceri Joſephus : & nec verbum dixiſſe legimus, quò tueretur innocentiam pudicam. Certè calumniæ gravis dolor ita cruciat animum patientis, ut non multùm demirarer, ſi Joſeph ſeipſum defenderet aperiens veritatem rei : præſertim quia non vacabat periculo quod iratus dominus occideret eum in ultionem injuriæ maximæ, quam ſibi credidit intuliſſe. Memini Joſephum denuntiaviſſe parenti fratrum ſuorum crimen peſſimum; quod tamen ſibi nihil afferebat nocumenti. *Accuſavitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Incuſat germanos de piaculo ſibi nequaquam nocivo ? non accuſat Ægyptiam de libidine, pro diſcrimine mortis vitando, quod imminebat ſibi propter falſam teſtificationem luxurioſæ dominæ ? Meritò quidem : delatio culpæ fratrum parenti facta laudabilis erat valde. Rupertus : *Hoc enim, ait, diligenti inſpectione dignum eſt, quia grandiores fratres accuſavit adhuc puer. Quod utique non feciſſet, ſi non puritatis amorem, zelumque juſtitiæ jam haberet, quod in puero vel adoleſcente maximè laudabile eſt.* Atvero conjugem accuſare marito de procuratione violandi tori (quidquid ſit an foret in eo caſu licita Joſepho) juſtum non decebat. Prodeſt Ambroſius, dicens : *Juſtus autem accuſare non novit, ideo impunè hoc impudica faciebat.* Honori laſcivæ nocere noluit virtutis amicus, etiamſi pateret ipſius vita periculo necis ob mulieris falſitatem. Expende quantî juſtus æſtimet alienum decus; iſtud anteponens ſecuritati vitæ ſuæ.

Genes. 37. 2.

Rup. l. 8. in Gen. c. 19.

S. Amb. to. 1. l. de Joſep. c. 5.

57. Sed quia ſolent egregiè generoſi vitam ſuam nihili facere, mortemque non pertimeſcere; de vita non ampliùs dicam : aliâ viâ quæram, cur adversùs aliorum famam proferre *verbum mendax juſtus deteſtabitur.* Sanctitate prædíti ſolent infirmitate naturæ prudenter uti pro virtutibus exercendis, atque vitiis evitandis. In multis operatur ita; quæ non eſt cur per otium ſingulatim enumeremus. Ad materiam ſubjectam cito venio. Fragilitas noſtra vilitatem cunctam refugit. Viri perfecti, quò faciant infirmitatem iſtam deſervire lucro ſpiritûs, detractionem odio habent uti vilem. Conjice quidnam de illa ſenſerit S. Paulinus. *Quod*, ait, *ſi hæc in nobis eſſet diligentia, ne paſſim obtrectatoribus crederemus; jam omnes detrahere timerent; ne non tam alios, quam ſe ipſos, viles detrahendo facerent.* Alium profero teſtem S. Iſidorum Hiſpalenſem : cujus hæc ſunt verba : *Detractio grave peccatum eſt, detractio grave crimen eſt, detractio gravis damnatio eſt : Hoc omnes reprehendunt, omnes vituperant. Hoc fœdius nihil eſt, hoc ſummæ turpitudinis eſt :* &c. Credant igitur ii quotquot in ſæculo clari ſunt, ſe, dum proximos verbis inhonorant, dehoneſtari : vilipendium ſuum putent verecundiâ dignum opprobriis alios afficere.

57. Pudore dignum eſt ladere proximum opprobrio.

S. Paulin. ep. 51. ante med.

S. Iſido. Hiſp l. 2. ſynon. c. 9.

58. Validiſſimis adverſitatum ictibus reſtiterat exemplar conſtantiæ Job. Nihilominus cum tolerantiam graviſſimè ſauciet ab amicis offendi; veluti gemens propter illorum percuſſiones, redarguit eos, dicens : *Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus ? En, decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me.* Et quid erat in hac oppreſſione verecundia dignum ? an quòd adversùs amicitiæ leges, in amici faciem verba contumelioſa jecerunt ? Sic reſpondebit aliquis; non tamen ita putavit Angelicus Doctor, ait enim : *Saltem autem præ confuſione, & ſi non propter amicitiam debuiſſent afflicti ab afflictione ceſſare : unde ſubdit :* Et non erubeſcitis opprimentes me. *Scilicet tam opprobriis, quàm prolixitate verborum me gravantes.* Notandum eſt, infra ſolum de ſuis conſiliariis agentem non dixiſſe : Haud illi verecundantur abominantes me; ſed inquit : *abominati ſunt me quondam conſiliarii mei :* &c. ubi Titelmanus paraphraſim ſic nobis exhibet : *Quos ego olim à conſiliis & ſecretis habebam, cum quibus ſecreta quoque tractabam,*

Iob. 19. 2. 3.

D. Th. to. in Iob. ibi lect. 1

Iob. 19. 19.

Titelm. in Iob. ib.

tractabam, & conſilia mea omnia ut fidiſſimis certiſſimiſque amicis communicabam, iſti me in miſeria hac poſitum contempſerunt, &c. Quibus notatis inquiro. Vel iſti conſiliarii fuerint amici veri Job, vel ſimulati; nonne pudore dignum erat illos eum abominari tempore ſiniſtræ fortunæ; cum fuiſſent antea quando felix erat à conſiliis ejuſdem? Ita. Quare Job non ad hos, ſed ad illos tres alios dixit: *Non erubeſcitis opprimentes me?* Quia de conſiliariis non legimus detraxiſſe Jobo. De tribus autem illis oneroſis conſolatoribus amicis, notum eſt, honorem Job læſiſſe verbo; quod vilium eſt, & proinde pudibundum inclytis. Hi, qui venerunt ad Jobum conſolandum, & linguâ vulneraverunt eumdem, reges erant. Pineda in illud Job 2. 11. *Venerunt ſinguli de loco ſuo*, ſcribit ſic: *Locum pro regione accipiunt Græci, cui imperitabant, utpote reges, Tobiæ 2. vel pro civitate aut oppido, quod eſſet regni ſedes, & caput.* Regiis perſonis pudendum erat vitium linguæ, quod homuncionum propriiſſimum eſt. Ad illos mihi nunc ſermo, qui de ſalute ſua curantes, decus proprium per media licita ſatagunt illæſum ſervare. Vitant iſti multa crimina, quia ſordidis & abjectiſſimis tantùm conveniunt: horreant necnon ſummopere quidquid honorem alienum vellicat: nam & hoc maliloquis injurioſum eſt.

Ad Iob. 1. 11. Pined. n 3.

59. *Juſtus aliquando non tuetur famâ propriam; conſulens alienæ.*

Ex prædictis, & aliis vir bonus odit propriis labiis alienam commaculare famam: agnoſcit enim pius dilector proximorum quanti valeat commendabile nomen alterius. *Nomine bono nil in hac vita beatius eſſe poteſt.* Ita Nazianzenus. Cum hoc ſtat, ipſum, qui proximi nomen ſatagit intactum conſervare quaſi rem pretioſiſſimam; nihil ſollicitum eſſe quid alii ſiniſtrum opinentur de ſe: quoniam contentus eſt propriæ conſcientiæ teſtimonio. Etiamſi calumnias patiatur, non excuſat ſeipſum, noſcens, optimam defenſionem eſſe bene ſe getentibus mentem recti conſciam. S. Bernardus. *Perfecta*, inquit, *& abſoluta cuique excuſatio teſtimonium conſcientiæ ſuæ.* Supremum in terris conſcientiæ tribunal eſt, & à corruptionis labe purum, & à falſorum teſtium deceptionibus immune. Supremum, inquam: nam à judiciis hominum ad conſcientiam propriam ſemper appellatio conceditur. Verùm eſt, quòd appellationes iſtæ carent effectu ſuſpenſivo: nam executioni datur iniqua materialiter ſaltem ſententia; ſed non vacant effectu devolutivo: nam ad internum prætorium devolvuntur malè damnatæ frequenter innocentum cauſæ: rurſus examinantur: & cum ex appellationibus his nulla reperiatur frivola, nullumque neceſſe ſit exhibere novum interno judici documentum, revocatur injuſtæ ſententiæ decretum, & abſolvitur inſons. Attamen, cum ad eamdem conſcientiam, quæ judex interior eſt, non pertineat ex officio damnare falſos teſtes, quorum teſtimoniis nixi judices, à quibus appellatum eſt, condemnaverunt innoxium; nec ullus extet ejuſmodi falſariorum accuſator, hi pro tunc impuniti manent, ſuo tempore daturi pœnas. At aliter circa decus alienum ſe juſtus habet. Ita curam ſuſcipit de non lædendo famam alterius, ut quamvis ad liberandum proprium honorem oportuerit proximi crimen occultum detegere, ſinat miſerabiliter ſuam exiſtimationem perire; ne peccatoris famigeratio notam ſubeat. Nomini conſulit alieno fortis innocens; quamvis interire cernat ſuum.

S. Bern. l. 2 de conſider. longe poſt. pri.

60. Deo non eſt impoſſibile, camelum depoſito gibbo tranſire per foramen acus, hoc eſt, divitem, poſitâ divitiarum ſarcinâ viam ſalutis ingredi. Id conteſtatur exemplum converſionis Matthæi: quem de telonio Salvator vocavit ad ſequelam ſuî. Diſcumbebat in ejus domo poſtea Filius Dei cum publicanis & peccatoribus. Hoc Phariſæi calumniati ſunt. Jeſus autem dixit ſeipſum defendens prudenter: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* Non erat iſta Phariſæorum obmurmuratio graviſſima: tamen illam repulit mitiſſimus Dominus. Mirum eſt hoc: nam tacere ſolet inſons per malos reprehenſus. Attamen opportunum Redemptor eſſe indicavit os calumniatorum hic opprimere; & accuſationem illam in ſuî commendationem vertere. Euthymius ibi: *A communi exemplo os illis oppreſſit: & accuſationem hanc potiùs ad virtutis opus convertit: oſtendens, non ſolum irreprehenſibile eſſe, ſed magis laude dignum.* Bene. Sed recordor Suſannam caſtiſſimam, damnatam ad mortem propter falſum adulterii reatum confictum à duobus veteranis; in cordibus quorum ignis luxuriæ, tamquam in lignis aridis fortiter exarſerat; cui flammæ reſtiterat pura nix inſontis damnatæ: memini (jam profero rem tantam) innocentem fœminam non detexiſſe, quòd illi ſalaces eam tentaverint ad libidinem; & propterea falſum teſtimonium adverſus eam dixerint, quia non conſenſit eorum turpitudini. Patientior eratne Suſanna Domino? Abſit. Calumnia, quam patiebatur ipſa, nonne longe gravior eâ, quâm præcitato loco moverunt Phariſæi? Verum fateor. Ergo quare ſe tuetur ab iſtâ mitis Agnus; & non aperuit falſæ teſtificationis cauſam pudica mulier, ut eriperetur à morte? Quia Chriſti Domini defenſio nihil occultum revelabat noxium alterius nomini. Si vero Suſanna concupiſcentiam ſenum exponeret, ut tutaretur ſe, culpam detegeret illorum, quæ latebat. Noluit innocua proprium honorem tueri cum alieni diſpendio: nocentum dedecus, quantùm erat in ſe, vitavit; quantumvis infamiam ſubire ſeipſam duriſſimum experiretur. O victoriam de propria dilectione partam, in paucis inclytam! Sic juſtus etiam vera deteſtatur verba nociva: quantò plùs execrabitur *verbum mendax?*

Matth. 12.

Euthym. c6. in Matth. ib. c. 14.

61. *Speciali favore Dei dignus eſt qui; ne alterius famam lædat.*

Evenit frequentiſſimè, rectum virum exponi detractionibus, eo quòd nolit in cædendo famam alienam loquacibus cooperari. Nequaquam perturbata diſcrimine tanto nutat conſtantia juſti; ſed

ret, expoſuit ſe linguæ malæ.

perſiſtit infracta: nec ducta pavore transfugit ad caſtra vitii. Minus eſt quod notavit Ambroſius in hac re: ſcilicet, hominem probum accuſare ſe malle, quam proximi famigerationi deformitatem inurere. *Liquet igitur*, ait, *his magiſteriis doctrinæ cæleſtis, quòd juſtus ſe accuſare malit, quam alium deformare.* Non tam difficile juſto munus accuſatoris contra ſemetipſum agere (de quo loquitur Ambroſius) quam perperam accuſantem pati; quod nunc admiramur. Hoc ſic manifeſtum eſt, ut probari non indigeat. Longe majus quid extat committere ſe diſcrimini, quòd ipſe damnetur de non commiſſis, ex eo quòd renuerit conſentire murmurantibus. Excellens hic labor, hoc opus eſt. Speciali dignus extat favore Dei qui ne detrahentibus miniſtret, ſeipſum ab eorum linguis in tuto collocare negligit. Odii furore plenus obtrectator exiſtit ſæpe: ſed non ideo formidine vacuus, ne ſuâ publicè dignoſcatur malitia. Vellet hac de cauſa, quòd malignum dictum ſuum creſceret in vocem populi, qua notaretur infamiæ per cunctos is quem ipſe damnat injuſtè. Nullum contemnit ſocium: quemque obvium curat in ſuam trahere ſententiam. Si quemvis inveniat; jam non dicam reſiſtere patrocinantem innoxiè condemnato per ipſorum linguam; ſed aſſenſum impiæ malignitati de re verbo renuentem; ô miſerum hominem! jam detractor adversùs hunc tela vertit; quæ tam fortiter contorquet, quàm illius viſcera propter auxilium negatum defenſioni ſuæ torquentur. Hiſce jaculis nomen proprium objicere, ne alienum offendas, beneficiis divinis digniſſimum eſt, favet peculiariter Dominus ei, qui nolens alterius famam verbo ferire, ſemetipſum obtulit periculo, quòd detractorum eorumdem linguâ vulneraretur.

S. Amb. to. 2. expoſ. in Pſ. 118 oct. 7.

62. Etſi Chriſtus Dominus ut vera lux venerit in mundum; nihilominus haud cunctis aperuit, ſeſe Filium æterni Patris eſſe: quin potiùs id revelatum fuiſſe Petro beatitudinem vocavit: inſinuans, hoc non omnibus datum. Propterea meditabar, quanto beneficio Dominus affecerit cœcum illum: cui jam à cœcitate corporis liberato, mentis oculos reſeravit, ſuam divinitatem diſertis verbis proponens. Cum inveniſſet eum, dixit ei: *Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Proficuum puto legere commentarium S. Thomæ. *Studium autem*, inquit, *Chriſti, ad inſtruendum deſcribitur ex tribus. Primo ex diligenti conſideratione eorum, quæ circa cœcum agebantur. Sicut enim Princeps diligenter conſiderat ea quæ ſuus athleta patitur propter eum: ita & Chriſtus ea quæ cœcus patiebatur propter veritatem, & ſui confeſſionem diligenter attendit.* Et infra: *Ex quo videtur quòd Chriſtus ſolùm eum quærat: quia in illo ſolo plus invenit de fide, quàm in omnibus aliis.* Quid ampliùs meruit iſte? cur illi tam ſpecialiter favet benignitas Domini, quòd eum, Aquinate docente, ſolùm quærit? Dignus erat peculiari ſolicitudine vir, qui ſe linguis expoſuit malignis, eo quòd noluerit aſſentiri detrahentibus Innocentiſſimo. Recole textum. Judæi vocavere cœcum jam videntem, *& dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.* Illene ſuadente metu conſenſit offendentibus Chriſti Domini famam? Nequaquam. *Dixit ergo eis ille. Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò video.* Nota quid poſtmodum ſuſtulerit cœcus. *Maledixerunt ergo ei*, & infra: *In peccatis natus es totus*, &c. Hominem ita veritatis amantem, ut antequam Chriſtum agnoſceret eſſe Deum, noluerit ejus honorem cædentibus aſſentiri; quantumvis timere potuerit, exhinc fore ut verbis contumelioſis ille fauciaretur, ſic æquum erat à divina clementia ſingulariter munerari. Non invenientur frequentiſſimè ſimiles detractionis inimici. Malevolus adaperit os contra proximi famam: & jam auditores agmine facto conſpirant ſequentes infernalem ducem. Virtutum aſſecla turmam declinat iſtam: etenim adversùs honorem alterius tam verè dictum, quàm *verbum mendax juſtus deteſtabitur.*

Joan. 9 35. 36. & 37.

D. Th. com. in c. 9. Joan. lect. 4.

Eod. cap. n. 24. & 25.

Ib. n. 28. & 34.

DELIBATIO VI.

Mendax confundit & confundetur.

63. *Mendacium facilè creditur; verùm excipitur quaſi dubitanter.* Hug. Card. in Prov. 13. 5

PErgo nunc ad ſecundam paræmiæ noſtræ partem. *Impius autem confundit, & confundetur.* Hugo Cardinalis interpretatur, dicens: Impius autem confundit *hic alios verbo mendaci & contumelioſo.* Mirum & miſerabile dictu, quòd unius mentientis verbum ſic fidem nanciſcatur apud multos, ut ex illo generetur confuſio læſi per falſum. Inanis arundo ſolidam radicem agit, & creſcit quin irrigetur; gratiſſimum gariophyllum plantabis, ac ſedulus fovebis rigans, & frequenter operam perdes. Veritatis florem ſemina; fruſtra ſæpe laborabis: nam vix eſt qui verò quantumvis aſſerto credat in alterius commendationem. Diſpergit garrulus fictionem vaniſſimam & nocivam: hæc in mentibus audientium validè radicatur: & licet mendax jam non curet de conſervando promovendoque mendacio; nihilominus perſeverabit apud mortales, & augebitur. Facilitas iſta, qua falſitas hæret in cordibus humanis naſcitur ex eo, quòd veritatem non diligant; quantumlibet ſint vitæ dilectores nimii, veritaſque ſit vitæ nomine digna. *Quid eſt enim veritas, niſi vita?* Sic Ambroſius. Ad veritatis occultationem & mendacii ſequelam, duo concurrunt: primum, quòd abſque juſto examine judicium de vero profertur: ſecundum, quòd malum faciliùs invenitur, quam bonum. Adeſt Cyrillus Alexandrinus. *Difficilè*, inquit, *ſemper inventu bonum eſt, & veritatis pulchritudo plurimos latet: non enim poſſunt indoctiores, qui quodcumque ſibi viſum fuerit, abſque diligenti examinatione ſequuntur, veritatem rerum recte*

S. Amb. to. 3 co. in 1. Ep. ad Sim. c. 1.

S. Cyr. Alex. l. 4. in Joan. c. 38.

recte intelligere : &c. Accedit alia ratio, quare veritatem rari complectantur : quia ſcilicet ex illis plurimi non tollunt impedimenta repugnantia cognitioni rectæ. Boetius leviter, ſed ponderosè pulſabat plectrum, ſic :

Boeti. l. 1. de conſolat. metr. ult.

Tu quoque ſi vis	*Pelle timorem :*
Lumine clare	*Spemque fugato*,
Cernere verum,	*Nec dolor adſit.*
Framite recto	*Nubila mens eſt*,
Carpere callem :	*Vinctaque frænis*
Gaudia pelle	*Hæc ubi regnant.*

Iſta, necnon & alia ſunt obſtacula plurimis, ne verum agnoſcant. Utinam hoc non accideret in proximi damnum. Jam pervias reperit aures fictio nociva, quòd idem ferè videtur illam auditu percipere, ac jam ipſi fidem præſtare. Haud pariter contingit audito vero, quod cedit in offenſi remedium : id etenim clara voce jam auditum, videtur quaſi dubitanter excipi. Machinetur iniquus figmentum, innocenti damnoſum : ferè penitus idem erit audire, atque credi. Se deinde tueatur innocuus, verba multiplicet : audientur utique, ſed mente pene dubitanti.

64. Aſſumptis virorum tribus millibus perrexit Saül ad inveſtigandum hoſtiliter David ac viros ejus, etiam ſuper abruptiſſimas petras. Quid non vel regalia pectora coget vilis odii flamma ? Ingreſſus eſt ſpeluncam, ubi latens David potuit impunè perſecutorem necare. Victor ſui fortis abſtinuit à cæde. Poſt Saülem prodivit ab antro : clamavit ac ejus tergum : reſpicientem pronus adoravit :

1. Reg. 24. 10. *Dixitque ad Saül : Quare audiis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* Notaſti, non dixiſſe Davidem : Quare credis ? ſed : *Quare audis*, &c. Ecce jam habes, tam pronos eſſe malos, ut aſſentiantur ſibi dictis in alterius damnum, quòd veluti ſynonyma ſint audire atque credere. Procedamus ulteriùs. Multis David loquens ad Saülem probavit innocentiam ſuam. Quid illi tunc Saül ? *Cum autem compleſſet David loquens ſermones hujuſcemodi ad Saül, dixit Saül : Numquid vox hæc tua eſt fili me David* ? An certus rex non erat illas eſſe Davidis voces ? Minime : ſed cum eſſet iniquus, veritas pro defenſione carentis culpâ fortè ſolebat aditum difficilem in ejus corde reperire : proindeque velut ex conſuetudine locutus eſt ad inſtar dubitantis de veritate, quam perceperat auribus, à Davide prolatâ, quò ſe tueretur inſontem. Ignoro quo veneficio rapit mentes hominum falſitas : neſcio quid apud eos veritas demeruit. Hæc aperta clauſas invenit fores ; illa vix apparet, cum jam pectoris oſtia patent : noxium creditur ocyùs commentum ; verum autem afferens proximo læſo patrocinium, vel reſpuitur, vel ſeriùs admittitur.

Ib. n. 17.

65. *Veritati negabit aſſenſũ homo, quamvis inde notã ſubeat; & in* Putabis, hoc ſolùm accidere, cum veritatis adhibendo pronuntiato fides utilis tantùm eſt alteri ; mendacium verò nocet eidem proximo ſoli. Major eſt, quàm exiſtimas infelicitas veri : fortior, quàm judicas falſitatis potentia. Pone, veritatem per rora cunctorum volitare talis conditionis, ut, ſi diſcredas, per hoc aliqualem exiſtimationi tuæ notam inuras ; ſi verò credideris, nihil deperdas. Timeo, quòd neque ſic veritatem facilè præcordiis admittes. Facillimè quæ ratio dictat omittimus identidem : & proh dolor, in rebus ad ſalutem æternam ſpectantibus : propterea non miror, quòd ſimiliter operemur in aliis. Obiter & lentè Chryſoſtomum expende. *Et non ſolum*, inquit, *pro his quæ laboris aliquid & continentiæ videntur exigere, proni in ea ruimus ; ſed etiam pro iis quæ levia ſunt, & neque neceſſitatis aliquid, neque illecebræ quicquam continent aut voluptatis, pari linea utrobique prævaricationis damnamur.* Et infra : *Nam, dic mihi, quid laboris habet, ut non judices alium, neque peccata aliena diſcutias, neque condemnes proximum tuum* ? En intellectus noſter cum animæ damno dictaminibus prudentiæ renuit obedire ; quamvis nulla ſit in reluctando voluptas, vel in aſſentiendo labor, aut neceſſitas. Jam non mirabor, ſi reluctantem audiam in illis, quæ non involvunt ſpirituale detrimentum, proptereaque non magnam adeo poſtulant indaginem. At, ne fruſtra dixiſſe videamus quod hujuſce diſcurſus initio præmiſi, ſtabilire vellem exemplo de ſacris hiſtoriis adducto quod ante dicebam, ſcilicet. Eſto quod veritas publica fiat, & nihil interſit audientis an ſit vel non ita quod aſſeritur : & inſuper nihil deperdat in credendo narratis ; econtrariò verò denegatio fidei ſit indecora non credenti ; mens humana veritati credere renuet : denegabitur in corde ſedes vero, cum diſpendio maculæ propriæ ; nec ei tribuetur aſſenſus, quamvis nullo ſumptu facillimus.

aſſentiendo nihil perdat.

Chryſ. to. 5. l. 1. de compun. cor. med

66. Longe perſonabat ſapientia Salomonis, adeo quòd in regionem longinquam, ubi Regina Saba morabatur, fama parvaſerit : non tamen illa credidit, prout ipſa poſtea confitebatur ingenuè dicens : *Et non credebam narrantibus mihi*, &c. Quin, ut colligitur ex Cardinalis Hugonis doctrinâ, non tantum ſuſpendit aſſenſum erga relata ſibi ; ſed poſitivè diſſentita videtur dictis, quatenus putavit, non adeo magnam extare ſapientiam Regis Hebræi. Commentator ad illud : *Non habebat ultrà Spiritum*, ait : *Vel ſic : id eſt, non habebat amplius in corde quod non totum apparuiſſet regi.* Quid, quæſò, commodi, vel incommodi proveniebat reginæ ab eo, quod verè foret, vel non tanta Salomonis eruditio ? quid amitteret, ſi plenam fidem auditis donaret ? Nihil penitus. Ulterius addere valebit quiſquam, quòd non credens enarratis fæmina ſapiens, dato, quòd mentem ſuam circa rem præſentem aperiret, fortè ſuſpicionem livoris incurreret apud ſuos, quibus id manifeſtum faceret, necnon & ſuperbiæ non vulgaris notam ; quæ ſapientem dedecet maximè. Qua de cauſa famæ referenti non præbuit aſſenſum ? Fragilitas fuit ; non tam ſexus, quàm conditionis humanæ ;

3. Reg. 10. 7.

Hug. Card. ib. ad n. 5.

manæ, reſiſtentis verò cum proprii damni periculo ; quamvis econtra poſſet veritatem gratis amplecti. Verè magnum ſapientiâ Salomonem proclamabat conſtans fama : nihil amiſiſſet credendo regina ; fidem autem non præſtans exponebat ſe diſcrimini patiendi notas invidæ ſuperbæque mulieris, non ferentis, eo quòd multa ſciret, Salomonem tam ſapientem prædicari. Ecce veritatis infortunatam ſortem : negatur ei janua cordis ; licet in aperiendo eam nullus extet labor, nec ullum reperiatur nocumentum : imo licet in obſerando pectoris fores aliquid mali ſuſtineat incredulus. Ex iſta veritatis repulſione fit mendacio locus patens in mentibus hominum, libentiſſimus, ut velociter amplectantur plures mendacium, quo malus alterum *confundit*.

67. *Confuſio tantum eſt malum, ut ad inſenſibilia videatur extendi.*

Innocentum iſta confuſio, quæ de labiis impii mendacibus venit, anxios valdè reddit ferentes. Infligitur ictus dormienti ; ſæpe non dolebit : eadem percuſſio facta ſi vigilas, dolorem excitabit. Somno culpæ traditus degit iniquus : ideo multoties non ſentit, quamvis feriatur cunctorum linguis. Innocens vigilat : ideo durum eſt illi per impii linguam flagellari, ſi puſillanimis eſt. *Graviſſimum enim*, ait Euthymius, *quid eſt calumnia, & deſperationem perſæpe in eos immittit, qui puſillanimes ſunt, atque in divina ſapientia parum confidunt.* Excuſemus infirmitatem utcumque mortalium, nimis dolentium, dum lingua peſſima vacantes culpâ calumniatur eos. Vulnus iſtud integrè ſolo ſpiritu recipitur : quod eſt valde nobile. Sique docet experientia, nobiliorem de partibus corporis æqualiter percuſſis affici dolore majori ; quanto plus indolebit animus, qui ſolus per confuſionem verecundiæ fauciatur ? quis acri reprehenſione caſtigabit hominem apud ſæculi tribunalia damnatum innocenter, ſi mærore plenus ingemiſcat ? Hoc ferè modo confuſus apud homines ob ſcelus à ſe non perpetratum, patitur culpâ carens unam de pœnis ordinariis delinquentium : quidni cruciatui ſuccumbens indoleat ? Parcendum eſt puſillanimitati miſerè ferentis quod non crimine promeruit. Adeo gravis eſt anxietas, quam gignit confuſio carenti ſcelere, ut videri poſſit, inſenſibilia penè moveri, ſi verecundentur pro delicto non ſuo. Ut miſereamur angoris, quem pudor in rationalibus innocuis operatur, hyperbole proderit iſtud : vel ſenſu carentia quaſi dolent confuſionem, cui non præſtitere cauſam.

Euthym. co. in Pſal. 118. 134.

68. Ne ſibi ſuadeant iniqui, futuros à verbere liberos poſtea ; quamvis antea permittente Deo, neſcientes ipſi divinæ juſtitiæ miniſtrent veluti flagella, quibus utitur Deus ad punitionem eorum, quos per eoſdem ſupplicio corripit juſtiſſimè. Medicus accendit flammam, ut cauterio corpus ægrum exurat, & ſanet. Attamen poſtquam ægroto ſic medicinam adhibuit, extinguit ignem. Ita Dominus, impiorum ſapienter manibus utens ad ſanandos illos, quos ad æternam ſalutem pervenire peculiariter cupit ; permittit, iſtos adverſitatibus exuri, velut appoſito cauterio. Poſtquam verò ſic illis mederi curavit ſapiens, ignem delet : hoc eſt, malos ipſos affligit in pœnam oppreſſionis ejuſdem illatæ punitis. Babylonem Judex æquiſſimus elegit, ut Iſraël pœnas daret ſcelerum ſuorum, per afflictiones, quas à Babyloniis paſſus eſt. Ideone Babylon immunis à judicio Dei, retribuentis unicuique ſecundùm geſta ſua ? Legimus apud Jeremiam : *Dicite : Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia ejus, ſuperata ſunt idola eorum.* Dionyſius Carthuſianus ibi : *Alii aſſerunt quod Merodach nomen ſit idoli Babyloniorum, ſicut & Bel : quæ idola in deſtructione Babylonis confuſa & victa narrantur : quoniam terram & populum ſe colentem, tunc adjuvare non potuerunt. Hinc ſubditur* : Confuſa ſunt omnia ſculptilia eorum, &c. Crederes, magis dicendum : Confuſi ſunt incolæ Babylonis in eo quòd adjutorium ferre non valuerint eis idola, quæ tamquam deos colebant, q. d. Hæccine ſunt, quibus impendimus divinos cultus ? & nobis auxiliati non ſunt dii noſtri ? quare non ita legitur apud Vatem ? vel ſaltem cur non dicitur ibi : Confuſus eſt diabolus adoratus in ſimulachris ex eo, quòd ſuis adoratoribus auxilium præſtare non potuerit adversùs reges vaſtantes Babylonem ? Non fruſtra dæmonis, Babyloniorumque tacetur in præſenti confuſio : nam diabolus eſt intellectiva ſubſtantia, necnon etiam homines : & non tam exaggeraretur pudor ille, ſi ratione utentibus appropriaretur. At idola nec ratione prædita, nec ſenſu vigentia ſunt. Accedit dæmonem peccaviſſe ſuſcipientem adorationes in ſtatuis : & idololatras graviſſimè peccaſſe ; non autem imagines deliquiſſe : patet enim eſſe criminis incapaces. His attribuatur confuſio, quia nihil peccaverant. Effigies lignea, vel ærea, dum eam infidelis adorat, culpâ caret. At ex hoc ipſo tanta dici futura poterat confuſionis anxietas, ut id malum inſenſibilibus innoxiis cum proprietate accommodâ tribui poſſet. Peccato carens, etſi ratione ſenſuque deſtitutus appareat homo, vix dolorem ſuperabit, ſi propter id, in quo lapſus non eſt, confuſionem ferat. Satis hæc, ut impius, qui verbo mendaci contumelioſoque proximum inſontem *confundit*, miſereatur læſi ſummoperè dolentis, & gladium linguæ vaginâ recondat.

Jerem. 50. 2.

Dion. Carth. in com. ib.

69. *Deſpiciat externas confuſiones, quæ non confudit conſcientia.*

Licet quæ notavimus ita ſint, cum hoc ſtat, ut hortemur virum innocentiâ ſuâ munitum, ne confuſionem paveat innoxiè perpeti. Duplicem habet pro ſeipſo teſtem, omni prorſus exceptione majorem ; conſcientiam ſcilicet, atque Deum. Deſpiciat judicia terrena quicumque labis purus judicatur in cœlis. Neutiquam vituperationis humanæ vulneribus comminuatur is, qui gloriam ſuam non poſuit in obloquentium labiis. Optimè Gregorius Papa : *Qui enim*, ait, *vitæ ſuæ in cœlo*

S. Greg. M.

to.2.l.9. ep. indic 4.c.39. *cælo teſtem habet, judicia hominum in terra pertimeſcere non debet.* Et infra: *Si enim laudibus lætamur, & vituperationibus frangimur, gloriam noſtram non in nobis, ſed in aliorum ore poſuimus.* Ambitionis notaretur ille, cui ſatis facultatum eſt intra domum propriam, ſi non contentus iſtis, emendicaret inter pauperes victum; & præſertim rideretur, ſi vilia tamquam pretioſa poſtularet, claudens in arca longe meliora. Sic ille ſe gerit, qui bonorum operum theſauros in domo conſcientiæ poſſidens, quaſi non ei ſibi forent ſatis, ad oſtia labiorum hominum ſervientium ſæculo mendicus expectat laudes, quibus paſcatur. Pretioſiſſimis potitur: ne futiles mundanorum laudationes ambiat. Depoſito vaniſſimæ commendationis amore, tam difficile non putabit iſte deſpicere confuſionem, quam forſan ab aliis impiè ſuſtinet. Operæpretium eſt curare, ne pudefaciat eum teſtis internus pectoris proprii: quod ſi obtinuerit, exteriùs confundi non multùm curabit. Contemnat itaque ſtrenuus externas confuſiones ille, quem conſcientia non cogit erubeſcere.

70. In illo Pſalmo toties repetito jugiter, & expoſitorum laudibus meritiſſimè decantato, verba Davidis occurrunt, humilitatem ejus præ ſe ferentia: quibus noſtra confirmatur apprimè theſis. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar.* Exponit Lorinus: *Confuſione temporali, & æterna, externa, & interna,* &c. Sciſcitari vellem à Davide, quid refert immaculatum eſſe cor hominis, ut iſte non confundatur extrinſecùs veniente confuſione? An illi parcent homines, ne confundant opprobriis eum, quoniam immaculatus eſt? nonne faciem innocentis operit confuſio? Verba Davidis alibi conſule. *Quoniam*, inquit, *propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.* Qualiter ſupponere videtur David, efficax remedium ad vitandas confuſiones externas eſſe cor immaculatum habere? Noſcebat vir illuminatus deſuper valde, quòd exterior confuſio ſit quaſi non eſſet, quandiu non confundit hominem conſcientia propria. Quapropter immaculatum cor expetebat, ut internas, & extrinſecas per hoc evaderet confuſiones q. d. Me non attinget exteriùs confundens verecundia, ſi præcordia ſervavero ſine macula. Virtutis candor adſit adamantinus: & velut nihil reputabitur fuligo, qua juſtos impius *confundit*.

Pſ.118.80. Lorin. co. in Pſ. ib. Pſ.68.8.

71. *Plùs confundit culpa cùm detegitur; quàm ejus publica punitio.* *Et confundetur.* Per quæ delinquens peccat, cum proportione punitur. Confuſione mendaci malus inſontem denigrat: & ipſe confuſione plectetur, ſed veraci. Crimen unumquodque reum afficit pudore, ſi prudenter hic meditatus fuerit mandata Domini, quæ deſpexit. Incertus inter opera S. Hieronymi: *Graviter*, ait, *namque unuſquiſque confunditur, quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo reſpicit, quæ vivendo contempſit.* Plurima ſunt quæ ruborem injicere valent peccatori, ſi nonnihil reſipiſcat, & meditetur Altiſſimi leges; quas inverecundè tranſgreſſus eſt. Eas perpendens animadvertet jus dominii, quo potitur ſummus Legiſlator erga creaturam; quam de nihilo vocavit ad eſſe. Pudendum valde, quòd vermiculus contempſerit Creatorem; cum brutum ferox obediat nutrienti. Necnon ex meditatione divinæ legis venitur ad conſiderandam providentiam Dei; qua præcipiens ita curavit, ut homo deviaret à præcipitiis, & ad felicitatem æternam dirigeret greſſus. Huic beneficio retribuit ille contemptum: qua facie? Pudefactione dignum hoc eſt. Maximè verecundantur delinquentes, cùm afficiuntur publico ſupplicio; quantumlibet antea compertum eſſet omnibus delictum. Sed re bene perpensâ, magis erubeſcendum de culpa foret, cùm detegitur; quàm de punitione, quando palam executioni datur. Supplicium non reddit hominem deteriorem, quàm ſit; forte meliorabit eum: culpa gravis eſt, quæ deſpicabilem conſtituit eumdem. Eapropter erubeſcentia plùs convenit crimini, dum eruitur à ſecreti latebris, quàm vindicta juſtitiæ, ſi patitur eam ſceleſtus aperto ſole. Confundere valet ampliùs delictum rectè cogitantem eo tempore, quo ſcelus comprehenditur; quàm pòſt ultio publica, qua reatus pœnæ ſolvitur.

Incert. inter opera. Hier. com. in Thre. l.2.c.3

72. Per Jeremiam Dominus agens de confuſione plebis Hebrææ, dixit: *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & reges eorum, principes & ſacerdotes, & prophetæ eorum,* &c. Legit Chaldæus: *Sicut confuſio viri, qui cum habitus fuerit fidelis, invenitur latro,* &c. Nicolaus de Lira commentatur: *Quia cum furto ſuo ad mortem ducitur:* &c. Expoſitio hæc occaſionem præſtitit excitandi breve dubiolum. Bis verecundatur occultus latro: qui meritas non effugit pœnas. Primùm, cùm ejus viliſſima culpa comprehenditur ita, quòd tergiverſari nequeat, & negare furtum: poſteaque, dum luens in corpore piaculum, ducitur ad malam crucem in conſpectu populi morte mulctandus infami. Cur ergo non dictum fuit apud Vatem: Quomodo confunditur fur, quando præeunte præcone, tortore comitatus ac judice, animadvertitur ſuſpendio, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, &c. Sed potiùs dictum eſt: *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur*, &c. Non caſu proferri credas verba ſancti Spiritûs: myſterium latet. Magna fuit illa confuſio Iſraëlis, de qua legimus quod jam retuli. Opportunum erat, illi confuſioni latronis æquiparari, quæ juxta rationis dictamina major eſt. Bene judicanti plùs verecundum eſt occultum latronem deprehendi, quàm puniri: nam illud primum à delicto provenit; poſt cujus publicam notitiam ſecundus rubor à ſententia judicis venit. Et quia explicandæ Iſraëlis confuſioni eligenda fuerat verecundia maxima, ſimilitudo furis appoſita eſt: ut inſinuaretur, dignius eſſe pudore delictum, quàm ultionem. Hoc in mendaci verificatur ſpeciali ratione:

Ierem.2.26. Lect. Chald. ib. Liran. ibid.

vix enim extra judicium aliquis mentiens pœnas judici dat : proindeque mendax verecundiam evadit ſupplicii. At idem, ſi verax habebatur, & in mendacio gravi comprehenſus eſt, de crimine ſuo *confundetur*.

DELIBATIO VII.

Varia de mendaciis operis & linguæ.

73. *Aliquando peior operis fictio ; quam linguæ.*

NOſtro rurſus more gnomen ruminemus eamdem ; ut nonnihil ampliùs moralis doctrinæ capiamus. *Verbum.* Sic imminutæ ſunt veritates à filiis hominum: ita crevit falſitatum numerus ; ut quia tot mendaciis proferendis lingua non ſufficeret, homo totis artubus mentiatur. Unde quamvis in hac paræmia legas : *Verbum mendax*, nequaquam obliviſcaris, non ſola mentiri labia. S. Iſidorus Hiſpalenſis dixit : *Ille mentitur qui vult videri quod non eſt* : &c. Vix enumerari queunt modi, quibus frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, & non minus cœtera ferè cuncta, quibus homo conſtat. Mentitur filius hominis capite, quod inclinat quaſi benignus ei, quem ſuperbiſſimè temnit. Fallit capillis ætate provectus, repræſentans grandævum Catonem ; cum ſit corde puer. Fingit ſuperciliis, velut admirans eorum dicta, quibus adulatur. Deſipit oculis ; quos detinet in conſpiciendo bona proximi, veluti ſi complaceret in eis ; cum invidis per illa torqueatur. Circumvenit collo, blande flectens illud in proteſtationem humilitatis ; & ſuperbiæ cervix ei duriſſima. Deludit humeris, teſtatus neſcire quod verè novit. Dolum facit pectore, corruens in amplexus amici, cui perfidus eſt. Illudit manibus plenis oſtentans largitatem ; qui donans cum ſpe lucri non largus eſt, ſed mercator. Inſidiatur genibus, procumbens in ipſa coram potente ; quem vellet miſerabiliter perire. Fraudat pedibus inſiſtens veſtigiis divitum ; quos non veraciter ſequitur, ſed obſidet, ut ſpoliet. Apage monſtrum ! Ab infimis veſtigiis ad uſque ſummum verticem nihil in eo ſanum. Jam non dicam : Omnis homo mendax ; ſed : Totus homo falſitas. Et putabas, labia ſola mentiri ? Quin deterior eſt fictio, quæ completur opere : nam, cum plùs oculis fidamus, quàm auribus ; deteſtabilior eſt operis, quàm verbi fallacia.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. diff. lit. M.

74. Mos erat in Eccleſiæ primordiis, ut novi fideles, qui poſſidebant agros, venderent illos, & pretium ponerent ante pedes Apoſtolorum. Ananias vendidit agrum ſuum : ac de pretio fraudans illius partem ; aliam ad pedes Apoſtolorum attulit : pœna capitali culpam luit ; ſic damnante Petro. Quare Vicarius Agni, cùm erat Chriſtianæ congregationis ex parte multâ devotio tenella, morte punit hominem propter delictum non omnium certe maximum ? Accidiſſe potuit, ut plures diverterent à Petro, nolentes obedire Pontifici tam ſevero. Habemus in ipſo textu : *Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt.* Dices, Ananiam æquo fuiſſe percuſſum ita ſupplicio, propter mendacium altioris notæ. Fateor : nam Petrus dixit : *Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri ?* S. Hieronymus ait : *Ananias & Saphira ideo puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Spiritui ſancto, & reſervantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfectè renuntiantes, vanam gloriam ſectabantur.* Sic punitur Spiritui ſancto injurius Ananias in mendacio ſuo ! Falſitatem aliam in Actibus Apoſtolorum lego narratam ſanè graviorem, quia blaſphemiam continebat ; nec tamen ita ſententiâ damnatam. Loquebantur diſcipuli variis linguis in die Pentecoſtes. Auſi ſunt quidam ebrios aſſerere. *Alii autem irridentes dicebant : quia muſto pleni ſunt iſti :* In defenſionem Apoſtolici Collegii verba protulit Petrus ; nullus tamen ex illis propter blaſphemiam occiſus eſt. An protervum dictum illud non cedebat in ſancti Spiritus injuriam, qui dabat illis eloqui ? quare non periere ſimiliter ac Ananias ? Non deerit qui putet, capitale ſupplicium inflictum Ananiæ fuiſſe, quia ſic oportebat in deteſtationem falſitatis, quam exercuit opere. Notam ebrietatis inurentes Apoſtolis, verbo dixere falſum. Parcitum eſt iſtis, ut eorum interna lumina per Vicarii Chriſti doctrinam reſerarentur. Tam execrandum eſt operis figmentum : tam deteſtabile mendacium facto patrare. Non igitur exiſtimes, juſtum execrari ſolum fictitium *verbum*.

Actor. 5. 5.

Ib. n. 3.

S. Hier. to. 5. q. 1. ad Hedib. fi.

Actor. 2. 13.

75. *Inexcuſabile judicium temerarium inſtructioſi.*

Mendax. Secundùm etymologiam vocis, mentiri, ſi rigorosè loquamur eſt contra mentem ire : unde S. Iſidorus Hiſpalenſis proximè citatus ait : *Qui autem non volens aliud putat quàm eſt, non mentitur, ſed fallitur. Ineſt ergo omni mentienti voluntas fallendi* : &c. Utamur locutione minùs rigoroſa, quò rigore majori corripiamus non amantes veritatem. Quidam ſunt mendaces, non euntes contra mentem : ii ſcilicet, qui temerariè certò judicant ; & falſum, quod verum exiſtimant, eâ levitate, qua ſuſceperunt illud corde, vel adhuc majori, proferunt verbo. S. Gregorius Magnus : *Quod levis conſcientia concipit, levior protinus lingua prodit.* Hæreo quidem, quidnam potiùs reprehendam ; audacem intellectumne temere judicantis ; an ejuſdem lubricam linguam proferentis quòd malè cenſuit ? Ad radicem diſſecandam utamur verbi ſalutaris gladio : judicium, inquam, temerarium correptione feriamus. Abominabile nimis hoc ſcelus eſt. Aliqua dedi to. 2. fl. 1. à n. 44. & fl. 6. à n. 78. & fl. 32. à n. 21. Nunc illam tantùm caſtigationem adhibebo, quæ ſumitur de ſterilitate hujus vitii. Multa ſunt peccata, quæ mundana commoda delinquentibus afferunt ; ſi commodum vocandum eſt animam perdere, ut lucreris aurum, vel ſimilia. Quadamtenus minuuntur hæc delicta per utilitatis concupiſcentiam. At qui præcipitat

D. Greg. M. to. 1. l. 5. mor. c. 21.

pitat judicium in rebus nec ſibi fructuoſis, nec ad proprium incommodum vitandum attinentibus, quid elucratur per culpam? Penitus nihil. Igitur excuſatione caret hic ferens judex intruſus ex abrupto ſententiam. Multò graviora crimina proximi pius dilector excuſabit; ſed eum inexcuſabilem dicet, qui temerè de proximo ſuo judicat infructuosè.

76. Doctor gentium Judæos redarguens: qui ex datâ ſibi lege malè Gentes damAd Rom. 2. 1 nabant, inquit: *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas.* Demirabar viſcera pietatis Pauli; quæ de perditione Judaici populi ſic torquebantur, ut cunctis notum eſt, haud aliquam excuſationem inveniſſe, per quam alleviaret peccatum prædictorum judicantium. Cur non excuſavit eos ex indiſcreto zelo? Mitiùs Apoſtolorum Princeps, poſt illius claudi celebris curationem, locutus eſt ad Judæos, agens de Salvatoris occiſione: quæ tantò gravius extitit piaculum, quòd illi judicio peccaminoſo, de quo Paulus, comparari non ſinat. Audi Petrum clementer excuſantem occiſores Filii Dei.
Actor 3. 15 Dixerat: *Authorem verò vitæ interfeciſtis*,
Ib. n. 17. &c. Poſtea ſubjicit: *Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Tam benignus fatur Petrus, ut aliqualiter excuſet ſummum crimen, minuens iſtud ex ignorantiâ? Paulus autem inexcuſabiles aſſeverat illos temerarios judicatores? Utique: nam hi nullum penitus lucrum reportabant de judicando proximum. At Judæorum principes putavere, quòd Cæſari gratam rem exequebantur, procurantes interfectionem hominis: qui prout ipſi perperam exiſtimarunt, ſe regem conſtituens contradicebat Imperatori: proptereaque peccatum iſtud crediderunt ſibi non parum utile. Ruper-
Rupert. l. 10. in Ioan. c. 11. tus haud it longe, dicens: *Ergo hunc hominem interficere apud tribunalia quidem Cæſaris videbatur fore tutum, apud judicem populi fingebatur eſſe neceſſarium.* Delictum graviſſimum; ſed falsò putatum fore commodum reis (imitatus pietatem Redemptoris, cujus vices tenebat in terris) Petrus mitigavit nonnulla excuſatione clemens. At verò judicium damnabile de proximo cenſebat inexcuſabile Paulus: & meritò: quia judicanti nihil fructificat hoc peccatum circa rem, quæ non pertinet ad illum judicem. Scire vis quid negotietur ſibi judicans iniquè temeritate ſuâ? Frequenter elucratur contra caput ſuum præſumptionem haud frivolam, quòd in eâdem ipsâ materiâ peccat, in qua cenſor factus eſt alterius. Belle Do-
Doroth. de inſtit. fr. doctri. 16 ad fi. rotheus dixit: *Cùm pugillo amaritudinis noſtræ totum proximi bonum corrumpimus, judicantes illum pro ſtatu mentis noſtræ, & transformantes quodam modo ipſum ex mala diſpoſitione, quæ in nobis eſt.* Dum verba meditaris moralitate plena, feſtinus ad aliud tranſeo.

77. *Juſtus.* In commentario notavi, multa
Qui linguæ vitiis caret requiri, ut homo inſigniatur nomenclaturâ juſti, ſumptâ in ſignificatione latiori. Sed in odium vitiorum linguæ, laudemque modeſtè loquentium, addere liceat, rem tantam ab eo perfici, qui labiorum peccata vitat, quòd ferè videatur hoc ſatis, ut generaliter in omni re juſtus abſolutiſſimè nominetur. Tempeſtivè dixit perdoctus Generalis Ordinis Prædicatorum: *Vix vincitur homo à diabolo, ſi à verbis malis caverit.* Pavet cacodæmon hominem adeo ſtrenuum, quòd linguam juvante gratiâ, domat: & ipſe continens eam crebris ac illuſtribus victoriis corroboratur. Solet communis inimicus humanam inflammare linguam igne gehennæ, quaſi telum ignitum, quo multos ut inſtrumento percutiat. Novum dices jaculi genus: quod vulnerat ferientem, priuſquàm attingat alterum, in quem jacitur. Sed iſta, multóque mirabiliora fiunt arte maligni. Multum cadit ab ſpe ſua diabolus, cùm cernit os pium ſibi claudi: noſcit quippe, cuſtodientem labia ſua, ſedulum necnon invigilare cuſtodiæ cordis. Petrarcha loquens de lingua dixit:
Petrar. de rem. med. adv. for. dial. 103. *Nulla pars corporis ad nocendum promptior, ad frænandum difficilior.* Si fortaſſis etiam cor ille comprehendit hac locutione generali, nobis haud modicè favet. Difficillimum negotium abſolvit moderator linguæ ſuæ, quæ mali pars peſſima ſervi; ſcilicet corporis. Poſt hujuſmodi triumphum reſtat ſubjicere dictaminibus rationis integrè voluntatem, ad hoc ut perfectè ſis bonus. Sed, cum hæc potentia rationali nobilitate ſplendeat; remotis impedimentis; adjutorio cœleſti ſuppoſito, docilis eſt. Unde liquet, pene videri totum conſummaſſe perfectionis curriculum hominem, qui non offendit verbo. Jam quaſi perfectus univerſim appelletur qui ſceleribus linguæ non ſubeſt.

78. S. Jacobus Apoſtolus in Canonicâ ſuâ monitum ſalutare præſtat opportunum ad ſtudium coercendæ linguæ propriæ.
Iacob 3. 2. Bed. ib. *Si quis*, ait, *in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir.* Commentatur Venerabilis: *Si quis*, ait, *ergo in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, illo videlicet verbo, cujus offenſionem humana vitare poteſt fragilitas, ut eſt verbum doli, detractionis, maledictionis*, &c. Hærebit in hac ſententia quiſquis exactè perpenderit quot & quanta collectim ſignificentur hoc duplici verbo: *Perfectus vir.* Multis & magnis conſtat Chriſtiana perfectio. Nullus hoc ignorat; ſed proficiet audire Petrum Comeſtorem: qui ſic habet ſuper illud Matthæi 6. 17. Cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam
Petr. Comeſ. in cer. oper. Petr. Bleſ. ſer. 10. lava, &c. *Dicimus ergo*, ait, *quod in hac ſuperficie verborum tria nobis apponuntur: jejunare, faciem lavare, caput ungere. Hæc ſunt illa tria, in quibus conſtat perfectio humanæ religionis. Quæ ſunt illa? Declinare à malo, facere bonum, utrumque ad Deum referre, & totum quod habemus, Deo tribuere. Ecce quicquid continet humana religio.* Ad tria capita reduxit Author eruditiſſimus perfectionem virtutis: attamen vix eſt qui neſciat, quanta multitudo tum internorum, tum exteriorum actuum comprehendat

hæc

veluti perfecta virtutis eſt.

Humber. in ſpec. relig. l. 2. c. 20.

hæc ſumma brevis. Adeo verum eſt hoc, ut S. Marcus Eremita dixerit : *Nondum enim quempiam vidi Chriſtianum perfectum*, &c. Et mox : *Diſcendoque cognovi, quod nullus eſt homo perfectus.* Quomodo igitur Jacobus aſſerit, eum, qui non offendit in verbo jam perfectum eſſe virum ? an poſt linguæ refrænationem nihil ei reſtat boni peragendum, vel mali vitandum ? Plura quidem. Sed rem tantam perfecit iſte, quòd velut omnia conſummaſſe viſum ſit ad virtutum perfectionem ſpectantia. Apud eumdem Apoſtolum ibidem lingua nominatur : *Univerſitas iniquitatis.* Quid ergo miraberis, in laudem ſanctè modeſteque loquentium dicentem, cuncta ferè peregiſſe virum continentem verba ſua ? Digniſſimus eſt ergo deteſtator verbi mendacis & contumelioſi, quod nobilitetur à Sapienti nunc hoc nomine *Juſtus.*

S. Marc. Ere. in capit. de temp. n. 26 § Grat. ad fi.

Iacob. 3. 6.

79. *Non imprudens erit quidquid ſtudii virtutibus impendit ordinans ad fugiendũ vitiũ linguæ.*

Deteſtabitur. Licet juſtus omne malùm proſequatur odio : quædam tamen ſunt, in quæ fortiùs invehitur. Inter hæc eſt linguæ procacis vitium : quod multa germina mala parit ; & inſuper virtutes peſſundat non paucas. Aliqua ſunt peccata, quæ ſuos non egrediuntur limites, ut animæ noceant ; illud verò non ſic : nam bona plura marceſcere facit, & mala multa convocat in auxilium. S. Antiochus : *Provideamus*, inquit, *ne quem locum in nobis vitioſus hic nanciſcatur affectus linguæ procacis, ne quando adverſum nos invaleſcat imperioſiùs. Perquam moleſta eſt hæc animæ intemperies, qua ceu parente cæteræ progerminant & emergunt : eoque fructus exercitii hujus noſtri omnes putrilagine ac marcore perdit, virtutes ipſas hominis reddit inanes frugis bonæ.* O morbi genus formidabile nimis : quod unum afficiens membrum corporis, tot ægritudines affert membris animæ ſpiritualibus ! Corpore laborat aliquis unâ tantùm parte ſaucius ; & ſanus in reliquis. Non ita contingit ægrotanti ſcelere labiorum peſſimo. Deſiderans hic invenire quid maligno dente rodat, infirmatur voluntariè mentis luminibus, hoc eſt, intellectu ; per judicia temeraria nociva. Deinde quò liberius proximi vitam detractione feriat, obſurdeſcit ad ejus publicas laudes. En morbida fit auris animæ. Denegat is idem pauperibus eleemoſynam, quia miſeros dicit pravis moribus infectos, loquens pro libito. Manus ecce ſpiritûs arida fit : ſcilicet in egenos miſericordia penitus areſcit. Alia dimitto. Satis hæc, ut aſſeramus, prudentiſſimè juſtos conatum apponere multum ad vitanda linguæ delicta, de qua tot peccata pullulant. Imprudens non erit ille, qui ſollicitudinem totam, qua benè operari curat in omnibus, ad hunc finem direxerit ut verbo non peccet. Tanti momenti ſpiritualibus viris eſt os coercere ſuum, quòd prudentia dictet illis, omne ſtudium impenſum propriis operationibus ordinare ſollicitè pro devitando linguæ delicto.

S. Antioch. hom. 16.

80. Sollicitus Pſalmiſta Rex de non amittendo vero bono, circumſpectionem ſibi præſcripſit magnam, ſciens, requiri permulta, quò viam rectam non deſerat homo, qui tot periculis expoſitus nec à ſemetipſo tutus eſt. Vide quo fine deliberaverit ſe gerere ſic. Ait ille : *Dixi : Cuſtodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea.* Exponit Cardinalis Bellarminus : *Id eſt deliberavi & ſtatui conſiderare omnes actiones meas.* Manifeſtum eſt, Davidem non propoſuiſſe tantùm nudam conſiderationem actionum ſuarum ; ſed juncta cautela ; quâ diligenter attenderet, ubi greſſum poneret in vitæ calle. Idem Bellarminus : *Ut cautiſſimè ambulem in via vitæ hujus, & diligenter attendam, ubi greſſum pono, ne fortè in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel lutoſam viam pro munda eligam, vel certè deviem ab itinere recto*, &c. Optimum quidem propoſitum iſtud nullus non laudabit. At aliquis Davidem notabit imprudentiæ, propterea quòd omnes proprias actiones ad hunc finem rectas facere curet, ut linguâ non delinquat : plures quippe ſunt, quæ nullam, vel parvam affinitatem videntur habere cum oris temperantia : nam ad iſtam quid præſtat non diripere facultates alienas, vel ſimilia facta laudabilia ? tantoperene metuebat Propheta linguâ prolabi, quod prudentiam turbavit metus, cogens ad inopportuna media quærenda pro fuga peccati loquelæ ? Quin potiùs prudenti deliberatione ſtatuit exercitia cunctarum virtutum ſuarum referre tamquam in finem ad labiorum ſcelus declinandum : nam deteſtabatur adeo crimen oris, quòd illi nihil ex prædictis viſum fuerit ſuperfluum ad hoc malùm vitandum. Prodeſt iterum Purpuratus idem, verba Davidis exponens : *Id eſt, ad hoc potiſſimùm cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea : ſic enim infinita mala effugiam.* Novit vir bonus qualiter animæ bona conſumat flamma linguæ, quotque maculas afferat ejus fuligo cordi contractas ab eo, qui ruit ore malo : quapropter vigil crimina linguæ *deteſtabitur.*

Pſ. 38. 2.

Card Bellar. in com. ib.

Idem ib.

Idem ib.

81. *Columniatori junguntur ultrò alii, bona loquenti non accedent niſi vocati.*

Impius autem. In ſingulari poſitum eſt nomen quod meretur contumelioſus mendax. Non pigeat iterum recordari, quàm obvios habeat ſocios plures calumniator. Unus malignè loquitur ; & quaſi voce præconis plures convocati libenter adſunt conclamantes, nullo fructu percepto. Mos canibus eſt uno latrante, vicinos latratibus velut adjutorium præbere. Non ego quidem primus probroſum nomen canis detractoribus approprio. Lege S. Iſidorum Hiſpalenſem, *Canum*, ait, *mos eſt lacerare, canum dente peſtifero mordere, ſoli canes oblatrare noverunt. Quando alii detrahis, te diſcute, quando alium mordes, tua peccata redargue*, &c. Per offuſas noctium tenebras adverſus umbram latratum canis unicus tollit in auras : ecce qui fortè non longe poſiti dormiebant, ſimiliter perſonant, priorem quaſi juvantes rauco ſonitu. Quis inde fructus ipſis ? Nullus utique. Haud aliter, ſi quidam ſua loquacitate ſuadente verba facit contra ſceleris umbram apparentem, quam cernit in homine probo, non latrabit ſolus : inſtabunt

S. Iſid. Hiſp. l. 2. Syn. c. 9

ſtabunt ſimilibus alii clamoribus, emolumento nullo. Utinam comites ita reperire ſoleret is, qui laudabiliter de proximo verba depromit. Maliloquus non dubitat, exemplo ſuo tractaturum alios, ut ſicut ipſe linguâ percutit miſerum, nec non & illi calumnientur eumdem: ſi autem velit ſic ut ratio docet loqui, non ſponte comitabuntur eum. Non vocati homines in auxilium, ſuas conſociabunt linguas calumnianti; cùm autem deliberat hic ſana verba dare, non eſt cur exiſtimet, cæteros pariter ſecum futuros, niſi vocentur.

82. In exercitium patientiæ, crementum gloriæ, tolerantium exemplum, confuſionemque maligni, diabolo Deus permiſit ut affligeret Jobum. Ille perdidit ejus exeriora bona, gnatos concidit, corpus ulceravit. Audierunt illius infortunia tres amici: nullus decrevit ſolus advenire conſolaturus miſerabiliter anxium; ſed communicato conſilio ſeſe contulerunt ad illum. *Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de locò ſuo, Eliphaz Themanites, & Baldat Suhites, & Sephar Naamatites. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur.* Nicolaus de Lira ibi: *Iſta fuit prima eorum intentio, ſed procurante ſatan mutatum fuit præmedicamentum: quia converſi ſunt poſtea ad eum increpandum & contemnendum*, &c. Non dubito, quin hoc animo venerint, ut ipſius laudatâ fortitudine hortarentur ad patientiam. Mutatum eſt bonum illorum propoſitum. Sed video, quod Eliphaz haud certò ſciens, eamdem accidiſſe mutationem in duobus aliis, exorſus eſt ita, volens arguere Job impatientiæ: *Si cœperimus loqui tibi, forſitan moleſtè accipies, ſed conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Doctor Angelicus ibi: *Primò igitur, inquit, arguit ejus impatientiam, et incipit loqui ad eum quaſi ad hominem impatientiæ vitio ſubjacentem*, &c. Fateor, illorum trium corda jam ab illa intentione declinaſſe conſolandi Job verbis aut laudatoriis, vel ſaltem laudabilibus, cùm Eliphaz initium dicendi ſumpſit: & ſuſpicari poſſumus, non illum prius eſſe locutum, quàm iidem propoſuerint eum verbis ferire. Quæro tamen. Unde noverat Eliphaz, ipſos mutaviſſe jam ſententiam, ad hoc ut Jobo pluraliter dicat: *Si cœperimus loqui tibi, forſitan moleſtè accipies*, &c. ſic inſinuans, alios duos loqui velle ſimiliter ac ipſe? Rurſus inquiro. Cur oportuit, eos tres inire conſilium, ut venirent ad conſolandum Jobum? quare non unuſquiſque accinxit ſe viæ, quin ullus de altero curaret; credens nempe quod non ſolus accederet ipſe pro conſolatione præſtanda patienti? Peracuta quidem eſt mundialium hominum prudentia. Viderunt iſti, non frequenter reperiri ſpontaneos adjutores bene loquentis. Ideo cùm ſtatuit unus accedere bona locuturus ad Job, ut conſolaretur eum, non certum putavit, alios haud vocatos acceſſuros intentione pariter bonâ: non decrevit ire ſolus confidens, necnon & alios fore ſibi ſocios conjungendos ad eumdem finem. Eapropter communicato conſilio factum eſt, ut illi tres, quiſque de loco ſuo veniens, pariter viſitarent atque ſolarentur Jobum, loquentes bene toleranti mala. Sed poſtea, cum Eliphaz in verba calumniæ prorumpere decrevit, non erat cur dubitaret, alios locuturos fore ſimiliter malè. Idcirco non dixit: ſi cœpero loqui tibi? ſed: *Si cœperimus* &c. Hoſtilis, & non unquam caſtigata ſatis concordia calumniatorum hæc eſt. Adaperiat os fœtens unus; haud erit Unicus. Verbis laudet infortunatum forſan aliquis: nullus erit, qui dictum confirmet ejuſdem. Oppoſitum neutiquam tibi perſuadeas, quantumvis de contumelioſo mendaci legas in ſingulari dicentem Salomonem: *Impius autem.*

Confundit. Non extenditur ad cunctos auditores iſta confuſio, qua malus afficit inſontem: apud ſolos mundiales confundit eumdem. Sed hoc præcipuè notabis, ſcil. calumniatorem, etſi validè percutiat innocentem non efficere quod ipſemet intra ſe confuſus maneat: hic nanque, patrocinante bono conſcientiæ propriæ teſtimonio dicta parvipendit impii. Sit exemplo Magnus Baſilius, in re ſatis gravi paſſus injuriam. Poſtquam dixerat ille: *Calumnias item paſſa eſt noſtra circa Deum fides, gnarus quod tribus ſimul perſonis detrimentum calumniator affricat: nam et eum de quo calumnias profert, injuriâ afficit, et eos, ad quos verba facit, et ipſe ſeipſum:* addidit infra: *Sed quod videam quod ex tribus, qui læduntur, is qui minimo damno afficitur ego ſum.* Multa poterit iniquus inferre damna juſto: plures valebit cruciatus ejus infligere cordi; confuſionem intra pectus illius nequibit mittere malus. Vide ſupra delib. 6. n. 69. & 70. Cœlum eſt anima virtutibus fulgens; convicium autem ſimile fumo denigranti: qui licet nimis conſcendat in altum, non ingreditur cœlum. Sic & ignominia quæ jacitur adverſus eum, qui ſceleris purus eſt, in ejus præcordiis minime confuſionem generat: inhonorabitur extra: ſed in ſemetipſos non confundetur intus.

83 *Contumelia non confundit intus juſtum.*

Evangelicus Vates anticipans perutilem Chriſti Paſſionis meditationem, aiebat ipſius nomine: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conſpuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar.* De Salvatore noſtro ſunt hæc ad litteram intelligenda, conformiter ad commentarium S. Hieronymi dicentis initio capitis hujus Prophetæ: *Ad perſonam igitur Domini, in qua & ſuperior finitus eſt liber, etiam iſta referenda ſunt*, &c. & infra: *Qui percuſſus atque conſputus, non erubuit, ſed quaſi agnus ductus ad victimam eſt, & quaſi ovis coram tondente non aperuit os ſuum.* Ut prædicata, quæ leguntur apud Iſaiam, non præterirem, duxit me Commentator inſignis Cornelius Alapide: qui refert ea verba: *Faciem meam non averti ab increpantibus*, ad illud quod blaſphemantes dixerunt in monte

84.

Alap. in co. Iſa. ibid.

Calvariæ : *Si filius Dei es, deſcende de cruce.* Scribit Interpres : Faciem meam non averti ab increpantibus, *à conviciantibus, irridentibus, ſubſannantibus :* Ave rex Judæorum, ſalva temetipſum ſi filius Dei es, deſcende de cruce. &c. Dubii nonnihil offert alia locutio Chriſti Domini per os Davidis : *Tota die verecundia mea contra me*

Pſal. 43. 16. 17. S. Hier. com. in Pſal. ib.

eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis, juncta expoſitione S. Hieronymi, dicentis : Dominus hæc in aſſumpta loquitur carne, qui pro nobis verecundiam patitur, maledicitur, atque confunditur, uſque ad ipſum etiam patibulum crucis. A voce exprobrantis & obloquentis, *cum ei diceretur :* Si filius Dei es, deſcende de cruce. Qua ratione componemus iſta ? Apud utrumque Prophetam Verbum loquitur incarnatum : ſed, ut leviter conſideranti videbitur, diverſimodè. Per Iſaiam teſtatur, ſe non confuſum verbis illis probroſis, *Si filius Dei es* &c ? per Davidem fatetur, ob eamdem contumeliam coopertum ſe confuſione faciei ſuæ ? Profundiùs congruit hæc rimari. Longe diverſum eſt confundi facie, quàm corde. Apud Pſalmiſtam Redemptor loquitur de confuſione faciei : quam Dominus, ut habemus apud Evanglii Præcentorem, non avertit ab illa contumelia. Verè tamen dicere valuit, illo nequaquam opprobrio ſe confuſum : quia, cum innocentiſſimus eſſet, confuſionem corde ſuo non patiebatur : *Non ſum confuſus* &c. Sicut intra nos vivit alter, quem appellamus internum hominem : ita datur in nobis interior facies : quæ niſi culpâ rubeat, non erubeſcit ; etiam quando impii lingua probris nos *confundit.*

85. *Juſtus verũ loquens apparentiam veretur mẽdacii ; malum deprehenſum in falſitate non pudet.* Demoſth.

Et confundetur. Utinam hoc haberet verum in omnibus mentiendo peccantibus : forſitan pudor eos contineret ſaltem ad tempus à calumniando proximum. Ad minus virtutis colorem induerent ; quo fieret ut mali ſocii vitarent eos : nam, ut Demoſthenes ait, *Rubor virtutis color eſt.* At ſic permiſcuit cuncta malus rerum interpres appetitus ; ut inter mendaces aliqui ſint frontis adeo perfrictæ, ut non ſolùm de falſiloquentia non pudefiant, ſed complaceant in fictione ſua. S. Joannes

S Ioan. Clim. in ſcal. gr. 12.

Climacus : *Notavi nonnullos*, ait, *de mendacio etiam ſibi placere & applaudere*, &c. Alius mentiens extollitur, quoniam tantâ poteſtate fulget, ut audientes ab eo confictam fabulam, cujus oppoſitam veritatem noſcunt, nullus fuerit auſus in contrarium vel muſſitare ; nedum illum arguere falſi. Alter figmetum efformans artificioſum, gaudet ingenioſus haberi, tamquam perfecerit opus artis miræ. Fallitur uterque, ſed mercede non fraudatur infelici : nam vel mundus eum ridiculo pretio vanæ laudis munerat, vel ipſemet ſumit præmium ſibi per elationem vaniſſimam. Hæc illi. Longe aliter juſtus : quī ténuem refugit umbram proprii mendacii. Necnon in hoc diſtant valde pius & improbus. Ille veretur deprehendi mendax cùm non mentitur ; iſte poſtquam eſt in mendacio comprehenſus, haud illud aſſeruiſſe negat : imo quærit, quo falſitatem excuſet. Iniquo non clauditur os pudore, quantumlibet jam ſit convictus mendacii ; rectus verè formidat ne mendax habeatur in eo quod verè loquitur.

86. Gemellos fratres edidit uno partu Rebecca : Jacob ſcil. ac Eſau. Prætulit hunc natura ? ſed alterum antepoſuit gratia. Non ſine providentia Numinis factum eſt, ut Jacobus emeret primogenituram à fratre. Poſt hæc, cum Iſaac vellet primogenito ſuo benedictionem impertiri, diſceſſiſſetque filius, ut poſtquam juſſum parentis compleviſſet regrederetur benedicendus ab eo ; genitrix dilectione ſuadente conſuluit Jacob, ut perſonam induens germani benedictionem ſollicitaret à genitore : cujus oculi caligaverant ; & ideo dabant huic arti locum citra periculum. Geneſ. 27. 11. 12. Tamen reſpondit matri Jacob : *Noſti quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: ſi attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere*, &c. Nihilominus inſtante Rebecca perrexit, hædos attulit ei ; quæ paravit inde cibos : quos intulit ad patrem ille ; ipſique roganti quis eſſet, repoſuit : *Ego ſum primogenitus tuus Eſau :* &c. Solliçitè diſquirunt interpretes, an Jacob hic fuerit mentitus ? Theodoretus ait : *An non eſt viſus Jacob mentiri, cum dixit* : Ego ſum Eſau primogenitus tuus ? *Minime verò. Emerat enim ille privilegia primogenituræ ab Eſau. Vere igitur ſeipſum appellabat primogenitum.* Vera locuturus metuit Jacob haberi mendax ? Antequam reſpondeam, pergendum eſt ultra. Monitus ab affectu materno profugus ivit Jacob in Meſopotamiam : paſtoris munus egit apud Labam ex pacto, quod ſeptennii labore lucraretur ejus filiam Rachel in uxorem. Elapſo tempore conſtituto, data fuit ei per Labanum doloſè Lia. Hoc ille comprehendens queſtus eſt ad ſocerum. Quid tunc Laban ? erubuitne ſe deprehenſum in mendacio non parvi momenti ? Nequaquam ; ſed inverecundè reſpondit : *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Geneſ. 29. 26. Tam apertè quod prædixeram patet in adducto de ſacris exemplo, quod ſupervacaneum ducam, lector, & mihi ſatis oneroſum circa rem clariſſimam quaſi dubius eſſem immorari. Hoc unum dicam. Iniquus erat Laban ; Jacob autem juſtus. Laban mendaciter fidem fregit : deprehenſus eſt ; & non ideo concluſit ejus labia pudor. Jacob verè poterat apud Iſaacum gerere perſonam primogeniti ; ſed veritus eſt ne fallax haberetur ubi non mentiebatur. Vir bonus horret mendacii ; vel apparentiam ; non omnis autem impius de mendacio ſuo patenti *confundetur.*

ib. n. 19.

FLOS V.

Juſtitia cuſtodit innocentis viam : impietas autem peccatorem ſupplantat.

APERITUR.

1. SEquelam virtutis, & fugam vitii more ſuo Salomon ſuadere cupiens, inculcat bonum rectè operantis fructum, atque mala gerentis detrimentum. Pro dogmatis hujus intelligentiâ ſit quæſtiuncula prima : de qua juſtitia verificetur prima pars ? Intellexit eam primo Cardinalis Hugo de juſtitia divina vindicante factas injurias probis. Contra hoc tamen eſt, quod ultio Dei (qui non infligit ſupplicium, niſi poſt factum) rigorosè loquendo non dicitur cuſtodia, qua defenditur juſtus ab iſtis jam illatis injuriis ; cum tempore vindictæ paſſus fuerit innocens eas. Diceretur utique punitio hæc rigorosè cuſtodia juſti, ſi malus ob id ſemel punitus metueret eum iterum lædere ; ſed ut plurimùm non ita res accidit. Salazar dictum Sapientis explicat de juſtitia, quæ verſatur in commerciis & ſimilibus : nam hæc tutam reddit in his virtutem juſti. Nititur in eo, quod ſequenti verſiculo ſermo ſit de divitiis. Sed contra : quia viciniorem habemus vocem, *Innocentis*, ratione cujus tantam præ ſe ferentis extenſionem, nomen *Juſtitia*, ſic extendamus ut infra dicetur ; quàm divitias, de quibus agitur verſu proximè ſequenti, juxta quem coarctemus juſtitiæ vocabulum prout vult Author iſte. Melius Carthuſianus, Cornelius Alapide, Rodolphus, & Janſenius (quorum approbat mentem Hugo Cardinalis) accipiendam cenſent hîc juſtitiam, ut ſignificat generaliter virtutem : *juſtitia namque* (Paſchaſium audis) *multarum partium virtutibus integratur. Eſt enim quaſi genus cæterarum virtutum, quibus conſtare videtur.* Moveor fundamento jam inſinuato, quod ſumpſi de verbo *Innocentis*, quod non ſinit limitari juſtitiæ nomen ad peculiarem unam virtutem.

Hug Card. com. in Proverb. 13.6.

Salaz. ib.

Dion. Carth. Alap. Rodol. & Janſ. ib.

Paſchaſ. l 3. in Matth. c.,

2. Quæſtiuncula ſecunda ſit an dicatur hoc loco virtus cuſtodiri ? vel innocens ipſe ? Primum tenent Janſenius, Cornelius Alapide, Salazar : primum & ſecundum Rodolphus complectitur. Sed expoſitio de virtute cuſtoditâ videtur moralis. De innocente putarem accipiendam eſſe paræmiam juxta rigorem litteræ. Probatur hoc ex originaria lectione : quæ huic expoſitioni favere videtur. *Juſtitia cuſtodit integrum* (alii legunt : *Perfectum*) *via* &c. Grande juſto munimentum virtus eſt. Multum equidem protegit pecunia ; ſed *divitiis antecellit*, ait S. Nilus. Adde Lactantium Firm. : qui ait : *Juſtitiæ tanta vis eſt, ut cum oculos ſuſtulerit, à Deo mereatur omnia. Rectè igitur Flaccus tantam eſſe dixit innocentiæ vim, ut ad tutelam ſui non egeat, nec armis, nec viribus, quacumque iter fecerit :*

Iánſen. Alap. Salaz. Rodo. prox. ſup.

Lect. Hebraï. Ibid.

S. Nil. l. aſcet. longe ante med. Lactan. Firm. l. 5. inſt divin. c. 17. ante med.

Integer vitæ ſceleriſque purus
Non eget mauris jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis,
Fuſcè, pharetrâ.

Et infra : *Non poteſt ergo fieri, quin hominem juſtum inter diſcrimina tempeſtatum atque bellorum cæleſtis tutela cuſtodiat, ac non, etiamſi cum parricidis, & nocentibus naviget, aut malis quoque parcatur, ut una juſta & innocens anima liberetur ; aut certè pereuntibus cæteris ſola ſervetur ; &c.*

Quæſtiuncula tertia : de qua innocentis cuſtodia ſit intelligenda hæc parabola ? Cornelius Alapide commentatur, ab omni malo culpæ & pœnæ. Hugo Cardinalis, à laqueis dæmonum : à gula, & luxuria : ab omni errore. Rodolphus à damnis & opprobriis malorum, & etiam à culpis : ac ſimiliter Epiſcopus Gandavenſis. Placet expoſitio Cornelii Alapide. O quàm liberaliter & ſolidè ſuos remunerat virtus ! Immunes reddit eos ab omni malo. Tamen, cum ita ſit, potius currunt homines ad nociva tranſitoriaque ſæculi bona mendaciter promiſſa, pariter & vanè ſoluta. Petrus Bleſenſis : *Quidam ad perfruendum ſibi eligunt ea, quæ peremptoria ſunt ſalutis. Veneno enim cupiditatis infecti & abſorti à malitia hujus mundi ; id eſt, fallacibus divitiis, in tranſitoriis ſcilicet honoribus, in Voluptatibus carnis, ſæculique favoribus, ſuæ intentionis finem conſtituunt*, &c. Piè S. Aelredus exclamat opportunè, meditatus nobilitatem ſimul, & abjectionem filiorum Adam : claritatem, inquam, ex naturæ rationalis conditione ; dejectionem verò de ſæculi affectu non dignô ſuî : *O mirabilis creatura, ſolo Creatore inferior, quo te deijcis ? mundum amas ? Sed ipſa es mundo ſuperior.*

3. Alap. Hugo Card. Rodol. & Ianſ. com. in Prov. 13. 6.

Petr. Bleſ. tr. de char. c. 4.

S. Aelred. in ſpec. char. c. 5

Cum igitur in hemiſtichio priori dixerim cum Cornelio Alapide, ſermonem haberi de cuſtodia innocentis ab omni malo culpæ, necnon & pœnæ ; reliquum ſententiæ cum eodem interprete recipiendum eſt ſecundum expoſitionem, quam affert ille ſic : *Impietas*, inquit, *errans & vaga, à rationis & juſtitiæ ſemita obliquat & deflectit, ideoque impius eam ſequens ex una labitur in aliam & aliam, ut indies fiat deterior, majorique culpæ & pœnæ obnoxius* : &c. Etſi non amore Dei vitaremus crimina : ſaltem oporteret ex charitate propriâ fugere ſcelus : ut pote quod (omitto nunc animam) corpori ſatis nocumentorum affert. Accipe Chryſoſtomum : *Nobis namque*, ait, *peccata noſtra adverſa provocant, arcent proſpera*, &c.

4. Corn. Alap. ſup.

S. Ioan. Chr. to. 3. ſer. de Martyr.

Juſtitia. Quamvis contutationem innocentis attribuat in præſenti Salomon ejus virtuti : nihilominus quia poſiti jam in ſupremo gradu virtutis, non ideo penitus carent periculo ſuperbiæ ; congruum ipſis eſt, ut humiliter Deo totum referant, quantumvis eis multa bona de virtute ſuâ promanent : nam & ipſa virtus noſtra, Dei opus eſt. S. Fulgentius : *Deus ergo*, inquit ille, *facit ut faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum, quod facimus.* Ut juſtus non gloriam arroget ſibi, perutile nimis eſt exemplum Salvatoris meditari : qui, li-

5. S. Fulgent. l. 1. ad Monim. c. 14.

cet una cum Patre voluntate, unaque potentia, quatenus Deus perfrueretur; omnia tamen ad æterni Parentis gloriam ordinabat. Meditationi lucem præferat Franconius Abbas, ad illud : *Confiteor tibi Pater* &c. Matthæi 11. dicens : *Diligens lector diligenter attende, quomodo Dei Unigenitus æterno Patri coæternus, cum quo illi una ſubſtantia, eadem eſt gloria, unum, idemque conſilium, opusque indiviſum, quomodo ad ſolius Patris gloriam omnia ſua referat : ut te purum hominem, infirmum, & impotentem doceat quò tua omnia, ſi tamen Deo digna fuerint, referre debeas.*

Franco Abb. l. 10. de grat. Dei ante med. ad illud: *Confiteor* &c. Matth 11.

6. *Cuſtodit.* Non dormitet virtus ut inſontem virum tueatur. Non ſtat negligentia ſopor cum ſtadio virtutis & ſtudio. Virtus appellatur vita; ſomnus verò mortis imago : qua ratione bene convenient ambo ? Tam propria virtutis eſt vigilia, quòd ipſum bene operari, vigilare quidem eſt. Patronum habeo Smaragdum Abbatem, qui ait : *Vigilat enim, qui ad aſpectum veri luminis oculos apertos tenet. Vigilat, qui ſervat operando quod credit. Vigilat, qui à ſe corporis* (fortè legendum : *Torporis*) *& negligentiæ tenebras repellit.* Inſuper animadvertere convenit, quòd, ſicut luminibus corporeis non datur, ut uno dormiente vigilet alter; ſed excubias ambo communi ſtatione peragunt; ita, ſi vel in una materia ſola negligentiam admiſerit homo, totus interior vir dormit, atque prædanti patet. Vide quæ dixi to. 1. fl. 6. n. 30. fl. 8. n. 23. fl. 10. à n. 22. fl. 16. à n. 42. fl. 20. n. 29. Argum finxere poetæ centoculum : ita, quòd luminum pars dormiret, cùm altera vigilabat. Si quis perſuadeat ſibi, quod ex parte dormiens, vigil ex alia ſit, metuo ne ſit fabula.

Smarag. Abb. in diade. mo. nach. c. 75.

7. *Innocentis.* Vereor, ne legens hîc Salomonem cernens, inſontem ita cuſtodiri, ſibi vanè complaceat, exiſtimans, unum eſſe de innocentibus. Nam cum ſit rarus qui peccet in cunctis univerſim, quin & plures multa genera peccatorum vitent, facilè putabunt iſti, ſe dignos innocentis nomine. Nihil ex hoc demirabor, cum & Pilatus dixerit : *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus : vos videritis.* & nihilominus graviſſimè peccavit in eo, quod nefario populo ſic tradebat quem agnovit juſtum. S. Leo Papa : *Quem innocentem pronuntiat, inquit, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem juſti, à quo abſtinendum ſibi, & intellectu proprio ſenſerat, & ſomnio uxoris noverat. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur.* Nemo ſibi præſumptuoſus attribuat nomen innocentis. Agnoſcat, quòd omnis graviter peccans nocivus eſt ſibi valde; nec innocens vocari quit ille qui ſibi nocet. Audiat Auguſtinum. *Sed quis eſt innocens ? Qui cum alii non nocet, nec ſibi nocet. Qui enim & ſibi nocet, non eſt innocens.* Et infra : *Sed ſi ſeipſum corrumpit, ſi templum Dei in ſe evertit, quid expectas ut in alio faciat miſericordiam, & parcat miſeris ?*

Matth. 27. 24

S. Leo Pap. ſer. 8 de Paſ. Dom.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſ. 100

8. *Viam.* In ſingulari numero legitur: At memento plures eſſe vias hominum. Petrus Comeſtor : *Quattuor enim, ait, ſunt viæ hominis. Via infirmitatis, via neceſſitatis, via vanitatis, via veritatis,* Viam infirmitatis vocamus vitam noſtram, per quam tranſit homo. Viam neceſſitatis appellamus, quam ingredimur cum interimus. Via vanitatis eſt illorum, qui ducunt in peccatis dies. Via veritatis eſt charitas. his omiſſis, accipio viam hoc loco generatim pro virtute : nam actus noſtri bene ſignificantur nomine viæ. Ex Caſſiodoro Bruno : *Viæ autem, inquit, actus ſignificant, quos in hac vita peragimus.* Nec dicas, hac expoſitione noſtrâ ſic ſumi ſententiam, q. d. Paræmiaſtes : Virtus cuſtodit virtutem : quod eſt ineptum. Non, inquam, hoc dicas : nam ſupra n. 2. præmiſi, ſermonem hîc eſſe ad litteram, non de cuſtodia virtutis, ſed ipſius innocentis.

Petr. Comeſ. ſer. 1. de Adv. Dom. poſt med. inter opera Petr. Bleſ.

Ex Caſſiod. Brun. Herbip in Pſ. 118. 5.

Impietas autem. Varii ſunt impietatis modi. Primus eſt in Deum per blaſphemiam, vel contemptum peccare : ſecundus parentum injuria, ſeu deſpectus : tertius latiori ſignificatione, cum delinquitur in proximum extraneum, cum hoc ſit contrarium pietati. Quartus in ſemetipſum : nam omni peccato gravi ſanctus amor ſuî violatur: Adeſt Primaſius, *Prima*, inquit, *impietas in Deum peccare eſt aut per blaſphemiam, aut per contemptum. Alia in parentes, aut injuriâ, aut deſpectu. Tertia in extraneum, quia omne contrarium pietati impietas eſt. Quarta in ſemetipſo* (fortè legendum : *ſemetipſum*) *ſicut Sapientia dicit : Qui autem peccant in me, impie faciunt in ſuas animas.* Hoc loco ſumendum eſſe credo nomen, *Impietas*, univerſaliter, prout valet idem atque, *Iniquitas :* ita nanque poſtulat generalitas vocis *Juſtitia*, quæ legitur in priori parte ſententiæ.

9.

Primaſ. Epiſc. cop. Ep. ad Roma. longe poſt princ.

Peccatorem. Non dixit, Hominem : ne ſciolus aliquis exiſtimaret, hîc loqui Salomonem de impietate dæmonis, qui ſupplantator eſt hominum. Nimii ſunt aliqui mortales in diabolo culpando, quaſi totam criminum in quacunque materiâ malitiam devolventes in eum. Non ego quidem excuſo malignum : ſed alibi notavi recolendum, non unicum eſſe cacodæmonem tentantem nos : necnon quam ſimus noſtrûm ipſorum inimici, ſatis aliis in locis expoſui. Vide to. 1. fl. 3. n. 33. & to. 2. fl. 1. n. 47. & 81. Nunc tantùm addo S. Anaſtaſium Sinaitam, dicentem: *Diabolus neminem cogit, ſed tantùm ſuggerit. At mala conſuetudo cogit hominem, ita ut diabolo deterior & valentior ſit. Quare noſmetipſos reprehendere oportet.* Præſcindamus à conſuetudine. Dæmon utique ſuadet malum, timorem fugat; proponit apparentia bona. Hæc eadem præſtat concupiſcentia propria : necnon igitur & iſta diabolus eſt. Hunc expelle fortiter dæmonem; & fugiet à te diabolus alter.

10.

S. Anaſt. Sinait. q. 98.

Supplantat. Significatur hîc unum peccatum in alind hominem ducere. Niſi mens læva, ſeu læſa fuiſſet, unum crimen commiſſum poterat hominem deterrere, ne rurſus in ſimile caderet. Patrocinatur Chryſoſtomus. *Ipſum*, inquit, *nanque peccatum ſemel lapſum, ſatis ſuperque cohibere,* &

11.

Chryſ. to. 3. ho. 37. in Joa.

& ſapientiorem reddere debebat, ne iterum in idem prolaberetur. Nota quàm ad manum habeamus remedia ; cum poſſimus antidotum efficere de veneno. Sed cum turpitudinem criminis admiſſi non expendamus, & perſiſtat voluntas in amore mentiti boni, quod nos in illud traxit ; ab uno præcipitamur in aliud. Notabis ad finem, non eſſe contra Salomonem, quòd plures videmus mediante ſcelere non temporaliter ſupplantatos, imo potiùs miramur ſublatos in altum. Sed magis luctu, quàm admiratione digni ſunt iſti, quamvis in vita mortali nihil ſuſtineant adverſi : reſervantur enim futuro majori ſupplicio. Redeat Chryſoſtomus. *Etenim*, ait, *multos videmus, & quidem ſceleſtiſſimos, bonâ corporis valetudine, & proſperâ fortuna laſcivientes ; nolimus propterea eos admirari, ſed deplorare potiùs : quod enim in hac vita nihil adverſi patiuntur, majoris in futura ſupplicii eſt argumentum.*

Idem ib.

DELIBATIO I.

Protectio, quam juſto præbet virtus in ſpiritualibus.

12. *Dilectior & amatior plus metuit amittere gratiam dilecti.*

NEmo judicet, ideo cuſtodiri juſtum, quia debilis eſt, ut pugnet adverſus crimina. Carnis infirmitatem non diffiteor ; ſed ſpiritu pollet ipſe prævalido. Obtulit ſe David, ut pugnaret cum gigante. Quò ſuaderet Saüli, ſe poſſe cum adeò forti bellatore ſubire duellum, dixit : *Leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus : erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis.* Quantò fortior juſtus dicendus eſt : qui non unam vel alteram feram necat ; ſed tot interficit, quot ſunt cupiditates. Fruere Lactantio Firmiano. *Non enim*, ait, *fortior judicandus eſt qui leonem, quàm qui violentam in ſeipſo inclufam feram ſuperat iracundiam : aut qui rapaciſſimas volucres dejicit ; quàm qui cupiditates aviditſſimas coercet:* &c. Cum hac tamen virili fortitudine juſti compatitur prudens tremor de peccato : proinde ſpeciali eget cuſtodiæ protectione. Sed quare tantopere pavet ? Amantium eſt pertimeſcere, ne gratiam eorum, quos diligunt, amittant. Et quamvis rectorum amor erga Deum ſit altioris ordinis, non hunc timorem foras mittit, quo formidatur offenſa dilecti. Dorotheus : *Ipſa charitas, inquit, eum in perfectum timorem adducit. Timet enim hic divinam voluntatem & obſervat, non metu plagarum, non verberum, ſed deguſtans jam quàm dulce ſit cum Deo eſſe, timetque ne eâ privetur dulcedine, ne ve excidat.* Hæc de amore juſti circa Deum. Ab illo tamen conſcendamus ad amorem ſumptum genericè : nam quòd ſolliciti ſit res plena timoris amor, proprietas invenitur eſſe enerica, dilectioni conveniens perfect æin communi ſumptæ ; licet in ſpecie ſuâ, ſcil. amore Dei perficiatur : ſicut eſſe progreſſivum eſt proprietas animalis communiter ſumpti, quæ perfectionem accipit in ſpecie humanâ. Dicam igitur generatim loquens. Is qui plus diligit, atque diligitur plus metu concutitur de periculo perdendi gratiam dilecti, Si minùs diligatur atque diligat parùm, vel forte nihil circa hoc ipſum trepidabit ; dilectior autem & amantior ampliùs id reformidat.

1. Reg. 17. 36.

Lact. Firm. l. 1. divin. inſt. c. 9.

Doroth. poſt 4. in princ.

Barbarus & ambitione cæcus Aman, cito venturæ ſibi ruinæ haud præſagus, ita ſuperbiebat, ut propter negatam à Mardochæo genuflexionem, in odium nationis judaicæ totus exarſerit. Obtinuit ab Aſſuero cædem Hebræorum. Tanti monita diſcriminis Eſther acceſſit ad regem : ſed textus ait : *Cumque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.* Blanditus ei rex injecit animos : tacebat illa ; ſed urgente ſponſo locuta fuit : *cumque loqueretur, rurſus corruit, & pene exanimata eſt.* Ex ipſa hiſtoriæ narratione videtur colligi tanti cauſa timoris., quem viſo concepit Aſſuero : ſcilicet, quia furorem peccatoris indicavit ardentibus oculis ipſe. Sed quæro. Nonne cernebant regis miniſtri, qui aderant, ejus torvam faciem, & exardentia lumina ? Non equidem legimus, ullum ex eis tunc metuiſſe regem ; imo ſic animo ibidem ipſi fuere tanquillo, quòd examinatæ reginæ conſolationem præbebant. *Omnes miniſtri ejus conſolabantur eam.* An non & ipſis pavorem injicere potuit furor pectoris reſidens in homine tam efferato, quod ſub pœna capitali nemo non vocatus poterat illum adire ? quare non metuunt illi gratiam regis (quæ tam ſolet in principibus inſtabilis eſſe) depердere ? regina verò trepidat mutato colore, quia vidit ejus flammantia lumina ? Vide, quæſo. Eſther Aſſuerum diligebat plurimùm amore conjugali : necnon ab illo diligebatur valde : pertimuit amittere gratiam ipſius, eoquòd non vocata veniſſet ad eum. Miniſtri nec adeo diligebantur à rege ; nec tanta dilectione proſequebantur eumdem ; & fortè nullâ, ſicut mos eſt ut plurimùm in aulis principum. Magis dilectus & amplius diligens, plùs reformidat jacturam gratiæ, quâ potitur apud amatum. Quò magis ardet, plùs tremit flamma dilectionis. Hinc ad amorem Dei, quò juſti pectus igneſcit, deſcende ; ſeu potiùs aſcendendum eſt. Non inquiras rurſus cauſam, quare bonus ita paveat : nec ego tibi moleſtus, quamvis rogatus, iterum eamdem inculcabo.

Eſth. 15. 10.

Ib. n. 18.

Ib. n. 19.

13.

14. *Cordis juſti proprium eſt metuere.*

Rationem tamen addam hujus formidinis de amiſſione gratiæ Dei ; quâ rectus vir eo magis quatitur, quò plus acquiſierat de illa. Virtutis amator, qui progreſſus eſt jam in via ſalutis multùm, ſtrictiùs Deum poſſidet per gratiam, quàm alter nunc primò de ſtatu culpæ ſuſcitatus : & qui ſtrictiori poſſeſſione fruitur, magis metuit amittere quod tenet. Confer depoſitarium cum domino rei depoſitæ, Quisnam ex illis majori tangitur metu, quòd res auferatur à latrone ? Certè dominus : nam hic perfectus poſſeſſor eſt bonorum, quæ fur auferet : depoſitarius verò poſſidet imperfectè valde. Et parva licet compo-

nere magnis. Latroni ſimilis dæmon eſt.

S.Greg.Nyſ. in opuſc.ſubtit.Quod futurum.&c ſi.

S. Gregorius Nyſſenus : *Fur eſt enim diabolus* &c. Gratiam deprædatur malignus protrahens ad culpam : imo Deum aufert à corde illius, qui declinat à ſemitâ rectâ. Quapropter, ſi tantum bonum perfectiùs tenes, meritò majori fortitudine vexaris de jacturâ. Non comparationem inſtituere volui peccatoris cum juſto ; quia malus pauperrimus eſt, & cantat vacuus coram latrone viator. S. Iſidorus Peluſiota :

S. Iſid. Peluſ. l.5.ep.144.

Theſaurum enim virtutum, ait, *poſſidentibus vigilandum magis eſt, quam nihil habentibus. Illi enim habent, hi non item, quod cuſtodiant:* &c. Hanc vigiliam timor comitatur, ita quod ſufficiens ratio metuendi ſit, ex eo timere ne perdas, quia conſecutus es. Favere videtur Bernardus, qui ait :

S.Bern ſer.1. Domin. poſt Oct.Epihan. fin.

Dominus vitam æternam in fine reddet : & interim centuplum repromittit & exhibet. Quid ergo mirum ſi timet ne perdat hanc gratiam qui jam conſecutus eſt eam ? Igitur quantò fortiùs ardet cor dilectione divinâ, tantò deſiderat ardentiùs timorem ſuum augere : ſicut avidiùs cupit aquam ille, qui majus patitur incendium. Aqua ſanè timor eſt Domini.

Idem ib.

Iterum lege Mellifluum Doctorem. *Timor Domini fons vitæ : aqua, inquam, timor Domini eſt*, &c. Non timida virtus eſt ; ſed timorata. Illis quibus inviſceratur generat utique timorem. Tremiſcere proprium eſt cordis enixè Deum diligentis.

15. Sponſa Canticorum pectore vigilans, oculos tradiderat ſomno, cum Dilecti vox inſonuit rogantis ut aperiret, amatoriisque verbis, ejus benevolentiam ſollicitans, ad reſerandas fores loquebatur, de noctis inclementiâ queſtus. Depoſuit illa, ſe tunicâ jam expoliatam, pedibusque lotis ad quietem ſe contuliſſe. Quid tunc Sponſus ? Intromiſit manum, &

Cant.5.4. ſponſa tremefacta fuit. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.* Experientia docet, quòd, cum ſubito pavore quatimur, faciliùs manus tremunt ; quàm venter. Quare non Sponſæ manus præ formidine contremiſcunt ; venter autem intremuit ? Attende quid manus, quid venter hoc loco deſignent. Ex commentatore Sanctio colligitur, ventrem ibi ſignificare cor

Sanct. in co. ib. & viſcera. *Venter autem*, ait, *in Scriptura non tantùm ſignificat uterum, ſed cor & viſcera. Et Symmachus*, viſcera *vertit* : &c. Manus autem ſponſæ ſignant ibidem opera bona viſibilia. Interpres idem ad illud :

Eod.c.n.5. *Manus meæ ſtillaverunt myrram, & digiti mei*

Sanct. ib. *pleni myrra probatiſſima*, ſic habet, *Porro ſtillare dicuntur manus, & digiti probatiſſima myrra, quia opera hujuſmodi ſunt, ut videantur ab ingenti peccatorum dolore profecta* : &c. Me jam nihil movet, ſponſæ manus haud præ metu contremiſcere : quia virtus exterior, quantumlibet vera, non eſt adeo ſublimis, ut illa, quæ præcordiis imbibitur. In corde propterea viſceribusque tremorem germinat, ubi hæret altiùs. Tremefieri docet ſanctitas cor probum, ne diſpliceat Altiſſimo : ſummè perhorreſcit culpam, ut fortiùs cuſtodiat gratiam.

16. Suppoſito prædicto metu delicti, quò juſti prudenter afficiuntur ; pervium eſt meditari cuſtodiam, quam virtus exhibet pertimeſcenti. *Juſtitia cuſtodit innocentis viam*, &c. Fortiter probitas inſontem protegit. Fruere tunc Remigio Epiſcopo. *Juſtitia*, inquit, *etenim bene loricæ poteſt comparari, quia ſicut lorica pectus munit, ventrem ſtringit, femora protegit ; ita juſtitia ſuperfluas cogitationes, quæ in pectore verſare ſolent repellit, ingluviem ventris reſtringit, luxuriam quoque comprimit*, &c. Hinc pateſcit quàm fortia ſint virtutum arma. Longe minus eſt quod à temporalibus inimicis tueantur juſtum : multò majus extat quòd illum contutentur à delictis. Victoria quippe grandis eſt evadere crimen. Nequaquam res tantæ molis invenitur fragili brachio viriliter hoſtem interficere temporaneum, quàm à peccato ſervare ſemetipſum. Quidquid valeat peragere potens adverſarius, momenti nullius eſt æquiparatum damno, quod infert quiſque ſibi dum peccat graviter. Vilo quidem vitium vocatur verè ; ſed non idcirco non inclytus eſt nimis triumphus, cùm evaditur à ſcelere : hoc enim tyrannicè regnat in ſæculo : nec poterit non eſſe clariſſimum trophæum, quod à rege, quamvis tyranno reportatur. Palma victrix minus eſt illuſtris, ſi temporalis debellatur hoſtis. Culpam evadens, fortius militiæ ſuæ facinus perficit.

Evadere culpam major eſt victoria, quàm potentem occidere hoſtem. Remig. Epiſ. in c. 6. ad Epheſi.

17. In Bethuliæ ſubſidium armavit Providentia pectus inerme : & ut ſecuriùs fragilis fœmina ſtraret Holofernem, adauxit illius pulchritudinem, quâ nullo diſpendio cepit adverſarium populi ſui. Obſervavit occaſionem congruam Judith, & ſuperbum caput abſtulit ferro. Muliebris manus adeo non erat proportionata de ſe bellatori trucidando, quòd valde notatu dignum rear, miſſum non fuiſſe Angelum, qui teneret fortiter brachium Judithæ ; cùm percuteret cervicem Ducis ebrietate ſopiti : præſertim, cum illa petierit à Domino confirmari jamjam percuſſura. *Pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. Cumque evaginaſſet illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait : Confirma me Domine Deus in hac hora.* Incedamus ultra. Poſt egregium factum reverſa Judith, conteſtata, ſe Dei beneficio ſine pollutione peccati regreſſam, ſimul aſſeruit, ſe ab Angelo cuſtoditam fuiſſe, ne peccaret. *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me dominus anxillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis*, &c. Ad hunc locum eruditiſſimus Antiſtes Hiſpanus ait in litterali commentario : *Quippe procaci milite, flammisque laſciviæ ſemita ſcatebat : & ſupra miraculum videbatur, per tot incendia calcantem non uſtulaviſſe veſtigium.* Imo addit *Non abnuerem Archangelum Michaëlem in cuſtodienda Juditha obiiſſe functionem, qui qua vindex erat Judææ gentis, vindicem fœminam ab omni detrimento illibatam aſſeruit.* Tantopere Michaël Archangelus de Judith ſollicitus curat, ne delinquat ; & ejus debile brachium non ſuſtentat dum

17.

Iudith.13.8 9.

Ib.n.20.

Lazar. ib.in co.lit.n.83.

percutit,

percutit, ne langueſcat? Minus erat facinus potentem enecare pugnatorem validum: non opus erat Angelico miniſterio mulieris manum roborari. Longiſſimè difficilior erat victoria de peccato, quam retulit exors à labe. Congruebat, ut ei præberet adjutorium Princeps Michaël, ne corrueret in ſpirituali certamine. Multî ponderis eſt, animam à coinquinatione liberam conſervari. Tutamen hoc præſtatur ab ipſa virtute ſua juſto: præconio multo digna quidem eſt protectio, qua *juſtitia cuſtodit innocentis viam.*

18. *Reincidentia peccatoris facit, ut ejus à peccato reſurrectio ſit quaſi nõ fuerit.*

Inquires, quonam pacto virtus inculpato viro cuſtodiam fortis exhibeat, ne ruat in crimina? Duplicem commõſtrabo viam, cæteris dimiſſis. Imprimis opera bona repetita ſæpiùs fortem generant habitum, quô valde juvatur, & validè, bonus, ut non reincedat in culpam, quam olim commiſit. In evitanda recidentia cuſtodit ſpeciali ſollicitudine virtus hominem: nam deterior eſt multò caſus in eamdem iniquitatem, quâ ſe maculaverat anima priùs, quàm in aliam, cujus antea nunquam rea fuit. Quicumque relapſuum fœditatem utiliter meditari voluerit, lucem poſtulet à S. Doctore Luſitano, cujus doctrinam ſic lego: *Recidivans ſeptem tranſgreſſiones committit: videlicet ingratitudinem veniæ ſibi factæ, fracturam fœderis, quo Deo promiſerat non peccare mortaliter, ſubſannationem miſericordiæ, cui illuſit, contumeliam ſacramenti confeſſionis, & matrimonii per eam contracti inter Deum & inter ſe, & tradidit ſe in manus inimici: iniquitatem retributionis ejiciendo Dominum, perditionem Dei caſtri, quod peccando tradidit in manus inimici, & iniquitatem tranſgreſſionis* &c. Prudentiſſimè cuſtos illa domûs Dei, ſcili cet virtus invigilat, ut animam jam factam Deo charam defendat à recidivo peccato. Nam qui poſtquam ſurrexit à tumulo criminis, iterum recidit, videtûr non reſurrexiſſe. Magnum divina potentia fuit opus hæc ſuſcitatio: ſed iſta ſic infamatur per novum lapſum, quòd iſto poſito, ſurrectio ſit quaſi non fuerit.

S. Ant. Ulyſſ. ſerm. fer. 4. hebd. 1 Quadrage. ſi.

19. Infirmatus Lazarus pro Dei gloria, mortem ſubiit non diuturnam. Quatriduanus è monumento revocatur potenter à Domino. Vulgatur prodigium, ſuſcitator clareſcit, fremit iuvidia. Quid tunc Judæi? *Cogitaverunt autem principes ſacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum.* Quid, quæſo, remedii ſibi parabat livor interfectione Lazari ſuſcitati, moliebantur illius nece tegere mirabile factum. Doctor Angelicus: *Adverſus Lazarum faciunt conatum, tamquam hoc eſſet potiſſima via ad miraculum occultandum.* An miraculoſum illud opus Chriſti Domini jam non erat vulgò diffamatum? quid ergo proficeret ad occultationem ejus miraculi nex Lazari? Non parum: nam vita miraculoſa, ſi brevî finiretur, foret ac ſi non fuiſſet. Cupiebant, ut à multis exiſtimaretur hæc reſuſcitatio falſa. Lazaro mortem inferre cogitarunt, ut ejus divulgata reſurrectio putaretur eſſe fictitia. Litteram aperi, ſpiritum ejus guſta. Lazarus reſurgens deſignat peccatorem; qui malæ conſuetudinis mole preſſus, per gratiam reviviſcit. Beda: *Voce*, inquit, *magna clamavit, quia difficilè ſurgit quem moles malæ conſuetudinis premit: ſed tamen ſurgit, cum occultâ gratiâ intus vivificatur* &c. Itaque peccator poſt conſuetudinem peccandi reductus ad vitâ, ſi denuo moriatur citò, pene videtur non ſurrexiſſe: vita ſpiritualis reſtituta cœlitus, adeo brevî durans, quaſi non reſtaurata videbitur multis. Tantum eſt homini malum recidivatio delicti. Propterea virtus excubat in cuſtodiam juſti pœnitentis, exercens frequenter bonos actus profectos à dolore criminum, generantes fortiſſimos habitus; quibus ut armis adamantinis veſtitum cor juſti reſiſtat in prælio, ne percutiatur ab iiſdem hoſtibus, à quibus antea miſerabiliter cæſus fuerat. Sic *juſtitia cuſtodit innocentis viam.*

Bed. com. in Ioann. c. 11.

Aliâ viâ defendit etiam virtus vigilantiſſimè juſtum. Nonnulla ſunt in ſpirituali negotio, quæ parvî facimus, & non modicè noxia ſunt. Aſſueſcens juſtus bono, diligit indies magis ac magis quod rectum eſt: indeque fit, ut ſollicitudine multâ vitet quæ non fugiunt alii, quaſi modica. Damnoſa plurimùm eſt levis æſtimatio; quâ deſpicimus tamquam ferè nihili ducenda plurima, de quibus ad majora venitur. Auſcultа Magni Gregorij doctrinam. *Dum per quædam*, ait, *tranſitoria ducimur, in quibus noxiè ligamur: cumque mens incommutabilitatis ſtatum non tenet, à ſemetipſa deſluens, ad vitia prorumpit. Vanitas* (forte legendum: *A vanitate*) *ergo ad iniquitatem labitur, quæ aſſueta rebus mutabilibus, dum ex aliis ad alia ſemper impellitur, ſuborientibus culpis inquinatur.* Rarò fit incendium admota per inimicum domui maxima flamma: frequenter ſpreta ſcintillula domos redegit in favillas. O quam ſæpe ſic evenit in rebus ad animæ regimen ſpectantibus. Leviſſimus pulchritudinis viſus ingentem excitavit multoties rogum: delicata corporis ornamenta deſpoliaverunt animam veſte gratiæ: leves fictiones gignuere perjuria. Minimum non eſt quod occaſio fieri poterit maximi detrimenti. ſollicitè valde curandum eſt ab illis cavere, quæ cum parva ſint, nocumentum valent afferre multum. Aliquando ſunt impenſiori curâ vitanda quæ minima dicimus; quàm longe majora quædam, à quibus prorſus abhorremus.

20. *Aliquando minima ſollicitiùs vitanda ſunt, quàm magna quædam.*

S. Greg. M. to. 1. l. 10. mor. c. 9.

Evangelii prænuntiator Iſaias Eccleſiam ad coſolationem excitans ob redemptionem futuram aiebat: *Excutere de pulvere, conſurge; ſede Jeruſalem: ſolve vincula colli tui captiva filia Sion.* Gloſſa Ord. ibi: *Anima polluta ſordibus candorem priſtinum amittit, ſed excutit pulverem cum Apoſtolis*, &c. & Carthuſianus ad poſtrema verba citata: Filia Sion, *id eſt, populus fidelis.* En habes cui loquatur Propheta. Si quæras autem, quid pulvere deſignetur, reſpondebit Carthuſianus idem: Excutere de pulvere, *id eſt, de ſtatu abjectionis tuæ, de venialibus minimisque peccatis, de terrena ac vili converſatione*, &c. His interpretationibus præmiſſis

21. Iſai. 52. 2.

Gloſſa Ord. ib.

Dion. carth. ibid.

Idem ib.

D. Thom. in com. ib. lect. 2. ſi.

Ioann. 12. 10. 11.

miſſis, duo ſunt in Prophetæ verbis examinando. Primum : cur priori loco agitur de pulvere, quàm de vinculis? ſecundum: quare non dicitur ut extergat ab oculis pulverem ? Ad primum. Pulvis ibi ſignificat peccata levia : per vincula deſignari puto crimina gravia : quia levis noxa non ligat hominem ; neque reddit eum captivum. Aliquoties contingit, ut ille, qui certa delicta lethalia cautiſſimè fugit, non curet in aliis materiis minima vitare ſolerter, & ſic paulatim decidat in magna. Prudenter inſinuatur priùs excuſſio pulveris, id eſt ablatio venialium, ad hoc ut agnoſcas, non eſſe parvipendendum à levibus abſtinere lapſibus ; cum de pulvere ſermo priùs fiat à Vate. Captivus propria ſolvere vincula nequaquàm deſidioſus prætermittit, ſi poteſt : non erat cur id primo loco moneretur. Sic aliqui ſatis de vitandis magnis cauti ſunt ; eapropter minus eſt neceſſarium quòd admoneantur de iſtis. Veniamus ad ſecundum quæſitum. Non ait Iſaias, quod excutiatur à luminibus pulvis : nam in eis vel minima feſtuca multùm angit, propterea ſollicitudine plurimâ tolli curatur ; cum in aliis corporis partibus de pulvere tergendo non tanta cura ſit. Ut ergo detur intelligi diligentiſſimè ſatagendam expulſionem peccatorum, quæ flocci pilique ducimus eoquòd leviſſima ſint ; non loquitur Propheta de pulvere, quô torquetur oculus. Sed ſpiritus voluit ſanctus nobis anſam dari meditandi, pulverem, hoc eſt tranſgreſſiones leves, quas non dolemus, imo tamquam pulverem abſque numero multiplicamus, curæ nobis eſſe debere maximæ. Ab iſtis virtus cuſtodit innocentem, ne per ea ſenſim ruat in majora. Lux viatorem non ſolum docet à fovea declinare, ſed etiam ab arena : quippe licet minuta ſit, aliquantùm impedit greſſus ejus. Sic animæ ſplendor *juſtitia cuſtodit innocentis viam.*

DELIBATIO II.

Quædam peccati damna.

22. *Non te perterreat potiſſimùm punitio, ſed culpa.*

IMpietas autem peccatorem ſupplantat. Recole commentarium Cornelii Alapide ſupra n. 1. *Impius eam ſequens ex una labitur in aliam & aliam* &c. Neſcio mehercle rationem aſſignare, cur inter primum & ſecundum actum virtutis in eâdem ſpecie non tanta ſimpathia ſit, ut unus advocet alterum & econtrariò lapſus prior adducat ſequentem : niſi dicamus, per virtutes aſcendi ſurſum ; per crimina deorſum nos tendere, facilemque deſcenſum incipiendo fieri ; conſcenſum non ita. Vel dic rudiori contentus exemplo, ſemel veſte maculatâ, non cavere quemquam eâ veſtitum, ne denuo luto fœdetur. *Anima enim*, ait Præſes Valentinus, *peccato ſordida non veretur amplius ſordidari*, &c. Accedit permiſſio Dei punientis hominem ſic ut ejus ſequens lapſus pœna ſit præteritæ culpæ : quod non ſemel evenire minime dubites. Grave ſupplicium eſt hoc ; præſertim ſi perpendatur. Do tibi Auguſtinum. *Utique*, ait, *iſta obſcuratio vindicta & pœna jam fuit : & tamen per hanc pœnam, id eſt, per cordis cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura & gravia peccata collapſi ſunt.* Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. *Gravis hæc pœna eſt, ſi quis intelligat*, & Apprehende S. Doctoris ultima verba : *Si quis intelligat.* Utinam ſaperent omnes & intelligerent, cùm novi peccati permiſſione flagellantur. Sed vix ullus eſt, qui ſentiat ejus verberis ictum. Non propterea leviter pœnas dant ij, quos Dei juſtitia vindex, propter anteactam culpam dimittit in aliam proruere, quantumlibet ſe puniri non cernant. Auguſtinum rurſus legito. *Geſtas in ſinu prunas, perforatur tunica : geſtas in corde adulterium, & integra eſt anima? Sed iſtas pœnas pauci vident, propterea iſtas maximè commendat ſpiritus Dei. Audi Apoſtolum dicentem*, tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis illorum. Cupisne gravitatem ultionis divinæ, quæ fit permiſſione ſceleris æquâ lance librare ? confer malum pœnæ, quod aliàs pateris, cum peccati malo : ſi fidelis eſt trutina, reperies hoc illô gravius extare ; quin &, hujus comparatione minimè dicendum fore malum illud primum, quod ægrè ſuſtines. Theodorus Abbas : *Nihil*, ait, *malum eſſe dicendum eſt, niſi peccatum ſolum*, &c. Malum pœnæ te non facit eſſe malum ; aliter ſe habet malum culpæ : quæ malitiam ſuam ſic in te retorquet, ut per eam verè malus appelleris, & ſis. Conſtet igitur, offenſionem Dei majus eſſe peccanti damnum, quàm ſit ejuſdem pœna. Non te perterreat potiſſimùm punitio, ſed culpa.

S. Aug. to. 7 l. de natu. & grat. contra Pelag. c. 22. ad illud, *Obſcuratum* &c. ad Rom. 1. 21.

Abb. Theod. apud Caſſia. collat. 6. c. 3.

Revertamur ad hiſtoriam fortis Heroïnæ Judith. Accepta nimis in oculis Holofernis, tamquam pretioſa gemma, quam putabat veluti ſuam, juſſa fuit introire ubi repoſiti erant ejus theſauri, & ibi manere. Conſtituit Gubernator exercitûs quid illi daretur de convivio ſuo. Sed ipſa dixit : *Nunc non potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio* : &c. Ut hæc verba capias memento lectionem Vatabli : *Ne qua contrahatur offenſio.* Junge commentarium Lirani: *Erant enim ibi aliqua cibaria lege prohibita.* Ecce Juditha dixit, ſe manducare non poſſe de conſtitutis ab Holoferne, ne peccaret. Sed, cum peccatum, rigoroſè loquendo, non veniat ſuper nos, & potiùs efficiatur à nobis ; mirum eſt, non dixiſſe bellatricem fœminam : Ne veniat ſuper me plaga, vel ira, furorque Domini. Alio modo locuta fuit ad præsbiteros, damnans quòd Ozias conſenſerit in tradendo Bethuliam Aſſiriis, dato, quòd intra quinque dies non veniret obſeſſis adjutorium. *Non eſt*, ait, *iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Quare non apud Holofernem pronuntiat, ſe metuere, ne deſcenderet ſuper eam ira, furorque Domini ? ſed ait: *Ne veniat ſuper me offenſio ?* Quia nunc agebat illa de peccato proprio ; alibi verò de alieno.

23.

Iudith. 12. 2.

Vers. vatab. Lir. ib.

Iudith. 8. 12.

S. Thom. a. Villan. ſer. Dom. 4. quadrag.

alieno. Erat ſanè mulier ſancta, prout Ozias & preſbiteri dixere : *Nunc ergo ora*
Ib. n. 29. *pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum.* Propterea peccatum admittere magis horrebat, quàm pœnam ferre. Cumque citiùs ad linguam aſcendat quod potiorem locum in pectore vendicat, proferens quod plus contremiſcebat, non ſignificavit ſe vereri ſupplicium, iram, furoremque Domini, ſed peccatum. *Ne veniat ſuper me offenſio.* Lento cogitatu peccator æſtimet quantî ſit ponderis malum delicti ; quod in prioris peccati pœnam adducit impietas antea commiſſa : videatque, ſe per illam ſupplantari, cùm per unam venit in alteram.

24. *Aliqui neſciunt ubi corruant : nõ tamem fatebuntur, ſe perdidiſſe viam.*

Damnum proximè dictum ſpirituale, veniens à peccato, cum dolo peccatoribus accidit : & idcirco multâ cum proprietate dici poteſt etiam in hoc ſenſu, quòd impietas peccatorem ſupplantat. Apud Calepini dictionarium, verbo, *ſupplanto*, ſic habetur : *Pede ſuppoſito in terram dejicio.... Et quoniam qui in lucta hac ratione ſuperiores evadunt, fraude magis, quàm viribus videntur viciſſe : factum eſt, ut ſupplantare accipiatur pro Decipere.* Occultam cùm dæmone luctam dicimur habere nos haud alia ratione quidem, niſi quod nos tentat, ut labamur. Cumque crimen unum ſit nobis quaſi tentatio pro ſecunda ruina, luctamur etiam cum peccato. Luctator iſte, quia merum nihil eſt, viribus caret : eapropter utitur arte, qua nos deceptos miſerabiliter ſternat. Hæc deceptio taliter aliquos excœcat, ut cadentes neſciant libenter ubi decidant. Utinam ſaltem agnoſcerent ſe perdidiſſe viam, & ignorare quò tendant. Plures ita cœci reperiuntur ignorantiâ ſpontaneâ, ut culpabiliter exiſtiment, ſe veram tenere ſemitam : licet adeo cœcutiant, ut & graviùs peccent, quàm ſibi perſuadent ; & majora mala maneant eos futura, quàm prævideant ipſi. Aliqui dantur ita ſtupidè præſumptuoſi, cùm delinquunt graviſſimè, ut ſpontè neſciant in quo ruant ; non tamen fateantur ignorare ſe quò vadant. Viam ſcire credunt, etiamſi lateat illos quàm graviter prolabantur.

25. Salomon contrapoſitione factâ docet quàm ſit diverſus bonorum callis, ab eo quò malus incedit. Poſtquam juſtorum ſemitam dixit quaſi lucem ſplendentem
Prov. 4. 19. addit : *Via impiorum tenebroſa : neſciunt ubi corruant.* Horum intelligentiam accipe de
Epiſc. Gandaren. in cõ. Proverb. ib. commentario Janſenii : *Sæpius enim & graviùs peccant & impingunt, quàm putant, & graviora eos mala, tum hîc, tum poſtea manant, quam prævident. Neſciunt ergo & ubi & quò corruant, hoc eſt, in quo & in quid.* Ecce duplicem ignorantiam involvit verbum illud, *Neſciunt* : primam in quo ruant : ſecundam in quid venturi ſint. Ex iſtis priorem neſcientiam lego ſatis expreſſam per adverbium, *Ubi* ; latet autem poſterior aliquantùm. Lubenter ab Eccleſiaſte ſciſcitarer, cur non apertiùs notavit, hos ignorare quò tendant, ſicut manifeſtiſſimè propoſuit, ipſos nequaquam ſcire in quo labantur ? Conjector, ſapientem ita locutum fuiſſe, ne mali putarent, ibi de ipſis non agi : ne, inquam, dicerent : Mecum res non eſt, cum agnoſcam viam quâ tendo : quia peccatores rarò confitebuntur neſcire quòd tramitem perdiderint. Rem explico ſimilitudine materialis viæ. Cum viator noctu labitur in ſtrata ſalebroſa, per quam declinavit à regiâ, non ait, à viâ rectâ ſe deflexiſſe ; potiùs inquit ; Via quidem hæc eſt, ſed mala. Iniqui, de quibus agit Salomon præcitatis verbis, gerunt ſe quaſi viatores contendentes non perdidiſſe callem ſcireque patenter ad quem terminum pergant. Ideo non dixit expreſſiùs : Neſciunt quò vadant : quia non ſolent agnoſcere tales errorem itineris : contentioſe judicant, ſe veram ſectari viam. O lacrymabilem cœcitatem ! Sed nullum vidi cœcum plorantem.

26. *In aliquibus materiis verum eſt : Veritatem incor mitte ; videbis illã.*

Cœcutientem eum dixi, qui delinquit ex ignorantiâ voluntariâ. Non eſt animus excuſare caſus ejuſmodi. Cæcus intellectus à culpâ non vacat eoquòd ſe tradiderit voluntatis ductui non videntis. Malum quoddam culpabile non honeſtatur per aliud, quod adjungit ſibi. Non igitur cohoneſtat malus delictum ex eo quòd ultronea ignoratio duxerit illum ad ruinam ; cum ipſamet ignorantia nequam ſit ; & adeo ſpiritui nociva, ſicut intellexit Princeps Apoſtolorum, quem dixiſſe refert S. Clemens Romanus : *Ipſa per ſemetipſam ignorantia validiſſimum venenum eſt, quod ſufficiat animam, nullâ extrinſecùs quæſitâ adjectione, perimere. Et ideo nemo eſt qui ignorans, per hoc, quod ignorat, evadat : ſed certum eſt quod intereat. Naturaliter enim peccatorum vis interimit peccatorem.* Ecce jam inſurgunt adverſùs dicta noſtra peritiſſimi turpium errorum, quos admittunt excuſatores nimii. Vix tota vita ſatis erit, ut quidquid ſciendum reſtat cognoſcamus. Ex his plurima ſunt difficilia : quomodo cuncta penetrabimus ? Præſertim, cum temporis magnam portionem occupent inevitabilia negotia temporalis vitæ. Nũc omitto quòd temporalia præferunt iſti commodo ſpiritûs proprii. Linquo necnon reprehendete figmentum, quô tegunt appetitum pallio neceſſitatis de quo jam alibi dictum eſt. Hoc tantùm perſuadere vellem ? ſcilicet plures dari materias, in quibus verum eſt dicere : Velis & ſcies. An multa non ſunt inter damnabilia quæ requirunt ingenii vim felicem ? Aptius dicerem infortunatam. Intellectusne mortalibus acutior ad artefacta malitiæ ? Non inficior, quoſdam eſſe, de quibus credi valet, ad malum lynceo pollere viſu ; cùm ſint ad bona talpæ. Sed non in omnibus hoc verum habet. In aliquibus lippitudo naſcitur exinde, quòd potentia cognoſcitiva per voluntatem fortiter applicatur ad opus iniquum ; ſegniter autem convertitur ad res commendabiles. Iſtos hortari perſæpe quibimus, dicentes : Velis, & ſcies : cuſtodi veritatem in corde : ſic illa tuos non effugiet oculos.

S. Clem. Rõ. l. 5. recognitio. loge poſt princ.

Cupio verba tractare Salomonis quæ ſequuntur poſt ea quæ verſavi proximè

Proverb. 4. 20. 21. n. 25. Procedit Sapiens : *Fili mi, auſcultа ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui :* &c. Mentem pungunt amplius illa poſtrema : *Ne recedant* &c. Pro quorum genuino ſenſu notandum primò cum Alapide, corporis & mentis oculos ibi comprehendi. *Oculos tum corporis accipe.... tum mentis*, ait, Cornelius. Notandum ſecundo, illud : *Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui* : non eſſe dividendum, quaſi contineat ſententiam duplicem ; ſed conjungendum q. d. Ad hoc ut non recedant mei ſermones & eloquia de oculis tuis, ea ſervato in cordis medio. Nitor lectione Septuaginta interpretum, ex quò ſic habet Salazar : *Ut non derelinquant, vel deſerant te fontes tui, id eſt, ut hæc prima documenta mea, ex quà reliqua fluunt, tamquam fontes quidam à te longius non abeant : Cuſtodi eos in medio cordis tui, uti omnes animi, atque corporis facultates eos fontes in promptu habeant*, &c. His antejactis fundamentis exquiro. Quî fieri poteſt ut cuſtodire doctrinam intra cor ſit medium ad hoc, ut iidem ſermones coram oculis habeantur ? Certe non valemus corporeis luminibus videre quod intra pectus noſtrum latet : illudque : *Ne recedant ab oculis tuis*, ſicut antea dixi, verificatur etiam de viſu materiali. Quomodo, quæſo, Salomon inſtruit alumnum ſuum, quaſi cuſtodire medio cordis eloquia ſit remedium, ne recedant ab oculis ? Quia multa ſunt, quæ non ignorabit qui fuerit amplexus ea præcordiis. Dilige corde veritates illas, & nec à mentis acie, nec à palpebris corporalibus effugient. O quoties verum neſcimus, quia non amamus ! Et ut omne præcludatur effugium, ſubjiciam reſponſum ad ea quæ ſolet humilitas ficta reponere, cùm doctrinam proponimus iſtam.

Corn. Alap. in com. ib.

Lect Sept. ib. Salaz. in co. ibid.

28. *Ut vitemus peccata, congruum eſt, intellectum à Deo nobis donari.*

Conſuetum eſt apud eos, qui nec omnino perditè, nec etiam verè Chriſtianè vitam agunt, cùm ſpirituales magiſtri ſalutaria monita præbent eiſdem, reſpondere, junctis, & elatis nonnihil humeris (quaſi pondus reprehenſionis ferre non valeant) : Veritatem optimè novi ; ſed miſer peccator ſum. Redarguere poſſumus iſtos, conſulentes, ut meditentur verba S. Bernardi, qui ait : *Rationis ſum compos, veritatis ſum capax, ſed utinam non forem, ſi amor veri defuerit. Horum quippe ramorum is fructus eſt & ego radix. Non ſum ſecurus à ſecuri, ſi abſque eo inveniar.* Per maturam expenſionem verborum eximiè ſancti, forſan in aliquibus humilitas ficta vertetur in veram. Sed quia non facilè curationem recipit ſuperbia, quâ multi cognoſcere ſe putant Chriſtianæ diſciplinæ regulas cunctas excellenter, aliud medicamentum ſuperaddam. Quantumvis in rebus ad animam pertinentibus putemus intellectu vigere nos abundè, non credamus hoc ita ſuperbè, quòd non poſtulemus à Domino, mentem noſtram ut illuminet. Ad illud Pſalmi : *Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua*, S. Ambroſius ait : *Servus Domini non poteſt idem eſſe ſervus peccati ; & ideo intellectum ſibi dari poſcit, ut poſſit cohibere peccatum. Habebat quidem intellectum, ſed ut redundare ſibi crederet, uberiorem inquirit.* Qui deſiderat arboris fructum legere manu, poſitum in ramo prælto : proprium corpus impellit ſurſum plus quàm ſit opus ; ne, ſi minus aſſurgat, non pertingat quò deſiderat, gravante corporeo pondere. Deorſum gravitans deprimit animam noſtram hæc lutea moles : ac idcirco multoties oportet fortius conari, dum elevamur ad cœleſtia, collecturi bonarum operationum poma, nitentes in altum plùs quàm neceſſe videatur. Ita congruum eſt in rebus præmultis attinentibus ad ſpiritum. Hoc pacto conſulendum iis, quibus natura donavit acutam valde mentis aciem, adhuc efflagitare ſibi dari cælitus intellectum, ad hoc ut peccata vitent. Tam gravis momenti res hæc extat, ut opportunum ſit, intellectum nobis à Deo donari, per quem à delictis eruamur.

S. Bern. ſer. 77. in cant.

Ad Pſal. 118. 73. S. Amb.

Eccleſiæ vox invenitur anticipatè prolata per os Davidis ad Chriſtum Dominum : *Erue me à circumdantibus me.* Quæris qui ſint iſti circumdantes ? Dici poteſt eſſe peccata. S. Hieronymus ad hunc locum : Tu mihi es refugium à tribulatione quæ circumdedit me. *Vox Eccleſiæ ad Chriſtum....* Erue me à circumdantibus. *Vel ab inimicis publicis, vel à peccatis.* Audiſti ſupplicationem Eccleſiæ. Perpende nunc qualiter ei Salvator annuat apud eumdem Prophetâ. *Intellectum tibi dabo*, &c. Commentatur S. Hieronymus : *Qualem intellectum dat Deus Eccleſiæ ſuæ* &c. Qua ratione cohæret Salvatoris reſponſum cum Eccleſiæ petitione ? Ipſa rogat à peccatis erui ; Dominus ait, intellectum ſe donaturum ei. Eripere à delictis, atque tribuere intellectum, idêne ſunt ? Vocari queunt ferè ſynonyma. Tam verum eſt, ad ereptionem à criminibus congruere, nobis præſtari mentem ab Altiſſimo. Mundus, in quo peregrinamur palpabiles tenebras patitur. Natura nobis providit mentales oculos, quibus verum diſcernimus à falſo ; ſed, cum neque peracutus oculus in caligine videat, requiritur, ut viſus iſte deſuper augeatur, quò non obſtantibus umbris veritatem cernat. Accedit, mentis aciem ægritudine laborare non modicâ, de fumo vitiorum contractâ. Infirmitas hæc, ne ſpiritualibus officiat : eget collyrio gratiæ, quô viſus internus clareſcat. Ergo non ſuperbiat, ingenioſus, dicens : Sat mihi judicii, quò declinem à malo. Per dolum capit hominem ſcelus : ut illi te non credas, ne tibi credideris ipſi : nam homo ſuî malus doctor eſt : *impietas autem peccatorem ſupplantat.*

to. 2. octo. 16.

29. Pſal. 31. 7.

S. Hieron. com. in Pſal. ib.

Eod. Pſ. n. 8.

S. Hieron. ib.

Ad coronidem notandum eſt, non omnes a crimine ſupplantatos eodem cadere modô. Quidam procumbunt in faciem, & ſunt ii, qui neſciunt ubi corruant, de quibus paulo priùs locuti ſumus. Nonnulli decidunt retrorſum. Sic mihi videor cernere labi quos audio gementes de peccatorum ſarcinâ, cupientes (ut aiunt) meliorem inſtituere vitam : quod eſt velut oculos in cœlo figere jacentes

30. *Dei magnum opus eſt educere hominem morosè peccantem à delicto.*

centes reſupinè, quia non curant de pœnitentiâ. Sunt alii, qui peccato maculantur ita, quod in actuali crimine perdurent. Iſti cadunt ſic, ut maneant ſedentes. Horum, quos ultimo loco numeravi, nunc deploranda nobis eſt miſeria. Sumamus initium ab eruditione Chryſoſtomi. *Quid enim*, ait, *in peccato magis impium eſt? In peccato ſcilicet ſtare. Et quid pejus in caſu eſt? Jacere in eo: hoc & Paulus deflet & ingemiſcit, hoc fletu dignum eſſe dicit.* Minus malus eſt qui peccat in tranſitu; longè deterior is qui delinquendo moratur. Incedit homo per ſordidam viam: ſolos commaculat pedes, & ad ſummum veſtimentorum fimbrias. At ſi more porci ſedeat in cœno, quantò magis turpiter ſordidabitur? Haud aliter qui ſceleris ſordes eligit quaſi ſedem fœdiùs inquinatur. Huic difficilius eſt linquere delictum. Diaria febris levi medicina compeſcitur: continua verò periculum indicat mortis. Pedem unicum in via tartari poſuiſti; ſed retracto ſtatim greſſu non es immoratus in malo: ephemera fuit. Si autem diu te peccatum detinet veluti ſedentem, indiges graviori curatione Medici plusquam cœleſtis, ut exurgas. Domini poteſtas peculiariter viſitur in educendis peccatoribus à ſedibus iniquitatis, in quibus moroſi perſiſtunt: Dei magnum hoc opus eſt.

Chryſoſt. to. 5. hom. 1. de pœnit.

31. Jubetur Ezechiël denuntiare. Judæis futuram proſperitatem: aſſumendos nempe de medio nationum: & congregandos ad humum ſuam. Sed quia temporalis felicitas regni, ſine religionis obſervantia non reddit populum verè felicem, additur à Domino: *Neque polluentur ultra in idolis ſuis, & cunctis iniquitatibus ſuis: & ſalvos eos faciam de univerſis ſedibus, in quibus peccaverunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.* Exponit Sanctius ibi: *Sumitur autem hic per metonymiam locus, pro his, quæ in loco ſunt, luci videlicet & montes, ſeu etiam impia ſacraria, ubi dæmoni excitatæ ſunt aræ, & nefaria inſtituta ſacrificia.* Cum in ſcriptura ſoleat iniquitas appellari nomine viæ, prætereundum nequaquam eſt, hoc loco non dixiſſe Dominum, ſalvaturum fore populum ſuum de via mala, quam tenuerant; ſed ſalvos facturum eos de ſedibus, in quibus peccaverunt. Cur ita loquitur? Quia volebat in hac re notam facere potentiam ſuam, quam erat magnificaturus in ſpirituale bonum Hebræi populi. Minus eſt illum peccatorem ſuſcitare, qui deliquit ad modum carpentis viam: non per iſtius meliorationem valde perſonat poteſtas gratiæ divinæ. Multò majus quid eſt, ut is potenti manu levetur, qui moram trahens operatur malum, tamquam ſedens in peccato. Per-excellenter magnificatur hâc ſuſcitatione mirabili virtus Dei cuncta præpotentis. Idcirco non dixit: Eruam cor de viis malis, in quibus deliquere; ſed potius: *De univerſis ſedibus, in quibus peccaverunt* &c. Terribiliſſimum igitur eſt, cùm *impietas* ſedem præparat ſimul & ruinam, dum *peccatorem ſupplantat.*

Ezech. 37. 23.

Sanct. ib. n. 42.

DELIBATIO III.

Deceptiones aliquot peccati contra peccatorem.

32. SUpra notavi, conſuetudine factum eſſe, ut verbum *Supplanto* ſumatur aliquando pro *Decipio*. Cumque Sapiens dixerit: *Impietas autem peccatorem ſupplantat*, occaſio datur numerandi fallacias quaſdam ex multis, quibus peccantem ſuamet circumvenit iniquitas. Prior ſit, quòd illi fiduciam ingerit præſumptuoſam & inertem; quatenus alligat ſibi hominem, & metum æternæ mortis imminuit, vel tollit; quo moveri poterat, ut ſcinderet nexus, quibus compeditur. Suadet peccatori, tempus ad ſuum beneplacitum reſtare prò conſequendâ veniâ: quæ tam parvô conſtat, ut ematur unico verbo *peccavi*. Confidentiam iſtam appellavit Patriarcha Venetiarum proprio nomine peſtem. *Nihil*, ait, *ſic reddit hominem tardum ad bene operandum, atque in ſceleribus perdurantem, quemadmodum ad beneplacitum conſequendæ veniæ ſubdola & vana fiducia. O quantos decepit hæc peſtis, quantoſque hujuſmodi inconſulta ſpes dejecit in tartarum.* Movetur hæc multorum præſumptio per imprudentem conſiderationem felicitatis eorum, qui poſt diuturnam perſiſtentiam in peccato, ſurrexerunt. En malus remedium vertit in venenum: hoc eſt, exempla quorumdam, quæ proponuntur à piis ad vitandum periculum deſperationis, mutat in fomentum deſidioſæ fiduciæ. Quam nocivum eſt homini, ſi nimiùm confidens in re ſalutis, dicat apud ſe: Cur mihi non eveniet feliciter idem, quod jam contigit alteri? quare non evadam, ſicut alius erupit? non ego ſpem concipiam fortunæ ſpiritualis (ut ita dicam) quâ potitus eſt alter?

Perdit hominem dicere Cur ego non evadam à pœnâ, cum evaſerit alter?

S. Laur. Juſt. de grad. perfec. c. 2. poſt med.

33. Hominem plaſmavit Omnipotens, & non ſolùm neceſſariis fecit abundare; ſed voluptuoſis innocenter. In dominii ſui recognitionem prohibuit eſum de fructibus unici ligni. Cacodæmon, qui livore proſequebatur hominem prius quàm eſſet, non tardavit inſidias ei moliri, quibus delinqueret ac fieret miſer tranſgrediendo præceptum Dei. Sed qua via tetendit illas adverſarius, ut concupitam obtineret hominis ruinam? Per mulierem: huic ſuaſit comeſtionem: ipſa dedit viro ſuo. Dubitabam, cur diabolus non acceſſerit ad Protoplaſtum, ſed tentaverit Hevam? Nunc iſta ſeſe nobis offert ratio, quæ movit fortaſſis Tentatorem. Sciebat, Adamum valde munitum eſſe ſtatûs innocentiæ privilegiis: unde veritus eſt, ut rem difficilem, eum proſternere, niſi præiret Hevæ peccatum; quô præmiſſô, cogitare poſſet primus Parens intra ſe, dicens: Ecce comedit Heva jam ex arbore vetitâ: nihilominus vivit. Ego ſi comedero, cur moriar? quare mortem non evadam, ſicut illa? Diabolum non omnino fefellit ſua machinatio. Faveat Auguſtinus. *Adamum*, inquit,

S. Aug. to. 3.

3.11.de Gen. ad litt.c.ult. fin.

inquit, *ſollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret acceptâ illâ eſcâ non eſſe mortuam* &c. Non igitur omnino liberè ſuſpicabor fiduciam conceptam de alieno eventu non prudenter intellecto perdidiſſe genus humanum. Vidit Protoparens, Hevam non interiiſſe, quamvis præceptum Domini tranſgreſſam: confidit evaſurum necnon à morte ſe, licet mandatum frangeret. Hoc dæmon intendebat : ideo tentavit Hevam, ut prior illa delinqueret, ac ex bono ſucceſſu generaretur in marito confidentia vana. Timeo, ne ſcrupuloſus lector inſurgat, inquiens : Et cur non diabolus tentavit potiùs Adamum, & non Hevam ; ut mulier conciperet fiduciam illam proximè dictam de non moriendo propter fractionem legis, cum videret conjugem ſuum vivere poſtquam comediſſet ? Reſpondeo. Non erat artificio tantî ponderis opus ad peccatum Hevæ : non cenſuit hoſtis communis, talis eſſe momenti delictum fœminæ, ut adhibenda foret ei machina tam fortis ; qualem eſſe diximus prædictam confidentiam ad ruinam. Nitor in eo, quòd juxta S. Ambroſium graviùs peccavit Adam quam Heva. *Sanè, inquit, negare non poſſumus quod erraverit mulier. Quid miraris tamen, ſi infirmior lapſus eſt ſexus, cum ſit lapſus etiam fortior ? mulier excuſationem habet in peccato, vir non habet.* Faciunt pro majore gravitate criminis viri non contemnendæ rationes. Prima, quòd Adam erat ſapientior, quàm Heva : ſecunda, quoniam ratione ſexûs virilis debebat eſſe conſtantior : tertia, cum à Deo ſuſcepiſſet homo præceptum ; fœmina verò per virum : hic proinde magis debebat omnem dubitationem execrari : quarta, nam peccatum Adæ toti nocuit humano generi : cujus ille caput erat, non Heva. Sedavi, prout potui, ſcrupulum tuum, lector : ad ſequentia libero pede feſtinus ibo.

S.Ambr.to.4. l.de inſt.virg. c.4.in princ.

34 *Peccatum initio minus grave videtur ; poſt flagellum gravitas ejus agnoſcitur aliquando.*

Secundo loco deceptionem alteram vitandam hortabor ; qua ſupplantatrix iniquitas imponit nobis miſeris : nempe contemptus gravis delicti. Multoties ait peccator : Hæc tranſgreſſio legis haud magnum quid eſt. Accidit hoc frequentiùs in peccatis ex conſuetudine : cum enim ſit iſta velut altera natura, ſic mutat hominis mentem, ut etiam aliter intelligat quàm priùs. Dum non erat aſſuetus illius generis malo, credebat id ſcelus horribile ; poſt aſſuetudinem commutavit ſententiam ; & putat, non extare quid magnum iſtiuſmodi piaculum. S. Auguſtinus : *Peccata quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva aut nulla eſſe creduntur* : &c. Non parum etiam conducit ad hanc hallucinationem fervor affectûs, quô vetitum complectimur actualiter. Oculi mentis multùm differunt à luminibus corporeis. Inter alia diſſident in eo, quòd objecta nonnulla percipiuntur exactiùs, cùm longe poſita ſunt, acie mentali, quàm æſtimabantur, dum aderant prope. Sic evenit ſæpe circa gravitatem peccati. Dum actu labimur, exiſtimamus, id non eſſe momenti maximi rem : nam, quiſquis ille ſit ex hoſtibus animæ, qui tunc proritat hominem ad peccandum, habet ſe per modum emptoris comparantis culpam ejus pretio boni jucundi, vel delectabilis ; in quod tendit voluntas delinquens. Solitum eſt emptoribus, cum actù venditio fit, atque de pretio certant cum venditore, contentioſè rem, quam emunt, extenuare ; quaſi non ſit æſtimationi tantæ par. Reſiſtit venditor ; homo verò non ſic in materia ſubjecta. Nullus invenietur vendens rem ſuam, qui conſentiat emptori dicenti, non eſſe tantî faciendum id circa quod fit contractus. At verò nos, plusquàm ſtulti noſtrarum actionum venditores, cum tentatio perurget, atque delictum emere ſollicitat, illud attenuans, aſſentimur, dicentes : Verum eſt hoc : non tantum extat hoc ſcelus, quod vendo, quàm putaveram priùs. Attamen, cùm poſtea reſcindere cupimus pactum emptionis, quod inivimus peccantes ; cumque dimittendum eſt pretium (hoc eſt relinquendum bonum futile, quod nos incitavit ad peccatum) dolemus fuiſſe læſos ampliùs quàm dimidio ; noſcentes, crimen eſſe quid multò majus, quàm reputabatur à nobis antea. Peccator aliquando cùm delinquit, judicat ferè nihil eſſe quod illuſus committit ; ſed poſthac dignoſcit fuiſſe valde grave, cùm eruditur flagello. Crimen in ipſo limine ſe tegit ſic, ut appareat minus ; poſt ſupplicium attenditur magis delicti magnitudo.

35 Mala multa, nec levia, propter culpam David perpeſſus eſt : filius natus ex adulterino concubitu mortuus fuit infans : filia Thamar à fratre per inceſtum polluta : libidinoſus Amnon occiſus : Abſalom, contra parentem pugnans ; lacrymabiliter cæſus. Hæc omnia ſummos attulerunt patri cruciatus. De prædictis Dei flagellis ipſè Deum alloquebatur ſic : *Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua : converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Per ſpinam intelligo peccatum : ſic ſtatim docebit Cardinalis Hugo. Jam dubitas qua veritate ſpinæ vocabulo ſignificetur delictum à Davide, qui tam graviter peccaverat. Accedit, apud Gentium Doctorem peccatum eſſe malum adeo grande nimis, ut appelletur ab eo ſtimulus mortis. *Stimulus autem mortis peccatum eſt* : &c. ubi S. Anſelmus : *Stimulus autem mortis dicitur quo mors facta eſt, non quem mors fecit. Peccato enim morimur ; non morte peccamus.* Ergo, ſi grave peccatum ictum lethalem infligit animæ, quonam pacto ſimilatur ſpinæ? Ponderanda ſunt verba Pſaltis: *Dum configitur ſpina*, Hugone ducente ſic : Dum configitur ſpina, *id eſt, dum adhuc novum eſſet peccatum, ſcilicet in plantatione : quòd notat cum dicit :* Dum configitur ſpina, *& non poſtquam confixa fuiſſet.* Nominavit Propheta peccatum ſecundum æſtimationem levem, quam fortaſſis habuerat in ejus mente quando lapſus eſt : nam tunc fortaſſe judicavit velut ſpinam qua feriebatur manus (vel ſimilem) quam extendit ad uxorem alienam, prout feritur ſæpe qui

Pſal. 31. 4.

1.ad Corinth. 15. 56.

S. Anſ. in eo. ib.

Hugo Card. com. in Pſal. ib.

qui furto colligit roſam. Nihilominus, cum tranſactum jam diu foret peccatum, & ipſe verberibus divinis animadverſus
Bellarm. ibid. foret, cernebat quam graviter deliquiſſet. Ad illud, *Converſus ſum*, ait ibidem Bellarminus: *Id eſt propter hujuſmodi flagella converſus ſum ad cognitionem gravitatis peccati mei* &c. Quotidiana ſunt iſta commenta, quibus ab iniquitate ſuâ ſupplantatur homo cenſens, non magnum eſſe quod peccat; poſtea verò perſpicit, ingens eſſe flagitium. Hallucinatur cùm damnabile factum proprium vendit emptori ſubdolo; palpebras aperit facto decurſu temporis; & ſe læſum agnoſcit ultra dimidium.

36. *Ne præſumat peccator ſemel quæſitus in ſomno, quod rurſus dormientem Deus iterum inquirat.*

Procedamus ad aliam fictionem, qua ſupplantatrix impietas fallit multos: quod fraudis genus quamvis pluribus in locis doctrinæ luce donaverim, nunquam ſatis inculcatum puto. Ligatus voluntariè dormit iniquus; & aliquando ſurgit à ſomno: ſed poſt rurſus tradidit ſe libito ſopori: cumque deliberet iterum ſurgere, dicit in animo ſuo: *Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam*, &c. Accidit in ſuæ negligentiæ pœnam haud ſemel, quòd tunc vincula non rumpat. Spondet ſibi reus torpens, reſtare tempus longiſſimum veniæ poſtulandæ. Contingit, ut ſpatia converſionis abſcindantur ſubitaneo caſu. S.
S. Fulg. l. de fid. ad Petr. c. 3. Fulgentius: *Tales enim* ait, *qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec converſionis tempus, nec beneficium remiſſionis inveniant.* Quod autem ejuſmodi moroſitas nocentiſſima proveniat à fraude, qua mentitur mortalibus peccatum ſuum, ex eo colligo, quod Fulgentius idem, poſtquam
Ad Hebræ. 3. 13. retulit verba D. Pauli: *Ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, immediatè ſubjungit: *Obduratus igitur vivit, ſive qui non convertitur, deſperans de indulgentia peccatorum ſuorum: ſive qui ſic miſericordiam Dei ſperat, ut uſque in finem vitæ præſentis in ſuorum criminum perverſitate permaneat.* Præſumptuoſus cogitat ſecum aliquis, inquiens: Jam lapſus fui ſimiliter antea: jacui negligenter in ſcelere: benigniſſimusque Dominus me clementer quæſivit ſomno traditum, & ſum expergefactus. Nunc ſimiliter jaceo: cur non expectabo; rurſus inquiſiturum eſſe me dormientem? Dabo ſpiritualia membra ſopori: nam idem Clemens adveniet iterum, & quando voluerit, excitabit. Parciùs iſta, cave. Somnolento favere Deus non dedignatus eſt ſemel vocatione ſuâ: forte non veniet vocaturus denuo, ſi de novo dormieris. Te primò ſuſcitavit ſoporatum; non præſumas rediturum ſecundò poſt, ut expergefaciat.

37. Inſtante jam paſſionis Dominicæ diro certamine, milites aliquos detulit ſecum Redemptor, ad orationem ſe conferens, ut ſic illos inſtrueret exemplo. Et poſtquam eos monuit ut vigilarent; ne vigilia quaſi coacta foret ex proxima præſen-
Matth. 26 40. tia Magiſtri, progreſſus eſt puſillum rogavit Patrem, *& venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?* Secundò proceſſit, & oravit: denuoque veniens, reperit ſomno traditos iterum. *Et venit iterum, & invenit eos dormientes:* &c. Miror equidem, non priorem ſomnum Petri, licet amaret impensè Præceptorem in mœrore valido conſtitutum, quod Apoſtolus noverat; ſed potiùs admiratione proſequar, auditâ reprehenſione Domini, monitoque ſuſcepto ut vigilarent & orarent, iterum obdormiſſe. De fragilitate Simonem primò dormientem excuſo facilè. Sed quam excuſationem ei quæremus pro dormitione ſecunda; Exiſtimo, non judicaſſe Petrum, Salvatorem adeo citò venturum fore ſecundò ad eum dormientem; licet antea venerit, cùm primò dormiebat. Accommoda, rogo, quæ dicta ſunt criminis torpori. Nec impropriè nunc hâc uti poteris accomodatione: quia S. Eucherius aliorſum dixit; *Dormire, peccatorum ſopore torpeſcere.* Et præſertim, cum
S. Eucher. Epiſcop. lib. form. ſpirit. c. 9. Beda l. 4. in Marc. c. 14. dicat Beda: *Langueſcebant autem & opprimebantur Apoſtolorum oculi negatione vicina.* Itaque memineris, ad te requieſcentem in delicto ſemel veniſſe Deum, & ſomnos abrupiſſe tuos: non præſumens tibi ſuadeas, regreſſurum pariter ad te, ſi rurſum ad mentis ſoporem lumina reſolvas. Iſta ſuaſio ſæpe falſa non ſoli diabolo tribuatur; ſed impietati, quæ *peccatorem ſupplantat.*

38. *Somnus peccatoris aliquando ſupplicium eſt, & non modicū.*

Iſta circumventio fallentis iniquitatis permiſſa credatur ſæpiùs in ſupplicium peccantis haud modicum. Duplex oblivio conſiderari poteſt erga peccatorem, qui negligit agere de ſalute, Prima, qua, loquendo moraliter, illemet, quamvis meminerit, habet ſe per modum obliti de proprio ſpirituali bono. Cur non puniri dicemus hominem per hanc oblivionem? an oblivio non morti ſimilis eſt, quæ pœnitentiam tollit? Ad illud, quod legimus
Iob. 3. 5. apud Jobum: *Obſcurent eum tenebræ, &* S. Odo Abb. Clun. l. 4. in Iob. circ. med. *umbra mortis*, &c. S. Odo Abbas: *Per umbram mortis oblivio debet intelligi, quia ſicut mors interimit vitam, ita oblivio extinguit memoriam. Quia ego apoſtata angelus æternæ oblivioni traditur, umbra mortis obſcuratur. Ac ſi dicat: Sic enim eum* (forte legendum: *Sic eum*) *obruat, ut nequaquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini reſpectus memoriam reſurgat.* Secunda conſideranda venit in hac re nobis oblivio figurata; quam noſtro loquendi more tribuimus Deo juſtiſſimè derelinquenti peccatorem, qui dereliquit
Idem. ib. l. 5. in princ. eumdem. Ad S. Odonem redi. *Quia eos*, inquit, *nos quorum recordamur, amplectimur; ab his autem quorum obliviſcimur, elongamur; humano uſu & recordari Deus dicitur, cùm dona tribuit, & obliviſci cùm in culpa derelinquit.* Vel unam, vel alteram, vel ambas ritè penſemus obliviones; non leviter afficitur pœnâ reus, cùm propter commiſſum permittitur ignavo ſe dedere ſomno. Torpor mentis illum bonis multis privat, proindeque verè ſupplicium eſt, pudendaque punitio. Non in ſuperficie res dijudicemus: illa, quæ cernitur quies, perſæpe verecunda verberatio eſt.

Liceat mihi vel noviter, vel ſaltem de

novo meditari ſomnum Apoſtolorum in horto Gethſemani. Non emittas manſuetudinem, quâ divinus Magiſter objurgavit Apoſtolos, cùm eis vigilantiam commendavit, & neglexerunt. Primo Dominus venit ad eos, & ait : *Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum ?* Regreſſus eſt ad illos tertio, dixitque : *Dormite jam & requieſcite* : quæ verba juxta D. Auguſtinum continent permiſſionem dormiendi. Sic inſinuat ille, dicens : *Utique intelligitur poſt illud quod eis dictum eſt* : Dormite jam & requieſcite, *ſiluiſſe Dominum aliquantulum, ut hoc fieret quod permiſerat : & tunc intuliſſe :* Ecce appropinquavit hora. Et ad ſummum, ſi velimus illas duas conciliare ſententias interpretum quæ circumferuntur circa verborum Domini ſenſum, quæ poſtremo loco retulimus, addi poteſt, in eis involvi quamdam ironiam ſomnum exprobrantis. Audis quàm blandus in occaſione, quà videbantur Apoſtoli reprehendendi ſeverè de neglectione vigiliæ, quam non ſemel commendaverat ? Recordare quàm locutus fuerit acriter Salvator amantiſſimus ad Petrum ſuæ paſſioni renuentem. *valde poſt me ſatana, ſcandalum es mihi : quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Scis, dictum Simonis ad Jeſum : *Abſit à te Domine : non erit tibi hoc*, ex amore Magiſtri profectum. Beda : *Sæpe diximus*, ait, *nimii ardoris atque amoris quam maximi fuiſſe Petrum in Dominum ſalvatorem.... Et cœpit increpare illum amantis affectu : & optantis dicere* : abſit à te Domine, &c. eructata de fervore dilectionis verba caſtigantur acerrimè ? in tempore verò ſollicitam requirente vigiliam, ſomnolentia corripitur blandè ? Crede, non parum ſupplicii continuiſſe jam dictam permiſſionem ſomni. Quin & pudebunda fuit hæc punitio : nam ſomnus ille verecundiâ dignus erat, & ironiâ modeſtâ Redemptoris. Theophylactus inquit : *Et quid dicit ? Dormite nunc & requieſcite. Per ironiam hæc illis loquitur.... Hoc autem dixit irridens eorum ſomnolentiam* &c. Monui jam, aptari poſſe Apoſtolorum ſomnum iſtum ſopori peccantium. Supplantat fallax iniquitas eos, tamquam bona ſit illi quies. Non tam lèvamen eſt hæc dormitio quàm Dei punientis vindicta, qui permittens illam, punit acerbè reum. Ipſe malus credit iniquitati ſuadenti nocivam requietionem, ut anxietatis levamentum ; *impietas autem peccatorem ſupplantat.*

Matth. 26. 40.

ib. n. 45.

S. Aug to. 4 l. 3. de conſen. Evang. c. 4. juxta med.

Matth. 16. 23.

ib. n. 22.

Beda l. 2. in Marc. ad c. 8. 32. c. 35. ante fin.

Theophyl. in Marc. ib.

40.

Soli juſto cõceditur verũ gaudium.

Demum aperienda nunc eſt alia fraudulentia, quâ plura ſcelera turpiter fallunt miſerum delinquentem. Repromittunt voluptatem, non tantùm ſenſuum (hoc enim foret impudentiſſimum : ſcilicet offerre ſervis, id eſt ſenſibus, gaudium, cum animæ fortè dolore, quæ prædominatur eis (ſed animi, quâ labores vitæ ſæcularis allevientur. Jucunditas, quam pollicetur crimen, ſic ſterilis eſt, & incerta nimis, ut vix nomine gaudii donanda ſit. Petrus Bleſenſis : *Taceo enim*, ait, *de voluptate hominum, quàm ſit ſterilis & incerta : quæ ſi plerumque placeat, pœnitudinem inducit : & ſi delectat ad modicum, productiore ſpatio diſplicebit.* Utinam tandem crederent mortales, veram delectationem ſolis concedi juſtis : ab eo nanque datur, qui falli, vel fallere nequit, & in cujus dextera delectationes uſque in finem. Etſi nulla voluptas alia reperiretur in pectore viri ſancti, quàm orta de ſpe felicitatis æternæ, ſufficiens eſſet, ut affirmaremus, eum potiri plenâ jucunditatis causâ ; nec ſimul cum tanto pariter oblectamento poſſe quicquam illi contingere mœſtum. Accommodè Valentinus Præſul : *An*, inquit, *non plena jucunditatis cauſa certam ſpem habere de gloria ? quis non lætetur in ſpe gloriæ filiorum Dei ? aut quod triſte poteſt accidere ei, qui poſt modicum ſperat cum Deo regnare, inter Angelos ſociari, felicitatis æternæ gaudia poſſidere ?* Fateor, etiam ſpem beatitudinis adipiſcendæ peccatoribus ineſſe ; non illa tamen ipſis gaudium iſtud parit : deſperationi quidem reſiſtit ; ſed haud jucundat animam in tenebris peccati poſitam. Prædictâ voluptate, multisque cæteris ineffabilibus fruitur juſtus, quibus deſtituitur malus. Unde credere poſſumus, verax gaudium ſolummodo rectis concedi. Si tantùm ambulant in luce : cumque ſoleat hæc exhilarare, verum gaudium juſti ſolius eſt.

S. Thom. à Villano. ſer. de 5. Ægid.

41.

Inter mundi creationis opera, quæ deſcribit Moyſes, hortum plantavit Omnipotens : in cujus picturâ potuit hiſtoriographus calamum detinere ; ſed parcè locutum lego. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis* &c. & infra : *De loco voluptatis* &c. Certè non pauca loqui poſſet Scriptor de horto deliciarum : *eſt enim*, ut ait S. Iſidorus Hiſpalenſis, *omni genere ligni & pomiferarum arborum conſitus, habens etiam lignum vitæ : non ibi frigus, non æſtas, ſed perpetua aeris temperies.* Cogitantem non modicè me commovit illa cognominatio *voluptatis* appoſita paradiſo, quaſi peculiaris ei. Sed quæram. Deerant initio mundi naſcentis amœna loca, quæ voluptatem videnti conciliare poſſent ; atque vocari ſingula, voluptatis locus ? Terra tunc primitivo fœcundabatur vigore : proindeque pulcherrimos partus generabat ultrò. Quid erat in paradiſo peculiare, cujus ratione diceretur, locus voluptatis ? Spiritum ſanctum authorem ſcripturarum providiſſe reor, ut paradiſus voluptatis locus nominaretur ; quia ſolummodò creatus eſt juſtis : cum Protoparentes noſtri ſemel atque peccatores facti ſunt, ab eo pulſi fuerint citra ſpem regreſſûs in illum : quò ſic daretur intelligi, manſionem, quæ tantùm amicis Dei parabatur, peculiariter voluptuoſam dici valere, propterea quòd ſolis eiſdem veraciter gaudere datum eſt. Cæteri, ſcilicet juſtitiâ carentes, verè ſunt extra locum voluptatis. Ecce jam cenſor inexorabilis arguit contra prædicta fortiter. Primò : juſtus erat Abel : nihilominus haud ingreſſus eſt paradiſum : ergo non juſtis omnibus hæc doctrina congruit. Secundò : malus exiſtit, imo poſſimus dæmon ; & S. Ambroſius docet, illum in paradiſo fuiſſe : ſcribit quippe : *Fuiſſe enim diabolum*

Geneſ. 2. 8. 10.

S. Iſid. Hiſp. l. 14. orig. c. 3. poſt princ.

Petr. Bleſ. ep. 35. ad ſi.

S. Ambr. to. lib. de parad

c. 2. *diabolum in paradiſo etiam Ezechiel propheta docet* &c. Igitur non omnibus malis prohibitus eſt voluptatis locus. Reſpondeo ad primum, innocentem (qualis erat Abel) ubicumque ſit, proprium in anima ſua paradiſum vendicare ſibi. Ambroſius idem: Idem ib. c. 1. fin. *Videtur*, inquit, *paradiſus anima eſſe, quæ multiplicat ſemen acceptum, in qua virtus unaquæque plantatur* &c. Deinde ad ſecundum. Quid refert ad rem noſtram, extitiſſe dæmonem in paradiſo, cum ipſe jam foret in ſtatu jucunditatis propriæ non capaci? Videri poteſt Molina in 1. p. q. 64. diſp. un. art. 3. §. Dicendum. ubi probat, nullum eſſe propriè gaudium aut lætitiâ in dæmonibus: & explicat D. Auguſtinum ac Thomam, qui citantur in contrarium, de lætitia impropriè ſumpta pro complacentiâ in eventu ſecundum vota, ſine ullo tamen gaudio, vel delectatione.

DELIBATIO IV.

De fruſtrato conatu impii: præſervatione peccati. diffidentia ſancta: deſpectione que virtutis propriæ. Deus multum offenditur, ſi contemnatur ut pater. Dæmonem quærimus. Cave te.

42. *Fruſtrari conatum impii adversùs alios, non leve ſupplicium eſt.*

IUſtitia. Protectionem ſuſcipit juſti virtus etiam circa temporalia. Cumque conſiſtat hæc tutela potiſſimùm in eo tuendo ab hominibus iniquis: Cumque iſtorum crudelitas adversùs inſontes vix coerceatur niſi flagello: curiosè dubitabis, quo modo malos inſurgentes adverſùs pium refrænat ſupplicio virtus ejus, quæ neſcit proprias injurias ulciſci? Dicam. Non lenis flagellatio credatur iniqui, fruſtrari virtutis interventu, machinas impii contra rectum virum fabricatas. Ideo forte dicebat Gregorius Magnus quæ jam ſubſcribo, quia, niſi fallor putavit, ſatis pati malum, cùm ejus conatus ad nocendum confringitur cælitus. Cogita num poſſimus ex verbis ejus venari, hanc illius fuiſſe mentem. S. Greg. M. to. 2. l 2. ep. indict. 10. c. 21. *Ad eum*, ait, *qui hominibus in hoc ſæculo, ne quantum appetunt nocere valeant, potenter obviat, totam ſpem mentis inflectite: quatenus pravas hominum voluntates brachii ſui oppoſitione reverberet. Conatuſque eorum, ut conſuevit miſericorditer ipſe confringat.* Tantus ardor eſt cordi malo nocendi proximis, ut fruſtratio conaminis hujus videatur eſſe major vindicta de illo ſumenda, quàm ſit ejuſdem potentiæ cædes, imo vel ipſa mors illius. Quidquid in ultionem ſui ſceleris homo nequam patiatur, videri poterit, non ei fore tam grave, ſicut irritos fieri niſus ipſius adverſùs illos, quos opprimere parabat.

43. Ezechia piiſſimo regnante, venerunt Aſſyrii cum valida manu contra Jeruſalem: & blaſphemus atque ſuperbus Rabſaces multa dixit, quibus ex præcepto regis Juda populus dignum præbuit reſponſum, ſilentium. Delata ſunt ejus verba pio monarchæ: ſciſſisque veſtibus opertus eſt ille ſacco: perrexit in domum Domini: per nuntios adiit vatem Iſaiam, qui conſolatoria verba remiſit, loquens in ſermone Domini. Reverſus eſt inde Rabſaces. Miſſæ fuerunt attamen poſt ad Ezechiam ſuperbiſſimæ litteræ: quas rex devotus expandit coram Domino; quaſi monens ut ipſe tueretur cauſam ſuam. Evangelicus Propheta miſit ad Ezechiam, dicens in perſona Dei plura. De quibus eligo tantùm illa: *Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio: per viam, qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.* An ſolum id operatus eſt Omnipotens, quod his verbis continetur, prout ſonant? Minime: nam cædes maxima per Angelum facta fuit in Aſſyriorum caſtris. *Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris. Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Imo textus refert, regem Aſſyriorum à propriis filiis percuſſum poſtea. Quære rem: Nonne mors iſta violenta ſupplicium extitit Sennacherib propter ſuperbiam, quâ voluit occupare Jeruſalem? Non dubito: quamvis enim Angelicum evaſerit gladium, peculiarius fuit parricidio necari; non autem communi clade perire. Gloſſa Ordinaria: *Quaſi victoriam de hoſtibus reportaret, contemptor veri Dei in phano falſi numinis trucidatur: nec Angelico perit gladio, quod erat commune, ſed parricidio filiorum.* Præterea milliarium percuſſio facta per militem cæleſtis exercitûs, an ad liberationem urbis à Domino dilectæ non pertinuit? Maximè. Lege Liranum. *Poſita*, inquit, *denuntiatione liberationis Ezechiæ, hîc conſequenter ponitur hujus liberationis executio in facto* &c. Qua de cauſa Deus per Vatem non promiſit expreſsè, multitudinem hoſtium occidendam, atque Sennacherib enecandum? Quoniam voluit potiùs exprimere quod fortè durius erat Aſſyriorum regi; ſcilicet non ingredi civitatem, ſed irrito facto conatu ſuo reverti per viam, qua venit. Demoliri volebat impius urbem: obſtitit Ezechiæ pietas in Deum. Quod autem is à virtute ſua fuerit cuſtoditus, & caſſata manſerit perſecutoris intentio, magnum ſupplicium erat iniqui. Non cædis exercitus, non Sennacherib occaſionis futuræ; ſed fruſtrationis conatus ejus mentionem egit per Iſaiam Dominus expreſſis verbis: nam apud injuſtè perſequentium pectora fortaſſe magis doloroſum eſt irrita fieri vota propria crudelia, quàm ſuorum cladem, & mortem propriam experiri. Non exiſtimes, probitatem innocentis, quæ cuſtodit eum, omittere vindictam inſultantium, cùm non perit malus inſecutor, ſed operam perdit: nam fortiter opprimitur is in hoc ipſo quòd irritatis machinis perſequentium protegat inſontem *juſtitia.*

4. Reg. 19. 32. 33.

Ib. n. 35.

Gloſſ. Ord. ib. ad n. 37.

Liran. ib. ad n. 35.

Cuſtodit. Nunc ad ſpiritualem protectionem aſcendamus. Præſertim à malo culpæ defendit juſtum virtus. O quàm inſignem Dei miſerationem viris bonis impetrat ſuamet rectitudo ratione cujus à crimine præſervantur. Applia juſto quæ Bernardus de ſeipſo ait, quaſi de multis peccatis

44. *Major Dei miſeratio eſt ab uno peccato præſervari, quàm aliud remitti.*

peccatis inquinato dum adhuc eſſet in ſæculo : nam cum pace bona S. Doctoris, non credam ipſum juſtum non fuiſſe priuſquam mundum relinqueret. *Et hæc*, ait, *quanta dignatio pietatis : quod ingratum & parvipendentem ſic gratia conſervabat, quod in multis contrarium & contemnentem nihilominus ab aliis benigniſſimè protegebat.* Multâ quidem benignitate Dominus utitur in præſtando criminibus indulgentiam ; ſed benigniùs agit cum eis, quos eripit ante lapſum. Quòd proſtratis in delicto manus porrigatur ut ſurgant, non liberat eos à dolore de commiſſo ; tenere autem hominem ut non peccet, immunem facit à dolendo poſtea de caſu. Plus miſerentis hoc eſt. Clementia veniam donantis emitur angore dolentis ; præſervantis benignitas, non ita. Major igitur miſeratio divina conceditur mortalibus in eo, quòd ab uno ſcelere contineantur anticipatâ providentiâ ; quàm in dimiſſione criminis alterius, quod jam commiſere.

S Bernar, ſer. de ſept. miſericor. poſt med.

45. Peregrinatus in Geraris Abraham, & veritus ne libido ſæva tolleret ejus vitam, ut ſecuriùs frueretur uxore Sara, tacuit eſſe conjugem ſuam ; dixitque ſororem. Rex Abimelech, exiſtimans non eſſe conjugatam, eam ad ſe fecit adduci. Apparuit illi per ſomnium Deus, & mortis decretum intimavit æquiſſimus. Excuſavit factum ſuum ipſe de neſcientia conjugii cum Abrahamo : *dixitque ad eum Deus : Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris : & ideo cuſtodivi te ne peccares in me, & non dimiſi ut tangeres eam.* Commentatur Cornelius Alapide : *Scio te innoxium ab adulterio, ſed non ab injuria : tuliſti enim invitam* &c. S. Joannes Chryſoſtomus expendens benignitatem, qua locutus eſt ad regem Dominus ; inquit : *Magna verbi eſt attemperatio, maxima Domini eſt miſericordia.* Duplicem hîc agnoſco miſericordiam factam cum Abimelech : prima quòd indulſit ei Dominus injuriam : quàm intulit Saræ, quia renuentem abſtulit eam : ſecunda quòd præſervavit eum, ne mulierem tangeret alienam inſcius quod eſſet matrimonio juncta. Non expreſſit vox divina miſerationem exhibitam regi per veniam injuriæ ? ſollicitè curat, ne committat materiale. ſolummodò peccatum adulterii ? Maximè : quia, licet ob nexus conjugalis ignorantiam, non extiterit Abimelech formaliter adulter ; injuria verò facta Saræ fuerit perfecta ; nihilominus divinæ miſericordiæ majus videtur opus, regem præmuniri, ne cederet aliqualiter in materialem culpam adulterii ; quàm relaxare ſupplicium, quod merebatur propter formalem injuriam. hujus condonatio nequaquam exprimitur in ſcriptura ; ſed alterius immunitas proviſa fuit à Domino ſtudioſè. Maxima Dei benignitas eſt erratum homini dimittere ; ſed videtur amplius eum cuſtodire, ne quovis modo labatur. Protectionem iſtam negotiatur juſto virtus coram domino : multum ei proficit inſonti, cum illum hac ratione *cuſtodit.*

Genes. 20. 6.

Alap. in com. ib.

Chryſoſt. to. 1. hom. 45. in Geneſ.

Innocentis. Cum ſermo ſit hoc loco, præter alia de cuſtodia, qua liberatur juſtus à malo delicti futuro ; juvat examinare, cur non dicatur potiùs ille cupiens innocentiam, quàm innocens : præſertim, cum rectus vir non ſoleat ſeipſum reputare innocentem ? Frequens eſt apud homines inculpabilis vitæ, ſemetipſos credere peſſimos. Eapropter Spiritus ſanctus eis occaſionem præbere voluit cujuſdam laudabilis diffidentiæ, ne facilè putarent, verba Salomonis eos comprehendere : nam de innocentibus agitur hîc ; & ipſi neutiquam ſe cogitant innocentes : unde longe ſunt à præſumptione, quòd à juſtitia ſua cuſtodiantur. Sicut euntes per viam perditionis quædam operantur, quæ ſpeciem boni præ ſe ferunt : ſic econtrariò dextrum callem tenentes efficiunt aliquando nonnulla ſatis egregia, ſub apparentiâ mali. Unum eſt ſanctè diffidere, non de liberalitate Dei ; ſed quòd tam peramanter ipſe protegat eos. Medium quærunt ſic inter extrema duo damnabilia, de quibus aliorſum ex Origene Zacharias Epiſcopus : *Sicut*, inquit, *multum confidere non debemus ; ne noſtram virtutem videamur profiteri : ſic multùm puſillanimiter agere & diffidere non debemus, ne Dei adjutoris noſtri impotentiam videamur pronuntiare.* Novit perfectus vir, à Deo ſe protegi : tamen dubitat an providentiâ minùs, fortè ſpeciali, quàm veraciter credere poſſet. Fundamento peroptimo non carens ut exiſtimet, particulariùs Deum ſibi providere, quàm putaverat ; dubitat an tantæ curæ Deo ſit ille. Confidentiam in Altiſſimo poſitam non amittit ; ſed iſtam commiſcet prudenti diffidentiæ. Deo placet quidem hæc mixtura ; ſcilicet ex fiduciâ, diffidentiâque temperamentum : cùm ſcilicet prudenter homo fidit ſimul, atque diffidit.

46. *Fiduciæ mixta diffidentiæ ſanctæ Deo placet.*

Ex Orig. Zach. cari Epiſc. 4. in un. ex 4. c. 160. longe ante fin.

47. Ad Abrahamum olim Dominus dixit : *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium* &c. Quid tunc Patriarcha ? *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo : Putasne centenario naſcetur filius ? & Sara nonagenaria pariet ?* Caietanus & Pererius docent, in iſto caſu dubitaſſe Abrahamum, an illa promiſſio de filio deberet intelligi litteraliter, an parabolicè, ſymbolicè, vel ænigmaticè. Do tibi verba Caïetani de Abraha dicentis : *Non eſt ſiquidem infirmatus in fide : ſed fuit ambiguus de ſenſu verborum divinorum, an ea ſecundùm litteram, an ſecundùm myſterium aliquod dicerentur.* Conſenſum tandem Purpurato præbuit Pererius, inquiens : *Non diſſimulabo tamen, ad Caïetani me opinionem vehementiùs propendere, pronioreque ad eam ferri aſſenſu.* Nihilominus non legitur, Abraham fuiſſe reprehenſum ob ejuſmodi riſum : iterata fuit ſponſio prolis ; non tamen caſtigata verbo Domini dubitatio. Progrediamur ad ſequens hiſtoriæ caput. Pollicitatio naſcituri filii renovata fuit à tribus illis Angelis, quos Abraham ſuſcepit hoſpitio. Provecta jam ætate Sara, cum audiſſet, paritutam ſe gnatum, *riſit occultè, dicens : Poſtquam conſenui, & dominus*

Genes. 17. 15. 16.

Ib. n. 17.

Cardinal. Caïet. in Geneſ. 17. & in c. 4. Ep. ad Rom.

Perer. ib. diſp. 7. n. 70. ante fin.

Ib. c. 18. 12.

meus

meus vetulus eſt, voluptati operam dabo ? Expende qualiter abominatione minimè levi judicatus fuerit iſte riſus dignus eſſe.

Ib. n. 13. & 14. *Dixit autem Dominus ad Abraham : Quare riſit Sara, dicens : Num verè paritura ſum anus ? numquid Deo quidquam eſt difficile ?* Riſit Abrahamus : riſit & Sara. Quare diſplicuiſſe deſignatur Saram ridentem ? non autem ita de Abrahamo ſignificatur ? Quoniam, cum non ad Saram, ſed ad Abrahamum dictum fuiſſet à Domino per viſionem :

Ib. c. 15. 1. *Ego protector tuus ſum*, illeque dubitaverit, an tam peculiari protectione Dei frueretur, ut in ſenectute geniturus foret Iſaacum ; permiſcuit fiduciam diffidentiæ. Placuit itaque Deo commixtio hæc, ut ab extremis vituperabilibus juſtus fugeret : à nimia ſcilicet confidentia, necnon & à puſillanimitate. Contemperetur in perfecto viro confidere pariter, atque diffidere, quin lædat providentiam, vel foveat præſumptionem : & rem exhibebit gratam Domino valde. Non ſignificavit Spiritus divinus per Salomonem in præſenti proverbio, ſe loqui de cupiente innocentiam ; ne juſtus, cum fateatur illam deſiderare, præſumeret velut ab omni periculo culpæ liber per cuſtodiam quam rectis præbet juſtitia. Potiùs, ad hoc, ut vir pius, qui non ſolitat innocentem exiſtimare ſe, de ſemetipſo laudabiliter diffideret advertens animæ diſcrimina, fuit uſus vocabulo *Innocentis*.

48. *Juſtus opera bona ſua terit pedibus, & mittit poſt dorſum.*

Viam. Significat vox iſta converſationem, ſeu rationem vivendi. Non feſtinanter dimittas hunc loquendi modum, quò latent opera bona ſub nomine viæ. Plures analogias reperire poſſemus, quare dici queant virtutes via. Prima, quia ſicut cunctis patet ſemita, ſic omnibus pervium eſt virtuoſa facta complecti. Non cum vulgò malorum dicas, audiens animæ cohortationes, iſta ſolis congruere ſanctis. Secunda, quia magis infeſtatur latronibus via, quàm periclitatur clauſa domus. Per virtutem gradiens, tamquam per ſtratam prædantibus obſeſſam, diſcrimen caveat. His, & aliis omiſſis, alteram propono ſimilitudinem. Per viam nullus ambulabit, niſi proculcet eam. Sic nemo virtutibus proficiet, niſi proprias humiliter calcaverit, ſubmiſſè judicans de ſuis commendabilibus geſtis. S.

S. Greg. [M. to. 2. hom. 7. in Evang. Gregorius Papa : *Sancti*, ait, *viri etiam cùm agunt fortia, ſemetipſis vilia ſentiunt* (fortè legendum : *de ſemetipſis*) & ſupra dixerat ibidem : *Magnus ergo unuſquiſque eſſe ſtudeat, ſed tamen aliquo modo eſſe ſe nèſciat, ne dum ſibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat.* Terribilis eſt hoſtilitas, qua ſibimet adverſatur in ſpiritualibus homo : nulla poterit ex aliis eam æquare perfectè. Bona tua cernet hoſtis : invidebit utique ; ſed quantumvis appelletur baſiliſcus, oculis non te ſuis faciet pauperem. Tu verò ſic inimicaris tibi, quod animæ tuæ divitias diripis videndo. Complectens veritatem iſtam vir ſanctus, non quidem operatur bene cæco modo ; ſed benefacta propria terit primò pedibus, poſtea mittit poſt dorſum : calcat humilitate ; à tergo relinquit oblivione.

Dolore plena verba Job in miſeriâ ſummâ poſitus ad eum faciebat, cujus nutu reguntur univerſa. Nunc ad examen illa ſolùm vocabo, quæ ſequuntur. 49.

Iob. 13. 27. *Veſtigia pedum meorum conſideraſti :* &c. Operæ pretium erit inveſtigare quid ibi per veſtigia ſignificetur. Memini primam expoſitionem haberi apud S. Odonem Abbatem, ſic : *Deus itaque omnes ſemitas obſervat, quia in ſingulis quibuſque noſtris, & cogitationes penſat, & veſtigia pedum conſiderat, quia intentiones noſtrorum operum quam rectè ponantur examinat, ne & hoc quod bonum agitur, non recto deſiderio agatur.*

S. Odo Abb. Clun. l. 11. mor. in Iob. ic.

Ex his colligitur, multos actus bonos comprehendi nomine, *Veſtigia*, verbis adductis proximè. Recordor verba Domini relata per Matthæum :

Matth. 18. 9. *Bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare*, &c. De quibus exiſtimari valet, ibi ſignificari cogitationes bonas oculi vocabulo. Favere videtur aliquantum S. Hieronymus alibi dicens : *Rectè nunc cogitationem & ſenſum in diverſa volitantem, oculum nuncupavit.*

S. Hieron. to. 9. l. 2. in Matth. c. 5. n. 29. Quo poſito, quiſpiam dicet : Juxta phraſim divini Magiſtri poſſumus bona geſta comparare cum oculo noſtro, per hoc intendentes aſſerere, ſic nos curare de virtutibus oportere, ſicut ſolliciti ſumus de luminibus corporeis, ut neque levis pulviſculus ea coinquinet. Quo pacto igitur Job ſuas bonas intentiones reputavit ut veſtigia pedum ? Multum diſtat inter habentem (de quo ſermo fit apud Matthæum à Domino) unum oculum malum, alterum bonum ; ex quibus eruendus eſt ille, cum bonoque intrabit ad vitam : multum, inquam, differt ita ſe gerens à ſancto Jobo : qui, cum eſſet vir laudatiſſimus, utroque lumine bono potiebatur. Qui ſic vivit, ut & bonum, & malum oculum habeat : hoc eſt, quædam operetur virtuosè ; pariter autem perpetret crimina, proprias virtutes magnî facit, ut quis oculum ſuum æſtimat plurimî. Non ita bonos habens oculos ambos, id eſt integrè juſtus, iſte ſua contemnit inclyta facta ; non pluris illa ducens, quàm veſtigia pedum. Ambulantes calcamus veſtigia noſtra : poſtmodùm relinquimus ea poſt tergum. Nequaquam diſſimiliter homo ſanctitatis aſſecla provectus, illuſtria virtutum geſta conculcat humilitatis pede ; poſtque dorſum projicit obliviſcens. Opera bona meritò nominantur, *via*, quia ſemitam calcat viator, & procedens à tergo relinquit.

50. *Quandoquè Deus oſtendit ſe plùs offenſum in eo, quòd eum contemnamus ut patrem.* S. Aug. to. 5. l. 10. de civit. Dei c. 1.

Impietas autem. Impium dicimus eum, qui ſupremum dominium Dei contemnit : necnon & illos, qui poſtpoſitâ reverentiâ debitâ parentibus, eos afficiunt injuriis. Utrumque pietas eſt, licet inæqualis : alia Deum colere : altera genitores revereri. S. Auguſtinus : *Pietas*, ait, *quoque propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci* θρησκείαν *vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur.* Quilibet peccator in quocumque gravi lapſu deſpicit equidem Altiſſimum, & ut patrem, & uti Dominum. Non erit inutile quærere, quonamex iſtis modis contemptûs Deus am-

pliùs offendatur? an quia deſpicitur ſuprema dominatio, vel quia reſpicitur paternus amor? Aliquis reſolvet pro dominio: nam hoc titulus eſt altior, noſtro loquendi more: quapropter videtur ſuperbire magis homo dominatum Dei parvipendens: proindeque dices, plùs Deum, qui complacens humilia reſpicit, abhorrere prædictam elationem. Nihilominus video, Dominum aliquoties graviùs offenſum oſtendere ſemetipſum ex deſpectu, quò proſequimur eum tamquam patrem. Ratio fortaſſis eſt, quia per hunc immediatè lædítur amor: cujus eſt peculiariter dolere propter ingratitudinem dilecti. Dominium Dei altum eſt adeo, quòd injuriæ creaturarum adverſùs illud in conſideratione divina ſint minùs, quam puerileſ contumeliæ diſcolorum infantium contra virum graviſſimum, qui ridet eas: licet ex hac ipſa minoritate mortalium, injuriæ Deo factæ ſint in ordine ad reatum valde graves. Atverò quòd ingratiſſimus homo, cum Deus erga illum ſe habeat ut pater, vili rebellione compenſet amorem, duriſſimum eſt hoc amantiſſimo Parenti. Quapropter aliquando ſe graviùs læſum ſignificat, quia temnitur ut genitor, quàm eo quòd nō metuatur tamquam Dominus.

51. Deut. 32. 18 19.

Celebre canticum eſt, quod locutus fuit Moyſes, audiente cuncto cœtu filiorum Iſraël, ubi poſt narrata beneficia, quæ ſuſceperunt ab Omnipotente, plebis ingratitudinem proponit, inquiens: *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia provocaverunt eum filii ſui & filiæ.* Duplex motivum iræ divinæ legimus præſtitiſſe populum: ſcilicet reliquiſſe Deum, qui genuit eumdem, & qui verè Dominus erat ipſorum. Sed cùm citatis verbis agitur de iracundia Dei, non affirmatur, provocaviſſe illum ſervos; ſed filios & filias: *Ad iracundiam concitatus eſt: quia provocaverunt eum filii ſui & filiæ.* Parumne fuerat, facturas divinæ manus rebellaſſe contra Creatorem? an leve quod auſi fuerint illi, qui jure creationis erant ſervi, contemnere Dominatorem nulli parem? Utique graviſſimum. Sed neſcio quid peculiarius involvit deſpectio Dei quatenus patris, ut quaſi graviùs offenſum per hoc exhibere ſe Deum, intelligamus. Non incedit longe S. Bruno Aſtenſis ad prædicta verba: *Provocaverunt*, &c. Ait enim: *Huic autem ſimile in Pſalmis dicitur*: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. *Quantò enim nobis aliquis familiarior eſt, tantò magis, ſi in aliquo offendat dolemus.* Valde familiariter nobiſcum agit Altiſſimus, nos fovens ut filios. Aliquando non ita videtur ipſe dolere, quia, licet potentiſſimus Dominator ſit, irritetur à ſervulis; quàm quòd ad iram provocetur à filiis.

S. Brunus Aſt com. in Deuter. ib.

52. *Quandoque nos ad diabolum vadimus.*

Peccatorem. Superius notaviſſe memini, grave nimis inter multa damnum à peccato venire delinquenti per id, quod unum ſcelus eccaſionem præbeat alteri. Confœderantur in miſero peccatore crimen, & negligentia: plurimasque ruinas adducunt animæ. Labefactantur per deſuetudinem rationis vires, atque timor oblivioni datur. Cumque metus ac ratio ſint ſpiritui noſtro murus & antemurale, malitia ruptis mœnibus invaſionem facit animæ, replens eam armato milite, hoc eſt, iniquitatibus quamplurimis. Appoſitè S. Thomas à Villa nova: *Unde*, inquit, *evenire ſolet, ut qui peccata commiſſa curare negligunt, quaſi rupto rationis & timoris muro, malitiâ & nequitiâ repleantur uſque ad ſummum.* Audio tamen, cum ſocordiam noſtram accuſare debuiſſemus, diabolum jugiter à nobis incuſari. Vide ſupra n. 10. Adde Chryſoſtomum: *Quod ſi penitus*, ait, *atque diligenter his, quæ fiunt, animum intendere velimus, inveniemus minime ad omnia nos diabolum impellere: ſed, cum plurimorum ille nobis lapſuum ſit author, plurima item noſmetipſi per noſtram ſolam ſocordiam, ac negligentiam patimur.* Non dubium eſt, adverſarium cōmunem frequenter homines impetere: cum hoc tamen ſtat, noſipſos ad hoſtem libenter ire. Nocentiſſimum eſt utrumque: primum, ſi voluerimus quod ſuggerit: ſecundum quia jam volumus quod malū eſt. O bellum immane! Si venerit inimicus, certamen experiemur aleâ plenum; ſi non acceſſerit, vadimus ad illum, & æquè periclitamur. Congruum nobis eſt, ſollicitudine divinâ protegente, non ſorum detineatur adverſarius ut non accedat; ſed inſuper acceſſus noſter ad eumdem præcludatur.

S. Thom. à Villano ſer. Dom. 4. Quadrag.

Chryſoſt. to. 5. l. 1. de provid. āte med.

53. Inter myſticas viſiones Apocalypſeos narrat Joannes, aſpexiſſe deſcendentem Angelum de cœlo, cui clavis erat abyſſi, magnamque deferebat manu catenam. Hugo Cardinalis per hunc Angelum accipit Redemptorem. Angelum *id eſt Chriſtum* &c. Salvator itaque ſuperatum hoſtem noſtrum in carcerem inferni miſit, Eruditus Viegas ait: *Suæ potentiæ & imperii catena devinctum in inferni carcerem detruſit.* Sic interpres ad illa verba Diſcipuli prædilecti: *Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum* &c. Videbatur ſupervacaneum ex iſtis duobus unum; vel claudere ſcilicet aut ligare. Quid intendit victor inclytus? an quod ille draco non eâdem libertate, qua priùs furiebat, nocumentum inferat mortalibus? Ita. Nonne ſatis ad hoc erat catenâ vinciri? Quo fine concluditur? Ne nobis acceſſus pateat præceps ad feram in catena poſitam: quæ fortè non tunc morderet, niſi tu conferres ad ipſam. Nexu fortiſſimo præpeditur diabolus, ut tam liberè nobis haud noceat; id autem non ſatis eſſet ut ab eo protegeremur: oportuit in carceris antro claudi, ne mortales vaderent ad eumdem. Sæpius non aggreditur malignus hominem; circùmvenit *impietas autem peccatorem.*

Hug. Card. in Ap. 20. 1.

Vig. in com. ib. ad n. 2.

Apoc. 20. 2.

54. *Vigilantiùs cavendum, ne fallamur in ſpiritualibus à nobis, quam ab aliis.* Iacob. Bill. in antol. ſac.

Supplantat. Varia permultaque diſcrimina ſunt; quibus obſidetur anima: circumdatur undique periculis homo:

Quoquò oculos vertam ipſe meos, diſcrimina mille;
Tenſa animæ cerno retia mille meæ.
Sive cibos capiam, ſeu dem mea membra ſopori,

Seu

Seu quid agam, laqueos ſubdolus hoſtis habet.

O Deus! o quiſquam fugiet tot retia?

Non unicus equidem ſupplantator molitur hæc deceptoria pericla miſeris, quibus flebiliter irretimur. S. Antonius Ulyſſip. *Omnia quæ ſunt*, inquit, *in mundo tibi fraudulenter prophetant: videlicet caro falſas delicias, mundus altas ſive denſas potentias, oculus vanas divitias.* Plurimâ ſollicitudine, fateor, opus eſt ad vitandas fraudes iſtorum pſeudo prophetarum, de quibus agit præcitatâ ſententiâ Doctor Luſitanus. Attamen indigemus cura vigilantiori, ne decipiamur à nobiſmetipſis, quàm ut ſæculum nobis non imponat. Haud pauca ſunt, in quibus à nobis fallimur. S. Edmundus: *Quam*, ait, *ſæpe fuiſti deceptus; modò per dolorem nimium, modò per amorem inordinatum, modò per vanam gloriam, modò per indiſcretionem & intemperantiam!* Plura necnon figmenta paſſim occurrunt externa, quibus illudimur ad peccandum: ſed collatione factâ prudenter inter fallacias extrinſecùs propoſitas, & mendacia, quæ nobis comminiſcimur ipſi? magis peculiarem vigilantiam oportet adhibere, ne decipiamur à nobis, quàm ab aliis. Cautelam apponis, ut non alius te fallat in re ſalutis: Sapienter agis. Cave tamen potiſſimùm, ne ſeducas temetipſum.

S.Ant.Ulyſſ. ſer. Dom.1. Quadrag.

S.Edmond.in ſpec.Eccle.3.

Paſcebat verbi ſalubris alimento Corinthios Magiſter gentium. Et quia tenera fides illorum valde metuere poterat everſores falſa dogmata propinantes, diſcipulos monuit ſic: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* S. Anſelmus ibi: *De fundamento*, inquit, *eligendo nulli datur poteſtas, quia non eſt niſi unum fundamentum, id eſt, una fides, quam nemo valet mutare, ſicut nituntur pſeudo apoſtoli*, &c. Contextus crederetur poſtulari, quòd proximè citatis verbis adderet ſtatim Paulus: Nemo ſeducat vos, ut aberretis à veritate catholica. Non ita lego; ſed poſt pauca ſcribit Apoſtolus: *Nemo ſe ſeducat*: quod idem Præſul ſic exponit poſt alia: *Vel* nemo ſe ſeducat, *id eſt*, *nemo ſeipſum ducat ſeorſum à veritate catholica in vanos errores, declinando poſt pſeudo apoſtolos, quaſi ſapientiam eorum diligens.* Duo fuerant in hac re Corinthiis vitanda: falſidici nempe magiſtri, necnon atque ductus propriæ voluntatis ad mendacia fidei contraria. Non dixit Paulus hîc: Nemo vos falſus apoſtolus fallat; ſed ait: *Nemo ſe ſeducat?* Prudentiſſimè tacitus inſinuavit, potiſſimam diſcriminis partem non in ſeductoribus externis poſitam eſſe; cautiùs invigilandum, ne quiſquam ſeduceretur à ſemetipſo: quaſi plus à quôque ſibi metuendum foret, quàm ab exteriùs venientibus commentis. Non in ſubjectâ materiâ tantùm verum eſt, hominem à ſe præcipue non tutum. Vix numerari poterunt ea quibus in delictum *peccatorem ſupplantat.*

1. ad Cor.3. 11.

S. Anſel. in cõm.16.

Eod.c. n.18. D.Anſ.prox. ſup. ad n.18.

FLOS VI.

Eſt quaſi dives, cum nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit.

APERITUR.

1. MULTIPLICITER exponitur verſiculus iſte. Primò q. d. Aliqui magnopere laborant ut repleantur gazis; & non perveniunt ad optatum finem: alii verò ſine prædicto ſtudio diteſcunt. Ita Janſenius & Rodolphus exponunt. Secundam afferunt iidem Authores interpretationem; ſcil. Quidam opulenti deveniunt ad paupertatem; quidam econtrariò de miſeria ſurgunt ad opulentiam. Tertiam expoſitionem legimus apud Hugonem Cardinalem & Bedam, ſic: Virtutibus abundans ac temporalibus indigens, eſt verè dives; econtra ſpiritualibus deſtitutus bonis, quamvis temporariis ditiſſimus, inops extat. Quartam explicationem offert idem Cardinalis, q. d. Hypocrita plenus apparet animæ facultatibus; cum inopiâ laboret earum: vice verſa humilis eſt opinione ſua pauper in ſpiritualibus; cum ſit opulentus. Acceptio quinta ſit: Divites, qui poſſeſſis nec utuntur, nec aviditati ſuæ ſatisfaciunt, ſunt egeni; qui verò paucis contenti degunt, locupletes. Ita Carthuſianus, & approbat Janſenius. Sextò ſumi valet ex Caïetano ſic: ſunt qui adhibitis diligentiis redduntur divites; & ſunt etiam, qui defectu earum premuntur egeſtate.

Janſ. & Rodolp com.in Prov 13.7.

Hug. Card. & Bed. ib.

Dion.Carth. & Janſen.ib. Card. Caïet. ibid.

2. His omiſſis (quorum nihil rejicio; nec examino dicanturne cuncta per ſuos Authores litteraliter) ſeptimam interpretationem ſubjicio, quam tenent Salazar & Cornelius Alapide: necnon etiam placuit Rodolpho & Janſenio. Illa docet, hîc ſermonem eſſe de his, qui, cum ſunt inopes, fingunt ſe divites; & contra de illis, qui, cum non indigeant, ſimulant ſe pauperes. Duplicem vendicare poteſt ſenſum hæc expoſitio: primum ita ut intelligatur de divite, qui ſe mentitur indigentem ductus avaritiâ, vel alio motivo culpabili; ſimiliterque de paupere ſimulante ſe ditem ex vanitate, vel ex alia damnabili cauſa. Secundus verò ſenſus eſt ſic, ut fiat antitheſis inter duos homines, alterum ſuperbum, qui ſe comminiſcitur locupletem cum non ſit; alterum verò humilem non utentem jactantiis ejuſmodi. Secundum ſenſum præferre videtur Salazar: & Alapide credit, hoc' maximè notari à Salomone præſenti paræmiâ. Hoc unum delibero: ſcilicet utrumlibet ſenſum ex iſtis aptari poſſe textui. Non eligo, ne videar divinare velle.

Salaz. Alap. Rodolph. & Janſ.ibid.

3. Pro hac interpretatione ſeptima Salazar affirmat, illam ab Auguſtino inſinuari. Sed verè S. Doctor, quamvis digitum

ex parte intendat in eam, tenet aliam. Loco relato per Salazar dixit Auguſtinus:

S.Aug.to.10. ſerm.212. de temp. *Divitias quippe illas intelligere debemus, quoniam aperuit Scriptura quid dixerit*, Redemptio animæ viri divitiæ ipſius. *Intellige*, *inquit* (Auguſtinus explicat Salomonem, loquens in ejus perſona) *quas tibi divitias commendem, quoniam dixi: ſunt qui ſe divites affectant nihil habentes: & ſunt qui ſe humiliant cum ſint divites, illas temporales & terrenas & viſibiles divitias cogitabas. Ego autem non ipſas dico, ſed quas dicam conſequenter admoneo.* Vides Auguſtinum de ſpiritualibus divitiis agere? Quomodo favet expoſitioni ſeptimæ, quæ de temporaneis procedit? Hoc dimiſſo revertar ad caducas opes fictas. Movet ſane pluſquam tædium pannis obſitus, & pane carens, quem paupertas non ſæva domat, ut collum demittat.

Idem ib. *Si enim*, (ait, Auguſtinus, cujus verbis utar jam) *vix toleratur dives ſuperbus, pauperem ſuperbum quis ferat? Meliores ſunt ergo illi, qui ſe humiliant, cum ſint divites.* At quoniam ridiculos inopia reddidit homines, quidnam ferè mendici, ne publicæ pateant ſubſannationi, jactant ſe prædivites, & Cræſos vacuo miſeri ſe ventre decantant. Hæc jactantia non ſemel nocet eiſdem. Contingit eis quod aliquando cervo: qui nimiùm exultans de rapto cibo, tam fortiter crocitat, ut audiens lupus occurrat, & illum deprædetur. Unde Poëta:

Tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & multò rixæ minus invidiæque.

4. Si quæramus ab iſtis quid capiant ex fictione ſua? Reſpondebunt excuſantes de veritate mendacium, apud homines haberi viles cunctos egentes:

Horat. *Et genus & virtus niſi cum re vilior alga eſt.*

Verum, inquam reſpondet ille mendax, & in hoc dignus fide, quia dictum ejus conteſtatur experientia. Lege S. Gregorium Nazianzenum:

S.Greg.Naz. ord.16. ante med. *Hi autem in ſole & pulvere ad hominum volutantur pedes, nonnumquam etiam frigore aſpero, & imbribus, necnon ventorum affliguntur turbinibus, tantò plus conculcati, quantò majori nobis ſunt abominationi.* Non excuſo pauperum fictionem quæſitam ut viles haberi fugiant: ſed miſereor homini dolenti quòd ei paupertas objiciatur in faciem. Solatium offero de theſauro Magni Baſilii.

S.Baſil.Mag. ho.9.interv. *Quòd*, inquit, *verò te pauperis appellatio perturbat? Memor ſis naturæ tuæ, quod nudus ad mundum veniſti, & nudus itidem diſcedes. Quid autem nudo pauperius eſt? Nihil grave audiviſti, ſi non tibi ipſi ea quæ dicta ſunt propria putare voles. Quis unquam ob paupertatem abductus eſt in carcerem? Pauperem eſſe non probroſum eſt; ſed paupertatem non generoſe ferre.*

5. In ſecunda parte ſententiæ, quæ præmanibus eſt, notandi veniunt ii qui confingunt indigentiam, ne ſumptus, neceſſarios faciant. Sicut ille miſeriactator, de quo proximè tueri ſe cupit à vituperatione mundanorum: ſic avarus aliquis ex oppoſito per egeſtatem commentitiam venatur frugalitatis laudem.

Iuven.Sat.14. *Nec dubiè tamquam frugi laudatur avarus,*
Tamquam parcus homo & rerum tutela ſuarum.

Sunt quidam ex iſtis avaritiam tegentes per filiorum dilectionem, quibus aſſeverant hereditatem providenter aſſervare. Evenit aliquando fortunâ mutatâ ſubſtantiâ coarcervatam perire: ſic nec Domino proficit, neque gnatis. S. Antonius Ulyſſiponenſis:

S.Ant. Ulyſ. ſerm. fer. 6. poſt ciner. *Prædam inſuper vultur, quam accipit, aliis avibus non communicat, ſed quod comedere non poteſt reponit in nido, intantum ut idem cibus putrefiat: ſicut facit avarus. Odoratus enim procul lucra & odorem* (forte legendum: *Ad odorem*) *lucri feſtinat, & quæ lucratur, aliis non communicat, ſed reponit in nido, quia filiis ea reſervat, & interdum corrumpuntur, dum ſcilicet per filios inutiliter conſumuntur quæ cautè fuerant conquiſitæ per patrem.*

In eâdem ſecundâ parte parabolæ juxta ſenſum, qui pertinet ad humiles divites, adjiciam tantùm, iſtos plurimâ dignos eſſe commendatione, tamquam rem de raritate pretioſiorem. Lege Senecam.

Senec.ep.20. *Quid*, ait, *ergo? non licet divitias in ſinu poſitas contemnere? Quid ni liceat? & ille ingentis animi eſt, qui illas circumfuſas ſibi multum diuque miratus, quod ad ſe venerint; ridet, ſuaſque audit magis eſſe quam ſentit. Multum eſt non corrumpi divitiarum contubernio*, &c.

6. *Eſt.* Minutatim nunc parabolam partiamur. Verbo ſubſtantivo, *Eſt*, de præſenti Sapiens fuit uſus. Et fictionibus illis exprimendis eſt accomodata locutio proponere ſimulationes verbo præ ſe ferente quid præſens. Nam futurum veniet aperiens plura tempus mortis, veritatis amicum. Vita mortalis comedia dicitur, præſcindendo à mendaciis, ex eo, quòd mors cunctos exequans illos cogat perſonas deponere, quas egerunt in orbis theatro.

Petron. Arb. *Grex agit in ſcæna mimum, pater ille vocatur,*
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Quaſi parum ſit ridicula vita mortalis ex illo quod cecinit, cum deplorare poſſet, vates: homines illam reddunt novo modo comœdiam digniſſimam longe majori cachinno; quatenus unuſquiſque pro libito ſumit perſonam ſibi minimè congruentem, & multo diſparem ab ea, quæ ſibi conceſſa fuit à ſorte. Pauper in illa tragicomœdia contendit repræſentare prædivitem; ignavus fortem; ignobilis magnatem. Forſan hoc notare voluit Seresberienſis, inquiens: Militia eſt,

Ioann.Sereſ. l.3.de nup.8. *inquit*, vita hominis ſuper terram. *At ſi noſtra tempora ſpiritus propheticus concepiſſet, dicetur* (forte legendum: *Diceretur*) *egregiè, quia comœdia eſt vita hominis ſuper terram, ubi quiſque ſui oblitus, perſonam exprimit alienam.*

7. *Quaſi.* Hoc adverbium accipi ſolet à Latinis in uno ſenſu de tribus, primò tamquam nota imperfectionis. Ita dicimus lunam quaſi plenam, cum non adhuc pervenit

venit ad integrum plenilunium: ſecundò ut veritatis expreſſio. Sic dicimus de regnante, cùm apparatu multo procedit extra palatium: Incedit quaſi rex: tertiò velut ſignum ſimilitudinis. Hac ratione loquimur, dicentes: Juſtus eſt quaſi ſol. In præſenti loco ſumitur illud, *Quaſi*, tertio ſenſu. Similitudo quidem opulenti hæc eſt, ad cujus conſpectum vix modeſti continere valent riſum; dum cernunt pauperem ſumentem geſtus, & alias malè coloratas picturas divitis hominis. At eſto, quòd nullus illi credat, ipſe contentus eſt phantaſiâ ſuâ. Stultè gloriatur: ſed quid eſt gloriatio, niſi ſtultitia? Sedulius: *Gloriatio quaſi quædam inſipientia videtur eſſe.* Dum video famelicum ſuperbientem ex apparentiâ facultatum, admiror eſuriem non cöercere vanum affectum gloriolæ: dixit enim incertus Egeſippus aliorſum: *Omnem enim affectum excludit fames*, &c.

Sedul. expoſ. 2. ad Cor. 11. in princ.

Incert. Egeſ. l. 5. de excid. Ieruſ. ante med.

8.

Dives. Iſtud vocabulum juxta Varronem derivatur à divo. Divus ex Servio dicebatur olim qui ex homine credebatur factus Deus. Fortaſſis in iſtâ priſcorum etymologiâ moralitas aliqua reconditur: vel quia tamquam Deus colitur in ſæculo dives: vel quoniam divinum quid æſtimat opes avaritia quorumdam; licet in divite ſint poſitæ ſicut in arca, Divinitatem attribui divitiis ab humana concupiſcentia, notum eſt; cùm deſiderio jungitur ardor nimius illas conſervandi. Remigius Epiſcopus: *Idololatra quoque*, ait, *eſt omnis avarus, qui nummum quaſi Deum colit, timens illum amittere.*

Remig. Epiſ. in 1. ad Cor. c. 10. ante med.

9.

Cum nihil. Loquitur de ſummâ paupertate: quæ, cum in ſimulatoribus prædictis involuntaria ſit, nimiùm torquet eos. Chryſoſtomus: *Nec enim*, ait, *ulla oratio poſſit aſſequi cruciatum, quem ſuſtinent ii, quibus cum paupertate res eſt, ſi neſciant uti philoſophiâ.*

Chryſ. to. 2. hom. 1. de Laza. med.

Habeat. Vox iſta ſæpe translatè ſumitur pro *tenere.* In præſenti non ſic accipiendam putemus, cum de divitiis agatur, quarum fluxa natura patet invitis etiam divitibus nonnunquam. Teneri non queunt opes, quia, licet mutabiles, conditionem ſuam non mutant, quæ fluida nimis eſt, ut alibi ſum proſecutus. Vide to. 1. fl. 10. c. n. 15. & fl. 21. n. 20. & to. 2. fl. 13. n. 27. fl. 19. n. 52. & hoc tomo ſupra fl. 6. n. 44. & 46. & 62. Nunc do S. Nilum. *Cum vides*, ait, *divitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam, conſidera labilitatem ipſorum, & effugies illorum illecebram.*

S. Nil. parænes. 91. §. 10.

10.

Et eſt. In hemiſtichii noſtri priori parte, ubi necnon legitur verbum, *Et*, dixi, ſermonem congruè fieri de præſenti vita. Juvat eamdem veritatem, recolere modò; quò ſaltem qui rectè perpendunt inſtabilitatem vitæ noſtræ, non obliviſcantur, opes inconſtantes nimis eſſe: non dicam, ad ſimilitudinem vitæ; ſed multò plùs; cum frequenter antequam dimittantur per fati neceſſitatem, abeant & poſſidentem illudant. Quod autem adminus non comitentur ditem gazæ, dum fertur ad monumentum, inculcat ferè nolentibus vel ipſe modus loquendi: vocamus eas quippe divitias vitæ; cum non ſoleamus loqui ſimiliter de pulchritudine, vel robore, dicentes: Robur vitæ, ſeu: Vitæ pulchritudo. Cognomen illud vitæ notabis, peculiariter appropriari valere fortunis acquiſitis ab eo, qui rationabiliter utitur eis; cum poſſint illis in pauperes diſtributis redimi peccata, ſicut Nabuchodonoſori conſuluit propheta Daniel. Alii theſauri ſunt per injuſtitiam acquiſiti, qui vocari poſſunt divitiæ mortis. S. Valerianus Epiſcopus: *Divitiæ mortis*, inquit, *ſunt, incubare facultatibus alienis, & coacervatam pecuniam infelicium lacrymis comparatam in diem adnumerare ſæculi hæreditatibus profuturam.*

S. Valerian. Epiſc. ho. 8. ante fin.

Quaſi pauper. Expendamus hæc verba, tenentes eumdem ſenſum, juxta quem ſumuntur de divite, qui laudabiliter ſuis utitur bonis. Hic prudenter, & Chriſtianè gerit ſe velut inopem: ſcit enim alias eſſe divitias interioris hominis; quæ temporatias longiſſimè præcellunt, & quas nemo diripiet nolenti: ſicut econtrario duplex datur paupertas: una quæ ſiſtit in defectu rerum temporalium; alia, quæ per crimen incurritur. Proficuus eſt ad rem iſtam Radulphus, inquiens: *Divitias eſſe cordis multò magis, quàm pecuniæ, oſtendit qui ait:* Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia. *Paupertatem quoque illam veram ac peſſimam eſſe, qua interiora depaſcitur, idem teſtatus eſt, ſubdens:* Et nequiſſima paupertas in ore impii. Habemus igitur, inveniri duos homines in unoquoque noſtrûm; ſed non frequenter divites ambos. Multoties abundat exterior, miſeriamque patitur internus. Et cum divitum ſit mundanorum egenos oppreſſionibus vexare, multa ſuſtinet (quamvis non coactus) interior homo per inſolentiam exterioris tumentis ex abundantia ſæculi.

11.

Radulp. l. 10. in Levit. c. 2. in princ.

Cum in multis. Perſiſtamus adhuc in eodem ſenſu, de divite poſſeſſis utente ſecundùm rationis dictamina. Nihilominus, quamvis de hoc ſermo ſit, non ideo dicitur: Cum ſit in veris, vel in magnis divitiis; legimus autem: In multis. Apud ſapientiſſimum judicium Dei ſic parvo tranſitoria habentur in pretio, quòd non cenſuerit Author ſcripturæ Deus, æquum eſſe cognominari poſſeſiones terrenas, quid magnum, ſeu verum in hoc loco. Veræ potiùs divitiæ dicenda vacuitas cupiditatum: animique magnitudo vocetur contemptus copiarum, quo deſpiciuntur ab eo, qui non ſibi placet propter aurum & argentum, nec ex nummo factus quaſi numen ſuperbit. Clemens Alexandrinus: *Veræ*, inquit, *autem divitiæ ſunt, paupertas cupiditatum: & vera animi magnitudo eſt non propter divitias ſibi placere, & magnos ſpiritus ſumere, ſed eas deſpicere.*

12.

Clem. Alex. l. 2. pedag. c. 3. fin.

Divitiis. Verum quidem eſt, etiam ſpiritualiter auream dici poſſe mediocritatem; cum econtra laqueus diabolicus in theſauro ſæpe deliteſcat. Salvianus: *In mediocritate Dei gratia; in divitiis diaboli laqueus.* Cum

13.

Salvian. l. qui inſcribitur

Timotheus l.3.ante fin.

hac tamen veritate bene cohæret, labe vacare divitias benè partas; quæ ſint materia laudabilium operum, non fomentum peccatorum. Incertus ſub nomine S. Sixti: *Sed*, inquit, *concedam tibi, quod ita habere divitias poſſis, illas ſcilicet quæ ex bona parentum hereditate deſcenderint, ut eas abſque ullius delicti contagione poſſideas, & ſint tibi bonorum opertem materia, non cauſa vitiorum. Eſto tu illius efficaciæ ſis, atque virtutis illius, perſpicuitatis atque prudentiæ, ut aut ſolus, aut rarus illam rem ad tuum commodum vertas, quæ aliorum ſaluti adferat detrimentum perenne.*

Anonym. ſub nomine S. Sixti l. de divit. longe ante fin.

Sit. Hoc verbum tot ſignificationes admittit apud Latii ſermonis peritos, ut etiam ſignificet quieſcere nonnunquam. Longe abeſt in præſenti, quod ſumendum ſit in acceptione iſtâ: nam rationalem animum pretioſa pondera nunquam implebunt, proindeque nulli, quantumlibet eorum amantiſſimo cordi, quietem adquirent imperturbatam. Sereſberienſis: *Luce clarius eſt*, ait, *quia res corporalis animam, quæ ſpiritus eſt implere non poteſt.*

Ioan. Sereſ. l.7.de nug.c. 16. ante fi.

DELIBATIO I.

Sæculo renuntiantes divites verè ſunt: & rem arduam perficit abdicans temporalia.

14. *Voluntarius pauper, dives*

PRudentia conſulit, ut cum tyrones diriguntur ad perfectionis viam, ſic eorum fragilitati morigeremur, ut antiqua nomina rerum, quas antea tractabamus, non vanè conſerventur. Hac phraſi divinus Magiſter uſus eſt, cum Petrum & Andream vocavit ut fierent piſcatores hominum. In præſenti, cùm ſermo nobis eſt ad illos, qui de ſæculo venientes, ubi ſaltem in ſpe multum abundabant, amplectuntur ſpontaneam paupertatem; non erit incongruum eos ad opulentiam vocare: quò ſic intelligant, ſe non perdere, ſed tranſmutare copioſam fortunam: & ita quòd mutatio fiat in majus & melius. Voluntarius pauper nudus Chriſtum ſequitur nudum: ſed nuditas iſta ditiſſima perhibetur. *O dives paupertas* (exclamat Guarricus Abbas) *o locuples nuditas, ſi tamen Chriſtiana & voluntaria!* Mutatur inquam, in melius auri copia, quando ſimul cum ſæculo renuntiatur: quia nummorum acervi, ſimiliaque malorum irritamenta generant cruciatus, ſubſunt invidiæ, deſerunt amantem. Non ita dices perpendens egeſtatis voluntariæ theſaurum: qui ſervantis præcordia non torquet: nequaquam livori patet: minime ſuos cuſtodes relinquet. Verè divites iſti ſunt: qui ſua dimittentes, degunt ſub alienâ curâ, nihil proprium retinent: opus habent, & non indigent: pauperes atque divites planè ſunt.

Guarr. Abb. ſer. de epiph. in Princ.

15.

In Eccleſia primitiva ſic vigebat ignita per Spiritum ſanctum charitas, ut ii, qui militiæ Chriſti nomen dabant, poſſeſſorum, quæ vendita fuerant, pretia deferrent ad Apoſtolorum pedes, & haberent omnia communia. Notanda ſunt verba Lucæ. *Neque enim, ait, quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Priora verba poſtremis non videbuntur valde conſonare: nam, ſi nullus egebat; quid ſingulis opùs erat? Utere commentario Cardinalis Hugonis, qui ait: *In illo principio abundabant, vel non reputabant ſe egere: quia læti omnia ſuſtinebant: tamen Apoſtolus dicit*: In fame & ſiti &c, Aliud eſt carere, aliud indigere; præſertim ſi rigorem ſequamur illum, qui vergit ad moralem inſtructionem. Etiam, ſi præſcindamus ab iſtâ, plura ſunt, quibus divites mundi carent, & verè dicimus, ipſos eis non indigere, cum ſuperflua ſint. Nedum illi, qui mundo valedixerunt, indigi dicendi non ſunt, quamvis opus habeant. Utrumque verum: & quod non egeant: *Neque enim quiſquam egens erat inter illos*: & quod opus erat ſingulis provideri: *Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Difficile non erit aptare dicta profitentibus monaſticam vivendi rationem: nam Lira dixit, ab iſto cœtu primitivorum fidelium cunctas religiones primordium ſumpſiſſe. *Ex hac*, ait Lira, *congregatione habuit ortum omnis Religio.* Spreto ſæculo cum pompis ridiculis, fugacibus theſauris, & ſpebus evanidis, libitam diligentes inopiam Chriſti milites, opulenti verè ſunt, meliori ſorte copioſi.

Actor. 4. 34. 35.

Hug. Card. ib.

Lir. ib ad n. 32.

16

Quam repræſentetur ardua dimiſſio facultatum ad ſequelam Chriſti.

Non adeo congruit orationem protrahere, confirmantes, paupertatem propter Deum ſponte ſuſceptam abundare; quod negare videamur arduitatem operis, quam ſuperat abnegans copias mundi: ne meritum aliquatenus minuatur ejus, qui religioſum ſectari vult inſtitutum, ſi reputet, id eſſe non magni momenti facinus, eoquòd per id etiam in temporalibus dives fiat. Illa quidem renuntiatio præcelſum reddit, vel oſtendit virum: quin & hominem humanâ conditione majorem præ ſe fert. Adſtipuletur Ambroſius. *Quid enim*, ait, *præcelſius illo viro, qui auro moveri neſciat, contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arte quadam deſpiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines ſupra hominem eſſe arbitrantur.* Præſtantis adeo roboris factum perficit qui bonis abrenuntiat propriis, ut hyperboli ſequenti locus detur. Componamus ex hinc plurium Dei mandatorum obſervantiam ſimul ſumptam, & exinde ſolam renunciationem facultatum volitam propter ſequelam Chriſti: ferè videtur, hanc unicam difficultate præcellere cunctas illas obſervationes collectim. Plùs ardua repræſentatur homini dimiſſio facultatum, ad hoc ut ſectetur pauperem Salvatorem, quàm plura ſimul Dei præcepta ſervare. Obſervatio mandatorum ſiſtit in duobus: primum ne greſſus facias ad malum: ſecundum ne tendere negligas ad bonum; divitiarum autem projectio Chriſtiana carenarum confractio quædam eſt. Hæc meditatus aliquis dicet: Lacer-

S. Ambroſ. to. 4. l.2. de offi. c. 14.

torum

torum vis multa requiritur ut ſcindantur ponderoſi nexus, licet aurei. Ambulare pariter, & retrahere pedem à fovea, non tantam poſtulat brachii fortitudinem. Ex his, vel ſimilibus, animoſus ad mandata cuſtodienda, tepeſcet, imò triſtitiâ premetur, ſi proponatur ei bonorum abrenuntiatio.

17. Genuflexo rogavit quidam Filium Dei, quid facturus eſſet, ut vitam æternam perciperet. Dominus ei dixit, illum noſſe mandata, quædam annumerans. Quid tunc ipſe? *Reſpondens ait ille: Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute meâ.* Stupeo quidem hominis animoſitatem: quia non mendaciter locutus eſt. Venerabilis Beda propterea dixit: *Si mendacii aut ſimulationis noxa reus teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis ejus, eum diligere diceretur Jeſus.* Animoſus audet aſſerere, ſe cuſtodiſſe mandata; præſertim, ſi fuit animus illi verba quæ protulit, *Hæc omnia* &c. extendere ad cuncta, que noſcebat lege Dei præcipi: ſcimus enim omnes, viam, quæ ducit ad cœlum, anguſtam eſſe, viatoribusque multum exprimere ſudorem. Obiter do Nazianzenum. *Cum audis*, inquit, *viam, quæ ad cœlum producit, unam eſſe, & eam quidem peranguſtam, quid putas hic ſibi vult ſermo? Unam ſanè eſſe ſi virtutem ſpectes: hæc enim unica eſt, quantumvis in multas partes ſecetur: verùm anguſtam propterea, quod ſudoris planè multum exhibet viatoribus, quòdque non adeo multis eſt trita*, &c. Nihilominus adoleſcens ille nequaquam timidus divino præceptori reſpondit. Salvator poſtea dixit ad eumdem: *Vade quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.* An ipſe repoſuit quidquam? Non utique; ſed cum eſſet opulentus, terga dedit mœſtus. *Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones.* Jam cecidit animo, qui virtutis viam, quæ ſatis eſt ardua, ſectari non timuit? Sic apparet homini difficilior abnegatio divitiarum, pro ſequendis Chriſti veſtigiis, ut aliqui putent, id majus quid extare, quàm totam Dei præceptorum cuſtodiam. Camelus, hoc eſt, dives, fortè non recuſabit horum ſarcinam ferre; ſed gibbum deponere non audebit.

Marci 10. 20.

Beda in co. l. 3. ib.

D. Greg. Nar. l. 1. de Theol. poſt med.

Marc. 10. 21.

Ib. n. 22.

18. *Aliquando magis arduũ pauperi continere ab amore divitiarum, quàm diviti relinquere poſſeſſa.*

Ne tamen putes difficultatem contemnendi fallaces opes eis tantummodo magnam qui replentur ſubſtantiâ perituræ mundi; notandum putavi, necnon & pauperibus quibuſdam haud facile deſpicere corde quæ ſors negavit eiſdem. O nimis adverſæ virtuti divitiæ quæ, vel adſint, vel abſint, eunt obviam perfectioni! Fur, ſi diſcedat longe, non te prædabitur in via pergentem: tunc tibi malus eſt, cum adeſt. Gazæ miro modo latrocinium exercent, rapientes ab hominis animo ſtudium perfectionis, quod inducit vadens per ſemitam Domini. Si poſſides, avaritia reddens animam pauperrimam, ligat illam, ne proficiat in itinere ſuſcepto. Si cares fortunis, deſiderio præpediris, ut non cupias multùm ſpiritualibus abundare. Imo, ſi credis Magno Gregorio, cenſebis, homini pronum eſſe facultates habere contemptui, quas poſſidet; arduum autem illas vilipendere, cùm eis vacuus eſt. Ego quidem, fateor dubitarem fortè de hoc, niſi legiſſem apud S. Doctorem ſequentia. *Facile eſt*, inquit, *hominem tunc divitias deſpicere cum habet, difficile verò eſt eas, cum non habet, viles æſtimare.* Ratio hujus eſt in aliquibus illa toties inculcata, ſcilicet quòd bona mundi, cum ſint montes picturati, majores videntur cùm à longe repræſentantur, quàm ſi tangas experientiæ manu, ſicut in picturis evenire ſolet: ideoque difficile multis animo proculcare theſauros, quos non invenere, quia videtur amplior acervus longiſſimè poſitus ab eis. In aliis verò contingit hoc ex eo quòd non habitæ divitiæ pro tunc alienæ ſunt; & livor ſolitat incrementare felicitatem, qua fruitur alter; ac proinde maximî faciunt non poſſeſſa. Quidquid illud ſit, quo movetur in hac re noſtra voluntas, maneat ſtabilitum, operoſius eſſe quandoque pauperi deponere divitiarum affectum; quàm opulento dimittere poſſeſſionem. Ægriùs aliquando ſe continebit inops ab amore dulci rerum, quas non guſtat; & minùs arduè proculcabit copioſus, quas poſſidet.

S. Greg. M. to. 1. l. 1. mor. c. 2. n. 1.

19. Denuò luce donemus hiſtoriam Evangelicam, ubi narratur de adoleſcente divite: qui triſtis abiit, cum à Magiſtro divino haud libens audierit, ut omnia ſua venderet, pauperibusque largiretur. Tunc *circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis: Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* Obſtupeſcebant ad hæc diſcipuli: Dominus autem rurſus eamdem propoſuit eis difficultatem. Quid illi tunc? *Magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: & quis poteſt ſalvus fieri?* Conferamus cum alumnis Filii Dei prædictum divitem. Iſte non dixit: Quis valebit æternam vitam conſequi, niſi degat in eremi ſolitudine, cunctis dimiſſis omnino, ſi me oportet dare pauperibus omnia mea, ut vivam in æternum? diſcipuli vero dixerunt ad ſemetipſos, quaſi de propria ſalute metuentes: *Et quis poteſt ſalvus fieri?* Salvator aſſeruerat, habentes pecunias difficile introituros in regnum Dei; & facilius eſſe, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in illud regnum intrare. Diſcipuli reliquerant omnia: quid ergo potuerant illis nocere divitiæ? quid in materia ſubjecta de ſalutis aſſecutione pavent? Timuerunt: quia, licet inopes forent, meditati ſunt, oportere non affectibus opum gravari, ne de regno cœlorum excluderentur. Adeſt Clemens Alex. *Verum*, inquit, *ipſa quoque vilia retia hamoſque ac piſcatorias ſcaphas lintresque jam olim reliquerant, quæ ſola illis in cenſu erant. Quid ergo timentes aiunt*: Et quis poteſt ſalvus fieri?... *Magno itaque illis timore dignum videbatur, ſi tum is qui pecunias haberet, tum qui affectibus gravidus eſſet, in divitum cenſu habendi eſſent, ipſique perinde regno cœlorum ejiciendi forent.* Utriſque de facultatibus periculum: divitibus, inquam, & pauperibus. Quæro tamen;

Marc. 10. 23.

Ib. n. 26.

Clem. Alex. l. Quis dives &c. ãte med.

tamen: Quare metuunt inopes Apoſtoli? non autem legitur, illum ditem, de quo ſuprà, metuiſſe taliter, ut impoſſibilem ſibi ſalutem reputaret? Reliquerant illi cuncta; ſed adhuc non erant ſecuri de affectibus circa divitias. Iſtam paſſionem cor ſuum ingredi non ſinere, difficillimum æſtimavere. Propterea non divitem adoleſcentem, ſed Apoſtolos dixiſſe narratur: *Et quis poteſt ſalvus fieri?* Multò plus arduum credit aliquando pauper opes non non amare, quas non poſſidet, quàm prædives abjicere poſſeſſiones, quas tenet. Paupertas voluntariè ſuſcepta fuit à multis; at oportet ad hoc, ut & à ratione ſpontanei non declinet in coactam; & ut de quovis illorum dici poſſit: *Eſt quaſi dives, cum nihil habeat*: oportet, dicam rurſus, quod amore divitiarum, quas reliquere non tangantur.

20. *Magis arduum non amare plus quam par eſt diligentem te, quàm non vinci dilectione alienâ mixtâ cum odio.*

Uſquemodo ſum proſecutus admiratione dignâ ſtrenuitatem illorum, qui dixerunt mundo vale, dimittentes poſſeſſa, ſpem abjicientes, deſideria calcantes facultatum. Quia tamen religioſa profeſſio non ſolarum opum eſt abdicatio, ſed mundi totalis derelictio: generaliùs loquens, trutinabo mente præclariſſimum iſtud virtutis facinus; quo triumphant iſti de ſæculo per contemptum: ſed ita, quòd in animarum ſpirituale commodum, non tam prælatè laudemus illud, quòd minùs fortes ab eo deterreamus. Non inficior verum eſſe S. Antiochi dictum: *Generoſæ prorſus ac Deum ſinceriter amantis animæ argumentum eſt, nihil mundi poſſidere velle.* Quod ille de contemptoribus mammonæ dixit, aſſeverare poſſumus de reliquorum temporalium contemptu. Hoc attamen propoſitum ne tam nimis credatur difficultatibus plenum, ſicut aliquibus apparet illuſis per mundi fraudem. Præcipua fictio, quâ ſæculum tenet eos, ne terga præbeant eidem, dilectio ſolet eſſe, quâ mundus ipſos proſequi teſtatur. At hic amor ita corruptus eſt mixtione contrarii ſui, quòd vix affectus nominari dignus extet. Salvianus: *O amor*, ait, *quid te appellem neſcio? bonum an malum, dulcem an aſperum; ſuavem an injucundum. Ita enim utroque plenus es, ut utrumque eſſe videaris.* Et infra: *Amor quippe nos facit noſtros amare, amor interdum cogit offendere: utrumque unum eſt; cum tamen aliud amoris habeat gratiam, aliud odii patiatur offenſam.* Quantumlibet Salvianus poſterioribus verbis videatur loqui reſpectu diverſorum; nihilominus valemus aſſeverare, dilectionem, quam ſubdolè mundus offert eis, qui morantur adhuc inter ejus illecebras, odium eſſe ipſorum, quos diligit. Vulgariter ita loquimur, ut ſynonyma ſint velle bonum alicui, amareque ipſum, ſicut econtra ſimiliter velle malum, & odiſſe. Cumque mundus eodem amore ſuo velit malum dilectis, odit eos. Quid mirum eſt ita cenſeamus, cum dicat Bleſenſis: *Fallax amator eſt mundus: animabus prædatoriâ deceptione illudit.* Igitur nemo cupiens mundi laqueos declinare, ſuadentibus objiciat, non audere ſe linquere diligentes eumdem. Difficultas maxima non eſt in ſuperanda tali dilectione, quæ, ſicut prædixi, miſcetur odio. Præcipua pugna tantùm eſt in vincendo cor proprium, ne diligat alterum plusquam ratio dictat. Non, inquam, tam arduum eſt abjicere fortiter affectum alienum odio commixtum; quàm proprium continere prudenter amorem, ne magis, quàm oportet, ames te diligentem.

S. Antioch. hom. 89.

Salvian. ep. 1. in princ.

Petr. Bleſ ſer. 3. de Advent. poſt princ.

Duplici teſte (certè non ocularibus, 21.
quia neuter videt) odio ſcilicet ac invidia fratrum, damnatus eſt Joſeph ad exilium. Rurſus duobus aliis teſtimoniis quamſimilibus in Ægypto de crimine tentati per eum adulterii judicatus eſt; atteſtantibus nempe luxuriâ dominæ ſuæ, necnon & irâ mariti; quapropter detruſus eſt in carcerem. Scio, divinam providentiam illum ibi non dereliquiſſe: putabam tamen, aliquid ampliùs operaturam pro Joſeph in cuſtodia poſito. Periculum ſuberat, ut innocens calumniam pati ſe videns, eoquòd noluerit acquieſcere libidinoſæ mulieri; deliberaret ſic: Neceſſitas urget: de vita periclitor: congruum erit, ne moriar inſons, obtemperare concupiſcentiæ hujus fœminæ, quò me liberet ipſa, quæ me calumniata fuit. Ad vitandum hoc diſcrimen, cur non apparet illi Dominus, eum confortans, ut ſtrenuè ſuſtineat. Ut hoc penſitarem, impulit mentem, in ſacro Textu legiſſe, quòd olim Deus apparuerit per ſomnium Geraræ Moderatori regio, qui tulerat Saram uxorem Abrahami: quæ quidem apparitio protectionem erga conjugem Patriarchæ ſatis indicat. Chryſoſtomus loquens vice Domini: *Quoniam magnam eorum curam gero, ſciens quod per ignorantiam hanc eis contumelsam facturus eras, cohibui te, ut ne peccares in me* &c. Video, nihil de peccato Saræ vitando protuliſſe Deum, vel ſacrum interpretem ibi. Sed non erit nimis temerarius qui ſciens, quam Deus gerebat ſollicitudinem erga matronam illam, ſuſpicatus fuerit, etiam apparuiſſe Regi, quò vitaretur ne conſentiret Sara per fragilitatem ſexûs in libidinem. Si fuit mens iſta Domino (quod ne multùm ſcrupulosè dubitemus) relinquitur examinanda quæſtio. Quâ de causâ ſatagit impedire Deus ne Sara peccet, apparens idcirco Monarchæ, dicensque: *Nunc ergo redde viro ſuo uxorem*, &c? non autem ſimiliter in ſomnis adfuit Joſepho carcerato, monens ita: confortare, vinces, ne timeas; ut ſic ille magis roboraretur, ne luxuriam eligeret ad vitam ſervandam? Quia plus arduum erat Saram non amare plus quam par eſſet regem diligentem ſe; quàm Joſeph non ſubdere cor affectui laſcivo dominæ ſuæ, quem jam expertus erat egiſſe munus odii. O quoties mundum experimur affici amore noſtrûm, ſimultatis vices agente? Non eſt ſumma virtuoſi roboris exercitatio tam execrabilem dilectionem deſpicere. Atverò voluntatem propriam continere, ne plùs æquo diligat amantem, hoc opus generoſius, hîc ampliùs inſignis labor eſt. O tu; qui deſideras mundum ſpernere fugâ ſalubri, ne reſpondeas hortanti,

Chryſoſt. to. 1. hom. 45. in Geneſ.

Geneſ. 20. 7.

delibe

deliberationem tuam impediri, quoniam diligeris eximiè pectoribus alienis. Non eſt hoc in iſto negotio maximum impedimentum. Vince (quod caput eſt) fortiſſimè teipſum, & victoriam duriori pugnâ conflantem obtinuiſti. Ne Joſeph exemplum liberè penitus applicem ingreſſuro monaſticam vitam, audi Liranum. Lir. com. in Geneſ. 39. *Poteſt*, ait, *dici quod per Joſeph, qui interpretatur accreſcens, ſignificatur juvenis ſæcularis, humiliter & devotè ſerviens parentibus, ſicut dominis ſuis, meliorem tamen deſiderat vitam per ingreſſum religionis, ſed amor carnalis parentum, & petulantia carnis ipſum ab hoc ingreſſu retrahunt, & ad contrahendum carnale matrimonium inducunt, quod notatur per hoc, quod de muliere Ægyptiaca dicitur*: Et ait &c. Meditare moralitatem Lirani, dum rationem quæro ſubjicere veritatis, quam proximè probare nixus fui.

22. *Conſultius eſt fugâ declinare mundum.* Dixi, non tam arduum eſſe projicere fortiter affectum ſæculi commixtum odio; quàm dilectionem continere prudenter, ne magis, quàm oportet ames te diligentem. Rationem dicti ſubdo nunc. Ad hoc ut mundum, & amorem falſum, quo te proſequitur, detriumphes, fuga ſatis eſt. An in fugiendo nimia difficultas, cùm refugis aufugientem? Mundus utique fugit; amor ejus, quem fingit, evolat: non eſt ſummopere laborioſum declinare tranſeuntem. Atverò, cum nemo poſſit fugere ſemetipſum; & ſecum pugnet qui ſtudet affectum ſuum erga mundum frænare; majus illi certamen reſtat in dimicando cum ſeipſo, quàm in ſuperando fugitivo ſæculo, volatilique dilectione fallaciter oblata. Quòd mundum fugere congruat illi, qui de ſalutis minuendo periculo curat, eſt res notiſſima. Etiam locus aptus valde conducit ad res animæ ſolertius pertractandas. In ſæculo vix invenietur angulus, ubi non tendantur delictorum laquei: refugiendum autem eſt velut à flagellis è locis occaſionem lapſuum ſubminiſtrantibus. S. Joann. climac. in ſcal. gra. 3. n. 6. *Refuge* (ſcribit S. Joannes Climacus) *non ſecus atque à flagro loca, quæ tibi lapſus & peccati occaſionem præbent. Pomum abſens non ita perpetuò appetitur ac præſens.* A flagris aufugere valent & pueruli. Quid tu giganteas vires deſideras, ut fugam capias à flagello; ſcilicet à mundo, qui locus eſt laqueorum plenus? Ad aliud prælium exere (necnon & exige tibi cœlitus donari) fortitudinem validiorem: ſcilicet, ut à temetipſo trophæum reportes. Nihilominus, quia vix aliquis erit, qui non priùs mundum ſubigat, quàm ſe perfectè devincat, eoquòd à minori conflictu ſoleamus initium ſumere: confirmare volens animos eorum, quibus mundus jam non arridet; oſtendam, tunc feliciùs triumphari de ſæculo, cùm diffugitur ab eo. Non eſt impoſſibile victorem exire, quamvis de mundanis habitationibus non exeas; ſed congruentius eſt mundum fugiendo prudenter declinare; quàm, expectatâ protectione ſpecialiori Dei manere fallaciis ejus expoſitum.

23. Profugus ab ira germani perrexit Jacob in Meſopotamiam. Servivit ei fideliter, ejuſque fraudulentiam expertus eſt. Tandem in ſomnis Angelus ait in perſona Domini loquens ad illum: *Vidi enim omnia quæ* Gen. 31. 12. 13. *fecit tibi Laban. Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mihi. Nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.* Facillimum Deo fuiſſet Jacob incolumen à nequitiâ Labani tueri. Quare illi non nuntiat per Angelum, dicens: Vidi quæ paſſus es à ſocero tuo: mane tamen in ejus domo; vafritiem illius contemne: defenderis manu mea protegente? Memini, cum Jacobus afficeretur dilectione majori circa Rachelem, quàm erga conjugem alteram ſororem, interpoſuiſſe Dominum omnipotentiam faventem Liæ. *Videns autem Dominus quod deſpiceret Liam, aperuit vulvam ejus, ſorore ſterili permanente.* Ib. c. 29. 31. Nonne majus quid erat Jacobum à Labano tutari, quàm obviare deſpectui Liæ? cur iſtius fœcunditatem Deus providit; non autem voluit in domo ſoceri fallacis amplius protegere Jacobum; ſed monet ut ab eo divertat? Aperi litteram, patebit myſterium. Laban ſignificat mundum. S. Bruno Aſtenſis: *Quid igitur*, ait, *Jacob ſimul cum uxoribus & filiis omnique ſuâ poſſeſſione Laban fugiſſe legitur? Hoc ſignificare videtur, ut nos quoque mundum iſtum fugiamus, & amicos & propinquos, & quoſcumque poſſumus de eius ſervitute eripiamus.* S. Brun. Aſt. inter opera Euſeb. Gall. ho. 2. in nat. plur. Martyr. poſt princ. Non erat impoſſibile manere Jacob in domo Laban deſignantis mundum, Deo, curante ne manſio noceret eidem. Sed convenientius erat fugam capere, declinando ſæculum in homine doloſo figuratum. Igitur, cum non ſoleat profugus deferre ſecum ſarcinas; vir pius mundanam domum relinquens, ad paupertatem voluntariam convolet ocyùs, credens, inventurum in ea theſaurum copioſum: quo reperto dicetur de illo: *Eſt quaſi dives, cum nihil habeat*: &c.

DELIBATIO II.

Pauperes verè ſunt mundialium bonorum poſſeſſores, qui nec ſuis contenti vivunt, nec illis ii utuntur.

24. ET *eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit.* Præeat commentarium Dionyſii Carthuſiani. Dion. Carth. in prover. 7. *Avari enim*, ait, *qui multa habent, ſunt quaſi pauperes, quia non contentantur habitis, & vix audent uti eiſdem, & quærunt plura.* Scis febrim eſſe avaritiam: hujus ardorem præcedit frigus, quod Medici rigorem appellant. Ardorem voco ferventem cupidinem ampliora poſſidendi; frigus autem, charitatis erga proximos defectum: quô frigeſcunt illi, qui divitiarum affectu febricitant: qui ſanè rigoroſus contrà miſeros rigor eſt. Medeamur primùm frigori prædicto. Geſtiunt ægri cupiditate multis abundare. Si verè dites cupiunt eſſe, dividant ſua liberaliter, atque ditiſſimi fient. Nonnullus aſſeruit, nomen, *Dives*, etymologiam à dividen-

do ſumere: quia dividendi facultatem habet opulentus. Hinc fit, divitem veraciter ditari, cum diſpertit largiter ſua. Generosè, ſimul & ſapienter dixit rex Theodoricus: *Nam divitis auri vena ſimilis eſt reliquæ terræ, ſi jaceat: uſu creſcit ad pretium: quando & apud vivos ſepulta ſunt quæ tenacium manibus includuntur.* Nobiliori veritate poſſet idipſum affirmare Monarcha, ſi mentem prædictis verbis intenderet ad ſublevationem pauperum. Egenorum pauperiem levans muneribus, abundat ſic, ut ipſi Deo, qui poſſidet cuncta, largus donet haud fruſtra. Neſcio quò magis creſcere poſſint humanæ facultates, quàm ut homo dona tribuat rerum omnium Dominatori. Sed eleemoſynæ fructus eſt hic honos. Ferè ſynonyma ſunt eſſe divitem, ac pauperibus elargiri: dives in Deum eſt qui diſtribuit inopibus opes.

Theodoric. rex apud Caſſiod. l. 4. var. c. 34.

25. Propoſuit Incarnata Sapientia parabolam divitis: cujus ager ubertate ſollicitudinem attulit, à multitudine venientè fructuum, quos horrea non capiebant. Poſtquam deliberavit iſta deſtruere, ut latiora tunc ædificaret; audivit ſibi dicentem Deum, illâmet nocte moriturum. Concludit ſimilitudinem Dominus, inquiens: *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Ut capias quid ſignificet illud: *Non eſt in Deum dives* conſule Gloſſam. Hæc ait ibi ſic: *In Deum dives eſt qui tranſitoria contemnens pauperibus diſtribuit*, &c. Non nemo prudens advertet, contraponi theſaurizare ſibi, cum hoc quod eſt divitem eſſe in Deum per manus pauperum; cum poſſet antitheſis mutatis paulò verbis fieri, dicendo: Sic eſt qui ſibi dives, & non in Deum. Inſuper adnotari valet, Chriſtum Dominum, cum dixiſſe potuerit: Et non favet indigentibus? dixerit potius: *Et non eſt in Deum dives.* Leviores hæ ſunt notatiunculæ, ſed pro materia, quam verſamus, non inutiles Ad primam. Opulentus, cujus copiæ non proſunt aliis, theſaurizat ſibi; non tamen eſt ſibi dives: nec enim coincidunt, ſi magis utamur ſermonis rigore, divitem eſſe, theſaurizareque. Non igitur divitem vocandum iſtum, judicavit hoc loco Redemptor; ſed theſaurizantem. At, cum veraciter opulentus ille ſit, qui diſpergit indigentibus; ut notaret, avarum hac opulentiâ non frui, uſus eſt nomine divitis, inquiens: *Et non eſt in Deum dives.* Ad ſecundam facilior adhuc ſolutio. Nequaquam expreſſit Filius Dei defectum eleemoſynarum in Theſaurizante ſibi: quia velut idem eſt non extendere manum ad ſtipem, quàm in Deum non eſſe divitem. Jacet aurum terræ ſimile penes iſtos, qui viva ſepulchra ſunt pecuniarum.

Luc. 12. 21.

Gloſſa Ord. ib.

26. *Qui divitiarum ponderа neſcit abjicere, non abundat, & alienis inhiat.*

Et quia ſub ænigmate febris avaritiam ſugillavi, ſitim febrientium propriam cupidos torquere notabo. Minimè communi modò tenax exardet cupidine plus habendi; ſed inexplibiliter ſitit: quia non ex defectu rei cupitæ naſcitur ardor ille; ſed morbi qualitas eſt. Vulgatum circumfertur dictum Platonis: qui ſimilavit hos patientibus hydropiſim: quorum viſcera ſic exuruntur, ut nunquam potâ ſatientur aquâ; ſed eò creſcat cupiditas potandi, quò magis ebibunt lymphæ. *Plato*, ait quidam, *avaros cum iis comparat, qui aqua intercute laborant, quando dicebat, quòd hi quidem, quamvis aquâ pleni, ſemper tamen aquam ſitiant, illi verò pecunias.* Penuriam igitur ſuſtinet remedio carentem dives avidus. Contendit attamen ut ſatietur; ſed fruſtra: nam quamvis aliorum facultates devoret, quietem non adipiſcitur, augetur ægritudo. S. Iſidorus Peluſiota: *Etſi opum cupiditas*, ait, *omnem contemnat caſtigationem, & gravia quaque pervadat inſatiabili affectui ſatietatem moliens: tamen quod in poſſidendo, quamvis omnium facultates ceperit, nullam quietem nanciſcatur; ſed ægritudo ſemper augeatur, ut etiam inſanabilis evadat, æquum ſit eam ceſſare*, &c. Solent qui fodiunt aquæ venas eruere terram, ut ſcaturiat unda profluens. Avaritiâ gravatus non audet ab antro pectoris terram, hoc eſt, opes reconditas extrahere. Quo modo abundabit aquâ pro reſtinguenda ſiti? Fit exinde, quod aquam alienam ille cupiat; ſicut ſolitant hortorum domini fonte carentium. Concludam, & aliqualiter exemplo firmabo, non abundare illum, qui terræ ſuæ, hoc eſt poſſeſſionibus tenaciter parcens, inhiat alterius bonis: nec propriis redundat, nec alienis abſtinet.

Platonem refert Quidam ſchol. ſi. ad gr. 16. ſcalæ S. Ioan. Clim.

S. Iſidor. Pel. l. 5. ep. 4. 88.

27. Veritatem, quam nuperrimè propoſui, vellem clariùs tradere. Quod ut præſtem, contentiones ponderare libet in Geneſi relatas inter Geraræ paſtores & Iſaaci. Effoſſo puteo, reperta eſt à ſervis Patriarchæ aqua viva. Tunc Textus ait: *Sed & ibi jurgium fuit paſtorum Geraræ adverſus paſtores Iſaac, dicentium: Noſtra eſt aqua*, &c. rurſus aperto alio puteo, contenderunt iidem. *Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt*, &c. Ad quid ſemel & iterum Geraræ paſtores pro aquis rixantur? Scio, Palæſtinam ariditate, aquarumque penuriâ laborare: necnon, aquarum copiam plurimum agriculturæ, ſimul & rei pecuariæ ſervire. Pererius ait: *Etenim aquarum copia, ut agriculturam & rem pecuariam, atque omnes propemodum humanæ vitæ partes tuetur, & continet: ſic earum penuria vehementer afflixit & perdit. Præſertim autem in Palæſtina, ob terræ ariditatem, aquarumque penuriam, uſus puteorum cariſſimus & pretioſiſſimus habebatur.* Verum eſt hoc. Sed quæſo: Tam fracti viribus erant Geraræ paſtores, quòd non poſſent aperire ſibi puteos? ut quid occupare per injuriam nituntur eos, qui pertinebant ad Iſaacum? Forte diſplicebat eis eruere terram, ex qua fructum ſperabant, ut aquam reperirent: & ideo alienam rapere voluerunt. Non abundabant aquis terrenî fortaſſe proventûs avari concupitores: quia terram excavantes projicere non audebant: & idcirco alienas aquas invadere non ſunt veriti. Sit hoc velut emblema, quô depingamus utcumque fœdatos avaritiæ labe; bona proximorum auferre præ ſiti non timentes; cum valerent abundantiâ perfrui, terram, hoc eſt, opes, quaſi aggeres, ab antris pectorum eruentes. Nec procedo temerarius, ad præſens the-

Gen. 26. 20.

Ib. n. 21.

Perer. com. in Gen. c. 26. v. 15. n. 25. fi.

ma

ma ſacris abutens hiſtoriis : nam divitiarum abnegationem ſubodoravit in apertione putei Cardinalis Hugo : Paſtores vero Geraræ deſignare docet eos, qui corpus in deliciis nutriunt, atque delictis.

Hug. Card. in Gen 26. n. 15 *Puteus*, inquit Hugo, *eſt Religio : quam foderunt ſervi Abrahæ : id eſt Chriſti, Beatus Benedictus, Beatus Auguſtinus, Beatus Bernardus : qui omnes divitias à Religione penitus abjecerunt.* Et infra : *Paſtores Geraræ ſunt illi, qui paſcunt carnem ſuam & nutriunt in deliciis & delictis.* Aurum jacens (& ideo terræ ſimillimum) intactum ſervant avari divites : atque recuſantes duram illis projectionem acervorum argenti, non habent quô ſitim extinguant ; & haberent, ſi vellent. Indeque datur occaſio rapiendi fortunas alienas : ad quam injuriam rapit eos fortiter ſitibundus ardor.

28. *Sterilis ſolet eſſe theſaurus iniqui.* Dum increpantur hi theſaurizatores doctrinâ data, vel ſimili, reponunt, ſe non ideo ſervare ſollicitos opes, ac illarum incrementa quærere, quaſi puro pulchritudinis earum ſplendore capiantur, ſed quia pecuniæ obediunt omnia : ad iſtam accedunt honores, advolant amici : per eam vitantur pericula ; quin etiâ quandoque remediis pretioſis valde ſalus corporis acquiritur, & mors prolongatur. Non diffiteor, plurima poſſe nummos ; in manibus tamen tenacitate contractis quid fructificant ? Hermas diſcipulus Beati Pauli divitias tribulos appellavit, inquiens : *Tribuli enim divitiæ ſunt :* &c. Hominibus infructuoſi tribuli ſunt : ſic apud quoſdam iniquos divites reperiuntur omnino ſteriles. Avarî copiæ non illi progerminabunt honorem : nam, ſicut prædixi, rapacitas alieni conjungitur amori nimio divitiarum. Et qua fronte mundus condecorabit latronem, imo fure deteriorem ? nam qui ſe furto coinquinat, & verecundiam non projecit, latenter hoc agit ; cupidus autem aperto ſub ſeſe tollit non ſua. Lege Chryſoſtomum. *Nam & avarus*, inquit, *rapax, fur eſt & latro, illo longe deterior, quanto & violentior. Ille nanque tum latendo, tum nocte graſſando multum de facinore ſuccidit, utpote qui vereatur & timeat peccare : hic autem perfricatâ fronte, nudo capite, per medium forum res omnium rapit,* &c. Veniam ad amicos etſi falſos, quos opulentia conciliat. Bonorum purus cuſtos etiam ſodalibus deſtituitur : ſicut infœcundam arborem non quærere ſolitant aves de pabulo ſatagentes : ergo nec ejuſmodi vaniſſimum fructum colligit avarus de ſervatis copiis. Redeat Chryſoſtomus. *Qui autem*, inquit, *poſſet omnia perſequi, aut exponere, quomodo univerſis faſtidio eſt avarus, ſervis, vicinis, Rempublicam gerentibus, agricolis, atque inopibus injuriâ læſis, uxori præcipuè, atque liberis, quos non ut liberos, ſed quaſi mancipia miſerrime ſolet educare ?* Omittô quod proponebatur ſupra de vita ſervanda per aurum ; quia non ſolent iſti credere, ſe morituros facilè ; Cum hæc ita ſint, maneat, infructuoſos eſſe theſauros avari ; ſed quoniam plures divites iniqui tenacitatem diligunt ; abſolutè pronuntiare liceat, ſterilem eſſe felicitatem copiarum, quas malus poſſidet.

Hermas l. 3. Paſtoral. ſimilit. 9. poſt med.

Chryſ. to. 5. hom. 68. ad pop. longe poſt med.

Chryſ. to. 2. hom. 84. in Matth. poſt med.

Dominus olim per Michæam urbi Jeruſalem denuntiabat ut à ſacrificiis externis averterent ſtudium ; & potiùs de ſanctitate cogitarent internâ : quia non amovent iram Domini victimæ, quando juſtitia proditur, judicium corrumpitur ; & ſuæ potiùs cupiditati ſervit homo, quàm divino paret imperio. Et ut ſuaderet, quandiu domi clauderentur theſauri, quos iniquis pactionibus, corruptis judiciis, fraudibus & injuriis homines congregant, manere tandiu penes domos ipſas iniquas id, quod eas demoliri valet, addidit : *Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis*, &c. En theſauri comparantur igni. Sed quare ? nonne foret aptior ſimilitudo terræ ? Terra quidem reconditur facilè ; flammam verò non ſepelies ardentem, quin extinguatur : ſi magna fuerit, & claudatur ſtrictè, velis, nolis, erumpet. Ergo theſaurizatæ copiæ non igni conferantur hoc loco ; ſed terræ. Deſine ſpiritus divini locutionem admirari. Analogiâ pulcherrimâ convenit iniqui theſauris nomen ignis ; arctiori proprietate, quàm terræ cognomen : terra quipe frequenter eſt fœcunda : ignis autem ſterile. Meditare ductus à modo loquendi Prophetæ divinitus edocti, malorum theſauros infructuoſos : quia ſolent iſtorum peſſima corda ſic eis inhærere, ut nullum afferant fructum.

29.

Michæ. 6. 10.

30. *Videtur, aurum in manu divitum aliquorum mutaſſe naturam.* Maphe. Veg. diſp. inter ſolem, terram, & aurum. ſubtit. Aurum loquitur. valde poſt pr.

Inſtat humana fragilitas, deaurans amorem habendi : numerans utilitates plurimas, quas aurum progignit. Illas per otium ſeriatim deducit Mapheus Vegius : & poſt multa loquens in ipſius auri quaſi perſonâ, dixit : *Ego omnium horum author, quaſi ad ſublevandas publicas neceſſitates, ad conferenda in commune omnibus commoda, ad ornandas illuſtrandasque omnibus virtutibus omnium mentes natus eſſe videar.* Plurimum ſuperbit aurum : quod ſic introducitur audaciter effari. Redarguatur ejuſdem ſuperbia verbis Ambroſii. *Hoc*, inquit, *aurum & argentum onus habet, fructum non habet. Onus quærentis eſt, ſumptus heredis. Hoc aurum ſicut lignum exuritur, non perpetuatur : hoc argentum in die illo detrimentum vitæ tuæ, non lucrum affert.* Et alibi dixerat : *Quid enim prodeſt, cum ipſæ divitiæ & omnis gloria ſæcularis tamquam fœnum cito areſcat, & tamquam olera herbarum in ipſa ſpecie ſui floris intercidant ?* Quid ergo de nummis autumabimus ? an ita ſunt inutiles, ut fructui ferendo reſiſtant ? De ſe nequaquam ; imo pecuniis induſtria comes reddit eas ad plurima fructuoſas. Suſpicor, aurum & argentum in quorumdam poteſtate poſitum, quaſi mutaviſſe naturam, & fœcunditati repugnare, velut ſi tranſmutatum fuiſſet in aliam ſpeciem.

S. Ambr. to. 5. l. 5 ep. 42.

Idem. tom 2. expoſ. Pſ. 36.

31. Invehitur S. Jacobus apoſtolus in dites pauperum oppreſſores : gravem comminatur eis ultionem, & ſic timore dignam, ut lacrymis ac ululatu foret æquum, priusquàm adveniret, eam lamentari. Addit ille : *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt : & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum, veſtrum æruginavit :* &c. Per

Jacob. 5. 2.

Lira ibi n.2. divitias ibi Liranus accepit naturales, *ut Bladum in horreo, & vinum in cellario, & hujuſmodi* &c. Iſtorum putrefactionem ad litteram intelligo facillimè: necnon exeſas à tineis veſtes. At difficilem intellectum vendicant, quæ ſequuntur: *Aurum & argentum veſtrum æruginavit:* quamvis aperiat hæc verba commentarium Liræ, dicentis: *In terra abſconditum.* Rationem dubitandi tradidit olim Plato, quem dixiſſe ſcribitur: *Aurum incapax æruginis.* Idem circumfertur ex Plinio. Qua ratione potuit aſſerere Jacobus, divitum, quos reprehendebat, aurum & argentum æruginaſſe? Hoc ſolet accidere ferro diù recondito. Mutaveratne ſuæ naturæ conditionem aurum in eorum locupletum poteſtate? Parum abeſt ut affirmem. Quid putas æruginare facit metallum pretioſiſſimum? Cupiditas illud ſepeliens, & nec in uſus decentes proprios, nec ad inopum auxilia ſinens de latebris egredi. Ipſa cupiditas, inquam, appellari poteſt ærugo ſpiritûs conformiter ad phraſim D. Ambroſii, qui ſic habet: *Ærugo mentis*, inquit, *eſt rei cupiditas familiaris.* Itaque mens avarâ cupiditate nimis æruginata, repoſito in animâ divitum auro multam affricat æruginem, quaſi tranſiviſſet in ferri naturam. Optimo jure per avaritiam factum eſſe nimiùm ſterile dicemus aurum; ac de ſingulis horum ſordidè tenacibus proferemus: *Eſt quaſi dives, cum nihil habeat:* &c.

Idem ad n.3. Plato.

S. Ambroſ. tom. 3. expoſ. procem. Lucæ ſi.

32. *Etiam impœnitens aliquando cognoſcit erraſſe diligendo pecunias ducẽtes in peccatum.*

Unum, ſed peſſimum, fructum gignit avaris opulentia: ſcilicet æternam damnationem. Non mirum quod ignis producat ignem. Supra n. 29. probavi, theſauros quorumdam flammæ ſimiles. Et illos per eam non illuminari, nemini dubium eſt: unde conveniunt inter ſe plurimùm hæc incendia duo: ſempiternum ſcilicet inferni, tranſitoriumque prædictarum opum: certum enim eſt, damnatos haud accipere lucem ab igne gehennæ.

Anonym. de Per. cap. poſt med.

Incertus ait: *Quemadmodum enim plumbum aut pix igni ſoluta, ſic & ignis ille omnis expers lucis eſt.* Et ne putent viles pretioſorum amatores, hæc eſſe tantùm inania terriculamenta, non pigeat Euthymium legere. *Quod*, inquit, *ſi dives difficulter intrabit in regnum cœlorum, avarus nullo modo: ſi enim condemnatur qui non dat quæ ſua ſunt, multò ampliùs qui rapit aliena.* Qualiter divitiæ ſceleribus miniſtrare ſoleant ad inferna ſupplicia ducentibus, alibi ſæpe monuimus. Adjiciam nunc S. Iſidorum Peluſiotam, dicentem: *Divitiæ autem vitii potiùs quàm probitatis ac virtutis miniſtræ ſunt: ut quæ licentiam quidem inertiæ afferant, juvenes autem ad voluptates cohortentur.* Diligens homo rem ut plurimùm adeo nocivam errat craſſiſſimè. Video permultos obcæcatos ita dilectione fugitivi nocentisque boni ſui; quòd non agnoſcunt erraſſe, reponentes cor ſuum ubi theſaurus conditur ſepultus. Attamen, ut eorum judicii craſſitudinem patenter increpemus, dicam, tam ſtupidum errorem iſtum eſſe, qui de cupiditate naſcitur, ut pro illius errati cognitione minimè neceſſaria ſit vera pœnitentia, quâ lumina mentis aperiantur, ut illud homo noſcat. Etiam impœnitens aliquando percipit quòd erraverit amans pecunias ducentes in criminis præcipitium.

Euth.com.in Matth. c.41. ante med.

S. Iſid. Peluſ. l.2.ep.146.

Non ſemel recolui difficultatem reperiri ſolitam in cognitione propriâ. Qui feliciter attigit hanc, ſublimiter adeo mente volavit, ut non ſpeculatio ſubtilis philoſophica poſſit altiùs pertingere. Potiſſimùm ſcelerum noſtrorum cognitio nobis pervia non eſt. Rem adeo magnam perficit qui propriam nequitiam introſpicit, ut regius Vates, quaſi multum obtinuerit, aſſerat humiliter de ſemetipſo: *Iniquitatem meam ego cognoſco:* ubi S. Bruno Aſtenſis: *Dignam*, inquit, *ſe pœnitentiam agere oſtendit, dum ſe iniquitatem ſuam cognoſcere, & delictum ſuum ſemper ſe ante oculos habere dicit.* Cum hæc ita ſint, non poſſum non admirari, quòd Judas carens verâ pœnitentiâ cognoverit ſcelus, quod tradens Chriſtum Dominum commiſit. *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Euthymius: *Oportebat autem*, inquit, *ante proditionem pœnitentiâ duci. Sed talis eſt diabolus: ante peccatum non permittit videre malum, ne ſequatur reſipiſcentia: poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum, videre permittit, ut mœrore afficiat, & in deſperationem præcipitet. Peccavi, inquit, tradens ſanguinem innocentem, ut effunderetur.* An gratia reſeravit mentales oculos proditoris? Neutiquam: ſed, cum ipſe fuerit ab aviditate pecuniæ deceptus; error ejus extitit adeo craſſus, ut jam ferè poſitus in tartari tenebris videret crimen ſuum. Fruere doctrinâ S. Maximi, qui ſic habet: Laqueo ſe ſuſpendit, *Ut qui ſe mulctaverat pecuniâ, mulctaret & vita: intelligens quantum ſcelus admiſerit, non ſuffecit ei ſacrilegii carere mercede, niſi careret & ſalute: dignum enim ſe morte judicavit, quod Chriſtum vitam omnium tradidiſſet.* Non verbis proſequar nunc errores, quos diſcipulus perfidus in proditione Magiſtri commiſit; ne cupidus auri (cum quo res mihi nunc eſt) vice humiliratis concipiat ſuperbiam, ſe reputans paulominùs quàm inculpabilem, eoquòd non tam graviter peccet, quàm Judas. Utilius erit conſulere, ut exemplo relicto proditoris, deceptionem propriam conſideret maturè; quæ pecuniarum amor illaqueat eum; & ſic ab avaritiâ depauperatus *eſt quaſi dives, cum nihil habeat.*

Pſal 50.6. S. Brun. Aſt. co. in Pſ. ib.

Matth.27.4. Euth.com.in Matth. c.67.

S.Maxim. de hom. Juda.

DELIBATIO III.

Quare ſit prudens dives, opibus in tacito qui gaudet ille ſinu?

34. *Non congruit fortunato quod ſua felicitas perſonet.*

IN commentario præſentis dogmatis expoſitionem prætuli, ſecundùm quam notantur quidam, qui ſe divites effingunt, abſcondere curantes paupertatem propriam; cum ſint alii ſanè divites, qui divitias occultant. De his poſterioribus nunc loquar, ſi rectâ ratione ducti poſſeſſa diſſimulant, atque ſe demiſſè gerunt & humiliter, ac ſi forent egeni. Prudentiam iſtorum laudo, vel ex hoc, quod invidiam

diam ſuſcitare contra ſeipſos nolunt. Noſti quàm ſit livor horribile monſtrum. De
S. Baſil. Mag. inter opera S. Zenonis ſer. de livor. & invid. ante med. hoc S. Baſilius Magnus ait : *Quid igitur hoc morbo tetrius ? quid humanæ vitæ perniciosius ? quid tam naturæ inimicum ? quid tam Deo ipſi adverſum ? Nec mirum : nam & ipſum malitiæ principem diabolum adverſum humanum genus nihil aliud, quàm invidiæ morbus accendit :* &c. Alia reperiuntur vitia nocentia proximis : attamen, ſi timeas ab eis lædi, media ſeſe offerunt, quibus vites damnum. Non ſic eveniet facilè, ſi fortunatus pateas aliorum invidiæ : quomodo te reddes incolumem ab iſtâ ? Egregiè S. Thomas à Villan. *Neque ſcies*, ait, *effugere : nam ſi quis iratus eſt, aut placas, aut declinas : ſi offenſus, reconciliari procuras : ſi damnificatus, ſatisfacis : ſi lubricus, provides uxori : ſi latro rem tuam cuſtodis : ſed invido quid facies, ut non noceat ?* Agnoſco vera Præſulis eruditiſſimi dicta. Audebo nihilominus ejus nixus doctrinæ remedium aſſignare pro vitando nocumento, quod ſolet inferre livor. Neſciat lividus felicitatem tuam, ac tutus eris. Nitor, inquam, S. Antiſtite, quatenus ait, invidum habere oculos faſcinantes, & venenoſos. *Invidus*, inquit, *bene comparatur baſiliſco, qui ſolo viſu occidit. Habet enim viſum faſcinantem, & oculum venenoſum.* Inſtas : Et quomodo me tuebor ab eo quod invidus percipiat auditu meam ridentem fortunam ? Jace. Neutiquam acutus eſt in audiendo lividus : imo fertur in proverbio, deſtitutam auribus invidiam : ne tuam ſortem proclames ; & fortè neſciens non invidebit. Valde congruit fortunato quod ſua felicitas non perſonet : invidiæ patebit audita ſors. Etiam huic plaudentes ita ut reſonet plauſus, inſcii nocent felici, livorem alienum excitantes : non eſt conveniens proſperis ille ſonus.

S. Thom. a Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. in Paſſ.

Idem. ib.

35. Malè ſanâ mente deluſus adoleſcens, quaſi maximas vita noſtra faceret moras, non tulit expectare funus parentis, ut hereditatem acciperet. Poſtulavit ab eodem portionem ſubſtantiæ : quâ jam congregatâ peregre profectus eſt, & quidquid poſſidebat luxuriosè diſſipavit. Neceſſitas denique magiſtra docuit ut reverteretur ad patrem, admittique flagitaret ab eo ſicut unum de mercenariis. Venientem pater vidit, & benigniſſimè ſuſcipiens, quaſi novam filii nativitatem celebraret, poſt alia dixit ad ſervos : *Adducite vitulum*
Luc. 15. 23 24. *ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. quia hic filius meus mortuus erat, & revixit* ; &c. In eâdem parabola, poſtmodum lego, concentu muſico epulum exhilaratum fuiſſe : non tamen ſcribitur, parentem ſervis injunxiſſe, quod muſicam pararent, ad majorem convivii jucunditatem. Et cur non ? ſuſpicor, veritum fuiſſe genitorem, ne filii ſors cantu perſonaret ; ac inde generaretur livor in ejus fratre ſeniore, qui menſæ conviva non extitit. Quod timebat evenit. Perlege
Ib. n. 25. parabolam, & invenies : *Erat autem filius ejus ſenior in agro : & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit ſymphoniam & chorum :* &c. Scis quid ortum fuerit inde. *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* Et infra : *Numquam dediſti mihi hædum ut cum amicis meis epularer : ſed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Vides fratris livorem excitatum fuiſſe occaſione ſumptâ ex audito ſono, quo domus concrepabat, denuntiante ſortem germani. Quamvis aliò tendat Chryſologus, proſunt hæc ejus verba : *Invidum fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui, vocat ratio naturæ : hunc pervenire zelus non ſinit, livor non patitur introire.* Pater cautus non juſſit, ſymphoniam & chorum præparari, pro celebrando gaudio reſtituti filii, ne hujus inſonans fortuna livorem patris pateretur ; licet poſt non vetaverit muſicum, ſonum, amore gaudioque veluti coactus. Non audiat invidus te felicem, præſertim ab ore tuo : ſile, quò livoris pericula, vel tollas, vel minuas.

Ibid. n. 28. 29. 30.

Chryſolog. ſer. 4.

36. Reſpondet ad iſta vir felix, proſperitate ſua ſtrenuus factus ; ac viribus confortatis deſpiciens invidiæ truculentam feram : Quid refert an invidear ? Præſtat invidioſum eſſe quàm infelicem : torqueantur malis avibus invidentes mihi : nolo præcidere felicitatem meam abſcondens eam ſilentio. Non prudenter hæc dicuntur : cautè metuendus eſt livor à ſapienti ; vel ab extraneis, vel à familiaribus invidia ſurgat. Pone quòd nullus reperiatur invidus, qui tibi nocere poſſit, aut velit : adhuc ab aliis (& etiam à quibuſdam qui damnum tibi non intentant) invidentibus effugiendum eſt cordato viro ; licet amicitiam tecum gerere proteſtentur iſti. Fœdera cum liventibus tuta non ſunt. S. Baſilius Magnus : *Oportet*, ait, *quantum poſſibile eſt amicitias ab invidorum converſatione abducere, ut extra invidiæ tela conſiſtamus. Neque enim aliàs invidiæ implicari poſſumus, ſi non per familiaritatem ipſi appropinquemus.* Abiit in proverbium : Vicinus invidet vicino. Quâ igitur ſecuritate reputabit proſper immunem ſe diſcriminibus, invidiæ prole, propterea quòd hi, qui ſortem ejus admirantur, ejuſdem familiaritati ſe lubenter ingerant, & ab ipſis pro tunc is nihil patiatur mali ? Si fortuna ridet ; cave tibi fœderatos ; quamvis ad te ſponte congregentur, & nihil afferant nocumenti : ſocietatem illorum noli, ſemel atque iſtos noveris invidere tibi.

Societatem invidi noli ; quamvis fœderatus illi ſis, & ipſe ingerat ſe.

S. Baſil. Mag. hom. 10. inter var.

37. Peregrinus Iſaac in Terra Palæſtinorum, Dei adjutorio, necnon agriculturæ creſcens induſtriâ locupletatus eſt, factuſque magnus vehementer. Abimelech rex Geraræ, livore tactus (& regalia pectora rodit !) ad illum dixit : Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. Commentatur aureus Pontifex : *Conſidera quanta illorum malitia, qui & aquas juſto invident : & neque rex, qui in tantâ poteſtate erat, invidiam continere potuit : ſed dicit : Abi à nobis, quia potentior nobis factus es tu.* Diſceſſit Iſaac ; atque tandem in loco dicto Berſabee tabernaculum extendit. Illò venit Rex, ſecum deferens amicum quem-

Geneſ. 26. 16

Chryſoſt. to. 1. hom. 52. in geneſ.

dam, & ſimul ducem afferens militum. Tunc locutus eſt eis Patriarcha: *Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* Omitto reſponſum præſtitum Iſaaco: tantùm expendere libet, eos iniviſſe fœdus cum Patriarcha; non tamen propterea hunc iviſſe cum illis. *Juraverunt ſibi mutuò: dimiſitque eos Iſaac pacificè in locum ſuum.* Notatu dignum eſt, quod homo poſitus in exterâ regione non conetur à rege obtinere, ut permittat eum in civitate regiâ morari; necnon ejuſdem familiaritate frui, poſt initum cum eo fœdus: ſic enim repellere poſſet injurias facillimè; quibus expoſiti degunt homines alenigenæ. Nonne venerat occaſione famis ad eumdem regem? Sic legimus: *Orta autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech regem Paleſtinorum in Gerara.* An mutavit cum ſorte naturam, ut valde locuples effectus regem deſpiceret ipſe, qui priùs fame coactus ad eum venerat? & ei ſuperbè dixit, ſimul & ad comites duos: *Quid veniſtis ad me?* &c. Minimè ſuperbiâ turgens hæc protulit Iſaac: nec deſpiciens regem omiſit poſt ire cum eodem. At antea cùm ad ipſum acceſſit, nullum in eo noverat invidiæ ſignum. Poſtea ſibi cognovit invidentem, ut ex prædictis liquet. Unde quamvis requiſitus fuerit ab Abimelech ut fœderarentur ambo, pactumque fuerit inter eos, non ideo familiaritatem amavit illius, cujus invidia circa ſe nota fuerat Iſaaco. Invigilet ſibi propter, & caveat etiam ab invidis, cum quibus fœdera junxit. Etſi nihil ab eis timeat mali, familiarem ſe non exhibeat liventibus: nec unquam ſe tutum reputet ſanctis amicitiæ legibus protectus: divertat potius ab oculis invidorum: quin imo ſi fieri poſſit, ab auribus ipſorum longe diſtet.

Geneſ. 26 27.

Ibid. n. 31.

Ibid. n. 1.

38. *Vanitas eſt diteſcēdi ſtudio materiā livoris colligere.*

Hinc patet, ſtultè nonnullos importunis vocibus, & ſibi non opportunis, publicè divitiarum oſtentationem auditui cunctorum obtrudere. Fortè ſic garruli perſtrepunt, ad hoc ut etiam per aures proprias jactantiæ ſuæ voluptatem ex opibus percipiant. In facultatibus oculos paſcunt avidè, cùm nummos & alia pretioſa frequenter viſu perluſtrant: olfactum recreant odoramentorum deliciis: tactum numeratione pecuniarum titillare cogunt: guſtum quotidianis conviviis delectant, ventri ſervientes & gulæ. Deerat ſolus auditus, ut omnibus quinque ſenſibus voluptatem ſibi ſumeret ipſe de bonorum ſæcularium abundantiâ: cui ſenſui jactantia miniſtrat, loquacitate multâ divitem hominem blaterans. Audiunt alii clamitantem; & invident, cum non mediocti locupletis periculo. Neſcit miſer, vel contemnit veritatem illam, quam plures docuit experientia, memoraturque Lipomanus, inquiens: *Divitias invidia comitatur* &c. Adeo livor eſt individuus comes proſperitatis, ut illi ſatisfacere nequeas, niſi vel pereat proſpera fortuna, vel calamitate perturbetur. Efficacia ſunt hæc amarulenta remedia; ſed ferè nulli voluntaria. Abbas Piammon: *Quis autem,* inquit, *eſt qui ſe, ut ſatisfaciat invidenti, à bonis corruere, aut à proſperis alienari, aut calamitate aliqua optet involvi?* Nihilominus vix erit qui recta ratione utens, ac dives factus, renuat fateri, gaudium illud, quod pariunt opes, imminui per aliorum invidiam. Utatur opulentus hoc tædio, quod ex alieno livoris morbo concipit, ut agnoſcat, vanum eſſe ſtudere conquirendis theſauris, qui morſui patent invidi. Vanitas eſt colligere peritura: quod rationibus plurimis docet prudentia. Sed, ut evanidum credas hoc diteſcendi ſtudium, ne ſpernas iſtud motivum: ſcilicet quòd ita ſollicitus quæris invidiæ materiam: inanis eſt iſta ſollicitudo.

Abbas Piam. apud Caſſiā. coll. 18. c. 17.

Eccleſiaſtes diſcurrens per mundi theatrum oculo mentis, omnia vana dixit. Et ad quædam ſpecialia deſcendens, ait: *Contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt.* Pro dictorum intelligentia quæſtio litteralis fit, an illa verba Salomonis: *In hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt,* ſint accipienda q. d. Vanum eſt invidere fructui, quem alii colligunt de laboribus & induſtriis, & invidentis cura ſuperflua eſt? an vero ſumenda ſint, quaſi denuntietur, laborum & induſtriarum, de quibus ibi, vanitas & curarum ſuperfluitas? Lira ſtat pro ſecundo ſenſu: commentatur enim ſic: *Id eſt, in ſtatu dominii acquirendo eſt vanitas ſuperbiæ,* &c. Hoc ſenſu poſito verborum Sapientis, examinandum eſt, ut quid invidiæ meminit hoc loco Salomon, ut inde ſtatim aſſereret, reperiri vanitatem in illis hominum induſtriis atque laboribus? Sufficiebat equidem, ut vanitatis notaret illos induſtrioſos ac laborantes, intrinſeca rerum fluxarum conditio, quas ipſi deſudantes quærunt, ac torquentes ingenia conquirunt. Quid morum regius Præceptor argumentum quærit à livore, cui ſubſunt laborantes & induſtrii prædicti nuper, ut affirmet, in ipſis reperiri vanitatem & curam ſuperfluam? Speciale fundamentum ſeſe obtulit ſapienti, quo crederet illa cuncta vana: ſcilicet invidia proximi, cui patent. Etſi nullum eſſet aliud menti noſtræ ſignum, ex quo perciperet vanitatem laborum & induſtriarum, quibus homines inquirunt opes & ſimilia, ſatis eſſet, ut rideremus horum puerilem curam expendere quòd materiam livori ſic volentes, aut nolentes, præbent. Hæc divites jactabundi mente revolvant, ut ſaltem hac viâ coerceant ardorem acquirendi facultates: ne ſcilicet invidiæ flammis pabulum ſubminiſtrent.

39.

Eccle. 4 4.

Lir. ib.

Uideo nonneminem iſtiuſmodi monito reſpondere, ſe nequaquam indigentibus aperire quod abundet: foret enim hoc ſuperbiſſimum genus inſultandi miſeris: ipſis nempe bonorum copiam ſuorum velut exprobrare jactante linguâ; confundente quaſi per vituperium pauperum inopiam: ſed gaudium ſuum de fortuna prædiviti communicare quibuſdam abundantibus colloquentem: nec in iſtis adeſſe diſcri-

40. *Aliquando non invidebit diviti pauper; ſed locuples.*

Lipoman. in Geneſ. 31. in princ.

men

men ut invideant, cum ipſi pariter ſint copioſi: vitarique livoris periculum, ſi non audiant iſta pauperes, qui ſolent proſperitate fruentibus invidere. Sic ille reponet quicumque datæ doctrinæ renuit acquieſcere. Fallitur, ſi credit, in ſolis indigis reperiri livorem circa bona, quibus alii replentur, & ipſi carent. Invidia de proximi læta ſorte commune malum eſt inopibus atque ditibus. Invident exundantes locupletiori, quia velut exiſtimant, ſibi detractum fuiſſe, quod alteri datum ab amica fortuna. Tempeſtivè S. Gregorius Papa: *Difficile namque eſt*, inquit, *ut hoc alteri non invideat, quod adipiſci alter exoptat: quia quicquid temporaliter percipitur, tantò fit minus ſingulis, quantò dividitur in multis: & idcirco deſiderantis mentem livor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate reſtringit.* Hinc fit, ut aliquando vel nulla, vel minor invidia pungat egentem, cum cernit, aliquem à miſeria, quâ premebatur, ſurrexiſſe feliciter ad copiam; quàm æqualiter opulentum, dum videt, eumdem ſibi coæquari. Parum, longeque minus habens, aſpiciet ſubitam felicitatem alterius, qui de ſordibus emerſit inopiæ: quandoque vel non invidebit, vel pectore ſupprimet hunc vitioſum affectum; non autem ſe geret ſimiliter qui non eſt inops: ex corde hujus erumpat flamma zeli.

S. Greg. M. to. 1. l. 5. mor. c. 31. n. 34.

41. Ante paulo ob Verſavi parabolam adoleſcentis veſani: qui prodigalitatem luxui copulans ad ſummam paupertatem juſtam damnavit injuſte ſemetipſum. Sed quia ſimilitudines parabolicæ ſacris litteris propoſitæ velut quædam ſpecula ſunt ad maculas animæ detergendas, non ſemel ſufficit aſpexiſſe: rurſus ænigmatis medullam perſcrutemur. Filii reverſio parentis animum ſic exultare ſuaſit, ut epulando celebraverit ejus lætitiam. Invidit frater ſenior, prout aliorſum proximè ſupra notavi: non tamen livorem hâc de prodigi felicitate legimus in ſervis ejuſdem patrisfamilias. Novum non foret, iſtos ægrè ferre gnati reverſionem in domum paternam: nam cum ſervientes ut plurimùm obediant neceſſitate, vel alia ſimili causâ perſuadente, non eſt infrequens, illos tædere multiplicari perſonas in ea domo cui miniſtrant; præſertim eas, quibus non eſt adhuc maturitas ætatis multa; cum ſæpiùs inſultent ſervis, & illis imprudenter labores injungant. Haud attamen verbo vel opere de ſervis quiſquam indicavit ſe tunc ita lividum, quòd adoleſcentis perditi ſors melior facta fuerit ſic, ut redierit ad fruendum paternis bonis. Quamvis non exeam ab exteriori ſpecie parabolæ, meditor ſervos non invidiſſe filio reſtaurato, vel ſaltem invidiam clauſiſſe pectore, quoniam inopes erant, ſeu non abundabant, prout ſolent qui ſimilibus inſerviunt. Senior autem genitus, qui, licet adhuc poſitus in tutela patris, appellari poteſt locuples (cum illi genitor dixerit: *Omnia mea tua ſunt*:) invidentia de bono fratris fœdatus eſt: quia cernebat adveniſſe coheredem, & inde credidit, ſe damnificari. Opportunè Chryſologus: *Frater credidit damnum, qui rediiſſe conſpicit coheredem. Et quando invidus non avarus, quando quicquid habet alter ſe computat perdidiſſe?* Ne reputet cuſtodiens argenti pondera, jactantioſus oſtentator eorum, ſe propter ea non invidendum, quia theſauros non exhibet oculis pauperum, ſed tantùm divitibus. In iſtorum domibus iniquis theſaurizatur ignis, ut colligitur ex iis, quæ ſupra dixi n. 29. Cumque, ſicut alibi notaviſſe memini, fumus invidia ſit, ibi timeat fuliginem, ubi latet flamma.

Luc. 15. 31. Chryſolog. ſer. 4.

Alii ſunt, qui ſe credunt evaſuros parium invidiam, eoquòd illis benefecerint: nam cum invidia ſit aliquale genus injuriæ, quatenus triſtatur de bono poſſidentis; ac dites facilè credant, inventuros fore gratiſſimos eos, quibus contulere beneficia; ſibi ſuadent, nullum ex iſtis per livorem contriſtandum eſſe de ſorte ſuâ. Heu caveant ab invidis: quia nomini parcunt etſi benefactori ſuo. Appoſite Valentinus Epiſcopus, *Tertio eſt*, inquit, *vitium periculoſum: nam unus invidus ſufficit evertere unum populum: non enim cavetur, quia non ſentitur. Quis enim caveat ab amico, cui plurima fecit beneficia, & in nullo eum læſit? In hoc ſolo læſum ſe putat, quia bene tibi eſt. Invidus nemini parcit: ſic detrahit amico, ſicut inimico.* Nonne vigilat homo necnon ab illis, qui ſe putant offenſos ab ipſo, cum ſit innocens erga eoſdem? Quid refert alium nullo malo prorſus affeceris, cùm illuſus is te credit offenſorem ſuum falſò? tutus eris ab eodem, quia nihil adverſùs illum commiſiſti? Invidus cupiditate ſuâ deceptus æſtimat offenſam eſſe propriam quòd felicitate fruaris: ſecurum te non judices ab eo, præſertim ſi beneficus ipſi profuiſti. Conſulerem fortunatis, ut magis timerent invideri per hos, quibus impertiti ſunt beneficia; quàm ab iiſdem priusquàm aliquo munere donarentur ab eis. Comitari ſuperbia ſolet invidiam, & elationem ingratitudo: ne confidas, invidum beneficentiâ tuâ devictum, nequaquam dolore corrodendum eſſe de ſorte, quâ potiris: quin & poſtquam accepit à te munus, ab ejus livore caveto vigilantiùs, quàm priùs.

42. *Invideberit forte plus eâ benefecerit.*

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. in Paſſio.

Adhuc hiſtoriam Joſephi meditatiunculâ quadamtenus illuſtrabo. Narrationem, quâ per varios caſus ejus vita circumrotata proceſſit, haud eſt otium texere nunc, toties in præcedentibus repetitam. Illud modò tantùm expendam, quòd poſtquam denique venerunt fratres genitorem deferentes in Ægyptum, quamvis illos tenere diligeret, ſollicitus curaverit, ut non habitarent in urbe regia; ſed morarentur in terra Geſſen. Ipſos monuit, ut Pharaoni quærenti quodnam extaret opus illorum, reſponderent ſe viros paſtores. Et quo fine? *Hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in terra Geſſen: quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.* Cur, quæſo, germanos haud vult Joſeph cum eo pariter habitare domo eâdem? Non deerit qui reponat in proſperitate magnâ conſtitutum refugiſſe quotidianos oculos

43. Gen. 46. 34.

eorum,

eorum, quorum invidiam fuerat expertus. Non multùm reluctabor ſic opinanti. Sed adhuc ſcrupulus urget. Cum Joſephus erat in domo genitoris, non potuit neſcire fratrum invidiam; cum à paterna dilectione præponeretur ipſis, & illi propterea nunquam pacificè loquerentur ei. *Videntes autem fratres ejus quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Quare Joſeph tunc non poſtulavit à parente ſuo concedi facultatem deſerendi ſaltem ad tempus domum paternam, contuberniumque germanorum; ne fratres invidiâ perurgente pararent ipſi malum, anxii propter illius felicitatem, quam in corde Jacobi donaverat amor? & poſtea fortunatus in Ægypto ſollicitat à ſe dividere fratres in Geſſen, ut non reincidant in livorem de ſorte germani? Conjector, non putaviſſe Joſeph, tam ſibi metuendum ab invidentibus eo tempore, quò nullum adhuc munus contulerat eis. At poſteaquam Ægypti gubernator factus eos affecerat beneficiis, cavendum prudentiſſimè duxit ab illis, quos invidiæ turpitudine maculatos olim fuiſſe noverat; ut non quotidie conſpicientes proſperitatem, qua potiebatur, rurſus in ægritudinem priſtinam laberentur. Multis beneficus fuiſti, bonis tuis liberaliter uſus: non ideo tibi ſecuritatem fingas, quaſi certus, quod à munerum debitoribus non invideberis. Ex prædictis reliquum eſt concludere, nequaquam eſſe conſultum diviti proprias opes verbo, ſeu facto jactare; quantumlibet aliis extiterint utiles. Humilitate reprimitur aliquoties multorum invidia, ſicut ignis pulvere. S. Ambroſius: *Et hinc* (loquitur de Abraham tacente Saram uxorem ſuam eſſe) *grande virtutis myſterium, cui cito invidetur. Et ideo ut invidiam reprimat, humiliorem ſe præſtare debet.* Humiliet ergo ſe dives, agens modeſtè *quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit.*

Ib. c. 37. 4.

S. Ambr. to. 1. l. 2. de Abrah juxt. med. c. 4.

DELIBATIO IV.

Inconſtantia utriuſque fortunæ, ditis & indigæ.

44. *Divitiæ quæ cito veniunt concitatæ vadunt.*

INter aliquas acceptiones hujus gnomæ, quam tractamus, relatas in commentario ſupra, quamdam propoſui, juxta quam Salomon hîc oſtendit inconſtantiam opum; quâ fit ut repente diteſcat is qui nihil poſſidebat, & econtrariò decidat in miſeriam opulentus. Rodolphus ad hunc locum. *Vel eò ſpectat ut oſtendat inconſtantiam divitiarum, quò nos deterreat ab illis: ut ſit ſenſus: Eſt qui dives evadit ſubitò, cum penitus nihil habeat: econtra, eſt qui repente ad ſummam inopiam delabitur, cum eſſet locuples.* Ex parte lateret multos divitiarum levitas, dato quòd ſemper advenirent greſſu tardo: nam putarent aliqui, maximî ponderis eſſe bonum iſtud, quod nunquam velociter accederet. Ac etſi poſtea repentinâ jacturâ pereant; iſtam pernicitatem in abeundo non tribuerent ipſarum naturæ, ſed hominum rapientium furori, violentâ manu trahentium eas ocyus de poteſtate divitis. Ut hujus hallucinationis occaſio minuatur, Dei providentiâ perſæpe fit, ut nullo rapiente, velociſſime facultates amittantur ab uno, celeriterque deveniant ad alium. Ventus, qui movet pulverem, eâdem velocitate diſpergit hunc ab iſtius agro, qua propellit eum ad vicinum. Fortuna frequenter opes tam ocyter aufert ab iſto, quàm donat eas alteri. Simeon junior: *Nonne divitiæ*, inquit; *ut pulvis à vento diſpergentur? nonne putreſcent corpora in ſepulchris? & fortunæ iſtæ caducæ alios habebunt dominos, deinde alios, & poſt hoc rurſus alios? Et cujuſnam, dic mihi anima mea, facultates iſtæ, & copiæ fuerunt?* Imitatur opulentiæ nativitas non ſemel exitum ejuſdem: quia citò venit, atque citata vadit: breviter naſcitur? feſtinanter perit.

Simeon junior l. ſacr. com. c. 35. in pr.

Juſtificationem ſuam conſtanter proſequens Job, de impii ſupplicio nonnulla dixit: quibus addidit ſequentia: *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas.* Dubitabis, de quanam aqua ſermo ſit ibi. Doctus Pineda ſic ſcribit: *Intellige aquam, vel è ſublimibus montibus præcipitatam, quæ incredibili impetu obvia quæque rapit, ſecumque præcipitat; vel imbrem noxium cum tempeſtate cadentem, ita ut ſequenti ſententiâ hæc prior exponatur.* Et quænam ſimilitudo viſitur inter inopiam & imbrem? Diſſimilitudines invenirem faciliùs. Aqua pluvialis fœcundat agros: deſideratur ab agrorum dominis in tempore ſuo; paupertas autem hominem reddit apud ſæculum velut ſterilem: ne video, poſſeſſores bonorum illam cupere. In quo ſimilatur egeſtas imbri? Non inopportuna ſimilitudo hæc eſt. Cum largiter pluit brevi ſpatio temporis torrens abundat aquis; & eâdem feſtinatione vacuatur illis. Non diſſimiliter accidit in facultatibus mundanis perſæpe: dives oppletur breviſſimè torrentis in morem; ſed etiam feſtinanter exinanitur habitis. Rotæ ſimilis motus hæc varietas eſt, nequaquam delectans mortales. Quod circumrotatur, eâdem feſtinatione recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem. Qui ſubitò diteſcunt, vereantur pauperiem repentinam; ut non cum ipſis abeant in perditionem; vel, potius dicam, ſine ipſis.

45. Iob. 27. 23.

Pined. in co. ib. ad n. 20.

Rodolph. co. in Prov. 13. 7.

Non ſuperfluum dicas admonuiſſe rem adeo notam: ſcilicet quàm inconſtans divitiarum poſſeſſio ſit. Non, inquam, ſupervacaneum ducas hortari mentes hominum ad meditandam opulentiæ mutabilitatem: quippe quæ vix ab ullo perfectè comprehenditnr, quantumlibet ob oculos experientiæ poſita. Contingere mihi videtnr in hac re quamplurimis quod omnibus nobis accidit circa marinos æſtus. Cernimus, mare jam receſſiſſe: poſtea cognoſcimus factum æquoris acceſſum: nemo tamen eſt, qui plenè capiat oculis quomodo retrocedat, & progrediatur aqua. Si cauſam rei tam quotidianæ quæ-

46. *Vix ullus hominum perfectè noſcit inconſtantiæ divitiarum.*

ras à Philoſophis, nihil reſpondebunt, in quo tuus quieſcat intellectus: nam illud, quod fertur communiter de luna, parum lucis affert in ſubjecta materia; rurſuſque mentem relinquit in eiſdem dubii tenebris. Similiter evenit erga copiarum inconſtantem receſſum & acceſſum. Vel rarus, vel nemo viciſſitudines illarum percipit apprime; quamvis mundi mare coram poſitum videat: nam & æquor mundus eſt. S. Bruno Aſtenſis ad illud Pſalmi: *Convertam in profundum maris*, ait: *Mare verò mundus iſte eſt*, &c. Capere non ſolent mentales oculi noſtri feſtinationem, quâ volatilia bona diſparent. Etſi perſpicaciter ſublimiora penetramus, neſcio quid magnæ difficultatis invenitur in hujus veritatis exactâ cognitione, quòd ut plurimùm fugit humana lumina concitatio, quâ mundialium copiarum fluiditas rapit hominem ab opulentiâ in egeſtatem.

Ad Pſal. 67. 23. Brun. Aſt. in com.

47. Ad Siracidem Salomonis imitatorem gradum faciamus, ut ex illius dicto Salomonicæ parabolæ ſenſum illuſtremus. *Memento*, inquit, *paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatum paupertatis in die divitiarum. A mane uſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Lucem accipiunt verba poſteriora: *Hæc omnia citata in oculis Dei* per verſionem Græcam: juxta quam, prout aſſerunt ejus linguæ periti, ubi legimus in Vulgata lectione, *Citata*, reſpondet vox, quæ valet idem atque, *Velocia*, *Properantia*: Aliquis interrogaret libenter Eccleſiaſticum circa præſentem locum, quid novi dicat, ſeu quid magni per id affirmet, quod aſſerit, properationem temporalium facultatum à Deo cognoſci. Conſului Gandavenſem Epiſcopum. Textum ſolita luce donat; ſed hæſitationem non tollit omnino. *Aliter*, ait, *intelligi poteſt, à mane uſque ad veſperam mutari tempus, quia nunquam tempus in eodem ſtatu permanet: & omnia, quæ in tempore ſunt, in oculis Dei eſſe citata, quia coram illo cito tranſeunt, nec diuturnam habent ſubſiſtentiam.* Urget lectoris curioſa diſquiſitio. Si tantùm voluit Siracides aſſeverare, Deum noſcere vel divitias, vel res omnes, quæ in tempore ſunt, pertranſire velociter, non multùm per hoc laudavit ſapientiam Dei. An iſta non abditiſſima penetrat? quid ergo mirum quòd inſpiciat prædictam celeritatem, quæ necnon & perſpicuè patet experientiis mortalium; Reſpondeo. Experimur utique mutabilitatem divitiarum: ſed adeo difficile multis eſt earum inconſtantiam penitiùs agnoſcere perfectè, quod non modica laus eſt divinæ ſapientiæ labilitatem opum ſuis oculis penetrare; cum tot rationales aliàs ingenioſi non eamdem perſpectam habeant, niſi fortè cum jam abierunt. Receſſus æquoris, ut ſupra dicebam, paupertas eſt: abundantiam receſſiſſe bene cernimus: mutabilitatis cauſas & naturas vix unquam dives mundanus addiſcet ſub abundanti fortunâ.

Eccli. 18. 25. 26.

Lect. Græc. ib.

Ianſen. in co. Eccli. ib.

48. Ut huic neſcientiæ meditatio prudens applicet medicinam, vellem dignoſcere, quodnam ſit genus infirmitatis, quâ prædiuntur permulti divites, ne perveniant ad integram cognitionem inſtabilitatis auri & argenti; quamvis terræ ſint iſta partus, quam ſcimus naturâ ſuâ ſtabilem. Utinam ita facile mederemur divitis morbo, ſicut eſt pronum dignoſcere quiſnam ſit. Defectus cognitionis, quam habuiſſe debuerant, quid erit niſi voluntaria cæcitas? Frequentiſſimus eſt languor oculorum in conſervatoribus facultatum. S. Laurentius Juſtinianus: *Et quotquot* ait, *in explendis voluptatibus carnis, ſive in aggregandis divitiis inardeſcunt cæci ſunt iſti, & in tenebris ambulant*, &c. Cæcitate laborant inquam, plurimi locupletes. Familiaris eſt cæco metus, cùm non ſequitur ducem; & etiam ſpes, quæ timorem comitatur multoties. Formidat captus luminibus lapſum; & ſimul ſperat, ſe non lapſurum, quia non cecidit. Cæcatus amore gazæ dives in via ducem reſpuit monentem: pavet à proſperitate decidere; & ſpem conſervat, evaſurum eſſe pauperiem, ex eo quòd uſque nunc in ſortis culmine perſiſtat. Proficuus eſt aliqualiter Præſul proximè datus: *Verùm*, inquit, *ſi tenaciter cumulentur divitiæ, ſecum habent diffidentiam divinæ providentiæ, inſatiabilem aggregandi cupiditatem, timorem anxium depauperandi*, &c. Fervens congregandi ſtudium, quod opulentos aliquos perpetuò movet, inſinuat, eos non vacare ſpe, quòd uſque ad vitæ finem proſperitas eorum perdurabit: ſed hæc fiducia commiſcetur trepidationi quæ oritur de alienis experientiis. Clamant iſtæ, monetque timor ſalutaria præbens hortamenta: plures tamen haud credunt à longe minitanti paupertati venturæ: nec fides habetur ei: quia mens illuditur ſpe, quam ſervant evadendi pauperiem. Licet metuant egeſtatem ſuperventuram fore; tamen confidunt evaſuros.

Divites quidam nõ credunt pauperiatem venturam.

S. Laur. Juſt. tr. de ſpirit. ani. reſurrec. poſt med.

Idem. ib.

Utrumque nuperrimè dictum ſtabilire cupio noſtri Paremiaſtæ ſententiâ. Deſidiam curans diſſuadere, ſapienter ait: *Veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.* Septuaginta verterunt: *Deinde ſuperveniet tibi tamquam malus viator paupertas, & egeſtas tamquam bonus curſor.* Quam lectionem ſic exponit Cornelius Alap. *Septuaginta per malum viatorem intelligunt inſidiatorem & prædonem: q.d. Egeſtas inſtar prædonis invadet & prædabitur te, teque nudum & egenum efficiet. Per bonum curſorem accipiunt velocem, qui velociter currit ad prædam & ſpolia*, &c. Vulgatam illuminare tentantes à verſione Septuaginta, diſquiramus quid ſimilitudinis inveniatur inter pecuniam & prædonem, ſeu curſorem ad prædam currentem. Quædam ſeſe nobis offert, ad confirmanda quæ dicta ſunt. Viam carpis, in qua ſcis, jam alios viatores depauperatos fuiſſe per furem, vel hoſtem: attamen per eamdem ſemitam iterfacis; non credens te ſpoliandum; quamvis id timeas: nam ſimul in pectore tuo copulantur metus expoliationis, & ſpes evadendi: timor debilitat fiduciam; ſed non tollit: confidentia redarguit metum; non autem pacat eumdem. Sic utro-

49. Prover. 6. 11. Lect Sept. ib. Alap. ibid.

que ſociatus affectu, neutrius commodo plenè frueris; quia nec præ timore ſecuritatem ſollicitas integrè (quam utilitatem præſtare tibi formido poterat) nec de ſpe roboratus omnino quieſcit animus; quam tibi quietem præbere poſſet ſpes, dato quòd non adeſſet ille tremor. Accommoda, ſi placet, lector, iſta divitibus nonnullis. Inopiam, quæ valet eos deprædari, reformidant: ſed parùm vel nihil formidando proficiunt, ad hoc, ut ſe tutos reddant ab egeſtate prædatura: nam vana ſpes evadendi pauperem animos injicit, ut eamdem viam quam cœperunt perſequantur. Nec timorem pellit confidentia nec fiduciam compeſcit metus. More cæcorum confidunt, lapſuros non eſſe: ſimulque greſſus ponunt illi timidos, ne cadant in foveam pauperiei. Si lumina mentis aperirent, deſiſterent ab inceptis, agnoſcentes futura paupertatis pericla præſentiſſima ſæculi ditibus eſſe: nam ſubitaneè non ſemel fit *quaſi pauper cum in multis divitiis ſit*, qui mundo ſervit.

50. *Juſtum Deus quandoque patitur ſerò ditari, ne plùs apud ſæculum immorari cupiat.*

Dum ſupradictam feſtinationem, quâ multoties diteſcunt aliqui, penſitarem, venit in mentem, quod non ſemper iſtius felicitatis velocitas juſto contingit: ſæpe tranſeunt annorum ſpatia plura priuſquam divinâ providentiâ favente ditetur. Cur ita? Non conſilia Dei perſcrutari temerarius audeo; ſed hujus providentiæ ſapientiſſimæ rationem aſſigno. Nequaquam infrequenter Deus retardat probo viro poſſeſſionem divitiarum; ne, ſi contingat aliter, afficiatur erga terrena bona corde ſuo, quod ſibi Dominus vellet purè totum dicari. Perfectio virtutis aſcendit per carentiam affectus erga res temporaneas, ita quòd hominem faciat velut ad Angelorum ordinem ſuſtolli. S. Dionyſius Areopagita: *Nunquid tunc*, ait, *magis ad Angelicas virtutes accedunt, cum rerum divinarum ſtudio, quantum poſſunt, à materialium affectione recedunt* &c. Econtra nulli dubium eſt, juſtorum virtutem ſæpius amore temporalium enervari. Idem Areopagita: *Dici poteſt, divinæ juſtitiæ magis congruere, ut nunquam patiatur proborum virorum virile robur rerum materialium largitionibus enervari atque emolliri*; &c. Admiraris hominem inculpabilis vitæ, penuriâ laborantem: qui, ſi quandoque felix emergit ad abundantiæ proſperitatem; non illam aſſequitur niſi poſt ſudores multos; Putaſne de iſto Deum parum ſollicitum? Deciperis: providentia peculiaris eſt. Laboriosè ditari Dominus eum nonnunquam permittit auxilio temporis, & pluribus intervenientibus ærumnis, ut non amet in obſequio ſæculi plùs immorari. Ne mundi ſocietas dulcis juſtò ſit, patitur Amantiſſimus, ut non repente diteſcat.

S. Dion. Areop. l. de divi. nomi. c. 8. ante fi.

Idem. ib.

Quoties recolo, Jacobum à Deo priuſquàm naſceretur dilectum, non deſino mirari, quod illum fortunæ bonis repleturus Omnipotens ita moratus fuerit, ut priùs non modico tempore pauperiem, vitæque paſtoritiæ detrimenta ſuſtinere ſiverit. Multam poſtea recepit à ſummo Protectore Jacob abundantiam largâ manu: ſed liberalitatis munus eſt non ſolùm plura donare, ſed citò. Quare divina largitas, cui non æquatur ulla, detinet quod effudit poſtea; Satagebat providentia, ne ſuavia forent adeo Jacobo lucra (dato quòd breviſſimo tempore ditaretur in domo Labani juſtus) ut apud hominem idololatram longiores adhuc moras trahere deſideraret: quod viro ſectanti virtutem non congruebat. Frange litteralem hiſtoriæ corticem, extrahes moralitatis nucleum. Laban ſignificare mundum ex pluribus dixi variis in locis. Vide ſupra n. 23. vel elige quos retuli to. 1. fl. 16. n. 18. fl. 30. n. 41. & to. 2. fl. 14. n. 22. Jacob verò Chriſtianorum figura. Sedulius: *Jacob*, ait, *figuram Chriſtiani, Eſau verò Judaïci populi gerebat.* Per nimis ærumnoſæ vitæ longa ſpatia juſtus homo quandoque ditatur, Domino ſic providente; ne, ſi recipiat facillimè ſubitò de temporalibus negotiis emolumentorum copiam, affectio ſæcularis intret ejus præcordia, velitque manere jugiter in obſequio mundi longiori tempore permittitur, de prolixo labore, quo bona quæſita conſtavere, tædium generari, quò citiùs, ut valuerit, mundo valedicat. Ecce qua de cauſa, licet ad alios opes advolent non inſontes; frequenter experiatur vir bonus moras in ſubjectâ materiâ.

Sedul. com. in Ep ad Heb. c. 11.

Adhuc inquirendum reſtat aliud circa Dei providentiam erga juſti poſſeſſiones temporarias. Bene habet quòd ſæpe juſtus dives fiat morosè, ut experiatur, quàm difficiles viæ ſæculi ſint; per quas inoffenſo pede procedens conſequitur in ſudore vultus bona vitæ mortali congruentia. Sed poſtquam ſemel opulenti facti ſunt Deo juvante recti viri, quare non omnipotentia curat, ut omnes à jactura facultatum, quas acquiſierunt, ſint immunes privilegio ſanctitatis? Etiam in iſta circumſtantia cælitus attenditur ad ſpiritualem profectum virtutem diligentium. Agnoſcant hi, copias in manibus eorum tam inconſtantes, quàm penes improbos eſſe naturâ ſuâ. Sed quo motivo curat Omniſcius, ne vir amans quod rectum eſt, credat, ſe longiſſimè poſitum à paupertate? Dicam. Ut bona tranſitoria poſſideat ille tamquam aliena. Quòd ipſa verè noſtra non ſint, quæ poteſt alius auferre, nemo prudens inficiabitur. Abbas Paphnutius: *Has igitur*, inquit, *viſibiles mundi divitias relinquentes, non noſtras, ſed alienas abjicimus facultates, quamvis eas gloriemur, vel noſtro labore quæſitas, vel parentum ad nos hereditate tranſmiſſas. Nihil enim, ut dixi, noſtrum eſt, niſi hoc tantum, quod corde poſſeſſum, atque animæ noſtræ cohærens, à nemine poteſt prorſus auferri.* Deus vellet, ſuos ab eo donata poſſidere tamquam non ſua. Ratio ſit, aliis dimiſſis hæc. Noſtra ſolemus diligere, non aliena: cumque dilectio divitiarum nobis congrua non ſit, Altiſſimus cupit, ut ii, quos dirigit velut ſpecialiter ſuos, tamquam alienas teneant opes, quas ipſe largitur; non ut proprias.

52. *Aptiſſimus cupit ut ſpecialiter ſui teneant quaſi alienũ quod ipſe donavit eiſdem.*

Abb. Paphnutius apud Caſſian coll. 3. c. 10. in pr.

Parabat

Parabat exitum Iſraëlitici populi de ſervitute Pharaonis divina poteſtas. Ad Moyſen poſt multa (quorum aliqua notavimus aliorſum; alia narrare foret otioſum; cum loquar ad eos, qui ſacra Biblia præ manibus & oculis habent) Dominus ait: *Daboque gratiam populo hic coram Ægyptiis: & cum egrediemini, non exibitis vacui: ſed poſtulabit mulier à vicina ſua & ab hoſpita ſua, vaſa argentea & aurea, ac veſtes: ponetisque eas ſuper filios & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.* Hæc poſtulatio fuit opere completa per filios Iſraël, prout refertur Exod. 12. 35. 36. Cuique vel mediocriter in ſacris litteris verſato compertum eſt, Iſraëlitas in hoc facto liberos à furto: quia dominus univerſi tranſtulit in eos dominium rerum illarum, quas petierunt ab Ægyptiis. Inde ſurgit non contemnenda certè dubitatio. Quare Deus non expreſsè dixit: Ego mea poteſtate liberaliter utens dono vobis quæcumque petieritis ab incolis Ægypti? Puto, cum de populo Judæorum Dominus curaret ut peculiariter ſuo, percupiebat, ne prædicta bona poſſideret velut propria credens; ſed uti mutuata reputans; quantumlibet verè per donationem Dei tempore traditionis fuerint Hebræorum facta propria. Favet Pererius, inquiens: *Tertium reſponſum eidem quæſtioni dari poteſt hujuſmodi. Deum revera juſſiſſe Hebræos bona illa commodato petere ab Ægyptiis, & ipſos Hebræos ita petiiſſe, & quidem ſine ullo fuco & mendacio, aut fallacia. Illi enim in animo habebant (ſaltem qui probi erant viri) ea bona reddere Ægyptiis:* &c. Ecce juſti poſſeſſione fruebantur illarum rerum verè propriarum, cum propoſito reddendi tamquam alienas. Placet hoc Deo valde. Rurſus alia pungit quæſtiuncula cogitationem. Quare non Deus providit, ut etiam pecunias poſtularent mutuas ab Ægyptiis Hæbræi? Eodem fine Deus circa pecunias tacuiſſe credo. Quod ut exponam tibi, memorare vulgarem doctrinam traditam per morales Theologos: in mutuo ſcilicet pecuniæ ſolere transferri dominium; non autem ſi petatur vas aureum, exempli gratiâ. Diverſitatem agnoſcis inter mutuum & commodatum: quam proponit apertè hujus definitio: *Rei alicujus quoad ſolum uſum gratuita conceſſio.* Itaque Deus noluit, ut acciperent ab Ægyptiis mutuas pecunias Hæbræi; ne per hanc mutuationem transmitteretur dominium nummorum in accipientes; & ſatagebat, quòd non dilig erent bona tranſitoria quaſi propria; ſed eis fruerentur velut alienis. Ex hoc ipſo motivo protector juſtorum Deus iiſdem temporalia conceſſa nequaquam identidem permanere facit. Sæpiſſimè propter repentinum tranſitum de opulentiâ in egeſtatem, de viro juſto dici valet: *Eſt quaſi dives, cum nihil habeat.*

Exod. 3. 21. 22.

Perer. com. in Exod. c. 12. diſp. 15. n. 83.

Videri poſſunt Leſſi. l. 2. de juſt. c. 27. n. 4. Lug. Card. to. 2. de juſt. diſp. 33. ſect. 2. Baſ. fæ. to. 1. v. Mutuum n. 1.

DELIBATIO V.

Dives ferè nihil habet præter jactantiam: & ejus anima quaſi bipartitur. De paupere ſuperbo nihil poſſidente: divitiarumque fugacitate.

54. *Pene ſynonyma ſunt jactantia, & divitiæ.*

Est *quaſi.* Quantumvis per verbum ſubſtantivum, *Eſt*, dictum de præſenti, ſignificare ſoleamus veritates, quas proponere contingit, re ipſa dari; tamen hîc verbum, *Eſt*, modificatur per adverbium, *Quaſi*: quò fit, ut ſecundùm expoſitionem, quam prætuli, notentur hîc divites ficti. Nihilominus haud ficta, ſed vera perhibetur iſtorum ſuperbia: veraciterque propter amorem divitiarum valent annumerari malis ditibus. Fruere verbis Odonis Abbatis. *Aliis*, inquit, *verò res terrenæ non ſuppetunt, ſed tamen apud ſe ſuperbiunt, & amore divitiarum ſemper inæſtuant. Quos videlicet quia vitæ ſequentis amor non humiliat inter pravos divites morum proterviâ addiſcit*: &c. Adhuc tamen licebit à Salomone petere, qua ratione ductus non magis dixit perſpicuè: Sunt qui ſe jactant eſſe copioſos facultatibus; & potius ait: *Eſt quaſi dives?* Fieri potuit ut ita loqueretur, quoniam intellexit, opulentiam ferè nihil aliud continere, quàm jactantiam: & ideo tantî valere ſi dicamus: Hic homo eſt prædives; ac ſi diceremus: Iſte ſe jactat opulentum. Mundanæ res pene conſiſtunt in opinione merâ. Scio verum illud S. Iſidori Peluſiotæ: *Cum ab antiquis viris illud apertè admodùm didiceritis, quod opinari aliquid eſſe, non eſt aliquid eſſe:* &c. Sed invaluit falſitas palliata per exiſtimationem, & veritatis loco tenet opinio. Hæc ſibi vendicat circa divitias vim peculiarem: utpote quas opinio fecit eſſe bonum. Thriverus: *Ut*, inquit, *opinio divitias bonum fecit, ſic eadem inopiam malum.* Cum iſta ſic ſeſe habeant, & hominum exiſtimatio pendeat in multis a vulgi vanâ fide; jactantia ficti locupletis obtinet ut inter opulentos numeretur. Crede tamen, judicari poſſe, non intervallo diſtare longiſſimo verum & falſum divitem in hoc quod eſt opulentiam totam in jactantia ſiſtere. Vix aliud ſunt hæc duo, quam ſynonyma: jactantia & divitiæ.

S. Odo Abb. Clun. l. 1. in Job. c. 35.

S. Iſidor. Peluſ. l. 1. ep. 3.

Thriver. cēt. 1. ep. 43.

55. Sapiens proponit ſeram valde malorum pœnitentiam, futuram eo tempore, quo non dabitur jam recurſus ad inexhauſtam Dei miſericordiam. Pœnitudine ducti qui juſtos anguſtiaverant, intra ſe dicent: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Inquires an myſterium deliteſcat in eo, quod Salomon, cum poſſet proponere ſic dicta proximè; Aut divitiæ quid profuerunt nobis comite jactantiâ? potius dicat: *Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Certè profectus, quem apud ſæculum divites elucrantur, à divitiis venire ſolet; non autem à jactatione. Igitur, dicet aliquis: Inutilitas, quam fatebuntur improbi prædicti ſerò, non bene videtur appropriandæ jactantiæ;

Sapient. 5. 8.

ſed opibus. Haud plurimum negotii nobis offert nodulus iſte: quoniam veluti ſynonyma ſunt copiæ mundiales, atque jactantia; quaſi tota penitus earum ſubſtantia ſita ſit in jactatione. Aliqui ſunt abundantes mundani: quibus modicum deeſt ut veritatem iſtam, & ſimiles mente percipiant: ſed velut ſemidormientes, nunc aperiunt oculos, ut verum fateantur apud ſemetipſos, nunc iterum feſtinanter eos claudunt, ne dulci priventur dormitatione ſuâ. Dantur alii, quorum paupertas præ dolore coegit illos expergefieri: propterea noverunt ab opulentis poſſeſſas facultates, in poteſtate quorumdam vix quidquam extare præter jactantiam. At, cum iſta ſit expergefactio coacta, rurſus veluti dormitantes capiunt ſuavitatem ex amore terrenorum, & per jactatoria verba famam opulentiæ venantur; quâ cenſeatur in opulentorum numero quivis illorum: non dives ipſe quidem; ſed *eſt quaſi*.

56. *Dives avarus habet animâ quaſi bipartitam.* S. Amb. to. 1. l. 2. de Abraha. c. 8. fi.

Dives. Supra memini, divitis etymologiam à dividendo ſumi poſſe. Nunc adverte, qua mente S. Ambroſius (qui fortaſſis hoc etymon approbavit) diviſionem appropriaverit opibus. *Unde*, inquit, *& divitiæ dictæ ſunt, quod mentem dividant, atque in diverſum ſcindant, & in partes trahant, nec ſinant incorruptam eſſe & integram.* Divitibus permultis adeo perturbata mens, ut eorum quilibet appellari dives poſſit, quaſi diceretur. *Diviſus.* Iſtorum, inquam, anima, quamvis philoſophicè partibus careat integrantibus; moraliter attamen ita ſe gerit, ut partita videatur in plures. Velut una pars animæ quieſcit in perituroruin gaudio; quædam currit ad concupita quærenda: torquetur alia metu jacturarum; furit altera tentans aliena rapere. Seductus vanitate miſer imminuit ſpiritum ſuum, cùm præ ſuperbiâ hunc incrementare ſatagit. Quæ dividua non ſunt, diviſione pereunt. Arridet puerilibus oculis flos: puer ut ex uno multos efformet, ſcindit illum: jam flos in multas partes diviſus flos non eſt. Anima quaſi flos homini data fuit, ut fructum ederet, ac ſciret, cum peccato breviùs quàm florem interire. Pueriliter homo vacans appetitui vano dividit animam ſuam, & ipſam dividendo facit interire: nam cum ſit res indiviſibilis, vel tota conſervatur integra, vel tota perit. Cupis ut probem, divites avaros animam habere velut bipartitam?

57. Eccleſiaſticum advocabo teſtem: forſan dictis aliqualiter opitulabitur. Cum non omnium ſit amentium genus unicum inſaniæ, multifariam eludit hominem ſuperbia. Quidam extolluntur de nobilitate, non attendentes, quòd arida folia ventus rapit in ſterquilinium; quamvis de generoſo ligno progenita fuerint. Sunt qui de potentiâ dignitatum evaneſcunt, quaſi locus rem locatam ſic mutâret, ut redderet illam alterius naturæ: quæ vanitas ex eo ſaltem comprimi poſſet, quod ſicut imago parvula quò ponitur in ſublimiore faſtigio, eò minor videtur, ſic indigniſſimi dum collocantur in vertice pompæ, minimi judicantur à ſenſatis. Alii dantur, quibus neque nobilitatem conditio dedit, nec fortuna dignitatem contulit; ſed induſtria replevit eos bonorum acervis. Hi, quaſi repererint ſanguinis claritatem, atque dignitatum infulas, omniaque ſimul in poſſeſſionibus, quas obtinent, ſuperbè tument: & pariter fiunt extollentiâ ventoſa turgidi, non minùs, quàm avaritia contracti. Siracides in ejuſmodi ſuperbientes verbi gladium evibrat, inquiens, *Quid ſuperbit terra & cinis?* Mox addit: *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam. hic enim & animam ſuam venalem habet*: &c. Ut hæc melius intelligerem, quæſivi lucem à Carthuſiano: ſed non clarè ſatis rem percepi. *Quia pro pecunia obtinenda*, inquit Commentator, *aut conſervanda peccat mortaliter: ſicque animam ſuam tradit ſervituti peccati & jugo diaboli Et quamvis omnis mortaliter peccans hoc faciat, ſpecialiter tamen avarus dicitur animam ſuam habere venalem: quia pecunia pretium eſt venditionis & medium emptionis.* Non adhuc exactè dignoſco venditionis hujus contractus quâ ratione celebretur. Rarò contingit, ut res vendita non ſit aliquid à venditore diverſum. In emptione proximè dictâ ſpiritus avari venditor eſt: igitur quomodo res vendita dici poteſt eadem anima? Velut ſcinditur in duas: quarum altera munus agit vendentis; alteraque rei venditæ. Vendit anima, quatenus pretium recipit contractûs per manum ſervi ſui: nempe corporis; & venditur: quia ſub peccati ſervitute, diabolique jugo pònitur. En habes quaſi partitum interiorem hominem: & quia diviſus eſt, ſpecialiſſima ratione, ſecundùm prædictam etymologiam, vocari valet ille *Dives*.

Eccli. 10. 9, 10.

Dion. Carth. in com. Eccl. ib.

58. *Pauper nihil habēs & ſuperbus dignus peculiariter eſt dari.*

Cum nihil. Iuxta noſtram acceptionem, quam approbavi dum litteram aperirem, ſermo fit hoc loco de vano paupere: qui ſe fingit eſſe ditem. O ſuperbiam efficaciſſimo remedio reſiſtentem! Inflatum ſpiritum compeſcere potens paupertas eſt: nam elatio tumori ſimilatur: & ſicut macies corporis de fame proveniens craſſitudinem nimiam tollit membrorum, ita ſimiliter inopia turgentes attenuat. Unde S. Nilus: *Sola etenim paupertas*, ait, *miſeriæ humanæ modum præſervat, tumorem odit, compeſcit jactantiam, cogitationes demittit, ſuperbiam confundit*, &c. Optima ſanè medicina, ſed volenti ſanitatem. Superbus pauper non projicit medicamentum, ſcilicet pauperiem, quia non valet: nequaquam tamen ei proficit ad ſalutem, propterea quòd haud animo ſuo (ubi morbus eſt) applicat illud; ſed tantùm corpori violenter apponitur. Fruere Cæſario Arelatenſe. *Quid, inquam*, ait ille, *prodeſt pauperi quia pauper eſt, ſi magis ſuperbus quam humilis eſſe voluerit?* Facillimum foret inopi reſpicere cœleſtia, ſi nihil habeat. Vulgari modo loquendi ſolemus idiomate Luſitano dicere de pauperrimo: Hic miſer non habet in quid oculos conjiciat. Vnde penuriâ preſſi, divitum

S. Nil. ep. 2, 17.

Cæſar. Arel. hom. 11. ante med.

divitum permultis illecebris liberi, facilè poterant ſurſum oculos ad lumen ſupernum levare. Sed quomodo talpa ſolem videbit? Audi Radulphum: *Talpæ igitur, ait, aſſimilandi ſunt pauperes, qui terrenas divitias, quas nunquam aſſequuntur, ſemper volvunt in animo: ſolaque cupiditate cæcati, dum terrenas cogitationes cordi accumulant, ſupernum lumen nunquam reſpiciunt.* Miſeratione ſunt indigni cæcutientes iſti. Dei quidem peculiare munus eſt deprimere ſuperbos; at ſpecialiùs divina poteſtas dejiciet illos, qui, cum nihil habeant, extolluntur. Nihilum poſſidens ac elatus dignior, cæteris paribus, eſt ut humilietur à Domino.

Radulph. Flaviac. l. 8. in Levit. c 4. longe poſt princ.

59. Regius Vates attendens piè Dei juſtitiam reddentem unicuique ſecundum opera ſua, rationem aſſignat quare diverſimodè ſe habeat, quoſdam puniens, alios remunerans: nempe, quia humilitas, quæ virtutum cuſtos, ei gratiſſima eſt. Sed aliquid ampliùs de Prophetæ verbis erue. *Quoniam*, ait, *tu populum humilem ſalvum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.* Secundam verſiculi partem ſic exponit Cardinalis Bellarminus: *Superbia, quæ eſt regina vitiorum, tibi ſummopere diſplicet. Et ideo ſuperbis omnibus reſiſtis, eoſque dejicis, & humilias. Nominat autem oculos præter cætera membra, quia in oculis, ac potiſſimùm in ſuperciliis arrogantia cernitur.* Video quid notaverit in luminibus Purpuratus. Quin ejus notationem contemnam, cupio nonnihil adhuc ibidem rimari. Quare non ait Vates, humiliandas à Deo ſuperborum dexteras; cum iſtas ipſi levare ſoleant & in miſerorum percuſſionem, & ut apprehendant ultra ſuperiores gradus ambitioſæ ſcalæ, per quam aſcendunt ſemper? Circumſtantiam Deus invenit in ſuperbia luminum, non autem in manibus repertam, haud ab æquiſſimo Judice ferendam. Petis, ut aperiam quænam ſit: ſatisfaciam. Tenet manus, ac veluti poſſidet, vel ſors obtulerit, vel induſtria. Oculus vero pauperrimus eſt: eorum quæ videt minimè poſſeſſionem capit: quin etiam veſte caret, qua tegimus alia membra. Cum ſint ita pauperes oculi, ſuperbia tumidos eſſe, res quidem intolerabilis eſt. *Oculos ſuperborum humiliabis.* Abominabilis eſt ſuperbiens, rerum copias habens: quantò plus erit qui *nihil?*

Pſal. 17. 28.

Bellarm. ib.

60. *Habeat.* Habendi verbo frequenter utimur pro, *Servare.* Sic & vinctos haberi dicimus in cuſtodia. Salluſtius ait: *In cuſtodiis haberentur* &c. Superiori Delibatione divitiarum fugacitatem inculcavi. Cum tamen hæc doctrina difficulter ab earum dilectoribus perſpici ſoleat, non deſiſtam; addens pro eâdem nonnihil. Video, ſic opes ab avaris claudi, quòd ab illis haberi dici poſſunt in eo ſenſu, quo Salluſtius habendi verbo fuit uſus: hoc eſt, habent illas carceratas. Non culpam facultates commiſerunt; ſed cuſtos carceris. Ideo quaſi, ut non innocenter damnentur ad vincula perpetua, fugiunt à prædictâ cuſtodiâ tam facilè, quàm diffluit aqua. S. Antiochus: *More enim, ait, aquæ per lices diffluentis, univerſa mundi iſtius nos præ-*

Divitiæ naturâ ſuâ recedunt.

Salluſt. in Catil.

S. Antioch hom. 89 fr.

tereunt. Hodie ad hujus pendent arbitrium; craſtino futura penes alterutrum. Quædam ſunt in rerum natura ſatis levia: non tamen abeunt, niſi moveantur ab aliquo; alia verò quamvis gravia ſint, naturali conditione fluunt: nullo propellente ſe propipiunt. Priorum exemplum eſt in aëre, qui loca replens ibi manet; ac niſi motus à corpore aliquo non recedet. Poſterioris generis eſt aqua: nullo propulſante decurrit; & etiam exigua foramina quærit; ut evadat. Mundi copiæ, quamvis aereæ ſint, magis in iſto ſimilantur aquæ. Forſan quod in ea notavimus ita proviſum fuit ab Authore naturæ, quo vitaretur ejus putredo nimis animantibus incongrua. Non diſſimiliter profluit in aquæ modum abundantia terreſtris; ne tentæ diu valde facultates cum rationalium nocumento putreſcant: nam & iſtæ capiunt vitium ni moveantur aquæ. Itaque fugitivæ ſunt opes naturâ ſuâ: quamvis non tollantur, abibunt.

61. Deum rogavit Salomon, intelligens auro meliorem illam, quam verè dicimus auream ſanè mediocritatem; & ſimul veritatis amator: *Vanitatem, & verba mendacia longe fac à me. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria*: &c. Quæro breviter. Et quo motivo ductus poſtulavit à Deo, ne ſibi donaret gazas? Ipſemet ſtatim expreſſit, inquiens: *Ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam. Quis eſt Dominus?* Graviſſima ratio motiva quidem hæc extitit, ut apertè patet conſideranti. Sed ipſa gravitas motivi requirere videbatur, ut qui propterea nolebat abundantiam ſibi tribui, ne Deum negaret, preces funderet Altiſſimo, dicens, ut longe poneret ab eo divitias: ut efflagitavit: quod longe faceret ab illo vanitatem atque mendacia verba. Vide. Novit maximum illud in ſatietate diſcrimen: ſed non erat ut abundantia dividatur ab eo: quia ſupervacaneum putavit petere quòd longe Deus faceret ab ipſo divitias: nam, licet nequaquam auferrentur ſpeciali providentia cuncta Gubernantis, illæ naturæ ſuæ conditionem ſequentes abſcederent. Quamvis omnipotens non ſpoliet opulentum, adhibens erga illum particularem ſollicitudinem, ad hoc ut non diu ſaturatus labatur in blaſphemiam; non homini (ſi frequenter attendamus contingentia) valde timendum: quia ſponte recedent ut plurimùm, quamvis avarè theſaurizentur: fluidæ ſunt; impellente non egent, ut profluant.

Prover. 30. 8.

Ib. n. 9.

62. Exiſtimant ſæculo dediti, periculum, ne dilabantur opes, vitari per ingentem earum pluralitatem. Iſtorum error increpari poteſt eodem ænigmate labentis undæ: nam quo major eſt quantitas aquarum, impetu fortiore decurrunt. Lentus effluit amnis, cùm non multum aquæ poſſidet; at poſteaquam fontium rivulorumque beneficio nimis flumen exundat, rapido curſu fertur. Sic & opulentia minor ſæpe non tam cito diffluit; cùm ferè crevit in immenſum, præcipiti lapſu projicitur in æquor. Inſtabilitatem ſæcula-

Mûdi facultatum fugacitas eò major eſt, quò majores ſint.

Chryſoſt.to. 1. hom. de Abrah. poſt med.

rium bonorum penſanti Chryſoſtomo placuit ſimilitudo fluminis. *Noſtrarum*, inquit, *rerum impetus, dum continuò vertuntur, ſumma facit infima: ut videre licet in divitiis, potentiis, ac aliis. Nunquam enim in eodem ſtatu manent, ſed ſemper inſtabiles, fluminum fluxus imitantur. Quid igitur his incertius, quæ tam crebro transferuntur, & priuſquam rectè appareant, avolant, priuſquam adveniant, reſiliunt?* Mediocriter dives equidem ſecurus non degit à pauperie; ſed minus periclitatur: quia, cum non tam gravi pondere ſit onuſtus, non tam propendet in ruinam. Ibi facultatum diſperſio ventura citiùs inſtat, ubi vehementius incrementum abundat opum; præſertim ſi per nefas acquiſitæ ſunt: poſtquam iſtæ creverint, tunc evolabunt: permanebunt forte priùs quàm veniant ad magnitudinem certam; poſtea verò diffugient.

63 Sedeciæ regis, aliorumque divitias diripiendas à Babyloniis, vel aliter prædicitur apud Jeremiam ſub emblemate perdicis, *Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas*, &c. Commentatur Dionyſius Carthuſianus ibi: *Subita morte, vel Chaldæorum ſpoliatione.* Antequam noſtram utcumque meditatiunculam hujus loci proponam; ejus intelligentiam germanam accipe de gloſſa D. Hieronymi, dicentis: *Plinius ſecundus ait, hanc perdicis eſſe naturam, ut ova alterius perdicis, id eſt, aliena furetur: & in eis incubet foveatque: cumque fœtus adoleverit, avolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Hujuſcemodi divites ſunt, qui aliena diripiunt: & abſque cogitatione judicii Dei, faciunt divitias non cum indicio, quas in medio tempore relinquunt ſubitâ morte ſubtracti*, &c. Certè ſubitaneus interitus, vel hoſtilis expoliatio futura, tam horribilis eſt, ut amiſſio divitiarum inde proveniens videatur poſtulare ſimilitudinem aliam horrore plenam; ut eſt, verbi gratiâ, tempeſtas, aut incendium. Cur non iſtis æquiparatur jactura divitiarum, de qua mentio fit ibi? ſed innuitur, fore ſimilem volatui, quò fugiunt alieni pulli, divertentes à perdice genitrice non ſua; quod ænigma non incutit metum? Pulcherrima quidem concordia viſitur inter figuram & figuratum: inter perdicis, inquam, filios non proprios avolantes, atque divitias illas elapſuras. Avis illius nutritii pulli, ſui non ſunt; ſed alieni. Deinde minus eſt periculum, quòd à nido fugiant, & eam orbatam relinquant, dum non multis adhuc plumis abundant: cum ampliùs adoleverint, majus eſt diſcrimen ut cito volent. Applica diviti malè partis incubanti. Alienis inhæret. Quandiu minora ſunt iſta, non adeo velox imminet eorum fuga; ſed cum increverint præſentius adeſt periclum, quod volaturientia ſe proripiant à poſſeſſore. Putabat ille, ſe tantò ſecuriorem ab indigentiâ, quantò ditior fieret. Fraudem ſibi fecit: nam tunc ocyus futurus *eſt quaſi pauper cum in multis divitiis ſit.*

Ieremi. 17. 11.

Dion. Carth. co. in Ierem. ib.

S. Hieron. to. 5. l. 3. in Ier. c. 17. ib.

DELIBATIO VI.

Rarus dives humilis. Juxta cor ſuum quis eſt opulentus, vel pauper. Divitiarum levitas, ac periculum; & quomodo vincitur iſtud.

ET *eſt.* Tam de paupere fingente ſe locupletem; quàm de divite gerente ſe modeſtè veluti ſi paupertatem experiretur, loquitur hîc ſapiens in ſingulari. Tamen potuit hoc loco ſimul illius mens eſſe propterea dicere ſingulariter: *Et eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit*: quia rarus eſt, qui cum fortunæ donis abundet, eâ fruatur generoſitate cordis, ut illi parvipendat, & operetur tamquam proculcator ipſorum: *animi quippe libertatem* (ait Epiſcopus Hildebertus, *plures inter tormenta ſervarunt; inter opes autem pauci.* Dum torquetur generoſus pugnat cum ſenſu doloris, & amore vitæ: neutro dejicitur: nam ad partem ſenſitivam hominis uterque pertinet, quam ratio ſuperat intacta tormentis. Atverò, cùm per abundantiarum veneficia mens perturbatur, cedit cupiditatum catenis, & vento ſuperbiæ propellitur dives in præceps: quidquid ſuggerit appetitus nefas animæ placet: rumpit omnia, præter ligamina. Non inficior, quoſdam in proſperitate copiarum ſatis modeſtos: nihilominus haud invenitur frequenter poſſeſſionibus multis fruens, & animo ſubmiſſus. Qui, licet non ſit egenus, paupertatem ſpiritus amplexus fuerit humiliter, non inveniet ſocios plures in hoc ſe pariter habentes.

64. *Rari ſunt, qui, cum non indigeant, habeant ſe quaſi pauperes humiliter.*

Hildebert. Epiſc. ep. 47.

In quodam Pſalmo Davidico legimus, loquentem de ſemet ad litteram Pſalten dixiſſe Domino: *Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego.* Duo ſunt, quæ difficultatem ingerunt. Primum eſt, quòd, ſicut puto, David non loquitur de ſe nihil penitus poſſidente: nam aliter non intelligeret Lira, vocaviſſe Davidem ſemet ipſum inopem, comparatione facta cum Saüle regnante. Comparationem ſui cum Saüle meditatur? Comparativè ad reges, etiam plures verè locupletes appellamus pauperes. Liranus commentatur: Et pauper ſum ego, *reſpectu Saülis, quia ego ſum fugitivus, & ipſe eſt rex in poteſtate conſtitutus.* Unde cum nomen pauperis juxta proximam interpretationem ſumendum comparativè ſit ad regem; infertur, Pſalmiſtam non agere de ſe tamquam de rebus omnibus indigente. Proinde locus datur, ut examinemus quare ſe dicit pauperem. Secundum hîc notandum eſt, quod poſt pauca ſubjicit: *Innocentes & recti adhæſerunt mihi*: &c. Quomodo multis adhærentibus erat unicus, hoc eſt, ſolus? Una ſit utrique nodo ſolutio. Nomen, *Pauper* in præſenti poteſt accipi pro humili. Interlinearis ibi verbo *Pauper*, ait: *A mundo vel humilis.* Cum præ ſubmiſſione cordis, ac eorum, quibus patiebatur (licet non maxima forent)

65. Pſal. 24 ib.

Lira ib.

Eodem Pſal. n. 21.

Interlin. ib. n. 16.

forent) contemptu David ſe gereret quaſi pauperẽ; quamvis haberet adhærentes, carebat ſociis, id eſt aliis, quos in hoc exercitio demiſſionis imitaretur. Forſan huic proderit cogitationi Remigius in eum locum, dicens: *Et unitus, id eſt ſolus: non habeo alios præter te, quorum auxilio vel exemplo nitar.* Paucorum ſtrenuitas hæc eſt, divitias deſpicere mundanas, ac humili modeſtoque pectore pauperem ſervare ſpiritum, à ſuperbia liberum, à luxu vacuum. De re ſingulariſſimâ fatur in ſingulari Salomon accomodo ſermone, dicens: *Et eſt* &c.

Remig. Antiſſiodor. com. in Pſal. ib.

66. *Secundùm cor hominis ipſe judicandus eſt vel opulentus, vel pauper.*

Quaſi dives. Etſi fortunæ proventibus repletus, perſuadente virtute, ſe pauperem frugalitate cæteriſque moderatus exhibeat; non tribuatur mendacio quod ſanctitas edocet; quamvis ſupra dixerimus, hominem etiam factis mentiri. Virtus non mendicat auxilium à peccato, quò perfectionis apicem attingat in aliquo. Longiſſime abeſt, ut juſtus fictionibus utatur ad perficiendum probitatis opus. Urgebit quiſquam. Eſt igitur inops verè qui facultatibus utitur ſic ut videatur pauper, cum abundet? Utique. Non ſolum paupertas invenitur in carentibus; ſed etiam in proculcantibus mundi bona. S. Edmundus: *Pauperes*, ait, *ſunt qui habent paupertatem, & illam diligunt; aut qui & habent divitias & paupertatem amant, & divitias contemnunt.* Videbis filiam principis infantulam pendentem adhuc ex ubere nutricis, auro gemmisque ſatis ornatam. Vocas illam propriè loquens, divitem? Neutiquam: innocens quippe contemnit pretioſa monilia: non jactat ſe ſupercilio coætaneis anteponens: non deſpicit puellas miſerrimas. Anima Deo chara ſimplicitatem diligit infantilem: conculcat generosè temporaria, quibus dominatur: non effertur de pecuniarum potentiâ: non egenos dedignatur, ſed laudabilibus inopiâ preſſis per humilitatem, parcum vivendi modum, atque modeſtiam, compar fit. Quapropter verè dici valet pauper. An aliquis locuples, vel inops appelletur dijudicandum eſt juxta cor ipſius: pectora, ſi potueris, prudenter introſpice: tunc hominem cenſebis pauperem, divitemve ſapienter.

S. Edmund. Arch. Cantuar. in ſpec. Eccl. c. 16. ſi.

67. Eccli. 38. 20.

Parum abeſt, ut expreſſis verbis hoc ipſum, quod proximè dixi aſſeruerit Siracides. Ait ille: *Et ſubſtantia inopis ſecundùm cor ejus.* exponit Carthuſianus: *Id eſt ſecundum diſpoſitionem cordis judicandus eſt aliquis eſſe pauper aut dives.* Adhuc in Eccleſiaſtici verbis nonnihil hæſito, nixus in eo, quòd illa ſonant expreſſe pauperem: *Subſtantia inopis* &c. ſubjiciendi verò commentatores prædictam ſententiam extendunt ad locupletem. Idem Carthuſianus poſt ea, quæ proximè dedi, ſic habet: *Si enim contentus eſt modico, & in paupertate patientiam habet & gaudet, reputandus eſt dives. Porro ſi multis abundet divitiis, nec tamen iis contentetur, & per vitioſum amorem habeatur & poſſideatur à ſuis divitiis, magis quàm eas poſſideat, & eis vix audeat ad ſufficientiam uti, reputandus eſt pauper & miſer.* Non explicuit Interpres, an addendo notet illum divitem; an verò ſentiat, eum à Siracide comprehendi præfatis. Ad rem noſtram fortè magis accedit Janſenius verſans eumdem locum. *Secundùm hunc ſenſum ſignificatur, triſtitiam eſſe ingens malum, quæ divitem facit egenum; & pauperem facit bis infelicem.* Sic ille præbens verbis Eccleſiaſtici ſecundam interpreterationem. Quibus poſitis quærendum remanet, cur non dicatur in textu: Subſtantia vel divitis, vel pauperis judicanda ſecundum cor illius eſt; ſed legimus ibi: *Subſtantia inopis ſecundum cor ejus*; cum id egeno divitique non diſſimiliter congruat? Reſpondeo. Nihil erat, quod ſcriptorem cogeret uti nomine ditis: ait enim pauper eſt, ſi cor pauperis habet, in bonam, vel malam partem: in malam, ſi non contentus degat poſſeſſis, magiſque teneatur ab illis quam ipſa teneat, eiſque vix audeat uti ad ſufficientiam: in bonam verò partem ſi præ humilitate, contemptuque bonorum ſæculi ſe gerat qui redundat velut inops. Igitur citra falſitatem hic ſe regit atque ſua *quaſi pauper.*

Dion. Carth. in com. ib.

Idem ib.

Janſen. ibid.

68. *Divitiæ per multitudinẽ non fiunt res magni ponderis apud humilem.*

In multis. Divitiarum aliquando præcellentia non in multitudine, ſed in qualitate ſita viſitur; ut invenitur in quatuor vel quinque pretioſiſſimis adamantibus, quibus mercator locupletior eſt, quam alii numero plurium ducatorum. Latet aliquidne myſterii moralis in eo, quòd textus utatur potiùs nomine (ſi tantùm ſonum vocis attendamus) deſignante ſolum numerum: *In multis*; & non vocabulo magnitudinis, qualiter loqueretur, ſi diceret: Cum in magnis divitiis ſit? Forſitan aliquid abſconditur hic doctrinæ ſalubris. Procedamus in acceptione illâ ſecundæ partis proverbii Salomonici, quod nunc expendimus: juxta quam ſermo fit hoc loco de viro probo, qui divitiarum faſtum odit; & cum ſit opulentus, vivit modeſtè velut indigens. Iſte quidem non eſſe judicat ſe, vel ambulare ſomniat in magnis: levia quippe reputat pretioſa quæque munera de manu placidæ ſortis accepta. In rebus conditione ſuâ futilibus pluralitas non componit magnitudinem, ad hoc ut æſtimetur magnî, quia per juxta poſitionem crevit. Nullus æſtimatione majori dignum eſſe dixit arenæ cumulum, quàm pauca grana: quia vilitas qualitatis per quantitatem extreſcentem non melioratur. Si Philoſophos conſulas, an ex pluribus carentiis conſurgat aliquid? Reſpondebunt negativè: quia multa nihila non componunt rem. Igitur, cum ſit veritas jam toties repetita, pluribusque rationibus fulta, quòd merè nihil divitiæ ſint; earum coacervatio ponit in numero; ſeu non conſtituit eas extra nihil. S. Iſidorus Peluſiota: *Divitiæ*, inquit, *vir admirande, etſi multæ, & undique affluentes, nihil ſunt*, &c. Dives humilis non æſtimat opes quaſi magnî ponderis præ multitudine; ſed judicat nimis leves: optimo jure credit, illas per numeroſitatem non fieri ponderationis capaces: haud ipſis præſtabit pluralitas pondus; quia naturâ ſuâ ſubſtantia tenuis extant.

S. Iſidor. pel. l. 5. ep. 271

Diſcipulis

69. Diſcipulis alimentum præſtans eruditionis chriſtianæ, menſam variis ferculis conſtantem D. Jacobus exhibuit in Epiſtola ſua. Quid moneat ille divites accipe de ſequentibus verbis. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis mareſcet.* Liranus ibi: *Ita*, inquit, *citò deficiet ejus potentia & ponit exemplum ſenſibile*, Dicens: Exortus &c. Incongruum primâ facie nonnullis apparebit exemplum iſtud, quo declarat Apoſtolus facilem defectum poteſtatis, quæ conſurgit ex opibus: audaciter enim reſponderent forſan his auditis locupletes aliqui, ſimilitudinem fœni floris ad rem non eſſe: quoniam flos iſte ſubſtitit ex tenui radice; validis autem fibris, ut exiſtimant, firmatur divitum robur: alius quippe ſuſtentatur regiis manibus, alius pecuniarum aggere, quem claudit arca: plurimi prædiis pinguibus. Unde, ne ſumant occaſionem reprehendendi futiliter dicta Magiſtri tanti, nonnemo crederet opportunius, ut ad proponendum quàm facile ruat opulentorum gloria fallax, ænigma ſumeret à turri fortiſſimâ: quæ tacta fulmine, tota ſimul aliquando corruit; nihil eam juvantibus fundamentis, ne proſterneretur. Quare non elegit magis hoc emblema Jacobus? Quia cupiebat, ut humilitate ſuadente dives agnoſceret poſſeſſionum cumulos extare nullius ponderis rem. Turris non ſolum integra, ſed etiam ſumpta per partes, ponderoſa nimiùm eſt: flos autem fœni leviſſimus. Aptior erat igitur hujus floris metaphora, quàm turrîs, ut parvî momentî rem divitias eſſe doceret. Intelligant faſtuoſi poſſeſſores theſaurorum, non ideo pompam iſtam decidere, quia pondus habeat: necnon levia cadunt, ut in flore videre licet, poſtquam flaceſcit: imo Philoſophia docet Recentiorum, levia capacia lapſus, remotis impedimentis æqualiter cadere, quàm ſi graviſſima forent: quod curioſus experientiâ, peritusque ratione probavit Arriaga. Divites itaque non ſe poſitos in magnis æſtiment; ſed *in multis.*

Iacobi 1. 9. 10. 11.

Liran. ib.

Arriag. diſp. 4. de Gener. à n. 92.

70. *Noſcens divitiarii fluiditatem, & ſub certa menſura ſe cupiens illis committere, timeat, pedemque retrahat.*

Divitiis. Nomen divitiarum non ſolitat à Latinis uſurpari particulariter pro fundis, vel ædificiis: quæ vulgò dicuntur bona radicata. Confugiunt ad iſta multi conferentes longi ſudoris pretium totum in fructuoſa prædia: vitantes hoc pacto diſcrimina, ſub quibus poſiti, maria transfretantes congregaverunt per multam inquietudinem auri copiam: & experti perfidas undarum vices dicunt cum Poëta:

Dives Athlantiade, tua linquo negotia, dixi,
Nulla mihi veſtrâ merce redempta quies.

Herm. Hug. pi. deſid. l. 2. poem. 13.

A naufragiis velut ad portum ſe reducunt iſti: quietem putant emiſſe, cùm argenti ſacculos pro bonis illis commutaverunt, quæ vulgo dicimus immobilia. Non increpo modum loquendi Juriſtarum atque Theologorum: nec ii damnabunt, quod moraliter loquentes aſſeramus, nullatenus immobilia bona dari ſuper terram. Quidquid ſub divitiarum nomine latiori ſignificatione clauditur, inconſtantia comitatur atque diſcrimen. S. Hieronymus: *Lubrica eſt*, ait, *divitiarum poſſeſſio: dum huc illucque circumferuntur: & inſtabili gradu vel habentes deſerunt, vel non habentes reſarciunt.* Reſpondent aliqui, ſe probè noſſe, divitias bonum ſolidum non exiſtere; ſed ad illas inquirendas proſequi viam cœptam cautè ſub certâ menſurâ. Prudentia ſæculi, vereor, hæc eſt: ne fidas mendaci. Necnon & ei, qui menſurando greſſus, non temerariè ſe divitiarum gurgiti committit, congruum eſt retrocedere, noſcereque periclum. Etſi noveris, bonorum affluentiam fluidam eſſe, diſcrimen adverte; retro pedem volve.

S. Hieron. to. 9. l. 2. in Matth. c. 13.

71. Vidit Ezechiel aquas redundantes à templo manere. Vir habens in manu funiculum, cubitos menſus eſt mille, traduxitque Vatem per aquam uſque ad talos. Rurſus emenſus eſt alia mille, deduxitque Prophetam, ita ut aqua perveniret ad genua. Deinceps emenſis aliis, mille, duxit eumdem uſquequo renes attingeret unda. Nunc attende quæ ſequuntur: *Et menſus eſt mille, torrentem, quem non potui pertranſire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt transvadari. Et dixit ad me: Certè vidiſti fili hominis. & eduxit me, & convertit ad ripam torrentis.* Quæro. Quis erat vir iſte deducens Prophetam? Habemus ex Lirano, fuiſſe Angelum: nam ad illa verba ſupra: *Et dixit ad me*, ait Lira: *Scilicet Angelus* &c. An iſte non potuit ulteriùs traducere Vatem per torrentem citra periculum in profundo gurgite? Congruentius erat, ut Ezechiel diſcrimen agnoſceret, ac reverteretur ad ripam torrentis; quamvis ipſe non temerarius incideret per aquam; ſed non oblitus, lympham haud eſſe rem ſolidam, & ſecundùm Angeli menſuram paſſus poſuerit; & ſimiliter feciſſet, dato quòd progrederetur ultra. Nunc aptemus locum eis, quæ proximè dixi de bonorum affluentiis, animadvertentes Cornelii Alapide commentarium. *Symbolicè* inquit, *hæ aquæ ſenſim creſcentes ſignificabant res Judæorum Babylone redeuntium, poſt templi reædificationem, ex parvis initiis ingens accepturas incrementum. Aquæ enim bonorum affluentiam ſignificant*, &c. Potuit Angelus Prophetam per aquas traducere longiùs: at vel noluit; vel à Deo permiſſum non eſt: quamvis enim Ezechiel optimè noſſet, ambulare ſe per aquam ſuâ conditione fluxam; menſuranteque priùs Angelo carperet viam; conveniens erat, ut agnito diſcrimine retrocederet. Haud aliter & qui non obliviſcitur, opulentiam eſſe quid fluidum ad inſtar aquæ, nec niſi ſub menſurâ certâ ſe committit eidem, prudens retrogreditur periculoſum faſſus ulterius progredi. Nunquam exulat inconſtantia fallax atque diſcrimen plurimum à *divitiis.*

Ezechie. 47. 5. 6.

Lira ib ad n. 6.

Corn. Alap. in com. ib.

72. *Opulentia diſcrimina vincet qui*

Sit. Agnoſco ſenſum, quo dicitur, opulentum eſſe in divitiis multis. Cum hoc tamen ſtat valere per emphaſim dici, quòd

quod ſit in divitiis (hoc eſt, ſuper illas) præcipitiis pluribus, *cum in multis divitiis ſit.*

ſubterpo fuerit eam ſibi; non ſe illi.

is tantùm, qui non amat eas, & ſecundùm rectam rationem utitur; iiſdem ſicut econtrariò tenax opum dilector ſub ipſis eſſe creditur. Prior dominatur facultatibus: poſterior autem veluti dominas reveretur eas. Adeſt Magnus Gregorius ſuper illud Job 21. 16. *Non ſunt in manu eorum bona ſua*, inquiens: *Bona in manu habet qui deſpiciendo temporalia ſub dominio mentis premit. Nam quiſquis ea nimiè diligit, ſe magis quàm ſibi ipſa ſupponit.* Stulta quorumdam ſuperbia mundanorum, ſibimetipſi contraria, vix nobis in hac re finit intelligere quid ipſi de ſe judicent. Si perpendimus arrogantiam, putare videntur, quod hominum conditionem excedant longiſſimè: ſi verò reſpiciamus eorum affectus, oſtendunt ſentire de ſemet viliter valde: nam totam ſuam ſomniatam vanè magnitudinem proſternunt, & ſubterponunt pretioſis fortunis: quarum nihil adæquat nobilitatem unius vermiculi. Proprius amor ad hæc abjicit hominem: ac ſane poſſet ipſa dilectio ſuî detinere mortales, ne ſe gererent ita: quia divitiarum pericula vincuntur ex parte multâ, ſi dives non ſubter opes conſtituat ſe; potiusque ſibi ſupponat eas: di crimen ſuperabit, non ille quidem, in quo bona poſita ſunt; ſed qui poſitus eſt in bonis.

S Greg. Mag. to. 1. l. 13. mor. c. 28.

73. Omni, qui non lentâ meditatione perpenderit verba Davidis, mens illuſa proponet ipſum contrariari ſibi: nam Pſalmo quodam ait ſic: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Alibi verò dixerat, loquens de timente Dominum, *Anima ejus in bonis demorabitur*: &c. ubi Lorinus Anima *vel hominem totum deſignat, vel eam partem quæ homo vivit, ſentit, vitæque hujus fungitur officiis, cùm commodis fruitur, ... Vel qua ratiocinatur, meminit, vult.* Bona *omnis generis intelligi poſſunt, externa, interna, corporalia, ſpiritualia, naturalia, ſupernaturalia.* Ex hac multitudine bonorum ſumamus ea tantùm quæ nomine divitiarum comprehendere ſolemus: expendam quomodo fieri poſſit ut juſtus moretur in iſtis (*Anima ejus in bonis demorabitur*) qui noſcens, in eis eſſe frequentiſſimam ſpiritûs aleam, ipſis confluentibus cor non apponit ſuum? *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Nota duo conſideratione maturâ: primum, quod verbum, *Demorabitur*, non ſignificat moram affectûs, ſeu quietem cordis in facultatibus. Secundum eſt, per illam vocem indicari diuturnitatem in poſſeſſione bonorum. Sed qualiter putas, juſtum ſe reddere diù tutum & ab amiſſione divitiarum, & à damnis animæ comitari ſolentibus affluentiam? Ita ſe ger ns, ut bona ſua non in ipſo ſint. hoc eſt, ſuper eum; ſed econtra ſit rectus vir in bonis, id eſt ſuper illa conſtitutus: non, inquam; poſſideatur anima ejus ab illis miſerè; ſed poſſideat ea generosè. Hoc non erit cor divitiis apponere; ſed præcordiis liberum ipſas terere pedibus affectuum laudabilium. Sic de illo dicemus: Iſte pergit immunis à

Pſal. 61. n 11.

Pſal. 24. 13. Lorin. ib.

FLOS VII.

Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet.

APERITUR.

IN primis Cajetanus, qui legit *Pretium*, ubi nos habemus *Redemptio*, exponit q. d. Opulentus habetur in pretio propter opes; egenus autem ſic parvipenditur apud homines, ut non alloquantur eum, nec increpent illum. Duram vocat hanc interpretationem Salazar: eamdem reprobat Cornelius Alapide, affirmans vocem Hebraïcam non ſignificare propriè pretium. Si de contemptu pauperis hîc ſermo ſit, violentum videtur, quòd intelligamus, ipſum non increpari, quia vilipenditur. Imo frequenter audimus increpationes factas mendicis, colore Zeli: quoniam deſpiciuntur ab objurgantibus eos. 1. Cajet. ad Prov. 15. 8. Salaz. & Alap. ib.

Expoſitio ſecunda ſic habet. Spirituales divitiæ redimunt hominem, id eſt, liberant eumdem, ne detrudatur ad infernum. Pauper ſpiritu, cum ſit juſtus, non damnabitur. Ita Carthuſian. Bed. Hugo Card. Gloſſa Ord. & Interlin: quam acceptionem haud improbavit Rodolphus: quamvis non expreſſerit, an credat, illam eſſe juxta rigorem litteræ. Imo Cardinalis Hug. addidit: *Vel propriè divitiæ virorum non fœminarum, ſunt præſentes tribulationes, qui bene utuntur eis & ſibi ſervire cogunt.* Prædictum ſenſum nequaquam judico litteralem: præſertim, quia vox *Increpationem*, quæ legitur in ſecunda parte dogmatis, non adeo ſonat horrendum, quòd referri poſſit ad æternam damnationem, vel ad illa verba Chriſti judicis in poſtrema die: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*: &c. Accedit, quòd verbum, *Suſtinet*, ibi modico fundamento, niſi fallor, trahitur ad futura. 2. Dion. Carth. Bed. Gloſſ. Ord. Interlin. & Rodolph. ibid. Hug. Card. ib. Matth. 25. 42.

Tertius affertur ſenſus à Carthuſiano (& à Janſenio poſt alium intellectum, quem ſequar infra) Cardinali Hugone, ac Lirano; ita ut intelligatur prior parabolæ pars de eleemoſyna ſumpta pro re, quæ donatur. Hunc ſenſum etiam rejicio, dum quærimus rigorem litteræ (quamvis ut myſticum approbem) quia non, ut vellem, cohæret ita cum ſecundâ parte prior: non enim credam fuiſſe mentem Salomonis in verbis poſterioribus aſſerere, non increpandum à Deo pauperem: quoniam, cum non habuerit ſtipem largiendam inopibus, non ſuccurrerit eis. 3. Dion. Carth. Janſen. Hug. Card. Lir. ib.

Ultima tadem expoſitio, quam cæteris præfero, ſic aperit litteram: Dives liberatur ab occurrente malo per divitias; pauper autem non increpatur: quia cum non habeat quid ſperent ab eo judices,

vel accuſatores, evadit increpationes, accuſationes & lites, quas dives illudit, ac redimit auro, ita Cornelius Alapide. Alap. Janſen. ibid. Conſonatque ferè Janſenius; quamvis in prima parte loquatur de ſolo diſcrimine vitæ. Alii conſentiunt huic interpretationi quoad primam partem parabolæ; ſed quod attinet ad ſecundam abeunt aliò, ſumentes illam q. d. Pauper damnatur ab hominibus citra increpationem ſui: nec huic reſiſtere poteſt: nec illam ferre ſine incommodo gravi. Salazar in iſta interpretatione coincidit Janſenio quantùm ad priorem partem Paræmiæ: ſecundam verò ſic explicat, Pauper facile defertur per minas ad peccandum. Salaz. ib. Non video fundamentum ad hoc ut iſtud Salazaris additum approbem: quia nec verbum *Suſtinet*, quod habetur in Vulgata, præbet occaſionem, ut intelligamus ibi ſuſtinere increpationem, valere quaſi diceremus, pati, ne delinquat minas: & pauperem, quia non fert ipſas, in peccatum labi: nec hujus Authoris adnotatio colligi poteſt de littera originaria, quæ legitur apud Rodolphum ita: Lect. Hebrai. apud Rodolph. ib. *Redemptio animæ viri ſunt divitiæ, ſed pauper non audivit opprobrium.*

5. Denique ſubjicio tamquam probabile dictum Lirani: nempe ſecundam partem noſtræ parabolæ ſignificare, pauperem per impatientiam haud ferre increpationem: & ſimiliter loquitur Carthuſianus. Lira & Dion. Carthus. ib. Hoc omiſſo, maneat, copioſos, & egenos ab aliquibus damnis tutos eſſe diversâ multùm viâ: locupletes, inquam, propter cultum & obedientiam, quam impendunt alii fortunis eorum; indigos autem privilegio ſatis oneroſo paupertatis. Parientia ditis etiam, dato quod hac non careat, quoad multa fruitur quiete. Chryſoſt. to. 2. hom. 12. oper. imperf. in Matth. ante fin. S. Joannes Chryſoſtomus: *Dives*, inquit, *ergo per patientiam non poteſt tentari, neque probari, quia nemo illi citò violentiam facit.* Ita S. Doctor. Cum hoc tamen ſtat quod ſi locuples vim à potentiori patiatur, & ſuſtineat æquanimiter, tolerantia ſua dabit illi requiem pacificam. Sed à ferendis injuſtis detrimentis adeo longe ponit quoſdam felicitas auri, quod nec juſta ferunt illi damna: dat ipſis theſaurus impunitatem peccandi. Rurſum Chryſoſtomus: Idem. to. 4. hom. 2. in Ep. ad Hebræ. ante fi. *Quod*, ait, *ſi facile eſſet in divites vindictam procedere, videres ex eis repleri carceres univerſos. Sed cum omnibus malis ſuis etiam hoc malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus tuentur*: &c. Cum opulentia ſupplicium avertat humanum, jam non miror in aliis materiis, opes divitibus negotiari ſucceſſus fortunatos.

Petron. *Quiſquis habet nummos ſecurâ naviget aurâ,*
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.

6. Pauperes alio titulo ſunt exempti penitus à multis, ad quæ locuples indiget adjutorio facultatum ſuarum. Si juſtus eſt inops, non trahitur ad judicium cogendus ad obſervationem contractuum, vel per calumnias expoliandus ab invidiâ. Paupertas ipſa, quæ veſtibus exuit eum, pariter induit armis adverſùs invidos calumniatores. Iterum Chryſoſtomus: Chryſoſt. to. 3 hom. 13. in Act. poſt med. *Quare autem*, inquit, *mendicantes nullus trahit ad judicem? quare nullus cogit, nullus calumniatur? nonne quia in ſecuriori loco habitant?* Armis quidem offenſivis caret egeſtas: in defenſionem tamen ab iſtâ pauper fortiter obarmatur: non ad cuncta, fateor, ſed ad plurima. Dolor apud Petrarcham ſic emittit queſtum: Petrar. dere me. adver. fort. dial. 8. *Paupertas meum limen obſidet.* Reſpondet ibi Ratio: *Non obſidet, ſed cuſtodit. Neque hoc ille novum aut inſolitum, ut quæ urbem Romam multis olim ſæculis cuſtodivit.* Et infra: *Mollius divitiæ ſubiiſſent, ſed paupertas tutius. Nullæ autem opes ſunt, quibus non ſit anteponenda ſecuritas.*

7. *Redemptio.* Utimur nonnunquam hoc vocabulo, ut ſignificemus ereptionem à malo præſenti: ſæpe aliter, nempe ad indicandam evaſionem ab incommodo futuro. Poteſt vox iſta nunc utroque ſumi ſenſu. Vix eſt locuples: qui, niſi ferè mente privet eumdem amor argenti, ſit iners adeo, quod indigeat moneri deſes, ut à malo ſemetipſum eruat, cujus dolore cruciatur. At verò pro cautela circa venturos caſus, millies oportet excitari. Tam inanem fiduciam gignuerunt in eo facultates, ut monita proximè dicta fruſtrentur: & præcipuè, ſi cohortemur illum abdicare periculoſiſſimam exundantiam, & paucis contentum, ad quietudinem, quam aliàs vellet, ſe recipere. S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Securus vult*, inquit, *eſſe dives, pauper eſſe non vult. Sed quomodo erit dives quietus, quem ſuis ſtimulis res ipſæ, ne careantur, ſemper faciunt inquietum? Et ideo eligit cupiditas, inquietum eſſe timidum divitem: quàm ſecurum pauco ſumptu contentum eſſe, & pauperem.* S. Iſidor. Hiſp l. 3. ſentent. c. 63. juxta fi.

8. *Animæ.* Nomen iſtud aliquando ſumitur pro homine toto. Sed non in præſenti, cum ſequatur immediatè vox, *Viri*, quæ reſiſtit huic acceptioni: aliter admitteremus in ſacro Textu repetitionem fruſtraneam. Verum eſt, quod animam non tangunt ictus fortunæ; ſed nullus ibit inficias, ita nobilem ſpiritum non inculpatum addictum eſſe luto, quod inhabitat, ut ejus damna ſentiat, atque trepidet caſum carceris, in quo libens cuſtoditur, Caſſiodorus: Caſſiod. l. de anima. c. 5. *Illud autem*, ait, *quod diximus, ſui corporis vivificatrix, quia mox ut data fuerit, ineffabili conditione diligit, carcerem ſuum amat, propter quod libera eſſe non poteſt, doloribus ejus vehementer afficitur: formidat interitum, quæ non poteſt mori, & ſic ad corporis ſui caſus trepida, ut ipſam magis ſuſtinere credas extrema, quæ non poteſt deficere per naturam.*

9. *Viri.* Solet hoc nomen adhiberi, quò ſignificetur virilitas animi, ſeu fortitudo. Relege proximè ſupra n. 2. Hugonis verba. Tantùm adnotabo, plurimo robore vigere dites in ſæculo: quod aliquando magis eis miniſtrat metus aliorum, quàm pectoris æneus vigor. Sed quantò præſtantius foret, ut ejuſmodi viri fierent ſpiritualiter infantes. Legant Clementem Alexandrinum, qui ait: Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 5. ante med. *Qui itaque infantes ſumus, humi non amplius volutamur: neque ut antea ſerpentum more in terra ſerpimus, toto corpore in ſtultis cupiditatibus provoluti, ſed mente ſurſum erecti, mundoque & peccatis*

peccatis renuntiantes, ſuſpenſo pede eatenus terram tangentes, quatenus in mundo eſſe videamur, ſanctam perſequimur ſapientiam.

10. *Divitiæ.* Id quod aſſeritur in prima Salomonici dogmatis parte, nempe divitem interventu divitiarum à malis occurrentibus redimi, magis ordinariè contingit per pecunias. Et utinam illæ potentes non forent, ut delinquens, qui tamquam peccati ſervus ad flagella reus erat, per miniſtros Reipublicæ liber abſolveretur, innocentiæ titulo decoratus. Fatentur cordati, pecunias eſſe velut aquam fluxas, evanidas ut umbram, leves quaſi fumum: cui veritati ſatis adeſt Iſidorus Peluſiota, dicens: *Atque item pecunias tamquam aquam contines, quæ alios ex aliis humectat, ac rurſum ad alios fluit. Quamobrem aut ad infidas hujuſmodi opes, perinde atque ad umbram, & fumum, & ventos, animum adjice: aut illud ſcito, te umbræ, & fumo, & ventis confidere.* Nihilominus, cum delicti reatum dives incurrit, aquâ, umbrâ, ſumo ventoque redimitur ſæpe: pecuniis nempe: quæ velut aquæ ſunt ad extinguendum incendium clamantis infamiæ: necnon umbra, quâ tegatur ſcelus: & fumus ad obcæcanda judicum lumina: ventuſque pariter, ut indiciorum copia quaſi pulvis diſpergatur. Mala redemptio; quamvis per tot cruces fiat, quot nummi ſunt: nam tam ſervus peccati manet redemptus, quàm extiterat antea.

S. Iſidor. Peluſ. l. 1. ep. 274.

11. *Suæ.* O quoties divitiis non ſuis redimitur dives à malis inſurgentibus! Id videre licet in eis, qui vivunt è rapto, ſic, ut malis artibus ad ſummam venerint opulentiam. Ipſi viderint, an per iſtam redemptionem factam pecuniâ creditoribus debita libertatem acceperint à malo, quod patiebantur, vel metuebant, exemptam ab omni genere ſervitutis; an vero ſervi facti ſint ejus, cujus bona diripuerunt. Hoc unum ſcio, quod peſſimè mihi ſonat redemptum fuiſſe pecuniâ diaboli; qualis vocari poteſt furto ſublata. Quidam apud Greg. Turonen. l. de gloria confeſ. c. 82. Gregorius Turonenſis verba ſenis refert dicentis ad quemdam: *Furtum, Satanæ pecunia eſt.*

12. *Qui autem.* Divitem ſignificavit Sapiens nomine viri; pauperem verò non ſimiliter nominat: ſed velut abſcondit ſub relativo. Verſio vulgata: nec improprietatis notari valet interpres noſter: inops enim apud ſæculum eſt quid abſconditum, & vix audens apparere mundanorum oculis. Hoc nihil obſtante, ſi pauper ille ſit ſpiritu, virtutibuſque dives, latet ſub pallio ſordido vir appretiatione multâ dignus. Iſte nobilis eſt valde, cum ſit filius Dei: fortis eſt, quia mundi glorias calcat: Sapiens item, quia circa mundana prudentiſſimè philoſophatur, ac divina puro conſpicit oculo: locuples necnon dicitur theſaurizatis in corde ſpiritualibus gazis. Quis non cordatus hominem hunc æſtimabit plurimi? Hoc ratione fortiori verum habet in us, qui renuntiato ſæculo, ſanctitatis operibus, & paupertati voluntariæ ſe tradiderunt: de quibus ait Salvianus: *Hos enim ego omnes non aliter quàm imitatores Chriſti honoro, non aliter quàm Chriſti imagines colo, non aliter quàm Chriſti membra ſuſpicio. Et ad hoc tantùm illorum memini, ut eorum memoriâ dignus fiam.* Salviã. tract. qui inſcribitur Timoth. l. 2. poſt pr.

13. *Pauper eſt.* Sic mala contemperantur bonis in vita mortali, ut bona quædam admixtum habeant aliquid mali, ne diligantur nimis; mala vero nonnulla ſecum afferant aliquid boni. Hujus generis eſt malum paupertatis: incommoda continet; & ſimul commoda claudit. Incommoditas inopiæ ſic eſt hominibus in confeſſo, quod aliquis dicet otioſum illam verbis exponere. Sed quia non longe receſſimus à Salviano, dicentem adhuc audies eumdem: *Infeliciſſimi pauperes ſic ſunt quaſi inter concertantes procellas in medio mari poſiti: nunc iſtorum ſcilicet nunc illorum fluctibus obruuntur.* Atverò paupertatis commoda, quibus enarrandis nunc nobis haud licet immorari, plurima ſunt. Contentus eſt notato per Sereſberienſem. *Solaque paupertas*, inquit, *ſecuritatem parit, quæ ſola neſcit incentiva bellorum. Non habet jurgia qui contentionis cauſas ignorat. Trepidat orbis, & Cæſaream manum ſolus pauper non timet.* Idem. l. 5. de gubernat. Dei med. Joan. Sereſb. l. 5. de nug. c. 17. poſt med.

14. *Increpationem.* Quamvis hoc vocabulum ſignificatione ſuâ vulgari non ſoleat magnum edere ſonum; tamen hoc loco maximî ponderis eſt, quia calumnias involvit. Terribile malum eſt calumnia, ſic ut S. Antiochus dixerit: *Pervicax & perplexa eſt hæc affectio calumniæ: verius dixerim eſſe diabolicam*, &c. Et adhuc fortaſſis aliquando minus doleret inſons de calumniâ, ſi tantùm imponeretur ei falſum; non autem illius opera bona dehoneſtarentur. Utroque modo ferit ſæpe calumniator, quod certè gravius eſt. S. Ambroſius: *Calumnia autem, inquit, eò gravior eſt, quia non ſolum falſa componit, verumetiam quæ piè geſta ſunt, decolorat*: &c. Innocens ita ſuſtinens ictum ſuper vulnus non modicè dolet: cum, inquam, non ſolum ei malum tribuatur, quod non egit; ſed bonum ipſius factum dedecoretur. S. Antioch. hom. 40. S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſalm. 118. 134.

15. *Non ſuſtinet.* Pauper inculpabilis calumniam paſſus reſiſtere non valet: quia non auditur, aut ex eo, quòd vocem præ timore debilitatequé nequeat extollere; ſeu quia ſurdis auribus præteritur quidquid excuſationis afferre poſſet, ut ſuam tueretur innocentiam: quinimo non ſemel accidit, ut ei non concedatur utcumque reſponſum accuſationibus objicere. Petrus Bleſenſis: *Accuſatur*, ait, *hodie ſimplex & innocens, quod ſilvam inciderit, quod ferarum captioni conſenſerit, quod jura coronæ tacuerit, ... Et hoc tamen tolerabilius eſſet, ſi eis reſpondere liceret, ac ſuam allegare inopiam.* Naturæ jus defenſionem concedit accuſato: ſed tyrannis reputat, inopem hoc jure non potiri, quaſi vilioris naturæ ſit, & lex naturalis facultatem faciens propriæ defenſionis illum non comprehendat. Petr. Bleſ. ep. 95. ante med.

DELIBATIO I.

Deſcribuntur quatuor catenæ peccati, de quibus virtus redimit virum juſtum.

16 Beda in Proverb. 13. 8.

PRoverbium, quod myſticè nunc exponendum occurrit, ſic illuſtrat venerabilis Beda: *Qui ergo animam ſuam vult redimi à futura ira, congreget divitias bonorum operum. Qui enim eget hujuſmodi divitiis, increpationem diſtricti judicii ſuſtinere non valet.* Secundùm ejuſmodi ſenſum parabolæ (qui placet cùm ſpiritum litteræ quærimus) redemptio fit animæ per opera bona. Hanc liberationem lubentiſſimus extendam ad ereptionem à peccato: quod equidem ſervitutem adducit non vulgarem. *Eſt enim*, ait Petrus Cellenſis, *ſervitus peccati, ſervitutum ſervitus. Servus nanque peccati, ſervus eſt tot dominorum, quot vitiorum. Imperant & vitia, non domini, ſed tyranni; non benevoli, ſed inimici.* Anima ſub talibus dominis ponitur in catenis: quas oportet à virtute non ſolum tolli, ſed confringi. Difficillimum apparet homini debilitato per vulnera criminum frangere catenas iſtas: præſertim, quia læſus eſt mentis oculis per ipſam vitiorum ægritudinem. Confractionem eorum ligaminum facillimam non dicam: ſed tantùm aſſeverabo, non id tam arduum, quàm repræſentatur inerti peccatori. Ut plurimùm blanda ſervitus ei eſt, quam incurrit & amplectitur inter ſcelerum incentiva: quomodo fortiſſimos putat eſſe nexus, quibus ligatur ipſe? Proderit Incerti verba meditari, loquentis de ſervitute Pharaonis. *Hæc*, ait, *itaque ſervitus, quod pejus eſt, non illius tantùm temporis fuit, ſed etiam nunc animas negligentium & infidelium, multo periculo ſuis nexibus blandæ captivitatis involvit. A quo enim quis vincitur, ſicut & Apoſtolus teſtatur, ejus & ſervus eſt: iſte obtemperat injuſtitiæ, ille iræ: iſte ſuperbiæ, ille ſævitiæ: iſte malitiæ, ille iracundiæ: iſte avaritiæ, ille luxuriæ.* Non inutile confiteor tollere catenas criminum & projicere: ſed utilius erit ſcindere. Qui non rumpit nexus peccati, ſed aufert, quandoque minùs fortiter ſe geret: at, ſi catenæ confringantur, ampliùs confidenter aget. Ablatio vinculorum præſtabit ut exaudiatur homo: ſed eorum fractio peculiariter animos injiciet ei.

Confingi peccatorum catenas valde condncit ad erigendos hominis animos.

Petr. Cellen. l. de pan. c. 15. poſt pr.

Incert. ſub. nom. Euſeb. hom. 3. de Paſcha.

17. Iſai. 58. 9.

Apud Evangelicæ lucis prævium Vatem legimus ad Judæos dictum: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum. ſi abtuleris de medio tui catenam*, &c. S. Hieronymus ibi: *Ita duntaxat ſi ad ſuperiora opera hæc quoque addideris ut tollas de te obligationem & catenam, qua tua anima colligata eſt. . . . Funibus enim peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur.* Ecce promittitur auferenti criminum ligamen, ejus invocationem exaudiendam, clamantique dicendum *Ecce adſum.* Ubi nota, non eximiè confidere ſtrenuo pectore illum, qui recurrit ad clamorem. Confidentia validior inſinuatur illis, Domini verbis ad Hebræos: *Confregi catenam cervicum veſtrarum, ut incederetis erecti*, Commentatur Iſychius: Qui confregit catenas cervicum veſtrarum. *Tam peccati, quàm legis litteræ*: ut incederetis erecti: *id eſt, cum confidentia, quia virtutes nobis ſine aliqua hæſitatione operari dedit.* En fiducialis erectio, citra ſuperbiam, naſci poteſt de fractione catenarum. Notaſti diſparitatem? Poſteriori loco ſermo fit de nexibus diſcerptis; priori verò de ſublatis. Cur ita? Quoniam apud Iſaïam agebatur de minori fiduciâ (nempe de ſperantibus exaudiri clamorem illorum à Domino) in Leviticо autem de majori: quia ſcilicet erecti procederent in via virtutis: *Ut incederetis erecti.* Frequentiſſimè contingit, ut qui peccatorum ferreos à ſe laqueos excuſſit, non tamen fortiter agens perfregit; in virtutum actibus plurimùm titubet. Fortitudine meliori polleret, ſi gravia ligamenta diſrumperet: catena quippe minutim fracta jam non inſervit, ut ſimiliter liget eum, quem prius vinxerat. Nunc ponderemus aliquas peccatoris catenas oneroſas valde.

Levit. 26. 13.

Iſychi l. 7. in Levit. ib.

Prima catena, conſuetudo mala, tot anſis compacta, quot fuerunt actus pravi. Nonne captivum dixeris conſuetudinarium peccatorem? Doctrinam rurſus ab Incerto cape. *Si paſſiones*, inquit, *noſtras & pravas conſuetudines interrogemus, quid ſit animæ captivitas evidenter agnoſcemus*: &c. Tria dantur genera captivorum: quidam emptitii ſunt: multi bello capti: nonnulli verò traxerunt ſervitutem à nativitatis origine. Omnes iſtas captivitates radices video conjunctas in eo, qui peccat habitualiter. Nam in primis à vitiis, hoſtibus animæ captus eſt: deinde ſatan empſit eum vili pretio: tandem ſuperbiam habet matrem non ingenuam, ſed conditione ſervilem. In ſervitute poſitus miſer catena conſuetudinis multipliciter premitur. Dejicitur duro ferro collum, ne caput erigens lumina figat in cælo: pedes colligantur, ut non greſſus à via mala moveat: manus vinciuntur, ne ſe curet expedire: gemit aliquando, remanetque ligatus. Eſto denique repens divertat in viam ſalutarem & convertatur, moleſtiſſimum pondus eſt illi manens aſſuetudo peccaminoſa. Moleſtiam hic levat expectans, ut actuum bonorum frequentatione tollatur habitus peſſimus. Verum eſt, id contingere poſſe: nihilominus foret ſatius extinguere conari necnon aliis viis uſum damnabilem citò; non autem ſolùm expectare, quòd auxilio temporum diſſuefiat à ſceleribus: ne fiat immedicabilis morbus, cui poſſes aliter mederi. S. Ambroſius: *An ignoramus*, ait, *quòd tantam vim habeat inveterata conſuetudo peccandi, ut excludat naturam? Quæ cum ſit medicabilis ad ſalutem, diuturno tamen tempore paſſionibus depravata immedicabilis invenitur.* Novum hominem vis induere? Veterem exue: ne ſis velut à gravi morbo corporis melius habens, & per longitudinem ſolam dierum convaleſcens. Feſtina deponere vetuſtatem.

18. *Conſuetudinem malam depone cito* Incert. ſub nomine Euſeb. hom. 11. de Paſcha. longe poſt princ.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 1.

Doctor

19. Doctor gentium Coloſſenſes monens, quorum vita moribus iniquis antea turpabatur, ait: *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum*, &c. Exponit S. Anſelmus: *Prædicta vitia deponite*, expoliantes vos *in eorum depoſitione* veterem hominem cum actibus ſuis, *id eſt, veterem vitam, quæ in peccato eſt, in quo ſecundum Adam vivitur*: & induentes novum hominem *id eſt novam vitam quæ in juſtitia ducitur, in quo ſecundùm Chriſtum vivitur.* Accedit Interlinearis, quæ verbo, *Veterem*, habet: *Habitum peccatorum.* Animadverte qualiter deponendas pravas conſuetudines hortetur Coloſſenſes Paulus: per modum, ſcilicet linquentis veſtimentum vetus; & ſumentis aliud. Non eâdem phraſi lego locutum ad Hebræos Apoſtolum. *Remiſſas manus, & ſoluta genua, erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris*: &c. De peccatis hic ſermonem facit S. Thomas: *Quantum*, inquit, *ad aliud peccatum omiſſionis dicitur*: Erigite genua diſſoluta. Et infra: *Deinde cum dicit*: Et greſſus rectos, *improbat peccatum tranſgreſſionis.* Et quò ductus non ſimiliter ad Coloſſenſes Paulus utitur verbis ad ſanitatem pertinentibus? quare non ibi dixit: Vererem hominem, quaſi membrorum ægritudinem, à vobis pellite per medicamina ſalubria; novumque ſumite, velut robur adveniens ei, qui de morbo convaleſcit? Quia loquebatur hoc loco de malis conſuetudinibus relinquendis. Has abjicere feſtinanter eſt convenientiſſimum: non ſicut genuum debilitatem adjutorio temporis confortat is, qui fuerat æger; ſed more novam tunicam accipientis, & ſe ſpoliantis veteri, quod brevi ſpatio fit. Convaleſcens à languore, præteriti mali veſtigia coactus experitur. Cuperem, ut peccator ita forti conatu vitia linqueret, ut eorum neque veſtigium remaneret. Pulchra veſtis & recens non ſuperinduitur antiquæ; ſed projicitur penitus hæc ſordida, priuſquam induatur alia. Sic vellem, ut pœnitens non ſegnis præſtolaretur à longi temporis decurſu conteri malos habitus: nam licet hoc nomine vocemus illos, verè catena ſunt pluſquam ferrea.

Ad Coloſſ. 3. 8. 9. 10.

D. Anſel. in com. ib.

Interlin. ib.

Ad Hebræ. 12. 12. 13.

S. Thom. in in com. ib. lect. 3.

20. Secunda catena, pudor improbus eſt: quâ lacrymabilis peccator quantumvis agnoſcat à via veritatis erraſſe, ac in gehennam perditum iri, detinetur, ne remedium quærat: & qui Deo teſte peccavit impudenter; poſt crimen verecundatur nocivè. Fit ex remedio damnum: antidotus vertitur in toxicum: rubor nempe, quo potuiſſet averti cautus à delicto; poſt ſerò veniens manere facit hominem in cœno peccati, nonnunquam lacrymis inanibus anxium; ſed adhuc ſordibus, quarum tædet, maculatum. Iſta pudefactio quidem iners adeo rationem premit, ut illam quaſi tollat: honorem, quem conſervare diligit, prorſus neſcit; & adverſaria ſaluti multum detrimenti parit.

Pudor malus valde præpedit ad bonũ.

O verecundia (exclamat Bernardus) *expers rationis, inimica ſalutis, totius ignora honoris & honeſtatis.* Stultè reus peccati metuit verecundans media ſalutis inquirere, ne dehoneſtetur ipſo crimine ſuo. Medicos exhortor ſpirituales, ut à miſerando vulnerato benevolè quærant: Cui recuſas tù cedere ſuperbus, ut non aperias ulcera curaturo? majeſtatine divinæ? Tunc ſciſcitetur blandè, proindeque Melliflui verbis utens: *Itane verecundum eſt homini vinci à Deo: & probro ducitur humiliari ſub potenti manu Altiſſimi?* Et infra: *Summum victoriæ genus divinæ cedere majeſtati, & authoritati matris Eccleſia non reluctari, ſummus honor & gloria.* His & ſimilibus erigant benignè lapſum: juvantes eumdem, ut pudoris æratos compedes, tenaceſque manicas rumpat: quibus concatenatur, ne miſericordiam Dei ſolliciter. Magnum à rubore peccanti venit impedimentum, ne doleat commiſiſſe crimen. Niſi detineat illum verecundia, fortè citiùs pœnitebit: ſi verecundatus autem fuerit imprudenter, pœnitentiam differet.

S. Bernard. ep. 185.

Idem ib.

21. Duplicem paradiſum Deus primo tradidit homini: ſpiritum nempe ſuum, & hortum deliciarum: utrumque mirè pulchrum, & facili cuſtodiâ ſervandum. Materialem paradiſum non ille peſſundedit; ſed ſpiritualem: dans locum furi: ſcilicet diabolo; qui totam ejus amœnitatem demolitus eſt: ſuadens Hevæ tranſgreſſionem præcepti, ſciensque, mulierem daturam viro de ligno vetito. Poſt damnum Dominus acceſſit ad colonum ſuum quaſi villicationis rationem exacturus. In faciem conjecit inobedientiam ejus: non tamen reſpondit Adamus: Peccavi. Poſt annorum ſæcula plura Deus virum quæſivit juxta cor ſuum, & illi tradidit populum dilectum ſanctè gubernandum. Deliquit etiam iſte per adulterium & homicidium. Miſſus Nathan increpavit eum, loquens in perſona Domini: cui mox David retulit: *Peccavi Domino.* Nonne longe formidabilior fuit reprehenſio facta Protoplaſto, Quàm Davidi? David per hominem fuit increpatus: Adam vel per ipſum Deum, vel per Angelum Dei nomine. Citò movetur David ad pœnitentiam; non ſimiliter protoparens. Pudor hunc detinuit, ne feſtinus pœniteret. Ut Adami verecundiam agnoſcas tunc infructuoſam, adi S. Brunonem Aſtenſem; cujus hæc ſunt verba: *Quam vocem Domini? Fortaſſe minantis, & quia peccaverunt, errorem ſignificantis: ſive etiam, quia nudi erant, ei apparere erubeſcebant.* Sic ille ad ea verba textus: *Et cum audiſſent vocem Domini Dei* &c. et infra: *Eo quod nudus eſſem, quod ad flagella paratus eſſem, quia illam juſtitiæ veſtem amiſeram, qua cum indutus eram, neque timebam, neque erubeſcebam.* Sic Idem ad illud primi Parentis: *Eo quod nudus eſſem* &c. Aliter ſe habuit Iſraëliticus Monarcha: non locum præbuit ſterili pudori: propterea pœnitentiæ fructum adeptus eſt celeriter. Una catena minimè tollit aliam; quin & fortiorem reddit primam illa ſecunda. Sic

2. Reg. 12. 13.

S. Brun. Aſt. com. in Gen. c. 38.

Geneſ. 3. 8.

Ib. n. 20.

pudoris inſipientis nexus non ſolum nequaquam aufert ligamen delicti præteriti; ſed addit primo ſecundum : imo tertium, ſcilicet impœnitentiam : ſitque funiculus triplex, ac difficilè rumpitur.

22. *Cum timet inutiliter homo, tunc magis inducitur in periculum.*

Tertiam catenam dixerim pavorem inutilem ſupplicii. Periculum ſubeſt non mediocre dum ſic tenemus pœnam commiſſi criminis : & eò gravius, quò timor iſte ſimilatur magis alteri metui virtuoſo, qui timor dicitur ſervilis Dei. Metuis Deum ut juſtum punitorem? Bonus eſt hic metus. Horres vindictam peccati, ſic ut niſi punirentur crimina peccares; Quamvis hoc non audeas expreſſâ mente dicere, malus eſt hic pavor. Fruere S. Auguſtino. S. Aug. to. 2. ep. 144. *Inimicus*, ait, *ergo juſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat : amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet.* O quam frequentiùs formido pœnæ damnabilis èſt? Mihi videor ſic timentem cernere, quaſi viatorem in tenebris poſitum : qui audiens à longe vocem, ſubodoratus eſt venire prædonem, qui vita ſpoliet eumdem, ſi pergat ulterius : ideoque declinat in ſiniſtram, ubi patet fovea prægrandis, latens ejus oculos caligine cæcos; in quam præceps corruit, & cervicibus fractis expiravit. Haud aliter quidam facientes iter, hoc eſt in exilio vitæ peregrini, mortem in ultionem delictorum venturam pavent, ut prædetur eos : & horrore conſternati deviant ad ſiniſtrum, id eſt, iniquum latus, ac ſe præcipitant in timoris vituperabilis antrum lethale. Hâc ſimilitudine, quæ longe diſtat à figurato, juvetur mens ut percipiat quàm ſit noxius ille timor, quem impugnamus. Miſerum eſt quòd etiam nobis detrimentum adducat illa paſſio, quæ quidem homini data fuit ut nocumenta vitaret. Metus, inquam, cujus ductu damnum refugimus, ſi fuerit inordinatus, nos ampliùs introducet in diſcrimen. Cum timet inutiliter homo, tunc in periculum magis inducitur.

23. Ab ergaſtulo ſervitutis Ægyptiacæ, poſt non pauca portenta, populus Iſraël exiit libertati reſtitutus ab eo cujus eſt oppreſſos eruere conterereque ſuperbos. Pœnitentiâ ductus de facto ſuo reſiliit Pharao, diſplicens in dimiſſione populi, quam ſatis coactus conceſſerat. Armatâ manu perſecutus eſt Hebræos. Iſtis omnipotentia diviſit aquas rubri maris, ut pertranſirent; ita quod à læva dextraque ſtaret unda quaſi murus. Inſequentes Ægyptii per medium æquor ingreſſi fuere, cum præſumerent comprehendere diſcedentes. Annuente Domino reverſæ ſunt aquæ : fugerunt inimici : ſed meditare quò fugiebant. Non reverſi ſunt via recta hoſtes ad locum, per quem fuerant ingreſſi mare; ſed ad latera, vel ad unum ex his diverterunt. Id videtur inſinuare Exod. 14. 27. ſacra hiſtoria, dum narratur : *Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum : fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Unde, quæſo, veniebant aquæ fugientibus occurrentes? nonne de lateribus? Ergo fugam ceperunt Ægyptii; vel ad unum latus, vel ad ambo. Prodeſt Lirani commentarium. Liran. ib. *Ex timore enim erant ita turbati & ſtupefacti, quod non cucurrerunt ad littus, ſed magis contra aquas ſuper ſe venientes.* Quæro. Semel quòd fugam ineunt iſti, cur non retrocedentes ad tergum recta curaverunt egredi per locum eumdem, quò fuerant ingreſſi? ad aquas fugiunt? Non mirum quòd timor inutilis auxerit eis diſcrimen : ipſe metus, quo turbabantur ſuaſit ipſis eò tendere properantes, unde venerunt aquæ ſubmerſuræ. Applica ſubmerſioni, quam experitur imprudens timidus peccator à malo quod veretur; quem nihil juvat formido, ſed ampliùs periclitari facit. Mare Rubrum ſignificat mundum. Ad illud Exodi : *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris*, ait Lira : *Per hoc deſignatur quod tranſito mari præſentis ſæculi, beati vident pœnam dæmonum, quæ dicitur mors gehennæ.* Per Ægyptios deſignari necnon & homines impios exiſtimavit Beda. *Super columnam*, inquit, *nubis & ignis Dominus ad vindictam reſpicit, ſi dæmones & impii per tres leges occiduntur, & ſubvertuntur rotæ diaboli.* Alea plenum eſt æquor mundi : congruebat, hominem timere priùs, quàm aggrederetur viam ſæculi. Poſtea trepidat inutiliter ſerò : territuſque refugit malum, quod veretur, & incurrit aliud, quod non cavet. Ut ſimul utrumque declinet efficaciter, ſuâmet perturbatione præpeditur : quia timor iſte catena quidem non levis eſt.

Ad Exod. 14. 31. Lira in com.

Bed. com. in Exod. 14. fi.

24. *Tunc peccatum deletur, cum occaſio proxima tollitur?*

Quartam, aliis omiſſis, catenam confringi ſollicitè curet quicunque viam ſalutis arripit : ſcilicet occaſionem proximam peccandi. Dum non rumpitur hic nexus, nec verbis dolorem pronuntiantibus, neque fletui pœnitudinem oſtendenti fidendum eſt frequenter. Quid verbalis proteſtatio valet contraria facto? quid prodeſt oculorum teſtimonium, ſi pariter in affectu ſceleris mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes? *Expelle mulierculam*, ait S. Thomas à Villano; *ſolve catenam : aliàs non credo verbis, non credo lacrymis. Funiculus triplex malæ inclinationis, pravæ conſuetudinis, violentæ occaſionis difficile rumpitur.* Deliberant aliqui prius commiſſa crimina delere per pœnitentiam; poſtea ſublaturi proximam occaſionem delictorum eorumdem. Rarò continget, ut ſic veraciter aboleatur noxa. Iſtiuſmodi ficti pœnitentes, recuſantes dimittere præſens incentivum peccati, ſimilantur eis, qui dum graſſatur morbus contagioſus, nolunt à locis infectis recedere cum jam ægrotant; & poſſent ad oppidum vicinum tranſmigrare, quò medelam quærerent ibidem. Medicum accerſunt : qui monet ante omnia diſcedendum à loco illo; ne fruſtra laboretur in procuranda ſanitate; cui non ſanæ civitatis obſtat contagium. Morbidus reſpondet, ut ſatagat reſtitui ſibi ſalutem; & poſteaquam perfectè convaluerit, fore ſibi migrandum ad tutiora. Medicus imprudenter acquieſcit ægri veſanæ potioni : totâ defatigatur arte; nec reſtituitur ægroto ſalus : quia proximus

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. 4. Quadrag.

aër

aër peſtilens totum inficit. Haud aliter, monente ſpirituali medico, prius oporteret projicere proximam occaſionem, quàm applicetur ab eo medicamentum criminibus. Contendit æger, ut priùs auferatur peccatum. Fallitur ſæpe: tunc enim frequenter pœnitentia delet ſcelus, cum tollitur occaſio. Quaſi duo non forent, crimen, & incentivum ejus proximum, ferè valet idem occaſionem abjici, crimenque deſtrui.

25. Moyſes, ne populus Iſraël ibi futuras attribueret victorias, potiùſque Domino ſolùm adſcriberet eas, repreſſit illorum elationem; ut non putarent, propter opera bona ſua poſſeſſuros Gentium Terras; cum econtrariò ſæpiùs Deo ſint adverſati. Meminit idololatriæ vituli, quæ refertur in Exodo, & ait: *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi*, &c. Ne prætereas modum loquendi non valde communem. Vitulus appellatur peccatum; crimen combuſtum dicitur, cum idolum traditum eſt igni. Vide. Potuiſſet illud ſimulachrum, ſi reſervaretur à Moyſe, proximam occaſionem præbere propenſis ad idololatriam, ut in hoc nefas reciderent. Meritò vitulum appellavit Moyſes peccatum Hebræorum: quia fere valet idem ſcelus & occaſio. Combuſſit crimen, cum abſtulit occaſionem; quoniam ut plurimùm adhibito remedio deletur iniquitas, cum abolita manet illecebra. unicuique peccanti ſuum eſt idolum, quod impiè colit: ſcilicet illud in quod voluntas convertitur, cum avertit à Domino delinquens. Nunc in exemplum ſint illa duo, quorum S. Hieronymus exhibet mentionem inquiens: *Ut voracium deus venter eſt: ita cupidorum quoque juſtiſſimè pecunia deus dici poteſt*: &c. Idola ſua, hoc eſt, occaſiones proximas; quibus cultum obtulere peccantes, execrentur pœnitentes: vel non credam odiſſe peccata: ſolummodò tunc multoties aboletur nefas, cum relinquitur occaſio. Delictorum deſtructio verè ſolutio eſt ligati: qua ratione ſolvetur iſte lubenter & amanter involutus adhuc occaſionis catenâ? Iſtam itaque, necnon & alias projiciat, ut intelligamus redemptum à ſervitute peccati virtutum pretio, dicamuſque plaudentes illi: *Redemptio animæ, viri divitiæ ſuæ.*

Deuter. 9. 21.

S. Hieron. to. 9 com. in Ep. ad Epheſ. l. 3. c. 5.

DELIBATIO II.

Similitudines eleëmoſynarii cum redimente ſeipſum.

26. *Eleemoſynarius non figat oculos in eo quod pauperi largitur, quaſi computans illud.* S. Ambr. to. 5. ep. 25. longe ante fin.

EAdem priora verba præſentis gnomæ: *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ*, facillimè valemus illis aptare, qui ſuas præmittunt opes ad cœleſtia deportandas manibus pauperum. Præit Ambroſius. *Sed* ait, *nec ipſæ divitiæ vituperabiles. Denique redemptio animæ viri divitiæ ejus: quoniam qui pauperi donat, redimit animam ſuam.* Qui gravatur ære alieno dicitur ſe redimere cùm perſolvit creditori. Debitis oppreſſos nos fatemur totidem, quot peccata commiſimus. Hæc eleemoſynis redimuntur juxta dictum Danielis ad Nabucodonoſor: *Peccata tua eleemoſynis redime & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Dionyſius Carthuſianus ibi: *Ad impetrandum*, inquit, *miſericordiam pauperibus, imo & cunctis impendere.* Unde fit, ut inopibus diſtribuens rationem ſecum ponat, computans quantum pro peccatis debeat: & quamvis noſcat, ſe redimere cuncta non valere, niſi divina miſeratio preponderet; nihilominus elargitur ſtipes egenis in debitorum redemptionem. Appoſitè Cæſarius Arelatenſis: *Conſideret*, ait, *unuſquiſque ex eo tempore quo ſapere cœpit, quantum debeat pro his quæ malè cogitavit, quæ malè locutus, vel malè operatus eſt*: & infra: *Conſideret ergo unuſquiſque iſta omnia, & his ſimilia, quæ nec numerari poſſunt; & tunc agnoſcet quantas eum eleemoſynas oporteat exercere. Cum enim, etiam ſi totum demus, niſi præponderaverit Deus miſericordiam, redimere cuncta peccata non valeamus*, &c. Poſito igitur, quòd in pauperes elargitio genus redemptionis eſt, quo liberatur homo; notatu dignum, quòd ſemetipſum redimens à captivitate (cum bonum libertatis acquirat, quæ non pro toto bene venditur auro) quantumvis multum expendat in hac re, non magnî facit illud: ſic eleemoſynarius deſpicit dona ſua. Non ob oculos (velut ſi computaremus) ponendum eſt quaſi magnum id, quod indigo tribuitur. Averte prudens à datis lumina: tunc videbis, cum accipiens mercedem à Domino, recuperaveris quod ipſe dediſti.

Danie. 4. 24.

Carthuſ. in com. ib.

Cæſar Arel. ſer. de decem virg.

27. Sancti ſpiritus doctrina circa miſericordiam exhibendam indigenti nobis meditanda modò. Sic legimus: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum*: &c. Dionyſius Carthuſianus: *Id eſt*, inquit, *potiùs elige damnum pecuniarum & temporalium rerum incurrere, quàm proximis indigentibus non ſubvenire, aut eorum amicitiam injuſtè violare ac perdere.* Hæreo nimis in iſta phraſi. Pecuniam impertiri perditio nummi vocari valet. Nonne ſic theſaurizatur in cœlis? Imo cum fœnore multo. De hoc non dubitas: audi tamen Clementem Alexandrinum. *O pulchram*, inquit, *negotiationem; o divinum mercimonium! Emit quis pecunia incorruptionem, datiſque ſæculi rebus, quæ intereunt, præmii loco æternam in cœlis manſionem recipit.* Dicendum putares à Siracide: Negotiare pecuniâ tuâ, donans eam fratri penuriâ laboranti. Non ita lego; ſed: *Perde pecuniam propter fratrem* &c. Myſterium indagemus. Pater miſerorum bonus mercator eſt: ſed animus donantis habeat ſe magis ad modum perdentis quæ largitur, quam exercentis mercimoniam per fœnus argenti. Qui fœneratur nummos inſpicit illos cautè, computatque diligenter. Non ita contingit perdenti: nec enim cum amittit, nec poſtea videt quod perdidit; niſi cum accidit ut iterum rem perditam reſtauret. Pariter, quando proximo ſubvenis egeno, minimè congruit ut, æſtimatione multâ proſequens datum figas in hoc aciem oculorum, veluti computans quan-

Eccli. 29. 13.

Dion. Carth. in com. Eccl. ib.

Clem. Alex tr. quis dives &c. n. 32.

ta donec. Inſuper & poſt factam donationem, cura quod neſcias munus exhibitum. Accipies mercedem: atque tunc videbis, & affluës: mirabiliter ac dilatabitur cor tuum perpendens quantum lucri fueris negotiatus.

28. *Si potes, non te videat pauper, cum eleemoſinam recipit.*

Et adeo verum eſt, congruere, miſeratorem indigorum haud æſtimare plurimi dona ſua, quòd ſit convenientiſſimum, ſi fieri poſſit, ut nequaquam te pauper aſpiciat, cùm ejus miſeriam ſublevas. Nuda paupertas eſt: erubeſcere ſolet de nuditate. Parce miſerando: ne tacitus exprobres, vel admoneas quod pudet eumdem. Sapienter Seneca: *Quid? ego illi ſum indicaturus me dediſſe: cum inter prima præcepta ac maximè neceſſaria ſit, ne unquam exprobrem, imo ne admoneam quidem?* Gloriolæ ſervit ille, qui ſe velut majorem ſuſpici cupit ab egente, cui benefacit. Lacrymis pleni ſunt oculi pauperis: ut quid eos deſideras in te figi? Multò plus clareſces cum proficuus fueris non te videnti. Solem imitaberis, planetam beneficum, & ſplendidiorem cæteris aſtris. Utilis eſt ille mortalibus, agros abundè progerminare faciens: prodeſt illis & aqua rigans. Sed lympha caret luce, qua Phœbus abundat: in multis ambo diſſident. Modò nota, quòd aquam fœcundantem cernis tu: cujus intereſt ubertas prædii; non ita perſpicis influentias diurni ſideris: imo non patitur iſtud, quod viſum intendas in eum. Princeps luminum eſt: quaſi dedignatur, ne videri poſſit emere beneficentiis admirationem ſuî. Benevolus in hoc tantum te præbeas inſenſibilem, quòd non tangaris laudum pruritu: nec illas à grato ſuſcipiente venêris: imo cum recipit ille ſtipem, ſi poteſt id fieri, te non intueatur; ſed vel cura diſtare; vel ſaltem non ejus oculis pateas.

Senec. l. 2. de benef. c. 10.

29. Indigentibus providens alimoniam Dominus ille, qui nutrit & corvorum pullos à genitrice dimiſſos, præcepit ſic Hebræis per Moyſen: *Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Et infra: *Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam uſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus & peregrinis dimittetis eas.* Radulphus Flaviacenſis: *Si litteram ſecutus fueris, opus miſericordiæ eſt ut in colligendis fructibus tuis non pertinacem ſequaris aviditatem, ſed extrema ſaltem & quæque decidentia egentibus relinquas.* Dicet aliquis: An Deus non humaniorem pro ſublevandis inopibus miſerationem injungeret populo ſuo, ſi pauperes liberaret à moleſtiâ levandi corpore curvato corpore de ſolo grana quæ cadunt, & ſpicas remanentes? quare non præcepit inquiens, exemplî gratiâ: Quotannis partem centeſimam fructuum vinearum & ſegetum donabitis pauperibus; & ideo non veto quòd vineæ proventum colligatis uſque ad ultimum granum, & ſimiliter de ſpicis? Certe ſic & pauperi ſubveniretur; & hic non laboraret in colligendo, ſed acciperet à manu donantis. Nonne foret hoc magis congruum? Nequaquam: plures namque verecundarentur aſpicientes benefactotem ſuum, cui forte præcellerent dotibus naturæ, quæ ſorti non ſubſunt. At cum irent ad agros & vineas, ut remanentia tollerent; is, qui dimiſerat iſta, vel abeſſet, vel ſaltem non coram oculis poſitus haberetur. Si locus datur iſti circumſtantiæ, fac ut non te largitorem adſpiciat miſer. Probabis ita vanam gloriam non aucupari; ſed parvî ducere quod impertiris, licet plurimum ſit: ad modum ejus, qui pretium, quo ſe de captivitate redimit, contemnere ſolet, facta comparatione cum libertate, quam aſſequitur: nam etiam, quin multò longiùs, præſtat quod per eleemoſynas conſequeris, illi pecuniæ, quam diſtribuis in mendicos.

Levit. 19. 10.

ib. c. 23. 22.

Radùl. l. 13. in Levit. c. 5.

30. *Suffundere pudore de miſeriâ pauperis; quâ verecundatur ipſe.*

Aliud reſtat notandum circa redemptionem à captivitate: quod non inutiliter accommodabimus eleemoſynam largituro. Ponamus hominem alioquin opulentum ab hoſtibus captum, & in ſervitute degentem lacrymoſâ: qui, cum poſſet divitiis, quas apud ſuos retinet in patriâ, redimere ſe; nollet ex avaritiâ nummis emere libertatem. Quis non execraretur hunc avaritiæ magis, quam inimicorum ſervum? quis non exiſtimaret illum naturæ rationalis confuſionem? Non abſimiliter dives ille vivit: qui, cum valeret à peccatorum ſervitute redemptionem animæ conſequi per facultates in pauperes erogatas, quæ tenacitate non vult. Pudeat iſtum de ſordidâ nimis affectione, qua poſtponit gratiæ libertatem ſacculis propriis. Et accedit, ut rubor augeatur, quòd notâ latronis dignus quodammodo ſit: nam pauperis eſſe judicabis quod indigenti negat, ſi Chryſoſtomo credis. *Declarans divitibus*, ait, *quod res pauperum poſſident, etiamſi paternâ hereditate obvenerint, etiamſi undecunque aliunde collegerint pecunias.* Igitur, ne theſaurizator ex avaritiâ veniat in iſtam abjectiſſimam pudefactionem, conſulerem ipſi pudorem alium ſanctum & meritorium. Pudeat, inquam, ditem de miſeriâ proximi ſui, quâ verecundatur indigus ipſe. Perfectè compatitur dolenti qui ſimul patitur cum illo præ miſerationis affectu. Egeſtas vultum dejicit inopis: tu, qui condoles ei, verecundiâ pariter afficere: pudeſit ille, quia caret neceſſariis fœdè: te pudeat etiam de fratris deformitate.

Chryſoſt. to. 2. hom. 3. de Laza.

31. Apud Hebræos abiit in proverbium, quod filii pro peccato parentum puniebantur. Hanc loquendi rationem Dominus rejecit fatus ad Ezechielem, & aſſeverans, quemque ſuam iniquitatem fore portaturum; ſi verò juſtus extitiſſet, habiturum eſſe vitam. Explicans autem per plura quid ſit eſſe juſtum, inter alia miſcuit miſericordiam circa pauperes, his verbis: *Panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento*: ubi S. Hieronymus: *Qui ſermo juxta ſuperioris verſiculi explanationem, dupliciter differendus eſt: ut & nudis tribuamus operimentum*, &c. Expenſione puto non otioſâ verſandam eſſe diſparitatem ſermonis: nam circa panem Textus utitur verbo

Ezechie. 18. 7.

bo dandi ; non ſic erga veſtem ; ſed legitur *& nudum operuerit veſtimento* : &c. Non caſualiter mutatam eſſe phraſim ſuadeo mihi. Meditor inſinuari ſic Domini deſiderium , quòd propriâ manu juſtus pauperem nudum veſtiat. Et quo fine ? Dicam. Ut , ſicut inops de nuditate ſuâ verecundatur ; ita qui ſuccurrit ei, pudefiat nudum cernens : nam utrumque ſuadet ipſa natura: ſcilicet ut homo veſtibus omnino ſpoliatus , in ſe lumina flectens erubeſcat ; & alter conſpiciens eum nudatum, pudore ſuffundatur. An minus conſanguinitatis eſt inter facies pauperis & miſerentis , quàm inter amborum oculos ? Benigniſſimâ commiſeratione condolentis proprium eſt , ſi flentem præ nimio dolore cernat ſollicitè , præ miſericordiâ collacrymari. Similiter cum genæ rubent inopis , maxillæ pii cum eo pudeſcant.

32. *Cùm neceſſitatem pauperis minuis , ne verecundiam adaugeas.*

Longiſſimè ſunt ab iſta compaſſionis generosâ pietate plurimi. Non ſolùm non cum infirmis infirmantur , hoc eſt , minimè cum pudoribus verecundis pudet eos de naturæ humanæ ſorte deplorandâ ; ſed inopum ruborem incrementant verbis & factis : verbo , quia ſupplicationibus eorum ſubmiſſæ reſpondent ſuperbè : facto , quoniam vel opem denegant , vel nimis differunt , ſeu tenuiſſimam concedunt eleemoſynam : vel ita publicè donant , quod augeatur verecundia petentis : qui vellet , ut abſconderetur & munus , & inopia. Hoc abominabatur Seneca dicens ad ſuum Liberalem : *Non nego , quoties patitur res percipiendum gaudium ex accipientis voluntate : ſin adjuvari illum & oportet , & pudet ; ſi quod præſtamus , offendit , niſi abſconditur : beneficium in acta non mitto.* Crudelitatem humano commiſcet affectui qui pauperem cogit ut emat rubore quod titulo muneris tradere proteſtaris. Tibi non minus incumbit illum eripere de fœditate , quam aliqua ſecum defert egeſtas , quàm à nuditate atque frigore, juxta dictum Chryſoſtomi : *Tu* , inquit , *nuditate , deformitate , frigore ipſum eripe.* Perperam exhibes te munificum largiendo qui ſimul rubore facis miſerum dictis arrogantibus , geſtu ſuperbo , vel aliter. Unde reliquum eſt , ut pauperum foventes nequaquam ipſius pudori præſtant augmentum : cum neceſſitatem illius minuis , ne verecundiam adaugeas.

Senec. l. 2. de benef. c. 10.

Chryſoſt. to. 2. hom 46. in Matth. ante fi.

33. Dictum eſt à Domino per Iſaiam , Judæorum jejunium nequaquam acceptabile ſibi. Numerans aliquot bona , quæ ſociari congruebat jejunantis abſtinentiam , ait : *Frange eſurienti panem tuum , & egenos vagoſque induc in domum tuam : cum videris nudum , operi eum* , &c. Equidem ſicut vagus inops indiget hoſpitio ; ſic nudus non parum alleviabitur , ſi recipiatur in domum : nam vel frigore liberabitur , vel ſaltem riſu prætereuntium. Ergo Dominus , qui monuit ut vagus admitteretur domi , quare non hortatur ut ſimiliter fiat nudo ? ſed ait : *Cum videris nudum , operi eum* , &c ? Conjector , noluiſſe , ut inde ſumentes occaſionem aliqui , ſi longiùs à domo propriâ reperirent hominem ex inopiâ veſtibus nudatum , deferentes eum per plateas in ſuas ædes , majorem ei verecundiam facerent injici , quàm erat ei cum lateret in angulo callis , vel alio maneret loco non multis pervio. Durum foret , ut accipienda veſtis conſtaret illi rubore tantò. Quapropter dicitur , ut nudus operiatur ; non autem ut domum inducatur ille , ſicuti de vago dictum erat. Ne pudefacias cor pauperis , cum exteriora membra miſeratus refoves : nam verecundia cordis generoſi (quod ſæpe latet in miſero) dolor eſt haud exiguus. Qui ſe redimere curat per eleemoſynas à peccatis apud Altiſſimum (nam etiam hac viâ *redemptio animæ viri divitiæ ſuæ*) ne contumeliam præparet ejuſdem nuntio , ſcilicet inopi , cui miſericordiam impendit.

Iſai. 58. 7.

34. *Correctio ſæpe tunc non eſt adhibenda miſero cùm benefacis ei , ſed poſtea.*

Qui autem pauper eſt , increpationem non ſuſtinet. Nunc poſtremam iſtam paræmiæ partem verſabo juxta prioris expoſitionem , quæ ad eleemoſynam ſpectat : quam interpretationem ut moralem approbavi. His igitur verbis divinus tacitè monet ſpiritus , ut non increpationibus exaſperetur inops : quatenus ait , illum haud increpationem ſuſtinere. Poſt alias acceptiones hujus loci Dioniſius Carthuſianus ait : *Inſuper ſæpe contingit quod pauperes & mendici increpationem patienter non ferunt , cum ſint puſillanimes & afflicti : ideo non ſunt duriùs increpandi , niſi forſan magnitudo exceſſus illud exigat. Nam (ut Seneca teſtatur) dura eſt in afflictione increpatio. Atque communiter dicitur quoll afflictio non eſt addenda afflicto.* Vix intelligibilis eſt quorumdam erga pauperem charitas : nam cum hæc doceat proximo tam in temporaneis , quam in ſpiritualibus miſericorditer ſubvenire ; iſti vitam eorum reprehendunt in faciem , fervidè , ſicut apparet , zelo charitativi ; non autem ſublevant eorum famem ; nec alia , quibus indigent ſubminiſtrant. Suppono quod his non incumbit ex officio , vel quaſi , de bonis vel malis indigi moribus inquirere. Quo poſito lege S. Petrum Celeſtinum. *Sanè* , ait , *benefaciendum eſt bonis , & malis ; juſtis , & injuſtis , amicis , & inimicis , cum neceſſitas exigit , & facultas permittit.* Alii ſunt quidem tribuentes pauperibus opem : ſed miſcent increpationes imprudentes , & panem offerunt velut aceto madidum. Non bonum condimentum eſt muneris contumelia. S. Iſidorus Peluſiota : *Eleemoſynam à probro* , inquit , *& contumelia puram atque immunem eſſe oportet. Nam qui ei hæc adjungunt , fragranti unguento cœnum admiſcent , atque accipientium animas percutiunt. Quæ enim cum probro porriguntur , etiamſi maxima ſint , accipientibus minimè jucunda ſunt : tametſi alioqui neceſſitate conſtrictè contumelias tacitè ferant.* Omittamus iſtos pauperum quàm ſævos percuſſores. Veniam ad eum , qui miſero benefacit , agnoſcens , illum deliquiſſe ; nec habens in animo lædere contumeliosè. Vellem ut (niſi recta ratio dictet oppoſitum) non tunc eum increpares , cùm beneficium confers actualiter , ſed poſtea : prius exhibe purè munus benefactoris ; & poſt eum corrige.

Dion. Carth. in Prov. 13. 8

S. Petr. Celeſti. opus. c. 1. p. 4.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 2. 14.

35. In quadam porticu Probaticæ piſcinæ jacebat Paralyticus: differebaturque ſanitas ejus, quia non habebat hominem. Miſeratus illius Deus & homo reſoluta membra ſolidavit, ac plauſum non amare ſignificans, turbam ibi conſtitutam relinquens abiit. Poſtea Salvator invenit eumdem in templo, *& dixit illi: Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex hoc Redemptoris dicto colligit Carthuſianus, ægrum iſtum propter delicta morbum incurriſſe: ait enim: *Ex quibus elicitur, quod æger iſte propter peccata ſua incidit in languorem præfatum.* Animarum ægritudinibus mederi ſatagebat potius Filius Dei, quam infirmitatibus corporeis. Præſervatio ne ulterius peccaret, in quam dirigebatur iſta monitio Domini, ſollicitudinem poſtulabat multam ſpiritualis medici. Qua de cauſa non tunc hortatus eſt illum, ne rurſus laberetur in ſcelus cùm eum liberavit à paralyſi? Quia monitum iſtud extitit reprehenſio tacita de peccatis præteritis, in quorum pœnam paſſus fuerat morbum. Et cum neceſſarium non eſſet ſtatim reprehendi, benigniſſimus Dominus increpationem beneficio commiſcere noluit: diſtulit eam; atque tunc præbuit verbis occultam, cum jam neceſſitate ſublevatâ, nihil aliud ei conferebat. Diſcant pauperis animæ zelatores nequaquam afflictis afflictionem addere. Cum dictamina rationis aliud non perſuadent, ne miſeratio i ſuæ reprehenſionem inopportunè conjungant. Meminerint, indigentiam frequenter impatientiæ ſubeſſe. *Qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet.*

Joan. 5. 14.

Dion. Carth. com. in Ioan. art. 13.

DELIBATIO III.

Dat cenſus honorem; pauper ubique jacet.

36. *Sæpe magni faciunt divitem abominantes eum.* Caïetan. ad Prov. 13. 8.

PAræmiaſtæ dogma, quod enucleamus, ita legit Caïetanus Cardinalis: *Pretium animæ viri divitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt increpationem non audit.* Valet idem ac ſi diceretur: Dives ſuſpicitur, & in pretio magno eſt: pauperis nulla ratio habetur. Felix exiſtimari poſſet opulentus nimiùm, ſi tot cordibus diligeretur, quot verſatur in oribus magnificè. Ut plurimùm perfidi latera divitis circumſtant: quod ferè cunctorum potentum infelicitas eſt. Scribit Joannes Seresberienſis de illis, qui familiariter admittuntur ad arcana hominis in poteſtate conſtituti: *Reverentia creſcit, invaleſcit authoritas, arcentur incommoda, proveniunt utilitates, amicorum augetur numerus, cultoribus accedit devotio; & fortunæ totius gratiæ ſuæ & felicitatis auram videtur beatulis inſpirare. Cæterum iſtorum omnium noviſſima quovis abſyntio amariora ſunt, & ſi interim non amareſcunt, juſtum amaritudinis habent ſuſpicionem*: Bene dixit: *Amicorum augetur numerus*: iſti quippe numerus ac turba ſunt, & nihil aliud. Potentiori dulceſcit comitatus adulationis veneficio; quo tegitur amara perfidia. Sed quid miramur diviti contingere, quod amico vero careat? Si vis amari ama; fertur in proverbio Certiùs eſt aliud axioma, raras acceptiones admittens: Si non amas, non amaberis. Non ſolet facultatibus abundans alios diligere; cùm deſpiciat multos; & nullum ſibi propitium conciliare quærat. Idem Sereſberienſis: *Utique dives*, ait, *familiaris eſſe novit, amicus nunquam, aut rarò.* Cum non diligat, neutiquam diligitur. Nih lominus apud ſæculum reverenter ita gazæ coluntur; ut iidem, qui divites abominantur, eos æſtiment plurimi: non contemnuntur etiam ab execrantibus eos: hi deteſtantur frequenter, & reverentur locupletes.

Ioan. Sereſb. l. 3. de nug. c. 12. poſt med.

Idem. ib.

37. Advocatus à Joſepho venit cum filiis Jacob in Ægyptum. Occurrit ei prædilectus gnatus, & inter amplexus flevit. Docere videtur prudens tacitaque natura gaudium temporale non omnino diſſimile doleri, cum lacrymas utrumque moveat. Tunc Joſeph hortatus eſt germanos. ut Pharaoni roganti cujuſnam generis eſſet opus illorum, reſponderent, ſe paſtores; & hoc ideo, quia paſtores ovium deteſtabantur Ægyptii. *Cumque vocaverit vos, & dixerit: Quod eſt opus veſtrum? Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus ſervi tui ab infantia noſtra, uſque in præſens, & nos & patres noſtri. Hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in Terra Geſſen: quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.* Non legitur, fratres ægrè ferentes quod abominandi forent reſponderint monenti: Non patiemur, ut nos Ægyptii deteſtentur: quia morantibus in alienâ regione duriſſimum hoc erit. Imo textus narrat, quinque fratres Joſephi dixiſſe Regi: *Paſtores ovium ſumus ſervi tui, & nos, & patres noſtri.* Meditabar, illos meminiſſe quod à germano audierunt: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, &c. & infra: *Omnes opes Ægypti, veſtræ erunt.* Contingere potuit ut ita ſecum ratiocinarentur: Plurimis abundabimus: & quamvis deteſtaturi ſint Ægyptii propter munus paſtoritium; tamen ob opulentiam honorabunt. Ignominioſum reputabant officium paſtoris Ægypti ſuperbientes incolæ. Rupertus: Quia deteſtantur, *inquit*, Ægyptii omnes paſtores ovium, *videlicet, quia ſuperbiunt in equis & curribus plus cæteris gentibus, & ob hoc humile paſtorum opus veluti ignominiam deſpiciunt, & deteſtantur.* Adhuc nihilominus fortaſſis expectabant, ut in externis actionibus propter opes honorificarentur; abominatione retentâ licet eorum intra præcordia. O quàm paſſim deteſtationi ſubeſt opulentus ex ignobilitate ſanguinis, avaritiæ ſordibus, infelicitateque mentis: & ſimul execrantes illum cultus offerunt ei pene divinos!

Gen. 46. 33. 34.

Ib. c. 47. 3.

Ibid. c. 45. 18 20.

Rupert. l. 9. in Gen. c. 18.

38. *Etiam neque tunc perens, nec accipiens aliquid à divite colit eumdem.* Reſpondebis, honores ejuſmodi ſolis eis impendi, quorum beneficia recipit actualiter qui veneratur illos. Fateor multorum erga locupletes ingratitudinem, & aſſeclarum ipſos comitantium animos ferè cunctos congruentiâ ſolâ propriâ moveri. Simul tamen verum eſt, ita divitias adorari per eos, qui virum copioſum circumſtant,

circumſtant, ut quamvis nec acceſſerint ad aliquid poſtulandum ab illo, nec ipſe tunc eis conferat quidquam, tamen vereantur abundantem, quaſi arcam, in qua deus cupidorum repoſitus eſt. Allegoricam ſententiam D. Ambroſii tibi debere nollem. *Vides*, inquit, *cedrum in monte altiſſimo ſuperexaltatam : ſed vento frangitur, ſed igni exuritur, ſed vetuſtate diſſolvitur. Ita eſt dives in ſæculo.* Præter alia, quibus aſſimilatur credo theſaurorum poſſeſſor, unum eſt non contemnendum : ſcilicet quod cedrus arbor eſt pretioſa : quantumvis non præſtet homini cibum. Ita quidem plures opulentos habent homines in pretio multo ; licet ab eis fructum beneficii non colligant. Auri & argenti pretioſitatem invenit hominum fallax opinio : quidni dicamus, eamdem humanam exiſtimationem in divites quaſi tranſtuliſſe vanam æſtimationem illam, quam dedere metallis ? Inde fit, plurimos, etſi pro tunc non efflagitent munus à ditiſſimo, nec eo tempore recipiant aliquid ab ipſo, tamen adſtare venerabundos repleto bonis temporalibus, eique ſubmiſſis geſtibus adeſſe.

S. Ambr. to. 2. expoſ. Pſal. 36.

39. Cecidit alta cedrus, quamvis non ſterilis : Jobus inquam ; mutabilitate felicitatum ſæculi poſtulante, necnon adverſario communi quatiente. Minores eſſent cordis ejus anxietates, dato quòd memoriam tranſactæ fortunæ perdidiſſet. Recordabatur attamen proſperæ ſortis, qua fulgebat olim, ac dicebat : *Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus : cumque ſederem, quaſi rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* Hebraicè legitur : *Et habitabam ſicut rex in agmine*, &c. Recordabatur ibi Job, quòd cum felix eſſet circumdabatur à proſequentibus ipſum admiratione. S. Thomas commentatur : *Omnibus ſcilicet me hinc inde admirantibus* : &c. Et ut attendas, admirationem iſtam fuiſſe honorificam Jobo, non prætereas, id fortaſſe colligi de verbis ejuſdem S. Doctoris, quæ præmiſerat : *Neque tamen*, ait, *erat in honoribus faſtuoſus, unde ſubdit* : Cumque ſederem quaſi rex &c. His poſitis, ut meditationi ſubjiciendæ locus detur, notandum, ambiguitatem vocis, *Quaſi* (de cujus apud Latinos, dum vulgariter loquimur, ſignificatione multimodâ videre poteris quæ dixi ſupra fl. 6. n. 7.) occaſionem dediſſe Caietano cenſendi, Job non fuiſſe regem. Loquar nunc juxta ſententiam illius. Quid ſpeciale Jobus reperivit in rege poſito cum ſuis in exercitu belli tempore ; quàm dum ſedet in regia domo, ad hoc ut declararet qualiter ipſe fuerit quondam in admiratione ac honore per exemplum regis inter milites in acie. Non caſu loquitur ſic. Proferam quod ſuſpicor. Princeps in aula ſuſcipit preces accedentium ad poſtulanda munera : ſolet ibi largiri beneficia pluribus. Ordinariè loquendo non ſic evenit inter phalanges ; ubi totum negotium principis eſt quomodo ſit hoſti damnum inferendum ; non autem ibi ſupplices ambiunt petentes ab eo, nec ille diſtribuit ſuis donaria, quæ ſpectant ad Curiam. Quô nihil obſtante militarem vitam rex agens pro temporis opportunitate colitur adoratione regia. Sic etiam dives (qualis erat Job ridente fortuna) etiamſi qui ſe comites adjungunt illi neque tunc temporis ab eo rogent aliquid ſibi donari, nec accipiant ab ipſo quidquam ; nihilominùs adhuc honoribus afficitur, & habetur maximi. Non igitur putes, honorificam æſtimationem, quâ proſequuntur homines locupletem, in alienâ tantùm commoditate radicari : licet non inficier, apud quoſdam cultum divitis ab utilitate ſolâ naſci. Præſcindendo quidem ab iſtâ, copiarum privilegia ſunt honores multa poſſidentibus exhibiti.

Job. 29. 25.

Lect. Hebr. ib.

S. Thom. in com. c. 29. Iob. lect. 1. fin.

Hac luce dives aliquando, ſi non in utramque ſurtit aurem, oculos aperiat, ut animadvertat, honorificentias prædictas, cum non tam illi, quàm divitiis præbeantur, duraturas quandiu non lapſus fuerit à proſpe à ſorte. Veniet paupertas, quæ, cum incedat nudata, ſolet habere ſociam veritatem nudam : illa docebit quàm rari fuerint opulenti comites amici veri, dum potiebatur abundantiis : & ita malo ſuo credet, ſe priùs honorabilem fuiſſe plurimis propter aurum. Tempeſtive S. Laurentius Juſtinianus : *Quod enim*, ait, *divitiis non potes ſcire, paupertate ſcies ô homo. Illa veros certoſque retinebit amicos. Diſcedunt utique qui non te, ſed ſua ſequebantur.* Quoties aſpicio meditabundus eum, qui decidit è fortunæ vertice, mihi videor cernere vitrum cryſtallinum in fruſta confractum, jacens in terra. Cum erat integrum, æſtimabatur appretiatione multa ; fruſta verò ſolo jacentia cuncti deſpiciunt : nullus è terra levat, niſi vel puer, ut ridiculè cum ſociis ludat, vel qui projicit in ſterquilinium, ne aliquis incautum pedem feriat. Antequam ænigma concludam ſatis apertum, Audi Præſulem. *Vitrea*, inquit, *eſt enim fortuna, quæ ſic ſplendet, ut facilè frangi poſſit*, &c. Clarum illud vitreum idolum, quod priùs nitens pretioſum pluribus erat, poſtquam labitur jam confractum nihili fit : vel pueriliter exponitur luſui, vel ſi fortè quis ad illum conjicit oculos, id ſæpius non miſeratione fit, ſed contemptu, præſertim eorum, qui meliori ſorte potiuntur. Latina vox, *Deſpicio*, binam acceptionem patitur ; & in ſubjectâ materiâ ſimul verificantur ambæ. Deſpicere dicimus quæ poſita deorſum intuemur : necnon ea quæ ſpernimus. Felix poſt ruinam cernitur à fortunatis infra conſtitutus ; & pariter hunc ipſi frequenter aſpernantur. Pretioſus eſt itaque dives quandiu non decidit : poſt caſum nullius eſt pretii ; dum ſtabat prælatus æſtimabatur plurimi ; poſtea flocci ducitur.

40. *Fortunatus æſtimatur plurimi quandiu non decidit, poſt lapſum nihili.*

S. Laur. Iuſt. in lig. vit. c. 2. de paupert. med.

Marbod. Epiſt. 40 quæ habetur inter epiſtolas Hildeberti.

Ad Jobum redeamus : cujus inſignis prudentia, magiſtris adverſitatibus exculta, copioſam ſalubris doctrinæ ſegetem adminiſtrat. Rurſus eum lege memorantem de priſtinâ ſorte. *Expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.* Etſi Job immediatè priùs dixerit :

41. Iob. 29. 23. Ib. n. 22.

dixerit : *Super illos ſtillabat eloquium meum*, non putes, ipſum poſtea ſola verba ſua componere cum imbre ; ſed etiam perſonam. Nitor commentario D. Thomæ ; quod non ad ſermonem tantùm refertur : *Quando autem erat præſens, ex ejus aſpectu & ſermonibus conſolabantur : unde ſubdit :* Et os ſuum &c. Non deerit qui ſecum reputet, accommodatiùs locuturum fuiſſe Jobum, ſi conferret ſe felicem, non imbri ſerotino, ſed roſæ, cujus pompæ florentis inſtabilitas armata docet mortales quantum diſtet fortuna virens à marcidâ. Quid invênit Job peculiare, ſimilitudinem imbris illius potius eligens, ut ſe magis ei, quàm roſæ componeret felicem ? Accipe quid cogitem. Roſa poſtquam emarcuit, non appretiatur parvî : cadaver eſt ; ſed adhuc palmis tenetur, & ad recreationem ſenſûs applicatur. Non hoc emblemate Job uſus eſt : quia fortunatus dives, poſteaquam veluti flos tandem flacceſcit, non palmis locari ſolet ; ſed plantis proculcatur. Elegit imbris ſerotini metaphoram, ſanè propriiſſimam. Rem aperio, præmiſſo commentario Cardinalis Hugonis. Quaſi ad imbrem ſerotinum, *qui magis deſideratur*. Pluvia ſerotina nimis æſtimatur à cunctis quandiu non decidens pervenit ad ima. Poſtquam ruit ſuper terram, fit ex utroque lutum ; quod vitat is qui valet, ac execratur : nec erit qui miſeratus illius aquæ, nuper deſideratiſſimæ, curet eam à pulvere ſublatam ſervare, ne conculcetur. Ne ſomniet proſper opulentus, aliter eventurum ſibi cum ceciderit. Modò cùm proſperatur, vultum ejus multitudo nimis deſiderat, & à pluribus magnifit : nam ut Caïetanus parabolam Salomonis, quam nunc expono, legit, *pretium animæ viri divitiæ ſuæ* : &c. Poſt caſum, ex homine quondam felici, paupertateque fit lutum : quod alii fugiunt, alii calcant.

S. Thom. in com. ib. lect. unica ad n. 23.

Hug. Card in com. Job. cap. 29. 23.

42. *Aliquando ex contemptu venit quòd non pauperi noceatur.*

Qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet. Hæc verba conformiter ad expoſitionem priorem, quam ſectatus proximè ſum, poſſunt ita ſumi, q. d. pauperem, cum nihili fiat, ita quoad bona poſſidentium converſationem deſpici, quòd illum dites non alloquantur, imo nec increpent. Ecce quoddam egeſtatis commodum non mediocre : ſcilicet præ contemptu ſic prætermitti penuriâ compreſſum, quod non verbo feriatur. Non per id contingit ; ſed non ſemel. Frequens apud tranſitoriis affluentem reperitur miſeri deſpectus : quamvis ambo ſint ejuſdem idiomatis, divites velut extraneum à ſuo repellunt ſermone : quin & ipſum oderunt ſupplicem, congreſſum illius vitantes, quaſi feræ. S. Gregorius Nyſſenus adeſt. *Non*, inquit, *miſericordiâ proſequeris, popularem & ejuſdem tecum gentis hominem ? ſed averſaris & abominaris calamitatem, & odio ſupplicem proſequeris, veluti feræ cujuſdam impetum, acceſſum & congreſſum ejus devitans ?* Preme ſimilitudinem à fera deſumptam. Indomita ſunt animalia quædam : vel ad utilitatem, vel ad recreationem quæruntur à venatoribus, & habentur non modici. Multæ verò dantur : quarum nulla commoditas penitus eſt, vel in eis poſſidendis voluptas. Priores non ſunt immunes à periculo ferri, ſeu laquei ; poſteriores autem liberâ fruuntur aurâ ſolitudinis ; quin vereantur prendi, vel occidi. Non rarò contingit inopibus inter poſtremi generis feras computari. Neutiquam ex pauperibus præſtolatur locuples utilitatem, nec recreatur ex eorum conſpectu : quinimò cùm cernit eoſdem, coactus intuetur paupertatem alienam abominabilem ſibi, præſertim, quia reducit in mentem futuram inopiam ſuam : quam, ſi ſapiunt, metuunt illi, quos inconſtantia ſæculi ditavit. Egenum igitur, computatum quaſi feram inutilem, ſuamet penuria ſæpe liberat à contumeliâ : non læditur, quia deſpicitur : neque verbo moleſtatur, quoniam & luminibus præteritur.

S. Gregor Nyſſ. or. in Matth. 25. 40. longe poſt princ.

Ad fores epulonis divitis jacebat Lazarus : ac ſtabat inter ulcera fortiter patientia. Lingebant ſquallentia membra canes : quod nullus prohibebat quamvis nemo vel micâ ſuccurreret. Ecce jam habes quaſi numeratum inter bruta pauperem : proptereaque non privatum hoc levamine miſerando, velut unus canis lamberet alium ſibi ſocium & ulceratum. Sævitiam nunc in eo miror avari, quòd non juſſerit, Lazarum per famulos inde propelli. An illum non vidit immiſericors ? an gaudebat, quod ad januam ſuam ipſe maneret ? vel ad ejus præſentiam aliquatenus afficiebatur ? Minime. Lege Magnum Gregorium. *Habuiſſet enim*, ait, *fortaſſe aliquam excuſationem dives, ſi Lazarus pauper & ulceroſus ante ejus januam non jacuiſſet, ſi ejus* (forte legendum : *Si ei*) *remotus fuiſſet, ſi ejus inopia non eſſet oculis importuna.* Tranſi poſt ad Chryſologum, dicentem de tenaci prædicto jam in flammis poſito : *Ut video, quod agit dives, non eſt novelli doloris, ſed livoris antiqui : & zelo magis incenditur gehenna.* Quis non examinare cupiet, quâ de causâ non ejici curavit per ſervos à limine ſuo mendicum ? Credo quod epulo deſpiciens eumdem præteribat oculis indigum, & ſic fiebat, ut ab ejectionis injuriâ præſervaretur. Non fruſtra denuo redibis ad Antiſtitem Ravennantem. *Tota pauperis*, inquit, *caro componitur in ſcenam pietatis : ut quem vox eſurientis non moverat, vel ſuſpiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret : & dives ſuperbo oculo & inſatiabili corde, hæc omnia & audire, & videre, & ſentire contemnit.* Non ſpernendus extitit Lazaro miſeriæ fructus, eam ipſi dediſſe quòd non adeo ſperneretur, ut à foribus epulonis violenter longe fieret, affectus contumeliis, tamquam indiguus ibi jacendi. Execramur omnes divitem hunc pietate vacuum : quia ſcimus damnatum ad inferos. Et qui propter crudelitatem circa pauperem damnari poſſumus, non cogitatione verſamus, nos illi ſimiles avaro, forſanque deteriores. *Vincimus etiam, velut noſtis, improbitate divitem illum. Non enim ſemel divitiis parcentes, humi proſtratos fratres præterimus,*

43.

S. Greg Mag. to. 2. ho. 40. in Evange. ante med.

Chryſol. ſer. 122.

Idem ſer. 121. juxta fi.

D. Baſil. Mag hom. 27. inter var. poſt med.

præterimus, &c. Hæc Magnus Basilius: quæ sanè vel adamantiuo pectori terrorem valent incutere, pariter & in egenos pietatem, ad minus mutuatam à patre Basilio donare: compescereque superbiam, qua propter vestes optimas (quid enim aliud sunt bona terrena?) proculcamus fastuosi nudum pauperculum.

44. *Pauper apud Deum, quia nimis pretio sus, nullo videtur pretio compensari.*

Ut confundatur elatio nostra, qua destitutos à sorte propter indigentiam vilipendimus operæpretium erit advertere quantî fiat à supremo rerum Domino pauper: & ita confundemur homunciones (qui sanè Deo comparati nihil sumus) ne viliter æstimemus egenum, quem ille sic appretiat. Solet in regum curiis non semel accidere, quod affectus principis extollat homunculum ex infima plebe. Videbis, jam nobiles, imò proceres non dedignari colloquium ejus, imo, saltem externè, dilectum à Monarcha revereri. Coram Deo non ex infima plebe, sed Magnatum frater est inops. At quamvis apud sæculum sit abjectissimus; cur non times, dum illum despicis, displicere summo Regi regum, qui multî ducit eumdem? A Valentino Præsule capies, qualiter æstimentur ab Angelis, necnon ab Angelorum Conditore pauperes. Ait ille consolatus egenos: *Lætamini pauperes, exultate egeni, quia etsi mundus vos despicit, sic tamen reputamini à domino Deo vestro & Angelis ejus. Gaudete & exultate, quia talem magistrum, talem principem, talem patronum sortiti estis.* Multâ prosequuntur æstimatione principis mundani legatum suum: quia personam regis agit: eapropter quidquid injuriæ committatur in eum credunt in se commissum. Dei nuntius ad opulentum pauper est, etsi tacens nihil nuntiet. Propterea quivis inops tantî valet apud Altissimum, ut coram eo videatur, ipsum nullo prorsus argento posse compensari. Adeo dignus est apud Creatorem indigus appretiatione maximâ, quod, si computandus foret nummorum copiâ, neque maximo valeret exæquari cumulo.

S. Thom. à Villano. ser. 3. Advent post med.

45. Inter multa ceremonialia præcepta populo Judæorum data quondam, unum erat scriptum in Levitico: scilicet ut homo, qui voto Deo spopondisset ultro semetipsum, redimeret se pretio; quia non poterat occidens immolare se. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit animam suam, sub æstimatione dabit pretium.* Radulphus ibi: *Quoniam* inquit, *lege victimarum immolare seipsum non potest, jubetur ut redimat se: & quæ morte propriâ non expletur, saltem mortis pretio voventis devotio compleatur.* Et quia non omnes in omnibus æquantur, Deus præscripsit siclorum certam summam: ita ut, si vovens numeraret annos à vigesimo usque ad sexagesimum, daret masculus quinquaginta, mulier triginta: à quinto autem anno usque ad vigesimum, ille viginti siclos, fœmina decem: ab uno mense usque ad annum quintum, donarentur pro puero quinque sicli, pro puella tres: de sexagenariis vero jussit, & ultra, virum quindecim tribuere, grandævam decem. Et quia congruum erat, ut specialiter provideretur circa pauperes, Dominus ait, *Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.* Bone Deus! Qui minutim adeo præscribebas ista populo, quòd juxta numerum annorum pretia redemptionis cujusque voventis divideres; quare non assignas etiam summam certam donandam ab inope, qui se tibi vovit, atque non eum sinit inopia præstare, quod aliis ejusdem ætatis divitibus præscribis? remittis hoc arbitrio prudenti sacerdotis? an fieri non posset, ut reperiretur pro tempore sacerdos ambitiosus nimiùm; qui gravaret miserum, imponens ei majorem pecuniam, quam par esset? qua de causâ non ex ore tuo Moyses accepit quantî redimendi forent singuli pauperes? Quia donatio hæc pretium erat hominis ita seipsum redimentis. Quomodo Deus assignaret æstimationem certam argenti, qua pauper compensaretur? Apud Altissimum inops habetur tantî, quòd nullus pecuniarum acervus adæquet pretiositatem illius. Appretiatione metiri non solent ea, quæ tantopere magnî fiunt, ut auri vel argenti cunctum valorem superent. Sic æstimatur à Domino pauper: & ab hominibus despicitur! Saltem quia simulachrum Dei est, debueras illum revereri. Lactantius Firmianus: *Quantò* inquit, *justius est, & verius, viventia Dei simulachra excolere, ut promereare invenire viventem? Quæ sicut usui habent quicquid acceperint & gratias agunt, ita Deus in cujus conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exolvet.*

Levit. 27. 8.

Lactan. Firm. l. 6. divin. instit. c. 23.

DELIBATIO IV.

De virtutum armis non dimittendis oblivione felicium circa legem naturæ: metuente hominem; non Deum: fortunatorumque timore. Dives nocebit, aliquis; non proderit.

46. *Armorum spiritus nullum dimittendum est.*

Redemptio. Solitum est, captivos, finito bello, paceque reddita populis, liberos dimitti per victorem: si tamen adhuc hostilitas perdurat, pretio, seu personarum commutatione redimuntur. Dum legis ergo redemptionem animæ per virtutes, quæ sunt animarum divitiæ, reduc in memoriam, non esse finem impositum, spirituali prælio, quod gerimus per totum vitæ decursum: & militare te memor, non deponas arma huic militiæ congruentia. In iis, quæ pertinent ad animæ certamen assiduum, armaturam deponere, quibusdam ignaviæ vertendum est; aliis autem superbiæ; quasi quivis horum delusus existimet inexpugnabilem se. S. Isidorus Peluſiota sic scribit alludens ad Apostolum: *Quis igitur adeo demens, ac temerarius, ut considerans virum spiritualem post multa trophæa in agone certantem; cum semel iterumque vicerit, supinè adhuc agere, & ab armis discedens se esse inexpugnabilem existimet? quin potius magis se muniat,*

S. Isidor Pel l. 5. ep. 244

non hactenus viciſſe, ſed in finem uſque non ſuperatum eſſe magnum eſſe exiſtimans. Spiritualiter dimicantium conſtans robur in perſeverantia ſplendet atque valide confirmatur. Et inſuper timendum eſt pugnatoribus iſtis, ne, ſi dimittant inſtrumenta pugnandi, poſtea non facile reperiant ea pro ſequenti congreſſu. Standum igitur in acie pugnatori ſpirituali: non deperdi ſinat arma: nec ex parte reddatur inermis: armorum cœleſtium nullum à ſe projiciat.

47. Epheſios erudiens Doctor Gentium, ut adverſus inſidias diaboli pugnare poſſent, monuit illos induere armaturam Dei. Quod magis explicans, ait: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ*, & addit poſt pauca: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus*, &c. Ecce militem ſuum Dux optimus docet armandum gladio, ſcuto, galea, & lorica. Nulla mentio de ſagittis hoc loco; licet his pugnare ſoleat amor, & iſte ſit in iſtiuſmodi certantibus potiſſima virtus. Quare non eâdem utens allegoriâ hortatur ut pharetram quivis è collo ſuſpendat ſpiculis plenam? Noluit admonere quod ſagittis decertarent: hæ nanque dimittuntur ex arcu; nec facillmum eſt eas colligere, durante prælio. Non ita contingit in reliquis armaturæ generibus, de quibus ibi ſermonem intulit Paulus: Nec enim illa bellator à ſe projicit quandiu pugnat: dum non finitur certamen, armatus haud exuit loricam ſcutum ſuſpendit enſemve, ſeu galeam deponit: Mens erat Paulo ſtabilitatem ſuadere pugnantibus. Ad illud, *State ergo*, ait Sedulius: *Ne moveamini de acie, ſed ſtabilem figite gradum ſuper Petram Chriſtum.* Eapropter omiſit de ſagittis agere: quæ libenter intra pugnam linquuntur emiſſæ. Non ita congruit certatoribus pro cœlorum regno dimicantibus. Permanente certamine (hoc eſt, dum vita manet) retineant arma: nec enim dimiſſa pronum erit feſtinanter illa recuperate poſt, ad novos ictus inimici. Non plenè finitum eſt bellum etiam veterano militi: ſicut non ante mortem conſummata dici poteſt ab inferno *redemptio.*

Ad Epheſ. 6. 14. 16. 17.

Sedul. com. in ep. ad Epheſ. ib. n. 14.

48. *Animæ.* Cum in fine cujuſlibet parabolæ ſoleam, non diſcurſus integros texere; ſed ſparſim doctrinam ſub varietate proponere; nec ſemper eidem acceptioni textûs inſiſto. Ad iſtud verbum loquar ſecundùm interpretationem, quæ redemptionem iſtam intelligit de facta per eleemoſynam. Haud nimis quotidianum eſt, ut homo divitiis proſper cogitet ſollicitus ac ſeriò de rebus Deũ attinentibus. Nõ hæc ignavia morbus eſt ſolius opulentiæ: communis extat ægritudo penè cunctorum felicium animam non curare, dum ſors læta favet: imò Dei non meminiſſe penitus in rebus proſperis. Aliter accidit cùm adverſitas urget: eâ premente devotus invocat Numen peccator; cujus ferè fuerat oblitus, cum proſperitas arrideret. Lactantius Firmianus: *Deum*, inquit, *nominant: adeo ipſa veritas cogente natura, etiam ab invitis peccatoribus erumpit, quod quidem non faciunt in proſperis rebus.* De idololatris ipſe loquitur: & utinam ſimiliter non ſeveniret Catholicis. Permulti, proh dolor, dantur, qui temporibus fortunatis invocare Dominum negligunt; & cum incipit terga vertere fortuna, recordantur Conditoris, quem oblivioni tradiderant. Iſtos relinquo: quia non multum ab Atheiſtis diſtare videbuntur. Ad alios deſcendo minus graviter oblivioſos: qui diebus proſperitatis non recordantur dictamina rationis; maximè verè cùm adverſis opprimuntur. Oppreſſionibus fracti retinent memoriam legis, quam ratio dictat; poſtea jam felices minime. Congruum erit ut fortunato refricetur memoria de præceptis legis naturæ; quod neceſſarium non erat in adverſitate dolenti.

Felices obliviſcimur præcepta legis naturæ: quorum recordabamur infelicitate premente.

Lact. Firm. l. 2. divinar. inſtit. c. 1.

49. Ad Judæos Deus loquens per Iſaiam, ut inſinuaret, nihil novum eos doceri, cum prædicabatur, à Deo vero conditam eſſe terram, non ab idolis ait: *Numquid non annuntiatum eſt vobis ab initio?* Exponit S. Hieronymus *Ab initio, inquit, naturali lege vos docui*: &c. Dubitabam, ut quid Dei veri cultus fuerit Hebræis præceptus lege ſcriptâ; cum lex naturalis & ipſis, & cunctis hominibus Deum colere juberet? Quo fine, quæſo, duplex in hac re lex data fuit, nempe vetus, & naturalis? Secundò ſcire peroptabam (ſemel quòd oportuit, legem ſcriptam præcipere materiam juſſam à naturali) quare non Judaica lex populo data fuit antequam ab Ægypto prodirent? Dubitatiunculam utramque breviter ſolvam. Ut in ſervitute Pharaonis infeliciter proſtrati Judæi non obliviſcerentur unico Numini cultum deberi: nam potens adverſitas eſt efficere mortales Dei memores. Poſtea, cum de Tyranni poteſtate liberi felices erant, congruum fuit, ne caderet à memoria res tanta, legem ſcriptam eis donari de colendo vero Deo. Quamobrem nec fuit in ſubjectâ materiâ ſcripta lex otioſa: nec erat neceſſarium tunc dari, cum in Ægyptiaco conſternabantur jugo. Non infortunatorum, ſed felicium frequentius eſt Deum & animam propriam ſæpiùs è mente propellere. Deum quærimus plures cùm nos deſtituunt homines: & quoniam iſtos adeſſe diviti fortunato mos eſt; commendabile non parum exiſtit, ſi nequaquam oblivioni detur apud eumdem per divitias facienda *redemptio animæ.*

Iſai 40. 21.

S. Hier. to. 2. l. 11. in Iſai ib.

Viri. Nomen, *Vir*, à virtute, hoc eſt à robore derivatum adverti ſupra, litteram proponens, Nunc addo, ſic multos vigorem ſuum pervertere, quòd ad ea timidi ſint, ad quæ potiùs congruebat fortitudine multâ confirmari; contra verò ſtrenuos ubi timorem prudentia ſuadet. Cordis perverſitas eſt in cauſa tranſvertendi paſſiones datas à natura ferè cunctas. Cardinalis Hugo digitum intendens ad illam acceptionem paræmiæ noſtræ, qua verba Salomonis exponuntur de ſpiritualibus divitiis, ait: Redemptio animæ

50. *Aliqui ſeſortes oſtëdunt, ne Deum timeant; & fugiunt homines abſque cauſa.*

viri,

Hug. Card. in Prov. 13. 8.

viri, *non mollis & effœminati*: &c. Risu dignum quidem est hominum robur contra Deum pluribus de causis. Minis & suppliciis timorem suum perutilem curat Omnipotens introducere cordibus eorum; quò tandem filialem dilectionem immittat in præcordia. Nihilominus illi, quasi phrenetici, Dei metum deponentes insurgunt adversùs eum. Istimet ab homine timent frequenter, omnino sine sufficienti motivo. Nascitur hoc ex eo, quòd efficaciùs movemur per oculos, quàm per auditum. Agnoscimus ubique Deum præsentem adesse; non tamen videmus eumdem: ideo non formidamus ejus manum præpotentem. Cernimus homines & eorum potentiam ac licet aliquando non ab illis nobis impendat nocumentum, trepidamus ad umbram & fugimus eos.

D. Greg. Mag. tom. 1. l. 15. mor. c. 5. n. 5.

S. Gregorius Papa: *Sunt*, ait, *plerique ita hebetes, ut formidare nesciant, nisi quod corporaliter vident. Unde fit, ut Deum non metuant, quem videre non possunt.* Similes videmur aliti: quam observat auceps, ut occidat minutis globulis ignitis plumbeis; quos evomet sclopus, cum venerit ad eam distantiam, quam possit attingere vis flammæ. Non metuit eum avis, quia non videt. Posita super arborem præcelsam timet cùm vento quatiuntur ejus rami; volat, à vano periculo fugiens, atque descendit ad inferiora: sic mortem invenit, quam non formidabat. Haud aliter evenit pluribus: non pavent isti Deum punientem; sed hominem, quamvis nihil noceat: à mortalibus non læsi refugiunt eos; à Deo percussi minimè pavescunt eumdem.

51. De captivitate Pharaonis erutus populus Hæbreorum ingressus fuerat per mare Rubrum omnipotenter divisum. Ægyptii persequentes eos veriti non sunt eamdem carpere viam. Tunc Dominus partem necavit exercitus hostilis. Quid illi tunc? *Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Jerusalem Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* An Judæi saltem vulnus levissimum inflixerunt inimicis? Neutiquam. Dixerat Moyses: *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Quomodo facta sit illa percussio sacer Textus enarrat. *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Cur ergo non dixere: Fugiamus Dominum? sed: *Fugiamus Israëlem?* Quia modus loquendi solet imitari modum operandi: frequentissimum autem est, mortales ab homine fugam capere nihil nocente; Deumque percutientem non exhorrescere: conspicimus quippe creaturam; Deus verò non percipitur oculis. Plurimi gaudent nomine viri præ strenuitate multâ: sed hanc exercent potissimum in committendo se periculis, quæ vereri debuerant à Domino. Istimet, qui temeritatem hanc fortes audent, aliquando pavidi sunt ad somniata discrimina de manibus hominum. *Ægyptii*, ait S. Antonius Ulyssiponensis, *quos nubes tenebrosa obnubilat, divites hujus mundi, & potentes caligine superbiæ obtenebratos significant, quos Dominus interficiet, & subvertet rotas curruum, id est, dignitatem & gloriam eorum, quæ quattuor anni temporibus circumvolvuntur: & demerget eos in infernum.* Hi, de quibus Doctor Lusitanus, trepidant non timendum; Omnipotentem verò non metuunt. Haud ita justus: ad justitiæ divinæ meditationem totus contremiscit non adhuc percussus; & econtrariò multis attritus ab humana crudelitate malis, ac sævioribus adhuc imminentibus, validus persistit immotus. Hic verè dignissimus est nomine *viri*.

Exod. 14. 25.

Ib. n. 14.

Ibid. n. 24. & 25.

S. Anton. Ulyssip. ser. Dom. infra oct. Nat. Dom.

Divitiæ. Nunc revertar ad sensum hujus gnomæ, quem elegi dum commentarer eamdem. Dixi, priora verba valere, quòd opum auxilio se dives redimit à temporaneis malis. Bona temporalia similia vento fateor: at non semel contigit, ut exurgens ventorum vis tempestatem simul excitet, ac navim deducat in portum: quod non potuit ars nautica nonnunquam, turbo procellosus perfecit: qui periculum attulit, ratem liberavit ab eo. Sic non semel ex opibus nascuntur calumniæ, lites & similia contra divitem. Ecce tempestas à flatu potenti. Muneribus, vel eorum spe compescit opulentus accusatores & litigantes. En ad securitatis littus Auster idem, qui noverat procellam, perduxit onerarium illud navigium, bonorum copiam asportans. Attamen adhuc monendus est, ut super anchoram nixus metuat fortunarum possessor: nam periit aliquando carina fortuitô casu postquam appulit: quæ secans marinos fluctus & furentes evaserat. Imo necnon & littora quatiunt aliquando procellæ plùs horribiles, quàm in mediis Occeani gurgitibus. Dives Gregorius Nazianzenus: *Cum*, inquit, *prosperè agimus, timorem nequaquam abjiciamus. . . . memores simus in tranquillitate tempestatis*, &c. Nonnunquam imminet majus in prosperitate discrimen; & minùs adversitas urget. Aliquando non tam pavendum est metuenti, quàm felici, dum nihil metuit.

52. *In adversitate quando: que minùs timendum, quàm in forte prosperâ.*

S. Gregor. Nazianz. or. 15. med.

Quia legem Dei servatus erat Jacob, ac jam custodiebat illam sollicitus; divina providentia, naturam vincens, quæ constituerat primogenitum Esau, Jacobum prætulit in benedictione paternâ. Frater dolens & invidus mortem germani moliebatur in futurum. Putares, à Deo monendum fore Jacob, ut fugiens in Mesopotamiam, vel aliò, declinaret liventis iram. Non Dominus illi fugam consuluit, sed Rebecca mater. Commoratus est per annos haud paucos in domo Laban. Priusquam in patriam regrederetur, dixit ei Dominus: *Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum.* Conferamus duas istas profectiones: alteram de paternis laribus; aliam de contubernio Labani. Cum à parente discedere congruum erat propter fratrem, non monetur à Domino Jacob, ut illum declinet; ante reversionem suscipit à Deo monitum hic ut veniat; imo protectio tunc temporis divina spondetur iterfactu-

53.

Genes. 31. 3.

ro? Legito Chryſoſtomum ſic in perſona Dei loquentem ad Jacob: *Ego te ubique comitabor, ego tibi facilem oſtendam viam, & nullum à quopiam damnum feres. Dextera enim mea ubique te proteget.* Ratio diſparitatis eſt manifeſta. Priùs in adverſitate conſtitutus Jacobus erat: nam adverſarium habebat fratrem domi: neque præpollebat viribus, ut non ab ipſo necaretur. Minus erat illi tunc formidandum: ſufficiebat conſilium genitricis: minimè requirebatur ad hoc ut metum deponeret, ei promitti, priuſquam deliberaret peregrinari, per omnipotentiam fore protegendum. Poſt annorum ſeriem venerat Jacob ad proſperitatem plurimam: tunc inſtabant ſolita felicitatis diſcrimina: quæ tantò formidabiliora ſunt prudentibus, ut opportunum fuerit, non ſolum à Deo moneri quò diſcederet à Meſopotamia; ſed illi divinæ defenſionis munimen repromitti priuſquam à ſocero diverteret. Terribiliora frequenter minitantur fortunatum, quàm infelicem. Id ſæpiſſimè viſitur collatione facta divitum cum pauperibus. Pauca ſunt quæ formidinem iſtis ingerunt, ſi fideliter numerentur ea, quibus dites periclitantur. Verum nihilominus eſt, quòd à pene cunctis eos redimunt *divitiæ.*

Chryſ. tom. 1. hom 57. in Geneſ. poſt med.

54. *Notum eſt à divite non ſperandum frequenter ut proſit: facilius metues nociturum.*

Suæ. Liberabitur utique propriarum opum adjutorio dives à damnis; non autem, cum futura mala cavet, ſeu præſentia depellere ſollicitat, confidat, quod opulentus alius ei diſpendio bonorum auxiliabitur: nam rarò continget hoc, licet amicitiâ fœderatus illi ſit, vel ſanguine junctus. Facilius erit invenire divitem, qui noceat, quàm locupletem, qui juvet. Cum graſſatur procella, ſolet quilibet conſulere ſibi, nec undis colluctanti ſe præbet adjutorem, ne cum illo pariter demergatur. Si quis jamjam ſummergendus ad alium accedat nautam, qui validior eſt lacertis, ac ſuperbos diſſecat fluctus, vi propelletur ab eo. Tempeſtates in æquore mundi frequentiſſimè debacchantur. Quidam opulenti potentiores feliciter enatant ſuper veſicas aëre plenas, hoc eſt ſupra ſacculos nummis oppletos. Natatores alii minùs validi juxta primos brachiis tenſis laborant: & quia minoribus hi nituntur copiis, periclitantur. Ex iſtis poſterioribus nullus perſuadeat ſibi, fortiores adjumentum laturos: imo diſcedat longiùs ab eis, ne damnum patiatur. Minimè fiduciam ponat in amicabili ſocietate, quam inierant: nam avarorum circa facultates amor omnes perturbat & extinguit affectiones: ignis eſt frangens nexus cunctos, quibus animi valerent colligari. Qui ſuperiorem agnoſcit ſponte; cùm ſervari ſimul non poſſunt amicitiæ lex, & jubentis præceptum, præfert iſtud, & amico prætermittit auxiliari, ne violet obedientiam. Tenax auri ſubditus eſt avaritiæ, fortuniſque ſuis: idcirco, ne lædat ſubjectionem, quam defert majori ſuo, deſerit eum, erga quem afficiebatur blandè. *O deteſtanda* inquit Laurentius Juſtinianus, *avaritia obedientia; & ſemper bonis animis exhorrenda, quid illæſum, quid inconcuſſum dimittis? .... Amori enim pecuniæ vilis eſt omnis affectus*, &c. Non amplius proſequar monens ut à divite ſubſidium non expectes, quia ſuperfluum videbitur hoc inculcare. Magis hortabor, ut non ab illo timeas. Pavorem tuum aliquatenus excuſo: quia locuples rubus eſt, copiis armatus ut ſpinis. Attamen ipſarum brevi duratione conſideratâ, ne trepides. Non addam quòd non ab eodem boni quicquam expectes: nam hoc quaſi per ſe notum fecit experientia.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 5. de obed.

55. Pſaltes regius adhortationem utiliſſimam pro ſectanda virtute, fugiendiſque vitiis propoſuit. Eligo penſitanda verba, quibus inquit: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo*: &c. Verſiculo præcedente David inſinuaverat, ſe ſpem ſuam in Domino collocaſſe. *Verum tamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* Quare non ſtatim ſubjungit aiens: In Domino ſpes tuas locato, cum dives factus fuerit homo: nec ab illo metuas damnum; nec eumdem tibi fore confidas auxiliatorem? Satisfaciam. Ita cunctis notum credidit, vanam futuram confidentiam, qua fideret (ordinariè loquendo) quis, locupletem ſuppetias laturum ſibi, quòd ſupervacaneum judicavit hoc loco monere ne quis putet opulentum adjutorem extiturum per copias auxiliares: Rarus eſt prudens, qui ſic decipiatur. Longe magis pronum eſt formidare damnum venturum à dite per opum furioſam potentiam. Volens hunc pellere metum Pſalmiſta dixit: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo*: &c. De ſpe non in illius ope, vel opibus, conſtituenda nihil ad prædicta verba junxit. Unuſquiſque dives proſpiciat ſibi: redemptionem à periculis lucrari ſatagens atque damnis, diſpendio bonorum, quæ ſors ipſi contulit amica: credat quod ad hunc finem non ipſi favebunt alienæ divitiæ; ſed tantùm *ſuæ.*

Pſal. 48. 17. Ib. n. 18.

DELIBATIO V.

Pauper præteritur. Alterius comminata paupertas deſeritur. Pauper ſuperbus quàm abominabilis. Metus plus movet, præſentiâ mali. Quoſdam nutrit adverſitas.

56. *Per inopem ferè cuncti pertranſeunt, quaſi viam facientes.*

Qui autem. Meritò loquitur in ſingulari numero Salomon de paupere: nam, licet in turba projectus, caret juvante ſocio. Fruſtra ſe miſer ingeret eis, qui poſſent eidem ſubvenire: nam fames linguam premit, ne verba placitura depromat: ſqualor à penuria natus ingratum reddit eum alienis oculis: imo, quin ſqualeat, ipſa miſeria diſplicere facit eum abundantibus: illum fugiunt ocyus; quaſi metuentes, ne ſi minus feſtinent ab ipſo dividi, conſortes fiant infortunii, quod perpetitur. S. Baſilius Magnus: *Si verò*, inquit, *aſtiterit pauper nobis præ fame vix loqui*

S.Basil. Mag. hom. 22. inter var. post med.

qui potens, aversamur eum, qui ejusdem nobiscum naturæ est, abominamur studiosè ac festinanter præterimus, tamquam formidantes ne etiam infelicitatis ipsius ex tardiore gressu participes fiamus. Peregrinus in urbe moratus alienâ, quamvis adeat identidem forum, & per medios concursus discurrat populi, verè solus incedit, nam cum nesciat gentis illius idiomate loqui, nec mores eorum imitetur, transeuntes non associantur ei; sed quisque de negotio suo tantùm curans & prætergrediens, nequaquam ipsi consortium præstat. Non aliter quàm advenam in sæculo morari cerno miserum: quem res angusta velut ignotum alterius linguæ posuit inter non indigentes. Horum sermo longe diversus est ab inopis loquela: nam illi jactantias, voluptuosaque verba promunt; ipse autem doloris plenum sermonem emittit. Insuper & moribus distat; seu virtute magistrâ, seu paupertate vetante, vitiis carens, quibus opulenti scatent. Hinc fit ut per egenum, quamvis positum in frequentia, tamquam viam facientes alii transgrediantur: etiam in civitate manens cum ibi stantibus, velut in via præteritur.

57. Incarnata sapientia proposuit parabolam de rege, qui fecit nuptias filio suo. Invitati, cum vocarentur per servos, noluerunt ingrati venire: vocati rursum neglexerunt accedere: tenueruntque reliqui servos, & contumeliis affectos interfecerunt. Digno supplicio rex punivit injuriam. *Tunc ait servis: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Spiritum parabolæ quæramus à Zacharia Præsule. Ait ille: *Mittit ergo in plateas & vicos & civitates, invitans pauperes, debiles cæcos & claudos, ut nulla sit discretio locorum seu personarum venientibus ad fidem Christi.* Proportionem nonnemo desiderari putabit inter similitudinem & significatum ex parte sumptum. Ad fidem Christianam vocantur etiam homines ex urbibus: *Et civitates*, &c. Cur igitur parabolico sermone rex dicitur jussisse vocandos à servis euntibus ad exitus viarum juxta Matthæum? Non dissidet hic loquendi modus à morantibus in urbe: nam cum, sicut visitur apud Lucam advocari præceperit inopes (*Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc*) illi, quamvis in mediâ multitudine versentur, ita prætereuntur à non egentibus, ut isti per indigos transeant quasi viam facientes. Non immorantur juxta miseros ii, quorum præ duritie cor ferreum, ne gemitibus alienis constristetur, missos facit famelicos. Pauperum singuli vivunt singulariter: accomodè sapiens de paupertatem patiente loquitur in singulari, dicens: *Qui autem.*

Matth. 22. 9.

Zachar. Epis. l. 3. in unum ex 4. c. 125.

Luc. 14. 21.

58. Ipsa natura monebat, ut nos aliter cum inope gereremus. Cruciat illum egestas quasi fornacis flamma: fuerat æquum afflictos ardoribus indigentiæ consolari quin postulent ipsi: docebat humanitas, ut solamen offerretur ultroneè; non autem expectaremus precibus extorqueri solatium, compararique supplicatione lacrymabili. Fortassis præpeditus vinculis pauperiei non accedit ad te miserabilis & supplex, rogans ut eum consoleris: nam ærei sunt nexus isti; non solvuntur ab igne camini. *Offerenda est ergo eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit*, &c. Sic Divus Gregorius Papa. Sed heu nec offertur, neque roganti porrigitur ops: nimium quippe refriguit in orbe charitas. S. Thomas à Villanova: *Non est*, inquit, *jam ardor charitatis in mundo*, &c. Aquilo superbiæ continuò perflans infrigidat corda sic, ut præ frigore tremiscant, ne, si pauperibus offerant societatem, consortes fiant paupertatis ejusdem; quasi pestilens aura foret inopia. Potiùs econtrariò sodalitas pauperis remedium est salutiferum: sed illusa mens hominum odit medicinam quasi venenum: sicut solent ægri, si rationis usus impediatur vi morbi, pharmaca respuere, dicentes, ibi latêre venenum, cum propinatur eis medica potio. Provenit ex hac imprudenti meticulatione deserta solitudo, quâ vivit egens mittens gemitus in auras (quæ cum nihil habeant, non dedignantur eos excipere) non in aures hominum: qui longe recedunt, quasi se collocantes in tuto præ timore. Pervenit eò non prudens ista formido, quod aliquando satis erit, alicui fuisse comminatam egestatem, ut alii derelinquant eum solum: non expectabunt fulminis casum; sed ad comminationis tonitrum abscedentes deserent illum, qui pauperie conflictandus erit postea.

S. Greg. Mag. to. 1. p. 3. Past. c. 1. admonit. 3.

S. Thom. à Villano. ser. 2. de Baptist.

Aliquando fat est comminata paupertas cuidam, ut eũ solum relinquant alii.

59. Luctuosus vates Jeremias in persona Domini loquens ait contra Judæam: *Divitias tuas & thesauros tuos in direptionem dabo gratis*, &c. Post pauca Propheta quasi consternatus animo de populi sui excidio quod minaciter prædixerat, inquit: *Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Scio de propria persona locutum ad litteram. Non tamen est omni probabilitate destitutum, quod amore suæ plebis ductus, hujus mala reputans, ut sibi propria, se meditatus fuerit solum, sibimetipsi approprians vastationem Judæis adventuram. Si forsan, lector, tamquam in secundo sensu litterali permittis verba Jeremiæ sic accipi, notare juvat, non dixisse vatem: Solus sedebam, quia vastasti me, sed: *solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Cur ita loquitur? Forsan quia prædixerat, fore divitias diripiendas. *Divitias tuas* &c. Comminata paupertas ista sufficiens erat, ut illam passuri (quorum personam Jeremias dilectione motus assumebat) se desertos crederent, ac in solitudine positos; & propterea diceret Jeremias, ob destructionem futuram se destitutum à cunctis: *Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Utinam pariter homo refugeret minas Dei factas per ora spiritualium præconum, de paupertate sibi venturâ propter divitiarum abusum, aliaque delicta; sicut aufugere curamus ab indigentia proximis imminenti. Velit, nolit, vitans inopem fit particeps metus ejusdem, quo terretur is, cujus capiti paupertas impendet.

Jeremi. 15. 13.

Ib. n. 17.

60. *Quam ſit abominabilis pauper ſuperbus.*

Pauper eſt. Inſiſto nunc expoſitioni : quam obtuli ſupra verſans poſteriorem partem dogmatis, quod aperiendum ſuſcepi : ſcilicet pauperem privilegio deſpectionis immunem à multis damnis eſſe. Non tamen hoc intelligas in paupere ſuperbo : hic nanque ſubeſt periculis plurimis, quibus dives patet. Quid mirum, ſi pauper elatus ut plurimùm dives animo reperitur, ſicut jam ſupra monui ? Rarus eſt locuples : qui, dato quòd fide non careat, contra Deum ſuperbiat. Etiam iſtam rariſſimam aliquorum locupletum audaciam imitantur aliquot inopes à tumore ſtultiſſimi. Incertus ſub nomine S. Cypriani : *Quid ergo*, ait, *ſtolidus poteſt fieri ; quam illum, qui per infimam miſeriam velut in terram abjectus, extremus & humilis incedere & conſtringi debuerat, ſupercilioſo ſuperbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere ?* Non eſt ſuperbia ſolius auri propria : quia non in crumena reſidet, ſed in voluntate. Quid refert, ne locus elationi detur, veſtis attrita, vilis alimonia, domuncula nuda ? Multoties, qui cæteris vacuus, faſtûs inanîs aëre planus eſt. S. Iſidorus Hiſpalenſis : *Eſt & elatio pauperum, quos nec divitiæ elevant, & voluntas ſola in eis ſuperba eſt. His etſi opes deſunt, propter mentis tamen tumorem, pluſquam ſuperbi dives condemnantur.* Hinc ad temporalia diſcrimina, quorum pavor magis penetrat mundi ſervorum pectora, deſcendamus. Odio pauper ſuperbus habetur ab hominibus. Non id tantùm aſſero de quibuſdam inopibus elatis : qui linguâ vel opere noxii ſunt ; & ex hoc odioſi fiunt iis, in quorum præjudicium loquuntur vel operantur. Necnon illi quibus neutiquam nocet inflatus egens, deteſtantur eumdem. Fortè dives turgidus illis tantùm execrabilis erit quos ipſorum ſuperbia tangit ; in tumente paupere non ſic : multi, quorum nihil intereſt an inflетur vel non, execrabuntur eùm.

Incert. ſub nomine S. Cyprian l. de 12. abuſ. ſæcul. c. 8.

S. Iſid. Hyp. l. 3. ſentent. c. 63. juxta fi.

61. Eccleſiaſtem cum Eccleſiaſtico, pro dictis nuperrimè confirmandis, adducam, eorum verba conferens ad invicem. Salomon ait : *Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames.* Exponit Carthuſianus ibi : Vir pauper calumnians pauperes, *id eſt, in temporalibus, aut virtutibus inops, improperans & inſultans ſibi ſimilibus, quibus meritò condoleret* : ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames, *id eſt, pluviæ ſegetes corrumpenti, ex qua corruptione cariſtia ſequitur, quam fames multorum concomitatur.* Lege nunc Eccleſiaſticum. *Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur*, &c. ubi Janſenius : *Hic ergo erit ſenſus : ſicut torrens aliquis magnus inſtar fluvii currens ſubitò aliquando exareſcit, & ſicut tonitru magnum in pluvia edit maximum ſonitum, ſed ſimul cum pluvia evaneſcit : ita ſe habent divitiæ impiorum, quia cum aliquandiu ſecundò curſu profluant, ſubitò cum morte, & aliquando etiam ante mortem pereunt, & fluere ceſſant : & cum inſtar tonitrui ad tempus admirationem quamdam habeant ſuoque fulgore, ac ſtrepitu pompæ terreant, tamen diuturnæ non ſunt, ſed mox evaneſcunt.* Pulcherrimæ

Prover. 28. 3.

Dion. Carth. in com. Prov. ib.

Eccli. 40. 13. Janſ. in com. Eccli. ib.

ſunt ambæ ſimilitudines, & apertæ. Tamen inquirenda nobis eſt ratio proportionis inter ſingulas, & earum cum ſimilato. Dicerem. Pluvia nociva, gignens publicam famem, eſt odioſa, non ſolum eis, quorum agris & horreis damnum affert ; ſed etiam illis, qui per imbrem iſtum non lædunturin bonis. Indigus autem calumniator pauperum, cùm ſatis oſtendat ſuperbiam, abominabilis eſt, non ſolùm eis, quos offendit ; ſed etiam omnino per eumdem nequaquam læſis. Tranſeo deinceps ad ſimilitudinem divitis cum torrente pleno. Torrens aquis abundans movet ſolummodò tædium iis, quorum intererat ut non intumuerit adeo nimis ex alieno, ſed poſſet facilè tranſvadari ; quia vellent illac viam carpere : vel aliis exoſus erit, quibus aquæ fluentis plenitudo confert quidquam nocumenti. Cæteris non eſt odio tumor illius undæ. Sic divitis opulentia ſuperba, fateor execrabilis eſt patientibus ab ea detrimentum ; non autem prorſus cunctis hominibus : plures nanque non tangit : & hi rident ejus vanitatem. Propterea de multis malis eximitur ſuperbiens per ſuas opes. *Qui autem pauper eſt* ſubeſt eiſdem propter ſuperbiam.

62. *Increpationem.* Septuaginta legunt : *Comminationem.* Non parvum inopiæ commodum eſt à minis immunem fieri per abjectionem egenum, eo quòd hujus ratio non habeatur : comminatio quippe non inanis timorem generat ; cujus moleſtia ſatis eſt univerſis manifeſta. Duo ſunt, aliis prætermiſſis interpretes eorum, quæ judicio noſtro proponuntur : nempe metus, atque dolor. Neuter cum fidelitate munus agit interpretandi cauſas præcordia noſtra commoventes : nam uterque ſignificat animo triſtia perturbans eumdem ; proindeque fit ut, niſi cor in fortitudine ſolidetur, perturbatione decepta mens accipiat à perfidis illis interpretibus res aliter atque ſunt. S. Ambroſius : *Fortitudo animum juxta corpuſque confirmat, nec perturbari ſinit timore aliquo vel dolore ; quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur.* Cavendum eſt ab unius & alterius interpretantis perfidiâ. Si tamen dolorem timori conferamus, judicarem, cautiùs vigilandum, ne metus irrrepat, quàm ne dolor affligat. Non rarò formido repræſentat colles flammantes, in morem Veſuvii, mala, quæ non excedunt ignicula minuta. Cum examinatur oculis qualitas, & non quantitas rei longe ſtantis, frequenter accidit, reputari magnam, quæ modica cernitur eſſe cum acceſſeris prope. Sic evenit multoties in iis, quibus afflictamur. Nonnunquam plus minæ trepidationem incutientes impellunt animos circa malum, quod pro tunc differtur ; & cùm adverſitas eadem jamjam adeſſe creditur, non metuitur : decidit fortitudo metu frangente vires ; & ad conſpectum præſentis (ut putatur) periculi robur accipit.

62. Lect. Septuag. Prover. 13. 8. *Sæpe metus magis commovet, quam mali præſentis cauſa.*

S. Ambr. to. 3. l. 5. in Luc. c. 6.

Componamus Jacobum ſecum duplici loco : illum ſcilicet cum à genitrice monitus decrevit fratris iræ temporis locique diſtantiam 63

distantiam objicere, cum ipsomet post luctam, cum veniret è Mesopotamia. In domo patris habitans benedictionem suscepit ab eo, quam germanus expectabat, iratumque, sibi consulens, effugit, pergens ad Labanum. Postea verò, cum jam frater adventaret, *ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Ut credas, Jacobum confidenter ad fratrem accessisse, meditare pondus verborum illius post agonem luctæ, libratum à Chrysostomo: *Salva facta est anima mea.* Sic Jacob. Aureus autem Doctor inquit: *Vides quantum ei fiduciæ à visione concessum? Salva facta est anima mea, quæ propemodum mortua præ timore*: &c. Quàm diversus à semetipso Jacob se nobis exhibet? Antea, cùm solus adversarius erat ei lividus Esau, fugam capit ab eo? postea quadringentis viris comitatum non refugit; sed progreditur ad eumdem? Puto quòd appropinquantis germani præsentia conduxit non parum ad hoc ut roboraretur; nec animum ejus concuteret illius potentia, qui jam aderat. Antequam domum paternam relinqueret, metus cor Jacobi percellebat, proveniens à comminatione fratris nota sibi per verba Rebeccæ: *Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.* Tunc pavor generositatem fortitudinis ejus ita mollivit, ut fugiens unùm declinaverit hominem. Imo priusquam germanum cerneret, adhuc timebat multum. *Timuit Jacob valde: & pertertitus divisit populum qui secum erat*, &c. Jam ob oculos positum fratrem non metuebat; licet quadringentos viros haberet ille comites: quem audiens minantem pertimuit; videns quæsivit animosè: *Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros. . . . Et ipse progrediens* &c. Cum ergo timor distantis damni magis torqueat malo, quod vicinum, vel est, vel existimatur; non modicum privilegium confert egestas inopi, liberans eum à sustinenda comminatione.

Genes. 33. 3.

Ib. c. 32. 30.

Chrysost. to. 1. hom. 58. in Genes. ante med.

Genes. 27. 42.

Ib. c. 32. 7.

Ibid. c. 33. 1. 3.

64. *Adversitate quidam submerguntur; nutriuntur alii.*

Non sustinet. Usquemodò locuti sumus de pauperis immunitate, qua fruitur ex eo, quòd nihili habitus & oblivioni traditus evadat multa, quæ non eluderet opulentus, nisi divitias expendens ad redemptionem sui. Nunc aliud genus exemptionis adjiciendum, quo fruuntur spiritu pauperes, & per id eruuntur ab anxietatibus permultis. Horum immunitas hæc in eo sita visitur, quod illi ferunt humiliter persecutiones; ideoque non cruciantur eis. Ita sui dominum constituit hominem Author naturæ, quod ferè putari possit, eum fecisse fortunæ telis impenetrabilem. Antiquos lege philosophiæ professores aliquot, & videbis eos irridentes dolorem, calumnias, crudelitatem, ac similia: quorum nihil in arcem pectoris nostri fore pervasurum, nisi januam aperiremus, constanter asseverabant. Quod illi potuerunt ex vana gloriâ perficere, multò meliùs arbitrium gratiâ Dei roboratum valebit exequi. Sic animo rebusque verus inops, Dei juvamine confirmatus evadit ab ipsis damnis, quæ perpetitur. Evadit, inquam, quia licet exteriùs feriatur, intus non tangitur. Tribulationes aquis æquiparare solemus. Quatit unda rupem ex argilla malè solidatam: corallum pretiosum fluctus impetunt. Argilla destruitur; corallum in gurgite nutritur. Sic adversitates eædem quosdam facillimè comminuunt; humiles verò pauperes enutriunt. Eodem penitus malo, quo multi velut inundatione submerguntur, inops humilitate vigens alitur quasi nutrimento.

Sub vitæ finem Israëlitico populo benedixit Moyses. Per singulas tribus discurrens venit ad Zabulon: de cujus benedictione consideranda tantùm sunt illa verba: *Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent*, &c.

65. Deteronom. 33. 19.

Per maris inundationem adversitatem accipio, favente S. Antonio Ulyssiponensi, qui ait: *Filii Israël, quos splendor ignis illuminavit pœnitentes & pauperes spiritu significant: quos splendor humilitatis illuminavit: qui sic eo vestigio transierunt per mare hujus mundi: cujus aquæ inundationes amaræ sunt eis pro muro, id est ipsos muniunt & defendunt: à dextris prosperitatis, & à sinistris adversitatis, id est, ne favor popularis eos elevet, & ne tentatio carnis præcipitet. Ideo deuteronom. 33.* Inundationem maris &c. Reliquum est ut disquiramus quid proportionis vendicent æquoris inundationes, quæ terræ longum spatium cooperiunt, cum lacte, quod infans guttatim sugit à mamillis. Rem sic explico respectu diversorum cordium. Adversitas, quæ mergit quosdam velut inundatio maris; spiritu pauperes, humilitatis auxilio nixos enutrit; sicut lac puellos alit. Addit idem Antonius: *Soli verò humiles, qui labia sua comprimunt, id est, stringunt ab amore temporalium, inundationes maris quasi lac sugunt.* Sapor inest fluctibus marini gustui non gratus; dulce verò lac infantulis est. Non aliter infortunia divitibus amarescunt superbis; pauperibus autem submissis dulcescunt. Hac etiam via verus humilis inops incolumis est à cruciatibus quamplurimis. *Qui autem pauper est increpationem non sustinet.*

S. Anton. Ulyssip. ser. Dom. infra octav. Nativit. Dom.

Idem prox. sup.

Sequens paræmia contraponit justum & impium. Videri possunt similes antitheses, quas duobus tomis prioribus notavi suis in locis: quorum postremus index ad illas te ducet viâ brevi. Verbis abutar Magni Gregorii. *Quia ergo festinè ad indiscussa tendimus, prolata replicare devitamus.*

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 6. mor. c. 11.

FLOS VIII.

Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientiâ.

APERITUR.

1. Salaz. in Prov. 13. 10.

SAlazar exiſtimat, in priore parte proverbii non agi de quibuſlibet in univerſum jurgiis, aut rixis quibuſcumque: ſed tantùm de his, quæ in conſultationibus rerum agendarum eveniunt. Cum ſuperbi de re aliquâ deliberant, dum ſuum quilibet conſilium aliorum placitis præfert, multæ ſuboriuntur contentiones, ac naſcuntur jurgia. Ducitur hic Author ex eo quòd ſecunda pars iſtam coarctationem requirat: nam inter illos, qui poſthabitis conſiliis propriis, de aliorum opinione cuncta gerunt, non oboriuntur diſcordiæ: ſapientiſſimeque res hi adminiſtrant. Sed contra. Adverbium, *Semper*, non favet huic limitationi. Ad iſtius fundamentum ſatisfiet ex dicendis.

2. Alap. Janſen. Dion. Carth. Hug Card. & Rodolph. ib.

Generaliùs ergo Salomon intelligendus eſt de jurgiis in quacumque materiâ juxta perſonarum conditionem. Pro iſto ſenſu citari poſſunt Cornelius uterque, Dionyſyus Carthuſ. Hugo Cardin. & Rodolphus. Non omnes attamen eâdem incedunt viâ Janſenius haud aſſignat materiam certam jurgiorum; ſed tantùm radicem: nempe quia ſuperbi nimiùm ſibi fidentes nolunt aliorum conſilia ſequi; per quæ poſſent à litibus præmuniri; vel ab exortis mox liberari. Conſonat Rodolphus. Et per hoc reſpondetur ad fundamentum Salazaris: innodando ſic poſteriorem partem priori, quaſi valeat, humiles, qui prudenter agunt omnia cum conſilio, ſapientiâ dirigi ut vivant pacificè. Carthuſianus defert prima verba ſapientis ad lites natas ex eo, quòd ſinguli ſuperbi velint ſuam executioni dari voluntatem, & alios excedere. Hugo Cardinalis ait: *Quia alter alteri ſupereſſe contendit. Item in eodem loco eſſe volunt ſimul & ſemel: quod eſſe non poteſt*: &c. Cornelius Alapide ſic habet: *Q. d. Superbia facit ut ſuperbi jugiter litigent & rixentur: facit enim ut quiſque alium anteire, & præ eo ſapere ac honorari velit: quare in concilio ſuperbus vult ſuam ſententiam cæterorum omnium judicio præferri, nec ulli etiam ſapientiori cedere ſuſtinet; hinc lites & jurgia.*

Hugo Card. prox. ſup.

Alap. ib.

3. Maphe. v. 38. l. 2. de educat. lib. c. 10.

His omiſſis placet relatus dicendi Janſenii modus: quem ut illuſtremus, recolam illud vulgò ſcitum diſcrimen inter ſuperbum & ſceleratos alios. Multi ſunt mali, qui ſe proſequuntur qualiquali dilectione mutua; non tamen arrogantes. Mapheus Vegius: *Cum*, ait, *quorumlibet ſcelerum conſcii mutuò ſe ament, nunquam tamen fieri potuit ut arrogans & inſolens quiſquam pari modo laborantem amaret atque ſuſtineret*, &c. Ratio cur ſuperbi non bene conveniant inter ſe, humiles verò maximè, deſumi valet ex dicto S. Nili. *Charitas autem*, inquit, *ex humilitate & pietate naſcitur; odium & amarulentus livor ex ſuperbia & jactantia oritur*: &c. Depinxit elationem cordis Poëta quidam:

S. Nil. p. 128.

Inflatoque rotans turgentia gutture verba,
Ferre nequit juga, majorem indignata paremque
Imperia uſurpat regnique libidine fervet
Immanſueta, ferox, miſeris averſa minaxque
Mitibus, elatis contraria, neſcia pacis,
Neſcia amicitiæ, rixarum & litis origo.

Contentiones inter ſuperbos longe plùs abominabiles in conciliis ad bonum Reipublicæ congregatis. Aliqui ſunt ita contentioſi, quòd alieno ſuffragio prudenter dato nunquam ſuum velint adjungere; quamvis alii non tam difficilia conſulant, quàm ipſi. Paulus Jovius: *Fit ſæpe numero* ait, *ſuperbiâ atque æmulatione, communi vitio ducum, ut ipſi plerique in ipſis conſiliis ea maximè nolint, quæ alios ſummis etiam rationibus velle cognoverint: ultroque aſpera & duriora ſubeant, ne aliena conſilia ſequi videantur.* Alii ſunt in re militari præ multo robore temerarii: quam ſtrenuitatem ab alieno conſilio moderamen accipere congruit, ſecundùm illud Latii Regis ad Turnum:

Paul. Jovi. l. 15. hiſtor.

——— *Quantum ipſe feroci*
Virtute exuperas, tantò me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

4. Rodolph. ſup.

Diſpiciamus nunc verba Paræmiaſtæ minutiùs. *Inter.* Rodolphus poſt aliam expoſitionem ait: *Qui cum ſuperbis hominibus verſatur, inter quos nullus obtemperat alteri, nihil aliud quam lites diſcere & ſectari ſolet.* Notandum, contentiones non ſolùm inter ſuperbos inveniri; ſed etiam inter arrogantem, & humilem, hoc utique cedente. Vix tolerari valet elatio tumentis, aut aliqua via perfectè compeſci: nam ſi reſiſtas ingrederis duellum; ſi verò cedas, fortè cæderis: omnes premere vult inflatus, armatos, & inermes. Divus Macarius: *Si quis*, ait, *liber & ingenuus more ſæculi ac valde locuples redditum inſuper cogat & fructus inferat, ille arrogans eſt ac ſibi ipſi fidit, cumque ſit intolerabilis, omnes calcitrat & colaphis afficit.*

S. Macar. hom. 27.

5. *Superbos.* Agitur de ſapientiâ poſtremis gnomæ verbis: hîc autem non exprimitur inſipientia cordium tumidorum. Satis eſt apertè loqui de ſuperbis, ut imprudentes credantur: nam inflatio mentis eſt obſtaculum ſcientiæ. Sapientia ſimilis eſt aquæ. Lymphâ non replebitur vas, niſi vacuetur aëre: ſic niſi dimittatur faſtuoſus flatus à mente nequaquam prudentiâ plenam invenies. Plutarchus dixit olim. *Si quid in utres velis infundere boni, ventum atque aërem amoveas oportet: ſic faſtum ac tumorem eximas oportet ab animo ejus, quem velis docere.* Pejus eſt quòd evanidus hoc ipſum quod ſcit facit inſervire ſuperbiæ: quod valeret ipſum dirigere, ducit in ruinam. S. Odo Clun. *Habent hoc omnes arrogantes proprium, ut cum rectum quid vel pa-*

Plutarch. in moral.

S. Odo Abb. Clun. l. 12.

rum ſenſerint, in uſum hoc elationis inflectant,
Mor. in Job. c. 15. n. 17. *atque unde per intellectum ſibimetipſis altiores fiunt, inde per tumorem elationis in foveam cadant.* Non ſapientiæ vitio vertendum hoc eſt, ſed tumoris: ut cæci lapſus non tribuitur lumini cœleſti, ſed occulorum albugini, verbî gratiâ. Radulphus: *Albuginem*, inquit, *verò habet in oculo qui veritatis lucem videre non ſinitur: quia arrogantia ſapientiæ ſeu juſtitiæ cæcatur.*

Raduplh. flaviat. l. 15. in Levit. c. 3.

6. *Semper.* Jugiter ſuperbus in rixis & contentionibus perdurat: nam aliquid ſe reputans homine majus inflexibilitatem Angelicæ naturæ vult arrogare ſibi. Cum tamen hæc mala conſtantia perſiſtat in rebus damnabilibus, non Angelos bonos imitatur ille, ſed malos. Confundunt iſti pertinaciam cum firmitate cordis: & ſe conſtantes reputant cum obdurantur. Silex non æquat valore jaſpidem, vel alabaſtrum; quamvis illud iſtis duritie præcellat. Similiter contumacia non putetur exæquare permanentiam prudentis animi. Utinam ſuperborum obſtinatio cum ſolis hominibus contenderet: adverſus Deum luctatur per impœnitentiam. Loquens de illis, qui de ſtatu perfectionis in ſuperbiam aſcendentes deciderunt,
S. Antioch. hom. 44. S. Antiochus ait: *Sed ne illos quidem poſt lapſum ſinit ad pœnitentiæ portum ceu poſtliminio reverti. Quo enim pacto iſti ad pœnitudinis ac reſipiſcentiæ ſinum ſe conferant, qui totum diabolum in ſe excipientes per ſuperbiam, Deum per hoc colluctatorem ſibi conſtituere & adverſarium?*

7. *Jurgia.* Latini rigoroſè loquentes aptant jurgandi verbum contendentibus vicinis. Nituntur dicto Principis oratorum:
Tull. l. 4. de Rep. *Jurgare igitur lex putat inter ſe vicinos: non litigare.* Natura condidit hominem animal ſociabile: proindeque pacificum voluit; aliter non produceret inermem. Cumque ſtrictius ineatur conſortium inter vicinos; humana conditio requirebat, potiſſimùm cum iſtis imperturbatam pacem conſervari. Sed cum livor & perfidia præcipuè verſentur erga non longe diſtantes; inde fit, inter illos quotidianas inſurgere contentiones. Hæc pugna dejicit hominem ad ſimilitudinem bruti. S. Ambroſius:
S. Ambroſ. to. 5. ſer. 3. in Evâg. Si quis venit &c. juxta fi. *Vulpem planè dixerim omnem Chriſtianum, qui ſuo inſidiatur vicino: qui quotidie nititur fines alienos arrodere, fructus invadere, animalia devorare*: &c. Ecce frequens materia rixarum, ſcilicet alienorum uſurpatio: quorum cupido ſuperbos invadit ſæpius, ad ſuarum poſſeſſionum fines protendendos. Contraria ſuperbiæ charitas oppoſitum ſuadet fortè plùs, quàm ſi vicinus tibi foret fraternâ conſanguinitate junctus.
Idem ib. l. 3. epiſt. 19. juxta fi. Redeat Ambroſius. *Præcipe illis*, inquit, *inviolata confinii ſervare jura, paternos cuſtodire terminos, quos lex tuetur. Supra fraternam charitatem frequenter eſt vicini gratia. Ille enim ſæpe longe, hic in proximo eſt, vitæ omnis teſtis, converſationis arbiter.*

8. *Sunt.* Cum pluries fieri nequeat ut eadem numero contentio producatur in tempus nimis longum: cumque ſapiens loquatur de præſenti; notandum occurrit, uno finito jurgio, vel etiam priuſquam finiatur aliud exurgere. Nec ſemper contentioſo novam jurgandi materiam alter miniſtrabit. Sed quia his & ſimilibus ſuperbia nutritur, veluti lignis flamma; quamvis incendio non alius pabulum addat, ignîs ipſe quæret aliquid ampliùs in alimentum. Aliquando non inveniet, niſi fingat occaſionem rixandi. Litigioſi pollent ut plurimùm ingenio ſubtili, quo facta, vel dicta perperam interpretantes proximorum, ſeu aliter, moliantur lites. Bellè S. Antiochus: *Contentioſus & qui litibus ſerendis inſuevit adeo cum domeſticis habiturus pacem non eſt, ſed ne cum externis quidem. Dum enim ſuæ cogitationi, quam contentionis ſerendæ ſtudio concepit, cupit modis omnibus ut ſatisfiat: nunquam non ad ingenium & commenta veteratoriæ artis converſus comminiſcitur novitias fraudes: ac veluti acri quopiam œſtro percitus: perpetim novandis litibus extimulatur.*
S. Antioch. hom. 56.

9. *Qui autem.* Pluraliter loquitur Salomon hic: non tamen idcirco putes, reperiri paſſim cautos, qui proprio judicio non fidentes, dignentur alienum frequenter conſulere. Proprius amor illudit mentes hominum, & ſuadet multum ſibi tribuere. Vix eſt aliquis ab hac ægritudine liber; etſi nanque tenuiſſimus conditione ſit, quærit aliquid in quo ſe maximum æſtimet. Et cum oculorum corporis morbus ætatem ſenilem frequenter comitetur; pluries accidit grandævis hoc vitium prædictum in luminibus animæ: quibus putant cunctos excedere ſcientiâ: Mapheus Vegius: *Tam vehemens & tenax eſt inſitum mortalibus de ſe judicium ita tantum ſibi attribuit, tantum humana credit infirmitas. Quæ & tanta eſt ut nemini parcens omnem etiam ſexum ſimul atque ætatem invadat. Neque eſt enim ulla tam tenuis conditionis muliercula, quæ non ſe valere plurimum aliqua ex parte exiſtimet.* Et infra: *Sed in ſenibus longe eſt gravior, qui cum multa viderunt, multa ſuſtinuerunt, neminem ideo putant eos ſcientiâ multarum rerum anteire.*
Maphe. Veg. de perſeve. relig. l. 2. c. 1. ad fi.

10. *Agunt.* Vox eſt ſignificationem habens actionis de præſenti. Nulli tamen in mentem veniat, eſſe prudentis viri tunc pro negotiis expediendis capere conſilium ſapientum, cum tempus adeſt operandi. Conſultatio cum prudentibus præmittenda priùs quàm initium detur operi. Recordor Imperatoris Caroli Quinti celebre dictum: conſilium habere pro ſpiritu moram convenientem. Si conſuleris alios cum jam agendum erat, feſtinanter nimis conſilium capies, & carebit animâ conſultatio; proindeque non ordinatè diriget ut plurimùm actiones. Inſuper mens operi jam intenta perturbabitur metu: quod proponitur incongruum amplectetur velut medium perutile pro fine conſequendo: quinimo plura, quæ valerent inſervire ſcopo, quem tibi præfixiſti, deficient, vel deficere putabuntur. Cæſar:
Cæſar. l. 5. comment. *Timet, atque eum deficere omnia videntur, qui in ipſo negotio conſilium capere cogitur.*

11. *Omnia.* Hugo Cardin. ibi: *Non quædam* Sicut imprudens fidit in cunctis opinioni prudentiâ præditus diffidit in omnibus fe-
Hugo Card. hic.

re ſibi ; conſiliumque prudentioris, quin & æqualis inquirit, ſe non ab aliquo minùs tutum reputans, quam à ſemetipſo.

S. Antioch. hom. 83. in princ. S. Antiochus : *In quocumque negotio non mediocris operæ feceris pretium, remque Deo magnopere acceptam ; ſi conſilium expectes.* Nihilominus adverte quoſdam caſus occurrere, quibus verificatur illud Vegetii : *Quid*

Veget. de re milit. *fieri debeat, tractato cum multis : quid verò facturus ſis, cum pauciſſimis ac fideliſſimis, vel potius ipſe tecum.* Exceptio iſta regulam datam non deſtruit : nam aliud eſt conſilium poſtulare peritorum cautè ; aliud verò conſilium proprium tradere ſtolidè. Non ſemel eveniet congruum eſſe claudere præcordiis deliberationem propriam, quia ſic exigit res : præſertim cum fere nuſquam tuta fides. At ſemper ſtat doctrina ſupra tradita : nempe convenientiſſimum eſſe prudentes conſulere quid agendum, vel omittendum ſit.

12. *Cum conſilio.* Non exprimit Vulgatus an loquatur de conſilio, quod ſumitur à peritis. Neceſſarium non fuit hoc expreſſis verbis notare. Stultum eſt à cæco petere ducatum. Conſilium capiens habet ſe per modum arripientis baculum, quo nixus greſſum ponat ſecurus. Et quis eſt, qui per viam ſalebroſam incedens, valens forti ſuſtentari ſcipione, ſit contentus arundineo ? Peculiariter vitandi ſunt conſultores ætate juveniles, tamquam virides baculi non ſolidi, proindeque non tuti pro firmando viatore. Debeo tibi S.

S. Antioch. prox. ſup. Antiochum. *Non igitur*, inquit, *abs re, ſed congruè (ceu prædictum eſt,) in omnibus expectandum nobis eſt conſortium ſpiritualis conſilii à ſenioribus, quos uſus rerum prolixior prudentes reddidit ; carnalium verò & ineruditorum conſultationes vitandæ prorſus, & ne pro fulcimento ſcipionis è robore palmæ decerpti, arundineam retineamus virgam*, &c. Optima ſimilitudo quidem arundinis ; quæ aëre plena viſitur : & ſimiliter imperitorum conſilia, præſumentium alios dirigere, ſuperbiam ſtulti conſiliarii probant.

13. *Reguntur.* Subditorum eſt regi : & ſi prudens regimen eſt, pace tranquillâ fruuntur ; econtrariò, ſi Reſpublica nullo, vel malo gubernaculo ducitur, procelloſam vitam agit. Apud humiles (quales frequenter ſunt qui ſub conſilio peragunt alieno cuncta) pax quietiſſima floret ; econtra cor impii ſuperbiæ turbo commovet : iracundiâ fervet, exæſtuat cupidine.

Guerric. Abb. ſer. 3. in Aſſumpt B. M. poſt med. Guerricus Abbas : *Quis autem*, inquit, *niſi humilis in pace quieti & modeſti ſpiritus ſe ipſum poſſidere poteſt ? Impium projicit ventus à facie terræ circumferturque omni vento doctrinæ.... Fervet ira, æſtuat avaritia, intumeſcit ſuperbia* : &c. Quis, niſi barbarus pacem propriam odit, vel amans per mala media conſequi fines intentos ? Viro ſubmiſſi cordis facilè datur interiori tranquillitate potiri ; quantumlibet verum ſit, externa bella non defutura ; quibus amplius vires humilitatis exerceat, & aſſuetudine confirmet.

14. *Sapientia.* Fruſtranea non eſt meditatio vocis hujus : quæ indifferenter ſignificat vel majorum, vel æqualium, ſeu minorum ſapientiam ; qua horum ſinguli dirigere poſſunt conſulendo. Nullius prudentis conſilium reſpuendum eſt. Non, inquam, à majoribus directio recuſanda, quamvis minime tibi præpoſiti ſint : nam experientiarum forſan magiſterio, vel eruditionis præſtantiâ pollent : non enim voco majores eos, qui te non præcellunt, niſi fortunâ. Deinde credendum non eſt invidiæ, vel ſuperbiæ, quibus ductus renuas æqualem quærere, qui te de faciendis inſtruat, inquiens : Quid ille novit, quod me lateat ? Eſto quòd illum in univerſis æques ; perſæpe contingit ut ipſe plùs videat in alieno, quàm tu cernis in tuo. Tandem, admoneo potentes & reliquos majoritate potitos, ne dedignentur à minoribus accipere conſilia data prudenter : hæc enim ſunt opus animæ : neque nobilior eſt regis anima quoad perfectionem ſubſtantialem, quàm privati ; ſicut notum eſt apud Philoſophos. Prudentem exiſtimas temetipſum, quia major es ? Tecum non contendam : imo dicam : *Et hoc ipſum prudentia eſt in arduis* (aliter legitur : *Arctis*) *rebus minorum explorare conſilium.*

Petr. Bleſ. ep. 44. in princ.

DELIBATIO I.

Radices variæ contentionum de primatu.

15. *Non ceſſabit inter liventes rixa, niſi dividantur : præſertim ſi regiminâ petiuntur.*

DIſſenſiones inter ſuperbos moventur identidem, cùm eorum quivis promoveri cupit ad eumdem præfecturæ gradum. O quot lites nullo judicio decernente ! quot bella nulla ratione duce moventur ! Malum iſtud rebus publicis perniciosiſſimum utinam poſſemus radicitùs evellere. Utcumque feriamus gladio doctrinæ radices ejus fortes & peſſimas. Prima radix eſt invidia : qua ſuperbus ægrè fert, ut alter ad ſuperiorem locum aſcendat, vel aliàs augeatur. Socius eſt ſuperbiæ livor : utrumque vitium fumus exiſtit : amicè copulantur. S. Auguſtinus :

S. Aug. to. 8. expoſ. in Pſ. 58. *Et quoniam*, inquit, *ſuperbiæ comes eſt invidentia, fieri non poteſt ut ſuperbus non invideat* : &c. Multa ſunt, in quibus livor furorem ſuum exercet ; eorum corda fortiter urens, quos mentis vanitas extollit. Hi neque ditiorem cernere vellent, nec eruditiorem audire, plauſibuſve populi magis felicem. Sed potiſſimùm prælia ſæviora conſeruntur inter illos, qui fulgent honoribus publicis ; in quibus ad regimen conſtituti ſplendent. Rarus eſt, qui bene conveniat cum altero ſimili. Non modicum accipiunt ex iſto diſſidio ſubditi damnum : rixantur principes, & manent incolumes ; populi vero miſeri detrimenta ferunt. Qui militant pro ſingulis, diſcrimen ſubeunt frequenter præmio vacui : ſi neutralitatem eligunt, adhærentes neutri, cæduntur ab utroque ; vel coguntur ut alterutrum ſequantur apertè : majuſque bellum fit iſtis, quia pacem diligunt. At quî fieri poterit, ut regentium inutiles rixæ, quin & nocivæ, compeſcantur ?

tur? Non aliud remedium ejuſmodi lividis componendis aptius video, quàm ipſos mutuò dividere, ne cernat unus melioriationem alterius. Quandiu viderit unus regimine fruens alium, cujus augmentum non patitur, decertabunt ambo: tunc finientur certamina, cùm unius lividi lumina diſtaverint ab alio.

16. Abraham locuples valde, morabatur ſimul cum Lot etiam diviti. Fuerunt ſanguine juncti: ſed neſcio quid opes conditionis habent pacis inimicum, quidquid ſuadeat conſanguinitas: mirum eſt quod ambo non contenderint, cum pariter habitarent. Adminus inter utriuſque viri paſtores oborta fuit rixa. Cauſam aſſignat Liranus ad illa verba Textûs: *Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot*, dicens: *Quia tam iſti, quàm illi volebant ſibi præoccupare meliora paſcua, & meliores aquas.* Quid tunc Abraham? obſecratus eſt Lotum ad recedendum ab eo: *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ed ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Nonne diligebat Lot Abrahamus? Utique: niſi dilexiſſet, cùm audiit captum Lotum, non iviſſet contra reges quatuor Bellaturus, ut illum reduceret. Nihilominus ab illo ſeparationem deliberavit. Idem Commentator: *Licet enim delectabile eſſet ipſi Abræ manere cum nepote ſuo, magis tamen voluit ab eo ſeparari*, &c. Cur ita? Quia pro mutua paſtorum pace convenientem eſſe judicavit eos dividi, ne quidam ex iſtis viderent alios meliorari. Nullum putavit præſentius remedium diſcordiæ tollendæ, quàm locorum diſtantiam: quia liventes oculi vicini jugem ſubminiſtrant materiam diſſenſionum. Ut non invideat lividus, non videat. Ne putes, me de rebus politicis penitus ad agros deſcendiſſe. Curioſiùs attende quid myſticè fuerit circa paſtores illos meditatus Hugo Cardin; inquiens: *Ecce inter quos & à quibus ſit hodie rixa & contentio: Inter paſtores religioſorum.* Et quamvis fortè mens Purpurati ſit loqui de præſulibus diverſarum Religionum; multò frequentiùs periculum ſubeſt (quod fateri pudet) inter ejuſdem religioſæ Familiæ præpoſitos: nam invidiæ proprium eſt in vicinioribus incendium ſuſcitare: proximioreſque ſunt qui ſub eâdem profeſſione militant. S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Senes non poſſunt deprope videre: & ſignificant invidum, qui poteſt à remotis videre, ſed deprope, id eſt in proximo, nihil.* Qualiter curanda ſit iſta cæciras prorſus neſcio.

Litan. ad Geneſ. 13. 7.

Geneſ. 13. 8. 9.

Lira ib.

Hugo Card. com. in Geneſ. 13.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. fer. 4. in Paſſio.

17. *Facilius aliquando concordia reperietur inter extraneos.* Hoc unum ſcio, contentiones de primatu ſic hominum corda præpotenter invadere, quòd fraternus vincatur amor illorum, qui parentes agnoſcunt eoſdem ſecundùm carnem. Et amor & livor cæci ſunt; ſed ille ſuperatur, quia puellus; iſte prævalet, quia multùm adolevit, cum ſit coætaneus orbi ferè; prout clamat ſanguis Abel. Naturalis ratio dictat concordiam inter propinquos, & præcipuè fratres: at rationi minime paret ægritudo: invidiaque morbus eſt. S. Baſilius Magnus: *Morbus*, ait, *invidiæ nonnunquam & in propinquo ſanguinis, atque inter ipſa fraternæ germanitatis jura graſſatur*, &c. Livor extraneos quandoque non tangit: quia forſan qui natalibus claris fulget, divitiis caret; ac proinde cedit, paupertate cogente: vel econtrariò dives primas defert nobilitati. Si contingat utrumvis, invidiæ locus non datur. Ceſſat hoc remedium, cùm ſibi mutuò fratres invident: nam iſti ſunt genere pares: & ordinariè loquendo jus æquale ſibi vendicant ad hereditatem paternam. Propterea neuter alteri concedere primatum vult: & forſan erunt, quos pœniteat, non ortos fuiſſe gemellos eodem partu, ne foret alius vel nativitate prior. Pugnat cum naturâ vitium, & vincit infeliciter. Facilius erit inter nullâ cognatione proximos, unum ſinere quòd alter præferatur, quàm inter germanos. Unuſquiſque primum ſibi capere locum frater cupit: mitiùs agetur cum extraneo.

D. Baſil. Mag. ſer. de livo. & invid. imer opera S. Zenon.

18. Etiam Collegium Apoſtolicum invaſit ambitio. Præſentia ſolis non obſtat, ne ventus inſurgat. Aderat ſol juſtitiæ: nihilominus duplicem diſcipulum concuſſit validè flatus, quo ſedes in regno Chriſti per genitricem poſtulantes ambierunt. Ab ſcandalo longiùs abeſto: nam adhuc perfecti non erant, quamvis in ſchola Magiſtri ſupremi verſarentur. Euthymius: *Duo quidem ſupra decem diſcipulos elati fuerant: decem verò de duobus invidebant, eò quòd primas ſedes deſideraverant: & ita omnes imperfecti erant.* Notavit idem Commentator, illos ad Chriſtum Dominum ſupplicationem prædictam non attuliſſe perſonaliter orantes: matrem ſubmiſere, quæ pro ipſis poſtularet. *Deinceps*, ait Euthymius, *illis reſpondet, ut qui matrem ſuam ſubmiſerant, ut pro ipſis poſtularet*, &c. Mirabar, quòd ambitione vulnerati commiſiſſent alterius verbis negotium ſuum: præſertim cum hoc non ſit tam proprium fœminei ſexus. Qua de causâ petitionem illam non proponunt ipſimet ore proprio Salvatori? Dicet aliquis nonnulla veriſimilitudine fultus, veritos fuiſſe, ne contentio fieret inter eos uter poſtulatus foret ſeſſionem ad manum dextram (quæ, prout ſatis liquet, honoratior eſt) ac propterea non exprimentes, quis dexteram vel ſiniſtram conaretur aſſequi, dimiſiſſe rem propriæ matri: voluiſſeque potiùs, primatum inter ambos fratres fortunâ, vel fortaſſis electione matris decerni; quàm inter ſe convenire quis præferendus foret; quod eſſe poterat occaſio diſſenſionis. Non multùm contendam cum ſic opinante. Sed alius arguet exemplo principis Jonathæ: qui, cum regis gnatus eſſet, dixit Davidi: *Tu regnabis ſuper Iſraël, & ego ero tibi ſecundus*, &c. Ecce locum poſt Davidem non dedignatur Princeps. Quare non ex illis diſcipulis unus libenter eligit ſiniſtram ſibi poſtulandam; dimittens fratri dextram? Forſan quia fratres erant; David autem & Jonathas

Euthym. ad Matth. 20. v. 43.

Idem ib.

1. Reg. 23. 17.

minimè,

minimè. Non contenderunt iſti de prælatione. Citiùs aliquando reperietur in hac re concordia penes eos, qui ſanguine propinqui non ſunt. Fili Zebedæi, ſi de præcedentia locorum dextræ lævæque tractaretur inter illos, fortè nullus alteri cohæret. O nimis exlex ambitio mortalium: quæ naturæ jura violas, illa quæ Deus conjunxit ſeparans!

19. *Non ſollicitabit præfecturam qui meminerit, oportere, quòd exaltatus non quærat quæ ſua ſunt.*

Diximus de livore: qui jurgia parit inter eos, quorum ſinguli præferri contendunt alteri. Nunc aliam radicem hujus peſtiferæ diſcordiæ præſcindamus. Hæc eſt inconſideratio voluntaria, qua non attendunt iſti quàm grave pondus humeris imponatur ejus, qui ſuperior aliis conſtituitur. Et ut à minoribus incipiam, primò conſiderandum venit, oportere, gubernacula publica tenentes dimittere commoditates proprias, ut ſubditorum bono totaliter invigilent. Quodcumque minimum vivens de ſenſitivis præcedit ſolem: non tamen illorum cuique Deus contulit incorruptibilitatem; ſed creavit capacia corruptionis: indens eis propriæ conſervationis appetitum. Solem condidit incorruptibilem, ne qui præeſt minoribus aſtris derelinqueret (ut ita dicam) utilitatem communem, & ſibi conſuleret. Ille non ſibi lucet: non ſibi movetur, naſcitur, vel occidit. Immunitate quidem ſimili contra corruptionem haud gaudent mortales, qui præponuntur ad regendum cæteros: quin & aliquando plus corruptioni ſubſunt, quàm illi: nihilominus curam, quam debent multorum variis utilitatibus exhibere, conſervationi ſuæ, ſeu propriis emolumentis impendere non eſt æquum. Et præcipuè non hos proventus à dignitatis potentia quærat gubernator: quia non pro ſe conſcendit ſolis præaltum apicem; venit ad culmen pro ſubditis. Non oblitus eſt hoc Gregorius in ſummi Pontificatus faſtigio poſitus: ait enim: *Vitæ quidem innocentiam pro nobis habemus, ſed prælationis culmẽ pro aliis, nõ pro nobis aſcẽdimus.* Non parum laudabile, quòd in dignitate conſtitutus convertat in fructum ſibi quod pro ſubditis conceſſum eſt. Adhuc tamen reſtat aliquid majus: nempe dimittere quæ, ſi foret privatus, licitè poſſet in lucrum ſuum curare. Durum eſt hoc amori proprio. Sed ex hoc ipſo tædio relinquendi particularia ſibi colligo, nullum fore qui ſuperioritates ambiret, ſi recordaretur jacturæ, cui ſemetipſum committit; non quæſiturus, ut antea, quæ ſua ſunt, ſemel quòd throno fuerit exaltatus: id qui meminerit non ſollicitabit præeſſe.

D. Gregor. Mag. to. 2. expoſ. in c. 2. l. 1. Reg. l. 5. c. 11.

20. Adverſarium agens Abimelechi Joatham, ut ſuaderet Sichimitis, egiſſe perperam in conſtituendo regem Abimelech, propoſuit eis parabolam. Voluerunt arbores eligere ſibi regem: obtulerunt regnatum olivæ, poſtea ficui, deinde viti, tandemque rhamno. Non repulit iſte principatum; ſed illæ. Non ego quidem in hoc hæreo: quia frequentiſſimum eſt indignos libenter acceptare præpoſituras, quas digniſſimi recuſant. Illud tantùm nunc adnotabo, cur in hoc ænigmate non dicitur, ullum ex lignis procuraviſſe quòd eligeretur ad regnandum. Magis admiror, nequaquam regnum præripere voluiſſe ſibi rhamnum, quia ſuperbi figuram eſſe docuit me Lyſiadum Gloria, dicens: *Rhamnus eſt ſpinarum genus depreſſiſſimum, & nimium moleſtum. Figurat ſuperbum ſpinis divitiarum & peccatorum obſcurum: ex quo procedit ignis ſuperbiæ devorans omnes cedros Libani, id eſt, omnia opera quæ facit* &c. Sic D. Antonius Ulyſſip. alludens ad prædictam parabolam. Quare non rhamnus, non oliva, ficus, aut vitis electionem ambitiosè præoccupare cupierunt; præſertim cum proprius lignorum ſit ambitus dignitatum? Forſan (parabolicè loquamur) quia timuit unaquæque dimittere commoda propria; quæ dimiſſio ſceptris annectitur. Sanè dixit oliva: *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Similia leguntur de ficu, vitique. Ad ſpritum ſub littera latentem pertranſi. Liram conſule. *Præmittitur*, ait, *parabola de oliva, ficu, & vinea recuſantibus ſuper alias arbores promoveri: & per hoc ſignificantur tria genera hominum dignitatem regiminis refugientium.* O ſi vel ſuperbi, vel non inflati, maturè perpenderent hoc ſaltem, ſcilicet quòd oportet, eos elevatos ad culmina valedicere propriis, ut laborent in alienis: quanta, quotque diſſidia ceſſarent circa promotiones! Non ſolus qui faſtum neſcit, ſed etiam ſuperbus abſtineret à quærendo ſedes, ne deperderet commoditates, quas nimis diligit. Sed quia penitus id obliviſcuntur ſponte, propterea cum eligendus eſt qui præfecturam teneat, *inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*: &c.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Domi 11. poſt Trinit.

Judic. 9. 9.

Liran ad Judic. 9. 8.

21. *Non orirentur rixæ de primatu, ſi adverterent omnes pŏdus regiminis.*

Supra tetigi gubernationis onera: præmittens quod minus eſt; ſcilicet non inhiare ſuis; aliorumque bonis totum tradere ſemetipſum. Nunc ad majora gradum faciam. Scitum eſt illud: Ars artium eſt hominem regere: ſi conferantur huic difficultates, quas periti ſolent in ſcientiis reperire, minores multò ſunt, quàm in exercitio regnandi. Libris incumbimus laboriosè (quod ſoli non commiſerantur inexperti) hoc tamen ſolatium eſt miſeris, quod veritatem inquirentes obtinemus ab intellectu facilem obedientiam; ſemel quòd verum ſufficienter apparuit: nam intellectiva potentia veritati patenter propoſitæ reſiſtere non valet. Haud evenit ſimiliter in arte regendi; tot ſunt mentes, quot ſubditi: veram proponit eis regulam qui ratione muneris dirigit eoſdem: reſpuit unuſquiſque ſubdi gubernantis dictamini: manifeſtè recta non vult quaſi mala: clarè damnabilia complectitur ut bona. Difficillimum illi putant judicia multorum obtemperantium conformari prudenter uni, cujus eſt examinare quod ſingulos attinet: maximum fingunt laborem quod obedientibus pronum eſt. Arduum potiùs dicam, quod ſuperior, cum polleat uno tantum intellectu, necnon deliberet unico ſolùm arbitrio, conformem

mem exhibeat ſe tot voluntatibus, tot mentibus, quot capita, ſervatis legibus. Verè dixit S. Vincentius Ferrarienſis: *Prælatio habet onus importabile, niſi Deus juvet* &c. Operæ, quam prænotavimus, accedit illa ratio formidabilis in die judicii reddenda, cum venerit Princeps paſtorum, oves eis commiſſas exacturus. Quaſi coutractum inierunt iſti cum ſupremo Domino gregis, ut rationalia pectora paſcerent. Quò fugient, ſi perdiderint ipſa? *Et quæ conventio cum domino gregis? Cuſtodi* (inquit) *virum iſtum, ſetſi lapſus fuerit erit anima tua pro anima illius, ſanguinem ejus de manu tua requiram: non oſtenſa pelle ſatisfacies mihi, ſed perpetuo inferno damnaberis. O terribilis obligatio, & eſt qui velit ad hoc obligare ſeipſum: ſunt multi qui non ſolum volunt, ſed cupiunt, & exambiunt.* Ambiunt certè: quia non animadvertunt voluntariè cæcutientes, pondus humero mortalis hominis formidabile. Si gravitatem hujus reminiſcerentur, non contenderent inter ſe plures, quis eorum præponendus eſſet alteri: nec exorirentur de primatia rixæ, ſi bene penſarent univerſi qualiter gravetur mole regiminis homo, quantumvis prudens.

S. Vincent. Ferrar. ſer. d. S. Ambroſ.

S. Thom. à Villa no. ſer. Dom. 3. Advent. longe poſt med.

22. Cum vidiſſet Jethro cognatus Moyſi populum huic judicâti de mane uſque ad veſperam aſſiſtere, damnavit quòd ſolus operam præſtaret iſti functioni. Conſuluit eidem; ut provideret viros timoratos: qui plebem judicarent circa minora; referrenturque res notæ majoris ad Moyſen, quò ſic alleviaret onus gubernandi: *Qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent: leviuſque ſit tibi, partito in alios onere.* Acquievit conſilio Moyſes: non tamen legitur quòd inter electos fuerit contentio, quis eorum ab eo munus acciperet majus; cum non in illo fuerint extituri pares cuncti, prout ex ipſo textu colligitur. *Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Nec etiam legimus, poſt horum electionem aliquem remanſiſſe querulum propterea quòd non fuerit electus; vel ingeſſiſſe muneri ſemetipſum, poſtulantem à Moyſe, ne ſe præteriret. Expendamus nunc ſeditionem Core. Multi ſurrexerunt adverſùs Moyſen contentione ſuperbâ ferentes ægrè duplicis fratris honorem. Quare modò jurgium commovit ſuperbiâ? præcitato verò loco nullus electorum contra ſupremum ducem populi muſſitavit; nec aliquis de non aſſumptis queſtus eſt, ſe contemptum? Quia cum facta eſt rebellio contra Moyſen & Aaron, ſeditioſi germanorum honorificentiam attendebant; non autem eorum obligationes cogitabant. *Cur elevamini ſuper populum Domini?* At eo tempore, quo Moyſes hortatu ſoceri delegit viros in plebis principes, tum electi, tum alii potuerunt intelligere, propterea Moyſen partiri judicialem poteſtatem cum pluribus, quia grave pondus erat moderationis traditæ ſibi. Quid mirum, ſi hoc meditati ſunt, quod nullus ambitioſum ſe præſtiterit? Electio tunc facta per Iſraëlis Moderatorem, continet inſtructionem ad eligendos nunc aptos ad publica munera. Liranus: *Inſtruuntur principes & prælati promovere ſine perſonarum acceptione viros aptos pro regimine ſecundùm conditiones hic poſitas* &c. Si tam promovendi, quam reliqui, rationis trutinâ librarent ingentem ſarcinam, cui ſupponunt illi dorſa qui præſunt; nullus expeteret ita gravari: procul eſſent à rixando circa prælationes modò ſine modò concupitas.

Exod. 18. 22.

Ib. n. 25.

Numer. 16 3.

Liran Exod. 18. 21.

23. Potiſſimam tetigi radicem diſcordiarum circa dignitates aſſequendas: oportet altiùs eamdem evellere. Jam omitto diſpendium propriarum commoditatum, annexum publicis muneribus: jam taceo quotidianam ipſis fungentium anxietatem præ ſollicitudine multâ: prætermitto moleſtiam contemperandi jura cum indole ſubditorum ſatis diversâ. Venio nunc ad id, quod majorem poſtulat indaginem, ſcilicet animæ periculum graviſſimum inſtans iis qui dignitate fruuntur. Quiſque ſatis cruciatur (niſi fruſtra Chriſtiani vocabulo ſalutis immemor, inſignitur) cum perpendit ſuæ damnationis diſcrimen, animæ propriæ rationem ſupremo Judici redditurus. Quomodo non ille torquebitur continuè, judicandus etiam de factis alienis tot animarum, quot regit, & accepit in cuſtodiam? Singulis privatis hominibus unus datus eſt Angelus, qui de illius anima curat. Hinc vituperabilem demiror animoſitatem quorumdam, qui tot animas curæ ſuæ tradi percupiunt. S. Thomas à Villano. *Unus Angelus*, ait, *unam ſibi ex illis omnibus ovibus ſufficere putat, & tu tantas?* Certe cuſtos Angelus nec peccabit, neque damnabitur: in ſtatu quippe beatitudinis eſt. Miſer homo peccatis obnoxius, à periculo damnationis haud ſecurus, temerariè ſatagit animarum præfici multitudini! Dubium deſiderat negotium. S. Bernardus: *Nec dubium*, ait, *quin longe periculoſior cæteris prælatorum ſit adminiſtratio.* Ambient majoritatem ii, quorum ob oculos non verſatur lapſus in barathrum inferni, qui contingit multis in dignitate poſitis; cui verò recens eſt in memoria terribilis hæc ruina minime tangetur ambitione ſcandendi ſuperiora. Memor alienæ perditionis alterius, qui potirus eſt munere, quantumlibet dignus extet eo, nec aſſumatur ad illud nequaquam dolebit; ſed gratias aget Altiſſimo: non oblitus prædeceſſoris horribilem caſum, vacabit à faſtu penitus.

S. Thom. à Villa no. prox. ſupr.

S. Bernar. ſer. de verb Pſal. *Audiã qicid* &c. ſi.

24. Prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum: & quia non declinavit illaqueantem avaritiam, tandem laqueo periit. Poſt aſcenſionem Redemptoris in cæleſtem curiam, Vicarius ipſius curavit, ut perfidi loco ſufficeretur ex fidelibus unus. Statuti ſunt Joſeph & Mathias, ut alteruter ſubſtitueretur. Cecidit ſors in Mathiam, & Joſeph omiſſus eſt; quamvis juſtus foret, ut ejus cognomen oſtendit (: *Joſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus, & Mathiam.*) imo quantumvis propinquus eſſet Chriſti Domini;

Actor. 1. 23

mini. Cum aſſumptio Mathiæ non fuerit occulta, Joſeph præteritus verecundiam vel paſſus eſt, vel ſaltem potuit verecundari; ſed gratias egit Salvatori. S. Vincentius Ferrarienſis ait: *Chriſtus enim non elegit conſanguineum germanum ſuum: licet eſſet ſanctus, & haberet tres fratres Apoſtolos, & Virgo Maria eſſet avuncula: tamen radius deſcendit ſuper Mathiam. Cogitate qualem verecundiam debuit habere Joſeph; ſed non curavit, imo regratiatus eſt Chriſto.* Humilitatem Joſephi ſtupeo: nec verbo munus Mathiæ collatum deſideraſſe Juſtus oſtendit: nec ſaltem dixit, alium ſe feliciorem acceſſiſſe locum, nequaquam ab ipſo, vel ab altero deſideratum. Non poſſum non hîc recordari diſſenſionem ortam inter Apoſtolos de majoratu, priuſquam pateretur Author vitæ. *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Contendunt Apoſtoli circa præferentiam; non autem diſſidium fuit inter Mathiam (&) Joſephum; neque diſcipulorum aliquis tenere ſollicitavit Judæ locum; qua de cauſa neminem ex iis commovit ambitio? cur antea mentem Apoſtolorum fuit ingreſſa? Eo tempore, quo diſcordarunt Apoſtoli, non adhuc fuerat Judas ad inferos detruſus; maximè verò cùm facta fuit promotio Mathiæ. Nec Joſeph, nec alii potuerunt obliviſci damnationem traditoris; cum tractaretur de altero ſubrogando illius vice. Proditor fortè non damnaretur, niſi Apoſtolatum ſuſcepiſſet: in quo poſitus occaſionem arripuit furandi; quia manu propria pecuniolam Apoſtolici Collegii, & paulatim ad avaritiæ profundum lapſus vendidit Magiſtrum. Non difficile nimis erat exulare jurgia, ſuperbiam non reperiri mentibus, ubi memoriâ retinebatur æterna condemnatio prædeceſſoris. At quia per multos oblivioni traditur animæ diſcrimen, quod imminet elevatis ad munera, propterea circa materiam ſubjectam *inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*: &c.

S. Vincent. Ferrar. ſer. de S. Math.

Luc 22. 24.

DELIBATIO II.

Aliqua notantur de propriæ voluntatis conſilio ſuperbo.

52. *Superbus non contentus eſt quòd ratione convincente voluntas ejus perficiatur; ſed cupit ut id ex reverentia fiat.*

EXperientia (cujus magiſterium fatemur optimum, licet non ſemper accipiatur gratis) docet, cum plurimo regnorum damno bella ſæpius naſci de malorum principum inepto regimini: vel quia fœdera pacis reges non cuſtodiunt: vel quia mala ſubditorum directio præbet occaſionem, ut moderatores lædant alienigenas; proptereaque moveantur cum exteris prælia. Regnum intra nos eſt unicuique: cujus gubernacula rapuit injuſtè propria voluntas. Hæc non acquieſcit alienæ, quamvis majori: non ſervat amicitias, cum amorem proximi deſtruat: affectiones hominis perperam gubernat ita furens, ut commoditatem non flectatur: unde fit, ut in aliorum offenſam prorumpat homo, diſſidiaque ſurgant. Appoſitè S. Laurentius Juſtinianus: *Propria voluntas non majoribus acquieſcit, non reveretur, non obtemperat; nulli ſubeſſe poteſt: nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur, ſemper procax eſt, effrænata in locutione, incompoſita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara ſui, & à proximi dilectione aliena.* In eo diſtat ſimilitudo regni temporalis, quod regnorum bella non ſemper accipiunt à principibus motiva; diſſenſiones autem inter ſuperbos cauſam vendicant voluntatem propriam; quæ moderamen uniuſcujuſque reipublicæ privatæ poſſidet. Hoc adeo verum eſt, ut Valentinus Præſul dixerit: *Propria voluntas pacem tollit, diſcordiam parit. Tolle propriam voluntatem, & non erit diſſenſio, non erit ſcandalum in mundo.* In ſuperbis regnat voluntas propria; cui ſoli noverunt obſequi. Ratio ſic miſerabiliter depoſita fuit à principatu, quòd nec admittitur ut miniſtra pro decretis illius exequendis. Rem clariùs proponam Elatus, quamvis propriæ voluntati ſuæ cæteros cohærere cuperet; poſſet hoc fatagere viâ rationis: nitens alios convincere fundamentis aut veris, aut apparentibus, ut ſuam complecterentur ſententiam, & ejus electio daretur executioni. Minimè ſatisfacit hoc modo tumori proprio: vellet, ut reliqui non rationibus victi, ſed reverentiâ ducti adſtipularentur arbitrio ſuo. Nequaquam rationem quærit ſuperbus auxiliatricem; venerationem expetit furibundus.

S. Laur. Juſt. de diſcipli. & perfect. monaſ. conver. c. 7. ante med.

S. Thom. à Villa no. ſer. de fœder. princip. Chriſtianor.

26. Jura naturæ proterens, paternum ſceptrum rapere temerarius audens Abſalom accerſivit Achitophel conſiliarium prudentiſſimum Davidis. Tyrannus dixit ut conſultatio fieret, quid agendum protunc foret. Deliberavit Achitophel tunc, electurum duodecim millia virorum; quibus comitatus perſequeretur, atque percuteret patrem. Diſplicere ſibi protulit ejuſmodi placitum Chuſai fidus amicus Davidis; & apud veſanum principem agens latenter munus exploratoris pro rege vero. Aliter Chuſai ſuffragatus eſt; & hujus conſilio lubenter acquievit Abſalom, deferens quod Achitophel ſuggeſſerat: ſimiliter & aliis placuit arbitrium Chuſai, derelicto placito Achitophelis. Quid iſte? Perlege Textum. *Achitophel videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque & abiit in domum ſuam & in civitatem ſuam: & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit*, &c. O ſuperbi cæcitatem nimiùm præcipitem! Quid eſt, quo tam acerbè cruciatur; non acquieviſſe Chuſai, cæteroſque deliberationi ſuæ? Reſpondeat adducens rationes prudentes, ut Chuſai, necnon & reliqui perducerentur ad amplectendum conſilium ejus. An expectare non poterat, ut ei potius (quî famâ prudentiæ ſplendebat in conſulendo) quàm dicto Chuſai præſtaretur aſſenſus per Abſalom & alios, ratione cogente; quin etiam ipſum Chuſai ceſſurum fore, ſi videret, Achitophelis placitum arridere demum Abſalomo? cur non tentat proprium arbitrium ad effectum deducere hac viâ? Quia ſuperbiebat ita, ut nollet adjutorio

2. Reg. 17. 23.

torio rationis uti pro voluntate ſua perficienda ; ſed cupiebat, ut alii ſuæ mentis propoſitum revererentur. Non credam, hunc ſuperbum ignoraſſe, quod in conſulendo æſtimaretur ipſe quaſi Deus. *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum David, & cum eſſet cum Abſalom.* Suffragio ſuo tamquam rei divinæ præſtari deſideravit obedientiam per eos qui aderant ſuffragaturi : quod cum non obtinuerit, velut in furorem actus necavit ſemetipſum. O quantùm Achitopheli ſimilantur ſuperbiâ plures ! Idolo ſui cordis hi divinos amant ab omnibus honores deferri : quia proprii cordis conceptum adorant velut idololatræ. Accomodè S. Gregorius Papa: *Nolle autem acquieſcere, idololatriæ ſceleri ſimile dicitur : quia nimirum in obedientiæ ſuæ* (forte legendum : *In inobedientiæ ſuæ*) *obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde concipit, quaſi idolum facit.* Zelans pro idolo ſuo ſuperbus, hoc eſt, pro voluntatis invento, peroptat iſtud adorari ſponte magis, quàm gratione juvante quaſi violenter præferri.

Ad. c. 16. 23.

D. Gregor. Mag. to. 2. expoſit. in c. 2. l. 1. Reg. 16. c. 15.

27. *Ingenium quoddam ſuperbi, ut conſentiatur ſibi.*

Dixi, contentiones à voluntatis propriæ dilectione promanantes habere comitem ſuperbiam. Adjiciam, ita proprium eſſe arbitrium diſcordiarum parentem, ut aliquando pugnet cum ipſamet ſuperbiâ. Cùm id contingit, elatio (quod valde mirum eſt) cedit aliqualiter propriæ voluntati. Hujus belluæ rationalis eſt adeo tyrannicum imperium, quòd neque pacem integram ſervat multoties cum adminiſtro ſuo principali, ſcilicet faſtu. Quod ut apertiùs explicem, ſupponendum eſt uti certum, dari quamdam humilitatem fictam ; quæ nihil minus eſt quàm quod apparet. S. Laurentius Juſtinianus : *Eſt quippe quædam humilitas ficta, quæ veræ omnino adverſatur. Hac quicumque utuntur, aliud in ore oſtentant, & aliud geſtant in corde.* Cum ita ſit, & caſus occurrant, in quibus decernenti ſuperbo certum quid alius nonvult integrè conſentire ; tumens aliquantùm cedit, ut alter ſaltem partim acquieſcat ei. Hic ſuperbiam aliquatenus reprimit, eligens potiùs alterius partialem conſenſum, quàm integram reſiſtentiam : diminuens quod intendebat, ne patiatur eum totaliter omnino reſiſtentem ſibi. Videbitur hoc humilitatis eſſe : falleris ; induſtria ſuperbientis eſt : ſcilicet ut nequaquam alii renitentes penitus propoſitum ſuum impediant, partem derelinquere proprii decreti, quò vendicet alterius partis conſortem.

S. Laur. Juſt. de caſt. conub. ver. & ani. c. 20. longe poſt pr.

28. Non pigeat hiſtoriam Joſephi recolere : non enim fruſtraneus erit regreſſus ad illam. Naturæ lege violatâ fumus excitavit flammam, livor nempe ſimultatem. Invidiam jure vocamus fumum : iſte magnum ignem odii cordibus filiorum Jacob accendit contra Joſeph : tandemque prorupit immaniter adverſùs eum. Deprecatus eſt illos innocens, & non flexit : nam poſtea, cùm prudenter & citra peccatum Joſephus affligeret germanos in Ægypto, *locuti ſunt ad invicem : Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus* : &c. Non mirum eſt, livorem & odium nequaquam per inviſi ſupplicationem poſſe molliri. Tautummodò non prætereundum cenſeo, quòd fratrum ſævitia fuerit aliqualiter mitigata dictis Ruben & Judæ. Ruben dixit : *Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem : ſed projicite eum in ciſternam hanc*, &c. Moti verbo Ruben haud occiderunt illum. Poſthac Judas perſuaſit mutare conſilium, ad hoc ut extractus à ciſterna venumdaretur, inquiens : *Melius eſt ut venumdetur Iſmaëlitis, & manus noſtræ non polluantur* : &c. Quis putaret, invidiam & ſimultatem ita facilè placanda verbis fore, quòd à furore ſuo quadamtenus diſcederent ? an humilitas docuit acquieſcere Judæ, necnon & Ruben ? Humiliter quidem, ſed fictè, placitum ſuum ex parte deſeruere. Superbiâ maculabantur ipſi, prout infertur ex eo quòd ægre tulerunt, illum à genitore præ cunctis filiis diligi : propterea nollent quòd, ſi reſpuerent verba Ruben atque Judæ, contrarios haberent eos totaliter voluntati ſuæ. Cupientes, ut huic partim ſe præberent ſocios Ruben atque Judas, alii minuerunt crudelitatem arbitrii ſui : commutantes primò necem in detruſionem ad ciſternam ; deinceps iſtam in venditionem iniquam. Gloſſa Ordinaria ex Euſtathio : *Tametſi Ruben, & Judas, fratris conſulerent incolumitati, alios tamen ab incepto penitus deterrere non audent, ſed agunt de commutanda injuria*, &c. Superbientis propriæ voluntatis conatus ut alii ſua comprobent decreta non facilè reprimitur omnino per alium : ſi forſan hic aliquatenus aſſenſum præbeat illi ; minùs furenter, ſed adhuc ſuperbè deliberabit : aures accommodans conſulenti : non tam quia lenit ejus inſaniam ; quam eo quòd ex aliqua parte ſocius mali ſui vel ſit, vel ſaltem videatur.

Ib. c. 37. 22.

Ib. d. n. 27.

Gloſſ. Ord. ex Euſtach. ad c. 37. Geneſ. 21.

29. *Superbus bonum conſultorem honorat aliquando, ſed honorem vertit in contemptum.*

Tam addictus eſt propriæ menti qui turget inaniter, quòd aliorum judicia ſtultus contemnat, & erronea quorumdam probet, ſi conformia ſint elationi ſuæ. Iſti, qui tumenti ſuffragantur, blandè palpantes ejus ægritudinem, ſervitutem exhibent ſuperbo : propterea quæ complectitur iſte quæ ſuggerunt illi. Cùm verò non ad palatum aliquis loquitur ei, dedignatur ab eo doceri : quapropter deſpicit arrogans aliena judicia bona. S. Ambroſius : *Negligere*, inquit, *bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel diſſolutionis eſt : quorum alterum ſuperbiæ adſcribitur, alterum negligentiæ.* Tam certum eſt, ſuperbum aſpernari laudabile conſilium, quòd etiam conſiliarios prudentes honoret, ipſemet honos per illum convertatur in opprobrium conſulentium. Admirabile quidem eſt quorumdam cæcorum pro certis operibus ingenium ; ſicut videre licet in aliquibus orbatis viſu corporis. Necnon in illis, quos vitia privarunt lumine mentis, viſitur

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 47.

huc infortunata dexteritas: artibus utuntur iſti mirandis, ut ſcelus quique ſuum nutriat. Quàm ſunt acutæ nimis induſtriæ luxurioſi, quò tegat criminis turpitudinem! qualiter induſtrioſus eſt perfidiam diligens, ut verba componat rhetoricis locutionibus; imò factis etiam figuratè loquens! qualis necnon ſolertia ſurripientium aliena (ſi pudorem non abjecerunt) ad hoc ut cùm augentur bonis, haud amittant famam! Sic & ſuperbi, quamvis alioquin fatui ſint, pro conſervatione tamen exiſtimationis propriæ (ne ſcilicet appareat cunctorum prudentiam ſpernere) induſtrii ſunt valde. Quandoque propterea prudentes conſultores afficiunt honore; ſed ita quod ſic tranſeant ad eos contemnendos: adeo ſunt in aliena deſpectione ſagaces, ut ipſum decus præſtitum ſapientibus, illorum contemptui faciant inſervire.

30. Mortuo Salomone ſapientiſſimo, ſolium aſcendit ſtultus Roboam. Quid miraris? Hereditaria bona mundi ſtabilia non ſunt: quomodo perpetuò manebunt illa, quæ non tranſmittuntur ad heredes? Jeroboam, & cunctus Iſraël novello regi ſupplicationem obtulerunt, cupientes ut minueretur illis impoſitum jugum à genitore. Diſtulit ille reſponſum, & conſuluit ſeniores. *Iniit conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre ejus cum adhuc viveret, & ait: Quod datis mihi conſilium, ut reſpondeam populo huic?* Dereliquit princeps imprudens veteranorum placita; quorum fuit una mens, obedientiam populi ſtabiliendam fore, ſi petitioni cederet, ac verba lenia loqueretur ad eos. Interrogavit adoleſcentes cum eo nutritos, quid reponere conſulerent poſtulationi plebis. Reſponderunt iſti, proponentes aſpera verba, quæ loqueretur ad Iſraël, ac denegandum quod petierant. Juvenibus acquievit Roboam. *Reſponditque rex populo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant, & locutus eſt eis ſecundum conſilium juvenum*, &c. Equidem ſic rex deſpexit cœtum ſenilem, quantum attinet ad exhibitum conſilium. S. Ambroſius: *Roboamum ſpreto ſenili conſilio de ſuggeſtione adoleſcentium reſponſum dediſſe hujuſmodi, quod & onus adjiceret ſuper patris jugum, & leviora gravioribus ſuppliciis mutaret.* Libens percontarer principem illum, quo fine conſultationem præmiſit ſenum qui non erat ſecuturus illorum ſapiens reſponſum? Si (quod non parum dubito) mens illius erat curare ne, ſi prorſus omitteret cum ætate provectis rem conferre, detraheretur ei, quòd Reipublicæ negotium non leve tantùm expediverit conſulto juvenilis ardoris judicio; primùm, ſi placet, interroget juniores, poſtea ſenes: ita nanque ſolitum eſt in graviſſimis congreſſibus: nempe cum aliquid agendum, vel omittendumne ſit, controvertitur, antiquiores poſtremo loco ſuffragari; quò non contingat, ut præeunte grandævorum authoritate, cæteri turmatim aggregentur eis velut coacti; ſed liberè depromant quod ſentiunt. Conjecturæ noſtræ præmittam, Roboam ſuperbum extitiſſe. Lira: *Reputabat enim ſe valentiorem patre ſuo: & ideo durum erat ei aliquid remittere.* Quamobrem contemnens veteranorum ſapientiam, voluit eos honorare, ut abjiceret. Condecoravit eos conſulens ipſos priùs quàm juvenes (quod illis decus negaret, ſi poſteriori loco proponeret ipſis rem) at hunc honorem vertit in dedecus: quatenus non fuit veritus, ut ii, poſt intelligerent, ſuum in materiâ propoſitâ ſenſum velut correctum fuiſſe per ætatis florē leves. Ecce quàm acriter voluntas propria ſuperbî ſuis affectibus hæret.

31. *Crimen ex mera voluntate propria commiſſum valde grave.* Hinc enaſcuntur non pauca jurgia; ſi tam contemptus, quàm deſpiciens eum; tam is, cui conſulenti ceditur, quam ille, qui fingens humilitatem cedit eidem, ſuperbi ſint. Horum cauſa malorum voluntas propria: quæ præſumptionem de ſemetipſo gignit, & confidentiam ventoſiſſimam alit. Utinam ſolius notaretur ſtultitiæ fiducia, qua ſe totum ſibi tradit inflatus, & præſumptio, qua deceptus non bene ſe metitur ipſum. Non ſolùm irridetur hoc à prudenti: ſed ut non vulgaris nequitia damnatur. S. Laurentius Juſtinianus: *Et quid nequius quàm de ſe confidere & præſumere?* Scio, non infallibile quidem eſſe, virum qui non ex propria mente ſolâ deliberat unquam, ſed operatur jugiter alio peritiori ducente, ſemper eligere quod verè congruit. Antiqui dierum, licet peritiâ multâ polleant, ſunt homines: nonnunquam vel errant in deligendo fine, vel in applicandis mediis. Nec experientiis prolixis, nec ſcientiæ perfectioni, mortaliumve prudentiæ promittitur nuſquam aberrare. Sæpe fallunter eruditiſſimi per mentientem affectum: frequenter per ſimilitudinem putatam omnimodam casûs unius ad alterum. Errantem conſultorem ſequitur aſſecla: & quantumlibet videns videntem ducat, non ſoli cæcutientes cadunt. Nihilominus conferamus ad invicem duos errores: alium ejus, qui nulli communicans propriæ mentis conſilium perperam operatur; alterum ejus, qui participem ſuæ deliberationis fecit valentem illum recta ducere; ſed exerravit: dicam, ſanè citra dubium damnabiliorem, eſſe primum. Poſterior: ille, qui, ſcilicet non ſibi ſoli fidit, excuſationem aliqualem de alterius prudentiâ mutuatur; de ſe verò præſumentem quis excuſabit? Inde naſcitur, magis execrandum crimen illorum, qui ſuo judicio fidentes erratum peregere; quàm imprudenter eligentis, & electionem ſuam alterius majoris menti communicantis; qui non eam reprobans juvit ad exitium.

32. Amnon Davidis primogenitus libidini graviſſimæ præſtitit aditum, diligens turpiter ſororem & opere conſummavit inceſtuoſam turpitudinem. Haud impunè deliquit: nam Abſalamo jubente ſuis occiſus eſt in ultionem ſceleris. *Fecerunt ergo pueri Abſalom adverſum Amnon, ſicut præceperat eis Abſalom.* Non ſine Dei tamquam

Liran. ad l. 13. Reg. c. 12. 8.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 4. de obedient. poſt princ.

Ib. n. 13 & 14.

S. Ambroſ. to. 4. l. 2. de offici. c. 18.

2. Reg. 13. 29.

quam judicis providentiâ ſic punitum fuiſſe credas libidinoſum: non enim genus eſt ordinarium ſupplicii, quod à fratre ſuo nex ipſi venerit. Attamen vindicta divina pro peccato nequaquam egreſſa fuit perſonam delinquentis; ut non ſemel accidit in gravioribus piaculis. Meminiſti, Davide peccante cùm juſſit populum numerari, vindicatum à Domino fuiſſe delictum peſte, quæ graſſata fuit in plebe. Hugo Cardin: *Et habemus hic quod propter peccatum principis punitur populus. Unde Gregorius David numerando populum peccavit: & populus punitus eſt:* &c. Quibus poſitis dubitabam, quare Dominus tot hominum clade peſtiferâ puniverit æquus Davidem; at unius Amnon occiſione graviſſimum crimen hujus, inceſtus nempe, fuerit percuſſum? Fortaſſis quia valde gravitavit rex David in peccando propter circumſtantiam quamdam; quæ non reperitur in Amnon peccante. David ex propria voluntate, judicio ſuo fidens, quin alterius uteretur conſilio, peccavit: quin etiam volenti Joab regii decreti non prudenti deliberationi contraire, David non acquievit. *Obtinuit autem ſermo regis verba Joab, & principum exercitus*: ubi Lira: *Joab enim videns regem ex elatione moveri, voluit hoc impedire: ſed non potuit. ideo ſubditur*: Obtinuit &c. Non ita ſe habuit Amnon: nam Jonadab amico ſuo viro prudenti detexit quod pectore latebat: & conſilium ejus, licet malum, amplexus eſt, ut ſcelus executioni daret. Quaſi gravius foret peccaſſe Davidem reſiſtentem Joabo, qui deſideravit quaſi bonus conſultor avertere dominum ſuum à malo; quàm deliquiſſe filium Amnon ductum à ſapientis conſilio; David mulctatus eſt multis millibus peſte necatis; Amnon verò ſola morte propriâ. Vide qualiter Altiſſimo diſpliceat voluntatis decretum contendens ducatum alterius nequaquam ſectari.

Hugo Card. in 2. Reg 24.

2. Reg. 24. 4. Lira in com. ib.

33. *Quandoque opus naſcens ab amore Dei diabolicum eſt ob propriam voluntatem.* S. Bernard. hõ. 4. ſup. Miſſ.

Utinam propriæ voluntatis errores pleni ſuperbiâ ſolummodò reperirentur in militantibus ſub mundi vexillis expoſitis vento: *ſed video* (non ego loquor, ſed veritatis propugnator libertate ſanctâ zeloque virtutis fervens D. Bernardus) *quod magis doleo: poſt ſpretam ſæculi pompam, nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere: ac ſub alis mitis humiliſque magiſtri gravius inſoleſcere*: &c. Nimis lamentabile malum eſt, ſtatum perfectionis aggreſſis reviviſcere proprium arbitrium, Deo ſponte mactatum: & eo ſuadente, quaſi mortui non fuerint, caput erigere ſuperbum. Mundani per faſtum labuntur in plurimis, at eos trahit jactantiæ de copioſis facultatibus, vel generis claritate, prurigo; legeſque mundi propellunt eos ad vana; quorum frequens eſt illa tot radix malorum, præcipiens eis ut extollentes collum ſupereminere curent cæteris; comminans, aliter ſe gerentes nihili faciendos à ſæculo ſervientibus. Hæc minime tentant illos, qui reliquerunt cuncta, ſi prudentiâ præditi ſunt: nam ex ipſis cordato nulli venit in mentem, hujus conditionis viros decorari jactando nobilitatem ſanguinis, vel opes; vel parvifaciendos, niſi turgeſcant. Igitur inexcuſabilis eſt horum inflatio. Accedit, quòd ſicut venenum ſuperinfuſum perutili cibo reddit iſtum noxium; ita propria voluntas non tantùm ad effectus omnino malos invitat; ſed etiam ſervire ſibi faciens virtutes, inficit eas. Audeo dicere: Quamvis factum, ſeu verbum habeat ortum ex amore Dei; ſi tantùm à loquente, vel operante ſuum attendatur arbitrium, diabolicum non ſemel opus hoc eſt. Nemo putet, hoſtem communem ſe nequaquam ſæpius virtuoſis actionibus ingerere. Dorotheum Abbatem audi. *Diabolus*, ait, *tunc amplius operatur. Cum enim perſtamus in voluntate noſtra, & noſmetipſos juſtitiis noſtris inſtituimus & informamus, tunc ſub prætextu hoc boni, nobis maximè inſidiamur, nec novimus quo pacto ipſi pereamus.* Neque dum actualiter diligis Deum, tibi confidas: nam dæmon aliquando ſe latenter inſinuat; & quod putas, virtuoſum, quia proficiſcitur à dilectione divinâ, dæmonicum eſt.

Doroth. Doctri. 5.

Quia diu præmeditati dolores minùs acriter vulnerant poſtea cum patiendi tempus adeſt: Redemptor, ut diſcipulorum cordibus imminueret angorem, quem paſſuri tempore ſuæ mortis erant, locutus eſt ad eos de futurâ paſſione. Petrus erga Magiſtrum charitate plurimâ fervidus reſtitit ei: ſed reprehenſus eſt à Domino: dicente: *Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi:* &c. Commentatur Paſchaſius: *Et notandum quod huic dicitur*, Vade poſt me ſatanas; *diabolo verò tantùm*, Vade; *ac ſi dicatur, in ignem æternum; quia Petrum affectus amoris, & ignorantia vicit.* Simonem peramanter locutum & neſcientem non dubito: erat enim ejus amor adhuc perfectione puellus, quantumvis fervore gigas. Magis me movet quod Paſchaſius addit: *Sed fumens hanc infidelitatis humanæ occaſionem, etſi per affectum amoris, licet à foris, Petro inſinuavit objicere Chriſto, non quo mens ejus veneno infidelitatis eſſet infecta, ſed quo inſcientia fuerat obvoluta.* Antequam Commentatoris utar dictis, recolendum eſt, alibi Petrum ex amore Salvatoris ita locutum fuiſſe, ut Evangeliſta Lucas non omiſerit ejus in loquendo neſcientiam. *Præceptor, bonum eſt nos hìc eſſe: & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ: neſciens quid diceret.* Sicut neſcienter effatum Simonem cognovimus ex Luca: ſic ex amore proximè dicta verba protuliſſe habemus ex Chryſoſtomo, dicente: *Cogitabat enim ſi non aſcenderet in Jeroſolymam, non moriturum Chriſtum, quia ibi audivit ſcribas eum agreſſuros: hæc cum dicere non auderet apertè, occultius adſtruit, dicens*: Bonum eſt nos hic eſſe, ... *Vides quanto Chriſti ardore incendebatur.* Apoſtoli mentem penetrabat Filius Dei. Cur ergo non hoc loco paritèr increpat eum tacitè renitentem ſuæ morti violentæ; ſicut alibi ſupra verbo caſtigavit eumdem? Quia Petrus in monte non penitus fidit propriæ voluntati; ſed ait: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*, &c. Paſchaſius proximè

34.

Matth. 16. 23

Paſchaſ. l. 8. in Matth. ib.

Idem ib.

Luc. 9. 33.

Chryſ. hom. 57. in Matth. longe antè med.

Matth. 17. 4. Paſch. prox. ſup. ib.

ximè datus: *Remedium*, inquit, *eſt erroris, quod benigniſſimi Magiſtri, priuſquam incipiat facere quod erroris eſt, devotè requiritur voluntas.* Atverò cùm expreſſe conatus eſt obſtare paſſioni Præceptoris, propriâ voluntate confiſus verba protulit; non ſe deliberationi Salvatoris noſtri ſubmittens. D. Anſelmus Chriſti Servatoris nomine loquens ad Simonem: *Tu autem tantùm conſiderans tuam voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, ut multum fructum afferat.* Hîc ergo cum Apoſtolus non addidit: *Si vis*, quamvis ex dilectione verba prompſerit; cum ſoli nixus fuerit placito ſuo, miſcuit, ſe dæmon, ita ut Paſchaſius exiſtimaverit, à diabolo fuiſſe quòd Petrus objecit inſinuatum. O propriæ voluntatis aleam virtutibus imminentem! quaſi parum foret vitiis præeſſe, laudabilia maculas.

S. Anſel. cō. in Matth. c. 16.

DELIBATIO III.

Deus impugnatur cùm afficitur injuriâ humilis. Sapientis cum ſtulto contentio terribilis. Diſcordiis opera ceſſant. Amici jactura quanta. Diſſenſionum præcipitium.

35. *Impugnator ejus, qui præ humilitate ſe non tuetur, potiùs Deum impugnat, quàm hominem.*

INter &c. Agit in præſenti Sapiens de contentionibus inter elatos: atque tacet diſcordias; quibus pro libito ſuperbus inſurgit frequentiſſimè contra ſubmiſſos corde, pariterque modeſtiam ſectantes in externis. Plurimi ſunt adverſus agnos leones ferociſſimi: qui cum tigre, ſcilicet altero ſuperbo timebunt aliquando rixari, ne contingat eis ad exitum non perducere propoſita ſua. Cur omittit hoc loco Parœmiaſtes diſſidia ſuperborum adverſùs humiles? Forſan quia nullus in hujuſmodi pugna ſauciatur: *humilem enim contumelia non mordet, & contemptorem mundanæ gloriæ vituperatio non offendit.* Sic D. Cyrillus Alexand. Humilitas ita virum perfectum extollit, ut illum conſtituat extra teli jactum, quamvis valido nimis excuſſi lacerto. Accedit inſuper ad hoc ut jacula fruſtrentur, ſuperbum ſpicula jacere deorſum in humilem, quaſi terrâ jacentem; iſtius autem animus penè cœlis inhabitat: quomodo lædetur miſſili? Prorſus eluditur conamen adverſarii. Quinimo, ſi non ſe tuetur humilis impugnatus à ſuperbis; hi non cum ipſo degladiantur, ſed potiùs cum Deo certant. Suſcipit Altiſſimus verè demiſſi defenſionem, non utcumque, ſed quaſi cauſam propriam. Solet Omnipotens adeſſe præſentiſſimus, ubi creaturarum deſiderantur auxilia: propterea peculiariter deſcendit in adjutorium verâ pollentis humilitate. Spes atque timor homines advocant, ut ſocientur aliis: non quærent eum, à quo nihil expectant boni, vel mali. Solent humiles haberi tamquam inutiles: ideo ſpes non attendit eos. Ipſi nullis inſultant: unde nec timor cogit alios, ut eorum benevolentiam ſollicitent. Cumque poſiti ſint eapropter in ſolitudine, Dominus illorum cauſas appropriat ſibi. Quamobrem qui rixatur contra humiles, præliatur cum Deo, ſi non ſe tueantur ipſi. Sibi quodammodo nocet humilitate præditus, impugnatoribus reſiſtens: nam à propria defenſione cùm ſuperſedet, illam rejicit in Deum: qui ejus vicem ſubire non dedignatur; & non tam lædítur homo non ſe defendens, quàm Dominus illum protegens.

S Cyril. Alex. l. 10. in Joan. c. 28.

Ingrata plebs Hebræa murmuravit in deſerto Sin, flagrans deſiderio ſaturitatis, quam experiebantur in Ægypto; quaſi libertas bene compenſaretur cibo, vel abbreviata foret manus Domini cuncta potentis, ut non eos paſceret in viâ. Nec verbum protulere contra Deum; ſed *murmuravit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen & Aaron in ſolitudine.* Nihilominus Moyſes dixit ad eos: *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & manè panes in ſaturitate: eò quòd audierit murmurationes veſtras quibus murmurati eſtis contra eum: nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Antequam progrediamur, adverte quantam exprimant humilitatem illa verba: *Nos enim quid ſumus?* Ad ſimilia, quæ leguntur numero præcedenti, Lira: *Q. d. Sumus tantum ſervi ejus denuntiantes vobis ejus voluntatem* &c. Siſte gradum, quandiu Dei verba de libro Job ad Eliphaz adduco. *Iratus*, inquit, *Eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum*, &c. Poſſet utique Dominus cauſam Jobi tuitus dicere potiùs: Quoniam locuti fuiſtis contra me, cùm Job mihi dilectum verbis cruciati fuiſtis. Amicus erat uterque Domini; Moyſes, inquam, & Jobus. Unus & alter verbis eſt impugnatus. Quo myſterio non dicitur, quemquam ex amicis Jobi locutum fuiſſe contra Dominum? & Iſraëlitas adverſùs Deum murmuraſſe profertur, cum ſermonem fecerunt contra Moyſen? Fallor, niſi diſparitas hæc orta fuit ex eo quòd Job defenderit ſemetipſum; Moyſes verò minimè. Valeret utique reponere murmurantibus, humilitate ſervatâ. Pœnitet vos exiſſe de ſervitute Pharaonis? Ego ſanè juſſa Dei complevi: necnon vos beneficio devinxi non vulgari: quid me linguâ percutitis? Non ita ſe tueri curavit: unde patientis humiliter impugnatores, abſque defenſione propria, procax injuria tam ſpecialiter extitit adverſùs Deum, quaſi non fuiſſet contra Moyſen. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Meritò Salomon in hac parabola non intulit mentionem de jurgiis; quibus feriuntur humiles à ſuperbis: tantùm agit de illis quæ ſunt inter eos: nam, cùm plures animo ſubmiſſi non ſe tutentur ab amaris verbis, quibus impetuntur à ſuperbo; ferè non adverſùs eos jurgium eſt; ſed contra Deum.

36. Exod. 16. 2. Ib. n. 8. Lira ib. ad n. 7. Job. 42. 7.

Superbos. Multa ſunt genera ſuperborum, quos omnes Eccleſiaſtes hac voce notat. Nam quantumvis inflentur; ſi loquamur ſermone morali, tam puſilli corde ſunt, ut valeant unico verbo claudi.

37.

di. Alius ita ſuperbit præ ſplendore nativitatis, quaſi compactus fuiſſet ex materia cœleſti: de facultatibus intumeſcit alter, ac ſi cùm arca repletur, augeretur homo: nonnulli potentiâ tument, ceu honor mutans mores, commutaret viri ſubſtantiam. Sed frequentiùs jurgiorum multitudo reperitur in eis, qui de judicii vivacitate ſunt evanidè præſumentes. Hos depingit aptè Juſtinianus. *Præſumptuoſus enim*, ait, *in congregatione primus præſidere deſiderat, in conſiliis primus reſpondet, non vocatus accedit, non juſſus ſe intromittit, reordinat ordinata, reficit facta: quicquid ipſe non fecit, aut non ordinavit, nec rectè factum, nec pulchrè exiſtimat ordinatum, judicat judicantes*, &c. Quò nobilior eſt pars læſa, major eſt, cæteris partibus, ægritudo. Nobiliſſima facultas hominis (quidquid alii ſentiant) intellectus eſt. Hic infirmatur graviter in æſtimante nimiùm ſe de mentis præſtantiâ: morbus iſtius vix tolerabilis eſt. Non hoc reſpectu morboſi dico, ſed medentis. Accedit, infirmitatem iſtam ſuperbi non eſſe qualemcumque; ſed inſaniam ut putet ex Chryſoſtomo, dicente: *Nihil enim ſuperbo homine inſanius*, &c. Cum amentes vel ſecum tantùm loquuntur, vel ſolum de illis agunt, quæ ad ipſos pertinent, homo ſanæ mentis non ipſos execratur quaſi terribiles: cùm verò demens aliquis ingerit ſe continuè functionibus præditorum pleno rationis uſu, vix eſt qui non abominetur eum. Ita ſe frequenter habet ſuperbiens de præſtantiâ mentis: importunè judicium ſuum in omnibus præferendum inculcat, & cunctis muneribus prudentum ſeſe offert ut majorem. Ferè ſapientibus intolerabilis res eſt: contendens cum ſapiente ſuperbè ſtultus illi multum negotii tribuit: requieſcere non ſinet prudentem.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 4. de obed. poſt princ.

Chryſoſt. to. 3. hom. 15. in Joann.

38. Salomonem conſulamus, ut proximè dicta confirmet, ac ſibi conſonet. *Vir ſapiens*, inquit ille, *ſi cum ſtulto contenderit, ſive iraſcatur, ſive rideat, non inveniet requiem*, Gandavenſis Epiſcopus ibi: *Non inveniet requiem, id eſt, non facile ab illo liberabitur, non facile illi ſatisfaciet, ut ab illius impetitione ſit habiturus quietem. Proverbium docet ſtultum & improbum eſſe implacabilem & incorrigibilem.* Non dimittet expendere dictum ſapientiſſimi Regis quiſquis attenderit quanta reliquis difficillima ſapiens abſque multâ ſuperet operâ. Subigit iſte fortunæ vices: nec paupertatis dolori cedens, neque divitiarum illecebris captus: Potentum vincit furorem: diſcriminum victor evadit: ardua negotia ſolertiſſimus expedit. Qui tot aliis terribilia ſternit, quomodo certante ſtulto cum ipſo, quietem non conſequetur? Proclivis eſt dubii ſolutio. Stultitiâ vilis, audens contendere cum ſapiente, ſuperbus eſt: & vel ſemper, vel ut plurimùm de intellectûs acumine vanus effertur; audet enim vincere peritum, quem ſapientia munit. Cum iſto (quaſi cum inſano, tam extraordinariè mente capto, quòd nullâ velit induſtriâ placari) neſcibit ſapiens qualiter agendum ſit. Si dicta, vel facta contemnit illius, campum relinquit apertum, ac liberum quò magis furiat: ſi verò ſatagit eum verbis compeſcere, ſurdo canit. Difficillimum initur prælium ſapientis cum ſuperbiente de judicio proprio: minus atrox bellum fit, cum debacchantur diſſenſiones *inter ſuperbos.*

Prover. 29. 9.

Janſen. com in Prover. ib.

Semper. Perpetuonè contentionibus iſti vacant? Mehercle plures invenimus ita pacis oſores, ut niſi quotidiana bella moveant ultrò, dicturi ſint quaſi dolentes quòd lucem unam tranſierint pacificè: Diem perdidi. Laborioſum diligunt vivendi modum ſine lucro potiſſimùm: operoſam agunt vitam jugiter; & ſæpe lites iſtæ ſunt in cauſa, quod nihil operis perficiant. S. Antiochus: *Quicquid*, inquit, *iſti tandem rei vel operis aggrediuntur, nunquam id per litem & contentionem ad exitum uſque promovent & abſolvunt.* Ad metam perducuntur animi propoſita per prudentiam eligentem paccatè media pro fine conſequendo: necnon per patientiam, cui tempus opitulatur. Et fit, ut cunctando pervenias qui celeritate multâ ſerò venires. Inſuper aliquando congruit adjutorium alienum requirere: nec enim ſuppetunt cunctis vires ad univerſa. His omnibus carent contentioſi. Prudentiâ deſtituti ſunt ita ſponte, quòd eam appellent vecordiam: patientiam dedignantur, putantes illam eſſæminatorum ignaviam: aliorum auxilia deſpiciunt propriâ fortitudine fiſi. Provenit hinc ut cœpta frequenter non perficiant qui diſcordant. Notum eſt quàm præpotens ad magna ſit plurium concors unio. Meditare cohærentiam cœleſtium cum ſublunaribus: in mixris attende ſocietatem partium, quamvis à ſatis diſſidentibus elementis deſumptæ ſint: & inde perſpicies quantùm valeat hominum concordia deducendis intentionibus ad coronidem. Ordinariè contingit inſurgente litigio non abſolvi cœptum opus, atque dimitti: nihil mirabile, ſi per diſſidentes non conſummetur quod intendebant.

39. Diſcordia ceſſabit opus.

5 Antioch. hom. 56.

Erat orbis uno tantùm idiomate loquens. O felicem ætatem! utinam reſtauraretur ſæculo noſtro felicitas hæc: vitarentur incommoda, quæ naſcuntur ex eo quòd eligat unuſquiſque ſibi loquelam. Hinc mendacia nociva, fama fallax, & alia mille: vix unicus intellectus, quo potimur ſufficit ad illam varietatem congruè percipiendam. Superbia quondam ita ridiculè dementavit homines, quòd ex lateribus & bitumine voluerint ædificare civitatem atque turrim ſic prælatam, ut ejus culmen cœlum tangeret: cupientes hoc medio celebre nomen. O quam nimis erant illi terrenis addicti, qui cœlum tangere conabantur! Altiſſimus, quò ſuperbiſſima ceſſaret ædificatio, diviſit eos in idiomata varia: factum eſt, ſingulos nec intelligere, neque loqui potuiſſe linguis aliorum. *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diviſit eos Dominus*

40.

Geneſ. 11. 7. 8.

ex

ex illo loco in univerſas terras: & ceſſaverunt ædificare civitatem. Ut quid iſta linguarum partitio? Videbatur opportunius ad hoc ut ab opere vano deſiſterent, quòd permitteret providentia Dei, temerarios ædificatores inter ſe litigare propter aliquod ſuperveniens motivum; & adeo perdurare diſſenſionem, ut prorſus omitterent opus, non ſibi mutuò conſentientes. Quare non ita factum eſt; ſed linguarum diviſione cælitus curata fuit ceſſatio? Reſpondeo. Deus intendebat notum facere cuilibet non penitus inſipienti, ſuperbiſſimum artefactum per ultionem Omnipotentis impeditum fuiſſe, non autem naturali modo. Mirabilem ſeparationem idiomatum ſolus Dominus efficere valebat. Rupertus adeſt. *Hoc*, inquit ille, *tam mirandæ vindictæ incommodum, quo maximè homines à ſemetipſis dividuntur, ſolus facere potuit Deus.* Proinde vix ullus inveniretur, qui non Altiſſimo tribueret nequaquam ad exitum perveniſſe veſanum conamen. Si verò per ſuboriens litigium dimitteretur ædificantium labor, & hoc pacto non conſummaretur ædificium; plures non putarent, hoc Dei brachio reſiſtente manſiſſe nequaquam perfectum: ſed ipſi dicerent, idcirco minimè fuiſſe tantum opus abſolutum, quia certaverunt artifices adinvicem, & per jurgium ſeparati ſunt: Eſt quippe res quotidiana, diſcordiis effici paſſim ut nihil fiat; ſolutâque juvante vires concordiâ conatus non abſolvatur. Propterea ſuperbi manum frequenter ſuis operibus non imponunt ultimam, quoniam ſurgunt inter eos diſſidia *ſemper*.

Rupert. l. 4. in Gen. c. 42.

41. *Dolendum plus eſt de amici jacturâ, quàm novum hoſtem inſurgere.* Tulli. l. 4. de Rep.

Jurgia. Notat rhetorum perantiquus Magiſter, cum certant mutuò ſe habentes odio diſſenſionem appellari litem; ſi verò contingat hæc inter amicos, dici jurgium, *Benevolorum concertatio, non lis, ſed jurgium; inimicorum, lis dicitur.* Imperfectiones plurimæ dehoneſtant amicitiæ venerabile nomen: ideo vix una datur, cui valeat definitio per philoſophos aſſignata congruenter aptari. Superſedeo nunc à cæteris numerandis defectibus hujus, quæ vulgò vocatur amicitia, cum ſit potius merus convictus & colloquium. Notabo tantùm quod è re noſtrâ magis eſt: nempe, jurgari ſolere multoties eos, qui benevolentiam ſervant ad invicem. Iſtiuſmodi ſcandalorum radix eſt electio non prudens amici, vel feſtinanter nimis, vel ſine conſideratione ſufficienti facta. Numerantur amici cum bonis fortunæ: ſed non admittendi quaſi purè ſorte contingentes: illos elige maturè penſatis qualitatibus perſonarum. Hinc defectu certarum conditionum pluribus denegandum eſt amici vocabulum, ne ſit titulus re vacuus. S. Aelredus: *Hujuſmodi ad amicitiam non facilè eligendi ſunt; ſed ſi aliàs eorum vita moreſque placuerint, agendum cum eis ſummopere eſt, ut ſanati ad amicitiam habeantur idonei: videlicet iracundi, inſtabiles, ſuſpicioſi, verboſi.* Quia nequaquam examine præmiſſo, potius accipiuntur, quàm eliguntur amici, fit eorum frequens jactura, non parum mœroris afferens. Et quidem, ſi verus amicus tibi contigit ſorte; cùm deperdis illum, amiſiſti gemmam pretioſiſſimam: tum quia neceſſitati perutilem; tum quia raram: doles ergo meritò. Fateor eſſe doloris motivum, quòd hoſtem acquiſiveris, quem non læſiſti: magis tamen indolendum perdidiſſe quem diligebas. Cum amici veri rariſſimi ſint, unius jactura lacrymabilis eſt prudenti: inimicum autem ampliùs aliquem numerare, cum plures agnoſcas, minus quid eſt.

S. Aelred. l. 3. de amicit. longe poſt princ.

Velut hereditaria, ſucceſſione Saülis filius Iſboſeth inimicitiam cum Davide gerebat. Frequentiùs parentis vitii reperiuntur heredes, quàm paternæ ſubſtantiæ. Regebat Abner domum Iſboſeth: inter quem & illum diſſenſione factâ, ſe contulit Abner ad partes Davidis; non tantùm ſpondens obſequium, ſed offerens amicitiam: miſit quippe nuntios ad ipſum, dicentes: *Fac mecum amicitias*, &c. Annuit Rex, inquiens: *Optimè: ego faciam tecum amicitias*: &c. Denique venit ad conſpectum Davidis: qui convivio generoſus excepit eum: & iſte diſceſſit, ut, ſicut promiſerat, negotium Regis ageret. Diſplicuit benevolentia Joabo: reduxit eum, neſciente Davide; doloque percutiens interfecit, ulciſcens necem proprii fratris. Cum audiſſet rem geſtam David, maledixit Joab. *Veniat ſuper caput Joab, & ſuper omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane.* Prudentiam Davidis hoc loco requiro. Non metuit, offenſum ejuſmodi maledictis Joabum, bellatorem non vulgarem, fortaſſis transfugiturum ad Iſboſeth? Taliter ab eo timore fortiſſimus Rex abfuit, ut in faciem Joabi verbis inſinuaverit, perperam feciſſe necantem Abner; quatenus ad Joab, & præſentem populum protulit iſta: *Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* Liranus ibi: Dixit autem, *in hoc oſtendens quod malè fecerat.* Ita prudens, ut curaret per hæc nullum ſuſpicari, ſe conſentiente necatum Abner; non etiam prudenti diſſimulatione tacet quæ Joabo non placerent, ne ſe conferat iſte regalium verborum impatiens ad Iſboſeth adverſarium? Sciebat præponderare jacturam fidelis amici dolori, quem conciperet, ſi Joab eapropter inimicus Davidis fieret. Magis voluit amicitiâ juncti detrimentum ſibi factum palam dolere; quàm præcavere periculum, ne contra ſe novus hoſtis inſurgeret, cum tot enumeraret. Bonum vix æquiparabile perdidit amittens dilectum, ſimulque diligentem; quod accidit multoties per *jurgia*.

42. 1. Reg. 3. 12. 13. Ib. n. 29. Ibid. n. 31. Lira ib.

Sunt. De jurgiis ita clauditur hæc ſententiæ pars; quin mentio fiat ulla de jurgiorum effectibus. Non equidem iſta parum terribiles progignunt: nam inde prorumpitur in bonorum proximi direptionem, honoris offenſas, imo pervenitur ad necem. Hæc omnia ſiluit Paræmiaſtes:

43. *Diſcordia præcipitium eſt.*

nec

nec defectuoſus manſit per omiſſionem ſermo Sapientis. Præſcindamus à malis fructibus jurgiorum : ipſa diſcordia multum abominabilis eſt, & homini curanti de ſalute ſpirituali ſollicitè vitanda : nam velut à corpore Chriſti myſtico projicitur immitis diſſenſionis amator. Filius Dei rex pacificus eſt : non bene conveniunt ejus corpori bellantia membra. S. Baſilium accipe. *Apud quos verò*, inquit, *non concordia, non vinculum pacis, non in ſpiritu lenitas conſervatur : contraque diſſidium, æmulatio, obtrectatioque inveniuntur : hos Chriſti membra appellare, & ab eo dicere gubernari, magnæ enimverò audaciæ fuerit* : &c. Etſi non obtrectentur, nec æmulentur jurgantes, poſſunt inſinuatâ ratione compeſci : nam & iſti pacis nexum diſſolvunt ; quamobrem à compagine membrorum Principis pacis alieni ſunt quadamtenus. Quis non horrebit Chriſtianus à corpore Chriſti proſcindi ; quod evenit relinquentibus veram fidem ? Qui res ad animam ſpectantes perpendunt, leviter exiſtimant, contemnendum eſſe litigium cum proximis, præſertim cùm diſſident ad contentioſè tuendum judicium proprium ; quandiu non eis propterea contingit nocumentum aliquod in fortunis, vel ſimile. Decipiuntur equidem. Ponamus, homini detrimentum à Domino venire nullum ; ſed permitti contentionibus litigare circa placiti ſui præferentiam : ſatis hoc pacto præcipitatur à Deo : grave præcipitium eſt hæc ipſa jurgatio.

S. Baſil. Mag. l. de mor. ſub tit. de judic. Dei. longe poſt princ.

44. Expectans auxilium ab Omnipotentis manu David recurrit ad orationem tamquam ad tutiſſimam fideliter mediatricem, cujus interventu conſequitur homo deſiderata. Cupiens ut hoſtium ſuorum conſilia divinitus impedirentur, ait : *Præcipita Domine, divide linguas eorum* : &c. Hæc poſtulatio Davidica non videbitur bene ſibi cohærere verbis : nam illud, *Præcipita*, valet idem ac ſi diceret : detrude in profundum (ſicut patebit ex mox dicendis) at ſequentia, ſcilicet *Divide linguas eorum*, ſonant multò minus : nam ſi æſtimetur res conſpectu primo, quid eſt linguarum diviſio, ut comparetur præcipitationi profundæ ? Solvo dubium. Tantum abeſt à Pſalmiſtæ dictis improportio, quòd ipſa labiorum diviſio ſit modus præcipitationis haud mediocris. Quod ut perſpicias, lege Bellarminum ad eum locum. Præcipita, *inquit*, Domine, *id eſt, præcipita in profundum inimicos meos : hoc enim ſignificat vox Hebræa & Græca. Unde legit Auguſtinus* : Demerge eos : *deinde addit modum, quo velit illos præcipitari in exitium* : Divide, *inquit*, linguas eorum, *id eſt, fac ut qui contra me conſpirarunt, non conveniant in conſiliis ; ſed unus hoc, alius aliud judicet & loquatur* : &c. Poterat Pſaltes regius loco diviſionis linguarum poſtulare modum præcipitationis alium ; qui vel nobis hæc legentibus terrorem incuteret. Quid magnum eſt in conſiliis non convenire ; ſed alium judicare ſic, & loqui ſimiliter ; alterum verò non ita, ſed aliter ? Non exiſtimes leve quod vulnerat charitatem ; quæ dicitur anima virtutum. S. Cæſarius Arelat. *Quia quomodo caro*, inquit, *ſine anima vivere non poteſt : ſic reliquæ virtutes ſine charitate figuram habere non poſſunt.* Omiſſis jurgiorum effectibus non parvî faciendis, ipſa diſcordia ruinæ genus eſt. Non credas, locutum fuiſſe diminutè Salomonem, cum hîc tacens contentionum terribiles partus, dixit ſolummodò : *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt* : &c.

Pſal. 54. 10.

Bellarm. ib.

S. Cæſar. Epiſc. Arelat. hom. 36. juxta fi.

DELIBATIO IV.

Humilitas honor. Exitus attende rerum. De malo amico. Erratur aliquando per conſilia plurium. De conſilio regi præſtando.

45. *Eò nomine, quo declarantur humiles, extolluntur.*

Qui autem. De humilibus nunc effatur ſapiens, utens relativo, *Qui* loco maximi tituli, quo poſſet illos exaltare ; ſicut econtrariò tumentes dedecoravit vili nomine, *Superbos*. Niſi author hujus libri foret Spiritus ſanctus, non miraret, de humilibus agi ſuppreſſo vocabulo venerabili ; cum apud homines iſti nominari cenſeantur indigni, quaſi nihil omnìo ſint. Secundam partem hujuſce dogmatis procedere de præditis animi ſubmiſſione virtuosâ non dubitas ; cum alterius judicio ſe jugiter ſubmittentes à mentis elatione longe ſint ; modeſteque ſentiant de ſemetipſis. D. Antiochus : *Conſilium enim à quopiam corrogare & expetere ; planè argumentum eſt hominum, qui ſuperbiam oderint, & de ſe modeſtè cenſeant* ; &c. Eſto quòd Salomon honorare nollet aliquâ nomenclaturâ nimis decorosâ ſe demittentes corde, ne rem ageret ipſis ingratam, quibus præ ſpontaneâ ſubmiſſione diſplicet gloria ſua, ſaltem ſic loquatur ; Humiles autem, qui peragunt ex alieno conſilio cuncta &c. Non ita loquitur : quia multum extolleret hîc eoſdem, ſi donaret eos humilitatis nomine. Juſtis humilitas gloria veraciter eſt ; ſicut humiliationis, vel humilitatis occaſiones, inter laudanda congruit numerari. Satis opportunè S. Aſterius Epiſcop : *Obſcuram parentum vitam, artes mechanicas, paupertatis denique appellatum probrum ; hæc utique inter laudandum commemorabimus. Nam juxta Evangelium noſtrum, Chriſtiani humilitate gloriam habent.* Ne putes eam ſolùm exaltationem annexam eſſe humilitati, quæ præparatur in ejus præmium ; necnon priuſquam remuneretur, ipſamet humilitas honor eſt ſe deprimentis : eodem nomine, quo declarantur humiles, plurimùm extolluntur.

S. Antioch. hom. 83. poſt princ.

S. Aſter. Epiſc. ſer. de SS. Petr. & Paul.

46. Poſtquam vel Propheta regius, vel Deus ipſe, judices de acceptione perſonarum, injuſtitia & ignorantia reprehendit, inſinuavit poſtmodum quàm indigna ſint hæc vitia honore, quo Deus illos conſtituit. *Ego dixi : Dii eſtis*, &c. Sed Hieronymus videtur hoc extendere ad cunctos, qui filii Dei per gratiam ſunt : ait enim : *Quod dii ſumus, non eſt naturæ ſed*

Pſal. 81. 6.

S. Hier. to. 8. cō. in Pſ. 16.

gratiæ. Quotqu otenim eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Propterea feci hominem, ut de hominibus dii fiant. Honorabiliter valde ſermo fit hoc loco de juſtis. Cum iſtum dicendi modum ſollicitus meditarer, occurrit menti, qualiter in poſtremo judicio ſit locuturus Judex æquiſſimus, de quibuſdam ſpectantibus ad cœtum filiorum Dei. Loquens ad bonos dicet: *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Iſtos, quos minimos appellabit, pertinere ſcis ad numerum prædeſtinatorum; cum ſit vocaturus eos Dominus fratres, D. Thomas: *Et dicit*: Fratribus: *quia fratres ſunt qui Dei faciunt voluntatem.* Conferamus nunc utrumque Scripturæ locum. Hîc illi dicuntur vocandi minimi voce Chriſti Redemptoris? & ex eo quod legitur apud Pſalmiſtam appellatio deorum convenit eiſdem? Crede, non deprimendos cùm eos dixerit minimos: imo glorioſè prædicabuntur hoc titulo; nominabuntur enim propterea minimi, quia ſunt humiles. Idem Aquinas: *Item minimi propter humilitatem.* An expectabas, clariori nomenclaturâ donandos bonos iſtos in die judicii præcitatis verbis? Glorioſum præconium humilitas ipſa quidem eſt. Ideo quamvis in præſenti Salomon eloquatur de ſpontaneè ſubmiſſis; non legimus in Vulgata, vocatos expreſsè hoc nomine, *Humiles*, quia diſpliceret eiſdem ita per Salomonem glorificari vocabulo tam inclyto; ſed illo tacito, legitur: *Qui autem.*

Matth. 25. 40.

S. Thom. com. in Matth. ib.

Idem ib.

47. *Prudens magis attendit exitum rei, quàm initiũ.*

Agunt. Notandum, prudentum eſſe non conſilium capere tantùm poſtquam decreverunt aliquid operari, quin adhuc appoſuerint media pro conſequendo fine. Nequaquam pro ſolis mediis eligendis adhibenda conſultatio, ne forſan apponantur incongrua. Quin adjiciendum eſt, oportere judicium alienum conſulere priùs, ut approbetur finis & intendatur; non poſtea quàm jam propoſueras illum quærere; ſed antequam de hoc ipſo deliberes. Aliter fortaſſis continget ut illecebrâ dilectionis propriæ fallente, licet conſultor moneat intentum à te ſcopum nocivum extare, non retrocedas obediens monito; ſed pergas tibi placens in deliberatione tuâ præcedente. Inſuper advertendum, audito libenter alieno ſapienti judicio, tum de bonitate finis, tum de mediorum efficacia, nequaquam hærendum per inertiam; ſed manus admovendas operi non tantùm incipiendo; ſed conſummando. Haud modicum eſt incepiſſe; tamen erit inutile ſi deſiſtas imprudenter. S. Petrus Damianus: *Cæterum*, ait, *quid prodeſt, ſi rectè quis quodlibet opus incipiat, niſi recto illud fine concludat?* Rerum exitus præcipuè ſunt curæ ſenſatis. Operis initium non eos reddit adeo ſollicitos: fortunatus exitus primas obtinet in mente prudentiâ pollentis.

S. Petr. Damia. l. 4 ep. 16. in princ.

48. E mortuo Davide confirmatum erat in Manu Salomonis regnum: non tamen omiſit à Domino poſtulare quod opportunum judicavit ad rectum populi Dei regimen. Ex verbis, quæ præmiſit, ut petitionem ſuam Domino proponendam ſtabiliret, eligo ruminanda quæ ſequuntur: *Ego autem ſum puer parvulus & ignorans egreſſum & introitum meum.* Exponit Sanctius: *Quæ enim experientia in illo, judiciique maturitas, qui parvulus eſt, neque in rebus quibuſcumque aliquid habet definitum, & certum, quod ſequatur? id enim valet egreſſum ſuum, & introitum ignorare.* In quolibet negotio præcedit initium ejuſdem exitum: quare Salomon ordine hoc inverſo priùs egreſſum ait, quàm introitum? *Ignorans egreſſum & introitum meum.* Quia citiùs mentionem facere ſolemus ejus rei, quam principalius attendimus. Ignorare ſe fatebatur Salomon, præ defectu ætatis introitum, & egreſſum negotiorum; quæ fuerat expediturus pro regio munere: ſed erat ſollicitior de rerum peragendarum cõſummatione, quàm de ſumendis prudenter initiis. Propterea ſeriem commutavit, nequaquam priori loco de principiis agendorum tractans: exitus curabat præſertim. Providæ mentis eſt, in quolibet facto præcipuè ſatagere de fine: qui non ſolum acta probat; ſed non vana fuiſſe teſtatur. Sapientes igitur non tantùm examinant ſub alieno conſilio bonitates finium: non ſolas diſcernunt congruentias mediorum: non denique ſolummodò perducunt iſta velut ad iter dimidium, ſed eodem præcedente ductu perficientes rem, totum opus *agunt.*

3. Reg. 3. 7.

Sancti. in com. ib. n. 33.

49. *Malus amicus conſulet ad peccandũ, quin poſtulet poſtea non inſtruet, ut vites diſcrimen ortum à ſcelere.*

Omnia. Ne tibi veniat in mentem, hôc tam univerſali verbo comprehendi mala. Superfluum foret, prudentem ab alio flagitare conſilium, ut malè operetur: imo ſat imprudenter poſtularetur illud ad flagitium. Supervacuum, inquam, id foret, quia multos inveniet hortatores ad ſcelus, quin ab eo conſulantur. Imprudenter autem operaturum dixi virum quærentem alterius conſilium pro crimine perficiendo: nam ſi credit, reſtiturum deſideriis, ut quid interrogat eumdem? Si vero confidit aſſignaturum fore media pro delicto complendo; conſulit hoſtem quod inſipientis eſt. Adverſarium dixi: quia verus amor diſcretus eſt: & hic amat perſonam; & inſequitur ejus vitium. S. Laurentius Juſtinianus: *Amor diſcretus talis eſſe debet quod perſonas amet, & vitia perſequatur.* O quàm paſſim reperiuntur conſultores ad peccatum ſub amicitiæ colore! Diabolicam nequitiam frequenter excedunt iſti: nam dæmon incitans ad malum non ſolet utplurimùm venditare ſe peccatoris amicum: homo verò ſub amicitiæ pulchro nomine venenum propinat perfidus adverſarius. Satan, cùm proponit peccaturo ſuggeſtiones iniquas reddens facilem viam, ut malefactum detur executioni, minimè poſtulat à peccante gratitudinem hujus auxilii, familiaris autem juvans & inſtruens ad propoſiti damnabilis executionem (felicem dicam potiùs, an infelicem?) exigit ab eo, cui præbuit adjutorium, quod gratus ei ſit, quaſi multo beneficio proſecutus fuerit eum, quem propulit ad profundum. Præcipuè notatu dignum eſt, eum, qui

S Laur. Juſt. in lig. vitæ c. 7. de charit. poſt princ.

tibi vituperabile consilium præstitit ad exequendum crimen, quin postulaveris; postea, cùm subes futuro damno, quod proveniet à delicto, non te docebit qua ratione possis evadere. Debuerat hic falsus amicus expositum prædicto discrimini consulendo juvare, quò fieret incolumis; hoc munus amicitiæ prorsus omittit: at quin rogaretur docuit media libenter ut peccares.

50. Pulchritudinem Thamaris comes infelicitas deduxit ad violentiam stupri, quod ab Amnone fratre passa fuit. Ante flagitium difficultas rei torquebat eum scientem, quòd cum esset virgo, difficile quippiam inhonestè ageret cum eâ. Erat amicus Amnoni Jonadab, &, quod in ruinam conduxit multùm, prudens valde. Non ei detexerat improbum amorem, quamvis ob istum ægrotaret. Interrogavit illum Jonadab, cur sic attenuaretur macie, non indicans illi causam? Ipsi tunc Amnon aperuit amorem, quo
2. Reg 13. 5. cæcus æstuabat. *Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: Cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum*, &c. Audisti pessimum consilium datum luxurioso; quin ille petiisset? Scis, Absalomum ægerrimè tulisse sororis oppressionem; cum propter hanc occidi fecerit lascivum. An Jonadab penitus ignoravit periculum, quod à germano Absalom imminebat Amnoni propter incestum? Non credam: nam post Amnonis interitum, cum David putaret, Absalom interfecisse suos fratres omnes, dixit
Ib. n. 32. ad regem Jonadab: *Ne æstimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppessit Thamar sororem ejus.* Sciebat igitur, Amnonem haud immunem à discrimine. Non legimus, hunc ab illo monitum fuisse de cavendo periculo. Amnonis amicus erat, & prudens; & non consulit eidem, quò sibi consuleret, ut in tuto se collocaret? Cum verò libidinosus amor dementabat ipsum, consilium præbet ad præcipitium non interrogatus. His est mos eorum, quos perditi computant amicos: juvant eos ad patranda crimina: de mediis instruunt, quin rogentur. At cùm vitandum est malum, quod per flagitium subibunt; nec unico verbo præbent adjutorium. Dictis favet forsan ex Theodoreto Glossa ordinaria. *Itaque sapiens hîc non*
Glossa Ord. ib. ad n. 3. ex Theodore q. 29. *vocavit Scriptura consilium Jonadab, sed illius ingenium, ut quod esset aptum ad perspiciendum, quid esset agendum: sed non est usus ingenio ad id quod oportebat*: &c. Supervacuum itaque foret, semel quòd offertur ab aliis consilium, quin petatur; consulere quemquam pro nequitiâ exequendâ. Sed, hôc omisso, longè absumus à sentiendo, peccata comprehendi sententiâ Salomonis, voce *Omnia*.

51. *Aliquando finis rectus attingitur sine consilio;* *Cum consilio.* Si non grammaticam attendat lector, sed Paræmiastæ sensum; patet, eum indifferenter loqui de multis variorum consiliis, vel de unico tantum consultoris unius. Materiarum diversitas, & occasionum inæqualitas non patitur, eamdem præscribi regulam pro cunctis: consulendine sint multi, vel unicus. Novi prodesse multoties audire plurium placita prudentum: & collatione maturè factâ deligere sanius. Sed quia rarò non discordant inter se quidam; contingit aliquando, per consiliorum dissidentium copiam, audientem ea fieri velut inopem consilii, tandemque pejus approbare; ut evenit imprudentibus ægris, postquam cœtum vocavere medicorum. Accedit, non paucos vulgò numerari sapientes; cum haud omnes eruditi scientiis, prudentiâ practicâ præditi sint ad aliorum directionem. Regulam igitur in hac re non appono: præsertim quoniam nonnunquam errat in opere qui multos consuluit; & econtra nullius consultoris opem flagitans attingit recta bonum finem intentum. Artis Apollineæ professoribus est familiare proverbium: Aliquando rectum ab errore; sicut econtrariò nascitur multoties error practicus de recto. Notum est, congruere consilium à multis postulare, si nihil obstet. Scimus etiam quàm ferè semper extet nocivum fidere sibi soli, nullô consultô. Contingit attamen quandoque bonus exitus ei, qui propriæ solius mentis ductum secutus est; error autem incurritur ab alio plurimorum suffragiis auditis adhærenti.

econtrà multis auditis erratur.

Heroina celebris, virtutem ornatæ pulchritudini jungens, & mollitiei fœmineæ virilitatem nectens, adiit Juditha Ducem exercitûs adversi Bethuliam obsidentis; deliberatione tam arcanâ, quod nec Oziæ soli detexit quid intenderet exequi denique. Scio, Cardinalem Hugonem dubium esse, revelaveritne Judith totum propositum suum Oziæ ac presbiteris. Magis placet quod ipse primo loco proponit his verbis: *Potest dici quod Judith aliquid de pro-* Hugo Card. ad Judi. 8. 31. *posito suo revelaverit: sed non totum: dixerat eis: quod volebat vindicare se de hostibus: sed qualiter hoc vellet facere, non dixerat.* Exivit ad inimicos martialis virago (nota est historia & à nobis proposita sæpe) oculis Holofernes captus est, ac demum suo pugione truncatus. Retrocedamus aliquantùm. Priusquam Judith adveniret, consulit Holofernes principes Moab & Amnon duces. Achior optimum præstitit ei consilium, dicens: *Nunc ergo mi domine,* Judi. 5. 24. 25. *perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos. . . . Si verò non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis*: &c. His auditis irati sunt adversùs Achior omnes magnates Ib. n. 28. Holofernis; ac dixerunt: *Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit eos ascendamus in montana: & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur*: &c. Accommodavit autem dicto magnatum istorum Holophernes; non autem quod dixerat placuit ei. Ecce miserè periit Holofernes; Licet juxta communem politicorum regulam, plurium secutus fuerit placitum; non autem unici consulentis. Econtra felicitas evenit Judithæ; quam-

vis diſceſſerit ad ordinaria prudentum agendi ratione: qui nempe minimè ſolent ſuo tantùm judicio fidere; prout noverat Lupus Abbas ad Carolum regem ſcribens ita: *Quæ agenda ſunt proſpicite diligenter, & retractate ſubtiliter communicato conſilio cum Dei veſtriſque perfectè fidelibus* &c. Sapientem oportet, caſus excipiendos à communibus regulis excipere: nam exerratur aliquando quà potuiſſet aliàs attingi finis intentus; & econtra nonnunquam venitur ad hunc per viam, quæ videbatur oppoſita. Sunt nihilominus infreqentia quæ non ſint agenda *cum conſilio.*

Lup. Abb. Ferrar ep. 64.

53. *Aliquando congruit, ut conſilium prabens inſinuet regi ut dirigat ſe.*

Reguntur ſapientiâ. Non additum eſt, *aliena*, ut non putaretur, opportunum eſſe prudenti penitus abjicere mentem propriam; & velut irrationali modo ſequi ducentem, quin utatur judicii ſui librâ. Intellectus noſter princeps in republicâ privata humani corporis eſt: & majeſtate fulgens tantâ, quòd ei munus conſiliarii præſtant mentes aliorum, & jam principantes in ſuo regno ſingulæ. Cum rex unus amicitiâ fœderatus alteri monet, ut moveat bellum, vel finiat, ſeu quodvis aliud agat pertinens ad imperii rectam gubernationem; non obedit hortanti ſerviliter: examinat an ſit monitio congruens, vel non. Similiter dum conſultores aliquid homini ſuggerunt, neutiquam cæco modò parendum; ſed judicandum eſt de conſiliis, amore proprii judicii depoſito. Hæc ad eos, qui ſuſcipiunt aliena conſilia. Nunc ad illos, qui ſubminiſtrant eadem venio. Loquor, poſito, quòd ſit prudens ille qui monetur; & cui congruat illud S. Ambroſii: *Vir ſapiens ipſe medicus eſt ſibi: & ſi medicus eſt, vulnus ſuum curat.* Aliquando congruum eſt ad hoc ut regis voluntas faciliùs per hortamentum flectatur, ei ſimul inſinuare quòd ſe per ſapientiam propriam dirigat in ſubjectâ materiâ. Si velut ex cathedra docens ipſi conſuleris, tamquam diſcipulo non permittens ut examinet ductus mente ſuâ veritatem; fortè reſiſtet, ac nihil ages. Faciliùs & feliciùs duces eumdem, ſi poſt monitionem dicas tacitus ut in eâ re utatur ſapientiâ propriâ.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 38.

54. Necari propter inceſtum cum ſorore curavit Amnonem Abſalom, & fugam cepit ad Regem Geſſur. Joab fugitivo Principi non modicum obſequium cupiens exhibere, miram cogitavit induſtriam ad placandum Regem Davidem circa gnatum fratricidam. Ille, inquam, Joab, qui poſtea tribus lanceis confixit eumdem Abſalom pendentem de quercu! Subſunt etiam principes in eorum ſuperbiæ confuſionem, cordis humani mutabilitati. Advocavit ſapientem fœminam Thecui ea: inſtruxit eam, ut loqueretur Davidi. Quæ veniens propoſuit negotium Abſalomi ſub aliena perſona; ſcilicet quaſi ſupplicaret pro cauſa ſua. Dixit, rixatos eſſe duos proprios filios, & unum ab altero cæſum: poſtulareque cognationem, univerſam à genitrice tradi fratrem homicidam, ut pro ſcelere neci daretur Sibi de remedio provideri poſtulanti Rex annuit. Sed is tandem animadvertit, intendere mulierem per iſtud ænigma regi ſuadere, veniam Abſalamo concedi. Percontanti Davidi fatetur fœmina, Joab in os ejus poſuiſſe verba, quæ fuerat elocuta: ſed addidit: *Tu autem domine mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram.* Otioſum videbitur hoc fœminæ dictum. Ut quid ſapientem vocat illa David, ac ejuſdem ſapientiam ſic extollit? Metuebat, ne rex dolens de morte Amnon, deſpiceret monitionem; quam Joab per ipſam præſtitit ei; niſi Thecuitis rem tacitè remitteret judicandam ab ipſamet ſapientiâ Davidis, quem hortatâ fuerat. Feliciter obtinuit quod intendebat: non purè proponens tamquam ſuum judicium revocationem Abſalomi; ſed ſapientiæ Davidis permittens; ut judicaret de hoc ipſo prudens. Perutile nimis eſt aliquando, præbentem ſalubria monita condeſcendere humanæ fragilitati recipientis hortatum ſuum: ac auditoris prudentiæ committere veritatis examen: nam etiam qui monitis alienis auditis, quid agendum ſit cum judicio decernunt, *reguntur ſapientiâ.*

2. reg 14. 20.

FLOS IX.

Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

APERITUR.

1. Bed. com. in Prover. 13. 11.

OCCURRIT primùm expoſitio Bedæ: qui priorem partem hujus dogmatis interpretatur de temporalibus; & ſecundam de cæleſtibus. Si loquitur ad litteram Interpres, ejus commentarium non amplector, ne dimittamus nexum conſuetum inter primam & ſecundam partem proverbiorum Salomonis nullo ſufficiente fundamento coacti. Janſenius & Hugo Cardinalis, non explicantes utrum ſic litteraliter commententur, deferunt hoc ad ſpirituales divitias, contra eos, qui perfectionem ſibi feſtinanter vendicant indiſcreto fervore. Inſuper Janſenius extendit adversùs illos, qui de vanitate hæreſum, vel hypocriſis, opes doctrinæ colligunt. Dicerem, hunc non eſſe litteralem ſenſum parabolæ, ſed myſticum. Caïetanus exponit (& approbat Salazar) de facultatibus expenſis vanè cum feſtinatione. Non valde placet: quia non puto, Salomonem inter ſententias multo pondere gravidas miſcuiſſe rem tam apertam; qualis eſt, brevi diminutam iri ſubſtantiam divitis in vana celeriter diſſipatam.

Janſen. & Hugo Card. ib.

Caïetan. ad hunc locum.

Addit quartam expoſitionem Salazar (quam proponit ut ſuam; ſed idem dixerat Carthuſianus) de gazis acquiſitis labore nullo. Sed contra; quia reſiſtere videtur

Salaz. & Carthus. hic.

videtur originaria littera, quæ sic habet: *Affluentia ex vanitate minuetur.* Prout videre licet apud Rodolphum, *Ex*, ibi designat vias, quibus ditatus est homo: non autem propriè diceretur ex vanitate venisse copias, quas assecutus est aliquis ex hereditate, verbi gratiâ, contingenti. Omitto Cardinalem Hugonem: qui tamquam secundam expositionem adhibens, extendit priorem partem (& fortè secundam) paræmiæ ad omnem temporaneam felicitatem.

Lect. Heb. Proverb. 13. 11. & Rodol. ib.

2. Eligo interpretationem, Lirani, & utriusque Cornelii: quam approbant Rodolphus & Hugo Cardinalis: docentem, loqui Salomonem de malè partis aliquo modo fortunis. Dixi, aliquo modo, nam existimo, sensum non coarctandum ad substantiam acquisitam furto, usurâ &c. sed intelligendum Sapientem indifferenter ad media, vel illicita, seu licita cum vano studio diteſcendi. Notus est universis ardor avaritiæ: qui rationales veluti dementat, sic ut nullum conquirendis opibus terminum sibi præfigant. S. Basilius Magnus: *Et semper id quod additur non sistit appetentiam, sed accendit concupiscentiam. Quemadmodum enim ebriosis occasionem bibendi præbet vini copiosior accessio, sic recens ditati ubi multa acquisiverint plura cupiunt*, & infra: *Mare novit te minos suos, nox non transgreditur antiquam termini præscriptionem. At vero avarus non veretur tempus, non statuit terminum*, &c. Minus foret, avarum non sibi præstituere limitem diteſcendi. Plus est quod à legibus, verecundiâque statutas rumpit metas, & excurrit ultra furens. Canebat Juvenalis:

Lira, Alap. Jansen. Rodolph. & Hugo Card. ib.

S. Basil. Mag. hom. 7. inter. var. post med.

Juvena. sat. 14.

——— *sed quæ reverentia legum?*
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?

Concinit Horatius:

Horat. l. 1 ep. 16.

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat & obruitur re.

3. Avaritiæ valde proprium est in bonis aggerandis festinare. Mortua jam est avari anima per vitium; sepeliturque per ejusdem sceleris progressum. Cumque non soleant funera mortuorum nimiùm differri, veluti properatur ad hoc ut spiritus miser sepulturæ mandetur. Hinc illa festinatio, qua per nefas contenditur citò diteſcere. Lepidè S. Leo Papa: *Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecuniæ, funus est animæ.* Plura desiderantur magni momenti, quæ non movent sensatos homines ut currant ad ea perficienda; sed pergunt lento decentique gradu. Non ita se gerit aliquando cordatus cùm siti vehementer æstuat; ruit properanter in aquas. Nosti, desiderium cupidorum siti comparabilem, & non qualicumque. *Hydropicus autem*, ait Incertus, *quamvis aquâ plenus sit, semper tamen sitiens bibendo satiari non potest. Unde & non immerito avaros designat: quia quantò plus habent, tantò plus habere desiderant.*

S. Leo Pap. ser. 6. de jejun. ante fi.

Incert. sub nom. Euseb. ser. Dominic. 17. post Pentecost.

4. Ex ista sitibunda celeritate, qua procurritur ad ingentem opulentiam, proveniunt crimina tot jus alienum violantia. Viis lege nullâ vetatis haud ita citò graditur vir ad auri cumulum: nam fors expensurus an hoc, seu istud liceat, retardat gressum: vel certus id non à legibus prohiberi, pedem sistit impeditus. At qui per tramites iniquos contendit repleri, non moratur; vix enim unquam deest illi quà lucretur injustè. *Videmus enim* (ait ex Chrysostomo Anastasius,) *cogi divitias & ex rapina & ex sepulchrorum effossione, & ex præstigiis, & ex aliis hujusmodi causis: & qui eas habent, ne dignos quidem esse, qui vivant.* Miscentur argento lacrymæ proximorum, qui damna ferunt: ac timeo, per eas velut rubigine consumendum. Ex Gregorio Nazianz. idem sinaita: *Ne misceamus nostras divitias cum alienis lacrymis, à quibus tamquam à rubigine & tinea consumentur; aut, ut dicam cum Scriptura, evomentur.*

Ex Chrysost. Anast. Sinaï. q. 11.

Idem. ib.

5. Divites aliqui solent (si fortassis audiunt hortatorem, suadentem ut mediocria malint tutè, quàm mimia periculosè) respondere, filiis oportere suis hereditatem pinguem relinquere, quò juxta suî statûs decentiam vivant. Ecce frequens morbus opulentorum: quædam scilicet quasi diffidentia de providâ sollicitudine Dei. Piè Chrysostomus: *Si vis itaque multas filiis divitias relinquere, Deo relinque tutelam. Qui enim te nihil operato, & animam dedit, & corpus plasmavit, & gratiam donavit, cum tantam liberalitatem viderit exhibentem, & res illorum sibi cum illis distribuentem: quomodo non omnes eis aperiet divitias?* Nota lentiùs quod infra subdit, inquiens: *Extremæ nanque stoliditatis est, viventes quidem eos non facere omnium dominos: mortuos autem multam juventutis facilitate præbere licentiam.* Odii genus est parentis erga genitos, quærere gnatis instrumenta plurimâ degendi licentiosè. Quomodo per dilectionem filiorum putant excusari quidam thesauris conquirendis avidè studentes?

Chrysost. to. 5. hom. 53. ad pop. post med.

6. *Substantiâ.* Rodolphus legit ex Hebræo: *Divitiæ.* Accommodè Vulgatus pro divitiis posuit: *Substantia.* Proportionatus est modus loquendi phrasi solitæ frequenter apud homines: nam, ceu homo foret ex auro vel argento compactus; qui neutrum possidet, habetur ac si nullius foret substantiæ. Vide quæ dixi fl. 7. delib. 3. sed prius audi S. Laurentium Novarien. *Divites*, ait, *nolite despicere inopes, nolite inspuere indigentes, scientes quòd amici sunt animarum & medici vulnerum internorum.* Mundani thesaurizantes nequaquam se norunt ægros; ideò medicos istos contemnunt: amicos putant habere plurimos; idcirco spernunt pauperes, quos existimant inutiles. Bellè Terentius:

S. Laur. Novariens. Epis. hom. 2. de eleemos. ante med.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens;
Negligitur ipsa: vide avaritia quid facit.

Terent. Phor. 2.

Quantò prudentius foret, bonis affluentibus convestitum non oblivisci, paupere atque dites eodem luto prognatos; abundantiamque minimè periculum paupertatis auferre?

Jacob. Billi. in anthолog. 5.

Hunc ne vides, quem tu, quoniam fera vexat egeſtas,
Deſpicis, atque canis barbarus inſtar habes?
Quod tibi corpus, idem eſt illi cum mente tributum:
Et quod perpetitur, tu quoque ferre potes.

Hæc ultima poëtæ ratio ſatis erat, ut inopiæ futuræ metus impediret miſeri contemptum: ſed perpende quod addit.

Idem. ib.

Nanque homo quem cernis nil niſi larva Dei eſt.

7.

Feſtinata. De quibuſdam horum, qui divitias accelerant, dictitari poteſt quod legitur apud Joannem Epiſcopum: *Immoderatus timor paupertatis parit paupertatem.* Aliqui formidantes ne decidant in anguſtam fortunam, brachia dilatant, ut ferè cunctas affluentias complectantur: & nimiâ lacertorum contentione præbent occaſionem, ut diſcindatur eorum veſtis, hoc eſt, opes: quid enim terrena ſunt, niſi quædam corporis indumenta? Hoc omiſſo, notandum (quod jam ſupra tetigi) hîc Hebraicè legi: *Ex vanitate.* Non diſſidet Hebraïca lectio penitus à paræmiæ ſenſu, quem elegi; licet attendamus ad peſſimas artes acquirendi: tum quia Rodolphus hoc loco alludens ad originariam litteram: dixit: *Divitiæ quæ ex vanitate, hoc eſt, vel viis illicitis & artibus parum honeſtis, vel etiam per fraudem & injuriam acquiſitæ ſunt, durare non ſolent.* tum quia de vanitate ſæpe venitur in graviſſima ſcelera. S. Odo Clun: *Ex vanitate ergo*, inquit, *ut ſuperius dictum eſt, ad iniquitatem ducimur, cum prius ad levia delicta defluimus, & uſu cuncta levigante nequaquam poſt committere etiam graviora timemus.*

Joan. Carpath. Epiſc. in capit. hortat. p. 2. n. 67

Lect. Heb. hîc.

Rodolph. in Proverb. 13. 11.

S. Odo. Clun. l. 10. in Job. n. 11.

8.

Minuetur. Plantæ, quæ citiſſimè naſcuntur, experientiâ teſtante brevî durant: ſic non ſolent nimiùm permanere mortalibus opes, quæ celeriter advenerunt: quod Eurus attulit, Aquilo diſpergit. Hoc primùm ex ipſarum fugacitate naſcitur illecebroſâ: quam veluti juvat ambitio divitis, more lenonum ſollicitantis fugientes. Seresberienſis: *Hoc quoque fore ubique accidit, ut fugiant, dum quæruntur, dum fugantur accelerant. Et hæc quidem via compendioſa, & honeſtiſſima eſt ad divitias.* Aliis minuitur ſubſtantia per ignaviam: cum enim dediti voluptatis mollitiei ſint, nec periculis fortiter obſiſtant, nec induſtriâ polleant opportunâ; vocari poſſunt venenum ſuarum facultatum, ceu fertur de gallina: de qua traditur ex Ariſtotele, quòd ſi hujus membra commiſceantur auro liqueſcenti conſumitur iſtud. Unde ortum habuit, ut qui vellet ænigmaticè proponere filium paternos theſauros prodigentem, depingeret gallinam comedentes nummos aureos.

Ioan. Seresb. l. 5. de nug. c. 25 ante fi.

9.

Qui autem paulatim. Hugo Cardinalis: *Id eſt*, inquit, *moderato & coaptato viribus greſſu:* &c. Ex cæteris animantibus unum quodque ſuis finibus coercetur; ſolus homo terminos à natura datos amens tranſilit. Nullum propterea brutum dices propriè loquens pauperem: quia formica verbî gratiâ, quamvis aſſumat alas, non volat in prælatas arbores, ut fructus nobilioribus datos tam quam ſuos poſſideat. Humanum eſt propriis terminis haud ſe continere, non quod id ſuadeat natura, quæ niſi vitietur, parvo contenta facilè quieſcit; ſed quia per intemperantiam naturales paſſiones accendit, atque præcipitat, extinguit memoriam illius effati digni cedro: *Ne quid nimis.* Econtrariò temperantia per actiones humanas tranſcendens frænat cupidinem, bona tuetur, diſcrimina fugat. S. Ambroſius: *Meritòque temperantia quam maximè iſtarum paſſionum reſtinguit ardorem, quæ primùm ſobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat:* &c.

Hug. Card. in Prover. 13. 11.

S. Ambroſ. to. 1. l. 1. de Iacob. c. 2.

Colligitur. Non hîc legimus: Claditur: nec ullus exiſtimet, opes, quia fugitivæ ſunt, retinendas, quò diù teneantur. Imo Verſio Chaldaica legit hoc loco: *Et qui congregat, & dat pauperi, multiplicabitur.* De proventibus eleemoſynæ multa dixi ſparſim to. 1. fl. 6. n. 29. fl. 22. n. 34. fl. 3. n. 10. & 13. & infra dabimus inſuper aliqua. Terrenas facultates aquæ ſimiles notavimus aliorſum: nunc eamdem ſimilitudinem breviter proſequar, eas conferens cum puteorum lympha. Claude puteum perpetuò: ſordida fiet aqua: malum acquiret ſaporem, & non augebitur adeo. Haud aliter nummi theſaurizati per cuſtodem nimis parcum, ſordidantur: inſipidi quoad internum guſtum redduntur, & augmentum à Deo non recipiunt. Si prudenter expendantur & ſanctè, conſervantur feliciter, ſapidioteſque reperiuntur interiori palato: necnon cœlitus incrementantur. Ænigma debeo S. Antonio Ulyſſip. *Videmus enim*, ait, *quod aqua putei ſi frequenter hauriatur, ſuavior efficitur quoad guſtum: ſimiliter pulchrior redditur: ulterius vivacius ſcaturit, nec ex tali hauſtu minuitur, ſed augetur. Quod ſi non hauriatur, ſordeſcit, & quodam modo marceſcit: venarum etiam fluxus præpeditur. Sic eleemoſyna, cum de puteo divitiarum hauritur, reddit ipſas puriores quoad conſcientiam, ſapidiores quoad interiorem guſtum: facit ipſas divitias multiplicari*, &c.

10.

Lect. Chalda. Prover. 13. 11.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. fer. 6. in capite jejun. ante fi.

11.

Manu. Solemus per manum operationem denotare. Niſi fortunæ donis operam jungas, opum ſplendor, quaſi planta minimè rigata non adoleſcet; ſi verò ſolertiam felicitati ſuperaddas, incrementum capiet. *Ubi*, ait Salluſtius, *ſocordiæ atque ignaviæ, te tradideris, nequaquam Deos implores, irati infeſtique ſunt.* Altiùs hæc meditemur. Sicut in pœnam deſidiæ diminutio copiarum infligitur à providentia Dei cuncta moderantis: ita remuneratur virtuoſa ſtudioſitas (citra dilectionem) ſolertis erga conſervationem & ſobrium augmentum bonorum terreſtrium, per ipſorum non venientem caſu multiplicationem. S. Joannes Chryſoſtomus: *Sicut laborantibus enim*, ait, *pro præmio diligentiæ, Deo præſtante panis abundat: ſic dormientibus & negligentibus pro pœna negligentiæ, Deo faciente, ſubducitur.* Igitur eſto ſobriè gnavus

Salluſt. in Catil.

S. Ioan Chryſoſt. tom. 2. hom. 16. oper. imperf. in Matth.

vus circa temporalia : diligens ; non tamen dilector.

12. Hug. Card in Prov. 13. 11. *Multiplicabitur.* Hugo Cardina. hîc : *Id eſt multa erit & durabit.* Utrumque ſimul fortunam ditis integrat : augmentum nempe ſervatâ moderatione ; permanſioque poſſeſſionum : nam, ſi dilabuntur citò, potius videntur adveniſſe quò dolorem gignerent, quàm fructum. Nihilominus hîc Salomon juxta Vulgatam non expreſſit opum durationem futuram : quia non congruit opulentis bona poſſidere temporanea tamquam permanentia ; ſed potiùs recordari quot poſſeſſores illis poſiti ſint antequam ad ſe devenirent ; quorum ſinguli, ſaltem fato cogente dimiſerunt ea.

Ex D. Bernar. Fr. Humber. l. 5. ſpecu. Relig. Ex D. Bernardo Humbertus : *Erras, ſi manſuras tibi putas divitias, quæ per tot manus hominum tranſierunt.*

DELIBATIO I.

Notantur aliqua de cupiditate divitiarum & hujus pœnâ.

13. *Quandoque, Deo punente, minuuntur cupido facultates eo medio, quo putavit illas augere.* QUandiu durat incendium, nullus dicet, aquam ſuperfluè miniſtrari, qua reſtinguatur. Avaritiæ flamma totum incendit orbem : nemo, quia plurimam aquam doctrinæ dedimus ut extingueretur, otioſum jure vocabit amplius haurire pro comprimendis ignibus tantis. Accelerat cupidus media pro congerendis opibus, ita, quòd hæ verè dici poſſint : *Subſtantia feſtinata.* Sed illa tam citò *minuetur*, ut non ſemel contingat, eodem impetu deperdi bona, quo ſollicitantur. Sapienter avaritiam fluvio rapido compoſuit Ambroſius dicens : *Quid enim aliud in illa hiſtoria, niſi divitum avaritia deſcribitur, quæ eſt vanum profluvium, quod omnia fluvii more rapit, & nulli uſui profutura traducit?* Omiſſis analogiis reliquis inter flumen & cupiditatem avari, premo tantùm iſtam. Cum alveum egreditur amnis amittit plures aquas : ita dives propriam ſphæram votis plus abundandi prætergrediens, bonorum patitur jacturam, nocente ſuâmet concupiſcentiâ. Quinimo, licet invigilet ſibi, nocumentum accipit ab induſtria. Bis infelix vocetur : nam & acquiſita perdit, & operam. Prudentiſſimum tamen eſt æquitatis divinæ ſupplicium, quòd per illa media, quibus intendebat amator opum abundare multùm, decreſcat ejus opulentia. Meritò fruſtrantur avidi conatus, ita ut eâdem viâ, qua ſatagebat amplificare cenſum, hic inopinatò minuatur.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Nabut. c. 9.

14. Dilecto Jacobo Deus non ſolùm conferre decreverat primogenituram fratris Eſau ; ſed etiam ſubſtantiam Laban, ut ipſe Jacob gratâ mente novit. *Tulitque Deus ſubſtantiam patris veſtri, & dedit mihi.* Pactus eſt ſocer ut fœtus, qui naſcerentur colore varii pertinerent ad Jacobum : & ecce non abſque Numinis voluntate pariebant omnes oves fœtus variè coloratos. En contraxit Laban cum illo partus albos futuros eſſe Jacobi : tunc omnes greges alba pepererunt. Mirabar, juſtitiam Dei voluiſſe Labanum hac viâ punire, qui nocere Jacobo curavit. Crederes, flagellandum fuiſſe Labanum occiſione miraculosâ pecorum ſuorum. Non ita factum eſt ; ſed quia fuit ille molitus fraudare mercede generum ſuum, Deus in hunc tranſtulit ſubſtantiam ſoceri. S. Joannes Chryſoſtomus ; *Nam quia ipſe* (loquitur nomine Jacob Sanctus Doctor) *privare me laborum mercede voluit, Dominus tam uberem in me declaravit miſericordiam & providentiam, ut omnis ejus ſubſtantia in me tranſlata fuerit.* Laban, ut cum detrimento paſtoris augeret poſſeſſiones, uſus eſt hoc medio : ſcilicet ut oves ederent filios cunctos ita, quòd nullus ad Jacob pertineret ex contractu. Fruſtratur, & vertitur ars in contrarium : ſuamet induſtria contulit ad hoc, ut ſubſtantiam perderet in Jacobum transferendam. Eô ſæpius medio, quo dives utitur ad incrementandas inique divitias ; iſtæ minuuntur. Mitiùs pateretur locuples per id tantùm, quod jam poſſeſſa deſtruerentur ; ampliùs feritur, cùm ejus machinæ diſſolvuntur ita, quòd paupertas accedat eô tramite, quem paraverat ille venturis fortunis.

Chryſoſt to. 1. hom. 57. in Geneſ. ante med.

Unum ex auxiliis, quæ dives quærit, ut largiùs abundet, & acceleratio lucroſa, quam adhibet negotiis & operibus aliis. Diſpendio ſomni lubens dimetitur ingenia, quibus manè ſummo feſtinus lucrum ſollicitet iniquum : ſed avaritiæ concitationi proportionatur multoties meriti ſupplicii velocitas. Avis rapax movet alas ad prædam ; & licet valeat pedibus ad illam ire ; tamen, cum ad volatum inclinatione feratur ; non ſic vadit ad eum, ſed volat. Contingit, alitem ſimilem pariter illuc advolare, prædamque rapere. Pennis aëra ſecans inhiavit appetitum ſatiare ; ſed alieno volatu perdit quod acquiſiverat proprio. Sic aliquibus evenit terreſtrium bonorum voracibus. Præpetibus mentis iniquæ ſtudiis maturant ditari : ſed uti properavit aviditas ; ita moras rumpit ultio Dei. Dubitas, avaros volucribus è rapina paſtis aſſimilari, eo quòd agnoſcas, illos mundanis addictos humi rapere ? Lege Theophilum Patriarcham. *Ceti*, ait, *& volucres carnivoræ in memoriam nobis redigunt homines avaros & prævaricatores.* Nec ſemper orbis Moderator juſtiſſimus delictorum vindictam retardat : quædam ſunt crimina concitantia pœnam. Nonnunquam tam fervidus eſt ardor cupientis abundare niſi miùm, quòd oporteat hunc citò plectere. Se præcipitat avaritia ; ruit etiam citatum ſupplicium.

15. *Feſtinationem cupientis ditari ſæpe reſpondet ſupplicii celeritas.*

Theophilus Patriar. Antiochen. l. 2. ad Autolyc. ante med.

Rex de ſuorum bono curans, non dedignatur inter ſollicitudines momenti maximi deſcendere nonnunquam ad minora : præſertim, ſi hoc interſit eorum, qui Reipublicæ perutiles inveniuntur. Patris munus agit : qui non ſpernit minima, dum filii neceſſitas requirit. Erat Nahaman princeps militiæ regis Syriæ, vir fortis : non contempſit Monarcha ſcribere litteras ad regem Iſraël ; ut ille curaretur à lepra

16.

Geneſ. 31. 9.

lepra: nam audivit, esse prophetam in Samaria, qui posset ejus ægritudini mederi. Tandem venit leprosus ad Elisæum, & lotus in Jordane, mundatus est. Gratitudinis ergo voluit dono munerare virum Dei: sed hic licet vi factâ, non acquievit. Sciens hoc Giezi minister Elisei deliberavit currere post Principem, & insecutus est euntem, munus ab eo clam, sicut putabat, suscepturus. Liranus:

Lira ad 4. Reg 5. 20. *Hic*, ait, *consequenter describitur ipsius Giezi infectio propter multiplex ejus peccatum in facto isto, quorum primum fuit cupiditas*, &c. Obiter nota festinationem sordidæ cupiditatis: dixit enim: *Vivit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Commentus est, se missum à Propheta, petente nunc talentum, necnon & vestes, occasione adventûs duorum adolescentum de monte Ephraim. Ecce Giezi peccaminosum adhibuit medium, ut acquireret.

4. Reg. 5. 20.

Lira prox. sup. ad n. 22. & 23. Liranus: *In hoc*, inquit, *mentiebatur, & sic fuit peccatum secundum.* Addit Commentator: *In Hebræo habetur*: Jura mihi, *scilicet quod miserit te Eliseus, & accipe duo talenta, & secundum hoc fuit hîc tertium peccatum, scilicet perjurium.* Accepit plusquam petierat Giezi: clanculum abscondit. Ecce furtum. Idem Lira: *Ne Eliseus eos videret & perciperet quod Giezi aliquid à Naaman accepisset. Et sic commisit quartum peccatum, scilicet furtum rei notabilis.* Rem dissimulans ingressus est ad Elisæum: & post increpationem, non dilatum fuit supplicium,

4. Reg 5. 27. quod meruerat. *Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Forsan Giezi præ cordis avaritiâ plùs doleret, si vineas, olivetaque comparans argento malè conquisito, vapularet in eo, quòd nec vitis, nec oliva

Eodem 1. n. 26. fructum ferret ei. Nonne dixerat Propheta: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta & vineas, & oves*, &c? Permittatur, furem istum agros emere: divinitus fiat, ut prædia reddantur infructuosa: torquebitur ille sic multùm in vindictam peccatorum. Nequaquam hoc pacto pœnas dedit: quia dilationem supplicium involveret; congruum fuit percuti

S. Ambros. to. 3. l. 4. in Luc. c. 4. & habetur c. Cito. 1. q. 1. subitaneâ leprâ. S. Ambrosius: *Citò*, ait, *turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque malè quæsita commaculat.* Festinaverat ille ditari suscipiens per nefas argentum; celeriter advenit punitio, quò sic responderet avaritiæ properanti. Videant præcipites, qualiter clament eorum flagitia stimulantia mitissimum Dominum ad vindictam.

17. *Heredes aliquando & hostes velut synonyma.*

Excusationem frequentiorem, qua se tueri conantur isti, jam tetigi n. 5. scilicet quod minimè siti laborent opum; sed amore gnatorum ferantur, quibus congruentem parant hereditatem. Dictis adde, me dubitare nimis, an verè diligat genitos, is, qui semetipsum nescit amare: tum quia tenax haud utitur partis; tum quia nocent animæ propriæ, facultates industriis vetitis acquirentes, filiis deponendas. Dubito, inquam; licet D. Columbanus agnoverit hæredis

S. Columbã. ep. ad Jethũ n. 9. amorem in similibus, cum cecinit:

Ille domi solus nummos abscondit in arca,
Divitias cumulans dum sese nescit amare.
Plus amat heredem, servat cui cuncta fidelis:

Accedit, incertissimum esse, potiturine sint filii, vel extranei bonis congestis paternâ curâ. Nam omisso quòd nullâ statutum lege fuit, ut filii moriantur post genitorem; novum non erit, hereditatem paternam perdere superviventes genitos per auferentis violentiam. S. Asterius: *Quis bonorum relictorum heres? nec enim is omnino, quem destinas futurus est. Si liberi superstites sint, pugnô fortè ac verberibus cædentur, tuique similis avarus lugentes paternâ domo expellet.* Demus, hoc non accidere: generatimque de futuris heredibus loquamur. An putat congregator facultatum, quas testamento facto distribuat, amicitiam vel continuandam, vel ineundam post mortem? Non solent permanere defunctis amici; quos mutuus convictus & alia dilectionis fundamenta genuerunt: quantò minus confidendum, acquisiturum te fore per dispositionem testamentariam amicitias post sepulchrum; Nec testamento legatur amicus; nec hæreditatis proventu ligatus. Imo tam frequenter assimilantur hæredes hostibus occupantibus aliena, quod etiam inimici venire queunt heridum vocabulo. Propterea quandoque supplicium est, avari possessiones ab heredibus obtineri.

S. Aster. op. adversùs avaritiam. ante med.

18. Per Jeremiam comminatus avaris Dominus ait: *Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus: quia à minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur*: &c. Dubium statim occurrit, quid intelligendum sit ibi per heredes? Glossa Ordinaria inquit ex Theodoreto: *Heredes appellavit hostes.* Ex hac expositione colli-

Ieremi. 8. 10.

Ex Theodoreto Glossa Ord. ibi. ge, hæc duo nomina, *hæredes, & hostes*, ita proportionari, quod sicut adversarii valent significari vocabulo heredum; sic econtrariò plures hereditatem adeuntes nominari possunt inimici: sique non odio fervent adversus testatorem, id ex eo nascitur, quia penitus eum tradiderunt oblivioni. Deinde secundam interpretationem illius vocis *heredibus*, affert Mariana, dicens: *Aut hac forma loquendi minatur mortem, in qua succedunt heredes.* Nonnemo dicet, istam acceptionem indifferentem esse tam ad propinquos, quam ad alienos, in facultatibus avari succedentes post ejus miserum finem. Et si dixeris: quomodo supplicio vertendum est patris cupidi, quod, verbî gratiâ, proles illius dilecta fruatur copiis ejusdem vita functi? satis & super solvitur instantia per ingratitudinem solitam heredum: qui solum in hoc grati videntur (cum non sint) quod asserunt, defunctum sic inculpabilis vitæ fuisse, quòd jam felicitate fruatur æternâ. proindeque suffragiis non indigere. Sed adde, frequentissimum esse, filium dissipatorem succedere tenacissimo parenti; quodque pluribus annis congessit per anxietates multas pater, genitum ludo, seu luxu paucis horis abligurire.

Mariana. schol. in Iob. ib.

19. *Sæpe nullus gratus est di-*

Etiamsi gratissimi tibi contingant posteri, qui benefactoris memoriam non projiciant, quin & suum commemorentur

viti mortuo, cujus bona hereditavit.

tur debitum quotidianè; quid hoc emolumenti præstabit iniquo diviti, qui per mundialium concupiscentiam atque tenacitatem ivit in tartara? tormentane gratis heredum verbis mitigabuntur; S. Nilus: *Forsitan autem*, inquit, *& judicant revera hoc decere, censentes honestum, ut quæ (sicut arbitrantur,) non consequuntur ipsos quò emigrant, prædictis derelinquantur ad bonam memoriam, quæ non amplius utilis pœnas subeuntibus. Cui enim usui grata commemoratio beneficiorum constituto in doloribus intolerabilibus, cujus cruciatus inconsolabilis vocibus gratulatoriis neutiquam aleviatur?* Hoc non prosequar: nam frequentior experientia docet ingratos eos, quibus locuples fidelissimè servavit possessa. Rarò gratitudo reperitur non conjuncta spei. Cumque jam non heres à dite mortuo quicquid novum donum speret; contegere non curat ingratum cor. Fateor tamen, ab aliquibus fingi gratos animos; exteriùs mentientes de testatoris obitu se contristari. Rursus ex Nilo bibe. *Prætermittens*, ait, *quæ sua sunt curare, utque & ipsi in parte sint salvandorum, sollicitudinem omittentes, heredibus transmittere satagunt, qui videlicet tristibus vultibus, & demissis mœstitiam specie præferentes cogitant de fruendo his, quæ fuerunt derelicta*: &c. Ne semetipsum etiam circa tam facilem cognitu veritatem locuples fallat, credens, acquisiturum sibi gratificantes post exitum dona, quæ reliquit eis aut coactus, aut libens: nam valde frequenter contingit, nullum grates ei persolvere quòd sollicitè servaverit sibi fruituro bona dives: forte quæretur, non majorem curam servando posuisse.

S. Nil. in perist. sect. 7. c. 1.

Idem prox. sup. sect. c. unico

20. Job inter dolorum fluctus non turbatâ mente, velut ex cathedra spirituale magisterium exhibuit. De divite loquens impio, sic effatus est: *Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.* Verbum illud, *Custos*, Aquinas commentatur: *Scilicet vineæ.* Titelmanus consonat, dicens ad eum locum: *Nimirum domum suam ædificavit, familiam suam ditavit & fundavit*, &c. & infra: *Itemque ad eum modum, quo custodes vinearum sua solent umbracula, in quibus ad tempus custodiæ suæ demorantur propter æstum solis fabricare, videlicet ex materia furto collecta de vicinis aliorum hominum silvis & agris.* Expendam similitudinem istam q uasi moralitate non vacuam. Expetes, lector, ut aperiam quô similentur vineæ custos, atque dives. Dicam ad rem nostram. Vineas custodiens noctu diuque vigilat, alienam possessionem defendens à raptoribus; & hoc non in perpetuum; sed ad cetum usque tempus: quo finito, fortè reprehenditur quòd non majori sollicitudine custodiverit illam. Esto vigilantissimus fuerit, dicentem nullum dominum audivi, posteaquam dimisso custode dies transierunt aliquot: Gratias tibi refero, quòd mihi vineam illæsam servasti. Haud aliter accidit non semel plurimis locupletibus. Hi velut custodes tuentur alteri possidenda bona, tamquam aliena. Tempus elabitur custodiæ, hoc est, vita mortalis; & qui dominatur custoditis ab illo, paucis diebus transactis, nec unico verbo gratificatur ipsi, quòd vigil servaverit ei, somnum omittens, hereditaria bona: quinimo forsan damnabit in aliquibus fuisse parùm solertem; quæ si prudens attenderet, valeret longe plùs ditescere. Sic frequentior mos est heredibus, quorum prospicitur utilitati futuræ.

Job. 27. 18

D. Thom. in com. ib. Titelm. com. in Iob. ibid.

21. *Avarus postquam novit animæ damnum veniens à pecuniis, facilius loquitur contra se quàm adversùs illas.*

Si neutiquam sunt veraciter excusabiles ii, qui studeni accumulandis thesauris pro filiorum providentia; quid putas dicendum est circa nonnullos, qui propinquis omnino carentes ferveścunt indies habendi plus amore; hæc aliis utiles, nec sibi? Negotiis damnabilibus incumbunt ad lucrum: & metallum inanime tangere non audentes, istud præponunt sibi. Quid hoc miraris? nescis ab istis pecuniam quasi numen coli? Inter opera Cancellarii Parisiensis, hæc invenies authoris incerti verba: *Quia avarus propriè in effectu exhibet creaturæ, scilicet pecuniæ illud quod deberet Creatori: & præcipue fidem, spem, & dilectionem.* Credit, inquam, congesto nimis incubans auro tacitis hujus promissionibus, tamquam veritatis infallibilis. Sacculi spondent ei felicitatem jugiter duraturam, dum vita manserit: sic existimat ille futuram sibi, nec hæsitat. Necnon asseverant nummi silentes, paupertatem probrosam extare valde. Mentiuntur; sed creditur eis. Prædictâ vanâ fide suppositâ, collocatur spes in gazis: nihil tam arduum proponitur phantasiæ, quod non fidat locuples obtinendum. Præsertim dilectionem eximiam alit corde miser, qua prosequitur pecunias plusquam semetipsum. Si contingat agnoscere damnum animæ suæ, quod per eas peccàs incurrit; malè pœnitens damnabit factum proprium quidèm: non audebit verò proferre verbum adversùs argentum, cujus illecebrâ suggerente lapsus est in crimen jam exosum: loquetur contra se potiùs quam seipsum perhibeat infensum pecuniis ore saltem.

Incert. inter opera Gerson to. 2. tr. de 7 vit. capit. sub tit. de avarit.

22. Senior Tobias, cum existimaret, se brevi moriturum, locutus multa fuit ad filium. Nota, mortem sibi proximam putavisse Tobiam; cum ex Textu sacro pateat, illum postquam visus restitutus est ei, vixisse quadraginta duobus annis. Ita solent justi vitæ finem accelerare mente, ne minus paratos inveniat exitus. Commendavit gnato profectionem ad urbem Rages, ut recuperaret argenti decem talenta; quæ dederat mutua Gabelo contribuli suo. Quæritur vir, qui mercede conductus conductoris munus agat, associatus juniori Tobiæ. Raphaël Angelus adest sub humana specie: traditur ei juvenis: & parentibus vale facto profecti sunt. Non detinuit maternus amor diù lacrymas præ dolore. Animadverte, genitricem nequaquam eximiâ dilectione coactam se damnavisse, quod non impediverit chari pignoris absentiam; contra pecuniam verò fuisse locutam in faciem viri sui. *Nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.* Dum hæc Annæ verba maturè premerem, non potui non recor-

Tobi. 5. 24.

dari deteſtabilium argenteorum; quos projecit in templo Judas pœnitentiâ ductus, quamvis non laudabili. Non ignoravit ille, pecuniam occaſionem extitiſſe criminis, quod aliqualiter execrabatur. Haud attamen dixit Proditor: Nunquam fuiſſent iſti nummi, pro quibus vendidi juſtum; ſed verbo damnavit ſemetipſum, Matth. 27. 4. nquiens: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Conferamus Annam & Judam. Illam temporalis afflictio movit, ut exoſum haberet argentum; quod extitit motivum, ut ſuus dilectus abeſſet. Longe majus damnum eſt peccati cujuſvis; nedum immanis flagitii, cujus gravitas non omnino latebat perfidum. Cur ergo non prorupit Judas in maledictionis verba contra denarios; ſed locutus fuit adverſum ſemetipſum? Avarus erat; & avaritiam non depoſuerat; prout colligitur ex Antiſtitis Drogonis dicto. *Ecce*, inquit, *infelix*; Drog. Epiſc. Hoſtien ſer. de Sacramen. Dom. Paſſ. *qualiter excæcatus eſt! maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, ſeipſum laqueo addixit*: &c. Avaritiam corde ſervans anteponit pecuniam ſibi. Poſt factum cernens ab ea ſibi ſpirituale damnum proveniſſe, fortè condemnabit ſeipſum; non audebit verò, quaſi pecunias reveritus in eas mutire. Sic diligitur argentum iniquè partum, etiam poſt agnitum animæ detrimentum: quantò plùs antea? cum ſcilicet dilectio volat, ut prendat opes, quæ propter ejuſmodi feſtinationem vocantur à Salomone *ſubſtantia feſtinata.*

DELIBATIO II.

Increpatur ambitio feſtinantium ad honores eccleſiaſticos.

23. *Magis inclytum decus eſt ejus, qui paulatim fertur ad ſumma.*

ADhuc volaturientem cupiditatem iniquam ſugillabimus; alterius tamen generis: neſcio quidem an ſordidioris. Hoc unum ſcio, quod opum avidus per oppreſſiones pauperum, & ſimilia probantia poteſtatem, feſtinat impleri. Non ſic ambitioſus honorum: qui per ſubmiſſiones viliſſimas currit ad publica munera viribus imparia. Non totaliter egredimur dogma, quod verſamus, ubi Sapiens ait: *Subſtantia feſtinata minuetur*: nam Rodolphus ad hunc locum inquit: *Quod de* Rodolph com. in Prover. 13. 11. *divitiis diximus, ad honoris, & authoritatis gradus, præſertim eccleſiaſticos, referri poteſt.* Sibi fingunt aliqui, dedecoroſum eſſe per gradus aſcenſum. Deſipiunt: nam volatum præſumentes, ambitionem & ſuperbiam pectore fovent: ſimulque repunt atque volant: ambitione ſcilicet per terram proſtrati ſatis abjectè; ſuperbia verò ſuper æthera ſublimes. Appoſitè S. Bernardus: *Contendunt*, ait, *ambitio & elatio cordis: altera nidum, altera foveam parat. Volare altera jubet, repere monet altera, cum neutrum profectò ſit hominis.* Niſi dolor prohiberet conceptus ab expenſione damni; quod perpetitur bonum publicum per electionem iſtorum volitantium pueriliter ad munera; riſus fortè prudenti moveretur; quaſi videret pueros baculis arundineis equitantes, & veſtibus papyraceis ornatos imitari munia virorum. *Licet*, ait Seresberienſis, *primo aditu, ac januis habeantur indigni, continuò tamen tendunt ad ſacerdotium, feſtinant ad tribunal*, &c. Illuditur ambiens honores publicos cùm reputat, ſe plus condecorari, quia feſtinanter aſcendit ad ſumma, quin priùs experientia minorum functionum doceret illum. Quin imo longe plùs decorum eſt gradatim ad verticem extolli; quàm repente de ſtatu privato levari virum alioqui dignum ad apicem. Magis inclytum decus eſt ejus, qui paulatim refertur ad ſumma. Seresber. l. 7. de nug. c. 19. poſt princ.

Summus Pontifex in lege veteri conſtitutus eſt Aaron: ſupremum Pontificatum contulit Redemptor in lege gratiæ Petro. Tamen inter alias utriuſque diſparitates, hæc eſt nequaquam prætermittenda: ſcilicet quod Aaron extulit ad illius dignitatis faſtigium Deus, quin priùs aliquod regimen ei tradidiſſet minorem poſtulans indaginem: ſubitò factus eſt Hebraici populi ſummus Pontifex. Non ita contigit Simoni; ſed priùs in electo grege Principis gloriæ minora loca tenuit, quàm attingeret ultimnm. Primùm vocatus eſt ad Chriſti Domini diſcipulatum: deinceps electus fuit Apoſtolus ab eo: poſtea ſacerdos eſt ordinatus: tandem creatus Pontifex. Aaronis merita pro dignitate Summi ſacerdotii conſequendâ non ignoro. Vellet aliquis tamen (quod ſcriptura ſacra non refert) ut cum elegit Moyſes, conſulente Jethro, viros, ut in minoribus judicarent populum, priùs conſtitueret Aaronem decanum, poſtea quinquagenarium, & ſic per gradus tandem frater elevaretur ad ſummum Sacerdotium; ſicut Petrus non factus eſt ſubitò Pontifex. Quare non ita? Non adeo nobilis erat Aaronis poteſtas, ut Petri dignitas: id eo minùs decoratus eſt Aaron in eo, quòd nullum priùs gubernationis munus exercens (imo cum antea ſacerdos non eſſet, ut colligitur ex iis, quæ leguntur Levit. 8.) factus eſt ſacerdotum Princeps. Aaronis perſona fuit umbra præſulum, qui ſunt in lege nova. Radulphus Flaviac. *Notandum*, inquit, *Aaron in ſequenti lectione geminam habere perſonam: & nunc Chriſti, nunc autem eccleſiaſticorum præſulum formam prætendere*, &c. Unde munus ejus adumbraſſe Pontificatum Principis Apoſtolorum, non dubito. Satis erat umbræ minor charitas; quæ viſitur in ſubitaneâ promotione ad locum valde præcelſum. Atverò longe dignior extitit Vicariatus Redemptoris, ad quem Simon aſſumptus eſt: congruum fuit ad prealtum culmen paulatim ferri. Plus honoris afferunt electiones, cùm dignus extollitur ſenſim, quàm ſi tollatur in altiſſima ſubitaneè. Radulph l. 7. in Levit. c. 1. longe poſt princ.

Non ita credunt illi: qui tunc tantùm ſe condecorari muneribus putant, quando præter aliorum ſpem, priùs quàm probentur in minoribus evehuntur ad maxima. Prorumpit ex hac deceptione fervor

25. *Ambitio cõparata peccatis aliis, quantùm excedat aliquando.*

S. Bernard. in declamat. ſup. Ecce nos aliquantò poſt pr.

vor execrandus ambitionis. Nihil non moliuntur isti : nulla difficultate detinentur : neminem reverentur digniorem, ut ei citiùs eligendo cedant. Notissima sunt germina temerarii leviter ambientis affectûs. D. Isidorus Pelus. *Ambitio*, ait, *& imperandi cupiditas, omnium causa malorum, quæ etiam bene constituta evertere conatur*, &c. Ambitionem quædam comitantur scelera: socios habet affectus pessimos, alios ad invidiam, quosdam ad odium, nonnullos ad contentionem spectantes : ambitioni quippe non inest vera fortitudo (nec enim bene vocatur strenuitas, quod invenitur esse temeritas) idcirco gaudet comitatu præ timore, quo satis concutitur de non consequendo quod amat.

S. Isidor. Pelus. l. 4 ep. 55.

Ovid. ep 6.

Alternant spesque timorque fidem.

Ambitionis pedissequa sunt quotquot mala perpetrat indignus, fortunâ pellente sublatus in altum. Hic subditorum jugum crudelis auget : evertit jura : sicutque fuit illi pro meritis felicitas, pòst est pro ratione voluntas. Insuper injuria, quam sibi finxit ambitiosus factam in eo quod alii digniores antea sollicitaverint ad eumdem locum promoveri, manet altâ mente reposta ; quò sumant ultionem abutentes potestate viliter. Accidit sæpe, delictum ex genere suo minus aggravari per accessionem effectuum pravorum sic, ut excedat plura crimina simul. Ita contingit in ambitione frequenter. Unde collata multis aliis flagitiis, adeo quandoque superat gravitate, quòd ea videantur non esse, dùm conferuntur ambitioni. Multùm gravitat ambitio trutinata per justitiæ divinæ libram.

26.

Deus animo benignè prono, per Sophoniam Judæis promisit gloriam non dissimilem priùs obtentæ. Pronuntiavit, non confundendam Jerusalem de peccatis quæ commiserat anteà. Perpende quare protulit non confundendam. *In die illa non confundêris super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me : quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo.* Commentatur ibi Theodoretus : *Cum hæc fient, & gentes salute perfruentur, vos etiam, qui incolitis Jerusalem, per fidem salutem suscipientes, priori impietate expediemini, & liberamini.* Rationem Dominus addit, quæ pluribus apparebit aliquantùm diminuta: *Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adjicies exaltari* &c. Prætermittit alia scelera, quibus inquinata fuerat urbs peccatrix, quasi nullius momenti forent. A Sanctio doceberis, quales illæ quidem extiterint adinventiones, de quibus eo loco Dominus. *Adinventionum illarum, id est, operum, quæ suos authores abduxerunt à Deo ; qualia fuerunt vis, calumnia, judicia corrupta, & tandem idolorum execranda servitus.* Hæc adeo fæda piacula qua de causâ non expressit Omniscius? Quia loquebatur de Judæorum insolenti exaltatione in urbe sancta. Superbia, de qua sequebantur incommoda tum privata, tum publica, detestabilis erat sic ut cætera delicta meritò silentur, cùm de illa sit sermo. Commentator idem : *Hîc ego meditor odiosum quidem esse Deo superbum animum quocumque in loco ; sed multò magis ubi ipse sedem sibi propriam ex multis aliis segregatam assumpsit : veluti si quis in Ecclesiis, aut religiosis claustris de primatu certet* ; &c. Absint à civitatibus refugii bella civilia ; quidem aberunt, si procul exulet ambitio pestifera.

Sophon. 3. 11.

Theodoret. com. in Sophon. ibi.

Sanct. ib. n. 33.

Idem ib. n. 35. fi.

27.

Mortem cogita : non festinabis ad munera publica.

Quàm difficulter insana cupiditas crescendi frænabitur in homine : qui non potens adjicere staturæ suæ cubitum, per altitudinem throni major fieri gestit mensurâ propriâ non contentus ! Irremediabilem non dicas tamen hujusmodi morbum: non illi sunt à regionibus exteris quærenda pharmaca : non extraordinarius medicus advocandus è longinquo. Intra pectus proprium, quò febris ardet, medicus habitat, & medicamen invenitur : necnon officina, qua paretur medicamentum. Subeat vicem prudentis medici voluntas illuminata desuper ; ac timore ministro formetur in pharmacopolio mentis propriæ medicamen cogitationis de finali judicio Dei. Nequaquam judicare concupiscet qui se meminerit judicandum. S. Laurentius Justinianus : *Quoties enim*, ait, *immissiones præsidendi nobis fiunt per angelos malos, vel suasiones fiunt per homines bonos, aut ex concupiscentiâ carnis, & vitæ hujus immoderatâ affectione cogitationes in nobis formantur, sed propriæ recurramus infirmitatis examen, ad pavendumque extremæ animadversionis judicium, & omnino desiderium fugabitur dominandi.* Amarum experieris poculum istud ; sed salubre, nec difficile quæsitu. Quia verò multoties minùs hominem percellit metus extremi judicii propterea quòd attineat cunctos ; ægris ejusmodi consulerem privati judicii sui memoriam, subeundi statim post mortem : nam si recogitent istud, haud in eorum cordibus exurget ardor superbus ascendendi citiùs ad solium. Obitum cogita, quem sequetur examen districtum ; & munera publica non desiderabis obire festinanter.

S. Laur. Just. de instit. præl. c. 1. post med.

28.

Occasione strenuissimæ confessionis Divinitatis Redemptoris nostri ; quam adversùs erroneas opiniones hominum protulit Petrus, promisit ei Dominus claves regni cœlorum. *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis : & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Licet potestatem Pontificiam repromiserit hoc loco Dominus Petro ; verba præcitata facultatem referandi cœlum sonant. S. Hilarius : *O beatus*, inquit, *cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur*, &c. Cum Simon tunc temporis non recepisset adhuc intellectûs lucem supernam consummatè ; demirabar quare non clariùs Dominus ei fuerit locutus, ut apertiùs perciperet, agere Magistrum de munere pastorali super terras exercendo. Contingere potuit, Apostolum audientem, sibi tradendas fore claves regni cœlorum, nihil functionis hujus in vita mortali præstiturum intelligeret ; sed crederet, post obitum fore constituendum ad Empyrei

Matth. 16. 19.

S. Hilar. can. 16. in Matth. post med.

januam, quò militibus Chriſti de prælio venientibus ingreſſum patefaceret cœleſtis curiæ. Quare Præceptor optimus permittit ut diſcipulus ita decipi potuerit? Quoniam ſi Petro contingeret iſta deceptio, non foret inutilis ei: nam ſic recordatus mortis (poſt quam exiſtimaret, ſe functurum exercitio clavium, & pariter judicii privati, quod mox obitum ſequitur) non deſiderio properaret anhelus ad poſſeſſionem dignitatis: timor namque veniens à memoriâ mortis, judiciique Dei, contineret cor ejus, ne maturari cuperet honorabilem functionem. O quam frigeſcerent excelſas dignitates venantium ſtudia, ſi vitæ finem, rationemque ſtatim Deo reddendam jugiter meditarentur!

29. *Adminus velint pro craſtinari dignitatem qui non fugiunt.*

Cernis, intra metipſum hominem antidotum reperiri poſſe proficuum ambitionis veneno propulſando. Proh dolor: non utitur homo ſuperbus medicinâ facillimè parabili, potiùs ipſe, necnon & complices infirmitatem fovent, qua miſerabiliter anima laborat. Faciliorem adhuc oſtendo ſanitati recuperandæ viam. Exempla recole prudentum, qui ſuperiores proclamari renuerunt: forſan aperies lumina, quibus videas, non eſſe nimis cupiendam ſuperioritatem, quam tot ſapientes declinarunt. Et ſi nec iſtâ meditatione conquieſcit aviditas majoritatis, miſerum dicam ægrotum, qui tam efficaci, facilique medicinâ minime convaleſcit.

Humbert. l. 2. de modo promptè &c. cit. 7.

Humbertus: *Mira*, inquit, *imo miſera res: Chriſtus, Saül, & gentiles fugiunt regnum, & quidam electores inſtante electione aliqua ambiunt ſuam promotionem.* Quantum extet honoris onus fatebuntur experti: non equidem cuncti: nam perplures alleviant pondus muneris publici dormientes. At vigiles interrogemus: aperient quàm durè crucientur ii, qui dignitatum cruces humeris portant ſtrenuè. Dolores, quibus afflictantur iſti, noſcens haud peroptabit ſimili cruci figi, niſi ſtulteſcat. Idem Humbertus: *Quam ſtultus*, ait, *ergo eſt qui hujuſmodi dignitates libens reci it, de quarum receptione viri ſapientes ita dolent: Utinam qui dignitates affectant, cum illis conferrent, qui earum ſtatum ſunt experti.* Quia tamen infirmantibus morbo graviſſimo, cùm aliter obedire medico nolunt, iſte prudenter & coactus connivet aliquid eorum appetitui gratum, cui miſceat medelam; prætereamus amantibus honoris inculcare fugam à præfecturis: contentus eſſem, ſi non percuperent accelerari ſibi munus publicum; ſed econtra differri veraciter exoptarent. Hoc modo ſaltem vis ambitionis enervetur, ne fortiter quatiat animum. Adminùs velint ad longa tempora procraſtinari dignitatem, qui fugere non deliberant illam.

Idem. ib.

30. Numer. 20. 25. 26.

Incredulitatem Aaronis decreverat punire Dominus, non ei concedens promiſſionis Terram feliciter adintrare. Mors illius inſtabat: quam ſic Omnipotens diſpoſuit: *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.* Notum eſt, illam veſtem fuiſſe pontificalem. Liranus ibi: Veſte ſua, *id eſt, tunica pontificali.* Notatuque dignum, ſic diſpoſitum à Domino, ut Eleazarus indueretur pontificio veſtimento, priùs quàm expiraret pater ſuus. Idem Lira: Indues ea Eleazarum filium ejus: *ut antequam moriatur, videat filium ſuum ſui honoris ſucceſſorem.* Indagemus quid myſterii lateat in iſtâ ſpoliatione veſtis, qua veſtitus eſt ſucceſſor Aaronis. Quænam ratio cogebat, ut hoc fieret vivente patre? Moriatur Aaron: & poſtea cadaver exuatur illâ tunicâ; deinde filius induetur eâdem. Vide quid cenſeam. Si poſt obitum parentis gnatus induendus foret, forſan concupiſceret tradi citò ſibi ſucceſſionem Pontificatus: *quia*, ait Cornelius Alap. *juſſerat Deus, ut primogeniti patri ſuccederent in Pontificatu*, &c. Eleazarus equidem erat conſecrandus in ſucceſſorem ſummi Sacerdotii per induitionem ejus tunicæ. Commentator idem ſic habet: *Itaque Eleazarum hoc ſolo veſtitionis ritu, ſine alia unctione, vel conſecratione, in monte hoc conſecravit Pontificem, & patris ſucceſſorem.* Videns filius exui parentem, & ſe veſtiri; mortem ejus agnoſcens, amore filiali ductus non deſideraret genitorem ocyus emori, quò citiùs ipſe conſecraretur Pontifex per veſtem à patre ſuo tollendam: quinimo veroſimiliter cuperet ipſius vitam extendi; quantumlibet ſibi propterea dignitas Pontificia protelaretur. Tantum abeſt, ut prudens ad munera præcelſa ſuſcipienda feſtinet; quòd potiùs ea retardari libens optet. Dilationis deſiderio non difficulter ambitioni præſtruitur aditus.

Lira ib. n. 29

Idem ib.

Cornel. Alap. ib.

Idem ib.

31. *Congruit nõ deſiderare fervidè prælaturam; quamvis aliquando deperdatur meritum aliquod.*

Adeo periculoſa ſunt præſidendi vota, quod etiam ſi quis ex laudabili fine (& quam rarò contingit hoc!) cupiverit Præſulatum, iſte ſit adhuc timendus: nam frequentiſſimè continget, aliquos antequam eligantur, proponere perfecturos opera bona ſi fuerint electi; poſtea verò conatus iſtos non exequi. S. Gregorius Papa: *Sed plerumque hi, qui ſubire magiſterium paſtorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quamvis hoc elationis intentione appetunt, operaturos tamen ſe magna pertractant*: &c. & infra: *Quamvis plerumque in occupatione regiminis ipſe quoque boni operis uſus perditur qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari recte navem & imperitus ſe nauta dirigit: turbato autem tempeſtatis fluctibus, etiam peritus ſe nauta confundit. Quid nanque eſt poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis?* Cum hæc ita ſint, & affectus humani ſæpe ſæpius fallant nos miſerrimos, cavendum prudenter à deſiderio gubernandi. Licet perdas aliquod meritum in exercitio regiminis conſequendum, potius optarem tibi jacturam, quàm diſcrimen.

S. Gregor. Mag. to. 1. p. 1. Paſt. c. 9.

32. 1. ad Timo. 3. 1.

Exemplum ſequar à longe ſpiritualis magiſtri communis D. Pauli. Scribens ad Timotheum, dicturus qualis bonus futurus eſſet Epiſcopus, præmiſit hæc verba: *Fidelis ſermo: Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Incongruum judicaret ſciolus aliquis, Apoſtolum hæc dixiſſe:

timer

timeri nanque potuiſſe reputabit, ut nonnemo laberetur in ambitionem epiſcopalis officii, propterea quod Paulus aſſeveraret, eum qui dignitatem illam optaret bonum opus concupiſcere. An præceptor prudentiſſimus doctrinam præbens, offert occaſionem peccandi? abſit hoc. Ergo quare loquitur ita? Sciebat, hominum fragilitatem ut plurimùm non fervorosè præcordiis amplecti quod bonum eſt; ſed facilè negligere quod meritorium exiſtit: dixit eapropter (loquens eo tempote, quo propter neceſſitatem Eccleſiæ deſiderium epiſcopatus foret laudabile) dixit, inquam, ejuſmodi votum eſſe deſiderium operis boni: quia vellet ex cautela ne ſubintraret ambitio, quòd nullus prætextu peroptandi boni, ferveſceret ardore conſequendi munus epiſcopale. Forte plures ita non curarent de merito, quod aſſequerentur in exercitio prælaturæ: permittebat jacturam Paulus, ne contingeret ut laberentur præ dilectione boni operis in ambitum Præſulatus. Metuo nimis lapſum gradientibus adeo per apices, ut culmina præfecturarum, ſanctis atque peritiſſimis timenda, deſiderare ſe nobis inculcent, quia ſic neceſſarium judicant ad utilitatem publicam. Rarus erit, qui tenens hanc viam non feſtinet imprudens: & virtutis ejuſdem *ſubſtantia feſtinata minuetur.*

DELIBATIO III.

In virtute novitii ne feſtinent indiſcretè ad perfectionis apicem, & magiſterium ſpirituale.

33. *In virtutis initio quàm humiliter procedẽdum.*

IN meditatione ſacrarum litterarum dantibus operam, de temporaneis opibus tranſitus pervius occurrit ad ſpirituales divitias: cum ex contrariis unum ſuſcitet alterius memoriam; & facultates animæ conditione ſuâ valde contrarientur caducis theſauris. Ad litteram textum expendens, necnon & priori Delibat. dixi de materialibus gazis. Inde manuducor ad ſpiritualem virtutum poſſeſſionem: nam etiam hæc animæ *ſubſtantia feſtinata minuetur*, prout notavit Janſenius hoc loco, dicens: *Item qui ſubito indiſcreto fervore perfectionem virtutis ſibi vendicant, frequenter experientia teſte quod ſubito amplexi ſunt, ſubito derelinquunt.* Lacrymis equidem ſatis dignum eſt per imprudentiam perire frequenter animæ bona; cum ſint à maris fluctibus, ab inimicis & latronibus exempta. Non patior elegantiam S. Proſperi tacere: canentem audi.

Cornel. Janſ. Epiſc. Gandaven. in com. hîc.

S. Proſp. Aquitan. epigr. 76.

At bona juſtorum nullis obnoxia damnis,
Hoſtes, furta, ignes, & mare non metuunt.
Indemnis proprium ſervat ſapientia cenſum,
Nec perdunt meritum paxque fideſque ſuum.
Omnis virtutum ſemper ſubſtantia ſalva eſt,
Invitis Chriſti munera nemo rapit.

Quæ non devaſtabit incendium, non prædabitur fur, non tempeſtas merget, non hoſtis capiet, imprudens homo per feſtinationem amittit; ruunt ſicut accidit per ſcalam nimiùm properantibus. Plurima ſunt ſpiritualis viæ primordiis ardua. Præter alia, quæ dimitto, conſulendum eſt, inſipientibus attentè procedendum; non autem rapido curſu conandum attingere perfectionis verticem. Ita cautè congruit operari, quaſi putes, ad illud ipſum benè geſtum, quod operatus es, non adhuc te perveniſſe; potiuſque ſperare, quàm perfeciſſe factum: quinimo per alium rem fore deducendam ad perfectionem. Principiis invigila: ne vel in unico virtutis opere totum illud conſummaſſe facile credas.

34. Moyſes deſcribens exordia mundi, venit ad Enos filium Seth ab Adamo geniti. De illo ſic enarrat: *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Quo pacto ſit hoc intelligendum docuit interpres luculentiſſimus Pererius. *Verius*, ait, *igitur dictu fuerit, propterea Enos dici primum invocaſſe nomen Domini, quia ſuper omnes priores pius & religioſus erga Deum fuerit. . . . vel quia iſte primus certas quaſdam precationum Dei formulas condidit, certoſque ritus & ceremonias divini cultus adinvenit*: &c. Mirum eſt, quod aſſeratur de viro tam pio, cœpiſſe nomen invocare Dei: quod ſonare videtur invocationem non conſummatam: præſertim, ſi Vulgata lectio ſecundùm verſionem ſeptuaginta interpretum explicetur, qui ſic habent: *Iſte ſperavit invocare nomem Domini Dei* &c. Certè perfectus extitit Enos in Deo colendo, prout habemus ex Ruperto, dicente: *Quia ſecundùm nomen ſuum, quod interpretatur, Vir, perfectè Deum coluerit*: &c. Qua ratione dicitur ergo cœpiſſe, cum ad perfectionem Deum colendi pervenerit? Humilitate præditus erat. Et cum ei contigerit eo tempore virtutem ſectari, quo non erat illa provecta nimis; cavens nocivum bonis faſtum, etiam cultum ipſum Dei, quem tenuit perfectè, non exiſtimavit abſolviſſe: potiùs ita ſe geſſit animo ſubmiſſus, ut ſperaverit invocationem Domini perficiendam à poſteris eſſe: non ſibi confidens, haud complacebat in opere bono ſuo velut conſummato, ſed operatus fuit ut expectans agere quod egerat. Dictis favet S. Auguſtinus. *Quid*, inquit, *ſibi hoc vult*, ſperavit invocare, *niſi quia prophetia eſt, exorturum populum, qui ſecundùm electionem gratiæ invocaret nomen Domini Dei?* Et infra: *Satis oſtenditur, quod non in ſeipſo ſpem ponere debeat homo. Maledictus enim omnis, ſicut alibi legitur, qui ſpem ſuam ponit in homine: ac per hoc, nec in ſe*, &c. Malum etiam in bono tyrones vereantur: ne jam ſumma tenere credant: non alit cibus adeo ſolidus lactentes; imo gravantur ſcelere ſuperbiæ temerarii. Vide to. 2. fl. 26. à n. 27.

Genes. 4 26.

Perer. com. in Geneſ. l. 7. n. 98. §. Verius.

Lect. Septuag. Gen. 4.

Rupert. l. 4. in Geneſ. c. 13.

S. Aug. to. 5. l. 15. de civit. Dei c. 18.

35. *Superbientes de virtute caſus tam propinquus eſt, ut jam cecidiſſe videatur.*

Scio quanta ſit virtus illa, quam inter aſcenſionis animæ gradus primò numeramus; humilitas nempe. Terræ proxima pergit, & cœlo pene moratur. Sicut ſatis repetitum, ſic nunquam nimis expenſum eſt, humilitatem homines evehere in converſationem Angelicam: nam cum

ſit eadem contrariorum diſciplina; ſuperbia fecit ex Angelis dæmonia: ſubmiſſio ſpontanea reddit ex hominibus velut Angelos. Prodeſt Joannes Abbas, dum ait: *Qui humilis eſt, ex humilitate omnis monaſticæ & Angelicæ converſationis perfectionem poſſidet*, &c. Nihilominus convenit humili, cùm nititur ad virtutis progreſſum, judicare de ſemetipſo viliter, ne præ ſuperbia decidat miſerrimè. S. Bernardus: *oportet*, ait, *namque humiliter ſentire de ſe intentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe: niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus.* Velut obliviſcitur ſuî, quò revertatur in ſemetipſum, cum ceciderit, ille, qui majores nido pennas extendens in re virtutis geſtit evolare, vix firmiter greſſus ponere valens. Proinde qui poſt volandi temerarium auſum decidit, quaſi non invenit locum in quo prius erat, ut in illum recidat præſumptuoſus denuo verſus ad incunabula: ſed ad inferiorem ſtatum proruit, quàm tenebat antea. Fallit iſtos (ut putant, natos in ſenectute virtutis) vana fiducia, nec ſemper tollens ab eis metum ruinæ penitus. Aliqui ſatis advertunt labendi periculum, ſi præſumant: ſed non exiſtimant, in ipſo præſumptionis ortu jam diſcrimen præſens adeſſe. Tentant igitur majora viribus; cum propoſito ceſſandi per humilem agnitionem propriam, ſi docuerit experientia, non eſſe progrediendum ſtatim, ſed poſtea. Decipiuntur: nam confidentia nimia quocúmque tempore vicina lapſui vivit. Quinimo jam illamet hominem præcipitat cogitatio præſumptuoſa. Proficuus erit Auguſtinus, loquens aliorſum. *Talis itaque cogitatio præcipitat hominem, qua quiſque terretur, ſi ſe in audaciam quamdam præſumptionis erexerit, & de ſuis viribus juſtitiaque præſumpſerit, & propoſuerit animo implere juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege ita facere ut in nullo offendat, atque in poteſtate ſua ſe habere vitam ſuam: ut omnino nuſquam labatur, nuſquam deficiat, nuſquam titubet, nuſquam caliget*, &c. Superbientis de virtute caſus tam propinquus eſt, ut jam cecidiſſe videatur: non lapſus eſt adhuc quia periclitatur de ruina; ſed quaſi non ſtat, quia decidet quamprimùm.

Joann. Abb. in ſchol. ad grad 25 ſcal. S Joann. Climac. c. 19.

S. Bernard. ſer. 34. in Cant. poſt pr.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 31. in præfat.

36. Sciens Apoſtolus quantùm incutiendo terrori valeant aliorum exempla; quibus malum contigit, quod nobis poterit evenire; docebat ſcripto Corinthios, commemorans Judæos ingratos à Domino propter peccata punitos, ut illos à ſimilibus abſterreret. Superaddit hæc verba prudens Magiſter: *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Opponi ſibimetipſi videtur hæc ſententia Pauli: nam cui monitio fit ut non cadat, ſupponitur, adhuc non cecidiſſe: qui verò non dicitur ſtans, potiuſque profertur exiſtimans ſtare; cum agitur de lapſu contrapoſito cum ſtatione, jam inſinuatur corruiſſe, quantumlibet ſe ſtare putet. Quænam Gentium Doctori mens præcitatis verbis? Dirigitne ſermonem ad prolapſum non agnoſcentem ruinam ſuam præ cæcitate ſpiritûs? An ad ſtantem, qui periculo cadendi ſubeſt?

1. ad Corin. 10. 12.

Ad expoſitum diſcrimini labendi fatur; ſed tam approximatum caſui, quòd jam non ſtare videatur; ſed exiſtimare quod ſtet. Bellè S. Joannes Chryſoſtomus ad eum locum: *Et bene dixit*: Qui ſe exiſtimat ſtare. *Non enim ſtare eſt, ut ſtare oportet, quando quis ſui ipſius viribus confidit. Si quidem quamprimùm ejuſmodi homo cadit.* Non itaque ſeipſum deſtruit effatum ſapiens Apoſtoli. Maneat ex hac meditatione firmatum quàm ſit infirma de ſoliditate propriæ virtutis præſumptio, cum jam ferè jaceat homo de ſemetipſo confidens nimis: in ipſo præſertim ſuæ converſionis primordio; quô multum properanti ſanctitatis tota *ſubſtantia feſtinata minuetur.*

S. Joann. Chryſoſt. to. 4. hom. 23. in 1. ad Corinth. ib.

Longe pejus eſt, quòd præſumentes nonnulli, progreſſi paululum in ſalutis via, ſatis inſolitâ ſibi, jam audent interrogantes docere quà ſit eundum: forſanque ſemetipſos ingerunt ad magiſterium. Damnabilior eſt hæc ſuperbia: nam illi, de quibus proximè dicebam, ſibi ſolis errant; iſti verò nocent aliis & ſibi. Non adeo commendabilis foret ſpiritualis ductor, ſi non rarus eſſet: non omnium eſt docere. S. Ambroſius: *Non omnes ad docendum idonei; utinam omnes ad diſcendum habiles.* Ratio eſt in promptu, ex eodem S. Doctore deſumpta: *Debet enim*, ait ille, *is qui docet, ſupra eum qui docetur excellere*: &c. Præcellentiam iſtam reſpectu diſcipulorum difficillimè credet abſque ſuperbiâ tyro. Si verò ſe fatetur non ſuperare quem hortatur, qua fronte magiſter fiet ejus vel rogatus? nedum ſuam offerens diſciplinam? In bivio ſatis arduo poſitus eſt juſtus novellus quoad materiam ſubjectam. Vel enim æſtimat, ſe meliorem docendis incipientibus, vel non. Si primum, vereor quod ſuperbit: per ſuperbiam ſtulteſcit; incapax ergo fit magiſterii. Si ſecundum, conformiter ad Ambroſii regulam, temeritate fertur in officium præceptoris. Ex his concludam, abſtinendum noviter illuminatis à dirigendis animabus: ne fiant ſicut arundinei baculi; qui non ſolùm decipiunt viatorem firmantem greſſus fortiter ſuper arundinem; ſed ipſi franguntur, & inutiles fiunt. Urgebis. Quid ergo faciendum, ſi charitas proximi, vel aliud motivum honeſtum inſtet ita, quòd oporteat, novum hominem in ſemita recta lucem præbere ſedentibus in tenebris? Reſpondeo. Tunc non ille ſibi ſoli fidat; ſed adjutorio ſocii prudens utatur. Nequaquam, cum reliquos inſtruit, procedat in ſe tantummodo confidens: provectorum eſt non aſſociatos exercere magiſtri munus.

37. *Provectorum tantùm eſt non aſſociatos exercere magiſtri munus animarum.*

S. Ambroſ. to. 4. l. de obitu fratris. longe poſt princ. Idem ibi l. 2. ad ſororem. in pr.

Tempus advenerat evangelicæ meſſis, quam venerat in terras collecturus Patri cœleſtis Agricola. Sed cum tempore belli cogantur aliquando milites enſibus pro falcibus uti; præliis inſtantibus, gladio verbi Dei ſegetes erant reſecandæ. Duodecim operarios miſit ad colligendos fructus. Et nota, quòd non ſingulatim quemque permiſit abire ſolum; ſed adhibito ſocio. *Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere*

38. Marc. 6. 7.

tere binos, &c. Non vacat mysterio prædicta providentia Filii Dei: nam Hugo Card. ibi commentatur: Binos, *charitate concordes Eccle.* 4. c. Melius est duos simul esse, quam unum. Habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero fulcietur &c. Expositio Purpurati præbet ansam dubitandi, quare non similiter post adventum Paracliti, cœlitus dispositum est ut in partitione orbis terrarum nullus ex Apostolis iret solus ad Evangelicam prædicationem; sed pergerent omnes bini? Dubium solvetur facilè. Prius adhuc Apostoli non erant omnino consummati. Mittens illos binos redemptor tacitus insinuavit, ne quisque sibi soli confideret; sed aliquando susciperet juvamen à commilitone postea jam eorum perfectionem compleverat Spiritus almus: ac proinde tam sollicita cautio necessaria non erat. Videant qui sub disciplina magistri spiritualis degunt, adhuc rudimenta discentes vitæ, quæ liberat hominem ab æterna morte, ne præsumentes docere contendant, confidentiam statuentes in semetipsis: non enim aliquando tantùm frustrabitur opera; sed animæ jacturam faciet operarius.

Hugo Card. ib.

39. *Magistri spirituales illabantur, aliquando non assurgunt.*

Expendatur hoc periculum trutinâ lentiori. Fateor, nullibi tutum figi pedem, quandiu terimus vitæ mortalis iter. Agnosco, volentem absque prorsus ullo discrimine singulas virtuosas actiones operari, declinaturum ad inertiam; & fore sicut pigrum, qui propter frigus arare non vult; & ob æstum renuit metere. Nihil operabitur fere qui pericula cuncta remota peccandi (de quibus tantùm loquor) vitare decreverit. At in materia, quam tractamus, vel discrimen erit proximum, vel ad minùs maximum. Præsertim hoc accidere solet imperitis: quorum audacia magistri munus aggreditur inconsultò, præcipitique nimis ausu mederi volunt morbis, quos non agnoscunt. Prædictis possent aptari verba Magni Gregorii, qui ait: *Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate. . . . sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt*: &c. Accedit, cordis morbos, non foras prorumpentes; egere multâ medentis peritiâ: nam cor hominis inscrutabile; si que pravum sit, per versutiam plùs recondit nonnunquam ægritudines. Istis cum ignoranter applicat medicinam sciolus, nec hujus errorem terra tegit; nec errat impunè. In aliis quibusdam generibus peccat quis, & facile surgit; ille verò, qui docens animas deliquerit, multoties non exurget à lapsu: nam superbia movens ad temeritatem docendi non prudenter, postea detinet eumdem per impœnitentiam, ne restauretur. Timendi valde sunt casus instruentium animas: non semel contingit ut hi cadentes haud assurgant.

S. Greg. Mag. to. 1. part. 1. past. c. 1.

40. Accommodum se præbet ita Deus inclinationi mortalium non damnabili, quod piscatores vocans dixit eis, officium piscationis hominum exercituros. *Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Non prohibuit munus piscatorium; sed mutavit. Curiosè rem depinxit Paschasius, dicens: *Mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum. Fit mare sæculum, navis Ecclesia, pisces boni malique homines, qui in sæculo fluctibus quatiuntur.* Non deerit cui magis placeret, animarum capturam similari venationi ferarum, quam piscium captioni: tum qnia factus erat orbis incultus velut horridum & sterile desertum à belluis inhabitatum, hoc est ab hominibus belluino modò viventibus: tum quia pisces retibus non resistunt, quamvis conentur expedire se; feræ autem insurgunt multoties adversùs venatorem. Doctrinæ quidem Evangelicæ multa parabatur ab incredulis resistentia. Qua proportione discipuli capturi per disciplinam veritatis. homines non hic venatoribus æquiparantur; sed piscatores futuri dicuntur hominum? Quia venator si cadat, surgit non difficulter; piscator autem si labatur in æquore (præsertim si non sit gnarus valde) sæpe submergitur, & perit. Haud aliter verbo ducens alios ad salutem, si præ nimia confidentia pede fallente ruit, accidet non rarò quòd mergatur in undis, & æternum intereat. Pretiosum comparare lucrum poterit munere suo; sed aleam periculosissimam subit, si nec sapientia, nec experientiis instructus quantùm satis, naviculam suam ducat in altum, & retia laxet in capturam.

Matth. 4. 19.

Paschas. l. 3. in Matth. ib.

41. *Qui graviter peccavit non festinet ad hortandum alios.*

Præcipuè periclitantur in exercitio docendi viam vitæ qui recens de sceleribus gravissimis pœnitentes revocati sunt à sepulchro. Temerè sæpe doctoris provinciam assumunt isti; quamvis litterarum peritiâ polleant. Similes non parùm sunt valetudinariis: quibus ad perfectam salutem consequendam congruum foret non accedere de propè laborantibus contagioso morbo, quem & ipsi fuere passi; ne per reliquias ægritudinis manentes adhuc in eis, denuo serpat infirmitas eadem. Adstipulatur aliqualiter dictis Clemens Alexandrinus. *Consequens* inquit, *est ergo, ut qui ut proximis profit curam suscipit, consideret nunquid audacter ac temere, & aliqua æmulatione ad docendum profiluerit? . . . tum cogitet an à sordibus corruptelisque semper alienus vixerit, qui per litterarum monimenta loquitur.* Scio, pœnitentiam vires animæ fortiter ita restaurare, quòd post enormia delicta vigeat animus persæpe, quasi non fuisset infirmatus. At etiam novi, pœnitentiam appellari solere tabulam post naufragium: qua quidem apprehensâ nequaquam penitus in tuto portu collocatur homo; sed cum pravis cogitationibus colluctatur; quibus favent habitus vitiosi, peccatorum germina. Cum aquis luctanti congruum non est vocare periclitantes ad societatem ejus tabulæ, quam apprehendit, ut eriperetur à naufragio: nam sic fiet ut ille simul cum sociis obruantur aquis. Examinet igitur seipsum qui graviter deliquit: & memor infirmitatis propriæ non acceleret nimis ad hortandum alios: de se diffidens dubitet an jam tempus adsit,

Clem. Alex. l. 1 strom. longe post princ.

quo

quo citra periculum attendat ſpirituali bono cæterorum.

42. Poſtquam Princeps pacis exortam ſedavit inter ſuos primarios milites contentionem : ſciens, cordium diſſidia placari metu ſuperveniente (necnon agnoſcens, diſſidentes in unum convenire, dato quòd inſurgat hoſtis, qui pugnet adverſus ambos) loquens ad Petrum, notificavit Apoſtolis, quòd Satanas expetiſſet eos, ut
Luc. 22. 32. cribraret. Expende quæ ſubdidit : *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Exponit ibi Theophylactus : *Poſtquam negato*
Theophylac. com. in Luc. ibid. *me fleveris & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros.* Ne prætereas illud *Aliquando*, quod legitur apud Lucam : nam adverbium iſtud tempus determinatum non deſignat ; multòque minùs poterit ſignificare *Statim* : nec Simon tempore paſſionis Dominicæ confirmavit Apoſtolos. Maldonatus ad hunc locum : *Nec enim tempore*
Maldon. com. in Luc. ibid. *paſſionis cæteros Apoſtolos Petrus confirmavit.* Et infra vocem illam, *Aliquando*, ſic explicat : *id eſt, ſi quando opus erit, ſi quis aliquando in fide nutabit. Quod omne futurum reſpicit tempus.* Non poſſum non, dum hæc mente voluto, recordari celeritatis, qua Joannes Baptiſta venit ad officium prædicationis à Domino ſibi commendatum.
Luc. 3. 2. 3. *Factum eſt*, ait S. Lucas, *verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, &c. Particula, *Et*, conjunctio eſt, & hîc valde conjungit prædicationis initium cum Dei mandato. Cardinalis Toletus :
Tolet. Card. com. in Luc. ib. *Cum primùm*, ait, *enim Dei vocem audivit, ſine morâ penetralia deſerti, in quo latebat, relinquens venit in partes deſerti patentiores, & inde totam regionem Jordani circumjacentem.* Pungit nunc ampliùs hæſitatio, cur in confirmatione fratrum commendatâ Petro fuerit additum illud *Aliquando?* Judico, divinum Præceptorem ſic locutum, ne pntaret Apoſtolus, mox atque ſurrexit per pœnitentiam à ſtatu peccati, jam oportere de confirmandis agere fratribus : imo congruebat ei dubitare, ſimul & examinare prudenter, pro quo tempore foret intelligendum illud, *Aliquando.* Primò ſtatuit Petrus, non congruere quamprimùm flevit amarè, ſtatim confirmationem aggredi condiſcipulorum : nuper quippe ceciderat ille. Diſpar erat multò ratio de Præcurſore : cui datum eſt nunquam lethali noxâ ſe fœdare. Munus ergo prædicationis arripiat feſtinus iſte, lentiùs circa fratres confirmandos Apoſtolus deliberet. Magis convenit noviter converſis uſus oculorum ad lacrymas, quam linguæ pro doctrinâ : licetque fletus interdum pondera vocis habeat ; opportunum eſt, arcanè plorare pœnitentem, quaſi cenſeat indignum ſe luce frui. Cum verò moniturus alios non ita ſepeliatur ; ne maturet nimis : quia *ſubſtantia feſtinata minuetur.*

DELIBATIO IV.

Opes volant ad rapinas. Hereditariæ diſſipantur. Prodigi ſupplicium quoddam. Punitio per delectabile. Aliquos aliena experientia non retrahit à voluptate.

43. *Divitiæ volant ad rapinas.*

SUbſtantia. Cum ſit indubium, vocem iſtam ſignificare facultates ditis ; non præteribo modum iſtum loquendi. Divitiæne metipſæ properant ut ſibi jungant novos cumulos auri ? Homo quidem eſt, qui præceps feſtinat, ut inſequatur fugitivas opes. Quo ſtylo dicitur ergo : *ſubſtantia feſtinata* ; Scio valere : Subſtantia feſtinatò parta ; ſed ad mores inſtruendos permittendum nonnihil audere. Dicendis præmitto ſimilitudinem. Vulgò ſic loquimur : Febris hæc expetit aquam ardenter ; quamvis non febrilis calor, ſed æger cupiat lympham. Ita, licet hominis extet feſtinatio, quò gazas coacervet ; quodam modo aurum ipſum cupidum eſt augmenti, feſtinatque per fas atque nefas incrementari. Cauſaliter accipienda phraſis hæc : novimus enim quot origo malorum ſit aurum. Ipſi crede fatenti ſuas veluti culpas, dum per proſopopæiam loquitur apud Mapheum ſic ; *Scio equidem originem me eſſe omnium malorum, quæ mortales invicem machinantur, ſcio me*
Maph. Veg. diſp. inter ſolem terrã & aurum ſub tit. aurum &c. *præſtare cauſam omnibus eorum obtrectationibus inſimulationibus, proditionibus, furtis, concuſſionibus, compilationibus, jurgiis, contentionibus, litigiis, fraudibus, dolis, cavillationibus.* Multum deturpatur ſplendor auri per hoc quod velut inhiet ad prædandum. Video, per juxta poſitionem creſcere. Sed ac ſi prædis nutriretur, quaſi feſtinum ad illas convolat : alis fertur opulentia velox ad rapiendum : non dedignatur rapinis ali.

44. Audi noſtrum Paræmiaſtem. *Ne*, inquit, *erigas oculos tuos ad opes, quas non*
Prover. 23. 5. *potes habere : quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Adverte Salomonem explicari poſſe de divitiis, quas homo jam poſſidet iniquis mediis congregatas. Accipe Salazaris interpretationem. *Per eas divitias, quas homo* habere
Salaz. com. in Prover. ib. n. 51. non poteſt, *opes intelligo injuſtè partas, quæ præ cæteris infidæ ſunt, & fugaces*, quas habere, *inquam*, non potes, *hoc eſt licitè obtinere* : &c. Dicet quis : Eccleſiaſtes intendens divitiarum fugacitatem ſub ænigmate proponere ; cur non eas modò compoſuit fumo : qui vapor inanis eſt, celeriter abit, & etiam aſcendit ſurſum ? Conjector ita locutum, quia vidit aquilæ ſimilitudinem accomodatiorem pro magis exprimendâ conditione facultatum, quæ vetitis modis conquiruntur. Sed quære ? Quia fumus nihil alienum aufert ; ut augeatur ; aquila nutritur ex rapina : cernit à longe prædam, avolat ut rapiat ; & ſic alitur non dedignata furtum ; quamvis inter aves nobiliſſima ſit. Non diſſimiliter,

militer, etsi gazæ nobilitate clarescant (hoc est, nobiles apud sæculum constituant): attamen eas non pudet ex rapto frequenter incrementa capessere. Contra divites malos urget ista doctrina: sed cum illorum fames non alio pascatur, quàm novis opum augmentis, quas nimis diligunt. Idcirco, licet dives ipse festinet iniquè plùs ditari: quodammodo censere possumus, quòd ad crescendum festinat ipsa *substantia.*

45. *Possessiones hæreditate paternâ quæ sitæ sæpe dissipantur à filiis.*

Festinata. Litteræ rigorem curans dimisi quamdam acceptionem hujus nominis: quam nunc pro morali doctrinâ recolligam. Hæc asserit, loqui Sapientem de fortunis acquisitis labore nullo. Istæ duplici titulo vocari queunt fortunæ: tum quia forti diripienti subsunt, sicut cæteræ; tum etiam quia fortuna (sic loquimur) donavit eas felici. Acceptionem istam approbans inquit Salazar: *Hæc igitur imminuentur, quia opes illas, quas quis sine labore obtinuit, minoris æstimat: atque adeo temere profundit:* &c. Sicut res per quas nascitur causas, per easdem resolvitur: ita modus intereundi sæpius imitatur modum nascendi. Citò flos emoritur; qui brevî nascitur. Velocitatem, qua dispergunturopes fortuitò venientes absque laboriosâ possidentis industriâ, non difficor ab ipsâ rerum naturâ promanare. Quasi tamen parum foret, ipsas utpote caducas vergere festinanter ad interitum, solent heredes opulentorum festinâ manu dissipare thesauros inventos, in quibus acquirendis minimè desudarunt. Dionysius Carthusianus expendens præsentem parabolam: *Sæpe quippe*, ait, *contingit quòd hi qui divitias celeriter & faciliter adipiscuntur, eas parum appretiantur, prodigaliterque expendunt: & sicut eis accesserunt, sic ab ipsis recedunt.* Præcipua ratio, qua nititur opinio mortalium plurimî facientium terrenas possessiones, hæc est, quæ sumitur à multô diuturnôque labore, cujus pretio comparantur. Invenienti sepultos aggeres pretiosi metalli nihili constitit argenti copia, vel auri: propterea tamquam aurichalcum ducit illa. Non insolitum est, vitia parentum ad filios traduci; sed multoties haud ita contingit in avaritiæ turpitudine. Tenax pater congessit in sacculos; prodigus gnatus conjicit in aëra. Dissidet à genitore genitus: non ut emendetur malum; sed ut in aliud extremum transeat, in eo simile priori, quòd utrumque piaculum originem habet aërem vanitatis. *Aër, qui summo manè præcociter absorbet nebulam, ferè affatim à prandio mittit pluviam. Neque solent admodum retinere filii quod congesserunt parentes avari.* Unus & alter furor, scilicet congregantis, & expendentis, aëreæ conditionis est. Vana fuit avaritia paterna, labores multos impendens, ut filios redderet ita divites: qui sub una luce pauperes voluntariè facti sunt. Necnon est vanissima prodigalitas luxui superbiæque donare bona reperta. Certissima sunt quæ præmisi: non pigebit attamen ex Pagina sacra firmare, quam periculosum sit, possessiones hereditate quæsitas à filiis dissipari.

Salaz. com. Prov. 13. 11.

Dion. Carth. ib.

Triv. apoph. 127.

Inter præcepta legis veteris unum connumeratur expensione peculiari dignissimum. Jussit, inquam, Deus Hebræis, ut eorum agri non venderentur in perpetuum; non tamen idipsum prohibuit in eorum fructibus. *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.* Commentatur Radulphus Flaviacensis: *Fructus igitur annuos cultoribus tradit, ut in ipsis arbitrium suum exerceant: terra verò quia sua est, ne omnino distrahatur, interdicit.* Adde Lorinum ad eundem locum. *Rationem*, inquit, *legis priùs explicavimus, ne tribus, familiæque permiscerentur, & confunderentur.... Aliam causam tradit nunc ipsemet Deus, quoniam eamdem illam terram, cujus haberi Dominus peculiariter volebat, nihil non habens ubivis sub suo dominio, tradiderat, ac veluti locarat Hebræis jure colonico villicatico, emphyteutico:* &c. Premo rationem illam, quam textus affert: *Quia mea est*, &c. An fructus prædiorum non erant pariter sub dominio Dei? quare non ex eâdem ratione vetavit Hebræis venditionem fructuum? q. d. Proventus hi terrarum verè mei sunt: eos vobis ad usus personales vestros, familiarumque permitto; non autem concedo pecuniâ distrahi; Suspicor, attendisse Deum in ista prohibitione velut innatæ prodigalitati filiorum: qui parentum hereditatem adeuntes, frequenter abliguriunt immobilia bona; quia nullo pretio laboris ea consecuti sunt. At non similiter prodigunt fructus post mortem genitoris ortos: quia vel per semetipsos laboraverunt ut germinarentur, vel per conductos operarios: unde sollicitudinem, vel stipendia fructibus acquirendis insumentes, non tam faciles in eos dissipando sunt. Eapropter necessarium non erat ut venditio fructuum prohiberetur; distractionem verò terrarum oportuit coërceri. Quæ venerunt sponte divitiæ non sudanti, citò distribuentur. Sic accedens velociter *substantia festinata minuetur.*

46.

Levit. 25. 23.

Radulph. Flaviac. l. 1. in Levit. c. 1.

Lorin ibid. ad eum locum.

47. *Prodigus non donans eleemosynam dignus est ut tunc egeat, cùm ejus penuria non levabitur.*

Depositi similiter in commentario præcedenti quamdam aliam expositionem hujusmodi verborum, pro qua citatur Cajetanus: istam nunc resumo. Per substantiam festinatam intellexit ille copias expensas vanè cum festinatione: quas ita minui non dubitamus. Hinc pro parcis in eleemosynis conferendis hortatio consurgit efficax: utpote quâ per metûs viam curabimus avarum flectere. Nec semper malè suadet paupertatis involuntariæ timor: aliquando bona consulit. Reformidet immisericors in pauperes, quòd voluptatibus offerens dispendia multa, deneganque misero panem, postea fortassis indigebit; & non inveniet qui sibi ferat opem. Meminerit sententiæ Salomonis: *Qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Judex æquus Dominus est: & *justitiæ regula mandat* (inquit S. Laurentius Justinianus) *ut per hæc puniatur homo, per quæ deliquit.* Non rarò proinde contingit, ut misericordiâ carentes erga pressos inopiâ veniant ad egestatem;

Prov. 28. 27.

S. Laur. Just. de disciplina & perfect. monast. conver. c. 23.

tem ; quò vel iſto ſupplicio ſibi multum acerbo reſipiſcant, & charitatem indigorum, ſaltem eo tempore quo ſunt in eâdem cum eis miſeriâ, complectantur ; & intelligant, non deventuros ad paupertatis anguſtiam, ſi priùs egenis opem non denegaſſent. S. Cyprianus : *Oſtendens Spiritus ſanctus, miſericordes atque operantes egere non poſſe ; magis parcos & ſteriles ad inopiam poſt modum devenire.* Rex regum temporalem ſortem cuique diſtribuit, velut princeps in regno ſuo dividit officia ſingulis. Et ſicut iſto munere privat eum, qui perperam utitur illo : ſic Deus deponit locupletem ab opulentiæ culmine ; quia non bene geſſit officium ſibi commendatum. Et accidit, hominem poſſeſſis abundantem, pauperi durum, luxuque deſtruentem ſua, devenire poſt ad extremam adeo miſeriam, quod nec illi quis opem ferat, nec ipſe poſtulare audeat. Non tantùm ſpoliatur copiis : etiam ſpe donationis alienæ deſtituitur ; quod miſerrimum eſt, cum ſit ſpes ultimum adverſarum rerum ſolatium. At meritò qui projecit à Domino data, nec indigentibus opem tulit, dejicitur in tantam penuriam, ut etiam expectatione careat auxilii ; quæ baculus eſt miſerorum.

S Cyſtrian. tract. de oper & elec moſy. ante med.

48. Parabolam notiſſimam filii prodigi non juvat proponere, quam nullus ignorat. Scis, illum poſt ſubſtantiam diſſipatam eguiſſe, tempore quo fames premebat regionem, in quam abierat. *Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.* Neceſſitate ſuadente factus eſt ſubulcus : & eò paupertatis venit, ut ſiliquas porcorum cuperet, ac nemo daret. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant : & nemo illi dabat.* Textus non addit, eum petiiſſe, ſed poteſt ſubintelligi quod non petierit : nam ſi poſtularet, atque non acciperet, divinus Magiſter hanc non omitteret circumſtantiam tamquam valde conducentem ad explicandam prodigi miſeriam. In ſe reverſus veſanus adoleſcens dixit : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo !* Pronunc haud egrediar primam faciem parabolæ. Anxiatur meditans abundantiam, qua potiuntur mercenarii genitori ſuo ſervientes ; & confert illam cum egeſtate, qua tempore famis ipſe conflictatur ; qua proportione ? quid mirum quod eſuriat eo tempore, quo tot homines fameſcebant ? Aliquis putaret ſimilitudinem parabolæ magis apte componendam, ſi diceretur, famelicum fuiſſe prodigum, cum nullus alter famem pateretur. Quare non hoc modo propoſitum fuit ænigma ? nonne ſumma calamitas foret fame tabeſcere viventem ubi nullus indigeret ? Utique. Sed ad exaggerandam afflictionem ejus, opportunius extitit, ita deſcribi pauperem, ut ſpem auxilii per eleemoſynam ſibi conferendi perdiderit, eo quòd regionem totam premeret fames : quo tempore vix unuſquiſque ſuæ neceſſitati valet conſulere ; tunc rarò donantur eleemoſynæ, vel nunquam: unde caret inops eâ tempeſtate ſpe remedii. Si prodigus indigeret non graſſante fame publicâ, forſan expectaret ut ab aliquo ſaltem rogato levaretur illius inopia. Dignus erat qui ſuſceptâ de patris largitate ſubſtantiâ non pauperes adjuvit, ſed voluptatem pavit ; ad talem detruderetur pauperiem, ut nec ſpem adjutorii poſſideret egenus factus eximiè. Nunc detegat parabolæ faciem Euthymius. *Juniorem*, inquit, *verò nominavit peccatorem, ut qui pueriliter ſapit facileque fallitur* : &c. Secundùm quam expoſitionem applicabis facillimè dicta locupleti malo : qui præteriens immiſericorditer egentes, & luxui tradens bona ſua properat infelix ad maximam paupertatem.

Luc. 15. 14.

Ib. n. 16.

Ibid. n. 17.

Euthym. com. in Luc. b.

49. In eâdem interpretatione, quam dogmati noſtro præbuit Caietanus, adhuc perſiſto, videns objici poſſe, Paræmiaſtem loqui velut minaciter, cùm ait : *ſubſtantia feſtinata minuetur* : nam videtur] inſinuare ſic, iſtam diminutionem fore ſupplicium ditis. Unde ſic inſurges. Qualiter flagellatur demens vitio prodigalitatis ; qui gaudet ſumptibus iiſdem, quibus facultates demit ſibimet inſanus ? Punitio criminis involuntaria ſolet eſſe patienti : quomodo igitur auri minutio ſpontanea ſceleris eſt vindicta ? Reſpondeo. Non tu ſtatuas, nullam prorſus ultionem criminis eſſe quid voluntarium peccanti. Relinquamus alios. Ipſi divites, vel tenaces vel prodigi, ſibimet inferunt pœnam. Chryſoſtomus : *Nam hi quidem in terram infodiunt, hi autem in ventrem & voluptatem & ebrietatem cum injuria & ex intemperantia pœnam ſibi ferentes* : &c. Non igitur deſinit eſſe pœnale, quia voluntarium, experiri diminutionem theſaurorum. Pone, regem ad mortem damnato concedere optionem, quo genere mortis velit interfici. Proptereane putandum erit, hunc non puniri ? Replicabis, dicens iſtum, ſic vel ſic enecetur, ſemper cruciatus mortis comites pati ; voluptatibus verò deditum nihil dolere de profuſione pecuniæ, quâ vapulare diximus. Ut reſpondeam, quæro : Eritne minùs lethiferum venenum poculo dulci mixtum ? Sic puta, ſupplicium efficacitatem non amittere voluptatibus ipſis imbibitum : ſæpius idipſum delectans hominem, punit eumdem.

Sæpe quod hominem delectat punit eumdem.

Chryſoſt. to. 5. hom. 63. ad pop. ante fi.

50. Peccaverunt Protoparentes noſtri guſtantes de vetito ligno. Dominus rationem exigens facti, patiens audivit utrumque. Vir excuſavit ſe per mulierem, fœmina per ſerpentem. In hunc, qui fuerat origo mali, primùm ſententiam protulit, dicens poſt alia : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Dubitabis. Quî plectitur ſerpens comeſtione terræ, quæ futurum erat ejus alimentum ? an pabulum illud nociturum fuerat colubro ? Nequaquam ; ſed nutriret illum. Ergo quare ſic in eum fertur judicium ? Ad rem noſtram perpende quid ſerpens deſignet. Ambroſium conſulito. *Ut ſcias autem*, ait, *quia ſerpens typus eſt delectationis, damnationem ejus adverte.* Supra pectus, *inquit*, tuum, & in utero tuo

Geneſ. 3. 14.

S. Ambroſ. to. 1. l. de parad. c. 15. in princ.

tuo ambulabis. Sancti Doctoris veſtigiis inſiſtens meditare, peccatoris delectationem nonnunquam pœnâ ſuâ paſci. non equidem ſentit illam ; ſed nec ideo minimè ſuſtinet ictum. Nequaquam omnia flagella ſua peccator agnoſcit ; imo pluribus ignotis gaudet. Ex uno contrario frequenter explicamus aliud. Tranſeamus ad beneficia. Nonne plurima ſunt divitiæ largitatis dona, quæ malus non attendit ? deſinunt eſſe munera, propterea quod lateant recipientem ? Neutiquam ſe devinctum beneficentiâ noſcit impius : nihilominus hoc non obſtante, vere beneficium ſe Dominus in eumdem exhibet necnon per ea, quæ donat ignaro. Ratione pari, Judex integerrimus permittens, delinquentem per appetitui placentia puniri, veraciter infligit pœnam, quamvis ignotam ſpontaneè ferenti. Sic evenit voluptuoſo locupleti. Lubens & exultans, prodigalitate ſibi facultatum damna confert, quæ forte non potuit hoſtis inferre. Vindictam Dei non agnoſcit cæcus in hoc ipſo : nihilominus ultio voluptatis eſt hæc eadem divitiarum imminutio gaudenter facta.

51. *Aliquos non à voluptatis amore penitus retrahit experientia perditi alterius per appetitum.*

Facilius homo percipit hæc in alieno capite, quàm ſupra ſuum. Digna miſeratione quidem hæc eſt allucinatio mortalium, ſcilicet aliorum ruinas demirari, quin animadvertant propriam. Innumera ſunt exempla ditum, qui per ſumptus nimios cucurrerunt ad miſerabilem indigentiam. Unum do pro multis, & execrabilem. Cleopes Ægypti rex tantas fecit expenſas in ſuperba pyramide, quòd ita fuerit ad inopiam redactus, ut filiam expoſuerit venalem ad queſtum (horribile dictu ;) meretricium : Alia permulta prodigorum ad paupertatis ærumnas devenientium exempla valuiſſem ex humaniorum litterarum profeſſoribus congregare, ſed nollem tempus conterere fruſtra. Caſus alieni paucos monent ut ſibi provideant : proprii tantùm eventus mali cautos homines reddere ſolent. Pergit luminibus orbatus : & licet cadant in via ſocii, non ideo deviat à ſemita ſcipioni confidens : at ſi labatur ipſe, tunc fortè deviabit ab itinere. Sic homo, cum alienæ doceant experientiæ, expenſarum nimiam effuſionem exhauſiſſe maximos aliorum theſauros, quo factum eſt ut ad miſerandam calamitatem devenerint ; non idcirco viam deſerit eamdem, ſe conferens ad mediocritatis iter. Tunc ſolum cautelam diligit, cum prolapſus eſt ad inopiam. Proficiet legere S. Odonem, quamvis univerſaliùs loquatur. *Tanta*, inquit, *nanque eſt eorum, qui deſipiunt ſtoliditas, ut non ſolum eos ratio nulla ab hoc interitu revocet, ſed nec evidentia quidem indeſinenter pereuntium exempla deterreat.* Sic dum experientia perditionis alienæ præ manibus eſt, adhuc fragilitas humana propendet in voluptatem : advertens, alterum ſervientem appetitui veniſſe ad penuriam, non ideo voluptuoſam vitam prorſus execratur.

S. Odo Abb. Clun. l. 2. in Job. n. 4.

52. Regredi libet nunc ad parabolam adoleſcentis, qui ſub obedientia paterna diutiùs morari non patiens ; anticipans mortis effectum genitori, cum ſoleant filii poſt obitum parentis hereditatem adire, vivente patre factus eſt illius heres, accepta portione, quam exegit ab ipſo. Prodegit eam ; & neceſſitate magiſtrâ domum patriam reductus eſt à pœnitentia ſua. Suſcepit illum viſceribus miſericordiâ plenis qui genuerat atque perdiderat amentem, & epulô juſſit adventum gnati celebrari. Aſſidentibus menſæ muſicus reſonabat chorus : quem cum ex agro veniens, & appropinquans domui frater ſenior audiret, vocatum ſervum percontatus eſt quid ſibi vellent hæc. Expoſuit ille rem : indignatur germanus : nolebat introire ; ſed pius pater egreſſus eſt rogavit eumdem. Quid non mortalia pectora cogis cordis blandus amor ! Repoſuit obſtinatus : *Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam dediſti mihi hædum ut cum amicis meis epularer* : &c. Luc. 15. 29. Mirum eſt quod tunc temporis filius ætate major queſtus fuerit quod à patre non acceperit quicquam ad epulandum cum ſibi charis. An illi non erat præſentiſſimum, fratrem ſuum ad miſeriam lapſum fuiſſe per hoc quòd appetitui ſervierit ? Audi quid prædictis adjecerit ille. *Sed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus*, venit, &c. Ib. n. 30. Nonne ſatis fuerat memoria ruinæ fraternæ, quò daret oblivioni voluptatem univerſim ? Germanus prodigi malus erat, prout expendit Chryſologus, dicens : *Quamvis malo filio non eſſe neſcit, non eſſe non poteſt pater : videt filium degeneraſſe animo* : &c. Chryſolog. ſer. 4. ante fi. Vel aureo ſermone S. Doctor loquatur quaſi fuerit antea peccator ; ſeu velut per invidiam tunc ſit factus iniquus ; occaſio præ noſtris oculis eſt, ut condoleamus impiis dum per alienam experientiam eorum, qui per voluptuoſam vivendi rationem pauperes infeliciter ſunt redditi, non deliberant adhuc voluptates oblivione ſepelire. Decidentes in egeſtatem cernunt per luxum ; nihilominus voluptuariam lætitiam expetunt currentes ad vana gaudia ſumptuoſa ; non memores quòd ſimiliter eorum *ſubſtantia feſtinata minuetur.*

DELIBATIO V.

Nullum tempus ineptum virtuti : proſequendum ſemper, Deo comite. Avari labor. Juſtus ad temporalia dormiat.

53. *Nullum tempus eſt bonis operibus ineptum.*

DE mundanis facultatibus delibatione præcedenti diximus : nunc ad ſpiritualia paululum digrediar ; ad temporanea ſtatim regreſſurus. *Quæ autem paulatim.* Vereor, ne datam ſupra delib. 3. Doctrinam, qua monui non feſtinandum nimis in adipiſcenda ſpiritûs perfectione, complectatur aliquis, non prudentiâ frænans præſumptionem ; ſed acediâ ſuadens diligentiam, dicenſque : non mihi propendum

randum ad virtutem in ætate florida, cujus eſt per ignorantiam ſæpiſſime decipi. Per hæc vel ſimilia nollem, deliberationem de tenenda ſemita, quæ ducit ad vitam retardari. Nullum tempus inopportunum virtutibus eſt. Hoc præcipuè conſiderandum venit in virtuoſis operibus illis, quæ pertinent ad animæ vulnera ſananda. Fateor, temporalibus morbis curandis eligi tempora certa, quæ faveant medicamentis, ut efficaciùs proſint : ſed excipitur ab hac regula curatio, quam vocant medici coactam : cum ſcilicet gravis neceſſitas urget ſtatim adhibendi medicinam. Cecidit in delictum peccator : ne protelet quærere medicamentum ; differens, verbi gratiâ dolorem ſalubrem in venturam Quadrageſimam : ocyùs curet facere dignos pœnitentiæ fructus. Inſtat ægritudo vergens in pejus, ut non aliud tempus expectes curationi ; ſed utaris præſenti. Loquamur univerſaliùs de virtutibus. Per illas exercemus cuncti militiam, ſic ut iſti bello non interponantur induciæ : militibus non deponendus eſt uſus bonorum operum (quæ ſunt arma noſtræ militiæ) in futurum tempus. Fruere Nazianzeno. *Proinde*, inquit, *ſemper quæ ſalutis ſunt operare. ac omne tibi tempus baptiſmatis ſit terminus ; ſi enim ſemper hodiernum negligis, ac craſtinum obſervas, paulatim dilationibus à maligno (ut facere ſolet) deceptus, mihi dicente da quod præſens eſt, Deo quod futurum, mihi juventutem, Deo ſenectutem, mihi voluptates, illi quod inutile eſt, in quali nam periculo conſtitutus eris ?* Quod Theologus hortabatur venturis ad baptiſmum, audiant quotquot moniti de melioranda vita reponunt, adhuc tempus non adeſſe. Crede, tempora cuncta bonis operibus propria : nulla tempeſtas eſt, quæ non ſit rectis operationibus apta.

S. Greg Naz. or 3. in ſanctum lavacrũ. ante med.

54. Eccli. 51. 38. Claudit Siracides librum ſapientiâ multâ refertum his verbis : *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore ſuo.* Commentatur Dionyſius Carthus : Operamini opus veſtrum, *id eſt, ea ad quæ tenemini, quæ Deus requiret à vobis,* ante tempus *mortis atque judicii ac futuri ſupplicii, adimplete.* Myſterium non prætermittam, quod forte latet in eo quod actus boni præcepti dicuntur, *Opus veſtrum*; tempus verò mortis non appellatur, *Veſtrum tempus* (cum ſit unicuique ſuum, prout colligitur ex Eccleſiaſte : *Ne moriaris in tempore non tuo.*) ſed vocatur abſolutè præcitatis verbis, *Tempus.* Cur ita ſermo concinnatur ? Ut occaſio præcluderetur errandi. Si legeremus : Ante tempus veſtrum, aliquis exiſtimaret, ſe dominum temporis, ut eligeret quandone ſibi placeret incipere præceptis divinis obedire : vel crederet prædictis operationibus bonis extare certum ſolummodo tempus ; extra quod inopportunè fierent. Ut clauderetur janua deceptionibus iſtis, quas inertia ſuadere poſſet, non legimus ibi : Tempus veſtrum. Quin & inſinuari tacitè videtur, incertitudinem temporis, quo vita finietur, monere, ne futuro tempori certo remittantur obſervantiæ mandatorum Dei jam nunc urgentium. Non moras nectens peccator ſomniet, cunctationi ſuæ Salomonem favere per illud : *Paulatim.*

Dion Carth. in com. Eccli. ib. art. 3.

Eccle. 7. 18.

Colligitur. A ligno colligimus pomum : dicimus etiam, agricolam colligere meſſem. Nollem, ſectatorem virtutum aſſimilari viro, qui volens guſtui morem gerere, ſi parcus eſt, unum vel alterum legit ex arbore malum ; ſed agricultori : qui nimiùm foret imprudens, dato quòd tempore metendi ſegetem, contentus eſſet falce reſecare ſpicarum numerum, quantùm ſatis ad conficiendos panes pro unâ vel altera die ; dimittens cæteram ariſtarum copiam. Obſervabit latro, diſcurrent bruta, populabuntur fruges. Animæ propriæ culturam exercens non unicum, ſeu duplicem virtutis actum, cæteros omittens, eligat ; ſed multos congreget. In præſenti ſententia Sapientis, ubi Vulgatus legit : *Colligitur*, habent Hebræa : *Et congregans* &c. Hîc diteſcendi cupiditas laudabilis eſt : creſcat amor Numinis quantum laudabilia creſcunt ; & ultra contendat ſancta cupido. S. Gregorius Nyſſenus : *Ita enim*, ait, *ſe habere, ut ad ulteriora ſemper in virtute ac bono velis aſcendere, id ipſum forſan humanæ naturæ perfectio eſt.* Allegoriam meſſis perſequens adverto, meſſorem, poſtquam ligat manipulos, eos à tergo re inquere ; greſſum facientem ad colligenda frumenta reſtantia. Sic dans operam virtutum fructibus metendis, oblivioni tradat quæ jam operatus eſt bona ; metuens ne contingat, computantem plurima jam executioni data, deſiſtere ſegniter à progreſſu viæ ſalutaris. Eſto quòd attendat præterita bene geſta, cùm tempus mortis imminet ; at dum vita manet obliviſcatur commendabilia facta ſua : proſequatur ad curſum virtutis conſummandum.

55. *Nemo putet, ſibi ſatis virtutes, quas operatus eſt : proſequatur ultra.*

Lect. Heb. Prover. 13. 11.

S. Gregor. Nyſſen. l. de vit. Moy. longe poſt pr.

56. Ad philipp. 3. 13. 14. Duplicem componere vellem Gentium Præceptoris locum. Ad Philippenſes ait : *Quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum ; ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Quænam ſunt illa retro poſita ? Erant quidem opera bona, quæ Paulus operatus fuerat. S. Ambroſius infra citandus hoc te docebit. Bene. Sed video, ſcribentem Timotheo non obliviſci laudabilium factorum, quæ peregerat. *Bonum certamen*, inquit, *certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Quomodo cohærent iſta recordatio geſtorum, quam oſtendit loquens ad Timotheum ; & oblivio, cui ſe tradere, vel tradidiſſe teſtatur opera virtuoſa præterita, ſcribens ad Philippenſes ? Priori loco ſe Paulus Philippenſibus inculcat immemorem ſponte virtutis quam ſectatus fuerat ? & poſteriori ſe memorem exhibet meriti ſui ? Computa diverſa tempora, quibus Epiſtolas illas conſcripſit Apoſtolus ; & ſtyli diſparitas non te commovebit. Cum ſcripſit ad Philippenſes, non erat ille morti proximus. S. Joannes Chryſoſtomus : *Quod enim*, ait, *id temporis moriturus non eſſet*,

2. ad Timot. 4. 7.

Chryſoſt. to. 4. in arg. Ep.

ad Philipp. *ſet, perſpicuum eſt ex his quæ ſcribit*: Spero, *inquit*, in Domino, quod & ipſe brevi veniam ad vos. At verò juxta S. Doctorem eumdem, ſcribenti Paulo ſecundam Idem ib. hō. 1. in 2. ad Timoth. Timotheo mors inſtabat vicina. *Videtur autem*, ait Chryſoſtomus, *tunc ſcripſiſſe epiſtolam, cum eſſet proximus fini.* Conſonat S. Anſel. ibid. ad c. 4. 6. Anſelmus: Tempus reſolutionis meæ inſtat, *id eſt, jam vicinum imminet, tempus, in quo reſolvar à vinculis iſtius corporis, ut liber in cœlum evolem.* Quid ex temporum diverſitate, quibus Epiſtolæ prædictæ calamo datæ ſunt, nunc mediter, attende. Cum approximabatur ſepulchro Doctor Gentium, nullum putavit inconveniens memorari virtutum ſuarum, quas exercuerat: *Bonum certamen*, &c. reſtabat nanque parum viæ: propterea periculum non ſuberat, ut ab operando virtuosè deſiſteret qui pugnaverat uſque tunc ſtrenuè. Cùm verò differebatur obitus, obliviſcebatur jacta meritoria præterita, ne pugnatum ſatis arbitrans, à præliando ceſſaret: *Quæ quidem retro ſunt obliviſcens*, &c. Tempeſtivè, quem promiſi, dono S. Ambroſium. S. Ambroſ to. 3. com. in Ep. ad Philipp. c. 3. *Hoc eſt*, ait, *quod ſupra dixit, quia ideo laborare ſe ſignificat, ut quotidie in melius proficeret, ſemper extendens ſe ad potiora; ut illa quæ retro acta ſunt obliviſcens, meliora ſectetur: non quia mala ſunt, ſed quia parva ſunt ad meritum collocandum. In melius autem proficiendum, ut ad deſtinatum cœleſte præmium occurratur. Cauſa enim tam admirabilis & inviſibilis præmii non leviter certandum eſſe pronuntiat.* Non congruit juſto recordari quot laude præmioque digna perfecerit in anteacta vita: retro linquat iſta: nam diſcrimen ſubeſt, ut meritorum copia per complacentiam propriam ſiſtendo pereat; quæ, ſi pergat ulteriùs magis abundè *colligitur*.

57. *In ſpirituali bello, nec homo ſine Domino; nec Deus abſque homine pugnant.*

Manu. Vocem iſtam priùs quoad ſpiritualia, poſt modum circa temporanea ruminabo. Ad primum. Non te fugiat, manum in ſingulari numero legi; cum negotia ſpiritûs ambabus, ut aiunt, manibus aggredienda ſint, hoc eſt, libentiſſimè. Non certè negatur hoc per ſingularitatem unicæ manus, quam reperimus in ſacro textu; inde tamen anſam arripiamus, ut in memoriam noſtram reducatur, cooperandum nobis eſſe Deo juvanti: neque totum Domino relinquendum; nec totum nobis arrogandum. Sufficiat quòd Altiſſimus non dedignetur fieri ſocius noſter: ne præſumat homo de viribus propriis, & omittat adjurorium divinum quærere. Necnon etiam deſipiet, ſi profectum ſuum ſine laboris conſortio conſe- S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 459. qui ſperet, uti pluviam cœlo delapſam. S. Iſidorus Peluſiota: *Virtuti operam*, inquit, *navanti æquum eſt divinum etiam implorare, ut opem Deus ferat, auxilium. At qui ejus nullam ducit rationem, neque invocat numen, illud propitium non experietur. Qui enim omnia, quoad ejus fieri poteſt, implet, benignè ei Deus annuit*: &c. Statuamus ergo quotquot in acie Chriſtianæ militiæ verſamur, nec nos præliari diviſos à Domino; nec Deum pro nobis pugnaturum derelictum à ſuis: Conditor & homo ſimul cum hoſte dimicant.

Præſcius Moyſes appropinquare ſibi vitæ mortalis exitum, benedixit populo Dei ſermonibus multis: quos jam concludens ait: *Quis ſimilis tui populo, qui ſalvaris in Domino? ſcutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Cum temporibus legis veteris aſſiduæ fuerint figuræ, quæ ſpectant ad Eccleſiam Chriſti, non inficiaberis, populum Iſraël in verbis adductis umbram extitiſſe Chriſtianorum. S. Bruno Aſtenſis: ad eum locum: *Quis ſimilis tui, o populo Chriſtianorum, quem Iſraël ſignificat, qui ſalvaris in Domino?* Inquires hac interpretatione poſitâ, quid ſignificent ibi ſcutum & gladius? Adi Brunonem eumdem, & quæſito ſatisfacies. *Scutum*, inquit, *auxili tui, & gladius gloriæ tuæ Chriſſus eſt. Ipſe*, inquit, *te protegit. Ipſe te defendit. Ipſe pro te pugnat. Ipſe tuos proſternit inimicos. Ipſe & ſcutum tibi, & gladius eſt, cujus fortitudine gloriaris, omnes ſuperans inimicos.* Scuti, gladiique ſimilitudinem cum Servatore noſtro penitiùs agnoſcere cupiebam: quem potiùs nominaviſſes Dominum exercituum, qui ſuis pugnatoribus adeſt præpotenter. Iſta mentem pulſavit cogitatiuncula. Certaturus cum hoſte ſcutum inſerit brachio; cumque jam conflictus initur, gladium ſtrictum prænſat manu. Si depoſuerit umbonem & enſem, inermis erit, quantumlibet multâ fortitudine vigeat: & econtra ſcutum, non adhærente brachio, minimè proteget bellatorem in certamine: ſimiliter gladius non adjunctus manui nequaquam vulnerabit adverſarium. Nunc ænigma patet. Filius Dei ſcutum & gladius eſt militantibus fortiter ſub ejus vexillo: congruit attamen ut manum & brachium admoveat homo cooperans; ac etiam ne ſuperbiens præſumat, operatione propriâ, ſine Redemptoris adjutorio victurum in ſpirituali certamine. Ut occaſio præſtetur expendendæ veluti ſocietatis hujus inter Deum & hominem concordiam in operando; forſan quò noſceremus, unâ manu Dominum, nos alterâ dimicare; cum agatur impræſentiarum de pugnantibus in virtutum ſtudio, legitur in ſingulari: *Manu.*

58. Deuteron. 33. 29. S. Brun. Aſt. in com. ib. Idem. ib.

Nunc eamdem vocem rurſus expendam in ordine ad moderatam facultatum perituraram conquiſitionem. Notabam haud pluraliter dici: Colligitur manibus: & non multum in hoc hæſi: quia juſtorum non eſt manibus ambabus collectioni bonorum temporalium incumbere. Poſtulant illa ſupplices à Deo modeſtè, manum ſolam dexteram levantes. Non ſic avaritia ſanè vilis: utroque lacerto, quaſi ligone fodiens terram, laboribus & induſtriis totam ſe tradens. D. Ambroſius: *Tamen ſi quem etiam temporalia delectent, ab eo moderatius petantur, qui verus omnium fons eſt.... Ab eo ergo ſpera. Licet brevis vitæ non ſit longum viaticum requirendum*, &c. De avaritiâ verò loquens idem S. Doctor poſtea ſubdit: *Avaritia omnibus invida, ſibi vilis, in ſummis divitiis inops, affectu extenuat*

59. *Ambabus manibus avarus collaborat in vacuum.*

S. Ambroſ. to. 1. l. 1. de Abel c. 5. ante med. Idem ib. juxta fi.

quod cenſu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla menſura cupiendi. Egeſtatem duplicem in avaro deplora. Prima ſignificari ſolitat axiomate ſatis trito: Pauper eſt qui plura cupit. Dimitto pauperiem hanc, de qua jam dudum aliqua dedi. Poſterior inopia naſcitur ex ipſa divitiarum natura: futiles enim ſunt, & merum nihil. Obſerva labores multos cupidorum: hic maria ſecat, naufragia patitur: ille noctu diuque mentem fatigat, ut excogitet artes congregandi nimium: alter prædia jungens, pro cultura non quieſcit: uritur æſtu, gelu frigeſcit. Quid ex his omnibus? Vanitas. Alleviant ſudantem præmia: ſed cum ſerviat avarus malo domino, remuneratione caret: ideoque labor ejus bis improbus eſt: nam & involvit ſceleris improbitatem; & ex eo quod ſit immaniter acerbus, improbus novo titulo dicitur. Ambabus manibus terrena peroptans: collaborat; ſed in vacuum.

60. Jerem. 2. 13. Tamquam rem ſtupore dignam cœlis, Dominus apud Jeremiam duo mala populi ſui proponit. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hugo Cardinalis ibi: Et foderunt ſibi ciſternas diſſipatas. *Hoc faciunt qui congregant ſibi merces in ſaccum pertuſum: quia avarus impleri non poteſt. Hæc eſt ciſterna vetus, quæ nunquam impletur aqua.* Quò digitum intendit Purpuratus inſequar. Sed quæram. Foretne minus bene coaptata contrapoſitio, ſi Dominus dixiſſet: Me dereliquerunt fontem vivum; & alios quæſierunt fontes penitus exſiccatos, de quibus nequeunt aquas haurire? Quare non uſus eſt hujuſmodi compoſitione fontis ad fontes; & magis, cum ſeipſum fontem dixerit, pertranſivit ad ciſternas diſſipatas? Indicare voluit qualiter vanus avarorum labor extet. Siccus fons hominem ſitibundum non delaſſat: nam ſtatim atque cernit, illum præ nimio veris calore deſiccatum, deſiſtit à quærendis aquis ubi non ſunt. At, ſi noctu viator ſitim patiens accedit prope ciſternam evacuatam lympha; cum id ignoret, ambabus manibus dimittit ſitulam, quæ luto ſeu lapide plena gravitat, & fatigat ſurſum trahentem. Quid ille ſerò videt hauſiſſe pro mitiganda ſiti? Nihil omnino. Sic evenire ſolet mundialium poſſeſſorum concupitoribus. Fatigatione plurimâ ciſternam quiſque ſuam quærit, aquas non valentem continere: vigor animi per contentioſas induſtrias exhauritur laborioſè: nec tamen ipſe quidquam in refrigerium cupiditatis haurit. En vanitas miſera ſitientium gazas; cum, adhibitâ moderatione quirent modeſtum deſiderium poſſidendi ſatiare, quærentes neceſſaria vitæ unicâ *manu.*

61. *Congruum eſt poſſeſſiones acquirendas non cernere juſtum ad temporalia dormientem.* *Multiplicabitur.* Temperantiam ejus, qui parvo quieſcens nimia non ambit, ſæpe Dominus remunerat largiter affluentiis temporalibus: nam piè condeſcendens Adamidum conditioni fragili, necnon terrenis proventibus replet ſuos multoties. Vigilandum attamen eſt eis, ne quia memores hujus largitatis divinæ ſunt, oculos figant in mundanis copiis, de manu Domini per media licita venturis. Periculoſum eſt hoc. Audi Magnum Baſilium. *Oportet*, inquit, *igitur nos, ſi quidem velimus ſubjectam vitæ viam ſecurè tranſire, & animam ſimul ac corpus ex vulnerum turpitudine libera Chriſto adducere, coronaſque ob victoriam accipere: vigilantes ſemper undequaque animæ oculos circumagere, & omnia quæ jucunda ſunt, ſuſpecta habere, ac ſtatim præterire, & nulli mentem applicare: neque ſi aurum appareat fuſim propoſitum, & in volentium manus venire paratum*: &c. Prudenter & efficaciter conſuluit Baſilius averti monens mentem à caducis quantumlibet jucundis. Nihilominus, cum inter animæ viſum & corporea lumina ſympathia magna detur, adderem, cum bonâ Baſilii veniâ, necnon & corporeos oculos à terreſtribus avertendos, quò ſic animam ſervemus illæſam à delictis, quæ per dilectionem bonorum ſæculi perpetrantur. Optimum eſt, manentem in domo, quam timet impetendam à furibus, intus armari tuiturum ſua: ſed utile nimis eſt januas claudi. Spiritûs oſtia dicimus corporis oculos: congruum erit, iſtos occludi ſic, ut bona temporalia non videant. Juſtum non deſidero cœcum; ſed cuperem, ut pro rerum temporalium amore quaſi dormiret: ſic enim illecebra poſſeſſionum acquirendarum per clauſas fores non ingredietur.

S. Baſil Mag. hom. 23. inter var. poſt princ.

62. Bis inſigniter Dominus favore proſecutus eſt dilectum Jacob: Primò dum in ſomnis apparuit ſcalæ nixus; & ſecundò in celeberrima viſione, qua luctatus cum eodem animos injecit, ne paveret fratrem. Obſervabam, non ei Terram promiſiſſe Deum poſt luctam; ſed cum profugus ibat in Meſopotamiam. Certè venienti benedictionem Dominus contulit: *Benedixit ei in eodem loco.* Valde benedictioni proportionata foret hoc loco repromiſſio Terræ. Non legimus hîc factam; ſed cum ſcalam vidit. *Terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo.* Qua de cauſa nequaquam benedictioni junxit ſponſionis hujus affluentiam; ſed potiùs requieſcenti Jacob poſſeſſionem amplam fuit pollicitus; cum Deus non ſoleat divitiis cumulare dormientes; & benignè faveat vigilantibus? Providit ut Jacob tunc in ſpe ditaretur, cum ſomno clauſis oculis nihil terreſtre videbat: quæ luminum clauſio circa temporaria juſtis eſt utiliſſima. Neutiquam palpebras figentes in terra, cor apponant illi, diligentes peritura. Ne putes, illum Jacobi ſomnum torporis fuiſſe, reſera litteram, petens à ſummo Pontifice clavem. Sed non poſtules: nam aperuit jam, cùm dixit: *In ittinere quippe dormire, eſt in dierum labentium curſu ab appetitu viſibilium mentis oculos claudere*, &c. non quidem per ſocordiam ſomno tradat ſe rectus vir: nam haud inertem Dei liberalitas provida juvabit: ſed à dilectione bonorum ſæculi quieſcat veluti dormiens. Contemptus hic avertet vanitatis lenocinia: ſic tutior

Genes. 32. 29.

Ib. c. 28. 13.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 5. mor. c. 22. poſt princ.

animæ diſcriminibus, ejus à Domino ſubſtantia *multiplicabitur.*

FLOS X.

Spes, quæ differtur, affligit animam : lignum vitæ deſiderium veniens.

APERITUR.

1. DUBITABIS primò quid per ſpem, ac deſiderium nunc ſit accipiendum ? Reſpondeo, ſpei, deſideriique vocabulis, non actus voluntatis intelligi, quibus tendimus in bonum abſens. Itaque ſumitur hîc ſpes pro re ſperatâ ; deſiderium pro re cupitâ. Cumque legamus indefinita verba, per ſpem accipe quidquid ſperatur ; per deſiderium quidquid concupiſcitur. Quod attinet ad ſpem, infeliciſſimus eſt qui nunquam experientiâ didicit quàm ſit moleſta : credemus enim, nunquam expectaſſe quicquam notabilis rei ; vel fortunatiſſimum in omnibus (quod rarò contingit) judicabimus illum, quaſi nunquam ejus expectatio dilata fuerit ; ſed omnia ſperata conſecutus quamceleriter. Oportet igitur, ut ſpes individuam comitem patientiam vendicet. *Sed quia* (ſcribit Paſchaſius) *in Iſaac ſpes vitæ negotio figuratur, neceſſe eſt, ut Rebeccam, quæ patientia interpretatur, in conjugium ſumamus ; ne ſine patientia ſpes citò frangatur.* Loquitur ille de patientia quidem in tribulationibus : non tamen incongruè cuicumque ſpei diuturnæ congruit opem à patientia poſcere.

Paſchaſ. l. 1. in Matth. poſt med.

2. Objiciet quiſquam, illa, quæ jucunda ſunt, etiam abſentia jucunditatem ſuam proponere menti ; ſicutque torqueretur animus deſperans ea conſequi ; ſic delectari quoniam præſtolatur adipiſci. Reſpondetur hæc eſſe vera de ſpe, ſi præſcindatnr à dilatione. Apud Petrarcham gaudio dicenti : *Dulce eſt ſperare*, reponit ratio : *Audio quidem multos hoc dicere, ſed hanc ego dulcedinem non agnoſco. Nam ſi ſperare, & optato carere etiam dulce eſt, quod qui duxerit, haud dubiè guſtu caret.* Verum eſt delectabile bonum dilatum offerre cordi ſuam delectabilitatem, cognitione mediante : ſed quidquid gaudii concipitur exinde peſſundatur ab expectationis cruciatu.

Petrar. dial. 109. de reme proſp. fort.

Stat. Theb.

——— ——*ſpes anxia mentem*
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

3. Dubitabis ſecundò, an de ſpe metipſa dicendum ſit, animam affligere ; an verò de ſola ſpei dilatione ? Reſpondeo, non revocans quod ſupra dixi, ſcilicet hîc ſumi ſpem pro re ſperata. Liranus commentatur : Spes quæ differtur. *Id eſt dilatio boni ſperati*, &c. Non tamen excludendam puto ſpem ipſam longam, ſic ut non pertineat ad integrandum anxietatis cauſam. Spes equidem tendentia voluntatis eſt (ut ſcholaſticè loquamur) ad bonum diſtans & arduum. Quis dubitat ambulationem prolixam affligere tendentem ? Video, ſpem boni futuri remedium eſſe quidem, ut in commodum præſens leviùs feratur : nam S. Joannes Chryſoſtomus dixit : *Semper enim futurorum bonorum ſpes præſentia incommoda leviùs ferri facit.* Concinit S. Laurentius Juſtinianus. *Remedium enim malorum, bonorum ſpes eſt.* Non inficior numerandam ſpem inter dolentium remedia : ſed novum non eſt, aliqua medicamina dolorem inſligere : quinimo valde ſalubria ſunt iſta. Dixit quidam : *Remedia nulla ſunt tam ſalutaria, quam quæ faciunt dolorem.*

Chryſoſt. to. 1. hom. 17. in Geneſ. poſt med.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 2. de ſpe.

Dubitabis tertiò, quid in ſecunda parte parabolæ noſtræ per lignum vitæ ſit intelligendum ? Rodolphus, Janſenius & Alapide ſumunt pro ligno vitæ, quod in paradiſo creavit orbis Conditor. Beda intellexit Chriſtum Dominum. Salazar, explicari poſſe, quaſi valeat idem, lignum vitæ ac, lignum virens. Placet illud primum, dum paradiſiaci ligni vitæ fructûs qualitatem recordor : de quo Michaël Glycas inquit : *Vis enim ligni vitæ ea erat, ut inſtar pharmaci antidotique non ſolum nutrimentum puriſſimum ac defæcatiſſimum exhiberet, ſed etiam altrices vires confortaret, ac in ſuo robore & puritate conſervaret.* Vix eſt qui non experiatur iſta quadantenus, cum deſideratum obtinet bonum. Chryſoſtomus dixit : *Gaudium enim eſt eorum, quæ deſiderat animus, expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac moleſtarum oblivio.*

4.

Rodolph. Janſen. Cornel. Alap. Bed. & Salaz. in Prov. 13. 12.

Micha. Glyc. diſp. 2. fi.

Chryſoſt. to. 1. hom. 1. de verb. Iſai. *Vidi Dominum* &c. âte med

DELIBATIO I.

Gemitus animæ diligentis, & ſpe de cœleſtibus anxiæ.

5. GEmitus primus cordis amore Dei fervidi naſcitur ex mora, quæ poſſeſſio dilecti ſummique boni protelatur longiùs in futurum. Nomine medici nonnunquam tempus appellamus : at etiam ad medici munus quandoque pertinet hominem afficere dolore. Sic tempus cunctando cruciat utiliter animum ſpe cœleſti languentem. Cruciatus iſtos non ſentimus qui non guſtavimus (quoad in mortali vita conceditur) quam dulcis eſt Dominus. Si dulcedinem iſtam ſaltem attingeret animus noſter ſemel, perditam reſtaurare deſideraret ardenter. De ſponſa Canticorum S. Thomas à Villa nova : *Longas non ſuſtinet dilectio moras : iterum dilectum ſitit, placidos iterum quærit amplexus, dulcia rurſus expoſcit oſcula. Per vicos & plateas ſitibunda diſcurrit, bacchatur furens, ſi fortè poſſit invenire quem amat : eò utique furioſior deſiderio, quò fuerat ante plenior gaudio : ardentius enim ſitit, poſtquam guſtavit.* Igitur, ſi mens noſtra ſuavitatem Dilecti labiis extremis delibaſſet adminùs anxiaretur valde per cunctationem, qua procraſtinatur diù plenitudo voluptatis de perfectiori poſſeſſione boni tanti. Quin etiam, ſi conferamus juſtos ad invicem, inveniemus, eum ardentiùs in fruitionem Dei ferri, qui felicior fuit in eo poſſidendo, quatenus datur

Plus torquetur dilatione dulcedinis divinæ qui magis guſtavit eam.

S. Thom à Villa no. cō. in Cant. c. 3.

datur in exilio peregrinationis hujus : dilatione minimè ſe perhibet anxium qui minus conſecutus eſt jucunditatem illam ; at qui magis eam hauſit, feſtinat votis moratione cruciante.

6.

Amicitiâ Dei peculiariter fruiti ſunt in lege veteri Moyſes & Elias : in lege gratiæ Diſcipulus quem diligebat Jeſus. Moyſes eò pervenit fiduciæ peramantis, ut poſtulaverit à Domino, quod ejus faciei viſio concederetur eidem. Reſponſum accepit : *Videbis poſteriora mea* : &c. Promiſſum iſtud non omnino ſtatim adimpletum eſt : nam, ut ex capite ſequenti conſtat, priùs paratæ fuerunt lapideæ duæ tabulæ : poſtea Moyſes montem conſcendit, atque tranſeunte Domino potitus eſt favore, cujus acceperat ſponſionem. Hoc ſolum adverte, quòd Moyſes dicente Domino : *Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam : tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea* : non ſupplex dixit : Oro Domine Deus, ut non ad alium locum remittas quod mihi te conceſſurum aſſeveras : nunc jam dona quod ſervo tuo daturum affirmas. Pergamus ad Eliam. Sermo Dei factus eſt ad illum : *Egredere, & ſta in monte coram Domino : & ecce Dominus tranſit*, &c. Non ideo Dominum rogavit Elias, ut ejuſmodi tranſitus acceleraretur. Conferamus cum Elia Moyſeque Joannem Apoſtolum. Sic habet in Apocalypſis fine : *Veni Domine Jeſu.* Ut quia adventum Salvatoris feſtinus urget Evangeliſta ? an immediatè priùs non dixerat Filius Dei : *Etiam venio cito ?* Sic exponit Andreas Archiepiſcopus. *Etſi*, ait, *alio quoque ſenſu hæc ex perſona Chriſti dicta videri queant. Qui, inquit, hæc proteſtor, citò veniam.* Ergo quare Joannes citò venturum Dominum rogat ut veniat; cum neque Moyſes, nec Elias ſimilem velocitatem precibus Deo ſuadere Curaverint ? Quia licet acceptiſſimi Domino forent iſti ; degebant nihilominus temporibus illis, quibus viri ſancti minus potiebantur Deo ; erant quippe tunc umbrarum ſæcula. Joannes amoris præcipui privilegio, præſentiâ incarnati Dei fruitus eſt intime valde. Cumque juſti quò magis guſtant prædulcem Dominum, eò plùs ardeant illi conjungi, Diſcipulus noſcens Filium Dei celeriter adventurum, adhuc ait : *Veni Domine Jeſu.* Idem Andreas Cæſarienſis : *Ex perſona autem Apoſtoli dicitur, quod mox ſubjungitur, nempe illud : Veni Domine Jeſu Chriſte : deſiderabilis enim eſt Sanctis Chriſti adventus.* Non mirum quod præ deſiderio feſtinent multò, qui morante ſpe torquentur.

Exodi.33.23.

Ib. n.21. 22. & 23.

3.Reg.19.11.

Apoc.22.20.

Ib.

Andr. Archiep.Cæſar. com in Apoc. c. 71. ante med.

Idem ib.

7.

Intelligi difficilè videtur quomodo amans Deũ abſit per breve tempus ab illo.

Et ut non dicas hanc properationem ut potiatur Deo, convenire tantùm animabus perfectiſſimis ; qualis erat Spiritus Evangeliſtæ Chriſto Domino chari ; videaſque diligenti cuivis Deum, & non ſæculum, congruere, lege meditationem Ruperti ſuper Apocalypſis proximè citata verba. *Dulce*, inquit, *nimirum, & deſiderabile hoc eſt diligenti animæ, quæ non hoc ſæculum, ſed Deum diligit, & gratanter vocem hanc accipit, quod adventus Domini prope ſit. Reſpondet ergo confeſtim ſponſa diligens & caſta dicens* : Amen veni Domine Jeſu. . . . *Amen ergo, inquit, id eſt promiſſum tuum verum fiat, ut cito venias Domine Jeſu, ſciens ſuſpiria mea dicentis : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* &c. Ad vitæ finem ſpiritus inculpatæ virtutis differri ſibi novit beatam ſortem : ac licet agnoſcat mortalis curriculi brevitatem : abſentia tamen æſtimatur prolixa : quod vivendo punctum eſt ; longiſſimum creditur ut abſint à patria civitate perennaturâ. Ad illud Pſalmi : *Heu mihi, quia incolatus meus* &c. ſcribit ex Caſſiodoro Beatus Bruno Herbipolenſis : *Sermo dolentis eſt, quod hujuſmodi prolixitate fatigetur* : &c. Adde Gloſſam Ordinariam ex eodem ibi : *Et ſi breve tempus, deſiderio nimis longum videtur.* Sufficientia motiva forent ut homo doleret peregrinationis diuturnitatem, quòd in ea vivat commixtus malis, & ſcandala metuat; cum econtrariò neque ſcandalum, nec malus aliquis inveniendus in patria ſit : ſed illud præcipuum, quod longe nimis abeſt à Deo. S. Auguſtinus ad prædictum Pſalmum, *Clamat*, inquit, *ad Deum* : Heu me quod incolatus meus longinquus factus eſt. *Multum à te receſſi, peregrinatio mea facta eſt longinqua. Nondum veni in patriam illam, ubi cum nullo malo victurus ſum : nondum veni in illam ſocietatem Angelorum, ubi ſcandala non timebo.* Tam contorquet amantem animam deſiderium dilecti ſui Dei, quòd obſcurum videtur quomodo poſſit eum diligens ab illo per tempus modicum ſeparari. Amat, & abeſt brevi ſpatio ! Difficile multis erit percipere quomodo ſtet iſta brevitas cum amore prædicto.

Rupert.l.12. in Apoc.

juxta fin.

Ex Caſſiod. Brun. Herpib. in Pſal. 119. 5. Gloſſ. Ord. ex eodem ib.

S Aug. to 8. expoſ.in eũdem Pſal. ib.

8.

Occaſione calumniæ, quam circa non lotas manus adduxerunt contra diſcipulos ad Magiſtrum ſummum Scribæ Phariſæique, Dominus propinavit lucem doctrinæ : quæ quidem Apoſtolis viſa fuit obſcura. *Reſpondens autem Petrus dixit ei : Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Euthymius ibi : *Cum enim*, ait, *Petrus inchoaſſet, alii quoque pariter interrogaverunt. . . . viſus eſt eis ſermo obſcurus, & ideo parabolam illum vocantes de ipſo interrogant.* Vide quid Præceptor amantiſſimus reſponderit. At ille dixit : *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis ?* D. Thomas ibi : *Hic*, ait, *reprehendit eos. Sed quare ? Una ratio eſt quam ponit Hieronymus : quia quod palam dictum eſt : parabolicè dictum putant.* Tranſeamus ad textum Joannis. Ab oculis Apoſtolorum Redemptorem abfuturum per breve tempus dixit ad eos ille per hæc verba : *Modicum, & jam non videbitis me : & iterum modicum, & videbitis me : quia vado ad Patrem.* Exponit Beda : *Nunc ergo quod illis tunc obſcurum fuit, & mox manifeſtatum eſt, jam nobis utique manifeſtum eſt : poſt paululum enim paſſus eſt, an non viderunt eum. Rurſus poſt paululum reſurrexit, & viderunt eum.* Nota quod ſubdit Joannes. *Dicebant ergo : Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum ? neſcimus quid loquitur.* Verebar quippe, necnon & hîc fore dicturum Dominum : Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?

Matth.15.15.

Euthym. in com. 15. Matth.c.28.

Ib. n. 16.

S. Thom. in com. ib.

Joann.16.16.

Bed. com.in Joann. ib.

Ioan, 16. 18.

cur

cur non ita reprehendit hoc loco diſcipulos? Quia mirum non erat quod non perciperent abſentiam Chriſti Dei poſſe vocari modicam diligentibus eum. Excuſatione quidem non carebat haud intelligere quî fieri poſſet, ut Salvator abeſſet per moram brevem ab amantibus eumdem. Itaque ſpem animarum dilectione Dei feliciter exardentium differri, ſervatâ perfectâ poſſeſſione dilecti nimis in vitam futuram, non leviter *affligit animam.*

9. *multum ſollicitus eſt an ametur à Domino qui diligit eum valde.*

Gemitus ſecundus è pectore miſſus amante, prodit ab incertitudine, qua vexatur dum vita permanet, circa veritatem cunctis ignotam: utrum ſcilicet è numero ſit homo charorum Dei; ſubſit ne Conditoris odio juſtiſſimo. Sperat juſtus poſt mortem certificari quòd ametur à Domino; dolet autem certitudinem hanc ad ventura ſæcula remitti. Dolor iſte miſcetur muneribus Dei faventis: ſed per hæc dubium non quieſcit. Guarricus Abbas: Guarri. Abb. ſer. 3. de S. Benedic. poſt princ. *Moderator*, ait, *nempe omnium ſic eis diſpenſat gratiam munerum & operum, ut ex quibuſdam quæ concedit, conſolationem quod digni ſint amore tribuat: ex quibuſdam, quæ ſubtrahit, ſuſpicionem ac metum quod odio digni ſint injiciat.* Amor in Deum tendens, cum ſit ſpecies contenta ſub genere ſummo dilectionis communiſſimè ſumptæ, conſervat proprietates genericas affectûs. Quædam ex his eſt formidare dolenter an ab amato redametur amans, vel non:

Herm Hug. pi defid. l. 3. poëm. 3.

Semper enim miſeros timor flagellat amantes,
Ne fors non redamet, quem tamen alter amat.

Hæſitatio prædicta ſollicitos non reddit valde nonnullos, qui certe Deum proſequuntur amore; ſed minus fervido: multùm verò cruciat præcordia diligentis enixè dilectum. Sagittans in ſcopum, non toto conatu, ſed impetu nequaquam valido, minimè curat examinare tetigeritne metam, ſeu non. Atverò qui fortiter ſagittam projicit ex arcu, mœret niſi vulneraverit eum fortunatè: proindeque ſollicitus veſtigat an vanè ſagittaverit. Haud aliter, minus ferventes in amore Dei non tam impensè curant agnoſcere diliganturne, vel non à Domino; qui verò dilectionis incendio magis exæſtuant, ardent inveſtigare an ſint chari Deo, quem amant. Incertitudine contorquentur: idcirco vellent iſtam abjicere, ſatagentes affectûs divini indicium exhiberi ſibi.

10.

Ad examen reducere non pigeat ſponſæ verba flammis affectus ignita; ſed non ideo non myſterio gravitantia. *Adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me poſt te curremus* Cant. 1. 2. 3. &c. Exponit S. Bernardus: *Trahe me poſt te: ne incipiam vagari poſt amatores alios: nec curram quaſi in incertum.* S. Bernard. ſer. 21. in Cant. Non, quid ſponſa dicat, nunc meditabor; ſed quid non dicant adoleſcentulæ. Illa poſtulat à Dilecto ſuo trahi: cur non etiam idipſum adoleſcentulæ rogant? nonne diligebant eumdem? Utique. *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quid eſt ergo quod nequaquam iſta rogant ſimiliter atque ſponſa Dominum, dicentes pariter ad illum: Trahe nos? Exiſtimo diſparitatem iſtam ab inæqualitate dilectionis promanaſſe: nempe quia minori conflagrabant igne, prout ex ipſo Doctore mellifluo colligo, qui vice ſponſæ loquens habet ſic: *Novi ego adoleſcentulas delicatas & teneras eſſe, & minus idoneas ſufferre tentationes.... infirmæ ſunt, & vereor ne deficiant.* Idem ib. Infirmitas hæc indicium eſt minoris affectus erga Deum. Quo poſito ſic rem ad inſtitutum noſtrum conficiam. Dilectus in trahendo præberet ſignum amoris non vulgare: cumque ſponſa magis exureretur amore Dei, conflictata per incertitudinem, cupiens non currere velut in penitus incertum, flagitabat ut affectus divinus erga ſemetipſam quadamtenus notificaretur ei per illam tractionem; quò ſic mitigaretur anxietas proveniens ab hæſitatione metuentis an à Domino redametur. Pari cruciatu non torquebantur adoleſcentulæ: proprerea minimè coæqualibus curis iſtæ flagitaverunt ſe trahi; ſicut oravit ſponſa. Multum ſollicitus eris an diligaris à Domino, ſi dilexeris eum valde: nam licet firmâ ſpe tendas in fidum Remuneratorem amantium ſe; cum tamen de veracitate dilectionis tuæ non præſumas, necnon per incertitudinem redamationis nimiùm te premet *ſpes quæ differtur.*

11. *Juſtus attendit ad incertitudinem ſalutis majori curâ, quàm ad infeſtationem diaboli.*

Gemitus tertius harmoniam quantumvis mœſtam pangit cum præcedentibus. Oritur ab illo dubio, quod rarò ſolvitur ante mortem certò, ſic ut ſubeſſe cogitationi falſum non poſſit: nempe ſitne cum effectu perventurus ad cœleſtem beatitudinem, vel non, homo, cui veniunt iſta multoties in mentem. O judicia prorſus inſcrutabilia providentiæ! Juſtum tenerrimâ proſequitur charitate Dominus: paternâ vigilantiâ cuſtodit: excelſo brachio protegit: effuſâ manu replet; non tamen ſinit ut extet de ſalute ſecurus perpetuâ. Quin & intantum periclitari permittit; ut una cogitatio voluntaria perdat quidquid viæ confecerat in cœlum rectus vir. Quis tutum ſe crederet in re tam facili diſcrimini pronâ? Dorotheus Abbas: Dorot. Abb. ib. doct. 12. fin. *Poteſt enim unica cogitatio hominem à Deo ſeparare, cum ſcilicet eam ſuſcepit atque in animo diutiùs inſidere permiſerit. Quare qui verè ſalvari optat, nullo tempore uſque ad ultimum ſpiritum de ſe debet eſſe ſecurus.* Ceu gubernatori belligeræ navis non tam ſomnos adimit pirata maris undas infeſtans, quem fugabit facilè; quàm ipſa navigationis incertitudo, qua nunquam tutus erit an feliciter appellet portum: eoquòd afficere nequeat ut non ſubſit periculo venti navigium, quantumvis armato milite refertum: ſic juſto magis eſt curæ, quòd quandiu vitam enavigat neſciat utrum perventurus ad littus beatæ patriæ ſit; quàm omnia quæ diaboli velut arte piraticâ fiunt adverſus eum: dæmonis inſidias minùs cogitat: ſalutis dubium altiori mente verſandum.

12.

Ad locum, ex quo manant flumina revertuntur: ad Salvatorem, cujus nomine progreſſi fuerant ad irrigandam terram diſcipuli ſeptuaginta duo reverſi fue-

runt, narrantes, etiam ſpiritus malignos in ejuſdem Præceptoris nomine ſubjectionem eis præſtitiſſe. Amantiſſimus Dominus eorum gaudium de hujuſmodi victoria compeſcuit, & mutavit; quantumvis poteſtatem dederit ſimul (ſeu confirmaverit) calcandi ſuper omnem virtutem communis inimici. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Multum quippe conceſſit eis Dominus exercituum præliatoribus militiæ ſuæ: plurimi nanque ſunt & induſtrioſi nimis hoſtes maligni, validique, ſi non frænentur à Deo. Cardinalis Hugo premens illud: *Super omnem virtutem* &c. ait: *Quia multis aliis modis nocet.* Adde Euthymium ibi: *Poteſt autem virtus inimici dici, non ſolum ipſi dæmones, ſed & multiformes eorum tentationes.* Quid peccarent diſcipuli gaudendo quòd poteſtatem dæmoniacam ſubjecerint? Imo divinus Magiſter exultare noluit eos pro eò quòd ſuperaverint feliciter dæmones; ſimiliterque non approbaret eorum lætitiam, ſi lætarentur de potentiâ forti, quæ tunc data vel confirmata fuit eis contra diabolica nocumenta. Ratio manifeſtè patet, quia præcipua cura juſti de futuris non verſatur circa diſcrimina quæ veniunt à maligno: multò ſollicitiùs ejus mentem occupat illa jugis meditatio, qua non certus angitur; an ſcilicet ſalvandus verè ſit, vel in perditionem iturus. Iſtam hæſitationem ſuſtulit aſſeveratio Domini dicentis eorum nomina in prædeſtinatorum libro conſcripta. Hæc erat gaudii longe profundior materia. Hugo Cardinalis: *Item non eſt gaudendum de hoc, quia hoc parum eſt reſpectu prædeſtinationis: de qua ſubditur*: *Gaudete* &c. Juſti notitia certa de ſua prædeſtinatione, ſi concedatur, meritò quidem illum exhilarat profusè: quia liberat eumdem ab afflictione, quæ ſuſpiria mittere cogebat identidem; eoquòd ad incertam fruitionem Dei tendat *ſpes quæ differtur.*

Luc. 10. 19. 20.

Euthym. in Luc. c. 34.

Hug. Card. proximè ſup. ad n. 20.

13. *In Deum tẽdens dilata cruciat valde ſpes, ſed remedium dolorĩ non quæritur, nec eſt congruum anxietate carere.*

Gemitus quartus reflectit ſupra cunctos præcedentes, & ipsâ reflectione quaſi duplicans dolorem, graviùs præcordia lancinat. Meditatur juſtus, non ſibi congruere diminutionem ſpei, quinimo perutile valde complecti eam toto corde; quantumvis ejus anxietudinem ſatis experiatur. Moleſtiſſimum eſt, hominem amplecti quod eum dolore tranſverberat. *Durum quippe*, ait Magnus Gregorius, *eſt appetere quod cruciat, ſequi quod vitam fugat.* Longe abeſt anima ſancta nimis à deſiderio propulſandi ſpem, qua fertur in bona jugiter cœlo permanſura; licet per illam ſuſtineat cruciatus plurimos; quorum aliquot expoſuimus. Notum eſt qualenam exitium præceps advocet homo ſibi, cum ſpem abjicit. Audi S. Brunonem Aſtenſem. *Magnum ornamentum Eccleſiæ Dei ſpes eſt, quam qui non habet, omni bonitate nudus eſt, omnique creaturâ infelicior. Hanc maligni ſpiritus non habent, & ideo ſummopere nituntur, ut quoſcumque decipere poſſunt, ad deſperationem uſque perducant. Cui autem malo ſuo hoc contingit: ille non ex parte: ſed totus à diabolo poſſidetur.* Eſto quòd ſpem, jam non dicam, omnino projiciens, ſed imminuens, non ſubeſſet periculo poſitivè deſperandi, dementiæ voluntariæ verti poſſet ſpei ſpontanea diminutio. Nonne dementem putares nauclerum, qui deſtrueret anchoram ex parte, qua validè firmatur navis, nolens iſtam pondere tanto gravari? Mente captum etiam appellare poſſes, eum, qui ſpem oneroſam valde cordi ſciens, conſultò minueret hanc: nam fides juncta ſpei, velut anchora mentem noſtram ſtabilit inter proſpera, contrariaque mundi poſitam. Remigius Epiſcopus. *Sicut anchora*, inquit, *jactata à navi non permittit eam circumferri, neque periclitari, licet venti commoveant eam, ſed jactata firmiter tenet navim inter procellas, & fluctus, ita fides ſpe futurorum bonorum roborata firmat mentem noſtram inter proſpera hujus ſæculi, & adverſa, & introducit nos in ſpeciem rerum, quam modo & ſpe tenemus.* Itaque prudenter ſecum ſtatuit perfectus vir, tormento ſpei ſuæ remedium quærendum non eſſe: cruciatur: gemit & perſeverat, non curans lenire dolorem.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 7. mor. c. 6. ad fi.

S. Brun. Aſt. l. 2. ſent. c. 2. in princ.

Remig Epiſ. com. in ep. ad Hebræ. c. 6. ante fi.

Expenſione maturâ veniunt conſideranda verba Gentium Doctoris ad Romanos: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.* Exponit Angelicus Doctor: *Quod autem dicit*, Parturit, *idem eſt ei quod ſupra dixerat*, Expectat. Et infra: *Hic ergo creatura, id eſt homo, ingemiſcit partim propter mala quæ patitur, partim propter bona ſperata quæ differuntur. Thren. 1.* Multi gemitus mei. *Parturit autem, quia cum quædam afflictione animi ſuſtinet dilationem gloriæ expectatæ. Proverb. 13.* Spes quæ differtur affligit animam. Emphaſi morali vacare non credam, hoc loco Paulum aſſimilare ſperantem parturienti; cum dolores partûs non ſoleant prolixo tempore durare; ſpes autem ſtatûs beati futuri torquens animam cœleſtia cogitantem, per totum vitæ curſum protendatur. In eo tamen hic dolor cum anxietate matris parturientis concordat valde; quod gravida fœmina remedium nequaquam inquirit ut partus impediatur (niſi læva mens ei ſuadeat infandum ſcelus) patitur, gemitus edit, cruciatumque ſuſtinet, uſque dum ſuccedat lætitia mœrori. Stat ergo proportio verbis inſinuata Pauli, ſperantis nempe cum parturiente: nam quamvis expectans æterna multiplicet præ dolore ſuſpiria, minimè pertæſus deponit eam; ſed inter conflictus patienter ſuſtinet, dum *ſpes quæ differtur affligit animam.*

14.

Ad Rom. 8. 22.

S. Thom. in com. ib.

DELIBATIO II.

Ligni vitæ, ſcilicet Filii Dei fructus aliquot in Empyrei paradiſo.

15. *Lignum vitæ deſiderium veniens.* Novum non eſt, arborem generoſam, quæ primùm plantata fuit in agro non fœcundo; poſtea tranſplantatam ad feliciorem terram, fructus uberiores ibi germinare, quàm tulerat ubi prius fronduerat. Sic Redemptor noſter, lignum vitæ, quod plantavit æternus Pater in agro mundi, tunc ſterili; fructus equidem progerminavit hominibus ibidem: ſed abundantiùs fructificavit eiſdem, poſteaquam ſe tranſtulit per Aſcenſionem ſuam in terram viventium. Quod adeo verum eſt, ut Andreas Cæſarienſis dixerit ad illud: *Et folia ligni ad ſanitatem gentium*, quod legitur in Apocalypſi: *Per folia ligni vitæ, quod eſt Chriſtus, deſignantur tenuiores & quaſi ſuperficiales divinorum judiciorum notitiæ: quemadmodum per fructus conſummatior earumdem rerum cognitio; quæ in futuro tandem ævo pateſiet.* Operæpretium putavi per Sanctorum varios ordines diſcurrens meditari fructus nonnullos, quos à ligno vitæ Chriſto collegerunt in beatorum paradiſo. Viam aperuit Beda venerabilis, qui verba textûs noſtri præfixa delibationi præſenti: *Lignum vitæ deſiderium veniens*, retulit ad Verbum incarnatum, dicens: *At ubi venerit quod deſiderat, facile obliviſcitur quod ſuſtinuerat: quia in æternum vivere incipit cum ſuo Redemptore, quem tota intentione quærebat. Ipſe eſt autem lignum vitæ amplectentibus ſe.*

Apoc. 22. 2.

Andr. Archiepiſc. Cæſarien. ad 22. Apoc. c. 67.

Bed. com proverb. 13. 12.

16. *Salvator plùs dilìgere, pluriſque facere perhibet quos humilitatis & mœroris conſortes effecit.*

A ſanctis Apoſtolis ordiamur, quibus datum eſt ut militarent in terris adverſus hoſtes Domini ſui, cum Princeps ipſe poſitus in acie depugnavit. O ter felices; ſed poſt in Curia, qua regnat Veritas, feliciſſimi! Prædulces fructus ex nobiliſſimo ligno vitæ legerunt. Inter iſtos numeremus gaudium, quo nunc profunduntur; ex eo conceptum, quòd & ſocii facti ſunt peregrinationis ejus degentes inter mortales; & poſt illius abſentiam imitati fuerunt Magiſtri profundam humilitatem. Humilem Filium Dei ſuper terram, comite ſubmiſſione ſecuti ſunt: non ideo coram rectis oculis obſcuri; ſed potius elucentes, quamvis non tunc appareret eorum fulgor. Erant utique ſimillimi ſtellis iis, quas novimus deſcendente ſole deſcendere: nam iſtæ ſplendent, licet earum radios in præſentiâ luminaris magni minimè percipiant noſtra lumina. Tempeſtivus eſt hìc S. Iſidorus Peluſiota, loquens de SS. Apoſtolis: *Etenim*, ait, *velut præfecti quidam erant circum regem: ac velut ſtellæ unà cum juſtitiæ Sole curſum obeuntes*: &c. Poſt abſentiam divini Solis, quem in paſſionis turbido mari noverunt perveniſſe ad occaſum: cupientes illius humillima veſtigia ſequi, perpeſſi ſunt abjecta; ſed victoriam adepti ſunt per humilitatis viam ſectantes Præceptoris exempla. Rurſus idem Peluſiota: *Nam qui verbi præcones indoctos ac litterarum ignaros & infirmos eſſe conſpiciebant (cædebantur enim, atque undique vexabantur & exagitabantur) interim tamen victoriam ac palmam adipiſci Dei gloriam prædicabant.* Cum igitur Apoſtoli vìventes humilitatis Chriſti Domini fuerint ſodales; nunc autem ſint ejuſdem beatiſſimæ voluptatis conſortes, quærendum eſt, in quo plus dilectionem, qua proſequebatur eos, ampliorem oſtenderit Salvator? in eone, quòd gaudii ſui tandem participes affecerit eos; an priùs, cùm demiſſionis voluntariæ ſuæ voluit aſſeclas in vita mortali fieri? Non deerit, cui viſum ſit amantiorem exhibuiſſe Filium æterni Patris Apoſtolis in terra ſemetipſum, admittens eos ad participationem abjectionis, quam elegit, ut nos extolleret, quàm in cœlis, ubi ſunt perennis gaudii Domini ſui comparticipes. Cum enim Salvator, quamvis poſſet ſtatim ab incarnationis puncto frui ſtatu beatifico, voluerit potiùs humiliari; quodammodo prætulit humiliationem ſolio. Quapropter ſocietatem regni tribuens Apoſtolis, communicavit eis quod poſtpoſuit; abjectionis verò ſodalitatem concedens, commune fecit illis quod prætulit. An hoc non extitiſſe videtur impenſioris dilectionis teſtimonium? Tunc Redemptor ſuos pluris facere, necnon magis affectu proſequi perhibetur, cum ſuæ depreſſionis reddit comites atque mœroris.

S. Iſidor. peluſ. l. 2. ep. 5.

Idem ib. ep. 4.

17. Appropinquabat redemptionis noſtræ conſummatio Filii Dei morte perficienda. Quò diſcerneremus quantùm præcelleret iſta libertas antiquæ liberationi filiorum Iſraël ab Ægyptiaca ſervitute, Sol non dedignatus eſt umbram: hoc eſt ceremoniam legalem paſchalis agni, qua reducebatur in memoriam egreſſio Judæorum ex Ægypto, non omiſit. Necnon ſemetipſum immolans in Euchariſtia ſacra, cruenti ſacrificii præmiſit imaginem. Tam ad iſtam, quàm ad illam cœnam cunctos admiſit Apoſtolos. Non ita ſe geſſit, dum ivit in hortum oraturus Patrem: nam etſi cum egreſſus fuit in Gethſemani detulerit undecim, dimiſit reliquos, & ſolis tribus comitatus perrexit ut oratet. *Sedete hìc, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petrò, & duobus filiis Zebedæi cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.* Aliquis diceret, non congruiſſe, Dominum à cæteris abſcedere, quin eis mœrorem ſuum ſignificaret, ac hortaretur ad orandum. An ſolis tribus periculum inſtabat, propter quod orandum eſſet? Equidem, quamvis utilis eſſet Euchariſtica menſa; protunc illis communio neceſſaria non erat; maximè verò fundere preces. Ergo quare Dominus, qui tot Apoſtolos comitari ſe voluit in ſacro Myſterii fidei convivio; ſolos tres aſſumpſit poſtea, quibus dixit: *Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem?* Quia plus honoris conferebat Apoſtolis eligens eos, ut ſuæ demiſſionis, & anxietatis forent ſocii fideles, quàm volens ut cœnæ gaudii forent commenſales felices: & majoris affectus indicium præſtabat illis tri-

Matth. 26. 36. 37.

Ib. n. 41.

bus, præferens eoſdem. Non tam inclytus honos eſt qui tribuitur cunctis: nec ſummum dilectionis teſtimonium dicimus quod nulli negatur amico; ſed ii ſpecialiter intelliguntur honorari, magiſque diligi, qui dimiſſis aliis præponuntur. Sane locus, in quo Redemptor oravit, humilitatem inſinuat. Lege Zachariam Epiſcopum, ex Beda ſic dicentem: *Cum in valle orat pinguedinis, inſinuat nobis humilitatem ſervandam eſſe in oratione, & pinguedinem internæ dilectionis.* Et paulo priùs dixerat ex eodem: *Gethſemani locus eſt ad radices montis Oliveti, & interpretatur vallis pinguium.* Cum ad humilitatis vallem, & orandi ſubmiſſionem Dominus hoc loco deſcendit, non omnes elegit, ut ſimul humiliarentur orando: quia decus multum erat in ea tum afflictionis, tum peculiaris humilitatis aſſociatione. Paſchaſius: *Quamvis*, inquit, *aliquis dicat, quia ideo aſſumpſerit eos ſpeciali honore, ſicut & ſupra, ut tres eſſent teſtes, in quibus ſtare dicitur omne verbum.* Merito ſpecialem hunc reputavit honorem quicumque tacitè refertur à Paſchaſio: nam ſelecti ſunt illi tres uti magis firmi. S. Thomas: *Tres ſecum aſſumpſit. Et quare iſtos præ aliis? Una ratio, quia iſti infirmiores erant*: &c. Necnon horum trium electione magis dilectos oſtendit ſibi Dominus iſtos. Dionyſius Carthuſianus: Et aſſumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, *qui erant ſibi familiariores* &c. Cum Judas corpus Domini conſecratum acceperit (prout ſupra dixi fl. 3. n. 38.) non tam eximium decus, amoris ve ſignum extitit munus idem ſimul donari cæteris. At unicos tres ad conſortium orationis eligi decoroſum fuit nimis, & amantiſſimum. Ampliùs igitur condecoravit Apoſtolos Princeps gloriæ, ſuarum depreſſionum & anxietatum conſortes faciens; gaudii verò ſodales efficiens non tam ſublimiter honoravit eos. Colligamus hinc, profuſam exultationem in cœlis experiri nunc Apoſtolos, memores quòd, cum veſtigia Domini ſequerentur in terra, Redemptori conſortium præſtitere variis afflictionibus anxio, necnon & humiliationibus protrito. Suaviſſimus eſt hic fructus ligni vitæ.

Ex Bed. Zachar Epiſc. l. 4. in unum ex 4. c. 160. aliquantum à princ.

Paſchaſ. l. 12. in Matth. ib.

S. Thom. cō. in Matth. ib.

Dion. Carth. cō. in Matth. art. 42. in pr.

18. *Latior eſt victoria, ſi præſumebat confidens adverſarius.*

Ad Martyres venio. Deſerpſiſſe de ligno vitali Chriſto Domino ſcimus uberrima gaudia. Menſurâ ſuperfluente munerati ſunt à Domino exercituum in cœleſti Regia; ſed proportione ſervatâ cum laboribus exantlatis in acie. Strenui pugnarunt; ſed ita fortiter durum ſubiere prælium, quòd lacrymas in maxillis meditari poſſimus eorum, non præ dolore de cruciatibus orto; ſed ex diſtantia civitatis, quam nunc inhabitant. Appoſitè S. Fulgentius de Martyribus inquiens: *Euntes ibant & flebant; & non ſtabant, ſed flentes ibant, & ad æternam patriam tendebant. Civitas prolongabat, & illi flebant ut pervenirent ubi deſiderabant. Sic perrexerunt: quomodo revertuntur? Non flentes ſed gaudentes: non adhuc ſeminantes, ſed manipulos ſuos læta tervice portantes*: &c. Margaratis oculorum ſibi compararunt illā pretioſiſſimam, quam oculus non vidit: pergendo conſtanter, invenerunt manſionem quietis impertubatæ: ſeminantes dolorem meſſuerunt pulchram ſegetem voluptatis incomparabilis. Inter gaudia quibus potiuntur, non infimo loco numeremus quod eis provenit à victoria, qua diabolum ſtraverunt, cum bellum indixit eis confiſus tyrannorum potentiâ. Neſcio quid ſibi proportionatum dæmon reperit in hominibus impiis, ut pro juſtorum perſecutione velit communis adverſarius ipſis uti; qui, ſemel quòd Altiſſimus permittat, plurimùm evalet in vitæ noſtræ damnum. Malis utitur ad Sanctorum interitum, quaſi ſuorum exercitu. S. Bruno Aſtenſis ad illud Apoc. 6. 4. *Et exivit alius equus rufus*: ſic habet: *Hic equus rufus Sanctorum ſanguine, & ſævientis inimici calcaribus cruciatus tyrannorum exercitus intelligitur, ſuper quos diabolus ſedens in Sanctorum necem eos ſine omni miſericordia ruere facit.* In bello triumphus ab inimico reportatus, cùm hoſtis acceſſit ad præliandum confidentiâ multâ præſumens, peculiariter lætus eſt. Nam cum ab elatione ſuperbæ fiduciæ devenit ad miſeram everſionem, major videtur eſſe ruina: quia cecidit adverſarius ex altiori faſtigio; proindeque plus exultat meritò victor, cum ſuperavit hoſtem præſumptuosè confidentem; quàm ſi caderet cum erat formidolosè timidus.

S. Brun. Aſt. ſer. 3. de Martyr. juxta med.

19. Rebellis Pharao reſiſtebat Numini: quod per Moyſen egreſſionem filiorum Iſraël ab ejus poteſtate decreverat exequi. Poſt multa mirabilia ventum eſt ad internecionem primogenitorum: quæ ſic Regem commovit, ut nocte vocatis Moyſe & Aarone, permitteret exire populum. Velociter egredi plebem urgebant Ægyptii: ac tandem prodivit feliciter. Venit Iſraël in mare Rubrum, & diviſis aquis in muros pertranſiit. Inſequentes adverſarii perierunt, ita ut nec remaneret unus. Profunda quidem valde providentiæ divinæ diſpoſitio fuit, ut perirent eo loco. Poſſet Omnipotentia facillimè priuſquam exirent adversùs Hebræos, interficere ſuis in domibus Ægyptios. Et primâ facie prudentior apparebat hic modus puniendi malos iſtos: nam ſic pereuntibus eis non ſumerent occaſionem Hebræi proferendi præ timore proſequentium ingrata verba contra Moyſen, in offenſionem Domini redundantia. *Viderunt Ægyptios poſt ſe: & timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto?* Quænam Domino mens in eo quòd hanc inimicorum necem diſtulerit ad mare; non autem illos ante martialem egreſſum contra Judæos interfecerit? Divina conſilia novit Omniſcius: at ſine temeritate cogitare valemus, ipſum voluiſſe feliciorem Iſraëli donare victoriam. Si Dominus Pharaonem tunc occideret, cum permiſit exitum plebi, cæteroſque pariter interimeret, qui poſt mari mortui ſunt, diceremus, Iſraëlem per Dominum viciſſe contrarios timentes;

Exod. 14. 10. 11.

timentes; quod minus glorioſum eſt. Perlege textum, & invenies timorem Pharaonis, Ægyptiorumque, tempore quo permiſſus eſt Iſraël exire de Terra. Metum ſatis oſtendit rex, inquiens: *Abeuntes benedicite mihi.* ubi Lira: *Id eſt, orate pro me ut non moriar in iſta peſte.* Additur ſatim: *Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* Idem Liranus: *Timore mortis ducti, quia ex morte primogenitorum timebant ſibi.* Minus gloriæ deferretur populo Dei, ſi tunc extinctis omnibus Ægyptiis fama denuntiaret, Iſraëlem ſuperiorem factum fuiſſe timidis. Diſpereant poſtea Pharao cæterique, præeunte ſuperbâ præſumptione, qua ſibi ſuaſerunt fore deſtructuros populum. Audi quid pro gratiarum actione dictum ſit. *Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea: evaginabo gaudium meum, interficiet eos manus mea.* Non potuit non Hebræa gens ubertim gloriati, quòd, pugnante pro illâ Domino vicerit hoſtem de ſemetipſo cum tumore fidentem. Accommodabis hæc theſi noſtræ uon difficilè, ſi diabolum per Pharaonem intellexeris; per exercitum ejus vel militiam dæmonum, vel (quod magis accedit ad ea quæ dixi n. præcedenti) tyrannos, qui contra Martyres crudelitatem exercuerunt. S. Bruno Aſtenſis immediatè poſt verba quæ dedi proximè citato loco, ſubdit: *Iſti, ſunt illi, de quibus dicitur: Curſus Pharaonis & exercitum ejus demerſit in mare.* Ex Chryſoſtomo colligimus tormenta Martyrum appellari fluctus æquoris poſſe: nam de duplici milite Chriſti ſermonem habens, dixit: *Sicut ſcopuli omnes undarum aſſultus repulerunt*, &c. Relinquitur ex prædictis ergo, triumphî Martyrum de diabolo circumſtautiam eſſe non vulgarem, ſuperaſſe confidentem ſuperbè tyrannorum poteſtati. Lætantur de hoc illi ſuaviſſimè, decerpentes hunc gaudii fructum à Chriſto Domino ligno vitæ.

Ib. c. 11. 32. Lira ibid. Eod. c. n. 33. Liran. ib. Exod. 15. 9. S. Brun. Aſt. ſer. 3. de Martyr. S. Joann. Chryſoſt. to. 3. ſer. in Iuventium & Maximum.

20. *Magiſtro corona diſcipuli magis congruere videtur, quàm huic.*

Procedamus ad ipſius Domini Confeſſores inclytos. Et primùm dicam de ſanctis Doctoribus. Iſtorum claritas ex munere ſuo pateſcit; cum lucis officium exhibnerint, illuminantes alios in via ſalutis, ne laberentur miſerè, vel intellectu ſaltem exerrarent. Lucernæ proprium eſt non ſolùm exhilarare ſplendoribus illum cui lucem præbet; ſed etiam veluti ſemetipſam. Noctu ſplendentem extingue: non tantùm ſit aſtantibus mœror; ſed etiam ipſa videtur induere mœſtitiam; nam pariter cooperitur umbris. Eamdem rurſus accende: tum videntes reſtaurant exultationem; tum illamet quodammodo lætâ ſit; nitorem à ſuis radiis accipiens, præſertim ſi cryſtallina ſit. De cryſtallo dixit Incertus: *Significat namque unumquemque perfectum virum: lapis verò, cui inhæret, Chriſtum ſignificat. Claritas cryſtalli puritatem mentium ſanctorum deſignat*: &c. Cryſtallinæ lampades: ii ſcilicet qui ſpiritualiter proximis illuminandis operam navabant prælucendo cæteris, eos, quos efficaciter inſtruebant, ſimulque ſemetipſos lætificabant in terris. Quantò plùs in beatitudine gaudebunt ex hoc munere charitatis fructuosè multis exhibito? Inſuper nec lucem amiſerunt antiquam; nec dubitas accepiſſe novam. Scis, quòd in regno perpetuò poſiti non deſiſtunt illuſtrare cum effectu multos exemplis vitæ præcedentis. Quænam, putas, gloria creſcit eis per diſcipulorum profectum? Crede quod modò regnantes nova certamina vincunt per eos, quos ita docent. Non ſola bella propria triumphantes magiſtros decorant: necnon alumnorum triumphi dici queunt victoriæ ſubeuntis magiſterium. Audi S. Ambroſium loquentem in perſona D. Laurentii. *Quid quòd illuſtres & præſtantes viri diſcipulorum certaminibus magis quam ſuis vincunt?* Armatus diſciplinâ præceptoris dimicat aſſecla, vincit, & coronatur. Sed partum diadema certè, licet magiſtrum ſimul atque diſcipulum condecoret, potiùs præceptorem honorare videtur, quàm addiſcentem, qui doctrinam opere complevit. Non quidem iſti denegatur laurea ſua; ſed magis congruere videbitur hæc præferenti doctrinæ lucem, quàm ſectanti.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de off. c. 41.

21.

Inter myſtica Joannis ænigmata locum non poſtremum vendicat ſeſſor equi candidi ſignificans Filium Dei. Primaſius Epiſcopus: *Hic eſt*, ait, *quem ſuperius dixerat debitam de victoria percepiſſe coronam, æquum & juſtum qui judicat, & præliabitur ut rex omnium ſæculorum præliatur, qui in ſuis ſemper membris compatitur, dimicat cum vincit in ſeipſo coronat, ſed virtutem certantibus præbens, qui pollicetur vincentibus præmium.* De prædicto equite dixit Evangeliſta: *Et in capite ejus diademata multa*, &c. Statim hærebit quivis, dicens: Uni capiti corona reſpondet unica: quid ergo ſibi vult, Chriſti Domini verticem multiplici diademate redimiri? Reſpondebit Anſelmus: Et in capite ejus, *ſecundùm Divinitatem*, diademata multa, *quia per eam & ipſe & ſui coronantur*, &c. Bene. Sed quare non in ſeſſoris hujus manibus diademata prædicta cernuntur, quo repræſentetur diſtributor eorum eſſe Redemptor? Accedit, quòd nullus eorum, qui ſequebantur ſupremum Ducem in cœlo, coronatus apparuit: dixiſſet enim Joannes, dato quòd ſic vidiſſet: ille verò loquitur ita: *Exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.* Iſtâ multitudine figuratos fuiſſe Martyres, non dubito. Ansbertus ad eum locum: *Recte autem multitudinem ſanctorum, quæ in hoc martyrii bello deſudat, exercitum vocat.* Et non abſque veriſimilitudine poteſt candor veſtis ad ſtatum gloriæ referri. Favet iſti cogitationi Viegas, inquiens: *Byſſinum autem album, & candidum tum vitæ puritatem, tum gloriæ candorem ſignificat*, &c. Igitur ſuis militibus (quos videbat Joannes indutos alba veſte, hoc eſt fruentes beatitudine) quare non viſitur Salvator diſtribuens per ſingula capita coronas? & in capite proprio cernuntur diademata plura? Quia magiſter militum iſtorum Salvator eſt: cujus doctrinam exemplumque tenentes illi

Primaſ. Epiſ. l. 5. in Apoc. c. 19. S. Anſel. in com. Apoc. ib. Eod. c. n. 14. Ansbert. l. 9. in Apoc. c. 19. Vieg. ib. cõ. un. ſect. 10. n. 4. Incert. ſub nom. S. Ambroſ. to. 5. cõ. in Apoc. c. 22.

illi certaverunt. Diadema discipuli magis proprium videtur capiti præceptoris, quàm suo. Descendamus hinc ad Sanctos fulgore magisterii radiantes; quorum discipuli pretiosa consecuti sunt gloriæ serta. Sane magistros hæc illustrant, & afficiunt peculiari gaudio : quod acquisiverunt exercentes docendi munus ad instar Magistri summi : proindeque meditemur, exultationem istam collegisse veluti fructum ligni vitæ, scilicet Salvatoris.

22. *Strenuus aliquando plùs complacet in merito suo, quàm de præmio.*

Sequitur expendenda nunc dulcedo, qua potiuntur ex eâdem arbore cæteri pasti Confessores; quamvis ea Sanctis omnibus communis extet. Suavissimè gloriantur in Domino, recolentes varia meritorum genera, quibus in studio vitæ cœleste bravium lucrati sunt. Mirè lætantur memoria laborum quæ sustinuere, certaminum, in quibus pugnarunt, ac discriminum, quorum jam immunitate gaudent. Mellisluè de more suo Bernardus : *Nemo*, inquit, *ex vobis parvam aliquam requiem aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestiâ liberi cogitant annos suos in dulcedine animæ suæ : lætantur pro diebus, quibus humiliati sunt : annis, quibus viderunt mala cum jucundâ admiratione & mirâ jucunditate : considerant pericula, quæ evaserunt, labores quos pertulerunt : certamina quæ vicerunt* : &c. Ceu peregrinus patrios lares denique revisens plurimùm exhilarat mentem, recogitans à quot periculis evaserit, quanta laboriosa tulerit, quali sollicitudine divexatus viam confecerit: haud aliter Sancti rememorantur sudores pristinos, præteritas pugnas, & superata discrimina; sumentes ab istorum omnium recordatione lætitiam non vulgarem. Liceat in ipsorum laudem hyperbolem subjicere. Quasi videtur, eos magis lætari de meritis anteactis, quam de præsenti præmio. Hæc generosis animis adest virtutum dilectio, quòd opus virtuosum perfeciſse magis aliquando gaudent, quàm remuneratione gestorum. Inest operationi libertas eligendi; munus autem, quod in pretium operis datur, optio remunerantis est; non accipientis. Merirum habet se quasi donum foret majori datum; præmium verò recipit minor : dare beatius est, quàm accipere. Hinc fit, ut non semel contingat, strenuos viros plùs de merito suo complacere, quàm de præmio.

S. Bernar. ser. 2. de omn. SS post med.

23. Molem rationalem, armis & experientiis munitam, quam extollebat superbia: gigantem, inquam, provocantem ad singulare certamen timuerunt Hebræi. Zelatus pro Dei honore David, ætatem vincens, & arrogantiam Philistæi non patiens, obtulit se spontaneus duello. Cum pugnaturus accesserit animo per humilitatem obarmato, non distabat victoria, nisi per jactum lapidis. Uno tantum ictu prostrata fuit lutea superbiens turris : non potuit non cecidisse naturæ conditione fragillima, cum elationis vento fortiter quateretur. Præcidit caput inane David, eique regresso mulieres publicè plausserunt, dicentes : *Percussit Saül mille, & David decem millia.* Expectabam, fœminas, ut victori gaudium triumphale majus conciliarent, vocaturas eum principem (utpote cui debebatur matrimonium cum Regis filia) non verò millium percussorem. Nonne vulgo notum erat, fore dandam in conjugium filiam Hebræi Monarchæ viro percutienti gigantem? *Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei*, &c. Et infra : *Referebat autem ei populus eumdem sermonem*, &c. An honorarent illæ modicè Davidem jam Regis appellantes publicis vocibus generum? cur non eum sic nominarunt? Fortassis ampliùs placere desiderantes fortunatissimo triumphatori (cujus animi generositatem ex robore cordis, quo sponte suscepit monomachiam, conjicere potuerunt) non de præmio satis excellenti condecorabant eumdem; sed potius de merito, quod percutiens hostem acquisivit. Pectori magnanimo remuneratio quandoque minus arridet, quàm factum egregium. Et ut hyperboli nostræ meliùs aptemus ista, memento pugnam Davidis illam non dissimilem esse militiæ Christianæ certaminibus aliquot. Adstipulatur Ambrosius. *Sunt*, inquit, *autem & alia bella, quæ vir sustinet Christianus, ... Stat in acie ferens hosti obvium pectus : etiam si quis Golias exurgat immittis atque præcelsus, timentibus tamen cæteris exurgit humilis quasi David*, &c. Adapta quæ diximus, lector, sanctis Martyribus, qui vulnera sua sic dilexerunt, ut multiplicari, perdurareque tormenta diutiùs cupientes, etsi propterea differretur parata corona, præmium visi sunt postposuisse merito.

1. Reg. 18. 7.

Ib. c. 17. 25. 27.

S. Amb. to. 3. l. 10. in Luc. c. 21.

24. *Anima castæ videtur à Christo Domino quasi duplex æstimari.*

Concludamus expendentes Sanctarum virginum accidentalem gloriam, qua victrices insigniter hostis immanis, & fragilis, nempe carnis, donantur à justissimo Remuneratore. Plurimi sunt flosculi contexentes laureolam istam superadditam præcipuo diademati, scilicet essentiali beatitudini. Unum eligo : voluptatem, inquam, ortam ex eo quòd ab Sponso plurimi fiant in cœli palatio. Benignè, fideliter, & amanter, virginem admittit Rex regum ad solium.

Venant. Fortun. l. 8. carm. 4.

Currit ad amplexus post prælia gesta triumphans,
Infigens labiis oscula casta sacris.
Blanditur, refovet, veneratur, honorat, obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica suo.

Hæc Venantius canebat olim, de quibus pervium est colligere, quanti ducat gloriæ Princeps in cœlis animas castitate nitentes. Amator Deus est affabilis atque blandissimus dulciter diligentium eumdem. Quapropter amore tenerrimo veluti rapitur in animam puritate candidam; utpote quam ipsius Domini molliter urit amor. Nix ad solis radios liquida fit : sic anima per continentiam nivea, radiante Sole justitiæ super illam, blandissimos liquescit in affectus : quibus corde tactus jucundè Salvator appretiatione plurimâ remunerat eam. Conjiciamus illam, ex honore, quem degens in terris exhibebat cor Filii Dei castis. Parum abest ut affir-

mem

mem in æſtimatione Redemptoris animam caſtimoniâ præditam æquivaluiſſe duabus. Deſponſationem duplicat cum Deo pudicitiæ dilector: alteram ſortitur per gratiam; alteram per amorem integritate fidum: quaſi duplex homo ducitur à Domino.

25. Exemplum pro virgineâ laude ſumere de nuptiis non erit improprium. Ad celebritatem nuptialem vocatus acceſſit Author vitæ: convivioque non dedignatus eſt adeſſe, plùs ut miraculi doctrina tacente paſceret homines, quàm ut corporali cibo nutriretur. Quærunt interpretes quiſnam fuerit in iſto ſponſus hymenæo: piè dixere plures Joannem Evangeliſtam. Lege Rupertum: *Inter quos*, ait, *& hunc Joannem Evangeliſtam relictis nuptiis, ipſius enim iſtas fuiſſe nuptias, opinio ferè omnium eſt, ipſum Dominum ſequi cœpiſſe arbitramur. Tradunt nanque hiſtoriæ, quòd eum de nuptiis volentem nubere vocaverit*, &c. Quo poſito, non præteribis quod poſtea Dominus vocaverit eumdem, prout legitur apud Matthæum. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos.* Ex Ruperto dilucidè patet, dilectum Chriſto Domino diſcipulum incepiſſe jam prius veſtigia ſectari Salvatoris. Ut quid ergo vocavit eum è navi? Reputabat eum velut hominem binum, quia pudicus erat; & adeo quòd nuptiis valedixerit. Accipe S. Aldhelmum Epiſcopum, tam ſoluta, quàm ligata oratione laudatorem Joannis:

Rupert. l. 2. in Joann. c. 2. fi.

Matth. 4. 21.

S. Aldhel. l. metr. de lau. Virg. Valde poſt princ.

Promere nunc nitor ſacrum ſermone Joannem,
Qui fuit accubitor Chriſto gratiſſimus almo,
Pectore de ſacro ſorbebat flumina Doctor:
Imbribus æternis ſitiens ingurgitat alvum:
Florida qui caſtè ſervavit tempora vitæ,
Horreſcens penitus falſæ commercia carnis.

Idem l. de laud. Virg. c. 11. juxta med.

Et alibi rurſus de Joanne ſic idem eloquitur: *Joannes quadripertitæ ſcriptor hiſtoriæ, & veracis Evangelicæ relationis tetrarcha, quem Salvator (unica mundi redemptio, & conſervandæ caſtitatis alma præfiguratio) propter virginalis pudicitiæ gloriam inter cæteros peculiariter pio diligebat affectu*, &c. Unicum hominem ad ſui ſequelam divinum Præceptorem ſemel traxiſſe quidem ſufficeret. At Joannem bis vocavit, quaſi duplicem virum, quia virginalîs honeſtatis laude tanti pretii penes Dominum extitit, ut æſtimaretur veluti geminus. Hic eſt magnus animæ, vel quaſi corpus exuentis, in mortali vita valor apud Altiſſimum. Quis neget Virginibus ad patriam beatam jam reductis inſigne decus ab eodem Sponſo præſtari? Hanc honorificentiam ſequitur exultatio mira, quam fructificavit eis *lignum vitæ*.

DELIBATIO III.

Spei mundanæ torſiones.

26. *Sperantes in hominibus vulnerâtur; & vulnus contegunt.*

CUm ſpem firmiſſimam, ſcilicet in Deo ſanctè collocatam torquere dixerimus animas ipſum diligentes: quantò plùs cruciabit mundana ſpes clientes mendaciſſimi ſæculi; quam neque certitudo ſolidat, nec ſperati boni pretioſitas alleviat? Multi ſpem firmare conantur ſuam in opibus; quibus obedientiam ſubditus mundus offert: alii niti faciunt eamdem in amicorum turba, quorum putant corda ſuo ligata conjungi validò nexu: aliqui fortunâ propriâ, de præteritis experientiis deſumptâ fulciunt expectationem eventuum felicium futurorum: plures illam ſuſtentari contendunt in placido favore potentum, ſub quorum alis quiſque, licet nimium ſollicitus, requieſcit lentus in umbra. Cuncti, dum ſpem ſic incumbere docent creaturis, non ſine vulnere dolent. Sperantes in facultatibus mihi cernere videor ſimiles homini, qui ne de rupe decidat, manu prendit rhamnum, qui ſpinis cruentat ipſum. Rhamno depingi divitem ſuperbum, ex D. Antonio Ulyſſiponenſi dedi ſupra fl. 8. n. 20. Nitentes amicorum pluralitate (cum utplurimùm rei adeo raræ multitudo pondus amoris non habeat; ſed extet merè numerus abſque ſubſtantia) ſimiles judicabimus viatori, qui pro baculo ſumit arcum: nam penè tota cohors eorum, quos errore dicis amicos, cum adeſt occaſio dilectionem probandi, vel convertuntur in arcum pravum, vel jam prius erant hoc nomine digni. Arcus dolum faciens vulnerat miſerum peregrinum. Fortunæ ſuæ fiduciam committentes æquiparare licebit homini quieſcenti ſuper ſedem vitream, quam corporis onus ipſum frangit, & fragmentis vitri lancinatur ipſe. Fortunatam vitream eſſe non dubites ad ſplendorem cæcus: claritati miſcetur fragilitas. Vide ſupra flore 7. n. 40. Denique ſub potentiorum benignâ protectione recumbentes, pares puto reclinantibus corpus fatigatum ſupra florida roſeta: qui roſarum pompam odorant; ſimulque feriuntur aculeis. Omnes igitur illi qui creaturis perperam confidunt, ſuos patiuntur ictus. Attamen effugia quærunt: voluptatem quaſi medicum vocant. *Nam nunc iniqui cùm triſtitia aliqua, vel adverſa patiuntur effugii latebras inveniunt: qui ad voluptatem protinus deſideriorum carnalium recurrunt. Ne enim paupertas cruciet, divitiis animum demulcent. Ne deſpectus proximorum deprimat, ſeſe dignitatibus exaltant* &c. Sic Magnus Gregorius. Hoc præter multa riſu dignum eſt in iis, quorum ſpes figitur in homine, quod iſte ferit ſperantem; at ille diſſimulat vulnus. Videbis vulneratum hilari vultu, quaſi nihil pateretur; & in ſperando perſeverare non oſtendentem afflictionem. Miſerrimum eſt hoc: nempe

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 10. mor. c. 13. n. 23.

nempe lacerari per ſpem hominibus nixam, & vulnera tegere.

27. Ita gloriatur Omnipotens quòd ſit protector ſperantium in ſe conſtanter, ut ejus irritetur æquitas ab eis qui fiduciam ponunt in creaturis. Pharao concitavit Iſraëlitas, ut ejus ope ſiſi rebellarent contra Chaldæos. Inanis & fallax non ſtetit promiſſis; imo cauſa fuit cur Judæi per Chaldæos æmulos Ægyptiorum graviùs affligerentur. Comminatur Dominus Ægyptio Regi ſupplicium. Rationem proponit ulciſcendi, quæ apud vatem legi poteſt. Ego nanque ſola verba ſeligo ponderanda, quæ ſic habent: *Laceraſti omnem humerum eorum: & innitentibus eis ſuper te comminutus es*, &c. Quæ ut capias conſule Sanctium ibi. *Merito ergo*, inquit, *dici poteſt Pharao Judæorum laceraſſe humeros, quia robur debilitavit, & fregit; quod in humeris, ſi non maximè, magno tamen opere ſpectari ſolet. Sane ab humeris laudari ſolent robuſti, ac fortes, vel quia robur indicant corporis; aut quia ferendo oneri plerumque ſuppoſiti.* Ex interprete ſumo tantùm, quòd ejus doctrinâ poſitâ, valemus humerum conſiderare ſeorſim à manu; & ſic patet locus dubitationi ſequenti. Cur, inquam, Deus non ait: Laceraſti manus eorum cunctas? ſed: *Laceraſti omnem humerum*? Loquebatur Dominus de illis, qui ſperaverant in Pharaonis adjutorio: de quibus agit, quaſi de vulneratis ab eodem. Adverte, vulnus humero receptum operiri veſte; non ita verò ſæpe, ſi manum vulneraret arundo, cui niteris. Solent plures hominum viribus confidentes dolere quaſi ſauciati: tamen diſſimulant dolorem, ac ſi ſuſcepiſſent humero percuſſionem affliguntur, atque tacent; imo valde nimis exultant.

Ezechi 29.7.

Sanct. ib. n. 24.

28. *Quo magis contentioſus collocas in creatura ſpē fortiùs, magis ab iſtâ vulneraris.*

Et pejus eſt, quòd afflictionem ſuam iſtæ vanè ſperantes non ſolum diſſimulatione cooperiunt; ſed contentiosè fovent, & indies magis afflictantur. Adversùs rationem & experientiam rebelles perſiſtunt expectantes creaturarum auxilia: ſed quò plùs contendunt in ſperando, majus damnum patiuntur. Congruum erat ſpes ejuſmodi noxias præſcindere, ne deveniretur ad exitium per illas: quod equidem miſerandum valde; cum idipſum cordis levamen, ſcilicet ſpei auxilium, advocet homini malum perfidè, quod eſt velut ægrotum pharmaci potu perire. Spem alibi diximus anchoram: ſi tamen loquamur de illa, quæ jacitur in æquore mundi, ſæpiſſimè convenit ut gubernator navis rationalis (hoc eſt prudentia dirigens interiorem hominem) jubeat anchoras derelinqui, ſecatis funibus, id eſt, affectibus, per quos alligamur eis, ne ratis patiatur naufragium. Opportunus hîc Petrarcha: *In magnis*, inquit, *quoque pelagi motibus accidit ubi non naves fundat illa, ſed alligat, & naufragio vinctas tradit. Nec hercle aliter inter procellas humanarum rerum ſpes affixa & tenax, multos in exitium traxit, qui abſciſſâ utique & abjectâ ſpe incolumes evaſiſſent.* Spe ſæculi vacuâ nixi validè recumbunt ſuper eam: vulnerantur ab eâdem; & moniti dolore tandem advertunt eſſe noxiam: non tamen eam projiciunt; ſed quia fortiùs poſt vulnerationem incumbunt eidem, ſauciantur acerbiùs. Utile foret expectationem abjicere nocivam; ſi autem retinueris, & contendens majorem appoſueris vim animi ſuper eam, diriùs vulnerabis.

Petrar. de reme proſp. fort. dial. 109.

Ezechia regnante venit miſſus ab Aſſyriorum rege cum inſigni manu militum. Loquens uti legatus domini ſui qui Jeruſalem capere parabat, quibuſdam Judæis ait: *Super quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam: ſic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Sanctius ibi: *Proverbiali*, ait, *ſpecie* baculus arundineus fractus *pro infirmo auxilio ponitur; quod tam longe eſt, ut imbecillum ſuſtentet, ut potius manum apprehendentem violet, compungat, & perforet.* Iſtius locutionis proverbialis myſterium in ore Rabſacis non inquiro; cum in illo Deus locutus non fuerit, ſed ſuperbia. Cum tamen videam apud Ezechielem proximè ſupra loquendi modum ſimilem: *Pro eo quòd fuiſti baculus arundineus domui Iſraël*, energiam non modicam ſuſpicor in ænigmate baculi arundinei, quo denotatur ſpes in homine poſita. Sic meditabar. Iter faciens, firmans greſſum arundine, non ſemel feritur manu. Sique idem, cum incipit vulnerari perforata vola non projiciat baculum inanem, imo fortiùs incumbat ſuper eum, vulnus auget eò magis, quò majore vi ſuſtentari nititur in eo. Non diſſimiliter quiſquis animadverrit, ſauciari ſe ſpe de humanis auxiliis conceptâ, nec abjicit eam, ſed validiore conatu perſiſtit in eâdem, vulneratur graviùs. Ad hæc reſpondere ſolent ii quos expectatio hæc illudit, nullum ſe dolorem experiri de ſpebus iſtis provenientem. Reſponſum iſtud judica prudens, quaſi dictum ægri, cujus mentem alienat phreneſis. Ægritudinem patitur miſer; & ſe negat ægrotum, reſpuens medicamina. Similiter ſe gerunt non agnoſcentes quantùm ſpe mundanâ vexentur ſectantes inania, perſequentes leviſſima. Deſcribit iſtos bellè S. Thomas à Villa nova. *Quam*, ait, *improbo labore, quanta cura & anxietate, umbratiles iſtas bonorum formas fictaſque rerum imagines & phantaſmata perſequuntur? quam ardenti cupidine & deſiderio viles carduorum lanugines, inſenſatorum puerorum more per aëra volitantes inſectantur? & ſuper his obtinendis, inveniendis, acquirendis quàm ſtultè miſerabiliterque vexantur?* An iſthæc inquietudo laborantis & afflicti non eſt? ubi credemus latere dulcedinem ſpei mundialis, quam ſibi fingunt iſti, niſi tantùm in phantaſiâ propria? Verè torquentur; licet aliquando premantur lethargo, quo tollitur ſenſus doloris.

29.

Iſai. 36. 5. 6.

Sanct. in cō. ib.

Ezech. 29. 6

S. Thom. à Villa no. ſer. 3. de Aſſūpt. B.M. poſt pr.

Nunc abominandum ſequitur peſſimum ſpei mundanorum genus. Extant (proh nefas) non pauci ſpem ſuam firmantes in ſceleribus perpetrandis. Quidam ſperat exitum felicem litis, quia decrevit corrumpere pecuniâ judicem; alius expectat conſequi

30. *Male fidit in crimine ſuo malus; cum peccatoris ſit proprius metus.*

conſequi munus publicum, quia minatur vindictam à dignioribus fore ſumendam, niſi prorſus ab oppoſitione deſiſtant. Hi, ſimileſque ſpei ſuæ ſubjiciunt infirmiſſimum fundamentum, ſcilicet peccatum, quod vere nihil eſt, ſicut & moraliter anihilantur qui peccant: quod perſecutus ſum to. 1. fl. 21. delib. 8. n. 40. & iterum notavi ex Auguſtino ibidem n. 51. Magis adhuc pudeat eos, fiduciam ſuam in armis diaboli communis adverſarii niti, quibus nos oppugnat: nam crimina certè noſtra, dæmonis contra noſipſos jacula ſunt. Ambroſius: *Oſtendit*, inquit, *diabolum noſtris nos jaculis impugnare. Occaſio enim datur illi per noſtra peccata, ut deſerente nos Deo, accepta poteſtate illudat & mortificet nos. Ideo membra noſtra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noſter inermis inventus ſubjiciatur.* Fateor, ſpem in crimine fundatam, ſatis animosè perſtare ſed aliud eſt, imprudens; aliud verò, fortis. Imprudenter, inquam, peccator innititur delicto pro bonis conſequendis; at vera fortitudine caret; quia multo metu concutitur. Ut virtutis amator perfectus Deum ſolum timet; ſic iſto prævalido timore vacuus umbram propriam multoties formidabit. Accommodè S. Joannes Climacus: *Verus*, ait, *Dei famulus ſolum & unicum ſuum Dominum formidabit; hunc qui nondum metuit, ab umbra ſua territus ſæpe refugiet.* Credat malus, auxilium ſibi parare fragillimũ ex delicto ſuo: nam proprium peccatoris eſt meticuloſum eſſe, niſi depravatus veluti dormiat in ſcelere: ſæpiſſime nemine perſequente fugit; comminante nullo trepidat.

S. Ambroſ. to. 3. com. in Ep. ad Rom. c. 6.

S. Joã. Clim. in ſcal. gr. 20. fi.

31. Dominus per Jeremiam Hebræos monuit fruſtra fidere templo, peſſima patrantes. Cogitatione verſemus non inutili verba illa: *Stetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberati ſumus, eo quod fecerimus omnes abominationes iſtas. Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Non miror Judæorum procaciam, qui ſe liberatos putabant eo quòd peccaſſent: nam ſimilia contingunt in lege gratiæ juxta S. Hieronymum; quamvis in eâ longe major lux mentibus humanis irradiaverit. *Hæc*, inquit S. Doctor, *ſpiritualiter accidere in Eccleſia nemo dubitat, quando præſentis temporis conſiderantes felicitatem, ſua peccata non reputant: & latere arbitrantur Deum, quia ſtatim vindicta non ſequitur: quin potiùs in tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos ſe putent: quia poſt mala opera etiam à cultu Domini receſſerunt.* Tantùm expendam, qua de cauſa vocantur latrones illi qui reprehenduntur ibi? *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* &c. Video præcedentibus verbis factam eſſe de furto mentionem. *Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis.* Sed cum ibi non agatur de ſolo furandi peccato; ſed etiam alia nominentur crimina; quare non dictum fuit: Numquid ſpelunca perjurorum, vel idololatrarum, facta eſt domus iſta? quid ſpeciale reperitur in latrocinio? Notum eſt quàm ſoleat eſſe timidus latro: nullus clamat; & fugit: lictorem videt alia cogitantem; & quaſi veniſſet ut illum comprehenderet, ac in carcerem detruderet, pavens abſcondit ſe. Meritò comparati ſunt furibus habentes fiduciam in peccatis commiſſis: non ſolùm quia peccator ſolitat eſſe meticuloſus valde; ſed quia confidentes in criminibus homines nituntur ſpe, quam formido comitatur. En qualem ſpem diligant mundani; ſcilicet infirmam, atque doloroſam.

Jeremi. 7, 10. 11.

S. Hieron. to. 5. l. 2. in Jerem. c. 7.

Jerem. 7. 9.

32. Cum tamen ita ſit, adhuc ſæculo dediti tam longe ſunt à deſerendâ ſpe nutante, ſimul atque torquente, ut eam proſequantur amore. Familiare malis eſt in miſeria ſua complacere; quin & cæcitatem propriam velle diu pati. Vix in exilio vitæ quidquam reperimus, quod non pœnale ſit ac miſerum. S. Gregorius Papa: *Si enim ſubtiliter conſideretur omne quod hîc agitur pœna & miſeria eſt* &c. Non idcirco de ſomno ſurgentes levamus oculos ad cœleſtia; potiùs exules à patria delectamur exilio; interiori luce privati deſideramus longiùs protrahi cæcitatem, quam patimur. Idem Pontifex addit: *Quod amiſſa cœleſti patria repulſus homo delectatur exilio, gravatur curis, & tamen cogitare diſſimulat quàm grave ſit, quia multa cogitantur: quod privatus eſt interno lumine, & tamen in hac vita diù vult perpeti cæcitatem ſuam: quid hoc aliud quam de pœnâ noſtrâ nota miſeria eſt?* Amator itaque miſeriarum, quas tolerat, impius tam addicitur ſpei ſuæ (quæ quidem una de miſeriis ejus eſt) ut ipſam pecuniâ comparare non pigeat illum. Sperat gratis, & cum diſpendio. Gratis, inquam, hoc eſt in vanum diſpendium verò non recuſat, quia fruſtraneam expectationem libenter emit. Hæc ipſa fruſtratio dignum ſupplicium ipſius eſt. Æquè flagellatur qui ſpem nummis imprudens emptor ſibi parat, in eò quòd illa reddatur irrita penitus: ſperatum non aſſequitur, & in pœnam experitur pretii jacturam.

Emens pecuniâ mundanam ſpem juſtè flagellatur irritâ facta ſpe, pretioque perdito.

S. Cregor. Mag. to. 1. l. 11. mor. c. 26. n. 26.

Idem ib.

33. Decreverat Amaſias rex Juda ſubigere Idumæam, quæ jugum excuſſerat. Præparavit manum bellicam de ſibi ſubditis: & inſuper mercede conduxit ex Iſraël centum millia robuſtorum. Antequam caſtra moverentur acceſſit ad eum propheta, monuitque ut à Deo potiùs quàm ab humanis viribus victoriam præſtolaretur: & expreſſis verbis hortatus eſt ut non deferret ſecum ad pugnam exercitum illum qui venerat conductus de Iſraël, adjiciens: *Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus* &c. Hic ſiſto gradum, quò progrediar. Quare non potiùs comminatus eſt mortem ipſi tantum regi Amaſiæ, ſi putaret bellorum ſortem felicem hominum bellico robori tribuendam? Dubitatiunculam ratione fulcio. Rex Juda, ſi vinceretur ab adverſariis; forſan evaderet gladium, & perirent milites, qui non dederant cauſam ruinæ. Nonne puniretur acrius Amaſias fulmine, quin procederet

2. Paralip. 25. 8.

ad pugnandum, propter ſtultam ſuperbiam, qua vanus exiſtimaret, victorias ex militari fortitudine ſperandas? Dicet aliquis quod non. Alius punitionis modus affligeret eumdem, quam fortè pluſquam jacturam ſolius vitæ ſuæ doleret: nempe fruſtrari ſpem ipſius de vincendo, quam poſuerat ex parte in auxiliaribus copiis, quas pretio conduxerat, expectationem ſic velut emens. Pecunias jam ſolverat ille. *Dixitque Amaſias ad hominem* Ib. n. 9. *Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Iſraël?* Dimittens Iſraëlitas, non erat repetiturus illa talenta; ſicut ex verbis prophetæ deducitur, ſic reſpondentis: *Habet Dominus unde tibi dare poſſit multo* Ibid. *his plura.* Fiducia, quam iſtis pecuniis aliqualiter emerat, eis deperditis, dato quod ſuperaretur ab inimicis, fieret irrita; quam poſuerat in hominibus armatis. Vapulat fortiter imprudentia mortalium, cum eorum ſpes in creaturis locata, pretio per ipſos empta, redditur inanis.

34. Priuſquam hoc experientia doceat, homo divinæ providentiæ non memor, creaturarum opem tamquam refugium ſollicitat unicum, nulli ſumptui parcens. At expertus poſtea ſpei vanitatem, ac perditi pretii damnum expectationem accuſat mendacem, qua deceptus eſt. Non inficiabor ſperum fallaciam circumvenientium nos. Addo tamen, pariter de nobiſmetipſis emittendam fore querelam: nam poſtquam nos fallit infirma ſpes de fine conſequendo, ſuperaddimus figmenta, quibus nobis mentimur in eligendo media non prudenter, & putantes, efficax eſſe pro conſecutione boni deſiderati quidquid offertur menti. Petrarcham lege, apud quem gaudio dicenti: *Rei bonæ expectatio* Petrar. de re med. proſp. fort. dial. 109. *blanda eſt:* Reſpondet ratio: *Sed & fallax & anceps, & anxia. Si hoc negas nunquam aliquid expectaſti, ſed ſe fallentium inæſtimabilis turba eſt, quibus ad id quod agunt nihil prorſus inefficax ſeſe offert, nihil reſpicit, nulli ſe negat flecti facilis & falli prona crudelitas.* Quaſi pauca forent obvia mentientia nobis, accedimus ultronei multitudini mendacium rerum; juvantes eas in fallendo noſipſos; imo nutrientes ipſa mendacia. Pater mendacii vocatur diabolus: de illo non miror quod mendacia creaturarum viſibilium ſuis artibus creſcere faciat: nam ſolent patres alere parvulos filios, & illorum augmenta curare. Sed imitantur eum non pauci contra ſemetipſos. Mentiuntur ipſis creaturæ; ſed illi mendacium iſtud fovent: ipſam fictionem creſcere faciunt illuſi.

35. Oſeas notat ſtultitiam Ephraim ab externis auxilium quærentem, & promiſſionibus vanis innixum, ac fœderi cum hoOſee. 12. 1. minibus confidentem. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat.* Dubium eſt quomodo ſit intelligendum verbum, Lir. ib. *Paſcit?* Sequar Liranum, qui videtur ſumpſiſſe pro, *Alere*, ait enim: Paſcit ventum, *ſuperbis Aſſyriis reddendo tributum.* Nomine venti ſumpſit ſpem Ephraim itarum Cardinalis Hugo, dicens: paſcit ventum, *id eſt, variâ ſpe ducitur: nunc ab* Hugo Card. ib. *Aſſyriis auxilium petens:* &c. Ænigmaticus loquendi modus meliùs videretur coaptari, ſi diceret propheta, Ephraim nutrire ſe vento, quatenus animi confidentiam alebat ſpe inani, reputans, Aſſyrios in adverſitate ſubſidio futuros, ſeu Ægyptios, quos in fide, gratiaque retinere ſatagebat. Sic vulgo chameleontes appellamus magna ſperantes, quaſi faucibus ventum haurientes. Nihilominus adhuc ſto ſenſui, quem propheticis verbis elegi: nam, ut Sanctius inibi dixit, *Mendacium illud eſt,* Sanct. ib. *quod ſpem noſtram fallit, aut datam fidem & oblatam promiſſionem eludit.* Mentiuntur itaque nobis creaturæ, quibus confidimus adjuvandos. Et ſicut is qui nutrit parvulum, creſcere facit eumdem; ſic nos alentes ortam de creaturâ ſpem incrementamus eam, & eò mendaciorem reddimus, quò majorem facimus: mendacia multiplicamus ſpem re vacuam paſcentes: *Tota die mendacium & vaſtitatem* Idem. ad eũ locum n. 6. *multiplicat*: Sanctius ibi: *Sed dum multiplicant fallaces has ſpes, & tam manifeſta idolorum mendacia, vaſtitatem quoque multiplicant: quia à Deo deficiunt, à quo uno ſperari poterat ſalus, & hoſtes advocant in ſuos fines à divino patrocinio deſertos.* Immeritò quæritur homo jam illuſione humanarum ſperum liberatus, putans quòd non ſemet ipſe deceperit, ſed ſola creatura, cui fidebat antea. Mendaciſſima fuit illa, ſed ei ſe committens, & inutilia media quærens, mendacium ejus adauxit. Quid ergo lacrymabiles adeo queſtus edit? Proclive cuivis prudenti manet percurrere plures creaturarum deceptiones nobis factas, quibus augmentum præſtamus, unum eligo breviter notandum. Mentitur nobis vita, longam ſe fingens: nos autem hocipſum amplificamus libenter mendacium, quatenus metimur annos incolatus noſtri ſuper terram prout placet. Homo rectus bene componitur cum horologio. S. Thomas à Villa nova: *Hujuſmodi*, ait, *homo ordinatiſſimus, eſt in omnibus quaſi horologium,* S. Thom. à Villa no ſer. Domin. 4. poſt Paſcha med. &c. Cum vitiatur horologii curſus, à veritate deviat in menſurandis horis. Haud aliter homo, cum vitiorum intemperiem admittit, longum ſibi reſtare vivendi ſpatium affirmat. Et quid inde lucri? Tormentum quod ei confert *ſpes quæ differtur.*

DELIBATIO IV.

Deſiderii, ſpeique cruciatus. Sperata maximâ fiunt; poſſeſſa minoris æſtimantur. De curantibus bona corporalia quaſi animæ bona.

36. *Deſiderium juſtorum pharetra ſagittarum eſt.*

SPES. Hic affectus ad bonum abſens & arduum ſtimulus eſt, ut ejuſdem boni deſideria multiplicentur. Et cùm expectatio ſit multùm cupiditati ſimilis, etiam in hoc ſe mutuò juvant, quòd utraque pectus excruciat ſperantis: & ſunt ipſa deſideria

deſideria velut arma, quibus ampliùs contorquetur anxium cor præſtolantis. Fortaſſis antequàm ſpem haberet homo, licet bonum deſideraret ſibi multùm arridens, minus angebatur cupidine. Poſtea, cum jam ſpe fertur in illud, iſta duplicat identidem vota, & multò pluribus feriuntur ictibus præcordia. Sat ex dictis colligitur, non ſolos impios vulnerari ſpebus, quas animo nutriunt. Etiam pios lancinat expectatio: quamvis firmiſſima ſit, atque perutilis. Imò vehementiùs exiſtimo feriri juſtum ſpe ſua, quàm improbum. Nitor in eo, quod experientia teſtatur afflictorum, ſcilicet cum patitur quis pœnam delicti verè commiſſi, minùs anxiatur; atverò, ſi plectitur innocens, longè plùs dolet. Dolor juſti proveniens à deſideriis propriis, innocentis pœna quidem eſt. S. Gregorius Magnus: *Pœnæ itaque innocentum, ſunt deſideria juſtorum.* Dixi, virtutis amantes deſideriis multis conflictari, quæ gignere ſolet ſpes illorum. Melius dicerem, unicum deſiderium ſufficere, quò plures infligat ictus eiſdem. Amor perfectorum ſagittas à deſiderio mutuatur plurimas: quid eſt enim deſiderium, niſi velut amoris pharetra, quò ſagittetur amans? Verum eſt, dilectionem ſpicula dimittentem ex arcu ſuo, collimare tamquam ad ſcopum in cœlum: ſed, cum vitæ mortalis conditio non permittat, ut cœleſtia poſſidendo tangat; ſagitta, quam expedierat in altum, revertitur in ſagittarium, ac transfigit eum. Si foret unica, forſan evaderet; at illæ multæ numero ſunt: nam deſiderium, prout ante dicebam, pharetra quædam eſt.

S. Greg. M. to. 1. l. 9 mor. c. 15.

37. Propheta Rex præſcia lumina tendens ad felicitatem, quam in carne videre conceſſum non fuit eidem ſcilicet ad beatam ſortem eorum, qui doctrinam ab Apoſtolis traditam fideli mente retinent, & opere ſollicito complent, ſic habet in Pſalmo quodam: *Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis*: &c. S. Proſper ad hæc verba: *Beatitudinis Apoſtolicæ fit particeps, qui ea concupiſcit, quæ illi deſiderando adepti ſunt, & adipiſcendo docuerunt. Ex ipſis ergo impleri dicitur deſiderium, quia imitatione ipſorum ad eadem gaudia pervenitur.* De mente Davidis hoc loco nihil expendam: nam rapuit me diverſitas non prætereunda lectionum duarum, Vulgatæ ſcilicet ac Hebrææ. Legimus in Vulgata, *Deſiderium*; legitur in Hebraïca *Pharetram*. S. Hieronymus ibi: *Pro deſiderio in Hebræo, pharetram habet.* Adeo ſunt conſimiles deſiderium atque Pharetra, ut unica littera ſacri Textus, conſcripta duplici lingua, ſic vocibus à ſemetipſa diſtet, ut uno reperiamus idiomate *deſiderium*; alio verò, *Pharetram*? Non ſine divini Spiritus nutu contigiſſe diſparitatem iſtam concordem exiſtimo: nam deſiderium juſti de beatitudine ſagitta non eſt unica; ſed phàretra pluribus referta. Sic meditanti nonnihil favet Herbipolenſis: *Vel deſiderium ex ipſis implet, qui quod ipſi deſiderabant, ſcilicet eſſe in beatitudine æterna, & ipſe deſiderabat.*

Pſal. 126. 5.

S. Proſp. in hunc Pſal. ib.

S. Hieron. in com. Pſal. ib.

B. Brun. Herbip. ibid.

Maneat igitur deſiderium æquivalere pharetræ ſpiculis plenæ. Non deficient, niſi pereat amor: at quandiu vixerit, valebit à deſiderio ſuperabundè arma poſtulare, quibus cor dilectione ſaucium rurſus atque dennuo feriat.

38. Nec putetur, hos ictus deſiderii punctiones momenti nullius eſſe: ſuaves utique ſpiritui ſunt; ſed cordi ſatis graves. Dulcedinem, quam habent commixtam deſideria, quæ tendunt in bona ſuperantia naturam, cor non percipit, quia corporeum eſt; anima verò ſuavitate fruitur iſtâ. Propterea dolor ſpiritûs ortus à cupiditate ſancta, quem patitur anima, levigatur valde per illam jucunditatem; quaſi dulci mixturâ temperaretur amara potio. Si tamen attendamus ad cruciatum, qui manat exhinc ad cor hominis; cum iſtud non ſit capax propriè libandi ſpiritualem delectationem, non mitigatum per hujus temperaturam haurit acerbiratis poculum, cum anima deſiderat quod adhuc non aſſequitur. Minus bene dixit Ariſtoteles olim: *Eſt cum dolore omnis conjuncta cupiditas.* Meliùs fortè diceret: Integra cupiditas dolor eſt; ne reputaremus, illum ſenſiſſe, dolori qui jungitur cupiditati, voluptatẽ aliquam immiſceri, qua ſenſitiva pars delectaretur. Non modicum robur poſtulat iſte dolor, quem tam ſponte ſuſtinet qui deſiderio rapitur in bonum dilectum & abſens: veluti partitur animus in cupiente per vehemens amatæ rei votum: nam & manet in homine, quia vivit adhuc; ſimulque tendit in diſtans, quod nititur apprehendere. Quaſi diviſio ſuî valde cruciat exoptantem; ac proinde multùm indiget fortitudine. Tam verum eſt hoc, ut qui deſideriorum ferre valet moleſtias, poſſit non timere vires ejus, qui fortior eſt ipſo. Potens deſideria ferre non metuat alterum validiorem ſe.

Non metuat alterum validiorem ſe potens deſideria ferre.

Ariſtot. l. 3. Eth. c. 12.

39. Luxit propheta Daniel diebus multis populi ſui peccata, captivitatem atque miſeriam. Idcirco meruit Angelicam viſionem, qua perterritus eſt, & Angeli voce conſternatus. Cœleſtis nuntius tetigit Vatem, & erexit, metumque depellere curavit ab ejus pectore. Priùs nominavit eumdem ſic: *Daniel vir deſideriorum*, & poſtea ſubdidit: *Noli metuere Daniel*: & iterum poſt modum dixit ei: *Noli timere vir deſideriorum: pax tibi: confortare, & eſto robuſtus.* Notandum eſt, quòd poſt illa verba: *Noli metuere Daniel*, adhuc Propheta confeſſus eſt, deſtitui ſe viribus ita, quod verba non poſſet ore mittere. *Et quomodo poterit ſervus Domini mei loqui cum Domino meo? Nihil enim in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur.* Retrogrediamur in libro Danielis ad eum locum, ubi teſtantem Prophetam legimus, Angelum fuiſſe miſſum ad claudendum ora leonum, quibus traditus fuerat in lacu. *Deus meus miſit Angelum ſuum & concluſit ora leonum*, &c. Non tamen legitur, Angelum tunc dixiſſe Davidi: Feras ne metuas; vel idem fuerit utrobique, vel alter Angelus. Ut vir Dei non paveret leo-

Danie 10. 11. 12.

Ib. n. 19.

Ibid. n. 17.

Ib. c. 6 22.

nes, neceſſarium non putavit exhortari, ne timeret? poſteriori verò loco ſemel ac iterum timorem verbo curat avertere? Nil mirum: quia, licet fortiores viribus eſſent leones, quàm Daniel, non erat quare metueret eos homo tanti roboris, quòd valuit deſideria dilata pati: *Vir deſideriorum* &c. Dionyſius Carthuſ. expendens hanc nomenclaturam Danielis, quæ habetur etiam c. 9. n. 23. *Id eſt excellenter affectuoſus ac fervens ad cognoſcendum divina, ad præſciendum futura Chriſti myſteria, ad Dei promovendum honorem, ad proximorum ſalutem, ad templi & terræ ſanctæ recuperationem, & ardor ac copia deſideriorum iſtorum ex ſereniſſima ac fortiſſima Dei atque proximi charitate procedit.* Cui ſtrenuitas pectore latebat, ut tanti ponderis deſideria ferret, non egebat ut confortaretur ab Angelo, qui clauſit ora leonum. Cum verò Daniel alibi poſtea faſſus eſt virium defectum, non cum leonibus illi res erat, ſed cum deſideriis; quorum preſſus torturâ cor ejus indigebat Angeli confortatione: quia debilitatum fuerat dilatione deſiderii taliter, ut Angelum timuerit, non ſtricto gladio minitantem, ſed amicè loquentem: imo poſt exhortationem priorem ut non metueret, adhuc loqui non poſſe præ vigoris deſtitutione confeſſus eſt. Sic pectus infirmant quæ differuntur deſideria: præcipuè ſi procedent ex amore Dei proximique; necnon & votis conjungatur *ſpes*.

Dion Carth. in Daniel. 9. art. 10.

40. *Aliquando magis torquet ſpes brevis de remedio, quàm diutinum malum.*

Quæ differtur. Nunc mentem divertamus ad expendendos cruciatus, quos affert ſpes temporalis boni; vel iſta ſecundùm rectam rationem habeatur, vel adversùs eam. Dilatio temporis, quò longiùs protrahitur, eò magis arctat funes, quibus amor ſperati boni (tortor equidem validus) tormentum adhibet ſperanti. Longitudo temporis hæc adeo fortiter premens, conſiſtit magis in ipſa ſpe, quàm in temporis decurſu. Nam dies, qui non adhuc venerunt, modò nihil ſunt: qualiter igitur potenter cruciant? quomodo longi dicuntur qui non exiſtunt? Favet hîc Auguſtinus: *Quis igitur negat futura nondum eſſe? Sed tamen jam eſt in animo expectatio futurorum.... Non igitur longum tempus futurum quod non eſt, ſed longum futurum, longa expectatio futuri eſt.* Simili ratione tempus illud quod ſperando tranſegimus, cum jam non extet, non percutit, loquendo propriè, ſperantis præcordia. Deducam ex his, longitudinem ſpei, *quæ differtur*, potiùs animi ſeipſum ferientis eſſe gladium, quàm temporis; cum hoc dum non eſt, & quando jam præteriit, in corda noſtra nihil valeat. Ex eodem principio, ſimul & ab experientia licet inferre, nonnunquam plus animum lancinari, ſuſtinentem deſiderati remedii ſpem diebus paucis, quàm contrarii mali pluribus annis acerbitatem. Extrinſecùs venientia damna, quantumlibet gravia ſint, diſcordant ab internis in eo, quòd niſi nos aperiamus voluntariè januas, quibus itur ad interiora noſtra, non ingredientur intus; ſed manebimus illæſi ſpiritu; quaſi cuſtodita vigilanter civitas, quæ munitis, clauſiſque foribus illuſit hoſtem conantem illam occupare, intromiſſâ repente militum armatâ manu. Non eodem pacto privatam noſtram urbem quibimus claudere, ne hoſtiliter occupetur ab ſpe nobis haud parciturâ: nam iſta naſcitur intra nos: & qua ratione poterimus oſtia concludere, caventes ejus ingreſſum? Eapropter plùs anxiatur aliquando pectus remedium ſperans per dies aliquot, quàm patiens oppoſitum malum per annos.

S. Aug. to. 1. l. 11. confeſſ. c. 28.

41. Premebat Holofernes obſidione Bethuliam, & ſuperbus inſiſtebat urgens. Iſraëlitæ plùs orationi, quam bellicis viribus fidentes, de propria defenſione ſatagebant. Hoſtis aquæductum præſcidit, & cuſtodiâ prohibuit miſeris fontes: ac ſi per aquas hujuſmodi foret explenda ſitis ambitionis, qua poteſtas Aſſyriorum exardebat, cupiens poſſidere civitatem. Ad maximam undæ penuriam Bethulienſes coacti, venerunt ad Oziam principem, & præ dolore damnabant in eo quod laudandum erat: ſcilicet noluiſſe loqui pacificè cum Aſſyriis. Captivitati, gladioque tradere ſeipſos non recuſabant. *Melius eſt enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quàm moriamur*, &c. Et mox: *Ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, & ſit finis noſter brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate ſitis.* Cernis quàm animosè ſe dedere malis cogitabant? Animadverte quod reſponderit Ozias: *Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies expectamus à Domino miſericordiam.* Æquanimitatem ſuadet iis, qui ſervitutem ac mortem amplecti ſponte decreverant. Æquanimis dicitur qui nec proſperis extollitur, nec adverſis frangitur. Infracto quidem animo videbantur eſſe Bethulienſes cùm ſemetipſos neci captivitatique tradere volebant. Ad quid ergo Princeps animos injicit eiſdem? Forſan eos corroborare voluit, eoquòd malis adjungebatur ſpes quinque dierum: *Hos quinque dies expectemus* &c. quaſi durius eſſet per dies quinque ſpem tolerare, quàm ſervitutem per annos plurimos. Ad captivitatem perferendam ſe ſtrenuos tunc oſtendebant; ſed fortè putavit Ozias, majus malum eſſe quinque dierum expectationem: & idcirco robur eorum cordibus cupiit ſuadere. Quomodo putas angi ſperantem, cum ſpes longius *differtur*?

Iudith. 7. 16. 17.

Ib. n. 23.

42. *Affligit.* Hebraicè legitur: *Spes protracta infirmitas cordis, vel agritudo cordis.* Et quid ſimilitudinis eſt inter ſpem & morbum? Sanè multùm videntur contraria. Infirmus vellet ægritudinem à ſe propulſare; nemo verò deſiderat ſpe boni carere; nam incidet in deſperationem. Nullus eſt qui morbum ex propoſito quærat, adhibens media ut infirmetur; atverò paſſim homines requirunt vias ad ſpem acquirendam & conſervandam. Ut quid igitur ſpes dici valet infirmitas cordis dum protrahitur? Dimitto reliquas analogias, quibus aſſimilantur ſpes diuturna, valetudoque mala:

Lect. Heb. Prov. 13. 12. *Homo bonum quod ſperat, maximè facit; cùm poſſidet jam tanti nõ æſtimat.*

mala : unam tantùm expendam. Solet homo ſalutem ducere magnî cum deeſt ; & parvifacere cùm poſſidet. Sic multi non reputant quaſi magna bona quæ ſunt conſecuti ; licet hæc ipſa æſtimaverint plurimî quando carebant eiſdem. Bonorum temporalium defectuoſitas eſt in cauſa hujus inconſtantiæ, qua voluntas humana ſic mutari ſuadet judicium. S. Thomas à Villa nova : *Talis enim*, ait, *eſt omnium temporalium bonorum conditio, ut Gregorius ait, non habita deſiderantur, habita faſtidiuntur.* Ac ſi vellet ſpes mitigare dolorem exaggerando magnitudinem ſperati boni, flectit intellectum ad incentiſſimam conſiderationem bonitatis illius: qua fit ut æſtimetur tamquam res maxima quod animus deſiderat & expectat. Poſtea cum adimpletâ jam ſpe, fruimur poſſeſſione, minuitur cogitationis vis, & æſtimatio poſſeſſi boni decreſcit. Sunt hæc ſpei dura lenocinia : nam eô torquet ſperantem, quod ſub prætextu delectationis offert. Expectationis tempore bonum exiſtimatur deſiderabile valde ; cùm venitur ad fruitionem, jam tantî non fit.

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dominic. 2. Quadrag.

43. Luit Amnon pœnas inceſtûs nece, cui tradidit eum Abſalom. Hic ſciens quàm ægrè laturus David eſſet filii mortem, timuit. Fugiens abiit ad regem Geſſur. Poſt per induſtriam Joabi revocatus eſt in Jeruſalem annuente genitore ; ſed eo pacto, quòd ejus faciem non videret, quam fecerat lacrymis madidari. Per duos manſit annos Abſalom Jeroſolymis. Impatiens quòd ad paternum conſpectum non admitteretur, dixit ad Joab : *Quare veni de Geſſur ? melius mihi erat ibi eſſe : obſecro ergo ut videam faciem regis : quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Tantus erat amor Abſalomi circa parentem, ut in hæc verba proruperit ex deſiderio videndi genitorem. Certè ſi multùm diligeret eumdem, non cauſam præberet acerbiſſimam paterno fletui per occiſionem fratris. Quid ergo movit Abſalom, ut potiùs mortem eligeret, quàm diutiùs privari Davidis oculis ? Accedit, quò demiremur ampliùs, eumdem admiſſum tandem ad præſentiam parentis, qui benignus excepit eum (: *Oſculatuſque eſt rex Abſalom.*) nullum ſignum dediſſe, quod ſciamus, maximi gaudii de benevolentia Davidis admittentis reum ad conſpectum ſuum. Quid eſt hoc ! antea tantî ducebat Abſalom ei concedi videre faciem regis, ut ſe potiùs offerret morti, quàm pati vellet diuturniorem privationem hujus boni ; & poſtea non exhibet ſe verbis gratum de poſſeſſione rei, quam percupicrat ? Hæc eſt humani cordis inconſtantia : hæc bonorum temporalium conditio ; quæ dum movent ſpem reputantur maxima ; cùm poſſidentur, exiſtimantur minora. Sperabat priùs Abſalom cernere Regis faciem ; nam ſi non expectaret hoc, nequaquam id fruſtra quæreret per Joab. Quandiu ſpes non fuit adimpleta, judicavit maximum bonum eſſe conſpectum patris. At poſteaquam hunc obtinuit, minus afficiebatur erga id, quod tam ardenter deſiderave-

2. Reg. 14. 32.

Ib. n. 33.

rat. Sperata magnî facimus ; non ita poſſeſſa : veluti ſalutem expectatam æger æſtimat plurimî ; dum iſtâ fruitur, eam facit nihili ſanus. Meritò ſpes, quæ valde quidem *affligit* æquiparari poteſt infirmitati : *Spes protracta infirmitas* &c.

44. *Irritat indignationem Dei curans ita bona corporis, ut putare videatur eſſe anima bona.*

Animam. Sumus in ponderanda torſione, qua ſpes cruciat expectantem bona temporanea. Meditationem ſubjiciam de ſollicitudine, qua tendimus in illa. Miſerum eſt quòd tam enixè curam impendamus erga caduca, talique dilectione feramur in vanitates, ut mundialium rerum ſpes dilata vexet *animam*. Quid animæ proſunt hæc omnia ? Bonum illi fuiſſet, ſi ſaltem nequaquam nocerent. Sæpe notavi, corpus eſſe habitationem ſpiritûs, & imprudentem eſſe curam eximiam de domûs ornatu, cum habitatoris pauperie. Nunc dictis addo Chryſoſtomum. *Si quis*, ait S. Doctor, *domum multis tapetibus ornet, ipſe autem intus ſedeat nudus, quæ utilitas ? Ita & mulieribus accidit (nam domum animæ corpus voco) multis amiciuntur, materfamilias autem intus ſedet nuda.* En quàm ſtolidâ induſtriâ laborant homines pro tranſitoriis, quæ ſunt corporis ornamenta : cumque multo diligentiæ pretio comparatis ornatibus vile tectum ſplendeat, non attenditur ad animæ nuditatem, quæ habitat intus. Hæc non ſolam patitur veſtium ſpoliationem cùm in peccato jacet : inſuper ulceribus plena vivit, nec de conſequenda ſalute curat. S. Antonius Ulyſſiponenſis ad illud : *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*, habet ſic : *Id eſt, anima miſera pauper & nendica : quæ jacet ad januam divitis ulceribus plena. Januæ divitis ſunt quinque ſenſus corporis : in quibus anima mendica jacet ulceribus peccatorum plena.* Sicut inutilia Lazaro prorſus erant quæ per fores divitis epulonis inferebantur ; ſic nullus proventus advenit animæ de iis quæ per ſenſus ingrediuntur. Cum hæc ita ſint, indignationem divinam provocant homines, qui temporalia curant ita, quaſi bona forent animæ. Minus eſt quod homo corporis emolumenta ſollicitet ut corporis tantùm lucra : ſed iram Altiſſimi ſatis meretur is qui ſpiritui ſuo putare videtur utilia quæ merè corpori congruentia ſunt.

Chryſoſt. to. 3. hom. 25. in Acta.

Ad Luc. 16. 20. S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. pr. poſt Trinit.

45. Propheta rex narrans hiſtoriam rerum olim geſtarum apud Hebræos, devenit ad illud fatuum populi deſiderium, de quo Moyſes exodi 16. ait : *Et appoſuerunt adhuc peccare ei : in iram excitaverunt Excelſum in inaquoſo. Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis.* Cur mitiſſimus Dominus iratus eſt in plebem ſuam ? quid iram provocavit illius ? an ingratitudo ? Mehercle novum non erat hoc in Hebræis flagitium. Adhuc ab Ægypto minimè fuerant egreſſi, cum ſcientes, Dominum eos liberare velle de ſervitute Pharaonis per Moyſen, de illo queſti ſunt, ac de Aarone, quaſi læſerint eos in tractando negotio ſuæ libertatis coram rege. *Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos.* Ingratiſſima fuerunt hæc

Pſal. 77. 17. 18.

Exod. 5 21.

verba, quæ Dominum aliquatenus tangebant: non tamen legimus, ibi fuisse Clementissimum iratum. Quid peculiarius extitit in eo peccato, quod prædicto Psalmo refertur, ut indignationem asseramus in Domino propter illud? Puto, quòd protervia nequaquam excusatione digna fuit expetere spiritui cibum, qui sanè soli corpori servit: *Ut peterent escas animabus suis.* B. Bruno Herbipol. ex Cassiodoro: *Isti ergo* animabus suis, *non spiritales, sed carnales escas, subdolè poposcerunt.* Execrabilis valde cupiditas hominum est, cum eorum animæ sic bona corporis optant, quasi forent spiritui proficua. Nihilominus eâ plures aviditate feruntur invisibilia, quòd temporanea præstolantium spes *affligit animam.*

Ex Cassiod B. Brun. Herbip. ad psal. 77.

DELIBATIO V.

Desideria sine radicibus. Avaritiæ contentio. Magni fiunt corporalia: quorum imperfecta possessio. Felicitatis morosæ lætitia.

46. *Desideria de terrenis radices non figunt in justo.*

Lignum. Otiosum non est monere Proverbiorum lectorem, ne sumat ex hoc verbo deceptionis ansam; putans, esse rationi conforme quòd radices agat in animo desiderium tormentorum, quod hîc videbitur arbori comparari. Congruum non est radicari cupiditatem præcordiis circa res præterlabentes. Non obliviscuntur justi mundialium rerum fugacitatem: quæ talis est apud eos, ut judicent, non sola presentia transire, sed etiam futura dilabi. S. Ambrosius: *Nec solum*, inquit, *prætereunt justo præsentia, sed etiam cum ad ea quæ sunt futura intenderit, jam ista prætereunt.* Quomodo patietur justus desiderium de terrestribus, etsi licitum, in ipso radices mittere? Non solent arbores in petris radicari; sed in terra: notissimumque scriptores ecclesiasticos versantibus est, peccatorem similem esse terræ; justum verò lapidi. De malo scribit S. Odo Cluniac: *Quid enim pulvis, nisi peccator accipitur?* De justo dixit Smaragdus: *Lapis etenim quadrus in quodcumque latus versus fuerit æquè stat. Justus verò, qui in prosperitatibus non elevatur, adversitatibus non frangitur, vituperationibus non dejicitur, suasionibus ad malum non trahitur, lapis quadrus est.* Igitur in peccatore, quia terreus, etiam cogitationes de temporalibus radicantur; non sic in justo desideria licita de caducis, quia lapideus est ad hanc rem virtutis amator.

S. Ambros. to. 1. expos. Psal. 36. ante fi.

S. Od. Abb. Clun. l. 31. Mor. in Job. n. 17. Smaragd. Abb in diad. monach. c. 60.

47. Lamentabatur Jobus pristinam suam felicitatem versam in miseriam: quod sanè durissimum: nam velut per antiperistasim arcanam vis afflictionis incrementatur memoriâ prosperitatis antiquæ. Dixit inter alia: *Redactus sum in nihilum: Abstuliisti quasi ventus desiderium meum*: &c. Exponit Beda: *Desiderium meum, quo remunerationes tuas per mandatorum tuorum custodiam præstolabar, pariter cum salute, quasi venti impetu & quasi transvolantis nubis celeritate rapuisti, quia abripi permisisti.* Adeone levia fuerant desideria Jobi, quòd ceu vento sublata dici valeant? si per hoc exprimere voluit defectionem suam, nonne melius diceret, eradicata fuisse desideria propria? Legimus apud Salomonem: *Cogitationes autem impiorum exadicabuntur.* Jansenius ibi: *Impii*, ait, *qui se putant in terra firmiter radicatos penitus & radicitus è terra perdentur, dum post mortem nihil habebunt reliqui, in quo subsistant & felices sint. Ita & cogitationes eorum eradicabuntur, quia quicquid adimplere cogitaverunt, sive ad propriam voluptatem, sive ad innocentum oppressionem, non subsistet, sed impedietur, omni eis adeptâ facultate perficiendi.* Non frustranea styli disparitas hæc est: dixisse nempe Jobum, desiderium suum fuisse quasi vento raptum; cum Salomon non dixerit, cogitationes impiorum flatu dejiciendas esse, loco proximè citato; sed potiùs asseruerit, radicitus evellendas. Energiam suspicor hujusmodi. Malus proprias cogitationes de temporali bono finit figere radices in anima sua: quodque radices egit potest eradicari. Job econtrariò justus erat; desiderium de rebus temporariis radicatum non fuerat in ejus corde. Quid mirum dicatur vento sublatum, cum radices non egerit? Itaque non credas, in pectore justorum desideria de rebus transitoriis, velut arbores radicibus firmari; quamvis in paræmia nostra legas: *Lignum* &c.

Job. 30. 15.

Bed. l. 2. in Iob. ib.

Prover. 15. 5.

Iansen. ib.

48. *Intèdens augeri de malè partis, difficilè cessabit, quamvis punitus.*

Cum proximè tetigerim quàm fortiter inhæreat mens impii rebus mundanis; non erit inopportunum notare breviter hocipsum in illis, quos avaritia fœdat. Non omnia scelera, quæ peccatorem inquinant, æquè fortes radices mittunt in eo: multa sunt, quæ sicut ex causis levibus progerminantur, ita non constanter permanent. Sic solet iracundus multoties ignem concipere citò, qui velut stupam corripiens, multam elevat flammam non diù manentem. Similiter amor lascivus persæpe more pueri complacet in amato, quem celeriter vel contemnit, vel odit. Mon solitat avaritia leviter adhærere cordi: præcipuè si jam inveteratum est malum. Novit hoc Tullius, qui dixit: *Illi morbo, qui permanat in venas, & inhæret in visceribus, nec inveteratus evelli potest, nomen est avaritia.* O quàm difficile succidentur hujus mali fibræ, quas altè demittit in viscera cupidi facultatum dilectio, si per id quod malè partum est intendit augeri! Fit in eo velut arbor ditescendi cupido; proindeque non facilè secabitur. Fortassis ille, qui perperam acquirit; non tamen cogitat augmenta, licet nullam concupiscentiæ pœnam experiatur, abjiciet quod injustè conquisivit. Is verò, cui mens fuerit opibus adaugeri per auxilium bonorum, quæ jam acquisivit peccaminosè; quantumvis illius iniquitas mulctetur supplicio, non desistet. Solida facta fuit avaritiæ pessima planta fortiter in ejus pectore: non ad primũ ictum cadet; sed persistet jam vulnerata securî.

Cic. l. 4. Tuscul.

Ad alia themata memini sæpius Giezi. 49.

Eliseus,

Eliſeus, cui ſerviebat, nihil acceperat à Naaman ſanato per aquam Jordanis. Non placuit hoc miniſtranti: propterea ſecutus abeuntem Syrum, poſtulavit Eliſei falſo nomine talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. Naaman fraudem ignorans, utenſque generoſitate dignâ principe militiæ, duo talenta, dupliciaque veſtimenta donavit. Eliſeus, quem hoc
4. Reg. 5. 27. non latuit, poſtea dixit ad Giezi: *Lepra Naaman adhærebit tibi*, &c. Et ſtatim Giezi factus eſt leproſus. *Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.* Non tamen legimus, perfidum propterea miniſtrum dimiſiſſe malè partum argentum. Aliter habetur
Matth. 27. 3. de Juda traditore: *nam pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus*, &c. Nullum avaritiæ ſupplicium expertus fuerat Judas; Giezi verò maximè, cum infectus eſt leprâ. Qua de cauſa diſcipulus proditor impunitus projecit argenteos; & Giezi non legimus reliquiſſe talenta poſt punitionem? Exiſtimo difficultatem argenti derelinquendi proveniſſe in Eliſei miniſtro ab intentione augmenti per illud conquirendi, quam ex
4. Reg. 5. 26. verbis Prophetæ dictis ad eum colligo. *Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas.* Difficilè per malas artes cupidè lucratis valedicet ille, qui per iſta decrevit augeſcere cenſu. Flagellatus per lepram non deliberavit abnegare quod furto ceperat, quia deſiderium abundandi profundas radices poſuerat in ejus corde pro futuro lucro: non ſolent iſtæ mox ad primam percuſſionem ſcindi. Judas autem ex venditione Magiſtri ſui triginta receperat argenteos: qui cum eſſent pecunia parvi momenti, non illi præſtabant ſpem, quòd per eos veniret ad opulentiam. Judæ non fuit arduum paucos contemnere nummos; Giezi verò difficillimum eſſet argentea talenta, de quibus vinearum, & olivarum fructus, & alia cupidus expectabat, à ſe dimittere. Multùm radicatur in illis avaritia, qui per quæſita peccaminosè geſtiunt accreſcere.

50. *Mogni ſiunt ad corpus attinentia; non ita quæ ſunt animi.*

Vitæ. Utinam quæ ad vitam ſpiritualem ſpectat, adminùs ita recrearent mortalium animos, ut eis lenocinantur quæ pertinent ad vivendi temporaliter uſuram. Sed heu quàm parva, ſeu nulla ſollicitudo nobis eſt de vita ſpiritûs; cum per exquiſitam diligentiam curemus de rebus ad caducam vivendi rationem pertinentibus. Piè Chryſoſtomus ait: *ſi corporis morbum patiamur chariſſimi, omnia facimus & tractamus, ut à moleſtia liberemur: animâ verò noſtrâ malè habente tardamus, & differimus, propterea nec à peccatis liberamur.* Scimus omnes vel rudi modo, quantùm præcellat vita ſpiritualis alteri perituræ: tamen quaſi nobis commiſſum non eſſet vitam animæ conſervare, nutrireque; ac ſola vita corporis ad nos attineret; hanc ſolliciti defendimus, & alimus; illam verò non utique ſpernere fatemur, ſed quaſi deſpectui nobis foret, ita negligimus. Erroris hujus cauſam conjicio de

Chryſoſt. to. 5. hom. 46. ad pop. in prin.

verbis ejuſdem Chryſoſtomi: qui dictis adjicit rationem aureo Doctore digniſſimam, inquiens: *Quoniam neceſſaria nobis, ſuperflua ſunt, ſuperflua verò neceſſaria*: &c. Supervacaneum putat homo citiùs pœnitere, preces fundere, mundi fraudibus facere vale: dicet enim, quoquo tempore ſufficere coram Dei miſericordiâ verbum unicum Peccavi: ſatis & ſuper aſſeret orationis vice neceſſitatem ipſam: ac aſſeverabit, reſtare ſibi tempus, ut valedicens mundo, ſe totum Deo tradat. En veluti ſuperfluum dicit homo quod neceſſarium. Si verò moneas eumdem, ut abſtineat à bonis, quæ vel ducunt ad ſcelus, vel peccato proxima ſunt; reſpondet, illis egere, ut honorem ſervet intactum, ut ſuis proſpiciat, &c. Ecce neceſſitatem fingit in ſuperfluis. Hinc eſt, quòd adeo complacemus circa temporalia; minùs verò curamus de ſpiritu noſtro. Omittamus eos, qui negligunt agere de perpetua ſalute. Conferamus hominem duplicem: alterum, cui deſit corporis bonum quoddam; alium verò, qui ſpirituali dono careat. Iſte ſecundus utplurimùm, non ſe tam nobis oſtendit ſollicitum, quàm prior. Magnî fiunt quæ ſpectant ad corpus; non ita quæ ſunt animi.

Idem ib.

51.

Erat in Cæſarea centurio cohortis Italicæ, vir Deum timens, & pauperibus favens. Hic monitum cœlitus accepit ut accerſeret Principem Apoſtolorum, & auditurum ab eo quid oporteret facere. Petrus advocatur, quem expectabat Cornelius, cognatis & amicis comitatus. Apoſtolus annuntiavit eis verbum Dei. Tunc Textus ait: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.* Et poſt pauca: *Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Non dubito, fuiſſe lætatos iſtos, qui Spiritum ſanctum accepere: ſed haud lego D. Lucam loquentem de ipſis pariter atque narraverat priùs de claudo, qui ſanatus eſt à Petro, dum eſſet ad januam templi, quæ dicebatur Speciosa; de quo ſic habet: *Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum.* Ibi Chryſoſtomus: *Præ voluptate quidem ſaliebat, laudabat autem Deum* &c. Componamus unum cum altero donum Dei: acceptum ſcilicet à Cornelio, cum eo, quod accepit claudus. Cui veniet in mentem dubitare, longe majus datum Centurioni fuiſſe munus, & cæteris, qui comites aderant; quàm petenti ſtipem ad fores templi? Cur hic profuſus gaudio ſalit; non verò talem exteriorem lætitiam legimus in Cornelio & reliquis? Suſceperant iſti cœleſtem largitionem ad animæ bonum pertinentem: non mirum, ſi minùs ubertim exultare ſignificaverunt. Claudus à nativitate receperat ſalutem corporis: hæc illum exhilaravit abundanter, prout è ſacro Textu ſatis liquet. Amorem eximium animæ noſtræ debet hoſtis hic domeſticus; corpus nempe ſpirituale bellum gerens cum ea. Hoc diligere

Actor. 10. 44. 46.

Ib. c. 3. 8.

Chryſoſt. to. 3. hom. 8. in Act. ante med.

gere videtur ſpiritus pluſquam ſeipſum : de ſe tam ſollicitus, quàm de carne, tripudiat cùm felicitas corpori contingit ; minùs (& apud aliquos nullo modo) lætatur de propriis lucris. Pene videtur homini, cùm deſiderium ſuum adimpletur de bono temporali, quòd invenerit paradiſiacum *lignum vitæ*.

52. *Bonorum temporalium imperfecta poſſeſſio eſt.*

Deſiderium. In commentario notavi, deſiderium hoc loco ſumi pro deſiderato. Hic loquendi modus apud ſcriptores profanos præ ſe fert elegantiam ſolummodo rhetoricam : ſed in explicando ſumus librum, cujus author eſt Spiritus divinus ; ac propterea moralem indagabimus emphaſim. Quam conexionem vendicat cum re deſiderata deſiderium, ad hoc ut nomine deſiderii venire queat res ? Enim verò principale ſignificatum hujus nominis, *Deſiderium*, eſt actus interior, qui tendit in rem non acquiſitam ; & quodam modo videtur amicè pugnare cum illa, eoquòd deſinat eſſe cùm concupita res invenitur. Ergo quam ſimilitudinem ſervant optatatum atque votum, ratione cujus ambo nominari valeant eodem vocabulo ? Aptiùs alicui videretur Salomon loqui, ſi bonum expectatum ſignificaret hîc nomine poſſeſſionis : cur non ita loquitur in præſenti ? Fortaſſis ne putares temporalium acquiſitionem eſſe tam perfectam, quòd idcirco rem ipſam appellabat Sapiens in hac parabola poſſeſſionem. Stat ex oppoſito veritas, quam ſuadet ratio, clamat experientia, memoratur dolor. Perfecta poſſeſſio non eſt quæ tot periculis jactutæ patet. Mille caſibus peritura bona ſubſunt : unde, cum tam facile queant effugere manum tenentem illa, nunquam ex toto prenduntur : *ea* (loquentem audis Ambroſium) *Eſt enim ſola poſſeſſio, quæ nullis obnoxia tempeſtatibus perpetuæ gratiæ ferat fructus*. Maneat itaque, rerum, quas mundus amat, fruitionem perfectam non extare. Proportionata futilibus eorum retentio quidem exiſtit ; hoc eſt : ſicut illa perfecta bona minimè ſunt, ita nequaquam eis perfecte potimur.

S. Ambroſ. to. 1. l. 2. de Abel. c. 3.

53. Propiùs accedens Moyſes ad ultimum vitæ ſpiritum, benedixit multîs Hebræorum populo. Juxta benedictionis finem leguntur iſta : *Oculus Jacob in terra frumenti & vini*, &c. Exponit Liranus : *Id eſt videbit fertilitatem bonorum in terra ſua*. Cum ſit manus uſitatiſſimum inſtrumentum poſſidendi ; ſemel quod agebat Moyſes de felicitate, qua potituri fuerant Iſraëlitæ ; quare non manûs mentionem fecit ibi ; ſed oculi ? Quia luminibus imperfectè valde poſſideri dicuntur quæ delectant viſum : idcirco præcitatis verbis meminit oculi ; non verò manûs : quia bonorum terreſtrium imperfectiſſimâ poſſeſſione fruimur. In ſuſpicionem veni, mentem iſtam fuiſſe Moyſi, quia dolebat ille plebem ſuam ſola carnalia cupere. S. Bruno Aſtenſis ad eum locum : *Dolet ergo Moyſes, quod alios populos cœlum, & ſpiritualia intueri videt ; Judæos autem ſolum tranſitoria appetere cernit, nihilque aliud deſiderare, niſi frumentum & vinum, in quibus omnia carnalia, & corpus foventia intelliguntur*. Volens prudens gubernator inſinuare dilectæ plebi, non eſſe digna fervente deſiderio bona mundi, præſtitit occaſionem ut adverterent, earum rerum poſſeſſionem perfectam non exiſtere ; ſicut oculus imperfectè fruitur jucundis. Claudat periodum Petrus Damianus. *Et*, ait, *quàm utile divitiarum genus, quod dum nullum uſum præter ſolam habeat pulchritudinem, ſpecie tamen ſuâ nequeat paſcere poſſidentem*. Dicta qui meditaris, jam non quæras, cur Salomon in dogmate noſtro non adhibuerit poſſeſſionis nomen ; ſed expreſſerit ibi temporalia ſub vocabulo, *Deſiderium*.

Deuteron. 33. 28. Lira ib.

S. Brun. Aſt in com. Deuteron. ib.

S. Petr. Damian. l. 2. ep. 2. longe poſt med.

54. *Felicitas quæ moratur, latior.*

Veniens. Putares, addendum fore ſecundæ parti proverbii, quod nunc tractamus, conditionem quamdam ; ſcilicet ſi res deſiderata (quæ ſignificatur hîc nomine deſiderii) obtineatur celeriter. Nemo quippe dubitat, deſiderantium corda perfundi gaudio multo, cum rem concupitam citò conſequuntur. Dicet aliquis, bonum peroptatum, ſi moreretur nimiùm, poſtea cum tandem lento pede venit, potiùs vocandum eſſe remedium doloris, quàm purè felicitatem. Quidquid ad confirmationem hujus dicti cogites, conjector, aliter putaviſſe Paræmiaſtem, exiſtimantem, mortales ampliùs hilares reddi per adventum moroſum expectati boni, quàm per feſtinantem : proptereaque de velocitate, qua deſiderium completur, non hîc egiſſe. Nec obſtat præcedens cruciatus ex dilatione proveniens : quia necnon & anxietas hæc miniſtrat augmentum ſubſequenti lætitiæ. S. Bernardus : *Opportunè poſt triſtitiam gaudium ſubit, poſt laborem quies, poſt naufragium portus. Placet cunctis ſecuritas, ſed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux, ſed evadenti de poteſtate tenebrarum jucundior*. Ne, quæſo, bonum, quod moras traxit infamemus, quaſi per ſegnitiem perdiderit pretioſitatem. Quinimo rei deſideratæ dilatio venuſtatem peculiarem ei præbet cum poſtea contingit. Fateor, inſperatam fortunam, neque morantem, jucundiſſimam eſſe cordi noſtro. Sed æquiparemus bona duo : quoddam adeptum nec præcedente ſpe, nec deſiderio, nec morâ ; cum alio, quod præceſſit deſiderium & expectatio ; non tamen valde citò venit. Hoc ſecundum exiſtimo gaudii majoris materiam. Plus gaudet homo de felicitate, ſi priuſquam aſſequeretur, anteceſſit mora, ſpes, ac deſiderium.

S. Bernard. ſer. 68. in Cant.

55. Joſephi venditores coëgit neceſſitas ut irent in Ægyptum ad emendam alimoniam. Non cognovere fratrem : quod mirum eſt, cum poteſtate fulgeret ; quoniam ſolent ignotiſſimi, nulloque nomine digni, ſemel atque dignitatis conſcendere ſolium, famoſi fieri, cunctiſque noti. Quin econtrario Joſeph agnovit germanos ; quamvis à carcere tranſiverit ad præfecturam ; cum ſæpe contingat, ex humili ſtatu feliciter emergentes, factos poteſtate conſpicuos, jam neſcire ſibi ſanguine junctos. Reverſi ſunt ad patrem : & rurſus in Ægyptum redierunt, adducentes

centes Benjamin. Hunc intuens Joſeph prorupit in lacrymas: quas non dubito gaudii ſignum fuiſſe; nec vulgaris quidem, ſed eximii; quia non ſe potuit continere.

Geneſ. 43. 30. *Feſtinavitque, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lachrymæ: & introiens cubiculum flevit.* Rupertus ibi:

Rupert. l. 9. in Gen. c. 7. *Dum*, inquit, *affectatâ auſteritate quaſi in alienos intenderet, rupit pietas injuſſa, nimiùmque ultroneæ, præparatam fortitudinem pectoris, & diſſimulandi virtus non fuit, unde & quaſi fugam iniens, feſtinavit in cubiculum & ploravit, quia erumpebant lachrymæ, & non poterat ſe continere.* Video, conſpectum Benjamini valde gratum Joſepho. Sed an majns non ei bonum fuit gubernatorem eligi totius Ægypti? quis inficiabitur? Cum tamen Pharao præfecit illum Terræ, non legimus, Joſeph ullum protuliſſe lætitiæ ſignum. Quære? fortè quia jam perpendebat onus adjunctum honori? Si reſpondeas ita, non reſiſtam. Attamen pro themate proximè poſito ſtabiliendo, nunc dicam. Felix factus eſt Joſephus accipiens moderatoris munus, quod nec ſperaverat, neque concupiverat: inſuper dicere non poteris, hanc felicitatem contigiſſe tardè: nam ſtatim atque Joſeph inſinuavit monarchæ ut provideret hominem, qui frumenta colligeret in præparationem famis, mox à Pharaone delectus eſt ad præpoſituram. Hiſtoriam ſacram perlege, facilè de contextu colliges, Joſeph, antequam diſcederet à facie regis, fuiſſe promotum ad ſublimem adeo locum. Quantumvis igitur fortunatiſſima fuerit ſors tunc illius, nequaquam exuberavit ita gaudio: quia de illa non præceſſerunt ſpes, deſiderium, nec mora. Cernere autem Benjaminum fratrem cupiit Joſeph, & expectavit: nec illum citò vidit; quia non aſſociatus eſt fratribus cùm primò venerunt in Ægyptum: ſed cum reverſi fuerunt ad Joſephum: tunc ipſo providente venit Benjamin. Iſtius præſentia, quia deſiderio, ſpe, moraque præcedentibus acquiſita fuit, fecit eum abundare gaudio. Lætius eſt id ſæpe, quod homini differtur. Meritò non commendatur hîc à Salomone completio deſiderii concitata; ſed ſimpliciter dicitur: *Lignum vitæ deſiderium veniens.*

Aliquot hujus capitis verſiculos prætermitto: nam quæ pro illorum emendatione cogitabam, quærere facillimè poteris hoc tomo, duobuſque præcedentibus apud tabulam ſententiarum poſtremam, verbo Conſiliarius, Conſilium, Correctio, Detractio, Doctor, Eleemoſyna, Juſtus, Miſericordia, Pax, Peccator, Peccatum, Sapiens, Stultus, Timor, Virtus. Si mihi ſuccenſes, lector, jam tuos ictus illudo: præſertim, cum ſcutum defenſioni meæ ſummam de vetbis Gregorii Magni; quæ mihi lubens arrogo.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 20 mor. c. 17. n. 18. *Ea quæ ſubjuncta ſunt, quia obſcuriori-bus ſententiis implicata non ſunt, debemus ſub brevitate tranſcurrere: ut ad ea, in quibus laborandum eſt, valeamus citius pervenire.*

FLOS XI.

Nuntius impii cadet in malum: legatus autem fidelis ſanitas.

APERITUR.

1. PRIUSQUAM circa primæ partis expoſitionem aperiam quod cenſeo, referam apud interpretes inventa, quos legere potui. Exiſtimat Hugo Cardinalis, quòd hîc nuntius impii dicitur hæreticus, uti nuntius diaboli; ſed extendit hoc ad quemlibet mala ſuggerentem; caſum autem exponit de lapſu in gehennam. Salonius Epiſcopus etiam explicat de hæreticis. Honorius Anguſtodunenſis, de hæreticis, vel necnon ſuſurronibus. Hoc videtur accommodatitium, vel morale: non tamen authores iſti explicant quo ſenſu loquantur. Dionyſius Carthuſianus conſentit circa hæreſiarcas; & patet accommodatitiè locutum. Beda commentatur de Arrio, Sabellio & aliis angelis ſatanæ. Janſenius interpretatur, q. d. Salomon: Legationem impii exequens, & ob id dolens & mendaciis utens, dedecus affert ſibi & mittenti; & cadet in malum quod parat. Salazar accipit de legato, qui contra jus fungitur legatione; ac de caſu ab immunitate legatorum. Addit ſecundam expoſitionem, ſic: Legatus principis impii erit ipſi perfidus. Cornelius Alap. intelligit ita: Impii legati vel nuntii fraus deprehenſa plectitur, Quòd ſit cooperatus impio. Hæc circa priorem partem.

Hugo Card. in proverb. 13. 17.

Salon. Epiſc. & Honor. Anguſtod. ib.

Dion. Carth. & Bed. ib.

Janſen. ibid.

Salaz. ib.

Alap. in Proverb. 13. 17.

2. Poſteriora verba ſententiæ ſic elucidat Beda: Prædicator ſanitatem æternam acquirit ſibi & aliis. Conſentiunt Honorius Anguſtodunenſis, & Salonius Epiſcopus, addentes: Doctor. Hugo Cardinalis, non explicans an loquatur ad litteram, exprimit hoc modo mentem Paræmiaſtæ: Doctor, vel prædicator quærens fructum, & non datum, ſanat ab ignorantia & malitia: & facit ſanitatem ſpiritualem ſibi. Cornelio Alapide placuit ſic exponere: Qui vera, fidelia & juſta mandata nuntiat, ſibi, principi, & Reipublicæ ſalutem afferet. Salazar verò primo loco nobis offert expoſitionem ſecundæ hujus partis, exhibens contrapoſitionem cum interpretatione illa ſecunda, quam dederat parti primæ, memoratam ſupra. Itaque ſumit vocem, *Fidelis*, in genitivo, & ait exponens hæc poſteriora verba: Legatus principis juſti ſalutem principi & rebus publicis incolumitatem afferet. Impugnat hujuſmodi commentarium Cornelius Alapide, nixus originariâ litterâ, quæ ſic habet: *Nuntius fidelitatum* &c. id eſt, valde fidus & fidelis. Unde in Vulgata nomen, *Fidelis*, habet pro ſubſtantivo non principem, ſed nuntium, proindeque Salazaris expoſitio prædicta corruit. Janſenius hanc ſecundam par-

Hugo Card. Salon. & Bed. ib.

Alap. ib.

Salaz. ibid.

Lect. Heb. ib.

Ianſen ibid.

rem ſic illuſtrat: Qui bona fide legationem obit, & vera nuntiaturus venit, ſalutaris mittenti, ſibi, & iis ad quos mittitur, eſt.

3. Interpretum placita retuli. Placet accipere dogma præſens de legatis principum, & aliorum nuntiis: ita ut primâ parte ſermo ſit de mittente malo, & innuatur miſſum etiam eſſe malum; econtrariò verò in parte ſecunda fidelitas legati verbis exprimatur; & mittentis bonitas indicetur tacitè. Si quæras, de quo malo accipiam illa verba: *In malum*, reſpondeo ſignificare mala temporalia generaliter. Radix malorum ejuſmodi multoties in legatis principum eſt, quòd avaritiæ lucrum præ oculis habent. Humbertus: *Sed*, inquit, *proh dolor, expertum eſt jam multoties quod aliqui legati, de quibus ſperabatur quod multa bona facerent in correctionibus, in prædicationibus, in pacibus, & in aliis ad ſalutem hominum pertinentibus, potiùs intendant lucris pecuniarum, quàm lucris bonorum operum.* Unde Bernardus ad Eugenium: *Vadunt & veniunt legati, ſed quid boni fecerunt nondum audivimus, & fortaſſis audiſſemus, ſi præ auro Hiſpaniæ ſalus populi viluiſſet. Non ſic faciunt boni legati, ſed animarum ſaluti, & ſanctitati (aliàs ſanitati) ſuper omnia intendunt, quod dicitur Proverb. 13. Legatus fidelis ſanitas* &c. Pro ſecunda parte nota, fidelitatem nuntii non ſolum exerceri cùm fideliter exequitur mittentis perſonam ſibi commiſſam; ſed etiam in eo, quòd reſponſum acceptum fidus referat illi, qui miſit eum. Petrus Bleſenſis: *Hæc eſt enim nuntiorum conditio, ut de injuncto ſibi mandato nihil ſubticeant, nihil reſcindant, vel diminuant de reſponſo.*

Fr. Hmmber. Generalis 5. Ord. Prædicat. l. 2. de modo prompte &c. ſer. 76 poſt pr.

Petr. Bleſ. ep. 153.

4. *Nuntius.* Vocabulum iſtud, quamvis applicetur ordinariè minoribus perſonis & muneribus, non accipias ita ut non agnoſcas quanta ſit in legato principis dignitas. Cæſar ille gladio ſimul & calamo celebris, ait: *Legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum inviolatumque ſemper fuit.*

Cæſar. l. 3. de bello Gallic.

Impii. Quamvis hæc vox multa comprehendat; tamen hîc præſertim accipienda venit de impietate in damnum alterius: nam (ut quidam ait) *ſub legationum ſpecie multa ſæpe pernicioſa tractantur.*

Ph. Cominæus l. 4.

Cadet. Sæpe occaſione luminum corporis defectuoſorum cadit homo totus. Haud aliter ſæpius ex vitio legati totum corpus myſticum Reipublicæ, cujus ille gerit negotia, decidit miſerè: nam, ut nonnemo notavit, *legati oculi & aures regnorum ſunt.*

Fr. Guicciar. hiſt. l. 15.

In malum. Pluribus malis impii nuntius invenitur ſubeſſe. Inter hæc numera dedecus à peccato proveniens, *Cum ea ſit*, ait S. Nilus, *peccati natura, ut honorem auferre, non proferre valeat.* Vellem tamen, ut pius lector, ſi meditetur, ignominiam aliquorum ſcelerum germen eſſe; non ideo proponat ea vitare, ne verecundetur apud homines: infirmum quippe fundamentum eſt hoc propoſitum. Vide quæ dixi to. 1. l. 15. n. 26. Audi nunc S. Thomam à Villanova. *Noli ſalutem tuam*, inquit, *verecundiæ ſæculari committere: debilis quippe ac fragilis hæc oſtiaria eſt*, &c.

S. Nil. in periſt. c. 3.

S. Thom. à Villano. ſer. 4. de Aſſúp. B. M.

Legatus autem. Sic vocari perſæpe ſolet Orator. 5.

Jamque Oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Sed adverte peritiam Iſidori deſcendentem clementer ad minima. *Inter legatum*, ait, *& oratorem hoc intereſt, quòd legatus electus eſt ad officium à civitate, & eſt ſacroſanctus: orator ad orandum miſſus ut oris ratione exponat quod petit.*

S. Iſid. Hiſp. l. 1. diff. n. 45.

Fidelis. Et quàm paucos, quibus prudenter fidant, inveniunt mundi monarchæ! *O infelix, & deceptioni ſemper obnoxium mundanæ faſtigium dignitatis!* Sic ſcribebat S. Petrus Damianus ad Gothifredum Ducem. Maturè principibus deliberandum in electione legatorum: & non ultimo loco venit attendendum quod ex Bernardi verbis colligitur, ſcribentis ad Eugenium Papam. *Qui*, ait, *ad te redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati. Simul & gloriantes non quod curioſa ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint: ſed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

S. Petr. Damian. l. 7. ep. 11. poſt pr.

S. Bernard. l. 4 de conſide. rat. poſt med.

DELIBATIO I.

Legatus fidelis Gabriel Archangelus annuntians adventum Filii Dei, qui ſalus eſt, factus eſt ſanitas orbis terrarum.

CUm paulò priùs notaverim, principum incumbere prudentiæ circa legatorum electionem cum judicio deliberare: cumque ſit inter alia proportio quærenda nuntii cum legatione, propterea quòd non omnium eſt negotiis univerſis accommodatam indolem ſortiri: mentis oculos ad altiora levanti ſtatim occurrit legatus ille cœleſtis miſſus ad Beatiſſimam Dei parentem. Alicui videretur, aptiùs fore deligendum Raphaëlem ad legationem iſtam. Negotium erat circa ſalutem orbis. *Miſſus eſt Gabriel, ut totius mundi ſalutem annuntiaret.* Sic D. Gregorius. Thaumaturgus. Mittatur ergo Raphaël, cujus nomen ſolet interpretari: Medicina Dei; non autem Gabriel, qui dicitur: Fortitudo Dei. S. Gregorius Papa: *Gabriel*, inquit, *mittitur, qui Dei fortitudo nominatur.* Et infra loquens de Raphaële miſſo ad curationem Tobiæ, ait: *Qui ergo ad curandum mittitur, dignum videlicet fuit, ut Dei medicina vocaretur.* Quæ proportio fortitudinis cum ſalute negotianda? an non Medicinam ad ſalutis negotium congruebat eligere? Dimitte parumper interpretationem illam nominis Gabriel; & aliam accipe à S. Proclo Diſcipulo D. Joannis Chryſoſtomi. *Quid verò*, ait, *Gabrielem interpreteris? Arrige aures & diſce*: Deus & homo. *Quia itaque ille quem annuntiabat Deus erat ac homo: quò faciliùs diſpenſationem perſuadeat, rei miraculum nominis notatione anticipat.* Suaſi deponere pauliſper expoſitionem

6. *Chriſtus Dominus fortitudinem exhibuit in ipſa infirmitate aſſumpta.*

S. Gregor. Thaum. ſer. 3. de Annunt.

D Gregor. Mag. to. 2. hom. 34. in Evang. longe ante med.

S. Procl. or. 1. de B. V. ante med.

expoſitionem nominis *Gabriel*, ſub qua ſonat: *Fortitudo Dei.* Nunc illam reſume, conjungens eam cum iſta, quam ex D. Proclo dedi. Meditare, quod ſanè congruebat, incarnationis legatum illum eſſe, qui nomine ſuo nobis occaſionem præſtaret intelligendi, fortitudinem divinam emicuiſſe propterea quòd illo non effabili myſterio Deus factus eſt homo. Mirabilis extitit hæc infirmitatis cum fortitudine ſocietas, quas incarnatione mediante, providentia Domini copulavit. Quod adeo verum eſt, ut Chriſtus Dominus ſibi peculiariter ſe fortem pro nobis exhibuerit oculis fidei, ubi plùs infirmitatem aſſumptam exercuit. Mirare nexum ſtrenuitatis divinæ cum fragilitate humana: perpende, Dominum per ipſam voluntariam debilitatem naturæ mortalis oſtendiſſe robur præpotens.

7.

Ore Pſaltis coronati Filius Dei cupiens deſiderio de ſubeunda morte pro ſalute filiorum Adam ſatisfacere quadamtenus anticipatè, ſic loquitur de paſſione morteque ſuâ: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum*: &c. S. Auguſtinus ad hunc locum: *Somnum autem pro morte poſitum innumerabiliter Scripturæ continent*, &c. & infra: *Bene ergo accipitur, Ego dormivi & ſomnum cepi, ego me paſſioni permiſi, & mors conſecuta eſt.* Præterire nequeo mortem Redemptoris appellari ſomnum; quantumlibet hoc nomine bene ſignificetur vulgò noſtrûm omnium exitus: nam in morte Salvatoris offertur non modica dubitandi ratio: quia Redemptor moriens fortitudinem perhibuit: igitur quomodo quit ejus obitus vocari dormitio? Evangelicus Præcentor de Chriſto Domino dixit: *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis*, &c. Exponit S. Bernardus: *Deus in operatione: fortis in paſſione*: &c. Quomodo hæc ſtant? Aſſertor noſter fortis extitit in paſſione ſua: quo ſtylo dormiviſſe dicendus erit in morte? quid fortitudini cum ſomno? reſpondeo. Dormire ſanè quodam modo fragilitas eſt naturæ: ſed per ipſam invaliditatem carnis aſſumptam fortiſſimum ſe præbuit Verbum incarnatum. Sic extrema diſtantia plurimùm novit annectere ſapientia Dei: conjunctionem iſtam non demirabitur qui mente verſaverit unionem illam factam per myſterium incarnationis inter glebam ex Adamo deſumptam, & lucem inacceſſabilem, ſcilicet Unigenitum Patris. Ad hujuſmodi negotium optimo jure miſſus eſt legatus, qui vendicat appellationem illam: *Fortitudo Dei*; quò per hoc inſinuaretur, Deum in eo quod aſſumpſerit infirmitatem mortalitatis noſtræ, non depoſuiſſe potentiam; quin potiùs exercuiſſe.

Pſal. 3. 6.

S. Auguſt. to. 3. in expoſ. hujus Pſal. ib.

Iſai. 9. 6.

S. Bernard. ſer. 10. ex parv. in pr.

8.

Pene videtur de juſtitia debitus favor adveniens mediante Mariâ.

Vidimus qua e miſſus fuerit ad ſanitatem orbis terrarum Gabriel Angelus, *legatus fidelis.* Quid huic nuntio commiſſum expendamus. Lege Thaumaturgum. *Miſſus*, inquit, *eſt Gabriel, ut revocationis ſubſcriptionem Adamo deferret.* Sumo vocem illam, *Revocationis*, quaſi diceremus, Protoplaſtum exulem, vel fugitivum revocatum fuiſſe per decretum ſubſcriptum à Rege regum, quo gratioſè concedebatur ipſi reverſio. Anſam ita cogitandi præſtitit S. Doctor idem: quia dixerat ante: *Rurſus horæ fauſtaque gaudii nuntia. Rurſus libertatis indicia. Rurſus revocatio. Rurſus reverſio.* Igitur Gabriel detulit ejuſmodi revocationis decretum, ſubſcriptum à Domino, fideliter ad Virginem. Et cogitatione volvebam non levi, cur haud potiùs illi mandatum eſt, ut iſtud felicis revocationis diploma regium ferret ad limbum Patrum, atque traderet Adamo? Inter homines, cùm beneficio regis permittitur exuli, vel fugam capienti reo, benignè reverti ad patriam, ſcriptura, qua continetur iſtiuſmodi conceſſio, remitti ſolet ad ipſum delinquentem. Sanctiſſima Virgo non deliquerat in Adamo; neque dignitas capitis generis humani tranſiverat ex Protogenitore mortalium ad Mariam. Ut quid ad illam fert legatus Gabriel revocationis Adæ ſubſcriptionem Dei? Pietas aliquid audeat. Sic diſpoſitum eſt, ut Genitrix Altiſſimi retineret apocam, ſeu chirographum divina manu ſubſcriptum; quo donabatur primo Parenti, necnon & poſteris reverti ad patriam, Dominumque ſuum. Et quo fine Deipara ſervaret hoc decretum? Devotio reſpondet. Ut quaſi valeret obligare Deum ſubſcriptione ſua, ne reos privaret beneficio facto, quantumvis nimiùm denuo peccarent Adamides. Non illudet hyperbolem qui meminerit ex Damiano quantum præſtiterit operis in hominum Redemptione Maria. *Et ſtatim*, ait, *de theſauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, ut ſicut ſine illo nihil factum, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Meditationem ſubjiciamus in Matris Dei laudem: qua nos excitemur, ut conſideratione dignâ libremus quàm multùm in hominum negotiis ejus interventus valeat apud Altiſſimum. Dicam igitur. Idipſum quod verè favor eſt, mortalibus à divina clementia conceſſum, ſimile fit aliqualiter debito ex juſtitia, Maria genitrice Dei & hominum interveniente: ſic, ut Creator, ſi capax foret peccati, videretur delictum committere, niſi concederet quod poſtulatur mediante Mariâ. Horres audaciam pietatis; Ne ſcrupulo movearis: hyperbaton eſt. Perge mecum ad ſacrum Textum: forſitan formidinem tuam ſedabo.

S. gregor. Thaumat. prox. ſup.

S. Petr. Damian. ſer. 4. de Anunti. ante med.

Idem ib.

9.

Abſalom poſt occiſionem fratris, qui violatâ ſorore Thamar ejus indignationem provocaverat, fugit in Geſſur. Inde per induſtrioſam Joabi ſolertiam revocatus eſt ad Jeruſalem. Joab, inquam, accerſivit ſapientem fœminam Thecuitem: quæ ſub ænigmate, quaſi negotium aliud ſuum ageret, cauſam Abſalomi coram Davide propoſuit. Finxit, unum de propriis filiis alterum necaviſſe; cognationemque univerſam inſurgere, dicentem, ut occiſorem traderet, pro fratricidio periturum. Imploravit auxilium regis, ut non interficeretur propter homicidium gnatus ejus. Annuit petitioni Da-

vid ; & ſub jurejurando ſpopondit incolumitatem geniti. Mulier tunc occaſionem arripiens, inſinuavit quid intenderet : ſcilicet reductionem Abſalom fugitivi, fraternæque cædis rei, dicens :

2. Reg. 14. 13. *Quare cogitaſti hujuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt rex verbum iſtud, ut peccet & non reducat ei ejectum ſuum* ? Interrogavit eam poſtea David, an Joab cooperatus fuerit in hujus ænigmatis induſtria.

Ib. n. 20. Confeſſa veritatem, dixit : *Ut verterem figuram ſermonis hujus, ſervus tuus Joab præcepit iſtud* : &c. Seſe duplex offert dubitatio. Prima : Peccaretne David, ſi nollet quod Abſalom in Jeruſalem regrederetur ? an iſta clementia Davidis ex juſtitia debebatur homicidæ ? Secunda : quæ proportio fuit inter ſermonis fœminei figuram, & figuratum ? Abſalomi revocatio quædam erat gratia, quam hac via conabatur impetrare Joab à Davide ; Thecuitis autem propoſuit caſum ſpectantem ad rigorem juſtitiæ ; ſcilicet ne filius ejus necaretur authoritate privatâ. Quomodo figurato cohæret figura ? Relinque litteram ; veſtiga myſterium. Illa fœmina ſignificat Sanctiſſimam Virginem, advocatæ munus agentem pro mundo. S. Antonius : *Hæc eſt figurata illa prudentiſſima mulier Thecuites : quæ ita ſapienter advocavit apud regem David in cauſa Abſalomi vani ſuperbi, & fratricidæ, exulis facti propter tantum ſcelus à Jeruſalem, quod induxit patrem David ad miſericordiam erga filium, & ab exilio revocandum. Sic Virgo Maria pro mundo Deo rebelli & occiſore fratris ſui, id eſt animi ſui propter quod exul conſtituitur à ſuperna Jeruſalem, ita advocat & interpellat, ut Deum patrem placet, & converſum ad pœnitentiam ad gloriam inducat.* Nunc ad ſuperiores dubitatiunculas, hoc poſito, ſolutionem adjicio. Non equidem committeret peccatum Deus haud annuens Deiparæ advocanti pro mundo : ſed interveniente Mariâ ſic benevolentiam exhibet, quaſi deberet, ac illam negando peccaſſet, dato quòd peccati capax eſſet. Inde patet reſponſio, qua diſſolvatur ſecundus nodus. Reductio peccatorum ad cœleſtem patriam negotium divinæ benignitatis eſt. At hoc ipſum traditum Mariæ, pro mortalibus interpellanti Deum, pene vertitur in cauſam juſtitiæ ; velut ſi foret injuſtus Dominus detrectans concedere quod ipſe poſtulat. Retinet Piiſſima regiam illam ſyngraphan ſupremi Principis manu ſubſcriptam : quam eidem Advocatæ noſtræ ſui Regis nomine, pro revocatione primitivi Patris, Gabriel tradidit *legatus fidelis* : quid Virgini denegabit Altiſſimus, qui ſe debitorem conſtituit ei ?

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 14. §. 7.

10. *Major eſt honor antecellere ſe ſubditos voluntariè.*

Proſequamur expendentes legationem commiſſam Gabrieli. Ad Virginem *legatus fidelis* directus eſt ; cum poſſet ad ſponſum ejus D. Joſephum Angelus mitti ; qui denuntiare valuiſſet Mariæ puriſſimæ quæ notificaſſet Empyrei civis, ut ab ea reſponſum acciperet nuntio divino reddendum : & ſic evaderet Joſeph anxietatem, quam pertulit notans Virginem gravidam, & neſciens adhuc, à Spiritu ſancto concepiſſe. Cur ad ipſam venit Archangelus Mariam ? Reſpondeat iterum Thaumaturgus : *Miſſus eſt*, inquit, *ad Virginem Gabriel, ut mulieris ignominiam in honorem commutaret.* O quam præcelſus honos hac legatione delatus fuit ad Beatiſſimam ! In quo putas præcipuè poſitum decus iſtud ? an quia Deus rem tantam, ſcilicet incarnationis opus mirabile noluit niſi conſentiente Virgine perficere ? an quod terræ cœlique Regina facta fuit ? an quod Mariæ partem Verbo Dei voluit uniri ? Magna ſunt hæc omnia. Sed unum (comparationem cum prædictis omittens) peculiariter admiror : nempe, Deum, cui ſerviunt creaturæ cunctæ, ſe ſpontaneum obtuliſſe, ut incarnatus, filiationis titulo ſubderetur Virgini Matri. S. Bernardus ait : *Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt : cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ.* Tam inclytus extat honor hic, ut fere videri poſſit major illo, quo potitur Salvator in præcellendo creaturis univerſis. Non ſine rationis fulcro ſic apparebit alicui putandum : nam celſitudo Redemptoris noſtri ſuper omnia creata data fuit ei, non expectato conſenſu creaturarum. Hic ſubjectionis modus non ſolet eſſe præſtantiſſimus : dixit quippe Nazianzenus aliorſum : *Nil enim utilius eſt & ſecurius, quàm cum volentes præſunt volentibus* : &c. Atverò Dominus omnium ſemetipſum Deiparæ ſubjecit ultroneè. Magis condecoratur *is*, qui ſpontaneis obedientibus præfertur ; quam ſubigens coactos. Major equidem honor eſt antecellere ſubdi volentem.

S. Gregor. Thaumat. ſer. 3. de Annuntiat.

S. Bernard. hom. 1. ſup. Miſſ.

S. Greg Naz. or. 5. ad fin.

Intendens oculos David ad felicitatem amicorum Dei : trutinans ex quali abyſſo imperfectionis Dominus illos ad eminentiam perducat, ait : *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus : nimis confortatus eſt principatus eorum.* Ex Caſſiodoro B. Bruno Herbipolenſis exponit ſic : amicos : *dicit SS. Apoſtolos* : Nimis : *valde ſignificat.* Confortatus eſt principatus eorum : *quem præſtante Domino perceperunt in tantum, ut arietes gregum & principes fidelium meruerint eſſe populorum.* Audis qualiter magnum prædiceret honorem principatûs Apoſtolici David ? Regredere ad alium Pſalmum, quo de Chriſto Servatore loquens, inquit : *Gloria & honore coronaſti eum* : quod ſic interpretatur idem Bruno ſumens à D. Hieronymo commentarium : Honore, *cum vicit mortem*, coronatus, *circumdatus choro ſanctorum rediit ex infernis.* Nota, non dixiſſe Prophetam : Honore nimio coronaſti eum. Quare non ſic loquitur qui de ſanctis Apoſtolis dixerat : *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus : nimis confortatus eſt principatus eorum* ? Fortè quia Redemptoris honos triumphantis de morte non ſuppoſuit voluntariam ſubjectionem ipſius mortis poteſtati Chriſti domini, proindeque non viſum fuit incarnati Verbi decus tantum præſtitiſſe ſuperiorem ſe morti coactæ. Spiritualiter ovantes Apoſtoli de fidelibus per doctrinam, quam ſponte ſuſceperunt, principati ſunt feliciſſimè ſubjicientibus ultro ſemet ipſos eis. Meritò

Pſal. 138. 17.

Ex Caſſiod. B Brun. Herbip. com. in Pſal. ib.

Pſal. 8. 6.

Ex Hieron. Idem in Pſal. 8.

ritò dicuntur honorati nimis : est enim decus eximium præcellere dignos honore, qui se voluntariè submittunt præcellenti. Supremus Dominus libenter subdidit se Virgini Matri subjectione filiali. Notificaturus hanc excelsam dignitatem Deiparenti, de Curia cœlorum ad Mariam *legatus fidelis* missus est.

12. Rursus lege D. Gregorium Thaumaturgum : *Missus est*, ait, *Gabriel, ut dignum purissimo Sponso thalamum pararet.* An hic thalamus non fuerat præparatus ab æterno per Dei providentiam admirabilem? Utique. Gabrielne mittitur ut actum agat? quid reliquum erat in præparatione castissimi thalami peragendum? Restabat, ut Virgo Maria præberet incarnationis mysterio consensum : quem cœlestis nuntius ut acciperet, venit ad eamdem. Accipe Guillelmum, loquentem in persona Deiparæ. *Porro de me nesciente, & non consentiente carnem sumere noluit : atque ideo Angelum, qui me ad fidem mulceret, designanter, provideque præmisit.* Nequaquam festinatâ pensitatione percurras hanc incarnationis Filii Dei circumstantiam: scilicet quòd Unigenitus æterno Patri soluturus pretium redemptionis nostræ per oblationem humanitatis assumptæ reciperet istam à creatura offerente; cum posset eam ab illa sumere jure dominii, non expectato consensu Virginis. Debito summi ponderis erat gravatus homo; nec stabat solvendo. Congruebat ut ejus fidejussor exhiberet pro eo solutionem. Tamquam si Dominator universorum paupertate premeretur, ob quam non valeret fiduciam suam liberare, pro debitore pendens ejus pretium, accepit multam à Virgine pecuniam; quam persolveret creditori, scilicet æterno Parenti. Phrasi loquor S. Præsulis Valentini. *Novit igitur, ait, fidejussor ad Virginis mensam : & inde numerosam pecuniam accepit, quam redderet creditori : accepit namque carnem unde Patri redderet pro amico, quem sibi fecerat ex servo*, &c. Mirabile dictu, gloriæ Principem ditissimum non dedignari suscipere de manu creaturæ (quæ comparata cum Deo dicenda semper est pauperrima) pretium offerendum pro nobis Deo Patri! Facillimum esset omnipotenti Verbo creare de nihilo corpus humanum, & illud unire hypostathicè postea sibi : non accipiens quidquam à creatura pro redimendis filiis Adæ; sic redemptionis liberalitas eluceret valde : nam, ut ita dicam, totum ex propriis numeraret pretium, nihil ad hoc munus ab aliquo recipiens. An modus iste solvendi quod nos debueramus, non visus fuisset generosior pro commendatione largitatis, & opulentiæ Dei, qui non indiget creaturis? Mirari non desinam, quòd ab ista, quam elegit in matrem, accipere dignatus fuit pecuniam offerendam Patri pro solutione, cui genus humanum erat obstrictum.

13. Ut melius animadvertas, admirationem præfatam non thetoricè tantùm exaggerari, sed gravitare maximo veritatis pondere; subjiciam ex Evangelico textu casum; ex quo liceat colligere, Christum Dominum ita lubenter, ac liberaliter solvisse debitum filiorum Adam, ut ostenderit, se nullius indigere, qui pretium donaret pro peccato Protoparentis pendendum. Apud Matthæum habes, Redemptorem injunxisse Petro solutionem tributi. Quærunt interpretes cuinam solutum fuerit? Sentit D. Hilarius, illud ab Israële cuncto solitum præstari Deo. *Hoc enim*, ait, *omni Israëli lex pro redemptione animæ & corporis constituerat in ministerio templi servientium.* Ex præscripto Magistri Simon piscem hamo cepit; & inventum in ipsius ore staterem tradidit exactoribus. Et si quæras unde pecunia venerat pisci? Dicam, fuisse miraculosè creatam à Domino, cùm dixit : *Eum piscem, qui primus ascenderit, tolle : & aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me, & te.* Interlinearis ibi verbo *staterem*, ait : *Mira potentia, qua hoc dicendo creavit staterem.* Minimè solet omnipotentia frustra miracula operari : forsanque videbitur alicui superfluum id prodigium; creare nempe miraculosum nummum; cum hic res non extaret adeo magna, quòd non posset persolvi de pecuniola Collegii Apostolici : sed ex hac Dominus consultò noluit solutionem istam fieri. Paschasius : *Unde* inquit, *nec dubium quod per ipsum stater in ore piscis creatus est, & quod futurum erat ipse loquendo fecit. Noluit enim de loculis Judæ tributum solvere, ne substantiam pauperum in suos usus proprios videretur convertere : sed de arte Petri.* Dimissa ratione, quam Paschasius insinuat, aliam quæro, quæ sit è re nostrâ, pro solvenda quæstione illa : scilicet cur non placuerit Salvatori pecuniam istam de parvulo censu Collegii Apostolici, cui præerat, solvere, sed ab omnipotentiæ thesauro. Priusquam respondeam, nota, redditionem stateris proportionem habuisse cum hominum redemptione Liranus : *Hoc autem duplex drachma debet reddere quilibet imperatori omnium pro peccato primorum parentum, quod facit patienter tolerando pœnalitates dictas. Licet autem Christus non haberet peccatum, tamen reddere voluit pro salute omnium, & quia carnem assumpsit similem peccatrici.* Quo posito, incidit hæc menti cogitatio. De Judæ loculis extrahi non jussit Christus Dominus pecuniam, qua didrachma solveretur : ibi nanque servabantur quæ de manu venerant humana : ut non putaretur, illum pro Adæ peccato solvere minus generosè; quasi desumentem à creaturis pretium pro scelere generis humani præstandum. Illud pendere tributum deliberavit à suæmet omnipotentiæ nunquam exhaustis opibus; ut sic intelligeremus quantùm sibi complaceret in solutione tribuenda pro genere nostro, cujus extabat fidejussor. Hinc vide quantâ dignatione, diligens purissimam Virginem Altissimus honoraverit eam : non dedignatus accipere per mysterium incarnationis ab illa pecuniam, quam pro redemptione mortalium obtulit æterno Parenti. Proinde missus est Gabriel, ut con-

S. Gregor. Thaumat. sup. *Mirum quòd à creatura Deus acceperit carnem ad persolvendum hominis debitum.*

Guillel. in 6. Cant. 2.

S. Thom. à Villa no. ser. 1. de assump. B. V.

S. Hilar. can. 17. in Matth.

Matth. 17. 26.

Interlin. ib.

Paschas. l. 8. in Matth. c. 17. ib.

Lira in c. 17. Matth.

ſenſum huic acceptioni per nuntium præſtaret illa.

14. *Errata hominum, quibus ipſe læditur, Deus reſarcire curat.*

Adhuc tandem ſubjicienda eſt alia meditatio circa legationem Gabrielis : qui miſſus eſt à Domino *legatus fidelis* ad Mariam. Celebrandum erat ſuperexcellens matrimonium inter Dei Verbum & humanitatem ſanctiſſimam : nuptiæ quidem fœcundiſſimæ, quæ tot filios Dei procrearunt, quot germinavere juſtos. Æquum erat ut præmitteretur internuntius conjugalis, qui veluti ſponſaliorum pactum conciliaret inter naturam divinam & humanam. Ad iſtius conjugii tractandum feliciſſimum nexum deſtinatus eſt à Principe deſponſando *legatus fidelis* cujus interventu nobis venit à prædicta matrimoniali conjunctione *ſanitas*. Non it longe Thaumaturgus ; qui ſumptus præſtitit uſquenunc tenuitati meæ : nam ejus mens, ni fallor, eſt de ſponſalibus iſtis agere, cum ait, *Miſſus eſt Gabriel, ut inter creaturam, & creatorem ſponſalia contraheret.* Apparebat primâ facie negotium iſtius deſponſationis improportionatum nimis ut commirteretur Angelico ſpiritui : nam humanitas conjungenda Verbo non erat ſpiritualis tota, ſed ex parte caro. Quid Angelo cum carne ? Quæſtioni reſponſum accipiam à Venerabili Beda, qui ſic habet : *Aptum profecto humanæ reſtaurationis principium, ut Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu conſecrandam divino, quia primæ perditionis humanæ ſit cuſa cum ſerpens à diabolo mittebatur ad mulierem ſpiritu ſuperbiæ decipiendam : imo ipſe in ſerpente diabolus veniebat, qui genus humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloriâ nudaret.* Itaque læſerat Angelica natura Deum in angelo malo : qui tentans Hevam, proſtraverat imaginem Domini, ſcilicet hominem primum cum tota poſteritate ſua. Ut hæc injuria compenſaretur Angelica natura in Angelo bono Gabriele miniſterium exhibuit incarnationi, qua reſtaurandum erat quod perdiderat in Adamo Deus. Attende nunc. Læſit utraque natura Dominũ, cum cecidit Adam: Angelica ſcilicet eo pacto, quo proximè dictum eſt, nec repetam; humana verò, quia tota peccavit in Protoplaſto. Pro contumelia, quam intulerat Angelus Deo, dejiciens hominem, contentus fuit Altiſſimus quadam veluti ſatisfactione præſtitâ per Gabrielem in miniſtrando reſtaurationi hominum, nuntio ad Mariam delato. Ut verò compenſaretur injuria, quam per primum peccatum irrogavit natura humana Deo, non alter niſi Deus ipſe ſatisfacturus venit in terras. Perpende quantî nos viliſſimos æſtimat Conditor omnium ! Erratum angeli reſarciat Angelus utcumque ; errorem hominis ipſe Deus. O quàm ſit multî coram Deo miſer homuncio ! Cum iſte labitur, Deus emendare curat quod exerravit illa.

S. Gregor. Thaumat. ſer. 3. de Annunt.

Bed. hom. de Annunt.

15. Cum principe tenebrarum decertavit olim Sol juſtitiæ. Hunc tenebræ non comprehenderunt ; ſed quamvis tertiò pugnare fuerit auſus malignus, ter felici victoria ſuperatus. Poſt itaque tertiam hoſtis cladem, adfuerunt cœleſtis exercitûs milites ; non antea vocati, ne per majoritatem potentiæ viciſſe putaretur qui venerat humilitate dejicere ſuperbiſſimum. *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Teſtante Chriſtiano Druthmaro, Chriſtum Dominum adoraverunt Angeli hoc loco : fuit enim meritò colendus nunc, ut non diabolo (quod inimicus intendebat ei à Salvatore fieri) ſed Chriſto cultum deberi ſic oſtenderent. *Quod diabolus in Deum* (fortè legendum eſt *In eum*) *ſuaſerat facere, hoc ei fecerunt Angeli, id eſt adoraverunt eum : ut oſtenderent, quia ipſe merito adorandus eſſet, non diabolus.* Non te latet, ſanctos Angelos in adorando Chriſtum eo loco, voluiſſe Domino factam injuriam ulciſci, qua læſit eum Dæmon, tentans illi ſuadere, ut cadens adoraret eumdem. Et ſatis erat iſta compenſatio cultûs Angelici pro contumelia diaboli, quò Salvatoris honor læſus reſarciretur ? Non ampliorem ſatisfactionem poſtulavit ab Angelica natura Redemptor. Paulò priùs narravit idem ſacer Hiſtoriographus deſcenſum divini Spiritûs in Servatorem baptizatum à Joanne. *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Ad quid oportuit Spiritum ſanctum nunc venire ſupra Chriſtum : qui divinitatem ſuam latere cupiebat ; ut ſatis inſinuavit per ſuſceptionem baptiſmi Præcurſoris ? Audi Chryſoſtomum. *Arbitrabantur enim*, ait, *quod unus eſſet quidam è vulgo : nec putabant, quod ſi ille ſingulare ac magnum aliquid obtineret, ad baptiſma inter cæteros venire potuiſſet. Propter quod videbatur Joannes multò illo admirabilior, multòque præſtantior. Ne igitur apud plurimos opinio iſta firmaretur, baptizato illo & cœli aperiuntur, & Spiritus ſanctus continuò deſcendit, & cum Spiritu ſancto non Patris Unigenitus ſui prædicat dignitatem.* An pro teſtandâ Salvatoris excellentiâ ſatis non foret advenire cohortem Angelicam, & ipſum publicè colere ; ſicut poſt victorias de hoſte communi venerunt Angeli, quò Redemptori debitam adorationem eſſe teſtarentur cultu ſuo ? Adverte, multum diſparitatis inter caſum utrumque reperiri. Dæmon læſerat Chriſtum, proponens adorare ſe. Quod malus perperam egit angelus ; Angeli boni corrigant. Qui viderunt, Chriſtum Dominum ad Præcurſoris acceſiſſe baptiſma, lædentes ejus honorem (vel materialiter, vel peccaminosè) exerrarunt. Hominum erratum non emmendent Angeli ; ſed ipſe Deus in columba veniens. Tantî ducitur homo coram Altiſſimo, quòd in ſemetipſo perſonaliter ſuſcepit ejus errores contra Deum commiſſos reſarcire. Sic factum eſt in myſterio incarnationis, non per Angelum ; ſed per Unigenitum Patris : nam Gabriel non extitit in hac re pluſquam *legatus fidelis*, quo nuntiante, nobis venit *ſanitas*.

Matth. 4. 11.

Drathmar. in expoſ. in Matth. c. 6.

Matth. 3. 16.

Chryſoſt. to. 2. hom. 12. in Matth. ante med.

DELIBATIO II.

Legatus fidelissimus Præcursor Domini.

16. *Aliquando magis humanam illuminavere mentem verba Ioānis, quàm ipsius Christi.*

JAm nequaquam admiratione rapiar iterum, quod omnium Dominus ad puram creaturam & purissimam, nempe Mariam, legationem destinaverit circa negotium, quod ipse decreverat ante sæcula. Quippe clementiæ longe majus opus est, quod adventurus in mundum, legatum præmiserit ad creaturas impurissimas, & servos rebelles: Baptistam scilicet nuntium pacis, de quo dicendum nobis nunc est. Facilis aperitur ab Angelo transitus ad Angelum: à Gabriele videlicet ad Joannem: nec enim discordat ab Angelico munere propheticum officium, quod exercuit. S. Ambrosius: *Etenim*, ait, *& propheta dictus est Angelus: Angelus autem nuntius est, sicut scriptum est*: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. *Quod de Joanne dictum esse Evangelii testatur scriptura*, &c. Circa textum nostrum loquens Hugo Cardinalis, illumque deferens ad prædicatorem, vel doctorem, qui dici potest legatus Dei, sic habet: *Hic legatus duplicem debet facere sanitatem contra duplicem morbum, quo laborat totus mundus. Omnis enim spiritualis infirmitas hominis aut est vitium intellectus, & hoc est ignorantia: aut vitium affectûs, & hoc est malitia.* Hoc legati duplex officium peregit apprimè Joannes. Et quod attinet ad sanandos intellectus hominum; notissimus est splendor illius, nec lucernæ titulo, quo fulget, quem solitâ proponit eloquentiâ S. Ambrosius, inquiens: *Denique & Joannes lucerna erat, sicut dixit Dominus de eo: ille erat lucerna ardens, & illuminans. Bona lucerna, qua lumen accipiebat à Christo, ut lucere posset in hoc sæculo. Meritò ardens, meritò illuminans, qui erat nuntius Christi, illuminans prædicatione fidei pectora singulorum.* In lucerna materiali Crystallinâ sæpius experimur, lucem quæ minùs refulgebat, si ponatur intra crystallum, clarius resplendere. Maxima, fateor, Christi lux est: sed cum illam texerit humanitatis nubes, nonunquam irradiavit multò minùs, quam altera communicata Joanni. Non defectus est lucis in Christo; nec excedit eam Præcursor: nam radios accepit à justitiæ Sole. Chrysologus: *In Joanne Dominus accendit sui luminis, & præmisit lucernam, ut deguſtato lumine in se jam divini Solis jubar ipsum præferrent, ipsam Deitatis caperent claritatem* &c. Citra contumeliam (imo in laudem) Salvatoris dici potest, aliquando plus valuisse pro illuminatione mentis humanæ verba Joannis quàm Redemptoris. Tu dices, fortunam hoc extitisse Baptistæ. Loquete prout libuerit: mihi tantùm incumbit probare dictum.

S. Ambros. to. 2. expos. c. 31. Prover.

Hugo Card. com. in Prover. c. 13. 17.

S. Ambros. to. 2. expos. Psal. 118 oct. 14.

D. Petr. Chrysol. ser. 87.

17. Fons vitæ venit olim ad aquas, ut mulierem peccato mortuam vivificaret. Efflagitavit ab ea potum; quò sic mixto sermone cum illa, veritatem, quam sapientes ignorabant, mulierculæ detegeret. Sic despicit carnalem sapientiam Dominus: atque mundi seligit infirma, quò superba confundat. Disertis verbis aperuit fœminæ, verum se Messiam: nam dicenti Samaritanæ; *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Dereliquit mulier hydriam, & abiens in urbem, dixit ad Samaritanos, ut venirent & viderent hominem, qui dixerat ipsi quæcumque fecerat illa. Non tamen assertivè notificavit eis, illum esse Messiam; sed usa fuit sermone dubitantis: *Numquid ipse est Christus?* Retrocedamus in Textu Joannis. Narrat Evangelista, Præcursorem, cum videret Jesum ambulantem, dixisse: *Ecce agnus Dei.* Meditare quantùm potuerint verba Joannis Baptistæ. Progreditur ultra dilectus Discipulus, inquiens: *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.* Dixeratne duobus istis Joannes, ut sequerentur Dominum? Neutiquam. Legito S. Doctorem Chrysostomum. *Nullo*, inquit, *alio affectu perturbati, audito Joanne vestigio secuti sunt Jesum: non quod magistrum despicerent, sed quod certam fidem ejus adhiberent testimonio. Maximum autem argumentum est, recta eos mente secutos, quod nullo hortatu (suspiciosum enim fuisset) sed solo auditu, quod in Spiritu sancto esset baptizaturus, secuti sunt: neque magistrum reliquerunt, sed quid ille amplius quàm Joannes ferret, edisсere voluerunt.* Compone modò fructum doctrinæ unius & alterius præceptoris. Docuit mulierem Filius Dei, se verum existere Messiam: non tamen illa statim firmiter credidit: sed stylo dubitantis ait: *Numquid* &c? Et asseverante Joanne, Jesum esse agnum Dei, jam duo discipuli vadunt post illum? Quid ad hæc dicemus, nisi quod veritas Evangelica feliciori & faciliori penetravit modo per Joannem mentes discipulorum, quam per ipsum Redemptorem intellectum Samaritanæ. Dixit quippe Maldonatus: *quod autem addit*, Numquid ipse est Christus? *nihil absurdi erit: si dicamus dixisse dubitando, nihil enim mirum, si necdum perfectam haberet fidem*, &c. Non sic audio dubitantes illos duos Præcursoris discipulos, an Christus esset agnus Dei; quod audierant à magistro suo. Major erat Christi fulgor: sed voluit, Joannem aliquando magis lucere. Sic per Baptistam, qui *legatus fidelis* missus est ad homines, horum mentibus ægris venit *sanitas*, illuminans destitutos interno visu facillimè.

Joann. 4. 25. 26.

Ib. n. 29.

Ib. c. 1. 36. 37.

Chrysost. to. 3. hom. 17 in Joann. post med.

Maldon. in Joann 4. 29.

18. *Sapientia cōmunicata per Baptistā sitne majoris, quam participata de manu Domini?*

Nec existimes, facilitatem istam, qua diximus, veritatem Evangelicam illustrasse mentes hominum per os Baptistæ, minuere veritatis ejusdem pretiositatem: imo tandem ostendam oppositum. Agnosco, multoties difficultatem rei probare magnitudinem illius; & econtrariò facilitatem contemptui viam facere. Sic dura diuturnaque prælia reddunt magis egregiam consummatæ victoriæ palmam: sic

in

in ſtudioſorum laboribus experimur non tantî fieri quæ paſſim occurrunt facilè; maximî verò coram peritis æſtimari (de cæteris non curo, quia ſunt incurabiles) quæ multo ſudore conquiruntur incubando noctu diuque, dum ſæpius morſo cadit ab ungue labor. Similiter in regnum aulis minoris pretii ſunt apud cordatos dona regia, quæ fortunæ flatu, nullo præcedente labore venerunt ad aulici manum; quàm præmia, quæ miles extorſit à rege difficillimè poſt exantlata martis pericula per annorum ſeriem. Ex his omnibus videtur ſtabilitum, non ſolere magna faciliter obvenire; multòque magis appretianda quæ difficulter eveniunt. Unde Plinius dixit: *Quæ præclara ſunt, non contingunt niſi magno negotio.* Et alibi dixerat: *Leonis catuli informes naſcuntur, vix ingrediuntur ſemeſtres, non moventur, niſi bimeſtres: ita quæ egregia futura ſunt, ſero proveniunt & lentis actibus abſolvuntur*, &c. Regula iſta, quæ rerum dignoſcit magnitudines à difficultate moraque, ſuas patitur exceptiones. Non ideo clarior eſt lux igniculi, quam ſilex emittit, quia morosè percuſſus lapis protulit eum: nec minùs reſplendet ſolis radius ex facilitate, qua potiris illo. An theſaurus minus valet quia fors inventus eſt à non laborante? Statuamus ergo, quædam eſſe, quorum æſtimatio pretioſa non ex eo minuitur, quod facilè nimis adquirantur. Imò nonnulla ſunt, quæ per facilitatem, qua contigerunt, à nobis appretiantur pluris. Inter hæc numera doctrinam cœleſtem. Unde tantùm abeſt quòd patuiſſet contemptui veritas Evangelica propterea quia faciliter acceptabatur ab hominibus ex ore Joannis, ut potiùs exinde creverit apud mortales diſciplinæ ſalutaris æſtimatio. Sapientia communicata per manus Baptiſtæ, majoris fit, quàm participata immediatè de manu Domini.

Plin. l. 25. c. 9. in ſimil.

Idem l. 8. c. 16.

19. Poſtquam Iſaias enarravit felicitates futuras tempore legis gratiæ, ſingulos novi teſtamenti filios ad eaſdem invitat, ut fidem Chriſti capeſſentes, illis potiantur relictis vanis. *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento*, &c. Cornelius Alapide ibi: *Omnes veritatis & ſapientiæ ſalutiferæ avidi, venite ad aquas doctrinæ & gratiæ Chriſti, ex iis haurite & bibite ſapientiam* &c. Pungit mentem, ac velut hæſitare facit commixtio liberalitatis, qua per os Prophetæ ſapientia ſalutaris, haurienda poſt à doctrina Salvatoris, offertur; cum venditione, quam bis inſinuant præfata verba: *Emite, & comedite: venite, emite* &c. Preme, quòd ſcientia ſalutis, docenda poſtea per Aſſertorem noſtrum, accipienda erat per modum emptionis, in quocumque dicatur, iſtam conſiſtere. Nunc audiamus prophetantem Zachariam de filio ſuo Joanne. *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus*, &c. En ſcientia ſalutaris donanda dicitur per Baptiſtam; cum ex Iſaia colligamus, eam quæ ſumenda fuerat à diſciplina Servatoris, emendam fore per ſuſcipientes eam. Quænam putas, energia reperitur in hoc diverſo modo loquendi? datur à Præcurſore quod venditur à Chriſto? Notare juvat pro themate proximo diſparitatem repertam inter id quod emitur, & illud quod accipitur dono. Emptum, ſi offeratur emptori à vendente, pretii partam ex ipſa facilitate deperdie; at vero donatum, ſi liberalis offerat, eò tibi pretioſius eſt, quò faciliùs accepiſti. Pretioſiſſimæ quidem erant aquæ docentis Filii Dei: ſponte Dominus obtulit eas; at hæc ipſa facilitas apud homines (emptionis more) aliquid æſtimationi debitæ detraxit: & quia ſic in emptionibus accidere ſolitat, venditioni bene comparatur acceptio ſapientiæ ſalutiferæ ab ore Chriſti Domini. Doctrinam etiam Præcurſor offerebat ultro: ſed quò faciliùs obtinebatur ab eodem eò plùs æſtimabatur à mortalibus. Optimè dicendum, ſcientiam ſalutis à Baptiſta dono datam: quia dona de facilitate non vileſcunt, ſed magnifiunt. Erat ipſe legatus fidelis: cujus eſt ſatagere ut negotia regis non depretientur apud eos, ad quos miſſus eſt; ſed multî ducantur ab ipſis.

Iſai. 55. 1.

Alap. ib.

Luc. 1. 76. 76.

20. Hujus legati fidelitas apud homines, ejus excellentiam ſicut par eſt admirantes, peculiariter eniteſcit in eo, quòd ut illuminaret intellectus mortalium, ſuum exercens munus, haud recuſaverit ſemetipſum abjicere. Non vulgaris laus eſt hæc fides tanti nuntii: quæ non ſolet in magnatibus miſſis ad legationes per terræ monarchas paſſim reperiri. Dynaſtæ, quantumlibet fidiſſimi, cum ad regiones alienas mittuntur, cauſam ſui principis acturi, ſic eam pertractant, ut in aliquo non minuatur proprius honor. Quin imo, ſi vel in minimo lædantur (citraque regis & legationis injuriam) jam principem, à quo miſſi fuerunt, putant affectum fuiſſe contumeliâ maximâ: fortaſſiſque non tanto zelo curant mittentis decus, quàm proprium. Non ita fideliſſimus nuntius Joannes: qui ſemetipſum dejecit, ac Dominum exaltavit. Euthymius ad illud: Qui tollit peccatum mundi ſic habet: *Rurſum alibi dicit, Ante me fuit: &, prior me erat: ſeipſum intrepidè tamquam ſervum dejiciens, illum autem quaſi Dominum incomparabiliter extollens.* O præcelſam humilitatem! hæc non contenta fuit illâ ſubmiſſione, quæ viſitur in honore non ambiendo, vel in cognitione propriæ minoritatis: profundiùs deſcendit Joannes: humiliavit ſe pro Salvatoris exaltatione ſic, ut ſui dedecoris occaſionem permiſerit, ad hoc ut gloriæ Princeps per fidem credentium decoraretur: non timuit proprium decus imminui; dummodo creſceret Salvatoris honor.

Joannes non timuit proprium decus imminui; dummodo creſceret Salvatoris honori.

Euthym. cō. in Joann. ad c. 1. 31.

21. E vinculis ad Authorem libertatis noſtræ Joannes duplicem ſollicitus miſit alumnum, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Cum Baptiſta probè noſſet, Chriſtum Dominum eſſe verum Meſſiam, hærent hîc omnes, dum audiunt

Matth. 11. 3.

diunt illum de hoc ipſo percontantem, quantum verba ſonant. Proclivis eſt ſolutio: quam ſic proponit idem Euthymius: *Miſit autem illos Joannes interrogans, an ipſe eſſet quem venturum eſſe dicebant libri Prophetarum, non tamquam ignorans:* & infra: *Hos mittit ad Chriſtum, prætextu quidem interrogandi, an ipſe eſſet ille qui venturus erat: vera tamen cauſa erat, ut conſpectis miraculis quæ faciebat, crederent:* &c. Amantiſſima fuit equidem ſollicitudo Præcurſoris pro duobus diſcipulis: ſed magno magiſtri ſumptu curam profectûs illorum putabis adhibitam: nam de Joanne quid exiſtimarent audientes interrogationem per diſcipulos ipſius nomine factam Salvatori? Crederent, dubitare Joannem, utrum Jeſus verus eſſet Chriſtus. Hieronymum accipe. *Quia turba*, inquit, *circumſtans interrogationis myſterium neſciebat, & putabat Joannem dubitare de Chriſto:* &c. Ut quid Baptiſta, cujus exiſtimatio bona multùm populo prodeſſe valebat, exponit ſe judicio putantium quòd ipſe dubitaret an Jeſus eſſet Chriſtus? Miror, aliquos ei non inſultaſſe dicentes: Quid auditoribus inculcas hunc eſſe Chriſtum, cum tu de hoc ipſo dubites? Memini D. Andream, non verbis dubitationem inſinuantibus, ad fratrem Simonem affirmando protuliſſe: *Invenimus Meſſiam.* Similiter S. Philippus, poſtquam à divino Magiſtro vocatus eſt, aſſeruit Nathanaëli: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth.* Rem urgeo. Neque Nathanaël diſcipulus erat Philippi; nec Andreas Præceptor Simonis: imo Petrus erat ætate major. *Andreas* (inquit Zacharias Epiſcopus) *minor erat Simone ætate, & tamen Jeſum prior invenit. Statimque inventum nuntiat fratri, ut ſicut eſt ſanguine, ſit germanus & fide.* Philippus autem adhuc non erat Apoſtolus, ut eo titulo magiſterium exerceret Nathanaëlis. Iterum Zacharias: *Venatores enim*, ait, *Dei erant in capiendis animabus. Unde Philippus antequam fiat Apoſtolus vocat Nathaëlem.* Attamen Andreas atque Philippus aſſertivè docent eos, qui non erant auditores eorumdem? Joannes verò loquens per modum dubitantis curat inſtruere duplicem diſcipulum? Puto ſubmittere ſeſe voluiſſe, non veritum honoris proprii diſpendium apud exiſtimantes, eum dubitare de Chriſto, foretne Meſſias; ut alumni præceptoris interrogatoria verba deferentes, occaſionem feliciter nanciſcerentur videndi prodigia, colendique Filium Dei. Verè *legatus fidelis* extitit Joannes: qui deſtinatus à Rege regum ad illuminandas mentes hominum, non timuit malam exiſtimationem propriam, ut excellentia ſui Principis clareſceret.

Euthym. cō in Marc. c 20.

S. Hieron. to. 9. l. 1. in Matth. c. 11.

Joann. 1. 41.

Ib. n. 45.

Zachar. Epiſc. l. 1. in unum ex 4 c. 16. fi.

Idem ib. c. 17. poſt prin.

22. *Baptiſtæ munus videtur Angelicâ virtute majus.*

Dixi de luce, quæ mortalium præbetur intellectibus: quod erat munus primum Baptiſtæ legati fidelis ad animarum negotia miſſi. Venio nunc ad officium hujus legationis: nempe ſanare morbum affectûs, id eſt malitiam. Multum opus commiſſum eſt Præcurſori, cum illi commendata fuit iſta ſanatio: nam valde morbidi tunc erant affectionibus malis homines. Unde Joannes prudentiſſimè *ſentes criminum ſpiritûs igne ſuccendens, infructuoſas arbores excidens ultionis ſecuri, complanans aſperos ſuperbiæ colles, humilitatis convalles erigens exæquando, & planitiem terræ totam (gramine perdito) aptans, nutricibus fluentis ſubmittens irrigua Jordanis: ac ſi Evangelico ſemini novalia diffuſa præparat, fœcunda componit.* Verba ſunt D. Petri Chryſologi. Denique tam ægrota ſceleribus erat Judæa tunctemporis, ut idem S. Doctor addat, loquens de Joanne: *Venit ad Jordanem, quia Judaicas ſordes non poterat hydria jam lavare, ſed flumen.* Operam adhibuit plurimam Præcurſor in tot infirmorum curatione prudenti. Accedebant ad illum ægrotantes: aperiebant vulnera ſua: quibus applicabat medicinam. S. Cyrillus Jeroſolymitanus: *Primùm oſtendebant vulnera, deinde Joannes medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno.* Itaque peculiare Baptiſtæ munus extitit, non commiſſum Angelis utique, ſed Joanni, parare Domini viam in peccatorum cordibus: quaſi foret officium Angelicâ virtute majus quod mandatum eſt Baptiſtæ.

S. Petr Chryſol. ſer. 137.

Idem ib.

S. Cyrill. Jeroſol. cath. 3. ante med.

23. Proponitur apud Iſaïam canticum juſtorum: ſed ſtatim poſt initium legimus Dominum dicentem ad Angelos: *Aperite portas, ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem.* Hugo Cardinalis ibi: Aperite portas *cœli, id eſt, opera virtutum: vel portas vitæ quæ ſunt fides, charitas, humilitas, & cæteræ virtutes:* & infra: *O Angeli cooperamini juſtis, & corroborate eos in operibus virtutum: ut poſſint venire ad Chriſtum.* Ecce dicitur Angelis ut curent juſtos ad Chriſtum ingredi per virtutes. Quod autem ibi loquatur Dominus, S. Hieronymi judicium eſt ut notavimus alibi. Quæro. Nonne Filius Dei venit in terras vocare peccatores, & non juſtos? cur ergo Deus haud locō citato dicit ad Angelos, ut virtutum portas reſerarent improbis? Fortè ne videretur Angelos conſtituere præcurſores Chriſti pro vocando reos ad virtuoſa facta. Sufficiat ſpiritibus Angelicis ibi committi patefacere juſtis ingreſſum; quaſi ſuperexcellat Angelorum conditionem delinquentes ad meliorem frugem reducere: quod fuerat committendum Joanni, qui viam Domino præparavit, prout in eodem vate legimus: *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Cornelius Alapide ibi: *Verùm dico, hæc de Joanne Baptiſta præcurſore Chriſti, eique viam præparante in deſerto intelligenda eſſe*; &c. Sic afficitur Clementiſſimus erga medelam peccantum, quòd excellentiam ſui Præcurſoris notam fecit in ei demandando confidenter, ut eſſet pro animarum bono *legatus fidelis*, & fieret eo mediante *ſanitas* eiſdem.

Hugo Card. ib.

Iſaï. 40. 3.

Alap. ib.

Ejuſmodi ſanitatem ſpiritualem, qua tot egebant animæ, Joannes per maturam prudentiam Pharmaca præbens, juxta varietatem perſonarum diverſa, cura-

24. *Dimittit Salvator gloria ſua partem, quā*

Ioanni tribuatur honor veniens de pœnitentium ſalute.

vit ut acciperent. Sicut peritus medicus non idem cunctis perpetuò medicamentum præſcribit ; ſed expendens diverſiſſima genera morborum , & inæquales valde corporum complexiones & circumſtantias ; medelas quaſdam iſtis ; aliis verò conſulit alteras : ita Præcurſor ſingulis congruentia propinabat remedia. Dixit incertus , qui fertur nomine Titi : *Joannes quid facto opus eſſet , à turbis interrogatus , peritis medici more , ſingulis opportuna præſidia , ſalutariaque pharmaca præfinit. Et quidem turbis , ut mutuâ benevolentiâ ſe invicem complectantur , mutuiſque operis ſe mutuò ſublevent injungit. Publicanis verò ad telonium ſedentibus ad immoderatam avaritiam , inſatiabilemque illam habendi ſitim , viam obſtruit. Militibus autem , ne quem temere concutiant , non abſque ſingulari prudentia præcipit.* Et quia medentis eſt , ſi oporteat , ferrum & ignem adhibere confidenter ulceri ; Phariſæis applicuit ſatis acerbam reprehenſionem , dicens : *Progenies viperarum quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira* ? Denique tam exactè de ſalute curabat animarum Joannes, ut parum abfuerit , ne tamquam verus Meſſias coleretur. *Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne , ne forte ipſe eſſet Chriſtus* : &c. Dubitabam , quare permiſerit providentia ſuperna , Baptiſtam apud mentes Judæorum æſtimatione tantâ præcellenter efferri ; quæ videbatur in Filii Dei nonnullum dedecus aliquantum cedere ? an convenientius non eſſet , ut animarum ſalutis negotium , ſemel quòd incarnatum Verbum aderat in terra , totum devolveretur penitus ad Salvatorem ? Non eſt cur in hoc hæreamus : novum quippe non eſt quòd Filius Dei gloriam ſuam diminuat aliqualiter , ut Joannes clariùs extollatur. Sponte dimittit Salvator propriæ glorificationis partem , quò Baptiſtæ ſacro tribuatur honor de ſalute pœnitentium veniens.

Incert. ſub nom. Tit. in c. 3. Luc. juxta med.

Matth. 3. 7.

Luc. 3. 15.

25. Supponamus cum D. Thoma 3. p. q. 66. art. 2. ſacramentum baptiſmi fuiſſe tunc inſtitutum à Chriſto Domino, cum baptizatus fuit in Jordane. Quod equidem Angelici Doctoris & ipſius veſtigiis inſiſtentium Theologorum placitum nobis materiam ſubminiſtrat hîc dubitandi , cur non ordinaverit provida ſapientia Conditoris ut baptiſmus Joannis verum foret ſacramentum ; cum poſſet Chriſtus Dominus iſtud priùs inſtituere , factâ revelatione Baptiſtæ de inſtitutione illius. Baptiſma Præcurſoris non extitiſſe verè ſacramentum , res notiſſima quidem eſt : at Paſchaſium lege. *Videamus* , ait , *cur Joannes baptiſet aqua in pœnitentiam , cum peccata non relaxet.* Relaxaret autem crimina ſi miniſtraret in Jordane ſacramentum. Quænam ratio ſuaſit , bonum tantum differri ? nonne Præcurſor adhibebat ægris animabus medicamina ? an baptiſma ſalubre medicamentum non eſt ? qua de cauſa ſacramentorum inſtitutor, qui jam degebat inter mortales , anticipare noluit inſtitutionem baptiſmatis , ut illud adminiſtraret populo Joannes ? & potiùs ordinavit ut ipſe conſuleret alia via bono peccatorum ? Quia fructus pœnitentibus proveniens de remedio , quod Baptiſta præſtitit illorum vulneribus , optimè tribui poterat Joanni ; gloriaque perficiendi ſanitates iſtas condecorabat Præcurſorem. Atverò , ſi baptiſmi ſacramentum citiùs inſtitueretur , & Joannes adminiſtraret ipſum, proventus ab eo manans , cum non tribui ſoleat baptizantibus , nec attribueretur Baptiſtæ. Fulbertus Epiſcopus : *Utrum verò homo baptizet , an Deus , ratio ipſa declarat : nam cum peccatore baptizante peccata donentur , dum nonnunquam criminoſo baptiſmi myſterium celebrante , crimina remittuntur , hic homo , qui videtur conferre quod non habet , utique tanti muneris non author , ſed miniſter intelligitur* : &c. Quapropter non diſpoſuit Altiſſimus, ut Joannes miniſtraret baptiſmi ſacramentum ; ne mirabilis effectus iſtius Deo ſoli tribueretur , & non Joanni : dimiſit gloriæ ſuæ partem Dominus , ut eam cederet Baptiſtæ : qui de ſalute peccatorum ſibi commiſſa , quam perfecit remediis , quæ ſacramenta non erant , glorificatur egregiè : tamquam negotium ſibi traditum exequens diligenter , uti *legatus fidelis.*

Fulbert. Epiſ. epiſt. 1. juxta med.

Paſchaſ. l. 2. in Matth.

DELIBATIO III.

Culpa docentium ad malum ; dirigentium in via ſalutis meritum.

MAjora præmiſimus ; ad mlnora deſcendamus. Hugo Cardinalis interpretatur verba priora textus noſtri ſic : Nuntius impii : *id eſt nuntius diaboli : ut hæreticus , malus conſiliarius , & quilibet mala ſuggerens* : &c. Hæreticos omitto , quorum tenebris offerre lucem aliud ſcriptionis genus eſt ; cui non vacat incumbere. De cæteris nonnihil agam , quos purpuratus appellat nuntios diaboli : meritò quidem ; nam dæmon cum quibuſdam hominibus gerit , ſeu potius fingit amicitias ; cum aliis aperto marte pugnat. Servos habet multos , quos ad perditionem aliorum deſtinat veluti nuntios : ad peccatores , inquam , offerens eis munera ſua ; ſcilicet voluptates illicitas , & alia , quibus trahit ad peccatum : juſtis verò per ſuos legatos exhibet oblationem ſubdolæ pacis. Ex hujuſmodi nuntiis unum genus eligo nimiùm execrabile : ſcilicet eorum , qui Servientes hoſti communi ducunt homines ad malum. Cæcitas iſtorum periculoſa nimis eſt. S. Joannes Chryſoſtomus : *Magnum quidem* , ait , *malum eſt , ſi quis cæcus eſt : quod ſi talis quiſpiam exiſtat , non ſolum doctorem aſpernetur , verumetiam ipſe ſi ducis locum retineat , multiplex culpa contrahitur. Si enim periculoſum cæco eſt ductore carere : multò periculoſius profectò erit , ſi aliis quoque loco ducis velit præeſſe.* Solitum eſt iſtis ductoribus , oculorum lumine privatis , docere malum ſub colore boni. Grande piaculum , & longè plùs multis pertimeſcendum ! Cadit homo ſolus in crimen, ac frequenter exurgit à lapſu

26. Hugo Card. in Prover. 13. 17. *Difficiliùs aſſurgit è ſcelere ducens ad alium flagitium.*

Chryſoſt to. 2. hom. 52. in Matth med.

ſu velociter. Qui verò ducit alterum ad ruinam , boni prætextum aſſumens , ut plurimùm difficilè ſurgit. Ratio hujus eſt, quia per ſpeciem laudabilem , quam prætendit is delicto ſuo, tegit ſemetipſum , ne turpitas peccati cernatur : abjicitur pudor; ideoque non reſurgit celeriter. Difficiliùs aſſurgit è ſcelere qui ducit alium ad flagitium.

27. Poſt interrogationem celebrem de traditione lotionis manuum à diſcipulis Domini minimè ſervatâ , quam Scribæ Phariſæique propoſuere Magiſtro ſummo ; Salvator eos redarguit , prout par erat. Accedentes diſcipuli dixerunt ad Præceptorem , Phariſæos fuiſſe ſcandalizatos ex audito. Tunc Redemptor poſt alia ſubdidit : *Sinite illos : cæci ſunt , & duces cæcorum. cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet , ambo in foveam cadunt.* Invenire cupiebam quænam ſit Phariſæorum ſimilitudo cum illo , qui decidit in foveam. Certè proverbialiter dicimus de homine , qui errat voluntariè:Cecidit in plano. Spontaneus erat error Phariſæorum : quare non æquiparantur in plano ruentibus ? & potiùs in foveam cadenti perhibentur aſſimilari? Puto , quia corruens in via plana non requirit multum operæ , quò ſurgat ; qui vero labitur in foſſam , & abſconditus remanet ibidem , & non tam velociter exurgit ad viam. Phariſæi ductores erant ad malum : ſic peccato ſuo velut in foveam prolabebantur : cumque delinquerent ſub apparentia boni (profitebantur enim , ſe virtutem diligere) contecti per illam non afficiebantur verecundiâ ; proindeque difficillima ſalus extabat eorum. Idcirco Dominus , quia nulla ſpes curationis ipſorum dabatur , ait : *Sinite illos*:ubi Theophylactus : *Quoniam autem deſperati ac incurabiles erant Phariſæi , dixit : Omitte illos.* Horrendus eſt valde caſus illorum , qui viſu deſtituti ſimiles ducunt ad exitia.

Matth.15.14.

Theophylact. com.in Matth. ib.

28. *Aliquando terribiliori ſupplicio feritur ducēs ad iniquitatem, quàm ductum ſequens impii ducis.*

Uſque nunc locuti fuimus de lapſu ductoris in delictum : incutientes formidinem de ſurrectionis difficultate. Nunc , & fortaſſe fructuoſiùs , loquemur de conſultoris mali ſupplicio : nam frequentiſſimum eſt ut homo caveat ex timore pœnæ quod non vitat ex metu ne ſurgat à crimine. Etiamſi delictum committat graviſſimum exequens conſilium veſanum ; conſultoris iniquitas aliquando talibus veſtitur circumſtantiis , ut hujus nequitia plùs irritet patientiam Dei , quàm executio peccati. Proficuus erit Abbas Serenus apud Caſſianum : *In quo tamen* , ait , *& illud nos præcipue debet inſtruere , ut à malis conſiliis declinemus : quod licet deceptionis author congruâ pœnâ & condemnatione plectatur , ne ille quidem qui ſeducitur ſupplicio careat , licet aliquantulo leviore , quam ille author deceptionis extiterit.* Non eſt cur interrogemus divinam æquitatem , quare , cum is , qui malum exequitur , influat in illud phyſicè ; ducens autem conducat mortaliter per ſuaſionem (vel alium influxum ſolummodo moralem , de quo tantùm ago) quæ non cogit voluntatem , ſed inclinat; nihilominus Deus quandoque ſeveriùs puniat inducentem , quàm executorem. Hoc unum ſcio , quòd non ſemel terribiliore flagello percutitur ducens ad iniquitatem , quam ducatum ſequens impii ducis.

Abb. Seren. apud Caſſiā. coll.8. c. 11.

Improbus valde provocavit Omnipotentis iram rex Achab. Ejus impietas nimis inſanivit in caſu vineæ Naboth. Cupiit eam poſſidere , vel commutatione , vel pretio Princeps iniquus. Reſtitit Naboth , ne ſic dimitteret hereditatem patrum ſuorum Doluit Achab repulſam : & cum doloris cauſam accepiſſet regina Jezabel à viro ſuo , decrevit arte privare vineâ Naboth. Hic per falſos teſtes damnatus petiit. Poſt cujus obitum Jezabel *locuta eſt ad Achab : Surge , & poſſide vineam Naboth* &c. Injungitur cœlitus Eliæ , ut Achabo deſcendenti ad poſſidendam vineam præfatam occurreret annuntians horribile ſupplicium. Peculiariter movent quemque lectorem verba Domini quæ ſubjiciuntur in ſacro Textu : *Si mortuus fuerit Achab in civitate , comedent eum canes : ſi autem mortuus fuerit in agro , comedent eum volucres* &c. Tranſi ad ſequens caput hiſtoriæ regalis : & palam aperietur , Achabum ex vulnere ſagittæ mortuum , ſepultum in Samaria fuiſſe. *Mortuus eſt autem rex , & perlatus eſt in Samariam , ſepelieruntque regem in Samaria* , &c. Locus eſt ſatis impeditus. Expedit illum , Sanctius , dicens : *Deus mitius , quàm ante in Regem animatus remiſit de acerbitate minarum plurimum* ; &c. Si pœnitentia regis Achab certò fuiſſet vera , nihil hoc loco quærerem : ſed apud eumdem Sanctium reperies imperfectam , & indignam veniâ extitiſſe illam ſecundùm Liram & alios. Quo poſito tranſeamus ad Jeſabelem : de qua Dominus comminatus fuerat ita : *Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.* Præcipitata fuit impia mulier de feneſtra : poſtea legitur : *Cumque iſſent , ut ſepelirent eam , non invenerunt niſi calvariam , & pedes , & ſummas manus.* En impletus eſt in Jeſabele ſermo Domini ; cum circa regem Achab, qui divinitus privatus fuerat ſepulturâ , moderatum ſciamus divinæ juſtitiæ rigorem ; utpote qui verè ſepultus eſt. Cur acerbiùs contra Jezabelem deſcendit ira Dei ? Reſpondeat Chryſoſtomus. *Jezabel*, inquit , *majores pœnas dedit , quàm Achab vineæ raptor. Ipſa quippe univerſum iſtud negotium texuerat , regique lapſûs occaſionem dederat. Igitur & tu quoque ſi reliquis perditionis cauſa fueris , graviora patieris , quàm qui per te ſubverſi ſunt.* Poſſeſſionem ceperat injuſtam Achab alienæ vineæ : *Occidiſti , inſuper & poſſediſti.* Duxit illum Jezabel ad malum : eapropter acriùs contra ductricem vibravit gladium indignatio juſtiſſima Dei. Perpende quantum ſit abominabile ſcelus ejus , qui ductum præbet ad crimen.

29. 3. Reg.21.19. Ib. n. 24. Ib.c. 22. 37. Sanct. in 3. Reg 21.23 n. 29. Idem n. 35. 3 Reg.21.23. 4 Reg.9.35. Chryſoſt to. 4.hom.25.in Epiſt ad Rō. ſub tit. morale. 3.Reg.21.19.

30. *Quandoque ducente deſtituitur ad reſipiſcentiā, ductor alterius ad ruinam.*

Utque faciliùs perſpicias quantùm Dominus irritetur ab illis , qui ſemetipſos præſtant alieni delicti duces ; nunc ſubjiciam quoddam genus miſerabile pœnæ , cui ſubeſt aliquando qui viam præparat alterius peccato. Suppono tamquam certum ,

tum, non extare mulctam levem noxæ ſubtrahi peccatori prædicationem veritatis; mediante qua valeret à piaculo ſuo reſurgere. Lege Magnum Gregorium. *Subtili ergo*, ait, *occultoque judicio à quorumdam auribus prædicatio ſancta ſubtrahitur: quia ſuſcitari per gratiam non merentur.* Inferni tenebras quodammodo jam videtur experiri qui ſic luce deſtituitur in ultionem commiſſi, quod monente careat, cujus verbis potuit ad pœnitendum commoveri. Sed quia tartari caliginem, cæteraque damnatorum tormenta non adæquata cogitatione trutinare ſcimus; ad ea mala quæ percipimus oculis, modò nobis deſcendendum eſt; ut explicetur clariùs quanta ſit vindicta, quæ de reo ſumitur per defectum prædicantis futura flagella. Ceu tempore ſiccitatis omnes agnoſcunt digitum Dei punientis homines ita, quòd per hiantis terræ foramina videantur jam erebi portæ velut aperiri, quò malos glutiant viventes: haud aliter, cum hortator deeſt ad flagitiorum pœnitudinem, anima ſiccitatem patitur exitialem. *Sicut enim ex carentia pluviæ deſiccatur terra & fructum non profert: ita deficiente prædicatione homines fructum bonorum operum non producunt.* Hæc Humbertus. Hæc ſterilitas non in pœnam contingit cuique vulgari peccato. Collige quàm immane delictum exiſtat manuductio provocantis ad ſcelerata geſta; cum æquum ſit carere monitore, qui verbis occaſionem reſipiendi pius offerat, eum, cujus hortatu peccavit alter. Ducente deſtituatur ad bonum protervus ductor ad malum.

S. Gregor. Mag. to. 1. hom. 4. in Evangel. poſt princ.

Fr. Hūbert. l. 1. de erud. prædic p. 5. c. 23.

31. Ad hiſtoriam Naboth revertere juvat. Graviſſimè peccaverant in caſu narrato proximè Rex atque Regina. Sed notavi quòd per Eliam Jezabeli nihil dictum eſt à Vate pro correptione criminoſæ fœminæ; legimus autem Dei ſermonem ad Prophetam: *Surge & deſcende in occurſum Achab regis Iſraël, qui eſt in Samaria: ecce ad vineam Naboth deſcendit, ut poſſideat eam: & loquêris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidiſti, inſuper & poſſediſti. Et poſt hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* Infra legimus locutum eſſe Dominum de Jezabele: *canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.* Non tamen ſcribitur, fuiſſe juſſum Eliæ denuntiare malum iſtud venturum Reginæ; vel Prophetam arbitrio motum proprio hæc in faciem Jezabeli protuliſſe. Quid plùs meruit Achab, ut eum Elias de futura vindicta certificaret? Sciebat Omniſcius, Prophetæ verba profutura coram Achab, ut qualitercumque pœniteret: cumque ipſe deliquerit alieno ductu, ſcilicet uxoris nequam, non eum Deus privavit beneficio prædicantis pœnam venturam. Proderit audire Gloſſam ex Theodoreto. *Bonitatis*, ait, *abyſſus Dominus Deus, propter eadem quidem minatus eſt exitium, propter lamentationem autem largitus eſt dilationem ſupplicii. Habens enim experientiam divinarum prædictionum, intentatas timuit minas*, &c. Amplius iraſcens Dominus contra Jezabelem privavit eam auditu prædicentis Eliæ coram ipſa vindictam Dei. Sic nec ad imperfectam pœnitentiam pervenit. Horreſcat quiſquis hæc legit concitare proximos ad peccandum; ne tamquam diabolus deferatur à Domino qui ſic peccans more diabolico perhibetur *nuntius impii*, hoc eſt diaboli: nam vereor, quòd nunquam reſurrecturus *cadet in malum*, id eſt, in gehennam. Hac de prima parte præſentis proverbii.

3 Reg. 21. 18. 19.

Ib. n. 23.

Ex Theodoreto. Gloſſ. Ord. 3. n. 21.

32. *Iuſtus prædicator non faſtidit peccatorem.* Ad ſecundam procedo. *Legatus autem fidelis ſanitas.* Effectum accipientes pro causâ, medentem appellare valemus ægri ſalutem. Non deſpiciet juſtus ita nominari cùm doctrinam ſalutarem applicat ſcelerato: quaſi medelam: nam prædicator verè medicus eſt. Adeſt Auguſtinus. *Quantumlibet*, inquit, *ergo exiſtant excellentes verbi prædicatores & veritatis, etiam per miracula ſua fortes tamquam magni medici agant cum hominibus*, &c. Spirituales medici non parum ſimilantur eis, qui ſalutem corporis curant: Qui medicinam præſcribunt ægritudini corporali, minime deſerunt etiam infirmum ſpe vitæ carentem: non obtemperant ægroti voluptati nociva: faſtidientem juvant, ſervatis prudentiæ regulis. Ita concionator nec hominem deſperatæ ſalutis derelinquit: malorum appetitui non ſervit: faſtidium ejus alleviat, quin muneri ſuo deficiat. Unde bellè dixit Magnus Gregorius: *Quid eſt autem peccator niſi vulneratus? & quid prædicator niſi medicus?* Verum quidem eſt, juſtum odiſſe malos quatenus malos odio perfecto; ſed hoc non eſt hominem abominari; ſed illius execrabilem qualitatem. S. Auguſtinus: *Neque vitiis oppreſſos, ſed ipſa vitia, neque peccatores, ſed ipſa peccata oderimus.* Unde cum deteſtatione peccati ſtat verus amor erga peccatorem. Ex quo fit ut inſtruens veritate ſalutiferâ peccantes, non eos faſtidiat, non inſultet irâ damnabili, ſi juſtus eſt. Superbiæ verteretur optimo jure, ſi qui munus exercet inſtruendi populos, execraretur auditorum turpem vitam, ſignificans ejus nauſeam: non prudenter: quoniam videretur dicere peccanti: Recede à me, quia mundus ego ſum. Non ergo probus verbi Dei miniſter affectus tædio dedignatur vicinitatem luti, quo ſceleſtus involvitur.

S. Aug. to 8. expoſ. Pſal. 87.

S. Gregor. Pap. to. 1. hō. 10. ſuper Ezechie. āte med.

S. Aug. to 1. l. de quantit. ani c. 34. ante fi.

33. Sub cortice libertatis è captivitate Babylonica, denuntiat ereptionem à jugo peccati atque dæmonis vates Evangelio peculiariter præmiſſus Iſaïas. Proſpiciens feliciſſima tempora novi teſtamenti, ſic proloquitur: *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis* &c! Ad quem locum S. Ambroſius alludens ait: *Digni enim honore evangelizantium pacem pedes ſunt, qui ſpirituales ac nitidi doctrina ſuper hominum corda gradiuntur.* Curioſus inquires, cur non potiùs hic Prophetæ laudat oculorum pulchritudinem, quàm pedum? Sanè lumina ſpecioſitatis pars non exigua ſunt: & oculi nomen improportionatum non eſt recta docenti. S. Gregorius Nyſſenus: *Quiſquis res agendas præſcribit,*

Iſaï. 52. 7.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 32. Domin. 1. Quadrag.

S. Gregor.

Nyſſen. or. 7. in Cant. longe poſt med.

præſcribit, & ea docet, quæ expediunt, & dux eſt itineris ad Deum: is puri ac ſani oculi munere præclarè fungitur, dum inſtar corporeorum oculorum ſublimi quadam vivendi ratione cæteris prælucet. Igitur quare juxta phraſim Iſaiæ plantæ prædicatorum, de quibus loquitur, laudantur de pulchritudine; non autem ſic ibi de ſpecioſitate verba facit? Dicam. Lumina corporea dedignantur ſæpe fœda conſpicere: delicata ſunt adeo, quòd vicinitatem, verbî gratiâ, fumi, quaſi venenum eſſet, non patiantur. At pedes non ita: nequaquam eos tædet luti, nec petris implexam oderunt viam. Similiter juſtus officium prædicationis verbî Dei pulchrè perſolvit, cum per lutoſa ſceleratorum corda gradiens, non ſe faſtidioſus avertit, formidans inquinari. Medicus eſt: non abhorret morbidum, quantumlibet ulceratum: accedit prope, detegit ulcera, medicamentis fovet, ad ſanandum attendens; non ad voluptatem propriam converſus.

34. *Aliquando plus negotiabitur ſibi prædicator, cujus doctrina ſalubris non recipitur.*

Reponet ad iſta nonnullus faſtidiens auditores diſcolos. Ut quid fruſtra margaritas porcis jam projiciam? Nullum doctrinæ fructum capio. Quis agricola ruſus lapidoſo committit agro ſemina, poſt multiplicem experientiam ſterilitatis? Reſpondeo. Demus, nullam ſpem futuri ſpiritualis proventûs extare de peroptima doctrina prædicatoris. Adhuc non ſibi parum fructificat, quantumvis aret infœcundum valde ſolum. Non tantùm auditoribus utilis eſt annuntiatio veritatis: etiam prædicanti fructuoſa noſcitur. Humbertus. *Circa meritum prædicatoris notandum, quod ultra meritum prædicatoris bonorum operum, multum accreſcit prædicatori ad meritum ex prædicationis opere: dummodò illud laudabiliter faciat* &c. Salutaria tum piè, tum prudenter evangelizans, aliquando majorem lucratur utilitatem ſibi cùm reſiſtunt audientes; quàm ſi complecterentur audita. Fortè cum auditor claudit aures, manum Dominus aperit ut docentem habitum contemptui remuneret. Illis renitentibus, de quorum ſalute per hortamenta concionantis agebatur, charitatis officio ſuperaccedit patientia de non meritâ deſpectione. Cumque ſuos non oblitus miniſtros Deus in eis nihil relinquat irremuneratum; forſan plus negotiabitur ille, cujus doctrina ſalubris minimè recipitur; quàm ſi pronis auribus & præcordiis exciperetur.

Fr. Humbert. l. 1. de erud. prædic. c. 10.

35. Matth. 10. 12. 13.

Suos alumnos Dominus præparabat exercituum ad pugnas contra ſpiritûs hoſtes in Evangelio prædicando ſuſcipiendas. Poteſtate contra dæmones atque morbos roboravit: hortatus pauperiem fecit expeditos; atque monens affabilitatem, dixit ad eos: *Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* Vidiſtine quàm diverſimode loquatur de domo non digna, quàm de digna fuerat elocutus? De priori dixit, pacem, qua domus digna non erat, reverſuram ad ſuos diſcipulos; de poſteriori non ait pacem, qua domus exiſteret digna, participandam ab eis? quænam ratio diſpar in hac locutione non æquali? Suppono duo: primum, per pacem intelligi poſſe bona omnia, quæ præcaturi domui fuerant Apoſtoli. Maldonatus ad hunc locum: *Vtrumque verò*, ait, *ſimile eſt voluiſſe Chriſtum facere, & ut quocumque venirent, pacem ſe, non bellum, afferre ſignificarent, & ut iis, ad quos diverterentur, bona omnia precarentur, ut ex verſiculo 13. colligitur*: Pax veſtra revertetur ad vos. &c. Secundum ſupponendum eſt, quamvis præcitatis verbis non exprimatur, domum illam non dignam eam eſſe, in qua fruſtra laborarent diſcipuli Chriſti Redemptoris, tamen hoc fortè ſubintelligendum: prout colligi videtur ex Angelico Doctore: qui ad illa verba: *Pax veſtra revertetur ad vos*, inquit: *Et hoc eſt quod aliquis aliquando orat & laborat pro ſalute alterius: & tamen effectum non conſequitur: & tamen quod facit non amittit, ſed in ipſum redit.* His poſitis, quærendum: An cùm domus pace digna foret, ac Apoſtoli ſpiritualem auditorum fructum ex ea referrent, illi reportaturi non fuerant utilitatem in laboris præmium? Abſit. Igitur quare non dictum eſt, ipſos potituros pace (hoc eſt bonis quæ precarentur aliis) etſi domus eſſet utique digna? Quia forſan minùs remunerarentur cùm auditores corde reciperent & ipſos prædicantes, & illorum doctrinam. At expreſſit divinus Magiſter, accipiendam remunerationem de laborando in vacuum circa domum non dignam: quia major fortaſſis erat extitura merces tunc eorum. Fruere D. Anſelmo ad hunc locum. *Si nullus*, ait, *fuerit qui audiat, tamen ipſe prædicator ſine fructu non erit, quia ad eum pax revertetur, dum ei à Domino pro labore merces operis ſui recompenſabitur.*

Maldon. ib.

S. Thom. in com. ibi.

S. Anſel. com. in Matth. c. 10. ib.

DELIBATIO IV.

Regis peccatum imitatur ſubditus. Dolor inflati regio favore, ſi minuitur iſte. Fidelitas exponentis vitam pro bono communi. Legatus regius quid habebit præ oculis?

Nuntius impii. Lectio Hebraïca, verſioneſque Theodor. & Aquilæ habent: *Nuntius impius*: quas litteras acuratè volvens hîc Salazar putat cohærere Vulgatæ quoad ſenſum, ait enim: *Eodem ſenſu: nam nuntium ab impio miſſum impium eſſe neceſſe eſt.* O quàm frequens hoc reperitur in legatis principum? nempe, malum à rege nequam ad negotia legationum diſtinari. Nec difficulter inveniet iniquus moderator impium, quem eligat, ut ei nuntii munus committat: nam ſub vitioſo gubernatore ſubditi veſtigiis ejus inſiſtunt; & ſicut regis ad exemplum totus componitur orbis; ita regis ad exitium totus diſſolvitur ille. *Frequens enim eſt*, ait Seresberienſis, *ut ſubditi ſuperiorum vitia imi-*

36. Hebraïc. lect. Aquila & Theodot.

Salaz. in Prov. 13. 17. *Regis exemplum malum ſubditus imitabitur, etiam cum damno proprio.*

Seresber. l. 4. de nug. c. 4.

ad 6. *tentur, quia magiſtratui populus ſtudet eſſe conformis, & unuſquiſque libenter appetit, in quo alium cernit illuſtrem.* Cum ecclypſim patitur ſol, tenebreſcunt omnia : cùm ſcelere denigreſcit monarcha, non verentur inferiores maculari; quin potius amant & ferè decus putant ſui principis defectui conformari. Et cum hoc verificetur in plebe, quæ minùs adulationis leges callet; quid erit in miniſtris regum, qui tam ſolerter aſſentationi ſtudent? Unus greſſum vituperabilem regnantis imitabitur, ductus eâ carnis prudentia, quæ docet, congruum ſubdito non eſſe, quòd publicè judicetur moribus rege ſuo melior atque laudabilior; ne ſic gratiam deperdat ejus, & ſubſit invidiæ præpotentis. Alter eâdem ſemitâ ſiniſtrâ, qua præceps it fulgens majeſtate, voluntariè præcipitatur, ut amorem conciliet illum, qui naſcitur de ſimilitudine geſtorum. Ex his vel aliis radicibus oritur malum tantum. Si peccat, ſceptra tenens, inferior comitabitur illum etiam cum damno proprio. Utplurimùm qui profitentur diligere ſoliis evectos, amantes potius dicendi ſuimetipſorum ſunt, quàm regum. Neſcio tamen quod lenocinium experiuntur ab exemplo malo principis, quòd ſuum detrimentum etiamſi maximum, non recuſant, ut imitantes regem delinquentem, illi ſimul corruant.

37. Cum jamjam imminebat Saülis à Domino repulſi poſtremum ſupplicium, inito prælio fugerunt Iſraëlitæ, cum Philiſtæis; ac totum pugnæ pondus, poſt multam Hebræorum cædem verſum eſt ad Saülem. Hic vulneratus vehementer à ſagittariis, dixit ad armigerum ſuum ut percuteret ipſum evaginato gladio. Noluit ille: tunc Saül occidit ſemetipſum,
1. Reg. 31. 4. 5. & armiger ſe pariter vitâ privavit. *Arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger ejus, videlicet quod mortuus eſſet Saül, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* Nota, ſecundùm Hebræos hunc armigerum fuiſſe Doëg non parum inclytum inter eos, qui ſerviebant Saüli : de quo dicitur
Ib. c. 21. 7. alibi : *Doëg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saül.* Ad ſupra datum locum ait ex
Ex Hieron. Gloſſ. Ord. ad 1. Reg. 31. D. Hieronymo Gloſſa : *Doëg ſecundùm Hebræos : qui videns Saülem mortuum, metuens David, ſe interfecit.* Gradum faciamus ad mortem Abſalom. Perfidus parricida certamine victus, quod adverſus patrem fuerat aggreſſus, fugam capiens, religatus de crine pendebat in arbore, dimiſſus à bruto, cui filius ingratiſſimus invidebat. Ad illum contra Davidis monitum tres miſit Joabus lanceas, nec perdidit unum de tribus ictum : ac tandem per juvenes armigeros Joab eſt interfectus. Non tamen legimus, aliquem ex iis, qui ſequebantur partes Abſalomi, ſemet occidiſſe, vel ex illius amore, vel præ metu Davidis, auditâ morte maleſani rebellis. Nonne tot animos ad ſe traxerat ille, quod nuntius venerit, dicens Davidi :
2. Reg. 15. 13. *Toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalom?* ex tanta multitudine nullus extitit, qui vel amans genitum, vel genitorem formidans, præceps mortem appeteret, obitum ſciens Abſalomi? Doëg autem Saülis armiger enecavit ſeipſum, quia vidit regem ſponte ſuper gladium ſuum ruiſſe. Multum diſtat utraque mors. Saülis nec peccatum extitit, cum interfecerit ſemetipſum; non ita ſe habuit interitus Abſalom (hoc eſt non ipſe moriendo peccavit) cum occiſus eſt. Potentiſſimus erat, ſicut prædixi Doëg. Si rex delinquit, potentes etiam cum proprio damno præcipites eodem corruunt itinere. O nequiſſimum exempli regalis veneficium!

38. *Subditus etiam neſciens peccatum regis, ejus voluntati ſerviens imitatur illud?*

Veneficium dixi regnantis exemplar injuſtum : nam licet contingat, regem operari nequiter, & hoc ſubditus neſciat; imò reputet, principem juſtè prorſus agere quod verè perperam decrevit; nihilominus adhuc neſcio quo tacito modo peccatum regium ſuis afficiatur, quòd ſequentes ipſius factum, putatum non malum, ſubditi peccent aliâ viâ. Omitto facilitatem, qua ſibi perſuadent homines, flagitium non eſſe quidquid patrat Imperator. Quid hoc mirum, ſi necnon manifeſta nequitia regnantis habetur quaſi lex aliorum? Non it longe quicumque dixit : *Sicut enim boni principis vita probitatis quædam præſcriptio, & per univerſos vivendi forma eſt : ita Imperatoris colluvio, lex flagitiorum eſt.* Incert. ſub nomine Egeſipi. l. 2. de excid. Jeroſol. Nequaquam igitur morabor in admirando, ſæpe malefacta regum putari juſta per occultam rationem ſpectatoribus aliquam; ſed tantùm admiratione proſequar inſinuatum proximè ſupra : nempe, caſu poſito quòd princeps delinquat, & ſubditus exiſtimet, ipſum non peccare, ſed juſtiſſimè agere; tamen regalem ſectatus deliberationem eo tandem pacto vadere poſt illam, ut non ſine delicto maneat obſequens illius voluntati. Ecce contagium arcanum, quo regis crimen occaſionem præbet committendi ſcelus. Judicans falsò, principem ſuum in quodam facto rectè procedere, non ipsâ viâ ſequitur eumdem, qua cenſet ipſum operari ſecundùm leges : potiùs arbitrio moderatoris obſecundat ita, ut crimen altera ratione perpetret, quod ignorat patraviſſe regem ſuum.

39. Tenebras David reperivit poſt meridiem in ſolario regiæ domûs : peccatum, inquam, libidinis incurrit deambulans ibi, per conſpectum pulchritudinis fœminæ, cujus torum conjugale maculavit adulterio, ductâ per nuntios alienâ muliere ad palatium. Scelus adjunxit poſtea ſceleri. Curavit, Uriam ad Regiam venire : fatagens ne iret ad propriam domum, & ita partus adulterinus haud putaretur; ſed ex viro ſuo conjugem concepiſſe : quod non obtinuit ab Uria. Litteris traditis remiſit eum ad Joab, *ſcribens in epiſtola :* 2. Reg. 11. 15. *Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium : & derelinquite eum, ut percuſſus intereat.* Mandatum regium executioni dedit Joab, & cecidit Urias. Joabus, inquam, prorſus neſciebat, Davidem in hoc facto committere homicidium. Liranus : *Credebat enim*, ait, *quod regem offendiſſet,* Lira ib. ad n.

16. *fendiſſet, faciens aliquid unde dignus eſſet morte, & quod David hunc modum moriendi decreviſſet ad celandum culpam Uriæ.* Quid tunc Joab, ut epiſtolæ regiæ juſſum executioni mandaret? Hiſtoriam lege. *Igitur cum Joab obſideret urbem, poſuit Uriam in loco ubi ſciebat viros eſſe fortiſſimos.... & ceciderunt de populo ſervorum David, & mortuus eſt etiam Urias Hethæus.* Certè proditoriè ſe habuit cum Uria Joab: nam, quaſi multum fidens ejus robori, videbatur eum elegiſſe, ut ibi præliaretur, ubi magnam ſciebat hoſtium futuram eſſe reſiſtentiam; ſed verè collocavit eum illic, ut interiret. Unde quantumvis crediderit Joab, Uriam dignum eſſe morte propter aliquod occultum crimen, non deerit qui damnet eumdem quod inſidioſè cum illo egerit. Si judicaret, Uriam promereri necem ob ignotam ſibi culpam; quare non per tortorem ipſum fecit plecti capite ſecretè; reſcribens Davidi, non illum expoſuiſſe gladiis hoſtium, ne per variam belli ſortem evaderet pœnam, cujus reus erat? Dicam. Inſidioſus fuerat Uriæ rex David: ne mireris, Joabum ſequentem veſtigia ſui Principis, innocentem per inſidias vitâ privaſſe. Suaſit ille quidem ſibi, Davidem prædictam occiſionem juſtè præcipere: ſed, hoc non obſtante, regem aliqualiter imitatus eſt in peccando delictum Davidis ignorans. Multam vendicat ſibi quaſi vim apud ſubditos exemplum ſuperioris iniquum: necnon ignoratum quaſi trahit eos ad ſequelam ſui. Proinde non eſt admirandum, quòd regis *nuntius impii* ſit *nuntius impius.*

Eod. c. n. 16. & 17.

40. *Inflatus regio favore, nimis dolet, iſtum aliqualiter minui.*

Cadet in malum. Plurima novimus mala, quibus impii principis miniſtri ſceleratis ſubſunt. Odio populari (quod non leviter dirum eſt) illos exponit ſuamet nequitia: magnatum livor ſub facie zeli certat cum ipſis perpetuò: quidquid Reipublicæ damni contingat, iis tribuitur; etſi fortè nequaquam ei detrimento cauſam præbuerint. Hæc atque ſimilia malus miniſter patitur, atque ſuperbè contemnit. Unum eſt, quod ipſis, qui regii ſunt adminiſtri, metum incutit: ſcilicet quod aliquando tandem (& frequenter ocyus) cadunt à regis gratia, ſupra quam tota machina dynaſtæ potentis fulcitur. Et o quam facilis eſt ruina tam præcelſæ turris! Accommodè Bleſenſis: *Homo*, inquit, *ſiquidem gratiæ captator humanæ, juxta verbum Job, ponitur ſuper ventum, & ſic vir vanus erigitur in ſuperbiam: ſed omnia merita ejus modico flatu favorabilis* (forte legendum: *Non favorabilis*) *auræ in nihilum diſperguntur. Ipſe etiam tamquam aſcenſor ſuperbiæ, devolvitur in Præcipitium, & ruinam.* Ferè nihil eſt, quod ita doleat elatus regnantis favore nimio, ſicut ab iſto decidere, volvente rotam fortuuâ retro. Mortem ipſam ob oculos videns non tanto dolore cruciabitur ille: ſi verò, quamvis non omnino projiciatur ab apice felicitatis, qua fulget, ad infimum locum & miſerrimum: licet, inquam, ſolum aliquantum diminuatur æſtimatio regia, qua fruitur; de hoc infelicitatis exordio plus anxiabitur, quàm ſi proximum neci videat ſe.

Petr. Bleſ. ſer. 50. de un. confeſſ. poſt med.

Inſomnem ducens rex Aſſuerus noctem, juſſit afferri priorum temporum annales. Lectum eſt ibi, Mardochæum detexiſſe fideliter inſidias paratas regiæ majeſtati: requiſivit quidnam honoris ac præmii conſecutus fuiſſet pro hac fide Mardochæus. Reſponſum eſt quod nihil. Tunc ingredi juſſit Aman ad ſe. Quæſivit ab iſto, quid fieri deberet viro, quem rex honorare cupiebat. Ille, quem ſors evexerat in ſumma, ſic ut omnes principes, quos habebat Aſſuerus præcelleret: ambitione ductus, putans rem agi ſuam, reſpondit, hominem illum veſtitum cultu regio, diademate coronatum, impoſitumque ſuper equum de ſella regis deferri debere per plateam civitatis, tenente illius equum primo de regiis principibus ac tyrannis, proclamante palam illius honorem. Tunc injunxit Aſſuerus ei præſtare Mardochæo quidquid ipſe dixerat exhibendum. Coactus præcepto regali detulit honorem ſatis invitus Mardochæo. Nota quod ſubditur: *Aman feſtinavit ire in domum ſuam, lugens & operto capite.* Tandem regina Eſther queſta fuit ad ſponſum de crudelitate Aman, qui Judæotum necem fuerat molitus. Accidit, ut cum Amanus vellet reginam rogare pro vitæ ſuæ periculo, corruerit ſuper lectulum ejuſdem, quod regi diſplicuit valde dixit Aſſuerus: *Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea.* Quid tunc? *Necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem ejus.* Cardinalis Hugo ibi: *Hinc fortè inolevit conſuetudo, ut facies damnatorum operiantur, cum deducantur ad patibulum.* Non erat cur Aman dubitaret, ſe morti proximum tunc temporis: haud attamen legimus luxiſſe. Vicinæ mortis anxietas non illum coegit ad luctum? & cum juſſus eſt à rege quaſi præconis officium agere publicè, tunc ivit in domum lugens? an hoc illi morte durius? Apud mentem adeo ſuperbam ſic judicatum fuiſſe nonnullus intelliget. Sed quid ei magnî contigit infortunii cum lugebat? eone tempore cecidit à vertice poteſtatis ad plebeiam conditionem? Nequaquam: fuit attamen initium cadendi præſtare quod juſſus eſt in honorem efficere Mardochæi. Preme verba ſapientum, quos Aman habebat in conſilio: *Si de ſemine Judæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti*, &c. Et jam luget in ſui caſus de fortunâ principiis ille, qui jam ſatis approximatus violentæ morti luxiſſe non legitur? Utique: nam ſic acerbum eſt per gratiam regis tumenti, delabi quadamtenus ab illa, quòd ex eo nimiùm torquetur. Acerbitatem iſtam, ridente ſorte, mittit in oblivionis tergum regis miniſter impius: nec ſaltem, cogitat, quòd etiamſi fortuna ſoleret ſiſtere gradum, adminus ob damnabilia facta miſer *cadet in malum.*

41. Eſth. 6. 12.

Ib. c. 7. 8. Card. Hugo ib.

Eſth. 6. 13.

42. *Fidelitas erga regem peculiariter viſitur in exponenda vi-*

Legatus autem fidelis. Duplicem fidelitatem expendete valemus in principis miniſtro: quædam ſiſtit in dilectione regis; altera cernitur in ſollicitudine, qua gerit negotia

za pro bono communi.

negotia Reipublicæ. Hanc ſecundam pœnitet me non priori loco poſuiſſe : nam commune bonum præponendum eſt affectui circa principem. Noverat hoc Rex ille, de quo narrat S. Iſidorus Peluſiota, dixiſſe verba ; pro quibus aureum calamum deſiderarem, ſi non ſatis, & ſuper auri loco foret ſcripta fuiſſe per Doctorem tantum. *Si quid contra leges ordinando præſcripſero, nolite ut ignoranti obedire.* O utinam reges cuncti diſcerent ab iſto jura legum inviolata ſervare, bono ſuorum ſedulò proſpicere : crederentque contra facientes ita dehoneſtari, quòd minùs indecorum foret, ipſos exiſtimari neſcientes legalia præſcripta, quàm reluctantes publico juri. Si principes ita ſe gererent, minùs difficilè reperirent præfectos, qui dicerent, ſicut ille Senator clariſſimus Caſſiodorus olim ſcribebat : *Procul enim ſit, ut aliquo illius civitatis eſuriente ſatiemur. Illorum (quod abſit) indigentia, noſtra penuria eſt. Quid plura ? læti eſſe non poſſumus, niſi & illos gaudentes communiter audiamus.* Solent homines de fidelitate circa perſonam regiam gloriari ſcrupulosè : quiſquam horum totus incumbit ut oſtendat affectum erga monarcham ſuum ; quaſi nihil reſtet ut fidus perfectè dicatur, ſemel quòd illum eximiè diligit. Peculiaris fidelitas exercetur principaliùs in curando bono communi cum damno proprio, ſubeundiſque laboribus pro Reipublicæ lucro. Qui vitam, ſi congruit, exponit pro regni commodis, hic vocetur peculiariſſimè fidelis.

S. Iſidor Peluſ. l. 5. ep. 383.

Caſſiod. l 11. var. ep. 5.

43. Joannes in Apocalypſis exordio verbis hujuſmodi nominat Redemptorem : *A Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis*, &c. Qua ratione Servatori noſtro poteſt appropriari nomen teſtis fidelis ; cum Spiritus ſanctus teſtis necnon ſit, juxta diſcipulum dilectum eumdem, dicentem : *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus* : &c. Nonne fideliſſimum eſt in teſtificando Flamen divinum ? cur igitur in Apocalypſi præcitato loco ſolus Filius appellatur teſtis fidelis ? Dubium ſolvat Ansbertus ad ea verba. *Solus*, ait, *hoc loco Filius teſtis vocatur fidelis, cum & Pater & Spiritus ſanctus ſimul teſtimonium fidele perhibeant de ipſis*, &c. & infra : *Poteſt etiam hoc loco, in homine aſſumpto filius ſpecialiter dici teſtis fidelis : ideo ſcilicet quia pro teſtimonio veritatis, uſque ad mortem pervenit carnis.* Spiritus itaque ſanctus, cum ſit purè Deus, nec laborum capax eſt, nec interitus : pro ſalute univerſalis Reipublicæ totius mundi, neque laboravit, nec expoſuit morti vitam. Aliter ſe geſſit Filius æterni Patris : qui noſtram aſſumpſit carnem, & pro bono communi regni prædicti plurima pertulit, ac tandem vitam obtulit. ſi Dilectionem ſolam attendamus, non magis diligit Patrem ſummum Filius, quàm Spiritus ſanctus : at potiſſima fidelitas in illis, qui de bono publico ſollicitè curant non æſtimatur ex amore ſolo. Si verò reſpiciamus ad curam exhibitam circa mortales ; in hoc diſtat utraque perſona, quod non tertia, ſed ſecunda paſſa fuit plurima detrimenta, vitamque litavit pro ſanitate publica. Meritò proinde peculiari ratione dicitur Unigenitus Patris, fidelis. Liceat maxima componere parvis. Apud reges ſingulariter dicatur ille miniſter fidelis, non qui ſolum de fidiſſima regis dilectione gloriatur ; ſed qui pro communitatis acquirenda ſalute nihil pati recuſat.

Apoc. 1. 5.

1. Joann 5. 7.

Ansbert. l. 1. in Apoc. ib.

Sanitas. Aliquis exiſtimaret, propriùs dicendum fore medicum, quàm ſanitatem illum, qui legati munus fideliter exercet obtemperans regi ſuo prudenter, & quæ ſibi ſunt commiſſa perficiens egregiè. Nam iſte ſolet ad fines intentos applicare media, velut medicamina : venturis damnis obviare cautè, quaſi preſervativa præbens medicamenta. Quare non inſignitur hoc loco medici nomine ? Satis opportunè potius hîc legitur, *Sanitas*, quàm *Medicus* : hujus enim eſt præ oculis habere ſtipendium, quod ex curatione reportat. Sanitati quid commodi præſtat quod ſaneris. Hoc debet eſſe tum regibus, tum & magiſtratibus jugiter memorandum : ſcilicet non quærere quæ ſua ſunt ; ſed quæ communia cunctis. Theodadus rex apud Caſſiodorum aiebat : *Privata ſiquidem ſtudia à noſtro animo probantur excluſa : quia generalis dominus cuſtos factus ſum, Deo auxiliante, cunctorum.* Doctrina ſimilis illi, quam in ſubjecta materia principes oblivíſci non debent, opportuna magiſtratibus eſt : ſcilicet ut proprias commoditates deponant, quaſi tunc deſierint eſſe quod erant, cum ex privatis facti ſunt perſonæ publicæ. Campanus Epiſcopus : *Denique tibi perſuadeas, oportere eum, qui magiſtratum ineat, exuere ſtatim ſeipſum, & omne ſuum ſtudium & cupiditatem cum veſte deponere, induereque publicam perſonam univerſæ civitatis, omnia & privata & publica ſui juris arbitrari, exiſtimare quicquid Reſpublica, vel ſingulus quiſque detrimenti patiatur, ad ſuam ignominiam dedecuſque redundare.* Hinc ad legatos principum documenta ſumamus, concludentes quòd etiamſi commoditas ipſis ventura licita ſit, ac regalis nuntii meritis non impar : attamen dum legationem aggreditur, congruum non eſt ut ad utilitatem prædictam legatus attendat : cum ad munus hoc dimittitur, curam de muneribus à rege ſuo recipiendis dimittat ipſe.

44. *Regius legatus præ oculis non habeat utilitatem, quam à principe ſuo recepturus eſt.*

Theodad. rex apud Caſſiod. l. 10. var. c. 5.

Campan. Epiſc. l. de Gerēdo magiſtratu. ante med.

Mandatum Dei ſuſcepit Abraham, ſimul cum liberalibus promiſſis ejuſdem : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* &c. Rupertus ibi : *Quaſi operarium*, inquit, *electum Deus ad operandum conducens, cum dixiſſet* : Egredere de terra & de cognatione tua, *continuo ſperandam quaſi taxando mercedem, primo ait* : Faciamque te in gentem magnam : *deinde*, Et benedicam tibi ; *necnon & addidit*, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus : *tandemque*, atque in te, *ait*, benedicentur univerſæ cognationes terræ. Vides quàm liberaliter Dominus, antequam

45. Geneſ. 12. 1. 2.

Rupert. l. 5. in Geneſ. c. 5. in princ.

pedem è patria moveat Abrahamus præmiorum ſponſione muniat ejus fortitudinem? ſcio, Abraham optimè de Creatore meritum: ſed memini, Moyſen, cum Omnipotens ad eum locutus eſt in rubo, miſſum ad magni ponderis negotium; cujus difficultas eſt ſatis nota; ſcilicet ad eruendum populum Judaïcum de ſervitute Pharaonis: non tamen lego, quidquam ipſi tunc à Deo promiſſum in remunerationem officii præſtandi, ſi plebem dilectam liberaret. Quid eſt quod eo loco de præmio Moyſis tacet qui tanta repromiſit Abrahamo? Fallor, niſi fuit hoc in cauſa, quòd Abraham non ad aliquam legationem à Domino mittebatur; Moyſes verò conſtitutus fuit legatus ad Pharaonem. Idcirco Deus propoſuit Abrahæ munera donanda; non autem de retribuendo Moyſi quicquam dixit, cum ei benignus apparuit in igne. Congruum fuit etenim, quod officium obiturus legati non haberet præ oculis commoda, quæ ſuſcepturus foret à ſummo Rege; ſed potiùs intenderet ille tota mente negotio ſibi commendato. Rari ſunt legationes Principum obeuntes: qui propria lucra de manibus eorum largiter in ſtipendium functionis exhibendæ non venentur. Communiter loquendo necnon & fideliſſimi res publici juris apprimè tractantes, perpetuò mente revolvunt ſpes ambitioſiſſimas proventuum, quos anxiè præſtolantur. Iſtorum quiſque potiùs æquiparatur medico, qui lucrum ex arte ſuâ non obliviſcitur. At econtrariò, ſi nihil ad intereſſe proprium negotiare ſatagat, multis porro titulis valet appellari, *ſanitas*.

FLOS XII.

Egeſtas, & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur.

APERITUR.

1. Dion. Carthuſ. in Proverb. 13. 18.

QUÆSTIO prima ſit, de qua Salomon agat egeſtate. De paupertate virtutum exponit Carthuſianus: quod perſequar in ſenſu morali: ſed non videtur eſſe de rigore litteræ. De paupertate proinde temporali textum accipio cùm Rodolpho, Salazar, Janſenio, & Alapide. Satis apertum eſt, paræmiam intelligendam de paupertate coacta. Non exiguum hæc eſt hominibus malum. S. Joannes Chryſoſtomus ait: *Fit enim neſcio quo pacto, ut invita paupertas malum ſit inſatiabile*, &c.

Rodolph Janſen. Salaz. & Cornel. Alap. ib.

S. Joann. Chryſoſt. to. 5. l. 3. de Sacerd. longe ante fin.

Quæſtio ſecunda ſequitur de quanam ignominia ſit ſumenda præſens parabola? Cardinalis Hugo defert hoc ad ignominiam diei finalis judicij: & ad illam, quæ conſiſtit in eo quod peccator non curans de anima, ludibrium eſt dæmonum &c. Sed contra, quia Salomon digitum intendit ad aliam ignominiam, quam homines magis curant; ſicut ille, de quo S. Ambroſius ait: *In diverſum oculos ſuos, incuriоſus juſtitiæ, ſollicitus famæ, detorquet frequenter, erubeſcens teſtimonium erroris, qui non erubeſcit errorem: ac ſi quem forte ſpectatorem cognoverit facinoris ſui, verecundia ſequeſtrat intemperantiam*: &c. Propterea cum Dionyſio Carthuſ. Rodolpho & Salazar, interpretandam ſententiam judico de illa ignominia, quæ conſequentia peccatorum eſt in vita mortali.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. in Pſal. 118. octon. 1.

Dion. Carthuſ. Rodolph. Salaz. ſup.

2. Quæſtio tertia pro commentario primæ partis ejuſdem eſto: Quid ſignificet hoc loco, deſerere diſciplinam? Cardinalis Hugo, Salazar, Cornelius Alapide, Santenius & Rodolphus accipiunt q.d. Diſciplinam nequaquam ſuſcipit. Sed magis arridet ſic exponere, ut comprehendamus tam non ſuſcipientem diſciplinam, quam eum, qui ſuſceptam poſtea projicit. Hæc videtur eſſe mens Carthuſiano, dicenti: Ei qui deſerit diſciplinam, *id eſt, correctionem & informationem dedignatur ſuſcipere, aut ſuſceptas non retinet.*

Hug. Card. Janſen. Salaz. Alap. & Rodolph. ib.

Dionyſ. Carthuſ. ib.

In ſecundæ partis dogmatis hujus nihil dubitandum ocurrit, quia ſatis explicatur per primam. Pro laude tamen diſciplinæ, quò magis corda hominum inclinentur, ut eam ſponte recipiant, & retineant conſtanter, addo ſancti Cypriani verba. *Diſciplinæ*, inquit, *cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis* (alia lectio habet, *Virtutum*) *facit in Chriſto manere ſemper, ac jugiter Deo* (aliàs legitur: *In Deo*) *vivere, & ad promiſſa cœleſtia & divina præmia pervenire.*

D. Cyprian. l. de diſcipli. & habi. virg. in princ.

3. *Egeſtas.* S. Iſidorus Hiſpalenſis egeſtatem à paupertate ſignificatione rigoroſa diſcriminavit: ait enim: *Egeſtas peior eſt quam paupertas. Paupertas enim poteſt eſſe honeſta: nam egeſtas ſemper turpis eſt.* Non exprimit S. Doctor citato loco quæ turpitudo ſit iſta. Præſcindendo à differentia vocabuli, notum eſt, pauperiem quorumdam vel ideo turpem quia nata fuit à cauſa mala; vel quia per inopiam homo devenit ad malè operandum. Egeſtas, de qua loquitur Paræmiaſtes, turpitudinem vendicat in priori ſenſu: quia ſupponitur orta de duritie, qua reſiſtitur diſciplinæ; vel ex inconſtantia, qua peccator poſtquam recepit correctionem, vel informationem ad mores attinentem, revertitur ad vomitum. Quamplures tamen ſunt, quorum paupertas etiam contumelioſa eſt in ſecundo ſenſu: nempe quoniam penuriâ ſuadente perpetrant mala. Tot iſti ſunt (quos verè dixerim paupertatis infamatores) ut Philoſophus dixerit: *Impoſſibile eſt indigentem operari bona.* Conſonat ei Tullius, inquiens: *Omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio, quàm efficio parare divitias.*

S. Iſid. Hiſp. l. 3. differen. ſpirit. lit. E.

Ariſtot. l. 1. eth. Tull. ad Heren.

4. *Et ignominia.* Non una cunctis eſt ignominiæ cauſa. Pro varietate cauſarum judicandum eſt de illa. Bene Petrarcha dolori dicenti: *Infamia premor gravi*; reſponder: *ſi juſtâ, non infamiam, ſed infamiæ cauſam deſle*: &c.

Petrar. de reme. adver. for. dial. 25.

Salaz. ſup.

Ei qui diſerit diſciplinam. Aliqui legunt apud Salazar : *Qui diſciplinæ, aut correptioni rebellis eſt* &c. Rebellio hæc germen eſt ſuperbiæ. S. Gregorius Papa dixit : *Superbos autem verba non corrigunt*, &c. Ex ſuperbientibus prædictis quidam ſunt ſic effrontes, ut correpti nec verecundiâ tangantur ; alii verò diſciplinam rejiciunt, ſimul cum pudore quòd habeantur mali. Poſteriorum tumor nimis extenditur : nam etiam per apparentem juſtitiam magni deſiderant exiſtimari circa materiam, in qua deprehenduntur peccantes. Fruere rurſus eodem S. Pontifice. *De ſuperbis autem*, inquit, *manifeſtum eſt : quia cum ſemper magni videri appetant, notati peccatores erubeſcunt.* (Fortè legendum : *Notari*) *Deprehenſi etiam reſiſtunt, & in his etiam apparere cupiunt, qua agunt.*

D. Gregor. Mag. to. 2. l. 6. in 1 Reg 15. c. 2. longe poſt med.

Idem ib.

5.

Lect. Hebr. Prover. 13. 18.

Qui autem acquieſcit. Hebraicè legitur : *Et cuſtodiens increpationem.* Reprehenſio quidem non tantùm libenter accipienda, ſed etiam ei humiliter acquieſcendum eſt. Aliter ſimilis erit in aliquibus tonitruo, quod terret, atque tranſit. Vellem, ut auditores diſciplinæ ſalutiferæ, dum ſuſcipiunt illam, ſe gererent ſubmiſsè per modum terræ ſuſcipientis pluviam. Appoſitè S. Bernardus ad ſuos audientes olim dicebat : *Denique & hæc ipſa pluvia eſt, quam accipitis per os meum : ſi quando de flumine, cujus impetus lætificat Dei civitatem, & torrente voluptatis illius aliqua ſuper vos, dum de eis loquimur, ſtillicidia ſtillare contigerit.*

S. Bernard. ſer. 2. de SS. Petr. & Paul. poſt princ.

Arguenti. Verbum, *Arguo*, ſignificat non ſolum reprehendere ; ſed etiam ſumitur aliquando ſic, ut valeat idem ac oſtendere. In præſenti verum eſt, quod accipitur pro, increpare. Sed occaſione ſumptâ de Verbi natura, quam de ſe patet ambiguam, notemus, plurimùm congruere prudenti correctori ſic alteros corripere, ut videatur potiùs oſtendere veritatem, quàm reprehendere crimen : non hoſtiliter loquatur ; ſed benignè. S. Gregorius Nazianzenus : *Cæterum*, inquit, *corrigendus eſt ille : Facies igitur hoc modeſtè ac humaniter, & nequaquam ut inimicus*, &c.

S. Gregor. Naz. or. 21. longe ante fin.

Glorificabitur. Pluribus viis gloriam parit homini correptorem libenter audire. Non illi modica laus venit è ſapientia : quam vel acquirit ex correptione, vel habere manifeſtat in eo, quòd prudenter acquieſcat corrigenti. S. Petrus Damianus : *Quiſquis increpationibus æquanimiter acquieſcit, de catalogo ſapientum non recedit.*

S. Petr. Damian l. 6. ep. 18. ante med.

DELIBATIO I.

Miſerenda peccatoris egeſtas.

6. *Videtur, Deũ ſolùm adverſari peccatori, quandiu eum non pudet peccatii.*

MOdò pro moribus inſtruendis reſumam interpretationem egeſtatis dimiſſam, cum ſuperiùs loquerer in commentario, querens genuinum gnomæ ſenſum. Nunc quando minùs rigoroſè diſcurrimus, miſeri peccatoris paupertatem deploremus, ducente Dionyſio Carthuſiano : qui ſic habet ad hunc locum : Egeſtas, *id eſt ſpiritualium divitiarum ſeu virtutum carentia ac defectus*, &c. Initium faciamus ab eo, quod primum ſolet eſſe pauperiei ſignum in eis, qui temporali premuntur inopia ; ſcilicet à defectu veſtimenti. Nuditatem commiſereamur in peccante myſticam. Rodulphus ait : *Veſtis igitur noſtra opus juſtitiæ eſt*, & mox : *Hæc namque veſtis & honori pariter nobis eſt & utilitati, quibus & honeſtam foris comparat famam, & intus coram Deo fovet conſcientiam.* Sicut ergo qui diutiùs aſſuevit incedere nudus, verecundiam deponit ; ſic multi peccatores conſuetudinarii pudore non afficiuntur de peccato. Ansbertus : *Cum*, ait, *opus perverſæ actionis in conſuetudinem venerit operantis amittit reverentiam pudoris*, &c. Horribile malum delinquentis eſt impudentia perfricatæ frontis. Quandiu peccat, & pudet, contemptus ille Dei, quem Theologi ſubodorantur in quolibet peccato lethali, magis latet ; ſi verò non pudeſiat, jam parum abeſt ut non vereatur oſtendere ſe quaſi contemptorem Dei. Verè dixit S. Bernardus : *Odibilis planè Deo frontoſa temeritas, & impudentia execranda.* Indubium eſt, omnem peccato gravi maculatum, quatenus talem, odio ſubeſſe Dei. Sed adeo peculiariter abominatur Dominus inverecundiam labentis in culpam, ut videri poſſit, Altiſſimum tantùm contrariari ſceleſto, quandiu non pudet illum de criminibus. Ac ſi pro juſtiſſima Dei contra malos irâ placandâ ſatis foret eorum verecundia de commiſſis ; ita ſe Dominus aliquando gerit, ut appareat, ſe nihil aliud ab hominibus expectare, ne vindex adverſetur eis, quàm ut pudeſiant de ſceleribus.

Dion. Carthuſ in Prov. 13. 18.

Rodulph. l. 9. in Levit. c. 9. longe poſt princ.

Ansbert. l. 2. in Apoc. c. 2. 20.

S. Bernar. in declam. ſup. Ecce nos.

7.

Cum timor & ſpes duo ſint axes, quibus volvitur per viam rectam volubilis rota vitæ noſtræ ; populo ſuo Deus in Levitico, ſi mandata ſervaret, bona ſpopondit ; & mala plurima non ſervantibus minatus eſt. Loquens contra malos ait ſic : *Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorum* : &c. Agnoſco, Deum intendiſſe, ut qui tranſgrederentur ejus leges, pœnitentiâ ſanarent criminum ægritudines, & hoc remedio Dominum ſibi redderent propitium. Attamen libens hæreo nunc in ipſo loquendi modo : non enim lego citato loco textûs : Ambulabo contra delinquentes uſquedum illos pœniteat facti, ſatisfaciantque mihi, prout valent, pro commiſſis offenſis. Hoc legimus quod præmiſi : *Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorum* : &c. Erubeſcentia quidem virtuoſa de peccato, laudabilis actus eſt, ac Deo valde placens, non tamen per ſe ſolam ſufficit ut averſus Deus per indignationem à ſcelerato convertatur ad eum propitiatione benignâ, quæ veniam datam oſtendat præteritis iniquitatibus. Quid igitur eſt, quòd ambulaturum ſe Deus affirmat contra Judæos peccatores, donec mens illorum erubeſcat ? An aliud nihil reſtabat perficiendum

Levit. 26. 41

ciendum ab eis, ut jam Deus non adverſaretur eiſdem? Noſti ſubintelligere ſæpius in Scripturæ locis nos diverſum aliquid à verborum ſono: cum hoc tamen ſtare, quod ex ipſo modo loquendi colligere poſſimus quod intendimus, Textum ſacrum nullatenus offendentes. Agnoſco, Dominum plus ab illis iniquis, de quibus agitur ibidem, exquiſiviſſe, quàm pudorem. Sed ut manifeſtum faceret qualiter ei diſpliceret peccatoris impudentiæ, protulit, ambulaturum adversùs prædictos, donec erubeſcerent: ac ſi dixiſſet: Adeo deteſtor, hominem de ſceleribus non pudeſcere, quaſi hoc tantùm intenderem puniens, ut afficeretur pudore. *Ambulabo* &c. O quoties per ſuam pauperiem nudus incedit peccator miſerrimus tam diù, quòd præ conſuetudine propriæ nuditatis, jam non pudet eumdem!

8. *Quidam velut inter duas menſas poſiti, ſpiritualem & mundanam, fame laborant.* S. Maxim. de virt. & vit. cent. 5.

Fames non exiguum locum obtinet inter afflictiones indigorum. Peccator ſpiritualiter ſic eget, ut in alio nullo diſſimilis exiſtimandus putetur famelico, niſi quod animæ cibum non deſiderat. *Fames*, ait S. Maximus, *eſt haud dubiè, defectus cognitorum ipſa experientia bonorum, & eſcarum ſpiritalium animam corroborantium penuria & raritas omnimodo.* Quantum præit ſpiritus corpori, tantum ſuperexcedit miſeria ſpiritualis inediæ corporalem eſuriem. Hæc per certum durans tempus ducit ad mortem eripientem egenos ab inopia ſua; fames autem animæ deducit hominem ad interitum æternum. Quis inficiabitur, hanc extare miſeriorem? Verè dixit ad illud quod habetur Luc. 15. 14. *Facta eſt fames*, D. Ambroſius: *Facta eſt fames non epularum, ſed bonorum operum atque virtutum, quæ ſunt miſerabiliora jejunia. Etenim qui cecidit à verbo Dei, eſurit*: &c. Genus famis extraordinarium cenſebis aliquorum perperam viventium penuriam: nam & bonorum temporalium abundantiis affluunt; & offeruntur illis quoad velint animæ bona. Corporeis non ſatiantur; ſpiritualia non tangunt: unde ſimul utrâque fame laborant. Ceu ponatur inter duas menſas homo ruſticus: alteram refertam cibis pretioſis, quorum tædio afficitur præ ruſticitate, nec manum admovet illis; aliam plenam eduliis leviſſimis, ut ſummis foliis plantarum tenuium, quas comedens non ſedat appetitum: ſic mihi videtur cernere hominem opulentum & nequam, inter menſam ſpiritualem & mundanam, conſtitutum. Abundat illa prior excellentiſſimis alimentis, ſed ei faſtidio ſunt; poſterior oneratur quiſquiliis luxurioſè conditis, ad quas ingluvie totâ pronus inclinans farcinatur eis nunquam tamen venit ad ſatietatem. O miſerandam eſuritionem! Si vertit oculos in dextram, eſurit; ſi vergit ad ſiniſtram, comedit, & non ſaturatur.

Ad Luc. 15. 14. S. Ambroſ. to. 3. l. 7. in Luc.

9. Iſai. 9. 20.

Accommodatitiè libremus ad hanc rem locum Iſaiæ: quia non multùm abeſt ut putes, ibi virum iſtum famelicum veluti depingi. *Et declinabit ad dexteram, & eſuriet: & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur*: &c. Cum ſub ænigmate manuum adverſa proſperaque denotamus, vulgò ſolitum eſt, ut per ſiniſtram explicemus afflictiones. Ergo quare dicitur ibi, declinantem in dexteram paſſurum eſſe famem? Senſu morali Dionyſius Carthuſianus hoc loco meditatus eſt in dextera id quod ex ſe virtus eſt, & exponit: *Frequenter enim*, ait, *jubemur regia via incedere, id eſt, virtutis medium obſervare, & non declinare ad dexteram, id eſt, ultra vires nil attentare*, &c. Et ſubdit poſt pauca: *Qui ergo hoc modo declinat ad dexteram, eſuriet, id eſt ſpirituali refectione carebit. Nec debemus declinare ad ſiniſtram, manifeſta vitia perpetrando: ſic verò declinans, comedet, quoniam aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior: nam & via ſtulti recta eſt in oculis ejus. Et non ſaturabitur alimonia ſpiritali, videlicet pane vitæ & aqua ſapientiæ.* Cumque ſoleant abundare temporariis manifeſta ſcelera patrantes; puto lucem aliqualem ex Carthuſiano præmiſſam proficere, quò poſſim accommodatitiam noſtram ſubjicere ſic meditatiunculam. Homo ſæpius nec ex dextera ſumit cibum, hoc eſt non virtute paſcit animam; nec dum comedit è ſiniſtra ſatiatur. At principalior eſt eſuries, quam ſuſtinet ſpontaneè ſpiritualis alimenti. Dion. Carthuſ. in Iſai. 9. art. 23. ante fin.

10. *Amaritudo malitiæ deglutitur; ſed guſtum non oſtendit.*

Sitim deinde patitur improbus exardens deſiderio mundanorum. Oportebat, mortales ad illum, qui fons eſt indeficiens ardenter ſitire: ſed rarus eſt ſitibundus homo divinorum. Ad ſæculi turbidas aquas Adamidum inhiat aviditas fruſtra: nam quidam cupientes prohibentur à deſideratis: alii quantumvis epotent integrum æquor mundi, non extinguunt ardorem, imò creſcere faciunt. Vix eſt qui ad aquam vivam, Deum ſcilicet, vota ſua referat. S. Auguſtinus: *Ardent omnes homines deſiderio, & vix invenitur qui dicat, ſitivit tibi anima mea. Sitiunt enim homines ſæculo, & non ſe intelligunt in deſerto eſſe Idumææ, ubi debet ſitire anima ipſorum Deo.* Quamvis mundus pauperrimus verè ſit, negandum non eſt aquis abundare, quia mortalis navigationis Oceanus eſt; ut naufragia probant: ſed quis non videt, marinis aquis non reſtingui ſitientis cupiditatem? Redi ad Auguſtinum, qui alibi ſic ſcribit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quia anima mea velut terra ſine aqua tibi. Abundat mare, inundat, copioſum eſt, fluctuat, ſed amarum eſt.* Per amaræ lymphæ potum non placatur ſitis. Nihilominus iſtâ perurgente, iam non dicam bonis temporalibus potatur avidè malus: imo bibit amaram iniquitatem, quin ſentiat bibens tunc amarorem. Amaritudo malitiæ deglutitur; ſed guſtum non offendit. S. Aug. to 8. expoſ. Pſal. 62. Idem ibi in Pſal. 142.

11. Ierem. 4. 18.

Loquens Dominus per Jeremiam de malo, quod ab hoſtibus paſſuri fuerant, ait: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* Dionyſius Carthuſianus: *Id eſt*, inquit, *propter opera tua iniqua & cogitationes perverſas, ſuſtines iſta.* Iſta malitia tua *præſertim idololatria*, quia amara, *id eſt dulcori virtutis contraria, & amaræ punitionis cauſa.* Quia tetigit cor tuum *per conſenſum*, Dion. Carthuſ. ib. art. 8.

vel per pœnam tibi pro ea illatam. Quæro. Nonne per cor ibi deſignantur interiora ſpiritûs? Ad illa verba : *Tetigit cor tuum*, Interlinearis habet : *Interiora animæ penetravit.* Amarum vel dulce diſcernitur in ore ; non à corde ſentitur. Ergo magis propriè dicendum videbatur hîc : Tetigit os tuum : nam & interior homo vocari poteſt os, dixit quippe S. Ambroſius alibi : *Quod eſt juſti os quod meditabitur ſapientiam, niſi interior homo?* Emphaſim veſtigemus in illis verbis : *Tetigit cor tuum.* Fortaſſis ita loquitur Dominus, quia non ſolet percipere cor amaritudinem cibi, vel potûs ingredientis per os. Peccatores autem ſolitant amara deglutire ; quin amaror eorum voluptatem pro tunc lædat. Nimia ſitis eſt in cauſa : cujus furore vehementer exardeſcentes amariſſima glutiunt ; & utinam ipſi non ſuavia reputarent.

Interlin. ib.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 36.

12. *Juſtus remedium præſtolatur à Domino nequaquam dolore vacuus.*

Familiare pauperibus eſt uti baculo dum gradiuntur per viam. Indigus peccator non obliviſcitur inſigne baculi. Quid nam putas accipere me nunc per ſcipionem? ſpem : cui nomen iſtud improportionatum non eſt. S. Gregorius Nyſſenus : *Baculus verò*, ait, *quo & feras repellimus, & nonnumquam ſuſtentamur, ſpes eſt. Hæc enim ſola inducimur, ut labores ſimul & dolores ſufferamus.* Sicut autem ulceribus plenus uſque ad manus, non expectat à baculo, quem geſtat auxilium ne manus doleant : ita peccator non ſumat occaſionem de ſpe ſalutis, in qua nititur, ad non dolendum ex manuum, hoc eſt operum, plagis. Nullus ignorat, per manus opera ſignari. Ex Caſiodoro B. Bruno Herbipolenſis : *Lavit manus ſuas, quiſquis propria facta lacrymabili ſatisfactione diluerit.* Solidus, fateor, eſt ſpei baculus in Deo collocatus ; ſed iſta conſocietur doloroſæ deteſtationi criminum : non enim per ſolam ſpem in Domino convertimur. D. Fulgentius : *Salubris autem converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem*, &c. Imo peccatores omittamus degentes in ſtatu peccati : tranſibo nunc ad ſpem juſtorum. Hæc expectatio de miſericordia Dei conſortem habet in homine recto dolorem. Juſtus remedium præſtolatur à Domino minimè dolore vacuus.

S. Gregor. Nyſſ. in vit. Moy. poſt med.

B. Brun. Herbip. ex Caſſiod. in Pſal. 25.

S. Fulgent. ep. 7. ad venant.

13. Iſai. 14. 32.

Ad conſiderationis trutinam vocemus verba quædam reperta penes Iſaïam. *Dominus fundavit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi ejus.* Exponit S. Ælredus : *Dominus certè fundavit Sion, animam Dei contemplatione ſublimem*, &c. Secundùm expoſitionem iſtam crederes dicendum potiùs ; Et in ipſo ſperabunt divites populi ejus. Anima quippe per contemplationem elevata fruitur gratiâ Dei ; juſtique ſunt opulenti, prout variis in locis notavi. Quare divitiarum ſpiritualium mentio prædictis verbis non fit? Sed pauperum vocabulo texitur oratio? Notandum eſt, pauperum eſſe valde proprium dolere, cùm expectant à benefactore donum. Sic juſti ſperantes de manu Domini jungunt ſpei ſuæ cordis afflictionem. Prodeſt ad S. Ælredum regredi. *Sed*, ait, *in hac ſcientia, quam in anima ſancta fundat Dominus, non ſuperbi confidant, non ſperent elati, ſed pauperes populi ejus, id eſt humiles, qui apponentes ſcientiam apponunt & dolorem*, &c. Non præpedit iſta dolor greſſus in via ſalutari ; ſed expedit : ac velut ſtimulus eſt ad progrediendum. Quantò plus neceſſarium erit ei, qui ſceleribus gravatus animum ſuſtentat ſpei baculo, dolere de malo ſuo, ſicut paſſim gemunt inopes? Tantum abeſt, anxietatem de commiſſis impedimentum præbere quærendo remedio miſeriæ, per quam depauperatus eſt ; ut ipſe cruciatus internus auxilium ſit indigentiæ, quam incurrit homo per malefacta. Non ad voluptatem egenus eligit, quo pauperiem ſuam levet ; ſed ad neceſſitatem. Acerbus eſt dolor ; ſed neceſſarius & utilis : hunc amplectatur humiliter compreſſus indigentiâ per crimina ; quò poſtea gaudeat emerſiſſe feliciter de miſerabili delictorum inopia.

Idem ib.

S. Aelred. ad hunc locum. ſer. 22. juxta fin.

14. *Peccator ad Salvatorem accedat quotidiè : ſolliciter remediũ non longe poſitus ab eodem.*

Ad finem occurrit adnotanda circumſtantia quædam paupertatis hujus, quam in criminis reo meditati ſumus : nempe quòd non omnes hujuſmodi pauperiem incurrentes eleëmoſynam poſtulant ; per quod ſatis angetur ipſorum inopia miſerrima. Quidam ſunt in rebus corporis inopes ; induſtrii tamen, ut ſtipem ſollicitent invenire : rogant, lugent, inſiſtunt : & horum penuria ſæpe minùs gravis eſt. Alii pauperrimi, vel pudore vetante, vel ſuperbia jubente, ſeu ex inertia mera, deſtituti neceſſariis, à nullo poſtulant opem : quin & aliqui ſunt, qui fingunt bona poſſidere, ne penes alios exiſtimatio mundana, quæ ridere gaudet miſeros, deprimat ampliùs eos. Etiam inter egenos in bonis animæ varii ſunt, qui diverſis è cauſis auxilium ſibi quærere detrectant. Inter iſtos peculiariter miſerandi ſunt qui ſe jactant opulentos ; cum ipſorum animæ penuriam ſponte ſuſtineant. Ansbertus : *Alius etenim propterea divitem ſe jactat quia rectæ fidei confeſſionem portat. Sed ſi in fide poſitus, male agere non deſinit, profectò non dives, ſed pauper eſt.* Omnes iſti, necnon & alii ſpiritualibus animarum opibus carentes, & preſſi pauperie peccati, minimè remedium indigentiæ ſuæ flagitabunt, niſi ad omnium largitorem Deum accedant. Clamant aliqui peccatores à longe, renuentes ad liberaliſſimum Dominum appropinquare. Non ita congruit. Mendicus iſte, cui tam neceſſaria prorſus deſunt, ad Salvatorem appropiet quotidie : ſatagat ſibi providus jugiter de remedio.

Ansbert. in Apoc. 3. 17. l. 3.

15. Inter prodigia, quæ naſcentis Eccleſiæ promordiis acta ſunt, celeberrimum eſt illud, quod à manu Principis Apoſtolorum expertus eſt ille claudus, cujus infelicitas prævénit ortum ejus. Narratur in Apoſtolorum Actibus, hominem iſtum alieno quotidiano labore ſolitum fuiſſe, quò poſtularet ſtipem, ad templi januam poni. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleëmoſynam ab introeuntibus in templum.*

Act. 3. 2.

plum. Miror patientiam pauperis hujus: nam & geſtari labor eſt. Commodius deferebatur morum Philoſophus, & tamen
Senec. ep. 55. in princ. ſcribebat ſuum ad Lucilium: *A geſtatione cum maximè venio non minus fatigatus, quàm ſi tantùm ambulaſſem, quantùm ſedi. Labor eſt enim, & diù ferri*: &c. Non tædebat claudum iſtum ſingulis bajulari diebus? nonne poſſet in domo quadam propriâ vel alienâ conſtitutus, repens ad ejuſdem fores accedere, ibique rogare prætereuntes, abſque repetitâ, ſatiſque moleſtâ bajulatione ad ſacræ januam ædis? Quid eſt quod ad ſpecioſam portam, & non alibi, legimus eleëmoſynam poſtulaviſſe? Litteram omitte: myſterium attende. Claudus hic ſymbolum peccatoris eſt. Lira: *Si quis autem claudus eſt ambulare non potens in via morum*, &c. Porta verò, de qua Textus,
Lir. in Act. ib. Hug. Card. ibid. deſignat Salvatorem. Sic Hugo Cardinalis: *Porta ſpecioſa Chriſtus per quam qui intrat ſalvatur*: &c. Ne præſumat peccator mendicans, inventurum egeſtati, quam dolet, adjutorium, dum longe petitus fuerit ab illa porta, ſcilicet Redemptore noſtro: appropiari curet quotidiane; ſollicitus accedat propiùs, ut ejus miſerabilis inopia ſublevetur: aliter illius perdurabit *egeſtas*.

DELIBATIO II.

Peccator ignominioſus eſt coram Deo, juſtiſque, necnon atque diabolo.

16. *Peccatum inhonorat hominem coram Deo.*

FRequentiſſimum eſt apud ſpirituales magiſtros, cum ſuos auditores hortantur ad meliorem frugem, proponere motivum ipſis aliquod pro fugiendis criminibus, non excedens naturæ mortalis ordinem; quò ſic faciliùs trahant eos ad intentum finem: expectantes, ut hinc gradum faciant ad altiorem viam pro declinando ſcelere. Humana conditio ſpecialiter afficitur erga conſervandum honorem; præſertim ſi loquamur de illis, quos felicitas condecoravit apud ſæculum. Hæc igitur ſemita patet denuntiatoribus veritatis, ut rem proponentes malorum turbæ placituram, eos invitent ad ſectandam viam rectam, fugiendaque præcipitia. Ducent, inquam, non tam difficulter criminoſos ad fugam ſcelerum, inculcantes eiſdem (& verè) quod vitia cuncta ſint contumelioſa peccanti. Nullum excipio, quia non ullum omiſit S. Joannes
Chryſoſt. to. 4. hom. 4. in Epiſt. ad Rom. in princ. Chryſoſtomus, inquiens: *Animi morbi quidem omnes ignominioſi*, &c. Sed operæ pretium erit hocipſum minutatim quaſi faſtidioſis propinare morbidis. Inhonorum dicitur aliquid etiam reſpective ad alterum: nam cum honor juxta vulgare proloquium ſit in honorante; necnon attendendum eſt ſæpe cum aliquid vocamus dedecoroſum, reſpectu quorum ſcientium amittatur decus per idipſum. Itaque tria præfiximus in titulo comprobanda; ſcilicet hominem deperdere decus coram Deo, juſtis, atque diabolo, cum graviter delinquit. A Domino ſit initium. Perſpicuum eſt, peccatorem honorabilem non eſſe Deo. Patet hoc: cum enim Deus honorem à nobis accipiat in eo, quòd ipſum invocemus hoc nomine, *Sanctiſſimus*; quis neſciet, in æſtimatione divinâ quicquid opponitur ſanctitati dicendum inhoneſtum? Propterea quandiu non peccat mortaliter homo, vendicat honorem apud Altiſſimum; poſt peccatum verò jam vilis eſt apud eumdem. Naturæ decus viluit, cum turpitudo reatûs incepit.

17. Ad imaginem ſuam creavit Omnipotens Adamum. Tranſgreſſus eſt ille præceptum Conditoris. Adeſt poſtea Judex æquiſſimus: crimen incuſat; pænamque denuntians, poſt alia dixit: *In ſudore vultus tui veſcêris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Dubitabam, cur non antequam peccaret Adamus, dictum eſt iidem à Deo, pulverem ipſum extare? Forſan reſpondebis, illum tunc id non ignoraviſſe. Verum eſt hoc: ſed non credas, eum per tranſgreſſionem tam inſipientem factum eſſe, quòd neſciret ſuæ plaſmationis originem. Equidem videbatur opportunum, cum fuit impoſitum illi præceptum de non manducando fructu ligni, verbis expreſſis ei proponi quod luteus eſſet, ut recordatus hujuſce dicti, ſuæ conditionis humilitatem verſans intenſiùs mente, reſiſteret ſuperbiæ. Dubitandi rationem ex Carnotenſi deduxi: qui ſic habet ad præcitata Domini verba: *Habet etiam exprobrationis pondus originalis materiæ commemoratio, quod eum de terra ſumptum, & terram eſſe, & in terram reverſurum tanta diſtinctione diligentia judicis inſinuat, ut confuſa illius temeritatis audacia intelligeret ex infirmitate naturæ ſuæ quia ſecundùm originis ſuæ rationem, nec gloria, nec ſtabilitas ſibi inerat, & totius illius excellentiæ honor, nec ex merito, nec ex natura, ſed ex ſola gratia procedunt.* Hinc meditatione verſabam, quid in cauſa fuerit, ut antea cum Deus ei minatus fuit mortem, ſi guſtaret ex arbore nobis infelici, dicens: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Non addiderit: Quia pulvis es: nam ſic tacitè monitionem adjicere præcepto videretur, excellentiam, qua protunc fruebatur, non illi venire de pulvereæ naturæ conditione; ſed à dono Dei; quò non auderet contemnere donatoris mandatum. Quare non ante ruinam; ſed poſtea dixit illi: *Pulvis es?* Quia priùs erat juſtus; poſtea factus eſt peccator: unde coram Deo ſic viluiſſe meditemur, ut æquum fuerit in faciem illi projici quòd pulvis eſſet. Proderit audire verba S. Anaſtaſii Sinaïtæ. *Erat enim*, ait, *Adam totus lucidus & deiformis, & imago quædam (ut ita dicam) Deo ſimilis. Poſt inobedientiam autem factus eſt tenebroſus & inornatus, atrum peccatum omnino indutus.* Ecce qualiter ſcelus hominem dehoneſtat. A nobiliſſimo gradu deturbatur per delictum quicumque gratiam Dei crimine perdit.

Arnold. Carnot. tr. de op. 6. dior. § Adæ, poſt princ.

Geneſ. 3. 19.

Geneſ. 2. 17.

S. Anaſt. Sinai. l. 10. in Hex. ad fi.

18. *Honore coram Deo caret ille, quem pudet exercere virtutem.*

Ratione ſpeciali ſubeſt ignominiæ prædictæ coram Principe ſummo qui non tantùm frangit illius leges frequenter; ſed aliquoties ideo delinquit, quia ſic aſſequitur mendax illud, & pernicioſum de-

cus, veniens apud alios conſimiles de peccato. Miræ ſunt artes, quibus incitat ſæculum homines ad peccandum. Etiam repromittit honorem committentibus quædam genera delictorum. Reges terræ cupientes ut ſubditi præ defectu præmii non deſiſtant à præſtandis obſequiis, tum belli, tum pacis tempore: cernentes, non valere cunctos divitiis munerare, niſi citò prorſus exhauriant regios theſauros; aliud genus monetæ cudunt gratis, honorem ſcilicet publicum; & iſtô retribuunt indefeſsè laborantibus ad ipſorum nutum; imò vitam exponentibus generosè. Supra mundanos regnans diabolus induſtriâ ſimili remunerat: quia pauperrimus eſt. Exhibitam ei ſervitutem in aliquibus piaculis præmio falſi decoris afficit: curans ut apud ſceleſtos honorabile ſit illa malefacta perpetrare: contraque penitus verecundum habeatur ab illis reatibus abſtinere. Adjicit malignus aliam ſuis legem deteſtabilem noxiamque nimis. Quod virtuoſum oſtendit ratio, ſtatuit ipſe, pudendum eſſe. O fatuitatem venenoſam! S. Gregorius Papa: *Sicut*, inquit, *verecundia laudabilis eſt in malo, ita reprehenſibilis eſt in bono. Erubeſcere enim malum, ſapientiæ eſt. Bonum verò erubeſcere, fatuitatis.* Plurima damna parit hæc ſtultitia; ſed thema præfixum non egrediar. Contumeliâ repletur apud gloriæ Principem qui virtutem exercere verecundatur: pudens de bono peragendo, pudendam incurrit ignominiam.

D. Gregor. Mag. to. 2. hom. 10. ſup. Ezechiel.

19. Poſtquam ad ſui ſequelam Filius Dei proprios invitavit auditores: cum ad hoc ut ejus veſtigia ſequantur homines oporteat voluntariam tollere crucem (quod nunc facile non eſt; nedum eo tempore, quo non adhuc Salvator ſibi crucem bajulans præceſſerat) doctrinam ſubdidit opportunam, qua mortalium commoveret animos. Ea tantùm verba nunc examino, quibus ait: *Nam qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Beda in hunc locum ait: *Veremur ſæpe à proximis deſpici, dedignamur injurias verbi tolerare, ſi contingat jurgium fortaſſe cum proximo, erubeſcimus priores ſatisfacere. Cor quippe carnale dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem reſpuit.* Notabam, apud Joannem haberi: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Hæc divinus Magiſter. Unde non leviter hærebam noſſe deſiderans, cur is, qui dixit honorificandum ab æterno Parente miniſtrantem Filio, non aſſeruerit, quòd Pater erubeſcet illum qui genitum erubuerit, & ſermones iſtius: potiuſque Dominus aſſeruerit: *Hunc Filius hominis erubeſcet*, &c. Pro ſolutione memento, Verbum divinum per incarnationem factum eſſe cognatum hominum. Scitum eſt illud Chryſoſtomi, quod alibi jam dedi, loquentis in perſona Chriſti Domini: *Carnem & Sanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum*, &c Non affirmabimus hoc de perſona Patris, utpote quæ noſtram non aſſumpſit humanitatem. Viri probi ſolent verecundari de conſanguineo nequam, quaſi de homuncione vili, quamvis nobilitate fulgeat, & ſcelera committat jactabundè: cumque Redemptor ex aſſumpta natura redditus aſſeratur conſanguineus noſter, aliquâ, ut ita dicam, tangetur verecundiâ, quòd tam deſpicabilem habeat cognatum; ſcilicet erubeſcentem de virtute. Ne, Lector, damnes, me verbum, *Erubeſcet*, ſumpſiſſe de pudore Salvatoris, adverte, ſic intellexiſſe Theophylactum; quamvis expenderit in ſervo quod nos diximus in conſanguineo. *Sicut*, ait, *ſi quis paterfamilias habet ſervum malum, erubeſcit nominare illum ſervum proprium: ita & ego, inquit, erubeſcam nominare ſervum meum eum qui abnegaverit me.* Maneat igitur, deſpectum, & inhonoratum eſſe penes Regem regum hominem, qui verecundiâ fatuâ præpeditur, ne bonum operetur. Hæc de peccatoribus iſtiuſmodi. Nihilominus ignominia coram Deo cunctos peccantes comprehendit.

Luc. 9 26.

Bed. in Luc. l. 3. c. 38.

Ioann. 12. 26.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 5. hom. 61. ad pop. aliquantũ poſt princ.

Theophylact. in Luc. 9. ib.

20. *Peccator apud juſtum contemptibilis eſt.*

Secunda pars de tribus in titulo præmiſſis erat, peccati reos dedecus apud juſtos reperire. Humiles equidem ſunt rectâ via tendentes: neminem aliis de cauſis contemnunt; præſertim quia ſe cunctis ultro ſubjiciunt. Hoc non obſtante, ſicut vir perfectus non lædit charitatem erga proximos in odiendo ſceleſtum odio ſancto qualitatis; ſic nequaquam deflectit ad ſuperbiam in deſpiciendo ſcelerato quatenus diaboli ſervo, viliſſimoque venditori animæ ſuæ tam exiguo pretio. Sanctus erat excellenter Hieronymus; attamen ſcripſit: *Nam in Eccleſia quicumque malus eſt, in conſpectu ſancti pro nihilo computatur*, &c. Accedit prædictis alia ratio, qua ductus virtutis amator honorabilem non reputat impium. Solent in ſæculo mali poteſtate prævalere; necnon & ipſam ad perniciem virtuoſorum vertere. Juſtus, ut ea detrimenta, quæ ſibi contingere valent per iniqui potentiam, faciliùs parvî ducat, advertit ejus abjectam conditionem, quæ per crimina fœdatur; & ſimul damna cum damnificatore non ſuperbus temnit. Meritò quidem: nam etiam regia majeſtate fulgens contemptibilis eſt juſto, ſi nequam extat. Severitate laudabili ſanctaque libertate bonus aſpernatur peccatorem, licet prælto culmine mundi poſitum. Non hoc elationi vertatur, ſed amori virtutis, atque culpæ tædio.

S. Hieron. to. 8. expoſ. in Pſal. 14.

21. Contra regem Moab exiit in prælium Joram rex Iſraël; auxiliantibus ei Joſaphat rege Judæ, regeque ſimul Edom. Deerat aqua: timuit à ſiccitate cladem per manus Moabitarum. Et ut per vatem deprecaretur Dominum rex Iſraël deſcendit ad Eliſeum, comitibus aliis duo principibus. Dixit ad Prophetam rex Iſraël: *Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? Dixitque ad eum Eliſeus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Joſaphat regis Judæ erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem.* Mirare propheticam libertatem, quæ regi locutus eſt Eliſeus. Procedamus ulteriùs. Mulier paupercula clamavit

4. Reg. 3. 13. 14.

Ibid.c.4.1. clamavit ad eumdem Vatem : *Servus tuus vir meus mortuus eſt , & tu noſti quia ſervus tuus fuit timens Dominum : & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi.* Quis non crederet , Prophetam repoſiturum eſſe mulieri : Quid mihi cum tuo viro defuncto , cum creditore , vel cum filiis tuis ? Non ita reſpondit Eliſeus ; benignè potiùs ait : *Quid vis ut faciam tibi ? Dic mihi , quid habes in domo tua* ? Certè rex Iſraël non ſuperbè locutus eſt ad vatem , prout notaſſe videtur Hugo Cardinalis , inquiens : & ait illi rex Iſraël *licet reprehenſus.* & Eliſeus ad ipſum fatur ſeverè ; Viduæ verò verba fecit humaniter. Ratio diſparitatis eſt aperta : nam fœmina quidem illa erat pia , ſicut ex commentatore Sanctio colligitur, dicente : *Fuerat domus illa (ſi illius dominum Abdiam putemus) miſericordiæ quædam officina , quæ Prophetas aluerat* , addito Lira , qui ſic habet : *Secundùm doctores Hebraicos & Latinos iſta mulier fuit uxor Abdiæ , qui ad paſcendum prophetas tempore perſecutionis Jezabel , ut habetur 3. lib. 18. contraxit debita.* Rex autem Iſraël peccator erat : hunc Eliſeus deſpexit ſtrenuè citra ſuperbiam. Audi Sanctium. *Neque tamen* , inquit , *negat ſe imperata , ſeu rogata facturum : non tamen ut obſequatur regis Iſraëlis ſeu precibus , ſeu imperio , quem adeo vilem habuit , ut neque dignaretur aſpectu , ſed ut placeret Joſaphat Regi Juda , quem pium eſſe noverat , neque indignum , cujus imperio & voto ſatisfaceret.* Malus quantâlibet majeſtate clareſcat , in æquâ tamen æſtimatione viri perfecti contemptu dignus eſt : non enim hunc ille judicat à ſplendore caducæ felicitatis , & apparatu vano ; ſed à miſeria , quam voluntariè patitur intus.

Ibid. n. 2.

Hug. Card. ad 4. Reg. 3. 13.

Sanct. in 4. Reg. 4. v. 3. n. 9.

Lir. ib. ad n. 1.

Sanct. ib. c. 3. v. 13. n. 10.

22. Adeo verum eſt , iniquum , alioquin honorabilem ſæculo , ſubeſſe contemptui ; quòd in ejuſdem ſuperbiæ pœnam aliquando contingat haberi deſpectui coram impiis : non quia malus eſt , ſed quia minùs malus. Non effugit ignominiam iſte quòcumque ſe vertat : à pio contemnitur ex iniquitate , quam exequitur ; & ab impio deſpicitur , quia non plura committit injuſta. Minus grave ſupplicium peccantis eſt quòd illum ſpernat juſtus : nam improbus deſpectionem iſtam non magnî facit ; utpote qui vitam proborum æſtimat inſaniam ; cum nemo prudens doleat ſperni ſe per amentem. Longe durius eſt equidem temni per amantem. Duriſſimum , inquam , ſed non raro contingit , ut ipſemet , qui ſervat iniquum ne pereat , illum parvî ducat. Monetam adulterinam aliquando cuſtodit poſſidens eam , vel quia pulchrè fuit elaborata , vel alia de cauſa ; ſed ipſam nihili reputat. Similitudinem apta. Peccator ſimilis eſt adulterato numiſmati. Iſychius : *Hominem* , inquit , *verò aliquem peccatorem , quaſi malè formatum numiſma deſcribit* , &c. Accidit , ut apud amantem ſe , tuentemque falſum illius honorem , habeatur malus deſpectui. Perperam hic operatur : ſed alius , qui procaciter putat , adhuc oportuiſſe ſcelera ſceleribus addere quò fieret honoratior , negligit eumdem velut abjectum. Deſpector ſimul decus iniqui defendit ; & ad hunc ipſum finem dedecorat eundem : auxilium præſtat , & quem adjuvat ne contemnatur , ipſe contemnit.

Iſychi. l. 4. in Levit. c. 13.

Aliorum non ſemel perpendimus impiam cædem Naboth : quam iniquiſſima Jezabel molita fuit ; cum videret , conjugem ſuum regem Achab dolentem quòd ille vineæ Dominus noluerit eam ſibi vendere , nec pro alia permutare. Ut regio dolori ſatisfaceret , miſit ex viri ſui nomine ſcriptas litteras , quibus nex innocentis per falſos teſtes decernenda texebatur. Notandum , reginam peſſimam non dixiſſe ad regem , ut ſcriberet circa Naboth occiſionem ; ſed legitur ſic : *Scripſit itaque litteras ex nomine Achab , & ſignavit eas annulo ejus, & miſit ad majores natu & optimates , qui erant in civitate ejus , & habitabant cum Naboth.* Nequaquam putes , inſcium Achabum fuiſſe de miſſione litterarum ejuſmodi. Liranum conſule , cujus hæc ſunt verba ſuper illud : ſcripſit &c. & ſignavit , *quia antiquitus in annulis principum erat impreſſio ad litteras ſignandum , & ex hoc patet quod iſtæ litteræ de morte Naboth fuerunt factæ & miſſæ de ejus ſcitu & voluntate.* Cur ergo regina ſæva non curavit marito ſuadere , ut vel decreto , vel arte per epiſtolas vitâ privaret Naboth ? Ipſine Jezabeli res incumbebat ? Puto , contempſiſſe Achabum tamquam inertem ad ſemet ulciſcendum de Naboth. At ne prætereas , reginam ſimul & ne rex contemneretur exhibuiſſe curam ; & eumdem contempſiſſe. Dixit ad illum , cum ſciret mœroris ejus cauſam , per ironiam irriſoriam : *Grandis auctoritatis es , & bene regis regnum Iſraël. Surge , & comede panem , & æquo animo eſto , ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ.* Hugo Cardinalis ibi : *Ironicè loquitur.* Unde tamquam non bene gubernantem deſpiciens arrogavit ſibi litterarum expeditionem. Ecce Jezabel eodem tempore , quo ſollicitabat proprio viro falſum decus (ſcilicet ne diceretur , hominem privatum prævaluiſſe regiæ voluntati) dehoneſtavit aliqualiter eum , & non leviter deſpexit. Similiter multi évenit : quorum fautores , quamvis mali , tamen opprobriis afficiunt eos ; non quia mali ſunt ; ſed quia forſan aliquod ſcelus ampliùs non exequuntur. Relinquitur ex prædictis , quod peccantibus erit coram Deo & hominibus *ignominia.*

23.

3. Reg. 21. 8.

Lir. ib.

3. Reg. 21. 7.

Hugo Card. ib.

Adhuc infelicis peccatoris dedecus proſequar. Quis erit inter principes terrenos ingratus adeo barbarè nimis , ut obſequentem ejus nutui ſollicitè , nec recuſantem ſummis objicere ſe periculis , ne prætergrediatur ejus voluntatem , propter obſequia prædicta contemnat ut captivum ? Nullus , ut credo. Lamentetur ſtatum ſuum viliſſimum reus peccati : quia ſerviens principi tenebrarum vigilanti ſollicitudine , ſatagens illius adimplere deſideria , nihil omittens ferè diabolo placens ; ob idipſum quòd ita ſe gerit , habetur in ejus æſtimatione tamquam vilis pretii mancipium. S. Ambroſius : *Quanta vilitas delictorum ? Mors enim vilis , ſed pretioſa*

24. *Diabolus oſtendit aliquando , ſe contemnere peccatorem.*

S. Ambr. to. 3. l. 7. in Luc. c. 12.

ſa virtus. Etenim adverſarius tamquam captiva mancipia vilioris pretio æſtimationis addicit. Notant aſcetici magiſtri, dæmonem aliquando ſe non parum ſtultum exhibere, non ex defectu luminis intellectûs, quod eſt acutiſſimum ; ſed excæcantibus eum ſuperbiâ, ſimultate, livoreque multo. Contemptum erga malos oſtendit aliquando, quò poſſent averti penitus ab illius obſequio. Sed malignî cæcitatem participant, & contempti perſeverant in via mala. Non modicum inter ſupplicia peccatoris putetur hoc eſſe : nempe quòd ipſe virtutis inimicus perhibeat quandoque, ſe nequaquam æſtimatione proſequi malos, imo graviter illos aſpernari : cumque placentes ei delinquunt, deſpectionem rependat.

25. Evangelizante Paulo multa patrabat mirabilia, jam non ille, qui quondam veritatis oppugnator ; ſed ejuſdem teſtis fideliſſimus. Recedebant languores pellebanturque dæmonia. Judæi quidam vóluerunt expellere ſpiritus malignos invocato nomine Jeſu : & notavit Chryſoſtomus, illos fide caruiſſe, necnon intendiſſe lucrum. *Ita*, inquit, *omnia faciebant, negotiationis ac lucri gratiâ. Noluerunt quidem credere, ſed per nomen voluerunt ejicere dæmones.* Attende quid ad eos adjurantes reſponderit ſpiritus nequam. *Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis : Jeſum novi, & Paulum ſcio : vos autem qui eſtis ?* Putabam, dæmonem potiùs ad ipſos ita locuturum : Quid me curatis hinc ejicere, qui filii mei eſtis ? ita parentem lædere vultis ? Exiſtimatio noſtra non extitit prorſus inanis : huic enim favere videntur dicta Chryſoſtomi : qui prædicta verba dæmonis exponens, ait : *Quaſi diceret : Vos non creditis, ſed abutentes hoc nomine, talia dicitis. Igitur deſertum templum, & facilè expugnabilia arma eſtis : & ita non eſtis præcones, ſed mei, inquit, eſtis.* Communis adverſarius, qui numerabat homines illos quaſi ſuos, cur non appellavit eos filios proprios, ut ceſſarent ab adjurando, prolato nomine Salvatoris, quem timet ſatan ? Quia, ſi vocaſſet ipſos filios, non manifeſtum faceret illorum deſpectum : ſolent enim parentes non parvifacere gnatos. At inquiens : *Vos autem qui eſtis ?* contemptibiliter locutus eſt ad illos. Proficuus eſt ad hunc locum Lorinus : *Sed & contemptum importat* : Tu quis es ? *Significaturque iſto loquendi modo ejuſmodi eſſe, quem alloquimur, ut non ſolum ſit, indignus, qui veniat in aliorum notitiam ; ſed dignus quoque, cum perſpecta ſit vilis, & prorſus abjecta conditio ipſius, qui perpetuo ſilentio tegatur, vel non memoretur niſi contemptim, & probrosè.* Peccabant iſti, ſicut ex dictis liquet, etiam in adjuratione, qua pellere cupiebant ſpiritus malignos, fide carentes, & avaritiæ dediti. Peccatum eſt obſequium diaboli. Sed qua remuneratione gratificatus eſt hoc diabolus ? Contemptu verbis expreſſo. Si necnon à dæmone venit aliquando peccatori contumelia : quid erit à quo non valeat contingere malis *ignominia* ?

S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom. 41. in Act. aliquâto poſt princ. Actor. 19. 15.

Idem Chryſ. proxime ſup. juxta med.

Lorin. in Act. ib.

DELIBATIO III.

SS. Apoſtolorum exempla, qui Magiſtri verbis acquieſcentes, à nobis glorificari promerentur.

Qui autem acquieſcit arguenti glorificabitur. Gloriam eximiam, humilitatis fructum, reportat alumnus præceptorem libenter audiens arguentem. In hac ſubmiſſione, ſicut in aliis virtutum actibus, nobis exiſtere duces Apoſtoli ſancti : quorum facta per imitationem à longe ſequi non vetamur. Perpendamus aliquot, ſcientes quanta ſit exempli majorum vis in benefactis. Petrus Bleſenſis : *Exemplo ſiquidem veterum Patrum confirmatur fides, ſpes erigitur, nutritur charitas, deprimitur ſuperbia, humilitas cuſtoditur, augetur devotio, & bene operandi deſiderium excitatur.* Quapropter ſubjiciam nonnulla SS. Apoſtolorum exempla correptioni ſummi Doctoris acquieſcentium. Primum deſumamus à D. Petro. Audiens ex ore Magiſtri, oportere tendere Jeroſolymam, & multa pati, mortemque ſuſtinere, ductus amore ſuo, dixit : *Abſit à te Domine : non erit tibi hoc. Qui converſus, dixit Petro : Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi* : &c. Increpationem iſtam Princeps Apoſtolorum ſic tulit modeſte, quòd nec verbum legamus retuliſſe Domino ; cum tamen acris fuerit hæc objurgatio ; prout verba ſonant, & Chryſoſtomus expreſſit, inquiens : *Sic etiam hic à contrariis Petrum repreſſit : & increpationis acrimonia timorem paſſionis extinxit.* Alii laudabunt Apoſtolî ſubmiſſionem, cum tacuit reprehenſus : mihi ſanè magis mirandus amor ejuſdem acquieſcentis dilecto Magiſtro, de morte ſubeundâ Jeroſolymis agenti. Dilectionis egregium opus extitit affectum ſuum taliter ſubigere, quod non ampliùs verbo reluctatus eſt adhuc recuſans Chriſtum ſibi chariſſimum per mortem deperdere. Fuit, inquam, inclytus iſte virtutis actus : novimus enim quàm ſit clara victoria cujuſque de ſemetipſo, dicente Macario : *Quocirca qui ſubjugat animam ſuam, ac ſibi ſuiſque appetitionibus ſubiraſcitur, perinde ſe habet, ut qui civitatem hoſtium ſuorum ſubjugat, mereturque ille bonam menſuram ſpiritus aſſequi, ac beneficio virtutis divinæ homo purus evadit, fitque ſeipſo præſtantior.* Notum eſt, Petrum ex dilectione reſtitiſſe priùs Chriſti Domini dictis. Paſchaſius : *Inde eſt*, ait, *quòd ex ardore amoris ; ex fidei firmitate, ex reverentia pietatis aſſumit eum ſeorſum ut & Magiſtrum compeſcat à talibus*, &c. Hic ardor acquievit arguenti Domino, non ultra quidquam replicare prorſus audens. Patitur amor non reſiſtere, nec rurſus conari, ne dilectum amittat ? O victoriam ter illuſtrem ! Arduum enim eſt ut affectus vincat ſemetipſum circa dilectum amittendum. Illemet amor, qui tam facile relinquit omnia, ſibi ſufficiens ; cum perdere cogitur eum in quem tendit, acquieſcit difficulter.

26. *Arduum eſt quòd amor ſe vincat circa dilectum amittendum.*

Petr. Bleſ. com. in Iob in præfat.

Matth. 16. 22. 23.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 2. hom. 88. in Matth. poſt med.

S. Macar. hom. 15. longe poſt med.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. c. 18.

Conſummato mortalis vitæ ſtadio, & 27.

humanæ

humanæ redemptionis expleto jam ſtudio, redierat Salvator ad ſuos è tumulo. Converſatus interruptim cum illis (licet non ut antea frequens) majeſtatem clementer attemperabat humanitati; quò ſic, eumdem eſſe qui prius erat, non dubitarent. Ventum eſt ad triumphalem Aſcenſionis diem; eductis in Bethaniam benedixit eis. *Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno*: &c. Ita Lucas Evangeliſta. Commentatur Dionyſius Carthuſianus: Cum gaudio magno: *tam de Chriſti ſui prædilecti magiſtri atque dulciſſimi Domini glorioſâ Aſcenſione, felicitate & gloria, quàm de beneficiis Dei eis datis ac dandis*; &c. Notatu dignum eſt, gaudium iſtud non citiùs incepiſſe. Dona jam recepta, quare non eâdem luce moverunt in Apoſtolis exultationem priuſquam Redemptor ab eorum oculis auferretur? Aſcenſio glorioſa Magiſtri, cur non eorum corda perfudit hilaritate ſummâ, cum primùm Dominus pedem levavit è terra Diſcedens in cœleſtia? Tantum abfuit ut illi tunc gauderent, quòd potiùs præ dolore lacrymarentur. Ita meditatus eſt D. Fulgentius animadvertens, Angelos adveniſſe duos, ut eorum fletus verterentur in gaudium. *Mittit continuò duos cœleſtes prætores, ut alumnos ſuos ſecuros redderet metuentes, & in gaudium converteret lacrymantes.* Diceres Apoſtolos potiùs ploraturos, cum penitus haud cernentes chariſſimum Præceptorem, à diſceſſionis ejus loco regrediebantur; video tamen tunc exultaſſe gaudio magno. Quid, quæſo detinuit lætitiam iſtam, ne pectoribus illorum ferret auxilium ſtatim cum aſpiciebant incipientem aſcendere Chriſtum Dominum? Difficultas patiendi voluntariè jacturam, quam ſubierunt per abſentiam Redemptoris amati, prohibuit eos lætari priuſquam omnino perderent ejus conſpectum. Cum ille poteſtate propriâ ferebatur in æthera, ſequebatur amor inclinationem ſuam, pariter atque Dominum: nam, ut idem Fulgentius dixit, *amor in nube, viſus delectabilis in aëre.* Tunc adhuc affectus quandiu non vetavit nubes, luminum acie conabatur ſupplere diſtantiam, veluti coactè diſceſſioni Salvatoris conſentiens, vel potiùs non reſiſtens. Pugnabat amor ſecum: ac præ certaminis anhelo conflictu lætitia tardis greſſibus accedens, in præcordia non maturavit ingreſſum: durum quippe dilectio ſuſtinet prælium, cum perdere compellitur amatum. Denique detriumphavit iſta ſemetipſam, plenè conſentiens amiſſioni tantæ: gaudenſque de celebri victoria, regredientes profudit *gaudio magno.* Crede, ſatis acerbi pretio belli comparari triumphum, quo potitur amor, cum, ne dilecto reluctetur, accommodum ſe præbet ſponte damno, quod per ipſius abſentiam ſe paſſurum, non ignorat. In hoc enituit ergo D. Petri glorioſè robur, cum Domino reprehendente ſiluit eo tempore, quo mortem ipſius futuram non patiens, verba dixerat arguenda.

Luc. 24. 51. 52.

Dion. Carthuſ. com in Luc. art. 50.

S. Fulgent. hom 49. de Aſcen. Dom.

Idem ib.

28. *Pluris fit à Domino juſtus cum ejus clementiam imitatur.*

Secundum exemplum diſcipulorum acquieſcentium arguenti Magiſtro notemus in Jacobo & Joanne. Cum vidiſſent hi, Samaritanos inurbanè Chriſtum Dominum in urbem recipere noluiſſe, *dixerunt Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et converſus increpavit illos*, &c. ubi Euthymius: *Itaque irati ſunt quòd præceptorem ſpreviſſent: interrogaverunt ergo an contemptores ulciſci oporteret; utpote Zelotem Eliam imitantes. Increpavit autem illos Chriſtus tamquam clemens*: &c. Non legitur, duos illos Apoſtolos, arguente Domino, contendiſſe, cupientes ut poſt increpationem adhuc permitteret ignem advocari de cælo, quò punirentur contemptores. A nobis nequaquam tacenda porro taciturnitas hæc eſt, quam ex ipſo Scripturæ ſilentio colligo: quia glorificari promerentur egregiè peramantes alumni; quorum tetigit corda Salvatoris contemptus, ita quòd acrem deſideraverint ultionem cœlitus venire ſuper offenſores. Altiſſimo placet zelus valde, quò juſtis diſplicent injuriæ Dei: præſertim, quia foret impium ſuſtinere læſiones honoris Domini. D. Joannes Chryſoſtomus: *Quoniam*, ait, *in propriis injuriis eſſe quempiam patientem laudabile eſt: injurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium.* Nihilominus, cum infinita majeſtas pluris faciat ſe benignum exhibere, quàm vindicem; glorioſiùs exaltari dignus eſt amator illius, cum zelantem pro ipſius honorificatione premens ardorem, coaptat ſe clementiæ ſummæ; quàm dum æquitatis jura perſequens vindictam diligit offenſarum, quibus manſuetudinem divinam lædi novit. Longe majoris ab Omnipotente fieri perhibetur vir perfectus, cum cernens offenſum Altiſſimum, cor proprium flectit, ut ejus imitetur patientiam; quàm cum pro juſtitia pugnans, offenſiones Dei vult ſupplicio ferire.

Luc. 9. 54. 55.

Euthym. in Luc. c. 33.

Chryſoſt to. 2. hom 5 op. imp. in Matth. longe valde ante fi.

29. Plurimum irritaverat idololatra rex Achab nequitiâ ſuâ Dominum. Quod non ferens Elias concluſit cœlum, ne ros & pluvia decid rent. Credidiſſes, hujuſmodi zelum erga læſum Numinis de us munerandum ſtatim obſequiis Angelorum deferentium Prophetæ cibaria, cum erat abſconditus in Torrente Carith. Non ita factum eſt; ſed audivit ſermonem Domini dicentis: *Et ibi de torrente bibet: corviſque præcepi ut paſcant te ibi.* Non ſegnes ei famulabantur miniſtri; ſed ignobiles, etiamſi cum alitibus permultis aliis æquiparentur. Siccatus eſt poſtea torrens: & non multùm honorificè proviſum eſt Eliæ: dictum quippe fuit ad eum: *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut paſcat te.* Non, inquam, multò fuit affectus Elias honore per iſtiuſmodi proviſionem: nam ivit ad viduam fameſcentem ethnicam, & rogavit eam pro cibo & potu. S. Joannes Chryſoſtomus: *Itaque cum deficiente per corvos alimonia, tranſiret multum temporis, iterum corripitur Elias, & in alium tranſire locum jubetur, ut famelicus ipſe famelicæ viduæ, quæ & ethnica erat, ſupplex eſſet.* Elapſo non modico tempore prohibitas aquas de cœlo

3. Reg. 17. 4.

Ib. n. 9.

Chryſoſt to. 1. ſer. 1. de Elia.

daturus Dominus erat. Notificavit hoc vati : nec ipſe reſtitit inſiſtens ultioni delinquentium. 3. Reg. 18. 2. *Vade, & oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ. Ivit ergo Elias,* &c. Poſt deſcenſum pluvialium aquarum Jezabelem timens Propheta diſceſſit in deſertum : & ecce per Angelum defertur ei cibus. Ib. c. 19. 5. 6. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi : Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ :* &c. Jam paſcitur Elias Angelico miniſterio. An prius Deo multùm dilectus non erat, ut per nuntium cæleſtem foveretur? Antea per corvos alitur ; deinde per viduam rogatam ; nunc autem Angelus affert nutrimentum. Dignior erat munere tam gloriosè delato Propheta, quando jam proprium cor inflexerat, ſatagente Deo, ad clementiam circa populum ; quàm tempore præterito, cum ſeverus pro Domino vindex non ſuſtinebat offenſas Altiſſimi. Dixerat, rorem, pluviamque non futuram ; haud tamen addidit : Niſi cum Dominus clementer conceſſerit ; ſed ait : Ibid. c. 17. 1. *Si erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* Quo ſatis oſtendit, non ſe conformem tunc miſerationi Dominicæ ; quia non ſupplicii tempus ita præſcribebat, ut ei, qui miſericors eſt infinitè, relinqueret quandonam levandum eſſet flagellum ; ſed hanc veluti remiſſionem beneplacito proprio reſervavit. Imo Chryſoſtomus introducit Eliam dicentem Deo : Chryſoſt. prox. ſup. *Non, quando tibi videbitur, pœnæ finem facias. Tibi enim pro clementia tua ſemper videtur miſericorditer agendum.* Audis quantum de mente Doctoris aurei difformis erat auſteritas Prophetæ divinæ lenitati. Tunc temporis igitur non ita glorificatus eſt, ut Angelico famulatu potiretur. Poſthac Deus illum tacitus arguit, non ut crudelem increpans (culpâ quippe vacabat zelator inſignis pro Deo) ſed ut mititatem ſuaderet in plebem Dei : tandem acquievit Elias flexus ad clementiam : Baſilius Seleucienſis : S. Baſil. Seleuc. or. 11. ad fin. *Elias autem*, inquit, *Dei machinis ad humanitatem inflexus hominum bono nubibus pluviam dabat, & rurſum cœlum nubibus induebatur* : &c. Poſtquam igitur Elias acquieſcens bonitati ſummæ, verſus ad hujus imitationem, ſe præbuit mitem, ita glorificatus eſt, ut Angelum habuerit miniſtrantem. Inde pronum eſt inferre quantùm benigniſſimo Salvatori complacuerint Joannes & Jacobus : qui Redemptoris arguentis præcitato caſu verbis facti leniores acquieverunt ; ne deſerere viderentur Præceptoris diſciplinam.

30. *Laudabilis eſt quærens occaſionem reprehenſionis.*

Tertium exemplum eſto diſcipulorum, qui, prout habetur ex narratis à Matthæo, non potuerunt ejicere ſpiritum nequam ab energumeno : accedentes enim ad Jeſum quæſiverunt ab eo : Matth. 17. 18. *Quare nos non potuimus ejicere illum ?* Notare juvat humilem diſcipulorum quæſtionem ; qua non renuerunt argui per Magiſtrum : nam, prout eſt veroſimile, ſatis intellexerunt, ſe culpâ non vacuos in hoc eventu. Lira : Lir. ib. *Probabiliter enim timebant, quòd ex culpâ eorum erat in parte, & ideo nolebant de hoc Jeſum publicè interrogare, ſed magis in ſecreto.* Duo ſunt hîc in diſcipulis laudanda : necnon imitationi fidelium proponenda. Primum quòd humiliter illi reticentes, increpationem, quam reſponſio Salvatoris continebat, ſuſcepere. Reſpondit etenim Dominus : Eod. c. n. 19. *Propter incredulitatem veſtram.* Secundum eſt, eos occaſionem obtuliſſe reprehenſioni ſuæ præſtandæ per Magiſtrum : quoniam taciti per ipſam interrogationem inſinuaverunt benevolum & gaudentem animum audiendi libenter, ſi arguerentur. Modeſtiſſimi, de ſeque viliter ſentientes, non utcumque, ſed voluptuosè ac benevolè correptiones amplectuntur, quamvis aſperas. S. Antiochus : S. Antioch. hom. 68. in princ. *Homo*, ait, (*ſiquidem de ſe quàm modeſtiſſimè ſentit, ſeque pro abjecto habet & vili*) *multâ cum animi voluptate, & benevolentiâ eas exceptat quæ in ſe recidunt correptiones, aut quamlibet aſperam objurgationem.* Non parum exequitur ille, qui reprehenſionem patienter excipit cum increpatur ; non tamen ita diligit eam, ut anſam tribuat reprehenſuro. Longe laudabilior eſt is, qui tam ſtrenuâ fertur humilitate, quòd argui non veritus exponit ſe ſponte reprehenſioni. Submiſſis auribus objurgantem ſuſtinere virtuoſum eſt : ſed objiciens ultro ſe, cum reprehendi poteſt, commendabilior extat.

31.

Emortuo Lazaro Dominus venit in ſororum conſpectum, revocaturus eum ad vitam. Ioann. 11. 21. *Dixit ergo Martha ad Jeſum : Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus :* &c. Poſſet utique Filius Dei reprehendere Marthæ defectum in fide circa ſe : nam Theophylactus inquit : Theoph. lact. com. in Joann. ib. *Fidem quidem habebat Martha in Chriſtum, ſed non quantam oportebat, ideo & dicit* : Domine, ſi fuiſſes hîc, &c. Clementiſſimus Dominus non eam increpavit quidem ; ſed eamdem minime laudaſſe lego ; quamvis ipſa dixerit : Eodem. c. n. 27. *Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Aliter ſe Redemptor habuit cum fœmina Chananæa : quæ licet ipſum adoraverit, & auxilium petierit, reſponſum accepit hujuſmodi : Matth. 15. 26. 27. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Ipſa reposuit humiliter : *Etiam Domine : nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Paſchaſius ait ibi : Paſchaſ. l. 7. in Matth. c. 15. *Se canem confeſſa eſt* &c. & infra : *Humilitas ejus quanta fuerit* &c. Lego, hanc mulierem inſigniter laudatam à Servatore noſtro, dicente : Eod. c. n. 28. *O mulier, magna eſt fides tua :* &c. Dubitabam quare Dominus haud commendaverit Martham ; Chananæam verò maximè ? Aliquid reponam ex multis, quòd ſit è re noſtra. Utramque divinus Magiſter increpare poſſet : Chananæam de vita gentili præterita ; Martham de non plena fide. Martha non ivit ad eum quærendum (exiens ſtatim ac mortuus eſt Lazarus à domo ſua) qui poſſet eamdem objurgare ; licet verum ſit ſuſtinuiſſe tacitam reprehenſionem dicentis Domini : Ioann. 11. 26. *Credis hoc ?* Non illa tetendit extra domum cum primùm frater mortuus fuit, ad Chriſtum hæc verba dicturum : non hoc modo ſollicitavit occaſionem reprehenſionis audiendæ. Atvero Chananæa de

de ſuis finibus egrediens venit ad Chriſtum, à quo poſſet argui ſeverè. Jure laudanda fuit: cum enim exaltari promereatur humilis, præconium ſuſcipere digna fuit ab ipſius ore Dei mulier, quæ ſemetipſam objecit reprehenſioni ſponteneè. Conjice nunc profundam ſubmiſſionem diſcipulorum, cum ſe ultro expoſuerunt increpationi Magiſtri ſui: quærentes ab eo qua de cauſa non valuerint illum ejicere dæmonem.

32. *Humilitas acquieſcentis ei, qui laudabile tacet; damnabileque reprehendit.*

Quartum exemplum ſumendum etiam eſt ex narratione Matthæi. Fluctibus operiebatur navicula: quam Dominus aſcenderat ſequentibus diſcipulis, æquore furente procellæ vi. Dormientem Præceptorem diſcipuli ſuſcitant, adjutorium poſtulantes. Objurgavit eos Magiſter, dicens: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Reprehenſi tacuere diſcipuli: nec parum inſigne fuit humilitatis opus increpationem iſtam ferre patienter: quamvis enim fidem præ ſe tulerint modicam; attamen in eis ita ſe gerentibus non omnia fuere quidem reprehenſibilia; cum laudabile fuerit ſpem ſuam in Chriſto Domino collocaſſe. S. Baſilius: *O mare*, inquit, *exanimatos metu diſcipulos præceptori reconcilians!* Magiſter, magiſter. *Vocem ingeminat animi perturbatio, & timorem arguit oratio*: Salva nos perimus. *Tu ſolus nobis ſalutis ſpes.* Comendatione certè non indigna fuit ſpes diſcipulorum in Magiſtro poſita; licet ipſorum fides modica meruerit increpari. Non exiguam ſtrenuitatem requirit patientia, quò ferat æquanimiter objurgationem, dum in reprehenſo dabatur aliquid commendabile; ſimul & aliud argui dignum. Utrumque ſanè (laudari ſcilicet ac vituperari) neceſſarium hominibus eſt: utrumque utile. Scripſit Clemens Alexandrinus: *Dico ergo, laudem, vituperationem, vel quod laudi & vituperationi eſt aſſimile, eſſe medicamenta hominibus maximè neceſſaria. Qui ſunt itaque curatu difficiles, ab igne, malleo, incude, hoc eſt, minis, reprehenſione, increpatione tamquam ferrum aguntur. Qui autem ipſam fidem attendunt, tamquam per ſe docti, & libero animi arbitrio impulſi, laude augentur.* Cum hæc ita ſint, arduum videtur, eum, qui laude propter unum dignus eſt affici; propter alterum verò reprehendi meretur, ob iſtud increpari; minimè verò commendari de alio. Sed hoc tibi quidem erit voluntariæ ſubmiſſionis inſigne facinus: acquieſcere libenter arguenti, cum objurgat quod erat in te damnabile; tacet autem quod laudare poſſet.

Matth. 8. 26.

S. Baſil. Seleuc. or. 22. ante fin.

Clemens Alex. l. 1. pedag. ad fin.

33.

Quia viderant Petrum honoratum à Domino per ſtateris redditionem, quam ei præſtandam injunxit pro ſe atque Simone; diſcipuli quid humanum paſſi quæſiverunt à Magiſtro: *Quis, putas, major eſt in regno cœlorum?* Dei Filius dixit ad illos: *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Theophylactus ad hunc locum: *Cum vidiſſet Jeſus diſcipulos inanis gloriæ vitio teneri, compreſſit eos: oſtendens illis per puerum faſtûs expertem humilitatis viam. Oportet enim nos humilitate mentis pueros eſſe*, &c. Et quæ proportio ſpontaneæ demiſſionis cum parvitate puerili? Non leviter hærebis in hoc: nam puerum nemo deprimendo parvum facit; humiles autem frequenter humiliantur à ſuperbis. Inſuper ipſe puellus non ſeipſum diminuit ut parvulus fieret; at humilitatis veræ ſectator ſemetipſum abjicit. Ergo quænam ſimilitudo pueri cum amatore humilitatis? Alias dimitto: venio feſtinus ad ea quæ dixi confirmanda. In ætate puſillo ſæpius quædam reperiuntur laudabilia; nec laudantur: ſi verò committat quidquam, reprehenditur. Exempli gratiâ, tempore, quo diſcit efformare litteras: licet multas pulchrè depingat, non ob iſtas laudatur à ludimagiſtro; quia verò tres erant in eadem cartha fœdæ, reprehenſioni ſubeſt ac ferulæ. Si nimis luſit cum ſuis coætaneis, abſque rixa; non laudem accipit quòd fuerit pacificus: increpatur quia fuit in ludendo nimius. Domum paternam venit afferens veſtis partem ſordidam; & mundam aliam: nequaquam ex unius partis munditia commendatur; objurgat autem illum pater de contractis per incuriam culpabilem ſordibus. Hæc omnia ſuſtinet, quin reponat: Et quomodo non de bono laudor? Sed arguor de malo? Sic vellet divinus Magiſter, juſtos humilitatem exercere: ferentes ultroneè reprehenſiones; quamvis ille qui diſciplinam eis adhibuerit, omnino ſileat in ipſis quod laudare quiviſſet. Sic Apoſtoli ſe geſſerunt in memorato caſu tempeſtatis; prout ſupra notavi, cupiens ut ſpirituales Redemptoris aſſeclæ ducentium arguitionibus acquieſcant, Apoſtolorum veſtigiis inſiſtentes.

Matth 18. 1.

Ib. n. 3.

Theophylact. tom. in Matth. ib.

34. *Reprehentio feriens intellectum poſtulat audientis magnum ſpiritum, quò feratur æquanimiter.*

Quintum SS. Apoſtolorum ſubjiciamus exemplum: Apud Matthæum eumdem legimus verba Domini, tunc temporis non valde perſpicua. Quantumvis enim Salvator noſter eſſet æterni Parentis infinita Sapientia (cujus vel unica facula totum ſplendorem ſolis longiſſimè ſuperexcellebat) non erat opportunum doctrinam ſacram ſemper ita ſub tanta claritate proponere, quòd haberetur contemptibilis à cunctis. Hæc ſi duriſſimi cenſores perpenderent, non ſic malo ducti zelo, ſub hypocrito claritatis amore jugiter damnarent decenter locutum de ſacris. Petrus quæ Magiſter dixerat non adhuc intelligens, *dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Salvator & Petrum, & alios reprehendit ſic: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Acrimoniam verborum Domini ſatis vides. Hanc non præteriit Paſchaſius: ait enim ad hunc locum: *Ipſos Apoſtolos, quamvis Judæi eſſent, durè increpat ſatis.* Non equidem blanda fuit ea reprehenſio divini Magiſtri: quia virga diſciplinæ ad eorum intellectum ictum collimavit. Theophylactus ad eum locum: *Increpat*, inquit, *diſcipulos Salvator, & inſipientiam exprobrat, vel offenſis, vel ut manifeſta ignorantibus. Dicit igitur: Non intelligitis quod omnes intelligunt & ſciunt?* Eo plus dolet percuſſio, quo nobilior eſt pars quæ feritur. Homo, ſi metaphyſico ritu loquamur adhuc, ex

Matth. 15. 13. 16.

Paſch. l. 7. in Matth. c. 15. ib.

Theophyl. com. in Matth. c. 15. ib.

rationali, ſenſitivo atque viventi componitur : & patet rationale ſuperare nobilitate compartes. Cumque ſummi dolores uſque ad mortem urgentes hominem tranſverberent in facultate ſenſitiva ; manet plus cruciare quod vulnerat hominem quatenus rationalem. Proinde ſtatuamus, magno ſpiritu virum indigere humilem, ut increpationem prudenter ſuſtineat ſpectantem ad intellectum. Oportet, non vulgariter hominem vigere ferentem æquanimiter objurgatorem, qui tangit audientis judicium, incuſans iſtud.

35. Iſraëlitæ paſti manna cœleſti, nauſeabant : & ingrati, cum gaudere debuiſſent, lacrymas emittebant. Intoleranda res viſa fuit hæc Moyſi : locutus eſt Domino, poſt aliaque dixit, ſe non valere ſolum ſuſtinere multitudinem totam illam. Deus ad Moyſen inquit, ut congreget ſeptuaginta viros, ac ducat in oſtium tabernaculi fœderis. Tene quod ſubdit : *Et auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Locus eſt non quidem nimis expeditus, eoquod id quod verba ſonant videatur eſſe, partem ſpiritûs Moyſaici diminuendam, & ſeptuaginta prædictis à Deo communicandam. Philoſophus dicet impoſſibile, quòd accidentia, nempe vitales actus, & habitus transferrentur ex parte de Moyſis anima ; ſubjectarentur deinceps in animis eligendorum. Senſus loci vulgò fertur, Omnipotentem donaturum ſeptuaginta viris congruentem ſpiritum ſpecie ſimilem Moyſaico ſpiritui ; qui manſurus erat integer. Scis nihilominus, Lorinum referre Joannem quemdam Segovienſem aſſeruiſſe, Deum abſtuliſſe verè partem ſpiritûs Moyſis : & Oleaſtrum putare probabile idem. Si Deus hoc præſtitit, locus dubio ſequenti datur. Apud Exodum legitur, quòd ex conſilio ſoceri Moyſes elegit ſtrenuos viros, qui minora judicarent, ne totum onus incumberet ipſius humeris. Quare non dicitur hîc, tuliſſe Deum de ſpiritu Moyſis, iiſque tradidiſſe, quò rectè perficerent munera ſua ? Reſpondeo. Magno ſpiritu quidem indigebat populi Gubernator optimus, ut poſtea memor, increpatum à Jethro ſe fuiſſe verbis, quæ ſtultitiæ notabant generum non doleret. Dixit ad Moyſen Jethro : *Stulto labore conſumeris* &c. Acris haud parum fuit objurgatio : quia tangebat Moyſis prudens judicium : quod non modicum robur patientiæ requirit ; & in Moyſe humilitatis exercitium extitit. S. Bruno Aſtenſis : *Quod*, ait, *enim Moyſes, qui aſſiduè cum Domino loquebatur, utile conſilium Jethro cognati, quamvis gentilis, non reſpuerit, viris eccleſiaſticis & in ſublimitate conſtitutis exemplum præbuit, ut minoribus, quamvis peccatoribus, bona & utilia ſuadentibus credere non dedignentur.* Unde non opportune tunc detraheretur quicquam à ſpiritu Moyſis, cum ferenda patienter illa reprehenſio ſpectans ad intellectum, & proinde magnas patientiæ vires flagitans. Hæc ſufficiant, ut laudemus juſtos, propriam ita complectentes abjectionem, ut non exaſperentur increpati ; licet id ſpectet ad mentis intelligentiam accuſandum. Ex hac humilitate laudandi valde ſunt Apoſtoli : quorum docilitas, reprehendente Magiſtro, quia lubens acquievit arguenti, *glorificabitur.*

Numer. 11. 17.

Videri poteſt Lorin. ad hunc Num. locum.

Exod. 18. 18.

S. Brun. Aſt. com. in Exod. c. 18. ad fin.

DELIBATIO IV.

Paupertatis dolor, ſine opprobrio. Supplicii cognitio. Odium veritatis. Dolet valde ſuperbus reprehendi.

EGeſtas. Is qui diſciplinam deſerit, vel eam contemnens accipere, vel receptam projiciens, plura ſolet mala committere ; pro quibus puniri dignus eſt : nam ducentem ſuperbus deſpicit : correptionem protervus odit : effrenis in crimina ruit. Quid eſt bonorum temporalium defectus, ut in conſiderationem veniat cum numeramus prædicti ſupplicia peccatoris ? Non exiguam credas pænam ſubire virum ſuſtinentem propter delicta penuriam. Paupertatis afflictionem ſic extulit Bleſenſis, ut aſſeruerit : *Martyrum aliud eſt in carne, aliud in ſpiritu. Quid eſt inter illa, niſi quia pauperum afflictio tractim & productiore ſpatio protrahitur : Martyrum verò paſſio quodam mortis & doloris compendio conſummatur ? Quod iſte ſuſtinet cum dilatione, ille cum acceleratione. Quod iſte paulatim, ille ſummatim, & in hoc pares ſunt : quia anguſtiam paſſionis, quam iſte in tranſitu tolerat, ille longo cruciatus tædio recompenſat.* De voluntaria paupertate videtur Archidiaconus iſta dicere ; cum ſit locutus occaſione paupertatis illorum, quos inter beatos numeravit Salvator celebri ſermone, qui refertur apud Matthæum. Quomodo torquebit inopia, ſi fuerit involuntaria ? Non dubites, hanc putari morte duriorem : hæc enim eſt plurimarum finis anxietatum ; egeſtas autem multorum cruciatuum radix extat. Mors forſan aliquantò minùs angit eoquòd ſit malum commune cunctis mortalibus, & ſoleat imminui tormentum à ſocietate multorum qui ſubſunt iidem. Atvero pauperies non æqualiter ſe protendens flagellat univerſos ; imò ſæpeſæpius abundant ſuperfluis illi, qui ſuperfluunt inertes omnino ſuper terram ; & indigent neceſſariis qui ſunt orbis veraciter ornamentum. Propterea, ſi mortis pænam conferamus anguſtiæ rerum, non deerit qui putet, iſtam graviorem eſſe morte.

36. *Involuntaria paupertas videtur eſſe pœna morte gravior.*

Petr. Bleſ. ſer. 42. de omni. SS.

Coram ſupremo Judice culpam tranſgreſſionis illius, quæ terrigenas peſſundavit, excuſans Protoplaſtus dixit miſerabiliter : *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Miſerabiliter, inquam : nam locutus eſt Adam q. d. Quomodo putarem, eam, quæ procreata fuit ut mihi ſolatio foret, futuram cauſam ruinæ ? Legè Chryſoſtomum ad præcitata. *Miſerabilia ſcilicet*, inquit, *verba, & magnâ miſeratione plena, & digna quæ ad miſericordiam Dominum provocent, tam manſuetum, & bonitate ſua vincentem noſtra peccata :*

37.

Geneſ. 3. 12.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 1. hom. 17 in Geneſ. longe ante med.

Et

Et infra : *Mulier quam dediſti ut ſit mecum. Quando enim expectaſſem, ut tanta confuſione me reſpergeret, quæ ideo conduta ut mihi ſolatio eſſet ?* Etſi Deum verba primi Parentis ad clementiam invitarent ; morte punitus eſt, licet in longa tempora dilata fuerit. Peccavit etiam Cain fratricidio : & interroganti Domino, ubi eſſet Abel frater
Geneſ. 4. 9. ejus, protervè *reſpondit : Neſcio. Num cuſtos fratris mei ſum ego ?* Procacitas homicidæ primi non latuit aureum Doctorem, di-
Chryſoſt. prox. ſup. hom. 19. med. centem : *Oportebat his omnibus cogitatis finem eſſe inſaniæ, & dicere quid factum, & oſtendere medico ulcus, & accipere ab illo pharmaca. Verum ille iterum diſrumpit vulnus, & ulcus increſcere facit, & dicit* : Haud ſcio. *Vide reſponſi impudentiam.* Ergo cur non plectitur impudens eâdem horâ morte ? Quinimo timenti ne per quemcumque reperientem necaretur, Dominus ait : *Nequaquam ita fiet*,
Geneſ. 4. 15. &c. Qua de cauſa ? Quia malus plus morte doliturus erat coactam pauperiem ortam ex eo quòd terram colens, fructus non colligeret. *Cum operatus*
Ibi. n. 12. S. Ioann. Chryſoſt. prox. ſup. eâdem hom. *fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos :* &c. Ad Chryſoſtomum revertere. *Magna pœnæ ſpecies*, inquit, *& grave indignationis pondus. Laborem quidem, inquit, ſuſtinebis, & quæ tu facere potes, omnia facies : & operaberis terram tali ſanguine coinquinatam : non ſenties autem aliquem fructum jam multorum laborum, ſed inutilis erit omnis labor tuus quem feceris.* Adamus, qui retulit verba lenitatem divinam advocantiæ, morte mulctatus eſt. Cain locutus inverecundè, temporalium defectu flagellatus fuit. Infer ex his quanta ſit non voluntariæ miſeriæ torſio, quam pauper experitur.

38. *Peccatorem non agnoſcere Dei ſupplicium eſſe quod patitur, pœnæ pars eſt.*

Enimvero rarus eſt improbus inops, qui rerum paucitatem, qua premitur, Dei vindictæ pro peccatis vertat : ſolent iſti, quo liberè querantur, infortunium appellare quod verè flagellum eſt. Parum Chriſtianè ſic loquuntur. An providentia ſumma de ſublunaribus viciſſitudinibus non
S. Gregor. Nazianz. or. 13. longe poſt princ. curat ? *Proinde refer*, inquit Nazianzenus, *unde plagæ tales & flagella, & quænam horum ſit ratio. Numquid commotio quædam univerſi inordinata & inæqualis, ac ſi nullus eſſet rector, fortuitoque hæc accidant, quemadmodum inſipientibus videtur*, &c. Et infra : *Unde igitur, dic, frugum eſt ſterilitas ? & ventorum impetus ?*
Idem 16. *necnon grandinis violentia*, &c ? Reſpondet S. Doctor ibidem : *Ideo nempe, quod ob ea quibus ſumus honorati, nec tamen ſumus grati, corripiamur virtutemque cognoſcamus ex iis quæ patimur, poſtquam illa nequaquam agnovimus, cum fortunatè ageremus.* Obliviſcitur ſponte vitiorum ſectator, ſe propter ſcelera ſic, vel aliter, verberari. Quæ ſuſtinet ipſe donat infelicitatis nomine ſolo. Sed, uti reor, ipſius pœnæ quædam pars eſt neſcire ſupplicium. Non ab iſta cogitatione longe Gregorius Magnus incedit,
S. Greg. Mag. to. 1. l. 13. mor. c. 9. cum ait : *Peccatores quidem nos eſſe ſemper agnoſcimus, ſed tamen ſæpe in flagello poſiti, pro quo magis peccato flagellemur, ignoramus : & noſipſos ſubtili inquiſitione diſcutimus, ut ſi quo modo poſſimus, cauſam percuſſionis noſtræ inveſtigare valeamus. Quæ dum plerumque nos latet, ſit nobis oneri cæcitas noſtra, & de eo quod patimur, plus dolemus.* Non vanè dixerim pœnæ portionem eſſe, quod punitus ignoret ſupplicium eſſe Dei quod patitur : ex neſcientiâ prædicta, verbereque ſimul componitur mulcta quorumdam.

Quàm graviter ſuperbia Nabuchodonoſoris flagellata fuerit vindicante Deo, tam notum lectoribus eſt, ut pigeat, hiſtoriam repetere. Si brevitatem in hoc meam damnaveris, me tuebor aſſumens D. Hieronymi verba : *Hiſtoria quidem manifeſta eſt, & non magna interpretatione indiget : quod ad offenſam Dei Nabuchodonoſor verſus in amentiam, ſeptem annis inter bruta alia vixerit* : &c. Peroptabam, ut nobis aperiret juſtitiæ divinæ recta ratio, quo fine permota Nabuchodonoſorem animadverterit privatione mentis rationalis : nonne conflictaretur ampliùs ille, ſi mentis compos meditaretur ad quem devenerit ſtatum delinquendo ? Sanè per ſeptem annorum ſeriem privatus eſt ſceptro. Cornelius Alapide : *Cum*, inquit, *Nabuchodonoſor tamquam amens & inſanus ejectus fuit, tunc regnum Chaldæorum per ſeptennium adminiſtravit Evilmerodach ejus filius, vel optimates, qui juxta vaticinium Danielis per ſeptenium expectarunt, ut Nabuchodonoſorem menti reſtitutum reciperent*, &c. An monarchæ ſuperbiſſimo parum foret acerbum, quòd judicio rationis utens videret ſeipſum per longa tempora projectum à ſolio ? Inſuper ipſe cum feris degens alebatur earum victu ſatis vili. Idem Alapide : *Cum feris*, ait, *quaſi fera verſabatur in ſilvis, earumdemque victu, ſcilicet herbis & radicibus, veſcebatur ; eaſque ex imaginatione & appetitu ferino* (*hunc enim ſignificat Cor feræ*) *& bovino cibi à Deo indito oppetebat.* Miſeram iſtam vivendi conditionem ſi Nabuchodonoſor judicio non læſus expenderet, quis inficias ibit, eum valde cogitatione torquendum ? Quare non intactum reliquit intellectum ejus vindicta ſuperna ? Quia nonnunquam ſupplicii pars eſt ignorare quod perpetimur in pœnam. Cerneret utique rex, hæc eſſe Dei flagella, ſi toto ſeptennio conſervaret liberum rationis uſum. Neſciat in morem bruti redactus : nam & id neſcire portio verberis eſt. Unde, licet impius perſæpe tribuat infelicitati pauperiem ſuam, voluntariè neſciens, punitionem exiſtere divinam ; non idcirco deſinit eſſe grave ſupplicium *egeſtas.*

39.

S. Hieron. to. 5. com. in Daniel. 4.

Alap. com. in Danie. 4. 30.

Idem ibi ad num 13. §. Quartò.

Et ignominia. Quamvis in textu noſtro conjunctim legamus egeſtatem & ignominiam ; ſoleatque multoties apud ſæculum paupertas haberi pro dedecore : non tamen exiſtimes, hîc Salomonem locutum de ignominia, quam in ipſa pauperie conſiſtere mundus putat ; ſed potius de alia, quæ provenit à cauſa verè contumelioſa ſecundùm judicium prudentum. Subſannat malorum amens turba, quos videt pati rerum anguſtias ; tamquam velut nemo putandus foret nihil habens. In hoc magis irridendum eſt ſæculum : quod hominem æſtimat de veſtitu, hoc eſt ; de poſſeſſionibus caducis, quibus induitur, ut in univerſi tragicomædia perſonam agat. Unde fit, opibus deſtitutos rubore ſuffundi, quaſi delictum commiſerint exe-

40. *Falſi criminis magnum opprobrium ; de paupertate veniens contumelia non ita.*

crabile, convictique fuiſſent. Ridiculum eſt hoc: imò ſi ſaperent, gloriarentur de paupertate; cum ſit verè felix, poſitis conditionibus requiſitis adhoc ut inter beatitudines enumeretur; quas ponere noſtrum eſt, auxiliante Deo. S. Ambroſius loquens de Apoſtolorum Principe:

S. Amb. to. 3. l. 7. in Luc. c. 10. *Ille*, ait, *gloriatur quod non habeat argentum neque aurum, vobis pudor eſt minus adhuc habere quàm cupitis? Eſt ergo & pauperies glorioſa, quia eſt & beata, de qua Scriptum eſt*: Beati pauperes &c. Si rationis ductum ſequimur, & non axiomata dementis philoſophiæ mundanæ; præcipuum hominis opprobrium eſt culpa, ſeu vera, ſeu putata. Tempeſtivus adeſt B. Bruno ad illud

B Brun. Herbip. ad Pſal. 30. 14. Pſal. 30. 14. *Factus ſum opprobrium*, dicens: *Contra probum dicimus improbum, id eſt, inhoneſtum & indecorum. Opprobrium autem ſignificat valde abominabile facinus.* Parvî momenti reputatur in divinæ mentis æquâ lance contumelia, quæ juſto provenit ex inopia; ſi verò naſcatur opprobrium illi de falſo crimine, magnum eſt hoc ſanè coram Domino. Non quomodo mundus æſtimat honorem, ſic Deus judicat. Apud judicium iſtud falli neſcium, ſi propter paupertatem contemneris, id ferè nihil eſt; ſi de ſcelere perperam argueris, hoc uti magnum computatur.

41. Neceſſitate compulſus decem juvenes David miſit ad ſalutandum nomine ſuo Nabal, & poſtulandam opem. O ſæculi perantiquam inæqualitatem! Abundabat Saul impius; petiit ſtipem David juſtus. Ruſticè, necnon impudenter Nabal reſponſum præbuit nuntiis:

1. Reg. 25. 10. *Ait: Quis eſt David? & quis eſt Filius Iſai? hodie increverunt ſervi qui fugiunt dominos ſuos.* Nuntiata ſunt hæc verba Davidi: nec tamen obtulit contumeliam Domino, cupiens ut pro illa rependeret ſibi poſtea bona. Notare placuit hoc: quia memini, Davidem propter Abſalomi perſecutionem fugæ præſidium capientem, fuiſſe percuſſum verbis contumelioſis à Semei; contumeliamque velut obtuliſſe Deo, pro recipienda compenſatione divina.

1. Reg 16. 11. 12. *Dimittite*, inquit, *eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* S. Ambroſius dixit:

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 48. *Incaleſcebat injuriæ dolore quaſi homo, ſed vincebat ſpiritu, quaſi bonus miles. Tolerabat athleta fortis: patientiæ autem finis, promiſſorum expectatio* &c. Utroque mehercle loco David adverſitate preſſus erat; & meliora conſequi ſperabat conſtanter de manu Domini. Pro maledictione Semei bonum expectabat aſſequi largiente Deo: propterea veluti dicabat proprium dolorem ſupremo largitori. Quare non pariter conceptam de verbis Nabal anxietatem conſecravit eidem Remuneratori tamquam pretium adjutorii futuri? Quia noverat, apud æſtimationem Dei parvipendi contumelias, quibus homines pauperem ex inopia proſequuntur (quale fuerat contumelioſum reſponſum Nabalis) nec voluit oblationem adeo tenuem ſacrare Domino. Magnum autem extitit poſthac opprobrium illatum à Semei: quia de malefactis, etſi falſis, impoſitis Davidi, componebatur.

2. Reg. 16. 7. 8. *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul: quoniam invaſiſti regnum pro eo*, &c. Quapropter patientiam ſuam ut holocauſtum Domino ſiſtere placuit: quia tunc veram patiebatur & valde gravem ignominiam, cum delicta, licet non vera, conjiciebantur in ejus faciem. Eos, qui nimis decus amant, vellem, abjicientes mundi vanitatem attendere contumeliam, quam operibus nequam ſibi negotiantur inviti. Nec putent, ſolam eſſe ignominiam, quæ de criminibus infertur ab altero: ſatis eſt conſcientia teſtis, ut non modica ſit peccatoribus *ignominia.*

42. *Ingratitudo gravis eſt odiſſe veræ dicentem.* *Ei qui deſerit.* Duo genera deferentium diſciplinam in commentario notavi: ſcilicet vel non recipientium illam; vel abjicientium jam receptam. Horum cuiquam accedit frequenter circumſtantia ſatis abominanda, noxiaque valde: ſcilicet, odio proſequi luce veritatis conantes eos illuminare; & manu correptionis à præcipitio detinere.

Claud. Epiſc. Taur. com. in c 4. Epiſt. ad Gala. poſt m. d. *Hæc eſt natura veritatis*, ait Claudius Epiſcopus, *ut eam inimicitiæ proſequantur, ſicut per adulationem perniciosæ amicitiæ conſequuntur; libenter enim quod delectat auditur: offendit omne quod nolumus.* Potius dicerem: hæc eſt mortalium iniquitas, qui rerum naturas adulterant: adulationem, quæ de ſe turpis eſt, imaginatione colorant: unde videtur libenter audientibus amicitiæ veræ ſignum: & econtra veritatis pulchritudinem tenebris (quæ de clauſis oculis propriis naſcuntur) denigrant; & ut horribilem execrantur. Ingratum valde genus hominum eſt odientium eos, qui ſibi vera loquuntur: parcè ſuggillabimus iſtos appellantes eos tantùm cæcos: nam luminibus orbatus lucem cupit; at illi ſplendorem veritatis deteſtantur. Potiùs diligere debuerant, & non lædere verum aperientes.

S. Iſidor. Peluſ. l. 2. ep. 480. D. Iſidorus Peluſiota: *Quòd*, inquit, *eum injuriâ afficere ſtudes, quem potiùs charum habere debebas, ut qui tibi, quæ de te omnium exiſtimatio ac ſententia eſſet aperuerit?* Peculiaris ingratitudo viſitur in eo, quòd homo circa veridicum aſſertorem afficiatur odio. Licet idem exoſus alia beneficia contulerit, neque gratos invenerit animos; hoc præcipuum videtur execrabilis ingratitudinis erratum, vera dicentem odiſſe.

43. Pro veritatis defenſione proferamus teſtem, qui *Veritas* eſt; nempe Redemptorem noſtrum. Ad Judæos ille dixit quondam:

Joann. 8 40. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo*: Rupertus ibi loquens in perſona Chriſti Domini:

Rupert. l. 8. in Joann. ib. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem non qualicumque pro cauſa vobis odioſum, ſed quia veritatem vobis locutus ſum*, &c. Nonne plura beneficia Salvator contulerat Judæorum populo? deteſtandumque videretur cuiquam prudenti, virum publicè beneficium occidi? quare non ibi verbo meminit aliorum, quibus Judaicæ benefecit plebi? ſed tantùm

tùm reprehendit, quòd hominem vellent interficere, qui verum locutus fuerat eis? Quoniam Judæorum ingratitudinem suggillabat verbis prædictis. Hugo Cardinalis ad illud: *Qui veritatem* &c. *Ideo debuistis grati esse & pro veritate & utilitate:* &c. Ceu non aliam experiretur Salvator à Judæis ingratitudinem, quàm ut vellent interimere illum qui veritatem dixerat, de hoc tantùm queritur prænotatis verbis. Execrabile namque peculiariter est ingratitudo simultate prosequi veridicum. Odio vera dicentis frequenter effervescit is qui disciplinæ bonum, vel recusans, vel postea rejiciens, *deserit.*

Hug. Card. ib.

44. *Quantùm superbus doleat reprehendi.* Lect. Heb. Prover. 13. 18.

Disciplinam. Non exprimit Salomon, an ejus mens fuerit hac voce comprehendere pœnam: præsertim cum Originaria pro, disciplinam, habeat: *Eruditionem*; secundùm quam lectionem adhuc res videtur magis dubia. Hoc unum scio, quòd superbo doloris amplius affert objurgatio, quàm supplicium. Per corporale flagellum corpus atteritur; & si non accedat ignominia, minùs illud angit. Increpatione minuitur, vel tollitur sæpe coram aliis existimatio; cujus læsionem plurimî ducunt honoris amantes nimii. Gregorius Magnus ait: *Isti cum se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt:* &c. Imo dicam. Si comparatio fiat reprehensionis verborum velamento contectæ, cum apertissimo verbere; magis aliquando se doluisse malus ostendet increpari tacitè, quàm percuti manifestè. Utinam dolor iste foret spiritualiter utilis per animi spontè mortificati compunctionem. Non enim desidero, quemquam dum reprehensione feritur, prorsus nullatenus dolere, quasi res non tangeret ipsum: quia licet justorum sit increpationibus gaudere; tamen hoc potiùs est eximia perfectorum virtus, quàm sit incipientibus consulenda submissio. Sentiat igitur, esto, peccator acerbitatem verborum, quibus increpatur à monente: sed iste cruciatus utinam sit fructuosus, & non vanus. At, proh dolor, accidit ut elatione tumidus indoluisse multum, inflactus manifestet, cùm ab homine modestè reprehenditur sub involucro verborum; si verò postea cælitus flagelletur, non tam se dolentem exhibet.

D. Gregor. Pap. to. 1. l. 10. mor. c. 3.

45. Impiè Jeroboam dabat operam sacrificando vitulis aureis: adfuit Propheta, qui minaci prædictione turbavit solemnia. Rex thus jaciebat: nec tamen ad illum verba fecit expresso nomine vates; dixit enim: *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Satis modestè locutus est vir Dei: nam licet hæc verba peterent Jeroboamum, ejus nomine tacito dicta sunt; & ad regem directa non fuerunt manifestè. Nihilominus non tulit superbus Prophetæ vocem: jubet illum apprehendi; sed factum est ut manus, quam extenderat contra vatem, exaresceret. An cernens aridam ille manum efferbuit irâ, rursusque jussit ut comprehenderetur vates? Minimè; sed *ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi.* Glossa ex Theodoreto: *Supplex rogavit prophetam, ut peteret non sceleris remissionem, sed manus curationem.* Hinc deduco, Jeroboamum nequaquam omnino deposuisse superbiam; cum non supplicaverit ei postulari veniam de crimine. Quid est ergo cur non exasperatur aridâ factâ manu? indignationis offert indicium audiens quæ dixerat Propheta minus acerbè, quàm posset? & expertus adeo gravem, quam promeruerat, pœnam, haud irascitur? Ne mireris. Inflati per tumorem cordis nonnunquam dolent ampliùs de verbis arguentium, quantumvis proferantur servatâ modestiâ; minùsque torqueri produnt, cùm à Domino verberantur validè. Tormentum est superbo, quòd homo quisquam sit ausus ipsum redarguere: quapropter increpantem respuens, *deserit disciplinam.*

3. Reg. 13. 2. Ib. n. 6. Gloss. Ord. ex Theodoret. q. 42.

DELIBATIO V.

Humilitas acquiescentis reprehensori: præsertim si factum existimabas bonum, vel arguens malus est, seu argueris injustè. Deus multîfacit acquiescentem increpanti.

46. *Profundior est humilitas acquiescere arguêti malum, quàm dirigenti ad bonum.*

Qui autem acquiescit. Duplici viâ, prout occasio fert ac prudentia dictat, vel simul, vel disjunctim solent animas per doctrinam illuminare spirituales magistri. Nunc hortantur ad bona sectanda; proponentes virtutum pulchritudinem, opimosque fructus earum: nunc autem delictorum fœditatem exprobrant iniquis, ut propriam turpitudinem introspicientes quærant pœnitentiæ lavacrum. Humilitas auditori suadet acquiescere monenti, vel iste rectum sectari doceat; vel malum à se patratum in faciem projiciat. Parum diligit animi submissionem quicumque solùm corde paratus est ad amplectendas regulas, quibus instruatur in exercitatione commendabilium factorum: non tamen æquo patitur pectore, sibi per alium (quem hortatorem agnoscit reverentiâ dignum) verbis objici mala quibus deliquit: sed contentus est agnoscere semetipsum reum. Non se nimiùm deprimit iste. Conscendit alter ulteriùs unum gradum scalæ demissionis propriæ: affirmans ultro, se peccatorem. Adhuc non ad perfectam sui dejectionem hic pervenit. Verè humilis non tantùm semetipsum damnat; sed ab alio se damnabilem audire non recusat. S. Laurentius Justinianus. *Indicia*, inquit, *autem veræ humilitatis sunt, ut sicut unusquisque peccatorem se dicit, ita id de se dicenti alteri non contradicat.* Justî libenter hortatum exequi dum bona suadet exequenda, non maximum est humilitatis opus; cum hoc aliquando superbus etiam perficiat. Longè majus extat non ægrè ferre quòd ab eodem

S. Laur. Just. in lig. vi. c. 4. de humilit. ad fin.

dem juſto ſibi crimen objiciatur : id enim tumidus non ſuſtinebit. Profundior eſt humilitas acquieſcere arguenti malum, quàm dirigenti ad bonum.

47. Mira virtutis eſt & arcana potentia : non ſolos rapit animos eorum, qui per callem rectum viam arcipere, quamvis frigido propoſito, deliberarunt ; ſed etiam impiorum aliquando voluntates in reverentiam, & fortaſſe timorem, neſcio qua trahit arte. Iniquus erat rex Herodes : Joannes habitaverat ſolitudinem ſatis à curia ſegregatus : attamen ſcribit S. Marcus : *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum : & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Audis acquieſcentem juſto ſuperbum ? Credo, te non obliviſci qualiter demum inſanierit versùs Baptiſtam Herodis ira. Denique poſuit eum in carcere. Quis timeret, Joannem carcerandum ab Herode ; qui metuebat eumdem, ac ejus dictis pronas offerebat aures ? quid præcipitem egit barbarum ? Non audire libenter increpationem, qua Joannes arguebat eundem, quod haberet uxorem fratris. Euthymius : *Cum autem vehementer*, inquit, *illum urgeret, arguens ac increpans eum, tandem Herodes hinc quidem devictus moleſtia, hinc autem vim quodammodo ab Herodiade perpeſſus, jam pudorem in iram commutavit : nec omnino quieſcens volebat eum occidere, timens verò multitudinem vinxit eum quaſi puniens : & ligavit eum, ne varialoca circumiens objurgaret eum.* Nequaquam admiratione tangerer, ſi tunc primùm locutus eſſet Joannes ad Herodem, cùm ejus libidinem coram damnavit : ſed quia libenter aliàs audiebatur à rege, necnon hic eum reverentia proſequebatur ; miror, poſt ipſum occidere voluiſſe. Sed hæc eſt ſuperbiæ quorumdam indoles : reverentur juſtos : eorum ſuſcipiunt monita circa facienda bona ; cum autem venitur ad hoc ut ab eis increpentur de ſcelere, furore corripiuntur adversùs illos. Pro virtuoſis factis exequendis doctrinam rectorum excipiunt aliqui, humilitate ſuadente ; ſeu potius diſſimulatâ ſuperbiâ : quæ poſtea prorumpit, cum objurgantur de crimine. Non igitur juſtus putet, ſe plurimùm per ſubmiſſionem deſcendiſſe, cùm docenti virtutis varios actus obtemperat : longe profundiùs humiliat ſemetipſum, cum objurganti de crimine ſpontaneus *acquieſcit.*

Marc. 6. 20.

Euthym. com. in Matth. c. 25. ante med.

48. *Magna humilitas eſt acquieſcere te reprehendenti quod bonum exiſtimabas.*

Arguenti. Multi ſunt gradus humilitatis, per quos deſcendendo conſcenditur : non eos nunc vacat ſeriatim numerare. Nonnihil diximus de quibuſdam ; alium adnotabo. Præmiſi primò ſpontaneè diſcentes ab alio bona peragenda : ſecundò ſe putantes iniquos ; cum ipſi viam tramite recto faciant : judicium iſtud, quod adversùm ſe proferunt reticentes : tertiò proferentes aſſertivè de ſeipſis quòd mali ſint ; quantumlibet multis virtutibus polleant : quartò ferentes æquanimiter increpationes alienas ; quibus ipſis exprobratur crimen, quod admiſerunt. Nunc adverte peculiare virtutis ejuſdem exercitium : cum ſcilicet humilis animo ſuſtinet libenti reprehenſionem de facto, quod ipſe putat inculpatum. Inſigniter iſte ſemetipſum abjicit ; cum etiam intellectum, ſi ſapit, ſubjiciat reprehendenti. Increpatus de verâ tranſgreſſione debitum ſolvit : id voluntariè præſtare non eſt nimis admirandum. Atverò citra culpam reprehenſus exolvit quod non debuerat. Hoc opus demiſſionis inclytum : hic patientiæ labor non exiguus eſt. Eo tamen juſtus adaugetur, coronam de certamine reportaturus, in quo pugnat ſtrenuè ſecum. Piam narrat hiſtoriam S. Joannes Climacus. Prælatus quidam ſortitus eſt œconomum & prudentem, mitem rei familiaris adminiſtrum. In hunc ſuperior graviter invectus eſt ; licet inſons eſſet culpæ, cujus arguebatur. Hoc agnoſcens Climacus, defenſionem pro illo cœpit inſtituere ſeorſum apud Antiſtitem : qui S. Joanni reſpondit hæc ejuſdem ſapientiâ digniſſima verba : *Haud ignoro, pater, innocentem eſſe : ſed quemadmodum æquum non eſt, ſed dolendum ; ſi ab eſurientis ore infantis panem deripias ; ita nocet & ſibi ipſi præſes, & ſubjecto, qui illi non ſemper augendæ coronæ (quantum quidem illum ſuſtinere poſſe cognoſcit) ſive irrogandis contumeliis, ſive ignominiis afferendis, ſeu contemnendo, ſeu illudendo occaſionem præbet.* Ex hinc, lector, intelliges, exerceri glorioſiùs humilitatem, cùm, citra cunctam impatientiam, verus humilis audit arguentem opus, quod bonum exiſtimabat ; quàm ſi de crimine manifeſto ſuſcipiat modeſtus objurgationem. Exiſtimabas operari te laudabiliter ; argueris ab altero culpæ : ſi manſuetus accipias arguitionem, commendabilius eſt hoc, quàm ſi de verò delicto reprehenſionem excipieres corde miti.

S. Joann. Clim. in ſcal. gr. 4. longe multum ante med.

49. In Eccleſiæ primordiis, Princeps Apoſtolorum profeſſionem judaiſmi ſimulavit, ut caveret offenſionem Judæorum : in quo ſanè bonâ fide putavit rectum agere. Cornelius Alapide : *Hoc tamen peccatum Petri leve fuit & veniale, aut materiale tantum, ex inconſideratione nimirum, vel defectu luminis & prudentiæ : putabat enim bona fide Petrus ſe Judæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat Doctor & Apoſtolus, offenſionem cavere debere potiùs, quàm Gentium, & Gentes idipſum ſcire, aut facilè cogitare poſſe.* Deſtitit ei Paulus, arguens ipſum, prout ille narrat ſcribens ad Galatas : *Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaïce : quomodo Gentes cogis Judaizare ?* Nullus non ſtupebit arca nam providentiam Dei, permittentis in hoc materiale peccatum expers maculæ decidere primum Vicarium ! Repones id permiſſum, ad hoc ut Petrus humiliaret ſemetipſum acceptam objurgationem Pauli. Bene. S. Anſelmus reſponſo tuo favet, inquiens : *Paulus adhuc erat minor, quamvis nunc ſit æqualis atque in eadem re factus eſt ſequax minoris ſui, ut etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolatûs culmine, eſſet primus & in humilitate. In hac itaque re eſt in Paulo laus juſtæ libertatis, in Petro ſanctæ humilitatis.* Sed adhuc inquiro. Quanam de cauſa non potius diſpoſitum cœlitus eſt, ad exercitium humilitatis Petri, Paulum arguere

Cornel. Alap. com. Ep. ad Gal. c. 2. 11.

Ad Galat. 2. 14.

D. Anſel. com. ad Gal. 2. ib.

arguere Petrum, ſervatâ modeſtia, de negationibus Magiſtri ? Quia negando Simon verè peccavit : non autem exiſtimabat, cum negaret, ſe bonum agere. Minus laudabile foret in Petro complecti ſubmiſſe reprehenſionem Pauli de negationibus, quas nunquam exiſtimavit laudabiles. Cum verò fuit objurgatus à Paulo de ſimulatione profeſſionis Judaïcæ, clariſſimus extitit propriæ demiſſionis actus amplecti libenter increpationem facti, quod exiſtimaverat commendabile. Illuſtre quidem ſe humiliantis geſtum hoc eſt.

50. *Humilium eſt à malis etiam hortatum ſuſcipere.*

Uſquenunc, dum acquieſcentis increpatori perpendebamus humilitatem, ſuppoſuimus, arguentem extare virum ſanctitate conſpicuum. Modò loquimur de reprehenſionibus humiliter acceptis, increpante peccatore : ſic veris humilibus alium prædictæ ſcalæ gradum oſtendemus. Notum eſt, Deum ad utilitatem ſuorum etiam iniquis uti. Propterea dixit Incertus : *Interdum Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum, exercet diſciplinam liberandorum.* Proinde quandoque bona doctrina per os hominis nequam derivatur ; ſicut aqua pura per denigratos canales. Ab iniquo prudens homo conſilium excipit, non curans quis proferat ; ſed quid afferat. Chryſoſtomus : *Non enim*, ait, *qualitas perſonarum conſulentium, ſed natura conſilii, in omnibus obſervanda eſt.* Multa ſalutaria documenta virtutis dilector amitteret, ſi quoties audit ab altero ſeu monitum ad operationem boni, ſeu reprehenſionem pro deteſtando malo, quærendum priùs foret de vita moribuſque ſic ducentis : inveniret enim plurimos doctrinam ſanam propinantes, quamvis ægros : & ſi rejiceret eapropter hortamenta ſalutifera, privaret homo ſemetipſum pharmaco, quia manus offerentis patitur ulcera. Ridiculum foret hoc in egente medicinâ corporis ; nedum in eis, qui ſpiritu laborant. Imo quantumvis tibi nota ſit nequitia docentis, accepta doctrinam prudenter, ne ſuperbè reſiſtere tibi contingat. Humilium eſt à malis etiam hortatum ſuſcipere.

Incert. in ſent. ex Aug. quæ habentur to. 3. operum ejuſd. n. 239.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom. de ferend. reprehenſ.

51. Noverat Salvator nequitiam Scribarum & Phariſæorum : imò verbis mox referendis eam clarè ſatis expreſſit. Nihilominus dixit. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite : ſecundum opera verò eorum nolite facere* : &c. Minimè nunc iſta me verba moverent, ſi dicta fuiſſent ad ſolas turbas : non enim ad populum attinet dijudicare ſui doctoris bonam vel malam vivendi rationem, ut ſic deliberet utrum ſit amplexurus, contempturuſvè ſermonem ſalutarem illius. Inſuper dignitas perſonæ documenta dantis poſtulat ut ad hæc attendatur ; non ad ejus opera. Optimè Zacharias Epiſcopus ad ſuprapoſita Redemptoris verba ex Hieronymo : *Propter ſacerdotium & nominis dignitatem hortatur populos, ut ſubjiciantur illis ; non opera, ſed doctrinam conſiderantes.* Attamen video, Filium Dei non ad ſolas turbas ; ſed ſimul ſuis hæc inſtillaſſe diſcipulis : Matthæus enim ait : *Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos*, &c. Quomodo Servator monet alumnos, ut Scribarum, & Phariſæorum doctrinam complectantur, cum poſtea dixerit, ſe magiſtrum eſſe diſcipulorum eorumdem unicum ? *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* S. Thomas ibi : *Chriſtus magiſterium ſibi attribuit, quia Chriſtus verbum eſt : & ideo ipſius eſt docere : quia nullus docet niſi per verbum.* Leve dubium diſſolvo. Cupiebat Unigenitus Patris humilitatem veram ſuadere ſuis, ad quos ibi ſic effatus eſt : *Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter.* Aquinas : *Poſtquam retraxit à ſuperbia, hortatur ad humilitatem.* Non ſummam abjectionem propriam diligerent diſcipuli Salvatoris in eo quòd perficerent ab illo præſcripta : nam quid magnum in genere humilitatis efficit diſciplinam complectens Sanctiſſimi, cujus verbo reſiſtere non audet ? Profundior erat humilitas in ſervando Scribarum & Phariſæorum dicta, quorum extabant iniqua facta. De malitia monentis adaugetur humilitas in auditore, ſi bonam ejus monitionem obſervat ; præteriens malefacta dicentis.

Ib. n. 10. S. Thom. com. in Matth. ib.

Matth. 23 11. S. Thom. prox. ſup. ib.

52. *Quanta humilitas patientis arguì non juſtè.*

Diximus acquieſcendum tum boni, tum impii correctoris diſciplinæ : ſupponentes, correptionem non injuſtam eſſe. Nunc aliquid addendum eſt circa reprehenſiones damnabiles : quia perſæpe contingit, ut ſub prætextu zelandi virtutem, tela mittat in bonos iniquitas. Hæc palliata per hypocriſim detorquet actus rectorum laudatione dignos, & ad judicium vocans inſontes, increpatione ferit ; ea, quæ præconio multo celebranda forent. Odio, livore, vel aliis teſtibus nequaquam oculatis creditur, ut virtutes damnentur quaſi crimina. Si verò non credant mali, ſe cuique perſuaſuros, impium eſſe geſtum patenter excellens ; nequitia per miram dexteritatem adinvenit errata, quæ procax imponat innocenti. Formatur proceſſus inauditâ parte : ſententia profertur, & adminus increpatione feritur inculpatus. Si humiliter excipit reprehenſionem : non exiguum colligens fructum ex eo, quòd malitiæ ſponte cedat. *Multum enim*, ait S. Ambroſius, *proderit nobis, ſi malitiæ cedamus. Vincit enim malum, qui ad tempus vinci videtur ab illo.* Ut clareſcat quantùm ſit laudanda ſubmiſſio patientis injuſtè penitus argui ; conferamus duplex humilitatis eximiæ ſignum : alterum ſit exhibere ſervitutem ei, cui non debueras : aliud eſto pati reprehenſionem, quam nullatenus merebaris. Quænam ex iſtis major demiſſio putabitur ? Sto pro ſecunda : nam prior alienæ poteſtati manus dat ; quæ non ſolet hoſtiliter ſe gerere contra non reſiſtentem ; At verò poſterior concedit ſuperbiæ arguentis : quæ gerit bellum etiam cum non reluctante. Idcirco reliquum eſt, juſtum amplius deprimere ſemetipſum in eo, quòd voluntariè ſuſtineat argui ſe non juſtè ; quàm ſi recuſans hoc, ſubjectionem ſolam exhibeat potenti, quam non debet. Injuſtam arguitionem ferre libenter majus quid eſt : ſubmittere ſe poteſtati liberum ab ea, ſi primum recuſes, minus eſſet.

S. Ambroſ. to. 3. com. in Epiſt. ad Rom. c. 12.

Matth. 23. 3.

Ex D. Hier. Zachar. Epiſ. l. 3. in unum ex 4. c. 141. in princ.

53. Acceſſerunt ad Petrum illi, quibus munus erat accipere ſolitum perſolvi di-
Matth.17.23. drachma. *Dixerunt ei : Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* Non temerariè præſumi poteſt, illos hoc dixiſſe Chriſtum Dominum arguentes quòd non ſolveret. Sic poteſt conjectari contra malitiam illorum,
Paſchaſ.l.8. in Matth.c. 17. ib. de qua Paſchaſius: *Hæc ſententia ſive interrogativè legatur, ſive pronunciativè unum eſt; quia inſidiosè fiebat, ut cum poſſent capere Judæis inſidiantibus.* Nota, ſecundùm S. Hieronymum didrachma prædictum fuiſſe
S. Hieron. to.9 l.3. in Matth. cod. c. tributum, quod pendebatur Cæſari. *Poſt*, inquit ille, *Auguſtum Cæſarem, Judæa facta eſt tributaria, & omnes cenſi capite ferebantur.* Ex alia ſententia locuti ſumus (ut bene memini) ſupra: nunc autem verſabo locum juxta placitum Hieronymi. Scis, Redemptorem noſtrum commiſiſſe Petro ſolutionem tributi poſteaquam ad Simonem dicta ſunt ea verba, quæ proximè retulimus inſidioſa; quod ex contextu patet. Quibus poſitis emergit dubium duplex. Primum. Ait hoc loco Dominus:
Matth. 17. 26. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare*, &c. Et quare non ſcandalum iſtud contemnit; ſicut ſprevit illud, cujus mentio fit ſuperiùs apud Hiſtoriographum eumdem? *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc,*
Ib.c.15.12. *ſcandalizati ſunt?* Secundum. Cur non Dei Filius injunxit citiùs Petro ſolvere tributum; ſcilicet antequam ullus de hoc loqueretur ad Simonem? Reſpondeo. Si Dominus: anticiparet exhibitionem cenſûs, humilitatem quidem exercebat etiam:
Hieron. prox. ſup. nam, ut Hieronymus notat, ille *tributa quaſi regum filius non debebat: ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem juſtitiam.* Per illam tamen anticipationem impediret argui ſe non juſtè; quod verba citata ſuperiùs, dicta Petro continebant. Arguitionem hanc pati renuens, & antea ſolvens tributum, præſtaret veluti ſervitutem Cæſari, quam non debebat. Iſta ſpontanea ſuî demiſſio, ſi per ſe ſola ſpectetur, minor eſt. Majorem pati delegit in eo quòd innocentem arguerint eum illi, qui de ſolutione didrachmatis locuti fuerunt ad Simonem: ideo non prævenit ſolutione ipſos. Perfectorum humilium eſt non vereri quòd arguantur injuſtè: imò frequenter juſti mites acquieſcunt nequiter *arguenti.*

54. *Appretiatio divina reprehenſi acquieſcentis.* Ianſen. Epiſc. com. in Prover. 15.18. Alapid. ib. *Glorificabitur.* Verbum iſtud myſticè quidem refertur ad gloriam æternam. Janſenius ait: *Qui verbo Dei, quod arguit noſtras pravas concupiſcentias, acquieſcit, honorem in cœlis aſſequetur æternum.* Litteraliter ſumendum eſt de glorificatione temporali; de qua dixit Alapide hîc: *Glorioſum eſt parere bene conſulenti, æquè ac mores ſuos rectè componere*, &c. Condeſcendens humanæ fragilitati Remunerator prudentiſſimus præmia ſæpe largitur in vita mortali; ſic manuducens ut ab eo dona præſtolemur longe majora. Si glorificationem iſtam acquieſcentis arguenti ſumamus reſpective ad eos, qui noverunt, hominem, cum argueretur, acquieviſſe; fateor, apud multos hunc non inventurum fore gloriam, ſed vituperium de hoc ipſo. Mundani plures vertunt probro modeſtiam, ſubmiſſionem, & prudentiam, qua propriæ ſalutis non oblitus excipit correptionem alterius: & econtrariò laudatur penes iſtos rebellis, qui ſi redarguatur, fremit, reſiſtit, inſultat. Non ſic rem judicabunt juſti, quorum eſt pendere quanti ſit faciendus ille, qui verecundus obtemperat increpanti. Hos audi: pro cunctis accipe Bernardum. *Vides*, inquit, *etiam à quantis è*
S.Bernar.ſer. 42. in Cant. *regione malis & ſe & nos liberat, qui correptus manſuetè reſpondit, verecundè acquieſcit, modeſtè obtemperat, humiliter confitetur? Huic ego animæ in omnibus me profitear debitorem, huic me miniſtrum & ſervum tamquam digniſſimæ Domini mei ſponſæ*, &c. Ex hac æſtimatione, qua tanti fieri dignam judicavit animam illam Bernardus imitator Dei, colligere pronum eſt, omnium Dominum ducere multî virum qui reprehendenti cedit: præſertim ſi reprehenſus aliàs major objurgante ſit. Credis quàm Deus complaceat in humili viro ferenti longanimiter à minori contumeliam? Adhuc iſtum pluris æſtimari non ſemel perhibetur, cum ab eo, quem ſuperexcellit, increpatus annuit. Appretiatione majori proſequitur Deus acquieſcentem dum reprehenditur à minori; quam cum patienter ignominiam ſuffert ab illo quem excellit.

55. Duplicem locum mutuò conferre libet, in quo David rex humilitatem ſuam fortiter exercuit: monitus per Abigail uxorem Nabal ab hujus nece abſtinuit: poſthac injuriam paſſus à Semei, noluit ut in audaciæ vindictam per Abiſai necaretur. Injurioſe reſponſum Nabal præſtiterat nuntiis David: qui deliberavit ultionem ſumere de ruſticano. Prudens occurrit malo tanto conjux ipſius, & verbis increpationem ſonantibus Davidem allocuta eſt, inquiens: *Malitia ergo non inveniatur* 1. Reg. 25. 28. 31. *in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Et poſt alia: *Non erit tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum cordis domino meo, quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te ultus fueris*: &c. Hortatui fœminæ conceſſit ſtrenuiſſimus David. Poſt non plurimos dies *percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.* Vindicem Deum habuit, qui vindicare ſe noluit. Salvianus:
Ib. n. 38. *David ſanctus, cum à Nabale Carmelo contumeliæ pertuliſſet injuriam, quia ſe ipſe ulciſci diſtulit, ultionem ſtatim Deo executore percepit.* Nonne difficilius erat audire patienter Semei, qui Davidi fugienti filium addidit verbis afflictionem afflicto? quare non & hic Dominus ſuſcepit Davidis partes, interficiens mox iſtum procaciter contra Regem pium? Quia David excellentiorem perfecit humilitatis actum recipiens libenter increpationem Abigail eò longe inferioris, ejuſque verbis acquieſcens; quàm ſuſtinens contumeliam à Semei necnon minore, vindictamque non ſumens. Tanti ſit coram Altiſſimo qui propriæ ſubmiſſionis amans, alterius monitis libenter cedit: magnificè quidem ab ipſo Deo *glorificabitur.*
Salvian. l. 2. de guber. Dei juxta med.

Verſiculum ſequentem prætermitto, morem ſequens apîs; quæ non ſolet omnes omnino libare flores: *Colligit*, ait, S. Anton. Paduanus,

Ulyſſ. ſer. Dom. 11. poſt Trin.

Paduanus, *ex uno flore quò indiget, & redit ad alveat, & operatur*, &c. Quæ hic meditare valerem quæri poſſunt partim ſuper fl. 10. partim verò infra fl. 20.

FLOS XIII.

Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.

APERITUR.

1. AXIOMATIS hujus perſpicuus adeo ſenſus eſt, ut ferè ſuperfluum reputem commentarium; ne putemur violentiam textui nos inferre, volentes tamquam obſcurum accipere quod apertum eſt. Memini ſententiæ D. Hieronimi quæ legitur apud eumdem occaſione verborum D. Petri, dicentis ad Magiſtrum: *Ediſſere nobis parabolam iſtam.* S. Doctor ſic habet: *Corripiturque Petrus à Domino, quare parabolicè dictum putet, quod perſpicue locutus eſt. Ex quo animadvertimus vitioſum eſſe auditorem, qui aut obſcura manifeſtè, aut manifeſtè dicta obſcurè velit intelligere.*

S. Hieron. to. 9. l. 2. in Matth. c. 15.

2. Attamen haud poſſum non aliquid in meditanda ſententia Salomonis immorari, non quia difficili; ſed utpote perutili. Similatur aquis homo necnon in eoquòd iſtæ ſaporem facile ſibi jungunt vicinum: licet non oporteat quod in circumſtantiis omnibus currat ſimilitudo; fateor enim malorum ſocietate bonos mores facillimè deperdi; laudabiles verò non tam facilè de conſortio juſtorum ſumi. Cum hoc tamen ſtat optimum conſilium S. Iſidori dicentis: *Vita malos, cave iniquos, fuge reprobos, ſperne ignavos à te. Bonis te conjunge, bonorum conſortium appete, bonorum ſocietatem require, ſanctis individuè adhære. Si fueris ſocius converſationis, eris & virtutis. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens eſt: qui cum ſtultis, ſtultus eſt. Similis enim ſimili conjungi ſolet.*

S. Iſid. Hiſpal. l. 2. Synony. c. 8. poſt med.

3. Sed video ſollicitos mortales ad fugienda detrimenta bonorum temporalium, dum jacturam ſibi timent ex aliorum ſodalitate; non ita verò circa ſpiritualia nocumenta, quæ timenda forent à contubernio malorum. Vigiles nimii ſunt erga caduca: ſocios nolunt cum periculo proprio, ita ut metus ipſorum, qui comitabantur infelicem poëta ſuggillaverit canens, ut non dicam deplorans:

Ovid. de Ponto l. 3. eleg 2. ad Cottam.

Cum feriant unum, non unum fulmina terrent:
Junctaque percuſſo turba pavere ſolet.
Cumque dedit partes venturæ ſigna ruinæ,
Sollicito vacuus ſit locus ille motu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?

Ut plurimùm timor diſcrimen fingit diſſociantibus amicitias adverſitatis tempore: quia non omnis infelicitas contagioſa. Sed eſto foret, quid hoc eſt comparatione peccati?

4. In laudabilium exemplorum ſequela placet advertere, congruum eſſe prudentiâ prædictis, ut non animum intendentes ad exempla ſola juſtorum omittant prorſus conſiderationem bonitatis quæ reperitur in actibus imitandis. *Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt: cui quidem & exempla concordant*: &c. Hæc S. Auguſtinus. Verum quidem eſt hoc non omnibus convenire quod monui: nam vir infelicis ingenii; ſed per ſimplicitatem rectam declinans vitia; virtuteſque ſectari cupiens, ſecuriùs dirigitur ſolis exemplis, quàm propriâ meditatione. Viros autem quibus affulget præclarus mentis fulgor, nollem cæco modo tendere per viam ſalutis, quoad extenditur intellectûs eorum acies: nam iſtis altius infigitur virtus, cum proprio diſcurſu non præſumptuoſo proponitur eorum voluntati; quàm ſi meris exemplis, oblito mentis uſu, ducerentur.

S. Aug. relatus in c. Sana. diſt. 10.

5. Nunc ad ſingula. *Qui cum ſapientibus.* Si loquitur ad litteram hoc loco Beda, diſplicet, quòd per ſapientes videtur intelligere inſtructos ſcientiâ, dixit enim: *Cum ſapientibus ire, eſt ſapientium actus imitari. Quamlibet ergo ſimplex quiſque ſit & ruſticus, qui arcana ſapientiæ comprehendere nequeat, ſi tamen ſapientium exempla vivendo ſectatur, jure inter ſapientes annumerabitur.* Similiter ſentire videtur Hugo Cardinalis, inquiens: *Quod enim illi ſtudio, hic exercitio bonorum operum acquierit.* Cornelius Alapide videtur tam virtutem quàm ſapientiam intelligere, verbo, *Sapientibus.* Sto cum Salazar, quia magis videtur illius mens cohærere phraſi non ſemel apud Paræmiaſtem inventæ. *Hic enim* (commentatur Interpres) *nomine ſapientum, non aliquos ſcientiarum omnium cognitione eruditos viros: ſed virtutum omnium prudenti exercitatione inſtructos accipiendos eſſe jam inde ſæpius admonui.*

Bed. in Proverb. 13. 20.

Hug. Card. & Alap. ibi.

Salaz. ibid.

6. *Graditur.* Nota quod in ſecunda parte proverbii, qua ſermo fit de malo non dicitur: Qui graditur cum ſtultis; in prima verò, cum fit mentio de rectâ via pergente, tunc legimus in Vulgata, *Graditur*, & in origine *Ambulat.* Certe malorum iterfactio potius eſt decidere; quàm greſſum facere: quoniam veluti pedibus carent, qui bonis actibus vacui ſunt. *Pedes quoque*, ait Remigius Epiſcopus, *in Sacra Scriptura aliquando bonas actiones ſignificant*, &c. Pedibus itur ad fontem, deviatur à præcipitio, necnon & ipſis terra proteritur, & alta conſcendendo tenentur. Pedum indolem reperies in virtuoſis actibus. Per hos tendimus in Deum; declinamus ab ſpirituali ruinâ, contemnimus terreſtria, ſimul in cœlum properantes.

Remig. Epiſc. in Epiſt. ad Rom. c. 10.

7. *Sapiens erit.* Hoc eſt juſtos imitabitur virtute. Non dixit hoc loco Salomon, eum qui ſodalis eſt hominum proborum, conſortem fieri temporaneorum munerum Dei; quæ ſæpeſæpius obveniunt prædictis in præmium virtutum de manu Domini: qui verè copioſiſſimus largitur; non tantùm ſuis repoſita cuſtodit ſempiternæ dona, quibus perpetuò remunerandi ſunt; ſed etiam multoties in vita mortali, tem-

poralibus cumulat eoſdem, tamquam exulibus mittens in levamentum donaria. De ſanctitate ſub nomine ſapientiæ ſermo fit in præſenti, dimiſſis aliis, quæ ſpectant ad vitæ mortalis uſum : nam ſatis magnum ſuimetipſius hæc ſanctitas præmium eſt; non unquam putandum virtutem remuneratione deſtitui. Remigius Antiſſiodorenſis : *Nunquam enim virtus eſt ſine præmio, ſicut nec vitium ſine pœna : habet enim hic præmium bonæ conſcientiæ, ille verò ſupplicium de præmio vitiorum.*

Remig. Antiſſiod. com. in Pſal. 18. ante fin.

8. Lect. Sept.

Amicus ſtultorum. Septuaginta in quibuſdam libris habent : *Qui unà circumvertitur cum ſtultis* &c. Ecce qualis progreſſus horum dici poteſt qui ſociantur hominibus nequam : non ; inquam, greſſus modo rationali, prudentique, ſed quædam circumrotatio quaſi mentecaptorum; vel eorum, qui facientes iter perdidere viam, & circumambulant, neſcientes quò tendant. Fruere Brunone Herbipolenſi ad illud Pſalmi 11. 9. *In circuitu* &c. *In circuitu impios ambulare, eſt tortuoſis moribus vivere, qui nunquam rectam viam ambulant, Chriſto derelicto, qui eſt vera via.* Circuitus malorum angit in vertiginem eorum capita, qua tot oculorum patiantur illuſiones.

Ad Pſal. 11. 9. Beat. Brun. Herbip. in com.

9. Rodolph. ad hunc loc.

Similis. Rodolphus hîc ex Hebraica littera : *Quaſi dicat : Non ſolum ſtultitiam acquiret, verùm etiam in damnum aliquod graviſſimum & extremum malum corruet, & more fictilis vaſis confractus, inutilis erit.* Æquitas divina relucet in eoquod eâdem viâ, qua tetendit homo ſpontaneus ad culpam, reperiat coactus pœnam. Per ſodalitatem cum iniquo multi vergunt ad nequitiam, ei ſimiles facti : ſocii necnon efficiuntur plagarum, quas poſtea patitur is, cujus conſortia dilexerunt.

Incert. ſub nomi. Egeſippi l. 4 de excid. urb. Jeroſ. c 8. poſt princ.

Efficietur. Advertendum tamen eſt, aliquos improborum ſocios non totam iniquitatem ſuam de contagio ſumere ſodalitii perverſi. Namplures antequam iſtud inirent amicitiæ fœdus, jam ſimiles erant malis, quorum ſodales poſt facti ſunt; & inſtigante ſimilitudine, ſodalitatem voluntatum contraxerunt. Apud Incertum legimus : *Non ſolere diverſa inter ſe ſtudia, diverſoſque mores convenire. Similitudo enim morum facit voluntatum ſocietatem, & cognata ſtudia ſibi nectit.*

DELIBATIO I.

Amicitiæ bonæ lucra ſpiritualia.

10. *Niſi rectus fueris, amore tè verò proſequi ſanctũ ne credas.*

ANtiqui ſapientes, naturæ lumine ſolo ducti paginas impleverunt in amicitiæ laudes effuſi; nec tamen ad id quod præcipuum eſt pervenerunt : ſcilicet ad fructum ſpiritualem, qui de vera colligitur amicitia ſæpe. Nobis aliquot animæ ponderanda ſunt emolumenta, non infrequenter venientia quibuſdam ex amico verô. Nec exiſtimes, dilectionem hominis improportionatam penitus eſſe, quò ducaris ad amorem Dei. Crede S. Aëlredo, qui ſic habet : *Quidam gradus eſt amicitiæ vicinus perfectioni, quæ in Dei dilectione, & cognitione conſiſtit, ut homo, ex amico hominis, Dei efficiatur amicus,* &c. & infra : *Non igitur videtur nimium gravis, vel innaturalis aſcenſus, de Chriſto, amorem inſpirante, quo amicum diligimus, ad Chriſtum, ſemetipſum amicum nobis præbentem, quem diligamus; ut ſuavitas ſuavitati, dulcedo dulcedini, affectus ſuccedat affectui.* Ut intelligas quantùm connectantur hæ duæ concordiæ; ſcilicet fœdus amicabile cum viro juſto; & amicitia circa Deum, dicam. Solus ille veraciter amicus eſt ſancti, qui moribus rectus eſt. Rationem hujus pronunciati paulò priùs tetigi : ſcilicet quia paritas morum ſolet affectus generare in compares. Etiam revertar ad S. Aëlredum, dicentem : *Amicitia itaque ſpiritalis inter bonos vitæ, morum, ſtudiorumque ſimili udine parturitur,* &c. Igitur bonorum is dicetur amicus, qui virtutem ſectatus fuerit : niſi rectus in opere fueris, amore te proſequi ſanctum verô non credas.

S. Aëlred l. 2. de ſpirit. amic. ante med.

Idem prox. ſup. l. 1. poſt med.

11. Paſſionis conflictui Redemptor appropinquans, relicturus Apoſtolos, amantiſſimè ſermocinatus eſt ad eos. Multa dixit, & magna : de quibus eligo perponenda quæ ſequuntur : *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Illud, *Eſtis*, quamvis de ſe habeat ſignificationem de præſenti; tamen hîc accipitur quaſi futurum, prout colligitur ex interpretatione, qua donavit eum locum Euthymius, inquiens : *At qui ſuperius cum diceret : Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæcumque ego præcipio vobis; oſtendit quod nondum erant, ſed futuri tunc cum ea facerent* : &c. Intellectu difficilia judicabis hæc verba Domini; quia diſcordare videntur ab eis, quæ paulo poſt ſubjicit : *Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Nemo non apparentem diſſonantiam notabit inter hæc & priora : nam ſi propterea diſcipulos honoravit amicitiæ venerabili nomine, quia nota fecerat ipſis arcana, jam illi amici erant; quomodo adhuc futuri ſub conditione ſi præcepta ſervaſſent? Dubium non latuit citatum Commentatorem, dicentem : *Quomodo ergo hic ait : Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis?* Dimitto ſolutionem, quam præbet interpres, & aliam offerre vellem ad rem noſtram. Juſti nullus eſt veraciter amicus, niſi juſtus. Cumque Salvator ſit ſanctus, imo ſanctiſſimus, Apoſtoli nequaquam ejus amici verè forent, ſi tranſgredientes ejus præcepta juſti non eſſent. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Lucem accipit meditatio hæc ex dicto Magni Gregorii. *Amicus*, inquit, *veritatis eſt rectæ amator actionis. Unde & ipſa veritas diſcipulis dicit :* Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. *Amicus quippe animæ cuſtos dicitur : unde non immeritò qui cuſtodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur, ejus amicus vocatur.* Hinc ad fœdera cum puris hominibus vitæque puritate præditis, gradum fac. Iſtorum convictu fortaſſis multi fruuntur; nullus verò præter juſtos, eorum nominetur ſimpliciter amicus. En quantùm nectantur amor virtutis cum dilectione virtuoſi.

11.

Joann. 15. 14.

Euthym cõ. in Ioann. ib.

Ioann. 15. 15.

Euthym. prox. ſup.

S. Greg Mag. to. 1. l. 27. mor. c. 8.

virtuoſi. Nunc annumeremus proventus aliquos emanantes ex eo, quòd quis juſto fœderetur amicè.

12. *Fructus amicitiæ aliquà do eſt non peccare, ne deſpliceas amico.*

Utilitas prima, multîque facienda, frequenter accidit familiariter converſanti cum recto viro; ſcilicet à peccato cavere ne diſpliceat illi. Sic tuus eſt ipſe cuſtos; & non tuis tantùm, ſed etiam ejus oculis invigilas tibi. Forſitan peccares niſi vereris apud illum erubeſcere: pariter & reverentiâ tangeris ne quid committas ingratum amanti, ſimul & amato probo. Appoſitè Humbertus, bonæ ſodalitatis deſcribens plura lucra, ſic habet: *Sextum emolumentum ex ſocietate bona eſt cuſtodia: qui in bona ſocietate eſt, quaſi plenus oculis ante & retro. Si aliquod malum in eo appareat, oſtenditur ei, vel prælato, qui habet eum corrigere. Erubeſcentiâ & reverentiâ aliorum à multis matis refrænatur*: &c. Non obliviſcor, motivum præcipuum vitandi crimina: nempe ne per iſta diſpliceamus Deo qui fideliſſimus amicus eſt ſe diligentium. Nihilominus permittendum aliquid eſt non malum fragilitati noſtræ. Hypocriſis abſit & gloria, vana, necnon & velleitas admittendi ſcelus, dato quòd juſtus amicus in cognitionem ejus non eſſet venturus: aliique prorſus exulent affectus mali. Hoc ſuppoſito damnandum non eſt abſtinere culpâ, ne diſplicentiam incurras amici juſti. De pacto quod iniviſti cum eodem, tibi promanabit hoc lucrum ſpiritûs. Aliquando non delinques, eoquòd noveris diſpliciturum fore peccatum ei, cujus voluntati nihil exoſum agere velles.

Humbert. l. 5. ſpec. relig. 1. c. 2. med.

13. Prælium erat inter domum Saul, atque Davidis. Regebat priorem Abner. Qui adversùs Isboſeth Saulis filium nimis iratus eſt propter verba quædam in ejus faciem ab ipſo prolata. Deliberavit transferre ſeipſum ad partes Davidis; miſſiſque nuntiis obtulit ei pacis fœdus, & David amicus ejus effectus eſt. Dixit ad eum Abner: *Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Iſraël, & ineam tecum fœdus*, &c. Aliquis exiſtimaret quod Abner percitus irâ necaret Isboſeth, ac illius caput afferret ipſi Davidi, velut offerens pignus amicitiæ veræ, qua ſuſtuliſſet hoſtem ejus de medio. Legimus illum interfectum à Rechab & Baana, de quibus textus ait: *Et attulerunt caput Isboſeth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboſeth filii Saul inimici tui*, &c. Quare non potiùs hoc executioni dedit Abner indignatione motus? Quia duo illi, de quibus priùs diximus interfectores Isboſeth putarunt ſe factum peregiſſe gratum Davidi. Signum exiſtimationis hujus eſt, quod expectabant præmium delato capite: prout aſſerit Sanctius, inquiens: *Quod caput curſu quàm potuerunt incitato maximè, tulerunt ad David, quaſi ab illo magnum aliquod laboris ſui, ac ſtudii pretium accepturi*: &c. Abner verò, prout veroſimile credo, noſcebat ingratum fore Davidi, ſi mortem inferret filio Saul: novit enim (prout ex ipſo textu deducitur) Davidem potuiſſe Saulem dormientem interficere, cum tulit haſtam, & ſcyphum aque, qui erat ad caput Saul, & poſt clamavit ad Abner: quo audiente dixit ad eum: *Quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem? ingreſſus eſt enim unus de turba, ut interficeret regem* &c. Facillimum erat intelligere diſpliciturum Davidi fore nimis ultionem de Saule pro ſemet ſumptam in capite Isboſeth. Noluit qui juſti Davidis amicus erat, exiens à conſpectu ejus ire ad occidendum Isboſeth: cavit homicidium, ne committeret ſcelus diſplicens amico. Vides quam ſit utilis ad vitandum crimen amicitia cum viro probo?

2. Reg. 3. 21.

Ib. c. 4. 8.

Sanct. ib. ad v. 8. 15.

1. Reg. 26. 15.

14. *Donum tribue oſtendens appretiare te multi recipientem.*

Secundus proventus nexus amicabilis, quo verò ſociaris amico virtutem ſectanti, liberalitas eſt non qualiſcumque; ſed ea, quæ viſitur in eleëmoſyna præſtanda, ſi forſan indiguerit. Dices paſſim occurrere tibi pauperes, quibus libenter auxilium feras; quin ad exercitium virtutis miſericordiæ ſit opus amicum quærere, cui ſtipem dones. Accedit quod ex alibi dictis infertur excellentiùs operari diſtribuentem ignotis opem quàm dilectis opitulantem ductum inclinatione naturæ; quæ ſuadet noſtris favere; cum auxilium præbens iis, quos nec de nomine cognoſcis id merè propter Deum exequaris. Addet aliquis, hoſtes beneficentiâ proſequi magnum quid eſſe, prout alibi notavimus. Ex his inſurgis, dicens: Quid peculiariter laudabile reperiri doces in dono, quod amico virtutis amatori confertur? Reſpondeo. Non eſt animus comparationem inſtituere nunc inter beneficium, quod tribuitur amico, & illud quod fit vel ignoto, vel adverſario. Citra comparationem loquar de priori tantùm; ac oſtendam circumſtantiam largitatis non levem, quam opere complet largiens amico pauperi; ſed virtute pollenti. Donans huic ita præſtat munus, ut non cum deſpectu perſonæ (ſicut multi ſolent vulgaribus opitulari miſeris) tribuat illud; ſed multî faciens accipientem. Vellem ut in omnibus eleëmoſynæ largitionibus inveniretur generoſus iſte donandi modus: cupiebam, inquam, ut pauper nullus eſſet contemptui, licet nudus. Audi monentem S. Laurentium Novarienſem: *Noli tu intendere mendicum aut peregrinum, captivum aut nudum; ſed Chriſtum, qui in his loquitur, contemplare. An non audiſti quid ait? Quandiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis!* Sed quia non omnium eſt ſic introſpicere pauperem, ut in ipſo. Regem regum latentem cernat; ideo ſaltem in amicorum, ſi juſti fuerint, paupertate levandâ, pretioſam inopis æſtimationem non prætereo. Hæc ab illâ quandoque manat amicitiâ: nec modicum illius lucrum eſt: nam valde nobile largi cordis opus extitit ita benefacere, quòd perhibeas te multî ducere recipientem donarium tuum. Dona; ſed oſtendens appretiare te magnî, minimeque vulgariter, eum, cui faves.

S. Laurent. Novar. hom. 2. de eleëm. ante med.

15. Devicto Goliath glorioſus David reverſus eſt ad conſpectum Saulis. Aderat Jonathas: cumque foret animo bellicoſus, ſtrenui pupilis fortitudo rapuit cor ejus;

& in amoris pignus tunicam donavit ei, non quacumque, ſed illam, qua tunc induebatur; ſimiliterque cætera veſtimenta, necnon gladium, arcum, & balteum. *Expoliavit ſe Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, uſque ad gladium & arcum ſuum, & uſque ad balteum.* Judicaret aliquis hanc liberalitatem Jonathæ non ſatis prudentem: nam, prout ſolent facta principum ſugillari per ipſos domeſticos, nedum per vulgi malignitatem, non deeſſet qui vocaret indecorum Jonathæ ſic exuere veſtimenta; cum facilè donare poſſet novello militi veſtes alias. Cur ergo non magis commiſit famulo, quod triumphatorem curaret aliunde pretiosè veſtiri? Quia ſic non oſtenderet appretiare ſe nimis perſonam Davidis; econtrariò verò multî facere teſtatus eſt illum, exuens tunicam, ut eam largiretur ipſi. Liranus: Expoliavit. *reputans eum quaſi ſeipſum.* Jonathas fuit quorumdam juſtorum typus. Angelomus: *Jonathas filius Saul, cujus anima David colligata eſt, illos ſanctos ſignificaſſe videtur, qui Domino Jeſu Chriſto ex populo Judæorum per fidem adhæſerunt, qui accepta Spiritus ſancti gratia pro Chriſti amore relictis omnibus, ipſum ſecuti ſunt, ſicut fuerunt Apoſtoli, & illi qui in Actibus Apoſtolorum vendebant omnia, & pretia afferebant ad pedes Apoſtolorum.* David etiam ſanctorum refert imaginem in occiſione Gigantis. Idem commentator: *David typum tenuit Domini .... eumdem Goliath David ſuperans, ſuo gladio occidit: quod ſancti quoque agunt, qui præmiſſi David membra ex ejus ſieri dignatione meruerunt.* Cum juſtus bono copulatur amicitiâ, fit inde, ut munus conferens illi, non utcumque largitatem exerceat; ſed probans æſtimare ſe magnî perſonam accipientis: quæ quidem circumſtantia donationis, hanc extollit valde. Fructus hic eſt amicitiæ cum bono laudabilitas iſta liberalis erogationis, inter alias utilitates initi conſortii non deſpicienda.

Reg. 1.18.4.

Liran. ib.

Angelom. com. in 1 Reg. c.18.

Idem ib. c. 17. fin.

16. *Effectus conſilii quod tribuit amicus bonus perdurat ſæpe.* Tull. l. de ſenect.

Tertium & uberrimum ſocietatis commendabilis emolumentum eſt, ab amico ſuſcipere conſilia recta. Monita ſapientum exſtare perutilia nemo niſi barbarus ignorat. Ad magna peragenda ſic via paratur. *Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio antiquorum & ſcientia*: Non tamen omnia, quantumlibet peritorum probanda ſunt conſilia: nam, ut ait quidam, *conſilia debent eſſe arcana, & veracia: addo etiam libera, & abſque adulatione, & ſine reſpectu perſonarum, denique juſta & ſancta.* His conditionibus exornantur amici boni conſulentis dicta: nam arcanè præſtari ſolent, illæsâ veritate, procul ab adulatione, libertatem affectu ſuadente, necnon, ſi juſtus conſultor eſt, ſervatâ rectitudine. Etſi qui conſulit non exiſtat ſapientiâ præſtantiſſimus; virtus & amor ſæpiſſime ſupplent quod eruditionis ad ejuſmodi præſtantiam deerat, ita ut interdum fidas ampliùs amici, quam periti verbo. S. Ambroſius de benevolentia ſcripſit: *In conſiliis fidelis, in proſperis læta, in triſtibus mæſta, ut unuſquiſque benevolentis ſe magis quam ſapientis credat conſilio*: Accidit frequenter, ut amantis conſilia propterea diuturniùs effectum pariant in audiente, quia manarunt ab ore dilecti: non citò prætereant ab aure; ſed permaneant.

Ægid. de regi. Princip.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c 32.

Noſtrum Paræmiaſtem conſulamus: ex ejus fertili, ſimul & amæno viridario præſenti, quod perluſtramus apis more, libantes florem alterum, quamvis longe poſitum. *Unguento*, inquit Salomon, *& variis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.* Quiſque facillimè dubitavit, quare non potiùs hoc loco ſapiens aſſimilavit amici conſilia recta muſicæ? Dubitandi ratio duplex occurrit: prima quia cum harmonicæ voces, quàm diligentis monita percipiuntur auditu, non olfactu: ſecunda, quoniam canens aliquando triſtia modulatur non inſuavia; nonnunquam verò læta; ſic prudens conſultor aliquando propinat amara; quandoque verò grata. Quid amici conſiliis bonis cum unguento, potiuſquam cum ſuavi melodia? Dicam. Concentus per aurem ſuſceptus delectat & præterit; unguenti fragrantia recreat, & manet. Haud aliter utplurimùm laudabile monitum à dilecto præſtitum dulcorat animam; ſed permanenter, quaſi recens foret adhuc. Favet aliqualiter Epiſcopus Gandavenſis, inquiens ad illud proverbium Salomonicum: *Conſilium fidelis amici ſemper recens & ſuave, magnam amœnitatem affert, præſertim talium amicorum de quibus ſcriptum eſt: Chriſti bonus odor ſumus, quorum conſilium fidelibus eſt odor vitæ in vitam, infidelibus vero odor mortis in mortem.* Ecce gratiſſima commoditas ex proborum dilectâ ſodalitate: nempe de ſalubribus monitis eorumdem efficaciter atque delectabiliter animos recipientium ſic imbui, quòd non leviter projiciantur ſtatim.

17. Proverb. 27. 9.

Cornel Janſen. com. in Proverb. ib.

Sed, ne putes, me ſolum collaudare prudentis amatoris conſilium jucundum, quamvis utile; tranſeo nunc ad increpationis ab amico verô datas. O qualem prudentiam dexet in objurgationibus dilectio! Aliàs non ſemel adnotabam, congruentiſſimum eſſe, quod reprehendens admiſceat manſuetudinem ſeveritati; ne perdat auſteritas nimia quod lenitas valeret elucrari. Quis hoc præſtabit fortiùs & ſuaviùs amico bono? Si non per modum conviciantis (ut aliqui ſuperbiam pallio zeli malè tegentes) increpabit amicum; ſed longe miſsâ quidem aſſentatione blanditiam adhibebit, imo nonnunquam preces. S. Bernardus ad quemdam ſcribebat ſic: *Quod loquor non quaſi hoſtis convicians; ſed quaſi amicus objurgans. Habet vera amicitia nonnumquam objurgationem, adulationem nunquam. Sed jungimus & obſecrationem.* Splendeſcit ex affabilitate miti reprehendentis amor aureus: qui prudens nec nimiâ compaſſione ductus juſtitiam deſerit puſillanimiter; nec rigidâ nimis auſteritate dilectionem obliviſcitur crudeliter. S. Laurentius Juſtinianus: *Sic itaque ſe habere debet in cunctis, ut nec juſtitia compaſſionem repellat, neque compaſſio juſtitiæ regulas prætermittat.*

18. *Arguentis lenitas pretioſa.*

S. Bernard. ep. 242. ad fin.

S. Laur. Juſt. de inſtit & reg. prælat. c. 9. ante med.

prætermittat. Nam juſtitia ſine compaſſione crudelitas eſt, & compaſſio abſque juſtitiæ rectitudine ignavia & puſillanimitas judicanda. Loquitur, fateor, S. Antiſtes de prælato: ſed cur non hoc ad amicos trahemus; cum præpoſiti vicem gerant illius omnium ſuperiorum exemplaris perfectiſſimi, qui ſubditos vocavit amicos apud Joannem? Hoc non meminerunt quidam, apud quos regimen politicum vertitur in bellum ſtridens, indomitum, atque durum. Occaſione humanitatis, qua dilectus utitur in reprehendendo quem diligit, inculcanda rurſus eſt manſueta benignitas cuilibet increpanti. Saltem animadvertat objurgans, vilem eſſe conditionem ferientium correptos, ut adminus excellentiam propriam non reſpuens eligat nobilem corrigendi rationem; ſcilicet moderatione cuſtoditâ. Sapiens admonitio pretioſitatem ſuam in hoc, inter alia, manifeſtat, quòd ſine vulnere præſtat munus arguendi: objurgans, quin vulneret, æſtimatione peculiari dignus eſt.

19. Adhuc à Salomonis prato non diſcedam, quin alium floſculum pungam. Ait ille: *Inauris aurea, & margaritum fulgens qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Juxta Liranum comparatio fit inter correctionem factam ſapienti & obedienti, cum prædictis ornamentis. Lira: *Id eſt, ſicut illa ornamenta ſunt gratioſa corporaliter, ita correctio facta ſapienti & obedienti pulchra eſt, & gratioſa ſpiritualiter, quia habet optimum effectum.* Deinde notandum, hæc verba Sapientis poſſe referri non violenter ad amicum, dum arguit alterum; quod non latuit Rodolphum ad eum locum. *Habemus*, inquit, *in hoc proverbio litem inter amicos condemnatam, amicam vero caſtigationem & tempeſtivam admonitionem, ſi modo cum prudentia & gravitate fiat, rebus pretioſiſſimis comparatam.* Tandem adnota duas illas inauris & margariti ſimilitudines aptari ſimul arguenti. Quapropter Salazar hîc ſic interpretatur gnomen iſtam: *Magiſter ſeverus docilem auditorem nactus, non aliter illum ſibi honeſtè devincit, ac mancipat, quàm ſi auream inaurem ſuſpenſo margarito auribus ejus inſeruiſſet.* Et quænam eſt arguitionis illius analogia cum inaure? Videre licet apud fœminas (imo & maſculis hic mos erat apud Hebræos, prout ex verbis Aaronis Exodi 32. 2. colligitur) aurium ipſarum cartilaginem aperiri primùm ferro, cum dolore; ſed poſt abſque ſenſu doloris patere viam inauri pretioſæ. Ferrum, inquam, vile metallum feriendo præſtat id, quod inauris abſque vulnere. Sic amicus arguens, dato quod ſit ferreus, corripit amicum viliter. At verò ſi correptio per veram dilectionem & ſapientiam eſt aurea, ſine ſenſu doloris exhibebit officium iſtud charitatis. Dionyſius Carthuſianus ad eadem verba Paræmiaſtæ: *Id eſt, vir charitativè increpans ſapientem, qui utique libenter ſuſcipit correptionem: & aurem, quæ exhortationi ac juſſioni obedit. Quemadmodum enim inauris aurea aurem decorat, & ſplendida margarita vultum venuſtat: ſic talis correptor & exhortator verbis ſuis correptoriis ac informativis ornat ſeipſum & correptum & obedientem. Suntque verba prudentiæ ejus ſplendentia inſtar argenti, & pretioſa ut margarita.* Prædictum plurimo pretio computandum recipit ornatum per ſalutarem objurgationem. Charus: & ideo amicis *qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit*: &c.

Proverb. 25. 12.

Lira ib.

Rodolph. ibid.

Salaz. ib. n. 59.

Dion. Carthuſ. ad eumdem locum.

DELIBATIO II.

Amicitia cum peccatore nociva.

20. *Iuſtus quandoque vellet cum improbo concordiam cum loco rum diſtantia.*

Amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Et ô quam proclivius eſt cum euntibus in præceps corruere; quam aſcendentes comitari! Auceps ut capiat incautas aviculas, caveam conſtituit in horto, qua tenetur ſuaviter canens paſſerulus; eamque virgis armat illitis viſco fallaci. Convolant paſſeres, & ſocii fiunt captivitatis quam neſciunt. Facilis eſt præ gaudio ſocietatis captura. Si verò quædam ex avibus ſeipſam expediat à viſco; non idcirco ſimiliter omnes aliæ liberè volant. Malus voluptate fruens canit, & ſocios ad imitationem facillimè trahit; cum autem de conſortio malorum eripit ſe quiſquam, non adeo pronum eſt ſequi meliora ſapientem. Dictum eſt ſupra de lucris ab amicitia bonorum venientibus: nunc damna quædam ſubjiciemus promanantia de ſocietatibus improborum; quæ vulgò dicitur amicitia, ſed vera non eſt. Imo S. Auguſtinus confitetur quid amicitia quorumdam ſit, cum ait: *O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis inveſtigabilis, ex ludo & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus, nullâ lucri mei, nulla ulciſcendi libidine, ſed cum dicitur, Eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.* Diſconvenientia juſto ſunt virorum nequam ſodalitia. Fateor, illum noſſe pulchritudinem concordiæ pacificæ, de qua dixit S. Proſper:

S. Aug. to. 1. l. 2. confeſſ. c. 9. fin.

Moribus in ſanctis pulchra eſt concordia pacis,
Cum multis unum convenit, atque placet.

S. Proſp. epigr. 29.

Nihilominus haud prætermittas quod addit ulterius.

Injuſtis etiam præſtetur juſta voluntas:
Nec quemquam ſpernant vota benigna hominem.
Non, ut amicitiæ vitiis ſocientur iniquis,
Adſit ſed pravis ut medicina animis.
Quæ ſi pace ſuâ non ſedat turbida corda,
Nobis non poſſit noſtra perire quies.

Noxia recto plurimùm eſt amica ſodalitas iniqui: citò fient conſortes in opere. Diverſis viis tendunt: nam prior ſequitur Deum; poſterior proprium appetitum: proinde frequenter probus impeditur à ſequela Domini per diſſimilium commixtionem. Mapheus Vegius: *Nam permixtim vivere cum his, qui negligentius agunt circa timorem Dei, & contemptum habent mandatorum ejus, plurimum nocet. Ad hoc ut tollat quis crucem ſuam & ſequatur Chriſtum, plurimum impedit ſocietas & permixtio eorum, qui vitam diſſimilem vivunt.* Amat equidem bonus charitatem concordiam cum improbo: ſed vellet illam à longe ſervare: cupit ut ſint animo concordes & loco diſtantes.

Maphe. Veg. l. 5. de perſever. relig. c. 1. longe poſt princ.

Profugus,

21. Profugus, ut iram fratris declinaret, factus eſt Jacob : & in domo Labani moratus fraudulentiam illius expertus eſt. Denique reverti deliberavit in patriam domum : inſcioque ſocero profectus eſt cum liberis atque conjugibus. Laban inſecutus eſt illum ; ac tandem inivere fœdus. Reverſus eſt ſocer in locum ſuum ; gener autem progreſſus itinere quod cœperat. Nullus putabit, iſtud pactum inter illos actum fuiſſe non providente Deo.

Chryſoſt. to. 1. hom. 57. in Geneſ longe ante fin. S. Joannes Chryſoſtomus ait : *Vide providentiam Dei : qui tanto impetu ad perſequendum exierat, timore coactus eſt ut ab eo & fœdera quæreret.* Examinare peroptabam, quare Jacob amicabiliter fœderatus cum Labano, minimè regreſſus eſt ad illius domum ; in qua, Deo favente, lucratus fuerat poſſeſſionem copioſam, qua modò locuples erat. Certè de fratre ſuo Eſaü neſciebat quòd illum excepturus eſſet amanter : imò poſtea diſertis verbis timorem illius deprompſit, orans Dominum

Geneſ. 32. 11. ſic : *Erue me de manu fratris mei Eſaü, quia valde eum timeo* : &c. Ut quid ergo pergit ad germanum, ignorans an reperturus eum ſit hoſtem ? & non revertitur in Meſopotamiam, ſperans (vel experientiam facere volens) quòd Labanus fideliter cuſtodiret hanc ultimam pactionem ? Dices ita providiſſe Deum. Adhuc iſtius providentiæ motivum diſquirere fas eſt. Dominus, qui non permiſſit ut ſocer iracundia fremens de clandeſtina diſceſſione, ac idolis ablatis, læderet Jacobum, poterat efficere, ut hic in domo Labani fidelitatem ejus poſt contractum poſtremum experiretur, ac inſuper novos divitiarum cumulos acquireret. Qua de cauſa non Altiſſimus providit ut gener regreſſum faceret cum ſocero ? Quia juſtus erat Jacob ; iniquus autem Laban. Deo quidem placet concordia voluntatum inter malum & rectum : ſed nonnunquam vult, illos pacem inire, quin convivant, cupiens ut ſint concordes à longe. Huic divinæ voluntati bonus exhibet ſe conformem : videns, iniquæ ſocietatis periculum ſic vitari cautiùs : eſſeque diſcrimen iſtud etiam perfecto viro non contemnendum.

22. *Si fuerint ſocii malus & bonus ; bonus imitabitur greſſum mali ; non econtra.*

Quod ut ampliùs eluceſcat, non pigeat recolere quæ præmiſi delibationis hujus exordio : nempe quantò ſit faciliùs peſſundari virtutis amicum de conſuetudine cum viro nequam ; quàm econtrariò meliorari peccatorem vicinitate juſti. Radix hujus veritatis eſt inclinatio mala depravatæ naturæ ; ſimul & difficultas, quam experitur impius in abluendo ſcelera, quibus deturpatur ; & abſtinendo novis in futurum. Tempeſtivè Cancellarius Pari-

Gerſon ſer. de omnib. SS. poſt med. ſienſis : *O ſi attenderent*, inquit, *omnes quàm facilius eſt, aliquem maculare & in lutum peccati projicere, quam lavare : quam purgare, & à malo retrahere.* Enimvero cùm alterius exemplo vituperabili quiſquam labitur, impellunt eum tria : ſcilicet malus alter, appetitus proprius, & bonum illud, in quod peccando convertitur. Dum vero declinans à ſemitâ perditionis ad iter dextrum ſequitur exemplar laudabile, pluries contingit, ut leviter ad bonum attendat ; ac tantùm vehementer afficiatur ad imitationem hominis commendabilis ; & conſequenter quaſi trahitur à ſolo manuducente juſto. Quid fortius erit, an tria ut propellant ? unuſve, qui manum offerat, ut levetur à lapſu ? Accedit quòd ruina peccati mors eſt animæ ; malorum aſſociatio peſtifera lues : ſcelerati verò reductio per bonorum ſodalitium ad virtutem, reſurrectio quædam eſt. Quocumque tempore facillimum extat hominem finire vitam ; multòque plùs dato quòd vicinus fiat ei, qui peſte correptus eſt. At reſurgere vita functum eſt quid inter prodigia miranda magnum. Hoc ænigmate mens illuſtrata judicet, valde pronum eſſe labi cum factus fueris conſors impiorum ; non ita verò facilè nequitiam deſerere, pergereque rectâ viâ per imitationem bona peragentis. Etiamſi probus & iniquus exiſtant fratres ; malus nequaquam greſſum conformabit ad menſuram germani commendatione digni : potiùs econtra qui laudabilis eſt iterfaciet ad normam improbi ſic ambulantis ut lubet. Semel quòd ſocij fuerint bonus & impius, bonus gradum faciet imitatus impium : non econtra.

23. Revertamur ad Jacob è Meſopotamia venientem ; & cum eo progrediamur pauliſper. Poſt celebrem luctam, & benedictionem ſuſceptam pergens ille, vidit venientem Eſaü fratrem ſuum cum quadringentis viris. Cælitus proviſum fuerat, ut iſte, qui decreverat quondam Jacob interficere, tunc amicè complecteretur eumdem. Textus ait : *Currens itaque Eſaü obviàm fratri ſuo, amplexatus eſt eum : ſtringenſque collum ejus & oſculans flevit.* Liranus ibi : Currens itaque Eſaü obviàm fratri ſuo, *quia ex Dei ordinatione, ejus indignatio mutata eſt in pietatem.* Coëgit ilum Jacob ut acciperet ab eo munera. Quis non putaret, poſt hæc non dividendos fore germanos in carpenda via, cum pacificè collocuti fuerint, & eòdem tenderent ? Non ita factum eſt, quamvis obtulerit Eſaü Jacobo ſocietatem itineris : imò licet, renuente Jacob, Eſau replicaverit : *Oro te, ut de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ.* Tunc reſpondit Jacobus nequaquam precanti concedens. Cur ita ? linquamus nunc litteram. Ad mores hîc intelligere valemus, deſignari diabolum ſuadentem juſto ſocium fieri malorum, ad hoc ut ſic inficiatur malitiâ ſenſim. Ad illa verba : *Saltem ſocii* &c. Hugo Cardinalis inquit : *Ita facit diabolus : ſi poteſt facit hominem peccare per ſe : ſi non poteſt, ſuggerit pravam ſocietatem, ut per illam corrumpatur pauliſper.* Exiſtimares, Jacob acceptaturum fore conſortium fratris in via, monens eum procedere lento gradu, ne deficerent plùs ambulando parvuli : nam difficultas, quam objecerat Jacobus, ipſe verbis expreſſit iſtis : *Noſti domine mi, quòd parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas, mecum : quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Cur non dixit ad Eſaü : Procede greſſu tardo ; ſic

Geneſ. 33. 4.

Liran. ib.

Rod. c. n. 15.

Hug. Card. ib.

Eod. cap. n. 13.

ſocius

Ib. n. 14. ſocius ero tecum ? ſed ait : *Præcedat dominus meus ante ſervum ſuum : & ego ſequar paulatim veſtigia ejus, &c ?* Moralitatem, quam præmiſi, non deſeram. Si rectus & ſceleſtus fiant ſocii, virtutis aſſecla viam faciet imitatus menſuram iniqui ; non autem viceverſa ſceleratus conformabit ſe bono. Fuge ſodalitatem execrabilem : credens, injuſtum paſſus tuos non fore libenter ſectaturum ; timens potiùs te pertrahendum ad ſimilitudinem ejus amplexandam.

24. *Sapientia Dei peculiariter effulget in tuendo juſto ne pecc et, ſi verſatur cum delinquentibus.*

Quædam ſunt virtuti valde proficua ; quæ tamen, ſi mali conſortium adſit, coguntur quaſi deperdere vim ſuam : nam adversùs illa remedia prævalet contagium ſocietatis iniquæ. Inter medicamenta ſpiritûs numerantur duo peroptima : ſcilicet adverſitatum anxietas & horror culpæ. Procedamus incipientes à priori. Anima per tribulationem conflictata ſæpe ſpirituales oculos elevat in cœleſte regnum. D Greg. Mag to. 2. expoſ in c. 13. l. 1 Reg. c. 3. poſt med. S. Gregorius Papa : *Merito ergo quoties electa mens in afflictionis ſuæ lamento compungitur, ſe tribulando, hoc obtinet, ut intret in contemplationem illius ſuperni regni, in quo ineffabiliter gratuletur.* Cumque ſpiritus intendens ad cæleſtia faſtidiat illecebras, quibus iniquitas lenocinatur ad crimina ; fit inde, quòd infortuniorum amaritudine multoties homo diutius à ſcelere deviat. Expendiſne quàm ſit efficax pharmacum afflictio, quo ſanitas animæ conſervetur ? Heu medelæ vis infringitur per ſocietatem damnabilem. Verum equidem eſt, voluntatem inordinatam ſæpius effænem eſſe : nam de illa S. Laurentius Juſtinianus ait : S. Laur. Juſt de diſcip. & perfect. monaſ converſa. c. 5. in princ. *Quid vero deformius in univerſitate naturæ eſſe deprehenditur, quam hominis mali inordinata voluntas, quæ nec judicium timet, nec Dei juſtitiam reveretur ? Hæc Dei mandata negligit, & innumera Redemptoris beneficia parvi pendit. Non temporalem, non æternam meditatur evadere pœnam.* Attamen, quamvis adeo proterva ſit propria voluntas, plùs eſt homini peſtilens converſari cum iniquis : nam quod illa fortè non valuit efficere malum, id per aſſiduam vicinitatem improbi peractum eſt. S. Iſidorus Hiſpalenſis, loquens de ſocietate ſpiritui nocumentum afferente ſic habet : S. Iſid. Hiſp. l. 2. ſyn. c. 4. *Circa ſerpentem enim poſitus, non eris diu illæſus. Ante ignem conſiſtens, & ſi ferreus ſis, aliquando diſſolveris. Proximus periculo diu tutus non eris. Per aſſiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas implicat, ſæpe occaſio peccandi voluntatem facit, ſæpe quos voluntas non potuit, aſſiduitas ſuperavit.* Apertum eſt, hominem non aliter niſi voluntate peccante labi ; ſed ex his perſpice qualiter in animæ damnum approximatio peccantum prævaleat voluntati noſtræ. Illa tam potenter in ſpiritualibus nocet, ut ampliùs eluceat ſapientia Creatoris in conſervando juſtum inter malos illæſum ; quàm dum ſervat alterum, cui mali non adſunt, ne tantùm voluntate propria ruat in peccatum. Sapientiſſima providentia Dei peculiariter effulget in tuendo juſto ne corruat, ſi verſatur cum delinquentibus.

25. Commendat Salomon Altiſſimi ſapientiam, quod ſervatrix fuerit, & liberaverit à malis quoſdam ex antiquarum legum cultoribus. Inter iſtos non lego fuiſſe connumeratum Henoch ; cum ex ejus tranſlatione Dei ſapientia tam valde claruerit. Legito de illo Chryſoſtomum. S. Joann. Chryſoſt to. 2. hom. 21. in Geneſ. poſt med. *Vides*, inquit, *ſapientiam Domini ? Non immortalitatem largitus eſt, ut peccandi metum enervaret, ſed morti in humanum genus ſuum jus reliquit. Propter hoc iterum obſcurè, ut ita dicam, & latenter revocare vult ſententiam, quam contra Adam protulit, ſed manifeſtum hoc non facit, ut timor illius emmendationi ſerviat. Et ideirco Henoch, cum ſibi multum placeret, tranſtulit.* Mirum eſt, Henoch omiſſum à Sapiente loco prædicto ; cum ibi de Joſepho mentionem fecerit accuratè, dicens : *Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum : deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum*, &c. Quid ſpecialius eſt in protectione Joſeph, ut ibi laudetur ex hoc ſapientia Dei ; non autem ex eo quòd adhuc viventem conſervet Henoch ? Ut reſpondeam præmitto, cum nos legimus : Sapient. to. 13. 14. *A peccatoribus*, Græcam lectionem habere, prout notat Janſenius, ἐξ ἁμαρτιας, *id eſt, à peccato, ne ſcilicet illud committeret, ad quod ſollicitabatur ab uxore Putipharis.* Videoj per hanc notationem creſcere dubium : nam etiam Henoch immunem agit à crimine vitam, providente Domino. Cur ergo non ibi Deus collaudatur ex hac providentia ; ſed ex liberatione Joſephi ? Quoniam Joſeph indiſtans à peccatoribus juſtitiam ſervavit. Hoc ſcientiæ divinæ magnum opus fuit. At Henoch ad eum locum tranſlatus eſt, ubi malum ſocium neminem habet : imò poſtea conſociatus eſt Eliæ. S. Proſper : S. Pròſp. l. de promiſſio. & prædict. p. 1 c. 6. fin. *Henoch*, ait, *qui Deo dum placeret, tranſlatus eſt ne guſtaret mortem, Eliæ ſociandus, ut duo teſtes idonei ſecundo Chriſti adventui præparentur*, &c. Minus eſt ſanctitatem ſervare juſtum domitâ voluntate propriâ, ſi malorum conſortium non exhibet illi certamen ; atverò majus quid eſt non peccare poſitum inter malos. Solet afflictio, quam patiuntur plures & ſontes, amicitiam conciliare juſto patienti cum iniquis : & quem priuſquam iſta contraheretur frangere non potuit adverſitas, execranda ſodalitas comminuit. Ecce tribulatio vitandis peccatis in futurùm ſanè medicamentum præſentiſſimum veluti vitiatur per aſſiduitatem cum peccati reis.

26. *Nonnunquam deponitur horror criminis, ut morem geras amico nequam.*

Sequitur expendendum aliud medicamen perutile pro declinando crimine : ſcilicet horror, quem homo concipit de quorumdam generibus peccatorum. Inſuper univerſaliter loquendo noſcimus eſſe proficuum timorem offenſæ Dei committendæ, quem vocamus filialem : quia procedit ex amore Domini ; quem anima lædere veretur caſtè. Petrus Bleſenſis : Petr. Bleſ. comp. in Job 1. 1. *Filialis, ſive caſtus timor eſt, cum uxor virum ſuum, quem ſuper omnia diligit, veretur offendere, aut filius aliquid facere, quod diſpliceat in oculis amantiſſimi patris. Iſte timor procedit non ex formidine, ſed ex amore : iſte timor, teſtimonio Prophetæ, permanet in ſæculum ſæculi.* Sed quia paucorum eſt hoc timore filiali concuti, ut ſtet ; metuere ſcilicet peccatum

quia Deum, qui pater eſt offendit; veniam ad metum illum peccandi circa certas delictorum ſpecies, quem plurimi concipiunt horrentes hoc vel illud genus culpæ ſpecialem turpitudinem involventis. Accidit ſæpius ut iſtiuſmodi peccatum non exequerentur aliqui; niſi comites haberent. De ſeipſo confitetur Divus Auguſtinus (cujus piiſſimam conſcientiam valde pupugit, quaſi maximum fuerit piaculum illud furtum quod executus eſt cum ſodalibus quondam) ſe nequaquam damnum illud proxima daturum, ſi ſolus eſſet. *Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id quod furabar, ſed quia furabar, quod me ſolum facere prius non liberet, nec facerem.* Ad longe majora provocat mala ſodalitas: nam præter activitatem, qua permovent ad nequitiam exempla damnatione digna, contingit ut homo non ſemel deponat ſceleris graviſſimi tædium, & admittat illud, ad hoc ut morigeretur ille ſceleſto, cum quo profitetur amicitias. Metum de temporalibus malis pellit aliquando viator, ſi comitatum ſortitur in via: ſic in operando perperam, nonnunquam deponitur horror criminis, ut morem geras amico nequam.

S. Aug to. 1. l. 2. confeſſion. c. 9.

27. Siſtitur judicio Pilati Liberator noſter, quaſi gentem ſubvertens, tributa prohibens, falsóque ſe dicens regem. Prævaluit innocentia potens adverſus judicem iniquum; ita ut hic ad ſacerdotum principes, atque turbas dixerit: *Nihil invenio cauſæ in hoc homine.* Inſiſtebant accuſantes Judæi. Tunc Pilatus *ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem,* &c. Quo fine miſſum ad Herodem exiſtimas innocentiſſimum reum? Ne cogeretur ab accuſatoribus damnare culpâ vacantem: Herodi cauſam dimittens; qui vel condemnaret, vel juberet abire liberum. Zacharias Epiſcopus: *Pilatus ne contra eum, quem inſontem cognoverat, ſententiam dare cogeretur, miſit eum Herodi: ut ipſe potius, qui ejus patriæ tetrarcha exiſtebat, eum vel abſolveret, vel puniret.* Ex hoc facto Pilati provenit, ut Herodes, & ipſe, qui priùs adverſabantur mutuò, necterent amicitiam. *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad invicem.* Diabolicam fuiſſe pacem hujuſmodi, quantumlibet ille ſit amator diſcordiæ, non dubites. Theophylactus ait: *Vide quàm diſcrepantia congreget diabolus, ſolum ut Chriſto mortem præparet. In unam enim conſpirationem copulat & conciliat inimicos.* Quæres. Et quid ad occiſionem Salvatoris referebat Pilatum & Herodem amicos fieri; quòd malignus hoc medium ſollicitat, ut Redemptorem neci tradat? Acumen dæmonis attende, quo ſimilia caveas. Cognovit Pilatum recuſare vitam innocentis auferre præ tam gravis horrore delicti. Molitus eſt artem, ut eum ad ſuum placitum emolliret. Amicitiâ colligavit Herodi Pilatum, ad hoc ut Præſes impius deponeret metum committendi ſcelus horribile; ſcilicet occiſionem inſontis, ex deſiderio præſtandi rem gratam Herodi; tollens è medio virum, qui fuerat accuſatus tamquam ſe regem dicens: nam ſolent qui principantur gaudere quòd nemo ſit, cui veniat in mentem regium nomen aſſumere. Itaque diabolus in concordiam reducens illos duos, operatus eſt quaſi diceret: Forſan Pilatus contemnet hunc timorem necandi vacantem culpâ, volens placere per hoc amico Tetrarchæ. Frequenter eos, quos pavor ſcelerum detineret, pertrahit ardor exequendi quod amicis iniquis gratum ſit.

Luc. 23. 4.

Ib. n. 7.

Zachar. Epiſc. l. 4. in un. ex 4. poſt med.

Luc. 23. 12.

Theophylac. com. in Luc. ib.

28. Ex his, & aliis nunc omittendis, maneat conſtanti mente repoſitum, plurimam in amicorum electione ſollicitudinem adhibendam; ac ſimiliter curandum eſſe, quorum ſervanda ſit, vel non ſocietas amicabilis. Adulteratum amicitiæ nomen auditur paſſim; cum vulgò ſe profiteantur amicos ad invicem improbi. Potius credam S. Aëlredo, qui ait: *Cum vera amicitia niſi inter bonos eſſe non poſſit, qui nihil contra fidem, vel bonos mores velle poſſint facere,* &c. Quomodo verè poterunt amicari ſceleſtus & rectus? Hic ab illo non ſolum detrimentum futurum caveat; ſed eumdem hominem improbum timeat, ſi fortaſſis illum patitur involuntariè conſortem. Non animosè dicat: Quid mihi eſt commune cum iſto nequam? ſatis ab illo ſum moribus diviſus. Non, inquam, hæc dicat: nam (ut utar verbis S. Vincentii Ferrarienſis) *prima catena eſt longa conſuetudo, ſecunda mala ſocietas. O quot ſunt vincti iſtis duabus catenis.* Et infra: *Secunda catena eſt mala ſocietas. O quot damnat etiam iſta: multi irent ad paradiſium, niſi propter malam ſocietatem ſeducerentur.* Per ſodalitatem noxiam catenatus degis; & à malo te disjunctum reputas? Sanior eſſes mente, ſi malum ſocium formidares. Metuere congruit juſto malum ſodalem.

Metuere congruit juſto malum ſodalem.

S. Aëlred. de ſpirit. amic. l. 3. longe poſt princ.

S. Vincent. Ferrar. ſer. D. Petr. ad vinc. med.

29. Primam de ſacra Euchariſtia concionem dixit ille, qui præcipuum concionatorum exemplar eſt. Sed quia jam tunc auditores aliqui, judices corrupti, ſententias ferebant veſanas, damnatus eſt quaſi durus Filii Dei ſermo per quoſdam ex audientibus ipſum: deſeruerunt iſti Salvatorem, divertentes ad crimina, juxta D. Cyrillum Alexandrinum, de illis dicentem: *Abierunt igitur retro, neque cum Salvatore miſeri ambulabant, ad aſpera delictorum ſuorum itinera divertentes.* Dixit Jeſus ad Apoſtolos, an & ipſi vellent abire; & conſtanter Petro reſpondenti Dominus repoſuit: *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt?* Exponit hæc verba Joannes Evangeliſta, ſcribens: *Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim.* Judas ſatis merebatur nomen diaboli: non legimus tamen, ſimiliter vocatos à Chriſto Domino fuiſſe qui diſceſſerunt ab eo, non ſolum deſerentes illum, ſed ad peccata, juxta Cyrillum, digredientes. Quare non etiam iſtos diabolos appellavit? Judam verò maxime? Quia Judas erat Apoſtolorum ſocius; illi verò qui retro abierant, ſicut jam non ambulabant cum Redemptore, ſic nec diſcipulorum comites erant. Proditorem diabolum nominavit,

S. Cyril. Alexand. l. 4. in Joann. c. 26.

Joann. 6. 71. 72.

vit, ut insinuaret adesse quemdam timendum, quia sodalis existebat, & malus. Preme nomen diaboli: nota quid significet. Euthymius: *Idem enim est Græcis Diabolus, quod Latinis* Calumniator. Quantum sit calumniator formidari dignus apertè colliges è dicto S. Gregorii Thaumaturgi, cùm sic loquitur in persona Salomonis, explicans eumdem: *Calumnia enim sapientum animabus insidias struit, ac generosam bonorum virorum constantiam, oblectationemque labefactare molitur.* Inde conjice quàm verendus fuerat Apostolis ille sodalis iniquus, vocatus à Filio Dei nomine diaboli significante calumniatorem. Et si latenter diabolicum gestans cor timendus est; quis audebit asserere, non metuendum societatem inire cum homine manifestè malo? Prudens animæ propriæ damnum vereatur exinde; recogitans quòd *amicus stultorum similis efficietur.*

Euthym. com. in Psal. 71.

S. Greg. Thaumat. metaphr. in Eccles. c. 7.

DELIBATIO III.

Exempli boni malique vires.

30. *Imitatio fortiùs mortales trahit quàm præceptum.*

UT navicula feliciter enaviget, remis, & gubernaculo dirigitur: ut anima rectè navigationem vitæ mortalis conficiat, exemplis & lege ducitur. Exempla mehercle virtutem promoventia magnæ sunt virtutis, & ita quòd ampliùs bene factorum similitudine visâ, quàm suscepto mandato proficiatur. Ænigmate rudi curabo rem aperire; quod si non placeat, lector aliud melius excogitabit. Horologia, quantumvis elaboraverit artifex apprimè; nec non & qui gerit eorum curam sollicitus rotarum cursus attemperet, utplurimùm reperiuntur mendaciissima. Metitur sol horas mensurâ justâ quin hanc præterire cogat vicissitudo temporum. Quid est in causâ? Moralem dabo quamvis in corpore non sensibili. Horologiorum rotas pondus movet; sed in isto non habent ipsæ quid imitentur: illæ quippe feruntur circulariter; pondus autem vergit in imum. Planetarum principem (secundùm antiquam philosophiam) defert Angelus, impellens eum, & quò vadit spiritus, tendit solare corpus, ac si (loqui liceat nunc ita) imitaretur sol exemplum Angeli. Mensuram ideo rectam servat horarum luminare maius, veluti vi ductus exempli, quod ei præstat spiritus Angelicus. Applica similitudinem. Legis pondus trahit humanæ vitæ cursum: & quamvis non reluctetur homo, plus ad perfectionem commovetur exemplis euntium quò pergit ille. Præceptum supra difficultatem operis addit arduitatem, quæ visitur in subdenda rebelli voluntate nostrâ placito superioris: exemplorum sequela non sic: est enim electio purè nostra. Deinde minuitur haud parum timiditas operandi rem non valde proclivem, cùm cernimus, alios id opusmetipsum perficere, qui sunt ex eodem luto nostro progeniti; quod agnoscimus humanæ creationis originem. Ex his omnibus fit, ut mortales potiùs exempla velint aspicere, quàm audire præcepta. Lactantius Firmianus. *Homines enim malunt exempla, quàm verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Utinamque tam multi bene facerent, quàm multi loquuntur bene: sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab iis fides.* Mandata quidem perutilia fateor: exempla tamen efficaciora sunt pro vincendis arduis. Jussio plurimùm valet utique, si cor obedire promptum: sed imitatio fortius mortales trahit, quàm præceptum.

Lactan. Firm. l. 4. divin. instit. c. 25.

31. Ad priorem Epistolam Principis Apostolorum te voco, meditaturus illa verba Petri: *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Et post pauca: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*: &c. Notatu dignum est, quòd, cum lege Dei teneamur non remaledicere maledicenti; non comminari dum injustè patimur; non dixerit potiùs hîc Apostolus, maledictiones & minas omittendas, quia sic Deus præcipit. Non ita loquitur: sed exprimit satis, ab illis abstinendum eis, ad quos Princeps Apostolorum scribebat, quia Christus Dominus ita se gessit. Alibi lego, Paulum præceptum Domini proposuisse ne discederet uxor à viro; cum posset loco mandati hujus afferre Salvatoris exemplum; qui suam sponsam Ecclesiam nunquam dimisit. Diversam scribendi rationem in Apostolis duobus vestigabam sic. Gentium Doctor de re non difficili verbis loquebatur sequentibus; nempe quod uxor à viro suo non discedat: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*: &c. Ad rem non nimis arduam suadendam supervacaneum putavit exemplum adducere Filii Dei: sufficiens existimavit proponere circa rem hanc præceptum Domini. Petrus verò conabatur inculcare patientiam non parum arduam: scilicèt quòd ab alio maledictionem suscipientes non maledicerent illi; nec injustè passi comminarentur offensori. Ut rei vinceretur difficultas, præceptum ibi tacuit; & exemplum ostendit Servatoris: hoc enim vehementiùs movet. Prodest rursum legere Firmianum. *Discant*, ait, *igitur homines, & intelligant, quare Deus summus, cum legatum ac nuntium suum mitteret ad eruditendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici, & morte mulctari. Nam cum justitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi vivam legem, ut nomen, ac templum novum conderet, ut verum, ac pium cultum per omnem terram verbis, & exemplo seminaret.* Agnosce quantum sit exempli robur; cum etiam doctrinam ex ore Filij Dei susceptam congruerit exemplis associari.

1. Petr. 2. 21, 23.

1. ad Cor. 7. 10.

Lactan. Firm. proxi. sup. c. 25.

32. *Aliquando bonum exemplum ne peccès magis movebit, quàm pavor mortis, timor supplicii,* Quàm valida sint gesta commendabilia spectatoribus imitanda, quibus avertantur homines à delinquendo, rursus meditabor. Comparationem instituam cum aliquibus remediis præservativis culparum: & apparebit, exemplum justi superexcellere prædicta medicamenta simul sumpta.

ſpeſque præmii.

ſumpta. Deviare docent hominem à peccato memoria mortis, pœnarum timor, ſpeſque præmij. Hæc omnia prædicatores efficaciſſimè faciunt auribus inſonare: ſed longe magis cor penetrant exempla, quàm locutio. Humbertus: *Exemplum multum valet ad obtinendam diſciplinam. Majoris efficaciæ eſt exemplum, quàm verbum.* Spes, inquam, præmii cæleſtis non ab anima per oculos excipitur; exempla bona verò maximè: ſpirituſque noſter, carcere ligatus carnis, multoties magis attendit ea, quæ percipit corporis luminibus. Timor ſupplicii ſervilis eſt: & aliquando videtur bonus; cum ſit malus: homo quippe nonnunquam, verbi gratiâ, vindictam gravem ſumeret, paratus ad illam, per occultam affectionem animi; niſi cognoſceret, huic peccato reſpondere perpetuam ignis infernalis ultionem. Non valde laudanda ſunt ægroto medicamina, quæ vitio ſumentis aliquoties mutantur in venena. Ceſſat hæc ratio penitus in exemplo bono. Tandem præ mortis metu cor anxiatur aliquoties adeo nimiè, quòd anxietate preſſum debilitatur ad fortitudinem, quam requirunt victoriæ de bellis contra vitia ſuſcipiendis. Virtuoſorum facta, ſi virtutem diligimus, hilari mente penſamus: iſtudque gaudium non parum auxilii miniſtrat ut peccata debellemus. Concludendum igitur eſt, quòd apud aliquos non ſemel, ſi ponantur ex una parte pavor interitûs, ſupplicii formido, & expectatio remunerationis, his omnibus unà ſumptis prævalebunt exempla recta, ne delinquant.

Humbert l. 2. ſpec. relig. c. 7.

33. Erat in flammis poſitus dives epulo; quas promeruerat ardor avaritiæ, cujus ignibus vivus exarſerat. Qui dum in terris degeret incubaverat pronus divitiis, tunc ſerò levavit oculos. Vidit Abrahamum: & poſtquam refrigerium linguæ per Lazarum poſtulans repulſam paſſus eſt, dixit ad Patriarcham: *Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos.* Notandum ex Hugone Cardinali, per Moyſen & prophetas ibi ſignificari prædicatores quoſdam, qui vivunt in ſæculo. Ad illud: *Non pater Abraham* &c. ait Commentator: *Duo genera prædicatorum diſtinguuntur hic. Quidam ſunt ſæculares in mundo converſantes: & hi ſignificantur per Moyſen & prophetas.* Hac expoſitione ſuppoſitâ, notanda ſunt verba, quæ ſubjiciuntur Abrahæ: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Cur ita loquitur Patriarcha? Reſpondeo perſiſtens in expoſitione ſupra poſitâ Purpurati. Mortuus equidem, ſi reſurgeret, ac prædicaret fratribus divitis, occaſionem daret, ut horrerent mortem, cum audirent à mortuis revocatum; & paverent puniri, ſimulque ſperarent præmio donari, quod jam poſitus in quiete præſtolabatur ille juſtus. Nihilominus iſte, qui ſuſcitatus moneret eoſdem, veroſimiliter hoc munere peracto dormiret in pace: proindeque locus non daretur ut ipſis exempla bona multa ſenſibus patentia præberet. Unde non adeo moveret germanos epulonis: magis prodeſſent (niſi mens læva fuiſſet) prædicatores vivi deſignati per Moyſen & Prophetas, converſantes cum hominibus mundanis; & (ſi viri probi ſunt) exemplares actiones objicientes eis, qui perperam vivunt in ſæculo; ſignificanturque per fratres quinque divitis: nam Hugo Cardinalis poſtquam præmiſit: *Nunc dicit, ſe habere fratres in domo patris ſui. In quo oſtenditur peccator duos habere patres*, addit infra: *Item omnes mali qui ſunt in domo diaboli, fratres ejus ſunt id eſt ſimiles in culpa.* Nervoſiùs aſpicientes facta invitantur ad fugiendum crimina quandoque multa; quàm per mortis metum, pavorem ſupplicii, ſpemque præmii.

Luc. 16. 27. 28. 29.

Hug. Card. ib. ad n. 30.

Eod. c. n. 31.

Hug. Card. ad Luc. 16. 28.

34. Penitiùs adhuc eſt conſideranda malæ ſocietatis ægritudo contagioſa: ſimul & altiùs inculcandum ſanctum illius odium. Qui niſi peſſimus non horrebit ſocietatem cum Diabolo? Si per expreſſum pactum contrahatur, deteſtabilis valde cuilibet vel mediocriter Chriſtiano: nam dæmon eſt Dei hominumque juratus hoſtis: ac licet ille fideliter ſervet fœdera, necnon in hoc perfidus eſt; cum per idipſum negotietur homini ſibi fœderato malum. Pactiones ejuſmodi linquo. Non expreſſe, tamen aliqualiter, habet malignus conſortium cum aliquibus minùs peccantibus: tamque deteſtabilis creatura diabolus, ut etiam iſtiuſmodi ſocietas cum illo ſit abominanda valde. Gerſonem audi. *Eſt*, inquit, *alia ſocietas ô pueri, quàm à vobis fugiendam oſtendo. Et qualis eſt iſta ſocietas? Mala credite mihi, mala valde & peſſima: iſta eſt dæmonis ſocietas. Cur audito miramini? Nolite mirari: quia verum eſt quod dicitur; aut certè miramini & cavete. Scitote quoniam dæmon manet, habitat & jacet in lectis immundis malarum conſcientiarum, quando ſine labore ſunt, ſine ſtudio & in otio.* Expendis quàm fugienda ſit ſodalitas diaboli? Audi quid ſuperaddam. Quomodo nobis communis adverſarius nocet ſpiritualiter? Tentando. Crede, graviorem interdum eſſe tentationem humanam præbentis exemplum reprobum, quàm diaboli ſuggerentis: nam hunc novimus hoſtem eſſe noſtrum: an vehementiùs non alliciet opus hominis quem diligimus, ut per imitationem ſequamur eum? Quandoque major eſt hæc tentatio, quàm diabolica.

Exemplum aliquando major tentatio eſt, quàm ſuggeſtio diaboli.

Gerſ. ſer. de omnib. SS. longe ante fin.

35. Heva ſeducta per cacodæmonem, pulchritudineque deluſa ligni vetiti, guſtavit fructum, quo latebat mors: deditque Protoplaſto; qui ſimiliter manducans tranſgreſſus eſt præceptum Dei. *Comedit deditque viro ſuo, qui comedit.* Poſt coram ſummo Judice Parens primus excuſans delictum ſuum ait: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Putabam, virum, amore fœminæ prohibente, nec verbum fore prolaturum de peccato mulieris. Poſſet ille dicere: Dæmon me fefellit: nam Rupertus ait: *Etenim non per virum mulierem, ſed virum per mulierem*

Geneſ. 3. 6.

Ib. n. 12.

Rupert. l. 2. in Gen. c 32.

rem decepit diabolus. Quid eſt quòd Adam non excuſationem quæſivit culpæ de ſuggeſtione diaboli facta per Hevam? Conjicio, voluiſſe tacitè ſic aſſerere, tentationem, quæ pepulit illum ad peccatum, fuiſſe valde gravem; cum non facta fuerit immediata per dæmonem haud comedentem de ligno; ſed per uxorem, quæ præſtitit exemplum, fructum ejus guſtans. Conſortium Primigeniæ manducantis impulit eumdem. S. Auguſtinus: *Credendum eſt*, inquit, *illum virum ſuæ fœminæ uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tamquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe.* Et infra: *Ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati*, &c. Cupiebat Adamus excuſando peccatum quadamtenus alleviare: non adduxit in ſui defenſionem, ſe fuiſſe miſerabiliter à dæmone ſupplantatum; ſed latenter allegavit comeſtionem Hevæ; quia non adverſarius communis præbuit exemplum, ſed mulier; ut ita quaſi diceret: Tentatus fui nimis graviter; cum non immediatè per diabolum; ſed per exemplum nequam ſociæ fuerim illectus. O tentatiouem frequentiſſimam, ſed multoties pluſquam diabolicam, ſocii nequiter operantis.

S. Aug. to. 5. l. 14. de civit. Dei cap. 11.

36. *An difficilius non à ſodali participari virus occultum; quam patens crimen?*

Et ſi quando fortè (vel potiùs infortunatè) ſortitur vir inculpatus impios conviventes, qui nequitiam ſuam ſuperinductis coloribus tegunt; adhuc magis difficile puto quòd virtutem ſervet ille prædictis aſſociatus. Ne morbo contagioſo corporis laborans tibi ſuam communem faciat ægritudinem, ſollicitudo præſtabit equidem tua non tam difficulter, quamvis ei ſocius adſis, dato quòd illum infirmari ſic agnoſcas apertè. Si verò latet infirmitas, qua per contagium infici poteris, difficillimè ſanitatem conſervabis illæſam à ſodali contagioſè morbido. Palam, procaciterque delinquentes, conſortes juſti, ſunt velut ægroti contagioſi, qui patenter infirmantur: minus eſt ab iſtorum lue tueri ſalutem animæ puram. Qui verò doloſâ nequitiâ tibi ſociantur ægri, periculum afferunt, quod vitabitur ægre. De quibuſdam ſimilibus canebat S. Amphilochius Epiſcopus:

S. Amphiloch. Epiſc. ep. Iamb. à n. 70.

Hi ſimpliciores tentant adulescentulos,
Atque interim affricando, verſutis dolis,
Suâ improbitate, ceu gravi morbo, volunt
Ipſos replere, ut ſocietate plurium
Denſam ſuis caliginem offundant malis.
Ab his caveto, nanque Paulo judice,
Mores bonos conſortium perdit malum.

Juſto magis eſt arduum tutari virtutem intactam à noxia vicinitate peccatoris per hypocriſim velatâ; quàm non imitari peccantes effronti licentiâ. Difficilius eſt ut occultum non participetur virus; quàm non communicari patens crimen conſorti.

37. Quòcumque ſe verteret Jobus: vel, inquam, præterita reſpiceret, vel præſentia meditaretur, anxietate multâ dolebat: & antiquæ ſortis memoria pungebat mentem; & ſubſequentium infortuniorum cruciatus eumdem lancinabat. Similitudine binâ quod ab hominibus expertus erat ſignificavit, inquiens: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Notabat ille ſic aliquos in ipſius calamitate non ut par erat operatos: ac videtur eos inverſo nominaſſe verborum ordine; turbante ſermonem afflictione plurimâ. Nam cum ſimilitudine duplici loquentes utimur, conſuevimus præmittere quod amplius eſt; ſubjicientes poſtea quod minus. Quis dubitat, eſſe draconem animal efferum & horribile; cujus feritati nullatenus coæquatur ſtruthio? Magis dicendum putares, fuiſſe ſtruthionum ſocium, ac draconum fratrem: ſic enim quiſquam intelligeret, Job exaggerando per aſcenſum verba facere; non ita verò credet, cum legat, illum à dracone deſcendere ad ſtruthionem. Non à majori ad minus gradum fecit oratio Jobi, ſi myſticum ſenſum attendamus. Pro quo dignoſcendo conſule S. Brunonem Aſtenſem, qui ſic habet ad eum locum: *Per dracones, tyrannos & ſuperbos: per ſtruthiones verò hypocritas intelligimus. Sicut enim alæ ſtruthionum, ita hypocritarum opera inutilia ſunt; cum neque illi alis, neque iſti operibus ad cœleſtia eleventur. Inter tales autem, & Job & Eccleſia habitans, ſuæ tamen innocentiæ puritatem non amiſit.* Preme lentus ultima verba. Sanctitatem non deperdidit Jobus hypocritarum ſocius. Rem equidem admirabilem! nam occultum venenum cordibus illorum clauſum toxicat faciliùs inſontes. Ab illo contagio non periit innocentia Jobi? Mirabilius eſt hoc enimverò, quàm non illi malitiam opertam affricari malorum, qui draconum vocabulo digni fuere. Cave ſollicitus multò ſodalium iniquitatem ſubdolam.

Iob. 30. 29.

S. Brun. Aſt. com. in Iob. ib.

Sed quia non omnium eſt fugere ſæculum plenum lupis: aliis patenter graſſantibus; aliis verò ſub veſtimentis ovium tegentibus immanitatem ſuam; vellem exhortari laude juſtos degentes inter mundanos. Commendabile peculiariter eſt ibi colere caſtitatem, ubi jam præ conſuetudine minimè fœtet luxuria; ſervare abſtinentiam coram crapulæ deditis; patientiam injuriarum exercere ſociatum illis, qui vindictam reputant honorem; tolerantes appellant infames: & ſic de virtutibus reliquis inter conſortia vitiorum, quibus contrariantur. S. Gregorius Magnus: *Neque enim*, ait, *valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis: ſed bonum eſſe cum malis. Sicut enim gravioris culpæ eſt inter* (alia lectio habet: *Intra*) *bonos bonum non eſſe: ita immenſi eſt præconii bonum etiam inter malos extitiſſe.* Huc faciunt ex dictis multa, quæ verſavimus, exempli virtuoſi vires, & malî ſimul hoſtilitatem expendentes. Convictus iniquorum, & juſtorum abſentia, certamen virtutis durum quodammodò reddunt. Nam operaturo laudabiliter deeſt illud juvamen, quod egregiis factis præſtari ſolitum eſt ab imitatione præeuntium: necnon accedit vehemens tentatio, de qua ſupra, lenocinium offerens ad ſpiritualem ruinam per aſſiduitatem cum impiis. Unde cum exhinc minuatur adjutorium juſto pro virtutibus exequendis,

38. *Laudabilius eſt bonum eſſe inter malos.*

S. Greg. Mag. to. 1. l. 1. mor. c. 1.

illinc verò creſcat operum difficultas ab exemplo nequam ; eximium quid eſt inter iniquos laudabiliter efflorescere. Non tam laudarem aliquos eoquòd præcellant virtute multos verâ ſanctitate florentes ; quàm alium commendarem poſitum inter peccantium vepres, & ibidem conſervantem puritatis virorem. Excedere bonos, quibus convivis, interdum tuî minor laus eſt ; magiſque laudaberis de ſanctitate propriâ, quam defendis inter malos.

39. Cant. 2.2. Sponſus Canticorum dilectione falli neſciâ ſuadente laudat ſponſam in hæc verba : *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Hæccine pulcherrimæ ſponſæ commendatio diligentis eſt ? Non multùm laudatur flos ille, ſi dicamus, ita venuſtum eſſe lilium, quòd pullulans inter ſpineta candeſcat : cum ſentibus nihil venuſtatis inſit ; ac parum ſit florem prædictum ſuperare ſpinas, gratiamque præ iſtis vendicare ; quæ cunctis videntibus horridæ ſunt & ingratæ. Lilium potiùs afficeres laude, comparatione factâ cum vaciniis, & ſimilibus floſculis mœſti coloris ; quibus longe præit lilium, candore nitens, aureâque medullâ dives. Cum ſponſus utitur ænigmate lilii, dilectam ſuam præconio proſequens, dicturus exiſtimaretur : Sicut lilium inter minores floſculos, ſic amica mea inter filias. Crede, non exerraſſe verbis amorem. Afficitur laude ſponſa virtute florens inter malos emblemate ſpinarum deſignatos. Ibi conſervaſſe fortiter innocentiam laudandum plus eſt, quàm excedere quoſdam juſtos ; quibus comparata nitet velut inter flores illa minores. D. Bernardus : *Non mediocris titulus profecto virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem, magis autem ſi his qui oderunt pacem, pacificum & amicum ipſis te exhibeas inimicis. Id planè tibi ſimilitudinem datam de lilio jure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit, quod ipſa utique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare & venuſtare non ceſſat.* Fateor encomio proſequendum illum, *qui cum ſapientibus graditur*, ſeu juſtis ; & ideo *ſapiens*, hoc eſt, probus extat ; ſed laudabilior ille, qui cum ſit ſuaſu charitatis *amicus ſtultorum ſimilis* non efficitur.

S. Bernard. ſer. 48. in Cant. non parum à princ.

DELIBATIO IV.

Virtutis faſtigium quære, non contentus neceſſariis. Imitare juſtum. Laus data per malè operantem. Fallitur judicium etiam proborum.

40. *Virtutis faſtigium aſpè dare quære.* Qui cum ſapientibus. Non prætereundum judico, Salomonem hoc loco non dixiſſe : Qui poſt ſapientum veſtigia vadit ; ſed : *Qui cum ſapientibus* : &c. Lectio ſeptuaginta Romana ſic habet : *Simul ambulans* &c. Fortaſſis ita loquitur Sapiens, quia cupiebat ſuadere ſequelam rectorum, non qualemcumque ; ſed tam virili ſtrenuitate, quòd accinctus ad illorum imitationem, aggrediatur virtutis amator ipſis fieri parem ; non contentus eos à longè ſequi : non poſt illos vadens utcumque ; ſed ſimul ambulans. Multa ſunt caduca bona, quorum ſtudio ſic rapimur, ut cum nobis minora ſufficerent, ambiamus attingere maxima. Sic videre licet in honoribus adipiſcendis ; in gratia principum, aliiſque multis, in quibus unuſquiſque ſibi præfigit ſcopos valde ſublimes, ad quos indefeſsâ curâ contendit : ne dicam ſcopulos, ad quos inhiat nullâ præfixâ metâ. Proh dolor. Solùm in re virtutis parvo contenti volumus eſſe frugales in animæ quærendo cibo ? Non abundare ſpiritûs opulentiâ credas haud optantem plura. S. Bernardus : *Nemo quippe*, inquit, *perfectus, qui perfectior eſſe non oppetit. Et in eo quiſque perfectiorem ſe probat, quod ad majorem tendit perfectionem.* Vellem ut animo generoſi, qui temporaliter ſumma petunt, etiam in ſpiritualibus eligerent maxima. Cordis generoſitas indita fuit, ut aſpiraremus ad cœleſtia : quid ergo conamur ad prælta, cum temporanea ſectamur ; & non ita dum ſpiritui congruentia requirimus ? Virtutis culmina conſcendere delibera, ſicut honoris faſtigium ſuperexcellentis exoptas : à perituris bonis ad ſanctitatis facinora nobilem ardorem converte.

S. Bernard. ep. 34.

41. Celebris eſt filiorum Zebedæi ſupplicatio mediante genitrice Chriſto Domino propoſita. Licet autem Filius Dei notaverit inſipientiæ poſtulantes, concedendum eſt, illos in hoc oſtendiſſe, generoſis peccatoribus vigere ; cum petierint quid certe magnum, quamvis temporale. S. Thomas de matre diſcipulorum loquens ait : *Unde aliquid carnale conceperat, quod ſtatim cum gloria deberet eſſe in Jeruſalem : ideo petere voluit filiis ſuis eminentiam.* Et antea prædixerat Angelicus Doctor : *Sed verum quod mater petiit inducta à filiis.* Generoſos animi voto diſcipulos dixi : quia ſi forent abjecti corde, poſtularent ſibi compenſari divitiis retia, quæ dimiſerant : non id petiere, ſed honorabilia. Salvator ab illis inquiſivit : *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo ; aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari* ? Per calicem atque baptiſma noſti ſignificari Domini mortem. Euthymius commentatur : *Poculum dicit mortis : & baptiſmum qui ſit per ſanguinem. Nam & poculum & baptiſmum vocat cædem : poculum quidem utpote læto animo pro hominibus ſuſceptam : baptiſmum vero, tamquam purificationem ipſorum.* Concinit ibi Theophylactus, inquiens : *Baptiſma quoque mortem ſuam nominat, quod nos omnes purificet.* Notabam, haud Redemptorem Apoſtolis duobus dixiſſe : Poteſtiſne baptizari baptiſmo ſanguinis veſtro ? ſed : *Baptiſmo, quo ego baptizor*, quo ſignificavit, ſe participationem ſuæ crucis ipſis offerre. Aliter ſonant verba Salvatoris alibi velata per Matthæum : *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Tantum expendo ſonitum verborum & hoc, & ſuperiori loco ; nam utrobique non erant auditores conſummati

S. Thom. ad Matth. 20.

Marc. 10.38.

Euthym. in Matth. 20. c. 43.

Theophylac. ib.

Matth. 16. 24.

Lect. Sept. Rom Prov. 13. 20.

mati penitus in percipiendo ſenſu ſermonis divini Magiſtri. Valde me nunc movet quòd proximè non dixerit : Si quis vult poſt me venire tollat crucem meam ; cum alio loco percontactus fuerit Zebedæi gnatos an valerent baptizari morte Domini. *Baptiſmo , quo ego baptizor* &c. Diſparitatem aſſigno. Cum vocabulo crucis uſus eſt , doctrinam exhibebat omnibus communem ; prout indicat illud : *Si quis vult* &c. Quapropter non univerſis propoſuit ſimultatem ambulandi cum Chriſto per viam regiam crucis Dominicæ ; contentus ut à tergo ſequentes , & non ad latus comites , irent. *Poſt me venire .... ſequatur me.* Atverò cùm locutus eſt ad illos duos pollentes adeo generoſo corde, quòd non viliter ſupplicaverint alia dona ; ſed honorificas optaverint ſedes temporales ; ipſorum animoſitatem commutare deſideravit ad virtutis apicem : q. d. Nobilem ardorem aſcendendi , qui viget in vobis opto mutari ſic , ut qui ſumma petitis de temporalibus , ad eminentiam virtutis conemini , non ſequentes qualitercumque veſtigia mea ; ſed crucem , quam ſubibo , quaſi mecum ſimul tollentes : avete maxima ſpiritum attinentia vos , qui vultis egregia de temporariis. Oſi ſaltem quâ tendimus cupiditate veſtigantes tranſitoria , contenderemus ad perfectionem ire pariter *cum ſapientibus.*

42. *In re virtutis colligens minus , eget ſæpe, & tantùm neceſſaria poſſidet qui putatur abundare.* S Gregor. Nyſſe. l. de vit. Moy. longe poſt princ.

Ut promoveantur in tyronibus deſideria perfectionis adipiſcendæ , moneo recordari , non ſemel contingere quibuſdam , contentos progredi parum in re virtutis linquere viam rectam , declinantes ad ſiniſtram. Proficuus eſt hîc Nyſſenus. *Quare* , ait , *quemadmodum vitæ finis mortis initium eſt , ſic curſûs ipſius finis , qui ſecundùm virtutem eſt , vitioſi curſûs initium invenitur. Non igitur falsò à nobis dictum eſt , impoſſibile eſſe perfectionem ac finem virtutis comprehendere* : & infra : *Omne igitur ſtudium , omnem curam , diligentiam denique omnem adhibeamus , ne ab ea perfectione decidamus , ad quam pervenire poſſible ſit : tantumque ipſius poſſideamus , quantum capere poſſumus.* Etiamſi conatum extendamus ad eam bonorum operum abundantiam , quæ nonnullis apparebit ſupereffluens ; aliquando continget ſolùm ad ſufficiens pervenire. Econtrariò , ſi provideamus in ſubjecta materia nobis ea , quæ ſolùm exiſtimamus neceſſaria ; poterit evenire quandoque defectus præ virtutis parcitate , quam ſatis putabamus. Interdum neceſſariis eget in animæ bonis qui tantùm putata ſufficientia collegit ; & econtra reperit , ad ſummum poſſidere ſe quantum oportet ille , qui ſibi paravit quæ ſupereſſe crederes.

43. Cant. 2. 8.

Sponſi divini greſſus duplici loco diſpares legimus : in Cantico canticorum celeres : *Ecce iſte venit ſaliens in montibus , tranſiliens colles* : in Virginum autem parabola moram trahentes : *Moram autem faciente ſponſo* , &c. An ille non utrobique dilectus , & amator ? quo motivo ductus ita moratur apud Matthæum , ut ad mediam noctem protenderit adventum ? Ut cerneremus & imprudentiam fatuarum virginum ; cautelamque prudentium nequaquam nimiam diceremus. Nihil erat quod certò credere cogeret , Sponſum adeo ſerò venturum : quapropter judicares fortè , ſufficienter providas fuiſſe ſtultas in eo , quòd tulerint ornatas lampades , quin deferrent inſuper oleum poſtea per illas infundendum eiſdem. Viceverſa nonnullus perſuaderet ſibi , multùm abundare ſapientes , cum portaverint oleum proviſioni lampadum poſthac præſtandam ab eis. O quàm facile circa rem iſtam fallimur ? Recole quid eventus oſtenderit. Moratus eſt Sponſus. Prudentes invenerunt , non ſic abundare per olei copiam , ut valerent ſine periculo ſuo donare ſociis. *Reſponderunt prudentes , dicentes : Ne forte non* Ib. n. 9. *ſufficiat nobis & vobis* , &c. Quod ſupereſſe crederes illis , neceſſarium fuit. Fatuæ repererunt , ſe non ſufficienter lampadum curam habuiſſe : quæ ſatis exiſtimabant quod pro lampadibus egerant , tandem indiguerunt. Ad parabolæ corticem frangendum , verbis utere D. Hieronymi , dicentis : *Quæ lampades ſuas queruntur extingui , oſtendunt eas ex parte lucere : & tamen non habent lumen indeficiens , nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator eſt pudicitiæ , non debet mediocribus eſſe contentus , quæ citò exoleſcunt , & exorto caumate areſiunt ; ſed perfectas virtutes ſequatur , ut lumen habeat ſempiternum.* Nunquam exiſtimet athleta ſanctitatis , minora ſibi ſatis & ſuper : annitatur ad magna , minime ſegniter elongatus à juſtis faciens iter ; ſed ambulet ſimul *cum ſapientibus.* S. Hieron. to. 9. l. 4 in Matth. c. 25.

44. *Minus eſt velle ſocietatem cum juſto , niſi velis eum imitari.*

Graditur. Ne prætereas , hîc Paræmiaſtem , cum hîc vellet ſuadere ſocietatem cum juſtis , non dixiſſe , fore ſapientem , hoc eſt , probum cum eis habitantem ; ſed gradientem. Non ita locutus eſt fruſtra : nam aliud eſt morari cùm ſapientibus ; aliud cum iiſdem ambulare. Convictus per ſe ſolum ſumptus eſſet quædam ſodalitas veluti merè materialis & emortua ; ſed ambulatio denotat imitationem per facta. Dionyſius Carthuſianus verbo *Graditur* , ait : *Id eſt converſatur per vitæ conformationem* &c. Simultas equidem habitationis voluntaria ; necnon ad juſti latus comitatio ſpontanea jugiter , inſinuat dilectione te proſequi virum laudabilem : nihilominus haud illum vere diligis, quem ſanctis operibus referre non ſatagis. Aureè , prout ſolitat , Chryſoſtomus : *Imitare Chriſtiane , quos diligis , ſanctos : & quorum virtutes frequentas , eorum vitam & inſtituta ſectare.* Et infra : *Cæterùm amare non eſt, quem imitari nolueris : & quem ſectari detrectas, eum profecto amare te ſimulas.* Amor nexus eſt : minimè veraciter corde nectitur juſto qui dividitur ab eo per opera , tendens omnino contrarium per iter. Sed eſto quòd juſtum diligas toto corde , proptereaque requiras ejus conſortium ; hoc deſiderium non eſt magnî faciendum : ſi verò ſequelam illius tibi propoſueris , amor tuus appretiatione magnâ cenſebitur dignus. Tunc multi fiet affectus erga juſtum , cum ejus veſtigia ſequi non recuſaveris ; non autem ſi de Dion. Carthuſ. in Prover. 13. 20. S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. ſer. de Mart. non parum à princ.

de ſola cum illo ſodalitate curam habeas.

Corporis majeſtatem glorioſam diſcipulis in transfigurationis monte divinus Præceptor oſtendit. Meminiſti, deſideraſſe Petrum, ibi fieri tria tabernacula, ductum amore Domini. Paſchaſius: *Sicut*, inquit, *in hoc dicto ignorantiam Petri non approbamus, ſic præcipuum amorem illius erga Dominum veneremur.* Advertendum eſt, Apoſtolum putaviſſe, gloriam ſanctorum in terris poſſidendam. S. Thomas: *Item quia credidit in hoc mundo eſſe gloriam ſanctorum: quæ non eſt hic; ſed in cœlis.* His præiactis, quærendum eſt. An Petri non merebatur amor ut Magiſter amantiſſimus inſtrueret illum neſcientem, dicens: O Simon, agnoſce, gloriam dilectis meis repoſitam non fruendam in hoc exilio, ſed in cœleſti patria? Urgetur ampliùs dubium ex relatis à Joanne, cum jamjam accederet prope tempus conſummandæ redemptionis noſtræ. Dixerat Salvator ad Apoſtolos, illos non poſſe venire quò tendebat ipſe. Tunc Princeps Apoſtolorum inquit: *Domine quò vadis?* Agnovit Aquinas animum Petri: propterea commentatus eſt ita: *Ipſum ſequi Petrus volebat. Et ideo interrogabat quò iret.* Tempus non aderat, quò valeret Apoſtolus Magiſtrum ſequi: Propterea Dominus erudiens illum reſpondit: *Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequêris autem poſtea.* Hugo Cardinalis: *Non potes me modo ſequi: corruptibilis ad incorruptionem*, &c. Quare non ſimiliter in die transfigurationis Aſſertor noſter edocuit Petrum, ad illa verba, quæ neſciens dixit, reſpondens: Non in hac vita Petre mecum potiêris gloriâ; ſed in ævo pòſt futuro. Imo nihil repoſuit: nam, ut Angelicus Doctor notavit, *Petrus inſipienter loquebatur: ideo indignus fuit reſponſione.* Sic non præteritur error amantis eximii? ſic dictum contemnitur ejus? Non multî facta fuit à Servatore dilectio, qua tunc Simon expetebat in monte ſocietatem Chriſti Domini, minimè pro tunc de Salvatoris imitatione per opera curans. Idcirco non ſolùm ejus deſiderio ſatisfactum non eſt; ſed nec reſponſum accepit. Apud Joannem vero Petrus Chriſtum facto ſequi volebat: ibi Simonis verba non deſpexit Filius Dei. Seorſim ab imitatione ſumptus amor ſocietatem cupiens cum ſanctiſſimo, non magnî duci dignus eſt.

Paſchaſ l. 8. in Matth. c. 17.

S. Thom. com. in Matth. ib.

Ioann. 13. 36.

S. Thom. com in Ioan 13. lect 8. poſt princ.

Eod. cap. prox. ſup.

Hug. Card. ib.

S. Thom. com. in Matth. 17.

46. *Laus data per mali operantem non digna quod recipiatur benevolè.*

Hinc ad illam devotionem, qua proſequimur Sanctos regnantes in cœlis, deſcendamus. Laudibus extollimus illorum fortitudinem timidi, mortificationem voluptuoſi, patientiam iracundi: colimus eos tamquam ſummi Regis amicos perpetuos, nos qui peccatis adverſamur Deo perpetim. Nec ſic ejuſmodi cultum damnabo, vel accuſabo laudes. Attamen illi veraciter exiſtunt Sanctorum cultores, qui geſta ſequentes imitantur. S. Laurentius Juſtinianus: *Nos igitur*, ait, *chariſſimi illos imitari non pigeat triumphos, quos celebrare delectat. Tunc etenim veraciter Sanctos colimus, cum eorum vitam converſando imitamur.* Unde vellem, ut ſicut affectus multoties à ſimilitudine progerminatur; ita nunc econtrariò ſimilitudinem generaret amor; ita quòd aliqua ratione ſimiles inveniri niteremur in operum rectitudine viris multâ ſanctitate conſpicuis, quos tenerrimo corde complectimur. Sic triplici motivo diligeremus eos: primò (quod caput eſt) propter Deum cujus membra ſunt: ſecundò propter ipſorum excellentiam, qua reſplendent ſuper aſtra: tertiò tandem ob pulchritudinem virtutis, quam ſectantes amaremus: & ſic fierèt funiculus triplex nunquam rumpendus. At cum ii, qui juſtos colunt, ſimul delinquunt; quomodo putas ab illis gratanter accipiendum cultum iſtum? Quinimo repelletur officioſitas operantis malè velut æſtimatione non ullâ digna. Subjiciam exemplum in ipſomet Sanctorum exemplari.

S Laur. Iuſt. ſer. de omn. SS. fin.

Acceſſit ad Chriſtum Dominum quidam ex principibus, & ait: *Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus.* Cum videam, Filium Dei, qui ſummè bonus, imo ſuprema bonitas eſt, repuliſſe præcitato loco nomen boni, quo princeps iſte coluit eum; nonpotui non hærere, memor verborum Salvatoris, quæ ſcribit Joannes: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim.* Ecce titulos, quibus honorabant: ipſum Apoſtoli ſuſcipit benevolè Salvator; & illum, quo prædictus princeps condecoravit eumdem, ipſe rejecit? *Quid me dicis bonum?* Si dixeris ita fatum fuiſſe Chriſtum ad humilitatis exercitium, inſiſtam ſic: An ergo diſcipulis humilem ſe non exhibuit omnium Dominus? Ipſe dixit: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Ergo ſic ſe coram diſcipulis demittens recuſet ab eis vocari Magiſtrum, atque Dominum: præſertim quia paulò priùs profundè ſe taliter ſubmiſerat, ut laverit eorum pedes. Quid eſt in cauſa, quòd honorabiliter à diſcipulis nominari non reſpuerit; maximè verò per hominem illum, de quo ſupra Lucas? Reſpondeo. Apoſtoli undecim honorabant Salvatorem, & imitabantur eumdem (Judam præteri: nam licet adfuerit cùm Servator protulit verba prædicta; tamen adſtabat quaſi non adeſſet, quia mortuus erat coram Domino) extabant propterea digni quòd à Chriſto Domino benignè ſuſciperetur eorum cultus exhibitus ei per decoroſa nomina: *Magiſter, & Domine.* Princeps autem, quem ſupra memoravi, præſtabat quidem honorem Domino, vocans eum bonum: ſed ab imitatione Chriſti longe tantum aberat, quòd tunc interrogans tentaverit eumdem. S. Ambroſius. *Quoniam*, inquit, *tu bonum me non potes ſentire qui tentas, quid me dicis bonum? Bonus quidem ego, ſed iis qui recto ſunt corde*: &c. Igitur honor Chriſto datus ab imitatoribus ejus, acceptatur humaniter ab illo; detrectatur autem cultus, ubi deficiebat imitatio. Sequentes & in hoc ſuî Ducis veſtigia ſancti non multùm complacent in devotione cultorum, qui per viam perditionis tendunt;

47. Luc. 18. 18. 19.

Ioan. 13. 13.

Luc. 22. 27.

S. Ambroſ. to. 3. l. 8 in Luc. c. 18.

tendunt ; excipiunt autem benigniſſimè laudes illius, qui cum eis *graditur*.

48. *Sapiens erit.* Hugo Cardinalis hîc : *Id eſt inter ſapientes reputabitur : quia vitam æternam ſicut illi habebit.* Notanda maturè nimis ratio, quam Purpuratus offert : ex qua videntur colligi duo: primum, hoc loco idem valere, ſapientem eſſe, atque reputari ſapientiam : ſecundum, ſapientiam hîc non parum affinem æternæ vitæ : quod adeo verum eſt, ut, notante S. Ambroſio, Scriptura morum honeſtatem appellet vitam perpetuam. *Quæ convenire*, inquit, *honeſtati arbitrabamur, in qua vitam beatam poſitam eſſe minimè dubitabamus, quam Scriptura appellat vitam æternam.* Ad hæc notatum velim, quòd, licet legas, hîc apud Salomonem idem valere : Sapiens, hoc eſt juſtus erit ; ac ſi diceret : Inter ſapientes, id eſt, juſtos, reputabitur ; non ideo tantî facias hominum judicia, ut illorum exiſtimatione menſures virtutem alienam. Viro prudenti lentiùs procedendum eſt in æſtimandis hominum ſententiis & opinionibus vulgaribus. Quod ut oſtendam, rurſus aſſumo appellationem æternæ vitæ, quâ ſignificare poſſumus, ut patet ex dictis, vivendi rationem inculpatam, quam beatam ſæpe vocamus. An illa credenda eſt vita beata, quæ vulgaris hominum opinio talem putat ? Minime quidem. Redeat Ambroſius. *Unde*, inquit, *expreſſius Scriptura vitam æternam appellavit eam, quæ ſic ſit beata, ut non hominum opinionibus æſtimanda relinqueretur, ſed divino judicio committeretur.* O quoties judicatur malus qui Deo placet ; econtra verò bonus habetur qui peſſimus. Diſcant humiles quantùm decipiatur mens etiam proborum hominum in judicando ; quò non mercedem ſuam quærant ab humana ſententia. Aliquando vir nequam juſtis apparet non malus ; interdum electus probis videtur peſſimus.

Hug Card. in Proverb. 13. 20. *Aliquando vir nequam juſtis apparet non malus ; interdum electus probis videtur peſſimus.* S. Ambroſ. to. 4. l. 2. de offic. c. 1.

Idem ib.

49. Occaſione verborum Petri (qui poſtquam abiere multi retro, perſtitit conſtanter in ſequela Domini) dixit Apoſtolis Filius Dei : *Nonne ego vos duodecim elegi : & ex vobis unus diabolus eſt ?* S. Joannes Chryſoſtomus : *Unus, inquit, ex vobis diabolus eſt, quem tamen ut tegeret omnibus metum incuſſit.* Ecce Judas dignus quidem erat nominari diabolus : ſed hoc ignorabant Apoſtoli ; nec id veniebat illis in mentem. Pergamus nunc ad Actus Apoſtolicos. Saulus repente mutatus fuit in Paulum : baptizatus eſt, & prædicavit in ſynagogis Jeſum. Audi quid ſubjiciat D. Lucas. *Cum autem veniſſet in Jeruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus.* En Paulus reputabatur malus, cum eſſet optimus ; &, quod magis notandum, fallebantur utrobique boni ; cum & Apoſtoli non exiſtimarent, Judam eſſe malum ; & qui timebant Paulum (ſcilicet credentes in Chriſtum) recti forent. Deceptionem utramque providentia Dei permiſit ; ut cum hæc poſtea meditaremur, nec gloriam haberent mali dum laudabiliter opinantur homines de illis ; neque nimis anxiarentur ſancti, ſi mala vulgò fertur exiſtimatio feriens eoſdem. Si autem ita congruit circa bonorum opiniones de alienis moribus ; qua ratione tanti pretii ſunt apud nos quæ ſentiunt de nobis homines imprudentiſſimi, necnon & vitiis obcæcati ? Rectâ viâ tendens, & ſapientiam complectens in virtute ſitam, non potiſſimùm præ mentis oculis habeat quòd ſapiens reputabitur : etſi nequaquam talis exiſtimetur, felix ille qui *ſapiens erit*.

Ioann. 6. 71.

Chryſoſt. to. 3. hom. 46. in Ioann.

Actor. 9. 26.

DELIBATIO V.

Malo non eſt verus amicus. De prodigo, qui donat iniquo ; non autem pauperi. De juſto curante utilitatem malorum ; ac de peccatore ſcandalum præbente.

50. *Malo nullus amicitiâ jungitur veraci.* AMicus. Ne tibi ſuadeas, illum, qui per vituperabilem concordiam cum iniquis redditur ſimilis eis, adhuc poſtquam fit malus, amicum eſſe verum ipſorum ; quantumvis amici nomen retineat. Multa ſunt paſſim, quæ vocabulum re vacuum vendicant. Nummus adulterinus appellatur eo nomine, quod haberet, ſi verus eſſet : hominis imago dicitur homo ; cum ſit color varius, diſpoſitus in tabula, & nihil hominis habeat præter apparentiam. Sic amicitiæ nomenclaturam illi mentiuntur, qui ſceleribus polluti reperiuntur ſodales. Eorum quiſque falſæ pecuniæ ſimilis extat : non enim pretioſus ipſi valor ineſt, ratione cujus amicum fidelem dicimus theſaurum : imaginem refert amici ; non tamen amicitiæ veritas in eo latet ; quantumlibet adulationis colores, additâ ſimulationis umbrâ, pulchram effingant picturam diligentis corde toto. Incertus inter Auguſtini opera. *Falsò ergo præclarum nomen amicitiæ aſſumunt, inter quos eſt convenientia vitiorum : quoniam qui non amat, amicus non eſt. Non autem amat hominem, qui diligit iniquitatem : & hic odit animam ſuam, & alterius amare non poterit.* Iſta ſi perpenderent aliqui, non ita gauderent quòd ſibi plures numerantur amici ; nec ſolius adverſitatis luce ducti cognoſcerent poſtea qualiter decepti nunc felices tot computent amatores. Amicus non eſſe creditur cujuſdam qui diligit hoſtem illius, dilecto præbens adjutorium adverſus eumdem. Inimica mortalibus eſt nequitia : diligunt iſtam ſodales mali : necnon auxiliantur malitiæ tranſverberanti cor viri, cui ſociantur iniquè : non igitur hujus amici verè ſunt : malo nullus amicitiâ jungitur veraci.

Incert. inter opera D. Aug. to. 4. l. de amicit. c. 2. fin.

51. Siracidis morali pondere gravem ſententiam cogitatione verſemus. Dixit ille : *Fatuo non erit amicus*, &c. Commentatur Cornelius Alapide : *Fatuus enim hîc practicè intelligitur, putà vitioſus eſt ſceleratus*, &c. Difficilem putabis forſan intellectum verborum Eccleſiaſtici : nam Salomon dixit : *Stultorum infinitus eſt numerus.* Ad quem locum ſcribens notat Lorinus : *In Scriptura*

Eccli. 20. 17. Alapid. ib.

Eccle. 1. 15. Lorin. com. in Eccle. ib.

epithetum peccatorum, ac impiorum eſt, ut vocentur ſtulti atque inſipientes : &c. Ex hinc dubitabis, quo pacto credendum, ſceleſtum à nullo diligi, cum ſimilitudo pariat amicitiam. Siracides ipſe prædixerat: Eccli. 13.19 20. *Omne animal diligit ſimile ſibi : ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Ergo quali ſenſu verum erit : *Fatuo non erit amicus*, id eſt vitioſo ? Solutionem præſtet commentarium Dionyſii Carthuſiani. Dion Carthuſ. com. in Eccli. 20.17. Fatuo non erit amicus. *Amicitia etenim vera ac mutua non niſi inter virtuoſos habetur.* Et adhuc, quantumlibet inculcemus iſta, ridebit potentiâ divitiiſque fulgens, & ſceleribus infamis ; cum ſe lætus videat ſtipatum ſociis æque vituperabilibus ; quos fidiſſimos æſtimat, eorum blanditiis illuſus. Opportunum erit illi fortunato, quòd credat, priuſquam infauſtâ doceatur experientiâ, malum nequaquam propriè vocandum eſſe nomine hoc : *Amicus.*

52. Salaz. com. in Proverb. 13. 20. *Dives negant eleëmoſynam videbit errorem poſt donationem prodigè factam iniquis.* Secunda pars dogmatis aliàs legitur ab aliquibus, referente Salazar. *Extremam*, inquit, *partem alii aliter extulerunt* : Et paſcens ſtultos malum erit ei : *Qui melius quidem converterent* : Et conveſcens cum ſtultis. Hinc mihi meminiſſe contigit eorum, qui ſubſtantiam ſuam dilapidant cum nequiſſimis hominibus : excipientes eos lautis conviviis, & alia munera præſtantes eiſdem : nec minimam ſtipem rogantibus Chriſti mendicis tribuentes. Copulatur in multis opulentis avaritia cum prodigalitate. Contrariæ ſunt ; ſed neutra temperat aliam. Nimia parcitas exercetur erga miſeros ; liberalitas effunditur ad non dignos. S. Gregorius Papa : *Unde*, D. Greg. Mag to. 1. 3. p. Paſt c. 1. admon 21. med. ait, *& nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Chriſti pauperes, effuſis largitatibus nutriunt hiſtriones.* Poterant iſti ſumptu minori parare ſibi veros amicos per eleëmoſynas ; audientes illud Redemptoris noſtri: Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Interventu quidem amicorum iſtiuſmodi valerent illi divites à malo ſervari ; non tamen curant hos auxiliatores nanciſci : magis afficiuntur ad paſcendos eos, qui non auxiliabuntur ei ne patiatur damna. Qui ſe gerit hoc pacto, cernet faciliùs quàm imprudenter operetur in ope denegandâ ſupplicanti, cum prodigè conſumpſerit in cibandis iniquis ; à quibus expectari non poſſet ut periclitanti benefico ferrent adjumentum. Imprudentiam ſuam priùs non agnoſcunt : ſed poſt dona peccatoribus inutiliter collata, videbunt erraſſe negantes eleëmoſynam indigo, qui valeret ipſius auxiliator eſſe validus.

53. Neceſſitate compulſus David, cum perſecutionem Saulis per abſentiam vitaret, miſit nuntios ad Nabal, ſuppliciter poſtulans ut ſibi ferret opem. Injurioſum expertus eſt ſuperbum. Vindictam ſumere deliberavit ; ſed verbis Abigail uxoris Nabal permotus mutavit conſilium. Reverſa fœmina viro ſuo, non ſtatim, ſed in ſequenti die notum fecit diſcrimen, in quo poſitus fuerat ille. *Venit autem Abigail ad Nabal : & ecce erat ei convivium in domo ejus, quaſi convivium regis, & cor Nabal jucundum : erat enim ebrius nimis : & non indicavit ei verbum puſillum aut grande uſque mane.* 1. Reg 25. 36. Cum ipſe poſt audiſſet quæ retulit conjux, repletus fuit ſtupore, factus veluti lapideus. *Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* Ib. n. 37. Commentatur Sanctius : *Hoc omnino accidit Nabali, ubi primùm didicit, quo in periculo fuerit, & quàm abfuerit parum, ut inter epulas, & cœtus ebriorum, ebrius ipſe, & amens occideretur.* Sanct. ib. Notabit aliquis, mulierem prudentiâ prædictam, cum deliberavit ire placatura Davidem, non aperuiſſe marito quò tenderet. *Viro autem ſuo Nabal non indicavit.* Eod. c. n. 19. Nonnemo putaret oportuiſſe, quod uxor tunc notificaret ei deliberationem propriam apertè ; ſuadereque viro conaretur eam comitari pro venia poſtulanda. Nonne multùm prodeſſet iſta poſtulatio Nabalis ? Credo quòd ſic. Attamen ſpes non erat ut viri flecteretur animus tunc temporis ad errorem agnoſcendum, quem in eleëmoſyna prædicta deneganda commiſerat. Aptiorem nacta fuit occaſionem, qua virum cogeret meditari quantùm erraverit in tenacitate ſua. Rem detexit illi poſtquam prodigus pavit convivio malos ; qui, ſi David armatâ manu veniret adversùs eum, vel fugerent, vel ſaltem non eriperent illum à clade. Veroſimile non eſt, Nabalem vocaſſe tunc ad menſam juſtum aliquem : quis enim credat hoc de viro talis conditionis, ut ei famulantes dixerint ad conjugem : *Ipſe eſt filius Belial, ita ut nemo poſſit ei loqui.* Ibid. n. 17. Familiaribus utique ſceleſtis Nabal ſuperfluè largus extitit ; quos non inveniret auxiliatores contra Davidem, ſi foret opus ; huic autem, qui ſervaverat ipſius bona, minimè præſtitit opem. *Vere fruſtra ſervavi omnia quæ hujus erant in deſerto*, &c. Ib. n. 21. Poſt largitionem prodigam vidit Nabal (vel ſaltem facilè videre potuit) exerraſſe nolentem opitulari petenti miſerabiliter. Ita non ſemel evenit ei, qui ſeductus avaritiâ pauperem à propriis foribus hoſtiliter propellit ; & ſumptibus nimiis improbos paſcens, ac iiſdem conveſcens, perhibetur illorum *amicus.*

54. *Juſti laus eſt conſortiũ non deſpicere malorum ad utilitatem ſpiritualem delinquentium.* *Stultorum.* Nihil obſtante dicto Salomonis, laudanda meritò charitas quorumdam juſtorum : qui verbis & exemplis cupientes ad meliorem frugem reducere peccantes, converſantur cum ipſis, nec dedignantur iniqui ſocietatem in ſuum, & ipſius lucrum. Imitantur iſti ſolem, qui radios emittens haudquaquam præterit hominem, qui labens infectus eſt luto : quin & calore deſiccat ſordes, ut excutiantur, & fiat mundus. Non aliter ſancti perplures convictum cum ſceleratis non devitant ; imo ſollicitant, ad hoc ut eorum abſtergantur maculæ. Pluſquam humanum dices ita diligere proximum. Favet Guigo Carthuſianus, inquiens: Guig. Carthuſ. in medit. c. 16. fin. *Para te ad cohabitandum malis mente incorrupta, quod eſt Angelicum. Quæ autem gloria eſt,*

hoc

hoc facere cum ſanctis? Angelorum virtus eſt, vivere cum vitioſis, nec eorum corrumpi vitiis. Summorum medicorum eſt, degere cum ægris, & inſanis: & non ſolum minimè corrumpi, ſed ſalutem eis reſtituere. Non iſtud cum peccatoribus contubernium, monente ſtudio profectûs eorum, congruit indifferenter iis, qui tyrones adhuc ſunt in malitia ſalutari: nam experientur detrimenta ſocietatis malæ, de qua prius nonnihil dixi. Provectorum potiſſimùm eſt inculpatè ſociari malis, ut ipſorum proſint animabus. Quapropter eximiè ſanctus per iſtam communionem charitativam juſtus declaratur. Eſto per opprobrium notetur à ſuperbis ejuſmodi familiaritas, quam exhibet probus iniquis; cum tamen intendat utilitatem ſpiritûs illorum; iſta contumelia ſancti laus eſt. Quidquid inflati dicant, cum arguunt innoxium quod non abjiciat à ſe malos, illum nolentes juſtum exprimunt per iſtud convicium.

55. Dicens ad turbas divinus Magiſter de Præcurſore, ſugillavit variam, & in malo conſtantem, loquendi rationem in Judæis: nam & Joannis auſtera vita diſplicebat; & Salvatoris affabilitas. *Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* S. Hilarius ad hunc locum: *Eſt autem non otioſum hoc in loco virtutem dicti contueri:* Et juſtificata eſt ſapientia. *De ſe utique locutus eſt.* Adde Maldonatum ibi: *Filios autem ſapientiæ vocari arbitror omnes Judæos, & eos qui ſapientiam receperunt, & eos qui rejecerunt*, & infra: *Juſtificatam autem eſſe ab utriſque & bonis, & malis, id eſt juſtam declaratam*, &c. Non eſt nimis pervium intelligere qua ratione juſtificatus fuerit Redemptor ab illis, qui per contumeliam notabant eumdem, inquientes: *Ecce homo vorax*, &c. Hocne laudaviſſe fuit? Dices, opprobrium à malis illatum non vituperium eſſe putandum, ſed encomium. Non abnuo: tamen ad veritatem intentam deflecto. Pectatores Innocentiſſimus, longiſſimè poſitus à periculo ſpirituali, tractabat familiariter, ut eorum ſaluti conſuleret: ita ſanctitas ejus oſtendebatur ſplendere charitatis flamma; cujus fulgorem ſoli non perciepiebant cæci. Jactabant humanitatem iſtam Domini quaſi convicium in Servatorem; ſed fruſtra: nam per hanc notam Filius Dei juſtus declaratus eſt. *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* Ita non ſemel imitatores perfecti Chriſti juſti perhibentur, cum benignè malis aſſociantur, ut eorum animabus offerant ſanitatem; quantumvis blateret contra charitate proximi flagrantes nequiſſima præſumentium de ſanctitate ſuperbia. Prorſus aliud eſt iniquorum fieri malum conſortem; aliud verò cum juſtus ut ſanet ægros, adeſt *amicus ſtultorum.*

Matth. 11. 19.

S. Hilar can. 11. in Matth. poſt med.

Maldon. in eumd. locũ.

56. *Similis.* Vox iſta non ſemper denotat omnimodam ſimilitudinem; ſed vendicat ſignificationem latè patentem; nam hominem dicimus homini ſimilem, & aquis. Hoc prænotare libuit, ut adverterem, ſi paria ſint cætera, magis peccare delinquentem ſic, ut ſcandalum præbens miniſtret alterius ruinis. Proderit Paſchaſius, aiens: *Verumtamen etſi his væ eſt, qui de mundo & in mundo ſcandala ſeminant & nutriunt, nec immunes ſunt à reatu & culpa quibus & væ dicitur, quia miſcuerunt ſe mundo, cui eſt totum væ voluntate recepta* (fortè legendum eſt: *Receptum*) *ut ſcandalizarentur cum mundo. Tamen illis gravius væ reſtat per quos ſcandalum venit* &c. Id adeo verum habet, ut ſi conferantur ad invicem ducens in peccatum exemplo, & ille qui ſic ducitur ad nequitiam, videri poſſit, inductum aliqualiter adhuc retinere nomen innocentis; haud ſimpliciter, ſed factâ comparatione cum inductore. Arnobius: *Effundimus*, ait, *ſanguinem innocentem, id eſt ſanguinem animarum ſimplicium, quæ noſtro exemplo delinquunt.* En delinquunt: & adhuc innocentes nominantur? De vocabulo quidquid ſit: illud maneat ſtabilitum, quòd peccantibus duobus crimine quoad reliqua pari, qui deliquit alteri præbens exemplum, nequiùs agit. Minus malus eſt qui per imitationem ſequitur; pejor autem qui per exemplar invitat.

ſionem præbeat alteri peccandi.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. c. 18. 7.

Arnob. in Pſal. 105. longe poſt med.

Liceat api volatum divertere brevem ad oſtium horti Salomonis, in quo circumvolitat: nam & ibi doctrinæ flores virent amœni. Alumnum ſuæ monet eruditionis Paræmiaſtes, ad hoc ut non declinet in conſortium impiorum, inquiens: *Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt*, &c. Notaſti diſparitatem locutionis? Fatus de vocantibus ad iniquitatem, ait, *Currunt*: de illo verò, qui monetur ne comitem ſe jungat inquit Sapiens, monitum ſalutare præbens eidem: *Ne ambules cum eis*, &c. Igitur ſupponit ambulaturum cum procurrente, ſi ſperneret hortatum Salomonicum? qua ratione verum eſt hoc? nonne præſuppoſuit Salomon malos invitantes ad ſocietatem? *Si dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini*, &c. Qualiter exhibebit unus alteri comitatum invia, ſi prior cucurrerit; poſterior autem ambulaverit? Non tantùm paſſus materiales attendas: nam opera noſtra, necnon & affectus, greſſus verè ſunt. Inductus ad ſcelus multoties non currit, ſed ambulat: id eſt, afficitur minori nequitiâ. Illi verò, quos introducit Paræmiaſtes, præſtantes exemplum delinquendi, non tantùm ambulare dicuntur, ſed currere: id eſt, maligniùs peccare. Dionyſius Carthuſianus exponit prædicta ſupra verba: Pedes enim illorum ad malum currunt. *Quia ex malignitatis ſuæ affectu non ſolum vadunt, ſed etiam currunt ad ſcelera perpetranda*: &c. Grave quidem piaculum admittit qui venenum ſuum diffundit ad imitatores; & non contentus explere pravos appetitus, proximum imitatione trahit ut fiat ei ſimilis.

57.

Proverb. 1. 15. 16.

Ibid. n. 11.

Dionyſ. Carthuſ. com. in Proverb. c. 1. 16.

Efficietur. Adhuc perſequar expendere quàm ſit noxius ille, qui ſocios perducit ad crimina; quò vitetur iſte cautiùs, velut animarum peſtis. Hic inſontes retrahit à via regia, deducit ad præcipitium, ſpoliat

58. *Majus diſcrimen adeſt in ſcandalũ prabente, quàm in peccante.*

Cæteris paribus, peccat gravius delinquens ita, quòd occa-

catore contra ſemetipſum.

ſpoliat ſine lucro proprio ; quod certe crudele genus eſt latrocinii. Lupino more teneros agnos trucidat : multoties namque lupus jam ſatur venit ad gregem ; & necat integrum , quin ex eo quidquam devoret. Idem ipſe noviter aggreſſos iter barathri manuducit,ut perſeverantes in cœpto malo progrediantur : ſuadet ponere timorem Dei : ſpem vanam adauget,ut credant , finem optimum ſubſecuturum poſt vitam damnabilem : & alia munera præſtat verè diabolica. Etſi delictum ex genere ſuo minùs grave ſit , quô ruituris proximis objicitur offendiculum , offerens promeretur ſupplicium durius , quàm ſolum ſemetipſum coinquinans graviori flagitio , cum ſcandalo nullius. D. Iſidorus

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 261.

Peluſiota : *Nimirum* , ait , *qui peccat gravius, clam tamen , & offendiculum affert nemini , minus eſſe puniendum , quam qui minus graviter peccat , liberè tamen offendit , ac ſupplantat quamplurimos.* Alicui peccati pondus recidit in authorem inducentem ; ac junctum crimini voluntatis propriæ facit reatum ſic ampliùs gravitare , quàm ſi commiſſum illud patraret in occulto. Quinimo gravitatem ſcandali juvat alia ratione meditari. Multoties audiſti dicentes (& ô quam verum !) peccatorem ſuimetipſius terribilem in ſpiritualibus adverſarium. Nunc , ut ſcandali vitandi curam ſuadeamus , affirmare liceat , te plùs à ſcandalizantibus periclitari , quàm à teipſo. Infirmus iterfaciens labendi periculum defert ſecum : ſed majus eſt illud , quod venit ab impellente. Sic in operum ambulatione pluries continget. Ab ægritudine propriâ lapſus veniret utique ; ſed multò certiùs cades motus ab alio , qui ſe tibi præſtat exemplar iniquitatis. Tutus non es à temetipſo : ſed periculoſius ut corruas ad exemplum alienum.

59. Oratione piiſſimâ pulſabat olim cœli fores David : & agnoſcens optimè damna

Pſal. 140 3.

linguæ , Deum ſic rogabat : *Pone Domine cuſtodiam ori meo : & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Bellarminus , quamvis aliò deferat argumentum Pſalmi , tamen ſic exponit præcitata : *Ait , igitur , Pone Domine cuſtodiam ori meo , id eſt , os meum eſt quaſi porta unde exeunt verba , & per verba exeunt cogitata , & facta , ideo rogo , ut adhibeas cuſtodiam , janitorem videlicet , qui diligenter cuſtodiat.* Et infra : *Porro oſtiarius , & oſtium ſignificant in præſenti duo dona Spiritus ſancti : unum ex parte intellectus, ut ſciat homo quando, & quomodo , & quid loqui , vel tacere debeat : alterum ex parte voluntatis , ut audeat loqui quod oportet , & timeat loqui quod non oportet* : &c. Ecce cuſtodiendum ſe David putavit ſatis à peccatis linguæ per oppoſitum cœlitus ori janitorem , labiis quæ ſuis oſtium , ſcilicet duo Spiritus divini dona : quæ quidem ſunt accidentia , facileque homo deperdit utrumque : non autem dixit : Cuſtodi per temetipſum Domine os meum potentiâ tuâ. Nunc accedamus prope finem ejuſdem Pſalmi. Notanda

Bellar. com. in Pſal. ib.

Eod. Pſ n. 9.

ſunt illa verba : *Cuſtodi me à laqueo , quem ſtatuerunt mihi : & à ſcandalis operantium iniquitatem.* Bellarminus : Et à ſcandalis operantium iniquitatem , *Id eſt ab exemplis carnalium , cupidorum , & ſuperborum :* &c. Diverſum loquendi modum non præteribo. Priori loco Deum orat , ut cuſtodiam ponat ; poſteriori verò non iiſdem verbis utitur ; ſed petit ut cuſtodiat. Si de verborum diſparitate licet in hac re conjicere quicquam , videtur , Davidem enixiùs orare pro defenſione à ſcandalis : nam ſonat aliquid ampliùs , cuſtodire ; quàm , ponere cuſtodiam. Meritò ſupplici majorem curam ingerebat periculum à ſcandalizantibus veniens , quàm à volubilitate linguæ propriæ : quoniam licet hæc magna diſcrimina pariat ; multò magis periclitatur homo per exempla malorum. Timeat valde ſibi qui ſocius iniquorum eſt : quia per ſocietatem & amicitiam *ſimilis efficietur.*

Bellarm. ib.

FLOS XIV.

Peccatores perſequitur malum : & juſtis retribuentur bona.

APERITUR.

1. QUOAD primam partem quæſtio prior ſit utrum de malo culpæ verificetur ; an autem de malo pœnæ ? De pœna textum interpretantur Liranus , Gloſſa interlinearis, Cardinalis Hugo cum Salazar ; quibus aſſentior : & in id magis inclinat Janſenius , quamvis approbet etiam primum. De utroque intellexerunt Cornelius Alapide & Dionyſius Carthuſianus. Senſus ille de malo culpæ verus eſt ; præſertim propter internum tortorem , ſcilicet conſcientiam delicti ; quæ non modicum ſupplicium peccatoris extat. Nihilominus elegi tamquam probabiliorem interpretationem accipientem illa verba de malo pœnæ ; quia conſonat arctiùs cum ſequenti parte dogmatis , ut conſideranti patebit : tum etiam ex eo quòd potiùs credo , Salomonem ad illud attendiſſe , quod hominibus vulgò magis præ oculis eſt ; ſcilicet ſupplicium : ſunt enim rari , qui magis timeant culpam , quàm formident venturam ultionem. Ariſtoteles : *Multitudo* , inquit , *neceſſitati potiùs , quàm rationi , & pœnis , quàm honeſtati paret* : &c. Et notandum quàm errent craſsè quicumque ſe putant impunè peccaturos : nam , ut ait Lipſius , *culpæ comes juſtiſſimè pœna ſemper eſt.*

Liran. Interlin. Hug. Salaz. Ianſen. Alap. & Carthuſ. in Proverb. 13. 21.

Ariſtot. l. 10. eth. c. ult.

Lipſi. l. 2. de conſt. c. 16.

2. Sit quæſtio ſecunda. Verbane Sapientis intelligenda ſunt de vindicta veniente per poteſtatem humanam ; vel de divina ? Complectitur utramque Cornelius Alapide : Eo quod plura ſint crimina, quæ non ſubſunt humanæ correctioni ; multa vero Deus puniat non ſine manu hominis , idque præſtet mediantibus judicibus humanis. Placet iſtud Cornelii commentarium. Circa quod obiter advertendum , æquum eſſe , quòd utrumque judicium timeatur, divinum ſcilicet ac humanum. Sed Judicis divini timor virtuoſus eſt ; humani

Alap. ſup.

verò

verò ſæpeſæpius non ita. Beatus Bruno Herbipolenſis : *In hoc*, ait, *ſæculo qui judicem formidaverit, reus eſt : Deum qui timuerit ſanctus eſt.* Beat. Brun. Herbip. in Pſal. 85. 11.

3. Aliam expoſitionem non ſpernendam habes apud Salazar hîc, qui ait : *Aliter etiam malum, id eſt, pœna impios perſequitur : quia ubique inſtat, atque obverſatur illis opinio, ac metus pœnæ jamiam incidentis*, &c. Rectè Conditor omnium providit, ut cum reſpublica ſit in pectore noſtro, judex reſideat ibidem innocenti propitius, & ſonti ſeverus. Hic eſt conſcientia propria, de qua Tullius : *Magna vis eſt conſcientiæ, judices, & magna in utramque partem ; ut neque timeant qui nihil commiſerint ; & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccarint.* Quæ cum ita ſint, notare non deſinam quàm profundum capiant ſomnum quidam, licet conſcientia peccatorum non dormiens clamet. Salaz. ſup. n. 84. Tull. or. 38.

Quid ſibi vult, tumido quod dormit in æquore Jonas,
Quem tamen inſequitur vindicis ira Dei ?
At contra vigilant innoxia pectora, votis
Flebilibuſque Deum ſupplicibuſque vocant.
Scilicet hi Jonam referunt, ad juſſa minaſque
Numinis æterni quos ſopor altus habet.
Aſt alios illi, quos verba minacia terrent :
Cum tamen hæc tantùm perfida corda petant. Iacob. Billi. in anthol. ſac.

4. Pro ſecunda parte nota quantum valeat apud mortalia corda ſpes præmii. Fruere S. Macario. *Univerſa*, inquit, *opera, quæ ſpectantur in hoc mundo, ſpem ob aliquam fiunt : nempe mercedis recipiendæ gratiâ laborum ſuorum. Itaque niſi quis certiſſimè ſibi perſuadeat, ſe fruiturum laboribus, nihil promovet.* Qualis extet ad operandum rectè ſtimulus animorum ſpes remunerationis accipiendæ, teſtis eſt utraque politica : divina ſcilicet ac humana ; quæ, ſi laudabilis extat, conformatur divinæ. Pro mandatorum Dei cuſtodia, pro virtutum exercitio, ſcis quam validum ſit munimentum expectatio coronæ. S. Laurentius Juſtinianus : *Credere*, ait, *enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & ſe inquirentibus remunerator ſit. Hinc operandi naſcitur virtus, hinc legis cuſtodia, mandatorum Dei impletio, & ſpei cauſatur certa lætitia. Tolle laboranti mercedis ſpem, & illico manus illius contabeſcet in opere. Tolle viatori perveniendi fiduciam, & ſtatim præ laſſitudine in via deficiet. Robur igitur actionis in ſpe remunerationis includitur.* Si de regimine terrenorum principum loquamur ; nullus eorum ignorat, ſubditos ad opera laudabilia præmiis invitari. Apud Caſſidorum rex Theodoricus : *Faveant*, inquit, *ſuperna diſpoſitis, ut ſicut nos virtutes collatis* (alia lectio habet : *Celatis*) *beneficiis invitamus, ita creviſſe meritis honoratas conſcientias approbemus.* Bene Salomon in exterioris, & internæ politicæ doctrinâ peritus in mentem reducit retributionem juſtorum : *Et juſtis retribuentur bona.* S. Macar. hom. 14. in princ. S. Laur. Juſt. in faſcic. amor. c. 17. ante med. Theodoric. rex apud Caſſiod. l. 2. var. c. 16. fin.

5. *Peccatores.* Intellige non pœnitentes de ſcelere commiſſo. Fatendum nihilominus eſt, Deum etiam impœnitentium ſanitatem curare per ſupplicia. Cupit non illos æternâ punitione plectere : quapropter mulctat eos temporaneis malis : unde verbera, quibus vapulant, auxilia ſunt, quæ Deus ipſis offert, ut evadant mortem perpetuam. S. Proſper :

Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis S. Proſp. epi. gra. 5.
Auxilium miſeris ipſa flagella ferunt.
Et vindicta brevis ſic noxia crimina finit,
Ne ſine fine habeat debita pœna reos.

Perſequitur. Id eſt, inſtat, urget. Sed ipſa cogit experientia confiteri Dei patientiam differentem vindicare crimina. Nullus hâc abutatur : nam ſæpe moratur ulciſci ; poſt æternis mancipat ſuppliciis reum clementiæ contemptorem. S. Gregorius Papa ſcribit : *Diu quippe Deus tolerat, quia in perpetuum damnat : & furorem nunc inferre diſſimulat, quem effundendum ſine fine in poſterum ſervat.* Quam periculoſa ſit peccanti præſumens fiducia, quam de mora ſupplicii Dei concipit, adeo manifeſtè patet, ut etiam Valerius Maximus dixerit : *Lento gradu ad vindictam ſuî divina procedit ira, & tarditatem ſupplicii gravitate penſat.* Miſericordia quidem Altiſſimi juſtitiam quaſi detinet ; ſed non lædit. Unde quamvis proteletur ultio, ſi perperam utitur benignitate ſceleſtus, prudens moroſitas pœnæ, majoris acerbitate compenſabitur. 6. S. Greg. Magn. to. 1. l. 26. mor. c. 27. in princ. Valer. Max. l. 1.

Malum. Liranus hîc intelligit ſupplicia gehennæ, quæ tandem peccatorem excipiet : nam ad hoc verbum ait Commentator : *Scilicet pœnæ, quod eos finaliter comprehendet* ; &c. Judico tamen, extendi verborum ſenſum ad omne genus ultionis, qua plectitur peccator. Ducor ex eo quòd Salomon hoc loco doctrinam præbet univerſalem : plures autem ſunt, qui de ſuppliciis alterius vitæ non cogitant. Iſtos etiam commovere vult ad timorem : proindeque comprehendit ſupplicia temporanea, quæ tantùm verentur illi ; ſciens, timorem cunctis valde neceſſarium. Baſilius Magnus inquit : *Si non timor erudierit vitam noſtram, impoſſibile eſt peragi ſanctificationem in corpore.* Sed quid eſt omne quodcumque patimur finiendum, ſi perpetuos cruciatus conferamus tranſitoriis. 7. Lira. in Proverb. 13. 21. S. Baſil. Mag. hom. 20. in Pſal. 33.

Et juſtis. Multum, & excellens, juſti vocabulum ſonat : non enim abſolutè dicitur juſtus homo propter ſervatam rectitudinem in una vel altera virtute. Chryſoſtomus : *Hoc enim*, ait, *nomen, juſtus, conſuevimus dicere de his, qui omnigenam exercent virtutem.* Sed in præſenti juſti nomenclatura protendenda libenter ad pœnitentes, qui dolori de præteritis criminibus adjungunt plura virtutum exercitia : de quibus ita reſurgentibus, ut progrediantur in itinere ſalutari, Chryſoſtomus idem ſic habet : *Agamus tamen pœnitentiam, & non modò veniâ peccatorum, verum etiam præmiorum gloria perfruemur : Pœnitentiam verò dico, non ſolum ut à malis prioribus deſiſtamus, verumetiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus ; ſi utique peccatis adverſa faciamus.* Non æſtimatur integrè ſanus corpore, qui liber 8. S. Ioann. Chryſoſt. to. 1 hom. 33. in Geneſ. longe poſt med. Idem to. 2. hom. 10. in Matth. longe ante fin.

à morbo non adhuc exercet functiones quaſdam proprias eorum, qui ſalute plenè fruuntur. Sic in ſpiritualibus non judicatur perfectè ſanitati, ſeu ſanctitati reſtitutus, qui ſurgens à fovea culpæ, qua jacebat, ſtat immotus : oportet ut greſſum faciat, & ſic diſcedat longius ab antro, quo miſerè latuit.

9. *Retribuentur.* Et ô quàm larga manu ! Debita ſolvuntur apud homines, aliquando non fideliter, quandoque parcè. Vix eſt qui ſolvat amplius quam debuerat : utinam ſemper ſtaretur promiſſis. Non ſic accidit homini coram Remuneratore ſummo ſummo : qui non ſolum retribuit fideliter quod in præmium ſpoponderat ; ſed adjicit alia, quibus conſtituat ſe de novo debitorem. Salvianus : *Habes*, inquit, *itaque indubitabilem futuræ retributionis ſecuritatem, habes recipiendorum bonorum operum ſatis idoneum vadem : qui quidem tantæ non ſolum fidei, ſed etiam miſericordiæ, atque pietatis eſt, ut non ſolvat tantùm quod promiſerit quaſi debitum, ſed etiam oſtendat aliquid, quo ſe faciat debitorem.* Non ut principes terreni, qui velut coacti ſolvunt, aliquando tamen, obſequia benemeritis, Deus elargitur præmia ; ſed gaudens vocari debitorem nobis, cum pretium pendit virtutum, quas exercuimus, addit nobis alias, quibus obſtringamus eumdem ad ulteriorem ſolutionem.

Salvia opere quod inſcribitur Timotheus l. 3. longè ante fin.

10. *Bona.* Dionyſius Carthuſianus accipit hoc de præmiis æternæ vitæ, ſimul cum aliis accipiendis in corpore mortali, ſpectantibus tamen ad ſpiritum. Cardinalis Hugo commentatur de ſolis futuris in beatitudine. Exiſtimo comprehendi per ſapientem hîc tam priora, quàm poſteriora bona. Vides quàm grandem cumulum conſtituant hæc omnia ſimul ſumpta, juſtiſque parata ? Univerſa nihil ſunt, comparatione facta cum Deo, qui verè juſtorum erit præmium. S. Fulgentius ait : Unuſquiſque pro priam mercedem accipiet, *ait Apoſtolus*, ſecundùm ſuum laborem. *Et quantum amplius alius alio obediens Deo fuit, tantum amplius mercedis accipiet. Et quæ erit iſta merces, vel præmium, niſi ipſe Deus præmium virtutis erit ?* Reges mundani, quantumlibet aliquando non dedignentur ſibi fideliter obſequentes amicitiâ proſequi, diſtribuent largiter ſua, remunerantes eorum facta ; non tamen valebunt eis donare ſemetipſos. Rex autem regum non ſolùm propria liberaliter impertitur ultra condignum ſibi ſervientibus : inſuper ſeipſum retribuet eiſdem : & erit præmium qui remunerator eſt.

Carthuſ. & Hug. Card. in Prov. 13. 21.

S. Fulgent. l. de Trin c. 12. uxta fin.

DELIBATIO I.

Fuga peccatoris fruſtranea perſequente peccato & ſupplicio.

11. *Manens in ſceleribus in caſſum tëtat fugere crimis perſecutionem.*

ETſi verum extet, impium fugere nemine perſequente ; cum hoc tamen ſtat, ipſum crimen, & ejus pœnam inſequi peccantes. Quod attinet ad perſecutionem, qua ſcelus ipſum proſequitur authorem ſuum, plectitur iniquus per id in quo peccavit. Noluit effugere ſcelus, ut non committeret illud : poſtea fugam capere tentat fruſtra quidem ab ipſo crimine, quod impœnitens non abjicit. Fruſtra, dixi, nam delictum inhæret ipſius animæ : qua ratione diffugiet peccator à ſemetipſo ? Conatur attamen abire longius à ſe, quaſi timens inſectantem : nam putat ferè quod à ſeipſo diſcedere valeat qui peccando receſſit à ſemetipſo, juxta phraſim D. Ambroſii ſuper illud, quod in parabola prodigi legimus : *In ſe autem reverſus*, &c. dicentis : *Bene in ſe revertitur, qui à ſe receſſit. Etenim qui ad Dominum regreditur, ſe ſibi reddit : & qui recedit à Chriſto, ſe ſibi abdicat.* Facillimus eſt receſſus, quo delinquens deſerit crudeliter ſemetipſum cum peccat ; impoſſibilis autem diſceſſus impœnitentis à ſe, quamvis urgeat illum timor inutilis. Qua ratione declinabit ille conſcientiam accuſantem ? Iſta ſimul ſpeculum & vultus hominis eſt : S. Aëlredus: *Vultus*, inquit, *animæ, ut mihi videtur, conſcientia eſt, quæ omnium actionum, ſermonum inſuper & cogitationum teſtis eſt .... Conſcientia quippe ſpeculum animæ eſt, in qua profectò defectus noſter, vel profectus deprehenditur, & omnis ſtatus hominis interioris agnoſcitur.* Ægro quidem ſi objiciatur ſpeculum, avertit faciem, ne cogatur cernere miſerandum pallorem, qui morbum comitatur. In avertendo vultu non poterit impius infirmo ſimilari : nam, ut prædixi conſcientiæ ſpeculum ſimul eſt animæ vultus ; & fruſtraneè vertere curabis os ab ore. Manens in ſceleribus incaſſum tentat fugere criminis perſecutionem, quod non relinquit : culpa comprehendit eumdem.

tionem.

S. Ambr. to. 3 l. 1. in Luc. c. 15.

S. Aëlred ſer. 9. in c. 13. If. poſt med.

Meditanda ſunt ad hanc rem verba ſapientis : *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate.* Illud, *Corripietur*, S. Auguſtinus refert ad hominem, inquiens, *Id eſt corripietur homo ſuperveniente ſibi iniquitate ſua*, &c. Adde Lorinum ibi : *Corripitur*, ait, *verò aut Spiritus ſanctus, id eſt, triſtatur, aut, quæ plurium expoſitio eſt, fictus vel ab iniquitate ipſa ſuperveniente, id eſt, à peccato tum vetere, tum novo*, &c. Omittamus peccatum ſubſequens ; & loquamur de veteri manente. Quæro : Quo ſtylo dici valet, iniquitatem, in qua jacet iniquus, illi ſupervenire ? præſertim, cum plures ad modum cibi deglutiant crimen, ſimiles eis, de quibus Paræmiaſtes ait : *Os impiorum devorat iniquitatem.* Dionyſius Carthuſ. ibi : *Id eſt in verbis mendoſis & teſtimoniis falſis delectatur, quaſi in cibo, & ea in cor ſuum deglutit.* Utcumque peccet homo, ſeu voluptuosè, vel aliter : peccatum reſidet in illo quandiu non convertitur. Ergo qua veritate dicemus, illi ſupervenire ſuam iniquitatem, in qua permanet. Quodammodò ſupervenit, quaſi comprehendens conantem ab illa fugere. In vanum terga dat impietati per voluntariam oblivionem, tum ſectando negotia, tum voluptates, præ deſiderio ne ſibi crimen commiſſum objiciatur à conſcientia perſequẽte.

12. Sapient. 1. 5.

S. Aug. to. 6. l. contra Adimant. c. 1. Lorin. in Sap. 1. 5.

Prov. 19. 28. Carth. ib.

Fugit,

13. *Impii quidã nunc vident, nunc non vident peccatum cõmiſſum.* S. Aëlred. prox. ſup.

Fugit, inquam ſceleratus à delicto ſuo, quod retinet per obdurationem. Sed quo fugam capit? Ad oblivionem ſanè fruſtrà. Regredere libens ad S. Aëlredum. *Verumtamen*, inquit, *non traduntur oblivioni, ſed in ipſa conſcientia, velimus, nolimus, ſcribuntur.* Fateor, aliquos ad tempus obliviſci delictorum, quibus maculantur; ſed eorumdem quandoque non eſt illis oblivio diuturna: quia, cum ſtare loco neſciant, iis nolentibus, iterum præſentatur oculis facinus admiſſum, & poſt terga relictum; cogunturque fæditatem aſpicere ſuam, quam cernere cavent. Circumrotantur iſti per inquietudinem jugem affectuum ſuorum: & perpetuò ſe volventibus in gyrum nihil diu manet à tergo. Contingit improbis ita, dum poſt dorſum curant mittere malefacta, quæ conſcientia vindex incuſat: nam eorum iterfactio per modum circumgyrantis eſt. Levia ſæpius turbine venti circumferuntur; & eo flatu, quò majora corpora propelli valent in contrarium locum, quæ nimis levitant aguntur in orbem. Iniquus, licet ejus nequitia ſit valde gravis, eſt utique res leviſſima: quod adeo verum habet, ut vento ſimilis extet. Apud S. Eucherium mali ſignificantur per Aquilonem: S. Eucher. l. de formu. ſpirit. c. 3. poſt med. ait enim: *Aquilo, diabolus, vel homines infideles, aut mali*, &c. Idcirco mirabile non eſt, quod à vento gyretur ventus. Inde fit, quod peccati reus dum in crimine degit nunc illud non intueatur; mox id iterum aſpiciat. Non ita ſolet is, quem verè pœnitet: huic reatus continuò verſatur coram oculis. Odit iſte peccatum; ſed non fugit quaſi recuſans agnoſcere; obſtinatus verò maximè, ſed fruſtra: nam circumrotatus conſpicit rurſum quod in poſteriora miſerat.

14. Pſal. 11. 9. Bellarm. com. in Pſal. ib.

Apud Pſalmiſtam legimus dictum de ſceleſtis: *In circuitu impii ambulant*: &c. Cardinalis Bellarminus ibi ſic exponit: In circuitu ambulant, *ſemper ambientes bona hujus mundi, & nunquam ad finem deſideriorum ſuorum pervenientes, ſemper autem erunt impii ambientes, dum hic mundus durat*: &c. Circuitus hic adeo continuus eſt, ut ſicut ſpatia temporum nunquam à fluendo ceſſant, ita nec illi circumeuntes gradum ſiſtant. S. Auguſtinus ad eum locum: In circuitu impii ambulant. *Id eſt, in temporalium rerum cupiditate, quæ ſeptem dierum repetito circuitu, tamquam rota volvitur*, &c. Obſtare dictis videtur ipſe conatus, quo vir nequam fortiter contendit in ſua malitia progredi, neutiquam ſatiatus per delectabilia bona, quæ jam adeptus eſt, ac ulteriora quærens: nam qua veritate dicemus, illum circumagi, qui ſemper tendit ultra? Favet rationi dubitandi S. Bernardus, inquiens: *Sic directo tramite voluptas perverſa contendit ad optimum: feſtinat ad id unde poſſit impleri.* Reſpondeo. Non inficiatur Doctor Mellifluus circuitionem voluptatis. Audi quid poſt pauca ſubjiciat. *Curris*, inquit, *per devia, & longe ante morieris, quam hoc circuitu pervenias ad optatum. Hoc ergo in circuitu impii ambulant: naturaliter appetentes unde finiant appetitum*: &c. Ex illo gyro provenit multis, quòd nunc à tergo poſitum, nunc ante faciem crimen illorum ſit: cum enim revolvantur gyrantes, idipſum, quod paulò priùs videre negligebant, ſtatim denuo contuentur. Non ſic David, quia verè pœnitens: propterea dixit: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Bellarminus ibi: Contra me eſt ſemper, *id eſt, in conſpectu meo poſitum, me quaſi jaculum fodere, & cruciare non ceſſat.* Iſte quidem peroptimus eſt, ſed nimis diſpar modus fugiendi peccatum, & novum, & vetus: nempe non aufugere quò non doleas; imo dolenter habere præ conſpectu quò fugias. Aliorum autem, qui conſcientiam clamantem audire nollent, nec erratum emmendant vel deteſtantur, fuga de peccato vana prorſus eſt. Pſal. 50. 5. Bellarm. ib.

15. *Aliquando peccator punitur poſt primũ gaudium, dum tenderet ad ſecundum.*

Alio ſenſu nunc expendamus peccatorem fugientem. Opportunum erit meditari, quàm inaniter ille capiat fugam ad voluptatem. Continget non ſemel, ut attingens primum gaudium, ad ſecundum non perveniat, quin priùs illum apprehendat ſupplicium perſequens eumdem. Fallit ſuos mundus, offerens in exordiis viæ, qua præcipitantur, delectabilia; ſed frequenter non ſolet lætitiam illam ad finem perducere; potiuſque dulcia cœpta deſinunt in amarorem: quippe ſuapte naturâ dulcedo mundi reperitur inconſtans valde. Tempeſtivè Seresberienſis: *Lætis enim*, ait, *ſtare negatum eſt, niſi quis lætetur in his quæ beatum faciunt, aut ad perpetuam proficiunt vitam. Præterit namque mundus hic, & omnia deſiderabilia ejus. Quantumlibet blandiatur incautis, & dulces fallacias ſuæ propinet illecebras, noviſſima ejus quovis abſynthio amariora ſunt. Et quia ratio præſentem ſtatum ejus imperfectum eſſe uſquequaque convincit, neſcio quid ſolidum pollicetur in poſterum, ut in omnibus amatoribus & ſequacibus ſuis nec unum ab initio duxerit ad perfectum, aut voti compotem fecerit.* In fraudibus equidem ſæculum non cunctis affectis idem ſe præſtat: nec mirandum, quòd multis faciebus exhibitis monſtroſum, & pluribus loquens oribus, multiplex etiam ſit in decipiendo. Pro quibuſdam Tantali fabulam implet veritate mendaci: oſtendit enim concupita, & jamiam accedentibus ut ore guſtent ea, ſubtrahit illa. Nonnullos diu potiri ſinit optatis; ac denique per prata ducens præcipitat in miſeram ſortem. Aliis tamen ita parcus eſt, ut poſt primum gaudium non permittat eos ad ſecundum, quò tendunt, impunitos venire; ſed in itinere plectitur ſupplicio peccator. O quot pœnâ mulctati ſunt, cum à prima lætitia facerent iter ad ſecundam! Seresber l. 8. de nug c. 14. long. poſt princip.

16.

Notiſſimam hiſtoriam Jonæ prophetæ non eſt cur prolixâ locutione repetamus. Sat recordaris, renuentem prædicare Ninivitis, fugitivum à Domino deſcendiſſe Joppem, & ibi ſe contuliſſe ad navim, ut iret in Tharſis: tempeſtateque ſuborta denique miſſum in æquor; ac deglutitum à ceto, fuiſſe poſt evomitum à marina bellua. Non exprimitur in textu quem in locum fuerit ejectus: nec interpretes mutuò

Sancti. in 2. Jon. v. 11. n. 39. tuò cohærent in hac re. Variorum placita refert Sanctius diſcedens ab illis. In hoc tamen cum eis concordat, quod Vates non fuerit à piſce projectus in Tharſis. Quid myſterii latet in eo, quòd, ſicut Prophetam Dominus fugere permiſit in Joppen, ſimiliter non ſinit ut navigans veniret in Tharſis ? nam ibi poſſet vindictâ divinâ flagellari, melioraque ſapiens mandatum exequi. Quo motivo mare ſumitur ab integerrimo judice tamquam inſtrumentum puniendi Jonam ? cur punitio non differtur ad Tharſis ? Aperi litteram : ex Hieronymo cape quid ſignificet Propheta fugiens ; quid verò deſignet hîc mare. *Poteſt*, inquit, *fuga prophetæ & ad hominis referri in communi perſonam : qui Dei præcepta contemnens receſſit à facie ejus : & ſe mundo tradidit : ubi poſtea malorum tempeſtate, & totius mundi contra ſe ſæviente naufragio compulſus eſt ſentire Deum, & reverti ad eum, quem fugerat.* Accipe necnon ex eodem qualiter Joppen atque Tharſis interpretentur. *Tharſis*, ait S. Doctor, *interpretatur : Contemplatio gaudii .... Joppen ſpecioſam ſonat*, &c. Quibus poſitis meditari ſic aliquis poterit. Ad Joppen (ad, inquam ſpecioſa bona) ſinitur haud ſemel peccator pervenire ſic, ut gaudio primo non fraudetur ; non tamen permiſſio protenditur ut ad Tharſis accedat, gaudiumque ſecundum nanciſcatur. Fugitivum à Deo perſequitur pœna, mundus ipſe poſt reum profugum veluti currit quærens illum, & apprehendit, quaſi juſtitiæ divinæ miniſter : & ſic poſt lætitiam primam dat reus pœnas in itinere, quo tendebat in ſecundam. Non tædeat reverti rurſus ad Hieronymum, ut ejus acumine fruaris : qui ſuper illa verba textus : *Et ſtetit mare à fervore ſuo*, ſic ſcribit : Et ſtetit mare, *quia invenerat quem quærebat : velut ſi quis perſequatur fugitivum, & concito pergat gradu : poſtquam fuerit conſecutus, deſiſtit currere, & ſtat ac tenet quem apprehenderit : ita & mare* &c. Et quamvis non introducat Hieronymus mare tamquam inſequens Prophetam ad puniendum eum, nulla ſit ejus verbis violentia, ſi pro moribus cogitemus ita. Ecce quam ſit fruſtranea fuga peccatoris à ſuppliciis ad gaudia. Dicta ſuperiori numero recole : nã ad alia pergo.

S. Hieron. to. 6. com. in Jon. c. 1.

Idem ib.

Jon. 1. 15. S. Hieron. prox. ſup. ad fin.

17. *Pœnitens accuſat ſe ; non autem excuſat de ſuaſione dæmonis ; impœnitens econtra.*

Sugillemus alium refugiendi modum, delinquentibus nimis familiarem ; ſcilicet ad excuſationes. Quidam prætendunt neceſſitatem ; quaſi paupertas corporis facultatem præberet ut anima daretur peccato ſpolianda. Nonnulli recurrunt ad mundi leges ; qui præſcribit ſuis quædam peccata committenda, ne deperdatur honor : ac ſi prævalerent impia tyranni præcepta juſtiſſimis legibus Dei. Sunt alii, qui rejiciunt crimen in amicos : aſſerentes peccaſſe, quò morem gererent ipſis, & invitatos ad ſocietatem vindictæ, vel ſimilia, ne conſortium negantes jacturam facerent amicitiæ : quaſi putarent, ſe non longe meliorem amicum perdere cum peccant. His, & multis omiſſis, veniam ad eos, qui delictum excuſant à deceptione diaboli. Paſſim audies : Fefellit me dæmon. Excuſabiles non ſunt ita loquentes. Eos redarguit Auguſtinus, inquiens : *Si quid boni fecerit, ego feci dicit : ſi quid mali fecerit, quærit quem accuſet, ne confiteatur Deo. Et quid eſt, quærit quem accuſet ? Si non eſt valde impius, ad manum ſatanam habet quem accuſet. Satanas fecit, dicit, ipſe mihi perſuaſit, quaſi ſatanas habeat poteſtatem cogendi.* Dixi, vix tolerabilem excuſationem iſtam ; nam impœnitentiam denotare videtur. Verè dolentis eſt non dæmonem accuſare, ſed propriam fateri culpam ; pertinacis verò, tacitâ confeſſione nequitiæ ſuæ, malignitatem cacodæmonis incuſare. Superbus diabolum ſuaſorem adducit in medium, excuſator ſui ; pœnitens autem accuſat ſemetipſum, omittens malignum.

S. Aug. to 8. expoſ. Pſal. 91.

Peccavit rex David jubens numerari populum : nam in iſta numeratione præſumpſit arrogare ſibi quod majeſtati ſuæ Dominus reſervaverat. Peccatum iſtud commiſſum fuit ex tentatione diaboli. *Conſurrexit autem ſatan contra Iſraël : & concitavit David ut numeraret Iſraël.* Optione factâ Monarcha delegit è tribus delicti ſuppliciis unum. Viſo Angelo percuſſore, ſic Deum alloquebatur : *Nonne ego ſum, qui juſſi ut numeraretur populus* ? Non audimus ex ore Davidis : Concitavit me ſatan ut numerarem plebem. Verebar ne ſic Domino diceret, tamquam filius Hevæ cunctorum genitricis ; quæ ſe coram Domino de fraude ſerpentis excuſavit, cum tranſgreſſa fuit præceptum, quo vetabatur infauſtum illud nobis lignum. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc feciſti ? Quæ reſpondit : Serpens decepit me, & comedi.* Quare non ſimiliter David tentationem dæmonis objecit ; & Hæva maxime ? Quia Davidem facti pœnitebat ; non verò fœminam cum prædicta verba Deo faceret. De primo non dubitas ; de ſecundo ne fortaſſis hæſites, dono fidejuſſorem Carnotenſem. *Fœminam*, inquit, *alloquitur Deus, quæ pertinaci ſuperbiâ, & ipſa admiſſum excuſat, ſerpentem ſuaſorem deducens in medium. Deceptam tamen ſe dicit, amplius dolens quòd diaboli promiſſio effectu caruerit, quàm quòd ejus ſuggeſtioni aſſenſum præbuerit.* Superbientis, & contumacis eſt, propriâ tacitâ culpâ, ſe per diaboli ſuggeſtionem excuſare ; deteſtantis autem peccatum erit non in dæmonem culpam rejicere ; ſed accuſatorem ſui ſe præſtare. Pertinaciter ad excuſationem illam fugit à ſupplicio qui deliquit, & inaniter : nam, ſicut Primigenia, non evadet reatui debitam ultionem.

18.

1. Paralip. 21. 1.

Ib. n. 17.

Geneſ. 3. 13.

Arnold. Carnot. tract. de opere 6. dier. longe poſt med.

Fugit adhuc imprudentiùs peccator à delicto, necnon à mulcta, quam promeruit, ad illam toties damnatam ſecuritatem, quam ſibi fingit illuſa rea mens. Ita cæco modo refugium quærit vanæ confidentiæ deceptus per phantaſiam ; ut etiam poſtquam punitus eſt, aliquando ſe tutum reputet : ac fruſtratur in ſic gerente ſe fructus optimus, quem de præteritâ flagellatione colligere poterat. Perutilia ſunt flagella Domini, ſi velis eorum proventum capere prudens : nam S. Gregorius Papa dixit : *Sed in eo quòd caro flagellis afficitur,*

19. *Ingemiſcunt mali ; ſed cũ primùm evaſerint, obliviſcuntur ſuſpiria.*

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 6. mor. c. 7.

afficitur, mens ad appetenda altiora ſublevatur: &c. Nihilominus iniquitas ita multos obdurat, ut ad rectam vivendi rationem per verbera non reducantur. S. Joannes Chryſoſtomus loquens de pœna, qua punitus eſt Iſraël per Eliam, ait: *Proh nefas, nulla ex pœna correctio; & quaſi adverſis hominum malitia provocetur, ſic creſcit quotidie quod puniatur.* Hæc obſtinatio tam protervè quibuſdam ſceleratis ineſt, ut poſt experientiam ſupplicii ſe putent ab ultione tutos; lacrymantur præ dolore mulctæ; ſed ab illorum conſpectu cito pœna tranſit. Ansbertus ad illud Apoc. 19. 3. *Et fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum*, per fumum tribulationes accipit, inquiens: *Per fumum ejuſdem arſuræ civitatis, præſentes tribulationes figuratas fuiſſe expoſuimus*, &c. Fumus aliquando provocat fletum; ſed evolat ocyùs ab oculis. Ita quorumdam animæ luminibus accidit. In pœnam criminis dolent contribulati; ſed à memoriâ citiſſimè tranſit quod paſſi ſunt; & tamquam ſi forent à novo cruciatu ſecuri, tranſigunt vitam. Ingemiſcunt mali; ſed cum primùm evaſerint, obliviſcuntur ſuſpiria.

Chryſoſt. to. 1. ſer. de Elia.

Apoc. 19. 3. Ansbert. l. 8. in Apoc. ib.

20. Admirabilis eſt divinæ miſerationis cum rigore juſtitiæ concordia. Deus graviter læſus & comminando mala terret iniquos, & offerendo propitiationem invitat eos ad operanda bona. Sic olim egit cum populo ſuo, quamvis ingratiſſimo. S. Iſidorus Peluſiota: *Comminabatur*, inquit, *olim Deus Hebræis, & ſalutaria prænuntiabat. Qui enim minatur tantum, & moleſta prædicit, ad deſperationem meliorum provocat, atque auditoribus omnino perſuadet, ut prioribus ſeſe dedant. At contra ſpes bona inclinat, ad melioraque perducit. Ideo ubique comminatur Deus Judæis Babylonicam captivitatem, ſimul reditum in patriam promiſit.* Itaque per Jeremiam, poſtquam dixit Dominus: *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris*; denuntiatur plebis vaſtatio per Chaldæos. Et quia mali quandoque ſic lapidei fiunt, ut nec aptè ſciant horrorem imminentis cladis exprimere verbis, aſſumit Vates perſonam Judæorum, & ait: *Audivimus famam ejus, diſſolutæ ſunt manus noſtræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.* Dionyſius Carthuſianus ad hunc locum: *Conſequenter in perſona populi Propheta ait*: Audivimus &c. Non abſque prorſus expenſione dimittam illa verba: *Dolores ut parturientem.* Incongrua forſan reputabis, ut ſignificaretur anxietas populi trepidantis ad famam hoſtium: mulieris quippe gravidæ cruciatus venit à chariſſimo fœtu, qui jam velut impatiens clauſuræ torquet materna viſcera, de quibus edendus eſt in lucem. Atverò dolor Judæorum proventurus erat à rumore de crudelium adverſantium adventu. Quid ergo ſimilitudinis ibi cum parturiente? Non mihi ſuadebo, Vatem caſualiter ſic locutum; cum poſſet aliis verbis uti. Fallor, niſi tacitus voluit exprobrare populo, quàm facilè dilaberetur ab ejus memoriâ reminiſcentia flagellationis divinæ; q. d. Cum doletis agnito verberis adventu, vel accipientes ictum, comparari poteſtis mulieri parturienti: quæ, licet crucietur maximè, tamen ſtatim poſt partum obliviſcitur anxietudinis illius. Lege verba divini Præceptoris, quamvis aliorſum dicta. *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Huic afflictionis generi conferri poſſunt aliquorum gemitus, cùm ſuperno gladio feriente cœlitus animadvertuntur. Clamant, ſuſpirant, atque torquentur: ſed poſt pauca fugiunt iterum ad opinatam ſecuritatem: fruſtra quidem: nam *peccatores perſequitur malum.*

S. Iſidor. Peluſ. l. 5. ep. 130.

Jerem. 6. 16

Ierem. 6. 24.

Dion. Carth. com. in Ierem. ib.

Ioann. 16. 21.

DELIBATIO II.

Peccatores perſequitur
- *Memoria criminis*
- *Malitia fallax*
- *Labor fruſtraneus*
- *Vindicta Judicis*
- *Metus inſipiens.*

21. MEmoria criminis perſecutor eſt delinquentis, primò nunc meditandus. Per delicti recordationem graviter punitur homo; niſi ferè mentis expers ab impietate ſuâ factus eſt. Video, reminiſcentiam ſceleris utilem eſſe pœnitentibus; ſed non ideo negabis, moleſtam ſæpius extare perſeverantibus in crimine. Aſpectus proprii vulneris, quandiu jacet vulneratus, negligens quærere medicinam, non parum affligit eumdem; & nihilominus poſtea cùm vocatus adeſt jam qui medelam appoſiturus eſt; æger plagam aſpicit libenter, & oſtendit utiliter. Applica dictis ænigma rude. Lethaliter feritur homo per commiſſum. Dum renuit advocare curaturum, multoties cruciatur fruſtraneè cum de propriis factis reminiſcitur; quamvis poſthac de medicamine ſatagenti ſit perutilis memoria flagitiii S. Ambroſius: *Gravat enim*, ait, *conſcientiam memoria delictorum, niſi medicina poſcatur.* Ex afflictione, quam experiuntur impœnitentes multi propterea quòd ſceleris inviti meminerint, amentiâ quadam permoti diffugere tentant à ſemetipſis. Et ne dicas inauditum quòd aliquis fugam capiat à ſeipſo, legito D. Auguſtinum. *Redite*, inquit, *ergo homines ab affectionibus veſtris. Quò itis? quò curritis? quò non ſolum à Deo, ſed à vobis fugitis?* Ita ſolent plures conari prorſus obliviſci damnabilia, quæ commiſerunt; quod exiſtimabis, eos concupiſcere digreſſionem à ſeipſis ad bona delectabilia, quorum jucunditate ſopiatur ille dolor. Sunt equidem iſti ſuî nimis amantes: at imprudenti dolore ducti concupiſcunt vitare ſe, quem perditè diligunt. Etiam proprii cordis tædium concipiunt aliqui: nam legunt in illo ſcripta fideliter anteacta piacula. Permanent utique miſeri facientes obdureſcere nequitiam; ſed veluti projiciunt cor ſuum, ne cernere cogantur fœdas ejus maculas.

Impœnitentes aliquos tadet proprii cordis, in quo peccata cernuntur.

D. Ambroſ. to. 2. expoſ. in Pſal. 37. ante fin.

S. Aug. to. 8. expoſ. in Pſal. 176.

22. Exprobravit per Iſaiam Dominus Hebræis falſi numinis cultum : cujus infirmitas patebat ſatis in eo quòd geſtaretur humeris, nec potens eſſet loco moveri ; neque ſupplices audiret clamantes ; nec de tribulatione ſalvaret. Addidit : *Mementote iſtud, & confundamini : redite prævaricatores ad cor.* Sanctius commentatur ſic : *Expendite hæc, ô filii Iſraël, qui ad ethnicos hos ritus, & impia Gentilium ſacra diffluxiſtis : & horum vos aliquando pudeat. Reſumite jam cor, quod ad idola prolapſi cum pietate ſimul abjeciſtis.* Duo quæram. Projecerant cor iſti, de quibus apud Vatem : quo ingenio, cum vitam non ſervet homo ſine corde ? Potius videbatur dicendum hic : Redite prævaricatores ad me, quem abjeciſtis : potius, inquam, nam hi verum Deum non diligebant ; econtra vero charum ſolet eſſe proprium cor ; & homo non ſolitat projicere quæ diligit. Emphatica quidem ad mores phraſis eſt. Forſan inſinuatur, ipſos, ne recordarentur fœditatis idololatriæ, projeciſſe cor, in quo ſcripta manebat violatæ religionis turpitas. Appoſitè Deus hortabatur ad memoriam : *Mementote iſtud*, necnon ut reverterentur ad cor proprium : *Redite prævaricatores ad cor.* Quoniam frequens iniquis eſt tædere proprii cordis, quatenus reducit in mentem ſcelus commiſſum. Non exiſtimes, hoc ſolis evenire quibuſdam peccantibus contra fidem. Iis, qui laude hominum victi ſanctos putant ſe, cum in peccatis moriuntur, applicat verba, quæ deſcripſimus ex Iſaia Magnus Gregorius, dicens : *Quibus bene per Prophetam dicitur* : Redite prævaricatores ad cor. *Si enim ad cor rediſſent, per exterioris atteſtationis ſe verba non funderent. Nam quid vicinius nobis eſt corde noſtro ? quid vicinius nobis eſt ea re, quæ intra nos eſt ? Et tamen cùm per pravas cogitationes ſpargitur, à nobis cor noſtrum longius evagatur.* Ex qua doctrina colliges, plurimos eſſe, qui dividunt cor à ſemetipſis. Horum non pauci nollent cor ſuum cernere : quia refugiunt à memoria criminis illos perſequente.

Iſai. 46. 8. Sancti. com in Iſaï. ib.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 26. mor. c. 23 n. 29.

23. *Inter ſupplicia peccatoris numera quòd amici nomine donet perfidã.*

Secundò perſequitur non ſemel peccantes, tamquam pœna reatûs, amicitia fallax. Et ô quam grande malum ! Convivitur perfidis amicitiæ titulo contectis ; quod ſatis mœſtum eſt. Scis qualem patiantur homines acerbitatem ex inimico domeſtico. Cyrillus dixit : *Acerbum enim genus ſupplicii eſt vivere cum iis qui te oderint, & hoſtem domeſticum retinere, & odium æternum alere.* Dupliciter hoſtilitatem experitur homo frequenter in conviventibus : alteram apertam ; de qua modò non agam ; ſimulatam aliam, qua dixi, peccatorem non ſemel puniri. Levis haud eſt hæc iniquitatis ultio ; cum ſcilicet aliquis contubernium ſervat cum illo, qui ſibi falsò nomen arrogat amici ; præſertim ſi diligas eum. Nam inprimis torquetur amor ingratitudine, quo jaculo tranſverberatur cujuſque diligentis cor. Anxiatur deſiderium, quo flectere cupis illum ad hoc ut redamet. Si ſperas fructum, dilatione difficultateque lancinaris ; ſi verò non expectas, deſperationis lanceâ tranſfigeris. Novum non eſt, improbum puniri per idipſum, quô juſtus multùm promeretur ; ut in venientibus ab aliena crudelitate flagellis videre licet : quibus vir perfectus meriti capit incrementum ; impius autem dat criminum pœnas. Maneat igitur, inter dura ſupplicia peccatoris numerandum eſſe quòd amici nomine donet perfidum, quem novit ſimulatum. Inter peccantium pœnas locum obtinet amicum exhibere te proditori.

Cyrill. ad Optimum Epiſc.

24. Cum inter Chriſti Servatoris tormenta computari meritò ſoleat ingratitudo Judæ ; cogitabam quô motivo ducta Dei providentia non permiſerit ut ille, diaboli certè diſcipulus, factus fuerit apertus adverſarius divini Magiſtri ; ſed quòd ei potiùs adverſaretur proditoriè. Amicus erat ille quondam Chriſti Domini : quia bonus extitit aliquando. Nonne cruciaret valde Redemptorem quòd ex amico vero tranſiſſet in hoſtem manifeſtum ? Memini lacrymabilem Vatem inter anxietates Jeruſalem non præteriiſſe quod ejus amici verſi fuerunt in hoſtes. *Omnes amici ejus ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Accedit alia ratio dubitandi. Filius Dei figuratus eſt per Joſeph à Jacobo progenitum, & in Joſephi venditione præceſſit figura venditionis Chriſti. S. Iſidorus Hiſpalenſis : *Joſeph unus ex duodecim filiis Jacob, quem pater præ cæteris filiis dilexit, Chriſtum Dominum figuravit.* Et infra : *Ille per Judæ conſilium triginta argenteis diſtrahitur, & hic Chriſtus per conſilium Judæ Scharioth eodem numero venumdatus eſt.* Joſeph ſane venditus eſt à fratribus qui perſequebantur eumdem : quod apertiſſimè patuit ex eo quòd miſerint illum in ciſternam. Igitur, ut arctiùs correſponderet figurato, potuit ſapientia Dei permittere quòd non ſimulatè Judas accederet cum Domini comprehenſoribus, & oſculum præberet amicitiæ ſignum ; ſed aperto marte ſe præſtaret inimicum Redemptoris. Quo myſterio non ita factum eſt ? Vide. Statutum erat, ut Salvator, qui pro nobis extitit fidejuſſor, perſolveret pœnas peccatoribus debitas. Tulit ille comprehenſionem, flagella, & poſt alia mortem. Unum deeſſet ſupplicium valde grave quidem à filiis Adæ promeritum : nempe, diligere perfidum, & illius pati ſimulationem proditoriam. Non ſuſtineret hoc Aſſertor noſter, niſi pateretur Judam ſimulantem ſe amicum, & oſculum pacis præſtantem. Imo nominavit proditorem amicum loquens veraciter. *Amice, ad quid veniſti ?* S. Thomas ibi : *Et vocat*, inquit, *eum amicum quantum eſt de ſe : quia cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Pſal. 119.* Noluit Filius Dei hoc tormentum declinare, qui verberibus, quæ peccatores meruerant, ſubjecerat ſemetipſum : nam equidem peccati pœna fuit, hominem verſari cum ſpinis, hoc eſt iniquis. Lege D. Bernardum. Sicut, inquit, lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Non bonæ filiæ quæ pungunt. Attende peſſimum germen ejus cui maledictum eſt terræ noſtræ. Cum, inquit*

Thren. 1. 2.

S. Iſidor. Hiſp. com. in Geneſ. 30.

Matth 26. 50. S. Thom. com. in Matth. ib.

S. Bernard. ſer. 48. in Cant. in princ.

inquit colueris eam, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Donec ergo in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur : & neceſſe eſt ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Cumque, prout ſupra notavi, malus nulli ſit amicus verus, colligitur, peccatorem amicitiis fallacibus mulctari. Hoc etiam ipſos *perſequitur malum.*

25. *Supplicium acerbum eſt, iniquos infructuosè fatigari.*

Labor fruſtraneus tertiò perpendendus eſt ; quo Deus vindex pœnam ſumit ab iniquo. Induſtrioſa quidem nimis eſt prudentia ſæculi, multotieſque validi ſunt ei lacerti, ſed nec eſt prudentia contra Dominum ; neque prævalent vires adversùs eum, qui ſpeciali jure dicitur fortis robore. Arte mirâ providet homo nequam ſibi maxima : eligit media prudenter ad optata conſequenda : deſudat, contendit ; ſed fruſtratur induſtria laborque miſeri : nam vel ex parte ſaltem deficiunt media ; vel iſthæc non pertingunt ad metam. Verùm aliquando caſſatur aliâ ratione defatigatio peccatoris in ſollicitando concupita. Laborat ; fructum colligit ſibi valde placentem : qui tamen inanis adeo poſſeſſionis eſt, ut ſtatim atque tenetur, evaneſcat : quia, cum natus ex arbore ſit non radicata, nec irrigata cœlitus, poſt apprehenſionem citò reperitur flaccidus. Opportunè S. Laurentius Juſtinianus : *Peccatoris quidem*, ait, *fructus nullâ radice ſolidatus : nulloque humore gratiæ madefactus : carnalium aſpectui ſummè placens, & terrena quærentibus concupiſcibilis, temporalis cum ſit, mox ut manu carpitur, exſiccatur, & deficit.* Minùs gravi pœnâ vapulat impius otio deditus, cùm redduntur ejus deſideria penitus re vacantia ; ſpeſque nihil prendunt, & ex vento natæ diſperguntur in aëra : nam cum gratis amaverit aſſequi donante fortunâ bona terrena, ſe deluſum non adeo dolet ; quia nullos fecerat ſumptus, ut acquireret. Ille verò, qui ſudavit, & alſit ; ſed neque rigata ſudoribus arbor mundi fœcunda fuit eidem ; nec frigore juvante miſit altas radices, ut fructificaret ; in vanumque videt abiiſſe conatum ſuum ; hic punitur valde graviter. Acerbum eſt, iniquos infructuosè fatigari.

S. Laur. Iuſt. in faſc. amor. c. 10. ante fi.

26. Prædicens David ſtylo imprecationis, qualiter Deus acturus eſſet cum iniquis perſecutoribus juſtorum (quicumque ſint impii de quibus loquitur ; in quo non una commentatorum ſententia) ait ſic : *Deus meus pone illos ut rotam* : &c. Ad quæ verba ſcribit Puteo ex Caſſiodoro & Gloſſa : *Sed ſicut rota ex iis quæ retro ſunt extollitur, & ex iis, quæ ante ſunt dejicitur, nec quicquam proficiunt dum ſuis rotationibus atteruntur, ita & ipſi ex his quæ retro ſunt, id eſt ex terrenis in quibus creſcunt extollantur, & animo cadant ab his quæ ante ſunt, id eſt ab æternis.* Credes ineptam ſimilitudinem rotæ, dum attendis ad pietatem, qua Prophetæ cor amabat incolumes eſſe probos, & juſtè puniri perſequentes. Nam circularis motus rotæ defert exaltationem ex parte ; oculis quippe cernimus, illam cùm circumfertur, hinc deſcendere ; illinc verò ſurſum tolli. Nonne piiſſimus Vates vellet, ut illi nequam totaliter à juſtitia divina deprimerentur ? Aliâ metaphorâ putares uſurum fore Davidem, dicturumque : Deus meus pone illos ut ſervos coactos ad rotam volvendam : quia captivis laborioſum ſatis eſt opus iſtud, & abjectum etiam comparatione ſervilis conditionis. Qua mente non ita loquitur ; ſed magis elegit ænigma rotæ, quæ circumvolvitur ? Appoſitè locutus eſt : quoniam ſervus addictus rotæ volvendæ, quamvis improbo labore fatigetur, non ſine fructu delaſſatur : vel ſtipendium recipit ab artifice, quo diei pretium domino perſolvat conventum cum eodem ; vel ſaltem colligit exinde morem gerere dominanti ſibi. Rota verò continuò gyratur ; & cum non ſolvatur ab axe, quamvis ex parte feratur in ſuperius, nihil proficit per iſtam elevationem ; ſimul enim deſcendit. Rotis equidem ſimiles invenimus peccatores multos : quorum non leve ſupplicium eſt, quòd circumrotando ſeipſos fruſtra laſſentur. Frequentibus gyris in turbinem actis impiis ejuſmodi nulla requies : at ſæpe quid inde ? Nihil. Sic juſtiſſimè plectitur peccator labore fruſtraneo.

Pſal. 82. 14.

Pute. in cat. ſup. Pſal. ex Caſſiod. & Gloſſ. ib.

27. *Cùm Deus minatur, exiſtima, te jam feriri.*

Quarto loco memoravimus vindictam divini Judicis inter mala, quæ peccatorem perſequuntur. Et notandum, quòd comminatio ſolet ultionis initium ponere. Et minæ vocari queunt pœna. Laertius : *Rectè tamen minamur quoties aliquem hoc remedio correctum eſſe cupimus, & hac pœna decrevimus eſſe contenti.* Necnon comminatio correctio quidem eſt : imo punitur in anima qui minas audit flagelli ſpectantis ad exteriora. Dimitto nunc earum executionem ; ac de ſolis ipſis ago : quia non exigua pars punitionis extant ; cum timorem prudenti pariant ; ut metus inter afflictionis connumeretur. Ea benignitas eſt ulciſcentis Domini, quòd potens juſtiſſimè ſtatim ictum infligere, ſæpius vel per exemplas punitorum, vel aliter, minatur ; ut ſic territi revertamur ad illum. S. Hieronymus : *Conſideranda verborum proprietas, quod non dixerit : Inferet inimicis ſuis ; ſed comminabitur ; ut per comminationem deterriti, & ipſi ad Domini tranſeant ſervitutem.* Miſericordiâ plena viſitur certè comminatio divina, peccatoris converſionem ſollicitans : at malus ex ea multoties ideo non melioratur, quia non illam computans inter percuſſiones, ac ejus executionem differendam credens, pergit in via mala, nequaquam timens. Congruum eſt, ut peccator Dei comminationem agnoſcat eſſe flagellum : quinimo ſic ſe gerat, quaſi cum Deus minatur, jam feriat. Ne deſpicias pii Judicis monitionem : eam vulnus eſſe crede.

Laert. l. 1. c. 4.

S. Hieron. to. 5. l. 18. in Iſaï c. 66.

28. Acriter Vox Domini Joannes percutiebat Phariſæorum & Sadducæorum aures ; commovere curans eos ad pœnitentiæ dignos fructus faciendos. Addidit, ut fortiùs quaterentur ipſorum corda : *Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non ſunt iſta verba Præcurſoris ad ſolos auditores illius coarctanda. Do tibi S. Anſelmum,

Matth. 3. 10.

S Anſel. com in Matth. ib.

mum. *Vel*, inquit, *arbor unuſquiſque homo, qui plantatus eſt in præſenti vita, de qua vita eradicatur unuſquiſque quando moritur. Nondum percutit ſecuris, quia nondum homines exciduntur à vita, & nondum in ignem æternum mittuntur, ſed parata eſt, quia cito feriet.* Hâc expoſitione poſitâ, dubiolum inſurgens deponere vellem. Si parata manet vindicta ; vulnus autem infligendum de futuro ; quare non ait : Jam ſecuris eſt in altum levata ? ſed inquit : *Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt ?* Verba comminatoria fuerunt ; & ſonant percuſſionem jam factam ? Prudenter equidem Concionator egregius, ut ſaluberrimum incuteret metum, fatur de futuro vulnere, quaſi præſenti ; ne Dei minantis per Joannem contemneretur monitio, quaſi ſemper ſupplicia ſummi Judicis ad longa tempora procraſtinarentur. Cave ſecuritatem exiſtimatam à ſecuri. Paſchaſius ad præcitatum locum : *Unde*, ait, *ſe debet fidelis animus, omni hora, omnique momento circumſpicere, ne feriatur, & ſic vivere quaſi ſemper illi tremendo examini debeat præſentari. Quis enim ſecurus eſſe poterit, dum dicitur, Ecce jam ſecuris ad radices arborum poſita eſt ?* Ultio præparatur improbis : audiunt illi minas : en jam ſupplicii pars, quod *peccatores perſequitur.*

Paſchaſ. l. 2. in Matth. c. 3. ib.

29. *Metus inſipiens pœna ſæpe criminis eſt.*

Metum inſipientem inter peccatoris pœnas ultimò repoſui ; non tamen ille poſtremus eſt inter effectus mœſtiſſimos culpæ. Sicut fructuoſus timor locum vendicat in prudentiæ partibus ; ſic inutilis, & vitans quæ fugere non valemus, omnino fatuus eſt. S. Martinus Epiſcopus : *Stultum eſt timere quod vitare non potes.* Inevitabilium formido non meritoria frangit animi vires. Unde fit, acerbitatem venturi mali multùm augeri : proindeque deſipientis cordis pavor iſte proprius eſt. Idcirco nequaquam demirandum, tam frequenter hanc trepidationem in ſceleſtis reperiri, cum illi meritò ſtultitiæ notentur. S. Gregorius Papa : *Mens*, inquit, *prava ſit undique ſuſpecta, undique trepida. Omnis qui ad memoriam venit, exquirere contraria creditur. Cui ergo tranquillitas ſecuritatis deeſt, huic proculdubio terroris ſonitus ſemper in auribus eſt.* Quia metuenda non timet peccator, totus ejus timor convertitur ad non timenda. Congruebat metuere Deum tamquam judicem rectum, mundum quaſi perfidum ſuorum amicum, ſemet ut hoſtem domeſticum. Nihil horum pavetur, & ad crepitum folii trepidatur. Non modica delinquentis pœna timor hic eſt. Et adjice, dari quemdam timorem Dei, qui virtus non eſt, cum ſit imprudens. Iſto concutiuntur fugientes à Deo vindice, non ad miſerationes ejus, ut oportebat ; ſed ad latebras inutiles ; quaſi poſſent evadere Potentiſſimum, qui cuncta per providentiam permeat omniſcius. Ignorantium tremor hic eſt : qui permittitur divinitus in iiſdem ; ut eo puniantur pro delicti reatu. Metus inſipiens pœna ſæpe criminis eſt.

S. Martin. Epiſc. Dumien. l. de mor. longe poſt princ.

D Gregor. Mag to. 1. l. 12. mor. c. 21. poſt princ.

30. Præceptum ſervatu facillimum tranſgreſſus eſt primus Parens, comedens è ligno prohibito ; & ſuo lapſu perdidit genus humanum. Non dedignatus eſt Altiſſimus ad collapſum venire. Sed ipſe reus (qui ſi meliora deliberaret, benignitatem ejuſdem ſuppliciter quæſiturus erat) abſcondere ſe curavit ab eodem. *Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Expendebam fugam iſtam, non reſpectu Protoplaſti ; ſed providentiæ divinæ permittentis eam : quia diceret aliquis, injuriam immenſitati Dei fuiſſe per Adamum illatam, in eo quòd abſconderit à Domino ſemetipſum, quaſi non is ubique ſit. Qua de cauſa Deus non corroboravit cor Adæ, ne ſeipſum abſconderet præ timore ? Quia metus inſipiens delicti ſupplicium eſt ; & hic pavor Adami ſtultus extitit. S. Joannes Chryſoſtomus : *Quantæ*, inquit, *hoc eſt inſipientiæ, quod à Deo, qui ubique præſens eſt, qui ex nihilo res ut eſſent perduxit, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſigillatim corda hominum & novit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda & renes, qui etiam ipſos cordis motus cognoſcit, abſcondere ſe tentant ?* Sicut inſipienter egit homo prior in eo quòd abſconderit ſeſe miſerum à Domino ; ſic timorem, qui fuit in cauſa, ſtultum vocare non vereberis. Hunc metum non impediens Judex voluit eo punire delinquentem : nec iſta formido pœna modica peccatoris eſt. Anticipat ipſe flagellum ſuum, cum eumdem *perſequitur malum.*

Genes. 3. 8.

Chryſoſt. to. 1. hom. 17. in Geneſ.

DELIBATIO III.

Juſtis retribuetur — B *enignè* O *cyter* N *umeratim* A *ffluenter.*

BEnignè ſe Deus in retribuendo gerit. Affabilitas principis ad ſibi Reipublicæque ſedulò ſervientes, pretioſa portio retributionis eſt. Hoc ab Authore naturæ donatum fuit regnantibus, ut non ſola manu largiantur præmia ; ſed etiam vultu ſereno, geſtuque lato reddant ſubditum fœlicem. Non paſſim reperitur in regibus terrenis hæc placida lenitas : putant enim perplures, quamvis Dei vices in terris agant, ipſos majeſtatis partem deperdere, niſi facie torvâ loquantur ad benemeritos ; & non mediocri difficultate conſequendi ſuperinductâ reddant majori pretio facienda per eos munera ſua. Propterea non eſt animus de benignitate mundialium principum nunc verba facere ; ne dicat aliquis, fruſtra conterere tempus agentem de re, quæ ferè prorſus abiit in deſuetudinem. Utilius erit perpendere benignitatem Regis regum : de cujus meditatione proventum plurimum haurire valebit peccator ; quem inſtruimus, ut ſimilem ſpiritualem effectum dicendo ſimul cum diſcente reportemus. O quam pervium eſt homini pauperrimo facili commutatione conſequi de

31. *Ita benignus Deus, ut gaudeat cum præmia donat.*

de manu benigniſſimi Domini bonum, quod pretioſitate ſuperexcellit argentum & aurum! S. Gregorius Nazianzenus curans perſuadere celerem acceſſum ad baptiſma, dixit: *O quæ facilitas commutationis, ſolum volueris, & bonum hoc emptum erit*: &c. Iterum dicam: O quæ facilitas! velis & emiſti. Quis jure prætendet impoſſibilitatem; cum poſſideat liberum arbitrium ad volendum; & auxilium gratiæ non ei denegetur! Facilitatem adipiſcendi dona Dei adauget noſſe, qualiter gaudeat Omnipotens in conferendo præmia. Cernis quam lætanter homines accipiant? Inde conjice quantum hilariter Dominus omnium tribuat: nam ibidem ſupra Nazianzenus dixit: *Deus jucundiùs dat quàm alii accipiunt.* Admiremur ergo bonitatem ſupremi Remuneratoris. Quaſi parum foret ſuperabundè fideliterque munerare merita ſuorum, adjicit & hilaritatem, qua perfunditur, cum obſequia perſolvit. Exultat æquus pariter & benignus Retributor in præmiando ſuos.

D. Gregor. Nazianz. or. 3. in ſanctum Lavacrum, poſt med.

Idem ib.

32. Prævius Evangelii Præco denuntiabat olim Dominum dicentem, creaturum ſe novam terram, atque cœlos, hoc eſt regnum Salvatoris in Eccleſia; quod hîc inchoatur, & perficietur in beatitudine. Dominus idem per Iſaïam ait: *Et exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo*: &c. Commentatur Dionyſius Carthuſianus: *Id eſt, in meipſo complacentiam habebo extentam, ſeu reſpicientem ad Jeruſalem cœleſtem, ejuſque cives, propter bona quæ eis communico.* Agnoſco largitatem infinitam Dei, qui gaudet effundere theſauros in ſibi dilectos. At inquies: An majora non donavit hominibus in terris eo tempore, quo triſtatus eſt uſque ad mortem? nonne dederat eâdem die, qua Patrem oravit in horto, ſemetipſum in animæ cibum? Quidquid fœlicitatem ſpirituum cœleſtium componit purè creata dona ſunt; ferculum autem Euchariſticum Deum continet. Si Domino tantus ardor eſt hominibus profuſim benefaciendi; quare tempore quo donavit munus id, in quo divitias amoris velut effudit, contriſtatur? & per Iſaïam affirmat, ſe perfundendum gaudio de bonis æternis, quæ civibus Jeruſalem cæleſtis communicat? Diſparitas eſt: quia licet Chriſtus Dominus tum in Euchariſtica cœna, tum in paſſione ſuæ contulerit plura mortalibus beneficia; non tamen iſta componebant coronam illam juſtis repromiſſam pro ſtadio præſentis vitæ, quod virtute conficiunt, & morte conſummant. Atverò gaudium illud, quod ſupra legimus apud Vatem, reſpicit lauream, quam Dominus ut præmium retribuit in Empirei Regia. Lætatur ubertim Deus in ſuis athletis coronandis. Hinc vide qualiter juſtis bona retribuentur benignè.

Iſai. 65. 19.

Dion. Carthuſ. com. in Iſaï. ib.

33. *Deus cùm ſolvit accelerat.* Ocyter Deum dixi remunerare ſuos; quod nunc ſtabiliam, ut ampliùs prædicta confirmem: ſcilicet. Conditorem gaudenter præmia ſolvere; nam ſolitum eſt indicium gaudii de opere præſtito celeriter exhiberi. Liberalitas humana moratur nonnumquam eoquòd ſæpe dividatur ab amore: non donum protelaret, ſi donatio ſemper fieret corde ſuadente; neſcit affectus molimina tarda. Creator autem cùm remunerat bene operantes juſtos, ita munificentiam exercet, ut ſimul amori ſatisfaciat. Unde, cum dilectionis proprium ſit in largiendo feſtinare, nequaquam Dei larga manus trahit moras, affectu concitante. Tam pernix Dominus eſt in ſolvendo probis laudabilia facta; quod non ſemel ſtipendio præveniat merita. S. Joannes Chryſoſtomus: *Ante labores remunerat, alacriores hac ratione efficiens: id quod in juſtis omnibus fieri invenies.* Quomodo tardus erit in ſolutione præſtanda qui præmium anticipat? O ter felices operarios, quibus debita merces nequaquam tædio longæ præſtolationis devenuſtatur. Cum ſuperabundanter iſti recipiant fructum, non indigebat Dei liberalitas hac velocitate, ut ampliùs illuceſceret conformiter ad vulgare proverbium: Bis dat qui citò. Sed nihilominus in ſui majorem gloriam Deus cùm ſolvit, accelerat.

S. Joann. Chryſoſt. to. 1. hom 42. in Geneſ.

34. De providentia ſumma dicebat Magiſter divinus diſcipulis quondam, utens exemplo paſſerum, quorum nec unus eſt in oblivione coram Deo. Subdidit: *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Dionyſius Carthuſianus ibi: *Præterea per capillos ſecundùm Gregorium myſticè deſignantur minutiſſimæ cogitationes, quia ſic Deus vias noſtras conſiderat, & greſſus dinumerat, ut nec minutiſſimæ cogitationes ac tenuiſſima verba quæ apud nos uſu viluerunt, ejus judicio maneant indiſcuſſa!* Exhinc deducitur, Deum ſcientiâ ſua veluti computare bonas cogitationes ad numerum. Confer prædictis alia verba Domini, relata necnon per Lucam. *Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Quæ ut interpretemur, notandum eſt Bedæ commentarium ad ſequentia. *Poteſt autem*, inquit, *& de omnibus quæ mente, manu, lingua gerimus, accipi.* Jam pungit ſcrupulus. Cogitationes meritoriæ recipiuntur ad numerum in divinæ ſapientiæ theſauris reconditæ? ſolvendæ vero ſunt ad menſuram? Myſterio non vacat hic diſpar loquendi modus. Non difficile Deo numerare ſtipendium. Sed quia vulgariter in contractibus humanis longe minori velocitate ſolutor numerando pendit acervum pecuniæ verbi gratiâ, quàm tritici (nam pecuniæ numeratio multo plus temporis inſumet, quàm menſuratio frumenti, ſervatâ proportione) ut inſinuaret accelerationem divinam in præmiando, fuit uſus Dominus prædicto loco verbis exprimentibus menſuram; non autem per ſimilitudinem numeri locutus eſt ibidem. Cum gaudeat ille præmia ſolvere qui ſe nobis debitorem conſtituere dignatus eſt, feſtinat bona retribuens juſtis ocyter.

Luc. 12. 7. Dion. Carth. com. in Luc. ib. art. 32.

Luc. 6. 38.

Bed. l. 2. in Luc. 6. c. 24.

35. *Quaſi videtur, voluntatem noſtrâ eſſe menſuram præmii.* Numeratim Deum perſolvere bona piis, dixi tertio loco, dum titulum delibationis hujus præmitterem: hoc eſt, fideliſſimè donare ſuis mercedem. Fidelitas in ſtando promiſſis, procul ab omni falſitatis umbra,

quod recipimus à Deo.

bra, laus eſt ita commendans divinam juſtitiam egregie, quòd in illa valde complaceat. Notemus radices unde provenit in hominibus infidelitas oppoſita: ſic patebit apertiùs quàm longe diſtet in promiſſionibus adimplendis à fallendo veracitas Dei. Promittit homo ſæpe neceſſitate compulſus: qua tranſacta, durum ſibi putat præſtare quod ſpopondit antea libenter. Aliquoties repromittunt mortales deſiderio ducti conſequendi quod amant: id ſi jam obtinuerunt, promiſſum opere complere tædet. Nonnulli ſpondendo magnanimi ſunt ex amore leviter mutabili: quo ceſſante, pœnitentiâ ducti retrocedunt; & recuſant explere quod protulerunt ore fallaci. Longiſſimè Deus abeſt à motivis ejuſmodi, cùm teſtatur, ſe dona tributurum. Ad ſpondendum nec ducitur inconſtanti dilectione; neque movetur utilitate propria; nec ullâ compellitur indigentiâ. Promittit ex miſericordia Deus: quomodo non fideliſſimè liberabit fidem ſuam? Proficuus eſt in hac re S. Auguſtinus: *Fidelis Deus*, inquit, *eſt exhibens quod promiſit homini. Teneamus fideliſſimum debitorem, quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem.* Ea rerum Domini veritas infallibilis eſt in adimpletione promiſſi, quòd videatur, ejus retributionem fore menſurandam per ipſam recipientis hominis voluntatem. O ſummè fidelem ſolutorem! Ne vanè formidet creatura ſubtrahendam ſibi præmii partem, Deus ipſe de ſubjecta materia ſic effatus eſt, ut ferè poſſimus intelligere, voluntatem noſtram quodammodo metiri præmia quæ recipimus.

S. Aug. to. 8. expoſ. in Pſal. 32.

36.

Poſt parabolam ſeminatoris, Dei Filius audientibus ait: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.* Commentatur Beda: *Si ſolerter (inquit) omnia quæ valetis bona facere, ac proximis intimare ſtudetis: aderit divina pietas, quæ vobis & in præſenti ſenſum altiora capiendi, ac potiora gerendi effectum conferat, & in futuro ſupra quam ſperare noſtis dona vobis æternæ retributionis adjiciat.* Agnoſco ſuperaffluentiam, qua Deus utitur in retribuendo. Sed propter hanc ipſam abundantiam exprimendam, putares, non his verbis uſurum eſſe Dominum. Aperio jam hærendi motivum. Quid ſignificari præcitatis exiſtimas nomine menſuræ? Non eſt improbabile, per menſuram accipiendam eſſe voluntatem bene operantium illorum: & non temerariè judicabis, hoc eſſe de mente D. Auguſtini, quem ſic refert Hugo Cardinalis: *Item Aug.* Qua menſura menſi fueritis remetietur vobis. *In voluntate quippe propria metitur bonus homo bona opera: in eis remetietur ei beatitudo.* Humana voluntas etiam in perfectis viris (objiciet aliquis ita) non eſt adæquata menſura cœleſtium bonorum: homini quippe nihil volitum, quin præcognitum; & cum in vita mortali non agnoſcamus integrè quæ Deus præparavit diligentibus eum, fruenda jugiter in ſtatu beato; patet, hominem in hoc exilio, quantumlibet extendat volitionem ſuam in appetendo beatitudinis futuræ dona pretioſſima, nunquam exæquaturum plenè voluntatis voto poſſidenda munera perpetua. Quapropter diceres, à Filio Dei non fuiſſe inſinuandum, voluntatem noſtram fore menſuram præmii; ſed potiùs liberalitatem divinam; cujus eſt retributiones menſurare juſtorum; quò ſic expreſſiùs indicaretur quàm largè ſolvenda ſint opera virtutis in altero ſæculo. Cupiebam inveſtigare qualinam de cauſa locutus fuerit Chriſtus Dominus ut ante præmiſimus. Non vanè mens cogitavit quod jam effero. Sic proponitur qualis extet fidelitas, quam Deus in adimplendo promiſſo laudabiliter operanti ſervat. Nam, ſi debitor inter homines cùm ſolvit remitteret quantitatem ſolutionis arbitrio creditoris, & per iſtud libens metiretur ſummam tradendam in extinctionem debiti; non utique diminutè, ſed exactiſſimè ſolveret: creditor quippe rem ſibi tradendam ſic menſuraret, ut non falleretur; quia nemo ſolet in his voluntariè decipere ſe. Habitâ proportione, longeque ſublatis imperfectionibus, Deus ita videbitur agere cum juſtis, remunerans eos juxta menſuram voluntatis illorum; quò magis ejus in præmiando fideliſſima pateſcat æquitas. Ita noſtræ meditationi liceat penſitare pro laudandâ juſtitiâ ſupremi Largitoris, qua munerat virtutis aſſeclas.

Marc. 4. 24.

Bed. l. 1. in Marc. c 21. ante med.

Hug. Card. com. in Marc. 4. 24.

37. *An Deus pluris facit haberi largus in præmiando; quàm fortis & potens.*

Tandem affluentiam Dei perpendamus in retribuendo, licet in ſuperioribus jam ſatis indicatam. Apparet primâ facie conſideranti, contrarium fuiſſe divinæ munificentiæ, quòd ſe Deus obſtrinxerit debitorem tenentibus virtutis callem, ad eos remunerandos. Nam ex debito largiri non eſt officium liberale: quoniam præſtans id ad quod ex alieno jure tenebatur, nequaquam liberalitatem exhibet. Liberalis (ut ex ipſarum vocum ſimilitudine deducitur) affinitatem habet magnam cum libero: non autem dicitur liber, ſed vinculo colligatus, is qui debet; ac ab iſto ſeipſum expedit cùm donat quod præſtare debuerat: ideoque forſan hæc præſtatio vocatur ſolutio. Cum Dominus omnium non ſit dedignatus habere juſtos creditores, ejus manus (citra majeſtatis læſionem) non apparebunt ſic expeditæ, quod non videantur aliqualiter fateri ligamen debiti. Noſtra fragilitas hæſitabit, inquiens: Quomodo ſtant hæc bene cum liberalitate ſummâ? Reſpondeo. Non dedecoratur per hoc Dei largitas: imo ſic videre licet, ipſum de magnificentia gloriari; proindeque non renuere debitorem fieri. Ex eo quòd largiendo glorietur, ortum habet abundantia, qua remunerationem largitur. Utinam ad iſta bona tranſmutarent homines ambitionem ſanctè. D. Baſilius Magnus: *Deus*, ait, *magnus eſt ſpectator: ambitioſus ſis coram Deo ſplenditam enim retribuit mercedem.* Ita gloriatur Altiſſimus quòd uberem donet juſto retributionem, ut videri poſſit, affici minori gloria de potentia ſua, quam de ſuperabundantia præmiandi. Credes, non tanti facere Dominum honorem ipſi venientem

S. Baſil. Mag. hom. 22. inter var. ad fi.

nientem ex eo, quòd habeatur fortis & potens; quàm ſuſceptum ex hoc, quòd ſciatur ſupereffluens in præmiando.

38. Jam infirma conditio mortalium eſt in conſervanda permanenter ſpe ſuâ Deo commiſsâ, quòd oporteat, in aliquibus viris probatiſſimis illam denuo foveri de cœlis. Expertus fuerat Abraham, ſe protectum per Dei providentiam: nihilominus adhuc ſermone cœleſti dictum eſt viro tanto (nequaquam inaniter) ut non metueret, ac ſe protectorem habere Deum, magnamque mercedem ipſi futuram. *Facturus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Præmittendum eſt, ubi nos habemus in Vulgata: *Ego protector tuus ſum*, Hebraice legi: *Ego ſcutum tibi.* Mercedis illius magnitudinem Cardinalis Hugo ſic exponit: *Id eſt ſupra merita.* Nunc libranda cogitatu diſparitas locutionis in præcitatis verbis reperta. Glorioſè ſanè Deus loquitur de ſemetipſo cùm aſſeverat, mercedem Abrahæ nimis futurum eſſe magnam; non ita verò decenter fari de ſeipſo Dominum exiſtimabis juxta lectionem originariam, dum ſe ſcutum Abrahami nominat: nam parma ſolet hoſtiles ictus excipere; nec illa quicquam valet, ut feriat hoſtem. Deum nullus percutit adverſarius: fortitudine ſummâ pollet: quomodo non dedignatur appellare ſe ſcutum Abrahæ? cùm de retributione juſto donandâ facit verba ſic eloquitur ut per mercedis ultra merita magnitudinem ſit glorificandus ab illam expendente? dum verò protectionis meminit, haud reſpuit exiſtimari ſcutum; qui titulus apud humana judicia poſſet reputari tamquam potentiæ fortitudiniſque dedecus? Conjector, ibi Deum fortè non tantî feciſſe decoroſam exiſtimationem poteſtatis invictæ, quam effuſæ munificentiæ, qua retribuens utitur. De hac decentiſſimè dixit: nam per eam ab hominibus exaltari gaudet ille, qui nequaquam noſtræ laudis eget.

Genes. 15. 1.

Lyr. Heb. ib. Hug. Card. ibid.

39. *Qua ratione Deus aliquando tegat liberalitatem ſuam in retribuendo,* Verum quidem eſt, contingere non ſemel ut magnificam in præmiis donandis conditionem Dominus tegat; cupiens oſtendere mentibus humanis patentiùs, ipſum non indigere laudatione mortalium, qui ſibi ſufficientiſſimus eſt. Eapropter donanda promiſit; factuſque ſic debitor noſter eſt; cum poſſet illa dona largiri, quin promiſſio præcederet: ita velum quoddam ſuperinduit largitati ſuæ. Necnon aliud huic rei motivum ſapienter addit. Agnoſcens, hominem, cum audiat, hoc, & illud promiſſum à Domino mortalibus, in devotionem excitari; ſpondet munus, ut precibus devotis mereamur id, quod alioquin gratis donaturus erat. S. Bernardus: *Vult autem, inquit, à ſe requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multis quæ dare diſpoſuit prius pollicetur: ut ex promiſſione devotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat devota oratio promereatur.* Ecce benigniſſimam dilectionem cernis Dei largientis: diſſimulat ſapienter munificentiam, ut amplificet eam: quoniam ita ſe gerens benefacit duplici viâ nobis: nam & nos priùs orationis merita poſſidere curat; & poſtea ſupplicationibus annuens replet optatis. Ex hac eâdem benignitate naſcitur, Deum nihil facere quòd multi non agnoſcant ſuæ divinæ manus promptam valde magnificentiam; dicentes, in hoc vel illo dono prorſus nihil ipſum dediſſe liberaliter; ſed integrum debuiſſe. Cumulat ſtipendium operis Retributor benevolus; ita quòd non pateat multoties, plus dediſſe, quàm promerebatur opus illud; ſed totum ex debito contuliſſe.

S. Bernard. hom. 4. ſup. Miſſus, ante fin.

40. Apoſtolos mittens ad meſſem Evangelicam Salvator inſtruxit eos: præmonuit ſe paſſuros ab hominibus, & odio habendos: exhortatus eſt ut non timerent: ac tandem veniens ad illos, qui recepiſſent eoſdem, poſt alia ſubjunxit verba ſequentia: *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Variis interpretationibus illuſtratus invenitur hic locus. Aliqui ſic intelligunt, q. d. Accipiet mercedem illam, quæ recipientibus juſtis à Domino ſtatuta eſt. De mente verò Maldonati valet idem atque ſi dixiſſet: Accipiet mercedem, quam ipſe juſtus receptus ab eodem conſecuturus eſt: quia ſicut favens certis delinquentibus, excipiens illos in domum ſuam, punitur à principibus terræ; ita Rex regum afficit præmio juſtorum recipientes juſtum. Placet nunc aliorum ſententiam ſequi relatam ab ipſo Commentatore, nec impugnatam. Illa ſic habet: Mercedem juſti, *id eſt, quam juſtus ille impetrabit orando pro illo, aut quia ejus cauſa Deus illi dabit*, &c. Ex hac non ſpernendâ textûs expoſitione colligitur, Deum ſæpe, cum piè quis recipit juſtum, & iſte rogat pro benefactore ſuo, retribuere benefacienti præmium, attendendo non ſolùm ad meritum excipientis juſtum; ſed etiam ad juſti ſupplicationem exhibitam pro alio. Dicet aliquis, dilectionem, qua Deus proſequitur virtutem, poſtulare quòd non operetur ſic. Nam qui juſtum ſuſcipit, efficit opus Altiſſimo placens: ergo retribuatur ipſi, quin unquam expectetur oratio juſti petentis pro ſuo receptore. Quo motivo Deus ad iſtas preces tribuit mercedem illam? Conjecturam offero non audaciter; ſed in magnanimitatis divinæ commendationem. Deus cupit elargiri præmium recipienti juſtum, rogatus ab iſto recepto: q. d. Pietas faventis famulo meo, licet hic orationem pro ipſo non funderet, nequaquam irremunerata maneret; imo ſuperabundanter ſolveretur. At, cum ſciam periculum adeſſe, quòd aliqui videntes abundantiam qua retribuo, contenti ſint unico, ſeu duplici tantùm opere bono: meam largitatem eis tegam in hunc modum. Juſti ſupplicatione permotus donabo mercedem illi, qui recepit eum. Sic permitto, quod alii putent, me tunc perſolvere parcè; cum attendens duobus hominibus, unicam tribuam facto ſolutionem: ſcilicet reſpiciens juſti receptionem exhibitam à benefaciente, preceſque ſupplices juſti, qui receptus

Matth. 10. 41.

Apud Maldon. com. in Matth. ib.

eſt,

eſt. Hoc tamen haud obſtante, ſtat manifeſta rectè ponderantibus veritas : nempe quòd affluenter *juſtis retribuentur bona.*

DELIBATIO IV.

Juſtis retribuentur bona quæ propter Deum dimiſere.

41. *A diſcrimine tutum eſt miſericordis in egenos præmium.*

VAria ſunt bonorum genera, quæ feliciter addicti virtutum nobili mercaturæ fœnerantur Domino, centuplum recipientes. Aliqui divitiis exundantes pauperibus eleëmoſynas miſericorditer diſtribuunt : alii projiciunt amicitias humanas iniquorum ex dilectione Dei, cui diſplicere timent : multi gaudia quamvis licita derelinquunt ad exequenda virtuoſa facta, licet mœrorem incutientia : tandem non pauci deſpiciunt gratiam regum terrenorum ad ſervandam fidelitatem Principi ſummo. Præmia ponderare juvat, quibus prædicta dimiſſa bona retribuentur juſtis. Primùm dicam ſumens initium ab eleëmoſynariis. Plura ſparſim notavi jam variis in locis : nunc ſolùm adjiciam, divinam remunerationem opis collatæ pauperi certò repoſitam extare citra prudentem formidinem. Inſignem audi miſerorum advocatum, charitate fervidum. *Inaniter*, ait Chryſoſtomus, *repoſita in cibos pauperum diſpergere congruum eſt, ubi nunquam accidit aberrare, nec infortunium, quod in terra fit, vereri :* &c. Sapientum negotiatio quidem hæc eſt. Illam exercentes non decoctori pecunias tradunt ; nec fluctibus merces committunt : ſua reponunt in cœlis per inopes ; qui cum ſint Chriſti membra, non decipient negotiatorem. A diſcrimine tutum eſt miſericordis in egenos præmium. Dona libenter indigis ; & retributionem capies à timore liberam.

S. Joann. Chryſoſt to. 5. hom. 34. ad pop. ante fin.

42. Sicut Omnipotens propter Hebræorum iniquitates afflixit eos, ac deſolatam fecit Jeruſalem ; ſic populi proſperitas futura prænuntiatur apud Zachariam. Dominus ait : *Vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum :* &c. Notavit Sanctius, hæc promitti Judæis à Deo ſi fabricæ templi devotos accingant animos. *Contraria omnia*, inquit Commentator, *pollicetur Deus, ubertatem videlicet, & pacem, & quæ latè Propheta deſcribit, ubi ſeſe Judæi ad templi fabricam accinxerint.* Tranſeamus hinc ad Salomonem. Inquit ille : *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei : & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Priora verba Beda refert ad eleëmoſynam : unde ſic habet : *Qui ergo proficuum ſibi eleëmoſynæ fructum fore deſiderat, & de ſuis propriis, & in Conditoris honorem, qui ſua benigna clementia largiri abundè dignatus eſt, tribuat,* &c. Nec poſt correctionem Biblicam Sixti quidquam nos cogit hanc expoſitionem rejicere, prout videre licet apud Salazar in eum locum. Cumque pronum ſit ad litteram intelligere horrea torcularia que ſicut verba ſonant, brevis dubitatiuncula prodit ex prædictis. Compone Salomonis dictum cum Domini promiſſo, quod legitur apud Zachariam. Deus pro tantæ molis religione piâ repromiſit vineæ fructum ? *Vinea dabit fructum ſuum*, &c. & in præmium eleëmoſynæ Paræmiaſtes non utitur ſimilibus verbis ? potius dixit : *Vino torcularia tua redundabunt?* Cum ſit Spiritus idem ſanctus author utriuſque libri, nec ipſius reſpectu caſuale quicquam extet, judico, propterea noluiſſe proponere per Salomonem citato loco, præmium largitionis in pauperes futurum eſſe quòd vinea miſericordi fructum daret ; ne ſic loquentem intelligeres quaſi dixiſſet : Faciam ut vineæ ſuccurrentium inopibus abundent racemis ; at non hos tutos fore ſpondeo, quòd haud vel à ſole penitus deſiccati pereant vel aquis nimiis putreſcant. Vinum in torculari poſitum immune jam eſt ab iſtis diſcriminibus. Idcirco redundantiâ torcularium remunerandus aſſeritur eleëmoſynarius : ut meditemur, ſolutionem à Deo præſtandam auxiliatori miſerabilium ſecuritatem nanciſci ; qualem vendicare non ſolent illa, quæ natura donat & induſtria, falluntque non ſemel ſpem noſtram : nam, ut ait aureus Doctor, *Frequenter & acris inæqualitas, & ſterilitas terræ, & alii multi incurſus, vel locuſtarum exercitus, vel rubiginis impetus ab expectatione decidere facit*, &c. Longe ſunt à mendacio promiſſa Dei. Tutus dimittit beneficus homo ; ſed non amittit ea quæ donat egentibus : Dominus enim per manus illorum ſuſcipiens retribuet fideliſſimè.

Zachar. 8 12.

Sanct. com. in Zachar. ib. ad n. 11.

Proverb 3. 9. 10.

Beda ib. n. 9.

Chryſoſt. prox. ſup.

43. *Qui propter virtutem ſponte deperdit amicos, acquirit provident Deo amicitiam extraneorũ.*

A divitiis pergamus ad amicitias ; quæ ſanè præferendæ ſunt opibus : facultates quippe ſunt adeo non perfectè poſſeſſæ, quòd meritò magiſtri ſpirituales aſſeverant, illas non eſſe rigoroſè noſtras ; at amicus amico non tantum ſuus eſt ; ſed vulgò dicitur alter ipſe. S. Ambroſius : *Ea enim*, ait, *amicitia probabilis, quæ honeſtatem tuetur, præferenda ſanè opibus, honoribus, poteſtatibus : honeſtati verò præferri non ſolet, ſed honeſtatem ſequi.* Ex dicto S. Doctoris juſtus lucem accipit ne perperam operetur, ut amico morem gerat : nec enim amicitiæ ſtudio prætereunda virtus eſt. Idem Ambroſius : *Nihil*, inquit, *igitur præferendum honeſtati : quæ tamen ne amicitiæ ſtudio prætereatur, etiam hoc Scriptura admonet.* Quæ cum ita ſint, pluries contingit, ut rectus vir hominis amicitiam deperdat, ne divinam offendat. Ecce juſtus abjicit iſtud nequaquam deſpicabile bonum propter Deum longè plùs dilectum. An compenſationem iſta jactura non accipiet ? Minimè : quinimo linquens creaturam ſibi charam propter amorem Dei, remunerabitur amicorum copia. Rem explico. Quiſquis propter virtutem incurrit inimicitiam ſæculi, conſtituitur amicus Dei. Conſequentiam intentam deducam ex hac veritate : ſed prius lege Clichtoveum addictum Cyrillo. *Inimicitia*, inquit, *hujus mundi, amica eſt Deo : & qui voluerit eſſe inimicus hujus mundi, amicus Dei redditur :*

S. Ambroſ. to. 4. l. 3. de off. c. 15.

Idem ib. c. 16.

Clichtove. additus Cyrillo l. 6. in Joann. c. 20.

quos

quos enim mundus ut abortivos ejicit, eos Chriſtus ut filios chariſſimos ſuſcipit. Quo poſito, ſic ratiocinemur. Certum eſt, omnes qui Deum proſequuntur amore, diligere necnon univerſos, quos Deus inſignivit ſuæ filiationis titulo. Cumque projicientes amicitiam ſæculi propter Deum, & conſequenter à mundo prorſus odio habiti, ſint amici, filiique Domini, fit inde, quod ille pius contemptor amicitiæ mundanæ conſequatur propter iſtam qualemqualem jacturam plures amicos optimos, nempe juſtos omnes; utpote quibus chari ſunt quotquot amicitiâ, filiationeque Dei potiuntur. Hocipſum, quod modò pronuntiavi, necnon extenditur ad Angelos. Dixit S. Bernardus: *Angeli enim amant nos, quia nos Chriſtus amavit.* &c. Numera, ſi vales, multitudinem ſpirituum Angelicorum: & invenies, tot amicos eſſe recto viro, quot Angelos Deus annumerat: nam cum etiam peccatores ament illi; multò plùs diligunt filios Dei. Hæc amicitia ſpecialiter præmium eſt eorum, qui virtutis amore non verentur amicorum diſpendium ferre. Providet æquiſſimus Præmiator, ut extraneos nanciſcatur amicos is, qui propter juſtitiam patitur miſſam facere libens mundanorum amicitiam.

S. Bernard. ſer. 1. de S. Michaël.

44. Pſalmiſtæ verba luce donabimus à commentatoribus acceptâ. Ait ille: *Mihi alienigenæ amici facti ſunt.* Lorinus in argumento Pſalmi ſic habet: *Vel David poſtquam Philiſthæi fregerant vires Hebræorum, divino promiſſo confirmatus confidere ſe ſignificat, non modò regnum recepturum, ſed finitimas quoque gentes ſubacturum.* Conſonat Genebrardus, dicens: *Septuaginta ſolent Palæſtinos ſive Philiſthæos alienigenas de nomine generis appellare, quia inter habitatores terræ Chanaan patribus promiſſæ, hi ſoli erant alienigenæ, quando in eam Iſraëlitæ irruperant,* &c. Non eſt nimium facilis intellectus verborum Davidis: nam Dominus præceperat Hebræis: *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam*: &c. Hinc mandato videtur contrariari David, inquiens: *Mihi alienigenæ amici facti ſunt.* Quomodo ſtant hæc in rege piiſſimo cum divina lege? Meritò confidit Pſaltes, ſe nacturum amicitias alienigenarum, quia tali virtutis dilectione præditus erat, quod propter illam non vereretur amicos peccatores vel perdere, vel non admittere. Dixit ille de ſemetipſo: *Facientes prævaricationes odivi. Non adhæſit mihi cor pravum: declinantem à me malignum non cognoſcebam.* Hominem ita ſanctitatis amantem, ut execraretur amica fœdera cum iniquis, optimo jure Deus remuneraturus erat per id quod aſſequeretur amicitiam eorum, qui priùs erant hoſtes. Inter bona pretioſa numerantur ab hominibus dilecti: quorum tamen conſortium abjiciens ut ſervet legem Dei, plures utiliores amantes accipiet in præmium. Sic *juſtis retribuentur bona.*

Pſal.107.10.

Lorin. in arg. ejus Pſal.

Genebrard. com. in Pſal. 10. ad n 10.

Exod.34.12.

Pſal.100.3.4.

45. *Honeſtatis amore ſinens* Aliud eſt etiam in bonis habitum; quod viri perfecti multoties offerunt in holocauſtum Domino, qui retribuit eis, prout ſolet fideliſſimè. Famam dico glorioſam; quam plures pietatis Heroes contempſerunt ſpontaneè, non reſiſtentes calumniis, nec innocentiam ſuam probare conantes, ſolo teſtimonio conſcientiæ propriæ contenti. Humilitas eos edocuit: quoniam iſti ſunt in æſtimatione ſuâ nihil: bonam verò famam appellamus aliis verbis, nomen bonum quapropter non ipſis curæ fuit, ut vendicaret nomen decoroſum id, quod ipſi putavere nihilum. Sectati ſunt illius veſtigia qui præcellenter humilis corde, cuidam illum interroganti per hæc verba: *Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* dixit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus.* Ad has Domini voces, juſti ſimul trepidant, & roborantur. Formidant, inquam, credere deberi ſibi nomenclaturam illuſtrem boni; corroborantur autem, ut honoris apud homines damnum contemnant acceptum occaſione facti commendabilis. Deus verò, cum gaudeat ſolvere frequenter in eâdem ſpecie, quæ dedicatur eidem, honorat iſtos inſigniter: nam propter contumeliam acceptam ab homine, qui pulvis & cinis eſt, decus recipiunt ipſi de manu Regis regum. Clichtoveus: *Contumeliâ*, inquit, *affectus propter Deum, is plurimum honoratur à Deo*, &c. Juſtiſſimus patientium æſtimator Deus, eis, qui ne delinquerent nomen amiſere bonum, retribuit gloriam non vulgarem. Honeſtatis amore dehoneſtatus, in præmium à Domino decoratur egregiè.

dehoneſtari, decus egregium à Domino ſuſcipit in præmium.

Marc.10.17. 18.

Clichtove. prox. ſup. ante fin.

46. Davidi tam ingratus extitit Saul, quod non ſolum poſt terga miſit ea debita, quibus obſtrinxerat ille Regem; ſed malum credidit quem beneficum expertus fuerat. Ipſum putavit ſibimet inſidiari, dixit enim: *Eò quòd ſuſcitaverit filius meus ſervum meum adverſum me, inſidiantem mihi uſque hodie.* Quiſquis agnoſceret amorem, quo Deus proſequebatur Davidem, non immeritò quæreret, cur ſuorum protector Dominus non inſpiravit alicui juſto, ut ſe conferret ad Saulem, eique loquens tamquam divinus miniſter patefaceret innocentiam Davidis, ad hoc ut Rex agnoſceret, ſibi nequaquam inſidiatorem eſſe virum, qui cæde Gigantis fidelitatem ſuam oſtenderat. Poſtea cùm David peccavit, miſſus eſt ad eum primò Nathan, ſecundò Gad mœſta nutiaturi? cum verò inſons apud Saulem audiebat malè, non deſtinatur à Domino quiſquam ad Regem, ut inſinuaret ei, Davidem culpâ vacare? nonne divinitus inſpiratus Daniel tutus eſt caſtam Suſannam; & ſalvata fuit innoxia? quare non ſimiliter à perſecutione Saulis, defendente, ſicut prædixi, cœlitus aliquo David eruitur? Ratio ſpecialis reperiebatur in Suſanna. David, qui Reipublicæ nobile præbuerat obſequium percuſſo Goliath, experiebatur Saulis odium; ſed reportaverat ex victoria nomen clarum. Atverò Suſanna, quia labem pudicitiæ noluit admittere, publicam patiebatur infamiam. Congruum erat, ut Deus illi, quæ bonam caſtitatis exiſtima-

1. Reg.22.8.

tionem perdiderat ne committeret culpam : (*quia numquam dictus fuerat ſermo hujuſcemodi de Suſanna.*) retribueret honorans eam ſic, ut per Danielem, quem Altiſſimus non parvi faciebat, eam tutaretur, ac exiſtimationem honorabilem donaret coram iiſdem, qui damnaverant pudicam. Fruere S. Ambroſio. *Diſcant*, inquit, *pudicæ calumniam non timere. Nam quæ caſtimoniam vitæ prætulit, nec vitæ diſpendium pertulit, & gloriam retulit caſtitatis.* Suſanna puritatem antetulit non ſolum vitæ, ſed etiam famæ. Audi Carthuſianum, qui ſic habet : Condemnaſtis filiam Iſraël, *id eſt hanc Suſannam, quæ imitatione virtutum verè digna eſt dici filia Jacob & Iſraël, tamquam vitiorum ſupplantatrix atque cœleſtium contemplatrix, quorum amore maluit diffamari ac mori, quam tranſgredi.* Ex dilectione bonorum cæleſtium fecerat jacturam famigerationis caſta Suſanna. Suſcepit igitur honorem cælitùs. Ita Deus æquè ſtipendio juſtos afficit : occaſione virtutum dehoneſtantur ; decus accipiunt in retributionem.

Daniel. 13 27

S. Ambroſ. to. 4. l. 3. de Spir. ſanc. c. 7. ad fin.

Dion. Carth. com. in Dan. 13. art. 14. long: poſt med.

Gaudia necnon homines probi temnere ſolent ob ſanctitatem ; ac eis exultatio retribuetur à Domino. Nullus eſt qui gaudium non computet in bonis : non omnes tamen attendunt, plurimas lætitias rationabiliter eſſe dimittendas. Cecinit Poëta :

Gaudia principium noſtri ſunt ſæpe doloris.

47. *Dimittens gaudium licitum propter actum virtutis mœſtum, qualiter gaudio munerari mereatur.*

Quid infelix aſſereret, ſi noſſet quæ fide carens neſcivit ? Imo, quin egrediamur vitam perituram, ſubſequitur hilaritatem frequentiſſimè gemitus : unde ratio divertere ſuadet prudentem ſæpius à gaudendo, ne poſt voluptatem experiatur inde mœrorem. Ceu nutrix aufert à puero paſſerculum, quem lineo filo tentum gaudens inſequitur ; providens ne labatur, & riſus fletu multo conſtet : ita cautela vigil aufert ab homine materiam exultandi, ne veniat exhinc ad luctum : quid enim ſunt ea, quibus terreni lætitiâ geſtiunt puerili, niſi paſſeres naturæ conditione volantes, poſſeſſionis filo tenuiſſimo ligati, quos dum cernunt adeſſe, tripudiant ; cum abiere, deplorant ? Oportet, hominem ab iſtis revocari. Bellè Guigo Carthuſianus : O, ait, *quis dabit decrepito puero & tamen ſtulto, id eſt humano generi toto orbe diffuſo, quandam magnam, quandam ſapientiſſimam nutricem, quæ tali curâ ac ſollicitudine ſubtrahat ei, vel revocet eum à gaudiis, quæ futurorum ſemina ſunt dolorum ?* Quantò plùs ejuſmodi gaudiis hominem privabit recta ratio, ſi timeat iſthac diffluxurum ad illicita ? Quapropter identidem qui dextrâ viâ pergunt, abjiciunt lætitiam, ne declinent à ſemitâ rectâ. Quin potiùs etiam citra periculum peccati, probi viri denegant frequenter exultationes parti ſenſitivæ, divertuntque libenter ad virtutis exercitium quamvis mœſtum. An hilaritas dimiſſa non compenſabitur à Deo ? Quivis mediocriter Chriſtianus optimè novit quod Radulphus dixit : *Juſtorum triſtitia perpetuâ mutatur lætitiâ* : &c. Unum adjicio : ſcilicet illum qui derelinquit gaudium non peccaminoſum, ad hoc ut exerceat actum virtutis de ſe non lætum, ita placere Deo, ut Angelico miniſterio deferri mereatur eidem non modicam exultationem ad propriam ejus domum. Quaſi foret exiguum juſti ſic ſe gerentis præmium, invenire feliciter gaudium, ſi quæreret illud ; quandoque providebitur ut Angelus afferat lætitiæ cauſam in ejus non inquirentis habitaculum.

Guig. Carth in medit. c 4. juxta fin.

Radulph in Levit. l. 16 in præfat.

Senior Tobias inſtare ſibi putans exitum mortalis peregrinationis, inſtruxit filium monitis piè ſaluberrimis : & poſtea curavit ut iret in Rages Medorum civitatem, ut acciperet argentum, quod mutuò dederat Gabelo. Comitem habens ignotum Angelum Raphaëlem perrexit gnatus ; ac tandem ſalvus in domum paternam reductus eſt ab eodem ſpiritu beato : cujus inſtructione doctus filius viſum reſtituit genitori. Cum expenderem hanc reductionem junioris Tobiæ, meminiſſe contigit alterius Angeli, qui liberavit Principem Apoſtolorum è catenis, quibus vinctus erat ; non tamen eum comitatus eſt uſque domum, quam adiit liber à carcere. Habemus ex Actibus Apoſtolicis, Petrum, & Angelum tranſiviſſe portam ferream ; ſed poſtquam proceſſerunt uno vico, Angelum diſceſſiſſe. *Venerunt ad portam ferram, quæ ducit ad civitatem : quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum : & continuò deſceſſit Angelus ab eo.* Poſt pauca refertur de Petro : *Conſideanſque venit ad domum Mariæ matris Joannis*, &c. Et mirabar quod non Simonem comitatus fuerit ſocius Angelicus, donec ingrederetur domum illam, ut ſic incolumitatem Apoſtoli pleniùs conſummaret præſens. An Petro ſanctior ille ſenex, cujus filio ſe præbuit Raphaël ſodalem, in parentis domum revertenti ? Minimè. Sed peculiare motivum dabatur in Tobia ; quod Altiſſimi providentiam induxit, ut mitteret Angelum, qui tantam exultationem intra domum ejus adduceret. Vir ille tantæ pietatis erat, ut (ſicut ex Textu ſacro patet) non recuſaverit gaudium licitum prandii derelinquere, pergereque recepturus in domum ſuam cadaver Iſraëlitæ jugulati jacens in platea ; quod opus erat mœrore plenum. Æquum fuit ſic, ut prædiximus, ei Domino dante retribui. Proficit Auguſtinum legere, loquentem in perſona Raphaëlis ita : *Defunctos captivitatis ſepelire non timuiſti Tobis, aſcenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio reddidiſti mortuum ſepulturæ.* Gaudiis in proprium habitaculum, quin requirantur, immiſſis rependet Omnipotens dimittenti licitam hilaritatem propter factum virtuoſum non lætum peragendum.

48.

Act. 12. 10.

Ib. n. 12.

S. Aug. to. 10. ſer. 226. de temp.

Deſcendam poſtremò tandem ad gratiam principum terrenorum ; quam virtutis amore ducti non ſemel ejus amatores contempſerunt. Ad benevolentiam regnantis multi conſcendere nituntur aſſiduè toto conatu : ſe beatos putantes cum perveniunt ad hoc, ut rex eos gratis oculis dignetur aſpicere. Video monarcharum favores floſculos eſſe, quos ventus dejicit :

49. *Qui regi veritatem loquitur ſpreto periculo cadendi, remuneratur providente Deo nonnunquam per favorem ipſius regis.*

cit : nam quin cauſam præſtiterint felices, cadunt perſæpe. Poëta pius canens introducit dolentem ſic de lapſu :

Hug. l 2. p. deſid. poëm. 13.

Aulaque felicem, felicem turba vocabat,
Quod mihi tanta Ducis gratia parta foret.
Vah ! nimis infidis ſubnixa potentia ſceptris,
Quæ minimo fortis turbine verſa ruit !
Ecce, minax tetricos cœpit Rex ducere vultus,
Nec tamen eſt vitio gratia læſa meo :
Hei mihi ! cœptus amor, ſubitam ſe vertit in iram,
Hoſtis & è patrio cogor abire ſolo, &c.

Quotidianâ comprobatur hoc experientiâ : ſed quamvis gratia principum ſit res bene perpendenti leviſſima, benigniſſimus Dominus non renuit accipere, tamquam oblationem florum dicatam à juſto, dilectionem regalem ; quam iſte parvipendit, ne Deo diſpliceat. Plura ſunt, quibus permovetur affecta virtutum ; ut affectûs regis ſigna tamquam periculoſa non ambiat. Unum ex motivis ad ambitionem vitandam eſt, quòd regis amore fortunatus in multo periculo verſatur occultandi veritatem principi, cùm ſortem jam adeptus alloquitur eum. Humbertus :

Humbert. l. 2. de mo. prompt. cud ſermon. ſer. 84.

Sunt autem, inquit, *multa quæ ſolent accidere in hujuſmodi curiis, quæ ſunt in periculum animarum. Unum eſt taciturnitas veritatis : quia enim veritas odioſa eſt, pauci ſunt in curiis, qui dicant eam domino, vel magiſtris curiæ ſuæ, ne fiant eis odioſi.* At ſi juſtus ne verum occultet, diſcrimini ſemet exponit amittendi regis gratiam ; aliquando remunerabitur à Deo per hoc quòd rex ipſe poſtea honorabiliter ei faveat. Video, retributionem hanc non extare præcipuam. Sed liberaliſſimus Perſolutor accommodans largitatem propriæ manûs fragilitati mortalium, providet, ut veritatis amicus, qui non timuit eam proferre cum periculo decidendi, poſt ſuſcipiat favorem principis ejuſdem.

50. Acceptus erat Babylonico regi Daniël : imo conviva ſuper omnes ejus amicos decoratus. Obcæcabatur adeo mente monarcha miſer, ut belluam deum exiſtimaret. Unde Prophetæ dixit ut adoraret

Danic. 14. 24. eum. Reſpondit Vates : *Dominum Deum meum adoro : quia ipſe eſt Deus vivens : iſte autem non eſt Deus vivens.* Suſceptâ regiâ poteſtate draconem interfecit. Commoti Babylonii poſtulaverunt Danielem eis tradi, comminantes aliter principi mortem. Neceſſitate compellente traditus eſt eis Daniël : qui miſſus in lacum leonum evaſit illæſus ; Deo priùs per Habacuc mittente cibum. Deferentem poſuit Angelus in Babylone ſupra lacum : & forſan putares, quòd juſſu Domini vatem extraheret inde ſpiritus Angelicus idem. Non ita factum eſt ; ſed ab ipſo rege poſtea fuit extractus à lacu. Dubitabam, quare non potiùs ab Angelo ? Reſponſum ad rem noſtram offero. Daniël expoſuit ſemetipſum, præ virtutis amore, periculo delabendi ſatis infeliciter ab amicitia regis ; nec ideo veritus eſt aperire tenenti ſceptrum veritatem ipſi non gratam. Juſtiſſimum fuerat, ei, Domino diſponente, retribui regis ipſius favorem hunc ; ſcilicet quòd ab eodem principe, cujus dictis in faciem reſtiterat, extraheretur è lacu leonum. Decus benignè datum à principibus magnî faciunt plures : hoc ipſo bono præmiabuntur, ſi ad honorem Dei fortiter exponant pro virtute ſemetipſos regum diſplicentiæ. Sed quid eſt gratia regnantis, comparatione factâ cum amplioribus præmiis à divina munificentia præparatis ei, qui diligit illum ? Ad majora ſuſtollamus animos, non hærentes in retributione ſimili rei pro Domino dimiſſæ. *Parva dimiſimus, & grandia poſſidemus. Centuplicato fænore Chriſti promiſſa redduntur.*

S. Hieron. to. 1. ep. ad Pammach. med.

DELIBATIO V.

Timeat peccator felix. Reprehenditur præſumens dilationem ſupplicii. Peccatum deſtruit hominem. Præmium Dei tantùm attendat juſtus. Dominus largè remunerat opera, quæ ſepelit juſtus.

51. *Aliquando poſt favorem Dei peccator potiorem habet rationem timendi.*

Peccatores. Licet malos crimen perſequatur, & quamvis loquamur de paſſuris æterna ſupplicia ; tamen iſtorum plurimi bona ſuſcipiunt dum vita manet, Deo ſic providente, vel ut eorum quædam benefacta remuneret, vel ut confundat eoſdem, vel ex aliis motivis ipſi notis. Quot perditiſſimos, imo verum fidei cultum blaſphemantes, opibus replevit eximiis ! quot perduxit ad longævam ſenectutem gaudiis mundanis affluentes ! cum econtrariò paſſim occurrant acceptiſſimi Domino jugibus infortuniis contriſtati, penuriâque rerum compreſſi. In hac inopia rectorum ; nocentumque divitiis, altum ſapere noli ; ſed altitudinem divitiarum obſtupeſce. Nec animum deſpondeat probus afflictionibus validè circumſeptus : neque tripudiet iniquus de felicitate ſuâ. Quinimo paveat hic, ne propterea Deus lætum, abundantem, & potentem vivere ſinat, quia decrevit ei pro ſceleribus gehennam ; & miſericordiâ maximâ condolet miſerrimo, divertens iram ſuam ab eodem, tempore vitæ caducæ. Tempeſtivè quidem Arnobius : *Ideo*, inquit, *ſæpe Dominus peccatoribus in hoc mundo lætitiam & abundantiam uſurpatam reliquit, quia ſcit quæ paſſuri ſunt in gehennæ incendio ; & condolens eis, avertit in hoc ſæculo iram ſuam ab eis.* Aliquando plus formidandum eſt impio, quia donis afficitur ab ignota ſibi providentia cæleſti. Stupidus erit homo, cui ſemper adſtitit fortuna ridens, niſi timeat, quod bona recipiens in præſenti vita, mala perpetua patietur in futura. Lupus Abbas : *Si cujus*, ait, *felicitatem nulla unquam perturbatio interpellet, quàm tardus eſt, niſi metum hinc concipiat ne cum purpurato divite quondam audiat* : Recepiſti bona in vita tua. Aliquoties poſt experientiam Dei faventis, majus peccanti motivum eſt propter quod timeat, quàm priùs erat ; & poſtquam

Arnob. com. in Pſal. 77.

Lup. Abb. Ferrar. ep. 94.

divinum experitur donum , illi ratio fuit addita potior formidandi.

52. Egreſſus eſt populus Iſraël in brachio potenti de ſervitute Pharaonis. Hic impœnitens ductus pœnitentiâ quòd Hebræos dimiſerit inſecutus eſt illos armatâ manu. Levaverunt oculos Iſraëlitæ ; viderunt Ægyptios, ac timuerunt valde. Exod.14. 13. Sed ipſis dixit Moyſes : *Nolite timere* : &c. An pavendum non erat eis, quòd per adverſarios puniretur ingratitudo, qua Ib. n. 11. *dixerunt ad Moyſen : Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto , ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine : quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto ?* Ad illud : *Forſitan* &c. Lir. ib. Liranus ait : *Hoc dixerunt ironicè , deſperantes ſe poſſe evadere.* Verè gravi ſupplicio dignus fuit contemptus hic tanti beneficii Dei , quod in eductione de Tyranni poteſtate ſuſceperunt. Attamen exhortatur illos Moyſes , ut non paveant hoſtes ? Pergamus ultra. Domino pugnante pro plebe ſua, fluctibuſque pro gladiis utente, denique victoriam plenè conſecutus eſt Iſraël quin dimicaret. Cum autem aſpexerunt Hebræi cadavera perſecutorum ſuper littus , timuerunt Deum : non tamen legimus curaviſſe Moyſen ab eis depellere timorem hunc. Eod.c.n.31. *Et viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris , & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos : timuitque populus Dominum , & crediderunt Domino , & Moyſi ſervo ejus.* Eccur gubernator prudentiſſimus , ut confidentiam populi nutriret pro carpenda via , tunc non dixit ad eos : Nolite timere ; Deus protector veſter eſt ? Quia plus timendum erat eis poſt Domini favorem exhibitum in exercitûs hoſtilis deſtructione ; quàm priùs : nam qui ſupplicio dignus Deum experitur fautorem , forſan majori pœnæ reſervatur. Ne propterea ſecuritatem præſumat ſceleſtus quia ſuſcipit munera frequenter auxiliatricis omnipotentiæ : quis novit , an hoc ideo contingat quoniam poſt acerbiùs mulctabitur ?

53. *Perſequitur.* Salazar hîc : *Verbum autem* , Salaz. in Proverb. 13 21. Perſequitur, *emphaſim habet : ſignificat enim non differri , aut diutius duci , ſed velociſſime adeſſe , & præſentiſſime inſtare pœnam.* Per hoc non tollitur miſerentis Dei pia tarditas in puniendis plurimis , quorum iniquitas provocat celerem vindictam : clementia Domini procraſtinans adducere cupit eos in pœnitentiam. Sed oportet reminiſci, nequaquam promiſſam cunctis dilationem ſupplicii pro criminibus univerſis ; ne decidamus in ſtultam præſumptionem , qua juſtitiam rectiſſimi judicis exaſperemus. S.Greg Mag. to. 2. expol. in c. 3. l. 1. Reg. c. 4. longe poſt med. D. Gregorius Papa dixit : *Peccare ergo & de Dei creatoris clementia præſumere , pelago juſtitiæ ejus exponi eſt.* Putant aliqui , ſolummodo ſuperbum eſſe propriis in virtutibus totam ſpem collocare , viribuſque noſtris confidere nimis. Decipiuntur craſsè : nam etiamſi confidentia reſpiciat benignitatem Dei , nimietas ejus elatio multùm damnabilis eſt. Enimverò valde timendus hic præſumptionis modus : ipſe timoris defectus timore magno dignus eſt. S. Gregorius proximè datus. Idem ib. *Hoc igitur ipſum , quod diſtrictionem divinæ juſtitiæ non timemus , nobis valde timendum eſt* : &c. Fateor , malum cùm reincidit in delictum , quo gravatur ejus anima , diſplicere Domino valde per circumſtantiam reincidentiæ. Nihilominus exiſtimo , Deum plùs aliquando lædi per noſtram ſuperbam exiſtimationem , qua ſupplicium , quod incurrimus peccato , credimus longè differendum ; quàm per nova ſcelera ſuperaddita primis. Nonnunquam ſe Creator exhibet magis offenſum de creditâ morâ futuræ pœnæ ; quàm repetitione criminis additi ſupra crimen.

54. Iſraëlitico populo prænuntiata fuerat captivitas ; at nihilò meliores facti dicebant multi , prophetiam quidem implendam ; ſed poſt longinqua tempora , ſic ut hoc vulgò terretur vitato ſermone. Dominus Ezechielem alloquens non prætirivit præſumentes iſtos : imo fidem ſuam interpoſuit , facturum ſe quòd non ita diceretur vulgariter. Ezechie. 12. 22. 23. *Fili hominis , quod eſt proverbium iſtud vobis in terra Iſraël , dicentium : In longum differentur dies , & peribit omnis viſio ? Ideo dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Quieſcere faciam proverbium iſtud : neque vulgò dicetur ultra in Iſraël* : &c. Hugo Cardinalis ad illud : *In longum differentur dies* , ait : *Q. d. Verum dicunt prophetæ , ſed in longum differetur.* Hug Card. ib. ad n. 22. Ecce Deus aſſeveravit , ſe curaturum, ne vulgò diceretur ampliùs, minacem prophetiam adimplendam ſerò. Sed quid magnî continebat hoc dictum , ſi comparetur cum aggregato culparum, quibus populus meruit graviſſimè flagellari ? Putabam , Dominum dicturum fore : Quieſcere faciam flagitia , quibus meam exacerbaverunt patientiam. Non ita loquitur ibi ; ſed quaſi de re maximâ ſollicitus , tollendam affirmat vulgarem loquendi rationem putantium , pœnam Iſraëlis in longum craſtinandam. Non mireris , Dominum haud parvipendiſſe fiduciam inanem ſic exiſtimantium : aliquando quippe ſe plus offenſum perhibet Altiſſimus confidentiâ peccatoris exiſtimantis , diù ſibi protelandum eſſe flagellum ; quàm pertinaciâ reincidentis in priora piacula, quibus verberari meruerat. Auditores Chriſtiani ſæpe ſibi ſuadent , præſumptionem proximè dictam ſolis in Judæis inventam. Legant S. Hieronymum. S. Hieron. to. 5. l. 3. in Ezechie. c. 12. juxta fin. *Non ſolum* , inquit , *autem illo tempore , ſed uſque hodie vulgus incredulum & dura corda mortalium prophetiam Dei non recipit : ſed omnia quæ Prophetæ comminantur , quæ prædicat Evangelium , in aliud tempus exiſtimant differendum.* Sic ergo peccator lenitatem Dei recordetur in expectando mortales ad pœnitentiam ; ut pariter meminerit quòd multoties ultio divina , cùm putatur moram factura , jamiam adventat , inſtat , *perſequitur.*

55. *Malum.* Plurima ſunt genera malorum , quibus peccator ſubeſt ; de quibus non pauca ſupra diximus : imo pauca fatebor potiùs : nam quid erit , à quo non timeat ille pati , qui necnon à ſemetipſo punitur ? melius dixerim , à Deo , qui pro caſtigatione peccatoris utitur eodem quaſi miniſtro ; *Extrinſecùs adveniens clades non tam dura , ſicut ipſis peccatis facta deſtructio.*

miniſtro ; licet homo non agnoſcat ſe tortorem. O mirabilem providentiam cuncta regentis Domini ! quòd ſcilicet anima pro delicto ſuis propriis affectibus pœnas det indignato ſummo Vindici. S. Thomas à Villanova : *Quid mirabilius, quàm ſuis propriis affectibus & paſſionibus animam pro peccato torqueri, flagellari, puniri, & ut faciat ipſa irato Deo de ſeipſa vindictam.* Mirum, inquam, eſt, animam per affectus proprios, qui nequaquam involuntarii ſunt ei, cruciari pro delicto. Sed velut aliquando tyrannus damnans morti fecit optionem necando, ut ipſe deſignaret quo genere necis interire vellet ; ita ſenſitivus appetitus humani pectoris reipublicæ per tyrannidem regnum uſurpans, animæ, quam torquet varia genera cruciatuum, hoc eſt malorum affectuum, proponit, ut eligat : nec illa minus afflictatur ex eo quod elegerit. Sic uritur odio, lancinatur invidiâ, raptatur cupiditate ; quibus homo ſui tortor accipit criminis præteriti mulctam. O ſi noſſet quàm flagelletur acerbè qui peccatis propriis transfigitur ! Extrinſecùs adveniens clades non tam dura, ſicut ipſis peccatis facta deſtructio.

S. Thom. à V. n. ſerm. funeb. juxta med.

56. Apud Iſaiam legimus denuntiatum futurum Hebræorum excidium per Chaldæos : quod per triplex ænigma proponitur ; ſcilicet quercûs decidentibus foliis ; horti ſine aqua ; & ſtuppæ, quæ per ſcintillam ſuccenditur. *Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua. Et erit fortitudo veſtra ut favilla ſtuppæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla : & ſuccendetur utrumque ſimul, & non erit qui extinguat.* Superfluam putabis illam ſimilitudinem ſtuppæ correptæ per ignem : nam ſatis exprimeretur everſio, ſi diceretur, fortitudinem populi redigendam ad cineres, uti cùm flamma comburit quercum, & plantas horti per defectum aquarum exſiccatas, utrumque feriente fulmine. Quo myſterio non producitur ultra, ſicut modò dicebamus, arboris emblema ? Quia, cùm per fulmen aduruntur quercus & arentes hortorum plantæ, ignis venit eis ab extra ; cùm verò ſtuppa ponitur ubi latebat ſcintilla, flamma ſuccenditur intus. Ita fit cùm peccatores ab ipſis criminibus propriis evertuntur. Nota illud ſupra : *Opus veſtrum quaſi ſcintilla* : ubi Sanctius exponit : *Peccata veſtra quaſi ignis erunt.* Et licet Commentator prædictam fortitudinem exurendam explicet ibi de præſidiis & munimentis materialibus populi ; nil vetat hoc moraliter aptare ſupplicio, quod per ipſa peccata patitur anima. Huic nullus admovet ignem adverſarius ; ipſamet exequitur ſibi *malum.*

Iſaï. 1. 30. 31.

Sancti. ib. v. 31. n. 71.

57. *Et juſtis retribuentur.* Non exprimitur hîc à quo fiet iſta retributio : ſed patet à Domino largiendam. Rodolphus ad hunc locum : *In ſecunda clauſula verſiculi, conſtans opinio eſt Hebræorum ut ſubaudiatur : Deus reddet juſtis bonum, hoc eſt mercedem bonam* : &c. Verum eſt, in recta, beneque morata Republica juſtos præmia conſequi donata per illius moderatores humanos ; ac laudibus extolli, volitantes per ora ſimilium, proptereaque laudantium aliena benefacta. Sed iſta commendabilium geſtorum ſtipendia virtuoſis accidant veluti caſu : non, inquam, remunerationem virtutis ab homine quærant. Et præcipuè vitandum ipſis eſt laudes ambire, ne retributionem cœleſtem amittant. S. Ambroſius : *Bonum quod facis, miſericordiæ, non jactantiæ causâ facias. Si enim hic laus quæritur, in cœlo remuneratio amittitur.* Non tamen diſſuadendus eſt recto viro ſolius humani præconii ſtudioſus nimis amor : viro perfecto conſulendum, ne dum virtutis opus exercet, habeat præ oculis retributionem quamlibet ab homine ſuſcipiendam. Nonne principi terreno diſpliceret, ſi milites pugnantes in acie contemnerent ab ipſo poſtulare præmia facinorum ? Igitur, ſi Domino militantes deſpiciant ea bona, quibus Deus perſolvit egregias victorias, ingratum erit hoc ei valde. Replicabis. Juſtus non ex contemptu munerum divinorum quæret alia donanda per terreſtres poteſtates. Bene : ſed pone, pugnatorem, poſtquam in certamine dimicavit fortiter, efflagitare ſolutionem à Duce, qui vice principis regit exercitum, necnon & accipere. Si poſtmodum ab ipſo rege poſtularet ejuſdem fortitudînis exhibitæ remunerationem : an jure bono rex non illi reſponderet : Quid à me poſtulas ? nonne per militiæ Ducem remuneratus fuiſti jam æquitate ſervatâ ? Sublatis imperfectionibus, ita meditare futurum, ſi præmiari tuam percupias virtutem ab hominis manu. Citra culpam defigens lumina juſtus in retributionibus humanis nonnunquam jacturam facit præmii divini : ſi largitionem hominis attendit, favorem Dei præmiantis fortaſſe protunc non experietur.

protunc non experietur divinum.

S. Ambroſ. to. 5 l. 4. ep. 29. fin.

Rodolph. Proverb. 13. 21. *Si juſtus in exercenda virtute præmium attendit humanum ; fortè*

58. Aliorum perſæpe variis in locis prodivimus ad ſpectandam celebrem Davidis cum Goliath menomachiam. Plura reſtant conſideranti notanda : nunc unum eligam, ut proximè dicta firmem. Novellus exiit miles ad ritum paſtoris armatus : congreſſus eſt cum hoſte, dejecit illum, trucidatoque Gigante rediit victor. Non legimus, à Domino per prophetam, vel aliter, laudes fuiſſe datas Davidi tunc propter ſtrenuitatem, qua ſingulare prælium commiſit inuſitatum ſibi. Quare non ? Cauſa quidem Dei fuerat ſuperbiam Philiſthæi proſterni : quia per illam intulit contumeliam ipſi Deo ; prout viſus eſt inſinuare David, cùm dixit : *Quis enim eſt hic Philiſthæus incircumciſus qui exprobravit acies Dei viventis ?* Ergo cur non David ſtatim laudatur à Deo ? Recolo, tenente ſceptrum Hebraïcum Davide, voluiſſe templum ædificare Domino. Laudem cœlitus accepit propterea quòd hoc ipſum pertractaverit mente. Suſcipe verba Salomonis : *Et ait Dominus ad David patrem meum : Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans.* Ecce commendatur David à Domino, cum non executioni dederit fabricam domûs dominicæ ; non autem ſtatim poſt victoriam audivit à Deo

1. Reg. 17. 26.

3. Reg. 8. 18.

laudem propter defenſionem honoris ejus opere completam Gigantis occiſione. Imo ſuſcepit Rex occaſione cogitatæ conſtructionis domûs Dei promiſſionem de Chriſto Domino (cujus progenitor eſt) æterno rege futuro. Rupertus : *Nec*, inquit, *verò caſu vel fruſtra, ſed nutu Dei hæc illi in mentem cogitatio venit, ut videlicet per hanc occaſionem bene præparata mente ac devoti cordis apertis januis, repromiſſionem dignè acciperet Domini ſui filii ſui, Chriſti regis æterni*, &c. Audis quanta felicitas conceſſa fuit cogitanti conſtruere templum ? quare non per os prophetæ David laudatur de robore, quo ſtravit Gigantem ? Puto quia, licet aggrediens ille certamen haud præcipuum habuerit in votis id quod Saul promiſerat percutienti Philiſthæum ; tamen Regis futura præmia quadamtenus allexerunt ejus cor ad pugnam. Lira : *Libertas*, ait, *à tributo & alia Regis promiſſa non alliciebant eum ad hoc, niſi tantum conſequenter.* Intendens aliqualiter ad humanam retributionem abſque labe David, protunc deperdidit præconium, quod à fortitudine zeloque potuit ex ore Domini conſequi. Qua fronte quidam audent expectare præmium à Deo pro factis ambitione deturpatis (quamvis de ſe virtuoſis) qua regum dona ſollicitant ? Viderint ipſi : nam vir inculpatus ad ea ſolùm bona viſum intendit, quæ donante Deo *juſtis retribuentur.*

Rupert. l. 2. in libros Reg. c. 29.

Liran. ad 1. Reg. 17. 26.

59. *Deus largius afficit præmio facta, quæ ſub terra ſepelit probus ; quæ ſi non eſſent omnino ſepulta.*

Bona. Legimus in priori parte dogmatis, *Malum*, ſingulari numero ; nunc vero legitur pluraliter, *Bona.* Sic occaſio datur collaudandi clementiam, qua Deus parcè punit ; & magnificentiam, qua largè retribuit. Concinit per diſſimilitudinem iſta profuſio divinæ liberalitatis, cum parcimoniâ juſtorum in deſiderando. D. Joannes Chryſoſtomus : *Majora erunt præmia Dei, quam deſideria avara ſanctorum.* Juſti metientes vota munerum comparatione factâ cum ſemetipſis quos minimi ducunt, minora cupiunt ; Deus verò, qui remunerationis dona menſurat juxta dignitatem ipſorum, quos æſtimat plurimi non ſic : &, quod caput eſt, metitur ea conformiter ad liberalitatem, quæ docet Regem regum. Non laudo Alexandrum, quem reprobat Seneca, dicentem ad quemdam, cui donabat inſanè civitatem, recuſanti munus illud, tamquam non conveniens fortunæ ſuæ : non, inquam, laudabo Regem aſſerentem, ſe non attendere quid ipſum accipere deceret ; ſed quid Alexandrum donare congrueret. Bene Philoſophus : *Animoſa vox videtur & regia ; cum ſit ſtultiſſima. Nihil enim per ſe quemquam decet : refert quid, cui, quando, quare, ubi, & cætera, ſine quibus facti ratio non conſtabit.* Deus præmiator prudentiſſimus utrumque ſpectat, qualitatem accipientis meritoriam, decentiamque ſuæ majeſtatis : inſuper & circumſtantias non obliviſcitur cæteras. Ex quibus unam reſpicit ratione peculiari : ſcilicet an juſtus à ſæculo contemnatur : nam ſi contingat ita, majorem virtutis proventum nanciſcetur. Novit hoc verus pietatis amator : ideoque mundi gloriam vitat, fugiens cùm arrident ei temporalia, juxta doctrinam D. Antonii Ulyſſiponenſis, apud quem habetur ſic : *Vir juſtus valde timet cum ei viſus temporalium arridet. Fugite ô juſti, latet anguis in herba : latet latro in nebula. Diſcuſsâ nebulâ, id eſt ſpretâ mundi gloriâ & pompâ clariùs emicat ſol gratiæ : & vobis qui timetis Deum oritur ſol juſtitiæ.* Frequenter accidit, mundanam gloriam non ſequi fugientes iſtos ; quinimo tenebris involvi, deſpectuique juſtos haberi. Doctor Luſitanus idem : *Vir enim juſtus coram hominibus eſt nebuloſus, id eſt deſpectus.* Deus autem, qui ſuos appretiat æquè, mercedem tribuit condignam ſepelienti per humilitatem opera ſua : largiùs afficit præmio facta, quæ ſub terra probus recondit ; quàm ſi non eſſent omnino ſepulta.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 12. poſt Trin.

Idem ib.

Non ſemel tantùm ſingulos flores libat apis : ad multos volitat ; & rurſus ad priores libens revertitur, ut aliquid in eis denuo guſtet. Paræmiam quandam Salomonicam verſavi mente priori tomo : nunc ad eamdem regrediar. *Seminanti autem juſtitiam*, inquit Salomon, *merces fidelis.* Exponit Carthuſianus ita : Seminanti autem juſtitiam, *id eſt opera juſta exercenti* Merces *erit* fidelis, *id eſt ſalus æterna, ſicut à Deo promiſſum eſt.* Notabam Sapientem hîc uti ſimilitudine ſeminis, ut ſignificet virtutum exercitia ; cum poſſet emblema deligere ligni fructus optimos germinantis. Fortaſſis hoc exiſtimares aptius, ut indicaretur fructificatio, qua virtutum facta gignunt præmium : nam granum terræ mandatum priùs emoritur, quàm fructum pariat, juxta phraſim Chriſti Servatoris : *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ; ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Arbor autem vitam ſervans germinat fructus. Geſta præmio digna coram Deo retributore non moriuntur, ſed viva permanent, ut mercedem accipiant. Ergo quid invenit Paræmiaſtes in ſemine, quòd huic, non autem ligno ſimilem inſinuat operationem virtutum citato loco ? Dicam quid ſuſpicer ; judicent alii. Plantans in agro lignum, non ex toto ſepelit illud ; at ſemina ſolo commendata conteguntur humo : & ex uno grano quot naſcantur ſcit etiam ruricola. Egregia facta ſua ſubtus terram condit juſtus mundanam devitans gloriam eademque pedibus teruntur hominum deſpicientium ; ſed eapropter mercedem uberrimè generant. Pro ſingulis operibus affatim *juſtis retribuentur bona.*

60.

Prov. 11. 18.

Dion. Carthuſ. ib.

Joann. 12. 24. 25.

Senec. l. 2. de benefi. c. 16.

FLOS

FLOS XV.

Bonus relinquit heredes filios & nepotes: & cuſtoditur juſto ſubſtantia peccatoris.

APERITUR.

1. Salaz. Janſen. Alap. & Bed. in Prover. 13. 22.

DUBITABIS an integra ſententia ſit accipienda litteraliter de bonis temporalibus? Ita credo cum Salazar Janſenio & Alapide, contra Bedam: qui nititur & in eo quòd ſæpe boni moriuntur abſque filiis; & in eo quòd ſæpius non venit ad juſtum ſubſtantia peccatoris; ſed econtra peccator tollit ſubſtantiam juſti. Reſpondeo verbis utens Cornelii Alapide. Corn. Alap. ib. *Significat*, inquit, *non quid ſemper, ſed quid crebro vel ſubinde fiat* &c. Notent hoc liberales in egenos: memores liberalitatis divinæ, qua Dominus perſolvit ea, quæ per manus pauperum recipere dignatur. Chryſoſtomus: S. Joann. Chryſoſt. to. 5 hom. 4. ad poſt fin. *Tantùm*, ait, *nos quæ nobis attinent exhibere velimus, & ea tamquam Dei commendantes manui, ita pauperibus ea miniſtremus, ſcientes quod quæ manus illa ſuſceperit, non ipſa tantùm præbet, ſed datis multò plura nobis illa rurſum facta largitur, propriam per omnia præferens liberalitatem.* Ne pertranſeas curſim illud: *Tamquam Dei commendantes manui*, nam ſi providentiam tuam ſimul ambitiosè jungas ad acquirendum, fortè Deus non ſpecialiter tibi providebit bona temporanea; ſi verò te Domino committas, tu, necnon à te geniti, protectionem Dei peculiariter experiemini. Idem Chryſoſtomus: Idem ib. hom. 53. poſt med. *Sic & in pecuniis, ſi nos earum curam gerimus, ab earum ille providentia recedet: ſi verò totum in eum projiciamus, & eas, & filios in omni ſecuritate conſtituet.*

2. In poſteriori parte parabolæ præbetur motivum divitibus, ne præſumant, ſortis perpetuitatem in opibus collocatæ; cum inopinatò frequentiſſimè citò pertranſeant ad alterum poſſeſſorem.

Jacob. Bill. in antholog. ſac.

Nam quid erit quod non momento temporis uno
Perdere mundanâ conditione queat:
Cum licet adverſis ceſſantibus omnia parcant,
Lege tamen mortis ſit faciendus inops?

Hanc perpetuam divitiarum inconſtantiam, qua perfidæ ſolent opes unum dilectorem relinquere, ad alium ſollicitantem, vel etiam otioſum venire, non ſoli noverunt Sancti. Flaccus ita cecinit:

Horat. l. 2. ep. 2.

Sic quia perpetuus nulli datur uſus, & heres
Heredem alterius, velut unda ſupervenit undam,
Quid vici proſunt, aut horrea? ——

Cum experientia cogat hæc agnoſcere, adhuc avarus ita veſano deſiderio fertur in opes, ut impleri cupiat, & ardorem explere neſciat. Theophilus Epiſcopus Alexandrinus: Theophil. Alex. Epiſc. *Non erubeſcit*, inquit, *non futurum judicium formidat, ſed deſiderio plus habendi, ut luxurioſi dediti voluptatibus ſolent geſtire in amplexus & inſanire ad libidinem, ita calumniarum & diſſenſionum urbes ac viculos villaſque complet: inſulas, maria, terras, littora, vias, tranſitus, ſtudia poſſident avaritiæ, dum deſiderio plus habendi, negotiatione, merces, huc illucque commutat, & fraudibus atque perjuriis, divitiarum jacit inexplebilia fundamenta.* ep. Paſcha 3. longe ante fi

Bonus. Immeritò Salazar limitat hoc nomen ad illum, qui juſtè facultates acquirit. Si vocem iſtam, de ſe vendicantem ſenſum adeo univerſalem arctaverimus ad unicam virtutem; alius eâdem libertate ſentiet, intelligendam eſſe de alterâ tantùm, nec facilè convincetur. Itaque de juſtitia generaliter ſumptâ ſumendum eſt vocabulum illud, *Bonus.* Cum apud philoſophos in proverbio ſit: Bonum non niſi ex integra cauſa; multa requiruntur, ut aggregata componant ſubjectum, cui ſimpliciter & abſolutè congruat in re morali prædicatum, *Bonus.* Optimè Salomon: *Virum de mille unum reperi*, &c. ubi S. Hieronymus commentatur: *Et cum vix paucos de viris bonos invenerim: ita ut de mille unum potuerim invenire*: &c. 3. Salaz. ſup. Eccle. 7. 29. S. Hieron. to. 7. com. in Eccle. ib.

Relinquit. Adverte, non dixiſſe, bonum ſtudioſiſſimè ſatagere, ut heredes filios atque nepotes relinquat: nam in ea re ſtudioſitas multa ſæpe degenerat. Priùs attendendum eſt progenitoribus, ne ſic vitam agant ut animæ ſuæ tartaro patiantur miſeriam perpetuam; quàm ne poſt obitum eorum filii tenuitate rerum coanguſtentur. Salvianus: *Neque enim iniquum eſt, ut quilibet Chriſtianorum etiam legitimis heredibus in hoc ſæculo conſulat, dummodo ſibimet in æternitate ſuccurrat multis modis: quia & facilius eſt hic deeſſe filiis quidpiam, quam parentibus in futuro; & multò levior præſens tenuitas, quam æterna paupertas*: &c. 4. Salvian. op. Timoth. l. 3. longe poſt princ.

Heredes filios. Non dixit: Heredes filios bonos, quia prædixerat: *Bonus relinquit*: nam, quamvis non ſit infallibiliter ſtatutum, ut virtutibus præditus generet ſimiles; attamen id contingit adeo frequenter, ut S. Joannes Chryſoſtomus dixerit: *Naturæ regula dicit, quia non poteſt fieri, ut de bonis parentibus mali naſcantur: aut de malis, boni: ſed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati.* Hoc certius; ſcilicet plurimùm poſſe paternarum virtutum exempla, vel ſcelerum, necnon & bonam ſeu malam gnatorum educationem. Sed, cum animæ non ſint conſanguinitate junctæ, non ſemel accidit ex aſcendentibus optimis progenerari peſſimos; & econtrariò: ſicut ſplendidus ignis emittit fumum; & vilis terra generat aurum. 5. S. Ioann. Chryſoſt. to. 2. hom. 45. op. imperf. in Matth.

Et nepotes. Solatium hominis eſt, ut qui neceſſitate naturæ tandem interibit, eas copias rerum, quas toto ferè vitæ decurſu conquiſivit, ad ſuos tranſmittat; non ad extraneos; nam in deſcendentibus quaſi continuatur moraliter perſona vita functi: reputantque genitores, quòd poſt mortem ſuperſunt adhuc exiſtentes in genitis. Hoc ſolamen ſpernunt aliqui ſenes avari: qui ſic raptantur cupiditate congregandi

gregandi plus, ut insinuent, se dolere, quòd tandem posteris divitias relinquent. His aptari valet illud Blesensis. *Video*, inquit, *valetudinarios senes, quorum consumptis carnibus, pellibus os adhæsit, eisque solum videtur supereſſe sepulchrum; membra frigescunt, cupiditas fervet, caro senectute opprimitur, & ambitio juvenit, vix imponet avaritiæ finem vitæ finis*: &c.

Petr. Bles. ep. 141. ante fin.

7. *Et custoditur.* Aliqui sunt locupletes mali: quorum substantia dici potest apud eos custodiri viro probo transmittenda; taliter ut penes eosdem sit clausa velut in custodia; quasi sint illi purè custodes possessionum suarum; & non domini. Verè pauperes isti sunt. S. Martinus Episcopus Dumiensis ait: *Quæ est maxima egestas? Avaritia. Pecuniæ imperare oportet; non servire.* Hi quidem felicitate sua detrectantes uti, se nequaquam verè diligere convincuntur; etiamsi reponant eodem sacculo semetipso, quo dilectas pecunias concludunt. Bellè de more suo S. Petrus Chrysologus: *Ipsum*, ait, *se redigit in sacculum, qui pecuniam nescit prorogare, sed claudere: iste alienorum custos, non dominus est suorum, quia parat alii, negat sibi, cum misericors eroget, quod avarus oppressit.*

S. Martin Episc. Dumien. l. de mor. juxta med.

D. Petr. Chrysol. ser. 42. post princ.

8. *Justo.* Divitiæ per sceleratum conquisitæ sæpe derivantur ad pium, qui nihil tale cogitabat, & longe penitus aberat ut cuperet; cum ejus affectus avidè sollicitet cœlestia sola. S. Laurentius Justinianus: *Justus*, ait, *enim est ille, qui ad terrena non incurvatur, qui ad cœlestia totus erigitur*, &c.

S. Laur. Just. in lig. vi. c. 4. de just.

Substantia peccatoris. Ne quivis legens vocabulum, *Substantia*, semetipsum deludat, putans ea bona, quibus ditescunt homines in sæculo quidquam esse præter accidentia mera. *Itaque*, dixit Incertus, *opibus affluere, si hominis naturam spectemus, ab homine alienum est. Si cui autem adsunt, extrinsecus, & quasi per accidens advenerunt.*

Incert. sub nom. Tit. com. in Luc. c. 16.

DELIBATIO I.

Eremitarum bonus magister & parens Paulus reliquit heredes filios & nepotes; hereditate in fideicommissum tradita Magno Antonio.

9. OCcasionem accipientes nunc ex præsenti, subsecuturoque versiculo, Sanctorum aliquot laudes offeramus eisdem: retribuent enim celeres, per utilitatem spiritûs, quam ab eorum exemplis reportare valemus. *Velut apes in hoc sanctorum viridario, varios à diversis flores virtutum colligamus, ex quibus in pectoris nostri alveo mellifluas meditationes affectionesque formemus, quibus etiam per bona opera proximis nostris lucis exempla monstremus.* Et initium sumentes à priori parte proverbii Salomonis, quod proximè delibandum suscepimus, meminisse congruit, expositionem Rodolphi, qui ait: *Nos non ut Hebræi, de sola terrena substantia, & hujus mundi opibus putamus intelligendum quod scribitur, sed etiam de animi bonis & virtutibus, quæ ob merita majorum, transfundi solent in posteros.* Consonat Jansenius: *Nam qui bonus est animi bona, virtutesque tum merito, tum exemplo suo transfundere solet in posteros*, &c. Igitur exordium faciamus ab aliquibus Ordinum regularium Patronis: de singulis enim dicere posset quivis attendens eorum spiritualem progeniem: Ecce *bonus relinquit heredes filios & nepotes.* Tantorum parentum cognomine decorati gratitudinem exhibeamus eis aliqualem: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.*

S. Thom. à V. n. ser. 2. de S. Martino. post princ.

Rodolph. com. in Proverb. c. 13. 22.

Jansen. ib.

Eccli. 44. 1.

10. Tandem aliquando novæ legis Eliæ, Thebaidæ Præcursori dicabo præconia pauca; ne jam in Empyrea sede positi humilitati perpetuò manenti, qua dum viveret in terris amavit nesciri, displiceam prolixus. Eliæ, Joannisque nomen ut Paulo tribuerem, non furto surripui; sed ab Antonio Magno gratis accepi: Dixit ille nanque discipulis quærentibus ubi tandiu moratus esset, postquam primò vidit eumdem, & reversus est: *Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, & vere vidi Paulum in paradiso.* Sed quia de illo dixit Hieronymus: *Quomodo autem in media ætate vixerit, & quas satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur*: adhærens textui nostro, narrare vellem qua ratione reliquerit suæ sanctitatis opum *heredes filios & nepotes.* Cùm jam instabat resolutionis ejusdem tempus monetur Antonius eremi longævus cultor, ut ad illum se conferret: quia delectus fuerat à Domino qui foret Pauli fortunatus & pius heres. Heredem vocavi non sine ductu S. Doctoris præcitati, dicentis: *Ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret*, &c. In fideicommissum tradita fuit hereditas Antonio: nam sanctimoniæ Pauli notitiam transmisit in discipulos: ait quippe S. Doctor: *Ad monasterium reversus, discipulis cuncta ex ordine replicavit*, &c.

Refert D. Hieron. to. 1. in vit. Pau.

Idem ib.

Idem ib. ad fin.

Idem ib.

11. Primus à Paulo possessus fundus erat humilitas: quam non vereor asserere feliciter Antonium hereditasse: non quod animi submissione priùs careret; sed quia sumens ab illo demissionis exemplum, copiam virtutis hujus adauxit. Recepit eremitarum Author Antonium, & ministrante corvo, panem, quo cibaret hospitem. Detrectabat Paulus, cum Antonio piè contendens, fractionem panis; nec destitit. S. Hieronymus: *Hic*, ait, *verò quis frangeret panem oborta contentio, pene diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitii. Antonius jure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, ut apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus.* En submissionis juniori libenter exhibitæ susceptæ Antonius exemplum. Aliud sequenti die capessivit, cum Paulum de semetipso loquentem audiit sic: *Tu missus es à Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imo terræ terram reddas.* Ecce per exemplum capiens humilitatem à Paulo, nimis dives hâc Antonius factus est: nam verè thesaurus dicitur humilitas S. Joannes Climacus: *Sunt & aliæ*

Humilitas est similis divitiis.

S. Hieron. sup.

Refert idem ib.

S. Joann. Clim. in scal. gr. 25. post med.

aliæ huic præclaro domeſtici theſauri domino in anima non ignotæ proprietates, præter omnes illas jam explicatas, illæ omnes, excepta una, intuentibus ſunt indices hujus theſauri humilitatis. Opulentiæ nomine ſubmiſſionem voluntariam appellare non vereor; quamvis opes inflare ſoleant. Ne dubites humilitatem ſpiritûs divitias eſſe.

12. Ut quæ proximè dicta manent haud inficieris, animadverte modum loquendi S. Jacobi. *Glorietur autem*, inquit, *frater humilis in exaltatione ſua; dives autem in humilitate ſua*, &c. Ad intelligentiam Apoſtoli præſtet lucem Cardinalis Hugo: Glorietur in humilitate ſua, *virtute*: *qui ſe humiliat ut pauperibus ſerviat.* Oppoſita judicabis gloriationem & humilitatem. Quo Jacobus ingenio divitem hortatur ut in humilitate glorietur? non minus exiſtimabis Apoſtolum contradicere ſibi, quàm ſi diceremus alicui: Perſiſte firmiter immotus in currendo. Nonne loquebatur de locuplete ſe humiliante ad ſerviendum pauperibus? ita docuit Purpuratus, quem proximè dedi. Quare non potiùs monet ut glorietur in eo quòd cernat beneficium præſtitum à ſe miſeris? Voluit Jacobus conformem in hoc adhibere monitionem inclinationi ſolitæ divitum: q. d. Solitum eſt vobis, ô mundialibus abundantiis referti, gloriam de temporaneis facultatibus animo concipere. Theſaurum luminibus veſtræ mentis oſtendam (ut genium veſtrum commutem ad meliora) de quo poſſitis abſque ſuperbiæ diſcrimine gloriari: ſcilicet humilitatem veſtram, quam exercetis in pauperes: nam enimverò virtus humilitatis dives theſaurus eſt. Hunc poſſidebat Paulus; & eum per exempla recepit hereditario jure Magnus Antonius.

Iacobi 1. 9. 10.

Card. Hug. ib.

13. *Egregium virtutis paupertatis opus eſt illam diligere propter ſeipſam.* Secunda poſſeſſio Magiſtri profeſſorum ſolitudinis extitit voluntaria paupertas. Hanc heres pius idem accepit imitatus eamdem; quia tunicam Pauli de palmæ foliis contextam, qua non vulgariter indicabatur egeſtas libita, ſibi ſumpſit: & regum purpuris æſtimans longe pretioſiorem, illâ tamquam veſte gemmis & auro cœlata, deinceps reliquo tempore vitæ diebus aliquot feſtivis indutus eſt. S. Hieronymus: *Tunicam*, inquit, *ejus ſibi vendicavit, quam in ſportarum modum de palmæ foliis ipſe contexuerat .... diebuſque ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper Pauli tunica veſtitus eſt.* Inſuper non potuit non Antonius mirari ſpontaneam inopiam Pauli; qua redactus eſt ad eas anguſtias, quòd linteo careret ut ejus involveretur ſacrum cadaver. Exemplum non omiſit hoſpes; imo ſecutus eſt in exercendo paupertatis actu ſatis inſigni: ſcilicet, poſtulanti Paulo, ut pro ſepultura ſua pallium offerret, quod ipſi donaverat Athanaſius Epiſcopus, non repoſuit, ſe donare lubenter illud; quaſi tam paupertatis amator, ut actum dominii recuſaret ore proferre; cum donatio propriè domini ſit. Idem Hieronymus: *Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanaſio & pallio ejus audierat, quaſi Chriſtum in Paulo videns, & in pectore ejus Deum venerans, ultra reſpondere nihil auſus eſt*: &c. Imitatione Paulinæ paupertatis Antonium heredem ipſius ditatum fuiſſe non dubites: indigentia quippe ſponte ſuſcepta, caducas mundi facultates irridet: qui nihil poſſidet, quod illi pauperiei pretioſiſſimæ comparari queat. Guarricus Abbas ad illud Proverbior. 8. *Opes ſuperbæ* &c. ait: *Fratres ſuperbia iſta eſt gloria exultantium in Domino, & inſultantium mundo; quod nihil habeat tam pretioſum, ut paupertati valeat comparari Sanctorum.* Et infra: *Omnino dives es, ſi in paupertate gloriaris*, &c. Juvat quærere nunc quiſne paupertatem ſpiritûs exercuerit inſigniùs in re prædicta? Antonius dimittens pallium; an Paulus flagitans illud? Libentiſſimè concedet Antonius, ut pro ſeniore quæſtiunculam ſolvamus. Rationem aſſigno. Dimiſit Antonius amore proximi pallium: non ergo ſola paupertatis dilectio movit eumdem. Atvero motivum illud affectûs proximi non impulit Paulum ad pallii petitionem, prout manifeſtè patet: unde ſic operatus fuit ex paupertatis amore: qui ſanè, ſicut ex D. Bernardo colligitur, eſt ipſiſſima virtus paupertatis. *Non enim*, ait S. Doctor, *paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor.* Maneat igitur, inſigniùs probare ſuam laudabilem & amatam pauperiem illum, qui profitetur opere, ſe ad eam affici propter ipſam. Minus eſt egeſtatem diligere, quò benefacias aliis: ampliùs effulget iſta virtus cùm aliquâ ratione teſtaris, inopiam te amore proſequi; quamvis per eamdem non ſis proficuus indigentibus.

S. Hieron. ſup. ad fin.

Idem ib. longe ante fin.

Guarri. Abb. ſer. in Epiphan. poſt prino.

S. Bernard. ep. 100. fin.

Natus in tempore Dominus ille, cujus altera nativitas, quamvis habeat originem, caret exordio; licetque perfectiſſima ſit, nunquam finietur: cum perſonam ageret peccatoris, quem nudavit iniquitas; nudus veniens ad nudatos, pannis tectus eſt, ut ex Evangelica patet hiſtoria, cùm legitur: *Invenietis infantem pannis involutum*, &c. Non tamen dicitur ibi, pannos iſtos fuiſſe puerulo ſanctiſſimo donatos ut pauperrimo. Perfecto jam vitæ curriculo Salvatoris cadaver ſacroſanctum operiendum erat, ut conderetur ſepulchro: ſindon autem, qua fuit piè contectum, per eleëmoſynæ modum Joſeph largitus eſt. *Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone*, &c. Notavit Beda paupertatem ſepulturæ Domini contrapoſitam faſtui, quo ſepeliuntur corpora mundanorum divitum. *Et*, inquit, *ex ſimplici ſepultura Domini ambitio divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem poſſunt carere divitiis.* Si nativitatis panniculi fuiſſent oblati Virgini per manum alicujus miſericordis, tam notabilem circumſtantiam non præteriret Evangeliſta. Quodne myſterium latet in eo quòd ortus Chriſti Servatoris veſtitus non fuit nuditate ſic anguſta, ut pannos dono ſuſceperit ab extraneo; mors autem illius extiterit adeo plena ſignis inopiæ voluntariæ, quòd à Joſepho dignatus fuerit univerſorum Dominus accipere ſindonem, ut involveretur ipſius corpus emortuum. Meditor, Chriſtum Dominum paupertatis amato-

14. Luc. 2. 12.

Marc. 15. 46.

Bed. l. 6. in c. 23. Luc. c. 94.

rem ſic providiſſe, tam pro naſcendo terris, quàm pro ſepultura ſua, quaſi dicentem: Egeſtas, in qua naſcor, prodeſt hominibus ad redemptionem: & quia non tam patefit meæ pauperiei dilectio per id quòd eam diligam propter ipſos; poſtea notum faciam conſiderantibus attentiùs, affici me præcordiis ad inopiam ob ipſius bonitatem; quando ſcilicet eam complectar etiam pro ſepeliendo cadavere meo; tempore, quo jam non ulteriùs promerebor homini bona meritò formali. Inclytum eſt ultroneæ paupertatis exercitium ipſam velle propter ipſam. Cum igitur Paulus in pallio poſtulando ſic operatus fuerit, ſuperavit Antonium, qui pauper etiam voluntarius pallium dimiſit propter Paulum. O prædivitem penuriam! cujus excellentiam novit optimè S. Dominicus Ordinis Prædicatorum baſis & apex. Is cum vidiſſet in monaſterio quodam Religionis prædictæ cellas fratrum ædificatas eo modo, qui non congruebat paupertati, quam in ſuis deſiderabat ipſe, dixit Pauli memor: *At præclara illa, egregia, præſtanſque illa Hieronymi ſententia veſtrâ memoriâ dilabitur. Malebat homo ſanctiſſimus, qui ſapientiam cum religione conjunxerat, Pauli tunicam, quam regum purpuram cum regnis ſuis.*

Refert Garzon in vita S. Dominici.

15. *Caſtitas eſt opulentia inviſcerata caſto.*

Inveniebatur etiam inter gazas Pauli margarita valoris eximii, caſtitas nempe. Hanc ſervaverat incorruptam in ætatis flore: eamdem, fugâ ſæculi factâ, poſitam in tuto non valuerunt rapere fures pudicitiæ mundani luxus: & propter hoc divinitus tot annorum ſerie dimidio pane cibatus eſt. Audi S. Althelmum: *Paulus, ait, à primævo pubertatis tyrocinio Memphiticæ deſerta penetrans ſolitudinis, qua carnalis ſpurcitiæ blandimenta fatiſcunt, & mundani luxus oblectamenta vileſcunt, horrendos belluarum barritus & truculentos leonum fremitus, accidentis fidei defenſaculo fretus, intrepidus contempſerat, conſuta duntaxat palmarum plecta, & perdulci dactylorum ſagina ſqualidum ſuſtentatus corpuſculum, naturæ debitum ſolvit. Nonne propter florentis pudicitiæ caſtimoniam ſine tenus inextricabili repagulo conſervatam bis ſenis temporum luſtris: id eſt vicies ternâ annorum intercapedine, bucellam cruſtulæ ſemiplenam, quam penniger præpes indefeſſis famulatibus, & reciprocis volatibus, hiulco advexerat roſtro, uſque ad decrepitam vitæ ſenectam inexhauſtam gratulabundus accepto ferre promeruit?* Antonius heres Pauli, cupiens puritatem ſuam exornare pignore aliquo virginitatis ejus, tunicam ipſius vendicavit, & prout ex D. Hieronymo ſupra diximus, illâ ſæpe veſtitus eſt. De palmæ ramis compacta veſtis inditium caſti referebat animi: quippe novimus, inter arbores iſtas dici quaſdam fœminas; alias verò mares: & ſi prope ſint; longe tamen abſunt à conjunctione, vel tactu mutuo. Ne putes, quod prænotavi de fœmineis & maſculis palmis, eſſe ruſticorum fabulam, relatum id reperies apud Magnum Baſilium. *Plantarum curatores, ait, certè & palmas in mares ac fœminas diſtinguunt* &c. O pretioſam gemmam virginum, quæ necnon in ænigmate ſacro tunicæ pretioſitatem ſuam præ ſe ferebat! Equidem pluſquam gemma dicatur caſtitas: nam integritas illa theſaurus integer eſt. S. Antonius Ulyſſiponenſis: *In hoc agro fuit abſconditus theſaurus id eſt virginitas: quæ verè theſaurus dicitur propter ſui pretioſitatem*: &c. Superat in multis hic theſaurus mundanas divitias: illud nunc expendam; ſcilicet virginitatem eſſe quamdam opulentiam inviſceratam caſto; cum econtrariò gazæ mundiales meri ſint veſtitus extrinſecùs additi. Paſchaſius: *Indumentum, ait, namque habitus eſt hominis: habitus verò etiam apud philoſophos, univerſam ſupellectilem deſignat poſſeſſionis.* Non utique ſicut accidit in ſæcularibus abundantiis, ita caſtitas divitem reddit hominem tamquam ornatus exterior; ſed interiùs manet: non ab extra ponitur; ſed intra poſſidetur.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. 4. de virg.

Paſchaſ. l. 3. in Matth. longe ante fin.

Apud regium Pſaltem legitur de Filio ſempiterni Patris incarnato: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te* &c. Arnobius ibi: *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis ejus. Myrrha in aſſumptionem* (forte legendum *Aſſumptione*) *corporis. Gutta cum attactu veſtimentorum ejus homines ſalvabantur. Caſia cùm odor vitæ credentibus probatur.* Addit infra: *Sanè illud conſiderandum eſt, quod domus eum eburneæ delectant. Eburnea domus eſt corpus caſtum, in qua tinea non facit ullam libidinem peccati.* Quare virginea corpora non vocantur hic ædes ornatæ pulchris aulæis auro textis; & appellantur domus eburneæ: Quia pretioſitas aulæorum parietibus externus eſt, nec præſtat eis ut in ſeipſis plus valeant; atverò domus eburnea pretioſitatem vendicat imbibitam in ſeipſa, propter eboris valorem, de quo fuit conſtructa. Caſtitatis opulentia tegumentum non eſt ab extrinſeco ditans; intus habet virgo, quo ſit locuples. Plurimùm ſuperexcellunt ex hac ratione virginitatis amatores equidem copioſos mundi: Theſaurum prædictum Paulus inſemetipſo poſſedit; ac illum ſuſcepit Antonius in tunica ſuæ caſtitatis emblemate, ſuccedens ab inteſtato.

16. Pſal. 44 9.

Arnob. com. in Pſal. ib.

Etiam numerari ſolitat in defunctorum bonis penu lautum. Hoc Paulo fuerat abſtinentia; quam imitatione ſibi ſumpſit heres Antonius. Audiverat iſte dicentem: *Sexaginta jam anni ſunt quod accipio dimidii ſemper panis fragmentum*: &c. Non credam, hoſpitem haud notaviſſe frugalitatem victûs arctiſſimam. Deinde non prætereas, quod Antonius poſtquam allocutus eſt Paulum, & itinere non brevi reverſus eſt ad monaſterium, de cellula ſumpturus pallium poſtulatum à Paulo, rurſus viam cepit ad eumdem, quin aliquid nutrimenti ſumeret. S. Hieronymus: *Tunc, inquit, egreſſus foras, & ne modicum quidem cibi ſumens per viam qua venerat regreſſus eſt illum ſituens*, &c. Suſpicabar alimoniæ contemptum iſtum à Pauli ſimilitudine fortè derivatum: qui ſolitudinis pellicanus, jejunio tam diuturno delectatus eſt. Pellicanum vocavi genitorem Paulum, non pro devotionis libito; ſed quia legeram

17. *A cibi abſtinentia reddi videtur hominem immortalem.* Refert S. Hieron. ſup. poſt med.

Idem ib. longe ante fin.

S. Althelm l. de laud. virginit. c. 14. poſt princ.

D. Baſil. Mag. hom. 5. in Hex.

S. Brun. Aſt. l. 2. ſentent. c. 11. longe poſt princ.

tam S. Brunonem Aſtenſem. *Pellicanus*, inquit, *avis quædam dicitur eſſe : cujus magnitudo eſt ad vulturis quantitatem, ſemper ſolitaria, & in ſolitudine moratur, quæ tantæ abſtinentiæ eſt, ut ſicut aliæ aves ſaturitate, ita ipſa jejuniis delectetur. Talis avis fuit Antonius, talis Paulus, & Hilarion.* Nec exiſtimes, rei penuariæ vilem copiam abſtinentes poſſidere. Quinimo jejunium ferè videtur nobis immortalem præſtare vitam ; & quaſi reſtaurare mortalibus quodammodo ſtatum innocentiæ. Chryſoſtomus dixit : *Cibus è paradiſo ejecit, jejunium te reducit.* Unum ex paradiſi bonis infeliciſſimo ſtatu innocentiæ fuit immortalitas. Hæc penè videtur homini concedi per jejunium. Hyperbolem agnoſcis : attamen aliquando pependit immortalitas à comeſtionis abſtinentia.

S Joann. Chryſoſt. ſer. de Job & Abrah. ante fin.

18. Quoties legi præceptum impoſitum Protoparenti noſtro de non comedendo fructu ligni ſcientiæ, mirari non facilè deſtiti quod rem adeo modicam præceperit ei : præſertim cum ex obſervatione, vel tranſgreſſione mandati pependerit ſeu tantum bonum, aut miſerabilis ruina generis humani ; quod in Adamo totum corruit, & in ipſo ſtare potuit. Jam admiranti reponis, in hocipſo ter maximi Dominatoris clementiam ſplenduiſſe, quod ipſum voluit in re tam facili ſervare libenter obedientiam, quam imitarentur poſteri. Contra hoc ſtare videtur, eumdem Clementiſſimum Abrahæ juſſiſſe mactare filium dilectum, ut homines à Patriarcha diſcerent obedientiam præceptorum Dei. Revertamur ad Chryſoſtomum. *Ut*, inquit, *& hi qui tunc erant, & qui ab eo tempore uſque ad præſens, iſtucipſum Patriarchæ deſiderium & obedientiam in præceptis Dominicis præ ſe ferre diſcant.* In poſterorum exemplum opus tam arduum injunxit Abrahæ Dominus ? Adæ verò rem ſic exiguam ? Admirationem conceptam de modicitate juſſi movet ulteriùs adnotatio Ruperti, qui dixit : *Tria duxit digna imperare majeſtas Trinitatis : ex omni ligno comede, & de hoc ne comedas, & in quocumque die comederis ex eo, morte morieris. His tribus propoſitionibus tres ab homine virtutes exigens, id eſt charitatem, ſpem,* & fidem : &c. Ex adeo ſuperexcellenti motivo, quale fuit ab homine tres virtutes præcelſas exigere, præcepit Adamo Deus rem perexigui momenti ? Sapienter equidem, ut jejunii pateret activitas. S. Eligius Epiſcopus : *In hujus*, ait, *igitur mandati juſſione & ejuſdem tranſgreſſione poſſumus ſcire quantum ſit bonum obſervatio jejunii, & contra, violatio ejus, quantum ſit malum. Quandiu interdicto abſtinuit cibo Adam, nec legis fuit prævaricatio, nec infirmitatis (quæ antea non erat) cognitio, nec culpa, nec illecebra, nec labor, nec timor, nec mors*, &c. Ex obedientia primi Parentis pendebat hujus immortalitas : iſta per Domini præceptum abſtinentiæ fuit annexa congruè, quantumvis modicæ. Sic ponderare pronum eſt, qualiter illi fortunato ſtatui ſimilem quadamtenus vitam duxerit Paulus, tam diutinam, & exactam producens amorum longa ſerie conſtanter abſtinentiam. Hujus copiam reliquit poſteris per fideicommiſſarium heredem Antonium, quos exempli generatione ſpirituali habuit *heredes filios & nepotes.*

Idem tom. 1. hom. 47. in Geneſ.

Rupert. l. 2. in Gen. c. 31.

S. Elig. Epiſc. hom. 3. poſt med.

Inter alia tandem reperta per Antonium pretioſa, quæ poſſidebat Paulus, extitit ejus oratio ; velut abundantia thuris, quod offerebat frequenter Domino ſuper amoris flammas. Thus orationem appellavi ; nec novum eſt hoc. Ad illud Levit. 2. 1. *Ponet thus*, &c. ait Radulphus : *Thus orationis ſpeciem habet, teſte Pſalmiſta, qui ait :* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Ex hujus generis optimo thure multum erat Antonio ; ſed non ideo neglexit doctrinam, quam facto forſan præſtitit illi Paulus in orando. Refert D. Hieronymus, ambos tranſegiſſe noctem vigiles ; & exiſtimo credendum, tempus illud in oratione conſumpſiſſe. *Noctem tranſegere vigiliis.* Unde conjector, Antonium notaviſſe Pauli ſuſpiria, quæ ſolebat emittere cum orabat : præcipuè cum idem S. Doctor enarret, Antonium, cùm reverſus à monaſterio pallium deferens, acceſſit ad præſentiam ſacrati cadaveris Pauli (quem vivum putavit eoquòd viderit genibus flexis manentem) poſtea credidiſſe mortuum ex hoc ſigno ; ſcilicet quia non audivit Paulum ſuſpirare. *Poſtquam verò*, inquit, *nulla (ut ſolebat) ſuſpiria precantis audivit, in flebile oſculum ruens, intellexit quod etiam cadaver Sancti Deum (cui omnia vivunt) officioſo geſtu precabatur.* Exemplum de precando ſuſpiriis additis accepit Antonius à Paulo : neque tam peritus in orationis arte deſpexit Magiſtri mutum documentum, & præclarum : excelſus quippe modus eſt orandi juſtorum, & amantiſſimus, deprecari Deum gementes vice verborum. Vocibus pulſare cœli fores docet equidem ſapientia cœleſtis ; at hoc facilius extat : gemitibus autem rogare lingua dilectionis eſt : quæ non eâdem facilitate perdiſcitur ; ſed hujus magiſter eſt amor.

19. *Orare gemitu docet amor, quod addiſcere nō eſt nimium acile.*

S. Hieron. ſup. poſt med.

Idem ib. lon. ge ante fin.

Difficilem Gentium Doctoris locum reducamus ad examen. Ait ille Romanis : *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus : ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non mihi difficultatem ingerit affirmari, divinum Spiritum, qui prorſus anxietatis incapax eſt, poſtulare pro nobis cum gemitibus : nam obvium eſt hoc exponere, ſicut viſitur in commentario Primaſii cujus hæc ſunt verba : *Spiritus ſanctus poſtulat, id eſt, poſtulare nos facit, quæ Dei ſunt, inſpirando, vel præſtando, aut operando in nobis.* Gemitibus inenerrabilibus. *Gemere nos facit altis gemitibus mutis : quia quantum ore petere non poſſumus, tantum gemitibus deprecamur.* Hoc me plus movet, quod Apoſtolus non dixit hoc loco potius idipſum de Salvatore noſtro, quem advocatum habemus apud Patrem, & ſcimus quòd orare conſueverat in terris ; quàm de Spiritu ſancto, qui nullo ſenſu majorem aliquem agnoſcit. Nonne Redemptor ſuos docuit orare ? Maximè. Sed aliud eſt ſupplicare verbis ; aliud autem gemitibus. Inſtruere circa primum pre-

20. Ad Rom. 8. 26.

Primaſ. Epiſ. com. in Ep. ad Rom. ib.

candi modum pertinet ad ſapientiam : & quia Chriſtus Dominus verè ſapientia Patris eſt, diſcipulos inſtruxit, ut verbali precatione Deum orarent. Atverò per gemitum petere dilectionis eſt idioma : cumque Spiritus divinus amor ſit, ad eum ſpecialiter attinet curare per inſpirationes, ut gemendo precemur. Et nota, Filium Dei, cum orationem verbo faciendam alumnos edocuit, non ipſam eis tunc explicuiſſe : quia minus eſt difficile percipere mente quod labiis oratur. Spiritus autem ſanctus internæ lucis radio mentales oculos fidelium illuminat, ut gementes fundant orationem : quoniam elevatior precum formula quidem eſt gemitu petere. Suſpiriis pro vocibus utebatur Paulus in orando : ſic elevatiſſima contemplatio, qua tollebatur in cœleſtia, perhibetur. Hæc erat pecunia, qua ſpiritualia dona mercabatur : quæ tranſmiſſa fuit ad imitatores, factâ relatione diſcipulis de tanti Magiſtri vita. Proinde ſic habuit theſauri ſui fortunatos *heredes filios & nepotes.*

DELIBATIO II.

Religionum genitor optimus Auguſtinus heredes inſtituit Canonicos, Eremitas, & Militares.

21. *Dei laus bene cohæret cum oratione.*

ARborem ſterili ſolo plantatam fluvius inundans à radicibus evulſit, & illam deferens ad fœcundum agrum, tranſplantavit eam in ipſum ; in quo radices mittens crevit ingenter ; ramos produxit plurimos, & fructus edidit ſaluberrimos. Ænigma noſti : ſic apertum eſt, ut vix indigeat explicatu. In Manichæorum ſecta, velut infelici deſerto, plantatus fuerat Auguſtinus ; ubi fructum non ederet ſalutarem ; imo ſpinas germinaret plurimas. Prorupit ex D. Monicæ luminibus (ſeu fluminibus potius dicam) inundatio lacrymarum : quæ lignum illud eradicavit ; & plantatum hoc in horto Eccleſiæ fructum protulit ubertim ; religioneſque plurimas tamquam ramos extendit. S. Thomas à Villa-nova tanti patris clarus heres ait : *Auguſtinus verò non unius vel alterius, ſed ferè omnium fundator extitit : nam præter eremitarum & canonicorum ſplendidas Religiones, quæ ab ipſo nuncupantur, cæteris ferè omnibus vivendi regulam dedit : &c.* & infra : *Omnes iſti tam numeroſi monachi meritò hujus patris filii nuncupandi ſunt*, &c. A Canonicis principium dicendi ſumam. Horum inſtitutionis finis præcipuus extitit orare Dominum, & collaudare. Gloriatur Deus cùm laudi ſuæ conjungitur oratio. Laus fugat ingratitudinem, quæ ponit obſtaculum futuro dono ; patetque ſic aditus orationi magis pervius. In illud Apoſtoli ad Philipp. 4. 6. *Cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* S. Thomas ait : *Quia verò ingratus acceptis indignus eſt ut alia accipiat, ideo ſubdit*, Cum gratiarum actione. 1. *Theſſal. ult.* In omnibus gratias agite. *Et tunc proponit petitionem. Et ideo* dicit, Petitiones veſtræ. Gaudet

S. Thom. à Villa nov. ſer. 1. de S. Aug. longe ante fin.

S Thom. in Ep. ad Philipp. c. 4. lect. 1.

Altiſſimus ut in eâdem creaturâ ſimul ipſius laus perſonet ; ac ab ea conſcendat ſupplex oratio. Conſonantia divinarum laudum bellè cohæret cum oratione purâ.

22. Vidit aquilinis oculis Joannes in throno ſedentem ; & in circuitu ſedis viginti-quattuor ſeniores in ſedlibus conſidentes. Poſtquam hæc enarravit, ipſe dixit, ſingulos & citharas, & phialas aureas habere conſpexiſſe. *Et vigintiquattuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum* : &c. Accommodatius videbatur, ut non ſinguli ſeniores haberent & phialam, & citharam ; ſed illorum dimidia pars teneret citharas ; altera verò phialas. Ratio dubitandi non levis eſt, quia ſic videbatur, eos manſuros expeditiores, ut cum darent animalia myſtica gloriam ſedenti ſuper thronum, illi mitterent coronas proprias ante ſolium, quod ipſos facientes Diſcipulus dilectus aſpexit, prout patet ex cap. 4. Quid eſt myſterium, quod unuſquiſque ſenior & citharam, & phialam habebat ? Ante ſolutionem præmitto quid iſtæ ſignificent ex Andrea Cæſarienſi. *Citharæ*, inquit, *concinnam ſuaveque ſonantem Dei laudem, rerumque divinarum celebrationem demonſtrant .... Phialæ verò pias caſtaſque cogitationes : hinc nanque bonorum operum fragrantia, puraque & caſta precatio dimanare conſuevit.* Itaque jam non miror, in quocumque de ſenioribus fuiſſe viſam & phialam, & citharam : afficitur enim Deus peculiari gloria per hoc quod ſimul à creaturis inſonet ejuſdem laus, & pura præſentetur oratio. Sed adhuc in eodem loco reſtat ſcrupulus. Ibi lego, viſas eſſe phialas aureas ; non autem dicitur ex auro citharas formatas fuiſſe. Cur ita ? Priuſquam reſpondeam, lege D. Anſelmum. *Phialæ*, inquit, *ſunt vaſa lata, per quas ſignificantur corda lata uſque ad dilectionem inimicorum*, aureas, *dicit propter charitatem & ſapientiam*, plenas odoramentorum quæ ſunt orationes ſanctorum. *Sicut enim aliquis in bono odore delectatur, ita Deus in orationibus ſanctorum.* Nunc ſcrupulum facile ſedabo. Corda precantium Dominum aurea ſunt coram Deo ; præſertim ſi precibus nectatur laudatio. Hinc elucet quàm fuerit aureum Canonicorum regularium inſtitutum : cujus fundamenta poſuit Auguſtinus, qui ſui cordis aurei relinquere curavit *heredes filios & nepotes.*

Apoc. 5. 8.

Andr. Cæſar. com. in Apoc. 5. ib.

S. Anſel. com. in Apoc. ib.

23. *In clauſura poſitus, & orans, videtur magis approximare Deo, quàm rogans in aperto.* S. Laur. Juſt. l. de obed. c. 18. fin.

Quantumvis omnes religioſæ familiæ ſervent aliqualem clauſuram, tamen hanc profitentur arctiùs Canonici regulares Auguſtini ; de cujus obſervantia verè nominari poteſt Ordo ſacer hic, Hortus concluſus. Et libens apto quæ generatim dixit Juſtinianus : *Eſt*, ait, *quippe clauſtrum, hortus concluſus, paradiſus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum ſchola, tabernaculum fœderis, reclinatorium ſponſi, bellatorum ſtatio, ſanctitatis domus, caſtitatis cuſtos, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare.* Deo ſanè propriùs accedit is qui concluſus orat. Si corpore, vehentibus

hentibus alis, in cœlum aſcenderes; ipſis oculis proſpiceremus, eò magis approximari te cœleſtibus, quò remotior fieres à ſublunaribus: nam receſſus ab iſtis foret acceſſus ad illa; proindeque tantum efficereris proximior ſupernis, quantum diſtantior eſſes ab infimis. Vir ſpiritualia curans per orationem aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: & quamvis corpore maneat in terris exul, ejus converſatio veraciter in cœlis eſt. Non hoc fit paſſim repente; ſed oratione quaſi pennis in altum levaberis: & quali diſtantiâ remotus fueris ab inferioribus, tantò minùs diſtas ab illis, quæ ſurſum extant. Deum quærit homo preces fundens: at ſi roget in aperto, minùs aproximatur Domino; ſi clauſo verò precetur oſtio, non ſupplicat elongatus ab illo. Neſcio quid lenocinii clauſura ſecum defert, quod præſentiam Altiſſimi peculiarem ſpondere ſolet.

24. Concionatorum Prototypus auditores inſtruebat utiliſſimo ſermone quondam. Et poſt multa monuit haud imitari morem hypocritarum orantium in plateas rum angulis. Subjecit: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito*: &c. S. Joannes Chryſoſtomus ad hunc locum: *Ut nemo ſit ibi, niſi tu qui oras, & ille quem oras*: &c. Quivis non feſtinanter legens Dominum perſuadere conantem, ut contemnens hominum gloriam oret precator oſtio clauſo; facillimè recordabitur orationum Danielis, cùm *feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua: & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo*, poſt illam barbaram legem Darii, qua ſtatuit, ut quicumque petiiſſet aliquid uſque ad triginta dies à quocumque Deo, vel homine, niſi ab ipſo rege, mitteretur in lacum leonum. Non parum diſſonare videtur modus orandi, quem docuit Salvator, ſcilicet oſtio clauſo, cum facto Danielis; qui precabatur feneſtris apertis, proindeque palam, ut notavit Gloſſa. Feneſtræ, *inquit*, erant apertæ, *Neque enim clam precabatur, ſed palam, omnibus inſpectantibus, non ambitionis ſtudio, ſed impiam legem contemnens.* Et quare versùs Jeruſalem Daniël orabat? S. Hieronymus: *Et*, ait, *feneſtras aperit contra Jeruſalem, ubi erat viſio pacis. Orat autem ſecundùm præceptum Dei: dictaque Salomonis, qui contra templum orandum eſſe admonuit.* Adde Cornelium Alapide. *Ergo videtur*, inquit, *Salomon fabricans templum in Jeruſalem (quæ in medio terræ habitatæ erat ſita, ut ait Ezechiel c.5.5.) Deum quaſi centrum mundialis ſphæræ, & omnium animorum conſtituiſſe, ut lineæ & orationes ab hominibus ducerentur in templum, ubicumque ipſi exiſterent*; &c. Deum in æde Jeroſolymitanâ peculiariter adſtitiſſe notum eſt; ſed etiam dicimus, eum ſpecialiter in cœlis eſſe; quia ſedes Empyreum ipſius majeſtatis eſt elevatiſſima. Quare divinus igitur Magiſter non ait: Oſtio clauſo patrem tuum ora qui eſt in cœlis, imo tacitus inſinuat oratori (prout colligitur ex doctrina Chryſoſtomi proximè datâ) ut precetur patrem, qui manet intra concluſum oſtium? nonne Deus ubique? cur ille, qui ſequitur monitum Salvatoris prædictum, ſupplicat Altiſſimum præſentem in cubiculo; Vates autem oravit ut longè poſitum Jeroſolymis? Orationem profundebat palam Propheta; nec tam Deo proximus ſit is, qui patenter incumbit orationi. Qui vero Chriſti magiſterio doctus orat januâ clauſulâ, Dominum quatenus præſentem ibidem rogat; quippe magis approximatur Omnipotenti per clauſuram. O cœlitum imitatricem ſtylum; quem tenet Canonicorum regularium Ordo! nam beati ſpiritus Regem ſummum jugiter laudant, & frequenter pro mortalibus orant; quin eos habeant ſpectatores, qui terram inhabitant. Quidni ſimiles Angelis appellem? cum Doctor aureus generatim loquens de preces offerentibus in eccleſiis, dixerit: *Et tu igitur regalem ingreſſus aulam, non eam quæ in terra eſt, ſed illam quæ multò eſt terribilior, videlicet in cœlo, plurimum reverentiæ atque ordinationis oſtende. Unus enim es ex Angelorum choro, atque Archangelorum ſocius effectus, cum Cherubim quoque atque Seraphim canis.*

Matth 6 6. Chryſoſt. ad eum loc. Danie. 6. 10. Gloſſ. Ord. ib. S. Hieron. to. 5. com. in Danie. ib. Corn. Alap. ibid. S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 19. in Matth. longe ante fin.

25. Eremitas etiam progenuit Auguſtinus: qui principaliter ſtudent in ſolitudine divinis rebus; & haud modicam, licet non præcipuam impendunt operam ſaluti proximorum, per verbi Dei ſeminationem, Sacramentorumque miniſterium, necnon & alias pias functiones. Hos conferre ne verearis illis Angelis, quos vidit olim Jacob aſcendentes & deſcendentes per ſcalam in cœlum erectam: in hac enim, Hugone duce, poſſumus intelligere clauſtralem vitam. Viditque &c. ſcalam: *Scala: pœnitentia ſive vita clauſtralis: duo latera, veſtis aſperitas, & vitæ vilitas.* Iſti filii nepoteſque nobiliſſimi parentis Auguſtini, charitatis eruditione dirigente, diſcunt in deſertis quod in urbibus doceant. Perfectam ſapientiam ita prudenter conquirunt: nam cum Deus ad eremum vocat ſpiritum atque ducit, loquitur ad cor ejus: unde fit ut corde ſapiant. Et quid mirum, ſi pro deſerti laudibus dixit, loquens de philoſophis priſtinis, D. Eucherius: *Quantò pulchrùs ad hæc manifeſtiſſimæ ſapientiæ ſtudia divertunt, magnificentiuſque ad ſolitudinum libertatem & deſertorum ſecreta ſecedunt, ut philoſophiæ tantùm vacantes, in illius eremi deambulacris* (alia lectio habet: *Vaſtitate*) *tamquam in ſuis gymnaſiis, exerceantur*? Quantò meliùs alumni ſublimioris philoſophiæ, Deo vacantes in ſolitudine ſapienter inſtruentur? Eremus lycæum doctrinæ cœleſtis eſt, quo nobilis eruditur prædicator verbi Dei: ibi diſcens audiet in aure quod prædicet ſuper tecta.

Eremus lyceum doctrinæ cœleſtis eſt, quo nobilis eruditur prædicator.

Hug. Card. com. in Gen. c. 28. 12. S. Eucher. l. de laud. eremi. n. 32.

Deſumamus exemplum ab Eremicola, quo nullus major ſurrexit inter natos mulierum. Hic prædicavit in ſolitudine quidem; ſed etiam docuit in curia: ſcimus enim habuiſſe auditorem Herodem; qui ſæpe complectebatur ejus monita: *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Notatione dignum eſt quod Lucas ait: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem*

26. Marc. 6. 20. Luc. 32. 3.

Zachariæ filium, in deſerto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans &c. De Jordane Cardinalis Toletus ait occaſione verborum Evangeliſtæ: *Multa habet circumvicina oppida, & quidem amœniſſima, quæ regio Jordanis appellata eſt.* Et infra: *In hanc regionem; variaque ejus loca Joannes è deſerto Judææ deſcendit prædicans, & baptizans.* Jam te non latet quid requiram. Noſſe cupiebam rationem, ex qua Spiritus almus per Lucam non dixit, factum eſſe Verbum Domini ſuper Baptiſtam in oppidis Jordani vicinis: vel in curia dum locuturus eſſet ad Herodem; cum potentibus vera loqui ſit munus poſtulans ſuperni luminis confortantis adjutorium, ad hoc ut exerceatur perfectè ſancteque. Nil horum ſcribit Hiſtoriographus: potiùs ait: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto.* Quod quidem juxta D. Ambroſium reſpiciebat prædicationem pœnitentiæ. *Factum eſt*, inquit, *autem verbum, ut ſanctus Baptiſta Joannes pœnitentiam prædicaret.* Providentiæ divinæ peculiariſſima fuit in erudiendo Præcurſorem ſollicitudo. Docuit eum in ſolitudine quod effunderet in oppidis: imo quod in Regia diceret Herodi. Gloſſa Ordinaria ex Beda: Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, *id eſt, ad Joannem. Quod quidem eſt deſuper ſola Dei gratia prius operatur verbum intus, & declarat Joanni quæ velit ab ipſo proferri, poſtea profert Joannes* &c. Ecce prius edoctus in deſerto concionator factus ad oppida: non ideo profeſſionem abjecit eremiticam; ſed in arcano didicit quod effunderet in propatulo. Sic Eremitæ genitorem habentes Auguſtinum, perdiſcunt in ſolitudinum ſecreto ſalutarem diſciplinam, quam populis diſtribuant in magnificis urbibus è ſuggeſto.

Cardin. Toletus com. in Luc. 3. annot. 8.

S. Ambroſ. to 3. l. 2. in Luc c. 3.

Gloſſ. Ord. ex Bed. ib.

27. *Valde gratus Deo eſt qui tuetur honorem ejus gladio, & ſimul obtemperat ſuperiori.*

Etiam temporalia bella profitentes militant ſub regula tanti Patris. Horum ſcopus Ordinum haud exiſtimetur ſpiritualibus viris contemnendus: nam & illi, quamvis in ſæculo degentes & conjugali vita, mactant voluntatem propriam ſub obedientia. Non vulgarem ſuſcepere milites iſti conſequendum finem; ſcilicet gladio pro fide ſtantes honorem Dei tueri. De militibus D. Jacobi dicebat quondam S. Præſul Valentinus (qui regulam profitentur Auguſtini:) *Nam cum aliquæ Religiones ſint inſtitutæ ad hoſpitium peregrinorum, aliæ ad redemptionem captivorum, aliæ ad eruditionem populorum, aliæ ad exemplum hominum, aliæ ad vacandum contemplationi, veſter Ordo inſtitutus eſt ad defenſionem fidei. Vitas veſtras devoviſtis Deo, ad moriendum pro fide: majorem charitatem nemo habet quam* &c. *Itaque* duo conjunguntur in religioſis militaribus: de quibus unà ſumptis non poteſt non enaſci magna Dei gloria. Defenſionem ſuſcipiunt honoris divini læſi per fide carentes; & ſimul arbitrium ſuum offerunt in holocauſtum ſub regimine ſuperioris. Gratum eſt valde rerum cunctarum Dominatori, ſtrenuos viros & propriam voluntatem ſub obedientia gubernantis ultrò ſacrificare fortiter; & Numini per infidelitatem adverſantes gladio ferire, pro ejuſdem honore tuendo. Necnon per enſem conſecrantur manus obedientium adversùs infideles pro decore Domini.

S. Thom. à Villan. ſer. de S. Jacob. Ap. juxta fin.

28.

In adoratione vituli peccaverunt Hebræi turpiter ita, quòd irritaverint Moyſen mitiſſimum: ſed quid mirandum hoc eſt, cum Dei manſuetudinem longe majorem exacerbaverint. Deſcendit plebis Gubernator de monte; idolum vidit & lætantium choros. Poſt imaginis impiæ combuſtionem, & correptionem Aaronis, juſſum Domini Levitis intimavit, ut per medium caſtrorum irent, & occideret unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Obtemperarunt, & occiſa ſunt quaſi viginti tria millia hominum. Tunc ad executores vindictæ criminis Levitas dixit Moyſes: *Conſecraſtis manus veſtras hodiè Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.* Hinc pergendum nobis eſt ad Eliæ tempora. Propoſuit ille populo, quòd ſi Deus Iſraël verus erat, ſequerentur eum; ſi autem Baal, ſectarentur illum. Ventum eſt ad miraculum; quo cœlitus declarata fuit vera divinitas Numinis. Tunc, ut hoſtium percuſſione fieret plenior victoria, dixit Elias quòd apprehenderentur pſeudoprophetæ, occiſique ſunt: & quamvis in Textu legamus: *Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad Torrentem Ciſon, & interfecit eos*, non eſt credibile quòd tantam copiam hominum necaverit Elias manu propriâ ſolus: eſt veroſimile quòd per alios ex populo neci dederit vel omnes, vel multos prophetas Baal. Liranus ad eum locum: *Interfecit autem eos Elias per populum ſibi in hoc aſſiſtentem, & aliquos fortè occidit manu propria zelo divinæ juſtitiæ*, &c. Non lego, dixiſſe Vatem illis deplebe, qui pugnaverunt aliqualiter ibi pro ſupremi Regis honore: Conſecraſtis manus Deo. Quare magis Moyſes ita loquitur Levitis: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*, &c? Quia Levitæ mactaverunt voluntatem propriam in hoc facto, quo divinum decus tuiti ſunt contra deſertores fidei: quoniam perfecerunt hoc jubente Moyſe, ſacrificantes amorem, quo diligebant ſibi ſanguine, vel aliter, junctos idololatras interfectos. S. Bruno Aſtenſis: *Meritò enim eis benedictio datur, eorumque manus & opera Domino, & à Domino conſecrantur, quia & Moyſi obediunt, & Dei injurias vindicant*, &c. Caſus autem ſupra memoratus Eliæ tempore nequaquam fuit in omnibus par: non enim fundamentum habemus aſſerendi, eos, qui tunc adſtiterunt in ultione Dei ſervo ſuo Prophetæ, vitâ privaſſe quemquam ſibi conſanguineum: nec Eliam juſſiſſe quòd prophetas falſos occiderent. Neutrum hiſtoria reticeret, ſi contigiſſet ita. Excellentiùs operati ſunt, ideo que proprias manus conſecraverunt Levitæ per gladium, quem evaginaverunt adversùs infideles Numini, ſub Moyſis obedientia. Gratum quidem eſt Altiſſimo robur militarium religioſorum: qui non tantùm Domini tuentur decus oppugnantes infidelium exercitus validè; ſed hoc præſtant mactatâ voluntate

Exod. 32. 29.

3 Reg. 18. 40.

Lir. ib.

S. Brun. Aſt. com. in Exod. 32. 29.

tate propriâ ſub obedientia, quam profitentur.

29. *Major videtur honor ſecum deferens laborem pro Domino.*

Adhuc aliquantulum inſiſtam laudibus eorum, qui bino gladio decertant, utroque fortes: & ſpirituali contra diabolicas poteſtates; & materiali ſimul adversùs dæmonis filios. Illos præclarè laudat S. Bernardus, loquens de Templariis militibus, qui floruerunt inclytè quondam in Eccleſia Dei. *Novum, inquam, militiæ genus & ſæculis inexpertum: qua gemino pariter conflictu infatigabiliter decertatur: tum adverſus carnem & ſanguinem: tum contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.* Liceat abſque S. Doctoris injuria, citraque cœterarum familiarum regularium offenſione, ſuperaddere Bernardo verba S. Petri Cluniacenſis Abbatis, de Templariis etiam ſcripta; ſed ad alios religioſos pro fide pugnatores accommoda. *Omnium*, inquit, *religioſorum propoſitum exceſſiſtis. Militant quidem illi Deo, & licet caſtigando corpus ſuum, & in ſervitutem redigendo laborent: tamen corpore à mundi tempeſtatibus, & maximè à bellorum tumultibus requieſcunt. At vos, ut dictum eſt, & fortem armatum eiſdem eorum artibus ſuperatis: & contra illa ejus, quæ apertè adversùs Chriſtum producit, infernalia caſtra. Sarracenorum dico agmina, pugnando aſſiduè non ceſſatis. Eſtis monachi virtutibus, milites actibus:* &c Enarrare glorioſa facta virorum illuſtrium, qui religiones militares ſunt profeſſi, noſtri muneris non eſt. Harum propterea multa præconia dimittens, unum eligo, quo periodum claudam. Habitus militantium congregationum honorem ſimul continet, ac onus: honorem eſſe patet, cum donari ſoleat in præmium facinorum; onus autem ſecum defert, ſcilicet martis labores. Egregius honos eſt, cui nectitur debitum laborandi. Non apparet adeo magnum decus illud, quo benemeritus fruitur in quiete, ſi comparetur cum honore laborioſo, quo Deo præſtatur obſequium.

S Bernard ſer. ad milites Templi.

S. Petr. Abb. Cluniac. l. 6. ep. 26. poſt princ.

30. Apoſtolorum Princeps protulit Divinitatis Aſſertoris noſtri confeſſionem, adversùs erroneas opiniones hominum. Complacuit in hoc divinus Magiſter: & in tantæ virtutis præmium ait illi: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. Aquinas commentatur: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. *Hic dat confeſſionis remunerationem: confeſſus erat humanitatem & Divinitatem, ideo dat Dominus remunerationem.* Et infra: *Alia expoſitio.* Super hanc petram, *id eſt, ſuper te petram*: Agnoſco celſitudinem dignitatis Pontificiæ, ſed judicares, hic potiùs promittendam Petro ſedem in Empyreo; quam Eccleſiæ fundamentalem petram futurum eſſe: nam licet hoc extet quid maximum; nihilominus honos perpetuus non erat; nec liber à caducâ tyrannorum poteſtate perſequentium Eccleſiam. Recordor, cum Petrus poſtea quæſivit à Magiſtro, quid futurum eſſet illis præmii propter dimiſſionem cunctorum, & Chriſti ſequelam, Dominum reſpondiſſe: *Cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, &c. Audis quam excelſa retributio! Certè pauca reliquerat Petrus, ut reſpondeas, illa debuiſſe tanto munere compenſari. Chriſtum ſequi meritorium quid erat; ſed non arduum nimis dices; cum & vocatus venerit Simon, & occulta Domini virtus illum facillimè potuerit ad ſe trahere. Quid eſt quòd Petro non repromittitur ſolium præ majeſtate fulgidum ob Divinitatis Chriſti confeſſionem? Non exigua, quinimo clariſſima fuit hujus merces promiſſio facta Petro, quòd ſuper illum ædificanda foret Eccleſia: quia munus petræ fundamentalis honor eſt, & onus. Excelſum decus puta quod involvit laborandi pro Dei honore debitum. Et hinc pende bellatricium congregationum excellentiam: quarum profeſſores portant habitu decoroſo crucem imbibitam; quam tollunt indefeſſis pugnarum ſudoribus, amore Dei, quem ab Auguſtini regula condiſcunt; ait enim: *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus* &c. Numeroſa progenies præclariſſimi Parentis poſtulabat (ut in familiis temporalibus copioſis accidere ſolitum eſt) quod ex illis aliqui militiæ nomen darent: non ideo tamen præmiis unicè confidentes humanis, hereditate paternâ privati ſunt: nam præter Canonicos, & Eremitas, Militares etiam agnoſcimus illius *heredes filios & nepotes.*

Matth. 16. 18.

S. Tom. cõ in Matth. ib.

Matth. 19. 20.

DELIBATIO III.

Patriarcha Benedictus ditavit hereditate genitos & natos ab ipſis.

31. VIrtutum cumulatiſſimos theſauros tranſmiſit in poſteros feliciter & glorioſè S. Benedictus. Et veluti condens teſtamentum regulam ſcripſit, in qua poſſeſſionum ſuarum, hoc eſt, ſpiritualium dotum viſitur ampla tabula: quoniam ſuis lex præſcripta monachis, ejus vitæ ſpeculum extat clariſſimum. S. Gregorius Magnus, unus ex illuſtriſſimis heredibus tanti Patris, ait: *Benedictus ſcripſit monachorum regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Cujus ſi quis velit ſubtilius mores vitamque cognoſcere, poteſt in eâdem inſtitutione regulæ, omnes magiſterii* (fortè legendum: *Magiſtri*) *illius actus invenire: quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.* Non vacat totam exponere tanti præceptoris regulam: aliqua ſeligemus. Commendat in ea prælatis, ut omnes pariter diligant ſubditos. *Æqualis ſit ab eo omnibus charitas:* &c. Et infra reducit ſuperioribus in memoriam judicium divinum, cui ſiſtendi ſunt, rationem ſuæ villicationis exhibituri. *Ipſe tamen Abbas cum timore Dei & obſervatione regulæ omnia faciat: ſciens ſe proculdubio de omnibus judiciis ſuis æquiſſimo judici Deo rationem redditurum.* O ſapientem providentiam teſtatoris! Eis, qui de ſtirpe ſuâ conſcenſuri forent prælationis apicem, reliquit eam, qua dum ſuperioris munere fungebatur effulſit, æquitatem: memoreſque

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 2. dial. c. 36.

S. Benedict. in regn. monach. c. 2.

Ib. c. 3. fin.

que voluit, ſe dilectionis in ſubditos debitores, atque rationibus tandem reddendis Altiſſimo non immunes. Optima præſidendi norma quidem hæc eſt; non autem ſuperbæ dominationis ritu dedignari materna viſcera ſubjectis oſtendere. Dicebat olim S. Bernardus: *Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere? non dominos.* Ad iſta reſpondebit ſciolus aliquis è ferula translatus ad regiminis cathedram: An obedituros mihi ſic tractabo leniter quaſi vitreos? ſic appretiabo multî velut aurum? Parciùs iſta: nam reſiſtit Bernardus: quem non parcè tranſcribam, raptus à Doctoris tanti ſpiritu mirabili. Ait ille: *Longè tamen graviori & periculoſiori debito tenentur adſtricti qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam: ſi tantum theſaurum: ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius judicavit, contigerit negligentiùs cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret: quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſervandum accepi: pro quo mercator non inſipiens, ipſa utique Sapientia ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multò plura quàm vitreis imminere pericula videantur.* Longiuſculè dedi Bernardum, quò redarguerem illud ſuprapoſitum futile reſponſum de vitro & auro.

S. Bernard. ſer. 23. in Cant longe poſt princ.

Idem ſer. 3. de Advent. poſt med.

32. *Nec dilectionem ſubditorum, nec judicium divinum prælatus obliviſcatur.*

Reponunt alii, zelantes indiſcretè, ſubditorum queſtibus, gementium propter furorem palliatum nomine juſtitiæ, Deum ſibi teſtem, animum non eſſe quemquam perſequi. Vellem ut hi Humbertum attenderent Generalem Ordinis Prædicatorum, dicentem: *Sunt alii, qui licet non ex propoſito in correctionibus homines perſequantur, tamen ex defectu veræ dilectionis ſic incautè agunt, interdum calamum quaſſatum confringentes*, &c. Quid prodeſt inferiori ſævè proculcato pede terentis animus? Non ita fieret, ſi charitate ducti ſuos præpoſiti regerent ut ſuos: diluerent eorum defectus, quin eis maculatos confringerent, niſi de illis tamquam alienis curarent. Appoſitè ſatis Humbertus idem: *Dilectio, quam quis habet ad vas vitreum ſuum docet eum, quod lavando ipſum, ſic cautè tractet ne ſtringat & confringat.* Sed quia non omnes charitate fervent S. Bernardi, contentus eſſem ut ſaltem formidine judicii divini pacaretur nimia quorumdam ſuperiorum feritas. Legant Humbertum, & contremiſcent. *Ex his*, inquit, *apparet quod judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Durum quia de ſingulis animabus commiſſis oportebit rationem reddere: durius, quia anima pro anima punietur: duriſſimum, quia pro ſola negligentia hoc incurrere poſſunt. Væ multis prælatis, qui hoc non cogitant.* Ex prædictis laudemus providentiam magiſtri diſciplinæ regularis Benedicti: qui, ſicut notabam ſupra, moderatores Ordinis, quem ſtatutis inſtruebat in monachali regula, monuit & charitatem erga ſubditos æqualem, & mentem divini judicii memorem. Teſtator prudentiſſimus hortans dilectionis æqualitatem, ſuam probat, quam ad inferiores habuit: ſed in hoc eodem teſtamento judicii futuri memoriam adjunxit ſapientiſſimè.

Humbert. in expoſ. reg. S. Aug. p. 7. longe ante fin.

Idem ib.

Idem ib. poſt ult.

33. Exemplum potuit aliqualiter in hac re ſumere Benedictus à Chriſto Servatore. Docente Mediolanenſi Præſule ſcimus, condidiſſe teſtamentum Filium Dei, cum in cruce penderet; culpaſque noſtras penderet ſanguine ſuo. *Teſtabatur*, inquit Ambroſius, *de cruce Chriſtus, & inter Matrem atque diſcipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non ſolum publicum, ſed etiam domeſticum teſtamentum, & hoc ejus teſtamentum ſignabat Joannes, dignus tanto teſtatore teſtis. Bonum teſtamentum non pecuniæ, ſed vitæ æternæ*: &c. Dubitabis quare Servator mortis propriæ diei, quin & punctî, per totam vitam præſcius, non multò priùs quam aſcenderet crucem teſtamentum ſuum iſtud inſtituit? ad ultimam vivendi clauſulam, cùm jam donaverat in Sacramento altaris quod pretioſius de bonis ejus eſt, nempe ſeipſum, reſervata fuit res tanta? Opportune quidem: nam crucifixus Dominus & amoris in ſuos demonſtrationem exhibuit (æqualitatem ſervans affectûs in eo, quod pro cunctis patiebatur) & inſimul judicii futuri memoriam obtulit; & judicatus minabatur judicium. S. Auguſtinus: *Similis*, ait, *ille latro futuris ad ſiniſtram, ſimilis alter futuris ad dextram: judicabatur, & judicium minabatur.* Aſſertor facto doctrinam præſtabat habituris in Eccleſia ſua regimen animarum; cum ipſe crucis exaltatus in throno, pro dilectis ovibus animam poneret, crimina lavaret, peccantibus medicinam offerret. Utque ſui vice recturis normam præberet gubernandi rectam; dilectionem propriam inſinuans, ad æqualitatem charitatis hortatus eſt: ænigmaque judicii poſtremi tunc exhibens, perſuadere curavit, ut meminerint, ſe judicandos. Ad hunc modum Patriarcha Benedictus in regula ſua prælatis hortationem ad parem affectum circa ſubditos præmiſit; ac reddendæ rationis judici Deo mentionem haud omiſit poſtea.

S. Ambroſ. to. 5. l. 3. ep. 25. ad fin.

S. Aug. to. 9. tr. 31. in Joann. fin.

34. *Glorioſius Deo eſt ut ei ſerviant reges, quàm quòd extollat humilem ad poteſtatem.*

Hereditatem adiit Benedicti copioſa proles. Numerantur in iſta filii quidam, priùs in ſæculo principes; & quidem glorioſum eſt, quod terrenum dominatum habentes, illum pro filiatione Benedicti commutaverint. Dubitabis, quid ſit excellentius: an à Benedicto progenitos ad Summi Pontificatus faſtigium fuiſſe translatos; vel mundi principes depoſito faſtu cucullam induiſſe Benedictinam? Reſolvo pro ſecunda parte; motus ex eo, quòd videatur in majorem Dei gloriam cedere, principes, ut ſerviant Domino, celſitudinem propriam ei conſecrare. Ratio hujus eſt. Deus extollens ad cathedram Apoſtolicam filios Benedicti morem geſſit inclinationi ſuæ, ſecundùm quam ſolet animos ſponte ſubmiſſos exaltare. Deo glorioſum hoc eſt: ſed non adeo magnum viſitur quòd perficiat Omnipotens id, ad quod benignus inclinatur. Atverò Dominus diſponens, ut ſæculi præpotentes inclinationem

nem humani cordis ad majoritatem ſuperarent, abjicientes majeſtatem ſuam, & amplexi monaſticam profeſſionem humiliter, opus effecit ſupremo Regi glorioſiſſimum: quia ſic per inſtrumentum fragile, ſcilicet humanam voluntatem, ſubjugavit mundanæ gloriæ magnitudinem. Glorificatur Deus ampliùs ex eo quòd ſerviant ei reges; quàm ex humili potenter ad maxima ſublevato. Humillimum exaltare minùs præclarum opus eſt potentiæ divinæ: trahere principes ad obſequium ſuum gloria præcelſior divinæ poteſtatis eſt.

35. Chriſtus Dominus anticipatè loquitur ore Davidis in Pſalmo 101. nam Auguſtinus in hujus præfatione, ſciens Pſalmum illum inſcribi: *Oratio pauperis*, &c. ait: *Iſte ipſe pauper eſt, quia idem ipſe Chriſtus eſt, qui ſe apud prophetam ſponſum dixit, & ſponſam.* Dicit ergo Filius Dei per Pſalmiſtam: *Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jeruſalem. In conveniendo populos in unum, & reges ut ſerviant Domino.* Exponit Euthymius: *Vel aliter: laudem illam intellige, qua Chriſtus ſemper Patrem laudabat, omnia illi perpetuo adſcribens, & ab illo dicens ſe miſſum eſſe. Deinde dicit, quando hoc factum ſit.* Dum convenirent populi in unum, & reges ut ſervirent Domino. *Tunc inquam cum reges & populi ad eum convenirent, ut per fidem ei ſervitutem, & obſequium præſtarent: ei dico, qui ſecundùm divinitatem verè, ac propriè Dominus eſt.* Habemus ex hoc loco laudem à Chriſto Domino tributam Patri ſuo. Non incongruè meditari poſſumus, unum ex motivis, propter quod Salvator, vel internâ tantùm, vel exteriori laude Patrem æternum exaltare voluit, fuiſſe, quia providit ille quod poſtea per fidem ſervirent ipſi reges. Gloriam Dei non vulgarem exinde promanaſſe fateor: ſed inquiro, cur hoc videtur attribuere Patri? Reſpondebis, Chriſtum Dominum haud quæſiviſſe gloriam ſuam; ſed æterni Parentis. Verum eſt hoc. Attamen cùm dignitatem Pontificiam ſpopondit Petro; etſi dicere potuiſſet: Super te, Simon, ædificabo Eccleſiam Patris mei: tibi dabit ille claves regni cœlorum; non ita locutus eſt; ſed ait: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam . . . . . Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quænam hæc diſparitas? Hujus rationem aſſigno. Unigenitus non equidem ambiebat gloriam ſibi; ſed cùm oportuit quædam ex perſona propria perficere, non ſemel appropriavit ſibi non maxima. Patris verò glorificationi ſtudens attribuit illi ſæpius valde magna. Sic in præſenti. Simonis promotionem ad Summum Pontificatum ſibi ſumpſit: quia minus glorioſum erat humillimum Petrum ad tantum extollere verticem. Quod autem Deo reges inſervirent, hoc tam inclytum divinæ majeſtatis decus futurum erat, ut ex eo laudem non ſibi voluerit accipere; ſed æterno Genitori tribuendam putaverit. Ut iſthinc dignoſcas quàm Deo glorioſa ſit excellentia Benedictinæ religionis, in eo quòd principes obſequio divino ſe mancipaverint ſub ejus regula, lege Cardinalem Hugonem dicentem ſic ad eumdem Pſalmum: In conveniendo &c. *q. d. Tunc poſſunt prædicare efficacius, cum religionem intraverint, ubi fiunt conventus prædicatorum: ſicut Apoſtoli antequam prædicarent congregati ſunt in unum conventum ſub Chriſto Priore*: & infra: *Et bene dicitur*: In conveniendo populos in unum, & reges: *quia in talibus conventibus conveniunt tam de populari, quàm de regali genere.* Hucuſque moraliter Purpuratus. Gloriam itaque Deo promanantem ex eo, quòd regalis majeſtas obedientiam profeſſa fuerit ſub regula Benedicti, participari voluit omnium Conditor ab eorum progenitore: principeſque gaviſi ſunt hujus filii nominari; cupientes amplam virtutum hæreditatem, cujus ipſe reliquit *heredes filios & nepotes.*

Pſal. 101. 1. S. Aug. in præfat. hujus Pſal.

Eod. Pſal. n. 22. & 23.

Euthym. ib.

Matth. 16. 18. 19.

Hug. Card. com. in Pſal. 101. 23.

36. Cum D. Benedictus vitam elegerit humilem, alebat internum hominem ſuum opificio lucroſæ quidem artis, laborioſæ tamen valde. Virtutum, inquam, opifex erat; & operabatur mira, quæ pretio multo vendebat Regi liberaliſſimo. Reliquit ſuis heredibus hujus artis inſtrumenta; quæ numerabantur ſeptuaginta duo. Tot invenies cap. 4. regulæ Benedictinæ. Non abjectos reliquit *filios, & nepotes*: nam docuit eos artem, qua fierent valde potentes. Virtutis artifices ita prævalent, ut eos diabolus timeat. Chryſoſtomus ait: *Improbus enim dæmon, cum ſe nihil obeuntem viderit, jam abſiſtit, veruſne ſit nobis plurium cauſa coronarum.* Unum ex illius artis inſtrumentis notatur à Benedicto, *lectiones ſanctas libenter audire.* O qualiter pavet malignus mentem libris divinis intentam! Scribebat olim Eminentiſſimus Benedicti gnatus Damianus ad quemdam. *Mens tua divinis ſe voluminibus occupet, his intenta, pervigili ſemper inſtantia perſeveret. His antiquus inſidiator cum te videt intentum, velut hoſtem fugit armatum & timet cominus aggredi, donec te conſpicit his telis, & impenetrabili, ut ita fatear, lorica muniri.* His, aliiſque ſpiritualibus armis inſtructos dæmon formidat: quia ſuo reſtaurare ſolitant artificio quod in mundo communis adverſarius deſtruit. Hos artifices cacodæmon pavet plus, quàm Deum vindicem: magis ab illis cavens, quàm juſtitiam Domini metuens.

Plus timere videtur dæmon juſtos, quàm juſtitiam Dei.

S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 8. ex variis locis in Matth.

S. Benedict. in reg. c. 4. n. 56.

S. Petr. Dam. l. 6. ep. 29.

37. Narratur in hiſtoria Regum lacrymabilis reductio Jeroſolymitarum in captivitatem Nabuchodonoſoris: qui pro captivo Rege ſubſtituit in ſolio patruum ejus Matthaniam. *Et conſtituit Matthaniam patruum ejus pro eo: impoſuitque nomen ei Sedeciam.* Mirabar quòd Nabuchodonoſor ſceptrum confidere deliberaverit patruo Regis, quem redegit in captivitatem. Quare non timuit ut rebellaret adverſus eum? Augetur dubitandi ratio: quoniam legimus in Textu ſacro, Monarcham Babylonium detuliſſe captivos etiam artifices & cluſores; ut patet ibi n. 14. & ib. Fortaſſis ita cluſores detulit, ut urbem nequaquam iſti munirent: hos namque putant aliqui fuiſſe peritos ejus operis. Sanctius refert ſic: *Alii plures, incluſorem,*

4. Reg. 24. 17.

Refert Sanct.

In 4. Reg 24. v. 13. n. 20. *verbum esse putant militare, significareque illum, qui castrametari novit, civitatesque mœnibus sepire, & objectis claustris ab hoste defendere.* Prudenti cautelâ Nabuchodonosor noluit istos Jerosolymæ remanere; ne quam subjugaverat ipse, fortiter illi communirent adversùs eum. Sed quomodo stat cautio ista cum eo quòd non constituerit regem hominem Babylonium, sed Judæum, atque patruum regis captivi; de quo vereri potuit, dolentem de miseria Joachin sub potestate positi Nabuchodonosoris, rebellaturum adversùs istum? Vide quid significet nomen Sedecias impositum Matthaniæ; mysterium invenies. Idem Sanc-

Idem ib. v. 17. n. 24. fin. tius ait: *In Hebraico textu est Chonias, qui Matthanias vocatus est à parente. Ille à Nabuchodonosor dictus est Sedecias, qui idem valet, quod, Dei justitia.* His adde, Nabuchodonosorem significare diabolum; clusores verò, justos. Primum ex Angelomo cape,

Angel. ibid. dicente: *Sed quem Nabuchodonosor alium intelligimus, nisi eumdem quem Pharaonem esse diximus, principem videlicet confusionis, & rectorem tenebrarum harum?* Secundum habes apud eumdem: Tollunt fabros armorum, *cum eos qui sacra eloquia norunt in tantum sceleribus obruunt, ut dicere bona quæ didicerant prorsus erubescant.* Transferunt omnem artificem & clusorem de Jerusalem in Babyloniam, *cum eos qui multifaria virtutis operatione pluribus prodesse, & civitatem Dei contra corruptiones tentationum munire solebant, à proposito deflectunt*, &c. His positis, dicam. Nabuchodonosor, id est diabolus, non veritus Sedeciam, hoc est, justitiam Dei; cavet ab artificibus, nempe ab incumbentibus opificio virtutum. Et ut propiùs ad monachos accedamus, nota Cardinalem Hugonem ad prædictum locum,

Hug. Card. in 4. Reg. 24. ubi sic habet: Inclusores *sunt viri claustrales: qui seipsos in claustro, quasi gemmam in auro incluserunt.* Hos princeps tenebrarum trepidat, & instrumenta spiritualis artis, quæ suis legavit Benedictus, quasi tormenta bellica reformidat. Propterea S. Patriarcha relinquens illis hæc arma communivit eos.

38. *Ut in domo propria Deus resident ubi scalam erigit humilitas.*

Hereditarunt etiam filii nepotesque Benedicti feliciter exempla; velut ædificium spirituale magnificum, cujus fabricam per annorum plurium seriem consummaverat. In quo, licet multa cernerentur digna tum habitatoris Dei majestate superexcelsa; tum ædificatoris opulentiâ spiritali; unum erat elaboratum artificio pretiosè pulchro; scilicet scala quædam ducem ad ædis prædictæ mansiones. Loquor de scala humilitatis, per quam ascenditur ad triclinia virtutum. Hanc Testator optimus filiis reliquit, sic pretiosam illam æstimare se quidem significans, ut scalæ gradus numeraverit, & nominibus distinxerit in ipso testamento, prout videre licet cap. 7. regulæ. Meritò sanctus Pater sic appretiavit humilitatem: ista quippe ferè tanti valoris est atque totum ædificium spiritûs conjunctim sumptum, si fas est ita loqui. Exaggerationis motivum accepi, dum legerem quod Simeon junior

Simeon. jun. dixit: *Unum ergo peccatum inflata de se opinio; & una justitia extrema humilitas.* Tanta virtus humilitas est, ut ubi floret ista, Deus inhabitet velut in domo propriâ. Dominus ad scalam humilitatis benignè veniens, in loco ubi erigitur illa, residet ut in æde suâ. or. 1. non parum à princip.

Aliquid adhuc nobis meditandum est in celebri visione, qua Jacob fuit à Deo simul donatus, atque perterritus. Ita congruit justo misceri fiduciam timori, quòd non semel divina providentia terreat illum, cum favet eidem. Cunctis notum est, vidisse Jacobum scalam, per quam descendebant & ascendebant Angeli; necnon innixum ei Dominum. Non legimus ibi repræsentatam fuisse visui mentali Jacob domum aliquam. Ipse tamen factus vigil ait: *Non est hic aliud nisi Domus Dei,* Genes. 28. 17. *& porta cæli.* Si quæras à Cardinali Cajetano, quare domum Dei Jacobus ibi dixerit; respondet: *Jacob verè domum appropriatam Deo intellexit, ex eo quod in illa parte cœlorum viderat Deum ad illam terræ partem spectantem*, &c. Alibi sanè dixit Jacob: *Vidi* Genes. 32. 30. *Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Non addidit esse domum ibi Domini. Quid ampliùs habuit locus ille Jacobo terribilis, ut in eo domum Dei crediderit extare? Meritò sic, disponente Deo, locutus est: cupiebat enim Altissimus ut intelligeremus quàm benevolus respiciat humiles. Dominus erat innixus prædictæ scalæ; quæ significat vitam humilis viri. Consule nobilem heredem Benedicti Rupertum. *Scala vero*, inquit, *ipsa erecta, nostra est vita in hoc sæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum.* Imitari videtur genitus doctrinam patris: qui scalam Jacob aptat humilitati loco citato regulæ sic: *Unde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire: actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Jacob apparuit, per quam ei descendentes & ascendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere.* Bene domum Dei legimus ubi figuratè visa fuit humilitas: in eo quippe loco, ubi spontanea demissio stabilitur, Dominus residet ut in habitaculo suo. Non vanè Benedictus, quamvis in animæ suæ palatio constructo pro summi Regis habitatione multa reperirentur valde pretiosa. Scalam humilitatis inter ea tanti fecit, ut ipsam testemento reliquerit heredibus gnatis, numerans gradus & nominans.

39.

Cajet. apud Lipom. in cat. ib.

Rupert. l. 7. in Genes. c. 21. fin.

S. Benedict. in reg. c. 7. in princ.

Unum est quod testatores non solent, nec valent ad heredes transmittere dum testantur; quantumvis amorem suum circa superstites eximium protestentur: scilicet præsentiam suam. Non ita Benedictus: qui dilectis filiis repromisit, ipsis post obitum se magis adfuturum, quàm priùs. In discessu S. Mauri sermonem faciens aiebat ille quondam: *Præsentior vobis ero carnis depositio onere, vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus.* Nobilissimo Parente progeniti dictitare valent confidenter

40. *Amans adest in absentia dilecto.*

S. Benedict. ser. in dissert. D. Maur.

denter de Benedicto patre quod aliquando S. Ambroſius de Theodoſio dixit Imperatore vitafuncto : *Receſſit à nobis ; ſed non totus receſſit.* Cum promiſſum Benedicti mente revolverem, admirabar dilectionis vim ; quæ morti non cedit, dum hæc abeſſe cogit. Sed admirationem depoſui jam advertens, amantem perfectè nunquam ab amato dividi. Dilectio nexus eſt ; & quæ nectuntur ſtrictè non abſunt. Oportebat ſcindi vinculum conjungens amato cor, ut abſentia mutuò verificaretur. Cumque verus amans quantumlibet loco diſtet, non minus diligat, quàm ſi vicinus adeſſet, valet amor abſentem reddere veluti proximum. In abſentia qui diligit adeſt utique dilecto.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. in obitu Imperat. Theod. non parum à princ.

41. Doctor Gentium reprehendit Corinthios, quòd execrabilem inceſtuoſum publicum tolerarent : ac denuntiavit, ſe damnaviſſe jam ad mortem criminis ejuſdem reum. Notanda ſunt illa verba Pauli : Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, &c. Nonnullus exiſtimaret, Apoſtolum potius dicturum, judicaviſſe tamquam abſentem : nam præterquam quòd ille quoad præſentiam corporalem diſtaret ; ſic loquens exaggeraſſet quantùm abominaretur illud ſcelus : q.d. Et mente fugio populum, in quo moratur homo, qui tale commiſit flagitium : ſic averſor illud piaculum. Quo motivo ductus Paulus potiùs ait : *Judicavi ut præſens* ? Voluit inſinuare, ſe judicium illud terribile proferre, non ex odio ; ſed ex amore : quem inſinuant illa verba : *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit* &c. Idem penè valebat, ſi diceret : Judicavi ut amans, atque dum ait : *Judicavi ut præſens*, &c. S. Thomas ad ſupra citata verba Pauli, commentatur ita : Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu *id eſt affectu & ſollicitudine mentis*, &c. Præſens in abſentia verus amator adeſt : hoc præſtat amoris conſtantia. Cumque Benedictus decedens permanſerit in diligendo ſpiritualem progeniem ſuam ; hæc potita fuit poſt ejus mortem adhuc ejuſdem conſortio : per quod bonus Pater ditiſſimos reliquit *heredes filios, & nepotes.*

1. ad Cor. 5. 3.

Ib. n. 5.

S Thom. com. 1. ad Cor. 5. lect. 1.

DELIBATIO IV.

Inclytus Minorum Progenitor bona ſua diviſit in tres filiorum Ordines.

42. *Contemnentes bona ſæculi præliantur adversùs illud acriùs contẽptu, quàm pugnat mundus eiſdem bonis*

DEcreverat Author gratiæ dono mittere ſui pretioſam imaginem Eccleſiæ ſponſæ ; quò per eam faciliùs ob oculos haberet quali dilectione proſequeretur eamdem. Hæc imago D. Franciſcus extitit : in cujus eximiâ charitate circa proximos depingitur amor Salvatoris ad Eccleſiam. Sponſus hanc ita diligit, ut vellet, fideles cunctos virtutis perfectionem attingere. Sic Minorum Fundator omnes animas quotquot veram tenent fidem trahere concupiſcebat in amplectendam virtutis perfectionem. Ut ſuum deſiderium iſtud, quatenus valeret, conſequeretur, non unicum inſtituit Ordinem ; ſed triplicem, ut plures animas ad militiam ſuam congregaret. S. Bonaventura : *Nam inſtar*, ait, *reparatæ triplicis fabricæ ipſius ſancti viri ducatu, ob datam ab eo formam, regulam & doctrinam Chriſti triformiter renovanda erat Eccleſia, trinaque triumphatura militia ſalvandorum : ſicut & nunc cernimus eſſe completum.* Similis immenſa charitas Franciſci reliquit ferè numerum ſuperantes *heredes filios, & nepotes*, ab ſpiritûs ejuſdem theſauris ditatos. Sed, quia militarem ſub vexillo Crucis vitam profitebatur, non ſub nomine fundorum, argenti vel auri, ſuas poſſeſſiones tranſire diſpoſuit in eoſdem ; potiùs armorum titulo reliquit eas poſteritati. Pertinet huc aliqualiter myſterium viſionis illius tunc abditæ, ſancto Patri conceſſæ : quam narrat optimus filius idem ſcribens ita : *Palatium ſpecioſum & magnum cum militaribus armis crucis Chriſti ſignaculo inſignitis clementia ſibi divina monſtravit .... Unde & cum quæreret, cujus eſſent illa omnia : ſua fore, militumque ſuorum, ſuperna fuit aſſertione reſponſum.* Animarum hoſti mundo bellum Franciſcus indixit, per ſemetipſum, atque ſuos peragendum. Quapropter forti paupertate (ſcilicet voluntariâ) voluit eos obarmari. Juſſit eos genus inopiæ ſectari novum tunc temporis in Eccleſia Dei : ſcilicet, quod ejus regulam profitentes nec in communi bona poſſiderent. O quàm flagrantia parabantur mundo prælia per bonorum ejus contemptores ! quot victoriæ manebant deſpicientes blandimenta ſæculi ! Proficiet obiter legere Didymum Alexandrinum. *Qui ergo*, inquit, *de mandatis ita ſemetipſum inſtituit ut ea perducat ad actiones, ex Deo naſcitur. Et dum hæc impetraverit, contemnit materialem vitam & ſæculi blandimenta. Et propterea vincit mundum, tranſiens à converſatione præſentis mundi.* Sæculum contra ſuos oppugnatores dimicat bonis caducis velut armis : ſed ejus hæc miſſilia tam infirma ſunt, quòd ipſo deſpectu retundantur. Credo, ſpretores bonorum temporalium acriùs contra mundum præliari per iſtum contemptum, quàm hic adverſarius valeat eos impugnare per eâdem bona. Rerum poſſeſſarum abjectio quidem hoſtilitas eſt fortior eâ, quam ſæculum poteſt exercere facultatibus ipſis contra deſpicientes eaſdem.

S Bonavent. in vi. S. Franciſc. c. 2. fin.

Idem ib. c. 8.

Didym. Alex. com. in Ep. 1. Joann. c. 5.

43. Vir inclytus Mathathias in perſecutione regis Antiochi contra Judæos conſtanter ſtetit : adeo quòd cernens Hebræum ſacrificare patenter idolis, ut regale juſſum compleret, illum necaverit ſuper infandum altare ; necnon aram deſtruxerit, & virum interfecerit ab Antiocho miſſum. Tunc exclamavit ut exirent poſt eum zelatores legis. Nota quod ſubditur. *Et fugit ipſe, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate.* Commentatur Lira : *Bona ſua temporalia propter zelum Dei contemnentes.* Fortaſſis potuit ante fugam per aliquod tempus latitare Mathathias : & interea curare per amicos ut

1. Machab. 2. 28.

Lir. ib.

bona ſua ſaltem ex parte collocarentur in tuto, ne poſtea ſummam pateretur penuriam. Non ita feciſſe ſcribitur. Quare dimittunt iſti bona; quibus poſſent fieri ditiores inimici, qui poſtea prælium conſtituerunt adversùs eos? Linquamus corticem litteræ; myſterium attendamus. Accipe Gloſſam Ordinariam ex Rabbano.

Ex Rabban. Gloſſ. Ord. ad eum locum.

Fugit enim, ait, *Redemptor noſter & filii ejus in montes, & relinquunt quæcumque habent in civitate, quando per ducatum ipſius veritatis altitudinem virtutum aſcendere cupimus: & ea quæ ad luxum ſæculi pertinent, quaſi ſuperflua ſpernentes, abjicimus.* Qui non mundi pompis gloriantur, ſed Chriſti pauperis filiatione, copias temporales deſpiciunt: intelligentes, hoc ipſo contemptis ſe fortiùs præliari contra ſæculum, quàm per eadam ſpreta bona valeat mundus adversùs eos dimicare. Ne verearis accommodare locum iſtum Franciſco fugienti ſæculum, deſpectis ejus opibus, & filios ad imitationem exemplo ducenti. Audi perilluſtrem D. Franciſci gnatum Antonium

S. Anton. ſer. 3. Dom. 1. Quadrag. ante med.

Ulyſſiponenſem. *Mathathias*, ait, *interpretatur, Donatus à Domino, vel, Donum: & ſignat virum juſtum & religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem, ut beatum Franciſcum: talis namque ex ſpeciali dono Dei datus eſt Chriſtianis ad liberandum de manibus inimicorum .... propter quod ipſe Franciſcus tamquam alter Mathathias deſtruxit aras mundanæ vanitatis in quibus peccatores dæmonibus immolabant:* &c. Suos igitur pugnatores inſtruens ad prælia Domini beatiſſimus Minorum Pater ſuaſit contemptim abjicere ſæculi cenſum, & arma ſumere, quæ Deus per viſum oſtendit ei.

44. Humilitatem dixi theſaurum ſupra delibatione 1. Poſſeſſor hujus erat Franciſcus, & illum tranſire curavit ad *heredes filios, & nepotes.* Quia vero ſpirituales divitiæ verè nobilem reddunt hominem; illi propter humilitatis copioſas opes, quas hereditario jure ſuſceperunt, illuſtri Minorum titulo decorati ſunt. Ut perpendamus decus ab humilitate veniens, ita diſcurſum texamus. Spontanea demiſſio locum terrenum commutare videtur in cœlum. Mapheus Vegius dixit: *Quaſi enim de terra in cœlum, ita ſancti cujuſlibet viri monaſterium, de propriis domibus itur* &c.

Maph. Veg. l. 6. de perſever. relig. c. 2. poſt med.

Quomodo nobilitabit humilitas virum, ſi tantopere virtus excelſum reddit locum? Multa dedi jam variis theſibus in humilitatis præconium: nunc addo Sedulium, dicentem: *Ideoque vitæ ſimplicitas inclinatæ, quantum vicina fit ſolo, tam fit vicina cœlo. Mens enim vergens erigitur, erecta devergitur, inferiorque cordis inceſſus quo deſcendere nititur, ſublimatur. Humilem namque Deus & pauperem de ſordibus erigit, & potentum ſocietati conjungit.* Exhinc intueri licet quanto ſplendore niteant ſacræ tanti Patriarchæ familiæ: quæ ſimul humilitate profundâ radicantur, & cœlo repoſita bona diligunt. Non hic ſiſto gradum: detur hyperboli venia. Minorum Ordo ſic voluntariâ ſubmiſſione reſplendet, ut eam ab ipſo videantur diſcere poſſe beatos, qui gloriâ fruuntur perpetuâ. Ne damnes eum, qui nunc agit oratorem; non vero theologum. Sed quo nitatur encomium iſtud jam ſubjicio.

Sedul. l. 4. op. Paſchal. c. 28.

45. Transfiguratus Dei Filius majeſtatem ſuam aperuit Apoſtolis tribus: & quia notum facere volebat, veterem legem Evangelicæ non contraire, duos teſtes adhibuit ex priſco teſtamento, Moyſen & Eliam. Hi quidem gloriosè Salvatori tunc adſtiterunt: nam D. Lucas ait: *Viri in majeſtate*: ubi Dionyſius Carthuſianus: *Hoc eſt, in magna claritate, dignitate, ſeu reverentia apparentes.* Nonnemo crederet, in ſacro Textu ſe reperturum proſtratos ante Principem gloriæ fuiſſe tunc Moyſen & Eliam, ut offerrent honorem Domino ſuo. Creſceret aliquantulum hæc eádem exiſtimatio, ſi memoriâ recoleretur quod Joannes vidit in Apocalypſi. *Procidebant*, inquit, *vigintiquattuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum*, &c. Audis humilitatem? Nota quid ſignificent iſti ſeniores. Utere commentario Cardinalis Hugonis. *Vel*, ait, *vigintiquattuor dicuntur univerſaliter omnes ſancti propter ſex opera miſericordiæ, quibus patres veteris teſtamenti inſiſtebant: & propter ſupereregationem conſiliorum quæ docent quattuor Evangelia: quam patres novi Teſtamenti ſuperaddiderunt. Et vigintiquattuor ex quater, vel ſexies quattuor componuntur: & ideo dicuntur altius ſedere quam alii propter prærogativam doctrinæ, qua alios erudierunt: Daniel. 12. B.* Et qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ecce procidebant ante Dei thronum regnantes in cœleſti Curia; non autem Elias & Moyſes eo tempore, quo non adhuc erant in ſtatu glorioſo. Quid cauſæ? Fortaſſis reſpondebit aliquis, in Joannis viſione ſeniores exemplum ſumpſiſſe libenter à quattuor illis myſticis animalibus; de quibus dicitur in Apocalypſi, quod gloriam & honorem dabant ſedenti ſupra thronum. *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum, procidebant vigintiquattuor ſeniores* &c. Similitudinem ſeniores forte ſecuti ſunt animalium in honore deferendo humiliter Altiſſimo. Ut hæc aliqualiter adaptari poſſe non violenter ſacro Minorum Ordini credas, lege D. Antonii Ulyſſiponenſis verba: qui perpendens animalia, de quibus Apoc. 4. ait: *Moraliter per hæc quattuor animalia ſignantur quattuor genera hominum in ordine noſtro: ſcilicet Priores & correctores; item prædicatores & confeſſores: item converſi & corporalium proviſores: item contemplativi & ſtudentes.* Tu judica, lector, an hyperboli prædictæ poſſit venia donari. Verba ſumam Auguſtini. *Quid ergo iſta ſignificent, dicat tractator ut poteſt, judicet lector & auditor ut juſtum eſt.*

Luc. 9. 31. Dion. Carthuſ. com. in Luc. ib.

Apoc. 4. 10.

Hug. Card. com. in Apoc. ib.

Eod. cap. n. 9. & 10.

S. Anton. ſer 3. de Evang. poſt princ.

S. Aug. to. 8. expoſ. in Pſal. 77.

46. Secundam præſcripſit Franciſcus regulam ſanctimonialium ſub ejuſdem genitoris diſciplina Domino conſtanter offerentium ſuimet holocauſtum. Permiſit iſtis redditus, ac alia bona temporalia poſſidere; non privato dominio; ſed in communi.

Virgines tanti fiùt à Deo, quaſi nihil prius illis fructificaverit ipſi genus humanum.

muni. Duce clari nominis Matre, deſponſatæ ſunt Filio Dei virginum inſignes turmæ; præter alias, quæ ſub regulæ primæ paupertate majori famulantur Domino. Gratiſſimum Deo munus extitit hoc ab inſigni ſervo divinæ majeſtati conſecratum: ipſe quippe virginitatis candorem peculiariter diligit; & qui lilium eſt, ſpecialiter afficitur ad lilia. Hoc videre licet conſideranti quantâ Deus appretiatione caſtas animas donet in cœlis. Tanti ſiunt in ſuperna Regia virgines, ut quamvis ejus incolæ cuncti ſint immaculati, tamen, ſi cum illis ad invicem conferantur fruentes virginitatis aureolâ; ſolùm iſti dicantur abſque macula. Patrocinatur Ansbert. l. 6. in Apoc. c. 14. Ansbertus, qui ſic habet: *Et cum ſit Chriſtus caput Eccleſiæ, virgo utique ex virgine natus, qui illi inhærent primi? Nimirum virgines corpore & fide. Et cum ſint omnes electi in illa communi beatitudine ſine macula, ad comparationem tamen illorum, ſoli virgines carne & mente dicuntur ſine macula.* Cum è vita religioſa tranſitum ad cœleſtia facere pervium ſit: econtrariò nunc à cœlitibus veniamus ad regulares. Ab uno ſimili non temerariè fit gradus ad aliud: & S. Joannes Climacus dixit: *Cœnobium eſt velut terreſtre cœlum*, &c. In conſecratarum Domino virginum inſtitutione Franciſcus Solationem Deo litavit gratiſſimam: adeo ut, licet non fuerit hæc tempore prior; tamen extitiſſe videatur hujus arboris, quæ tot fructibus abundavit primitiæ. Deus ita magnî ducit virginea corda, quaſi horum comparatione dici valeat, eos, qui præceſſerunt ætate, ſed virginitatem non coluerunt, velut nihil fuiſſe coram ipſo.

S. Joann. Clim. in ſcal. gr. 4. longe ante fin.

47. Ad Apocalypſim rurſus accedamus. Diſcipulus dilectus vidit agnum ſtantem ſupra montem Sion, & cum eo millia plurima continentia canticum. De his Evangeliſta ſcribit: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Prædixerat Joannes ibidem: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt.* Commentatur Ansbertus: *In quibus verbis veraciter intelligere poſſumus, in illo regno beatitudinis eminentiores exiſtere virgines Chriſti, illis, in quibus actum eſt ne eſſe poſſent jam virgines, quamvis ſint familia Chriſti* &c. Notatu dignum puto, quod virgines dicantur primitiæ: nam tam in lege naturæ, quam in ſcripta, puritas virginalis haud floruit in multis: unde priuſquam daretur in terris horum copia florum, per mortemque tollerentur è mundo, præceſſerunt ſancti plures Domino placentes in vita conjugali. Quonam igitur pacto numeroſitas virginum tanta *primitiæ* dicitur à Joanne; cum primitias appellemus in unoquoque genere quod ex primis eſt? Reſpondeo præmittens Ansbertum ad ſupradictum locum. *Digni autem*, inquit, *primitiis frugum comparantur, ex omnibus frugibus ad emendum electis, hi qui virginitatem carnis & cordis habere videntur, quia primum ſanctitatis fructum ac centeſimum offerre videntur.* Itaque tanto ſunt in pretio coram Deo virgines, ac ſi cunctos præcederent electos, ut præeunt primitiæ ſecundos ejuſdem ſpeciei fructus; atque velut ſi nullum Dominus accepiſſet ſibi, priuſquàm virginitatem ſectantium cumulum in cœlis poſſediſſet. Ad eas animas, quæ puritatem Deo ſacrarunt voto, deferri poteſt illud Apocalypſis, quod nunc tractavimus: nam Alcazar ibi dicit: *Verùm non deerit, qui hæc in univerſum de religioſorum hominum familiis Eccleſiam Chriſtianam decorantibus prædicta velit. Nam in religioſis Ordinibus ſacri homines profitentur caſtitatem Angelica puritate cuſtoditam, & cum divinorum præceptorum atque conſiliorum obſervatione copulatam: quod eſt*, ſequi Agnum quocumque ierit. Nec deeſt huic meditationi lux Auguſtini: qui alludens ad Agni ſequelam, ait: *Vos itaque ſequimini eum, tenendo perſeveranter quod voviſtis ardenter. Facite cum poteſtis, ne virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil poteſtis ut redeat.* Ex dictis manet quàm beneplacitum Franciſcus obtulerit munus Conditori, ſacrarum inſtituens monialium vitam regulâ præſcriptâ.

Alcaz. com. Apoc. c. 14. 4.

S. Aug. to. 6. l. de ſanct. virginit. c. 29.

48. *Major gloria vincere mundum honorando eũ, quàm confundendo.*

In hac religioſarum virtute maſculâ Deo conſecratâ Franciſco duce, meditor hujus inclyti bellatoris generoſitatem in debellando ſæculo. Solent magnanimi victores temporalium bellorem confuſionem ſimul & honorem afferre victis. Ita ſe Franciſcus exhibuit, ſuperans in hoc opere mundum: confudit illum, & honoravit eumdem. Confudit, inquam, nam curavit ut per ſexum fragilem pedibus tereretur; honoravit autem, quia non parum gloriæ mundus accipit ex eo, quòd ab eo prodierit res adeo magna, quales in religione, paupertateque viventes animæ ſunt. *Mundus iſte domus Dei eſt*, ait Antiſtes Valentinus. Nulli dubium eſt, domum accipere decus ab eo, quòd rex habitet in eâdem: quantò plus decorabitur univerſi domus ex habitatione illorum, quorum felicitas excedit gloriam regum? Prodeſt hîc Bleſenſis, inquiens: *Si vultis in ſancta religione, & aurea paupertate tranſigere dies veſtros, felicitati veſtræ non poterit regum gloria comparari.* Solùm reſtat hîc inquirere quidnam ex illis duobus glorioſius: confundere mundum, an honorare? Sto pro ſecundo. Rationem aſſigno. Utroque modo ſanè vincitur mundus: at quæro: Nonne quo major eſt qui vincitur, eò plùs glorificatur victor? Utique. De mundo triumphare confundendo eumdem eſt abjectum ſuperare; ſæculum autem ſubjicere præſtando ſimul ei honorem, equidem eſt honoratum proculcare: an iſtud non inſignius? Relinquitur ergo, celſiorem vincentis gloriam exiſtere cùm devincitur ille, ſed honor præbetur ei; minorem autem cùm ſternitur idem ſic ut confundatur.

S. Thom. à Villan. ſer. Dom. 1. Adv.

Petr. Bleſ. ep. 93.

Verbum Patris & Spiritus almus, ad ſpirituale mortalium bonum diverſis temporibus deſcenderunt in terras. In membris infantilibus factus infirmus natus è Virgine Dei Filius eſt, atque Domini gloriam celebrarunt Angeli: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, ei dicentium: Gloria in altiſſimis Deo*, &c. Incertus ſub nomine Titi: *Jure*, ait, *merito*

49.

Luc. 2. 13. 14.

Incert. ſub nom. Titi ib.

Apoc. 14. 4. ib.

Ansbert. com. in Apoc. ib.

Idem ib.

meritoque Angeli Chriſtum Deum noſtrum, tamquam pacis hujus conciliatorem celebrant, laudibuſque evehunt. Conſummatâ redemptione diſceſſit Aſſertor; & in Pentecoſte divinum Flamen cum ingenti ſonitu venit Apoſtolos provecturum novâ luce donatâ. Aderat Jeroſolymis tunc multitudo plurima, cujus confuſionem ſic D. Lucas refert: *Convenit multitudo, & mente confuſa eſt*, &c. Chryſoſtomus ibi: *Uſque adeo*, inquit, *ſonitus illos reddiderat attonitos, quòd hic majorem orbis partem comprehenderit.* Non legimus quòd hunc adventum divini Spiritus Angeli celebraverint. Sed quare? nato Domino Deum laudant beati ſpiritus; quamvis per nativitatem humiliter apparuerit? non autem ſic in die, qua tertia ſanctiſſimæ Trinitatis Perſona venit majeſtate reſonans, atque fulgens igne? relinquitur Apoſtolo Petro, ut ex prophetia Joël explicet adventum Spiritus ſancti? Meritò quidem: gloria quippe, quam Paraclitus accepit in die Pentecoſtes minor erat: idcirco ſatis fuit ut de illius adventu vox humana loqueretur. Atverò glorificatio Dei, cùm Salvator natus eſt, inſignior fuit: ea propter oportebat, per Angelos fieri celebrem. Rationem eorum, quæ nunc ultimò dixi, jam lectoribus propono. Cùm Redemptor ortus eſt, divina majeſtas vicit mundum præſtans ei decus: nam venit inter homines converſari (quod mundo non parum attulit honoris:) vicit, inquam, ſæculum contemnens ſuperbiam ejus, factus egenus voluntariè. Spiritus verò ſanctus, cum deſcendit ſuper Apoſtolos, nec ullam aſſumpſit creaturam, nec venit ad ſimilem convictum cum hominibus, quantumlibet eo die ſuperaverit mundum, quatenus multitudinem reddidit confuſam: quam confuſionem aliquis explicabit q.d. Textus: Animo dejecta eſt. Nam, ut notat Lorinus ubi nos legimus: *Mente confuſa eſt*, invenitur Græcè verbum, quod *ſignificare poteſt perturbari, animo dejici, commiſceri inter ſe, & tumultuari.* Gloria celſior eſt ſubjicere mundum honorando eumdem, quàm confundendo ipſum. Sed ut quæſtio tolleretur circa glorificationem, qua B. Franciſcus devicit ſæculum, utrumque peregit ut ſupra: nec rurſus dicam.

Act. 2. 6. S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom 4. in Act. ante med.

Lorin. in Act. 2. 6.

50. *Scit juſtus exire de terra, cum præſens adſit.*

Tertium erexit Ordinem Franciſcus, qui pœnitentiæ titulo nobilitatur, ut eum profiterentur in ſæculo quicumque vel non valerent, vel nollent iſtud fugere. Laudavimus uſque nunc eos, qui mundanam habitationem deſerentes in caulas Domini ſe recipiunt, ut vocem boni Paſtoris audiant faciliùs, & ſequantur promptiùs. Cum hoc tamen ſtat, non deſpiciendum inſtitutum illorum, qui militant in hac tertia phalange Franciſci. Iſtorum robur equidem non modicum eſt in præliando contra communem hoſtem: nam cum ipſi non in arcibus monaſticis, hoc eſt in monaſteriis, pugnent, ſed in ejuſdem inimici caſtris, hoc eſt, in ſæculo ſuam ſtationem figant, non pauca, nec exigua ſolent exantlare diſcrimina, certantes contra ſpiritales adverſarios. Stratagemate pugnant; ceu multoties accidit in præliis navalibus, cùm ad inimicum decipiendum, bellicæ naves unius nationis tendunt ſigna puppibus, quibus uti ſolet claſſis adverſaria. Sic illi famulantes Domino piè, dominio rerum, veſtibuſque citra luxum ſolitis, aliiſque ſignis utuntur, ſicut alii, qui militant ſæculo. Mundus hoſtis, cùm ſua vexilla cernit, fallitur, & ſuos putat: quò fit, ut regulam, quam profitentur, obſervantes, victoriam inſignem reportent ab inimico deluſo. Non dedignantur perfecti viri ſæpe virtutem in mediis fluctibus mundanis amplecti latentes. Chryſoſtomus: *Plurimi ſæpe*, inquit, *hujuſmodi & in mediis eccleſiis ſunt, ſed deliteſcunt. Non enim quia circumeunt domos, quia ſubeunt forum, ideo deſpiciendi ſunt. Et hoc Deus imperavit: Judicate, inquit, pupillo: & juſtificate viduam. Complures ſunt virtutis viæ*, &c. Etiam virtus evalet mundum relinquere, quin abſit ab illo: ſcit juſtus exire de terra, cum præſens adſit.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 4. hom. 14. in 1. ad Timoth.

Æternum Parentem alloquens Unigenitus, de ſuis dixit: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*: &c. Pro loci hujus intelligentiâ conſului D. Thomam: qui ſic exponit verba Chriſti: Ut ubi ego ſum *ſcilicet in Divinitate tua, quam habeo per naturam*, & illi ſint mecum, *per participationem gratiæ.* Sed adhuc pullulat hæſitatio, quæ ſumit occaſionem de verbis ejuſdem Salvatoris; qui protulerat ibidem, & eodem Evangeliſtæ capite refertur: *Hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Et poſt pauca: *Nunc autem ad te venio*: poſtea ſubdidit: *Non rogo ut tollas eos de mundo*, &c. Quomodo ſtant hæc, ſi conferantur cum illis: *Volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*: &c? Ibat Redemptor ad Patrem, quia per aſcenſionem profecturus erat in cœlum, ſuoſque derelicturus corpore. Cardinalis Toletus ad verba quæ ſupra dedimus ex n. 11. Ego, *inquit*, ad te venio, *id eſt, quia ego jam peracto, & perfecto munere, & opere meo ad te redeo, ut homo in cœlo ſeſſurus, hoc de cauſa tamquam Pater filios corporaliter meos deſerens rogo pro eis.* Apoſtoli manſerunt in mundo, Chriſto diſcedente. Qua ratione Magiſter non ſupplicat ut æternus Pater tollat è mundo ſuos; cum poſt aſſeruerit, velle ſe (vel petierit) ut eſſent illi ſecum? quo fieri potuit ingenio Apoſtolos Domino ſociari poſt aſcenſionem in cœlis; cum in terra manerent? Non impoſſibile virtutis arte: neque parum glorioſus eſt modus hic relinquendi terram: ſcilicet animo deſerere, quam corpore habitas. Hoc docuit Franciſcus tertii ſui profeſſoribus Ordinis: quos in æquore mundi relictos equidem, ſed non derelictos, inſtitutis erudivit ſalutaribus; ut & iſti pro ſui ſtatûs capacitate numerarentur inter ſpirituales ditiſſimi Parentis *heredes filios, & nepotes.*

51. Ioann. 17. 24.

S. Thom. ib. Lect. 6.

Ioann. 17. 11.

Ibid. n. 13. & 15.

Cardin. Tolet. in Ioann. 17. 11.

DELI

DELIBATIO V.

Ad majorem Dei gloriam S. Ignatius poſteris legavit meſſem animarum prettoſam.

52. *Opus divinũ dici poteſt avertere juventutem à malo per ſtudia.*

EO tempore, quo miſerabiliter exorientes hæreſum ſpinæ dolorem Eccleſiæ Dei genuerunt: & ſimul plurium catholicorum corda vitiis friguerant; proviſus eſt ignis, ut ſpinas exureret, mentes illuminaret, ac ſimul faceret corda recaleſcere. Flammam per ſemet, atque præclariſſimam familiam, jecit feliciter Beatiſſimus Ignatius, juxta notum ſui nominis etymon: *Ignem jacio.* Inter varia, quæ ſelegit media pro majori gloriâ Dei, quam ſibi præfixit ſcopum, illud expendo, quòd aperuit ubique locorum ad juventutem erudiendam in litteris ac pietate gymnaſiis. Non ſiſtebat ejus ardor in litterarum inſtitutione, quas diligebat ſapienter; ſed per minora tendebat in maxima; ſcilicet ut adoleſcentes à vitiorum tramite diverteret; qui ſtudiorum opimus fructus eſt. Audi Mapheum Vegium. *Suſcipiant igitur*, inquit, *adoleſcentes læto animo ſtudia litterarum, intendant eis ardentiſſimè, quæ tanta omnibus quanta modò diximus pollicentur, quibus non modò jacturam temporis (qua & nullam majorem eſſe Zeno Stoicus dixit) evitabunt, ſed quo inſuper modo modeſtè, graviter, ſanctèque vivere, patriam & parentes colere, Deum venerari, voluptates deſpicere, flagitia deteſtari debeant plenè perfecteque inſtructi evadent*, &c. Etſi cathedræ munus opus extet humanum; tamen cum aſſumitur ex tam nobili motivo (ſcilicet ut auditores per functiones litterarias vitent otium, vanitatem, & præcipitia, quibus ætas florida periclitatur) opus divinum valet nominari providere juvenibus operam ſtudioſam. Gratuletur orbis Ignatio devinctus inſigniter beneficio: præconiis efferat eximiam charitatem ejus in avertendâ per ſcientiarum ſtudium ab otioſitate; necnon & malis fructibus hujus, multitudine teneris annis floreſcente: nam induſtria hæc divinum quid extitit.

Maph. Veg l. 6. de educ liber. c. 6. ante fin.

53. Proverb. 9. 1. 3. 4. 5.

Apud Sapientem memorata reperitur magnifica domus extructa per ſapientiam, quæ per ancillas vocavit parvulos ad ſe benigna. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Et infra: *Miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis: Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite* &c. Expoſitionem refert Cornelius ex Pineda & Carthagena, ſecundùm quam domus hæc academiam ſignat poſitam à Salomone. *Hoc eſt, inquiunt, Salomon ſapientiſſimus ſapientiæ nomine in monte Sion juxta Regiam, & juxta templum, imo in atrio templi, ædificavit academiam, in qua doctores docerent ſapientiam.* Adde Cardinalem Hugonem, licet prædictam non amplectatur interpretationem. *Septem columnæ, ſunt ſeptem liberales artes, ſcilicet grammatica, dialectica, rhetorica, arithmetica, muſica, geometria, aſtronomia.* Hebraiſmum notavit Rodolphus; nempe numero plurali ſapientiam hoc loco in origine reperiri. *Hebraiſmus*, ait Interpres, *eſt obſervandus, qui talis eſt*: Sapientiæ (*numero multitudinis*) ædificavit domum ſuam.... *Nos hanc loquendi formam ad perſonarum pluralitatem in divinis, & unitatem ſubſtantiæ referre poſſumus*: &c. En Trinitati ſanctiſſimæ tribuitur opus tantum. Ut quid academiæ divinus dicitur author? an quia *cœleſte donum ſapientia*, teſte Petrarcha? Satis fuerat ut homini cœlitus inſtructo, qualis fuit Salomon, inveniremus attributam per eumdem fabricam iſtam diſciplinis erectam. Certè rex Nabuchodonoſor legitur commendaſſe præpoſito cuidam pueros litteras edocere. *Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio & tyrannorum, pueros, ... ut doceret eos litteras*, &c. Dionyſius Carthuſianus ibi: Ut doceret eos *præfatus Eunuchorum præpoſitus per ſeipſum, vel per alios ſibi ſubjectos* litteras *ideſt ſcientias*, &c. Hæc regia puerorum inſtitutio fuit opus humanæ curæ? Poſitio verò academiæ Salomonicæ Trinitatem habuit fundatricem? Non fruſtra ſic notatur. Eruditio, quam jubente Nabuchodonoſor accipiebant pueri, non avertebat ſic eos à peccando, ut neceſſarium non fuerit Danieli (qui numerabatur in eis) cavere ſibi ne delinqueret. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur.* Abſtinuerunt ſimiliter ſocii tres illius. Ubi per occaſionem addiſcendi reperitur peccati periculum, non excedit hominem curare pueros erudiri. Apud Salomonem verò cum pueri vocantur, ſuadetur eis: *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.* Ad illud: *Relinquite infantiam.* Hugo Cardinalis ait: *Id eſt ſæculi vanitatem. Hîc accipitur infantia in malo*: &c. & infra: Et vivite, *vitæ gratiæ*: Et ambulate *de virtute in virtutem*: *ne cum redierit Dominus inveniat vos otioſos.* Superadde Salazarem *Reor*, inquit, *Salomonis verba ita partienda eſſe, ut illud*, ſi quis eſt parvulus, *ad juniores, & natu minores referatur; illud vero*, & inſipientibus, *ſeu* carentibus corde, *imperitis, & ignaris donetur.* Lyceum, quod erigitur, ne pubertatis ver in otii frigus pluſquam hyemale degeneret, ac vento vanitatis peſſundetur, artefactum eſt optimo jure Trinitati ſanctiſſimæ tribuendum, prout ſupra de Græcis eruebam. Homo fuit quidem Ignatius (oportuit hoc fateri pro generis humani decore multo:) ſed offerre invenibus litterarias palæſtras, ut otium criminum radicem declinent, ſanè divinum quid extitit. Hoc munus excellens Ignatius heredibus communicaſſe gaudet.

Refert Alapide com. in Proverb. 9. 1. §. Ruſum.

Hug. Card. ibid.

Rodolph. ib.

Petrar. de reme. proſp. fort. dial. 12. poſt princ.

Dan. 1. 3. 4.

Dion. Carth. ib. n. 4.

Daniel. 1. 8.

Proverb. 9. 6.

Hug. Card. ibid.

Salaz. ib. v. 4. n. 127.

54. *An Servator amplificatur per hoc, quòd fideles frequentent Euchariſtiæ ſacramentum?*

Inter alia S. Fundatoris bona reſplenduit fervor ille, quo frequentiam ſacramentorum promovit apud fideles. Totum ſe dabat huic ſollicitudini piiſſimus, non immemor, quantùm proſit confeſſionis amor, ut anima coërceatur à delictis. Anaſtaſius Sinaïta dixit ex Climaco: *Anima*

Ex Climaco Anaſtaſ. Sinai. q.6.

ma autem, quæ confeſſioni amica eſt, ab ea tamquam à fræno coërcetur, ne in peccata ruat; &c. Plus adhuc fructus idem percipitur de ſacroſanctæ communionis frequentia: nam ad præſentem in Euchariſtico ferculo Salvatorem ampliùs moventur animæ. S. Petrus Abbas Cluniacenſis, ut Euchariſtiæ ſacræ commendaret utilitatem, aiebat: *Movetur animus igitur magis ad præſentem quàm ad abſentem, movetur magis ad viſum quàm ad auditum Chriſtum: movetur ad admirandum, movetur ad amandum: quo amore, amanti generatur remiſſio peccatorum.* Quantùm pietas Chriſtiana proficiat per ſuſceptionem frequentem utriuſque ſacramenti, ſcilicet altaris & pœnitentiæ, pluribus exponere duco ſupervacuum. Repetitione lavacri non ſolummodo labes diluuntur; ſed gignitur puritatis amor, & concipitur macularum tædium. Creber acceſſus ad menſam ineffabilem roborat ſpiritum, ut ſtrenuus pugil in ſpirituali certamine prælietur. Ad aliud tranſibo, dimittens hæc nulli non aperta. Incrementum gloriæ divinæ perpendo; quod B. Ignatius in ſuæ Congregationis inſtitutione metam propoſuit attingendam. Sic exaltatur omnium Dominus per id quòd plebi fidelium turmatim ad piſcinam confeſſionis adventet, & ſanitati reſtituta convivio ſacro fruatur; ut exinde videatur ipſe Chriſtus Dominus augmenta capeſſere. Chriſtiani populi profectus iſte quodammodo velut amplificatio Redemptoris dici valet.

S. Petr. Abb. Cluniac. tr. contra Petrobruſian. longe poſt med.

55. Hortatum ſequens Rebeccæ matris Jacob perſonam fratris agens benedictionem prærepturus, quam illi decreverat ſuperna providentia; veſtibus indutus optimis germani venit ad Iſaac, cujus lumina caligaverant, quaſi morte jam faciente præludium, quæ ſolet oculis æternam inducere noctem. Exiſtimavit genitor illum Eſau; benedictionemque primogeniti largitus eſt ei, dicens: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. Et ſerviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum*, &c. Hæc accepta de Jacob, intellectu difficilia non ſunt: at ſi de Filio Dei ſumantur, difficultatem præ ſe ferunt. Illa de Chriſto Domino ſecundùm intelligentiam ſpiritualem interpretatur Beda. *Quis enim*, ait, *eſt ille, cui ſerviant populi, & quem adorent tribus, niſi caput ſeminis Abrahæ, & Iſaac, & Jacob, ſcilicet Chriſtus, qui non tantum homo, ſed & Deus & homo unus eſt Jeſus Chriſtus?* Enimverò ſenex augeſci cupiebat genitum. Salvator Deus eſt, & conſequenter incapax incrementi. Qua ratione prædicta poſſunt in eum cadere? atque Divinitate fruens creſcere? Amplificatum exiſtima per externam gloriam Deum ex eo, quòd fideles de peccatis pœniteant, & Sacramentum ſui corporis manducent. Non liberè me putes ejuſmodi ſolutionem adhibere quæſito. Tam pœnitentiæ, quàm Euchariſtiæ mentionem prædicto loco factam ſubodorare. Quoad pœnitentes favet

Geneſ. 27. 27. 28. 29.

Beda com. in Geneſ. lb. ad n. 29.

Rupertus; inquiens: *Fidei ſignaculum, cæteræque virtutes, ſive orationes pœnitentium, magni & ſuaviſſimi odoris ſunt. Talibus ergo delectatus benedictionis Author: Ecce, inquit, odor filii mei, ſicut odor agri, quem benedixit Deus, ſubauditur, ſit.* De mensâ divinâ paſtis accipe Bedam ad illud: *Ecce odor* &c. dicentem: *Odores nominis Chriſti ſicut ager mundum implent, cujus benedictio de rore cœli, & de verborum pluvia divinorum, & de pinguedine terræ, hoc eſt congregatione populorum multitudine frumentorum. Hæc multitudo quoniam colligit de Sacramento corporis & ſanguinis ſui, illi autem ſerviunt ex Gentibus ad illum converſi.* Rumina lentè commentatoris utriuſque myſticum ſenſum: nec jam demirabere, quòd multopere dixerim gloriam Salvatoris adaugeri per filios Ignatii: qui ferventes animarum charitate, qua paternus ardebat ſpiritus, populos invitant ad pœnitentiam, & communionem ſacram, in hiſque muneribus indefeſsè laborant; verè ſe perhibentes Ignatii zeli *heredes filios, & nepotes.*

Rupert. l. 7. in Gen. c.17.

Bed. com. in Geneſ. c.27. 27.

Prætereundum non eſt inſigne peculiare Societatis, quam Parens optimus Jeſu nomine decoravit: ſcilicet quartum illud ſolemne de miſſionibus Evangelicis votum, quod Altiſſimo ſacrant. Encomiis extolli promeretur eximinis amor, qui quod inclinatio diligentis avet, alieno juſſu perficit. Verbi Dei proficuam ſeminationem amat Societas; & affectum iſtiuſmodi ſub obedientia, quam ejus alumni quarto voto ſpondent, exequitur. Non inopportunè dono hîc Humbertum. *Patet*, ait, *ex prædictis, quod ut ad officium prædicationis modo debito accedatur debet haberi ſufficientia in perſona, finis bonus in intentione; in aſſumendo obedientiæ tractus.* Ignatius itaque poſteritatem ſuam Eccleſiæ Romanæ ſpecialiter adſtrinxit, præfatum illud votum à gnatis emittendum ſtatuens. Non exiſtimes id egiſſe ductum ſolummodo cupiditate meſſis animarum colligendæ per filios in cellaria Dei. Huic motivo ſuperacceſſit aliud: ſcilicet in compenſationem injuriæ, quam irrogarunt hæretici Domino, ſe diſcindentes ab orthodoxæ Matris gremio; voluit ſpiritualem exercitum producere militum, qui Romani Pontificis mandatis obtemperare ſponderent ſolemniter. Scimus utique, Beatum Ignatium poſuiſſe tunc Ordinis fundamenta, cùm Henricus octavus infelicis Angliæ rex defecit ab Eccleſia; Religionemque hanc approbatione Pontificiâ donatam eo tempore, quo movit Calvinus rebellionem adversùs Eccleſiam eamdem. Non hoc abſque Numine ſummo. Sic ſe res habuit, quaſi Deus oſtenderet, conari per Ignatium, & ejus claram ſobolem reſtaurare potenter honorem proprium læſum per offenſas, quas auſi ſunt eterodoxi contra dilectam Sponſam. Et ut intelligas, meditationem iſtam etiam è ſacro Textu quadamtenus educi valere, nonnihil ſubjiciam.

56. *Quadam ve. lut obedientia miraculoſa Deus cõpenſare curavit honorẽ ſuum læſum per ſciſſionem Eccle. ſiæ factam ab hæreticis.*

Humbert. l. 1. de erud. prædicat. p. 3. c.13. fin.

Novum ſæculis, inauditum naturæ mirabile fuit quòd fructus portaret arborem: Chriſtus, inquam, Dominus bajularet

57.

laret ſibi crucem ; cum ſit illa veraciter arbor, & Filius Dei fructus ejuſdem. At ſicut nulla contradictio reperitur in eo, quòd Redemptor ſit radix & genus David ; ita bene cohæret, ſi dixerimus, eſſe radicem & germen crucis : radicem, inquam, quia recepit crux ab eo quod illa ſit lignum vitale ; germen autem, quia fidelia corda carpunt à cruce fructum ſuaviſſimum, Chriſtum dilectum. En Innocentia ſumma titulo malefactoris ducebatur ad mortem. Repetere non pigeat nota ſatis Auguſtini verba. *Ibat ergo*, inquit, *ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem ſuam Jeſus. Grande ſpectaculum*, &c. Aliqua de mentibus tunc illuminatis fidei ſplendore poſſet expectare quod ſol obſcuraretur, dum Chriſtus iret ad Calvariam : nam ſi poſtea retraxit radios cum penderet Unigenitus Patris in patibulo ; cur non ſtatim contigit hoc in via ? De ſolis ecclypſi protulit quæ jam dono S. Hieronymus : *Videturque mihi clariſſimum lumen mundi, hoc eſt, luminare maius, retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blaſphemantes ſua luce fruerentur.* Ergo qua de cauſa non multùm antea ſol, ne lucem præberet iniquis, Conditoremque ſuum aſpiceret inſtrumentum ſupplicii deferentem, fuit obſcuratus ? Exiſtimo, magis opportunum fuiſſe tempus ecclypſis poſtea, per quam ſol Deo velut præſtavit obedientiam ; ut ſuo modo compenſaret injuriam ei factam in Eccleſiæ diviſione ; quam nonnemo dicet in monte figuratam per veſtitum Domini partitionem. Conſulatur Beda. *Quadripertita*, inquit, *veſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quadripertitam figuravit ejus Eccleſiam*, &c. Non incongruè dici poteſt partitionem veſtis exterioris Domini deſignare ſciſſuras, quaſi auſi ſunt hæretici, cùm ſe diviſerunt ab orthodoxis : nam legimus, Redemptorem S. Petro Epiſcopo Alexandrino apparuiſſe veſte diſciſſa ; cauſamque rei ſciſcitanti repoſuiſſe : *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilaceravit.* Per ſolem poſſunt accipi non violenter prædicatores Evangelici : nam aliorſum dixit Abbreviator Gregorii Magni : *Aliquando namque in ſacro eloquio ſolis nomine claritas prædicatorum deſignatur, ſicut per Joannem dicitur.* Factus eſt ſol ſicut ſaccus cilicinus. Sol materialis, quia diviſerunt impii veſtem Salvatoris (id eſt hæretici Eccleſiam) Deo contumeliam inferentes ; ut ejus aliqualiter ipſe tueretur honorem, econtrariò ſceleſtis oppoſitus, obedire ſe Deo teſtatus eſt, & Creatorem (ſic liceat fari) agnoſcere ſuum. Sole præſtantiùs hoc exhibuit in Dei gloriam Ignatius : nam ille negando ſplendorem ; hic vero diffuſurus per orbem lumina plurima per Societatem ſuam, honorem Dei læſum ab hæreticis per diſciſſionem Eccleſiæ reſtaurare conatus eſt : ſuis injungens obedientiam Pontifici ; qua compenſaretur inobedientia ſceleratorum contra Sedem Apoſtolicam.

S. Aug. to 9 tr. 117. in Joann.

S. Hieron. to.9 l. 4. in Matth. c.27.

Bed. in Joann. 19.

Breviar. Rom. in leg. S.Petr.Epiſc. Alexan.Martyr.

S. Od. Clun. l.9. in Job.

Apoc.6.12.

58. *Qualis Deo gloria, cum rogat aliquis*

Adhuc aliquid notare juvat circa miſſiones ad prædicationem Evangelii ; quibus incumbunt Ignatii filii à prælato dimiſſi. Mos illis eſt rogare ſuperiorem, ut mittat eos ad Evangelium diſſeminandum. Illuſtre charitatis exercitium hoc eſt : nam conjungitur electionis arbitrium cum obedientiæ ſubmiſſione : fitque voluntatis electio jubenti ſubdita ; necnon obedientis humilitas electionem propriam exequitur. Eccleſiaſtici viventes in ſæculo concionantur ad ſalutariter inſtruendos auditores, proprio ducti libito ; Societatis autem alumni dimittuntur ab aliena manu contra ſcelera. Salubris prædicatio comparatur apud Ansbertum igni pluviæque. *Si enim*, ait, *divini verbi prædicatio ignis non eſſet, nequaquam Pſalmiſta de Joſeph dixiſſet*, Eloquium Domini inflammavit eum : &c. & infra : *Pluviæ enim cœlorum, prædicationes ſunt ſanctorum.* Agris imber prodeſt fœcundans illos ; & aliquando flamma dumos exurens. Pluvia ſponte decidit ; ignis alienis manibus applicatur. Concionantes, qui libertatem profeſſioni religioſæ non ſubdiderunt, ultroneè ſe committunt prædicatorio muneri, ſimiles pluviæ ſpontaneè cadenti ; Ignatio geniti, cujus munus extitit, ut ſupra dicebam, ignem jacere per inſtitutam familiam, ut criminum dumeta comburerentur, alienam expectant manum, quæ mittat ignem adversùs ea. Talis Deo gloria promanat ex iſta circumſtantia meſſoris Evangelici, quòd putare quis poſſet ipſum Redemptorem rogaturum fore ſuos, ut ab eo poſtulent mitti ad prædicandum. Gaudet Salvator ad iſta rogari ; quin & haud ipſe dedignatus eſt aliquando petere ſuis, ut id à ſe flagitarent.

mitti ad meſſem animarum.

Ansbert. l.5. in Apoc.

59.

Converſabatur inter homines juſtitiæ Sol, factus opere ſol miſericordiæ. In planetæ principis luminum morem circuibat prædicans Evangelium regni. Videns turbas, miſeratione motus eſt : quia jacebant ut oves paſtore carentes. *Tunc dicit diſcipulis ſuis : Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Doctor Angelicus ibi : *Rogat enim*, ait, *ut ipſe rogetur ut eos mittat.* Statim poſt ſimilia verba relata Chriſti Servatoris, narrat Lucas, Dominum dixiſſe : *Ite : ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Si miſſurus erat ſtatim diſcipulos, quo fine rogavit eoſdem ut orarent ab eo mitti ? Credo, in ſpecialem glorificationem Domini cedere quòd ſui miſſionem Evangelicam ſupplicent ab eo : nam iſto rogatu charitas movetur ampliùs ; elevaturque fortiùs flamma combuſtura fortiter iniquitates hominum, & illuſtratura feliciter mentes audientium. Ab iſto dilectionis proximorum incremento non poteſt non exultationem capere Sol ille, qui venit mittere terris ignem. Ejuſmodi gaudium Domino tribuit poſteritas Ignatii ; cùm ejus gnati rogant à ſuperiore (qui Dei vices agit ad ipſorum regimen) ut eos mittat colligendæ ſpirituali meſſi. Hunc affectum erga ſalutem fidelium à Genitore ſuſceperunt, qui proprii fervoris reliquit *heredes filios, & nepotes.*

Matth. 9. 37. 38.

S. Thom. com. in Matth. ib. n. 38.

Luc. 10. 3.

60. *Inſignes ſan-*

Cum Beatiſſimus Ignatius erexerit my-

Ei Deo gratias agunt quòd non egerint opus, etsi meritorium, ex quo manare potuit gloria mundi.

sticam Domino fabricam; qua sic exaltatur Rex regum, quòd inde clarescat Ecclesia sponsa, proficiant ad salutem hujus filii, cædantur ad confusionem rebelles adversarii: non tamen passus est ut appellaretur societas Ignatii; sed Jesu nomine libens condecoravit eam. Oppositum suadere videbatur sancto Fundatori dilectio, quamvis obstaret humilitas. Humillimus equidem erat Salvator; & sollicitudine multâ quærebat gloriam Parentis: nullibi tamen legimus, Ecclesiam, quam à fundamentis construxit donavisse nomine paterno: quia licet foret admirabile submissionis indicium, si diceret Ecclesiam Patris illam, quam acquisivit sanguine suo; nihilominus morigeratus est amori suo; qui gaudebat quòd appellaret ipsam Redemptor Ecclesiam propriam. Multum roboris inest humilitati; sed aliquando cum affectu paciscitur, ut sinat, istum in actus & verba prorumpere minùs demissionem profundam significantia. Non dicam, Ignatium etiam in hoc vestigia Christi secutum; cum ille Societatem sanè diligens impensè, nequaquam decreverit nominari suam. Dimisit gloriam, quæ promanaret iidem, si familia tanto nomine digna per nomenclaturam Ignatii nobilitaretur; ut ad majorem Domini glorificationem prodesset eam cognomine Jesu donari. Christus Dominus, qui suam dixit Ecclesiam, tutissimus erat à spirituali periculo vanitatis; Ignatius verò timuit de gloria Dei quicquam arrogare sibi. Sed quia gloriatio sectatur declinantem, tutò gloriari poterat, quòd nihil de gloria Creatoris ille sibimet usurpaverit; dicens cum D. Bernardo: *Si gloriandum est, Paulus me docuit unde & in quo.* Gloria, *inquit*, nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ. *Securus glorior, si teste conscientiâ de gloria Conditoris nihil mihi usurpo.* Verum quidem est profecturum fore ad Ignatii meritum, si Religionem suam Ignatius appellaret ex proprio nomine, Societatem Ignatii: nam titulum istum ei largiretur ex charitate multâ, proindeque non exiguè mereretur. Sed insignium justorum frequens mos est ita gloriam hominum declinare, ut, quantumvis aliquid meriti deperdant, istiusmodi jacturam nequaquam recusent dummodo vitent glorioſam, quam reformidant. Parcè dixi: Non recusent: imo gaudent, ac Domino grates persolvunt, quòd non illud operati fuerint, ex quo glorificandi fuerant apud mortales; etiamsi minorem propterea meriti copiam sic possideant. Beneficium Dei credunt non perfeciſſe meritorium factum, ex quo vana mundi gloria manare potuisset eisdem.

S. Bernar. ser. 23. in Cant.

61. Reprehendit Apostolus contentiones inter Corinthios. Alius dicebat: Ego sum Pauli; alius: Ego Cephæ &c. *Gratias*, inquit Paulus, *ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum & Caium: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.* Humilitatem Doctoris Gentium notavit Anselmus, inquiens: *Modestè & humiliter sanctus Apostolus zelans Ecclesiam, sed sponso, non sibi, & hortans eos qui voluerunt dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, suam personam potius assumpsit quam calcaret & contemneret, ut Christum glorificaret.* Quæro. Nonne Paulus mereretur ampliùs per charitatem, & ministrationem baptismi, si multitudinem copiosam baptizaret? Id non dubitas. Ergo quare Deo gratias agit, quòd non majorem numerum fidelium lustraverit aquâ baptismatis? Verebatur, ne forsan aliquis ipsi tribueret gloriam Deo propriam. *Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.* Dei certè donum reputavit quòd opus, licet meritorium, non fuerit executus, è quo prodire valuit gloria vana penes homines. Et quomodo pavebunt perfecti viri gloriam usurpare divinam; qui, non dicam jam surripere, sed etiam sibi non accipientibus donari formidant partem glorificationis, quæ Dominum attinet? Longe positus erat Ignatius à surripienda gloria Dei; cujus augmentum totis viribus promovere studuit. Insuper, si Religionem ex nomine proprio diceret, & inde glorificaretur à mortalibus, oblatam gloriam quidem respueret. Non tamen per istud constans animi propositum satis humilitati suæ fecit: occasionem præscidit ne per homines occasione prædictâ exaltaretur. Idcirco non avarus proprium nomen denegavit suis; quantumlibet bona spiritualia sua transmiserit in eos tamquam in *heredes filios, & nepotes.*

1. Cor. 1. 14. 15.

S. Anſel. in com. 16.

DELIBATIO VI.

Dives frequenter impius. Paterna dilectio probatur sollicitudine. Glorioſum est esse patrem pauperum; & ad justi manus venire bona peccatoris. Qualiter dæmon possideat malum.

62. SAnctorum laudibus intenti minus libavimus de morali doctrina. Nunc ad istam revertar, quam certè non deserui: nemo quippe diffitebitur, & sanctorum præconia moribus prodesse. *Bonus.* Cum Salomon hereditatis meminerit; &, quasi mors fortiùs inveheretur ad pauperes, isti non soleant heredes relinquere (nisi hereditariam dicamus abjectionem, quæ transit ad eorum progenies) notabam, hoc loco non legi: Bonus dives relinquit heredes &c. Noluit Sapiens hîc jungere vocabula tam frequenter pugnantia; nempe, Dives, &, Bonus. Fateor, opes de se malas non extare. Sed, ut videas quantis criminibus involvantur ordinariè sæculi dites, audi Chrysostomum. *Divitis*, inquit, *autem anima omnibus plena est malis, arrogantia, vana gloria, concupiscentiis innumeris, ira & furore, avaritia, injustitia, & omni alio.* O bona per nequitiam Adamidum facta quamsimilia malis! Depravatæ naturæ noxias inclinationes multas cohibet egestas. In locuplete cessat hoc exosum plurimis remedium: ac proinde factus homo potens per mundiales copias præceps

Quàm similia sint hæc nomina, Dives, & Impius.

S. Joann. Chryſoſt. to. 3. hom. 13. in Act.

præceps it ad flagitia. Virtutem ſectari non prohibet opulentia ; ſed prudens regulam non ſumit ab eo quod rarum eſt ; à communiter accidentibus res dijudicat. Tantopere ſolitant copioſi vivere nequiter, ut veluti ſynonyma reputari valeant hæc duo nomina, Impius, atque, Dives. Toties connectuntur hæc ambo, quòd, ſi protuleras illam vocem, Impius, recta dicendi ratio poſtulet, ut, ne mox eamdem repetas, ejus loco potiùs utaris hoc nomine, dives.

63 Spiritu ſancto dictante locutus eſt Iſaïas ad hunc modum ; prænuntians Chaldæorum deſtructionem, ſi Cardinali credimus Hugoni : *Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua* : &c. Purpuratus exponit ſic : Dabit impios : *id eſt Chaldæos* : Pro ſepultura : & divites, *dabit* Pro morte ſua, *id eſt Chaldæi deſtruentur propter hoc quia occiderunt & ſepelierunt Judæos.* Et quid proportionis eſt inter excidium Chaldæorum, atque divitias, ut Vates hoc loco nomine divitis utatur? Deſtructio, quam Propheta prædicebat, reſpondit eorum impietati, non autem extitit abundantiæ pœnæ : nec enim abundare ſcelus eſt, ſi ſerventur ſervanda, diſtribuereque memineris quæ ſervare prohiberis. Nomen, Impius, valde proprium Chaldæis erat. Cur ergo non Iſaïas dixit : Et impium pro morte ſua? ſed ait : *Et divitem* ? Quia fuerat uſus immediatè priùs impii nomine, dicens : *Dabit impios pro ſepultura*, & ne tam cito rurſus idem vocabulum aſſumeret, elegit aliud ſimile, nempe, *Divitem* : nam ex frequenti conſuetudine, qua ſolent opulenti ſcelera patrare, ferè ſynonymam ſignificationem acceperunt voces, quæ tam longe diſtant ex inſtitutione ſua primæva. Et adhuc erit qui nomine divitis glorietur quaſi de nobili titulo. Non ita Sapiens : qui addere noluit in præſenti vocabulum, Dives, cum dixit *Bonus.*

Iſaï. 53. 9.

Hug. Card. ib.

64. *Paterna dilectio magis probatur ſollicitudine de filio, quàm cenſu relicto.*

Relinquit heredes. Potuit in hac ſententia Salomon exprimere verbis amplitudinem hereditatis, etſi nomen divitis præterierit. Movere parum videtur ad virtutem quòd probus tandem ſit relicturus poſteris bona, ſed non exundantia. Magis ad pietatem accenderetur fragilitas humana, ſi dixiſſet hîc Salomon : Bonus homo relinquet amplam & pretioſam hereditatem filiis & nepotibus. Quare non ſic effatus eſt? Ne ſumerent occaſionem parentes aliqui dandi nimiam operam coacervandis ingentibus copiis eo prætextu, quòd heredibus filiis & nepotibus iſta conquirunt. Genitor optimus non de copioſiſſimo cenſu, quem filiis parat cenſendus eſt ; ſed potiùs de cura dilectioneque paterna ; ſervatis dictaminibus rationis etiam circa facultates ipſis præparandas. Fateor, amorem erga gnatos agere genitores ad optandas eis divitias multas : *Se quippe carnalis pater* (inquit S. Laurentius Juſtinianus) *amat in filium : in ipſo vivere ſe ſperat. Quod proprio non habet in corpore, in filiorum propagine quærit. Agnoſcit diù ſe non poſſe ſubſiſtere : unde & poſteris ſui memoriam derelinquit in filio. Hinc eſt, quod domum conjungit domo, & agrum agro copulat, ut poſſeſſionum ſuarum dilatet terminos. Inſatiabiliter quoque auri, argenti, gemmarumque divitias aggregat : adeo ut non minus affectu poſſideat quod non habet, quam quod habet.* Nihilominus, cum amoris excellentia non in effectu conſiſtat, ſed in affectu ; multique diligentes amore non perfecto genitos plurima bona linquant eiſdem ; patris amantiſſimi potiſſimum indicium non eſt ad filios tranſmittere bona poſt mortem poſſidenda ; ſed ea ſollicitudo, qua de filii bonis futuris ille ſatagit : oſtendat curam ; & quamvis accidat ut parum vel nihil eis relinquat, probavit amorem.

S. Laur. Juſt. in faſcic. amor. c. 9. poſt med.

Peculiariter afficiebatur Jacob ad Joſephum, quem ipſo neſciente dominantem in Ægypto luxit veluti mortuum ; & poſtea gaviſus eſt cernere ſuperſtitem. Ægrotantem Joſephus inviſit deferens nepotes : poſt quorum benedictionem Jacob dixit ad gnatum : *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Controvertunt interpretes, quænam fuerit illa pars, quam Jacobus extraordinariam dedit genito ſuo Joſeph. Loquar juxta quamdam expoſitionem, quam ex Hebræis refert, nec improbat Pererius ad hunc locum ; ſcilicet : *Jacob, tamquam vatem dixiſſe hæc verba per anticipationem : ut illud* Quam tuli, *dictum ſit pro, Quam nepotes, ſive poſteri mei accepturi olim ſunt jure bellico, cum univerſam expugnabunt Chananitidem.* Inquirerem. Si fuit iſta mens Jacobo, quare non potiùs dixit : Prænuntio tibi futuram, vel poſteritati tuæ, partem unam extra poſſeſſiones tuorum fratrum, quam deſcendentes mei capient aliquando? quomodo potuit proferre : *Do tibi*, cum loqueretur de re, quam non poſſidebat? nonne perinde fuit hoc, ac ſi nihil Joſepho donaret extra fratres? Prudenter locutus eſt grandævus. Animus erat illi dilectionem oſtendere peculiarem erga Joſeph : probare curavit ſollicitudinem in futurum, qua jam gnato favebat ; quamvis non in effectu donaret aliquid extraordinarium. Cum partem illam pro tunc rigoroſè donare non valeret, utpote non ſuam ; ſatis amorem ſpecialem circa Joſeph teſtatus eſt ei per oſtenſam curam filio proſpicientem ad longinqua tempora. Paternus amor ampliùs demonſtratur ex affectu, quam ex effectu, quo ſuos unuſquiſque *relinquit heredes.*

65. Geneſ. 48 22.

Ex Perer. ib. n. 17.

66. *Major gloria parentum eſt gerere ſe tãquam patres pauperum, quàm ut genitores filiorum.* S. Aug. to 8. expoſ. in Pſal. 102. 17.

Filios. Univerſale non eſt effatum iſtud: nam plurimi viri probi diviteſque vitam finiunt deſtituti propagine. Sed adhuc aſſeri de iſtis poteſt, non deceſſiſſe vacuos progenie : nam iſtorum laudabilia facta vocari queunt eorum filii, juxta phraſim D. Auguſtini : qui ſuper illud Pſalmi : *Et juſtitia illius in filios filiorum*, ſic habet : *Quam multi ſunt ſervi Dei non habentes filios, quanto minus filios filiorum? Sed filios noſtros dicit opera noſtra : filios filiorum, mercedem operum noſtrorum.* Accedit, abundantem bonis fortunæ, ſi virtute præditus eſt, numerare tot filios, quot egenos paternali ſublevat amore : nam & hoc efficere valet charitas ; extra-

neum ſcilicet in filium transformare. Longe plùs alienati fuerant mortales à Deo per culpam, & novimus, quamplurimos amoris ingenio factos eſſe filios ejuſdem. Quantò magis id poterit evenire per amorem erga proximum ? Facilius hoc ſecundum eſſe dixi : non quia major inſit vis humanæ dilectioni, quàm divinæ : ſed quoniam, cum ſimus reſpectu Dei nos alterius naturæ diſtantis infinitè, per affectum efficimur ipſius filii : proclivius erit, ut eos, qui nobis ejuſdem conditionis participatione conjunguntur, in propriam ſobolem tranſmutemus ? Et ô quàm glorioſum eſt locupleti prolem ſic extendere numeroſam ? Inter felicium gaudia reputari frequenter ſolitat per opulentos filiorum numerus ; at glorioſius eſt pauperum eſſe genitorem : nam hos gnatos dat arbitrium ; alii verò ſuſcipiuntur ſorte. Inter fortunati proſperitates potior eſt patrem egenorum eſſe, quàm filiorum.

67. Non turbavit memoriam Jobi copia malorum : ſed hocipſum in ejus torſionem acceſſit : nam & præterita bona fiunt in reminiſcentiâ miſeri pro torquendo paria malis. Memor ille priſtinæ ſortis, quâ potitus fuerat antea, deprompſit multa, quibus anteactam proſperam conditionem depinxit. Non legimus, eum ridentis fortunæ bonis annumeraſſe filios, quos pro-
Job 29 5. genuit : nam licet dixerit : *Et in circuitu meo pueri mei*, id Scholiaſtes Mariana ſic
Marian. in ſchol. ib. exponit : In circuitu meo pueri mei, *id eſt miniſtri mei.* Inferiùs autem legitur illud
Eod. c. n. 16. Jobi : *Pater eram pauperum* : &c. Quid hoc miſcet inter glorioſa, quibus dum fuerant meliora tempora fruitus erat ? Senſit, ampliùs in hoc extitiſſe felicem quòd egenorum ſublevaverat miſeriam ; quàm quòd gnatorum progenuerit copiam. Idcirco memor felicitatum quibus abundaverat, ſiluit genitorum fœcunditatem ; & indigorum patrem ſe fuiſſe dixit. Hoc certè fortunatius eſt. Advertendum tamen, iſtius præclaræ paternitatis agnomen aliquibus, non autem omnibus eleëmoſynariis congruere. Sunt enim quidam largitores, qui tantùm propter urgens præceptum ſuccurrunt egenis ; non autem illorum dilectione tanguntur. Alius eccleſiaſticos redditus inopibus vectigales poſſidens, ideo tantùm ſtipem egentibus præbet, quia lex obligat : alter in ſæculo ditiſſimus præſtat opem fame laboranti, ſolummodo quantùm ſatis ut ſatisfaciat mandato Dei, ſed à diligendo miſerabili ſic abeſt, ut illum verbo contemnat & ſupercilio. Nullus ex his pater pauperum rigoroſè dicitur : primum appellamus diſpenſatorem patrimonii miſerorum ; ſecundum verò patronum eorumdem. Is indigorum veraciter extat parens, qui, vel inſtet obligatio donandi, vel non, haud juſſo coactus donat ; ſed ex amore non dedignante pannoſum. Fruere Magno Gregorio : qui ad ſupra citatum Jobi locum ait : *Quia igitur aliud eſt bonum opus ex*
S. Gregor. Mag. to. 1. l. 19. mor. c. 14. *præcepto, aliud verò etiam ex affectu facere : ſanctus vir ut mentem nobis ſuæ operationis inſinuet, dicat* : Pater eram pauperum. *Non enim patronum ſe vel proximum vel adjutorem pauperum, ſed patrem fuiſſe teſtatur : quia nimirum magno charitatis officio ſtudium miſericordiæ vertit in affectum naturæ, ut eos quaſi filios cerneret per amorem, quibus quaſi pater præerat per protectionem.* Digitum intendit in altum S. Pontifex, ſcilicet in miſericordiam paternam exhibendam pauperi ; fortaſſis ita ſcopum elevans liberali : quem licet non attingat ; ſaltem à miſeratione prorſus non abſtineat manus ejus. Igitur eſto dives non ſe patrem exhibeat inopum ; ſaltem proximum agere non detrectet : fieri poterit ut aſſueſcens miſerationi, ſaltem ad vitæ finem, cùm derelinquenda ſunt bona terrena, tranſeat pietas in amorem paternalem, & pauperes in teſtamento ſtatuat *heredes filios* &c.

68. *Honorabile plurimum eſt juſto bona ſuſcipere, quæ poſſidebat iniquus adverſarius.*

Et cuſtoditur juſto. Arcana Domini providentia, quamvis in ſuos munificentiſſima non timeat exhaurire theſauros omnipotentiæ, quandoque diſponit, ut opes, quas impius congregaverat, veniant ad manus hominis virtutem ſectantis. Hoc pacto ſæpius inexpectatò ditati ſunt aliqui Deo placentes ; & ſic abſque ſollicitudine propriâ conſecuti ſunt lætiùs, quod alioquin laboribus non exiguis emendum erat. Accedit quòd eo modo clareſcit divina ſapientia ; quæ gloriatur multoties intentos fines aſſequi per media nobis apparentia penitus oppoſita. Captivus degebat in aliena regione Joſeph ; ac in ipſa captivitate manui ſuæ tradita ſunt omnia bona Domini virtutis merito. Ad illud Geneſis : *Nec quidquam aliud noverat, niſi panem quo veſcebatur.* S. Joannes Chryſoſtomus ait : *En ſervus & captivus ſub manu ſua habet omnia quæ erant domini : tanta res eſt virtus.* Cœleſti conſilio quomodo reſiſtet humanum ? Vir inculpatus opprimitur : ac non ſolùm ei miniſtrat oppreſſor materiam ſpiritualiter diteſcendi per ſuæ tolerantiæ lucrum ; ſed etiam non ſemel eidem ſervit malus ; cuſtodiens bona, quibus diſpoſitione divinâ poſtea fruitur juſtus : quaſi parum eſſet, probum ſervari, niſi malus inſuper ipſi miniſterium iſtud exhiberet. Hoc inſcrutabile providentis Altiſſimi judicium peculiariter effulget, cùm dives malus odio proſequebatur juſtum ; cui divinitus cuſtodiuntur iniqui ditis bona. Glorioſum eſt in bello de ſpoliis hoſtium locupletem fieri : quantò plùs id erit honorificum citra ſanguinem ? Honorabile plurimum eſt juſto bona ſuſcipere, quæ poſſidebat improbus adverſarius.

Ad Geneſ. 36. 6. Chryſoſt. to. 1. hom. 62.

69. Parata cædes Judæis per Aſſueri monarchæ provincias diſperſis recidit in caput Aman ; qui ſuperbiâ ductus hanc molitus fuerat cladem. Hic in patibulo ſuſpenditur ; & poſtea legitur ita : *Die illo* Eſther 8. 1. *dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman adverſarii Judæorum*, &c. Scio magnitudinem divitiarum, quibus opplebatur illud elationis monſtrum : ſed quid hoc magnum, ut id acciperet regina dono ? Memini, Daniëlem vocatum ut coram Baltaſſare ſcripturam illam fatalem, quam rex viderat in ſuperficie parietis, interpretaretur, recuſaſſe quæ promiſſa ſunt liberalitate

liberalitate regali. *Ad quæ reſpondens Daniel,* Daniel. 5. 17. *ait coram rege: Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da:* &c. Reſpuit Propheta regia dona? non recuſat Eſther, licet regina ſit? Non illam avaritiæ labe crediderim fœdatam; præſertim, quia puto non multi feciſſe munus iſtud principis infidelis viraginem, quæ diadema proprium Eſther 14. 16. deteſtabatur. Ipſa dixit: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum* &c. Qua de cauſa non abominatur etiam domum Aman ab Aſſuero largiente recipere? Conjicio, piam fœminam propterea non detrectaſſe munus illud, quia cedebat in peculiarem exaltationem providentiæ divinæ, divitias Aman in poteſtatem Eſtheris venire. Hoſtis erat ille Judæorum; Eſther autem Hebræa, pietatemque diligens: diſpoſitione divinâ factum eſt, ut ipſa vendicaret quæ felix congregaverat Aman. Sic inſerviit virtutem ſectanti malus: & ſimiliter multoties theſaurus impii *cuſtoditur juſto.*

70. *Subſtantia peccatoris.* Exponit Hugo Cardinalis: Subſtantia peccatoris *id eſt diaboli: videlicet gentes, quæ ei ſerviebant donec Chriſtus venit qui eum vicit & tulit ſpolia ejus:* &c. Generaliter de quocumque malo pronuntiari poteſt, à dæmone quadamtenus poſſideri. Colligitur id ſæpe, dum experimur quaſi teneri, ne virtutes exequatur, ex quarum cognitione delectationem ſuſcipit; in tenebris poſitus, deſiderium fugiendi peccatum concipiens, nec opere complens. S. Aëlredus: *In virtutem ſerenitate delectatur, ſed exemplo malorum illectus, quaſi invitus cogitur repetere quod deteſtatur. Hinc dolor ſi ceciderit, timor ſi reſtiterit, tremor ne in his pereat, deſiderium ut fugiat. Verſantur tenebræ in conſcientia, in corde triſtitia, anguſtia in cogitatione.* Sic ille de ſcelerato, quem premit conſuetudo peccandi. Quid iſtum dicemus, niſi diaboli poſſeſſionem? Hic, ſimileſque vocari poſſunt ejus divitiæ: non aliarum poſſeſſor eſt. Et utinam tam facilè cacodæmon perderet opes iſtas, quàm ſolent à ſæculi ditibus evolare gazæ. Miſerrimum hoc eſt; ſcilicet quòd, cum facultates à principe tenebrarum donatæ ſuis clientibus in peccatorum pretia fugitivæ ſint; peccatores per damnabilia facta hoſti communi ſe tradentes veluti domino, per ſocordiam & pertinaciam reddant eumdem conſtanter poſſeſſis animabus eorum opulentum. Non ſolent iſti malignum velociter deſerere fugâ; poſſeſſorem verò pellere tartareum ſatis arduum eſt.

Hug. Card. in Proverb. 13. 22. *Peccatoris à dæmone poſſeſſi rara ab eo fuga: & quæ difficultas in poſſeſſore depellendo.*

S. Aëlred. ſer. 28. in c. 16. Iſai.

71. Poſtquam Dei Filius liberavit mutum dæmoniacum, ſic elocutus eſt, aliis omiſſis: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* De diabolo Dominus hæc dixit. Cardinalis Toletus ad eum locum: *Armatus dicitur armis peccatorum noſtrorum; tantò enim majores vires exercet in hominem, tantóque minus ei reſiſtere, eumque lædere poſſumus, quantò magis peccatis inficimur, & debilitamur. Atrium ſuum in pace poſſidebat, quia homines peccato ſubjugatos habebat, nemine eorum valente ab ejus tyrannide ſe liberare.* Penſitabam quod ſubjugatio iſta, qua dæmon tenebat mortales, non explicetur hîc per ſervi poſſeſſionem; ſed atrii. Ne fruſtraneum putes hoc ad moralem doctrinam. Captivus vinculis onuſtus expedit ſe multoties ac dominum fugit; atrium verò poſſeſſum non declinabit à poſſeſſore: ſi quis hunc velit inde propellere, facile non eſt omnibus & ſingulis hominem à domo, quam inhabitat ut ſuam, projicere. Sic multis accidit peccatoribus. Hos malignus habitat uti domos, à quibus non facillimè propulſabitur; ipſi verò tamquam atria lapidea ſtant immota, ſub habitatoris execrabilis miſerandâ poteſtate. Quantumvis tamen poſſeſſor tyrannus extet, noſtra potiùs accuſemus crimina, quàm illum: nam à delictis voluntariè catenamur. Bellè Chriſtianus poëta vincula prædicta dolens nomine peccatoris.

Cardin. Toletus com. in Luc. ib.

Luc. 11. 21.

Hei mihi quot circum pedicarum indagine cingor!
Ceu fera venantum præpete ſepta globo, &c.

Hug l. 1. pſ. deſid. poëm. 9.

FLOS XVI.

Multi cibi in novalibus patrum: & aliis congregantur abſque judicio.

APERITUR.

CORNELIUS Janſenius exponit in hunc modum: *Multos cibos parant ſibi filii ex novalibus patrum ſuorum, hoc eſt, ſi inſiſtant laboribus patrum & eorum diligentiam æmulentur, quia cibi ſic quæſiti divina benedictione multiplicantur.* Et ut interpres iſte, qui prædictis verbis exprimit ſenſum primæ partis hujus dogmatis, ſecundam coaptet eidem, ſuſpicatur, in lectione vulgata mendum irrepſiſſe, ac legendum in caſu nominativo, ſcilicet. *Alii*; quò poſterior pars explicetur ita: *At ſunt alii cibi, id eſt aliqui cibi ſunt, qui à pleriſque congregantur injuſtè, non cum debito judicio*, &c. Salazar dixit, hanc interpretationem abhorrere à Vulgata. Fateor, prædictam de mendo ſuſpicionem eſſe falſam. Sed prioris partis expoſitio, quam Janſenius attulit (quamvis eam non dicam litteralem, quia libera eſt, licet ad mores non inepta) in quo, quæſo, abhorret à Vulgata? an ex hac magis eruitur quod ait Salazar: *Per novalia filios intelligo?*

1. Ianſen. in Proverb. 13. 23.

Idem ib.

Salaz. ib. n. 93.

Idem ib. n. 94.

Idem Commentator alteram expoſitionem addidit; cui conſonat ex parte Rodolphus; juxta quam idem paræmia valet atque ſi diceres: Optima induſtria, qua parentes ad filios locupletandos uti debent, eſt relinquere illis prædia & fundos ad culturam, ac divitias ex agricultura collectas: aliis autem viis congeruntur genitis facultates contra fas. Hic interpretandi modus probabilis eſt; & cedit in agriculturæ laudem: quam ita commendat S. Iſidorus Peluſiota, quòd ſcripſerit ad quemdam: *Agricultura & neceſſaria in primis, & cæterarum parens nutrixque eſt artium.*

2. Idem ib. n. 97 Rodolph. ibid.

S. Iſidor Pel. luſ. l. 5 ep. 98.

artium. Illâ etenim vigente, florent etiam reliquæ: contra infeliciter agente illâ, cæteræ artes propemodum extinguuntur. Cave igitur pudeat te hanc exercere, ſed te potiùs ipſa oſtentes, &c. Circa ſecundam parabolæ partem addit Rodolphus, poſſe intelligi ſic:

Rodolph. in Prover. 13. 23. *Ager perit abſque judicio, quia ritè non colitur, neque juxta conſuetudinem*: &c. Impugnatur hoc ex dicendis infra v. *Congregantur.*

3. Alapid. ib. Præfero tamquam germanam expoſitionem Cornelii Alapide: ſecundùm quam proverbium accipiendum eſt q. d. Sunt qui, cum victus eis abundet ex patrum ſuorum novalibus, congregant imprudenter aliis, quia prodigunt, vel negligentes ea ſinunt ab aliis occupari: Ea quidem eſt filiorum circa bona paterna prodigalitas poſt genitoris funus, ut mirari poſſimus quòd non diſſipent etiam parentum cineres: parum diſtavit ab hoc facto Cteſippus filius Chabriæ, de quo narrat Macrobius, prodegiſſe lapides pretioſos paterni ſepulchri. Oſſa patris hic, ut puto, non vendere curavit, quia nihili duxit. Morbus plurium filiorum eſt ita ſe gerere, quaſi metuant, ne de bonis hereditariis aliquid ſibi poſt facta ſuperſit. De quodam iſtorum cecinit Martialis.

Mart. l. 9. epigr. *Nam tu dum metuis ne quid poſt fata relinquas,*
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.

4. Omitto libens aliam acceptionem, quam Salazar penultimo loco nobis offert, ſcilicet: Ipſi patres ex propriis novalibus copioſos fructus metunt, congregantes filiis, qui abſque judicio poſtea dilapidant. Diſplicet, inquam, nam ſi fuiſſet iſta Salomonis mens, non diceret, *Novalibus patrum*; ſed vel ſimpliciter, *Novalibus*, vel, *Novalibus ſuis.* Dimitto etiam ſenſus, quos ex aliis lectionibus eruunt aliqui: nam, ut alibi dixi, ſolam Vulgatam explicamus. Rejicio necnon Liram, quatenus illud, *Abſque judicio*, exponit q.d. Abſque labore. Patet ex terminis, hoc non eſſe de rigore litteræ. Nititur Commentator in eo, quòd fructus laboris appellari ſoleat merces laborantis: & cum ſolvere mercedem ſpectet ad juſtitiam, videtur quodammodo judicium exerceri per hoc, quòd laborantes accipiant de ſudore ſuo proventum; quòd ceſſat in iis, qui non laborant. Reſpondeo, valde latum eſſe hoc, cum ſermo ſit de laborantibus in agris propriis: nam, quæſo, quis ita loquitur quaſi juſtitiæ ſit opus fertilitas, qua fundus reſpondit exhibito labori domini ſui colentis illum?

5. *Multi cibi.* Simplicem victum & facilè parabilem ex agris Paræmiaſtes videtur ſuadere. Sic luxui reſiſtendum, quamvis non expreſsè doceat, aliqualiter hortatur. Si virtutes mediocritatem diligunt, ne degenerent (licet, ut ex communi definitione liquet, nullus utatur virtute malè) quomodo non oportebit ſervare medium in rebus, quæ ſunt indifferentes ad malum & bonum; qualis eſt ſumptio cibi? Dicit ad hæc gulæ deditus: Venter præcepta non audit. Facilè reſpondetur. Corpus neceſſaria poſtulat; iſtud ſuperflua non exigit; ſed appetitus, qui ſub ratione delectabilis ad nimietatem inhiat, animæ corporique noxiam. Accipe S. Iſidorum Peluſiotam. *Corpus*, inquit, *vir optime, alimento, non deliciis, paucitate, non ſaturitate, ſufficientia, non magnificentia, ſumptuumque profuſione opus habet. Illæ enim & animo & corpori utilitatem afferunt, ut quæ & ſanitatem & robur, & optimam habitudinem concilient: hæ autem utrique parti obſunt.* S. Iſidor. Peluſ. l. 2. ep. 57.

6. *In novalibus.* Uno de tribus modis utimur vulgò verbo, Novale. Primò novale dicitur ager priùs nunquam induſtriâ cultus; & noviter proſciſſus. In hoc ſenſu locutus eſt ad illud Jeremiæ 4. 3. *Novate vobis novale*, Cornelius Alapide, dicens: *Q. d. Sicut ſit novale, id eſt, ſicut terra inculta de novo aratro proſcinditur, & à ſpinis ac ſentibus expurgatur, ut in ea ſeminetur*: &c. Secundò appellamus novale agrum, qui ſeminatur alternis annis. Sic dixit Plinius: *Novale eſt* (inquit) *quod alternis annis ſeritur.* Tertiò vocamus novale quemlibet agrum, qui quotannis per arationem velut innovatur. Quânam ex iſtis acceptionibus intelligenda ſit in hac gnome vox *Novalibus*, incertum eſt omnino. Si rigidus exactor urges ut eligam, reſpondebo verbis utens Ambroſii ſcribentis aliorſum: *Libenter fateor me neſcire quod neſcio, imo quod ſcire nil prodeſt.* Quidquid illud ſit ſtat expoſitio, quam prætuli. Ad Ierem. 4. 3. Cornel. Alap. Plin. D. Ambroſ. to. 1. l. 6. Hex. c. 2. ante fin.

7. *Patrum.* Hebraice legitur, *Capitum.* Nota, patris optimo jure titulo decenter honorari ſatagentem de filiis ita, quòd munus agat capitis influentis in membra. Parentes, qui docent gnatos, in aliis verò non provident eiſdem; videntur officium oculorum exhibere: nam luminum eſt oſtendere videnda. Qui tantummodo curant ut geniti conſcendant altiora, negligentes in reliquis, quaſi pedes filiorum ſunt; quia tantùm miniſtrant eis progreſſum in via, quam tenent. Qui proli ſuæ tribuunt pecunias, & ſimilia, ſe velut manus exhibent. Illi tandem, qui circumſpicientes quidquid filiorum intereſt, nihil omittunt, capita verè ſunt in eos jugiter influentia. *Patrisfamilias*, ait Quidam, *officium eſt filios colere quaſi propriæ vitæ propaginem: & proprio exemplo optimè regere tamquam membra.* Non eſt inter functiones paternales præcipua gnatis alimoniâ non deeſſe. Nutritionem aliam, quam dicimus educationem bonam, curare ſollicitius operæpretium eſt. Imo Xenophon dixit: *Qui filiis multis opibus proſpiciunt; ut autem boni & egregii evadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent.... Si quis filium magni pretii hominem effecerit, quamvis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus eſt.* Lect. Heb. hic. Marſil. l. 3. epiſt. Xenoph.

8. *Ex aliis.* Conformiter ad interpretationem ſententiæ hujus datam ſuprà, vox iſta comprehendit non ſolùm inimicos, à quibus occupari bona paterna ſinunt per negligentiam inertes filii; ſed etiam, quibus ea diſpertiunt prodigalitate veſana. Non eſt cur miremur, eos, quos prodigus

prodigus familiares numerat, non vocari hoc loco amicos ejuſdem. Nam iſti vel etiam ſunt opulenti; vel opibus non abundantes amicitiam ſimulant ad quæſtum: nec alterius generis amicos, qui non ad unam ex iſtis duabus claſſibus pertineat, ordinariè loquendo, ſolet habere filius diſſipator hereditatis paternæ. Si loquamur de locupletibus, rarum eſt, iſtos veraciter aliquem affectu proſequi.

Seresb. l. 3. de nug c.12. Seresberienſis inquit: *Hoc quoque jam pridem venit in dubium, an quemquam divitum & potentum amare contingat. Tandemque receptum eſt, eoſdem nunquam amare, vel rarò, & in eis præcipue cauſis, in quibus ſe potius, quam alios amare videantur.* Originem ejuſmodi rei cupiens invenire non aliam video, niſi quòd opes generare ſolitent ſuperbiam; & iſta diviſionem ſuadeat; quæ quidem amicitiæ contrariatur. Si verò ſermoſit de quæſtuariis amicis, hi nequaquam tam præclaro nomine digni ſunt.

Petr. Bleſ. tract de amicit. c. 7. Petrus Bleſenſis. *Amicitia*, inquit, *quam immunda cupiditas introduxit, fraudulenta eſt: nihil certum, nihil ſecurum aut ſtabile habet. Bona hominis amat, non hominem; amorem metitur ex quæſtu.* Melius diceret: Mentitur ex quæſtu. Meritò ſiletur in præſenti parœmiâ nomen amicorum, forſan, ut non putares, verè proprièque tales dici, quos paulò priùs ad illas duas turmas reduxi.

9. *Congregantur.* Notanda crudelitas aliquorum in ſeipſos: qui ſibi negant per avaritiam quæ fruèntur alii per ipſorum inertiam. Hæc ſævitia propterea magis execranda, quòd ſub amoris titulo proprii ſic noceat homo ſibi. Quia ſe diligit, fateor, nimis parcus eſt; veritus, ne poſt ad inopiam veniat. Sed amor iſte perfidus nimis exequitur adversùs amantem, quòd, ſi cogeret alter, ipſe diceret atrocirer barbarum. Lege Salvianum.

Salvian. in opere Timoth. l. 2. ante fin. *Quis*, ait, *ergo eſt aut tam infidelis, aut tam inſanus, qui hæc non cogitet, & non timeat, qui de ſubſtantia ſua aliis magis quam ſibi conſulat, ... Dicite mihi quæſo omnes Chriſtum amantes, ſi eſſe ulli omnino homines tam ſævi ac tam crudeles adverſum inimicos ſuos poſſunt, quam ſunt iſti adverſum ſe?*

Abſque judicio. Illi, de quibus hîc Salomon agit, vivunt potiùs ad normam ſenſuum, quàm rationis; quaſi non eſſet eis data libra judicii. Quantùm rectis dictaminibus opponantur ij, qui ſenſibus parent, ſatis patet in eo, quòd præferunt poſtponenda, dignaque præferri poſtponunt.

Od. Epiſc. Camerat. tract. contra Leonem. ante fin. Odo Epiſcopus: *Ratio vero*, inquit, *ſubtilius rei naturam inquirit. Ratio namque animata præfert inanimatis, ſenſibilia inſenſibilibus, cœleſtia terrenis.*

DELIBATIO I.

Fructus ex novali S. Dominici.

10. Bed. in Proverb. 13. 23. *Zelus animarum ſalutis ambit ſanctè vel unicam; licet intendat lucrari plurimas.*

INceptam ſuperius proſequamur Sanctorum panegyrim: nam textus noſter haud reſiſtit; imo favet. Beda hic ait: *Juxta ſenſum verò ſpiritualem, multi ſunt cibi alimoniæ cœleſtis, in dictis & exemplis venerabilium patrum*, &c. Beatiſſimi Prædicatorum Parentis laudes aliquot nunc animus eſt incipere: nunquam enim ſatis laudaviſſe rebor inſignem Eccleſiæ catholicæ faciem: cujus meritis qualiter laudationis tribuam ſplendorem quantulus ego? De fervido zelo ſalutis animarum capiamus exordium. Et, ne multus in re notiſſima ſim, ſat mihi recolere quæ narrat illius vitæ hiſtoriographus Joannes Garzon orator Bononienſis accidiſſe B. Dominico, cum inſtaret ad ſuſcitandum ab hæreſi miſerum quemdam.

Garz. in vit. S. Domin. *Cum ipſum ab hæreſi, qua diù implicatus fuerat, ad rectam viam revocare omnibus ingenii viribus adniteretur, perſtabat homo miſer in ſententia, nec precibus ſuis movebatur, quòd ſe eò calamitatis deventurum affirmabat, ut ipſi victus ac veſtitus defuturi eſſent: Vir ſanctus, quò illi quæ in vita opus erant, ſuppeditarentur, inſtituit, ut ſui fieret venundatio.* Hîc hæſito. Si Dominici cor exardens avebat infidelium animas Evangelicâ prædicatione lucrari, quare non ad colendam vaſtiſſimam Paganorum ſylvam pergit? & tam extraordinario medio quærit unius infidelis illuminationem? Ne modicum exiſtimes charitati lucrum vel unius animam. Multis ille jam proficuus extiterat: ſed an ſatis per illas amori proximorum factum erat? Nequaquam: nam ignis nunquam dixit: ſufficit; & proximi charitas ignis eſt.

Radulph. in Levit. l. 7. c. 2. Radulphus: *Quis*, inquit, *ergo eſt ſacer ignis, niſi quem Jeſus miſit in terram, charitas ſcilicet Dei & proximi*: &c? Charitatis hujus munus tam præcipuum exiſtit ſpirituali ſaluti mortalium incumbere, quòd iſtud putaverit S. Petrus Abbas Cluniacenſis unicum ejus officium.

S. Petr. Abb. Clun. l. 1. ep. 28. longe ante fin. *Unum*, ait, *& ſolum charitatis officium humanam ſalutem modis omnibus quærere.* Hinc fit, ut ſalutis animarum zelus ita rapiatur ambitione ſanctâ, quòd non contemnat unam acquirere, quamvis cupiat plurimas. Multis intendit prodeſſe; non ideo tamen deſpicit unam & peſſimam.

11. In ſuprema nocte cœnæ recumbebat cum Apoſtolis amantiſſimus Præceptor. Aderat Judas proditor: cui Dominus & buccellam donavit, & loqui dedignatus non eſt.

Joann. 13. 26. 27. Scribit Joannes: *Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam, introivit in eum ſatanas. Et dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citius.* Supponendum eſt, hæc verba Domini deſignare paratum libenter animum Salvatoris ad ſuſtinendam paſſionem. S. Auguſtinus:

S. Aug. to. 9. tr. 62. in Joann. *Quid enim*, ait, *Juda peius, & quid nobis melius quam traditus Chriſtus ab illo, adverſus illum, pro nobis præter illum?* Quod facis, fac citius. *O verbum libentius parati ad paſſionem, quam irati ad vindictam*, &c. Hinc ducor ut quæram, cur Filius Dei non illa dixit Judæ priùs, quàm hic iret ad paciſcendum cum Judæis Magiſtri venditionem? nonne Dominus anticipans prædicta verba nobis oſtenderet clariùs quàm ſponte procurreret affectus ejus, ut effunderet ſanguinem pro ſalute noſtra? quare verba differt amantiſſima noſtrûm? quia

Quia voluit interea diligentiam adhibere, ne rueret in perditionem anima Judæ: quamvis enim ſollicitudo Redemptoris ad lucrandam animarum copioſam valde multitudinem extenderetur; nec unius animæ vellet jacturam permittere. Etiam donatio buccellæ mediũ extitit quæſitum à Domino, ut à proditione Judam averteret. Theophylactus ait: *Ubi Dominus quidem dedit buccellam Judæ, ſi forte recogitaret amicitiam menſæ & panis, & à proditione deſiſteret: Judas autem cum neque ſic emmendaretur, tunc plenè factus eſt ſatanæ, & traditus ei ut inemmendabilis.* Dum non integrè proditor traditus fuit ſatanæ, reducere conabatur eum piiſſimus Redemptor. Sic vel ad ſalutem unius, etiam peſſimi, charitas afficiebatur ejuſdem. Hanc imitatus eſt B. Dominicus, inſtans pro converſione illius hæretici: nam & Judas fidem læſit, ut colligitur ex D. Hieronymo; qui ad illud Traditoris: *Numquid ego ſum Rabbi?* ait ſic: *Et blandientis jungit affectum ſive incredulitatis ſignum. Cæteri enim qui non erant prodituri, dicunt: Numquid ego ſum Domine? Iſte qui proditurus erat, non Dominum, ſed magiſtrum vocat: quaſi excuſationem habeat, ſi domino denegato, ſaltem magiſtrum prodiderit.* In eo diſtavit pro ſubjecta materia Dominicus à Domino, quod hic ſui venditionem haut amavit; ſed permiſit; ille verò *inſtituit ut ſui fieret venundatio*, charitate ductus.

Theophylac. com. in Ioann. c. 13.

S. Hieron. to. 9. l. 4. in Matth. c. 26.

12.

Ab amore circa proximos veniamus ad illam dilectionem, qua proſecutus eſt afflictiones mortalis vitæ ſocias. Aſſerebat, ſe diutiùs morari Carcaſſonæ, quàm Toloſæ, quia priori loco perſecutionem patiebatur; poſteriore verò multum ſuſcipiebat honorem. Inde collige quanti faciebat ſanctitatis egregiæ vir temporalia mala: quod etiam deduci valet ex caſu, quem narrat Garzon. Pia mulier ulcus in pectore patiebatur purulentum ſcatens vermibus. Acceſſit ad eam inviſendam Sanctus: quam ut ex feneſtra vidit, *Quæſo, inquit, mulier, unum ex vermibus mihi dederis muneri. Parebo, inquit illa, voluntati tuæ, ſi eum mihi reddideris. Acceſſit Dominicus ſententiæ ſuæ: qui cum vermem (erat is quidem miræ magnitudinis) in manus ſuſcepiſſet, repente pretioſiſſimus lapillus factus eſt.* Quærerem. Si B. Dominico mens fuit oſtendere fœminæ, reputandas afflictiones eſſe velut gemmas pretioſas, cur non vermes in ægrotantis pectore ſunt pariter converſi? vermis autem in manibus Dominici lapillus pretioſus redditus eſt. Sic res accidit jubente providentia Conditoris, ut agnoſceremus quanto haberentur anxietates in pretio penes Dominicum. Huic manus erant aureæ: ac in manibus aureis tormenta pretioſi ſunt lapides. O quantum Dei munus qui patitur ad meritum feliciter ſuſcipit! *In tribulationibus age gratias, eo maximè quia per ipſas opitulationis (divinæ) gratiam luculentius perſentis*; &c. Sic D. Nilus. A qualitate recipientis pretioſitas tribulationum venit: ſi patiens aureus eſt, pœnalitates gemmæ ſunt.

Ribad. in vi. l. Dominic. *In manibus aureis tormenta ſunt lapides pretioſi.*

Garz. in vi. ejuſdem.

S. Nil. tr ad Eulog c. 8.

13.

A filiabus Jeruſalem requiſita Sponſa Canticorum qualiſnam dilectus ejus eſſet, deſcripſit verbis eumdem. Illa nunc tantùm examinabimus, quibus ait: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Quare non dixit aureos dilecti capillos; nec lumina ſimilavit adamantibus? Dicam. Salvator, qui ſponſus in Canticis eſt, in paſſione ſua tormentum ſpeciale (quod in Textu legamus) non eſt paſſus in oculis ab hominibus. Ab his capillos haud immunes fuiſſe non dubito; ſed crines utique ſenſu carent. Manus autem ejuſdem clavorum fixione ſævè cruciatæ fuerunt. Ad hoc attendit Sponſa verbis præcitatis. Incertum lege, vel Philonem, vel quicumque ipſius in Cantica commentario quædam inſeruit; ex quo dubitare nos coëgit, ſintne verba Philonis. *Sponſa per manus ejus tornatiles aureas ac plenas Tharſis, paſſionem ejus oſtendit. Tunc enim Chriſti manus tornatiles factæ ſunt, cum eas pro ſalute noſtra crudeliſſimis clavis in vitæ ligno perforatas extendit*: &c. Per hyacinthos intelligit Lira ſapphiros. Plenæ hyacinthis, *id eſt ſapphiris, qui ſunt hyacinthini coloris, tales enim lapides ponuntur in annulis.* Cum Sponſa manus dilecti vocaverit aureas; non mirum quòd eis appropiati cruciatus vocentur pretioſi lapilli: nam in manibus aureis tormenta gemmæ ſunt. Et quia Sancti myſtica dicuntur Chriſti Domini membra, priuſquam ad B. Dominicum revertamur, audi S. Anſelmum ad præfatum locum: Manus ejus, *id eſt operatores etiam in ſæcularibus actibus, qui ideo dicuntur manus ejus, quia etiam in his talibus operatur Deus, ſunt*, tornatiles *id eſt planati & ſuaves, ut in eis Deus non offendatur: ſunt* aureæ *id eſt divina ſapientia operantes*: &c. Perilluſtris operator Dominicus, divinâ ſapientiâ plenus, anxietates meritorias multi ducebat; ita quòd apud eum velut pretioſi lapides fierent.

Cant. 5. 14.

Incert. ſub nom. Philonis Carpath. Epiſcop. in Cant. ib.

Liran. ibid.

S. Anſel. in Cant. ib.

14.

Inſignes humiles aliquando ex occaſione vanæ gloriæ eruunt exponere ſe contemptui.

Sequitur expendendum quo pacto ſe Dominicus geſſerit adversùs inanem ſæculi gloriolam. Cum incederet per plateas, fideles aliqui ſcindebant ejus habieum; cujus fruſta quaſi reliquias venerabiles deferebant. Nonnulli comitantes eum tueri conabantur ipſum ab hac hoſtilitate piâ: quibus Homo Dei tunc aiebat: Sinite illos; devotioni ſuæ ſatisfaciant. Mirabile dictu! Abhorrebat Sanctus mundi plauſus: noverunt enim juſti quàm ſit vana gloria nociva ſpiritûs bonis. S. Joannes Climacus: *Vana gloria*, inquit, *eſt in portu naufragium, in area formica, parva quidem beſtiola, ſed quæ omnibus laboribus, & frugibus inſidiatur. Expectat formica dum meſſis colligatur, vana gloria dum virtutum opes comparentur: illa ut grana ſubducat, hæc ut virtutes diſſipet.* Nihilominus ita fortis erat contemptor hujus hoſtis Dominicus, ut à veſte propriâ reliquias deſſumi permitteret; nequaquam ſe de hoc ipſo gloriaturum timens. Et animadverte quanam Sanctus arte contra mundi gloriam pugnaret. Mens erat illi per iſtas ruptiones tunicæ manere veſtem ejus conſciſſam; quod eſſet poſtea materia ſubſannationis ejuſdem. Ubi periculum alteri foret gloriationis propriæ, mirè Dominicus invenit

S. Ioann. Clim. in ſcal. gr. 22. poſt princ.

medium

medium ad hoc ut pateretur contemptum. Humilitatis dilectorum insignium est ostendere nonnunquam, se minimè vanam reformidare gloriam; & adeo, quòd ex ipsa occasione superbiæ prudentes eruant aliqui, in quo semetipsos libenter exponant contemptui.

15. Ad suscitandam filiam Jairi Christus Dominus ibat, turbâ multâ sequente. Nacta fuit ægra mulier occasionem sibi perutilem; & accedens in frequentia tetigit vestimentum Salvatoris, ut sanaretur. Marc. 5. 30. Scribit S. Marcus: *Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?* S. Petrus Chrysologus: S. Petr. Chrysol. ser. 36. p. 8. princ. *Dum*, inquit, *interrogat, velut ignorantiam profitetur*: &c. Notabam quòd propriæ demissionis amans divinus Magister sic interrogaverit; cum præscius esset, ex interrogatione prædictâ futurum fore, mulierem illam ad pedes ejus procidere. Imo Beda putavit, percontationem illam Redemptoris eò tetendisse, quò mulier palam fateretur miraculum. Bed. in Marc. 5. 33. *Ecce*, ait, *quò interrogatio Domini tendebat, ut videlicet confitente palam muliere veritatem suæ diutinæ infirmitatis, subitæ credulitatis, divinæ propitiationis, ac donatæ sibi sanationis, & ipsa certiùs confirmaretur in fide, & pluribus salutis & vitæ præberetur exemplum.* Motiva quidem, propter quæ Dominus interrogavit, quis tetigerit ejus vestimenta, sanctissima sunt & prudentissima. Nihilominus ita locum perpendamus. Illa confessio mulieris extitit valde gloriosa Redemptori. Narrat Evangelista: Eod. cap. n. 33. *Mulier vero timens & tremens sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum: & dixit ei omnem veritatem.* Hoc in concursu multitudinis non potuit non gloriam conferre Christo maximam. Qua ratione quærit humilis perfectissimus occasionem hujus gloriæ? Voluit nobis ostendere Filius Dei, se mundi gloriolam, quamvis ex natura sua valde nocivam, non metuere; sed contemnere; quin & in eâdem re, qua de superbia periclitaretur alter, invenire se materiam proprii contemptûs. Expositi quippe semetipsum Dominus, quòd existimaretur, se non omnia scire; cum interrogaret quis tetigisset Marc. 5. 32. ejus vestimenta: necnon quoniam *circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.* Non absimiliter imitator Christi Dominicus, ut ex lacerâ veste contemneretur, permittebat quòd fidelium devotio disrumperet illam, fragmenta sumens veneranda. Sic illudmetipsum, quod multis ruinam gigneret per vanam gloriam, ei medium erat quæsitum ad humilitatem exercendam aliorum despectu.

16. *Post experientiam afflictionis orta de pecuniis, facilè noscitur, paupertatem posse computari pro divitiis.* Garz. in vi. S. Domin.

Venio nunc ad Evangelicam paupertatem, cujus amantissimus Dominicus extitit. Rodulphus quidam *Prædicatorum Religioni deditus monasterii curam susceperat. Is cellas fratribus habitandas insanis substructionibus magnificas reddebat. Id ubi Dominicus animadvertit, vehementer commotus est, & lacrymas profundens: Quænam, inquit hæc est insolentia? quæ superbia? quam gravis atque intolerabilis arrogantia; Vos oblectant tecta magnifica.* Idem sanctus proculcator mundi, *cum Odoricus Gallicianus optimis prædiis monasterium donasset, extaretque syngraphum, & recusavit, & rescindi jussit, nec passus est ut religiosis essent prædia. Quin ipsi victum, vestitumque precibus exposcerent contenti domusculis.* Ploravit amantissimus Parens, dum vidit extrui gnatis habitationes magnificas, credens, eorum ditissimum thesaurum, scilicet paupertatem sic furto diripi. Idem ib. Chrysostomus dixit: *Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus qui nequeat auferri*, &c. In paupertatis laudem plura multis in locis è pauperie nostrâ donavi. Nunc addo, non tam difficile, quàm putatur, esse judicare quòd egestas velut opulentia sit. Etiam spiritus neutiquam virtute provectus, postquam expertus fuerit anxietudinem de pecuniis ortam, non difficulter credet, inopiam posse velut gazas existimari. Priùs, quàm illud experiretur cruciamentum, fortè non ita reputabat; sed post experientiam proximè dictam, cognoscit, haberi posse pro divitiis penuriam. S. Ioann. Chrysost. to. 5. hom. 2. ad pop. longe ante fi.

17. Non eximiæ sanctitatis erat uxor Tobiæ senioris Anna: quippe quæ viro dicenti, cum domi balantem audisset hædum: *Videte, ne forte furtivus sit*, &c. Tob. 2. 21. 22. respondit irata: *Manifestè vana facta est spes tua*, &c. Nihilominus illam valemus in testem proximè positæ veritatis adducere. Missus fuerat genitus à parente, ut à Gabelo reciperet argenti decem talenta; quorum debitor erat ille Tobiæ. Post filii profectionem, genitrix ecce flere cœpit, atque dicebat: *Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* Liranus ibi: Ib. c. 5. 25. *Hoc dicit materno affectu mota.* Sic Interpres ad n. 24. Et addit: Ut divitias computaremus. *Id est reputaremus nos habere.* Hæc ille ad n. 25. Inquiro. Minus diligebatne mater filium priusquam proficisceretur? quare non ex dilectione maternâ prius obstitit, ne pergeret gnatus ad quærendam pecuniam? & postea sic loquitur ut antea retuli? Priùs non erat experta cruciatum, qui promanavit à pecuniis; post verò maximè: propterea conspectum filii, quamvis mater pauperiem pateretur, existimavit, potuisse pro divitiis computari. Quid erit, si conscendatur ad altiora motiva, quibus permotum cor perfectum numerare sciat quantæ sint spontaneæ paupertatis copiæ? Sic eas apprimè trutinabat S. Dominicus, in spiritualibus thesauris æstimandis peritissimus. Lir. ib. ad n. 24. & 25.

18. *Insignis amator proximi plorat alienas culpas; nollet autem ut alii flerent in ejus obsequium.* Garz. sup.

Aliquid supra dictum est de charitate, qua proximos complectebatur. Nunc ad hujus capitis finem, dimissis quamplurimis per ejus vitæ decursum notatione dignissimis, quid acciderit in ejus obitu subjiciam. Quia proximus erat morti, *omnes in fletum prorumpebant, quod se tanto viro, & omnium virtutum simulacro privatum iri animadvertebant. Ipse in eos oculos conjiciens: Cur, inquit, tanti gemitus fletusque fiunt? an inertes & improbi felicitati*

meæ invidetis ? Memini, eumdeum hiſtoriographum de miſeratione Dominici, qua in proximos afficiebatur, ita locutum : *Quod ſi flagitia admittebantur nequaquam ei deerat miſericordia, quin ſtillabant per ora lacrymæ.* Res mira ! Charitatem erga proximum totamne ſibi Dominicus exhaurire cupit ? cum ejus mors inſtans deploratur obſiſtit lacrymis ? cum verò cernebat proximos in ſcelera ruere, fletu rigabat faciem ? Qui proximorum dilectioni cor plenè tradidit, ſic amorem ſui proprium comprimit (quamvis lacrymis effluat pro criminibus alienis) ut non æquanimiter patiatur quod alii ſua defleant mala : lamentatur aliena delicta, quia diligit peccantes ; at ſe deplorari nollet à dilectis ; quaſi non tanto dignum reputans affectu ſemetipſum.

Idem ib.

19. Scribit Gentium Doctor Corinthiis, timere ſe, ne cum veniſſet ad illos, eos inveniret in materia morum quales ipſe nollet : additque : *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos : & lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam* &c. O charitatem eximiam Pauli ! ô mutationem dexteræ potentis Excelſi ! Hic ille, qui quondam ſpirabat cædem atque minas in diſcipulos veritatis Evangelicæ. Chryſoſtomus ad eum locum : *Non pœnitentes luget, ſed quod incurabiliter infirmi ſint, & vulneribus ſaucii maneant. Cogita igitur Apoſtoli virtutem, cum ſibiipſi nihil mali conſcius ſit, pro alienis malis luget, & pro his, quæ ab aliis neglecta ſunt humiliatur.* Paulus, qui totis viſceribus amplectebatur dilectionem proximi, non potuit non in eo complacere, quòd fideles ardenter amarent proximos. Igitur quomodo ſignificavit alibi, cor ſuum affligi per fletum rogantium ne pergeret Jeroſolymam ; ubi ſciebant, Apoſtolum fore ligandum, ac in manus Gentium tradendum ? Dum eſſet Paulus in Cæſarea, prophetavit Agabus, quòd ipſe ligandus eſſet in Jeruſalem, ac tradendus in Gentium manus. Tunc narrat S. Lucas : *Quod cum audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam. Tunc reſpondit Paulus, & dixit : Quid facitis flentes, & affligentes cor meum* ? S. Joannes Chryſoſtomus : *Quid facitis enim, inquit, flentes ac diſcerpentes cor meum ? Nihil Paulo in amore indulgentius, quia videbat lacrymantes dolebat, qui in propriis tentationibus non patiebatur.* Quæro. Nonne Deo placebant iſtæ lacrymæ diligentium Paulum ? qua de cauſa diſplicentiam oſtendit Apoſtolus circa fletum ejuſmodi ; qui tam exardebat præcordiis, ut ploratu ſuo delicta proximorum extare digna minimè dubitaret ? Se nihili faciebat Paulus : & propterea credebat indignum, quòd propter ejus futura mala profunderentur lacrymæ. Proximos econtrariò magni faciebat : ea propter ipſorum piacula, nequaquam ſanata per pœnitentiam, ſibi meritò flenda credidit. Quantum amoris erga proximos adjiciunt Sancti charitate fervidi ; tantum dilectionem propriam vitant. Non aliorum erga ſeipſos affectum oderunt ingrati ; ſed exiſtimationem laudabilem de ſemet nec mente propriâ concipiunt, nec in aliena patiuntur ; quantumlibet noverint eſſe charitatis officium condolere malis alterius, & hoc exequantur. Sic B. Dominicus, cum defleviſſet aliena ſpiritualia mala ; ſe tam parvî ducebat, ut veniens ad vitæ mortalis metam optaverit ne mors ejus à diligentibus eum deploraretur. In his & aliis, quæ brevi calamo numerare non licet, alumnis reliquit ubertim exempla, quibus incipientes nutrirentur, & provecti proficerent ulteriùs : curans ut ejus facta dictaque præſtarent ſuis alimoniam ſpiritûs : nam & ſic *multi cibi in novalibus patrum.*

2. ad Cor. 12. 21.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 4. hom. 28. in 2. ad Cor. med.

Act. 21. 12. 13.

Chryſoſt. to. 3. hom 45. in Act. ante med.

DELIBATIO II.

Fructus ex novali montis Carmeli, ſub cultoribus B. Elia, ſanctaque virgine Thereſia.

20. *Perfectus vir ſponte conſcendat in cœleſtia ; deſcendat quaſi violenter in terrena, ſi oportuerit.*

ORbis Conditor, cum hominis luteum plaſma cerneret ad terrena proclive ; cupiens exemplar, antequam veniret ignem terris mittere, mortalium objicere luminibus, ut ejus vitam imitantes aſcenderent operibus in cœleſtia ; cum primum creaviſſet hominem ex humo, condidit alterum quaſi totum igneum ; nempe S. Eliam ſcriptæ legis vatem. Huc facit illa viſio, quam S. Epiphanius refert in hunc modum : *Eliam cum eniteretur parens ejus, ejuſmodi Sobac patri viſio apparuit. Viri niveum quemdam præ ſe ferentes habitum, puſionem ſalutabant, matriſque uberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant.* Alimenti ſic exquiſiti miniſtratio denotabat, puerum futurum velut igneæ naturæ : *ſiquidem quæ nutriuntur, familiaribus* (inquit Athenagoras) *& naturalibus rebus nutriantur ; contrariis autem corrumpantur.* Ignitam egit Propheta vivendi rationem : nam illud elementum aſcendit ſponte ; violenter verò deſcendit. Elias, quamvis temporibus vixerit, quibus concluſum adhuc erat cœlum per ſcelus ; tamen virtutis culmen ſic tenuit, ut ejus converſatio in cœlis eſſet ; & quaſi coactus, cum oporteret, ad terrena declinaret. Sic mos eſt inſignium ſanctitate virorum : inhiare nempe cœleſtibus ; ibi velut centrum ſuum agnoſcentes ; terreſtria verò non ſollicitantes, imo deſpectui habentes. S. Columbanus cupiens præbere doctrinam accommodam huic vivendi modo, ſic effatus eſt. *De ſupernis gubernati præſentia negligamus, & de cœleſtibus ſemper cogitantes, terrena deſpiciamus : niſi enim cœleſtibus deſideriis impatientibus inhiemus, terrenis neceſſe eſt hærebimus.* Flagrantes amore Dei, oportet, non indifferenter, & æqualiter ad inferiora ſupernaque ferri ; ſed congruit, ut eorum corda ſurſum efferantur ultro ; deorſum verò ſi quando ratio poſtulet, quaſi vim paſſi vergant.

S. Epiphan. Epiſc. Conſtant. l. de vitis Prophet.

Athenag. l. de reſurrect. longe poſt princ.

S. Columban. inſtruct. 8.

Perfectus

Perfectus vir imitatus ignem, ultroneè conſcendat in cœleſtia; cum autem ſanctè deſcenſurus eſt ad terrea, peragat hoc velut ſubiens violentiam.

21. Tranſactis poſt Aſcenſionem dominicam diebus divinâ providentiâ definitis, promiſſus Paraclitus venit ſuper Apoſtolos, igne demiſſo. Act. 2. 3. 4. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra cingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, &c. Venerabilis Beda: Bed. ib. *Per ignem*, ait, *quidem Dominus, ut B. P. Gregorius exponit, apparuit*, &c. Dubitari ſolet hoc loco, cur ille, qui per columbam venit in Jordane, deſcenderit in Pentecoſte per ignem? Meditabar, divinum Flamen, cum accederet ad conſummandos Apoſtolos, ipſis indere voluiſſe velut igneam conditionem: cujus eſt aſcendere ſurſum libenter; & violenter ferri deorſum. Favet aliquantum Cardinalis Hugo: qui ſuper illa verba: *Spiritus vehementis, & replevit* &c. illud *Vehementis* explicat ſic: Eod. c. n. 2. Hug Card. ib. *Vel vehentis mentem ad ſuperna.* Et infra verbo *Ignis* ait: *Et quia ad modum ignis Spiritus purgat corda, urit peccata, illuminat ignorantias, calefacit & torporem ignaviæ excutit: incinerat per humilitatem, indurat per fortitudinem, ſe communicat per miſericordiam, ſurſum tendit per deſiderium æternorum.* Cum igitur per hujus ignis divini participationem ſic eſſent reddenda flammantia diſcipulorum corda, ut velut ignea fierent; accommodè non in columba tunc apparuit; ſed per ignem. Columba quippe tam libenter & connaturaliter deorſum volat, quàm ſurſum; non ſic flamma, quæ ſuapte naturâ fertur ad ſuperiora; non autem ad hæc infima deprimitur, niſi per violentiam. Sic Dominus vellet Apoſtolorum pectora moveri: ſpontaneo ſcilicet motu jugiter in cœleſtia; quaſi violenter autem ad terrena, ſi neceſſitas compelleret.

22. *Quantum Deus complaceat in eremicolis.* Chriſti Domini mittentis divinum Spiritum modo proximè dicto præludium fecit aliqualiter Elias: nam hic figura Salvatoris eſt. Ansbertus: Ansber l. 5 in Apoc. ante expoſ. capitis 10. *Quis non apertè in eo videat Chriſtum, quod Elias paſcendus ad alienigenam viduam mittitur, quod ad cœlum evehitur? Mittitur Elias ad alienigenam viduam, ut ab illa paſcatur, mittitur Chriſtus ad Eccleſiam, ut bonis ejus operibus delectetur. De qua nimirum per Pſalmiſtam dicitur*: Pſal. 131. 15 Viduam ejus benedicens benedicam. *Quæ bene duo ligna colligere volebat, quia proculdubio virtutem ſacratiſſimæ crucis invenire cupiebat.* Igneſcere fecit Elias eorum præcordia, quos inſtruxit ad monaſticam vitam, ædificata domo, quæ Dei laudes reſonabat. Apud Incertum legitur: Incert. ſub nomine Joann. Epiſc. Ieroſol. l. de inſt. monach. c. 19. *Elias in monte Carmeli non modò elegit habitare, verùm etiam domum orationi conſecratam appellatam Seunion in eo ædificavit .... conveniebant namque ibi in unum ad Pſalmos, Cantica, & Hymnos, corde & ore, ac cum inſtrumentis muſicis in laudem Dei canendos*, &c. & infra: *In quorum diſciplinis atque exercitii inſtitutis, ad perfectam beatamque vitam, ſtudiis jugibus in eremo Carmeli coaleſcebant ſecundùm formam vitæ monaſticæ per Deum creditam Eliæ.* Tam prædulces & *multi cibi* ſumebantur ab Eliæ filiis ex iſto novali, quod Pater aperuerat, ut ea nutrimenta, quibus in ſæculo delectantur corda mundanorum, penitus faſtidirent. Incertus idem: *His enim monachis filiis prophetarum habitantibus in urbibus; poſtquam erant in rudimentis diſciplinæ propheticæ & vitæ monaſticæ eruditi; videbantur urbes quaſi carceres: & ſolitudo paradiſus apparebat.* Iſtos induiſſe meditare flammarum ingenium: eſt enim elementum ignis amantiſſimum ſolitudinis. O quam placens Altiſſimo paradiſus extitit Carmeli! Taliter Dominus in ſpiritualibus deſerti cultoribus complacet, quaſi nil aliud in Eccleſia reperiretur niſi tantùm eremicolæ. Velut ſi non alii Deo famulantes invenirentur in tota fidelium congregatione, præter ſolitudinis incolas, ita divinis oculis extant iſti gratiſſimi. Idem ib. c. 12. ante med.

23. Apud Iſaïam legimus prænuntiatam Eccleſiæ fœlicitatem ſic: Iſaï. 32. 16. 17. 18. *Et habitabit in ſolitudinem judicium, & juſtitia in Charmel ſedebit. Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis*, &c. Dionyſius Carthuſianus ibi: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, *id eſt Eccleſia nunc quidem in pace Chriſti, quæ omnem ſenſum exuperat, requieſcit*, &c. An Eccleſia tota moratur in ſolitudine? Minimè certè. Quid ergo dicitur: *Habitabit in ſolitudine judicium, & juſtitia in Charmel ſedebit*? nonne verbo *Charmel* intelligitur ibi Carmelus? Liranus ait: Carthuſ. in com. ib. ad n. 18. Lir. ib. n. 16. *Accipitur hic Charmel pro Charmelo, qui eſt in regno Judæ: & erat locus fertilis.* Quomodo potuit igitur Eccleſia univerſalis in Carmelo ſedere? Modus loquendi fuit, quo Spiritus divinus author Scripturarum voluit inſinuare dilectionem peculiarem, qua proſequitur eremitas. Illos ita diligit, quaſi forent ipſi coram oculis Domini velut Eccleſia tota, nullumque Deo ſervientem alium contineret univerſa multitudo Chriſtianorum. Prædicto loco Textûs ad monachorum vitam, qui florent in lege gratiæ, proſpici non liberè dices, notans illud; *Cultus juſtitiæ ſilentium*, &c. ubi Carthuſianus idem ait: Dion Carth. ib ad n. 17. Silentium *id eſt quieta vacatio Dei, ſeparatio cordis à tumultu, & refrænatio oris à verbis inanibus. Hoc videmus in clauſtralibus præcipuè adimpleri, qui in obſervatione ſilentii cultum juſtitiæ ſtatuunt*, &c. Et quia magis ad Carmelum ſpectat progenies Eliæ, dabimus verba præcitati, quem ignoramus Authoris: *Quia ergo*, Incert. ſup. c. 21. ante fi. inquit, *dicti monachi ad exemplum Eliæ coluerunt jugiter in Carmelo juſtitiam vitæ monaſticæ; propterea appellati ſunt eremitæ Carmeli: cujus fuerunt incolæ ſecundum modum prædictum, reſidentes ibi in juſtitia aſſiduè: ſicut Propheta prædixit*: Juſtitia in Carmelo ſedebit.

24. Carmelitarum vetus inſtitutum per *mulierem fortem* ad auſteritatem priſtinam revocavit ille, qui, cùm eſſet *plus quam Salomon*, invenit eam; nempe ſanctam virginem Thereſiam: in cujus præconia libentiſſimè ſpatiarer, niſi mens vocaretur ad alia: nam patet latiſſimè fœcundus ager. Eligo ſolummodo tria de ferè numerum ſuperantibus expendenda, pro Proverb. 31. 10. Luc. 11. 31. *Omnipotentia Dei plus oſtenditur cùm infirmo utitur inſtrumento ad rem arduam.*

S. Theref. in vita ſua c. 32. poſt med.

S. Fundatricis laude. Primum eſt, quòd juſſerit illi Dominus, ut extructionem primi diſcalceatarum ſororum cœnobii totis viribus curaret. Bone Deus ! quæ ſunt hæ totæ vires inopis fœminæ ? Bene quidem eſt quòd infirma diligas, ut eis faveas : at quid eſt quòd invalidæ manui committis facta ſtrenua ? Gaudet Omnipotens opera præcelſa per eos miniſtros executioni donare, quorum ſi fragilitatem ratio naturalis nuda perpenderet, impoſſibile credidiſſet, eſſe res tantas perfecturos. Fons Dominus eſt, à quo robur omne ſanctum, mediaque cœtera manant ad egregios fines. Gloriatur illa cuncta præbere creaturæ vacuæ de ſe totaliter univerſis illis : velut ſi vas nihil intus habens aplicetur fontanis aquis, ut impleatur abundè. Nonne recordaris elegiſſe pauperem piſcatorem, & ſimiles ut ſuper fundamentum Apoſtolorum ædificaretur Eccleſia ? Tempeſtivè S. Auguſtinus: *Tam*, inquit, *largo fonti vas inane admovendum eſt. Dimiſit retia piſcator, accepit gratiam piſcator, & factus eſt divinus orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo dicit Apoſtolus : Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, &c. Potentiam ſuam Conditor oſtendit majore conatu, cum per inſtrumentum debile peragit ardua. Dum intervenit ad rei felicem exitum poteſtas humana, Deus non adeo manifeſtum reddit quantum ad illud opus incumbat ejus omnipotentia ; ſi verò per viribus deſtitutum perficiatur opus, tunc aperit qualiter ejus potentia ſumma nitatur in illud.

S. Aug. to. 10. ſer. 59. de ver. Dom.

25.

Miſſus fuerat à Domino Moyſes, ut educeret filios Iſraël ex Ægypto : reſiſtebat Pharao. Tunc Deus ad eos ita per Moyſen locutus eſt : *Ego Dominus qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute : ac redimam in brachio excelſo, & judiciis magnis.* Ille modus loquendi : *Redimam in brachio excelſo*, aliquid ampliùs inducere videtur ſuper id, quod ibidem jam dixerat Moyſi : *Per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejiciet illos de terra ſua.* Majorem certè conatum ad operandum inſinuat qui totum exerit brachium, quàm applicans manum ſolam. Conferamus cum prædictis verba Nehemiæ. Loquens iſte de litteris regiis ipſi datis, quibus rex auxiliabatur ei cupienti Jeroſolymam inſtaurare, dixit : *Et dedit mihi rex juſta manum Dei mei bonam mecum.* Et infra cum narraverit, hortatum fuiſſe Judæos ad ædificationem murorum, addit : *Et indicavi eis manum Dei mei, quod eſſet bona mecum*, &c. Non legimus eo loco dictum quidquam de brachio Domini. Sed quare ? nonne deſertæ civitatis inſtauratio magnum quid erat ? cur Iſraëliticæ plebis redemptio tribuitur brachio Dei ; & urbis reædificatio non ita citatis verbis per Nehemiam ? Quia regis Artaxerxis interveniente favore Nehemias accinctus eſt ad opus : ac ubi poteſtas humana miſcetur, non adeo divina declaratur in difficilibus exequendis. Atverò Moyſes invalidus erat paſtor, adeo quòd Rupertus in perſona Dei loquens ad illum dixerit : *Et ſi tu nullus es, ego Dominus*, &c. Igitur eductio filiorum Iſraël per hominem ſic ad rem tantam viribus humanis carentem, brachii Domini perhibetur extitiſſe factum. Omnipotentiæ manifeſtatur niſus peculiaris, cùm providentia ſuperna tendit ad executionem rerum excelſarum per media non potentia. Ut hæc aptentur S. virginis Thereſiæ propoſito de reformatione Carmeli, notandum eſt, Iſraëlem ſignificaſſe religioſos, juxta Liram dicentem : *Religioſorum, qui per Iſraël ſignificantur*, &c. In virga Moyſis aliquid myſticè reperitur pertinens ad auſteritatem vitæ, quam Thereſia renovare decrevit. Idem Liranus alibi : *Per virgam, quæ correctionem ſignificat, intelligitur carnis caſtigatio*:&c. Adde Commentatorem eumdem ſic de Moyſe locutum : *Moyſes id eſt religionis prælatus* &c. Notiſſimum eſt quàm parum valeat fœmina pauper, ut novas religioſas domos ædificet ; utque viros trahat in ſeveriorem vitæ regularis modum. Hìc igitur excelſum brachium Omnipotentis viſitur : *nam* (ut Eccleſia notat in ejuſdem Virginis legenda) *duo ſupra triginta monaſteria inops Virgo potuit ædificare, omnibus humanis deſtituta auxiliis, quinimo adverſantibus plerumque ſæculi principibus.*

Rupert. l. 1. in Exod c. 13.

Lir. in Exod. 16. 1.

Idem in Exod. 4. 1.

Idem ib. c. 18. 1.

Brev. Rom. in feſto S. Ther. Lec. 5.

Exod. 6. 6.

Ib. n. 1.

2. Eſdr 2. 8.

Ib. n. 18.

26.

Deus amorẽ & poteſtatem applicat, ut ſuos in perfectione promoveat.

Secundum, quod in encæniis Carmelitanæ familiæ, per matrem ſimul & filiam Thereſiam ad veterem ſeveritatem reductæ, ponderatione multâ dignum cenſebis, illud eſt, quòd cum Dominus circa monaſterii prioris ædificationem locutus fuit ad cor ejus, addidit ut confeſſario ſuo diceret, Dominum eumdem rogare illum, ut non ſeſe conatibus Virginis opponeret in ſubjecta materia. Nota benignitatem amantiſſimi Sponſi. Non enim dixit, præcipere ſe confeſſori quod non obſiſteret ; ſed hocipſum petere ; cum tamen Thereſiæ juſſerit ut illius ædificii molitionem ſuis viribus cunctis procuraret. Myſterio non rem vacare puto. Voluit Altiſſimus inſinuare, dilectionem ſuam ſocietatem velut iniviſſe cum poteſtate circa rem tam ſibi placentem. In Virgine Dominus oſtendit potentiam, quia præceptum impoſuit ſupradictum ; & ſimul affectum in eo, quòd vellet ut ſua ſponſa chara de gloria Domini curaret inde proventura. Necnon, quia ratione muneris effulgebat in confeſſario participatæ divina poteſtas, adjunxit amorem, quem ſatis exhibuit in orando quod poſſet imperare. Non mirum quòd potentis & amantis officia Deus ita ſociaverit ad inducendum antiquum Religionis inſtitutum : quod non potuit non peculiarem gloriam offerre Domino. Gloriatur Deus de perfectione, quam cernit in altari ſuo ; diciturque monachus altare dominicum. S. Nilus : *Altare Domini dicitur eſſe monachus, altare in quo & ex quo orationes puræ offeruntur altiſſimo Deo* &c. Accedit, Eccleſiam glorificari per monaſticam vivendi rationem. Iſaac Syrus : *Converſatio etenim*, ait, *monaſtica, gloria eſt Eccleſiæ Jeſu Chriſti.* Igitur meritò Deus in provehendis ad majorem perfectionem religioſis viris ita ſollicitus eſt, ut amorem

S. Theref. in vi. ſua prox. ſup.

S. Nil. ep. 322.

Iſaac Lyr. l. de cõtempt. mun. poſt med.

amorem & potentiam conjunctim applicet ad opus. Ut potens & amans curat in ſuis augere virtutis nitorem.

27. Prope ſuæ paſſionis veſtibulum Salvator aderat. Et ſciens quantùm in ſpirituali cultura curanda ſit humilitas : ille, qui per omnem vitæ ſeriem dederat propriæ demiſſionis exempla, rurſus ad curriculi mortalis finem, egregium virtutis hujus factum propoſuit oculis alumnorum. In pelvim fudit aquam ; diluit eorum pedes, & extorſit. Poſtmodum dixit ad illos : *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter* : &c. Adnotare pronum eſt quòd profundiſſimæ ſubmiſſioni, qualis eſt pedum lotio, conjunxerit hoc loco dominationis titulum. Et adaugetur dubium ; quia ſuperfluum videbatur dicere : *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus*, cum prius immediatè prædixiſſet : *Vos vocatis me Magiſter, & Domine : & bene dicitis : ſum etenim.* Ut quid iſta repetitio nomenclaturæ Domini? Quòd ſemel ac iterum protulerit Magiſtri nomen, eſto : nam dicemus, ita diſcipulis inculcare velle, ſe doctrinam opere per ablutionem pedum exhibuiſſe : quæ ratio corroboratur ex verbis quæ ſequuntur mox : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* At qui jam ſe dixerat Magiſtrum atque Dominum ; quare ſe rurſus iiſdem nominibus appellat, cum tam humile munus exercuerat? Nota, Chriſtum Dominum aquis eluentem ſuorum plantas inſinuaviſſe cupere nitidam perfectionem virtutis majorem in Apoſtolis. Prodeſt audire nunc Rupertum. *Ipſa*, inquit, *autem peccata, quæ non omnino poteſt effugere vita humana quamlibèt religioſa per pulverem pedum ſolent ſignificari*, &c. Apoſtoli verò, ut notavi ex Hugone ſl. 15. delibat. 3. n. 35. erant in unum conventum aggregati ſub Chriſto Domino Priore : proindeque religioſorum typus fuerunt. In religioſis animabus ulteriùs perficiendis poteſtatem necnon & amorem unà Salvatorem adhibere (ut ad opus magnæ molis) forſan inſinuavit ipſe, cùm ſe pedes laviſſe Dominum & Magiſtrum aſſeruit : nam Dominus poteſtatis nomen eſt ; Magiſtri vox præ ſe fert amorem. Sic in illo regularis Congregationis augmento ſpirituali, quod per Thereſiam ſatagebat amans & potens Deus, oſtendit, ut prædixi.

Ioann. 13. 14.

Ib. n. 13.

Ibid. n. 15.

Rupert com. in Ioann. l. 11. c. 13.

28. *Torquet valde juſtũ, quòd non uniantur ei quos bonos agnoſcit.* Tertium & ultimum in D. Thereſiæ peregregio ſuæ dilectionis opere, quod uſque nunc expendimus, admirabar, eſt inſignis tolerantia, quâ pertulit contradictiones ab alioquin piis. Conſiderantes arduitatem propoſiti magnam, in cujus executionem nitebatur Thereſia : librantes quàm ſit invalida paupertas, & ſolitet eſſe credendo levis muliebris conditio, diſplicebat eis quod ipſa divinitus inſpirata perficere curabat. Contradicentes iſti bonô ferebantur animô ; ſed illuſi, quia volebant naturali ratione comprehendere quæ cœlitus diſpoſuerat Omniſcius. Cum juſti conatibus obſtant mali, ſpiritus dilectione Dei roboratus irridet facilè ſceleſtos impugnatores : agnoſcens, iniquorum judicia parvipendenda ; ſicut mente ſanus nihili facit opprobria dementum. Sed quando reſiſtunt optimis votis animæ ſanctæ viri probi, dolet illa maximè. Numeratur inter Aſſertoris tormenta gladius, quo Princeps Apoſtolorum vulneravit Malchum : nam ſic oppoſuit ſe deſiderio Salvatoris ordinatiſſimo de noſtra redemptione per paſſionem conſummanda. Petro quidem ſimiles reperiuntur aliqui reſiſtentes juſtis : non quod mali ſint ; ſed quoniam infirmi. S. Auguſtinus adeſt. *Pro iſtis*, ait, *membris adverſus vos ſæviunt & vobis reſiſtunt quicumque in catholica* (fortaſſis addendum : *Eccleſia) parvæ adhuc fidei, eo animo ſunt, quo tunc Petrus fuit cum ferrum pro Chriſti nomine ſtrinxit* : &c. Ex his conjice, martyrii genus eſſe dividi bonos à juſto, putantes ita laudabile quid agere. Torquetur valde virtutis amator, cùm ſecerni videt eos à ſe, quos bonos agnoſcit.

S. Aug. to. 7. l. 2. contra lit. Petil. c. 88.

29. Saulus divinitus mutatus in alterum virum, prædicans Damaſci, Jeſum eſſe filium Dei, confudit Judæos : qui poſt dies multos inito conſilio voluerunt ei vitam eripere. Notæ factæ ſunt illorum inſidiæ : ſuſcipientesque diſcipuli Paulum, curaverunt ut per murum dimiſſus evaderet. Tunc D. Lucas ait : *Cum autem veniſſet in Jeruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus.* Mirum eſt, quòd famæ Pauli penes veritatis alumnos Evangelicæ Dominus haud citiùs conſuluerit. Sanè cum Ananias putaret, illum adhuc eſſe perſecutorem Eccleſiæ, Dominus per viſum aperuit eidem, quàm falleretur, antequam accederet ad ipſum. Quare non ſimiliter diſcipulis illis, de quibus ante dixi, revelatum deſuper eſt cum primùm Paulus venit Jeroſolymam, eum eſſe fidelem? Quia, cum, ſic diſponente Deo, ſervatus fuerit à ſubeunda morte, quam in odium fidei ſtatuerant inferre Judæi Paulo ; Dominus voluit illi quaſi compenſare martyrium per tormentum non vulgare. Scis quantum doleat amans quòd ipſe quem diligit abominetur amore proſequentem. Diſcipulos eos Paulus verâ fide jam illuſtratus amabat ; ipſi verò neſcientes hoc, imo putantes rectum quid agere ſi non ſe jungerent eidem, dividebantur ab eo. Sic indicat Scriptura : non enim dixit : ſe conjunxit Saulus diſcipulis, quamvis formidantibus eumdem ; ſed ibi legitur : *Tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum*, &c. Evaſerat mortem ; ſed torſionem (ne meritô martyrii fruſtrari videretur) accepit neci fere ſupparem : nam dolorem lethali ſimilem perpetitur qui rectos aſpicit, cum ſit juſtus, adversùm ſe ſtantes, bono fine ductos. Adverſabantur votis D. Thereſiæ contradicentes quidam virtutis amantes : & quivis illorum exiſtimabat, ſe rectam rationem ſequi. Duriſſimum extitit hoc Virgini piæ. Fructus colligat hinc patientiæ qui ſimiles vel minores oppoſitiones patitur in commendabilibus factis. Hæc dicta ſint pro Carmelo. Properemus ad nonnulla quædam

Act. 9. 26.

Dion. Carth. com. in Proverb. 13. 23.

novalia : quippe *multi cibi in novalibus Patrum* &c. Dionyſius Carthuſianus hîc : *Spiritualiter autem in novalibus, id eſt, libris, doctrinis, exempliſque Patrum ſunt multæ alimoniæ ſpirituales*, &c.

DELIBATIO III.

Fructus ex novali Sancti Mauri Abbatis.

30. *Quàm Deo placeat offerri ſibi teneram ætatem, innocentiâ comite.*

DE S. Patriarcha Benedicto dedi quædam ſupra fl. 15. delib. 2. Nunc laudare conabor ejuſdem Patris germen inclytum. Fœcunditas agri commendatur ab excellentia fructuum : quantò commendabilior ille foret, ſi campum generaret fertilem ? Sic ſpiritualiter accidit in Benedicto : qui multiplicatus in filiis, abſque diminutione, diviſus eſt in plura novalia ſatis opima ; de quibus unum præſenti capite delibabo. Primùm occurrunt floſculi ; ſcilicet virtutes D. Mauri, cum teneros adhuc ille duceret annos ; de quo S. Gregorius Papa : *Maurus junior cum bonis polleret moribus, magiſtri adjutor cœpit exiſtere.* Duodennis erat, cùm à genitore ſuo traditus eſt ſub tanti magiſtri diſciplina : felix è nobilitate præceptoris ; illumque felicitans ex ubertate proventuum. Non adhuc ætate maturus ita perfectionem virtutis maturavit, ut quaſi clarum ſanctitatis religioſæ ſpeculum haberent Benedictini monachi. Non demirabor, omnes diſcipulum ſic appretiatos fuiſſe, velut ſi jam fungeretur magiſterio : nec morabor in eo quòd parens Benedictus eum pluſquam cæteros amaret genitos : nam S. Joannes Chryſoſtomus dixit : *Quis enim non revereatur juvenem caſtè ſobrieque viventem ? quis non amplectatur, exoſculeturque eum, qui cupiditatibus frænum impoſuit* ? Magis libet in ſtateram conſiderationis, quoad poſſumus, æſtimationem reducere, qua Deus magnifecit oblationem pueri Mauri ſuæ majeſtati dicatam ab Eutychio, qui genuerat ipſum. Ducit multî Dominus conſecratum ſibi florem ætatis exornatum innocentiæ pulchritudine. Minùs illi gratum eſt animum dedicari, qui per longiora temporum ſpatia jam terras inhabitat.

D. Greg. Mag. to. 1. l. 2. dial. c. 3. fi.

Chryſoſt. to. 2. hom. de Annæ fide. juxta fin.

31. Dolebat Anna Samuëlis mater defectum prolis : nam æmulam habebat conjugem alteram viri ſui, conjicientem in faciem quòd vulvam ejus Dominus concluſiſſet. Ad templum veniens Anna recurrit ad preces, & currere jubet lacrymas. Nec his contenta votum emiſit, conſecraturam ſe Domino filium, ſi providentia donante gigneret illum. Facta voti compos, poſt ablactationem ejus, promiſſionis fidem liberavit, offerens Altiſſimo genitum. Dixit ad Heli ſacerdotem : *Ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino.* Motivum dubitationi præſtitit in re non obſcura Chryſoſtomus : notavit enim Annam haud ſolum puerum Samuëlem dicaſſe templo Domini. *Depoſitum*, inquit, *accepi, & hoc ei reſtituo qui dedit. Atque hæc dum loquitur, ſeipſam quoque dedicavit cum puero quaſi ſolido quodam naturæ affectu ſeipſam templo alligans. Etenim, ſi ubi eſt theſaurus hominis, illic eſt & cor ejus : multo magis ubi puer mulieris, ibi & mens illius erat*, &c. Optimo jure ſic aureus Doctor cogitavit : non ſolùm quia matrem à filio, qui remanſit ſacratus templo, dividi non ſineret maternus affectus, qui tam validus eſt ; ſed etiam quia non ignorabat, noſtras oblationes Deo non acceptas fieri, niſi noſipſos ei libenter offeramus. Poſita doctrinâ Chryſoſtomi, jam enaſcitur inde breviter ſolvenda quæſtio. Quare mulier de filii dedicatione loquens, non addidit quidquam circa ſuimetipſius oblationem ? Puto ſiluiſſe quod minùs Deo placere credidit ; & expreſſiſſe verbo donarium gratius. Minor ætas in Samuële, quàm in genitrice, præferri coram Domino fecit conſecrationem pueri : quem jam tunc temporis virtutibus imbutum credet audiens dicentes apud Hugonem, ſupreſſo nomine, quoſdam, tres diſtinguendas puerorum ablactationes. *Prima eſt à lacte mamillæ, quæ fit in tertio anno. Secunda à lacte infantiæ, quæ fit ſeptimo anno. Tertia à lacte pueritiæ, quæ fit duodecimo anno.* Et infra : *Alii dicunt, eum adductum poſt tertiam ablactationem, quaſi jam idoneum ad miniſtrandum. Unde ſtatim ſequitur : Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini.* Sic extitit placita Deo dicatio Samuëlis duodennis, & virtute jam exornati ; quod non erat opportunum, Annam loqui de minus acceptæ Domino ſuiipſius oblatione, ſuperantis ætate filium. Facilis eſt hinc tranſitus ad Maurum duodecim numerantem annos, cùm ſiſtebatur Altiſſimo ſub manu Benedicti, jam pietate florens, & majora per indolem promittens.

Chryſoſto. to. 1. hom. de Anna, de que Sam educ. poſt. med.

Apud Hug. Cardin. in l. 1. Reg. c. 1. ante fin.

32. *Quantùm juſti renuant accipere gloriam de miraculoſo eventu.*

Adolevit B. Maurus animo velociùs, quàm corpore : magis enim ſunt perpetes amoris alæ, quàm temporis : quoniam hoc ita volatum perficit, ut in ſemetipſo deficiat, quaſi vires paulatim debilitans ; amor autem pennas explicat in Deum, nitens perpetuò magis ac magis roborari. De multis præclariſſimis exemplis, quæ legere poſſemus à Patris hujus novali fructibus pleno, deligo quædam penſitanda. Primum narratur ſic. Aberat S. Benedictus, dans operam cuidam charitatis exercitio. Ejus vicem agebat in monaſterio Maurus. En filium claudum & mutum parentes hujus adducunt. Procidunt ad Mauri pedes ora fletibus rigantes, atque ſingultibus dolorem oſtendentes : ſupplicant ut ob amorem Jeſu Chriſti ſanaret miſellum. Sanctus repugnabat humiliter ; ſed tandem victus gemitibus atque fletibus parentum, ſimulatque piis fratrum ſuorum rogatibus, imponens capiti pueri ſtolam, quam S. Benedictus ei donaverat, ut ſacro Diaconatus inſigniretur ordine, ſanitatem contulit ei, miraculum attribuens D. Benedicto ; non ſibi. Humilitati familiaris eſt amor æquales præponendi ; nedum anteferendi majorem. S. Thomas à Villanova : *Juxta*, inquit, *hanc igitur*

Ribaden. in vi. S. Bened.

1 Reg. 1. 28

S. Joann.

S. Thom. à Villanov. ſer.

Bernardi

de S Martin. longe poſt princ.

Bernardi ſententiam, ille humilis cenſendus eſt, qui pro nihilo ſe reputat, & ab aliis reputari vult .... majoribus cedit, æqualibus ſe ſubjicit, inferioribus adæquat, deſcendit libens, aſcendit invitus, laudari erubeſcit, &c. Hujus ruboris Maurum teſtem advocemus : utpote qui ſeipſum confudit cum poſtularetur ab eo ſalus miraculoſa ; quin & poſtea nollet ut prodigium crederetur ab illo peractum. Non dubito, Benedictum etiam renuiſſe gloriam facti : ſumens argumentum à ſimili de mox expendendo caſu ; quò liberationem Placidi mirabilem à lacu Maurus tribuebat juſſo Magiſtri ; Benedictus autem referebat obedientiæ Mauri. Amicè contendunt ſancti, quiſne ſe deprimat humiliùs. Non invidentes alterius virtuti, nec ſe de humilitate præferentes ad invicem, prodigii gloriam ſinguli recuſant.

33. Raptus eſt Elias ; remanſitque dolens Eliſæus. Levavit Eliæ pallium, quod ceciderat : eoque percuſſit aquas Jordanis, ut partiretur eas, atque tranſiret in oppoſitum ; ſed fruſtra. Secundò percuſſit ; & tunc diviſæ fuerunt, ac pertranſivit. *Et pallio Eliæ, quod ciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ. Et dixit : Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc ? Percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc atque illuc, & tranſiit Eliſeus.* Myſtico pondere non vacat, Vatem bis percutientem latices eodem inſtrumento, priùs fruſtratum eſſe ; non autem cùm ſecundò verberavit undam. Nonne Magiſtri meritis confiſus erat : Sic puto : nam pallio fidebat Eliæ præceptoris ut aquas finderet. S. Althelmus : *Nonne*, inquit, *Eliſeus propter pudicitiæ virginalis inſulam, magiſtri fretus melote, enormem Jordanis gurgitem diremit*, &c ? Ergo quare Magiſter, licet abſens, non operatur per manus Eliſei virtutem illam cùm ſemel ejus pallio vulneratæ ſunt aquæ fluminis ? maximè vero (prout credi poteſt) mediante diſcipulo fluenta ſcindit quando rurſus melote percutiuntur aquæ ? Conjector ibi quamdam tacitam veluti contentionem inter Eliam & Eliſeum, recuſantes accipere ſibi gloriam ex illo mirabili. Conabatur Eliſeus ut eventus miraculoſus attribueretur Eliæ : propterea non per aliud, ſed Magiſtri pallio percuſſit aquas. Econtra reſpuebat Elias per id glorificari. Poſt percuſſionem primam & ante ſecundam protulit Eliſeus illa verba : *Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc ?* Tunc operatus quodammodo fuit Elias portentum per pallium, q.d. Uſque nunc Dei nomen alumnus meus dilectus non protulerat ; proptereaque mihi ratione pallii gloria prodigioſi operis arrogaretur. Id humilitas mea non patiebatur. At nunc Deum verbis expreſſit ; proinde jam diviſio Jordanis Altiſſimo tribuetur. Fiat igitur, inquit, cum jam apud omnes, vel multos, glorificatio non cedet mihi ; ſed Omnipotenti, diſcipuloque meo Deum invocanti. Sic inter ſanctos viros pium diſſidium inveniri ſolet, ut quis alteri linquat laudem. Quod litigium (quamvis non referant Scriptores) hîc facilè credam, inter Benedictum & Maurum fuiſſe, dum ſanationi pueri fuiſſe abſentem ſe, prætenderet Benedictus, ne propter applicationem ſtolæ gloria curationis vendicaretur ei ; Maurus autem renueret exaltari, dicens Magiſtrum ſanitatem iſtam contuliſſe, cum per ſtolam ab eo donatum ſalus advenerit.

4. Reg. 2. 14.

S. Althel. l. de laud. virgin. c. 10.

Sequitur expendendus caſus alter ; in quo necnon enituit excellens humilitas Mauri. S. Placidus degebat in monaſterio ſub educatione Benedicti. Cum perrexiſſet ad lacum reportaturus aquam, fortè lapſus eſt ; & periclitabatur mergi. Deo revelante ſciens Benedictus Mauro præcipit, ut illi præbeat opem. Feſtinat obediens, ingreditur aquas, reputans quòd terram calcaret, & incolumem de crine traxit Placidum ; ac poſtea vertens oculos advertit cucurriſſe ſuper fluidam, & ſtupore correptus eſt. S. Gregorius Papa : *Itaque*, ait, *uſque ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans ſuper aquam cucurrit, eumque per capillos tenens curſu rapido rediit. Qui mox ut terram tetigit, ad ſe reverſus poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnovit, & quod præſumere non potuiſſet ut fieret, miratus extremuit factum.* Hîc tantùm adnotabo, quare Deus Maurum diſpoſuit ſic aquarum fluiditati prævaluiſſe neſcientem : cur non conſcius erit miraculi ſui Maurus dum perpetrat illud ? Voluit Altiſſimis oſtendere, congruum eſſe juſto ſuummet opus ignorare, quod ipſi laudem parere poſſit. Humana laudatio fur eſt, meritum carpens, vel tollens ; ac hic latro domui noſtri pectoris extraneus eſt. Magis metuendus ille direptor ſpiritualium bonorum latens intra noſipſos, nempe vana gloria ; cum latrocinia domeſtica vitentur ægriùs. Ut igitur juſtos Deus à gloriola reddat ſecuros, aliquando providet ut factum admirabile perficiant ignoranter : ſic enim proclive maneat elationem declinare : nam dum id agunt cum operis ignorantiâ, non valebunt extollere ſe de facto ; poſtea verò, ſi reſciant, facillimum eſt à ſuperbia ſe tueri, cogitantes, nihil egiſſe voluntariè, & per conſequens laudabiliter ; cum nil ſit volitum, quin præcognitum. O providentiam ineffabilem, quæ juſtos & à ſemetipſis tuetur ! Neſciat humilis prodigium cui miniſtrat, ne ſuperbiat.

34. *Deus aliquando curati ut neſciat juſtus prodigiũ cui miniſtrat, ne ſuperbiat.*

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 2. dial. c. 7.

Poſt reſurrectionem Dominicam aliquot ex Apoſtolis in mari Tiberiadis incumbebant piſcationi. Poſtquam nocte nihil prendiderunt, mane facto divinus Magiſter in littore ſtans apparuit ; ſed primùm non fuit agnitus ab eis. Ignotus dixit ad illos : *Mittite in dexteram navigii rete ; & invenietis. Miſerunt ergo : & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Rupertus expendens illud ſacri Sextus : *Dixit ergo eis Jeſus : Pueri* &c ? ait : *Ergo, inquit, quia nondum cognoverunt ipſum eſſe, qui de mari vocaverat eos, ut faceret piſcatores hominum, benignè ad ignorantes deſcendit, & locutus eſt principio captoribus piſcium, quomodo loqueretur quilibet emptor piſcium.* Unde colligere poſſumus, cum dixit eis ?

35. Ioann. 21. 6.

Rupert. l. 14. in Ioann. c. 21. 5.

Mittite &c. non adhuc agnoviſſe diſcipulos Dominum ; nec niſi poſtquam Joannes vidit captam fuiſſe multitudinem copioſam natantium, ei venit in mentem, illum eſſe Magiſtrum. Idem Rupertus ad verba : *Dixit ergo diſcipulus* &c. ſic habet : *Ergo, inquit, quia magnus ille puerorum ſuorum appellator, qui in littore ſtabat, tam veraciter prophetaverat, dicendo* : Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis, *venit in mentem priori diſcipulo illi, quem diligebat Jeſus, quia Dominus eſt.* Quæret aliquis. Ut quid Salvator noluit ab Apoſtolis citiùs agnoſci ? ſemel quod agnitionem ſui tandem non denegaturus erat ; quare non ante capturam piſcium detexit ſemetipſum, dicens : Ego ſum ; vel aliter ? Quia copioſa captio retis miraculum extitit, ad quod utcumque miniſterium diſcipuli præbuerunt. Cum non intelligerent quis eſſet ille, qui dixerat ut rete mitterent, operati ſunt neſcientes opus eſſe miraculoſum. Ita congruebat, ne vanâ tangerentur gloriâ de prodigio. Quòd intellexerint iſtud poſtea, nihil dictis obſtat : nam facile fuerat pro vitanda ſuperbia recogitare, ſe neſcientes operatos fuiſſe. Non longe abſumus à prædicto miraculo Mauri : pergamus ab aquis ad aquas. Ingreditur lacum D. Maurus, exiſtimans per terram gradi : quò tutus foret à ſuperbiendo pro devicta feliciter aquarum naturâ, congruebat neſcire ſe quà tenderet : ut neque tunc, quoniam ignoranter ibat, gloriaretur ; neque poſthac, nam adverteret, involuntariè per aquam tetendiſſe. Mira quidem protectio divina circa juſtum illum ita ſibi dilectum, ne vento gloriolæ quaſſatus rueret !

Idem. ib. ad n. 7.

36. *Aliquando magis movetur amans ut doleat exitium adverſariorũ ; quàm amicorum abſentiam.*

Aliquid nunc de charitate S. Patris adducamus in medium. Seſe nobis offert opus inſigne. Dynaſta nomine Florus Regi Galliarum acceptiſſimus decrevit magnificum extruere monaſterium ad ſancti voluntatem elaboratum. Jam ædificationi dabatur opera ; cui clericus præerat quidam. Is fortè cecidit ex prælto loco : lapidibus illiſus ita miſerabiliter contuſus eſt ut per omnes corporis partes effueret ſanguis. Quaſi iam vita functus foret, agebatur de ſepultura. Sanitati reſtituit illum D. Maurus. At (prout eſt hominum temeraria protervaque nequitia) quidam ex artificibus illum hypocritam, cupidum, & ambitioſum dicere non timuerunt. Ex his detractoribus tres mox pœna ſubſecuta fuit ; uno vitam agente, duobus verò factis energumenis taliter, ut mutuò ſe ferirent, atque diſcerperent ad invicem. Quid ad iſta Maurus ? Profuſis lacrymis deflevit illorum ſupplicium : & recurrens ad orationis vires, Dominum precatus eſt dolenter pro tribus illis. Annuit Omnipotens : primus revocatur ad vitam ; duo verò liberantur à dæmone. O virtutis magnitudinem infinitati vicinam ! Non audet multùm ſic loquens admiratio : nam S. Valerianus dixit : *Infinita autem virtus eſt, odia viciſſe beneficiis. Nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.* Non deſinam hoc loco notare nonnihil. D. Maurus veniens ad urbem Orlienſem accepit quòd è vita migraverat Epiſcopus Bertingranus : qui motus famâ ſanctitatis Benedicti filiorumque, petiit ab eodem mitteret aliquem ex diſcipulis, quò fundaret in ſua diœceſi monaſterium : ad quod munus dimiſſus eſt Maurus. Hic triſtatus fuit cùm reſcivit mortem iſtam ; ſed eam ploraviſſe non lego. Et illorum trium detractorum deflet ille meritam ſatis pœnam ? Inde colligo, pectus dilectione proximi fervens nonnunquam magis moveri compaſſione de ſuppliciis adverſantium ſibi, quàm per abſentiam illorum, quos amat : lacrymabiliter dolebit exitium adverſariorum : quia magis nititur ad amorem inimici de ſe difficilem ; non autem ſimile doloris indicium præbebit cùm dividitur ab amicis.

S Valerian. hom. 12.

Quantumvis Filio Dei propter ſummam ſanctitatem arduus non eſſet amor hoſtium, tamen liceat pro confirmatione proximæ cogitatiunculæ quicquam aliqualiter mutuari de factis ejus. Acceſſit hora denique, qua tradendus erat manibus hominum ille, cui dederat Pater in manus omnia. Notum facere cupiens qualem curam ageret ſuorum, dixit comprehenſoribus : *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Stupebam quòd potuerit amor Chriſti Domini labiis hæc verba dare, quin donaret lacrymas oculis. Non longo tempore priùs Jeſus appropinquans Jeroſolymæ, *videns civitatem flevit ſuper illam*, &c. Manifeſtum eſt, Dominum fleviſſe miſericordiâ motum de futurâ deſtructione Jeruſalem. Iſtam fuiſſe dilectam à beniginiſſimo Domino, fateor : ſed an Apoſtolos impensè non amabat ? valuit ſiccis oculis de horum diſceſſione fari ? *Sinite hos abire.* Lacrymatur meditans urbis exitium venturum ? Siſtat mens noſtra gradum : recogitet qualiter in Salvatore dilectio inimicorum progrederetur ad ſumma. Præmittamus dicendis Theophylactum. *Plorat*, inquit, *ſuper civitatem, ut miſericors, nolens perdi eos qui in illa, propter facinus contra ſe, oſtendit itaque viſcera miſericordiæ per fletum.* Apoſtolos itaque Chriſtus Dominus à ſemet ſeparari non adeo doluit ut ploraret ; quia non tam fortiter commovit, ejus præcordia dilectio circa illos, ut eorum abſentiam dolere lacrymis teſtarerur. Atverò potens fuit amor hoſtium ad ſuadendas lacrymas præ miſericordia. Sic offenſorum condolet malis charitas. Reperiens Maurus abeſſe per obitum Antiſtitem, cui Benedictina Religio debuerat affectum, nequaquam lacrymatus eſt ; maximè verò, cùm vidit punitos ferientes cum linguâ.

37.

Joann. 18 8.

Luc. 19. 41.

Theophyl. com. in Luc. ib.

Ad vitæ Mauri finem feſtinus venire cogor, ne multus videar. Unam tantummodo circumſtantiam eſt animus expendere. Teſtantur aliqui, ſuis commendaviſſe Maurum, ut ſepeliretur cum ipſo pariter epiſtola quædam ad ipſum à S. Benedicto miſſa, cujus hæc erant verba : *Poſt expletam enim totam trinam vicenorum annorum*

38. *Viri perfecti, dum vivũt, oſtẽdere gaudent, ſe non ambire poſt fata plauſus.*

Habetur in

opuſc. S Benedic. apud Biblioth. PP. to. 9.

annorum decurſionem, ex quo monaſterialem adiſti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus: ut nobis heſterno die, poſtquam à nobis digreſſus es, Dominus oſtendere eſt dignatus. Quid movere potuit Maurum ad hoc ut optaret, hanc ſecum epiſtolam conſepeliri? Proferam quod offertur. A gloriatione de ſeipſo Maurus ita cavit in vita mortali prudens; ut, ſi dicere fas eſt, viſus fuerit etiam poſt mortem ab illa quaſi præcavere: proptereaque noluiſſe, ut poſt ipſius obitum legentes litteras illas indifferenter certi fierent per divinam revelationem, ſcriptis Benedicti relatam, in cœlis regnare Maurum. Non utique ſtatus beatitudinis dat locum pavori de contrahenda labe vanægloriæ: ſed ita Maurus in hoc ſe habuit ac ſi glorioſus in patria cœleſti formidaret illud vitium, quod refugiebat ſollicitus dum viveret. Illud certum, quod beati Spiritus in Empyrea ſede conſervant humilitatem. Fr. David de Auguſta: *Talis*, inquit, *eſt humilitas Angelorum & Sanctorum in gloria, qui cum ſint pleni ſummo bono, & ſummo honore ſublimati, nullum motum habent de hoc ſuperbiæ, ſed ſunt in ſe humiliores, quò altiores in Deo.* Hoc præmiſſo, dicam. Viri perfecti, dum vivunt, notum facere gaudent, ſe non ambire poſt fata plauſus; imo cupere ne gloriam à mortalibus accipiant.

Fr. David de Aug. inform. novit. c. 17.

39. Ad finem Deuteronomii narratur exitus Moyſis è vita: deque ſepultura ſic habetur ejuſdem: *Non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem.* Hebræus Philo de Moyſe loquens ait: *Afflatus divinitus, vivens adhuc prophetavit de ſeipſo tamquam mortuo, ante obitum narrans, ſe mortuum ſepultumque inſpectante nemine, videlicet manibus non mortalium, ſed virtutum immortalium, ne majorum quidem monumentis: illarum quippe cui monumentum contigit eximium haud cuiquam notum homini.* Quo fine Moyſes hoc de ſepulchro ſuo ſcripſit? Aliter accidiſſe video circa ſepulchrum Redemptoris. Hoc non ſolùm tunc notum extitit; ſed litteris locus mandatus eſt per Evangeliſtam, dicentem: *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſcevem Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.* Diſparitas rationis eſt manifeſta pro utrâque ſepulturâ; quarum prior manet ignota; ſecunda verò notiſſima. Chriſtus Dominus vitam finiit odio habitus à populo Judaico; Moyſes verò dilectiſſimus eidem obiit. Ea propter hic voluit ut pateret, ſe non ambiviſſe cultum à Judæis poſt mortem accipere. Sic ille vitam finiens acceptus erat Iſraëlitico populo, ut unum ex motivis, quare fuerit ſepultus incognito loco Moyſes, hoc extiterit: ſcilicet; *ne Hebræi corpus ejus, utpote ducis & legiſlatoris ſui, velut numen, vel divinum quiddam colerent.* Quam rationem affert ex Theodoreto, Procopio, & Chryſoſtomo Cornelius Alapide. Sicut ergo providentia divina voluit huic obſtare mortalium honori; ſic illum ſibi non cupere quaſi proteſtatus eſt Moyſes, cùm ignorationem ſepulchri ſui litteris mandavit. Ecce qualiter cor juſti refugit ab homine ſumere decus. Humilitatis aſſecla Maurus veluti profitetur, non optare ſe poſt obitum à mortalibus decorari; dum voluit condi ſecum ſui magiſtri litteras; de quibus patere potuit, illum in cœleſti regno triumphare.

Deuteron. 34. 6.

Phil. Hebræ. l. 3. de vi. Moy. juxta fin.

Joann. 19. 41. 42.

Cornel. Alap. com. in Deuteron. 34. 6.

DELIBATIO IV.

Fructus ex novali Sancti Gregorii Magni.

LAudanda modò ſequitur altera Patriarchæ Benedicti generoſa propago; Vicarius nempe Filii Dei Gregorius, re nomineque Magnus. Ejus virtutis exempla deſcripturus aliquot, ab inſigni quidem abſtinentiâ vellem exordiri; quò pateſcat, etiam in virtute neutiquam inter cæteras maximâ fuiſſe progreſſum ad ſumma. Sanctus vir ægrotabat eo morbo, quòd niſi frequenti cibo reficeretur à fratribus, ipſi ſpiritus vitalis funditus intercipi videretur. Adveniebat Paſchalis feſtivitas: & in ejus vita ſic legimus: *Dum ſacratiſſimo ſabbato, in quo omnes etiam parvuli pueri jejunant, ipſe jejunare non poſſet, cœpit plus mœrore quàm infirmitate deficere.* Et infra: *Oratorium petiit, ſeſeque cum lacrymis ut ſaltem die illo ad jejunandum ſibi virtus daretur, in orationem dedit. Et poſt paululum completa oratione digreſſus, tantam virtutem ſuum ſtomachum percepiſſe cognovit, ut ei cibus & morbus de memoria funditus tolleretur.* Quòd viri ſpiritualibus dediti, cum per languores impediuntur ab exercitio quarumdam virtutum, cupiant illas opere complere, laudabile quidem eſt; ſed paſſim reperitur. Atvero quòd B. Gregorius, vetante jejunium infirmitate ſollicitaverit à Deo vires ad jejunandum, ſuperexcellens abſtinentiæ ſuæ laus eſt. Et ô quàm prudenter ſatagebat ſpiritus ejus abſtinere cùm adverſarium ſibi corpus infirmabatur! In bellis temporalibus, etſi protunc hoſtis debilitatus exiſtat, hoc non tollit quòd alter ſe muniat armis. Corpus & anima prælia gerunt: & ſimiliter licet caro langueat; ſpiritus de jejunio ſatagit: novit enim, per hoc in certamine virtutis armari. S. Petrus Damianus: *Ama*, inquit, *jejunium, ut dum inediâ corpus atteritur, anima cœleſtis gratiæ pinguedine ſaginetur. Et ſerpens ille, qui comedentem hominem cibi telo proſtraverat, jejunanti nunc per ſobrietatis arma ſuccumbat.* Validè nimis roboratur ad virtutes homo per ciborum parcimoniam. Confiteor, præcipuum robur cœlitus à Deo venire ſuis militibus adſtante; ſed jejunium adeo fortificat, ut varde peculiarem aſſiſtentiam Dei veluti ſupplere valeat. Divina peculiaris protectio multùm prævalet,

40. *Jejunium videtur quodammodo ſupplere poſſe peculiarem aſſiſtentiam Dei.*

Joann. Diacon. in vi. S Greg Mag. l. 1, n. 7. & 8.

S. Petr. Dam. l. 2. ep. 11. juxta fin.

atque munit hominem ; ſed penè videtur, idipſum poſſe jejunantem abſque illâ, quod poterat ſpecialiter protectus, dum non jejunabat.

41. Inquiſierunt à Salvatore diſcipuli Joannis, quare, cum ipſi, necnon & Phariſæi jejunarent frequenter, alumni doctrinæ Redemptoris haud jejunio corpus affligerent ? Reſpondit illis Dominus : *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus ? Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus : & tunc jejunabunt.* Commentatur ibi Rupertus : *Planè*, inquit, *jejunabunt in illis proximè venturis diebus, cum ablatus fuerit ab eis ſponſus, cum paſſus, mortuus, & ſepultus reſurrexerit, & in cœlum aſcenderit, jam non ultra cum eis in mundo hoc corporaliter converſatus.* Scire vellem, quid proportionis habeat jejunium Apoſtolorum cum abſentia Magiſtri plùs, quàm cum præſentia. Nonne Chriſtus Dominus terras inhabitans jejunavit ? cur non diſcipuli ſequentur in hoc Præceptoris veſtigia, dum ipſe converſatur inter eos ? Fortaſſis Dominus ita providens inculcare cupiit abſtinentiæ vim. Ante diſceſſum ipſius ad cœlos aderat ſuis peculariſſimè Verbum incarnatum : quod præſentiâ multùm contuliſſe non dubitatur eiſdem pro virtutibus exercendis. Illa corporalis aſſiſtentia ceſſatura fuerat per migrationem ad cœleſtia. Poſt hanc, quaſi Filii Dei præſentiam ſupplens, jejunium aſſumeretur ab Apoſtolis in auxilium : tanta quippe ſtrenuitas accedit jejunanti, quòd penè videri poteſt, aſſiſtentiam peculiarem Dei ſuppleri per illud. Non fruſtra B. Gregorius itaque, ſicut prædixi, diligebat abſtinentiam, ſic ut infirmus oraverit ſibi dari vires, ut uno ſaltem die jejunaret. Paſcamur nos exemplo : nam etiam ad parcimoniam ciborum ſectandam proſunt illi, qui reperiuntur *multi cibi in novalibus patrum* &c.

Matth 9. 15.

Rupert. l. 8. in Matth. ib.

42. *Nomen humile voluntariè ſuſceptum decoroſum eſt.* Plurima dimitto S. Pontificis exempla : quæ deſumi poſſunt ex ejuſdem novali, quandiu ſub obedientiæ jugo manens coluit illud. Nonnulla deinceps proponam ex ipſius culturâ : quam non deſeruit poſtquam ad Summi Pontificatus culmen aſcendens agri Domini curam paſtoralem ſupremam ſuſcepit. Jam perantiquum eſt ut cuncti ſucceſſores Petri ſemetipſos cognominent ſervos ſervorum Dei. Notiſſimum eſt, ejuſmodi titulum celſitudini Pontificatus acceſſiſſe per exemplum D. Gregorii Serarius : *Tituli autem*, inquit, *ſervi ſervorum Dei occaſio contigiſſe ſancto Gregorio dicitur, è contrario Conſtantinopolitani Patriarchæ Joannis faſtu, qui Oecumenicum, ſeu univerſalem Epiſcopum ſuperbè ac falsò inſcribere ſe auſus eſt*, &c. Acceſſit, inquam, agnomen iſtud majeſtati Pontificiæ, honorem adaugens eidem : cum enim deſignet humilitatem, quemque maximum decorat. Illuſtrem vocavit meritò S. Joannes Climacus demiſſionem propriam, quam ſcribens amplexus eſt. *Illuſtri alacrique ſubmiſſione* &c. Amorem Dei habet humilitas perfecta patrem, qui princeps in republica virtutum eſt genitricem vendicat cognitionem propriam, filiam intellectus, in hominis interioris privato regno ſceptra tenentis : ex quibus progenita convincitur clara ſplendore primô. Nobiles eſt fecit multos militia triumphorum laureis. Humilitas etiam hac via nobilitatur : nam inſignes victorias humilis de ſemetipſo conſequitur ; & ita feliciter, ut in eo tantùm vincatur, quòd, cum intendat omnes præponere ſibi, potiùs ex hocipſo fiat anteferri cunctis. D. Joannes Chryſoſtomus : *Chriſtianus tunc*, inquit, *maximè ſupra omnes eſſe incipit, cum inferiorem ſe omnibus facit*, &c. Maneat igitur, nomenclaturam, quæ denotat humilitatem, extare honorabilem valde. Decoroſum, inquam, eſt nomen ſervi ſponte præ voluntariâ demiſſione ſuſceptum.

Serar. in notis ad ep. 2. S. Bonif. Arch. Mag.

S. Ioann. Clim. in ſcal. gr. 1.

Chryſoſt. to. 3. ep. 6. ad Theod.

43. Ezechiel. 36. 1. Ezechieli dictum eſt à Domino : *Tu autem fili hominis propheta ſuper montes Iſraël, & dices : Montes Iſraël audite verbum Domini* : &c. Quid ſignificetur hoc loco per montes iſtos docebit te S. Hieronymus, qui ait : *Nos ergo montes Iſraël Prophetas & Apoſtolos eſſe dicemus*, &c. Legis quàm honorabiliter Apoſtoli, Prophetæque nominentur ? Dices, id à Deo benemeruiſſe, cum fuerint ſanctitatis vertices. Non inficior. Sed an Salvator mundi non univerſis longiſſimè præit ? Quis dubitabit Regem regum celſitudine ſuperare cunctos ? Cum hoc ita ſit vide qualiter apud eumdem vatem Deus loquatur de Meſſia divino. *Et ſervus meus*, inquit, *David rex ſuper eos*, &c. S. Hieronymus ad eum locum : Et ſervus, *inquit*, meus David rex ſuper eos. *De quo & Angelus loquitur in Evangelio, qui regnaturus ſit ſuper domum Jacob, & regni ejus non ſit finis* : &c. En ſervus dicitur Dominus omnium. Non prætereundus eſt hic modus loquendi : præſertim iis temporibus, quibus myſterium incarnationis futurum non omnibus paſſim notum erat. Unde videbatur honorificentiùs ibi loquendum eſſe de Meſſia, ne propter ſervitutis appellationem Judæi putarent, illum futurum eſſe purum hominem. Cur ergo nomine ſervi donatur ? Quia, voluntariè ſicut *formam ſervi accipiens* in mundo commoratus eſt, ita ſponte nomen ſervi dedignatus non fuit ex humilitate ſummâ : cognomen autem ſervi ſpontaneè per ſubmiſſionem propriam acceptum dedecoroſum non eſt ; imo ſatis honorificum. Vocentur eſto montes Prophetæ, necnon & Apoſtoli : nam ſupra montium verticem aſcendit qui tam ultroneè ſemet humiliavit. Chriſti Domini perſonam ſubſtituebat in orbe Magnus Gregorius ; ejuſque ſucceſſores eodem funguntur munere. Nequaquam Sedis Apoſtolicæ depreſſit faſtigium Pontifex, nomen aſſumens ultrò ſervi ; potiùs altitudinem ſolii ſic incrementavit.

S. Hieron. to 5. l. 11. in Ezechiel.

Ezechiel. 37. 24.

S. Hieron. ib.

Ad Philip. 2. 7.

44. *Quanta ſit virtus humiliare ſe minori.* Ut nonnihil addam circa Beatiſſimi Præſulis humilitatem, recolatur quod in ipſius vita legitur ſtupore digniſſimum. Joannes Abbas Perſa Romam adiit. Et cum die quadam ſtaret in urbis medio, quà tranſiturus erat S. Gregorius, qui tunc Eccleſiam Dei regebat, cogitavit ante Pontificem

tificem demittere ſe pronum. Lege quid
Refert Ioan. Diaconus in vi. S. Gregor. Mag. l. 4. n. 63. afferuerit Abbas ipſe. *Cum ergo*, inquit, *appropinquaſſet mihi Papa, videns quia pergerem ut mitterem me ante eum ſicut coram Deo, dico fratres, primus miſit ſe ante me ſuper terram : & non ante ſurrexit, quam ego prior ſurgerem : & amplexatus me cum magna humilitate*, &c. Mutam admirationis rhetoricam ſuperat mirabile factum. Venetiarum Antiſtes de humilitate ſic loquitur :
S. Laur. Iuſt. in lig. vi. c. 6. de humilit. *Eſt etiam humilitas ſufficiens & abundans, quæ tres habet gradus. Primus eſt ſubdere ſe majori, & non ſe æquali præponere. Secundus eſt ſubdere ſe majori, & non ſe præferre minori. Tertius eſt ſubdere ſe minori : & hæc eſt perfectio omnis humilitatis & juſtitiæ.* Ratio cur humilians coram inferiore ſemetipſum altiùs in hujus virtutis exercitio culmen teneat, deducitur à contrario ſenſu de turpitudine ſuperbiæ : quæ tunc major eſt cum præponit ſe minor ſuperiori. Juſtinianus idem :
Idem ib. *Sicut*, ait, *ſumma & intolerabilis ſuperbia eſt ſuperiori ſe præponere, ſic inferiori ſe ſubdere plena perfectaque humilitas eſt* : &c. Quod ſe minori ſubjicere ſit humiliatio major, univerſis perſpicuè patet. Plus inſinuavit citatus Patriarcha : nempe, hoc eſſe faſtigium ſanctitatis ; ait enim verbis jam ſupra datis : *Et hæc eſt perfectio omnis humilitatis & juſtitiæ.* Itaque ſubmittens majori, vel æquali ſemetipſum, non adhuc omne tulit punctum ; vel ſaltem non id oſtendit in hujuſmodi facto. Si verò ſe taliter ſupprimat ut inferiori ſubjiciat, implevit quaſi ſanctitatis univerſæ menſuram.

45. Ad Philiph 2. 8. Voluntariam humiliationem Principis gloriæ Paulus Philippenſibus inculcans, ait : *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Opportunum diceres, ut Apoſtolus exaggeraret humilitatem iſtam, certè maximam, ſaltem inquiens : Valde humiliavit te. Non ita loquitur : nec aſſeruit, in hoc tanto humilitatis actu Salvatorem adimpleviſſe omnem juſtitiam ; ſed abſolutè pronuntiat *Humiliavit ſemetipſum* &c. Jam te recordari credo verborum Domini, quæ dixit in Jordane. Reſiſtebat Præcurſor, ne baptiſma ſuum Redemptor
Matth. 3. 15. ſuſciperet. *Reſpondens autem Jeſus, dixit ei : ſine modò : ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Exponit S. Anſelmus :
S. Anſelm. com. in Matth. ib. *Subdit breviter rationem, quare velit baptizari.* Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam. *Baptiſmus eſt conſummatio omnis juſtitiæ.* Qua de cauſa non ſimiliter locutus eſt Gentium Doctor, cum verba facit de obedientia, qua Filius Dei ſuſtinuit crucem ? cur non dixit : Humiliando ſemetipſum uſque ad crucifixionem, implevit omnem juſtitiam ? Adverte, Chriſtum Dominum ſubeundo mortem ſe humiliaviſſe Patri. Ad illa verba, quæ præcedunt apud Apoſtolum : *Formam ſervi* &c.
S. Ambroſ. to. 3. expoſ. c. 2 ad Philipp. S. Ambroſius ait : *Factus obediens Patri, cui ſe æqualem ſciebat, non ſibi defendit æqualitatem, ſed ſubjecit ſe. Hanc patientiam & humilitatem imitari nos docet, ut non ſolum coæqualibus non nos anteponamus, verùm etiam inclinemus nos*, &c. Adnotanda necnon humilitas noſtri Salvatoris in ſuſcipiendo Joannis baptiſmum. S. Auguſtinus :
S. Aug. to. 9. tr. 4. in Ioann. poſt med. *Sed*, ait, *quomodo demonſtratus eſt Dominus ? Humilis ut ideo acciperet baptiſma Joannis, in quo baptizaretur ipſe Dominus* : &c. Nunc rem claudo. Redemptor mundi quatenus homo ſanè minor eſt æterno Parente : qua verò Deus, illi coæqualis extat. Igitur non omnem ſanctitatem implevit cùm ſe Patri libens humiliavit æquali ſimul & majori. Cum vero ſubdidit ſemetipſum Baptiſtæ, qui minor erat Chriſto Domino, tunc omnem juſtitiam implevit : videtur namque ſanctitatis univerſæ conſummatio quòd humilis minori ſemetipſum lubenter ſubjiciat. Claudat periodum idem Præſul, à quo meditationem iſtam auſpicabar. *Hujus*, inquit,
S. Laur. Juſt. ſup. *ſummi gradus humilitatis exemplum præbuit nobis Salvator, cum coram peccatoribus, & inter peccatores baptizari voluit*, &c. Sed quia fragilitas humana, cum Filii Dei proſpicit geſta, nonnunquam imitari non audet ; hanc ipſam demiſſionem in homine puro perpendentes, audacter ſectemur S. Pontificis Gregorii ductum per humilitatis viam.

46. Nunc de miſericordia circa pauperes dicamus ejuſdem S. Doctoris. Ille ſolebat per conſtitutos ad hoc pietatis opus miniſtros, omnium regionum vicos vel compita diſcurrentes mittere ſubſidium : quinimo verecundioribus è menſa, priuſquam cibum caperet, oſtiatim dirigere curabat opem. Attende quid evenerit. *Horum dum*
Ioann. Diacon. in vi. S. Greg. Pap. l. 2. n. 29. *quemdam pauperem in anguſtis Andronarum receſſibus à veſpillonibus inveniri mortuum contigiſſet, æſtimans eum ſtipis inopia periiſſe, ita per aliquot dies (ut dicitur) à miſſarum celebratione vacando triſtatus eſt, tamquam ſi eum propriis manibus (quod dictu nefas eſt) peremiſſet.* Ille, cujus viſcera miſeriis pauperum blandiſſimè commoventur, ſubtractionem eleëmoſynæ reputat homicidium. Idcirco fortè, cum D. Ambroſius eſſet in egenos miſericors, hortans ut ſubveniatur iiſdem, utitur hac phraſi :
S. Ambroſ. to. 4. l. 2. de off. c. 16. med. *Cave*, inquit, *ne intra loculos tuos includas ſalutem inopum, & tamquam in tumulis ſepelias vitam pauperum.* Hæc S. Doctor de ſubventionis defectu peccaminoſo. Eximia charitas in egentes altiùs adhuc evolat. Citra omnem culpam, ſi proximos diligens, & potens alicujus obſtare morti, non præſtitit hoc ; exiſtimat pius eum ſe necaviſſe Si dicatur in ejus faciem, occidiſſe illum, quem inculpabiliter non eripuit ab interitu, non id negabit. Pauper ſupradictus vitam egerat, nihil in hoc peccante Magno Gregorio ; ſed ita contriſtatus fuit per ipſius interitum, quaſi crudeliter ipſe privaſſet eumdem ſpiritu vitali. Sapientes equidem ſunt amoris illuſiones iſtæ : felices errores, per quos prudens charitas ad finem ſibi propoſitum tendit non exerrans. Demus quòd alicui valde charitativo mortem imputes ejus ; quam impedire valuit, & inculpatè non ſubvenit : is veluti convictus conticebit : ac ſi fateretur ſe veraciter homicidam.

47. Missus est Elias ad pauperculam Sarephtanam, ut pasceretur ab illa. Filius ejus mulieris excessit è vita. Matrem dolor impulit, ut Prophetæ non vereretur
3.Reg.17.18. ista loqui: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Fœminæ quidem audaciam alleviat amoris materni pondus. Id tantùm cogitatione versabimus, admirantes, non tuitum fuisse Vatem innocentiam propriam, reponendo: Mulier, nequaquam ego sum interfector gnati, cujus necem doles. Dices, Eliam ex humilitatis ac patientiæ regulâ non istud, vel quid simile respondisse. Adhuc instо. Propheta se contulit ad conspectum A-
Ib. c.18.17. chab. Cui rex dixit: *Tunc es ille qui conturbas Israël?* Non passus est Elias procax hoc regis dictum abire, quin refutaretur ut
Ib. n.18. falsum; respondit enim: *Non ego turbavi Israël*, &c. Non timet regia verba responsione ferire, tueturque seipsum à calumnia? non ita verò loquitur, cùm genitrix imprudenter objecit ei dilecti pignoris interfectionem? Animadverte quo sensu locuta fuerit parens dolorosa. Cardinalis
Hug. Card. com. in 3. Reg 17.18. Hugo: *Vel*, ait, *hoc dixit, quia Elias precibus potuit occurrere morti pueri, & non fecit.* Proximorum dilectione præditus erat Vates: vidit, quamvis culpâ vacaverit, pauperculum illum expirasse, cujus vitam auxilio suo servare potuit: parum ab fuit, ut ipsius homicidam se tacitus fateretur. Idcirco minimè verba mulieris audacia convicit falsitatis Elias; qui sui calumniatoris præpotentis non timuit sermonem responso frangere per defensionem propriam. Non absimiliter Magnus Gregorius inopis illius mortem, velut si propriis manibus executus fuisset, indoluit: æstimans eum penuriæ gladio percussum ob eleëmosynæ suæ destitutionem periisse. Euge charitatem præcellentem!

48. *Quod passus calumniam, & punire potens, id non faciat; sed curet calumniatores docere veritatem, opus divinum dici potest.* Joann. Diacon. sup. n. 21. Refert idem ib.

De patientia Sanctissimi Pontificis insigne quoddam exemplum accipiamus. In sacrificio missæ quædam addiderat juré Pontificio. *De quibus cum postea murmurare sentiret, tamquam qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines sequeretur: piissimus Pater non dedignatus est reddere rationem, dicens: Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti sumus.* Imo referuntur hæc ejusdem Gregorii verba: *Ergo vestra charitas, cum occasio dederit, ut ad Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia eos quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt factâ collatione doceat, & quasi aliâ ex occasione eos instruere non desistat.* Illustrem lauda tolerantiam. Sustinent homunciones ægerrimè detrahi sibi per æquales: &, si prævalent, inultos abire non relinquunt. At Christi Vicarius, cum posset justissimè potestatem publicam exercens temerarios coërcere supplicio, qui suas piissimas ordinationes corrodebant; non solùm abstinuit ab ultione justâ; sed proprii facti rationem subditis offerre non contempsit: quin monens, ut murmuratores in hac re doceantur, advertit, ut hoc fiat veluti casualiter, seu ex aliâ quadam occasione. Lenitatem obstupesco mehercle pluri-
mam; sed vices agens Agni sustinentiam exhibuit offensæ propriæ, quamvis pastor. Huic facto concinit ejusdem Sancti doctrina, quam scripto dedit olim, dicens:
S.Greg.Mag. to.2. l.9. indict.4. c.39. *Sed quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur tranquillâ ratione potest: peccatum credo, si bonum quod valet fieri, negligitur ut fiat. Nam cum placare insanas mentes, atque ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minimè debemus.* Detractores equidem sui qui justè punire potest, atque virgæ parcens eos instruere conatur, opus inclytum perficit adeo, quòd vocari divinum valeat. Ipsius Divinitatis Christi Domini demonstratio fuit hoc pacto se gerere: scilicet acceptâ calumniâ minimè calumniatores afficere pœnâ; sed curare quòd veritatem addiscerent.

Ejecto dæmonio muto, Christus Dominus passus est loquentia dæmonia; murmuratores, inquam, insurgentes adversùm opus tantis nominibus laudabile. 49.
Luc.11.15. *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Taliter abfuit Innocentissimus ab ista detractione punienda; quòd potiùs illorum cæcitatem illuminare per doctrinam curaverit, objiciens eis, regnum divisum desolandum, insinuans dilemma, quò probaret, se non ejicere dæmonia in principe dæmoniorum: de quo Glossa Ordinaria loquens
Gloss. Ord. ib. ad n.18. in persona Christi: *Si ego, ut vos dicitis, in principe dæmoniorum ejicio dæmonia, ergo regnum diaboli est divisum contra se, & ita potestas malitiæ ejus stare non potest. Si autem dæmon dæmonem non potest expellere, falsò dicitis me in principe dæmoniorum dæmonia ejicere. Si verò potest, sicut dicitis, prospicite vobis, ut de regno ejus quod divisum est, exeatis, ne in ruina ejus pariter involvamini.* Bone Deus! quid istos obtrectatores edoces frustra? minus peccaverant, ut videtur, illi, quos de templo funiculis ejecisti: quare non & istos afficis aliquo supplicio? Quia Dominum oportebat probare divinitatem suam per patientiam instruentem detractores. Deitas Christi fuerat specialiter læsa per murmurationem illam. Venerabilis Beda:
Bed. l.4. in Luc. c.48. *Vel negare hæc, vel quæ negare nequiverant sinistrâ interpretatione pervertere laborabant, quasi non hæc Divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent*, &c. Igitur operæpretium fuit aliquid tunc efficere, quod ostenderetur specialiter divinum. Hoc extitit lenitas illa, qua potens calumniatores pœnâ mulctare, satagebat illos instruere de veritate detractioni contrariâ. Deificatum opus est ita pati murmurationem, ut non solùm (cum potestate polleas) haud illam puniendo cohibeas meritò; sed mitis animo doctrinam rependas offensoribus, quò desistant. Ita se Magnus ille gessit: non quidem ipse deus erat; sed locum Dei tenens imitabatur eumdem.

DELIBATIO V.

Fructus ex novali Sancti Ioannis Dei.

50. *Gravissima crux est paupertas cum nobilitate.*

CONferamus nos ad amœnam vallem, humilitate profundam, floribus venustissimam, fructibus opiperam : quam stricto sensu novale dicam : quia cultor ejus vitam spiritualem aggressus est insuetum per iter : cupiens æstimari mente captus, ut insanum superaret sæculum. Jam scis de quo loquar. Lusitanus ille Joannes, tam Deo charus, ut quasi Deus non aliud possideret suum, voluerit appellari Joannem Dei. Pauperes alere quondam ipsi fuit in deliciis : & nobis pauperrimis offeruntur ex illius novali : *multi cibi* ; quod ille tamquam optimus ægricola coluit. Non pigeat Antistitem audire Mediolanensem. *Justus*, ait, *quasi bonus agricola hic arat agrum suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere, hic stirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum, hic stercorat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem.* Non difficile foret, Ambrosium aptare Joanni ; qui suæ conversionis tyrocinium posuit, se projiciens in cœnum haud semel, & amore Domini lutum osculans. Sed prænotemus nonnihil ex illius antecedentibus gestis. Ibat in exilium relegatus quidam nobilis ad Africam. Comitem huic se dedit Joannes : ibique per tempus aliquod, laboravit in extructione murorum : cujus laboris angustum stipendium dividebat cum eo nobili, cujus miseriam quatuor filiæ reddebant simul patiendo majorem. Ecce futuræ charitatis in pauperes Joannes insigne præmisit hac pietate præmium : non enim potuit non valde torquere paupertas virum non obscuri sanguinis. S. Joannes Chrysostomus dixit : *Vir quidam sapientissimus, humani ingenii avaritiam fastumque contemplatus, tum intelligens paupertatis vim naturamque tantum posse, ut vel generosissimum quemque animum prosternat*, &c. Addere S. Doctor posset : Imo specialiter paupertas generosos angit spiritus. Cum nobilitas elevet animos ad præclara ; paupertas verò deprimat in vilia ; discerpitur acerbissimè quisquis inclytus genere premitur inopiâ : gravissima crux est egestas conjuncta splendori felici nativitatis.

S. Ambros. to. 2 expos. Psal. 72. 1.

Ribard. in vi. S. Joann. Dei.

Chrysost. to. 5. l. 3. de Sacerd. longe ante fin.

51. Nosti, prudentissimum Ecclesiæ suæ Fundatorem Apostolos elegisse lapides primarios, non cretos de sanguine regum ; sed piscatores & similes, quos mundus habere solet ut sui peripsema. Non præterivit hoc S. Augustinus, dixit enim : *Elegit discipulos, quos & Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos : ut quicquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Facillimè quisquis hîc ait, sic voluisse Dominum, ad hoc ut ostenderet benignitatem, qua diligit parvulos. At non minus facilis occurrit instantia. Qui maximo prosequitur amore minimos, Deus inquam, providit, ut in suæ temporalis generationis catalogo numerarentur aliqui reges ; quin hoc discordaret ab affectu prædicto circa pusillos. Ergo potuit, quin obstaret adducta ratio, Collegium Apostolicum de proceribus Judaïci populi componere. Cur non ita factum est ? Quia dignitati, quam præ se fert esse progenitorem in terris nati Dei, non erat annexa paupertas ; maximè verò socianda fuerat Apostolatui. Proinde, si nobiles forent Apostoli, pauperiem nobilitati jungerent. Pondus est hoc adeo gravitans, ut acerbum fuisset hominibus tam onerosam crucem imponere (scilicet inopiam fulgori stirpis adjunctam) priùs, quàm lignum suum Dominus bajulans præeundo facilitaret laborem cruces ferentium post ipsum ducem. Inde cernere datur, quàm lacrymabile miserendi motivum sese obtulerit B. Joanni, cùm vidit illum nobilem & egenum. Cibabat eum temporaliter suis laboribus in exercitio satis humili ; nobis autem exemplo suo propinat cibum spiritûs ; ut misereamur indigo verecundanti ; nec ad humilia descendere pro sublevatione pauperum detrectemus. Facilè quisque de B. Joannis facto propriam pascet animam : quippe *multi cibi in novalibus* &c.

S. Aug. to 5. l. 18. de civit. Dei c. 49.

52. *Præclarus titulus est quòd quis dicatur homo Dei.*

A confessario monitus quòd sic animæ suæ congruebat, illius præcepto discessit in Hispaniam : & ex uno in aliud oppidum discurrens pro licitâ paupereque mercaturâ, cui dabat operam, obvium habuit puerum nudis pedibus, ac viliter indutum. Ipsi misertus obtulit humeros : & cum deferens illum sudasset, beneplacitum ejus postulavit, ut ipsum deponens in terram iret ad aquam è fonte potandam. Ad euntem clamavit puer : & ostendens malum punicum patulum, in quo visebatur crux, prænuntians quod in civitate Granatensi futurum erat sibi, utensque nomine Hispano prædictam urbem & pomum illud æquivocè significante, vocavit illum, Joannem Dei, vel à Deo. Excellenter honorificum extitit B. Joanni cognomen istud : nam cum id ei donabatur in vita mortali, titulus hic insinuare videbatur, quòd adhuc in exilio positus verè sanctus erat : sancti namque peculiariter ad possessionem Dei pertinent. S. Thomas : *Pater*, ait, *habet quædam, quæ pertinent ad possessionem sanctitatis, quæ sunt ei consecrata per fidem, sicut sunt omnes sancti & electi*, &c. Multos decorant cognominationes illustres : quarum quædam derivantur ab stemmate majorum honorificentissimo : quædam à dignitate sumuntur quam possidet qui nominatur : aliæ patrium locum significant conspicuum, in quo vidit primam lucem donatus hoc nomine ; vel ubi vixere progenitores ejusdem. Ista, quæ divisa multos felicitant, uniuntur in præfata nomenclatura, qua dicitur hoc exemplar charitatis Joannes Dei. In ea quippe cernimus, Dei titulo illum insigniri, quia filius erat ejusdem per gratiam : necnon quoniam dignitatem amicitiæ divinæ conse-

S. Thom in Joann. 17 lect. 2. ante fi.

cutus fuit : ac tandem eoquòd haberet ortum ſpiritualiter ex urbe Jeruſalem cœleſti, quæ Dei ſedes peculiaris exiſtit. Reliquum eſt, præclarum titulum accipere virum laudabilem, ſi vocetur, Homo Dei.

53. Ad Timotheum ſcribens epiſtolam priorem Magiſter Gentium, amantiſſimum ei donum abundanter miſit, doctrinam ſcilicet ſalubrem. Ac poſtquam dixit ad illum, cupiditatem eſſe radicem malorum omnium addidit : *Tu ô homo Dei hæc fuge* : &c. Extraordinarius equidem eſt hic loquendi modus temporibus Pauli: *O homo Dei.* An Timotheus, cùm epiſtolam iſtam direxit Apoſtolus ad eumdem, non erat jam Epiſcopus Epheſiorum ? Nemo dubitet hoc. Legatur S.Anſelmus : *Quem Timotheum cum poſtea Paulus in Aſia Pontificem Epheſiorum reliquiſſet, Pſeudoapoſtoli, qui carnales obſervantias inducere nitebantur, propter hanc ejus circumciſionem vires in eum aſſumebant. Ipſe minus fortiter, quam oporteret, reſiſtebat eis. Et ideo ſcribit ei Apoſtolus*, &c. Cur ergo non dixit : Tu autem ô Pontifex iſta vitare cura ? Sed ait magis : *Tu autem ô homo Dei* &c ? Quia licet nomen à dignitate ſumptum fruenti decus afferat ; longe majus eſt quod venit ab hoc titulo multam præ ſe ferente gloriam, ſcilicet : *Homo Dei.* Incertus Athanaſius : Tu autem ô homo Dei. *Magna profecto hæc dignitas. Cum enim mortales cæteri Dei dicantur : propriè tamen juſti non modò creationis ratione, ſed & propinquitatis & conjunctionis ſunt Dei.* Laus igitur plurima perſolvatur Joanni juxta cognomen ſuum, ſcilicet Joannes Dei.

1. Ad Timoth.6.11.

S. Anſel. in præfat Epiſt. 1. ad Timoth.

Vel Athanaſ. vel Theophylact. expoſ 1. ad Timoth. prox. ſup.

54. *In turo poſitus eſt apud hoſtem qui non refugit ab eo deſpici.*

Mortificationem illam inſuetam expendamus ; quam alii vix poſt magnos virtutis cumulos eligerent ; & ipſe tyro complexus eſt. Auditâ quadam concione piâ, ſic ejus præcordia tranſverberavit gladius verbi Dei, quòd prodierit è templo clamans, poſtulans à Deo miſerationem, publicè confitens peccata ſua, ſe proſternens in luto ; Lapideque tundens pectus, & cum lacrymis capillos evellens proprios. Quapropter demens habitus eſt ; ac ductus ad nozocomium, ubi de mente captis curabatur : ibi flagella titulo dementiæ ſuſcepit libenter. O mentis externam alienationem ſapientiſſimam! nam Apoſtolus ait ſcribens ad Corinthios: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* Ad quæ verba Guarricus Abbas inquit : *Hæc ſtultitia, niſi fallor eſt illa deſurſum ſapientia, pudica, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens* : &c. Propter amorem Chriſti Jeſu libens vitam exponeret Joannes Dei, ſi daretur occaſio patiendi. Quæ cum non adeſſet, elegit iſtum decedendi modum : nam verè juſtus mortificatus exteriùs, & cœleſtia contemplans quodammodo conditur ſepulturâ. S. Odo Abbas Cluniacenſis: *Mortui*, ait, *in ſepulchro abſcondimur, cum mortificati exterius, in ſecreto interna contemplationis celamur.* Et exquiſita mortificatio B. Joannis, cum ad uſum rationis attineret, peculiari jure mors dici valet: etenim quicumque non utitur intellectu, velut uſu vivendi privatus eſt ; eoquòd ille verè vita ſit. D. Bernardus : *An*, inquit, *non vita intellectus ?* Intellectum da mihi & vivam, *ait Propheta Domino.* Attamen ſic penè mortuus Joannes bellum potenter indicebat mundo ; nequaquam reformidans hoſtem inſidioſum. Qui deſpicit contemni, ſæculum non pavet : cum enim iſtud ſe tutum credat à contemptui habitis, adverſarii ſecuritas conducit, ut juſtus inimici timore non corripiatur. In tuto poſitus eſt etiam apud hoſtem qui non refugit ab eo deſpici.

1. Ad Cor.3. 18.

Guarric. Abb.ſer.5.de Adven. ad eum locum.

S Odo Abb Clun. l.5. in Iob ad c. 3. 22.

S.Bernar.ſer. 73. in Cant. poſt princ.

55. Declinans contentioſam Saulis iram deliberat profugus pergere David ad Achis Gethæorum regem. Ibi cognitus eſt à rememorantibus antiquas illas plaudentium voces : *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Nota quid ſequatur. *Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth. Et immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum*, &c. Hebraice habetur apud Marianam ſcholiaſtem : *Inſaniebat in manu eorum.* Aliquid hoc loco dubitandi præſtitit anſam Toſtatus, qui ait : *Reſpondendum eſt, quod vereſimile eſt David conſuluiſſe Deum, antequam deſcenderet ad Regem Geth, an illuc deſcenderet, & Deus ſibi reſponderit, quod deſcenderet.* Occaſione ſumptâ de conjecturâ Commentatoris, inquiro. Si Dominus Davidi non vetat conferre ſe ad hoſtes populi ſui, quare non animos injecit ei, dicens : Quidquid audias ibi, ne timeas ? Quia ſupervacaneum foret hominem roborare verbis, qui tali prudentiâ pollebat, ut voluerit haberi furioſus ab adverſariis. Ipſe Rex dixit : *Vidiſtis hominem inſanum : quare adduxiſtis eum ad me ? An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, ut furreret me præſente ? hiccine ingredietur domum meam ?* A Davide contempto Rex non ſibi timebat ; proindeque per iſtam deſpectionem, quam David ſponte voluit, ſimulans amentiam, tutus ab hoſte factus eſt apud eum. Parvis magna componimus, dùm à temporaneâ hoſtilitate declinamus ad perpendenda ſpiritualia bella. Cum ſæculo certamen iniit Joannes Dei : ſciens quàm fraudulentus eſſet adverſarius, illum ſtratagemate ſuperavit ſic, ut non formidaret eumdem. Ita ſe geſſit, ut judicio deſtitutus apparuerit qui diligebat contemptum : ex quo factum eſt, ut palmam ab hoſte retulerit illo felicem adeo, quòd nec illi conſtitit metu.

1. Reg. 21. 11 Ib. n. 12. & 13.

Lect.Hib. ex Marian. ib. n. 13. Abulen. ib. q. 24.

1. Reg. 21. 14. 15.

56. *Divinũ quid videtur ſuperare pudorem humanum ne factum virtutis omittas.* Ribad. in vi. S.Ioann.Dei.

Ita corroboratus eſt per ejuſmodi victoriam de ſæculo B. Joannes, ut exinde redditus fuerit ſtrenuiſſimus ad vincendum ſemetipſum ; quòd ſpiritualibus athletis multum ſolet negotii faceſcere. De pluribus unum proferam conflictum. Venit ad civitatem Granatenſem, & poſtmodum egreſſus eſt ad montem : collegit lignorum faſcem (quo ſolitus erat ipſe tum ſuccurrere pauperibus, tum propriæ neceſſitati facere ſatis) & reverſus in urbem detulit illum. Cumque pudore fuerit ad ampliùs progrediendum præpeditus, donavit eum pauperi viduæ, recipiens

piens ab ea lentes dono, vel pretio. Sequenti luce, cum deferens ligna pateretur ſimilem verecundiam, ſeipſum reprehendit; & adversùs iſtam pugnans bajulavit faſcem uſque ad urbis principale forum; ubi nonnulli ſubſannabant eum. Enim verò pudefactionem, quæ reſiſtit virtuti, ſuperare videri poterit quod pluſqu[illegible] humanum. Cor namque noſtrum p[illegible]ndet nimis in gloriam à mortalibus capiendam: proptereaque valde refugit verecundam; licèt iſtâ vanâ formidine lucrum virtutis deperdat. Etiam illis, qui cætera tranſitoria contemnunt, accidit in iſto pudore laqueum reperire, quo ligantur ne procedant ad id quod rectum eſt. Fruere Beda. *Cum perſecutio ab adverſariis deeſt, valde vigilantius cor cuſtodiendum eſt.... Plerumque autem labentia cuncta deſpicimus, ſed tamen adhuc humanæ verecundiæ uſu prapedimur, ut rectitudine, quam ſervamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce. Sed huic quoque vulneri congruum ſubjungitur medicamentum, cum Dominus dicat: Nam qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet* &c. Adeo difficilis eſt in ſubjecta materia victoria de corde proprio, quòd ſphæram dices humanam ſupergredi. Robur vincentis erubeſcentiam, ne factum virtutis omittat, Dei magis quàm hominis eſſe, fortè cenſebitur.

Bed. com. in Luc. 9. c. 38. longe poſt princ.

57. Timotheum hortabatur Apoſtolus ad prædicationem intrepidam dicens: *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei*: &c. Ex Cornelio Alapide, pro, *Virtutem*, habetur in Græco, *Potentiam*. Hæſitabam legens, vocari Dei virtutem, & non Timothei potiùs, illam ſecundùm quam prædicare monebatur: *Secundum virtutem Dei*. Nonne virtus iſta diſcipulo donata fuerat à Domino? Illud: *Virtutem Dei*, commentatur Anſelmus: *Id eſt à Deo nobis datam*, &c. In eâdem epiſtola Paulus Evangelicam doctrinam vocat ſuam; quamvis illa verè divina ſit. *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam*, &c. Quare non illam virtutem appellavit virtutem diſcipuli; quamvis à Domino fuerit accepta. Fortaſſis, quia ſupra dato loco monebat eumdem, ne retraheretur à prædicando per humanum pudorem. *Noli itaque erubeſcere* &c. Non diverti per hunc ab operatione rectâ ferè divinum quid eſt. Non utique B. Joannes Deus erat; ſed homo Dei: quod in plurimis ejus laudabilibus geſtis videre licet; atque peculiariter in proximè narrato certamine cum verecundiâ ſic impediente mundi contemptorem à geſtatione lignorum, per quam poterat miſericordiam ſubveniens pauperibus exercere. Subegit pudorem feliciter: imo quæſivit locum, in quo major ſolitat eſſe hominum frequentia; libenter excipiens irriſiones, atque delectatus quòd parvî fieret.

2. Ad Timoth. 1. 8.

Lect Heb. apud Corn. Alap. ib.

S Anſel. in com. ib.

2. Ad Timoth. 3. 10.

58. Alium tandem commemorabo S. Joannis inſignem de ſemetipſo triumphum. Devotione multâ flagrabat cor ejuſdem circa paſſionem Redemptoris. Ex iſtâ cupiens fructum colligere, non ſoli ſibi, ſed etiam proximis perditiſſimis, minime dedignatus eſt ingredi lupanar. Ad colloquium invitabat illam meretricem, de qua minor eſſet ſpes converſionis. Proferebat imaginem ſacram Domini crucifixi; coram quâ fatebatur peccata propria; lacrymas fundens deprecabatur veniam: & ſic mulierem turpem ad contritionem provocabat. Mox devotè recitans paſſionem Salvatoris, fœminam trahebat in fletum. Salutaria monita dabat ei, quibus iter perditionis relinquere ſuaderet. Factum eſt ut multæ pœnituerint, & inde fuerint per illum extractæ de faucibus inferni, vel ad facilius remedium incontinentiæ, ſcilicet matrimonium, vel ad arctiorem vitam in monaſterio. Hîc enituerunt charitas & patientia Joannis; quibus armatus retulit clariſſimum de ſe bravium. Nam cùm aliquod eripiebat ſcortum ab illo diaboli carcere; quæ remanebant ibidem impœnitentiâ ſuâ detinente, ſatis procaciter improperabant B. Joanni, dicentes, educere mulierem ad malum finem. Vir Dei nec verbum reponebat, quaſi rationis uſu careret, ut calumniantes redargueret; ac immunis eſſet ab opprobrio, quod multos pios facilè prohiberet à peragenda re ſimili. Poſſemus in eximii Sancti laudem aſſumere nobis quadamtenus verba Syri: *Hæc ſunt ſenſibilia ſigna charitatis. Fit facies hominis rubicunda, jucunda, corpus ejus calefit, recedunt ab eo timor & verecundia, & fit exceſſivus; & virtus quæ mentem colit recedit ab ipſo, & fit quaſi demens*, &c. Humano pudore protrito Joannes victor evadebat. Si quis inſultantes fœminas impudicas reprimere conabatur ſuſcipiens illius defenſionem, obviabat Sanctus, inquiens: Sinite illas, & ne meam auferatis coronam: nam iſtæ me norunt, & agunt quod mereor. O diſcipulum provectum ejus, qui mitis eſt & humilis corde! Loquens in perſona Filii Dei ſcribit S. Laurentius Juſtinianus: *Diſcite præterea à me tolerare adverſa, pati convicia, opprobria ſuſtinere, contumelias patienter audire, non reddere malum pro malo, neque maledictum pro maledicto referre*, &c. Profecit in hac doctrina Joannes inſigniter: auribus propriis excipiens libenter injurias; & famam exponens oculis eorum, qui cernerent eum prodeuntem de proſtibulo. Specialiter coronam promeretur anima, quæ non timet exiſtimationem bonam apud homines amittere, ne virtutis omittat opus. Animarum converſioni dans operam, quin vereatur inter malos morari, peculiariter dignus eſt honorabili ſerto redimiri, præ ſtrenuitate, quâ ſiniſtram de ſemet opinionem non formidavit.

riculo famæ. Ribad. ſup.

Iſaac Syr. l. de contemp. mun.

S Laur. Juſt. l. de humilit. c. 9. ante fin.

In Canticis bis lego vocatam à dilecto ſuo ſponſam. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, formoſa mea: & veni.* Capite ſequenti leguntur alia Sponſi dicta: *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Senir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Antequam prædicta mutuò conferamus, adverte, juxta

59. Cant. 2. 10.

Ib. c. 4. 8.

Coronam peculiariter meretur non omittëſ virtutem ex pa-

Sanct. ib. in paraphr. Sanctium illud ſecundum *Veni* jungi cum illis, quæ poſt leguntur: *De capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum*, &c. nam Commentator ait in paraphraſi: *Veni de Libano, de capite Sanir, de vertice Amana, & Hermon, de patriis nempe, & alienis montibus, ubi leonum ſunt cubilia*, &c. Adverte ſecundò quid ibi ſignificet Libanus. Honorius Auguſtodunenſis inquit: *Venit etiam de Libano, id eſt de albedine virtutum in ſpiritualibus*, &c. Adverte tertiò Angelomum referre locum ad prædicatores; proindeque poſſe cuipiam juſto curanti ſalutem proximorum aptari. *Dum*, ait, *ſancti prædicatores tales ad vitam ſalutis convertunt, coronantur de capite, & vertice montium*, &c. Adverte quartò quid apud Gloſſam accipiatur per Amana &c. *Per Amana habemus illos, quos ipſe, & per quos alios diabolus per magni ſtudii vigilantiam decipit & conterit: per Sanir, eos ad quos ignorantia talis deceptionis volat: per Hermon, tales qui quaſi in natura prompti ſunt ad nequitiam, ... Per cubile leonum, illos quibus & per quos aliis perſecutoria dominatur ſævitia.* His omnibus poſitis reſtat inquirendum, quare ſponſa non vocetur ad coronam priori loco; ſcilicet cum dicitur: *Surge, propera* &c. Sed poſteriore, cum advocatur de montibus illis? Exiſtimo, ſic inſinuari, dignam ſpeciali jure coronam accipere dum ex habitaculis malorum prodiret, ubi pro converſione peccatorum demorabatur: contemnens iniquam ſe putari propter exitum de medio ſceleſtorum; cum eſſet virtutibus dealbata. Pronum eſt hinc æſtimare, quali digniſſimus fuerit laureâ B. Joannes, cum ab infando luſtro, quòd ingreſſus erat prædeſiderio reducendi peccatrices fœminas, exibat: candorem puritatis, qua præditus erat, exponens hominum linguis; qui fortè reputarent ipſum parem lenonibus, qui talia loca perluſtrant. Plurima coactus linquo: ſed exempla Sanctorum, prout par eſt, meditantibus, in paucis notatis, *multi tibi* &c.

Honor. Auguſt. ibid.

Angelom. ib.

Gloſſ. Ord. ibid.

DELIBATIO VI.

Non plus cupiens abundat. Voluptuoſi labor; & quando hunc agnoſcat. De paupere honorando. Dives congregando nimiùm, quodammodo diſpergit.

60. *Quamvis eleëmoſynam accipiat, qui non plus cupit abundat*

VAriegatâ nunc penſitatione doctrinali morum inſtructione foveamus; cum, ſicut latiùs in ſuperioribus notavi, de Sanctorum panegyricis ad animæ propriæ directionem viam carpere congruum ſit: imo bonorum operum exercitium extet veluti prædictarum laudum conſummatio. Se nobis offerunt in eâ gnome, cui lucem quærimus, illa verba: *Multi cibi.* Patet ex dictis in commentario per hos copiam ſignificari, quo homines abundant, ſumptam de novalibus patrum. Idcirco notabam, quòd, cum divitiæ non ſiſtant in eo tantùm quod ad victum pertinet, hîc de cibis mentio ſola fiat expreſſa. Fortè latet emphaſis moralis in eo quòd Salomon utatur nomine cibi; cum poſſet æque bene vocem aliam adhibere, qua proponeret eamdem ſententiam. Ex iſta notatione vellem eruere, divitias, quæ citra vanitatem & luxum effloreſcunt, ſtare ſolùm in poſſidendis quæ neceſſaria ſunt homini; ſuperflua verò nequaquam ad ſolidas attinere facultates. Indiget homo cibo, quo vita ſervetur; non autem coacervatis opibus otioſis, quas theſaurus avarè claudit, & parietes veſtiuntur ſuperbè. Meritò dum agitur de quorumdam abundantiâ, legitur nomen cibi. Ut ſaltem ex eventu colligat is qui plùs experientiis, quàm ratione ducitur, opulentiam non vanam claudi limitibus illis, quos neceſſitas haud egreditur; accidit aliquando, deſtitui neceſſariis eum, qui cupidus ambivit ſuperflua. S. Iſidorus Peluſiota: *Quotnam*, inquit, *pluribus inhiantes bonis omnibus exciderunt: & ſuperflua corrogantes, neceſſaria etiam amiſerunt? & legitimos excedentes terminos, etiam mediocribus orbati ſunt bonis? Supervacanea itaque reſecanda, ut neceſſariis ditemur. Neque enim opibus abundare, ſed iis non indigere, divitiæ ſunt maximæ.* Attamen, ut per neceſſitati ſufficientia quis diteſcat, oportet animum in iſtis quieſcere. Si contentus his homo ſit, illum copioſum crede. Quamvis eleëmoſynam accipiat, qui non plus cupit abundat.

S. Iſidor. Peluſ. l. 5. ep. 450.

61. Evangelicam paupertatem ſectabatur Apoſtolus. Huic ſubſidium charitativum miſerunt Philippenſes; cum per aliquod tempus id officium non exhibuiſſent eidem. Tunc ille ſcribens ad eos ait, ſe gaviſum de hoc in Domino. Quò perſuaderet ipſis, non ſic loqui motum propriâ commoditate; ſed ex eo gaudium concepiſſe propter meritum eorum, addit: *Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare*; &c. Cornelius Alapide ibi: *Id eſt, ut clarius vertit Syrus, non quòd penuriam paſſus ſim aut patiar, id dico, ſcilicet quod gaudeam in veſtra pro me ſollicitudine & eleëmoſyna.* An Paulus inficiabatur paupertatem ſuam? nonne confeſſus eſt, Philippenſes compaſſos ei fuiſſe? S. Doctorem Aquinatem lege: *Iſti aliquando providerant Apoſtolo, & iterum nunc providerunt, ideo dicit, eos refloruiſſe, & hoc exponit cum ſubdit*: Pro me ſentire, *id eſt mihi compati*, &c. His non obſtantibus cogita, lector, an poſſit in aliquo ſenſu putari quod ſuperioribus verbis negavit ſe Paulus pauperem, quia didicerat habitis contentus eſſe. Ad illa verba *Sufficiens eſſe* Liranus: *Id eſt, illis quæ habeo, contentus eſſe.* Quiſquis non exoptat amplius, licet ſtipem recipiat, inopiam non patitur. Et nota, Paulum non dixiſſe relatis verbis: Ego quidem abundo quandoque; ſed: *Scio & abundare*; &c. Meritò quidem: nec enim omnes paſſim abundare ſciunt. Ad hoc ut intelligas quænam ſit ars abundandi, conſule Chryſoſtomum. *Quæ*, ait S. Doctor, *Paulus accipiebat, in alios inſumebat,*

Ad Philipp. 4. 11.

Alapid. ib.

S. Thom. in com. ib.

Lir. ib. ad n. 11.

Chryſoſt. to. 4. hom. 15. in Ep. ad Philipp.

mebat & in alios effundebat. Hoc est autem scire abundantem esse. Non arduum est ita philosophari menti piæ terrena contemnenti.

62. Lect. Pagn. hîc. Salaz. ib. *Honestè laborans non nunquâm suaviùs transigit vitam, quàm voluptuosis incumbens.*

In novalibus. Pagninus legit : *In sulcatione.* Salazar hoc loco notat, dicens : *Salomon suadet parentibus, qui filiis suis ingentia patrimonia legare desiderant, ut ex agricultura divitias quærant*, &c. Pro artis agrariæ commendatione dixi nonnihil initio præcedentis commentarii. Nunc adjiciendum est quàm sit reprehensibilis aliquorum vel iners otiositas, vel superba vanitas ; qui majores proprios imitari dedignantur in colendis agris, & ad nobilium functiones contendunt accedere ; quasi non in his labor sibi paretur haud exiguus : refugiunt honestum laborandi modum ; & se beatos putant, si pervenerint ad voluptates. Desipiunt dum existimant absque sudore possideri suam istam putatam beatitudinem. Joannes Seresberiensis : *Patet*, inquit, *ergo quàm laboriosus sit transitus ad beatitudinem per voluptates.* Imo nonnunquam duriùs laboratur pro sollicitatione voluptatum, quàm necessitate cogente. Labor honestus naturalis est homini ; deliciæ verò præter naturam : in connaturalibus minus insumitur operæ. Præterea cùm vana gaudia mortales aucupantur, contentione summâ se totum defatigat homo, non sibi parcens : dum verò pro necessariis victui consequendis laborat, parciùs conatur assequi desiderata ; quia non ad maxima cogit necessitas. Ad hæc. Delicioſus animus enervis est : propterea delicato plus fatigationis affert quod operis molitur ; quia mollitum reperit operantem. Econtrariò qui desudant indigentiâ suadente, per assiduam consuetudinem obdurantur. Ex quibus fit, ut aliquando minùs laboris experiatur qui victum quærit operosè, quam is qui voluptatem venatur. Honestè laborans nonnunquam suaviùs transigit vitam, quàm voluptuosis incumbens.

Seresber. l. 7. de nug. c. 15.

63 Illuminatus præclaro sapientiæ fulgore ; serâque doctus experientiarum disciplinâ, vanitatem sæculi proponit per multa Salomon. Narrat media, quibus curaverat oculorum suorum desiderio nihil denegare, neque ab omni voluptate cor suum prohibere. Sed meliora cogitans ait : *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Est in comperto, Sapientem non manibus propriis opera confecisse, de quibus loquitur : hoc enim alienum est ab homine privato divite, nedum à potentissimo rege. Olympiodorus hoc loco dixit : *Hæc, inquit, omnia operatus, per activas factivasque facultates*, &c. Adde Lorinum ibidem : *Et*, ait, *licet alienis, tamen suis etiam manibus : quia erant artificum manus ejus, qui adhibebat illas dato pretio ad opus, & consilio, ac imperio dirigebat.* Hoc extra dubium longe manet positum, quòd per artifices opera confecit Rex. Ergo quare non dixit : Frustraneè sudare feceram in vanis opifices ? quid est quod ait : *In quibus frustra sudaveram* ? Fallor nisi pertæsus laborem, quô voluptates conquiri solent, reputavit se magis laboriosam vitam pertulisse, quàm operarios : isti quippe laborabant honestè pro stipendio quod lucrabantur ad vitæ sustentationem ; Salomon autem vanè voluptates insequens fugitivas. Currens post eas desudavit Monarcha sic, ut comparatione factâ cum artificibus, istorum sudor haud esset commemorari dignus.

Eccle. 2. 11. Olymp. & Lorin. ib.

64. *Voluptatum vanitas rarò cernitur, nisi postquamillæ mittuntur post dorsum.*

Improbo laborè premuntur qui peroptantes voluptuosè vivere, totas in hoc studio vires, operas, atque dies impendunt. Et utinam sudorem suum cernerent cùm abstergunt illum, & procedunt ulterius. At proh dolor : ferè nunquam agnoscunt isti vanitatem, quæ rapit eorum affectus, nisi postquam sapientes meliora mittunt post dorsum quæ priùs dilexerant. Non recedam à Salomone præcitata verba loquente. *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem* Tam serò perspexit, esse vana cuncta de quibus loquitur vir sapientissimus ? Crede, sapientiam imminuere fragilitatem Adamidum, sed non omnino tollere. Nullus, vel rarus est qui se conspiciat inaniter laborare quandiu consequendis voluptatibus tempus & industriam insumit. Audis quandone Salomon viderit in omnibus istis vanitatem ? *Cumque me convertissem*, inquit ille. Græcè necnon & Chaldaicè legitur : *Et respexi* : &c. Dum rigorosè loquimur, utimur frequenter hoc verbo, significare volentes, nos applicare oculos per conversionem corporis ad ea, quæ nobis à tergo sunt. Et forsan fuit Salomonis mens asserere, se lumina vertisse corporea, vel spiritualia, retro, cum jam post dorsum projecerat vana. Favet aliquantùm S. Gregorius Thaumaturgus, fatus nomine Sapientis : *Tandem vero expergefactus, atque oculis restitutus, ea quæ in manibus habebam, flagitiosa simul, acerbitatisque plena esse perspexi, spirituſque non boni opificia.* Cum jam homo suscitatur à suo vigilantum somno, quo phantasia proposuit ei caduca gaudia velut amabilia valde ; tunc, inquam, & non antea noscit illusionem suam ; atque sibi suadet, in cassum desudavisse. Deluduntur interea multi, qui delectantur in fatigatione sua ; quærentes lætos in deliciis annos parare sibi : majores nido pennas extendunt ; cum foret magnum operæpretium, si progenitorum vestigiis humiliter inhærentes, laborarent eorum *in novalibus.*

Lect. Græc. & Chald. ib.

S Gregoir. Thaum. in metaphr. ad Eccle. ib.

65. Lect. Pagn. & alia versio quædam hîc. *Pauperē honora, velut si res divina quædam, ut ita dicam esset.*

Patrum. Legit Pagninus : *In sulcatione pauperum.* Alia lectio sic habet : *In sulcatione Principum.* Non desinam quod occurrit adeo pervium hîc denuo notare, quamvis aliis in locis jam inculcatum : scilicet ut honore prosequamur pauperes, cum advertamus in eodem textu sub diversa vocis unius lectione pauperum & principum nomina. Sunt ista veluti synonyma misericordum virorum auribus : ii namque recolunt quod non audivere frustra : nempe

Regis regum quaſi legatione fungi miſeros : nam mittuntur ad proximos à Summo Principe, tamquam nuntii, quò recipiant ejus nomine feudum, hoc eſt, eleëmoſynam à donatariis, id eſt à poſſeſſoribus terreſtrium bonorum. Reges terræ legatos mittunt, non quoſcumque nobiles utique ; ſed principes inclytos, ut aptiùs perſonam ſui regis agant. Et ſupremus Dominus egenos deſtinat, velut ambacciatores : proindeque vult honorem illis exhiberi. Sed ut arctiùs relinquatur ſtabilitum decus illud, quod indigis deferri per Salvatoris amantes æquum eſt, quæro. Quiſnam erit vel mediocri pietate pollens, qui non maximâ veneratione proſequatur Aſſertoris noſtri ſacroſanctos pedes ? quis imbutus fide Chriſtiana contemnet iſtos ? Egeni conformiter ad S. Ambroſii doctrinam vocari queunt pedes Chriſti Domini. S. Doctor meditans Eccleſiam in Magdalena, cum, prout à D. Luca refertur pedes unxit Dominicos, ait : *Miſit oleum in pedes ejus Eccleſia, miſericordiam & ipſa in pauperes conferendo. Iſti ſunt pedes Chriſti, in his innocens ambulat Chriſtus.* Igitur non inaniter monere pios audeo quòd indigentes veluti rem divinam honorent. Iſtum, quem depreſſit egeſtas, intus perſpiciant, & quaſi deificatum quid afficiant cultu.

S. Ambroſ. to. 2. l. de Tob. c. 22.

66. Prov. 3. 3. Salomon agens magiſtrum ſpiritualis doctrinæ, ſuadere curans eleëmoſynam, ſic hortatur : *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* De conferendâ pauperi ſtipe Sapientem his verbis commonere, colligatur ex Incerto ſub nomine D. Auguſtini, qui ſic habet : Illam eleëmoſynam Deus comprobat, quæ de juſtis laboribus miniſtratur, ſicut ſcriptum eſt : *Honora Deum de tuis laboribus, & deliba ei de tuæ juſtitiæ fructibus.* Dubitabam, cur non expreſſiùs locutus fuerit Eccleſiaſtes de ſubventione miſerorum ; ne maneret indifferens proverbium, ac dubitaremus, utrum accipiendum ſit de inopum auxilio ; an verò de primitiis atque decimis Deo perſolvendis ? Dixiſſe potuit : Honora pauperem de tua ſubſtantia : nam & honorandi verbum ſumitur aliquando pro charitatis officio : ſed Spiritus ſanctus direxit Salomonem, ut ſic honorificè verba de miſero faceret, ut hyperbolicè nobis in mentem venire liceret, inopem tantopere condecorandum, quaſi divinum quid foret ; cum videamus nomen Dei poſitum eo loco Sapientis, quô ſatis congruè poſſet nomen pauperis apponi. Quantùm ab honorando paupere diſtant ſuperbi contemptores, & labiis opprobria jacientes in eum, & faciem ad ipſum convertere dedignantes ! Naturam velut exuerunt iſti, cum ſæculares gazas, quas dicimus hominis indumenta, ſumpſerunt. Si de nuditate contemnendus eſt homo, magis contemptibilis eſt qui nudior : & patet, ſpoliatum ampliùs eſſe illum, qui naturam humanam videri poteſt exuiſſe.

Incert. ſub nom. Aug. to. 9. l. de vi. Chriſtian. c. 12.

67. *Dives congregando nimium quo-* *Et aliis congregantur.* Cornelius Alapide notat hîc, verbum Hebraicum, *Niſpe*, ſignificare tam congregari, quàm abſumi & perdi. Mentem ſuam cogat opulentus ad libenter cogitandum, quod ipſamet congregatio, quæ divitias inſomnis acervat, vocari poteſt perditio. Facilitas, qua fugiunt opes, à nobis non ſemel notata, ſatis docetur experientiâ magiſtrâ. Baſilius Magnus appoſitè per undæ ſimilitudinem proponit eam, dicens : *Facilè enim dilabuntur divitiæ, & velut unda præ vi ventorum aliàs ad alias partes diffluere ſolent.* Hæc dicta ſunt de jactura copiarum quæ percipitur ab expertis cùm fortuna rotam de more ſuo volvit, iſtam convertens in contrariam votis hominum partem. Sed quin offendamus vel in minimo tanti Doctoris eruditam ſententiam, liceat eâdem ſimilitudine velut ob oculos ponere diti, quòd etiam adhuc manente proſperitate proprias opes congregans diſpergit, priuſquam veniant nubila tempora. Ventus undam extollit in montem argenteum ; ſed ut iſte diſſipetur, opus non eſt contrario flatu. Sic dum argentum cumulat avarus, neceſſe non eſt ad theſauri direptionem quòd infortunio ſuperveniente depauperetur : nam dum nimius eſt in aggregando, perdere dici poteſt ipſe, quod avidus totis lacertis aggerat. Sibi contrarius etiam in hoc eſt proprius amor. Nullus ex depravatis affectibus adeo valde cæcutit ut iſte. Cœcus frequenter, cum ad Orientem pergere ſe putat ; in Occidentem neſciens vadit : philautia divitum inſatiabilis ita quidem in augendo cenſu procedit ; ſi dicendus eſt proceſſus ambulatio tendentis in appetitum deſiderio ſuo. Cupit ille coacervare ; ſed ipsâ congregatione diſpergit : ardet acquirere ; ſed in ſacculos mittens amittit.

dimodo diſpergit.

Cornel. Alap. hîc. S. Baſil. Mag. hom. 20. in Pſal. 33.

68. Loquens ad Judæos Dei nomine vates Aggæus, denuntiat, ut reputent apud ſe, quò ſpectaverint cogitationes eorum, & ſtudia : quis exitus atque proventus ea ſubſecutus fuerit. Et ad particularia deſcendens, poſt alia dixit : *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Commentatur Benignus Antiſſiodorenſis : *Si quis etiam mercedes congregaverat, ſive negotiatione, ſive mercenaria manu ; fruſtra laboraverat, quia omnes pecuniæ defluxerunt veluti in ſacculum pertuſum miſſæ.* Pergens in denuntiatione prædictâ dixit infra Propheta : *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus : & intuliſtis in domum & exuflavi illud* : &c. Remigius idem : *Sed & hoc quod de magnis acervis modicum fuerat electum, cum intuliſſetis in domos veſtras, exufflavi id, & mea virtute diſperſum & ad nihilum redactum eſt.* Nota, priori loco non dici, mercedes illas diſſipatas fuiſſe virtute Dei ; ſed miſſas in ſaculum pertuſum ; poſteriori verò virtutem aſſeri divinam diſpergentem quæ adduxerant in domum. Diſparem loquendi rationem haud ſine morali cogitatiuncula miſſam faciamus. Iſta diverſitatis ratio nunc obvia nobis occurrit. Primùm ſermo fit de multis nimiè congregatis. Abundantia non indiget ad hoc ut pereat omnipotentia Dei conterente : ipsâ congregatione velut effunditur, ſicut quando pecunia mittitur per aliquem in ſacculum, qui perforatus eſt inferiùs, & recondens hoc ignorat :

Agg. 1. 6. Remig. Antiſſ. com. in Agg ib.

Eod. c. n. 9.

Remig. prox. ſup.

ignorat: nullus projicit eam; ſed ipſa cadit; ac ſi poſitus erat in via (viatores equidem ſumus omnes) homo deperdit eamdem. At poſtmodum apud Vatem agitur de paucis in domum adductis: hæc diſperſa, vel vana reddita fuerunt Omnipotentis virtute. Parcitas rerum eget ad hoc ut abſumatur nonnunquam ab alio diſſipari; copia verò multa per ipſam congregationem quaſi perit. Non fruſtra junguntur in eodem originario vocabulo duæ ſignificationes, nempe, Congregari, atque, Abſumi & perdi, ubi Vulgatus legit: *Et aliis congregantur* &c.

69. *Opulentia quadamtenus minuit ſapientiam.*

Abſque judicio. Mirari difficilè deſiſtam, quòd judicio deſtitutus inſinuetur opum congregator. Mens iſtius videbitur pollere acumine multo. Cernimus, hunc exquiſitas artes adinvenire, quibus adaugeat poſſeſſiones, & habitas conſervet indemnes. Nullus, vel rarus in hac re fatuus notatur: utinam peracuti non eſſent, ut incautos præ cupiditate ſupplantarent; & præſtigiis illudentes abriperent eorum bona. Stultitia nihilominus morbus cupidorum eſt. Joannes Seresberienſis: *Sociatur enim*, ait, *cupiditati ſtultitia comes, ſuadens id amari & quæri, quod tenere non poteſt. Et eſt ſtultitia eorum quæ ſcienda ſunt, vitioſa ignorantia.* Hujuſmodi neſciorum genus excedit craſſitudine mentis plurimos in rebus aliis inſcios. Ut in defectibus ad voluntatem attinentibus frequentiſſimè peius eſt id quod ſub ſpecie virtutis latet; ſic in ſpectantibus ad intellectum craſſior eſt multoties, & abjectior ignorantia, quæ veſtitur pulchro ſapientiæ colore. Stulteſcunt hoc modo qui totas induſtriæ ſuæ machinas eò dirigunt prudentiſſimi, quò cenſus excreſcat, & cumulatis permaneat. Avaritia quidem vehementiſſima febris eſt: nam calor hujus (qui dici valet extraneus, cum à bonis externis veniat) accenditur corde; mox diffunditur ad interioris hominis omnia membra: præcedit frigus multum, quô riget homo circa bona ſpiritualia, nihil illa curans; & licet aliquando mortem recordetur, inutiliter contremiſcit. Plurimâ febre correptî mens frequenter perturbatur: & ſic non ſemel divitibus evenit. Neſcio quâ faſcinatione locupletem quantumlibet ſapientem opulentia pene ſtulteſcere cogit: & ſi non deperdiderit ſapientiam, iſta quadamtenus minuitur.

Seresber. l. 7. de nug. c. 17. poſt princ.

70. Regrediamur ad Salomonem. Suſcitatus is de ſomno, quo ſoporatus dederat animum voluptatibus aſſequendis, grato ſomnio deluſus: vanitatemque ſæculi deterſis oculis introſpiciens, multa protulit, à quibus pervium eſt intelligere quàm ſint evanidæ plures mortalium curæ. Modò tantùm expendam, quòd cum rex ille tantâ ſapientiâ præditus fuerit, nec illam perdiderit, deceptus erraverit circa voluptatis fruitionem approbandam. *Et omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaveram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi uterer labore meo.* S. Gregorius Thumaturgus exponit: *Meæ namque cogitationes eò infelicitatis prolapſæ ſunt, ut hæc honeſta & egregia, dignaque quæ facerem arbitrarer.* Errorem faſſus eſt Salomon inquiens poſthac. *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*, &c. Qui legerit iſta putabit, Salomonem, cùm prius exerravit à vero, jam caruiſſe penitus illo ſapientiæ ſplendore, quo pollebat antea. Non tamen ita lector ſuadebit ſibi, niſi prætereat quod antè legitur in Textu: dixit enim Eccleſiaſtes: *Sapientia quoque perſeveravit mecum.* Alia lectio habet: *Sapientia quoque ſtabilis mihi fuit.* Quomodo componemus iſta? Facilè, ſi legerimus attentè verſiculum integrum, de quo verba proxima ſumpta fuerunt. *Et ſupergreſſus*, inquit Salomon, *ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jeruſalem: ſapientia quoque perſeveravit mecum.* Ecce quid in cauſa fuit, ut Salomonica ſapientia quodammodo fuerit imminuta ſic, ut in ſubjecta materia deſiperet ille: ſcilicet opulentia maxima. Citatus Gregorius loquens, ut ſolet nomine Salomonis: *Adeo his omnes, qui ante me Jeroſolymis regnarunt, antecellui. Hinc autem contingebat, ut mihi & ſapientia imminueretur, & vitioſa cupiditas creſceret.* Vide quàm verum ſit, facultatum plurimarum fumo turbari mentes hominum: haud miraberis, in paræmia noſtra dici quòd ab aliquibus abundantiæ *congregantur abſque judicio.*

Eccl. 2. 10.

S. Greg. Thaumat. met. in Eccl. ib.

Eod. c. n. 11.

Ib. n. 9.

Alia lect. adud Olympiad. ib.

Thaumat. ibid.

FLOS XVII.

Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.

APERITUR.

1. PATET littera: ſed adhuc tibi dono Carthuſianum, quò faciliùs intelligas quare Salomon patrem omittentem punire gnatum aſſeveret, odiſſe filium. *Cum enim*, ait, *amare ſit alieni bonum velle atque impendere: qui ſobolem ſuam non erudit nec caſtigat, non diligit eam, ſed odit: quam immorigeratam indomitamque relinquit.* Econtrariò verè ſe genitum teſtatur amore proſequi parens, qui ne protervus evadat, ſatagit eum verbere continere: nam licet contraria videantur amor impenſus, & flagellum affligens; tamen in hac re pium eſt utrumque. Salvianus inquit: *Amari à nobis noſtros honeſtum eſt, lædi acerbum: & tamen hoc ejuſdem eſt interdum animi, ejuſdemque pietatis, & cum ſpecie diſſentiat, ratione concordat.*

Dion. Carth. com in Proverb. 13. 24.

Salvian. ep. 1. in princ.

2. Notandum tamen eſt, adhibendam in hoc prudentiam genitoris, ne ſit nimius in affligendo ſuppliciis filium. Ad hoc videtur, digitum intendiſſe Mapheus: qui poſtquam prioris partis parabolæ præſentis meminit, ſic habet: *At ubi tam malâ, pravâque ſit naturâ puer ut fruſtra ſecum dulci ullâ correctione agatur, coarctamur anguſtiis, coginur penè illorum aſſentiri ſententiæ: quæ*

Maph. Veg l. 2. de educat. liber. c. 17.

fortè non ab re etiam ita prælata eſt (forte legendum : *Prolata* :) *quod populo illi Hebræo, cui ingerebatur convenire admodum crederetur, qui cum duræ cervicis eſſet, niſi is qui ſummâ Veritas eſt, falsò locutus eſt : duris non modo verberibus, ſed fuſtibus quoque opus ei videtur fuiſſe.* Deinde notandum, congruere quòd parentes ita mores proprios componant, ut non deſtruant exemplo malo quod aſtruunt correctione. Remigius Antiſſiodorenſis : *Debet enim*, ait, *quiſque corrigere ſervum ſuum malum & filium luxurioſum : ſed caveat unuſquiſque ut id quod in alio corrigit, in ſeipſo incorrectum non permittat.*

Remig. Antiſſ. expoſ. in Pſal. 102. non parum ante fin.

3. Cui libuerit expendere quomodo Paræmiaſtæ ſententia præſens nexum cum præcedenti ſervet, facillimum erit invenire qua ratione cohæreant. Dixerat Sapiens de abundantia pro ſuſtentatione relicta quibuſdam; qui novalia patrum ſuorum hereditate ſuſceperunt : nunc inſinuat, præcipuas opes à genitoribus proli ſuæ ſollicitandas, mores rectos eſſe, quibus inſtituunt illos : ad quam diſciplinam oportet, patrem non parcere virga. Salvianus : *En*, ait, *quales divitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem ſcilicet ac timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam, diſciplinam ; non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca : præclara utique. Cum enim Deus vivorum ſit, non mortuorum, rectè illa parari filiis juſſit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur.* Hæc pro duplicis illius verſiculi connectione ſatis : nam iſtas continuationes parum curo.

Salvian. in opere Timotheus. l. 1. longe ante med.

4. Sequitur minutiùs hanc rimari parabolam. *Qui parcit.* Indifferens modus loquendi, complectens & nullo modo caſtigantes gnatum ; & leviter punientes illum pro gravi piaculo. Sed quis dubitat, illud primum peius eſſe ? Videmus paſſim genitores amore fatuo ductos in hoc deficere. S. Gregorius Papa : *Antiqui enim*, ait, *patres, ut Deo placerent, ad mortem filiis etiam non parcebant. Non autem eos, quos ſecundùm carnem diligimus, etiam tenui aſperitate verborum inſequi non audemus.* In hoc circa dilectionem peccatur & per defectum, & per exceſſum. Deficitur in amore Dei : quem ſi parens diligeret, non conniveret peccata commiſſa per genitum ſuum : ægrè fert amans Deum, quòd offendatur ipſe. Delinquitur etiam per exceſſum : nam remiſſi parentis amor in filium, cujus negligit correctionem, certè nimius eſt; quamvis odio ſimilis.

D. Gregor. Mag. to. 2. expoſ. c. 14. lib. 1. Reg. c. 4. longe poſt med.

5. *Virgæ.* Non legimus hîc : Qui parcit gladio ; ſed : *Qui parcit virgæ* : nam gladius inſtrumentum eſt ad vulnera graviora natum ; atverò virga nunc leviter ; nunc autem graviter percutit. Sic opportunum eſt, caſtigantis prudentiam ſupplicia contemperare conformiter ad erratorum qualitatem. D. Gregorius Magnus proximè datus : *Qua in re notandum eſt, quod non omnes culpæ acriter feriendæ ſunt. Nam leves pulveris maculæ melius excutiendo, quam lavando, aut ignem apponendo terguntur.* Ex oppoſitâ ſeveritate non prudenti, ſed atroci, manant aliquot inconvenientia. Nonnulli filii parentum ſævitiâ contuſi molleſcunt ita, quòd inutiles redduntur ad virorum functiones. Alii per aſſuetudinem ad immania flagra quaſi callum obducunt ſibi ; fiuntque ſpreto verbere penitus incorrigibiles. Necnon attendendum eſt, ne genitores ad iracundiam provocent gnatos per crudelem diſciplinam : nam Doctor Gentium ſcribit ad Epheſios : *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros : ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.*

Idem ib.

Ad Epheſ. 6. 4.

6. *Odit*, Filium ſupplicio non erudiens, motus dilectione ſtultâ, ſimul odio proſequitur eum ; & amore afficitur erga ipſum : odit quoad animam ; diligit quoad corpus. Liranus hîc : *Quantum*, inquit, *ad animam ſubtrahendo ei debitam diſciplinam : licet eum diligat quantum ad corpus inordinatè.* Minus fatuè diligunt avari pecuniam ſub terra ſepultam : non enim affectum dirigunt ad foveam, in qua nummi carcerantur, odientes argentum & aurum ; ſed iſta ſunt in deliciis ; quamvis de antro, quo theſaurus conditus manet, non exigua cura ſit eiſdem. Spiritus noſter equidem theſaurus eſt in vaſe fictili, velut in carcere poſitus. Veſanâ mente pater velut odio proſequens animam filii, quam paulatim ſinit perire, corpus ejus nimis amat. S. Joannes Chryſoſtomus : *Vos*, inquit, *autem quid facitis ? cùm omni turpitudine liberi veſtri ſe maculaverint, tunc fruſtra uxori copulatis .... Animæ verò nulla vobis cura eſt, ſed dejectam deſpicitis* : &c.

Lir. in Prov. 13. 24. verbo *Odit.*

Chryſoſt. to. 2. hom 63 in Matth. ante fin.

7. *Filium ſuum.* Dionyſius Carthuſianus hîc: *Intelligendo per filium ſobolem totam.* Si Commentator per filium accipit ſobolem, hoc eſt pluſquam filios & filias ; probabilis quidem eſt interpretatio ; ſed non invenio fundamentum convincens illam. Id certiùs, filias hoc loco ſub nomine maſculino comprehendi. Quantum ſollicitudinis exhibere ſit æquum iſtarum educationi cautæ nemo non videt. Fruere S. Hieronymo. *Si*, ait, *ſollicita provides, ne filia percutiatur à vipera, cur non eâdem curâ provideas, ne feriatur à malleo univerſæ terræ ? ne bibat de aureo calice Babylonis ? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ ? ne ludat pedibus, ne trahat tunicas ?* Frequentiſſimè genitores in filiarum inſtitutione rectâ deficiunt, non ſolùm ex amore tenerrimo ; ſed quia matribus omnino dimittunt earum curam ; & genitrices per inertem affectum negligentes, puellarum appetitui nimis indulgent.

Dion. Carth. com. in Proverb. 13 24.

S. Hieron. to. 1. ep. ad Læt. de inſt. filiæ. ante med.

8. *Qui autem diligit eum.* Verus patris amor etiam novit affligere gnatos, ut medeatur eorum ſpiritualibus morbis. Ignis haud tantùm fovet ſana ; ſed applicatus à medica manu prudenter exurit corrupta, ne putredo ſerpat, & homo totus pereat. Igneas conditiones vendicat affectus ; præcipuè paternus, qui circa ſobolem multùm exardeſcit. Flamma quidem hæc illuminat, calefacit ; ſed aliquando congruum eſt ut exurat. Illuminat cùm filium docet ; calefacit cùm refovet moderatè ; ſed putreſcentem genitum per crimen oportet

urere

urere per mulctam : nam & hoc officium charitatis eſt. S. Auguſtinus : *In eo quòd*, inquit, *corripit, & aliqua emmendatoria pœna plectit, eleëmoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati* : &c. Sævus erit parens qui deneget eleëmoſynam filio non petenti. Sique plectere peccantem ut emmendes eleëmoſyna dici valet, ille diligit verè, qui non ſubtrahit eam ab indigente filio.

S. Aug. to. 3 in enchir. c. 72.

9. *Inſtanter erudit.* Hebraïcè legitur : *Et qui amat illum, diluculo quærit ei caſtigationem.* Salazar notat poſſe aliquem ſic exponere : *Id eſt non differt ſupplicium ; à pueritia, & teneris annis illum punire incipit : nam pueritia quædam vitæ aurora eſt.* Hortulanus æſtivo tempore ſæpe matutinâ ſollicitudine rigat plantas, veritus, ne ſi munus hoc differat in veſperam, ſol meridianus conſumat illas ; & fruſtra fiat irrigatio poſtea. Quidam parentes non hac diligentia filios diligunt ; ſed nimiùm ſocordes, indultis eorum voluntati licentiis, aiunt, permittere ſe puerorum ætati quod ſuum : ſic ipſorum perditionem experiuntur. At verus filiorum amator à matutinis incipit, ac teneros torquet ad bonum. Utere Humberto. *Sicut*, ait, *melius eſt docere in initio bivii, quam viam teneant & quam dimittant, quàm quando jam multum iverunt per viam malam ; ita & docendi ſunt pueri ab infantia circa cavenda & facienda . . . . Bonitas quæ in infantia addiſcitur, altiùs infigitur propter ſubjectum tenerum, & ideo diutius retinetur*, &c.

Lect. Heb. hîc. Salaz. ibid.

Humbert. l. 2. de modo prompte cudendi ſerm. c. 87.

DELIBATIO I.

De correctione ſubditorum.

10. *Aliquando plùs nocet ſuperior in eo quod omittit, quàm dæmon in eo quod efficit.*

CUm ſuperioris munus officium complectatur utrumque, judicis pariter atque parentis ; hîc ubi Salomon de punitione, qua patres filios erudiunt ſuos, verba facit ; non intempeſtivè dicemus aliqua circa virgam correctionis, & uſum ejus prælato commiſſum. Præit occaſione verborum Sapientis Dionyſius Carthuſianus. *Similiter*, ait, *qui ſubditum ſuum non corripit nec caſtigat, eum odere magis quàm diligere comprobatur.* Aliqua proximè notavimus in commentario, quæ poſſunt huc trahi non violenter, ut Carthuſiani dictum confirmetur. Addo, negligentem corrigere, cum poſſit, offerre quodammodo ſe complicem criminis. S. Gregorius Papa: *Qui*, ait, *emmendare poteſt & negligit, participem ſe proculdubio delicti conſtituit.* Prælatorum remiſſionem nomine donant alieno ſubditi perperam degentes ; eamque vocant humanitatem. Non humanum eſt quòd paſtor per vecordiam ſinat oves à lupo jugulari ; ſed inhumanum dicam ſic ſtertentem circa gregem ſibi traditum. Imo diabolicum eſt ita miniſtrare delictis alienis : melius dixerim pluſquam diabolicum : nam dæmon animabus nocet ; cum illarum cura nequaquam injuncta fuerit ei. Pejus ergo quàm diabolus agit ſuperior ſomno ſuo ducens ad gehennam eos, quorum directio ſalutaris incumbit eidem. Si conferamus dæmoniacam nequitiam com omiſſione ſuperioris, inveniemus, aliquando plus ab iſtâ damni venire, quam ab hoſte maligno. Noxius eſt ampliùs nonnunquam prælatus in eo quod omittit vecors, quàm dæmon in eo quod immittit impugnans.

Dion. Carth. ſup.

D. Gregor. Mag. to. 2. l. 9. ep. 64.

11. Expenſione dignus eſt Eccleſiaſtæ locus, qui ſic legitur : *In pigritiis humiliabitur contignatio*, &c. Verſanda nobis eſt hæc ſententia Salomonis juxta mentem Humberti ; cujus iſta ſunt verba : *Tandem*, inquit, *maceria deſtruitur cum ab eo qui præeſt correctio delinquentium negligitur, ſicut legitur* : In pigritiis humiliabitur contignatio, *id eſt lignorum junctura. Proprium eſt enim pigritiæ, non ſtatim ſubvenire periculo, ſed expectat donec totum ædificium corruat.* Conſonat hoc D. Hieronymo in hujus loci commentario, dicenti : *Porro quod in homine uno interpretati ſumus, melius poteſt ſuper Eccleſia accipi : quod per negligentiam principum, omnis ejus corruat altitudo : & ibi vitiorum illecebræ ſint, ubi tegmen putabatur eſſe virtutum.* Notatione dignum eſt, iſtam ruinam tribui *pigritiis* gubernantium, & non potius diabolo ; cujus paulò priùs mentio facta fuerat, cum dicitur : *Væ tibi terra, cujus rex puer eſt*, &c. Idem S. Doctor commentatur : *Væ ergo terræ cujus eſt diabolus rex, qui ſemper novarum rerum cupidus, etiam in Abeſſalon adverſus parentem rebellat, quæ judices & principes eos habet, qui amant hujus ſæculi voluptates* : &c. Quare damnum illud non imputatur dæmoni ; ſed regentum negligentiæ ? Facilè reſpondeo per id quod antea proximè cogitabam : ſcilicet quòd multoties viſuntur ampliùs nocivæ ſuperiorum remiſſiones, quàm tentamenta diabolica. Præfectus deſes parcere dicitur ſubditis ; at in hoc ipſo pluſquam diabolicè præcipitat eoſdem.

11. Eccle. 10. 18.

Humber. l. 5. ſpec. Relig. c. 5.

S Hieron. to. 7. com. in Eccle. 10. 18.

Eod. cap. n. 16.

Hieron. ſup. ad n. 16.

12. *Congruit gubernanti providere de futuris.*

Nec reputent illi quibus animarum regimen impoſitum eſt, ſe boni paſtoris excellenter agere partes per hoc ſolùm, quòd ab ore leonis prædam auferat ; in hoc tantùm imitatus Davidem, qui dixit ad Saul : *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis : & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum* : &c. Non, inquam, ritè peragit ſuperior muneris debitum, ſolummodo curans, ne leo tartareus, qui ſubditum inducens ad ſcelus, eum jam quaſi dentibus prendidit, illum deferat in antrum, hoc eſt ad infernale barathrum. Debet prævenire malum ſatagens potiùs impedire, quàm remedium afferre poſt caſam. S. Gregorius Magnus : *Quia verò*, inquit, *humani generis inimicus inſidiari noſtris actibus non quieſcit, ſed aſſiduâ calliditate hoc nititur, ut Deo ſervientes animas in qualibet parte decipiat : ideo dilectiſſime fili hortamur, ut ſollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commiſſos tibi oratione & cura providenti cuſtodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occaſionem inveniat* : &c. Segnis erit opilio, qui noctu percipiens à longe fremitum venientis lupi, recubet

1 Reg. 17. 34. 35.

D. Gregor. Mag. to 2. l. 5. ep. 56. c. 156.

recubet ſub tegmine pacatus; & non armetur adversùs illum, niſi cum jam acceſſit prope: congruit obviare de longinquo rapinæ. Non diſſimiliter, qui gubernacula tenet oportet ut ſubditos præſervet à malo: futura cautè proſpiciat, ut munus obeat providus.

13. Occaſione jacturæ cujuſdam, quæ contigit viro de tribu Benjamin, vocabulo Cis, ivit Saul filius ejus ad Samuëlem, ut conſuleret eumdem. Propheta doctus à Deo novit, hunc eſſe divinitus electum ad hoc ut regnaret in populo ſuo; qui petierat ſibi regem. Introduxit illum in triclinium in excelſo; & poſtea deſcendit Vates atque Saul in oppidum. Die ſequenti Samuel in Dei nomine unxit eum in principem. Et poſt alia dixit ei: *Inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo venerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt.* Liranus: Fac quæcumque, *id eſt, diſpone te quantum potueris ad decenter & potenter regnandum.* Supponendum eſt, Saulem tunc accepiſſe donum prophetiæ, quamvis non perpetuum. Gloſſa Ordinaria ex Theodoreto: *Non*, inquit, *habuit Saul perpetuum donum prophetiæ; ad declarandum autem ſpirituale donum prophetavit illo tempore. Ita etiam ſeptuaginta ſeniores quos elegit Moyſes, ſtatim quidem electi, digni ſunt habiti prophetica operatione.* Ecce poſtquam Saul conſtitutus eſt rex, unum de ſignis ei datis, ut ſe diſponeret ad bene regendum, fuit prophetare. Cur hoc? Si dicas oportuiſſe, Spiritum Domini deſcendere ſuper illum, qui moderaturus erat plebem Dei, reponet aliquis. Projectus eſt à Domino Saul propter inobedientiam; Vateſque miſſus idem unxit Davidem, ut imperaret: atque Textus ait: *Directus eſt Spiritus Domini à die illa in David, & deinceps*: non tamen legimus, eum citò poſt unctionem prophetaſſe. Quænam diſcriminis cauſa? Memento, Davidem regale munus exercere cœpiſſe longo tempore poſt unctionem iſtam; Saulem verò non ita. Congruebat ut huic donaretur ſpiritus prophetiæ tempore prædicto. Sed jam ſciſcitaris: Et quam proportionem habet prophetia cum exercitio regiminis? Non exiguam: ſolent enim prophetæ futura prævidere; moderatoris autem eſt providere venturis, ut ſubditos avertat à malis non commiſſis adhuc. Parum eſt præteritis afferre medelam, & propellere præſentia: lumina tendat in ſequentia tempora; ne contingat quòd poſtea ſerus applicet medicinam.

1. Reg. 10. 6. 7.

Lir. ib. ad n. 7.

Gloſſ. Ord ex Theodoret. q. 24. ib.

1. Reg 16. 13.

14. *Oportet, moderatorem divinare, ut ita dicam, aliquando, quin divinationem corde claudat.* Operæ tamen pretium eſt, reminiſci prælatos, non ſolere ſpiritum prophetiæ ſic donari perpetuò, quòd vates omnibus & ſingulis horis prædicat res eventuras. Unde, ſi propheta ſemel intra menſem quemlibet, exempli gratiâ, divinitùs illuminatus ad prævidenda futura, vellet prænuntiare quotidie, ſanè diebus illis, quibus luce carens cæleſti novâ prædiceret, authoritatem apud homines amitteret, fortaſſis deprehensâ falſitate. Superior non amet eſſe nimius in proſpiciendis eventibus, qui ſequentur: ne ſit quotidianus in conjecturis ejuſmodi. Et potiſſimum caveat ne per ſuſpiciones judicia ferat. Facundus Epiſcopus: *Nam*, ait, *ſi ſuſpiciones judiciorum ſententiam dicent, nihil omnino eſt, quod non aliter atque aliter judicetur. Admodùm verò bene proviſum eſt, ut judices non conjectores, ſed cognitores potius vocaremus.* Cum hoc tamen ſtat, prædictas conjecturas intra prudentiæ normam conceptas prodeſſe plurimùm, ad hoc ut ſenſim veniatur ad judicium de ſubdito. Senſim veniatur, dixi: nam hæc mentis cogitatio præpoſiti ſapienter divinantis ferè, non debet ſemper in corde claudi; ne violato judicii boni ritu ſupplicium ex abrupto procedat à ſolo corde; quin illa mentis apprehenſio veniat priùs unquam foras. Hoc eſt, congruit, ut antequam ſubditus puniatur, prodeat verbis (publicè, vel privatim, prout recta dictaverit ratio) quod ſuſpicatus de illo fuerit non leviter ſuperior; ut fiat locus defenſioni. Fateor, ſæpiſſime regentem ex officio cogi veluti divinare quid cenſendum. Attamen vellem, ut iſta quaſi divinatio non committeretur omnino ſoli proprio cordi; ſed rationis dictamine ſervato proponeretur & conſultoribus, & ſubdito: conſiliariis, ut liberè vel approbent, vel improbent; ſubdito verò, quò ſe tueatur ipſum. Ut ita dixerim, divinet imperans prudenter: ſed, cùm oportuerit, labiis ejus appareat hæc quaſi divinatio; non ſepeliatur corde.

Facund. Epiſt. 10. de defenſio trium. Capitul. longe poſt pr.

15. Doctrinam iſtam omnibus, multorum regimen tenentibus communem, vellem aliqualiter de pronuntiato quodam Salomonis deſumere. Ait ille: *Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus.* Cornelius Alapide rationes aliquot adducit, cur vox & ſententia regis divinatio vocetur, & videtur loqui præſcindens à proverbio Salomonico. De rationibus illis eligo duas. *Tertiò*, ait, *quia rex jubet & ordinat de rebus futuris, ſicut divini divinant futura. Quartò. Quia reges in ferendis legibus & ſententiis prævident futura commoda vel incommoda & juxta ea dicta & decreta ſua moderantur.* Adde Salazar ad eumdem locum. *Exhortatur Salomon*, inquit, *Principes, ac Reges, ut antequam aliquid pronuntient, aut decernant, aut demandent, per illam prudentiæ vim præſagam futuros eventus animo & cogitatione antevertant. Ex quo fiet ut nunquam in ferendis judiciis deerrent.* Cum hoc ita ſit, nunc dubium occurrit: quare non dixit Paræmiaſtes: Divinatio in corde regis? ſed ait: *Divinatio in labiis regis*, vel, ut legitur in Hebræo: *Divinatio ſuper labia regis*: &c? nonne cogitationes humanæ, tam execrabiles, quàm bonæ, tribuuntur cordibus? Utique: forſitan quia cor eſt membrum princeps in hominis corpore; proinde non inaniter appropriatur ei quod inter functiones humanas præcipuum eſt, nempe cognitio rationalis. Igitur quare non in corde ſed in labiis divinationem regis eſſe Paræmiaſtes aſſeverat? Ne quis putaret congruere, moderatorem ſemper in arcano pectoris aſſervare quid præſagiat de futuris; & ſic accideret quod in judicando

Proverb. 16. 10.

Cornelius Alap. 16. §. Regis.

Salaz. ibid.

Lect. H. b. ib.

judicando fideretur nimis cordi proprio. Quàm fallacem conſultorem cor noſtrum experimur aſſiduè ! Nullus excipitur ab hoc periculo per dignitatis privilegium. Divinantis igitur quandoque ſtylo gubernacula tenens provideat ſuis, impediens coërcendo ſcelera, ſed attentè.

16. *Superiori cõ venit lenitas; non autem ſonitus vehemens.*

Premens illa verba : *Qui parcit virgæ*, quæ dixi ſuperioribus accommodari valere, meditor quàm ſit aptum inſtrumentum virga, quò deſignet correctionem punientis. Etiam dum verberat virga non edit nimium ſonitum. Sic prælatus non exiſtimet, rugitum leonis ipſi congruere : quippe minime princeps ferarum eſt, ſicut leo. Quinimo Siracides ait : *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi.* Nubibus aſſimilari queunt præfecti : quia ſicut nubes altiorem locum obtinet, protegit, atque terram fœcundat; ita ſuperior in ſublimi poſitus defendit inferiores, & fructificare facit. E nubibus tonitru perſonat; atque decidit pluvia : ſed imber fœcunditatem præſtat agris; tonitrua verò nihil eis proficiunt. Potiùs convenit gubernanti agere munus imbris; cum ſubeat vices illius, qui deſcendit ſicut pluvia in vellus. Defectu lenitatis perperam clementiſſimi Domini perſonam referet. Audi Juſtinianum piè ſuperiores inſtruentem. *Nempe*, ait, *ſi ipſe Dominus, cujus univerſæ ſunt oves, compatitur delinquentibus, & ad ſe per pœnitentiam redeuntibus nunquam miſericordia claudit viſcera, poteritne ſubſtitutus & ſervus cum auſteritate, humanitate poſtpoſitâ, gregem ſibi creditum diſperdere, opprimere, dilaniare atque necare ?* Non igitur perſonando vehementer exercitium prælationis obeat qui ſubditos regit : lenitatem præ ſe ferat; non ſtrepitum plurimum.

Eccli. 4. 35.

S. Laur. Juſt. de inſt. & reg. prælat. c. 9.

17. Ad mortalium ſpirituale commodum ſecunda tertiaque Perſona ſanctiſſimæ Triados in terras deſcenderunt : ſed quàm diſformiter ! Verbum Patris advenit factus infans, quin tunc ab eo quidquam audiretur præter vagitum. Non ſic Spiritus almus : nam & ignem detulit, & ſonum in die Pentecoſtes. Aliter crederes eventurum; cum Filius Dei venerit quò ſpiritualem gladium & ignem ipſe mitteret orbi; necnon ut aëreas poteſtates debellaret. Quid infantili teneritudini commune cum igne, gladio, belloque ? Contra, cùm divinum Flamen adventavit, jam bellum triumpho redemptionis fuerat conſummatum; jam Patri ſummo reconciliati feliciter Adamides erant. Ut quid fragore tanto Paraclitus adventum ſuum terrificum reddidit, ac flammeis linguis ignitum ? Attende. Spiritus ſanctus non advenit exhibens prælati formam; cum non factus fuerit homo; ſuperioreſque (licet aliter ſomniare videantur quidam) ſint ejuſdem naturæ cum ſubditis. Atverò Chriſtus Dominus verè prælatus eſt. Recordare quomodo loquatur Apoſtolus. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum filium Dei* : &c. Quin & in ſpecu Bethlehemitico ſe paſtorem populorum oſtendit. Incertus ſub nomine S. Zenonis : *In ſtabuli præſepe deponitur, populorum paſtorem, pabulumque ſe eſſe conteſtans.* Et inſuper exemplar erat hominibus imitandum. Non igitur venit ſtridens horriſonè, quò tremeret concuſſa tellus; ut paſcentes poſtea gregem ſuum non illum perpetuò lapide fundâque ſonante perterrerent ingenter; ſed minimè dedignarentur allicere bandè, pueri divini tenerum imitantes ingenium. Prudentes animarum paſtores quaſi Bethlehem fervidè contemplantur. Beda ſuper illud Lucæ 2. *Invenerunt* &c. ait : *Sed & Dominici gregis paſtores quò crebrius ac ſuavius inter hujus vitæ tenebras cœleſti attolluntur oraculo, eò ferventiùs ſublimem patrum præcedentium vitam, in qua panis vitæ ſemper & ſervatur & reficit, quaſi portas Bethlehem contemplando ſubeunt*, &c. Nequaquam ſe præſtant Salvatori conformes in Bethlehem poſito leniter illi, qui ſuperbientes credunt, incumbere ſibi gerere bella cum ſubditis; non autem cum vitiis. O tumorem impudentem ! S. Bernardus loquens de Chriſto nato : *Ecce*, inquit, *factus eſt infans diei unius.... Intolerabilis impudentiæ eſt : ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.*

Incert. ſub nom. S Zen. Epiſ. ſer. 3. de Nat.

Bed. com. in Luc 2. c. 6.

S. Bernard. ſer. 1. de Nat.

18. *Aliquando reprehenſibilior eſt prælati nimia ſeveritas, quàm ejus remiſſio.*

Non per hæc animus eſt ſuadere moderantibus, ut virgam correctionis deponant: nam & ipſi verè ſunt inferiorum parentes, & *qui parcit virgæ, odit filium ſuum* : &c. Adversùs mollem quorumdam in gubernando ſocordiam ſupra dixi. Modò conferens inopportunam ſeveritatem cum lenitate nimiâ, plùs illam, quàm iſtam ſæpe reprehenſibilem judico. Gubernator negligens coërcere ſubjectos, oves proprias regit ut alienas : nam quaſi nequaquam pertinentes ad ſe, minimè curat. Qui verò modo ſervili minoribus imperat, arrogat ſibi Dominium illorum : quod proprium eſt Altiſſimi, non autem hominis; qui nequaquam dominus eſt, ſed miniſter. Petrus Bleſenſis expendens utrumque vitandum illud extremum, ſatis diverſimodè loquitur de iis : nam lenitatem incongruam appellat ipſe diſſolutam : *Eſt*, inquit, *lenitas neceſſaria, & lenitas diſſoluta.* Cum autem infra damnat imprudentem rigorem cum auſteritate corripientis irâque, vocat hoc abſurdum atque turpe, dicens : *Turpe quidem & abſurdum eſt in prælato cum ira & auſteritate corripere*, &c. Superiorum poteſtas à Deo participatur; unde ſacrum aliquid nominari valet. Qui potentiam iſtam ſervire facit iracundiæ ſuæ, crudelitatique miniſtrare, perpetrat execrabile facinus, quod ſacrilegium ſonat, eoquòd rebus abutatur ſacris ad peccandum. Propterea dicam, aliquando magis reprehenſibilem ſeveritatem prælati multam, quàm ejus remiſſionem ſomnolentam. Iſtam non tueor; ſed illa quandoque plùs digna reprehendi.

Petr Bleſ ep. 100. poſt pr.

Idem ib.

19. Cum acceſſit in hortum Gethſemani tartarea cohors, homine duce, qui diabolus erat; Petrus exemit gladium, & vulneravit ſervum Pontificis. Mitiſſimus Dominus Apoſtolum reprehendens acerbè continuit. *Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio*

Matth. 26. 52.

Chryſoſt. to. 2. hom. 85. in Matth.

gladio peribunt. S. Joannes Chryſoſtomus: *Sed Petrum acriter, & quidem minando increpat, ut eum & cæteros ſimul ab hujuſcemodi defenſione deterreat.* Agnus adeo mitis, ut ſe traderet lupis, minatur ei, quem cum reliquis Apoſtolis paverat velut agnum? Certe paulò priùs, cum dormientem Simonem inveniſſet, & illum ſimul cum ſociis hortatus fuiſſet ad vigilandum; *venit iterum, & invenit eos dormientes*, &c. Non tamen tunc ipſum redarguit, ne terreret. Idem S. Doctor: *Cur autem iterum ad diſcipulos rediit? Ut eos redargueret, quoniam adeo ſopiti mæſtitiæ erant, ut neque præſentiam quidem ejus ſentirent: non tamen redarguit, ſed paululum receſſit, magnam eorum eſſe infirmitatem ſignificans, qui nec increpati quidem vigilare potuerunt: non excitat autem, nec increpat amplius, ne perterritos magis terreat: ſed recedens oravit*, &c. Non poteſt non latere myſterium in hac propoſiti mutatione factâ per Filium Dei, qui prudentiſſimè deliberabat. Venit ut redargueret? & non redarguit? Ad hæc. Peculiariter miror, pro ſuperiorum inſtructione tunc non reprehendiſſe Petrum: nam Humbertus ait: *Somnus pigritiæ valde reprehenſibilis eſt in eo qui præeſt. Ad quod oſtendendum ſpecialiter Salvator reprehendit Petrum de dormitione*: Simon dormis? Ergo quare cur non ſecundò reperiens dormientem Petrum vehementer increpavit eum? Sed potiùs quando primò venit, blandâ ſomnum increpatione corripuit; redienſque penitus abſtinuit ab arguendo? cum autem Apoſtolus vulnus intulit Malcho, Dominus acriter objurgavit illum? Duo præmitto. Primum eſt quòd, licet Petrus eo tempore non adhuc accepiſſet prælaturam, tamen auriculæ præciſio reſpiciebat aliqualiter in id munus. Favet Paſchaſius. *Nec*, inquit, *immeritò Petrus abſcidit ejus auriculam, quia accepit claves regni cœlorum.* Secundum eſt quòd Petrus duriùs intendebat ferire Malchum; & contigit ut ſolùm amputaverit aurem. S. Thomas: *Projecit*, ait, *ictum. Et cum vellet percutere eum ad mortem: accidit quod auriculam amputavit.* Minaciter itaque Salvator dictis carpit Simonem: qui non præfecti militaris officium ſubiturus erat, ſed paſtoris animarum; cujus non eſt lethaliter vulnerare. Si cum ſuperior *parcit virgæ* ſimilis eſt odienti; ſimilior erit cùm indiſcreto zelo durè percutit.

Matth. 26. 43.

S. Joann. Chryſoſt. prox ſup. hom 84.

Humber. l. 5. ſpec. religioſ. c. 5.

Paſchaſ. l. 12. in Matth.

S. Thom. com. in Matth. 26.

DELIBATIO II.

Dei non punientis ira; & caſtigantis amor.

20. *Qui Deum graviſſimis peccatoribus placatũ vi derit, metuat ipſis.*

RE condita nobis utique ſunt conſilia Domini. Frequentiùs hallucinamur in eis, quæ ſpectant ad flagella peccatorum, & indulgentiam peccantum. Multamur flagris: & formidine pleni reputamus, æquitatem Dei nos perdere velle. Contra, diſſimulante Judice rectiſſimo, præſumimus noxiâ ſecuritate de Creatoris dilectione, qua proſequitur plaſmata ſua. Fallimur in utroque: nam, ut ſtatim ſubjiciam, latent amor divinus & liberalitas perſæpe ſub animadverſionis tetris nubibus; & (ut jam proſequar) multoties diſſimulari cœlitus flagitia ſignum eſt iræ. Lactantius Firmianus: *Differt ergo, donec veniat temporum finis: quo effundat iram ſuam in poteſtate ac virtute cœleſti, ſicut vatum prædicta priorum terribili monitu horrificant. Nunc autem patitur homines errare, & adverſum ſe quoque impios eſſe, ipſe juſtus, & mitis, & patiens.* Novit Omniſcius, punitiones eſſe medicamenta ſaluberrima: tamen quibuſdam ſceleſtis iraſcitur ita, quòd eis deneget hanc medelam perutilem. Sic per Oſeam Dominus minabatur populo ſuo, filias ejus lapſuras in fornicationem, ac ſponſas in adulterium; non tamen ipſum viſitaturum fore ſuper iſta crimina. Rationem addidit S. Hieronymus: *Formicantur*, inquit, *& filiæ ejus & ſponſæ: & abſque ulla vindicta in ſuo ſcelere relinquuntur: ut quod filii & uxor vero parenti fecerant & marito: hoc in liberis ſuis & uxoribus ſentiant: & ex proprio dolore, intelligant dolorem Dei: qui intantum iratus eſt, ut nequaquam percutiat delinquentes.* Ergo de ſuſpenſione pœnæ timendum eſt; econtra viſo furore confidendum. Qui Deum viderit graviſſimis peccatoribus placatum, ipſis metuat; econtrariò qui minas tonantis audiverit, in confidentiam erigatur.

Lactant. Firm. l. 2. inſt c. 17. in princ.

S Hieron to. 6. l. 1. in Oſe. c. 4.

21. Impiè deliquit Iſraël in adoratione vituli, cum abeſſet Moyſes in monte. Notum fecit huic Dominus lapſum populi; ſeque denuntiavit irâ furentem adversùs reos. Quid tunc piiſſimus plebis ductor? *Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum*, &c? Exaudivit utrumque preces illius Dominus. Reverſus ipſe punivit idololatras acerbè, prout par fuerat. Poſtea Textus hæc enarrat: *Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum: Aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Quænam hæc dubitatio Moyſis, an poſſet à Domino clementiam conſequi tunc? *Si quomodo quivero* &c. nonne pridie placaverat ipſe Deum de hoc indignatum delicto? Legimus antea ſcriptum: *Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* an ipſe non, quamvis audiverit Conditorem dicentem: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*, &c. orabat pro venia delinquentium? *Et accepit Moyſes audaciam orandi pro populo, ad retinendum Dei vindictam* &c. Quomodo poſtea loquitur quaſi dubius, an exoraturus eſſet propitiationem, quam pro reatu prorſus eodem poſtularet? *Si quomodo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Sic loquebatur amicus Dei familiariſſimus: *Licet enim*, ait Lira, *priùs dictum ſit, quod placatus erat Dominus in hoc quod non deleret totum populum ſimul & ſubito; non tamen erat aſſecuratus Moyſes, quin deleret per partes.* Præcedenti luce, noſtro loquendi modo, Deum cernebat exardentem ultionis furore contra peccantes: & ſciens deliteſcere frequenter

Exod. 32. 11.

Ib. n. 30.

Ibid. n. 14.

Ibid. n. 10.

Lir. 16.

Idem ib. ad n. 30.

ſub

ſub indignatione Domini vindicantis amorem, flagitavit audacter indulgentiam. Poſtea vidit eum placatum, ac timuit, ne ſub diſſimulatione prudenti reconderetur ira magna. Sæpe cùm Deus *parcit virgæ*, tunc exiſtimandum eſt quòd ipſe malum *odit*, ut poſtea perdat.

22. *Nonnunquàm Dei ſupplicium donum eſt, & amoris opus.*

Ad extremum alterum tranſeamus, quod indicavi jam ſupra. Dicebam, ſagittas, quibus feritur exerrans à via recta, perſæpe reputandas amantis arma Dei: qui per ictus, quamvis inflictos ad pœnam, trahere cupit hominem in amorem ſui, profectumque virtutum; & ut augeatur corona, vel ejus corpus affligitur, vel temporalia bona tolluntur. Deus multifariam flagellat. Tertium poſt alios modum Bleſenſis annumerat, inquiens: *Tertium flagellum eſt miſericordiæ, quando ſcilicet ad vitæ probationem, ad profectum virtutum, ad augmentum coronæ corpus affligitur hominis, aut bona temporalia ſubtrahuntur.* Memini, Deum incarnatum compoſuiſſe quondam quaſi flagellum de funiculis: quid ergo miraris, cum viceverſa dicam, de flagellis aliquoties funes efficere; quibus trahat homines ad ſeipſum in funiculis charitatis? Amor is eſt abſconditus in virga patris piiſſimi Dei, cùm cædit mortales tamquam filios, ut auſus fuerit Clemens Alexandrinus dicere, Deum nunquam punire malos quandiu vita manet. Altiùs ille rimatus eſt conſilium Domini punientis: id ego non audeo; ſed audita refero. *Deus autem*, ait Alexandrinus, *non punit (eſt enim punitio, mali redditio) caſtigat autem & communiter & privatim ad utilitatem eorum qui puniuntur.* Piè loquentem ne damnes: ſcis enim, opus à fine denominari. Frequentiſſimè Deus mulctat, ut homini converſo multa donet: induit faciem perſecutoris, ut apprehendat illum & amplectatur. Quare non exiſtimabimus, abſcondi ſub illo mæſto pœnalitatum velamine dilectionem, largitatemque divinam? Nonnunquam ſupplicium donum eſt, & amoris opus.

Petr. Bleſ. comp. in Iob c. 2.

Clem. Alex. l. 7. ſtrom. non parum ante fin.

23. Deliquere Protoparentes, guſtato fructu vetiti ligni. Dominus adfuit, & congruè punivit utrumque. Libet Hevæ matris pœnam ex parte meditari. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*: &c. Jam hîc non fundamento deſtitutus hærebis. Primigeniæ ſi daretur ſterilitas in pœnam, valde proportionatam ſententiam laudarent cuncti: nam ſic illa, quæ præſtitit occaſionem perditioni generis humani, juſtiſſimè condemnaretur ad hoc ut genus amitteret. Nonne fœcunditas fœminæ donum Dei eſt; præcipuè temporibus illis, quibus unica muliere tantùm atque viro conſtabat Republica tota mundi; poſſidentibus illis cuncta, quin hæredem accepiſſent? qua de cauſa Parenti primævæ datur in ſupplicium pluralitas fœtuum, quæ benedictionem ſonare videtur? Hoc ſatis, ut intelligas, nonnunquam ſub Domini flagello donum, & affectûs indicium recondi. Sed litteram aperiamus myſticum ſenſum quærentes à S. Brunone: qui per Hevam intellexit Eccleſiam, & per conceptus multiplicatos, plures hujus filios. *Eccleſiæ verò*, inquit, *ærumnas multiplicatas fuiſſe cognoſces, ſi Sanctorum carceres, vincula & flagella, alioſque diverſos cruciatus recorderis. Quod verò ejus conceptus ſint multiplicati, Propheta teſtatur dicens*: Lætare ſterilis, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii deſertæ magis &c. Quomodo ſibi conſiſtere valent hæc? Vates tamquam lætum quid annuntiat Eccleſiæ pluralitatem filiorum? *Lætare* &c. Deus autem figuraliter intimavit multiplicationem illam gnatorum tamquam ſupplicium Hevæ, quæ fuit ibidem Eccleſiæ matris umbra? Stabilitum ſic maneat conſtanter, haud ſemel eſſe dilectionis Dei ſignum, & munificentiæ donum, quod ejus decreto deſignatur in vindictam. Ne deſpondeat animum flagellatus peccator: nam piiſſimus Pater, quia tamquam plaſma ſuum, & imaginem, adhuc lapſum *diligit illum*, dum facit ut vapulet, atque reſipiſcat, *erudit*.

Genſ. 3. 16.

S. Brun. Aſt. com. in Geneſ. 16.

Iſta quæ dicta ſunt, accipiunt quidam in modum ænigmatis obſcuriſſimi: & quamvis ore tenus ea fateantur eſſe vera; corde tamen hoc negant, dicentes intra ſe: Quomodo verè diligor, cum torqueor? qua ratione metuam, cum parcitur? Parum abſunt iſti quòd labiis præferant, ſe peroptare ne Deus illos paterno proſequatur amore, ſi venit eis ab iſta dilectione flagellari; contraque proſperantur ii, quos Deus ut alienos haud tantopere curat in meliorem vitam reducere. Vereor ne blaſphement iſti Dei conſiliorum interpretes mali. Non eſt ipſis animus inficiari providentiam Altiſſimi: ſed eam faciliùs agnoſcunt cum accipiunt bona. Tunc (& utinam tunc) gratias agunt, cum ſuſcepere donum; cum verò flagellantur, vel blaſphemiam proferunt, vel à proferendo modicum diſtant. Oportebat ut etiam vapulantes agerent gratias. S. Auguſtinus: *Venit*, inquit, *illi lucrum, confitetur: venit hereditas, confitetur: patitur damnum blaſphemat. Qualis filius es, quia quando pater emmendat, tunc tibi diſplicet? Non emmendaret, niſi diſpliceres. Aut ſi ſic diſpliceres ut odiſſet, non ille te emmendaret. Gratias age ergo emmendatori*, &c. Fateor, ut plurimum ingratitudinem iſtam ex ignorantia naſci, licet voluntariâ. Nihilominus eſt adeo craſſa, ut veniam non mereatur ignorans. Si homo Deum tantummodo laudat cùm beneficiis afficitur; non autem ſi quid mali contingat; vereor ne pereat in æternum.

24. *Quam Dānabile ſit non laudare Deū niſi cum benefacit.*

S. Aug. to. 8. expoſ. in Pſal. 48.

Pſaltes regius adhortationem utiliſſimam compoſuit ad virtutem complectendam, & vitia declinanda. Docet ut non timeatur dives, cum præpotenter glorioſus effectus eſt. Et meritò, quia cum ſit impius, ut ſupponitur, perpetua damnatione peribit. *Introibit uſque in progenies patrum ſuorum: & uſque in æternum non videbit lumen.* Cardinalis Bellarminus ad hæc verba: *Id eſt introibit ad ea loca, ad quæ illum præceſſit progenies patrum ſuorum*, & uſque in æternum non videbit lumen, *quia juſto judicio manebit in æternis tenebris*, &c. Stupebam, tam horrendum ſuppli-

25.

Pſal. 48. 20.

Bellarm. ib.

cium homini præparari, cui congruunt ſequentia verba, quibus dicitur non intelligens: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit*: &c. Idem Purpuratus: *Ut oſtendat, præcipuam cauſam miſeriæ hominum eſſe inſipientiam; & merito homines plurimos in æternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt*: &c. Sicne condemnabitur inſipienter agens? Non obliviſcor, hanc neſcientiam ſpontaneam extare: ſed vel mediocris theologus fatebitur, cæteris paribus, crimen ex ignorantia commiſſum culpabili minùs gravitare, quàm patratum ex pura malitia. Quid eſt ergo quod Spiritus ſanctus adeo ſeveram denuntiat ſententiam per os Davidis huic non intelligenti? Reſpondeo. Mentio facta fuerat cujuſdam ignorantiæ tam execrandæ, quòd venia dignus non eſt eam admittens. Quæris, ut puto, quænam ea ſit. Lege ſuperiora verba Pſalmi: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Non me pœnituit rurſum conſuluiſſe Bellarminum; quem audivi dicentem: Confitebitur tibi, *hoc eſt laudabit te tibique gratias aget* cum benefeceris ei: *ſin autem aliquid mali illi evenire permiſeris, continuo blaſphemabit te: non enim ex illis eſt qui dicunt*, *Pſal.* 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo &c. Hic impius, quamvis ex ignorantia, non computat in beneficiis verbera, quibus ejus emmendationem ſollicitavit miſericordia Dei; ſed bona tantùm, quibus proſperatus eſt; hiſque ſolis motus confitetur Domino. Deteſtabilis eſt hæc ingratitudo, ſimul & periculoſa valde. Ad Auguſtinum redi. *Cavete*, inquit, *& talia verba*: Confitebitur tibi cum benefeceris ei. *Quàm multi ſunt Chriſtiani fratres, qui tunc Deo gratias agunt, quando illis accidit lucrum: hoc eſt*, Confitebitur tibi cum benefeceris ei, *laudabit te & dicet: Verè quia tu es Deus meus, liberavit me de carcere, & confitebor illi.* Si malus filius ſummum Parentem ſolummodo gratus laudat cum dona ſuſcipit; non autem cum vapulat ut emmendetur; Labitur in execrandam nimis ingratitudinem.

Eod. Pſal. n. 21. Bellar. ib.

Pſal. 48. 19. Bellar. ib.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 48. ib.

26. *Clariùs videtur ſe Deus oſtendere patrem in permittendis adverſis ut proſint, quam in dimittendo peccata.*

Nec eſt quòd homo confidenter excuſet in ſubjecta materia propriam ignorantiam: prætendens obſcuritatem doctrinæ, cum ſpirituales magiſtri proponunt ei ſub ira Domini teneram dilectionem, qua ſatagit amantiſſimus Pater, ut filius nequam verberibus reducatur ad meliorem frugem. Puto, clariùs amorem divinum aliquando pateſcere, quia ſic flagellat; quàm ex eo quòd peccatorum debita dimittantur. Inter homines non ſolus amor ære conſtrictos alieno ſolvit ab hujuſmodi vinculo: nam & extraneis non dilectis aliquando præſtatur hoc officium ex merâ liberalitate. Quòd verò parens filium virga coërceat à malo, patet à dilectione venire: non enim ſimiliter haberet ſe cum alieno. Quin etiam cum pater duplicem nutrit genitum, alium ſpurium; alterum verò legitimum; quia priorem vel minus amat, vel penitus non diligit, erga legitimum autem afficitur valde, hunc ſeverè caſtigat; illum verò deſerit indulgens. Ab humanis in divina manuducimur frequenter; cum per ſpecies rerum creatarum ea, quæ Dei ſunt, intelligamus. Exinde fit, ut quandoque cernentes patientiam Dei, qua ſuppliciis parcit aliquorum provocantium criminibus juſtitiam ejus incorruptam, dubitemus utrum illud ideo contingat, quia dimittuntur indulgenter ad perditionem, ut ita dicam, velut ſpurii. Ex motivo provenit eodem gratiarum actio, quam juſti Deo conſecrant afflictionum tempore: quia ſcilicet ex illis conjiciunt, ſe verberari tamquam filios legitimos. Opportunè S. Antiochus: *Tribulationibus*, ait, *igitur attriti tamquam genuini ac legitimi; non item ut ſpurii: tanto ampliorem debemus rependere gratiarum actionem.* Non inficias eo, Deum oſtendere paternam dilectionem utroque modo: ſcilicet culpas dimittentem, & flagris verberantem. Attamen videtur apertiùs affectum paternalem propalare flagellando, quàm dimittendo; quaſi magis exhibeat ſe patrem in permittendis adverſis ut proſint, quàm in condonandis erratis.

S. Antioch. hom. 117.

Magiſter Gentium ſcribens ad Epheſios, ut ſuaderet benignam injuriarum condonationem mutuam, ait illis: *Donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.* S. Anſelmus ibi: Sicut & Deus in Chriſto donavit vobis. *Id eſt, ſicut Deus per Chriſtum omnia quæ commiſeratis, condonavit vobis*, &c. Nota, Dominum hoc loco ſumptum ſub ratione condonatoris offenſarum vocari tantùm nomine Dei. Tene curioſiùs hoc: nam capite ſequenti Paulus appellat ipſum Deum & patrem, cum ſuadere curat Epheſiis, ut ſemper gratias agant. *Gratias*, inquit, *agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.* Non credam, caſualiter apoſuiſſe Paulum ibi nomen *Patri*, poſtquam ſcripſit vocabulum, *Deo*: nec præteribo quod ait Cornelius Alapide ſuper eum locum: *Dicit tamen*, Deo & Patri, *ut duos titulos innuat, quibus Deo ad gratiarum actionem obſtricti ſumus. Primus eſt, quòd ſit Deus noſter, à quo corpus, animam, gratiam, & bona omnia accepimus. Secundus quòd ſit pater, qui paterno affectu nos quaſi filios ſuos omnibus ſuis bonis paſcit & inebriat.* Bene. Sed an Deus in condonandis peccatis non perhibuit ſe patrem? Quis dubitat? Ergo cur Apoſtolus præcedenti capite non dixit: Deus & Pater in Chriſto donavit offenſas vobis? quid peculiarius invenitur loco poſteriori, quò vocet eum Patrem? Dicam. Agebatur ibi de gratiis agendis etiam pro adverſis. S. Anſelmus exponit: *Vos dico*, gratias agentes, *non ad horam, ſed* ſemper pro omnibus, *quæ dedit, vel dederit, ſive ſint proſpera, ſive adverſa.* Cumque Deus adverſitates conferens ad utilitatem noſtram, ſe ſpecialiter manifeſtet patrem, idcirco nomen paternum Apoſtolus expreſſit ibi; cum ſupra tacuerit illud, agens de reatuum condonatione. Clariùs videtur manifeſtare paternalem dilectionem Deus flagella mittens, quam remittens debita culparum.

27.

Ad Eph. ſ. 4. 32.

S. Anſel. in com. ib.

Ad Epheſ. 5. 20.

Cornel. Alap. ib.

S. Anſel. ſup. ad c. 5. n. 20.

Ex

28. *Quàm ſit dignus præconio gratias agens de tribulatione.*

Ex dictis ſit pervium agnoſcere, quàm laudabile ſit juſtum Deo referre grates afflictionis tempore de malis, quæ patitur. Virtuoſum quidem eſt poſtquam ceſſavit infelicitas exhibere gratitudinem Domino, qui remedium præſtare dignatus eſt adverſitatem ſuſtinenti. Sed hoc, quantùm eſt de ſe, minùs meritorium reperitur: nam quæ difficultas in gratiis agendis propter accepta bona ; cum gratus animus ita paret viam ad nova beneficia ? At quandiu patitur homo, gratificari Deo libenter idipſum quod patitur arduum eſt humanæ fragilitati : quæ dolore comprimitur, ac mœſtitiâ ſuadente claudit oculos, ne perſpiciat abſconditum ſub percuſſione munus. Verum eſt, rectum dictamen rationis docere, Deo gratias agendas inter verbera. Joannes Portarum : *Non ſolum autem*, inquit, *in proſperis, ſed & inter flagella debemus gratias agere Patri, qui flagellat omnem filium, quem recipit* ; &c. Concedendum tamen eſt infirmitati cordis humani, non eſſe modicè difficile gratias de malis quæ tolerat offerre Domino : nam ſæpiùs dolorum transfigentium acerbitas obruit mentem, ac totum rapit hominem, ut potiùs auxilium à Deo ſupplicet, ut malum propellatur, quàm advertat oportere grates agere de tribulatione. Gratiarum actio naturâ ſuâ lætum eſt opus, & pacem deſiderat mentis ; afflictio verò gravis mœſtificat hominem, & cognitionem turbat. Eapropter ſi juſtus hæc omnia ſuperet, ejus fortitudo præconio digna probatur. Eſto quòd prætereatur ſilentio gratitudo referentis gratias de remedio, cùm jam evaſit ab infortunio ; tacenda non eſt patientia generosè ferentis ita mala, quòd afflictus offerat gratias ob calamitatem, quam dolet adhuc fortis & humilis. Hæc tolerantia laudetur : quamvis alter gratus de ſua liberatione ſileatur.

Joann. Port. ep. 3. poſt med.

29.

Jacobus Apoſtolus in Catholica ſua commendabilem ſuſtinentiam laborum ſuadere voluit. Et quia multùm prævalent exempla, quibus roborentur homines ad imitationem robuſtorum, adducit in medium patientiam Jobi, dicens : *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis*, &c. Commentatur S. Thomas : *De Job & Chriſto ſpecialiter exemplificat, quia horum duorum patientia laudabilis eſt.* An etiam non laudabilis tolerantia, quam exercuit Anna mater Samuëlis ? Equidem illa paſſa fuit inſultationem uxoris alterius viri ſui ; necnon opprobrium ſacerdotis Heli. Quare mulier hæc non affertur in exemplum patientiæ ? quamvis enim comparationi locus non detur ejus cum Jobo, multa maximaque ferente ; nihilominus valeret inſervire doctrinæ, quòd fœmina ſuperans infirmitatem conditionis muliebris, non proruperit ad impatientiam. Annam laudare prætermiſit Jacobus : quia gratiarum actionem haud exhibuit, cum patiebatur defectum prolis, de quo provocabat eam altera conjux Elcanæ. Tunc Domino gratam ſe præbuit, cum voti compos facta fuerat, potita filio, prout habetur in hiſtoria Regum. Minus eſt animi gratitudinem teſtari de beneficio, poſt acceptum remedium doloris. Eſto quòd hæc actio gratiarum ſilenter ſupprimatur ab Apoſtolo citato loco : laudetur vero Job, de quo novimus, ipſomet afflictionis tempore grates obtuliſſe Deo de cauſa doloris. *Dominus dedit, Dominus abſtulit : ſicut Domino placuit, ita factum eſt : ſit nomen Domini benedictum.* De Jobo loquens D. Joannes Chryſoſtomus ait : *Omnibus enim privatum, generosè & gratiarum actione ferre multo majus eſt, quam in divitiis degentem facere eleëmoſynam : ſicut & in hoc contigit juſto.* Non præterivit Apoſtolus hominem, qui rem tantam operatus eſt : encomio quippe digniſſimus extat vir perfectus, qui gratitudinem de tribulationibus offert illometipſo tempore, quò per eas affligitur : animadvertens, ſupremum Dominum ſic inſinuare quòd tamquam filium *diligit illum*, propterea que per flagellationem *erudit.*

Iacob. 5. 11.

S. Thom. in com. ib.

Job 1. 21.

Chryſoſt. to. 5. hom. 1. ad pop.

DELIBATIO III.

De patre negligente circa filii correctionem ; atque magiſtro non corripiente diſcipulos. Hi nobiliter naſcuntur à præceptore. Agitur de parente ſollicito erga filiorum educationem.

30.

Qui parcit virgæ. Cornelius Janſenius exponit : *Qui, inquit, parcit virgæ, hoc eſt, qui aut totum abſtinet à caſtigatione, aut in ea parcus eſt & rarus, verè odit filium ſuum, non quidem affectu, ſed facto, quia ipſa caſtigationis omiſſio eſt contra bonum & ſalutem filii.* Dubitabam, quare non dixerit Salomon : Qui parcit filio ? Sanè parcendi verbum aptum erat non minùs ut caderet ſupra filium, quàm ſupra virgam. Quid ergo eſt quòd, licet odiendi verbum adeo diſſonet à vocabulo filii (quod vulgò fertur ab amore dictum) jungatur vox *Filium* ad verbum *Odit* ; non autem magis annectatur verbo *Parcit* ? Suſpicari nemo vetat, Spiritum ſanctum, qui dirigebat Paræmiaſtem, ſic eum illuminaviſſe, quò nos occaſionem ſumeremus expendendi, genitorem negligentem de gnati correctione haud cum illo ſic agere verè quaſi cum filio ſuo ; ſed habere ſe tamquam vitricum. Appoſitè S. Petrus Damianus : *Vitrici denique*, ait, *privignis indulgent : patres dura plerumque verbera propriis pignoribus adhibent. Illi nimirum odientem* (forte legendum : *Odientes*) *paſcunt : iſti verò diligentes erudiunt, & affligunt. Unde ſcriptum eſt* : Qui parcit virgæ, odit filium ſuum : qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Statuamus ergo, patrem in correptione prolis remiſſum gerere ſe cum filiis propriis velut cum extraneis : ipſe quidem ſuos appellat genitos ; ſed ac ſi tales non forent, cum eis agit.

Janſen. com. in Prover. 13. 24 *Remiſſus pater in correctione filiorum gerit ſe cum eis quaſi cum extraneis.*

S. Petr. Damian l. 6. ep. 18. longe poſt princ.

31.

Duo gnati ſacerdotis Heli viâ tendebant non recta : nam & malè ſe habentes cum immolantibus occaſionem præſti-

terunt, ut homines retraherent ſeipſos à ſacrificio ; necnon luxuriâ deturpati ſunt. Audivit nequitiam eorum parens : & aliquatenus corripiens eos, appellavit filios. Notandum eſt, ibi nomen filii nos haud legere quaſi donatum ab ipſo textu, cum refert prædictam correptionem ; ſed
1. Reg. 2. 23. 24. à genitore datum. Textus ait : *Et dixit eis : Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo ? Nolite filii mei : non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini.* Notaſti quàm diverſimodè loquantur hoc loco Textus & Heli ? Pater ait : *Nolite filii mei* : Textus verò non inquit : Et dixit filiis ſuis ; potiùs ibi ſcribitur : *Et dixit eis* : &c. Nihil reſpectu Dei fortuitò contingit, nedum in Scriptura ſacra, cujus etiam apices myſterio gravidi ſunt. Attende quid ex iſta diverſitate loquendi nunc eruere vellem. Illis verbis, *Dixit eis* loquitur Spiritus ſanctus ; cum verò dictum eſt ad protervos : *Nolite filii mei*, loquebatur hæc eorum parens. Is equidem vocavit illos filios ; non autem ibi ſic Spiritus author Scripturarum : quoniam genitor ipſos quaſi non prolem ſuam curavit ; eoquòd, cum oportuerit ſeverè corrigere, blandâ reprehenſione locutus fuerit ad eoſdem.
Maph Veg. l. 2. de educ. liber. c. 19. ante fin. Mapheus Vegius in : *Heli propter filios periit. Illos quippe cum acriùs exercere debuiſſet, verbis tantum lenibus monet*, &c. Mehercle parentes quidam ſunt ita Vecordes in liberorum inſtitutione, quòd poſſimus dicere, non fuiſſe genitoribus iſtis natos filios proprios ; ſed filios alienigenarum. Judica, lector, ſitne mens iſta D. Hieronymo dicenti : *Heli ſacerdos ipſe ſanctus fuit, ſed quia filios ſuos non erudivit in omni diſciplina & correptione, ſupinus cecidit & mortuus eſt .... De*
Iſai. 2. juxta lect. Sept. *iſtiuſmodi patribus, & Iſaïas lacrymabili voce cauſatur, dicens* : Et filii alienigenarum nati ſunt eis.

32. *Pater non obſtans initiis facti peccaminoſi filii, non dicatur hoc omiſiſſe quia diligebat.* *Odit.* Cum probatio dilectionis exhibitio ſit operis ; verè dicemus, genitorem, qui non exequitur hoc amoris paterni munus, quod attinet ad filiorum peccantium increpationem, odio proſequi novercali quos genuit. Omittam loqui de quibuſdam gignentibus potiùs, quàm veraciter patribus : quorum quidam exemplis damnabilibus ducunt eos ad præcipitia ; quidam verò, ſi juvenis ad vindictam ſævam injuriæ proceſſit, aut induſtrius eſt ut alios utiliter decipiat, vel quid ſimiliter vituperabile peregit, laudant illum de ſtrenuitate, vel induſtria : econtra, ſi adoleſcens non ulciſcitur ſe, vel arte fallendi caret, improperant ei tamquam vecordi : ſimiles corvis, qui pullos abnegant, quia nigros non cernunt. Plus hi tollunt à genitis, quàm per generationem contulerunt. Non illi donavere filiis animam, utpote quæ creatur à ſolo Deo ; cum verò laudibus extollunt vituperanda, interficiunt animas eorum. Opportunè
S. Petr. Damian. l. 6. ep. 18. S. Petrus Damianus : *Ad interfectionem*, ait, *quippe filii paterna manus ponitur, cum in eum, quem nequiter agentem conſpicit, non modò non invehitur, ſed ejus inſuper plectendis actibus delectatur : & plauſibilibus non veretur verbis extollere, quem duris debuerat verberibus coërcere.* Cur non hoſtis propriæ ſobolis nominetur parens, qui non ſolum ſpiritualem filii meliorationem remiſſus negligit curare ; ſed ejus animæ necem nolens vult, ejus vitia palpans ? Fabularunt antiqui Saturnum gnatos ore dilaniantem : ſic iſti crudeles quidem extant ; non dentibus diſcerpentes quos in lucem dederunt ; ſed blanditiâ linguæ perpetuum afferentes interitum. His in veritate Saturnis dimiſſis, tranſeamus ad alios. Quidam ſunt, poſt iniquum geniti factum dicentes : Filii mei ſcelus jam executioni datum eſt conſummatæ : quidquid ego faciam, crimen infectum non reddam : connivebo ; ſed in futurum proſpiciam. Non excuſo ſic ſe gerentes : at, ſi quis velit affirmare, dilectionem filiorum ſuadere ipſis ut ita deliberent, non reſiſtam. Alii tamen ſunt, quos non patiar haberi dilectores improbi filii : ſcilicet qui ſcientes ab eo parari geſtum culpabile, nequaquam principiis obſtant. Parentem, qui cum valeat iniquitati ſobolis propriæ ſapienter obvius ire, negligit initia præſcindere mali, ne dicas hoc omiſiſſe quia filium diligebat.

Pius erat rex David ; ſed circa filios infelix extitit : nam iſtorum impia facta multum attulere dolorem. Omitto nunc Abſalom ; de Amnone, Adoniaque nonnihil adnotabo. Violavit Amnon Thamar filiam Davidis. Notum habuit hoc Rex : mœrorem concepit ; ſed noluit inceſtuoſum contriſtare. Cauſam in ipſo Textu reperies amorem fuiſſe, quo dilexit eumdem. *Cum autem audiſſet rex David verba hæc,* 2. Reg. 13. 21. *contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Ammon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Poſtea, priuſquam jubente Davide proclamaretur Salomon rex, Adonias ejus frater ambivit regnum, parente ſuperſtite. Narrat hiſtoria, dicens : *Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens* : 3. Reg 1. 5. *Ego regnabo. Fecitque ſibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum.* Non potuit hoc penitus ignorare David : nec enim valebat perfidus illa cuncta perficere ſub ſecreto. Sanctius : *Non ignorabat* Sanct in 3. Reg 1. 6. n. 12. *David quid eo tempore fecerat Adonias (quis enim ignoraret quod ſine ſtrepitu, atque tumultu fieri non poterat ?) neque quo ſpectarent Adoniæ conſilia* &c. Nequaquam tamen correptionem adhibuit. Nota modum loquendi ſacræ Scripturæ : non enim legitur, Davidem de hoc illum omiſiſſe corripere, quia proſequebatur amore ; ſed habetur ſic : *Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens : Quare hoc feciſti ? Erat autem & ipſe pulcher valde*, &c. Non te, lector, fugit ſtyli diſparitas. Cum agitur de Davidis omiſſione circa corripiendum Amnonem, notatur id omiſiſſe *quoniam diligebat eum*, non ita vero reperitur dictum, cum fit mentio de nequaquam correpto Adonia. Quare hoc ? Quia cum reſcivit pater libidinem filii, jam inceſtus commiſſus erat. Eſto dicatur, ex amore non correxiſſe delinquentem, cujus crimen haud poterat non factum reddere. 3. Reg ſup. n. 6.

Atverò

Atverò circa rebellionem Adoniæ David inſcius non extitit, cum ſcelus adhuc foret in exordiis. Tunc non obſiſtere per correptionem venturo malo, minimè dilectionis lenitas affirmetur : nam ratione peculiari parens, qui non obviam it anticipatè futuro ſceleri nati ſui, illum *odit*.

34. *Præceptor dehoneſtatur ſi non increpet diſcipulos : quia illorum pater eſt ; ita ut per magiſterium naſcatur homo nobilius.*

Filium ſuum. Deo gnatis ad litteram Salomonica ſententia verificatur. Sed hoc loco Beda proloquium iſtud ad magiſtrum extendere videtur : an loquatur in ſenſu litterali, non exprimit. Occaſione cujus denuo monebo lectorem, tam in hoc tomo, quam in duplici præcedenti me referre quaſdam expoſitiones proverbiorum Salomonis, quas rejicio tamquam non de rigore litteræ : ipſas illarum authores fortè non afferunt in ſenſu litterali ; ſed mentem ſuam circa hoc ipſum non explicuerunt. Non eſt animus illis imponere quòd ad litteram ſic locuti ſint ; ſed me de hoc dubitare fateor : quod etiam dictum habe de ſimilibus in hoc opere ſubſequentibus, dato quòd occurrant. Regredior ad Bedam in præſenti. Ait ille : *Nam & pater bonus filium, & diſcipulum magiſter catholicus, ne ad iniquitatem deflectat, ſollicitus erudit.* Homo ferè ſortitur alteram nativitatem ab ore magiſtri : proindeque ad præceptorem attinet, præſertim ſpiritualem, cohibere diſcipulos ; ita ut, ſi negligat corrigere, magiſterium ejus dehoneſtetur. Memini, quoſdam Phariſæos, cum in triumpho Jeroſolymitano turbæ conclamarent. *Benedictus, qui venit rex in nomine Domini*, &c. Salvatori dixiſſe : *Magiſter increpa diſcipulos tuos.* Exponit Cardinalis Hugo : *Id eſt, turbas laudantes, vel Apoſtolos turbas ad laudandum inſtituentes.* Novimus animum ſic loquentium : qualis eſſet nempe contra Dei Filium. Idem Hugo : Et quidam Phariſæorum de turbis, *id eſt qui erant inter turbas ; non ut Dominum laudarent, ſed potiùs ut depravarent.* Quæro. Si depravare cupiunt, quare non inquiunt ad Redemptorem : Tune ſic audes acceptare nomen regium proclamatione turbarum ? an ſic non calumniarentur ei ? Putarunt, ſatis eum dehoneſtare dictis verbis innuentes, illum, cum foret magiſter, negligere diſcipulos increpare. Præceptor inhoneſtatur non objurgans alumnos. Ratio ſuperaddatur parabolæ noſtræ congrua : quia ſcilicet patri magiſter ſimilis eſt. Petrarcha : *Profecto diſcipulus, ſi bonus fiat, filium tibi cor genuerit, lingua pepererit* : &c. Imo nativitas hæc alumni per docentis inſtructionem, cum ad intellectivam facultatem pertineat, nobilior eſt, quàm ortus alter, quo lucem videmus. Monarchæ filius erat Alexander : ac tamen *cum interrogaretur* (ait quidam) *utrum magis deſideraret patrem Philippum, an Ariſtotelem præceptorem ? Magiſtrum, inquit. Ille enim ut eſſem, hic autem ut præclarè inſtitutus eſſem author fuit.* Admirare generoſa verba Principis verè Magni. Illuſtriùs naſci virum puto, magiſtro patrem agente, quàm oritur per illud natale, de quo vitæ dies numerat. Verè diſcipulus filiationem vendicat àpræceptore, multumque decoroſam.

Bed. in Proverb. 13.24.

Luc.19.38. Ib.n.39.

Hug. Card. ib.

Petrar. de remed proſp. fort. dial.81.

Anton. in Meliſſ. p. 2. ſer. 11.

Cupiens divinus Magiſter ſuos auditores à ſuperbiæ tumore liberos, aiebat illis : 35.
Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Matth. 23. 8.
Euthymius legit : *Vos autem ne vocemini Rabbi. Unus eſt enim magiſter veſter Chriſtus : Omnes autem vos fratres eſtis.* Ubi Commentator idem inquit : *Principatus autem amorem, utpote multorum cauſam malorum, in medium adducit, ac diligentius caſtigat. Ne vocemini, id eſt ne vocari cupiatis.* Congruentiùs locuturum fore Dominum reputabit nonnemo, ſi vocaret audientes potius condiſcipulos, quam fratres : nam vox Hebraica *Rabbi* valet idem quòd *Magiſter* Latinè. Euthymius idem : *Amant & vocari ab hominibus magiſtri, quod Hebraicè dicitur Rabbi.* Quamobrem, cum præceptoris correlativum ſit diſcipulus, clarior & magis apta videretur ſententia, ſi Chriſtus Dominus diceret : Ne cupiatis magiſtri vocari : nam unus ego præceptor veſter ſum ; vos autem condiſcipuli doctrinæ meæ. Ut quid miſcuit hoc loco vocabulum, *Fratres* ? Certe, ſi condiſcipulos appellaſſet, inſinuaret, ut, cum ſortiti fuerint magiſtrum præclariſſimum (cujus diſcipulatus honor eſt eximius) non ambirent ab hominibus honorari titulo magiſterii : ſicut affirmans, illos in cœlis habere patrem, indicavit non debere patrem vocare ſupra terras, dicens : *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram : unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* S. Thomas ibi : *Quia enim eſtis filii patris ſuperni : ideo non debetis habere patrem in terris.* Hæc omnia cogunt hæſitare, cur uſus Dominus fuerit nomine fratrum, dicens : *Unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis ?* Exiſtimabam, cum Redemptor ita locutus fuerit ubi diſcipuli ejus aderant, qui exercituri fuerant officium docendi ; voluiſſe pariter eos afficere honore multo, ſimul & inſtruere, ut munus illud peragerent amanter affectu paterno. Fratres ipſos nominavit inter ſe, dum ſeipſum dixit eorum præceptorem ; ut indicaret, alumnum diſciplinæ filium eſſe docentis ; proindeque condiſcentes fraternitatem contrahere. Deſiderabat, ut ſic inſtructi ſollicitudinem paternalem impenderent iis, quibus erudiendis incumberent : nam, ut ſupra dicebam, genitoris locum occupat magiſter. Honorem necnon contulit audientibus Chriſtus Dominus ; cum ratione magiſterii ſui ſe forſan tacitus indicaverit patrem illorum ; non propter creationem. Hæc enim via non tam nobilis eſt (cum etiam bruta creaverit & lapides) quippe creatio dat eſſe tantùm ; per ſalutaria vero documenta celſiùs elevatur homo. Unde videtur inferri quanta ſit nobilitas illius nativitatis, quàm diſcipuli recipiunt à ſalubri magiſtro. Pater hic eſt, & nobilis : quomodo patietur omittere correptionem filii, ne per nævos erratorum nomen iſtud honorabile dedecoret ?

Euthym. ib. c. 55.

Idem ib. ad n 7.

Matth.23.9.

S. Thom. com. in Matth. ib.

Qui autem diligit illum. Non dixit hoc loco Sapiens : Qui autem diligit illum valde ; 36. *Bonus pater*

filii peccata reputat velut ſua.

valde : nam ſuperfluum eſſet hoc ; cum parens cautè dirigens gnatum ſatis indicet amare genitum quaſi partem ſui. Novit bonus pater, quòd ſi perperam agat genitoris officium, exindeque naſcatur nequitia prolis ; iniquitas à filio commiſſa tribuetur parenti : nam ſolitum eſt à malè moratis oriri filios non bonos ; ita ſimiles ipſis, ac ſi mentem unicam, & corpus unum haberent gnatus & genitor. S. Ambroſius ſciſcitatur, expendens maledictionem, qua Patriarcha Noë læſus injuriâ per filium Cham directam ad nepotem, punivit eum : *Qua ratione, cum filius ejus Cham peccaverit, non ipſum, ſed filium ejus ſervituti addixit ?* Poſt primam ſolutionem addit ſecundam in hæc verba : *Deinde quia doctrinæ paternæ diſcipulus eſſet filius, & peſſimarum æmulus cogitationum, uno corpore uterque uteretur & mente, eâdemque malitiâ.* Expendunt optimi parentes, rarò contingere filium inveniri perditum, qui ſit à probo genitus patre. Propterea metuentes animæ propriæ, vigilant circa regimen natorum : credentes utique, ſe futuros eſſe nequam, ſemel quòd geniti fuerint malis moribus imbuti. Quinimo ſic amant ſobolem, ut hujus culpas reputent à ſe commiſſas : filiorum peccata velut æſtimant ſua.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Noë c. 32. in princ.

37. Imitator Paræmiaſtæ Siracides conſulatur : & niſi mens illuditur noſtra, proximè dictis favebit. De filiis educandis rectâ diſciplinâ Scriptor agens hæc pronuntiat : *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua*, &c. Complutenſis habet : *Abſtergens filium.* Janſenius commentatur ita : *Intelligunt quidam hoc verbum tranſlatum hic ad caſtigationes & increpationes, per quas ſcilicet ſordes & vitia filiorum abraduntur*, &c. & infra : *Senſus ergo erit : Qui filium ſuum radit & caſtigat, colligabit & curabit vulnera ſua vel illius. Nam utrumque tunc verti & intelligi poterit.* Adde verſionem Tigurinam ſic exprimere prædicta : *Qui manſuefacit filium, vulnera ipſius alligat* &c. Ex his hærebam in Vulgata : nam ibi videtur legi relativè ad parentem : *Colligabit vulnera ſua*, per quæ planâ interpretatione poſſumus intelligere peccata filiorum. Ad quid pronomen illud, *Sua*, de ſe vendicans æquivocam ſignificationem ponitur in littera vulgata ? quo fit ut ignoremus ferè an Eccleſiaſticus agat ibi de peccatis filiorum, vel parentum, cum loquitur de bono caſtigationis effectu, qua laudabilis pater afficit genitum. Ne ſollicitus de hoc nimiùm ſis : quoniam parens curam habens vigilanter de recta inſtitutione prolis ita veretur illius ruinam ſpiritualem, quaſi crimina geniti forent propria patris : ita *diligit illum.*

Eccli. 30 7. Lect. Complut. ib. Cornel. Janſen. in com. ibid.

Verſ. Tigur. ibid.

38. *Inſtanter erudit.* In origine legitur : *Et qui amat illum, manicat.* Ut intelligas hoc matutinum, cape doctrinam Cornelii Alapide. *Tertio*, mane, *id eſt à pueritia, à prima ætate : hæc enim eſt velut aurora totius vitæ.* Mollis cera recipit optimè imaginem ſigilli : recentes fœtus urſa reddit perfectos ex informibus : viridem plantam hortulanus contorquet, ut non intorta creſcat. Sic providus pater filios teneros flectit, ac informat ; & imaginem illis imprimit antequam per ætatem obdurentur atque reſiſtant. S. Iſidorus Peluſiota : *Pueris etiamnum teneris de Dei excellentia ac providentia, poſtea de virtute præcepta ſunt inſerenda, ut grandiores jam facti, in viroſque jam formati, cum Dei Optimi Maximi amantes, tum præditi evadant virtute.* Spinoſæ plantæ ſæpe fortiores agunt radices ; & cum adoleverint eradicantur difficilius, quàm aliæ generoſæ. Virtutes equidem quaſi plantæ ſunt nobiles valde ; ſicut econtra vitia dumis aſſimilantur. Facilius erit, ut inſitæ virtutes in pueritia, poſt evellantur in ætate virili cum filius non degit in laribus paternis, ac ſub patriâ poteſtate ; ſed appetitui proprio traditus eſt : quàm quòd mali mores annis recentibus incipientes radicari, tranſactis longis temporibus amputentur correctionis falce. Propterea pater vigil continet flagello gnatum adhuc numerantem pueriles annos, ne prava germina creſcant ſic, ut reddantur dumeta valida ; quæ runcare ſit nimis arduum. Qui ſe gerunt aliter, exhibent ſeipſos, quaſi putarent adulterinos quos ex propria conjuge progenuerunt. Hoc ultimum pronuntiatum conabor de ſacro firmare Textu.

S. Iſid Peluſ. l. 5. ep. 506.

Lect. Heb. hîc. Alap. ib. *Pater non inſtituens filiũ à tenera ætate, habet ſe cum illo quaſi cum filio ſuæ uxoris adulterino.*

Sibimetipſi cohærenter loquens noſter Salomon alibi dixit : *Virga atque correptio tribuit ſapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.* Notandum eſt quid accipiendum hoc loco per ſapientiam. Cornelius Alapide ſic exponit : Sapientiam *hîc practicam ſive ethicam intellige, putâ morum compoſitionem, honeſtatem, virtutem.* Unde Salomon intendit ſecundâ parte parabolæ denuntiare confuſionem, quæ de nequitia filii veniet, ſi dum puer eſt relinquatur arbitrio ſuo. Nequaquam prætereundum, Sapientem præcitatis verbis non exprimere pudorem utriuſque parentis. Et quis dubitat, non ſolam genitricem pudefieri, ſed etiam patrem, cùm genitus eoquòd non fuerit educatus in pueritia rectè, ſceleſtus evadit ? Certè Septuaginta verterunt : *Puer autem errans confundit parentes ſuos.* Cum tamen in originaria littera habeatur : *Et puer dimiſſus, pudore afficit matrem ſuam :* in Vulgataque legamus : *Puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam*, conabar indagare cur ibi fiat matris expreſſa mentio ; non autem genitoris. Ad id, quod proximè diximus, confirmandum, occurrit non in opportuna ratio. Maximopere confunditur mater, ſi vir ejus credat, vel ſaltem ſuſpicetur, filium aliquem educatum ſub titulo ſuæ filiationis adulterinum eſſe : nam vel tenuiſſima ſuſpicio mariti de propriæ conjugis adulterio valde confundit caſtam fœminam. Si pater dimittit puerum voluntati ſuæ, ſic agit cum illo, quaſi non genuiſſet eum ; ſed tori fide violatâ ſuſcepiſſet uxor ex alio viro. Non poteſt non inde mater affici verecundiâ plurimâ. Perpendant iſta genitores, qui ne dolorem afferant conſortibus imprudentiâ ſuadente reſiſtentibus verberationi filiorum, iſtos

39. Prov. 29. 15.

Cornelius Alap. ib.

Lect. Sept. Hebra.

derelinquunt

derelinquntelectioni propriæ. Morem gerere cupiunt ipſarum dilectioni fatuæ, cum potiùs opertuerit occaſionem pudoris matribus auferre. Properandum igitur eſt patri circa rectam gnatorum directionem, dum blanda, proptereaque facilè flexibilia ſunt ejus rationalia germina. Rem claudat Petrus Bleſenſis, inquiens contra quemdam parentem, qui non probè ſe geſſerat in ſubjecta materia : *Cum filium ſuum in pueritia ſanctis & honeſtis moribus informare debuerit, ingenium illius excitavit in alea, variaque lenociniorum turpitudine depravavit. Tunc equidem erudiendus erat, & ad omnem formam ſuſcipiendam idoneus tamquam.*

Petrus Bleſ. ſ. 74. poſt princ.

Perſ. ſat. 3.

Udum & molle lutum nunc nunc properandus, & acri

Horat. l. 1. ep. 2.

Fingendus ſine fine rota : nam

Fingit equum tenera docilem cervice magiſter,

Ire viam qua monſtrat eques.

Qui ſi in ætate venæ durioris evaſerit, ad molliem ambulatorii greſſus non poterit erudiri.

FLOS XVIII.

Juſtus comedit, & replet animam ſuam : venter autem impiorum inſaturabilis.

APERITUR.

1. Rodolh. in Proverb. 13. 25.

PRIMAM dogmatis hujus interpretationem referam ex Rodolpho : ſcilicet *juſtos ferè, qui moderatè vivunt, perpetua ventriculi ſanitate, animæ, hoc eſt naturali deſiderio ſatisfacere in cibo : improbos autem, qui ventri nimium indulgent ſubinde langueſcente & deficiente ſtomacho etiam delicias faſtidire.* Diſplicet expoſitio hæc inprimis quoad priorem partem, quia juſti ſolent comedere citra metam deſiderii naturalis : non enim ipſorum anima ſervit corpori ; ſed iſtud agnoſcit hoſtem. S. Bernardus : *Circumferre corpus*, inquit, *neceſſe eſt, quoniam alligatum eſt mihi : perimere non licet, ſuſtentare cogor : & cum illud inpinguo, hoſtem meum adverſum me nutrio. Si enim ſatis comedero, & id robuſtum fuerit, ſanitas & fortitudo ejus mihi adverſantur.* Deinde quoad ſecundam partem etiam non placet expoſitio prædicta : non enim video quam proportionem habeat illud commentarium cum Vulgata, ſi loquimur juxtà rigorem litteræ : necnon in Hebræo nihil invenio cogens ad hunc ſenſum. Non coincidunt hæc duo : nempe ventrem impiorum inſatiabilem eſſe, cum hoc quod eſt faſtidire delicias deficiente ſtomacho.

S. Bernard. in medit. c. 14.

2. Cajetan. ad hunc loc.

Secunda interpretatio eſt Cajetani : qui putat, hîc indicari, juſtum virtute mediante conſequi ſatis opum atque bonorum, ex quibus valeat ſatiari ; impium verò nonnunquam ad eam paupertatem devenire, qua deſit ei neceſſarium alimentum. Non improbat hoc Janſenius : rejicitur attamen, quia videtur altiùs tendere Salomonem. Recole quid Magnus Baſilius de libro Proverbiorum dixerit. *Tres*, ait, *in univerſum tractatus ſapientiſſimi Salomonis novimus Proverbiorum horum, Eccleſiaſtæ, & Cantici Canticorum, ſingulos ad proprium ſcopum deſtinatos : omnes tamen ad hominum utilitatem conſcripti ſunt. Etenim Proverbium eruditio eſt morum, & correctio affectuum, & in ſumma, doctrina vitæ, frequentes admonitiones complectens eorum, quæ ſunt facienda.*

Janſen. hîc.

S. Baſil. Mag. hom. 12. inter ver.

Tertia ſequitur acceptio, quam approbat ultimo loco Salazar ; nempe : Juſtus partis bonis fruitur : avarus ne comedit quidem ; ſed ventrem fame necat inſatiabili. Contra hunc exponendi modum poteſt argui primò ex dictis proximè. Secundò quia, ut ſtaret hic ſenſus juxta Vulgatam, oportebat ſumere vocem, *Inſatiabilis*, pro, *Inſatiatus*. Et quamvis nomen, *Incredibilis*, apud Apoſtolum ſumatur pro, *Incredulus*, hoc poſtulat ibi contextus ; hoc autem loco non eſt quod nos ad ſimilem expoſitionem ducat.

Salaz in Prov. verb. 13. 25.

3. Cornel. Janſen. in Proverb. 13. 25. & Salaz. ib.

Præferendam judico loci hujus intelligentiam, cui favet Epiſcopus Gandavenſis, & quàm primùm affert idem Salazar. Secundùm quam ſententia Salomonis valet q. d. Juſtus partis bonis (generaliter ſumptis, & non pro ſolo cibo) deſiderium ſuum, quod partum eſt, explet. Non ſic impius, cujus cupiditati nil ſufficit. Abundè proviſum fuit homini cuique ; cum in ejus arbitrio poſitum ſit eſſe divitem : nimirum, gubernando rectâ ratione vitam, degendoque parcitate ſervatâ, per ipſam æquanimitatem, qua libens complectitur eam, fiet opulentus quicumque volet. Bellè Poëta :

Lucret.

Quod ſi quis vera vitam ratione gubernet ;
Divitiæ grandes homini ſunt vivere parce,
Æquo animo, neque enim eſt uſquam penuria parvi.

Econtrariò cupiditas inſatiabilis eſt, & integras familiarum copias abſumit. Tullius : *Cupiditates*, ait, *ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt*, &c.

Cic. l. 1. de fin.

4.

Subjicio lentiorem expenſionem hujus parabolæ. *Juſtus.* Ut ſuperbiæ de ſanctitate præcludatur aditus, habendum præ oculis eſt, multa requiri, quò nomen, *Juſtus*, abſolutè prolatum congruat alicui. Pluribus omiſſis, de quibus diverſis in locis meminimus ; ad hoc ut quis juſtus dici promereatur, oportet expellere deſideria quædam, & alia minuere. Proficuum erit legere S. Aëlredum, qui ſic loquitur : *Si enim prius à cordibus noſtris non fuerit expulſa cupiditas, quæ onus Babylonis, & radix omnium ſcitur eſſe malorum : nec cætera onera declinare, vel vincere, nec ad virtutum progredi ſummam ulla ratione poterimus* ; &c.

S. Aëlred. in cap. 13. Iſaï. ſer. de 11. onoribus.

5.

Comedit. Licet, ut prædixi, Sapiens hîc non de ſolo cibo loquatur, fatendum eſt, ad animæ bonum temperantiam valde conducere. S. Ambroſius : *Cibus parcimoniæ*, inquit, *potus abſtinentiæ docet vitia neſcire*, &c. Videri poſſunt dicta fl. 2. à n. 9. & fl. 16. n. 40.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de virg. longe ante fin.

Et replet. Expletur parvo neceſſitas : unde multi voluntariè neſciunt ſatietatem conſequi. S. Gregorius Magnus. *Diſcamus*, ait ;

D. Greg.

Mag. to. hom. 19. sup. Ezech. long. ante fin.

ait, *satiari, ne in sumendis alimentis corporis, gulæ magis, quàm necessitati serviamus. Plus enim concupiscentia, quàm necessitas petit.* Vide supra fl. 56. n. 60.

6. *Animam suam.* Etiamsi litteram perpendens, cogitationem applices ad cibum, quo vir pius utitur, ne dubius hæreas quomodo possit aptari comestio cibi corporei congruenter ad repletionem animæ; quæ spiritualis est, & alio nutrimento pascitur nobiliori. Non te scrupulus iste pungat: nam spiritus noster non dedignatur in domo suâ functiones ignobiles agere. Rationalis est; sed nihilominus de corporis nutritione curat: imo vocatur anima, quia membra vegetat. S. Isidorus Hispalensis: *Anima*, inquit, *dum contemplatur, spiritus est: dum consentit, sensum dum sapit animus est: dum intelligit mens est: dum discernit, ratio est: dum recordatur, memoria est: dum membra vegetat, anima est*: &c. Unde non exiguam proportionem cum verbo *Comedit*, vendicat nomen, *Animam*.

S. Isidor. Hisp. l. 2. de diff. spirit. n. 25. fin.

7. *Venter autem.* Incertum est an Paræmiastes hanc sumat vocem, *Venter*, prout grammatialiter sonat. Dubitandi ratio est, quia mens Ecclesiastæ fuit notare cupiditatem impiorum; quam solemus attribuere cordi. Nollem præcipitare sententiam. Hoc unum scio, quòd non est inauditum in Scriptura sacra venire cor sub appellatione ventris. D. Gregorius Nyssenus: *Jeremiam*, ait, *scimus cor suum mirificè à tristibus illis cogitationibus afflictum, ventrem appellasse; cum ait*: Venter mihi dolet, & sensus cordis mei turbantur.

D. Gregor. Nyssen. or. 14. in Cant.

8. *Impiorum.* Cum superius in expositione, quam prætuli, monuerim, hanc gnomen haud coarctandam ad solam repletionem dediti gulæ; patet, in hac secunda parte reprehendi sic avaritiam: quæ tot mala secum defert, ut quamvis hoc nomen, *Impiorum* videatur multam significare nequitiam, avaris tamen optimè congruere possit, dato quòd in ea significatione sumendum sit: quod judicet alter. Audi quid S. Leo Papa de illo censuerit, qui maculatur avaritiâ. *Anima*, inquit, *lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.* Homines ad plura mala trahi per avaritiam, etiam noverunt poëtæ, nec difficilè, cum isti paupertate premi passim contingat; & inopes alacriter percipiant eam doctrinam, quæ divites ferit. Satyricum recordare canentem:

S. Leo Pap. serm. 9. de passio. Dom. c. 4.

Iuven. sat. 14.

Inde ferè scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido,
Indomiti census: nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri: sed quæ reverentia legum,
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

9. *Insatiabilis.* Hebraïcè legitur: *Et venter impiorum egebit.* Sugillatur sic aviditas malorum circa temporalia bona, quam vocare solemus famem nescientem saturari. Morbus est: non saturatur sumptis; inhiat sumendis: imitatur ignem, qui nequaquam lignis extinguitur, si materiam superat; sed per illam fovetur & excrescit. Incertus sub nomine Sixti Papæ: *Cupiditas enim*, ait, *ignibus similis est, cujus fomentum mundanarum rerum videtur esse substantia. Adde ignibus pabulum, in immensum flamma nascetur. Adde avaritiæ quod suum non est, in majus incendium cupiditatis excrescet.* Misera quidem avarorum conditio est, quorum gemitus neque suamet illusio consolatur. Caduca bona maxima reputant ut concupiscant; non vero magna computant, ut satientur. Quapropter se credunt egentes, etiam postquam nimis abundant. Fruere Boëtio.

Lect. Heb. hic.

Incert. sub nom. Sixt. Pap. l. de divit. post princ.

Sed quæsita vorans sæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem sæva cupidinem
Certo fine retentent,
Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi?
Nunquam dives agit qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

Boët. l. 2. de consol. metr. 2.

FRUCTUS HUCHARISTICUS.

DELIBATIO I.

Expenditur Dei clementia in altari circa pœnitentem justificatum.

10. *Christus Dominus attendit benignissimus dolori de peccatis eorum, qui accessuri sùt ad sacram Eucharistiã.*

PRo diversitate viventium, diversa providit Conditor alimenta: non eodem nutritur planta, quo cibatur avis. Cum peculiarem vitam consequatur homo per gratiam qua justificatur, congruebat, ut ipsi proprius à Deo pararetur cibus, quô reficerentur justi. Minime parcâ manu donavit istud edulium Omnipotentia; sed largitate maximâ, dilectione suadente, quòd in altaris mensa Dominus omnium semetipsum proponeret ferculum, per quod amicis ea donaretur animæ satietas, quam patitur vita mortalis. Huic dapi regiæ, saturationique sanctæ sic sunt accommoda verba præsentis paræmiæ, ut nisi calamum ad Eucharistiæ sacro-sanctæ meditationem nunc aptaremus, id socordiæ verteret pius lector. Præeat Cardinalis Hugo commentatus parabolam istam Sapientis in hunc modum. *Exponitur*, ait, *etiam de mensa Eucharistiæ: ubi panis de cœlo comeditur habens in se omne delectamentum & omnis saporis suavitatem. Sapient. 16. A. Et hoc pane repletur anima, non corpus.* Sed en audio peccatorem ingemiscentem, se tanto dono privari, quo spiritualem animæ suæ famem expleat. Erigat animos ille, qui licet gravissimè deliquerit, jam per sacramentum Pœnitentiæ restitutus est sanitati: nam & ipse vocatur ad sacrum convivium. Agerus: *Ut ergo de criminaliter peccantibus sua decreta serventur, quia etiam in Ægypto datus est agnus Israëlitis, sed inde statim exituris: dandus est item Agnus Dei peccatoribus, ut à vastante Angelo protegantur, sed deinceps peccatis renunciaturis.* Ne timidus igitur pœnitens refugiat comitem se præbere justis ad sacras epulas accedentibus indutis ornatissima veste, floribus intextis virtutum solidè picturatâ: necnon & ipsius candidum jam est indumentum; & lacrymæ,

Hug. Card. in Proverb. 13. 25.

Alger. l. 1. de Sacramen. alta.

quibus

quibus rursum Deo per dolorem de peccatis unitus est affectuosè, verè sunt uniones, quibus ejus nivea tunica respergitur. Piissimus Parens amplexus paternos non denegat reconciliatis, & per submissionis viam tendentibus ad sumendum Angelorum panem. Paschasius : *Nec dubium*, ait, *quin divinitus reconciliati, quantocyus per hanc humilitatis viam, usque ad pios paternos amplexus reascendentes in hoc cœlesti convivio, pro nobis non solum hædus indulgentiarum Christus immolabitur ; verùm sua benignitate agnus seu vitulus, Verbi Divinitate saginatus pro gaudio nostræ salutis, mysticè mactabitur.* Etiamsi Christus Dominus ut author est Sacramenti majestate resplendeat, non dedignatur dolentem de scelere commisso : aliæ dicantur eidem oblationes, quas non tanti ducit ; pœnitentiam verò de crimine benignissimus attendit eorum, quos Eucharistiâ sanctissimâ pasturus est.

Paschas. l. de Cor. p. & sang. Dom. c. 22.

II. Quamvis (ut cecinit Aquinas dulciter) cœlicus panis dederit figuris terminum ; adhuc licebit in ejus umbra quadam lucem quærere veritati proximè dictæ. Vicissitudo temporum, stare nescius, effecit, ut illi qui vendiderant Josephum, accederent ut pretio triticum acciperent, quod ad ejus nutum vendebatur populis : & ipsi, quorum livor passus non fuerat eum adorari per somnia, fratrem ignotum adoraverunt supplices : iique Joseph intuiti sunt ignoranter præpositum totius Ægypti, quibus olim displicuerat eum in dilectione paternâ præponi sibi. Joseph severitatem amori superinduens erga coram se positos germanos, jussit post illorum carcereationem, ut ex eis unus maneret in custodia ; cæteri verò pergerent ad minimum fratrem adducendum. Pœnitentiâ ducti fuerunt, quòd adversus Joseph peccaverint. *Et locuti sunt ad invicem : Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus : idcirco venit super nos ista tribulatio.* S. Augustinus : *Quid*, inquit, *est quod cum inter se pœnitentes filii Israël loquerentur de fratre suo Joseph, quod cum illo malè egerint, & hoc eis divino judicio redderetur quòd se periclitari videbant :* &c ? Post pauca legimus in Genesi fleviisse Josephum. *Avertique se parumper, & flevit* : &c. Hugo Cardinalis : Et flevit, *compatiens eis.* Reversi venerunt secundò filii Jacob in Ægyptum ; ad Gubernatoris domum sunt introducti. Post obtulerunt ei dona : proclives adorarunt : & quamvis ille resalutaverit eosdem clementer ; non tamen legimus, dixisse quòd acceptaret libens munera, vel gratias ageret pro illis. An superbus factus est Joseph per potestatem, ut oblationem despiceret hominum, cum quibus agebat ut extraneus ? Minimè. Quid est igitur quòd verba priori loco citata commoverint illum ad tantam benignitatem in adventu primo ? munera verò non à Josepho consecuta fuerint, ut gratitudinem labiis depromeret in secundo ? Litteræ velum detrahe : Christum Dominum ut Eucharistiæ sacræ largitorem figuratum videbis in Josepho : qui fratres in domo propriâ pavit eâ die, qua munera suppliciter obtulerunt ei. Paschasius : *Christus est*, inquit, *panis, qui de cœlo descendit, & vinum, quo lætificat corda credentium. De quo nimirum Joseph meridie, qua hora Christus passus est, mysticè cum fratribus suis legitur inebriatus. Unde & nos, si adhuc aquam tantum non sapimus, intus inebriamur & gaudemus de bonis Domini super frumento, vino & oleo*, &c. Mysticam intelligentiam itaque tenens crede, nonnulla munera te posse conspectui Redemptoris, à quo per sacram Eucharistiam pasceris, dicare, quæ non adeo benignitatem Domini consequentur, sicut pœnitudinis dolor de patrato delicto. Non igitur dolorosus pœnitens hæreat in illis Paræmiastæ verbis : *Justus comedit* : quia non soli vocantur innocentes, ut epulentur ex altari spiritus eorum candidi : necnon invitantur simul animæ pœnitentes absolutione sacramentali dealbatæ.

Paschas. sup. l. 10. juxta med.

Genes. 42. 21.

S. Aug. to. 4. l. 1. quæst 9. in 140. in Gen.

Genes. 42. 24. Hug. Card. ib.

12. *Deus in Sacramento altaris volare videtur ut quærat pœnitentem.*

Parciùs dixi, crimina dolentes invitari, quò cibo fruantur sanis apto. Non solummodo sunt invitati ; sed ab ipso Rege regum amanter quæsiti. Novum non est quòd peccatorem divinus Pastor ut ovem perditam requirat ; quasi Deus opum suarum jacturam passus fuerit per unius oviculæ discessionem à grege : ferventiùs aliquoties Deus ostendit se moveri dilectione, quàm pastoritium munus agens, qui discurrit ad inveniendam ovem errantem. Affectus equidem alæ sunt. Remigius : Et in umbra alarum tuarum sperabo, *id est sub protectione duorum testamentorum, vel in gemina charitate*, &c. Dei prout amantis velocitas in benefaciendo suis nulli nota non est : quis enim potentem detinebit amantem ? Posset enimvero tenere celeritatem Amantissimi suamet æquitas : quæ propter hominum crimina moram suaderet in donis ; & sic evenit sæpe, cum spes nostra differtur. At in Eucharistia divina citra læsionem justitiæ prævolat amor : non sibi satis veniendo facit ad eos, qui de peccatis anxiantur ; per volatum præpetem accedit ad illos Dominus in Sacramento reconditus. Dices non decere majestatem volatus. Facilè reponam. Sicut indecens foret in humanis regem passibus propriis currere ; si tamen oportet vehitur concitato valde curru : sic Redemptor in Eucharistico mysterio non dedignabitur pennas assumere quodammodo non suas, ut ad pœnitentiâ conflictatos deferatur.

Remig. in Psal. 56. 2.

13. Conferamus Angelos duos ad invicem. Unus ex illis, qui visi sunt ab Isaïa, volavit calculum ex altari sumptum deferens ad os Prophetæ. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum*, &c. Tres illos in cultu solius veri Dei constantes jussit Nabuchodonosor in fornacem ignis mitti. Advenit spiritus Angelicus, ut eisdem per excussionem flammæ subveniret. Nota, non dixisse Vatem, Angelum istum volasse ; quin haud ibidem refert sumpsisse pennas ; sed ait : *Angelus autem Domini descendit cum Azaria,*

Isaï. 6. 6. 7.

Danie. 3. 49.

Aſaria, & ſociis ejus, in fornacem : & excuſſit flammam ignis de fornace, &c. Sanè regis crudelitas Dei cultores in flammas tradi jubens & urgens, requirere videbatur ut pararetur cælitus remedium celerrimum. Cur ad ſignificandam divinæ protectionis in ſubveniendo magnam pernicitatem, non aſſumpſit alas Angelus hic ? alter verò, de quo loquitur Evangelicus propheta volavit ad ipſum ? Attende munia diverſiſſima, quæ peracturus erat unus & alius. Ad fornacem veniebat Angelus exufflaturus ignem atrocem : ad Iſaïam acceſſit adumbratam deferens in pruna ſacram Euchariſtiam : cui ſenſui Textus aliqualiter favet ; cum legamus, calculum ſumptum fuiſſe de altari. Audi Theodoretum. *Sunt*, inquit, *ſupremi omnium Angelorum Seraphim, neque manu tamen divinum corpus attingunt, rem ſanctiorem quærunt, forcipe accipiunt.* Adnotandum etiam eſt, Prophetam, tempore, quo celebrem illam viſionem aſpexit, in eo quòd locutus eſt, geſſiſſe perſonam quorumdam, qui poſt longa tempora doluerunt pœnitentes de crimine. Rupertus hoc aperiet ponderans Iſaiæ verba : *Et dixi : Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum*, &c. Ad hæc Abbas inquit : *Hoc illud eſt quod in Actibus Apoſtolorum legimus* : His auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos : Quid faciemus, viri fratres ? *Væ ergo, inquit, mihi, quia tacui. Nec vero tantum quia tacui, ſed quod pejus eſt, vir pollutis labiis ego ſum, quod in perſona eorum rectè dici, facta ipſa conſentiunt.* Ut ergo nobis inſinuaretur quàm alacriter ad pœnitentes Deus in Euchariſtiæ ſacramento contectus amaret accedere ; quamvis ipſe non volaverit, ne videretur imminuere majeſtatem, quàm præ ſe fert in excelſo valde myſterio, Seraphicis uſus fuit Salvator figuratus alis, ut citiùs deferretur ad Iſaïam, perſonam in dolentium de ſcelere gerentis ibidem. Neceſſarium non erat, quòd ſimilis indicaretur feſtinatio, cum per Angelum Dominus opitulatus eſt innocẽtibus damnatis ad ignẽ. Gaudeat peccator ſic diligi ; ut quæratur adeo feſtinanter à parcente Domino.

Theodoret. ad cum Iſaï. locum.

Iſaï. 6. 5. Rupert. in Iſaï. l. 2. c. 29.

14. *Redemptor in Euchariſtia voluit benefacere nobis de propè.*

Procul à curioſitate damnabiliter ſcrutante res divinas, inquiret nunc pia ſtudioſitas illarum, dicens : At ſi tantus amor lapſus contegere noſtros, ut quaſi nunquam ruerimus in crimina, Dei Filius in ſacratiſſimo ferculo, quærens omnino ruptis moris miſeros, ita noſtram accelerat opulentiam ; quare non decrevit, ut ſufficeret ad proventus Euchariſticos aſſequendos in Hoſtia conſecrata figere lumina ; ſed voluit ut manducarent homines terreni panem cœli ? amabatne Deus plus Hebræos ictos morſibus ignitorum ſerpentium, quibus per aſpectum ſerpentis ænei contulit ſalutem ? cur Euchariſtiæ viſio non ita proficiet homini circa meliorem ſanitatem ? Admirare necnon in hocipſo dilectionem, qua Salvator conſtitutus in altari nos proſequitur. Si ſtatuiſſet Redemptor, quòd ſuppoſita decenti præparazione ſufficeret Euchariſtiam ſacram videre, pro recipiendis effectibus ejuſdem, non omnes ad illam accederent cominus, ut conſequerentur eos ; multis eminus beneficeret largitas divina per hujus myſterii viſum. Gaudet Verbum Patris in Sacramento deliteſcens nobis de propè beneficum exhibere ſe. Tempiſtivè S. Laurentius Juſtinianus : *Præbuit namque ſe*, ait, *ut te elevaret ad ſe, te nutriret de ſe. Nec aliunde cordis tui famem, æſtuantemque charitatis ardorem refrigerare quæreres, quàm ex ipſo qui verus eſt agnus, immaculata victima, manna incorruptibile, meraciſſimum poculum, paniſque Angelorum & dominus. Exhibuit, inquam, ſe, ut tuæ ſit peregrinationis comes, ignorantiæ tuæ lux, infirmitatis tuæ remedium : tecum habitet, de te lætetur, ſuis tecum deliciis perfruatur*, &c. Noluit ! igitur divinus amor ut fructus Euchariſticos tantùm de longinquo poſiti perciperemus ; voluit hominibus ibi propinquus accedere ; non à longe ſolum beneficus.

S. Laur. Juſt. ſer. de Euchar. longe poſt med.

Rurſus Iſaïam prophetam audiamus, cum Dominum vidit in ſuperexcelſo throno ſedentem. *Et dixi : Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum*, Quodnam fuerit peccatum, quo ſe pollutum doluit, controvertitur. S. Hieronymus ait : *Vel certè ita intelligendum : Quia tacui & non audacter Oſiam impium regem corripui : ideo labia mea immunda ſunt* &c. Cum horrore mirabar, piaculum non inter maxima numerandum, igne per Seraphim fuiſſe mundatum : *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quid erat illa Vatis iniquitas collata cum ſceleribus Iſraël ? de quibus Dominus per eumdem Prophetam ait : *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua* : &c. Qualia fuerint ejuſmodi peccata collige de commentario S. Hieronymi nomine Dei ſic loquentis : *Cum hæc ſe ita habeant, & idola hominum ſcias eſſe figmenta, ô Jacob & puer meus Iſraël : ne obliviſcaris Creatoris tui, tibique ipſi injuriam facias, ut incurveris operi manuum tuarum. Quæ quia in adventu pueri mei, quem elegi ; penitus deſtruenda ſunt : propterea tota mentis aviditate cognoſce, quod ſicut nubes & caligo, & nebula, vel ſolis calore diſſolvitur, vel vento raptante tenuatur : ita iniquitates tuas & univerſa peccata, quibus prius me offenderas, diſſolvi faciam.* Notavit Cornelius Alapide facilitatem delendi crimina Iſraëlis in ſimilitudinibus nubis, & nebulæ, dum ſic exponit : *Deleo peccata tua, tam facilè & liquidè, quam nubes & nebulæ vel à ſolis calore, vel à venti impulſu & impetu deſſolvuntur & diſſipantur*, &c. Vides quàm nullo negotio delere flagitia mortalium Dominus evaleat, etſi graviſſima ? Cur ergo tollendo peccato Prophetæ, quod non erat ex maximis, adhibitus fuit labiis ejus ignitus carbo ? Proſequamur ſupra datum ex Theodoreto myſticum ſenſum. Sacram Euchariſtiam deſignavit ille calculus ; qui tetigit Iſaïam, ut mundaret illum : vult enim Deus abſconditus in Sacramento benefacere nobis de prope ; non autem ſolùm de longe, ſicut ſol diſſipans nubes, vel nebulam, diſtans à nobis longiſſimè.

15. Iſaï. 6. 5.

S. Hieron. to. 5. l. 3. in Iſaï. c. 6. 16.

Iſaï. 6. 7.

Ib. c. 44. 22.

S. Hieron. to. 5. l. 12. in Iſaï. c. 44. ad n. 21.

Alap. ib.

Propiùs

16. *Per ſacram Euchariſtiã ſic vivit homo, quaſi nũquam præceſſerit mors peccati?*

Propiùs pœnitenti juſtificato Dei Filius velamine ſpecierum ſacramentalium peramanter occultus accedit, quàm dum res erat in umbra contigit Iſaiæ dolenti de pollutione labiorum. Figura tetigit os Prophetæ; nunc veritas ingreditur pectora noſtra. Quantâ dignatione Dominus factus viatorum cibus conjungit ima ſummis? Immenſus inviſceratur ſervuli præcordiis: cuique Empyrei ſpatia ſunt anguſta ſimul & auguſta domus, non renuit claudi viliſſimo vaſculo corporis humani. Quare putas hæc molitus eſt amor Dei? Duplicem finem hîc proponam. Primus extitit, ut homini donaretur per Euchariſtiam ſacram novum genus & feliciſſimum ſpiritualis vitæ. S. Cyrillus Alexandrinus: *Quoniam*, ait, *igitur Salvatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, conjuncta, vivifica effecta eſt: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi conjuncti, quæ vita effecta eſt.* Verum habet quòd ante communionem ſacram peccator acceperat vitam per gratiam ſanctificantem; ſed adhuc hominem denuo vivificat ſpiritualiter Chriſti Domini ſumpta caro. Congruebat, ut plus conferret liberalitas Dei, quàm peccatum abſtulerat animæ. Scelus eripit vitam gratiæ ſanctificantis, qua ſolâ fruebatur homo ſecundùm vivendi rationem ſpiritualem: nam quod non poſſidetur adhuc propriè non aufertur. Divina vero munifica manus non ſolùm vivum reddit eumdem per gratiam, qua peccatum expellitur; ſed noviter aliam donat vitam; hoc eſt ſemetipſum, per quem vivat jucundiùs. Jucundior, inquam, eſt vita Sacramentalis: quia ſic iſta delet in anima veſtigia mortis, quaſi non præceſſerit peccaminoſus interitus. Potentiſſimè vivificatur homo per Euchariſtiam: nam, licet vulgò fateamur, ad præteritum non dari potentiam, ſic ille vivit per ejuſmodi myſterium, quaſi peccato priùs emortuus non fuiſſet.

S. Cyrill. Alex. l. 4. in Joann. c. 14.

17. In extremis dolebat poſitam filiam Jairus archiſynagogus. Procidit ad Chriſti Domini pedes, & multum deprecatus eſt eum, ut veniret, ac per manus impoſitionem ſalva fieret. Abiit cum eo Dei Filius; & in via notum factum eſt parenti, gnatam obiiſſe. Fiduciam injecit ei Salvator, & fidem hortatus eſt. Acceſſere domum: lamentantibuſque defunctam Redemptor dixit: *Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit.* Si forſan Dominus per hunc modum loquendi tacitus voluit inſinuare fidelibus poſtea meditaturis, quòd valebat rurſus ad vitam vocare puellam; nonne Salvator æquè ſuſcitavit Lazarum? quare non dixit ad Martham & Mariam, fratrem non eſſe vita functum, ſed capere ſomnum? Neutiquam obliviſcor, diſcipulis dixiſſe Magiſtrum: *Lazarus amicus noſter dormit:* &c. nuſquam tamen dixiſſe lego: Lazarus non eſt mortuus: per illam ſomni ſapientem allegoriam denuntiavit alumnis ejus mortem; quamvis ipſum non intellexerint. Adverte quod notavit Joannes: *Dixerat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret.* Quæ diſparitas, ut aſſeveret Salvator, puellam non eſſe mortuam; minimè vero loquatur ita de Lazaro? Senſum ſpiritualem indagemus. Tam ſuſcitatio puellæ, quàm Lazari, reſurrectionem animarum adumbravit è morte peccati. *Nam juxta*, inquit Beda, *moralem intellectum, tres illi mortui, quos Salvator in corporibus ſuſcitavit, tria genera reſurrectionis animarum ſignificant.* Inſuper notandum, Redemptorem vivificaſſe filiam Jairi per tactum ſanctiſſimæ ſuæ carnis; quod non legimus in revocatione Lazari ad vitam. *Et tenens manum puellæ, ait illi, Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge*, &c. S. Cyrillus Alexandrinus immediatè poſt verba ſupra n. 16. adducta, & conſequenter animum intendens ad ſacram Euchariſtiam: addit: *Hac de cauſa in exſuſcitandis mortuis non ſolummodo verbo atque imperio, ut Deus utebatur: verumetiam carnem ſuam quaſi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsâ oſtenderet, carnem quoque ſuam, quoniam ſibi conjuncta eſt, vivificam eſſe, atque fideles doceret ſuum, non alterius corpus eſſe. Nam quando ſynagogæ principis filiolam ſuſcitabat, manum ejus apprehendit, ut ſcribitur, & erexit, dicens: Puella, ſurge: ita ut Deus & verbo & carnis ſuæ tactu eam excitavit, unam ab uno ſe Chriſto, Deo videlicet atque homine operationem producens.* Hæc vita, quia per Domini vivificantem carnem donat[illegible] puellæ, ſic peculiariter extitit jucunda, quaſi non præceſſerit mors. Verè potuit aſſerere Dominus: *Puella non eſt mortua*, &c. Et accedit quòd in archiſynagogi domo ſe perhibuit aliqualiter Aſſertor noſter donatorem Euchariſtiæ ſacræ: nam ſuſcitatâ puellâ *dixit dari illi manducare.* Beda ibi: *Sed & ſi quis à ſpiritali morte ſurrexerit, cœleſti neceſſe eſt mox pane ſatietur, & divini ſcilicet verbi & ſacro-ſancti altaris particeps effectus.* Mundi Redemptor ut author ſacramenti pœnitentiæ vitam præſtat hominibus haud ſine lethi ſpiritualis memoriâ: vitam autem præbens in altari delet ita veſtigia prædictæ mortis, ut pene videri poſſit, communicantem nunquam priùs mortuum fuiſſe per culpam. Idcirco voluit, ſuam vivificatricem carnem nobis mirificè conjungi.

Bed. l. 2. in Marc. c. 5.

Mar. 5. 41.

S. Cyrill. Alex. ſup.

Marc. 5. 43. Bed. ib. in com.

Marc. 3. 39.

Joann. 11. 11.

Ib. n. 13.

18. *Qualiter Deus confidat pœnitenti poſt communionem.*

Finis alter duxit clementiſſimum Principem gloriæ, quò Sacramentalem unionem concederet pœnitenti ſuſcitato, cùm jam appoſitus conſortio juſtorum accipit corpus Domini. Pacis initum fuerat inter Deum & hominem fœdus amicum, dum fuerunt ei remiſſa debita criminum. Hæc fœdera confirmantur per divinas epulas: & adeo quòd jam Deus ei confidit, qui fuerat antea ſuimet Creatoris inimicus. Et quomodo non confidenter Deus aget cum hoc ad amicitiam ſuam reconciliato, ſi per communionem participat cum Filio Dei nexum tam ſtrictum, ut non deſit qui vocet hunc unitatem inenarrabilem cum Chriſto? Hugo Archiepiſcopus: *Ex hac communione veri corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, & nos Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus nobis unitate fœderatur*

Hug Archie. Rothom. l. 1. cõtra hæret. ſui temporis. c. 14.

mur inenarrabili, &c. De amicitia, quæ viſitur inter homines, prudentia dictat, nunquam integrè confidendum ei, qui cum eſſet hoſtis admiſſus eſt in amicum: nam facilè redibit ad odia ſæpe. Propterea
Eccli. 12.10. dixit Eccleſiaſticus: *Non credas inimico tuo in æternum*: ubi Dionyſius Carthuſianus:
Dion. Carth. in com. ib. *Id eſt, nunquam credas ei cum certitudine & ſine formidine de oppoſito, quòd ſit verus & familiaris amicus tuus, qui fuit inimicus tuus; quia rarò contingit hoc. Unde & Seneca loquitur: Nunquam fidelem credas tibi, quem ex inimico amicum habueris.* Hæc prudentiæ regula ceſſat in Deo: quia non ſolùm ſine formidine judicat perſpiciens omnia; ſed valet humanam inconſtantiam (quæ ſolet una de radicibus eſſe reincidentiæ) conſolidare. Hoc præſtat hominibus Author gratiæ ſpecialiter per exhibitionem Euchariſtiæ ſacræ. Qui ſuſcipit diviniſſimum cibum prout par eſt, ſic in amicitia Dei roboratur, ut ei fidat ipſe Dominus: quamvis inimicus fuerit per culpam, jam credit illi ſe poſt menſam.

19. David profugus à Saule morabatur in urbe Siceleg, concedente rege Achis. Aberat ille, cum Amalecitæ percuſſerunt civitatem, & ſuccenderunt igne. Reverſus, ut perſequeretur eos, cum adductus fuiſſet ad illum vir Ægyptius interro-
1. Reg. 30.15. gavit hunc: *Potes me ducere ad cuneum iſtum?* Et illo ducente David perrexit in adver-
Ibid. n. 16. ſarios: *Qui cum duxiſſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ*, &c. Prudentiam Davidis nonnemo deſiderabit hoc loco, dicens: An fieri non potuit ut Ægyptus iſte foret perfidus explorator, cui commiſiſſent hoſtes, ut fingeret ſe relictum à domino ſuo, maneretque locis illis, ad quæ Davidem crederetur adventurum, adhoc ut ſi deligeretur in viæ ducem, ipſe perfidè mitteret Davidem & viros ejus in paratas inſidias? quis tutum reddidit Heroem quòd veritatem ſibi loqueretur Ægyptius; & adeo ſecurum, quòd ſuimetipſius atque ſuorum ducem conſtituerit illum? an adeo confidit ei,
Ibid. n. 11. quia cibum acceperat? *Et invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet*, &c. Modicum erat hoc donum, ſi hæreamus in littera, ne formidaretur ingratitudo ab homine adverſarii ſervo: ſed audiamus à D. Thoma quid ibi myſticè recondatur, & inde confirmabimus quæ
S. Thom. opuſc. 58. 24. dicta ſunt. *Vir*, inquit, *Ægyptius ſignificat peccatorem, quem prædicatores adducunt ad Chriſtum per converſionem: qui pane dominici corporis confortatus, fit dux exercitus Chriſti ad debellandos dæmones.* Chriſtus Dominus ibi figuratus in Davide, peccatori converſo, facto participi ſacræ communionis (cujus figuram geſſit Ægyptius hoc loco) valde confidit; & quamvis ab hoſtili diſceſſerit exercitu, jam reputatur amicus fidiſſimus. Non igitur paveat qui verè pœnituit: nam & illi communicanti verba congruunt Salomonis: *Juſtus comedit, & replet animam ſuam.*

DELIBATIO II.

Stabilitas in bono ſuadetur pœnitenti poſt ſacram communionem:

ETſi proximè dixerimus, humanam inconſtantiam per cibum Euchariſticum valide confortari: tamen hæc in virtute permanſio, quamvis donum Dei ſit, noſtram cooperationem requirit. Quamobrem nunc opportunum duco ſuadere pœnitentibus ad convivium dilectorum clementer admiſſis, ut poſt manducationem non transfugiant iterum ad caſtra diaboli, ne dicamus in illorum quemquam: *Eſt autem amicus ſocius menſæ, &* Eccli. 6. 10. *non permanebit* &c. Execrabilis eſt qui ſurgens à convivio Domini, quærit menſam diaboli. S. Ambroſius: *Qui calicem*, ait, S. Ambroſ. to. 3. com. Epiſt. 1. ad Cor. c. 10. *dæmoniorum bibit, calici Domini inſultat: & cum menſæ dæmoniorum communicat, menſæ Domini, id eſt altario, obſtrepit, & Domini corpus crucifigit. Idcirco enim Chriſtus crucifixus eſt, ut diſſolveret opera diaboli. Qui ergo facit opera Diaboli, Chriſto repugnat.* Abominatur homo ſodalem, qui mox ut reliquit prandium, fit alienus ab eo, qui familiariter pavit eumdem; quantumvis nihil hoſtile committat adversùs benefactorem. Quantò plùs deteſtabitur Deus illũ, quem poſtquam ſolutum à vinculis abundè cibavit epulo convivali, non ſolum experitur ſibi factum extraneum; ſed rurſus ad priſtinas inimicitias regreſſum? Monendus eſt igitur quicumque feliciter obtinuit in ſummi Principis menſa convivæ locum honorabilem, ut in accepta felicitate perſeveret immotus: ita perſiſtat, quaſi mobilis non eſſet.

20. *Communicans ita perſeveret conſtans in bono, quaſi mobilis nõ eſſet.*

21. Doctrinam iſtam, quam nuperrimè dedi, fortè judicabis cohærere monito cuidam à Spiritu divino venienti per Salomonem. *Quando ſederis ut comedas cum prin-* Proverb. 23. *cipe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante* 1. 2. *faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*, &c. Antequam à materiali menſa divertamus, jam non exigua difficultas proponitur: quid ſibi velit ut convivanti cum principe ſit ſtatuendum cultrum in gutture proprio. Itane regio favori vicinum eſt exitium, ut cum aſſidens ejus menſæ dapes applicat ori, dici valeat jugulare ſemetipſum? Intimum proverbii ſenſum perſcrutemur; & adhuc magis implicatus apparebit locus iſte. Noſti quæ myſticè ſit ea menſa, de qua Salomon, Auguſtino ducente, quem vide ſupra fl. 2. n. 58. Mirandum eſt, quòd ibi moneatur homo cultrum faucibus apponere, ubi ſuſcipit in ſe vitam; ſcilicet in convivio ſacro! non enim ad modicas punctiones (per quas forſan mortificationem corporis intelligeres) hortamur uti cultro; ſed ad jugulationem veteris hominis. Lege Cardinalem Hugonem: qui myſtico ſenſu Euchariſtiam ſacram agnoſcit hoc loco, dicens: Et ſtatue cultrum *pœnitudinis, quo juguletur vetus homo*: Hug Card. in com. Prov. 23. 2. In gutture tuo, *confitendo peccata*. Si tamen

men habes in poteſtate animam tuam : *id eſt ſi habes in anima tua poteſtatem vitandi peccata & confitendi : ut ſit hypallage ; aliter non eſt accedendum.* Bone Deus ! nonne vivorum eſt hæc menſa ? cur ergo monemur jugulare noſipſos ? Vide. Mortuus locum non mutat : ubi ponitur, ibi manet immotus. Homo conviva factus Domini vita functum imitetur, ſic permanens in bono conſtanter, quaſi foret immobilis. Non ſemel audiſti, ritè communicantem fieri cum Deo velut unum quid. Nonnihil de hoc dedi to. 1. fl. 3. n. 63. & hîc ſupra hoc ipſum tetigi præcedenti de lib. n. 18. Chriſtus Dominus in Euchariſtia realiter vivit ; & in ſacrificio Miſſæ repræſentatione moritur. Etiam communicans, ut probetur quaſi redditum eumdem cum Salvatore, vivat, & vitam ſimul agat veluti repræſentativè : vivat, inquam per gratiam ; & exhibeat ſe mortuum per ſtabilem conſtantiam. O felicem interitum, quo vita ſervatur ! Huc poſſumus abuti S. Bernardi verbis : *Bona mors*, ait, *quæ vitam non aufert : ſed transfert in melius. Bona qua non corpus cadit : ſed anima ſublevatur.*

S. Bernard. ſerm. 52. in Cant. ante med.

22. *Offenditur ne Deus amplius à communicante qui mox illi terga dat ; quàm à contemnente cõmunicare?*

Omne crimen hominum Deus execratur, & quia ſummè ſanctus eſt ; & quia læditur à creatura, quæ nihilo ſimilis eſt æquiparata Domino. Sed ratione peculiari ſe per illum exhibet offenſum, qui ſtatim poſt communionem ſacram terga dat ei perfidè. Quòd cibo cæleſti paſtus vel ſolo deſiderio revertatur ad noxiam ſæcularium voluptatum alimoniam, provocat nimis iram Dei. S. Cyrillus Alexandrinus advertens qua ſeveritate puniti fuerint Judæi pro deſiderio carnium Numer. 11. 33. cum non ſic affecerit ſupplicio nuper, dum ante manna receptum expreſſerunt affectum erga Ægyptias oldas, Exod. 16. 3. ait ſic : *Nam quoniam nuper ab Ægypto effugerint, panemque cæleſtem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, facilius poterant in cupiditates carnis incidere : propterea & venia digni viſi ſunt. Poſtea verò quàm Domino fruebantur, ut ſcribitur, tunc jure, quoniam corporalia ſpiritualibus præpoſuerunt, acerba dederunt ſupplicia, & ad ſupplicia inſignem calamitatis memoriam reliquerunt.* Quæres quidnam Deus minùs ægrè ferat ? an omitti communionem cum ejus contemptu ; vel communicantem ſtatim poſtquam ſacroſanctam accepit Euchariſtiam Domino terga dare ? Pro priori parte ſeſe nobis offert hæc ratio. Qui renuit manducare corpus Domini, reſiſtit ingratus liberalitati divinæ ſic, ut hujus executionem impediat pro ſemetipſo ; non enim donabitur ei bucella ſacra violenter : & inſignis beneficii non mediocris eſt offenſa quòd largitatis ejus effectus impediantur ; cùm etiam vix retardari patiatur. Nihilominus adhuc non deerit qui putet ; aliquando ſtandum pro contraria parte. Duci poterit ſequenti fundamento. Qui non vult ad menſam accedere divinam, exequitur in ſemetipſo partem ſupplicii proprii non modicam : nam qui valeret à Domino pro ſceleribus ab Euchariſtico prohiberi convivio, ſe privat hoc munere, nolenſque punit. Hæc ratio ceſſat in eo, qui ſumpſit ab altari dapem cœlicam, & mox inurbanus abiit & ingratus. Unde fortaſſis dices, minùs aliquoties Deum offendi per illum, qui recuſat communicare ; quàm ſi poſt communionem deſerat Filium Dei. Salvator aliquando non adeo læditur per hoc quòd non accedas ; quàm ſi poſt acceſſum, feſtinus abeas.

S Cyrill. Alexand. l. 3. in Ioann. c. 34. med.

Controvertitur apud interpretes, utrum Judas cum cæteris Apoſtolis Chriſti Domini corpus acceperit in ea cœna, qua fuit inſtitutum fidei myſterium. Non una doctorum hîc mens. Juxta diverſorum placita variè me locutum pluribus in locis, reminiſcor. Procedamus nunc ſententiam tenentes affirmantem : cui videtur S. Auguſtinus favere, cum ait : *Talis erat iſte Judas, & tamen cum ſanctis diſcipulis intrabat & exibat, ad ipſam dominicam cœnam pariter acceſſit, converſari cum eis potuit, eos inquinare non potuit.* Tali Judas erat animo circa Magiſtrum, quòd ſit cuique pronum dubitare, cur non renuerit in cibum accipere corpus Domini. Ille quidem ſic Præceptorem contemnebat, quòd ſe Judæis offerens ut eum traderet, non aliquod magnum pretium venditionis poſtulaverit : imo nihil determinatum petiit ; ſed in arbitrio poſuit iniquorum quid vellent ipſi donare ; quaſi rem vilem eis venderet. Notavit hoc S. Hieronymus, inquiens : *Quaſi vile tradens mancipium : in poteſtate ementium poſuit quantum vellent dare.* Habemus Judam contemptorem Domini. Si qualiter hunc odiſſet ille judicare deſideras, cum Euthymio meditare, proditorem agentem cum Judæis de proditione Salvatoris, vocem Jeſu nequaquam labiis protuliſſe ; quia nomen ejus habebat odio. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam ?* Euthymius ibi : *Non dixit autem Jeſum Chriſtum, ſed* eum : *jam enim & nomen ejus oderat.* Vires accipit ex prædictis dubium ſuperius præmiſſum. Ut quid communicat corpus Domini, quem odit, atque contemnit ? quare non diabolus ei ſuavit ut renueret accipere ? Quia dæmon ſuggerere voluit quòd ſic operaretur ut Magiſter ejus traditoris facto magis indoleret, quàm ſi reſpueret perfidus Euchariſtiæ ſacræ donum. Quodnam putas hoc factum ? Dicam. Poſt communionem ſtatim Domino terga dare prodeuntem ex malo fine. Diſceſſum iſtiuſmodi ſignificare videntur Joannis Evangeliſtæ verba : *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuo.* Non dubites quòd Judam indè pepulit ſpiritus malignus. Audi S. Cyrillum Alexandrinum. *Nam*, inquit, *etiam Judam, cum poſt panem diabolus omnino ſeparaverit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo ejus accenderit, ac inde illuminaverit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate.* Deliberavit communis adverſarius unam de duabus injuriam inferri per diſcipulum nequam Præceptori, quæ Domino plus doloris afferret. Non ei ſuaſit ut ingratè contemptor auderet, Magiſtro donante, dicere, nolle ſe corpus ejus manducare : quia minùs

23

S. Aug. to. 9. tract. 50. in Ioann.

S. Hieron. to. 9. l. 4. in Matth. c. 26.

Matth. 26. 15. Euthym. cõ. in Matth. c. 42.

Ioann. 13. 30.

S. Cyrill. Alex. l. 9 in Ioann. c. 19.

cruciaretur hac ingratitudine Dei Filius. Aliam ingeſſit ejus cordi: nempe, mâducatâ buccellâ ſacro-ſanctâ, ſine mora terga dare Salvatori; quò peccaret exequens proditionem. Exhorreant fieri Judæ ſimiles qui vix communicant, cùm jam divertunt ad peccaminoſa.

24. *Non congruit dare terga Domino, licet eas ad obſequium ejus.*

Replicabis, raros eſſe, quos propoſitum peccandi ſeparet à loco ſacro, non interjecto longo ſpatio temporis; dato quòd ipſi dignè manducaverint Euchariſtiæ ſacræ perutilem alimoniam. Vellem credere, nullum eſſe tam protervum. Sed cogimur non dubitare, plurimos concitato gradu prodire de menſa Domini properantes ad negotia, quibus involvitur peccati periculum, vel ad confabulationes delicto proximas. Nullus iſtorum illo nutrimento ſuaviſſimo perfectè *replet animam ſuam*: aliter non tam citò quæreret ipſe temporanea; ſed faſtidiret. Alii periculoſiùs multò laborant inconſtantiâ, quam diſſuadere curamus: quia non ad vanam collocationem; non ad exercitia, quibus inquiruntur lucra, vel ſimile quid, abſcedunt ocyùs ab altari, poſtquam epulô ſacro paſti ſunt: ſe conferunt ad opera de ſeipſis laudabilia: ſed tunc inopportuna; cum erat operæ pretium in agendis gratiis Altiſſimo, tantoque beneficio meditando lentè morari. O quantas animæ jacturas experimur ſub ſpecie virtutis! Comitem ſe frequenter adjungit operi bono tentatio; vel præcedens, vel ſequens illud. Dorotheus Abbas aiebat: *Qui opus aliquod fecerit ſecundùm Deum omnino ſupervenire tentationem ullam; quia neceſſario bonum omne præcedit aut ſequitur tentatio, neque bonum dici poſſe, aut ſecundùm Deum, niſi approbetur tentatione.* Verſutiâ ſæpe maligni teguntur inſidiæ velo pietatis. S. Laurentius Juſtinianus: *Nam*, inquit, *& diabolus conſuevit ſub velamine ſanctitatis multimodè inſidias tendere imprudentibus, eaſque tegere, ne agnoſcantur.* Valde ſtupidus tartareus hoſtis foret, ſi tentaret juſtum ſtatim poſt communionem ſacratiſſimam ut falsò juraret, vel gravem ſumeret ab offenſore vindictam: non tam aperto marte pugnat ut plurimùm eo tempore; ſed inſidioſè, quò meritum ſuffuretur hominis, proponit illi mox ut communicaverit executioni dandum factum quoddam pium; quo divertitur ab amplexu divini Sponſi ſpiritus ejus. Non ita congruit. Imo, licet occurrat obſequium Dei non modicum, nequaquam, ut iſtud peragatur, Salvatori terga præbenda ſunt ſtatim poſtquam ad menſam Euchariſticam poſitus eumdem ſuſcipis. Exemplo confirmabo dictum.

Doroth. Abb. doct. 19. ante med.

S. Laur. Iuſt. de diſcipl. & perfect. monaſ. converſ. c. 22. juxta med.

25. Optavit Petrus agnoſcere quis eſſet ille qui traditurus foret Magiſtrum; non tamen auſus eſt interrogare Dominum. Privilegio dilectionis præcipuæ confidenter id ſciſcitatus fuit Joannes. Accepit à Salvatore ſignum, quo dignoſceret perfidiâ turpem. Et quamvis alicui viſum ſit, nec Joannem hoc pacto cognoviſſe quiſnam eſſet proditor; ſemper oppoſitum placuit mihi, prout alibi latius proſequebar: nam licet Redemptoris illa verba: *Quod facis, fac citius*, dicta Judæ, quæ reſpiciebant ad proditionem, ipſe ſcribat Joannes, neminem agnoviſſe diſcumbentium ad quid Aſſertor noſter ea dixerit (*Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei.*) tamen vox, *Nemo*, ſicut non comprehendit Judam; ita neque diſcipulum dilectum. Dionyſius Carthuſianus ait: *Vel forte Joannes dicendo, Nemo diſcumbentium, excipit ſeipſum, ſicut & Judam, quia nunc dixit, quod Chriſtus ſibi oſtendit proditorem, per quod innuit, ſe verba ſequentia intellexiſſe.* Quo poſito mirum non erit, ſi quæras: Quomodo ſe continuit Joannes, ut cum Judas prodivit è cænaculo, non iret poſt eum, ad hoc ut violenter coërceret ipſum, ne perduceret ad exitum facinus horribile? Niti poteſt hæc interrogatio non leviter in eo, quòd, cum urbanitate ſe poſitâ noluere Samaritani recipere Chriſtum Dominum in urbem ſuam; Joannes atque Jacobus dixerunt: *Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Qui ſic paratus erat ulciſci contumeliam Domino per Samaritanos irrogatam, non abit poſt Judam, quem traditurum novit Magiſtrum, præſentiens jamiam adeſſe tempus, quo daret executioni perfidiam, ut proditorem contineret à conſummatione delicti, mediante quo tot injuriis afficiendus erat ſibi dilectiſſimus Dominus? Non hoc timiditati Joannis vertendum eſt; ſed pietati gratitudine plenæ circa beneficium ſuſceptum in menſa. Receperat nuper Euchariſtiam ſacroſanctam: gratus amor haud patiebatur ut à Filio Dei tam citò diſcederet; quamvis pergeret ad ipſi præſtandum obſequium non vulgare. Conſiſtendum eſt convivis Domini poſt acceptionem tanti muneris permanenter; ne vel titulo virtutis oblivio ſubrepat ingrata.

Ioann. 13. 27.

Ib. n. 28.

Dion. Carth. com. in c. 13. Ioann. art. 34.

Luc. 9. 54.

26. *Videtur, non eſſe cur timeat inferni vires juſtus ea die, quæ communicat*

Quantò plus fugienda viſitur inconſtans loci pariter & cordis mutatio, qua plurimi vix pane ſanctiſſimo pectori traditô, jam ſinunt ſe tentationis vento propelli? Nuſquam à tentatore tutus eſt homo. Quantumlibet inveniaris devotus, ibidem accedet impudens, livore perurgente. Proficuus eſt hîc S. Bernardus: *Ex vehementiſſimo ſiquidem* (loquitur de invidia diaboli Mellifluus Doctor) *proprii cruciatu livoris in tantum prorupit malitia inveterata furorem: his præſertim diebus ſanctis acrius ſeſe indicans veſtra devotione torqueri.* Sicutque nullus præ ſua ſanctitate dies immunis eſt ab infernalium hoſtium incurſione; ſic nullus eſt locus, ubi non inſidientur. S. Laurentius Juſtinianus: Et, inquit, *ut paucis univerſa comprehendam, nullus eſt locus, nulla actio, nullaque perſona, quæ ab ipſorum deceptionibus libera exiſtat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus, neque terroribus coërceri.* Hæc tamen, quamvis amplectenda ſint ad cautelæ vigiliam; ſic intelligenda ſunt, ut procax audacitas hoſtis ex magna parte naſcatur ab eo, quòd nos tepidos experiatur in amore Dei: nam aliter non audebit facie ad faciem congredi, quinimo nec à tergo: quia non

S. Bernard. ſerm. 7. in Pſal. Qui habitat ante med.

S. Laur. Iuſt. de cõtempt. mun. c. 18. poſt princ.

ille

ille plus conatur, quàm permiſſum fuerit à protectore noſtro Deo. Adi rurſus D. Bernardum. *Eodem*, ait, *ſanè tabeſcentis inſaniæ zelo, ſed licentia ampliori exeuntibus ſanctis adeſt : non niſi à latere tamen : neque enim vel occurrere jam à facie quaſi ut vim faciat : vel à tergo repere tamquam ut decipiat permittetur.* Hoc peculiariter verum habet cum Euchariſtico nutrimento confortatus extat homo pius adversùs aëreas poteſtates : nam diabolo terribilis fit. Ad illud Pſalmi 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam* &c. S. Thomas à Villa nova ſic habet : *Quamvis hæc menſa ad ſalutarem refectionem dominici corporis congruentius referri poſſit : ſicut ait Chryſoſtomus, ſicut leones flammas ſpirantes, ſic terribiles diabolo diſcedimus.* Sic juſtus fortificatur cœleſti pane, quòd videri queat, non eſſe cur eâ die, qua ſacris epulis animam confortantibus alitus eſt, inferni vires timeat : igneæ ſunt iſtæ ; ſed reſtinguitur ignibus ignis.

S. Bernard. prox. ſup.

S. Thom. à Villa-nova ſer. de S. Adeleſ. ante med.

27. Jamiam egreſſuris Hebræis ex Ægypto Dominus injunxit ceremoniam agni paſchalis, quam primò perfecerunt illâ nocte, qua necati ſunt Ægyptiorum primogeniti. *Edent carnes nocte illa aſſas igni*, &c. & infra : *Et tranſibo per Terram Ægypti nocte illa, percuſſamque omne primogenitum* &c. Ut quid eâdem nocte conjungitur utrumque : ſcilicet agni legalis comeſtio, cum primogenitorum interfectione ? Vel differatur eſus agni ; ſumet iſte ritus exordium poſtquam Judæi tranſierint Mare rubrum, liberique fuerint prorſus ab hoſtibus : vel primogenitorum cædes anticipetur ; & poſthac immolabitur agnus. Nonne contingere potuit, ut illâ nocte, qua percuſſi filii ſunt, patres de gnatorum morte dolentes inſurgerent in Judæos, & illorum internecione vindictam ſumerent ? Non erat cur id formidaretur. Myſterium adverte. Paſchalis agnus altiſſimi Sacramenti, prout vulgò novimus, extitit umbra. S. Gregorius Papa : *De quo adhuc agno ſubditur* : Et edent carnes nocte illa aſſas igni. *In nocte quippe agnum comedimus : quia in Sacramento modò dominicum corpus accipimus*, &c. Ægyptus infernum deſignat : quæ mens videtur eſſe Ruperto, dicenti : *Tranſivit per Ægyptum inferiorem, id eſt infernum, qui ſecundùm nomen Ægypti verè tam tenebroſus eſt, & locus horridus.* Cum igitur Iſraëlitæ communionem diviniſſimam figurativè ſumpſerint ipsâ nocte ; non erat quare tunc paverent Ægypti, hoc eſt inferni, ſævam hoſtilitatem : nam adversùs eam ſupercæleſtis eſca dat robur, fert auxilium.

Exodi 12. 8. 12.

S. Gregor. Mag. to. 2. hom. 22. in Evang. poſt med.

Rupert. l. 2. in Exod. c. 14.

28. Plura ſunt, quæ dæmonem avertunt à juſto, peramanter ex altari participante ſacra. Notandus inter alia pudor conceptus ex eo quòd ipſe nobiliſſimam ſortitus naturam, turpitudine culpæ deformis effectus fuerit in perpetuum ; Adamides verò (quos ille ſuperbus tamquam luteos deſpicit) pulchritudinem à Sole juſtitiæ, quem in ſplendidiſſimo recipiunt convivio ſuperinduant. Opprobrium adverſarii communis affert ſecum laudata virtus hominis. Super illud : *Numquid conſideraſti ſervum meum Job* &c ? Petrus Bleſenſis ait : *Dominus ſui militis virtutes enumerat, adjiciens ſuper omnem laudem ejus, atque in opprobrium & ignominiam tentatoris, malitiam ipſius eidem latenter inſinuat* : &c. Infamiam utique diabolo parit ejus malitia, præcipuè compoſita ſanctitati juſtorum : ſed tunc ſpecialiter inhonoratur, cum terrore percellitur ex eo, quòd videat ora fidelium ſanguine Salvatoris inſignita. *Terretur enim adverſarius*, ait S. Petrus Damianus, *cum Chriſtiani labia Chriſti videt cruore rubentia. Agnoſcit enim præſtò ſuæ perditionis indicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus eſt, & obrutus, non tolerat inſtrumentum.* Adverſus honorem Dei temerarius inſurrexerat cacodæmon : oportebat ut per ſacram Euchariſtiam non utcumque vinceretur ; ſed ita quod inhonoratus remaneret. Ante Dominum ſub ſpeciebus reconditum ſacramentalibus cadit ſic, ut afficiatur ignominiâ.

Ante ſacram Euchariſtiã dæmon ita cadit, ut afficiatur ignominiâ.

Petr. Bleſ. comp. in Job. c. 2. poſt princ.

S. Petr. Damian. l. 7. ep. 19. longe poſt princ.

Occulto Dei nutu permiſſum eſt ut Philiſtæi cæderent Iſraëlem, & arcam Domini caperent. Quamvis enim Altiſſimi præſentia modo ſingulari quodam haberetur in eâ ; ſic ipſe voluit clementiæ ſuæ lenitatem inſinuare ; per quam iiſdem, quos punit, aliquando compatitur ita, quaſi cum eis pateretur ſimul. Aſportatam intulerunt arcam hoſtes in templum Dagon, & ſtatuerunt illam juxta ſimulacrum. Memorare quid evenerit : *Cumque ſurrexiſſent diluculò Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini : & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum.* Reſtitutus in locum priſtinum Dagon, alterâ die jacens inventus eſt, abſciſſis manibus & capite. *Rurſumque manè die altera conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini : caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* Incongruum exiſtimaret aliquis abſcindi caput & manus idoli : nam cum per truncationem iſtam effigies mutata fuerit ſatis, jam non tam patenter atque pridie Dagon perhibebatur quaſi revereri Creatoris arcam. Ad lapſum primæ diei notavit Liranus : Ecce Dagon jacebat &c. *Quaſi faciens ei reverentiam.* Ex quo fine, quæſo præſcinduntur palmæ, necnon & caput idolo ? Dicam quod non inaniter conjector. Primam ſimulacri proſtrationem curaverunt occultare ſacerdotes, reſtituentes Dagon in locum de quo ceciderat, ne caſus fieret notus plebi. Propterea Deus manifeſtum addidit ſignum detruncationis, ut infamaretur idolum. Idem Commentator : Et tulerunt &c. *Scilicet ſacerdotes antequam populus perciperet : propter quod Dominus addidit ſecundum ſignum manifeſtum per detruncationem idoli.* Congruebat, ut imago nefanda non ſolum in conſpectu arcæ decideret in victoriæ teſtimonium ; ſed incurreret publicum dedecus. Ad myſtica nunc tranſi. Notum eſt, in arca ſervatum remanſiſſe manna ; quod apertè figuravit Euchariſtiam ſacro-ſanctam, ut eſt in comperto : ſed adhuc tibi dono S. Thomam à Villa-nova dicentem : *Erat quoque*

29.

1. Reg. 5. 3.

Ib. n. 4.

Liran. in 1. Reg. 5. 3.

Idem ib.

S. Thom. à

Villa nova ſer. 1. de Euchar.

quoque aliud non minus in eo mirandum, quod cum manna in diem alterum ſine putrefactione ſervari non poſſet, Domini tamen præcepto in arca teſtamenti illius tanti beneficii memoriale ſempiternum illæſum & integrum ſervabatur. Quid obſecro fratres huic mirabili Sacramento conſonum magis, & accommodatum afferri potuit hoc edulio ? Ad hæc, Dagon adumbravit

Rupert. l. 1. expoſ. in 1. Reg. 5. c. 14.

ſpiritus malos. Rupertus : *Cecidit*, ait, *coram arca iſta Dagon, cecidit, inquam, coram illa omnis maſſa dæmonum, quæ intelligitur per illud idolum, per hoc ipſum nomen Dagon.* Non omittam, inventum dorſum Dagonis indicare fugam. Incertus ſub nomine

Incert. ſub nom. S Eucher. in l. Reg. l. 1. ad c. 5. 4.

S. Eucherii : *Etiam & illud ad magnam pertinet ſignificationem in ipſa ruina Dagon dei ſui atque fractura, quod dorſum illius ſolum invenerunt, fractis omnibus ejus membris : dorſum quippe fugam ſignificat : quicumque enim fugiunt, perſequentibus dorſum dant :* &c. His poſitis, rem claudo. Diabolica multitudo per Euchariſtiam proſternitur victa : non qualitercumque, ſed cum infamia ; quia pudebundam fugam capit, & illius confractio, projectioque palam detegitur. Quomodo non adversùm exercitus barathri juſtus firmabitur fortitudine multâ, qui panem fortium *comedit, & replet animam ſuam ?*

DELIBATIO III.

Anima juſti per eſum corporis Domini repletur dulcedine.

30. *Dulcedinem Euchariſticam quiſque guſtat juxta menſuram voluntatis propriæ.*

NIhil Dei, mundique menſis commune. Fercula ſunt nimis diverſa : diſtant effectu, ſicut opponitur vita morti. Diſſident necnon in eo, quòd ſæculi convivæ per ſuavitates recipiunt amaritudinem ; non ita Domino convivantes : qui per amarorem pœnitentiæ veniunt ad Euchariſticam dulcedinem, qua *replet animam ſuam* unuſquiſque. Cuncti manducant eamdem eſcam ; non tamen omnes unicâ viâ ſuavitatem iſtam deguſtant. S. Thomas : *Dominus*, inquit, *dat ſuis fidelibus dulce ſemper corpus : ſed dulcedinem ſuam alio modo iſtis, alio iſtis, prout cuilibet expedire novit. Hinc eſt quod quidam dulcedinem iſtam ſapiunt per affectum & ardentiori delectantur devotione, & alii eamdem dulcedinem ſapiunt per pium intellectum* : &c. Iſta dulcoris diverſa qualitas provenit ab effuſa largitate Domini : qui ſingulorum accedentium arbitrio remittit ſæpe delectionem voluptatis, quam ex dape ſacratiſſima ſumpturi ſunt. Inurbanitati ruſticæ verteretur apud homines, dato quòd vocatus ad menſam regiam eligeret quibus in ea cibis mallet expleri propriam aviditatem, & quali quantitate comeſturus foret. Non ita contingit epulantibus in regali menſa potentiſſimi Regis regum : quamvis enim ſint illi ſervuli, ſupremus Princeps abſcondit majeſtatem, & agit cum eis tamquam ſponſus, qui ſponſæ voluntatem ſequi diligit. Accedit, quòd meritis communicantis cujuſque ſe conformem exhibet munifica manus Omnipotentis. Qui non-

S. Thom. opuſ. 58. c. 22. ante fin.

dum ab incipientium gradu proceſſit ultra, minus accipit ; qui jam provectus eſt, amplius inde reportat : ſed unus & alius *replet animam ſuam.* Ambo ſitientes veniunt ad aquas : hic defert urceum, alter urnam : quivis implet vas ; licet æqualitate ſumant inæquali, prout capit meritum cujuſque. Tempeſtivè S. Thomas à Villa-nova de fructu loquens Euchariſtico : *Quotus ergo quiſque fuerit qui accedit, ſive gigas merito, ſive pigmæus ſit, habet in eo gigas unde ſatietur, & pigmæus unde reficiatur. Occeanus eſt gratiarum immenſus : vas ſuum quiſque uſque ad ſummum repleat, ſive magnum, ſive parvum ſit*, &c. Cum in hominis poteſtate (ſuppoſitâ gratiâ ſupernâ) poſitum relinquatur gigantem eſſe vel pigmæum, urceum deferre, vel urnam, manet ſtabilitum, Dei providentiam ita ſe magnificam exhibere dignè communicantibus, ut ſuavitatis menſura percipiendæ ſit voluntas ipſa comedentis. Infinitè liberalis Deus eſt : nihilominus, ut non ſolum nobis tradi munus tantum experiamur, ſed etiam arbitrio noſtro committi qualiter dulcedinem ſimus ex eo conſecuturi ; mortalibus data fuit optio, quantane voluptate perfrui vellent Euchariſtiæ manducatione.

S. Tom. à Villa-nova ſerm. 1. de Euchar. med.

31. Quantumlibet ſol ſpatio diſtet ab hominibus longiſſimo, tamen interpoſitâ nube nobis oſtendit umbram, licet iſtam diſſipet, illaque tollatur. Eo tempore, quo per deſertum ducti ſunt Iſraëlis filii, longe diſtabat Sol Euchariſticus à mortalibus. Interjiciebantur nubes, hoc eſt, figuræ veritatum, quibus in lege gratiæ feliciores potimur, ablatis velamentis. Umbram Euchariſticam in figura quadam ejus expreſſam, identidem, fateor, meditati ſumus : nempe manna ; quo fuit adumbrata quondam Euchariſtia ; prout ex Antiſtite Valentino dicebamus proximè ſupra n. 29. Nunc verba Salomonis verſabimus, in libro Sapientiæ memorantis hoc donum ſuis progenitoribus conceſſum. Non oblitus eſt notare, panem illum cœleſtem uniuſcujuſque voluntati morem geſſiſſe. *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat : & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Venerabilis Beda : *Manna*, inquit, *cibus cœleſtis unicuique pro ſuo deſiderio ſapiebat*, &c. Itaque comedens man guſtum percipiebat ſuavem, aut ſuaviorem pro ſuo libito. Mirari digna fuit iſta conceſſio facta populo. Sed quare non ſimiliter, cum plebi concupiſcenti non exiiſſe de Ægypto, pridie quàm donaretur manna, Deus miſit abundè coturnices, datum eſt ut illarum caro comedenti ſaperet juxta deſiderium ſuum ? Recolui paulò prius, fuiſſe manna figuram Euchariſtiæ ſacræ ; de coturnicibus hoc apud nullum interpretum legi. Proprium eſt voluptatis Euchariſticæ vota noſtra vendicare pro menſura. Si parvo contentus merito ſiſtis in ſcalæ virtutum primis gradibus, minùs illa tibi ſapit : ſi conſcendiſti jam ad altiora, dulciùs comedes. Ne ſit homo ſibi parcus ; cum ei

Sapient. 16. 21.

Bed. l. 3. in Job. c. 12. ante med.

fuerit

Prima ſit, cui præbuit occaſionem Incerfuerit Omnipotens adeo magnificus: ad hanc menſam liberaliter & amicè vocatus aſcende ſuperius, & ſuaviſſimè delectaberis.

32. *Quàm Deo grata ſit delectatio ſpiritualis in ipſo.*

Meminerit juſtus, quod eò plus Deus complacet in illo, quò magis ipſe delectationem de ſacris epulis capit. Multa ſunt, quibus vir probus morem gerit Altiſſimo: nihilominus peculiariter obſequio ſe Deus fatebitur devinctum, cùm in eo delectatur homo. Utique multùm ei placet obedientia, qua rectus mandatis illius obtemperat: ſed quodammodò magis arridere videtur ſpiritualis voluptas, qua perfunditur gaudens in contemplatione Domini. Ratio manifeſta pateſcit. Obſecundare Dei præceptis eſt ipſius majeſtatem revereri: nam ad iſtam pertinet leges condere, obſervationemque illarum potenter exigere. At in Altiſſimo delectari juſtum, eſt in ejuſdem amoris amplexum ruere. Cumque Deus propriæ majeſtatis agnitionem poſtpoſuerit amori, gratiſſimam habet humanam delectationem illam, utpote quæ dilectioni ſuæ conſecratur. Quid non (ſi petierit ſicut oportet) obtinebit qui jucunditatem ſpiritualem guſtans oblectatur in Domino? S. Hieronymus: *Si admiſſis his jucunditatibus in Domino delecteris, dabit tibi theſauros ſapientiæ ſuæ, vel quicquid petieris per fidem.* Tam Conditori gratum eſt ut cor humanum recreetur in illo; quòd aliquoties juſtus magis confidit, exhibenda ſibi munera pro delectatione iſtâ meritoriâ, quàm pro ſervatâ lege Dei. Enimverò juſſis divinis obedientiam præſtare ſolerter, præmium ab æquitare ſummâ promeretur perſolvendum fideliter: ſed neſcio quid Remunerator juſtiſſimus reperit in cordis gaudio ſanctâ delectatione pleni, quòd majorem ſæpe fiduciam oblectatio gignit iſta, de ſuſcipiendis à divina manu donis.

S. Hieron. to. 8. com. in Pſal. 36. 4.

33. Propheta regius, tamquam ſapiens medicus, & ſatis expertus in ſemetipſo, pharmacum propinat in quodam Pſalmo valde ſalubre. Monet primùm fideles, ut ſi conſpiciant, malos agere proſpere, neutiquam inde provocentur ad eos imitandos; nec indignentur adverſus orbis Moderatorem, velut injuſtum: quia felicitas illa non diù permanebit; imo citò pertranſibit. Mox incitat, ut ab authore proſperitatis univerſæ Deo ſperent; & quò ſpes verè ſolida ſit, operentur bene. Tunc annuntiat, juſtum inhabitaturum fore terram ſecurè, & alendum fructibus ejus abundè. Poſtea ſubdit: *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.* Cardinalis Bellarminus exponit: Delectare in Domino, *id eſt, ama Deum ex corde, & ille ſit deliciæ tuæ; & tunc ſecurus eris, quia* dabit tibi petitiones cordis tui, *id eſt, quicquid cor tuum deſiderabit*: &c. Nota, non dixiſſe Davidem: Delectare in Domino; & poſtea pete quidquid optas; ſed *Delectare in Domino: & dabit tibi &c.* Adverte quàm diverſſimodè loquatur poſt pauca Vates. *Subditus*, inquit, *eſto Domino, & ora eum.* Euthymius ibi: Subditus eſto Domino. *Servans nimirum illius mandata & non ægrè ferens flagella ab eo miſſa, ſed gratias ei agens, quaſi erudienti te, ac caſtiganti.* Et ora eum. *Ut ſcilicet miſereatur tui, & protegat te.* Digniſſima quidem eſt notatione ſtyli mutatio. Admonetur is qui mandata ſervat, & flagella ſuſtinet æquanimiter, Deum rogare quòd miſereatur illius, & protegat ipſum? Non ita verò loquitur Pſaltes erga delectationem in Domino; ſed aſſeverat, ei donandum quicquid optaverit? Fortaſſis intellexit, hanc juſti delectationem ita Deo gratam, ut valeat ſpecialiſſimo fundamento ſecurum reddere juſtum. Idcirco non dixit: Delectare in Deo, & poſtula; ſed ait: *Delectare in Domino: & dabit tibi* &c. Altè recogita, non ibi dictum: Labora jugiter; inſomnes ducito noctes; peregrinare: dabit tibi Dominus quicquid concupiveris: hoc tantum lego: *Delectare* &c. Tam benevolum habemus remuneratorem; ut etiam pias noſtras delectationes largus remuneret.

Euthym. cō. in Pſal. ib.

Pſal 36. 4.

Card. Bellar. com. in Pſal. 16.

Pod. Pſal. 2. 7.

34. *Quantum rapiatur cor juſti Euchariſticâ delectatione.*

Cum Deus oblectationem ſpiritualem, qua juſtus in ipſo fruitur, computans in obſequiis, amantiſſimum ſe probet ſuorum; conjiciamus hinc, quòd in Sacramento altaris, ubi ſui divitias amoris effudit, exoptat, ut in eo fideles delectentur dulciſſimè. Jam non dicam, Dominum cupere, quòd iſta voluptas ita cor noſtrum poſſideat, ut locus non aperiatur ſuavitatibus terrenis: hoc enim eſt notiſſimum. Vide quid Paſchaſius addat. *Denique*, ait, *ubi ſpiritualis eſca, & potus ſumitur, & Spiritus ſanctus per eum in hominem operatur, ut ſi quid in nobis carnale adhuc eſt, transferatur in ſpiritum, & fiat homo ſpiritualis eſca*: &c. Sic experiuntur juſti communicantes; ſic & nos conemur, ut in pectoribus noſtris fiat juvante Dei gratiâ, ne paſtis diviniſſimo pabulo gaudia placeant mundana. De his modò nil ampliùs. Conferamus delectationem, quam ſanctitate pollens aſſequitur ex communione ſacrâ, cum aliis oblectamentis etiam ſpiritualibus quibuſdam & cenſebis, illam priorem jucunditatem ſic totum abſorbere cor mundum, quòd homo velut extra ſe raptus aditum non præbeat illis aliis exultationibus animæ, quas nuper dicebam. Huc aliqualiter poteſt revocari Paſchaſius, dicens: *Quia ſicut vinum lætificat cor hominum, ſobriè potatum; ità longe locupletius hoc vinum Sanguinis lætificat cor hominis interioris, & inebriat mentem amore ſpirituali.* Per hanc mentis alienationem prudentiſſimam fit, ut quodammodò raptum patiens juſtus per Diviniſſimum in Sacramento receptum, non attendat certas alias animæ voluptates, etſi laudabiles. Rapitur ab Euchariſtica ſuavitate cor juſtorum, ita ut nonnulla gaudendi motiva ſancta quaſi prætereat.

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Domin. c. 20. fin.

Idem ib. c. 26.

Aliquando penſitabam quare non Dei Filius inſtitutionem fidei Myſterii reſervaverit in aſcenſionis diem; ſed in qua nocte tradebatur illud tunc inſtituerit. Rationem, cur ingeniolum noſtrum hæc dubitatio pupugerit, duplicem offero.

35.

tum legiſſe, dicentem: Accepit panem, & gratias agens &c. *Hoc eſt benedicens: etiam paſſurus, ultimam nobis commemorationem, ſive memoriam dereliquit. Quemadmodum ſi quis peregre proficiſcens aliquod pignus ei quem diligit, derelinquat: ut quotieſcumque illud viderit, poſſit ejus beneficia & amicitias memorari: quod ille, ſi perfectè dilexit, ſine ingenti deſiderio non poteſt videre vel fletu.* Si pignus Euchariſtia fuit pro Salvatoris abſentiæ tempore; putares congruentius, ut diſceſſui longiori reſervaretur illius inſtitutio: nam diſceſſio per mortem brevi duravit. Secunda pro eâdem hæſitatione ratio deſumi poteſt à verbis Algeri, qui ſic habet: *Ideo hoc Salvator tradidit Sacramentum: ut per hoc ſemper commoneamur, quia pro nobis mortuus eſt.* Hinc aliquis inferet, etiam Apoſtolis in cœnaculo ſacram Euchariſtiam donatam fuiſſe, quò Magiſtri ſui mors in eorum ſervaretur memoriâ. Sanè Dominus adhuc paſſus non fuerat, & memoria reſpicit præterita: non rigoroſè dicimus, recordari futura. Propter hæc dubitabam, qua de cauſa Sacramentum ineffabile non fuerit inſtitutum poſt paſſionem Redemptoris, eâ die, qua relinquens diſcipulos, penetravit cœlos. Ad rem noſtram dubium ſolvebam ſic. Inſinuaverat Præceptor alumnis, placiturum ei, ſi gauderent de ſuâ profectione, qua fuerat iturus ad æternum Parentem. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem:* &c. Ne ſibi contrarius appareret, deliberavit locum præſtare ſuorum cordibus, ut ipſi de triumpho gauderent illius, cum cernerent aſcendentem in cœleſtia. Si verò ſacro-ſanctam communionem ſuſciperent ipsâmet aſcenſionis luce; ſic delectatione maximâ tota poſſiderentur ipſorum corda per Euchariſticam dulcedinem, quòd præcludi videretur ingreſſus gaudio de triumphantis Redemptoris aſcenſu. Tam vehementer hæc oblectatio, quam fructificat Euchariſtia, præcordia pro trahit.

Incert. ſub nomi. S. Hieron to. 9. expoſ. in 1. ad Cor. c. 11.

Alger de Sacram. alt. l. 1. c 8. med.

Joann. 14. 28.

Rationem adhuc ſuperaddam, quare dulcor ille, quem experitur anima, cum alimentum ſanctiſſimum recipiens guſtat quàm ſuavis eſt Dominus, antecellat plures juſtorum ſuavitates acceptas ex motivis piis. Gaudet ordinariè juſtus, ita ut pavor ejus lætitiam ex parte præſcindat. Et quidem congruentiſſimum hoc eſt: ſcilicet quòd formido miſceatur exultationi. Trepidatio hæc, quamvis in homine poſito per ſanctitatem in ſublimi, periculoſa non extat; imò diſcrimen imminuit. Petrus Bleſenſis: *Optimum*, ait, *eſt ei, qui in alto poſitus eſt, non altum ſapere, ſed timere. Beatus enim, qui ſemper eſt pavidus.* Lætatur vir perfectus de felici victoriâ tentationis: en ſimul timet, ne degeneret hilaritas in ſuperbiam. A Domino ſuſcipit munera: ſed contremiſcit, ne ſic illi contingat, quia forſan unus ex illis eſt, qui damnandi ſunt in æternum; propter aliqua tamen benefacta donis afficiuntur in vita mortali. Levat oculos in cœleſtia: coronam certantibus legitimè repoſitam gaudens contemplatur: ecce metus adeſt; cum non adhuc ille conſummaverit curſum; neque certus extet, ante finem ſtadii non deviaturum à recto. Prudentia ſunt iſta motiva ſpiritualis gaudii; ſed hoc perturbatur formidatione ſapienti. Privilegium eſt ejus delectationis, quam præbet Euchariſtica ſuavitas, ut nihil horridum commiſceatur ipſi. D. Laurentius Juſtinianus ad effectum ſacræ communionis attendens ait: *Cujus vel ferreum pectus, aut adamantina mens non liqueſcat præ devotione, cum Deum ſibi, & ſe Deo ſenſerit corporaliter unitum?* Et infra: *Nil tunc*, inquit, *ibi niſi dulciſona interioris hominis cantica, clamores deſideriorum, gratiarum actiones, laudum præconia, affectionum gemitus reſonant in laude dilecti.* Euchariſtiæ ſumptionem taliter experitur jucundam, ut non eam dulcedinem comitetur dolor; non timor mali temporalis devenuſtet, vel anxia ſollicitudo.

36. *Jucunditas, quam juſtus experitur ab Euchariſtia ſacra, non turbatur dolore, metu, vel ſolicitudine.*

Petr. Bleſ ep. 138. poſt med.

S. Laur. Juſt. de diſcip. & perfect monaſ. converſ. c. 19. poſt med.

Diviſi fuerant alterutrum Lot & Abraham: ille morabatur in Sodomis; hic autem in Chanaan. Accidit bellum, & promanantis ab eo cladis particeps Lot extitit: nam & hujus direpta ſubſtantia fuit, & ipſe captus eſt. Audivit Abraham captivatum Lot: & cum trecentis decem & octo viris perſecutus eſt victores; ac feliciter Loti ſubſtantiam & libertatem reſtituit. Triumphatori benedixit rex & ſacerdos Melchiſedech. *At vero Melchiſedech rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit cœlum & terram:* &c. Benedictionem iſtam nonnemo reputaret, conferendam Abrahæ fore priuſquam iniret prædictum certamen: nam illa fuit exhibita per verba vim precationis habentia, prout colligitur ex Cornelio ibi ſic exponente: *Benedicatur Abraham & bonis cumuletur à Deo excelſo*, &c. Cum Abraham exivit ad patrandum illud bellicum facinus, valde foret opportunum, ſacerdotem ei benedicere deprecatoriis verbis, pro martis eventu felici; ſacrificiumque ſimul offerre panis & vini; necnon participem illius Abrahamum reddere. Quo myſterio non ante prælium facta ſunt iſta? Nulli dubium eſt, ibi figuratam ſacram Euchariſtiam fuiſſe. D. Auguſtinus: *Ibi quippe primùm apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum*, &c. Et ſicut ex Clemente colligitur Melchiſedech Euchariſtiæ figuram donavit Abrahamo. *Salem enim*, ait, *pax exponitur, cujus noſter Servator rex deſcribitur, quem dicit Moyſes, Melchiſedech, rex Salem, ſacerdos Dei altiſſimi, qui vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ.* Priuſquam Abrahamus vinceret, dolebat captum fuiſſe Lot: & quia pugnaturus erat adversùs reges quatuor, non potuit non concipere timorem illum comitem fortitudinis, & ſollicitus eſſe quid eventurum foret. Conveniens non erat, ut accipiens Euchariſtiam (quamvis in umbra) ſimul anxiaretur ſollicitudine, commoveretur formidine, doloreque juſtus cruciaretur. Cruciatus

37.

Genes. 14. 18. 19.

Cornel. Alap. ib. ad n. 19.

S. Aug. to. 5. l. 16. de civit. Dei. c. 22.

Clem. Alex. l. 4. ſtromat. longe ante fin.

ciatus abiit, deſiit formido, ſollicitudinem depoſuit : opportunitas aderat, ut Euchariſticum panem ſuſciperet in typo. Cum ſacrum convivium ſit proœmium illius menſæ, qua juſti delicias capient æternas, jucundum adeo reperitur à viris perfectis, ut nihil mœſtum eorum cordibus admittatur, cùm cœleſti pabulo recreantur.

38. *Manducatio ſacræ Euchariſtiæ deſiderium excitat rurſus comedendi.*

In hac Euchariſtica dulcedine reperiri ſolet illa ſpiritualium voluptatum conditio, quam variis locis inculcavi : ſcilicet quòd quantumvis eximia ſuavitas ejuſdem ſit ; numquam tamen faſtidium gignit, ſi corde mundo cœlica daps manducatur. Faſtiditur cibus materialis optimus (quando non eſt id effectus ægritudinis, vel alicujus affectionis morbo ſimilis) aliquando propter inconſtantiam deſiderii cupientis aliam eſcam æqualiter bonam, quò varietas delectet : nonnunquam ob appetitum alterius melioris. Nihil horum invenitur in corde juſti, qui paſcitur Deo ſuo. Nam ſupponimus hominis animam ſanam ab infirmitate peccati ; necnon mundatam à noxiis affectionibus, quæ moveant ſpiritualium voluptatum nauſeam. Deinde nequaquam varietatis appetitio movebit juſtum ad hoc ut alium parem cibum quærat, & Euchariſtici panis tædeat illum : quippe ſatis novit impoſſibile ſupparem invenire dapem. Tandemque patet, vel communicantem judicium rationis amiſiſſe, vel in vita mortali non requirere quid Sacramento altaris melius, quo nutriatur. Nauſeant imperfecti ad manna divinum : quia ſtomachus animæ vitioſis humoribus inficitur. Unde S. Laurentius Juſtinianus monebat de ſacra loquens Euchariſtia : *Nunquam cibum iſtum faſtidies, ſi illum purgato corde percipies. Mentis itaque receptaculum ab omni cogitatione & affectione noxiâ munda, atque cum humili devotione Domini ſacramenta manduca.* Tantum abeſt quòd iterata comeſtio ſacrorum efficiat animum nauſeantem, ut potiùs dulciſſimi cibi perceptio piam excitet concupiſcentiam denuo comedendi ; deſiderium acuens accedendi rurſus ad eumdem.

S. Laur. Iuſt. ſer. de Euchar. poſt med.

39. Princeps Apoſtolorum in Epiſtola priori, poſtquam illos, quos inſtruebat, monuit, ut univerſam deponerent malitiam, addit : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite ; ut in eo creſcatis in ſalutem.* Novum non eſt hunc locum intelligi de Sacramento mirabili : quem ſenſum approbat Salmeron ; & optimo jure, quia non longiùs recedit à phraſi S. Joannis Chryſoſtomi, dicentis : *Nonne videtis quantâ promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt ? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc menſam, & ad ubera poculi ſpiritalis : quinimo cum longe majori trahamus, tamquam infantes lactentes, ſpiritus gratiam*, &c. Hac expoſitione ſuppoſita, verba Petri perpendam conformiter ad illam. Hortatur Apoſtolus ad concupiſcendum alimentum ſacro-ſanctum : *Concupiſcite.* An ut in ipſo creſcerent in ſalutem ii, quos docebat, ſatis erat optare communionem ſacram & nunquam ſumere ? Minimè. Cur ergo non ſcribit : Concupiſcite, ac ſumite lac iſtud eorum, qui malitiâ puſilli ſunt, hoc eſt, juſti ? Manifeſtum eſt, Chriſti Vicarium peroptaſſe quòd fideles acciperent Sacramentum altaris : at ſciebat, per ſumptionem ejus inſtaurari deſiderium noviter ſuſcipiendi paſtum ſaluberrimum, & à virtute præditis nunquam faſtiditum. Igitur uſum Sacramenti diviniſſimi fidelibus monere, perinde videtur eſſe, quàm ſi conſulamus eis ut id concupiſcant ; eoquòd iſta cupiditas comitetur ſic boni tanti poſſeſſionem, ut non ſolùm per hanc non deſinat illa ; ſed per eamdem augeatur. Etiam ſuis (qui dici poſſunt infantes, quia diligunt infantiles crepundias) mundus lac propinat juxta modum loquendi Salomonis : *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Sed iſtud lac doloſum nimis eſt præ mixtura veneni : candidam præ ſe fert ſpeciem, & experientia docet, quàm ſit aliud ab eo quod præferebat colore ſuo. Proinde non mirum, quòd ex eo ſumpta voluptas denique faſtidiatur. Non ſic Euchariſtiæ ſacræ nutrimentum candidiſſimum : eſt enim *rationabile ſine dolo lac* : adhuc ſuavius experiris, quàm fortè putabas. Unde poſt ſumptionem rurſus accedere cupit illemet, qui paſtus eo, totam dulcedine *replet animam ſuam.*

1. Petr. 2. 2.

S. Joann. Chryſoſt. to. 5. hom. 60. ad pop.

Prover. 1. 10.

DELIBATIO IV.

Iuſtus per ſacram Euchariſtiam repletur ſapientiâ.

40. *Euchariſtia ſacra intellectum illuminat ut ipſam intelligant.*

CUm providentia Conditoris homini quatenus vi nutritiva pollet, atque facultate ſentitivâ gaudet, miniſtraverit adeo copioſam, variamque multitudinem comeſtibilium ; oportebat, ut ipſi quatenus eſt rationis capax provideretur de cibo, qui valde proprius eſſet animæ ; quem ſumeret homo prout eſt rationalis, & elevatus ad gratiam Dei : non enim minùs providus & liberalis Dominus eſt ut author gratiæ, quàm ut creator naturæ. Donavit humano generi doctrinam & virtutes obtulit, quæ omnia cibi ſunt ſpirituales, quibus alimur inquantùm ratione utentes. Non his contentus, Euchariſticam tribuit annonam, per quam intellectus noſter modo ſingulariſſimo nutritur. Hujus rei ſignum habemus in eo quòd virtutem cognoſcitivam hominis augeri per Myſterium illud comperiamus. Videri poſſunt quæ dixi to. 1. fl. 3. delib. 7. nunc liceat ſuperaddere quædam. Sapientia Patris incarnata manducatur à communicantibus : quomodò non illuminabitur qui tam ſublimem ſapientiam accipit intra ſemetipſum ? an ſolus reficitur affectus ; & intellectus jejunat ? Lege Præſulem Valentinum. *Movet*, ait, *quoque non modicum fructus uberrimus, qui piè accedentibus præſtatur. Illuminatur intellectus, inflammatur animus impinguatur affectus, excitatur guſtus, vivificatur ſenſus*, &c. Ut qualiter

S. Thom. à Villa nova ſer. 3. de Euchar. poſt med.

meditemur qualiter illuſtretur hominis mens per communionem ſanctiſſimam ad ſupernaturalia percipienda, non egrediar ab eodem ſacro-ſancto Myſterio, quod eligo: nam unum ex illis eſt, quæ naturalem intelligentiam altiſſimè ſuperant. Igitur ſpiritualis oculus iſtud arcanum perſpicit acutè poſtquam per id illuſtratur: rimari valebit (quatenus in exilio vitæ conceditur) hoc ſecretum qui dignè communicat.

41. Renuebat Simon ſtupens humilitatem Præceptoris, proprios ab ipſo dilui pedes. Dominus promiſit, illum agnoſciturum poſtea rem tantam, quam reſiſtens ignorabat. Abſoluta fuit lotio pedum; & adhuc Petri mens nequaquam penetrabat illud ipſum. Magiſter divinus interrogavit Apoſtolos, inquiens: *Scitis quid fecerim vobis*? & mox illos edocuit quod Petrum agniturum fore ſpoponderat. D. Auguſtinus: *Memor itaque*, ait, *Dominus, ſe promiſiſſe jam dudum ſcientiam facti ſui tam inopinati, tam mirabilis, tam expaveſcendi, & niſi ipſe vehementer terruiſſet, nullo modo ſinendi, ut magiſter non tantum ipſorum, ſed Angelorum, & Dominus non tantum ipſorum, ſed rerum omnium lavaret pedes diſcipulorum & ſervorum ſuorum. Hujus ergo tanti facti quoniam promiſſerat ſcientiam dicens*: Sciens autem poſtea, *quid ſit, quod fecit docere nunc incipit*: Vos, *inquit*, vocatis me &c. Fateor, non vulgare geſtum illud extitiſſe Chriſti Domini, quò perciperetur intimè non difficulter ab homine mortali. Filius Dei perfecerat ablutionem pedum; & adhuc ſciſcitatur Apoſtolos an ſciant quid feciſſet illis. Quis inficias ibit, longe profundius eſſe myſterium Euchariſticum, & humanam cogitationem ſupergrediens? Manifeſtè patet hoc: ſed non pigeat audire Baſilam Archiepiſcopum. *Jam*, inquit, *ipſius regis corpus eſt, quo beatius cogitari nihil poteſt. Quamobrem & myſteriorum extremum eſt, quoniam ultra non proceditur: nec apponi quidquam poteſt.* Cur poſtquam Dominus donavit in eſcam & potum ſemetipſum, ſimiliter non interrogavit eoſdem, inquiens: Noſtis quidnam dederim vobis? & quare non poſt communionem ſacram addidit Præceptor doctrinam circa rem tam abſtruſam? Quia mentes illorum colluſtrare ſufficiens erat eadem Euchariſtia: cujus effectus eſt lucem præbere mentibus mundis. Tunc non egebant inſtructione, qua donum tantum intelligerent. Inde cerne quali ratione per Euchariſticum ſplendorem anima dignè participantis myſteria ſacratiſſima clareſcet, ut alia cognoſcat minùs abſcondita.

Ioann. 13. 12.

Aug. to. 9. tr. 58. in Ioann. poſt princ.

Nicol. Cabaſ. Arch. Theſſ. l. 4. de vita in Chriſto poſt princ.

42. *Præſentia & manducatio ſacræ Euchariſtiæ ſupplerene poteſt doctrinam Dei?*

Id quod proximè dictum eſt adeo verum habet, ut videri poſſit arduum intelligere; qua ratione fides locum habeat, cum intellectus accipiat ita mirabilem claritatem per hujuſce panis divini beneficium. Splendet in tenebris lucerna; ſed orto ſole lumen hujus, quia majus, abſorbet fulgorem ignis, quippe minor extat. Fidem vocavit lucernam S. Ambroſius, dicens: *Lucerna enim fides eſt, juxta quod ſcriptum eſt*: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. *Verbum enim Dei fides noſtra eſt, verbum Dei lux eſt, lucerna eſt fides.* Quòd autem præſentia Salvatoris in Sacramento ſit ad inſtar ſolis orientis, non dubitas. Favet Angelicus Doctor, cum ait: *Veritatem enim præſentiæ ſuæ ad inſtar ſolis oriri facit ſuper bonos & malos exhibens ſe in hoc ſacramento dignis & indignis: licet non ab omnibus effectus ſuſcipiatur æqualis.* Admirabile quidem eſt, quod fides munus agat illuminandi mentem in conſpectu Solis Euchariſtici. Humanorum intellectuum tam excellenter illuminatrix eſt Euchariſtia, quòd ad ſubſtantiam hujus myſterii, & alia concernentia ipſum agnoſcenda (ſi Deo placuiſſet ita) ſufficere poſſet ipſa præſentia Sacramenti, nedum ejus digna manducatio, quin per doctrinam Filii Dei mortales ducerentur. Verbo divino judicium rationis edocetur ad percipiendas veritates illas præcelſas, & naturalem captum vincentes longiſſimè. Sed nonne Chriſtus Dominus etiam ſacramentaliter abditus Verbum eſt, atque divinum? Cur ergo non dicemus, ipſam buccellam ſanctiſſimam veluti locutam fuiſſe per inſtruentem diſciplinam cordi præſtitam, ubi tacuit Magiſter ipſe viſibiliter exiſtens?

S. Thom. opuſ. 58. c. 5.

43. Poſt habitam concionem de Myſterio altaris olim, non legimus unquam, Dominum præbuiſſe doctrinam ulteriùs circa Sacramentum idem. Forſan exiſtimares, eâ ſaltem die, qua ſacrificium illud inſtituit, explicaturum fore diſcipulis ante communionem, quomodo fieret hoc miraculum Domini maximum: & quòd ibi non remaneret ſubſtantia panis cum Salvatore ſimul conſiſtens: & qua ratione per omnipotentiæ mirandam virtutem totus Chriſtus poneretur in quolibet hoſtiæ minimo puncto; & alia permulta, quæ nobis modò Theologia notificat, & uſque tunc Apoſtolis verba nota minimè fecerat Præceptor ſapientiſſimus. An difficile foret evenire, quòd, ſicut audito prius Domini ſermone retroceſſerunt quidam; ſic & in cœnaculo pedem retraherent ex alumnis aliqui, dicentes, non intelligere ſe plenè quomodo hæc fierent? Adhuc tunc adeo pronum fidelibus non erat acquieſcere verbis Domini circa materiam ſubjectam, ut putaverit S. Joannes Chryſoſtomus, idcirco Redemptorem ibi de calice conſecrato bibiſſe, quò nequaquam Apoſtoli perturbarentur, aientes: Quid igitur ſanguine potamur, & humana caro ſuſcipitur à nobis in eſcam? *Ipſe quoque*, inquit S. Doctor, *bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur ſanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi ſolummodo propter verba ſcandalum paſſi ſunt.* Accedit quòd Filius Dei, qui nomen Epiſcopi non dedignatur (aliter non diceret Petrus: *Converſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum*) tunctemporis Apoſtolos evexit ad ſacerdotium. Inſtruat igitur eos mox in cœnaculo, qua verborum forma ſint poſthac uſuri dum conſecrarent; quanam intentione;

Chryſoſt. to. 2. hom. 82. in Matth longe poſt. princ.

1. Petr. 2. 25.

S. Ambroſ. to. 3. l. 7 in Luc. c. 11.

tione ; necnon & quos defectus oporteat vitare : multa pariter alia verbis explicet ad ſacerdotale munus pertinentia. Tacuit hæc omnia tunc : quia ſupervacaneum duxit aperire ſermone prædictâ die quod ipſamet Euchariſtia docuiſſe potuit. Non defectuoſus extitit in eruditendis illis Magiſter ſupremus : nam Sacramenti præſentia ſumptioque valebat ſupplere Servatoris doctrinam. Jam verum eſt ineſſe Myſterio fidei vim illuminantem. Sapientia quidem eſt : pellit neſcientiæ caliginem. Verè dixit Aquinas : *Et hoc eſt corpus ſuum, quod piè recipientium ignorantiæ tenebras illuminat* : &c.

S. Thom. opuſ. 58. c. 6. longe poſt princ.

44. *Juſtus per lucem Euchariſticam rectum operabitur, etiam cum neſcit quid agit.*

Replicabit aliquis : Qua ratione ſtare valet abunda ſcientiæ participatio, per manducationem ſacrorum ſuſcepta, cum naturæ noſtræ conditione, quam certè communio non mutat ? Nobis ineſt ea cæcitas, ut neque naturalia coram poſita perfectè ſcrutemur. Arnobius : *Cum mortalium ſciret cæcam eſſe naturam, neque ullam poſſe comprehendere veritatem poſitarum nec ante oculos rerum*, &c. Amplius neſcit ille, qui non agnoſcit, multa te latere. Quomodo poterit natura mortalis humana, remanens eâdem quæ fuerat priùs, immutari ſic, ut & agnitionem conſequatur erga veritates abſconditas valde, per eſum Domini ? Non equidem alteram induimus naturam : nihilominus hæc ita ſupra ſeipſam perficitur, ut juſtus communicans percipiat oculis clauſis rectè magna. Plus adhuc eſt, quòd ipſa communicatio lumina concludit externa, ut interiores palpebras adaperiat. Accipe Cancellarium Pariſienſem ; qui diverſos effectus communionis enumerans, ait : *Sextum bonum : Obdormire facit. Felix verò ſomnus, ſuavis & jucundus. Hic aufert & ligat ſenſus exteriores, ut vigeat interior. Habet hic ſomnus extranea valde, ſed ſalutifera ſomnia : ſuo modo peragit ſæpe vigilantium opera. Somnia hæc ſi quæris, ſunt divina ſpectacula, ad quæ noſter ſpiritus dormiens rapitur & elevatur.* Illuminatus Euchariſticâ luce juſtus, etiam cum neſcit quid agit, non exerrat : lippitudo naturæ, quâ decipitur, non inducet ad errorem, ſi myſterium Euchariſtiæ præluceat.

Arnob. l. 2. contra Gentes, longe poſt med.

Gerſ. p. 3. tr. 9. ſup. Magnificat.

45. Caligaverant Iſaaci lumina : cumque notum haud haberet illum ſtatutum omnibus diem, quo mors eoſdem finaliter eſſet oculos clauſura, benedicere voluit primogenitum. Huic injunxit ut venatum iret, ac de venatione ſuâ cibum afferret ei ; benedicturus tunc iidem, cum juſſionem patris impleviſſet. Rebecca mater, amore ducta Jacobi, conſuluit ei, ut eſcam de grege parandam deferret ad genitorem, perſonam fratris induens, ut benedictionem à neſciente ſuſciperet. Obtinuit quod materna dilectio fuerat molita. Mox venit Eſaü : novitque pater induſtriam Jacob : neutiquam tamen ſe queſtus eſt illuſum ; quinimo benedictionem Jacobo datam confirmavit. *Benedixique ei, & erit benedictus.* S. Auguſtinus : *Miratur*, ait, *& quis nam ille ſit percunctatur : nec tamen ſe deceptum eſſe conqueritur, imo confeſtim revelato ſibi intus in corde magno ſacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem.* Jacob à propriis filiis deceptus fuit poſt longa tempora : cùm ſcilicet miſerunt ad illum tunicam Joſeph, hædi ſanguine tinctam ; & ipſe credidit, genitum prædilectum à fera devoratum. Non legimus, divinitus fuiſſe factum certiorem de vita Joſephi patrem ; quamvis multùm dolentem de gnati credita morte. *Sciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Quare non miſeratur Altiſſimus paterni cruciatus & internâ revelatione de ſuperſtite Joſepho certum reddit eumdem ? cœlitus eruditur circa benedictionem Jacobo donatam Iſaac, ut intelligat egiſſe rectè ? non autem detegitur Iſraëli fraus filiorum, quæ tanto conſtitit luctu ? Priuſquàm reſpondeam adverte, Patriarcham Iſaac, cum Jacob acceſſit benedictionem accepturus, Euchariſtiæ myſterium ſubodoraſſe. Paſchaſius : *Habes*, ait, *quàm à longe tantus Patriarcha ſenſit in filio fragrantiam hujus myſterii : ait enim :* Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus : &c. Hoc fundamento præjacto, dicam. Ratio ſpecialis in caſu benedictionis invenitur, ob quam Deus voluit inſinuare Patriarchæ Iſaac, quòd etiam caligantibus oculis tetigerit ſcopum divinæ providentiæ, quæ paraverat quòd Jacobus acciperet ſortem, quam natura dederat Eſaü germano, qui major erat natu. Benedicens tamquam primogenitum Iſaac minorem filium, neſciebat protunc quid ageret ; ſed adhuc ſic rectò collimavit ad finem, ſapienter Dei conſilio decretum. Ortum habuit quòd ignorans non aberraverit à Dei voluntate, de figura myſterii Euchariſtici : nam ex odore veſtimentorum (quo fragrantiam Euchariſtiæ Paſchaſius intellexit) natum eſt occaſionaliter, ut Iſaac benedictionem impertiretur Jacobo. *Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait* : &c. ubi Lipomanus : *Benedictionis itaque occaſionem accepit pius pater ex odore veſtis*, &c. Si diſtantis nimiùm Domini Sacramento reconditi potuit umbra lucem præbere neſcienti quid ageret ; qualiter per ipſam veritatem dirigentur in lege gratiæ juſti, quos doctrina cœleſtis erudivit abunde ?

Gen. 37. 34.

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Dom. c. 21. juxta med.

Geneſ. 27. 27.

Lipom. in cate. ib.

Et, ut noſcamus intimiùs, animam pietate præditam fieri ſapientem per Myſteriorum participationem ; hocipſum confirmemus ex indicio quodam ſatis noto, nec tamen vulgari, quo diſtinguunt aliqui ſapientes veros à ſciolis : nempe, quòd in prioribus, cum ſapientia multum abundet, exuberat hæc geſtiens transfundere ſe libenter in alios. Ideo dicebat morum Philoſophus : *Ego verò cupio iſta omnia in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam* : &c. In hoc ſcientia cum virtute cohæret : nam virtus ad communicationem ſui poſſidentem invitat. Hildebertus Epiſcopus dixit : *Citra profectum proficit quiſquis alteri cum poteſt non prodeſt : virtus eſt, etiam malè uſuro, virtutis miniſtrare materiam.* Duobus itaque motivis incitatur

46. *Juſtus per acceptam Euchariſtiam conſtituitur magiſter aliorum, & libens proficiet eis.*

Senec. ep. 6.

Hildeber. Epiſ. ep. 1.

Geneſ. 27. 33. S. Aug. to. 5. l. 16. de civit. Dei c. 37. ad fin.

ad erudiendos proximos recipiens divites altaris Domini proventus ; nempe causâ communicandæ virtutis atque ſapientiæ. Multifariam qui ſanctè communionem ſacram participat effundit ſalutaria, tam ore, quam opere ; quibus audientes & ſpectatores imbuantur. Accipe S. Cypriauum. *Vident*, inquit, *hæc ſacramenta pauperes ſpiritu, & hoc uno contenti ferculo, omnes mundi hujus delicias aſpernantur : .... vide quid agant, intellige quæ loquantur, quàm ſancti odoris ſit quidquid illa eructat plenitudo ; verbum bonum, mores compoſitos, effectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior ſinceritas ubique diffundit* ; &c. Ita ſapiens conſtituitur juſtus per Euchariſtiæ diviniſſimæ ſumptionem, ut per hanc ipſam conſtituatur in aliorum ſpirituali magiſterio. Neceſſarium non erit monere ritè communicantem verbis expreſſis, ut alteros edoceat : ipſe repletus plurimâ ſapientiâ, libens eructabit hoc ipſum, quo plenus eſt.

S. Cyprian. ſer. de Cæna Dom. poſt. med.

47. Notabam, quòd, cum Eliæ diſceſſus ab Eliſeo ſimilis fuerit aliquatenus aſcenſioni Salvatoris in cœlos, in hoc diſcordent, quòd ab Apoſtolis Redemptor abſceſſurus dixerit eis non ſemel ut docerent. *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. & rurſum : *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Non ſimiliter locutus eſt Elias ad Eliſeum, cum diviſus fuit ab illo magiſter elevatus igneo curru. Intempeſtivum non eſſet ut Propheta diſcipulo moneret aliqua circa docendos alios; cum relinqueret ipſi religionis inſtitutæ regimen atque diſciplinam. Incertus. *Videns itaque*, ita, *Elias diſcipulum ſuum Eliſeum ſuo ſpiritu plenum, novit eum à Deo factum idoneum ad regendos ſuos diſcipulos, filios Prophetarum. Propter quod totius religionis per eum inſtitutæ commiſit illi tunc regimen ac magiſterium. Et in hujus rei ſignum tradidit tunc Eliſeo ſuum inſignem religionis habitum*, &c. Quare non circa regulares obſervantias, & alia virtutum exercitia commendaſſe legitur eidem ut erudiret filios religionis hujus ? Quia ſatis erat ad hoc ut magiſtrum conſtitueret Eliſeum, atque certò confideret, ipſum præſtitutum fore munus docendi, quòd reliquerit ei pallium, figuram Euchariſtiæ ſacro-ſanctæ ; ſicut videtur placuiſſe D. Joanni Chryſoſtomo, dicenti : *Elias nempe meloten quidem diſcipulo reliquit. Filius autem Dei ſuam nobis carnem dimiſit.* Magiſterii ſignum fuit pallium traditum, quod adumbrabat Sacramentum paſcens animas noſtras. Hujus acceptio magiſtrum ſpiritualem conſtituit hominem probum ; & invitat eum ad eruditionem animarum, ita quòd ſecurè de illo confidere poſſimus communicaturum fore proximis doctrinam ſalubrem. Communicans accipit fontem vivum ſapientiæ : cupit eructare quod abundanter ebibit.

Matth. 28. 19. 20.

Incert. ſub nom. Ioann. Epiſc. Ieroſolymit. l. de inſt. monach. c. 23. ad fi.

Chryſoſt. to. 5. hom. 2. ad pop.

48. *Anima ſimplex illuminatur Euchariſtiâ ita ut poſſit prudentem dirigere.* Enimverò valent incipientes non hæſitanter ſuſcipere doctrinam præſtitam à juſto per ſacrum paſtum illuſtrato : quoniam ſuperexcellit anima ſacramentaliter unita Sapientiæ Patris reliquas, non minùs, quàm nobilitate vincit aquila cæteras aves. Rerum naturalium ſcrutatoribus indubium eſt, quantum ſuper omnes alites aquila nobilitetur à natura : regalem dignitatem videtur inter volantes obtinere. S. Ambroſius, qui ſacris incumbens minora tractare non deſpexit, habet ſic, loquens de aquila : *Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis ſui inter omnes aves quoddam regale faſtigium, degeneris partus deformitas decoloret. Itaque aſſeritur quod pullos ſuos radiis ſolis objiciat, atque in aëris medio pio parvulos ungue ſuſpendat : ac ſi quis repercuſſus ſolis lumine, intrepidam oculorum aciem inoffenſo intuendi vigore ſervaverit, is probatur, quod veritatem naturæ ſinceri obtutus conſtantia demonſtraverit :* &c. Ecce loquitur de aquilis quaſi de regiis avibus. Non ignoras, per Euchariſtiæ participationem juſtum reddi velut aquilam ; ſic inſinuante S. Joanne Chryſoſtomo. *Ad hoc enim*, ait, *nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, quod jubet nobis, ut cum concordia & charitate maxima ad ſe accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipſum cœlum evolemus, vel potiùs ſupra cœlum.* Aquilino mentis igitur acumine pollet anima facta participe divinorum in epulo ſupercœleſti. Quamvis illa columbæ ſimplicitatem imitetur, ejus directionem poteſt homo prudens tutò ſequi : ſinceritas columbina per illiuſtrationem ſacramentalem non tollitur ; ſed perficitur, atque redditur prudentiſſima.

S. Ambroſ. to. 1. l. 5. Hex. c. 18. poſt med.

Chryſoſt to 4. hom 24. in 1. ad Cor.

49. Imminutis aquis diluvii requievit arca ſuper montes. Noë, qui cum ſuis ex Adæ poſteritate reſiduus erat, tunc agnovit ceſſaviſſe ſupra terram inundationem, cum demiſſa columba venit ad illum portans olivæ ramum. *At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo ; intellexit ergo Noë quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram.* Expendebam, Noëmum haud acceſſiſſe tunc ad proſpiciendum ex arca propriis oculis, utrum ceſſaviſſent, vel non aquæ ſupra terræ faciem. Homo prudens rei tantæ ſignum expectavit à columba, quæ ſimplex animal agnoſcitur ? nonne potuerat adhuc inundare terra, nihilominuſque decerpi ramuſculus à vertice arboris columbino roſtro ? quare non quod ſcire cupit examinat viſu ? judicium fert, patiens quodammodo per columbam doceri ? Aperiamus litteram ; patebit myſterium. Sapienter Noë fidit columbæ velut inſtruenti : nam hæc ſignificavit animam, quæ ramum olivæ Chriſtum Dominum in Sacramento altaris florentem ſuſcipit. Cancellarius Pariſienſis : *Colligere fas*, inquit, *habet ipſum in hoc Euchariſtiæ ſacramento fidelis anima : fas illum ferre in ore ſuo, dum veſper mortis adveniens ſuadebit regredi ad verum Noë Deum : qui dum creavit eam, miſit per aquas & terras hujus diluvii, quatenus benè volando rederet ad ipſum, qui miſit illam. Felix plenè anima, quæ redibit ad veſperam vitæ ſuæ, ferens in ore ſuo ramum hunc olivæ Chriſtum, per ſacramentalem ſaltem ſpiritaliter ſuſceptionem.* Juxta myſticum ſenſum iſtum relinquitur, animam recipientem Euchariſtiæ ferculum, ſic elevari mente, ut quiſque prudens ab illa

Geneſ. 8. 11.

Gerſ. p. 3. tr. 9. ſuper Magnificat. partit. 2. fin.

illa doceri queat. Sic juſtus per hoc myſterium ſapientiâ *replet animam ſuam.*

DELIBATIO V.

Anima juſti per Sacramentum corporis Chriſti conſtanti fortitudine imbuitur in vitæ pugnâ.

50. *Per ſacram Euchariſtiã fit homo conſtans.*

PErfectiùs donat magnificus, qui beneficium, quod ipſe contulit ſtabile reddit: multiplicat hoc pacto donum ſuum: nam quod ſemel largitus eſt, rurſus tribuere perhibetur cùm potenter conſervat. Vitam accipit à Domino juſtus per Euchariſtiam ſacram; cujus proprium eſt illam ſtabilire. Verè cibus eſt corpus Domini, Sanguiniſque potus: & alimento ſolet vita confortari. S. Thomas ait: *Corpus Chriſti fideles ſuos in bona vita confirmat & confortat finaliter.* Non ut alimoniæ corporales, quæ ſimul vitam conſervant, & mixtim afferunt ægritudinis radices. Euchariſtica daps permanere facit ſalutem ſpiritûs: nihil enim adducens mortem commiſcetur pani vivo. Nicolaus Archiepiſcopus: *Divina*, ait, *deinde Euchariſtia vitam hanc & ſanitatem continet, atque conſervat. Parta enim ſervare, & vitam retinere, panis vitæ donum ac munus eſt.* Inconſtans eſt miſera conditio naturæ noſtræ: nunc in cœleſtia levamur; modò terrena petimus: nunc quamdam impreſſionem affectûs, modò ſatis diverſam cor noſtrum ſuſcipit: quaſi foret ad varias imagines accipiendas mutabilitate cereus, qui ne calore dilectionis divinæ liqueſcat, à peccato fit velut adamantinus: non equidem pretioſitate; ſed præ duritie. Pharmacum ſpiritualiter confortativum offert medicus optimus Filius Dei, quo roborat hominem, atque firmat. Velut alteram naturam per amantiſſimam transformationem in Dilectum aſſumit homo: fit conſtans & immobilis fere per Euchariſtiam.

S. Thom. opuſc. 58. c. 22. ad fin.

Nicol. Cabaſil. Arch. l. 1. de vita in Chriſto, ante med.

51.

Populo ſuo carpenti viam, qua ducebatur in promiſſionis Terram, bis aquam donavit Omnipotens; ſed utrobique lympha prodiit ex petra. Legimus in Exodo: *Percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyſes ita* &c. In libro Numerorum ſic habetur: *Cumque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ* &c. Aliquis diceret, oportuiſſe quòd aquæ Judæis à Domino proviſæ deſcenderent è nubibus; ut ſic infirmiores fide juvarentur ad agnoſcendum apertiùs illud munus à cœleſti providentiâ conferri: cur è lapide potiùs funditur aqua? Dubium ſolvam loquens de illa, quæ data refertur in libro Numerorum. Petra, de qua dicuntur ibi prodiviſſe fluenta, figuravit Salvatorem, ſicut habemus ex D. Paulo, dicente: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus* &c. Ex hac petra Judæis quondam promanans aqua deſignavit ſacratiſſimum juſtorum edulium. Remigius Epiſcopus exponens Apoſtolum ait; *Manna, quod de cœlo, id eſt, de iſto aëre eis datum eſt, & aquam que de petra fluxit, dicit ſpiritualia eſſe, vel quia ſpiritualiter intelligenda ſunt: ſignificabant enim corpus & ſanguinem Domini, quod modo conſecratur & percipitur in Eccleſia: vel quia* &c. Si de nube decideret unda, nubes ibi figuraret Chriſtum Dominum: non erat hoc opportunum eo loco; fuit aptius hîc ænigma Redemptoris petra. Sed inquiris: Et cur lapſis extitit ibidem congruentior umbra Servatoris noſtri? Quia nubes facilè mobilis eſt; petra verò quid naturâ ſuâ conſtans. Oportebat ut in re firmâ de ſe Chriſtus Dominus adumbraretur, cum torrentem Euchariſticum largiter effuſurus prænuntiabatur. Adhuc quæris: Et hoc quare? Reſpondeo. Cuncti fatemur, juſtum per ſuſceptionem Domini transformari feliciter in eum. Lege citatum Præſulem. *Non enim*, ait, *unde finxit, ab eadem materia refinxit. Sed illud quidem fecit, pulverem è terra accipens: pro altero autem ſuum ipſius corpus tradidit: vitamque reparans, non animam in natura conſiſtentem pulchriorem facit, ſed ſanguinem ſuum in corda initiatorum effundens, ſuam ipſius vitam ipſe oriri facit.* Adde S. Vincentium Ferrarienſem. *Proprius tamen*, ait, *effectus Euchariſtiæ ſecundùm S. Thomam eſt transformatio hominis in Deum:* &c. Providens itaque nobis accepturis Euchariſtiam Author gratiæ, voluit, ut per creaturam naturâ ſuâ non mobilem denotaretur in præfato prodigio Redemptor myſteria ſacratiſſima donans: ut agnoſceremus, per ea nos in ipſum transformatos, qui lapis eſt angularis, fieri lapides vivos, induentes per imitationis participationem ſtabilitatem Chriſti Domini: non aſſimilatos nubibus, quæ vento feruntur; ſed pene ſaxo compares per conſtantiam. Vide quantùm confortetur in bono juſtus per cibi ſalutaris eſum.

Exod. 17. 6.

Numer. 20. 11.

1. Ad Cor. 10. 4.

Remig. Epiſc.

edm. in 1. ad Cor. 10. 3 4.

Nicol. Caba. ſil. Archiep. l. 4. de vita in Chriſto. longe ante fin.

S. Vincent. Ferrar. ſer. 2. in die Paſch.

52. *Communio ſacra firmiorem reddit pœnitentem, ut non retrocedat.*

Hæc in virtute conſtantia, mediante communicatione corporis Domini variis modis efficitur non varians. Comitatur augmentum gratiæ receptum per Euchariſtiæ nutrimentum ſupernaturalis fortitudinis additio: promovetur amor: &, ut omittam alia, tantùm expendam ſpiritum corroborari dupliciter; ſcilicet intus & extra. Fortis ſit intrinſecùs per auxilia cœleſtia; munitur extra, propulſis impugnationibus maligni, virtute paſſionis Domini, quam ſignificat. Redeat Ferrarienſis: *Confortat*, inquit, *enim Euchariſtia à peccato & præſervat dupliciter, ut dicit B. Thomas in 3. p. & 4. ſcrip. ubi ſup. ſcilicet interiùs roborando per gratiam, & exteriùs repellendo omnem impugnationem dæmonum per paſſionem Chriſti, cujus eſt ſignum.* Præter illam gratiam auxiliantem, quæ illuminat & movet hominem immediatiùs ad hoc ut non reincidat poſt communionem in præterita crimina; meditatio quædam ſancta perutilis juſto provenit ex ſacroſanctæ menſæ participatione; quæ nunc lentiùs adnotanda nobis. Vixerat peccator in aliena regione peregrinus, ubi graſſabatur bonorum ſpiritualium fames; & ipſe brutorum ſocius miſerè carnalia, quibus

S. Vincent. Ferrar. prox. ſup.

bus ipſa delectantur, optabat. In ſe reverſus per pœnitentiam reſtituit ſemetipſum paternis amplexibus Dei; opiparaque ſuſcipitur epulatione gaudenter, & amanter. Exhinc oritur, ut cogitatione maturâ verſet unde venerit, & ubi ſit : à lamentabili nempe miſeriâ feliciter admiſſus, ut communicans in Deo maneat. Per conſiderationem iſtam coërcetur, ne manſionem beatiſſimam deſerat, retroverſus ad habitationem præteritam, quam famelicus doluit. *Effectus* eſt proprius Altiſſimi ſub ſpeciebus contecti mirabiliter, pœnitentem converſum ad meditandum iſta ducere : ſic propoſitio firmior redditur in futurum, quò non rurſus abeat à Domino veſanus.

53. Ex parabola prodigi teſtimonium accipit hæc doctrina validum. Abierat ille de patriâ domo, vocatus ab appetitu dementiâ pleno, ſupliciumque provocans adventurum. Conſumptis bonis à parente ſuo traditis, expertus eſt mala, quæ non caverat. Denique neceſſitate magiſtrâ (nimis utili, quamvis exosâ) ſapuit meliora, deliberans ad genitorem ſponte regredi. Clementer ab illo receptus eſt, & lauto convivio gaudium reverſionis ejus concelebratum fuit. Frater ſenior ex agro veniens ruſticitatem præ ſe tulit : nam accentus muſici, qui reſonabant inter epulandum, ipſum interrogare moventes quid hæc eſſent, occaſionem præſtitere, quòd certior factus adveniſſe germanum, conceperit invidiam. Egreſſus pater introire nolentem rogavit. *At ille reſpondens, dixit patri ſuo : Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam dediſti mihi hædum ut cum amicis meis epularer : ſed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Curavit ejus livorem placare pius parens : at putabam, ſuperadditurum : Fili ne feras ægrè quòd in fratris tui reverſionis lætitiâ voluerim epulari : cras aliud inſtitutam convivium; quo te ſodaleſque tuos excipiam. Qua de cauſa magnificus pater non ita loquitur? Ut reſpondeam, parabolæ ſenſum priùs ex parte recolam. Ex duobus filiis prædictis adoleſcentior eſt pœnitens relictis iniquitatibus ad mentem ſanam reductus; alter verò juſtus eſt, pœnitentiâ non indigens. Scribit Incertus : *Et cur ergo, inquis, parabola ejuſmodi quidpiam præ ſe fert? ecquid nobis illa vult adumbrare? Aliud nihil, quam excellentem Dei clementiam, quæ utique erga omnes, & eos præcipuè, qui peccatis deſertis ad ſanam mentem redeunt, verôque pœnitudinis ſenſu concutiuntur, tanta eſt, ut iis qui pœnitentia non indigent, invidiam quodammodo movere queat.* Memorandum etiam eſt, vitulum ſaginatum ſignificare ſacram Euchariſtiam. D. Petrus Chryſologus : *Hic eſt vitulus*, ait, *qui in epulum noſtrum quotidie ac jugiter immolatur.* His in memoriam revocatis, quæſtiuncula ſolvenda; quam excitavi proximè. Non ætate majori nato peculiariter, ſed prodigo parat genitor illud convivium : quia ſic iſte quondam perditus facilè recogitaret ex quantâ penuriâ devenerit in lætam & abundantem fortunam : ut ita confirmaretur in voluntatis decreto, de non abeundo rurſus à dementiſſimo genitore. Dictis applica. Pœnitens denique potitus Euchariſtiæ refectione, meditatur, per illam hominem in Deo manere; quamvis ille venerit à regione umbræ mortis : mente volvens ubi fuerit, & ubi remaneat, conſolidat voluntatem permanendi conſtanter. Hæc ſatis, ut internam confortationem per cibum ſacratiſſimum acceptam perpendamus.

Luc.15.29. 30.

Incert. ſub nom. Titi in Luc. ib.

S.Petr.Chryſol. ſer.

54. *Chriſtus Dominus in Euchariſtia majore conatu diſſolvit opera diaboli.*

Nunc ad aliud genus corroborationis pergo : notatum etiam à D. Vincentio relato ſupra : ſcilicet. *Exteriùs repellendo omnem impugnationem dæmonum* &c. Et iſta protectio de mensâ venit illâ, quam Dominus paravit in conſpectu noſtro contra ſpirituales adverſarios; qui tentationibus nos tribulant jugiter. Quàm fortiter per diviniſſimum Sacramentum tartareapoteſtas coërceatur, & cadat, notavi ſuperiùs à n.26. Nunc addam S.Petri Damiani verba : *Videat*, inquit, *occultus hoſtis labia tua Chriſti cruore rubentia, quæ territus perhorreſcat, & mox in tenebrarum ſuarum latibula paveſcendo diffugiat. Quod enim tu per viſibilem panis, ac vini ſpeciem ſuſcipis; ille velit, nolit, Dominici corporis, ac ſanguinis intelligit veritatem.* Dominus exercituum aſſumpta mortalitate deſcendens in terras bellum hoſtibus infernis indixit : dæmon autem procaciter & ſuperbè non recuſavit cum Deo ſuo præliari; nunc apertè; nunc latens cordibus iniquorum. Auſus iſtos maligni Filius Dei permiſit : quia potentiam ſuam oportuit abſcondere; quò redemptio noſtra perficeretur, & exemplum nobis præberet humilitatis. In Euchariſtiæ tamen prodigio, ſuper opera ſua miraculoſa cætera, quamvis abdiderit præſentiam, totum nihilominus emiſit omnipotentiæ brachium : quod agnoſcentes ibi ſpiritus diabolici trepidant; ſciunt etenim quantùm poſitus ibidem fortitudinem illorum proterat. Extra Sacramentum Chriſtus Dominus aliquando non adeo fortiter exerit manum ad conatus dæmoniacos reprimendos; in Euchariſtia verò proſternit omnipotenter diabolum; & ejus opera fortiter amputat. Eadem, fateor, Salvatoris virtus in divini panis arce poſiti, quàm dum viſibiliter inter homines verſabatur, antequam inſtitueret fidei Myſterium. Sed antea nonnunquam hominis peccatum à dæmone ſuggeſtum impedire ſollicitabat minori conamine; in ſacra verò conſtitutus Euchariſtia, nos fortiori niſu retrahit à peccatis, diſſolvens opera diaboli.

S. Petr. Damian l 6.ep. 21.longe poſt princ.

55. Nullus eſt quem fugiat quanto deſiderio Salvator affectus fuerit, ut per adverſarium communem Judas inſtigatus ad Præceptoris traditionem, haud perficeret eam: necnon ipſius lavit pedes; quaſi denotans, cupere ſe tenere greſſus ejus ad tantum flagitium præcipitis ituri. Expreſsè denuntiavit, unum ex diſcipulis eum fore traditurum : *Quia unus ex vobis tradet me.* Non addidit hiſce verbis aliquid ampliùs, quo detegeret proditorem; ſic ejus converſionem

Ioan.13.21.

verſionem expectans. Circa plantarum Judæ lotionem dixit Euthymius : *Quia lavare cœpit ac poſtmodum venit ad Petrum : apparet quòd primùm laverit pedes Iſcariotæ : ſimul quidem beneficio afficiens ac honorans proditorem ſuum uſque ad mortem, ut & nos ſimiliter faciamus : ſimul etiam compungi volens illum, qui talia adverſus talem gubernatorem cogitaret.* De verbis autem relatis, quibus nequaquam nominatim Judam, ſed tacito nomine pupugit, ut advertens ille notam eſſe Domino proditionem ſuam compungeretur, ait idem Commentator : *Siquidem miſerum nondum publicare volebat, expectans adhuc ejus converſionem.* His tamen haud obſtantibus, verum eſt, noluiſſe Redemptorem efficaciter deſtruere ſcelus, quod in cor traditoris diabolus miſerat. Retrogrediamur ad arcam teſtamenti poſitam ab hoſtibus Iſraël in templo Dagon. Idoli caput, & ambæ manus abſciſſæ ſunt. *Rurſumque manè die altera conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini : caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* S. Iſidorus Hiſpalenſis inquit : *Nam in manibus Dagon præciſis opus idololatriæ amputatum, & in capite ejus ſuperbia diaboli abſciſſa ſignificabatur, à quo initium peccati fuit.* Audis quàm vehementem cladem expertus fuerit in figura, temporibus arcæ, diabolus, & qualiter amputata ſint illa mortalium ſcelera ? cur adeo fortiter hæc amputatio criminum executioni data fuit prædicto modo tunc ? Servabatur in arca manna, quod repoſitum erat in vaſe deſignante animam piam. Manna, prout ſæpe dixi, nunc verò dicam iterum ex D. Cypriano, panem Euchariſticum adumbravit. *Hujus*, inquit, *panis figura fuit manna.* Quod proximè de anima dicebam patrocinetur Alexandrinus, aiens : *Audis enim quomodo vas aureum per Aaron impletur manna, & coram Deo ad perpetuam conſervationem reponitur : pia enim, ſanctaque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſeipſa cœleſtem theſaurum condidit, pretioſum atque aureum vas eſt, & à Pontifice omnium Deo Patri offeretur, ſervabaturque in conſpectu ejus in æternum.* Itaque anima juſti Manna divinum continens in ſe, protectionem dominicam experitur adeo, quòd ſuperbia diabolica, ſimul & gravia ſcelera per Sacramenti virtutem præſcindantur, factis irritis diaboli conatibus ; qui victus miſerè decidit.

Eu hym. cō. in Jann. c. 16. poſt princ.

Idem ib. infra.

1. Reg. 5. 4.

S. Iſid. Hiſp. in l. 1. Reg. c. 3. med.

S. Cyprian. ſer. de Cœn. Dom. poſt med.

S. Cyrill. Alexandri. l. 3. in Ioann. c. 34. ad fin.

56. *Animos injicit communio ſacra, quò ſuſtineamus adverſa.*

Uſquemodo locuti ſumus de conſtantia, quam juſtus communicans adipiſcitur, ut non regrediatur ad crimina ; quibus per deteſtationem valedixit. Nunc addendum eſt, per eamdem ſpiritûs refectionem roborari pro tribulationibus tolerandis. Hoc Sacramento potenter armantur Chriſti milites ad prælia : quo deſtituti, forſan reperientur inermes & nudi. S. Cyprianus attendens ad certamina martyrum ſcribit nomine Synodi Africanæ : *Nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus : & cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus ?* Et infra : *Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium : & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit.* Non putemus, ad martyria tantùm limitari robur in adverſis collatum per communionem ſacram : latiùs effectus iſte patet : nam, cum ſuſceptione myſteriorum in Chriſto maneamus impaſſibili, quæ poterit nobis adverſitas eſſe terrori ? Sumens Euchariſticum panem roborat ſtrenuitatem ſuam ad perferendos labores ; illi verò qui remedium iſtud omittit, confidendum non eſt, quòd hoſtes non paveat. Animos injiciunt epulæ ſacroſanctæ, quò ſuſtineamus adverſa.

S Cyprian. nomine Synodi Afric. ep. 54.

Monitus à Jonatha David abiit profugiens à Saule. Venit ad ſacerdotem ; à quo petens auxilium, accepit ſanctificatum panem ; qui ſolebat juxta ritum veterem in templo Dei reperiri. *Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem.* Panes propoſitionis Euchariſtiam adumbraverunt, conformiter ad mentem S. Ambroſii, dicentes : *Quomodo autem ille obſervator legis atque defenſor, panes & ipſe manducavit, & dedit iis qui ſecum erant, quos non licebat manducare niſi tantummodo ſacerdotibus : niſi ut per illam demonſtraret figuram, ſacerdotalem cibum ad uſum tranſiturum eſſe populorum ?* Non obſtante doctrina Mediolanenſis Præſulis : imo verbis Chriſti Domini, qui de Davide loquens, dixit, ſumpſiſſe panes propoſitionis, manducaſſe, dediſſeque his, qui cum ipſo erant ; eſt qui dicat, ſocios Davidis non comediſſe de panibus illis. Sanctius ait, hanc ſententiam debere videri non omnino improbabilem, ſi explicentur verba Salvatoris noſtri, ſicut intelligeremus aliquem dicentem de rege privilegiato ad ſimul cum commenſalibus comedendas carnes in ſextis feriis : Rex & commenſales manducant carnes feriâ ſextâ ; licet iſti non comederent actu. Non audeo placitum iſtud amplecti ; nec damnabo quod eruditiſſimus author Sanctius non condemnat : ſed meditationi faciamus viam conformiter ad illum dicendi modum. Relicto ſacerdote, David abiit ad Achis Geth regem : non tamen detulit illuc ſecum ſuos. Idem Sanctius quærens in argumento quodam : *Si ſervos ſecum habuit David, quomodo ſolus in terra Palæſtinorum inventus ?* ait infra : *Illos unde egreſſi fuerant, redire juſſit, ut apud Saulem ſuam, ſi opus eſſet cauſam tuerentur, & quid rerum fieret, frequenter admonerent.* His adderem libenter, fortè non ipſos putaſſe tam conſtantes, ut ſponte vellent eum comitari, cùm ſe conferebat in terram hoſtilem regis ; *cujus maluit* (ut Sanctii verbis utar) *ſi quid accideret adverſum, perire manibus, quàm Regis Iſraël*, &c. Et quare David non ſuis confidit, quòd voluntariè ſuſtinerent quidquid adverſum eis accide-

57.

1. Reg. 21. 6.

S Ambroſ. to. 3. l. 5. in Luc. c. 6.

Luc. 6. 4.

Cornel. Janſen. in concord. c. 37. & non diſplicet Salmeroni. tom. 8. tr. 14.

Sanct. com. in 1. Reg. 21. 6.

Idem ib. ad v. 4. n. 15.

Idem ad v. 10. n. 34.

ret apud Gethæos ? Ad myſtica deflectamus. David panem Euchariſticum ſumpſerat in umbra : quo roboratus eſt ad ſuſtinenda laborioſa. Si verum habet, eos, qui ſequebantur Davidem, *non* ſimiliter comediſſe, penitus hæc ratio ceſſabat in illis. Accipiens Euchariſticum cibum ſolidat patientiam ad mala toleranda ; non ita verò, ſi non ſumat medicamentum iſtud animæ confortativum.

58. *Poſt convivii Euchariſticum optat intrepidus communicans adverſitatem, & ſollicitat.* Multimodè juſtus exercet patientiæ virtutem : nunc illam aſſumit ut ſcutum ; nunc autem ut gladium. Tolerantiâ dicitur veluti parmâ ſe munire vir, qui fert æquanimiter adverſitatum fortia jacula, ſi conjiciantur in eum ; non autem ſponte quærit afflictionis materiam : ictus retundit ; ſed non ſollicitat pati. Qui verò ſufferentiam laborum objicit infortunio tamquam ſtrictum gladium, ille quidem eſt, qui tribulationes provocat ſollicitans affligi. Nemini dubium, fortiorem extare hunc ſecundum, quàm priorem : nam inquirens cruciatus videtur eos diligere ; longeque validior eſt amor, quàm patientia. Propterea charitate Dei ferventes non ſolummodò pavere neſciunt ea, quibus tribulantur, ſed gloriantur in eis.

S. Agobard. l. de fidei veritate longe ante fin. D. Agobardus : *Perfectè*, ait, *itaque Chriſtiani non ſolum non timent tribulationes, verùm etiam gloriantur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit : quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus eorum per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis* ; &c. Corroboratio, quam addit ſpiritui communio ſacra, non ſolum pellit vecordem adverſitatis formidinem : ſed adjicit imperterritam audaciam, qua provocetur calamitas in certamen : nam ſuadet imitationem Salvatoris : qui paſſionem ſuam aggreſſurus, & jamiam comprehendendus, Joann. 18. 4 *ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis : Quem quæritis ?* Fragilis eſt natura noſtra, patique detrectat : ſed commixta per unionem ſacramentalem ſanguini vivificatori Domini ſui, quare non dicetur ita vegetari, quòd, ſicut Petrus, eum ſequatur à longe ? D. Joannem Chryſoſtomum legito. Chryſoſt. to. 4 hom. 16. in Epiſt. ad Hebr. *Hoc*, ait, *vos ſanguine non Moyſes, ſed Chriſtus aſperſit, per verbum quod dictum eſt : hic eſt ſanguis novi Teſtamenti in remiſſionem peccatorum .... Ipſi eſſentiæ commiſcetur ſanguis, fortem illam faciens & mundam*, &c. Quamvis igitur homo priuſquam accedat ſacris epulis trepidet ubi non erat timor ; poſt myſticam dapem animosè cupit ad verſitatem, atque ſollicitat. Antea, quamvis innocens, metuebat, poſthac infortunium pati deſiderat, & ſatagit.

59. Fame compellente Jacob gnatos dimiſit in Ægyptum, ad hoc ut pretio triticum ibi compararent : nihil minus cogitans, quàm eos ad Joſephum Ægypti gubernatorem dirigere, quem vita functum credebat. O quoties nos falſa doloris cauſa torquet ; ac neſcimus ubi gaudia noſtra quæramus ! Venerunt illi frumenta reportantes, & ſimul pecunias, quas emendo tradiderant, repoſitas in ſaccis clanculùm. Conſumptis poſtea cibis, quos ex Ægypto detulerant, reverſi ſunt ad emptionem eſcarum ; deferentes pecuniam, quam inopinatò repererant, animo reſtituendi ſteterunt coram Joſeph, adhuc ignoto ſibi : de cujus mandato per diſpenſatorem domûs introducti ſunt. Vide quàm pavidi. *Ibique exterriti, dixerunt mutuò : Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis noſtris, introducti ſumus : ut devolvat in nos calumniam, & violenter ſubjiciat ſervituti, & nos*, &c. Certè Joſephus, diſpenſatorque domûs ejus, nec verbum protulerant ad illos, quô de pecuniis reductis in domum paternam calumniarentur eos. Ipſos de furto conſcientia non arguebat : quid ergo terrentur ? Magis miror, quòd inter cæteros fratres fuerit exterritus Judas ; cum eum poſtea legam ſtrenuè loquentem. Dimiſſi fuerunt aſportato frumento : ſed poſtquam aliquantum ab urbe proceſſerant, jubente gubernatore diſpenſator inſecutus eſt eos, accuſans ſcyphum illos rapuiſſe ; fuitque repertus in ſacco Benjamin, ubi piâ fraude germani poſitus erat. Dixit Joſeph, illum fore ſervum ſuum, qui furatus erat ſtyphum. Tunc Judas poſt alia locutus eſt : *Ego propriè ſervus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem*, &c. Joſephus equidem dixerat poſt inventionem ſcyphi, quòd Judas abiret cum reliquis, & ſolus Benjamin remaneret ſervituti ſubjectus. *Qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſervus meus : vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.* Quomodo nunc tam generosè tradebat ſemetipſum ſpontanèe ſervituti, quam timuit cum fratribus, ut ſupra dictum eſt, quando nihil contra libertatem ejus tractabatur ? nunc fortitudinem oſtendit ad perferendum hoc infortunium ? illud optat ? imo ſollicitat ? Ad ſpiritualem ſenſum accedamus. Inter illum terrorem præteritum, & præſentem animoſitatem, Euchariſtici panis adumbrata ſumptio media fuit. Jam ſupra notavi convivium, quo Joſeph excepit fratres, diviniſſimæ ſymbolum extitiſſe menſæ. Nunc addo Rupertum. Rupert. l. 9. in Geneſ. c. 7. juxta fin. *Hoc*, ait, *convivium, ut de illo quoque ſecundùm myſterium aliquid loquamur, rectè cum Benjamin, id eſt filio dextræ, celebratum eſt : ſic enim in fine mundi, cum plenitudo Ægyptiorum, id eſt, Gentium, ſubintraverit : fratres Jeſu Chriſti, ſcilicet Judæi, filio dextræ, id eſt Apoſtolicæ fidei in convivio corporis & ſanguinis ejuſdem Chriſti fratris ſui fœderabuntur*, &c. Eſto quòd homo contremiſcat, ubi non extrinſecùs opponitur quod meritò paveat ; poſt comeſtionem corporis Domini fortificatur ſic, ut provocet adverſa, cupiat, & ſollicitet : quia per ſacroſanctum panem fortitudine *replet animam ſuam.*

Geneſ. 43. 18

Ib. c. 44. 32.

Ib. n. 17.

DELIBATIO VI.

Quid accipiat à Sacramento Euchariſtiæ ſpes noſtra?

60. *Erigitur ſpes noſtra per ſacram Euchariſtiam.*

QUædam titulum præfixum concernentia dabit prior tomus fl. 3. de lib. 11. Dictis addam nonnulla. Multum negotii juſtis affert ſpei virtus: utpote quæ ſimul cum fide totum ſpiritualis ædificii pondus: ne corruat, ſuſtinet. Oportet ſpem langueſcentem erigere: erectam conſervare, conſervatam hilarem efficere, exhilaratam augere, adauctam dirigere. Niſi frequenter erigas illam, fortè per dilationem cadet: ſi non conſerves, deſperationem incurris: gaudis non adjuta, per temporis moram torquebit ampliùs: congruit ut illius augmenta quæras, ne pereat imminuta ſenſim: ac tandem, quia facillimum eſt ſperantem à fine recto deviare, directionem requirit ſapientem. Hæc omnia præſtabit ſpei noſtræ pignus illud futuræ gloriæ, quod ex altari ſumunt fideles. Et quod attinet ad primum, ſcilicet ad tribuendum expectationi languidæ firmamentum, medela perutilis eſt Euchariſtia ſacra. Turbamur in mundi fluctibus: deſtituimur ſæpe ſolatio; ſed ut in ſpe contineatur anima, Sacramentum hoc eſt anchora firmiſſima; tutum in malis extat aſylum ad ſolamen. Tempeſtive S. Thomas à Villa-nova: *Hoc enim*, ait, *ſacramentum eſt pignus æternæ hereditatis, hæc unica anchora ſpei noſtræ, hoc unicum ſolatii noſtri aſylum.* Non ſolis incipientibus evenit quòd ſpes eorum langueat: etiam viris perfectis aliquando contingit hoc erga quædam: nam temporis prolixitas, atque doloris acerbitas & robuſtos frangunt animos: erigentur in ſpem fortiter per eſum nutrientis animam panis: poſtquam paſcitur iſto juſtus, priùs lapſa cordis expectatio redintegrabitur.

S. Thom. à Villa-nova ſer. 3. de Euchar. longe ante fin.

61. Poſt internecionem pſeudoprophetarum Baal, prænuntiavit Elias Achab regi pluviam jamiam deſcenſuram; cujus fontes ipſe verbo concluſerat antea. Rex uxori Jezabel notam fecit occiſionem prophetarum. Illa, cum eſſet idololatra, per nuntium Vati minata fuit mortem. Elias metuens abiit: & cum ſederet in deſerto ſub arbore, ſic Domino locutus eſt. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quam patres mei.* Exponit Sanctius: *Satis itaque ſuperque datum eſt, nihil amplius opto, illud ſupereſt, quod aveo vehementer, ut tollas animam meam, id eſt me de numero viventium. Quid enim à me ſperari poteſt, quod præſtare non potuerint parentes mihi chariſſimi*; &c. Ecce defecerat quodammodo ſpes in Elia circa futura facta ſua. Perrexit ad montem Horeb: & factus eſt ad eum ibi ſermo Domini. Tunc de zelo ſuo locutus eſt Vates; & poſt alia ſuperaddidit: *Quærunt animam meam ut auferant eam.* Non tamen tunc petiit à Domino, quòd tolleret animam ejus. Animoſiorne tunctemporis erat ſpes Eliæ? Ita ſuſpicor,

3 Reg. 19. 4.

Sanct. ib. n. 10.

3. Reg. 19. 10.

Sed quare? Si myſticè loquamur, non incongruè dici valet, Sacramentum Euchariſticum à Propheta ſumptum in umbra, priuſquam ad eum fieret ſermo Domini, Vatis erexiſſe ſpem delapſam. Panis ille ſubcinericius ab Angelo delatus, extitit figura corporis Domini. Paſchaſius de iſto loquens: *Hoc quippe potu*, inquit, *ac cibo, Elias de manu Angeli paſtus .... Ex quo patenter innuitur, quòd cibus iſte manibus Angelicis defertur, & refertur, per quem noſtra infirmitas divinitus relevatur.* Inter ea, quæ per divini pabuli receptionem confortantur, numeranda venit ſpes noſtra, quæ per infirmitatem collapſa, paſtu cœleſti reficitur.

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Dom. c. 10.

62. *Per Euchariſtiam ſacram ſpes noſtra roboratur ut perduret.*

Parum animæ proficeret ſpei redintegratio; niſi vires ut conſervaretur acciperet. Propterea ſupernæ munificentiæ diſpoſitione conceſſum eſt ut eodem alimento vivifico, non ſolùm renovaretur ſpes humana; ſed firma permaneret. Medicamentum optimum eſt illud, quod non tantùm ſanitatem reſtaurat; ſed etiam perdurare facit. Hæc virtus ineſt Euchariſtiæ ſacro-ſanctæ; quæ robur injicit, & confert permanentiam. Proderit S. Laurentius Juſtinianus; quamvis non de ſola communione loquatur. Utitur ſimilitudine ducentium exercitus: qui ſpecialia quædam loca deputant, ad quæ bellatores accedere queant pro reſumendis viribus. Tunc addit: *Hæc nempe tutiſſima & inexpugnabilia loca à Domino Jeſu ejus parata militibus ad refocillanda corda, & ad detergenda animæ vulnera, ſpiritualia ſunt ſacramenta. Per hæc namque datur lapſis requies, debilibus robur, formidoloſis audacia, & ſemel proſtratis fiducia dimicandi. Quis etenim valeret adverſus immundos ſpiritus pergere, in acie perſeverare, & de talibus adverſariis obtinere victoriam, niſi divinis interdum eſſet recreatus alimentis, & exhortationibus animatus?* Verum quidem eſt, ſpem fidelium validum fundamentum nanciſci verbum Dei, qui nec falli poteſt, neque decipere novit. Attamen cum per ſermonem prolatum Deus non conjungatur nobis; per Euchariſtiam verò ſacramentaliter uniatur; inde fit ut per hanc ſpecialiter ſpes noſtra cònfortetur, ad hoc ut diù perſiſtat. Verbis Dei quidem nixa poteſt conſervari diutinè; ſed congruum fuit, ut per Sacramentum altaris ad longi temporis perſeverantiam communiretur.

S. Laur. Juſt. l. de diſcipl. & perfect. monaſ. conſ. verſ. c. 19. poſt princ.

63. Egreſſis de Pharaonis ergaſtulo Jacobitis, Dominus providit nubem, qua monſtraret iter. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis*, &c. Certè Deus poſſet omittere hoc miraculum: nam ut agnoſceretur via, qua tendendum erat in Terram promiſſionis, foret ſatis illam revelari Moyſi. Scio, juſſum Abrahamum immolare filium; quin protunc ſacrificii locus ei notus fieret. Imo, licet in Textu legamus: *Abiit ad locum quem præceperat ei Deus.* Non ei demonſtrata fuit via, qua pergeret in holocauſti locum, per aliquod ſignum externum; ſed ille fuit oſtenſus interiori monitu. Pererius ait: *Monſtravit autem eum Deus, interiori*

Exod. 13. 21.

Geneſ. 22. 3.

Perer. ad c. 22. Geneſ. diſp. 5. n. 34.

interiori monitu & indicatu, &c. Plebs ducitur per nubem? non ſic Abraham? Reſpondeo. Patriarcha firmus erat ſpe, quam ſervabat animo, de poſteritate generanda; quæ duceret originem ex Iſaac: nam mox poſt immolationem reſurrecturum expectabat. S. Bruno Aſtenſis: *Abraham tamen*, inquit, *reſurgere mox filium, ſi occideretur, ſperabat, quoniam Deum non poſſe mentiri ſciebat*: &c. Et accedit, quòd citò fuerat experturus impediri cœlitus occiſionem geniti. Fit ex his, non fuiſſe cur adhiberetur ejuſdem ſpei remedium extraordinarium. Populus autem Iſraël non ſic erat in ſpe conſtans adquirendæ Terræ promiſſæ. Quamviſque firmiter confidere poſſent verbis Domini, quòd venturi forent ad ea loca, de quibus ad Moyſen locutus erat; quia tamen ſpei hujus adimpletio differebatur in longa tempora; congruum extitit, ut mediante figurâ quadam Euchariſtiæ ſacræ ducerentur. Hanc præfiguratam in illa nube ſcis, docente Drogone. *Quæ*, inquit, *eſt nubes, quæ præcedit veros Iſraëlitas, niſi veriſſimum & ſanctiſſimum corpus tuum, quod in altari ſumimus, in quo velatur nobis altitudo Dei, immenſitas majeſtatis tuæ, cujus & calorem & ſplendorem mortalis infirmitas ſuſtinere non poſſet, niſi mediatrix nubes interpoſita, & ardorem temperaret deſuper, & tutam ſubtus te viam præmonſtraret?* Inſiſtens huic ſpirituali ſenſui meditabar, Euchariſtiam diviniſſimam eſſe pro ſpei diuturnæ permanentiâ medicamen excellens; ne pereat illa, nobis euntibus ad cœleſtem repromiſſam terram viventium.

S. Brun. Aſt. in Geneſ. ib.

Drog. ſer. de ſacramen. domi. paſſio. poſt med.

64. *Euchariſtia ſacra nos efficit in ſpe gaudere.*

Sed quia ſpei longæ diuturnitas anxiam reddit animam; eodem medicamento ſaluberrimo, quo validamur ad permanendum in expectatione ſalutari, lætificatur ſpes noſtra, dulcedine ſumpta de radice, cui nititur: nempe de ſuaviſſimo ſanguine Domini; quem juſti de corpore Chriſti ſugunt. Mellea ſuavitas hæc eſt; quæ progerminat æternæ fœlicitatis deſiderium. Ad illud Pſalmi: *De petra, melle* &c. Doctor Angelicus habet: *Mel de petra ſignificat dulcem ſanguinem Chriſti, quem ſugunt fideles de corpore Chriſti. Hæc dulcedo tria bona facit: ſcilicet contemptum vitiorum, gratiam bonorum eloquiorum, deſiderium æternorum.* Utique non poteſt non dulceſcere quod à dulcedine capit ortum: proindeque quamvis deſideria diù dilata generare ſoleant cordis amaritudinem; hoc, de quo loquimur excipiendum videtur: utpote quod juxta D. Thomam naſcitur à dulcedine. Simili pacto fortaſſe ratiocinaberis de ſpe, quæ votis affinis eſt. Nullus in epulo conviva mœſtus: cumque, ſicut latius proſecuti fuimus to. 1. fl. 3. delib. 11. in ſacratiſſimis epulis convivetur ſpes noſtra, prudenter exhilaratur. Non ſicut expectationes mundanas, iſtam ſollicitudo contriſtat, vel timor efficit mœrentem: nam Euchariſticum gaudium facit nos in ſpe gaudere.

Ad Pſal. 80. 17. S. Thom. opuſ. 58. ante fin.

65. Duplicem parabolam Salvatoris ab Evangeliſta Matthæo relatam conferamus: alteram inventæ margaritæ; alteram theſauri reperti. Theſauri proponitur inventor jam gaudens antequam emeret agrum, quo recondebatur. *Præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Mox Textus refert verba Domini de negotiatore; non tamen dicitur gaviſus eoquòd invenerit margaritam pretioſam, quam, venditis omnibus poſſeſſis, pretio comparavit. Inventoris theſauri notabam videri poſſe valde præcox gaudium, quod inventio peperit: non enim adhuc theſaurum poſſidebat. Et ſanè valeret hujus dominus eum nolle divendere: deinde contingere quiret, ut alter ipſo felicior, & audacior, dum ille pergeret ad emptionem, raperet inventas divitias. Quid ergo lætificatur theſauri hujus repertor? & ſimile gaudium concepiſſe non legimus inventorem pretioſæ margaritæ? Lege quid iſta ſignificet apud S. Anſelmum. *Unam*, ait, *pretioſam invenit, quam inventam omnia vendens emit, quia qui cœleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poteſt, perfectè cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter relinquit*, &c. Circa theſaurum in agro conditum audi Paſchaſium dicentem: *Quia nec ager, Corpus videlicet Chriſti, ſine theſauro, id eſt, Divinitate, nec theſaurus Divinitatis ſine agro carnis jure comparatur. Qui quam bene in agro theſaurus abconſus dicitur: quia in carne Chriſti Divinitas corporaliter inhabitans etiam in hoc myſterio ab aſpectu oculorum ne latro videatur, ſubtrahitur, ut fide avidiùs quæratur, quæſita veriùs inveniatur, inventa verò charius habeatur* &c. Itaque ratio peculiaris gaudendi viſebatur in repertore theſauri: quia ſcilicet ex Euchariſtia veniens lætitia nec ſollicitudine diſſipatur; neque turbatur per curas: velociter incipit, & jugiter permanet.

Matth. 13 44

S. Anſelm. com. in Matth 13 46.

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Domin. c. 17. ad Matth. 13. 44.

66. *Ad conſpectū Euchariſtiæ ſpes intenditur & extenditur.*

Dixi de ſpei noſtræ per Euchariſtiam ſacram innovatione, permanentiâ, necnon & lætitia: ſequitur dicendum nunc de augmento ejuſdem. Hoc incrementum dupliciter attendi poteſt; intenſivè ſcilicet ac extenſivè. Creſcit utroque modo ſpes mortalium per iſtud eximium liberalitatis divinæ munus. Ad quid non extendetur hominum expectatio; cum Deum cernant adeo largè munificum in Sacramento, quòd omnes proprias divitias in unico dono clauſit & effudit? Quod attinet ad intenſionem ſperandi; qualem putas confidentiam ingeri juſto perpendenti benignitatem Domini, ſe nobis offerentis in pignus bonorum incomparabilium, quibus potiemur in futurâ beatitudine? Ambas qualitates iſtas expectationis fidelium (intenſionem ſcilicet ac extenſionem) quantùm per Euchariſtiam ſacram juvari dicendum ſit, expendere valebis ex verbis Archiepiſcopi Theſſalonicæ: qui, ſicut videtur, alludens ad myſterium Euchariſticum, ait: *Hic enim non ſimpliciter qualecumque bonum naturæ humanæ communicavit ſibi potioribus reſervatis; ſed ipſam totam plenitudinem Divinitatis, omnes divitias ſuas naturales in eam congeſſit.* Et poſt pauca: *Hanc ob cauſam myſteria ſacratiſſima portæ juſtitiæ meritò nominentur, quoniam Dei erga genus noſtrum ſuprema benignitas & bonitas*,

Nicol. Cabaſil. Archiepiſ. Theſſ. l. 1. de vita in Chriſto. med.

tas, quæ eſt divina virtus & juſtitia, hunc nobis introitum in cœlum patefecit. In his poſterioribus dictis nota, pulſantem ad januam augere ingrediendi ſpem, ſi fores videat apertas. Cumque in corporis Dominici facta nobis donatione, patefactum cernamus introitum ad cœlos, incrementatur ſpes illuc perveniendi; quæ per demonſtrationem illam divinæ largitatis confidenter extenditur. Modò reſtat, ut in aliqua de figuris Euchariſticis confirmemus expenſione quadam prædicta duo: hoc eſt, mortalium ſpem extendi ſimul & intendi fiducialiter ad conſpectum Euchariſtiæ ſanctiſſimæ.

67. Sceptrum Iſraëlis tenebat Salomon dilectus Domino. Poſt oblatum ſacrificium regiâ majeſtate dignum, apparuit ei Deus per ſomnium, *dicens: Poſtula quod vis ut dem tibi.* 3. Reg. 3. 5. Motus amplâ Conditoris oblatione potuit ab eo flagitare multa; ſed unicam petiit ſapientiam. *Non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium* : &c. Vides quàm parcus extiterit Salomon in rogando coram manibus inexhauſtis, quibus oblatum eſt ut oraret quid vellet? Procedamus ultra. Perfecto jam ædificio templi, fuit introducta ſolemniter arca. Rex manibus expanſis in cœlum, orationem fudit Altiſſimo; qua popoſcit non pauca, nec exigua: quinimo tot exegit, ut ea modò numerare non vacet. Legat cui per otium licuerit caput 8. l. 3. Reg. à n. 25. Quid ſpem Salomonis provocavit, ut multa peteret; cum antea ſolam ſapientiam poſtulaſſet? Adverte, diviniſſimi Sacramenti figuram præceſſiſſe priuſquam petitiones iſtas effunderet Salomon in domo Domini. *Immolabant oves & boves abſque æſtimatione & numero.* Ad quæ verba Rupertus: *Magna feſtivitas*, inquit, *magna celebritas. Et hic quidem Salomon rex in dedicatione templi manufacti, oves & boves immolabat, cum quanta poterat populi frequentia; Chriſtus autem Dominus & Rex omnium in dedicatione templi non manufacti, ſcilicet corporis ſui, vivum & verum ſacrificium obtulit, ... primùm in Sacramento panis & vini, deinde in propria ſpecie ligno crucis affixus*, &c. Quidni Salomonis increſceret ſpes, & amplecteretur multa; cum eâdem die præmiſſa fuerit imago Sacramenti: cujus vel umbra ſpes alit Adamidum? Niſi vegetetur hoc fortificante paſtu, non audebit multùm, nec ad plurima protendetur expectatio noſtra.

Ib. n. 11. Ib. c. 8. 5. Rupert. l. 3. in libros Reg. c. 16.

68. *Euchariſtia dirigit ſpem noſtram.* Reliquum eſt, ut qualiter ſpes humanæ per Euchariſtiam dirigantur, videamus: quod erit ſatis pervium, cum Sacramentum iſtud ſit vera lux, quantumlibet ſpecierum ſacrarum velamine tecta. Sol materialis non deſinit illuminare viatores, quamvis nubibus obvolvatur ſplendor ejus: Sol juſtitiæ non ſubtrahit illuminationem facientibus iter in moleſtâ peregrinatione vitæ; licet in miraculorum ter maximo radios abdiderit. Res divinæ captus hominum longe ſuperant: unde per ænigmata prorſus creata manuducimur ad illa perſpicienda, quatenus intellectui, dum carne ligatur anima, conceditur. Cupiens divinus Magiſter quamvis in Empyreo poſitus, alumnos doctrinæ ſuæ propiùs accedens erudire, Sacramentum iſtud inſtituit, verè panem intellectus. Huc aliqualiter facit quod Zacharias Epiſcopus ait: *Nunc autem gratia tanti Sacramenti, quod per excellentiam dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia, videamus ſacramenta inſtituta eſſe propter eruditionem, humiliationem, exercitationem. Eruditio eſt, quod mens per viſibilia promovetur ad inviſibilia intelligenda.* Unum, & non parvi momenti, circa quod nos inſtrui congruum fuit, ſpes equidem eſt: nam, ſi quid oremus, ut oportet, neſcimus; quomodo non indigebimus edoceri quid ſperandum; & quomodo? Inſtructionem iſtam peculiariter accipit expectatio noſtra per ineffabile Sacramentum: nam hoc tangit ſpeciali modo noſtram ſpem; ita quod idem citatus Epiſcopus eo loco dixerit infra: *Panis eſt ſacramentum charitatis, vinum ſpei, aqua fidei.* Exerrat ſpes humana quandoque: reducetur in viam per eſcam ſacramentalem: hac valet rectà dirigi, cum aberraverit.

Zachar. Epiſc. l. 4. in unum ex 4. c. 156. longe poſt princ. Idem ib.

69. Spoliatis principibus tenebrarum, devictâ morte, palmam referens immortalem, Dominus exercituum reviſit denuo terras; non iterum deſcenſurus in certamen. Viam carpebant ex amicis duo, qua tendebatur in Emmaus, mæſtitiaque premebat cor eorum. Salvator ignotus appropinquavit eis, & ſermones miſcuit. Illi comitem invitarunt, ut maneret cum ipſis. Dum recumberent ad menſam, conſecravit Euchariſtiam ſacram, & porrigebat illis. Ita S. Auguſtinus inſinuavit, cum dixit: *Ubi voluit Dominus agnoſci? In fractione panis. Securi ſumus, panem frangimus, & Dominum agnoſcimus. Noluit agnoſci niſi ibi propter nos, qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi ejus carnem* &c. Quid amplius meruerunt hi duo diſcipuli Redemptoris, ut ejus manu porrigeretur eis communio ſacra; quod beneficium non legimus, poſt reſurrectionem ſuam alii cuiquam obtuliſſe? Non propter majus meritum eorum id contigiſſe reor; ſed quia nimis indigebant hoc illuminante cibo, quo dirigeretur eorum ſpes; quæ prorſus exerraverat. *Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël*: &c. Theophylactus ibi: *Chriſtum expectabant vulgares, & minus exercitati Salvatorem & Redemptorem à malis, quæ eis imminebant, & jugo ſervitutis Romanorum: ſperabantque eum regnaturum ut regem terrenum, ideo & dicunt: Nos ſperabamus quod ipſe redempturus eſſet Iſraël, videlicet à gentilibus Romanis*, &c. Spes illa quidem ceſſaverat concepta circa liberationem à jugo Romanorum, per Magiſtrum ſuum exequendam; prout indicaverunt loquentes de præterito: *Sperabamus* &c. Sed, ne rurſus in eumdem errorem decideret eorum expectatio; congruum fuit, ut hæc per ſacro-ſanctam communionem dirigeretur: iſtâ quippe docetur, creſcit, lætificatur, inſtauratur, & permanet ſpes hominum. Si tot munera ſuſcipit hinc expectatio;

S. Aug. to. 10. ſerm. 140. de temp. Luc. 24. 21. Theophylac. ib.

qualis erit cumulus omnium donorum simul, cujus abundantiâ justus communicans *replet animam suam* ?

DELIBATIO VII.

Justus per sacratissimam communionem abundat honore.

70. *Dignè communicans tanto fruitur honore, quòd ei servire vocari possit beneficium.*

INnatus est hominibus honoris amor : non enim de se vitiosus est, sed indifferens : quo si juxta rectam rationem utamur, ad multa laudabilia ministrabit. Divina bonitas per dona gratiæ naturam non abstulit humanam ; sed perfecit. Conformem igitur se Deus præstans eidem, quæ decus amat, honores obtulit. Sic dedit hominibus potestatem, ut filii Dei fierent ; ac proposuit bellica certamina, quibus triumphos assequerentur inclytos ; atque decrevit, ut qui decertarent legitimè regnarent in perpetuum. Similiter in collatione Sacramenti magnum contulit nobis honorem, de quo S. Joannes Chrysostomus : *Unicuique fidelium semetipsum per mysterium commiscet, & quos genuit per semetipsum enutrit, nec alteri tradit, & hoc tibi persuadens, quod carnem tuam assumpsit. Ne torpeamus igitur tanta digni charitate & honore putati.* Honos hic multifariam valet explicari : nunc illum perpendamus ex unione sacramentali, quam sæpe tetigimus, inter Christum Dominum, & ritè communicantem. Iste sic arctus est nexus, ut non desit qui dixerit, nos astringi Salvatori plùs cognationis ligamine per Eucharisticum panem, quàm parentibus nostris per originem. Nicolaus Archiepiscopus : *Quod perfectam*, inquit, *hominum erga Deum communionem operatur, sive rem illam latriam, sive filiorum adoptionem, sive utrumque velimus appellare, sacra cœna est : quod nos Christo arctiore cognationis vinculo astringit, quàm parentibus ex ipsis natos esse.* Sanè vides quàm præclaros reddat homines parentum splendor, vel de regum dono veniens, aut de factis ingenuis promanans. At quid hoc est, si conferatur cum honorificâ celsitudine, quam suscipit unitus per communionem Deo ? Igitur crede, terrigenas ad tantum decus ascendisse per donationem Eucharistiæ divinissimæ, quòd sit beneficium non exiguum exhibere servitium communicanti. Nonne sunt honorabiles apud sæculum plures eo quòd serviant regibus, & hoc munus ipsum accipitur dono ? sic, & altiùs, cogita, dignè communicantem honore tanto frui, quod eidem servire computari potest quasi beneficium.

Chrysost. to. 5 hom. 60. ad pop.

Nicol. Archiep. l. 4. de vita in Christo. longe post med.

71. Industriâ matris ductus, adjutus luminum caligatione paternorum ; sed, quod caput est, disponente providentiâ Domini, benedictionem, quam præparaverat præcedentia nativitatis Esaü, Jacob germanus accepit. Ignarus rei, quæ fratri contigerat, venit Esaü suscepturus benedictionis prædictæ sortem. Cumque didicisset à genitore, Jacob fuisse benedictum jam titulo primogeniti, rogavit parentem, ut sibi necnon benediceret. Pater ejulatu motus filii, *dixit ad eum : In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper, erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo servies* : &c. Non est omittendum, Isaac benedicentem filium natu majorem, dixisse, quòd serviturus foret Jacobo : nam servire magis ad maledictionem, quàm ad benedictionem spectare videbatur. Istum nodulum solvam ex doctrinâ S. Basilii Magni, dicentis : *Hac de causa Jacob dominus Esaü ex benedictione patris factus est, ut etiam nolens & invitus à prudente insipiens beneficio afficeretur, proprium curatorem, ipsam videlicet mentem non habens.* Ex hoc S. Doctoris pronuntiato deducere licet, genitorem circa filium Esaü fuisse beneficum in eo quòd addixerit illum serviendo fratri : nam, si beneficium futurum erat ei præstandum à Jacob, quòd tamquam dominus ejus de illo curaret invito ; consequens etiam est, patrem benefecisse filio Esaü, per hoc, quòd servitio Jacobi deputaverit eum. Hoc (si placet) posito, quæramus, qua de causa sic meditari possimus. Memento præcessisse figuram Dominici corporis & sanguinis in benedictione, quam Jacob acceperat : nam eò tendunt illa verba : *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* Incertus dixit : *Ejus est multitudo frumenti & vini, hoc est, multitudo quæ colligit frumentum : & vinum in sacramento corporis ejus, & sanguinis.* Ne demireris quòd existimaverim, deno datum fuisse tunc Esaü quòd inserviret fratri Jacob ; cum iste susceperit aliqualiter in umbrâ Sacramenti munus. Mehercle per Eucharistiam sacro-sanctam conceditur ea dignitas homini, quòd ipsum aliis dominari dici queat beneficium acceptum ab eis, qui sub illius dominio sunt.

Genes. 27. 39. 40.

S. Basil. Mag. l. de Spirit. sanct. c. 20.

Incert. sub nomine S. Eucher. l. 2. in Genes. ante fin.

72. *Eucharistiæ cibus est regum.*

Sed quia proximè supra, dum explicaremus honorem prædictum, tetigi regis exemplum terreni, propterea quòd servire familiariter eidem numeretur inter dona regia ; nunc stabiliamus, communicantes dignè reges verè spiritualiter esse. Dupliciter adipiscitur homo spiritale regnum : primò cùm in vita mortali dominatur propriis passionibus : & secundò cum in cœlesti beatitudine fuerit coronâ redimitus. De primo non dubites. Ad illud Psalmi 2. 10. *Et nunc reges intelligite* : &c. B. Bruno Herbipolensis ait ex Cassiodoro : *Reges dominatores vitiorum dicit*, &c. De secundo verò regnandi modo nulli veniet in mentem hæsitare. Quod autem ritè communicans dominetur propriis vitiis, experientia justorum testatur. Legito Gerardum. *Si*, ait, *igitur post sumptionem hujus glorioſissimi sacramenti non tam sæpe, non tam acerbos motus sentis iracundiæ, invidiæ, luxuriæ, & cæterorum hujusmodi, gratias age corpori & sanguini Domini*, &c. Hæc repressio motuum indicat, rempublicam privatam justi communicantis regimine sollicito gubernari per eumdem ; qui propterea veraciter dicendus est rex : ac solis ejusmodi principibus (qui nempe se studeant regere, ad hoc ut accedant ad mensam

B. Brun Herbip. ex Cassiod. ad Psal. 2. 10.

Gerard Zutphan l. de refor. virium ani. c. 27. ante med.

ſam Domini dignè) paratur panis Euchariſticus. Rupertus : *Præbebit ergo*, inquit, *delicias regibus Aſer, qui hujus panis pinguedine perfruitur, regibus, inquam, id eſt, eis qui ſemetipſos ſtudent regere, ut ſint digni menſa regalis curiæ, delicias præbebit vitalis alimoniæ, ſive Euchariſtiam porrigendo, ſive pinguem medullam ſcripturarum exponendo.* Maneat igitur cibum Euchariſticum regibus congruere.

Rupert. l. 9. in Gen. c 34.

73. Deliquit Adamus ; & à ſupremo Judice projectus eſt è paradiſo. Sed quare? Dominus ipſe dixit : *Nunc ergo ne ſorte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Quæro duo. Primum : nonne poterat efficere Dominus, ut quamvis Adam poſt lapſum de ligno vitæ manducaret, non acciperet effectum, quem fructus ille præſtaret hominibus, dato quòd ampliùs duraret ſtatus innocentiæ? Quis inficiabitur? Secundum : an in paradiſo multa non erant, quibus per ejectionem privatus eſt primus parens? Nulli dubium. Quid igitur in ligno vitæ ſpeciale reperiebatur, ut à paradiſo fuerit Protoplaſtus expulſus, ne de fructu comederet illius? Ante ſolutionem ſuppono primò, vitæ lignum imaginem prætuliſſe Redemptoris poſiti ſub accidentibus Euchariſticis. Paſchaſius: *Arbor*, ait, *quidem ligni vitæ, Chriſtus nunc in Eccleſia eſt, cujus imago in paradiſo arbor illa fuit.* Et infra : *Unde & lignum vitæ jure dicitur Corpus : quia ſicut illud immortalitatem corporis ſumptum præſtitiſſet, ita iſtud, imo ſolidiùs vitam præſtat, cum obſervatione mandatorum Dei æternam.* Suppono ſecundò, Protoparentem noſtrum ſuo modo fuiſſe regem. Moyſes Barcepha Epiſcopus: *Regia*, inquit, *atque principali Adamum donatione amplificavit ait enim :* Et dominamini piſcibus maris, &c. Adde Severianum : *Conceſſa*, inquit, *Adamo erat univerſa terra .... Regia vero ac pro heri majeſtate illius habitatio paradiſus erat.* Suppono tertio, Adamum per culpam regnum amiſiſſe. Sic D. Proſper indicat, cum ait : *Quis enim ſufficienter enumeret, quæ & quanta bona illi abſtinentiæ contemptus ademerit? quod intellectualis mentis dignitate donatus, imaginem ſui Creatoris accepit : quod ſoli Deo ſuo ſubjectus, omnia viſibilia ſibi ſubjecta conſpexit :* &c. Quibus poſitis, dubium ſolvam excitatum ſupra. Delicto perdiderat regiam dignitatem Adamus : incongruum foret ut cibo regum poſt delictum veſceretur in umbrâ : ſcilicet Euchariſtiâ ſacra ; cujus typus extitit lignum vitæ. Propterea ratio peculiaris extabat, ut ideo pelleretur à paradiſo, ne de fructu manducaret arboris illius. Euchariſticum pomum cibus eſt regalis : illo minime fruuntur niſi reges.

Geneſ 3. 22.

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Domin. c. 7.

Moyſes Barceph. Epiſc. l. de parad. p. 1. c. 28. longe poſt princ.

Severian. or. 6. de creat. mun. poſt princ.

S. Proſp. de vit. contemplat. l. 2. c. 18.

74. *An videatur conferri plus honoris hominibus in Euchariſtica menſa, quàm in cœlis?*

Alium debeo tibi, lector, exponere genus regnandi ſpiritualiter ; quod etiam per communionem ſacram conſequemur : ſcilicet in cœleſti Jeruſalem : nam licet per acceſſum ad menſam Euchariſticam non illuc mox transferamur ; attamen adhæremus Principi gloriæ ; qui regnat in cœlis, & ſuſcitabit nos in poſtrema die : cum quo perfruemur perennaturo regno. S. Thomas à Villa-nova dixit exponens verba Salvatoris : *Nunc, inquit, habet vitam æternam in anima, & poſtmodum, ut integra & perfecta ſit ejus beatitudo, ego cui adhæſit, cui in altario inviſceratus eſt, quia vita ſum, viviſicabo & reſuſcitabo eum in noviſſimo die : ut corpore & ſpiritu totus deificatus, meo jucundiſſimo aſpectu cum Angelis in gloria perfruatur.* Eximium fatemur eſſe decus illud, quod Sancti conſequuntur in cœlis regnantes : at venia ſit hyperboli. Videri poterit honoratiorem locum recipere communicantem dignè ; quàm Chriſto Domino conregnantem in patria. Miniſtret exaggerationi fundamentum veritas aliquatenus. Identidem recolimus (& nunquam ſatis) hominem per myſteriorum participationem in Deo manere. Non ita lego futurum per beatitudinis poſſeſſionem. Imo legimus apud Lucam, dixiſſe Redemptorem : *Tranſiens miniſtrabit illis.* In Euchariſtica menſa non certè Dominus tranſiens miniſtrat ; ſed miniſtratus à ſacerdote manet in diſcumbente. Habetur in Apocalypſi : *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo* : &c. cum verò manducatur in epulatione ſacra, feliciter uniatur ei, ſicut multoties notatum eſt. Hæc ſatis, ut appareat, exhiberi plus honoris hominibus in Euchariſtica menſa ; quàm in regno perpetuo.

S. Thom. Villa nova ſer. 3. de Euchar. fin.

Luc. 12. 37.

Apoc. 3. 21.

75. Vidit Joannes in circuitu ſolii, quo ſedebat Altiſſimus viginti-quattuor ſeniores etiam ſedentes, & coronis aureis redimitos. Quid iſti ſignificaverint ex Hugone Cardinali collige : qui ſuper illud : *Circumamicti veſtimentis albis*, habet ſic : *Ecce* gloria corporis. Et poſt pauca, perpendens coronas illas, commentatur : *Id eſt remunerationes & gaudia pro victoriis, quas in ſæculo per charitatem & ſapientiam & patientiam obtinuerunt de peccatis & tyrannis : ecce gloria animæ, quæ per aurum ſignificatur : quia in auro fulgor ; ecce cognitio : item rubor ; ecce dilectio : item pretioſitas ; ecce poſſeſſio, comprehenſio, ſive fruitio.* Ex his inferre poteris, viſos à diſcipulo ſeniores deſignaviſſe congregationem Sanctorum, qui cum Deo regnaturi ſunt in æternum. Nihilominus prædicti grandævi, cum darent animalia myſtica gloriam Domino, ſe proſternebant ante Dei ſedem. *Procidebant viginti-quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum*, &c. Hæc legens admirabar, Apoſtolos in cœnaculo mox atque divinus Magiſter conſecravit Euchariſtiam, non illam adoraſſe procidentes. Imo vel ſedentes communionem ſacratiſſimam ſumpſerunt, prout videtur innuere Maldonatus in cap. 26. Matth. n. 20. vel recumbentes, juxta priſcorum Iſraëlitarum conſuetudinem : cui dicendi modo videtur favere S. Irenæus, dicens : *Recumbentibus eis miniſtrabat eſcam ſignificans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vitam.* Humiles Apoſtoli non procumbunt ante ſacram Euchariſtiam, ut ejus fidem proteſtentur? ſeniores autem procidebant ante Deum? Hoc unum ſcio ; quod Apoſtoli communionem ſanctiſſimam ſuſceperunt in illa menſa ;

Ad Apoc. 4. 4. Hug Card. in com.

Apoc. 4. 10.

S. Irenæ. l. 4. adverſ. hæreſ. c. 39.

mensa ; non autem Sancti communicaturi sunt in cœlis. Utrum verò propterea quòd Apostoli non corruerint adorantes, appareat, ipsos plus honoris assecutos in convivio sacro, quàm in æterna mansione, tu cogita.

75. *Honor tollēs abiectionem habetur major, quàm collatus alteri jam valde honorato.*

Examinare vellem quæstiunculam pro utrâque parte, disputans, per quod mysterium natura nostra decus acceperit majus: an incarnatione Domini, vel inscrutabili Sacramento ? Rationem unicam pro singulis apponam. Plurimùm Deus exaltavit humanum genus, cùm dignatus est nostram sumere mortalitatem. Obvia sunt cuique motiva, de quibus inferat quantus honor inde nobis promanaverit. Hoc unum prosequar. Per incarnationem sublevati fuimus qui lapsi jacebamus, per Eucharistiam verò sublimatur justus, qui jam satis elevatus erat per gratiam. Sic è miseriâ summa nos erexit in sublime Patris Unigenitus factus homo, ut verum sit, & cunctis imbutis verâ fide notum id, quod Algerus dixit : *Ut ipse de Spiritu sancto conceptus & Dei filius, non renatus, sed natus, nos in iniquitatibus conceptos, & servos diaboli natos, per gratiam filios Dei renasci faceret* : &c. At verò Sacramenti diviniſſimi sumptio, cum solis concedatur in statu gratiæ constitutis, hominem supponit jam effectum Dei filium : ideo namque dicitur panis filiorum ; ad quod videtur intendere Doctor Angelicus, dum ait : *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum : verè panis filiorum* : &c. Sic discursum instituet qui propositam quæstionem solverit pro parte priori, dicens : Major videtur honos conferri, cùm aliquis de statu levatur abjecto ad magna ; quàm si jam aliàs præclarus ad novos ascendit honores. Quippe, sicut præcedens mœror efficit ut vicina subsequens hilaritas profusior extet ; sic decus tollens abjectionem honoratior habetur exaltatio.

Alger. l. 1. de corpor. & sang. Dom. c. 2.

S. Thom. opus. 57.

77. In superbiæ suæ colle, regii favoris vento sublatus in altum, positus erat Aman ; Mardochæus autem, quamvis esset reginæ patruus, quia tamen hoc erat ignotum, in statu versabatur humili. Cœpit mutare fortuna vices : nescit enim sistere perpetuò. Jussit Rex affici Mardochæum honore publico, ductum equo, super caput impositio diademate regali. Præcedebat miser Aman, & clamabat : *Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.* Emphatica videntur illa verba : *Hoc honore* ; q. d. Tali, vel Tanto. Honorem istum elargitum sic Mardochæo magnum extitisse video. Sed an etiam non valde condecoratus fuit Mardochæus, cùm Assuerus annulum regium, quo litteræ signabantur regales, illi tradidit postea ? nonne multùm honorificatus est per hoc, quòd, notâ jam cognatione reginæ felix, egrediens de palatio refulsit vestibus regiis, & coronam auream portavit in capite suo ? Decorosa quidem fuerunt ista ; sed nonnihil decrescunt ex eo, quòd jam Esther detexerat, Mardochæum esse patruum suum. *Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo.* Et infra legitur : *Fulgebat vestibus regiis hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite*, &c. Annulus, regiæ vestes, & corona, non adeo mirabiliter decorant hominem, quem sciebat Assuerus, patruum esse reginæ. Sed antea cùm hoc ignorabatur ab eo, Mardochæusque degebat humiliter, maximum quid fuit honestari per gestationem publicam, impositio diademate regali : tunc, non autem postea, de magnatibus unus fit honoris ejus preco, dum ex humili sorte fortunatus emersit præclarissimè. Honorificatur nimis ille, qui de statu demisso tollitur ad honorem. Genus humanum per vocationem ad epulum summi Regis conspicuam recepit, fateor, gloriam ; sed homines hac mensâ potiuntur, postquam per gratiam exaltati sunt in excellentiam filiorum Dei : proindeque non tam splendidè lucet honor iste ; sicut ille prior susceptus per incarnationis mysterium ; cùm scilicet de miseria vilissima peccati misericorditer extracti sunt Adamides ad filiationem divinam per Deum factum hominem. Hæc pro mysterio incarnationis.

Esth. 6. 11.

Ibid. n. 15.

Ib. c. 8. 1. 2.

78. *Præcipua circumstantia honoris est, suscipientem esse dignum illa.*

Non deerit attamen qui pro contraria parte quæstionem dissolvat : affirmans, honorabilius, quàm incarnationem, fuisse naturæ nostræ mysterium Eucharisticum. Hac ratione ducetur ille, cui magis placuerit sic deliberare. Adamo progeniti sunt honorati citra merita sua per hoc quòd Verbum divinum sit factus homo ; justus autem per communionem sacro-sanctam, recipiens effectus ejus, istis condecoratus manet ex merito proprio. Manifestum est rectè sentientibus, honorem indigno collatum, etiamsi conferatur absque donantis industriâ, non tam venerandum reddere suscipientem ; longeque plus extolli dignum per honorationem præmio donatam. In homine priori quid colis ? an liberalitatem largientis id, quo dignus non erat ? Damna potius donatorem ; & accipientis audaciam. Econtra reperis in benemerito facta quæ venereris ; & quibus fiat celebris dignus honore. Huc aliqualiter aptari potest S. Isidorus Pelusiota. *Si*, ait, *trophæum statuit, præconis voce celebretur : si autem fortuna hoc præstitit, laudem ne consequatur. Si dimicavit, corona donetur : si autem non pugnavit, ne laudetur.* Scio, non ita rem apud sæculum censeri : nihilominus veritas non sumitur à cœcorum judicio. Non incongruè poterit accommodari doctrina præsens ad ea, quæ nuper dicebam. Sed antequam rem claudam, statuamus, honorem ex eo præsertim eximium reddi, quia recipiens dignus est illo : non præcipuè commendetur felix à largitate donatoris ; sed à dignitate propriâ.

S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 102.

79. In Apocalypsi jussus est Evangelista sic scribere Præsuli Sardis : *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua : & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Quid ibi significet albedo vestis, aperuit Lira, dicens : *Per albedinem vestis intelligitur stola gloriæ & immortalitatis.* Certè qui gloria fruituri sunt æterna

Apoc. 3. 4.

Liran. ib.

designati

deſignati fuerunt electione divinâ principium neſciente. Cur ergo non dicitur: Ambulabunt mecum in albis, hoc eſt, immortalitatis & gloriæ ſtolam conſequentur, quia præordinatione meâ fuerunt electi? ſed, *quia digni ſunt?* Ita loquitur, ut honorificentiùs de ipſis effaretur Dominus. Iſti quidem, quorum fit ibi mentio, fuerant in libro vitæ ſcripti pro meritis. Rupertus ad eum locum: *Nomina, inquit, pauca. Id eſt nominatos penes te habes ex nomine mihi cognitos, & pro meritis ſuis in libro vitæ deſcriptos*, &c. Sed advertendum eſt, juxta bonam quorumdam Theologiam, prædeſtinatos bis à Deo deſcriptos ad gloriam: ſcilicet primùm gratuitò, ſecundo verò propter merita præviſa. Non dictum eſt in præſenti loco, eos, de quibus incidit ſermo, ſtolam gloriæ conſecuturos, quia fuerunt electi, Deo ſic volente; ne ſumeremus hoc de illa priori electione, quæ non ex meritis præceſſit: iſta quippe non eſt quæ principaliter honorat electos. Magis dictum eſt, fruituros eâ felicitate, quia digni erant. Qui decoratur ob merita, propterea credatur honorabilior, quia meruit honorem. Hoc aptabit aliquis noſtræ ſuprapoſitæ quæſtioni ſolvendæ: judicans, majori nos affectos decore per communionem ſacram, quàm per incarnationis myſterium: nam per iſtud accepit homo filiationem Dei, quin humana merita dederint quòd fieret homo deſcendens in terras Unigenitus Patris; atverò manere communicantem per ſacratiſſimam dapem feliciter in Domino, juſtus accipit ex merito proprio: magis honorificum id eſt. Quæſtionem ſic utcumque diſcuſſam lectoribus remitto: judicium ferent melius cum dixerint ipſi. Quidquid eligas, manet, quòd juſtus per Euchariſtiam ſacram honore multo *replet animam ſuam.*

Rupert. l. 2. in Apoc. ib.

DELIBATIO VIII.

Anima Deo chara per ſacram Euchariſtiam repletur pace.

80. *Pax interior accepta per Euchariſtiã defendit hominem.*

MUlti ſunt adeo proventus ab epulo divino manantes, ut vix unquam finem dicendi faciamus, cupientes illos numerare. Liberalitatis Domini præconium eſt non vulgare, tot utilitates in uno mnnere conjunxiſſe. Opus amoris eſt: qui parcitatem non eligit in donando, ſi valet abundè benefacere dilecto. De Sacramento altaris loquentem accipe S. Laurentium Juſtinianum. *Frequentatur autem*, inquit, *in Eccleſia, ut juſtis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mœſtis, diligentibus exultationem, nutantibus ſpem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem, atque defunctis conferat requiem.* Ex his edulii ſanctiſſimi nnmeratis effectibus, quoſdam omittere cogor; alios expendi jam ſupra; nonnullos delibationi ſequenti repono. Cogitatione verſabimus modò ſolam pacem; quæ quidem cum hoc Sacramento proportionem vendicat maximam. S. Præſul Valentinus dixit: *Ideo enim Sacramentum hoc convivium ducitur, quia ſacramentum eſt unitatis & pacis, in concordia edentium inſtitutum.* Præmittendum etiam eſt, non unicum eſſe genus pacis. S. Thomas Aquinas: *Et*, inquit, *ſic triplex pax in homine: quædam intrinſeca ſecundùm quam pacificatur ſibiipſi abſque perturbatione virium. Pſal.* Pax multa diligentibus &c. *Alia eſt, per quam homo pacificatur Deo totaliter ejus ordinationi ſubjectus. Rom.* 5. Juſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum. *Tertia pax eſt ad proximum. Hebræor.* 13. Pacem ſequimini cum omnibus ſanctis, & ſanctimoniam. De his tribus generibus pacis diviſim nonnihil dicam: omnibus enim illis perutilis eſt communio ſacra. Quod attinet ad pacem illam, qua pacificatur homo ſibi, multum prodeſt cibus ille ſalubris. O quantùm præcellit pax iſta per Euchariſtiam ſacram inita ſuaviter inter hominem & ſemetipſum, pacem alteram ab hominibus conceſſam. Verè non quomodo mundus eam donat, Chriſtus dat nobis. Pax humana minimè defendit eos, qui potiuntur illâ: proptereaque ſolent vigilantes principes dum bella quieſcunt arces munire, bellicis inſtrumentis armamentaria replere. Pax interior, quam ſacratiſſima daps operatur in juſto, ſimul eum tuetur: ipsâ pace defenditur.

S. Laur. Juſt. ſerm. de Euchar. longe poſt princ.

S. Thom. à Villa nova ſer. de fœd. Princ. longe poſt princ. Doct. Angel. com. in c. 14. Joann. lect. 7. poſt princ.

Juſti mos eſt, non tantùm Deo perſolvere laudem; ſed alios advocare laudatores: quia ſe credit inſufficientem, ut pro dignitate Dei præconia dedicet eidem. Idcirco David invitabat Jeruſalem, hoc eſt Eccleſiam, ut collaudaret Altiſſimum, dicens: *Lauda Jeruſalem Dominum* &c. ſic exponente S. Brunone Aſtenſi: *Invitat nunc Propheta totam Eccleſiam ad laudem Dei, quæ per Jeruſalem, & Sion ſignificatur.* Unum ex divinæ laudis motivis, quæ Pſaltes offert Eccleſiæ, pax eſt à Domino data. *Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.* Exponit Euthymius: *Ab omnibus finibus tuis bellum removit: unde regionis tuæ terminos effecit pacificos. Vel qui poſuit pacem in finibus tuis.* Cum his tamen ſtat, illud Prophetæ dictum intelligi valere ſenſu morali de anima juſti. Favet aliquantùm Arnobius: qui ad eumdem Pſalmum ait: *Vides ergo, quia, ut ſupra diximus, noſtrum eſt ſerare portas, haſtibus impetum facientibus, ſed Domini eſt confortare ſeras portarum Jeruſalem*, &c. & infra: *Qui ergo hæc omnia intus in anima ſua die noctuque meditatur, habens intra ſe Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos, civitas Jeruſalem factus, claudit portas inimico & angelis ejus*, &c. Poſt hæc notabam, tunc de pace recepta mentionem fieri, cum panis Euchariſticus memoratur. *Et adipe frumenti ſatiat te.* Ad quæ verba Lira ſic habet: *In ſacramento Euchariſtiæ, quod conficitur in pane de frumento, & eſt refectio.* Igitur, ſi per Jeruſalem intelligamus animam piam, poterimus de præmiſſis colligere, pacem ipſi datam per ſatietatem Euchariſticam. Non in hoc hærebit quiſquis recoluerit qualiter per mirabillimam unionem cum Rege pacifico bellici motus

81.

Pſal. 147. 12. S. Brun. Aſt. com. in Pſal. ib.

Eod. Pſal. n. 14. Euthym. com. in Pſal. ib.

Arnob. in Pſal. 147.

Liran. ib. ad n. 14.

humanæ partis inferioris contra ſpiritum reprimantur, ita quòd in pace conſtitutus dici queat homo, quatenus conceditur in vita mortali. Nunc inquiro. Cur non dictum eſt, Deum poſuiſſe pacem in medio Jeruſalem, hoc eſt, animæ; ſed in finibus ejuſdem? Reſpondeo. Quod in urbis medio clauditur, non ſolet urbem tueri; ſed quod ponitur in civitatis muris, vel in ſuburbiis. Pax illa felix interna, quæ ſanctè communicantibus datur, non ſolummodo lætificat hominem; ſed tutatur ipſum: quapropter innuitur meritò, pacem iſtam in ejus finibus eſſe: *Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.* Uſquenunc de pace juſti cum ſeipſo.

82. *Vbi memoria ſaltem conſervatur Euchariſtiæ placatur facilè Deus.*

Sequitur conſiderandus modus alter pacis, nempe hominis cum Deo. Peccata bellum commovebant inter Deum & hominem: certabatur utrinque jugiter: Dominus dimicabat beneficiis; homo reſiſtens pugnabat ingratitudinibus. Ventum eſt ad fœdera. Arma depoſuit homo, id eſt, crimina; Creator autem nequaquam ſua dimiſit, hoc eſt, minimè ceſſavit à benefaciendo. Monent politicæ gubernationis regulas præſcribentes regem prudentiâ præditum, ut arma tenens manibus ineat pactum pacis. Prudentiſſimus orbis Moderator cum rebellibus prælia gerebat; &, ut paulòpriùs dicebam, donis oppugnabat eos. Finito certamine fœderatus eſt homini; ſed non ipſe depoſuit inſtrumenta pugnæ: ſcilicet largitiones, quibus eum ſubigere curavit certè ſuavi præliandi genere. Multa ſunt myſteria, de quibus agnoſcimus, Deum hominibus amicè placatum. Ita recogitamus ipſius benevolentiam in eo, quòd unitus eſt naturæ mortali: necnon & pro filiis Adæ mortem obivit. Sed ne prætereatur Sacramentum altaris: nam hoc mediante Deum placari dubium non eſt. Archiepiſcopus Theſſalonicæ: *Chriſtus*, ait, *ipſe nobis juſtitia factus eſt à Deo Patre, & ſanctificatio, & redemptio, & inimicitias in carne ſua diſſolvit, & Deum nobis placat: non ſolum cum naturæ communicat, neque ſolum quando morte occubuit: ſed ſemper, & unicuique hominum: tum ut cruci affixus: nunc ut epulum dans, ſi reſipiſcentes veniam rogitemus.* Hæc tria Deum placandi media, quamvis in hoc effectu ſimilia ſint, attamen diſconveniunt in eo, quòd primum & ſecundum, ſcilicet incarnatio, morſque Redemptoris non ſunt reiterata; Sacramentum verò ſæpiſſimè renovatur: & meritò, cum ſit præſentaneum remedium, quò Deus nobis exhibeat ſe placatum. Hoc adeo verum habet, ut etiam perantiquum Euchariſtiæ ſignum fuerit opportuniſſimum ad indignationem Omnipotentis avertendam. Ubi vel Euchariſtici memoria ſacrificii manet, facilè Tonantis ira lenitur.

Nicol. Cabaſil. Archiepiſc. l. 4. de vita in Chriſto longe poſt princ.

83. Per numerationem populi, Davidis juſſu factam Dominus offenſum perhibuit ſe non vulgariter. Sed puniens regem dolentem jam de facto ſuo, benevolentiam ſupplicio commiſcuit: nam reo fecit optionem, quônam de tribus mallet pœnas dare. Dierum trium peſtem delegit ille: ſic enim voluit potiùs in manus incidere Domini miſeratione plenas, quàm in humanas pietatis exortes. Cum vidiſſet rex Angelum, qui cædebat populum, oravit ſupplex Domino, quòd potius contra ſe, domumque patris verteretur plaga. Sed accedens propheta Gad, regi dixit: *Aſcende, & conſtitue altare Domino in area Areuna Jebuſæi.* Quidne latet in hac area myſterii, quod magis illa, quàm altera quælibet aſſignata fuit per Videntem, ut in ea David altare Domino conſtitueret? Exiſtimo divinum ſpiritum ſic inſtruxiſſe Prophetam: quia quondam præceſſerat in ipſo loco figura quædam Euchariſtiæ: ſcilicet Iſaaci præparatum ſacrificium à genitore filium immolaturo, niſi vetaretur cœlitus. In hoc holocauſto deſignata fuit incruenta quidem hoſtia ſacratiſſima, juxta D. Thomam dicentem: *In figuris præſignatur: cum Iſaac immolatur*: &c. Et Angelomus notans ubi conſtruere voluit altare David, ait: *In illo ſiquidem loco, ut Hebræi autumant, aliquando contigerat Abraham offerre filium ſuum Iſaac*, &c. Curaturus erat Monarcha pius indignationem Domini flectere per holocauſtum: fuit opportunum, hoc ibi mactari potiùs ubi permanebat hujuſmodi veſtigium illius Euchariſticæ figuræ. Sic efficax eſt iſta propitiatoria victima, quòd jam non dicam umbrâ mitigatam ejuſdem ſeveritatem ignitam Dei; ſed etiam per figuræ veſtigia manſuefactam.

2. Reg. 24. 18.

D. Thom. opuſc. 57.

Angelom. com. in 2. Reg. 24.

84. *An ad Euchariſtiam ſpecialiter pertinet hominum repa-ratio?*

Enimverò de Filio Dei gloriosè triumphavit amor in Euchariſtia. Solitum eſt in bellis temporalibus offerre contractum pacis eos, qui ſeipſos meminere victos. Veluti ſuperatus ab amore ſuo Dominus, non dicam, victrici dilectioni divinæ pacem obtulit; ſed, annuente ipsâ mortalibus detulit fœdus amicum. Algerus: *Vitæ*, inquit, *æternæ fœdus nobiſcum pepigit: & tanti teſtamenti ſacramentum ad confœderandam ſibi ſanctam Eccleſiam in communi omnibus reliquit: ut unde habemus guſtum in via, ſatietatem quæramus in patria*, &c. Summè cupiebat Filius Dei mediante pace reſtaurare genus humanum, quod à ſuo Rege defecerat per culpam, transfuga miſerrimus. Hoc præſtandum erat conſummatè per crucem, in qua ſacerdotis munus egit Salvator, ſemetipſum offerens in ara ligni vitalis. Goffridus Abbas: *Chriſtus*, ait, *à Patre rex & ſacerdos ordinatus in cruce, in ara crucis, quam præſentia ſui corporis ſanctificavit, ſemetipſum obtulit pro noſtra redemptione ſacrificium*: &c. Attamen velut impatiens brevis moræ, priuſquam victima fieret crucifixus prævenit ſemetipſum, ſe mactans in menſa. Iſychius: *Simul*, inquit, *& præveniens ſemetipſum in cœna Apoſtolorum immolavit*, &c. Utrobique de reſtauratione hominis actum eſt. At ſuſpicor, non defuturum qui putet, Redemptorem non adeo ſacrificio crucis, quàm Sacramento altaris attribuere filiorum Adam reparationem. Reſtaurati ſunt utique per mortem Domini: ſed neſcio quid ſpeciale reperitur in reſtauratione mortalium per Euchariſtiam factâ. Forſan hoc ſpeciale repertum

Alger. l. 1. de Sacra. c. 22. poſt med.

Goffridus Abb. ſer. 5. de reſurrect. Dom. longe poſt princ.

Iſych. l. 1. in Levit. c. 4.

pertum conſiſtit in eo, quòd beneficio reparationis humanæ per Chriſti necem immiſcuit ſe crudelitas hominum interimens Authorem vitæ: parum abeſt, ut amor Salvatoris dedignatus fuerit uti nequitiâ terrigenarum, ad hoc ut benefaceret iiſdem: quæ ratio ceſſat in Euchariſtiæ dono, prout eſt manifeſtum. Et, ut cernamus qualiter Dominus in hac re ſit viſus myſterium Euchariſticum præferre, lentiùs expendamus quod geſſit in cœna.

82. Acceptam à Domino celebrationis Euchariſticæ notitiam Evangelizat Paulus Corinthiis. Illud tantummodò nunc ad meditationis libram juvat revocare, quod
1. Ad Cor. 11. 24. Paulus ait: *At gratias agens fregit*, &c. Si requiras ab Anſelmo quid gratificatus fuerit ibi Patri Filius Dei, reſpondebit:
S. Anſel. com. in P. ulum. ib. *Et gratias egit Patri de reparatione hominum futura per paſſionem ejus, ac per Sacramentum corporis & ſanguinis ejus.* Ventum eſt ad crucem, in qua pendens Aſſertor locutus eſt ad æternum Parentem: non ibi tamen ei grates obtulit verbo pro noſtrâ reparatione, quam obiens conſummaturus erat. Magis tempeſtivum apparebat gratias tunc agere pro generis humani reſtauratione, quando jam hujus inſtabat conſummatio; quàm priùs, cum recumbebat in cœna. Cur antea ſe gratum exhibuit pro dono jam dicto; non autem ſimiliter in cruce? Peculiare quid reperiebat Salvator in eo, quòd reſtaurarentur homines per Euchariſtiam, quin ibidem laberentur in ſcelus occiſionis ejus: in ara quippe crucis victimam necavit atrocitas filiorum Adam; in menſa verò non illi, ſed amor executus eſt immolationem. Meditare quantum Euchariſtia ſacro-ſancta contulerit ad fœdera pacis, quæ mediante Chriſto Domino peracta ſunt. Sanè proportionem huic intento fini præ ſe ferebat multam holocauſtum Euchariſticum: nam eſca perdidit genus humanum; & cibus reparavit illud: per vanam cogitationem aſſequendi ſimilitudinem cum ſuo Conditore natura noſtra periit, & per transformationem, qua per ſacra myſteria quadamtenus deificamur, à perditione reducti ſumus ad amicitiam pacificè. Dixi de pace cum Deo.

86. *Concordia juſtorum effectus eſt Euchariſticus.* Reſtat aliquid poſtremò notandum circa pacem dignè communicantis cum hominibus: quæ necnon Sacramenti mirabilis effectus eſt. Philoſophicum axioma vulgò notum circumfertur: Quæ ſunt eâdem uni tertio, ſunt eâdem inter ſe: quod adeo verum eſt univerſaliter, ut ſolùm patiatur exceptionem in myſterio Trinitatis. Proinde poſſumus eo nunc aliqualiter uti, cum de Sacramento verba facimus. Quamdam velut identitatem Doctor Aureus meditatus eſt inter communicantem & Chriſtum Dominum, dicens:
S. Joann. Chryſoſt. to. 5. hom. 60. ad pop. longe poſt princ. *Cogita, quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris: quod Apoſtoli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem: hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro.* Anticipa, ſi placet legere Chryſoſtomum eumdem infra dandum n. 88. Quo poſito, dicam: Quomodo fieri poteſt ut arctè conjungantur plures Chriſto Domino per communionem, & ſint ad invicem diviſi? Si Deo per Euchariſticum ferculum adhæremus, concordes mutuò reddimur. Supra n. 68. retuli Zachariam Epiſcopum, qui panem ſacratiſſimum appellavit aquam. Hæc extinguit odii flammam, & ſcintillas ab ea proſilientes.
S. Laur. Juſtin. ſer. de Euchar. longe ante med. D. Laurentius Juſtinianus: *Ex hujus*, inquit, *ſumptione devotâ ceſſant odia, contentiones ſopiuntur, dirimuntur lites*, &c. Fortaſſis ex hac etiam ratione fuit inſtitutum ejuſmodi myſterium per modum convivii: nec enim vel barbari ſolent eidem conſidentes menſæ ſurgere feroces, ut unus rixetur cum altero: brutorum eſt à communi paſtu diſcedere protinus ad pugnas. Inſuper, ut nobis inſinuaretur, concordiam effectum eſſe divinæ communionis, repoſuit Salvator inſtitutionem Euchariſticam ad finem vitæ: cum enim diſceſſurus eſſet ab Apoſtolis, & ipſorum concors unio plurimùm conduceret ad Eccleſiæ ſuæ commodum, voluit eos per communicationem ejuſdem epuli nectere peculiariter inter ſe. Præſtat hoc cibus ille cœleſtis piè communicantibus, ut non apud eos diſcordia ſubrepat: quos Redemptoris amor illi conjunxit verè; nequaquam ſeparabit ad invicem humana paſſio.

87. Acceſſit illa dies tandem, quam ſibi propriiſſimam deſignavit Salvatoris dilectio. Corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis elargitus eſt profuſâ liberalitate qui peroptabat nequaquam à ſuis dividi: eum vocabat amor in paſſionis prælium, ac ſimul detinebat in amicorum conſortio. Ingenium illud reinvenerat, quod executus eſt modò; ſimul in eis manens, atque recedens ab eiſdem. Notanda veniunt hîc verba Domini; quibus porrexit alumnis conſecratum calicem. D. Lucas ait:
Luc. 22. 17. *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.* De calice quidem Euchariſtico verba, quæ retulimus accipio; quamvis antequam loquatur de corporis conſecratione ſcripta ſint; & poſt hanc referat quomodo conſecraverit calicem: de iſto quippe bis ab Evangeliſta dictum eſt juxta D. Auguſtinum. *Quod enim*, ait,
Aug. to 4. l. 3. de conſenſ. Evangeliſt. c. 1. *Lucas de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret, deinde poſteaquam panem dedit, illud quod ſuperius dixit præoccupavit ut ſolet*: &c. Quæri poteſt quare non ipſe Dominus Apoſtolis diviſit proprii ſanguinis calicem diſtribuens ipſemet ſpecies conſecratas per ſingulos? Ratio dubitandi non levis eſt, quòd timeri poterat (ut videtur) ne diſcipuli contenderent aliqui mutuò circa præcedentiam; nempe quis eorum communicaturus de calice foret priori loco, tamquam dignior altero. Non levis, inquam, ratio movet iſtam dubitatiunculam: nam in eodem cœnaculo
Luc. 22. 24. contenderunt Apoſtoli de majoritate. *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Nonne fieri poſſet, ut eorum quidam vellet alteri præferre ſeipſum in ſumendo priùs de calice dominico?

Quamvis Redemptor futura, quod abſit, neſciret; non erat cur hoc timeretur: quia jam communionem receperant ſub ſpecie panis: & iſtius virtute coadunati ſunt ita per charitatem, ut non ſurreperet lis inter eos. Illa contentio, de qua proximè dictum eſt, dici poteſt veroſimiliter, accidiſſe priùs, quàm Dominus eorum dilueret pedes (nec deeſt qui veroſimilitudinem iſtam fateatur) & conſequenter antequam panem conſecraret. Non tunc adhuc acceperant Sacramentum charitatis, & pacis: non mirum eſt, eo tempore contendiſſe. Poſt ſuſceptam verò communionem ſub ſpecie panis fuit ſopita radix contendendi, firmataque concordia fraterna. Sic animam piam tranquillat Princeps pacis in convivio ſuo.

Salmer. to. 9. tr. 45.

88. *Velut impoſſibiles facta ſunt contentiones communicantibus.*

Penitiùs inſpiciamus iſtam dulciſſimam concordiam pectorum, promanantem de Sacramento, quod S. Thomas à Villanova ſupra citatus appellavit ſacramentum unitatis. Alibi notabam, genium dilectionis, & ingenium eſſe nectere tam fortiter ſe mutuò diligentes, ut inſinuet, optare, ne ſit poſſibilis amantis ab amato diviſio. Propterea duos amore ſe proſequentes ad invicem colligat ſic, ut affectus adunans eos reddat quaſi de duobus unum. Hoc aliorſum ſcripſiſſe me jam, recolo: nunc ad inſtitutum præſens transferendum eſt. Euchariſtica menſa non tantùm eſt epulum cordis fragrantis amore Dei; ſed etiam ardentis amore proximi. Lanfrancus Archiepiſcopus: *Fraterna charitas*, inquit, *cujus ſignum hoc Sacramentum geſtat*, &c. Ea propter, cum manducatio corporis Chriſti dilectionem perficiat proximorum; communicantes jungit ſic, ut ferè coaleſcant in unum. Contingere nequit, hominem, quantumvis animo ſit præditus pugnaci nimis & immiti, ſecum ipſo contendere. Similiter vix credetur poſſibile quòd inter Salvatoris convivas rixæ pullulent. O validiſſima, quamvis aurea vincula charitatis: amoris illius æmula, quo beati ſeſe diligunt reciprocè! Nullus non fatebitur, impoſſibile penitus eſſe, quòd affectus is inter cœli cives, eos annectens, diſſolvatur pugnâ. Præviam ſtatui cœlicolarum dilectionem, & quadamtenus ei ſimilem, adducit epulatio ſacra, ligans amanti vinculo commenſales. Ita fiunt per illam conſortia corda, quòd videri queat, fieri non poſſe contentiones inter eos: non tantùm oderunt prælia charitati contraria; ſed eis velut impoſſibilia facta ſunt.

Lanfranc. Archiep. Cant. l. de corp. & ſang. Dom. c. 15.

89. Ad Magiſtrum Gentium revertar Corinthiis doctrinam calamo propinantem, factâ mentione panis Euchariſtici. *Quoniam*, inquit, *unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Exponit Remigius Epiſcopus: Omnes qui de uno pane, *id eſt, de uno corpore Chriſti*, &c. Intendebat Apoſtolus unitatem ſuadere Corinthiis in eo, quòd ſentirent idem circa fidem. Sic ex Ambroſio colligitur ad eum locum ſcribente: *Quoniam*, inquit, *unum ſumus, alter alterius membra; unum nos ſentire debere dicit, ut fides una unum habeat ſenſum & opus.* Paternum video ſtudium Pauli, quo ſollicitus de Corinthiis erat. Sed an ſatis non fuerat curare, quòd ipſi gererent ſe veluti fratres? inſinuat, eos unum corpus eſſe? Paternè quidem diſcipulos Chriſtus Dominus amabat, & concordiam inter illos cupiebat ſummopere: non tamen legimus, apud Matthæum dixiſſe: Vos eſtis unum corpus; ibi refertur, locutum ſic: *Omnes autem vos fratres eſtis.* & non ſibi ſatis Paulus faceret, ſi dixiſſet loco præcitato: Sumus fratres? fatur arctiùs, dicens: *Unum corpus multi ſumus?* Vide. Servator in adductis ex D. Matthæo verbis, aut in eis, quæ proximè vel præcedunt, vel ſequuntur nihil tetigit circa manducationem ſui corporis. Unde proprios diſcipulos vocavit mutuò fratres; quantumvis inter germanos diſſenſiones reperiantur ſæpiſſime. Apoſtolus autem loco præfato calamum intendebat & animum ad panis Euchariſtici comeſtionem: *Unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Itaque voluit indicare, communicantes adunari ſic, ut ferè compaginentur in eumdem. Prodeſt hîc S. Joannes Chryſoſtomus exponens ita: Quoniam unus panis, & unum corpus multi ſumus. *Quid enim appello, inquit, communicationem? Idem ipſum corpus ſumus. Quidnam ſignificat* (alia lectio habet: *Quidnam eſt*) *panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Chriſti. Non multa, ſed unum corpus.* Itaque dicam. Si piè corpus Domini ſumentes fiunt omnes corpus unum; cum fieri nequeat, ut ejuſdem corporis membra pugnent inter ſe; juſtis de menſa participantibus Redemptoris impoſſibile videri poterit, ut non ſervent pacem amicam. Ecce triplex funiculus charitatis; quo probus continetur per communionem ſacram: quam accipiens, candidâ ſerenâque pace *replet animam ſuam.*

1. Ad Cor. 10. 17.

Remig. Epiſc. in com. ib.

S. Ambroſ. to. 3. com. in Epiſt. 1. ad Cor. ib.

Matth. 23. 8.

Chryſoſt. to. 4. hom. 24. in 1. ad Cor.

DELIBATIO IX.

Ex Euchariſtia mœſtis conſolatio, diligentibus lætitia, de certamine victoria, de captivitate libertas.

90. *Euchariſtia mœſtis conſolatio.*

REducendus eſt in memoriam S. Laurentius Juſtinianus; cujus verba dedi præcedentis delibationis initio. Apud eum inveniens effectus iſtos Euchariſticos in proximo titulo notatos. Inter hos primus occurrit, conſolari mœrore preſſos rectorum animos; quorum eſt in hoc exilio paſſim lugere. Malis & bonis luctus communis eſt; ſed non idem: nam illorum damnabilis extat ploratus; iſtorum verò commendatione dignus. Druthmarus: *Eſt*, inquit, *luctus malus pro terreno damno lugere: quia triſtitia hujus ſæculi mortem operatur. Et B. Gregorius dicit: Abſit ut aliquis fideliam de interitu mundi lugeat, nec de mundo, nec de mundana re Chriſtianus lugere debet* &c. *Eſt autem luctus bonus, quem debent habere Chriſtiani. Lugere, eorum eſt, in quibus memores ſunt Dei præcepta præteriſſe, vel non egiſſe quæ Dei ſunt: vel proximos ſuos debent lugere, qui à*

Druthmar. com. in Matth. c. 10 longe poſt princ.

Deo

Deo exorbitant. Luctum iſtum laudabilem non equidem tollit epulum ſacro-ſanctum, ne damnum patiatur homo per defectum ejus; at ſolatium affert & præcipue ſanguis Domini; cujus peculiaris effectus eſt corda fidelium conſolari. Doctor Angelicus: *Contra hæc*, ait, *tria mala proprie valet potus ſanguinis Chriſti, qui eſt purus, lenis, & pretioſus. Ratione puritatis lavat: ratione lenitatis ſanat: ratione pretioſitatis placat. Lavat dico conſcientiam animæ maculam removendo. Sanat pœnam triſtitiæ corda fidelium conſolando. Placat offenſam divinæ juſtitiæ pro nobis interpellando.* Accommodatiſſimum remedium eſt convivium Euchariſticum ad hoc ut juſtos contriſtatos anxietas non obruat: conflictati corde ſuſcipiant myſteria Redemptoris ad ſolamen.

S. Thom. opuſc. 58. c. 32. poſt princ.

91. Non ſemel in dubium vocabam, qua mente Filius Dei elegerit ad inſtituendum admirabile Sacramentum, illam diem ipſam, qua venit in altitudinem maris, & cum tempeſtate ſuæ paſſionis luctatus eſt. Quæ conventio viſitur inter epulas, atque tormenta? Si quis aſpectu primo rem expendat, fortè cenſebit opportunius fuiſſe, quòd in reſurrectionis luce fieret inſtitutio dapis, ad quam invitantur qui reſurrexerunt cum Chriſto. An Dominus eâ die, qua ſurrexit à mortuis, non manducavit coram Apoſtolis? an non etiam tunc panem conſecravit in caſtello, ſicut notavi ſupra n. 69. quare non poſtquam devicit mortem inſtituit Sacramentum vitæ; ſed ante paſſionem ſuam? Priuſquam reſpondeam adverte, quæſtionem eſſe litteralem, an Chriſtus Dominus indicaverit proditionem Judæ poſt inſtitutam Euchariſtiam, vel antea. Tres feruntur ſententiæ: prima docet, antea prædixiſſe: ſecunda quòd poſtea: tertia vero media tenet, bis indicaſſe; nempe ſemel ante, ſecundoque poſt. Loquar nunc juxta dicendi modum priorem: pro quo ſtare videtur S. Hilarius, cujus verba, cum lectoris venia, ſubjiciam, quantumvis ea pro diverſo themate retulerim alibi. *Judas*, ait, *proditor indicatur, ſine quo paſcha accepto calice & fracto pane conficitur: dignus enim æternorum ſacramentorum communione non fuerat. Nam diſceſſiſſe ſtatim hinc intelligitur, quod cum turbis reverſus oſtenditur.* Audito quòd unus illorum traditurus eſſet Magiſtrum, *contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere, Numquid ego ſum Domine?* S. Leo Papa verba dirigens ad traditorem, ait: *Ecce immaculati & innocentes condiſcipuli tui ad ſignificationem facinoris expaveſcunt, & omnes ſibi, non edito impietatis authore formidant. Contriſtati enim ſunt, non de conſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne minus verum eſſet, quod in ſe quiſque noverat, quam quod ipſa Veritas prævidebat.* Ut ergo Præceptor mœrentes conſolaretur Apoſtolos, tunc eis oppoſuit ſeipſum in eſcam & potum; non autem cùm apparuit congregatis undecim, & comedit coram eiſdem: ibi namque gaviſi ſunt. *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?* Illud, quod recolebam ſuperiùs, ut in oppoſitum arguerem: nempe quòd in Emmaus panem conſecratum diſcipulis contulerit, nihil obſtat ſolutioni datæ dubii noſtri: nam conceperant mœſtitiam, de qua Dominus dixerat, cum interrogavit eos: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Euchariſtiæ munus eſt ſolari mœſtitudinem juſtorum dulcedine præcordiis immiſſa; de qua ſupra delibatione 3. ſatis dictum eſt.

S. Hilar. can. 30. in Matth.

Matth. 26. 22.

S. Leo Pap. ſer. 7. de paſſion.

Luc. 24. 41.

Ib. n. 17.

92. *Euchariſtiæ citò ſanat.* Sed quia proximè n. 90. præmiſi, non tolli juſtorum luctum per communionem ſacram, nunc mones qua ratione ſit hoc intelligendum. Non hoc accipias de triſtitia quadam non meritoriâ, nec malâ, comprimente ſæpius ex infirmitate carnis pectora proborum: hæc enim penitus ab iſtis exulat per ſumptionem lætificantis alimenti. Deinde ſequitur notandum, conſolationem gemitibus piorum præſtitam hujus munere ſacramenti præcellere multas, quæ mediis naturalibus licitis obveniunt afflicto. Sumptum à creatura ſolatium ſæpe fruſtraneum eſt: nam primùm quædam ſunt nociva; de quibus Poëta:

Qui mundi curas mundi medicamine curat,
Hunc album Æthiopem reddere velle reor.
Namque novas ſordes trahit hic, qui tædia mentis
Ut pellat, mundi gaudia vana cupit &c.

Jacob. Bill. anthолog. Sacr.

Aliud eſt ſolamen à creatis deſumptum; quod intantùm afflictiones mitigat, inquantùm dolentem ad læta meditanda movet; quin minuatur dolor. Aſſimilantur iſta ſolatia muſicæ, quam infirmus audit: hæc enim haud ſanat miſerum ægrum; ſed veluti fallit, ut animum non applicans ad cruciatum ſuum, ſe putet illo carere. Aliæ denique reperiuntur conſolationes adeo tardè venientes, ut infixis altè jam radicibus angoris, parum, vel nihil proficiant. Nullum ex his conſolationum generibus imitatur ea, quæ per communionem ſacram immittitur. Longè prorſus abeſt, quòd nocumentum afferat, ut manifeſtum eſt: deinde, quamvis illius fides auditu percipiatur, neutiquam ſimilis eſt cantui, quo relevatur morbidus: melodia quippe non eſt ægritudinis febrilis medela; de ſacra verò Euchariſtia dixit Guarricus Abbas: *Cibus iſte & potus vitæ eſt myſterium, immortalitatis medicamentum,* &c. tertii generis autem conſolationibus, nempe moroſis, non eſt æquiparandus effectus ejuſdem: quia ſic eſt medicamen, ut ſimul ſanitas extet Chriſtus Dominus acceptus in ſacra menſa: licetque frequentiſſimè temporales morbi tollantur curatione diuturnâ; tamen ſalus ab omnium ſalute non diſtat: per communionem, inquam, ſanatio minimè differtur. Ex prædictis reliquum fit, cor hominis ægrum accipere participatione myſteriorum ſanitatem velociter. Non eſt cur ad iſtam adquirendam conſulatur ſapiens medicus ille, cui remittuntur multa vix curabilia; ſcilicet longum tempus: nam extemporè ſanitas advenit per eſcam ſalutiferam.

Guarric. Abb. ſerm. 2. de reſurrect. Dom. poſt. med.

93. Diverſis intentus alibi non ſemel prædictionem, quæ habetur apud Malachiam, volutavi, nunc eamdem pro laudibus Euchariſtiæ rurſus expendere juvat. Dominus per Vatem inquit : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus* : &c. De Chriſto Domino ſermonem eſſe non dubitabis. Et ſi quæras, an ſit locus accipiendus iſte de primo Salvatoris adventu, quo venit illuminare mundum, vel de ſecundo, quo tamquam judex patefaciet quæ nunc ſunt involuta caliginibus : reſpondeo, ſolere quidem interpretes hoc ad judicii diem referre; nihilominus adventui primo Filii Dei convenire : de quo Theodoretus ait : *Cum ſpiritualibus donis quaſi quibuſdam alis nos velaſſet, curationem noſtris animis adhibuit.* Hæc ille ſuper citatum locum prophetæ. Cum ſit inuſitata phraſis alas tribui luminari magno ; pungere non deſiſtit admiratio minime recens, inveſtigare cupida quid proportionis habeant alæ verbis relatis. Petrus Cellenſis nobis viam aperit, ut prædicta deferentes ad Euchariſtiam ſacroſanctam, roboremus ex illis quæ priùs dicta ſunt. *Itaque*, ait, *virtus Euchariſtiæ ſicut ſanitas excludit infirmitatem. Unde eſt illud* : Sanitas ſub pennis ejus. *Sub pennis itaque viſibilium ſpecierum panis & vini, quaſi ſub pannis fidei in præſepio altaris.* Duo ſunt in alis : nempe celeritas, & umbra, quam efficiunt. Meritò Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſol deſcribitur alatus : nam & ſub umbra tegitur ſpecierum ſacramentalium, & volat ut ſanitatem afferat humano cordi. Neſcit amor tarda molimina; præſertim cùm dilecti mœrorem conſolari ſatagit : propterea noſtrûm dilector eximius Redemptor de ſua contriſtatis abſentiâ reliquit ſingulare ſolatium, & non difficulter parabile, ne per moras triſtitia comprimens invaleſcat.

Malach. 4. 2.

Theodoret. com. in Malach. ib.

Petr. Cell. tract. de diſcipl. clauſt. c. 25.

94. *Qui per amorem infirmatur corde, jucundatur præcordiis per Euchariſtiã.* Ex D. Laurentio Juſtiniano citato delib. 8. in princ. habemus, communionem ſacratiſſimam adducere diligentibus exultationem : quod adhuc breviter confirmabo ; quamvis ex prædictis liqueat ſatis. Gaudium verum ſæpiſſimè diximus in ſolis animæ bonis inveniri. Ut hoc iterum comprobemus duco ſupervacaneum recurrere ſollicitiùs ad SS. Patrum dicta ; cum fuerit hæc veritas utcunque nota ſcriptoribus profanis. Plutarchus ait : *Lætitia pura in ſolis animæ bonis invenitur ; ideo ſapiens in ſe gaudet, non in iis, quæ circa ſe ſunt.* Quidni de ſummo bono Deo, quem ſuſcipit in epulo ſpirituali, veniat gaudium juſto, cum diligat illum, & ipſi per communionem uniatur ? Etiam Ariſtoteles (qui multa ſciens de philoſophicis unionibus, ignoravit omnino, ſacramentalem poſſibilem eſſe) doctrinam iſtam ſuo confirmat effato : dixit enim : *Unicuique delectabile eſt quod amat* : Cum juſtus, dilectione Dei ferveat, & ipſo fruatur in Euchariſtia, prout licet in peregrinatione mortali, delectatione perfunditur jucundiſſima. Verè dixit Druthmarus : *Vinum namque & lætificat, & ſanguinem auget. Et idcirco non inconvenienter ſanguis Chriſti per hoc figuratur : quoniam quicquid nobis ab ipſo venit, lætificat lætitiâ verâ*, &c. Multum differt à gaudiis temporalibus exultatio ſacramentalis. Illorum jucunditas initium eſt gemituum ; ſuavitas autem iſtius præcurſor extat beatitudinis. Temporaneæ ſolitant hilaritates peccata fovere ; dulcedo Sacramenti repugnat criminibus. Et ut alias contrapoſitiones taceam, tantùm adnotabo, per motiva creaturarum hominem rarò vel numquam lætari, cùm præcordiis intimè ſaucius nimis eſt ; econtrariò per Euchariſtiam non lætificari niſi dilectione vulneratum. Nequaquam optabilis eſt vulneris hujuſmodi ſanitas ; quæ tanto bono ponit obſtaculum. Potiùs opta ſagittâ Domini feriri : nam cum infirmus extiteris corde, tunc illud jucundabitur per Euchariſtiam ſacro-ſanctam.

Plutar. in Tim. c. 33.

Ariſtot. Eth. 1.

Druthmar. expoſ. in paſſionem ſecundùm Matth.

95. Antequam veritatem iſtam ſacræ Scripturæ teſtimonio ſolidare curemus ; præmittendum ex D. Bernardo, quòd, quamvis medicina ſit præſervativa Sacramentum cœleſte ; non præſervat cor ab illa juſtorum ægritudine ſalutari, quæ quidem eſt amor & languor pariter. Audi quod S. Doctor de ſponſa Canticorum affirmet. *Ejus*, ait, *quem deſideraverat refrigerata eſt umbrâ, cibata fructu, potata calice. Nec enim ſitibunda putanda eſt exiſſe de cella vinaria : in quam ſe introductam modò noviſſimè gloriatur, imo verò ſitibunda : quoniam* qui bibit me, *inquit* adhuc ſitiet. *Poſt iſta omnia Sponſo more ſuo ſecedente illa languere amore ſe perhibet, id eſt præ amore.* Sumamus à Mellifluo, dilectionem Dei languorem eſſe : qui non tollitur per introductionem in cellam vinariam, hoc eſt per communionem ſacram ; nec per iſtam impeditur. Hoc præſuppoſito tendamus ad Siracidem. At ille : *Exultatio animæ & cordis virum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus.* Priora verba S. Thomas aptat Euchariſtico ſanguini. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. *Id eſt ſanguis Chriſti cum menſura fidei.* Conformiter ad hanc expoſitionem necnon Eccleſiaſtici poſteriora verba poſſumus interpretari de potu ſanguinis Domini. Nunc emergit hæſitatio nonnulla : quare ſcilicet potatio hæc dicta ſit exultatio cordis ; non autem ibidem legamus appellari ſanitatem cordis ; ſed corporis ? Exiſtimo, Spiritum ſanctum curaviſſe quòd ſic legeremus, ne veniret in mentem, illum qui ſanus fuerit corde (hoc eſt liber ab amoris ægritudine) lætificandum fore per ſanguinis Chriſti potum. Non conceditur iſta lætitia malè ſanis per duritiem ; ſed reſervatur ægrotantibus dilectione Dei. Perpende quantùm hæc exultatio diſcordet à temporaneis ; cum requirat prior ægritudinem ; poſteriores verò ſanitatem.

S. Bernard. ſerm. 51. in Cant.

Eccli. 31. 36. 37.

S. Thom. opuſc. 58. c. 30. ante fin.

96. *Contra mũdum victores efficit Euchariſtia ; ſed armatos.* Sequitur ex eodem ſæpe jam citato Patriarcha Venetiarum expendere, communionem ſacram certantibus conferre victoriam. Et quamvis Præſul optimus non explicet an loquatur de certaminibus temporariis ; nos de ſpiritualibus loquemur. Vocabulis utimur iiſdem, quæ ſunt uſui, cum

cum agimus de bellis inter homines : nam & arma ſpiritalia numeramus, ac trophæa dicimus animæ. Sed allegoriæ non taliter adhærendum eſt, ut credamus, victoriam, quam dimicantibus præſtat manducatio ſalutaris hoſtiæ, comparem in omnibus eſſe materiali triumpho, qui reportatur ab hominibus devictis. Multum diſtat utraque palma ; ſed unam tantummodo proponam diſparitatem inter ambas. Hoſtibus profligatis feliciter, ſolent milites indulgere genio : quieſcunt per dies aliquot excubiæ ; tacet claſſicum, & pro ſtrepitu martiali reſonant dulciſoni cantus : quin exercitûs Duces culpent id tamquam inertiam bellatorum. Longe aliter ſe res habet in ſpiritûs militiâ : cujus profeſſores, quamvis per Euchariſtiæ munitionem fortificati debellaverint mundum, non deponunt arma ; nequaquam vigilare deſiſtunt ; ſed ſolliciti felicitatem, quam adepti ſunt, non ſolùm conſervare, ſed augere contendunt. Cum hoc ita ſit, ſapienter, & piè monebat olim Guarricus Abbas : *Qui ergo participes Chriſti effecti eſtis ſocietate fidei, participatione Sacramenti, communione Spiritus ſancti, initium ſubſtantiæ ejus non ſolum uſque ad finem firmum retinere, ſed etiam ſedulo augere nitimini* : &c. Conſulendum eſt ſpiritui militantibus, ut non ex eo quòd eis victoria paretur de ſæculo per Euchariſtiam ſacram, fiant inermes : victores efficit illa ; ſed armatos.

Guarricus Abb. ſer. 2. de reſurrect. Dom. fin.

97. Ad Joſuë Dominus dixerat, ſe tradidiſſe manui ejus urbem Jericho : necnon hujus muros corruituros eſſe, præbentes ingreſſum debellantibus Hebræis. Detulerunt monente Joſuë ſacerdotes arcam fœderis, & præcedentibus armatis, facti ſunt varii circuitus in civitatis gyro : muriſque ruentibus, capta fuit. Quis dubitat, victoriam iſtam arcæ tribuendam potiſſimum ? S. Iſidorus Hiſpalenſis : *Muri ejus*, inquit, *per arcæ præſentiam, atque ad æreorum tubarum ſonitum cadunt* : &c. Eratne minus potens arca Domini tunc atque priùs, cùm apud Philiſthæos illa circumducta ſtragem tantam intulit eis ? *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis* : &c. Ergo per circuitus arcæ non ſolùm proſternantur Jericunthini muri ; ſed incolæ cædantur ; & Iſraëlitæ cum aggrediuntur gyris Jericho, non deferant arma : quoniam victoria per arcam aſſequenda paratur ipſis. Nonne ſic aliqui perciperent clarius, hanc hoſtium vaſtationem opus eſſe Domini ? Non congruebat, ut Judæi vincerent per arcam, dimiſſis armis ; opportunum fuit contrarium ; ut nos, qui ſub littera ſpiritum quærimus, agnoſceremus, qua ratione mundum oporteret per Euchariſtiam ſacram à fidelibus vinci. Notum eſt, in arca poſitum fuiſſe manna : quod figurabat Euchariſtiam, ut ſæpe dictum eſt, & videri poteſt ſupra n. 51. & 55. Mundum per Jericho deſignatum ſentit proximè citatus Iſidorus. *Jericho autem*, inquit, *per interpretationem luna dicitur. Luna verò mundi hujus ſpeciem tenet* : &c. Myſterium fidei Chriſtianis de ſæculo triumphum præſtat ; non tamen inermibus utique, ſed armatis ; nequaquam vecordiâ jacentibus ; maximè verò ſollicitis.

S. Iſidor. Hiſp. com. in Joſuë. c. 7.

1. Reg. 5. 9.

Tandem remanet expendendum nunc ex ſupra datâ Juſtiniani doctrinâ libertas captivis præſtita ſpiritualis ; quamvis Antiſtes fortè loquatur de materiali captivitate. Duplex inter multa malum patiebatur natura noſtra : nempe famem ſpiritûs, & ſervitutem. Piè miſeratus ejuſdem Conditor & libertatem reſtituit, & pane ſatiavit. Dei perfecta ſunt opera. Saturitas, captivitate manente, mœſta foret : libertas autem famelica ſuſpiriis egentium devenuſtaretur. Liberalitas divina, quæ neutiquam dona mutila confert, ambo dedit : nempe ſatietatem per Euchariſtiam ; libertatem per crucem. Ad illud Ezechiëlis 2. 9. *Ecce manus miſſa ad me*, Petrus Cellenſis ait : *Manus Dei eſt ipſa operatio, quâ operatus eſt ſalutem in medio terræ, ſalutem vitæ in cibo, ſalutem libertatis in pretio. Si alterum deeſſet ; opus divinum non eſſet. Si enim reficeret & captivum non liberaret, prorſus poſt cibum lacrymas non tergeret. Quid enim eſt ancilla ſatietas ? Imo captiva magis ſtimulat ſatietas*, &c. Inter Euchariſtiam & crucem diviſit munera Cellenſis : Refectio nam opipara hujus eſt propria menſæ ; ſicut redemptio peculiariter attribuitur morti Salvatoris, eo quòd fuerit conſummata per illam. Cum hoc tamen ſtat (quod vel tyro theologus novit) omnia Servatoris merita ſimul ſumpta noſtræ redemptionis pretium fuiſſe. Cumque diviniſſimi panis inſtitutio fuerit opus inſigne meritorium Filii Dei, per illam nos etiam redemptos, non eſt quare dubites. Imo Durandus Abbas dixit : *Sicut verus eſt ſanguis, ita verè pretium operatur redemptionis* ; &c. Unde tam verum eſt, ſacro-ſanctam Euchariſtiam ereptioni noſtræ de ſervitute peccati profuiſſe, quòd videri poſſit, non egreſſuros nos ab illa captivitate, niſi protegeremur Euchariſtico ſanguine. Redimere nos Deus volebat ; ſed oportuit ut myſterium illud ad redemptionem concurreret.

98. *Quantùm noſtræ redemptioni profuerit Euchariſtia.*

Ad Ezech 2. 9. Petr. Cell. ſerm. 5. in Cœna Dom. med.

Durād. Abbas l. de corp. & ſang. Chriſti p. 5. poſt med.

In rubo Dominus apparens Moyſi, ſatis aperte pius indicavit, ſe decreviſſe liberare populum ſuum de Pharaonis poteſtate. *Sciens dolorem ejus deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa* &c. Poſt brachii Domini mirabilia plura jàmiam inſtabat egreſſio filiorum Iſraël de tyrannicâ dominatione. Priuſquam exirent immolarunt Phaſe. Moniti ſunt ut è ſanguine victimæ ſumentes apponerent in exteriori parte domuum ſuarum, ne perirent ſimul cum Ægyptiis percutiendis nocte. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis : & videbo ſanguinem, & tranſibo vos : nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero Terram Ægypti.* Quæro. Nonne decreta fuerat à Domino libertas Hebræis univerſis, qui detinebantur in Ægypto ? Quomodo igitur inſinuavit, enecandos fore, ſi non poneretur ſanguis ibi ? Tranſeamus ad myſticum ſenſum. Servitus illa figuravit captivitatem peccati ; quod per Pharaonem adumbratur. Rupertus : *Quandiu*, inquit, *vivit*

99.

Exod. 3. 8.

Ib. c. 12. 13.

Rupert. l. 1. in Exod. c. 11.

vivit Pharao, id eſt, quandiu regnat peccatum, regnat in mortali corpore, & non ingemiſcit animus, neque ad Dominum vociferatur, ſed libens & ſervitutis peſſimæ laborem vel contraria onera ſentiens ſubigitur operibus duris luti ac lateris, omnique famulatui, quo in terræ operibus premitur. Sanguinis in typo ſupradicti meditari pronum eſt Euchariſticum.

Idem l. 2. in Exod. c. 9.

Commentator idem : *Quidnam*, ait, *ſit ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didicimus. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* Nunc ex imaginibus prototypum intelligamus. Iſraëlitæ, niſi ſanguinem illum foribus impoſuiſſent, morerentur in Ægyptiacâ ſervitute : fideles, niſi faveret ſanguis Euchariſticus, ferè videtur quòd non eruerentur à captivitate culpæ. Laudatoriam hyperbolem, quam Domino latenti ſub ſacris accidentibus offerimus, nullus damnet ; quia major omni laude. Per iſta cupimus animos excitare fidelium ad expendendam pluralitatem bonorum, qua juſtus myſteria ſacra ſuſcipiens *replet animam ſuam.*

DELIBATIO X.

Obſervanda quædam, ut effectus Euchariſtiæ ſacræ prædicti contingant nobis, & maneant.

100. *Forte minus malum non aperire januam Deo, quàm illum excipere domo non mundâ.*

COnvivis ad menſam Regis regum vocatis, quædam attendenda ſunt ante ſumptionem cibi ; quædam verò poſtea. Præparatio ſollicita præcedat : humilis gratiarum ſubſequatur actio. Quod attinet ad præparationem : hæc adeo requiritur in convivaturo, quòd indignus menſæ divinæ conſidens, ibi ſecundùm mentem non adſit. Paraphraſtes Dionyſii Areopagitæ cenſens, proditorem diſcipulum non manducaſſe corpus Domini, rationem affert cur Dominus illum fecerit myſteriorum exortem. *Ut oſtenderet*, inquit, *non ſatis eſſe corporaliter tantùm adeſſe ac concænare (neque enim hoc perinde eſt ad communionem) ſed ſecundùm mentem adeſſe oportet.* Qualiter præparari congruum ſit hominem, ut guſtet vitalem panem, breviter ſcribit calamus ; diù cogitet anima. Remigius Antiſſiodorenſis ait : *Qui corpus Chriſti in ſe recipere deſiderat, per multos bonorum operum labores & per caſtitatem mentis & corporis debet ſe reddere mundum atque candidum.* Heu nos miſerrimos : qui præſumimus ad myſterium tantum accedere, præeunte confeſſione feſtinanter & velut ex conſuetudine factâ ; ſuperadditâque vix unâ vel alterâ prece vocali ; jam reputantes eximiam præparationem à nobis adhibitam ut uniamur Deo per manducationem vivificantis edulii. Congruebat, ut licet multam præſtiterimus erga noſmet ſollicitudinem, ſemper crederemus indignos. Abbas Theonas apud Caſſianum dixit : *Tanta autem cor noſtrum humilitatis debemus vallare cuſtodia, ut hanc definitionem perpetua ſenſuum ſtabilitate teneamus, nequaquam nos poſſe ad tantum purificationis meritum pervenire, ut ſi hæc, quæ ſupra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus, indignos tamen nos communione ſacri corporis eſſe credamus.*

Pachym. in S. Dion. Areop. de Eccleſiaſt. Hierar. ſub tit. Contemplatio §. 1. ſi. Remig. Antiſſiodor. tr. de celebrat. miſſ. longe poſt princ.

Abb. Theon. apud Caſſiã. coll. 22. c. 7.

Paveat fidelis hoſpitem recipere Salvatorem, cum ſit immundus. Fortè minus malum foret non aperire januam pulſanti Deo ; quàm illam excipere domo non mundatâ : nam hoc poſterius videtur eſſe tam ſuperbum, quòd homo cum Domino ſe gerat, quaſi non videret ipſe qualiter ſit inquinata domus noſtra. Hoc non reperitur in aditu negato, cùm Deus ad januam ſtans pulſat ut aperiatur ei. Propterea dixi, fortaſſis minus eſſe quòd negetur ingreſſus Domino, quàm recipi domo non purâ.

101. Dormiebat ſponſa Canticorum ; ſed corde vigilabat. Dilectus adeſt, poſtulans ut aperiat ei : denegavit illa tamen aditum. Locus iſte fortaſſis poterit accommodari non violenter ingreſſui Salvatoris ad animam per communionem ſacram. Primò quia paulò priùs dictum erat : *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Tunc immediatè ſequitur : *Ego dormio, & cor meum vigilat : vox dilecti mei pulſantis : Aperi mihi ſoror mea, amica mea,* &c. Cibum & potum prædictum exponit de Sacramento altaris Michaël Pſellus ita : *Quicumque eſtis, inquit, operibus fratres mei, corpus meum comedite, & ſanguinem bibite meum. Deinde inebriamini, inquit, præ lætitia, & propter ebrietatem ſtupore perculſi, omnino mundi ſollicitudinem oblivíſcimini.* Secundo quia Filius Dei ſub Sacramenti ſpeciebus in pectora ſe contulit Apoſtolorum, quaſi divertens ad amicos : non equidem refugiens pati ; ſed veluti ne totus adverſariis traditus eſſet ; ut piè meditatur Juglar, inquiens : *Pridie quàm moreretur ſepultus in ſuis, ne totus eſſet in poteſtate hoſtium, ſe apud amicos depoſuit.* Non diſſonat ab iſtâ meditatione quod legitur in Canticis : nam ſponſus cupivit ad ſponſam ingredi (quam ibidem amicitiæ titulo decoravit,) cum de noctis incommodo querebatur : ubi nox deſignat impetum Judæorum contra Dominum ; quem fecerunt non longo tempore poſt inſtitutionem Euchariſtiæ ſacro-ſanctæ. Idem Pſellus ad illud, *Guttis noctium*, ſic habet, *Per mortem quidem ſignificat Judæorum impetum, quo illum nocte adorti ſunt* : &c. Si per alium liceret mihi, ſuppoſitis dictis, locum iſtum ad receptionem Sacramenti coaptare ; quærerem : Nonne Sponſum chara diligebat ? cur non reſerat fores ? Fortè minùs putavit malum ingreſſum denegare Salvatori ; quàm illum excipere domo ſua, quam ſupponebat non omnino mundam. Janua ſponſæ eſt anima cujuſque fidelis. Incertus Philo : *Janua*, inquit, *ſive oſtium, cor ſponſæ & cujuſque fidelis animam ſignificat*, &c. Unde per ſponſæ domum intelligere valemus animæ penetrale intimum. Per ſordes ; quibus verebatur ſponſa polluere dilutos pedes, dato quod ſurgeret, ut patefaceret oſtium (*Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ?*) ſignificantur ex Angelomo ſordes mundi : ſic enim ſponſæ proxima verba commentatur :

Cant. 5. 1.

Mich. Pſell. in Cant. ib. ad n. 1.

Aloyſi. Iuglar de vi. Chriſti. elog. 45.

Mich. Pſell. in Cant. 5. 2.

Incert. Phil. Carpath. Ep. in Cant. 5.

Cant. 5. 3.

Angel. in ſtrom. ad cum loc.

tur : *Id eſt jam ſecretæ compunctionis fletibus abſolvi cogitationes terrenas, quomodo mundi ſordibus iterum polluar?* Non jam demirabor, amantem ſponſam aditum negaviſſe Dilecto in umbris Euchariſticis poſito; quaſi januæ concluſio ſit minus malum, quàm ſuſceptio tanti Principis in animæ domo non puriſſimâ.

102. *Effectus Euchariſtiæ ſacræ parùm durabit in eo, qui præparationem tranſeunter præmiſit.*

Monebam ſupra, ne perfunctoriè fieret mundatio recepturi diviniſſimam buccellam ex altari : proportionetur hoſpiti ſollicitudo mundans triclinium ſpiritûs, hoc eſt manſionem triplicem animæ noſtræ : nempe memoriam ab imaginibus peccaminoſis, quibus peſſimum cultum dicavimus antea : voluntatem à deſideriis, propoſitis, & aliis affectibus noxiis : intellectum à cogitationibus ducentibus ad criminum ruinas. Hæc omniâ non ritè fiunt confabulando cum ſodalibus in eccleſia, quandiu ſacerdos non accedit ad altare diſtributurus Euchariſtiam ſacram. Conſilium amplectere perutile S. Laurentii Juſtiniani, dicentes : *Prius tamen, quàm te cœtui miſceas recumbentium, in ſecretum cubiculum tui cordis ingredere : ibique cum ingenti gemitu & compunctione, effuſo (ſi vales) lacrymarum imbre ora genitorem tuum cœleſtem, ut ſuo te gratificet filio, illumque tibi præſtet placatum, teque minimè patiatur à tam ſanctiſſimo repelli convivio, & repudiari velut indignus.* Ex præparationis defectu ſæpe fit, ut, licet minimè nauſeemus animarum cibum; tamen ſuavitatem ipſius nequaquam experiamur. Ut iſtam ſentiat homo requiritur quòd ſit in anima ſua purificanda maturè ſolers. S. Thomas à Villa-nova:

S. Laur. Juſtin. de triumph. Chriſt. ago. c. 4. longe poſt med.

S. Thom. à Villa-nova ſer. 1. de Euchar.

Non quieſcat igitur, inquit, neque à tergendo manus, neque oculus à rigando : ut ſi non purum, ſaltem purgatum deferamus ad altare animæ palatum, quo Dei noſtri præſentiam & dulcedinem ſentiamus. Credamus, effectum, quem per manducationem ſaluberrimi panis accipimus non eſſe diù duraturum, ſi priùs non præceſſerat lenta præparatio. Fructus Euchariſtiæ ſacræ breviter amitteretur ab illis; quorum corda non moram trahendo, ſed quaſi tranſeunter, parata ſunt ad ſumptionem ejus.

103. Luc. 24. 31.

Superius n. 69. notavi Servatorem, poſtquam calcatâ morte prodivit è tumulo, ſeque dedit comitem duobus diſcipulis euntibus in caſtellum, cibum Euchariſticum eiſdem porrexiſſe; pignus manentis adhuc amoris priſtini, quem non attigerat mors, ut imminueret. Agnoverunt eum in fractione panis; at ipſe ſtatim diſparuit. *Aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum : & ipſe evanuit ex oculis eorum.* Non ita velociter diſceſſit ab Apoſtolis poſtquam eis Angelorum panem donavit in cœnaculo; ſed poſt hoc munus produxit ſermonem ad illos; qui narratur ab Evangeliſta Joanne; quin & egreſſus eſt cum ipſis trans torrentem Cedron ad hortum Gethſemani. Quid moratur cum ſuis qui feſtinabat ſe tradere crudelitatis manibus? & quare tam cito duos illos deſerit, quorum nuper oculos reſeraverat? Nota, quòd iſtius duplicis diſcipuli communionem non præceſſit ex animo facta præparatio : nam ipſi neſciebant, ſe de manu Magiſtri ſuſcepturos eſcam ſalutarem in Emmaus. Et, ſi dixeris, ſufficienter ipſos præparatos per auditionem doctrinæ, qua facta ſunt eorum ardentia corda (*Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*) id factum eſt cum ambularent in via : proindeque præparati fuerunt, non ex propoſito ſuo, ſed quaſi tranſeunter. Non ergo mirum quòd mox perdiderint præſentiæ Redemptoris dulcedinem; cujus agnitionem acquiſiverant per cibum ſacratiſſimum. Atverò, ſi ſpiritualiter perpenderimus textum D. Matthæi, non deerit qui dicat, manſionem fuiſſe Domino recipiendo paratam per Apoſtolos ante communionem in anima. Ad illud : *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* ait Cardinalis Hugo : *Bene quærunt diſcipuli,* ubi vis : *quia duo loca ſunt in anima, in quorum utroque Dominus poteſt habitare; ſcilicet intellectus & affectus.* Ab his, quorum præceſſerat communionem præparatio, non eâ velocitate Dominus abſceſſit, qua dimiſit illos duos in Emmaus : qui licet non eſſent indigni, tamen caſualiter Dominum repererunt. Qui proventus Euchariſticos permanenter conſervare cupis, fac ut priùs non curſim pares Domino tuo locum. Hæc de prævia ſollicitudine ſemetipſum parantis ad convivium ſacrum.

Ib. n. 38.

Ad Matth. 26. 17. Hug. Card. in com.

104. *An Deus magis offendatur per deficientes in gratiarum actione circa Euchariſtiã, quàm in fide?*

Non minùs curandum etiam eſt poſt myſteriorum participationem grates perſolvere dignas; ut non contingat propter ingratitudinem hominis auferri ſpiritualia dona, quæ per amorem largita fuere convivæ. Salvatorem cùm tectus Euchariſtico velo pectora noſtra dignatur ingredi, vulgò dicimus hoſpitem : ſed verè Dominus eſt. Et ſi per ingratam oblivionem ſtatim pellitur è domo ſuâ; quidni ſecum deferat quæ ſecum detulerat? Igitur accipe conſilium Auguſtini dicentis aliorſum per alluſionem ad prædictos duos diſcipulos, apud quos Dei Filius redivivus hoſpitatus eſt in Emmaüs : *Dixerunt, Jam hîc nobiſcum mane, declinavit in veſperam dies. Tene hoſpitem, ſi vis agnoſcere Salvatorem.* Ne prætendat ingratus homo fragilitatem nimiam reminiſcentiæ circa ſpiritum concernentia : nam ipſe, qui panis eſt intellectus, remedium extat memoriæ. Gerardus ait : *Ideoque Salvator hoc tradidit ſacramentum, ut ſemper commemoremur, quia pro nobis mortuus eſt : Hoc igitur cum accipimus à ſacerdotibus, commemoremur, quod corpus & ſanguis Chriſti eſt, ut non ſimus ingrati tantis beneficiis.* Ingratitudo quidem ad voluntatem ſpectat; ſed in quibuſdam parit cognitionis defectum : non enim agnoſcunt ſibi collata donaria; quidam verò ſunt agnoſcentes cum recipiunt, & poſtea memoriâ non retinentes. Quodnam ſit pejus ingratorum genus haud facilè dixerim. Protervum quidem eſt infallibili veritati reſiſtere dubitantem an Deus potuerit panem Euchariſticum donare mortalibus. At aliquando magis accenditur ira Domini propter ingratitudinem eorum, qui tantò donò receptò, gratias non agunt. Aliquoties Omnipotens

S. Aug. to. 10. ſer. 140. de temp.

Gerard. Zutpha. l. de reform. virium ani. c. 27.

minùs ægrè sustinet fidem non adhibentes; & acerbè punit gratiarum actionem denegantes.

105. Vates coronatus Psalmum composuit, in quo possent Hebræi Domini beneficia, necnon ingratitudinem veterum Israëlitarum, eorumque severam punitionem agnoscere; quò discerent sequi potiùs legem divinam, quam exempla non recta majorum. Defectum fidei Psalmista notavit in Judæis antiquis: *Malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Bellarminus ibi: *Dubitantes videlicet, an posset in deserto pascere populum suum, sicut potare potuerat:* &c. Quid ad hæc Dominus fortis & patiens? *Ideo audivit Dominus, & distulit:* &c. Non eodem modo sentiunt interpretes circa verbum, *Distulit.* Sto commentario S. Augustini: qui censet accipiendum esse de vindictæ dilatione factâ. *Audivit ergo*, inquit, *& distulit vindicare, & posteaquam fecit quod eum illi facere non posse putaverunt, tunc ira ascendit in Israël.* Infra David memoratur supplicium Hebræorum, post missionem coturnicum satis grave. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.* Quid tunc ampliùs peccavit populus, ut hac severitate mulctaretur? cur non antea sic durè flagellatus est, mox atque dubitarunt an Deus posset in deserto pascere plebem suam? Hoc tantum scio, quòd sic dubitantes deliquerunt circa fidem omnipotentiæ divinæ. Velut connivent ibus oculis Deus pro tunc omisit illos percutere. Postquam acceperunt manna, jam non dubitabant, Deum illis posse largiri pastum; sed ingrati fastidierunt cœlestem panem; pro quo debuerant gratias agere. *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Contra deficientes in exhibendo gratitudinem se non diù continuit æquitas divina, quæ distulerat antea flagellum; sed *ira Dei ascendit super eos.* Manna figuram esse Mysterii sacrosancti, sæpe dixi: non tamen ideo fastidies Augustinum. *Quò ergo*, ait, *perducit Jesus credentes & baptizatos? Ad manna: ecce dico manna. Notum est quid acceperint Judæi, populus ille Israël, notum est quid illis pluisset Deus de cœlo: & nesciunt catechumeni quid accipiunt Christiani? Erubescant ergo quia nesciunt: transeant per mare rubrum, manducent manna, ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic seipsis credat Jesus.* Gravissimum, fateor, est quòd homo dubitet circa fidem Eucharisticam: sed aliquando continget, ut Clementissimus non statim puniat hoc piaculum. At, si fidelis accipiens manna diviniſſimum solvere debitas grates omittat, vereatur ne mox ira Dei fortiter disperdat eum.

Psal. 77. 19. Bellarm. ib. in com.

Eod. Psal. n. 21.

S. Aug. to. 8. com. in Psal. 77. ib.

Psal. 77. 30. 31.

Numer. 11. 6.

S. Aug. to. 9. tr. 11. in Joann.

106. *Sic oste Deo gratus, ut non videaris molestè ferre debitum.* Adeo propendet humana conditio viliter ad ingratitudinem, ut non illi tantùm hoc vitio deturpentur, qui vel cum donum confertur eis, non id agnoscunt, voluntariè cœcutientes; vel post acceptionem, qua scientes beneficium sibi fieri, libenter admiserunt illud, condunt oblivionis profundo; vel, quod pejus est, reddentes malum pro bono, procaces insurgunt contra benefactorem: brutis minùs ingenuè sic operantes, quorum aliqua noscunt hominem beneficum sibi. Restat insuper aliud ingratorum genus, ex eo peculiariter abominabile, quòd sub hypocrisi gratitudinis dissimulant oppositum scelus. Quid non pulchro depinget colore solers hypocritarum fictio, cum etiam sub candido grati cordis mendacio lateat nonnunquam virus ingratitudinis? Hi sunt, quos nimiùm tædet haberi se debitores alteri, qui beneficiis affecit eosdem: & ideo gratificantur acceptum lubenter, ut ore pleno valeant autumare, se nihil prorsus debere creditori suo; cum jam per gratias exhibitas debitum solverit. Istos videtur notare Seneca, dum ait: *Volo referre gratiam. Post hoc aliquid supereſt mihi, non ut gratus, sed ut solutus sim. Sæpe enim & qui gratiam retulit ingratus est: & qui non retulit, gratus.* Rationem Philosophus affert, qua fulcitur ista bina sententia: nempe, multos gratos videri, cùm non sint; alios ingratos non esse dicendos; quamvis non solvant. *Nam*, inquit, *ut omnium aliarum virtutum, ita hujus ad animum tota æstimatio redit.* Patet, nequaquam se grato gerere animo illum, qui tædium concipiens de catena beneficii, qua ligatur, odio habet vinculum istud. Proinde nostra gratitudo de sacræ communionis fructibus ita dirigenda est, ut non sapiat ingratitudinem: ut, inquam, non indicemus, nobis esse molestum fateri debitum.

Senec. l. 4. de benef. c. 21.

Idem ib.

107. Superiùs delibatione 8. n. 85. occasione ponderandi pacem cùm Deo, quæ stabilitur in Eucharistica mensa, nonnihil dixi de gratiis actis à Filio Dei summo Parenti, priusquam Apostolis in cœnaculo semetipsum largiretur sub accidentibus panis. *Et gratias agens fregit*, &c. Ex D. Anselmo dictum est ibidem, Salvatorem æterno Patri persolvisse grates eo loco de reparatione mortalium futurâ, tùm per passionem suam, tum per Eucharistiæ mysterium. Quod ibi suppositi, nunc ad examen revocare liceat. Extra dubium est, gratiarum actionem versari circa munus acceptum jam; sicut postulatio tendit in accipiendum. Nemo flagitat id, quod jam se novit accepisse: nullus exhibet se gratum pro dono, quod non adhuc suscepit. Cum Salvator erat in cœnaculo, priusquam descenderet in certamen passionis, adhuc reparatum non fuerat genus humanum: quia restauratio filiorum Adam decreta fuit sic, ut nisi per Christi Domini mortem compleretur solutio pretii, quo redempti sunt, illi nequaquam emergerent à servitute. Igitur quo mysterio Filius Dei de nostra restitutione gratias egit antequam fieret? Existimo, Servatorem nobis insinuare voluisse quomodo gratos exhiberemus animos Altissimo, citra minimam ingratitudinis notam. Patet non abominari titulum debitoris virum, qui grates offert de beneficio priùs quàm illud sibi donetur: quomodo namque suspicabimur, velle projicere vinculum ex odio ligaminis hominem, qui non adhuc mu-

1. Ad Cor. 11. 24.

nere

nere vinctus eſt ? Idcirco Redemptor de remedio futuro terrigenarum gratiarum actionem perſolvit antequam executioni daretur ; ut perſpicuè noſceremus , haud illum ambire fieri ſolutum à vinculo debiti , cum adhuc expectaret illud ipſum , de quo gratias agebat. Diſcant ſuperbi , ſi qui ſunt Creatori debere pertæſi. Alior-

S. Ambroſ. to. 3. l. 5. in Luc. c. 6. ſum D. Ambroſius : *Nam* , inquit , *ſi qui pecuniam reddidit , non ſolvit gratiam , manetque debitor gratiæ , etſi jam non ſit pecuniæ : cur gratiam referendo putemus poſſe vacuari , cujus relatio acceptæ magis eſt tiſtimonium , quam ſolutæ ?* Doctrinam iſtam ſine violentia transfer ad gratitudinem circa nunquam ſatis laudatum Euchariſtiæ munus. Gratus eſto ; ſed ita quòd ſimul retineas mente , prout vales , beneficii magnitudinem.

108. *Communicans meminerit ſibi reſtare viam per virtutem in cœlum.* Pro coronide monitos velim pios convivii Domini frequentatores , ut cum demirantur quot & quanta bona ſibi per communionem ſacram obvenerint ; haud ſe putent ſic ſpiritualiter opulentos , ut ſuperſedere tutò queant à congregando majori meritorum cumulo. Caveatur ſurrepens virtuti vitium : nempe gratitudini recolenti munerum ſuſceptorum pluralitatem aliquando vicina præſumptio , quòd jam non egeant. Datum cœlitus corrumpit qui laborare prætermittit. Nicolaus

Nicol. Cabaſil. Archiep. l. 6. de vita in Chriſto in princ. Archiepiſcopus : *Omnino* , ait , *quoque humanæ partes officiique noſtri labor requiritur , ne acceptam gratiam corrumpamus : ſed ad exitum uſque noſtrum ſartam tectam retineamus , & theſaurum inde comparatum in manibus habentes hinc abeamus* ; &c. Imo ſapientiſſimi , poſtquam cibo divino paſti ſunt , indigent iterum refici , ne labantur in ruinam.

Idem ib. poſt med. Idem Præſul : *Poſt* , inquit , *novam enim creaturam , & ſepulturam in aqua , & menſam ignis plenam , uſque eo ad virtutem imbecilles reperiuntur etiam ſapientiſſimi homines , ut illis ſacra menſa crebrò ſit opus , & ſanguine purgatorio , & ſuperna manu , ne in extremam improbitatem præcipitent.* Itaque juſtus communicans non eo ſit contentus , quòd nequaquam jaceat inerter ; ſed meminerit , ultra ſibi pergendum in via virtutis : paſcat animam , quin obliviſcatur , ſe quamvis locupletem , viatorem eſſe ; reſtareque ſibi poſt cibum iter in cœlum facere.

109. Inter figuras Euchariſticas legis veteris eſt inſignis illa , cujus mentio jam ſuperius incidit : ſcilicet agnus paſchalis , de

Paſchaſ. l. de corp. & ſang. Domin. c. 5. quo dixit Corbeienſis : *Patet igitur quod & agnus ille legalis & manna , & omnia hujuſmodi , quæ figuram geſſerunt Carnis ac Sanguinis Chriſti , quod paſſus ſemel in Paſcha , & quotidie ſuper altare , mane ac veſpere immolatur , non niſi figuram iſtius habuere myſterii :* &c. Inter ceremonias à Deo præſcriptas pro agni typici comeſtione quædam numeratur non hîc prætereunda : ſcilicet quòd

Exod. 12. 11. Judæi manducantes baculos tenerent. *Calceamenta habebitis in pedibus , tenentes baculos in manibus , & comedetis feſtinanter* : &c. Quid baculus habet cum epulatione commune ? Plurimum , ſi myſterium præcepti Domini prudens animadvertas. Illi baculi viatorum figuram exhibebant : & ſacræ menſæ convivas oportet non oblivioni tradere , ſe viam in cœleſtia carpere. S. Joannes Chryſoſtomus : *Judæi quidem* , ait , *in Paleſtinam erant profecturi , & propterea viatorum figuram habebant : tu verò debes in cœlum migrare. Quapropter in omnibus oportet te vigilare* : &c. Nota , non fuiſſe juſſum Hebræis baculos coram ſe poſitos habere tantùm in conſpectu ; ſed *in manibus.* Commentatur Beda. *Id eſt in operibus* : &c. Qui dimiſit baculum , & collocavit juxta parietem , profecturuſque poſt eſum , applicat mentem ad comedendum , fortè non recordabitur viæ ; ſi vero manu teneat , fortaſſis ejus conſiderationi præſentior erit ambulatio futura. Spiritum litteræ meditare. Non multum fidendum eſt propriæ recordationi circa prædicta ; ſed ut non interrumpatur memoria viæ , baculus in operibus tenendus. Parum eſt non oſcitanter manducare dapes vitæ : reſtat animum intendere progreſſui ſpirituali juſtum ; ne cum non auget , minuantur ei bona , quibus ibi *replet animam ſuam.*

Chryſoſt. to 5. hom. 60. ad pop.

Bed. in Exod. prox. ſup.

Ad caput 14. Proverbiorum.

FLOS XIX.

Sapiens mulier ædificat domum ſuam inſipiens extructam quoque manibus deſtruet.

APERITUR.

1. SALAZAR duas affert expoſitiones primæ partis hujuſce proverbii : primam de moderatione inſtitutioneque familiæ : ſecundam de rei familiaris amplificatione. Sed melius hæc omnia junguntur in unicam interpretationem. Hugo Cardinalis commentatur : *Id eſt conſervat & ampliat familiam ſuam.* Latiùs videtur exponere Janſenius ita : *Familiam ſuam etiam exiguam & nullius in primis pretii , egregiè inſtruit , amplificat & auget , proſpiciens domui de omnibus neceſſariis , rectèque educans ſuos filios ac domeſticos.* Hæc placet expoſitio. Et extendendam puto ſententiam ad temporalia & ſpiritualia , quantùm pertinet ad officium matrisfamilias. Hoc loco minus quàm poſſet dixit Carthuſianus ; qui ſic interpretatur : *Id eſt ſobolem ac familiam ſuam inſtruit verbis atque exemplis.*

1. Salaz. com. in Proverb. 14. 1.

Hug. Card. ib.

Ianſen. ibid.

Dion. Carthuſ. ibid.

Exiſtimandum non eſt fragilitatem fœmineam vel ineptam , vel immunem circa regimen familiæ : nam inter uxorem & virum dividenda ſollicitudo : neutri quidem incumbunt omnia ſimul. Quoad temporalia notat Epiſcopus Barcepha quod ſequitur : *Inſuper ut ad virum ſpectat ea , quibus opus eſt , colligere comportareque aliunde domum ; ita fœminæ eſt , domi omnia ordinare , atque ut in promptu ſint diſponere adminiſtrareque.* De ſpiritualibus verò providere ſuis attinet indifferenter ad virum & uxorem pro captu cujuſque. Idem proximè citatus : *Denique & in reverendo colendoque Numine , & in aliarum virtutum exercitio*

2.

Moyſ. Barcepha Epiſc. l. de parad. p. 1. c. 28. longe ante med.

Idem ib. infra.

virum ipſa adjuvat : &c. Exemplum illuſtre matronis præbuit, ut filiorum ſpirituale bonum cúrent, Divi Auguſtini pia mater Monica ; de qua Mapheus : *Mater, cujus in pectore jam inchoaverat Deus templum ſuum & exordium ſanctæ habitationis ſuæ, exilivit piâ trepidatione ac tremore ; & quamvis nondum fideli filio, timuit tamen vias diſtortas, monens eum ſecretò* &c. Addit poſtea : *Hujus igitur matris ; quam ante oculos ponendam omnibus non immeritò ante monuimus, tam ſingularem in emmendatione filiorum moderationem atque prudentiam, tam ſedulam curam, tam piam ſollicitudinem ſtudioſè parentes ſequantur*, &c.

Maphe. Veg. l. 1. de educ. liber. c. 20.

3. Cura matrumfamilias erga ſpiritualia non eſt ad ſobolem tantùm limitanda ; ſed ad famulantes necnon extendenda : rationi quippe congruum non eſt, ut eorum peccata permittat ; præſertim cum plura contingant in abſentia viri, quibus medelam adhibere ſtatim oportet. Etiam in hoc genitrices de prole curant : nam huic noxia ſæpe ſunt exempla famulorum nequam ; præcipuè dum tenera facilè ſuſcipit ætas peccati ſaporem. Sed, quamvis ab hoc præſcindamus, quis non damnabit negligentem caſtigare proprias ancillas fœminarum virtute pollentium pediſſequas ? Clemens Alexandrinus : *Ego quidem*, ait, *cenſeo ne ancillas quidem, quæ probas ſequuntur fœminas, oportere turpia dicere aut facere : ſed ipſas debere caſtigari à dominis.* Non parvipendendam, quæ ſupra data fuit, doctrinam circa matrum curam in ſpiritualibus, confeſſarii putent : expendentes damna quæ ſequuntur ex oppoſito ; notanteſque ſimul quòd genitrices quædam ſunt, quibus aptari queunt verba Humberti, dicentis : *Item quædam ſunt ita occupantes ſe circa curam domus ſuæ, & alia ſæcularia, quod parum vacant eis, quæ Dei ſunt.*

Clem. Alexand. l. 3. pedag. c. 11. poſt med.

Humbert. l. 2. de mo. prōptè cud. ſer. tr. 1. ſer. 96. med.

4. In ſecunda parte paræmiæ notatur everſio domus propriæ veniens à muliere perperam agente munus incumbens ipſi pro domo ſua. Deſtructio certè domus perſæpe naſcitur ex nimio ſumptu. Peculiariter prodigæ ſunt manus aliquarum circa ſumptuoſos ornatus corporis. Et mirandum, quòd, cum vix ulla reperiatur fœmina, quæ ſe credat omnino deformem ; tanta, tamque varia, nulli pecuniæ parcens, ornamenta congreget, ut ſe ſpecioſam reddat. Clemens Alexandrinus : *An*, inquit, *verò non abſurdum eſt, equos quidem, & aves, & alia animantia, ex herba & pratis ſurgere ac evolare proprio contenta ornamento, jubis & colore naturali, & pennis variis : mulierem verò perinde ac ſi ſit beſtiis inferior, ſe eſſe adeo deformem exiſtimare, ut externâ, emptitiâ & adumbratâ pulchritudine egeat ?* Vellem, ut pigmentum ſibimet ſumerent iſtæ de verbis ejuſdem Alexandrini collectum, quò fierent ſine mendacio pulcherrimæ. *Res*, inquit, *eſt enim pulcherrima mulier domus cuſtos, quæ & ſe & maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant, filii quidem propter matrem, maritus autem propter uxorem, ipſa autem propter eos, omnes vero propter Deum.*

Clem, Alex. prox ſup. ſc. 2. poſt med.

Idem ib. c. 11. poſt med.

5. *Sapiens.* Nomen iſtud minimè ſumitur hîc in eo rigore, quo nonnunquam utimur eo tamquam ab illa ſapientia derivato, quam definit Cicero, dicens : *Sapientia eſt rerum divinarum & humanarum ſcientia cognitioque* &c. Non, inquam, accipitur hoc loco nomen ſapientis in ſenſu tam rigoroſo : nam valde rarum eſt, in ea ſignificatione titulum iſtum congruere fœminæ. Loquens Humbertus de perſona prædicatoris ait : *Circa perſonam eſt notandum, quod debet eſſe ſexus virilis. 1. Tim. 2.* Mulierem docere non permitto. *Hujus autem ratio eſt quadruplex. Prima eſt defectus ſenſus : de quo non præſumitur in muliere tantum ſicut in viro.* Et infra : *Quarta in memoriam ſtultitiæ primæ mulieris : de qua Bernardus : ſemel docuit, & totum mundum ſubvertit.*

Tull. l. 4. Tuſcul.

Humber. l. 1. de eiud. prædic. c. 11.

6. Sumenda vox igitur *Sapiens* pro prudenti. Ab iſtiuſmodi ſapientia mulier non excluditur : nam prudentia valde latè patitur exerceri : proinde complectitur etiam res, quæ fœmineam ſphæram non excedunt. Ariſtoteles : *Iis in rebus*, inquit, *prudentia cernitur, quæ hominum ſunt vitæ neceſſariæ, iiſque omnibus, quæ in deliberationem cadunt.* Et addit Philoſophus ibidem : *Prudentis dicimus eſſe maximè proprium bene deliberare.* Verum eſt quod alibi dixit idem Ariſtoteles : *Conſilium mulieris eſt invalidum*, &c. Sed hoc militat in rebus altiorem poſtulantibus indaginem. Et accedit, fœminis concedendum eſſe quod notavit Anonymus, inquiens : *Mulieres in extrema neceſſitate & periculo ſubitò inveniunt remedium, & conſilium, & ſubitis conſiliis excogitandis valent plurimùm*, &c.

Ariſtot. l. 6. Eth. c. 7.

Idem ib.

Idem l. 1. Polit.

Anonym. in aphor. polit.

7. *Mulier.* Nomen hoc de ſe ſignificationem habet indifferentem : unde niſi per materiam ſubjectam determinetur (ut in præſenti ſatis determinatum eſt) ſenſus orationis dubius erit. S. Ambroſius : *Alia ergo ſollicitudo mulieris, alia virginis eſt : tamen cum dicitur mulier, incertum eſt quid ſignificet, niſi ſignificatio ſubſequatur.* In parabola noſtra verificatur ſententia frequentiùs de fœminis conjugatis, vel viduis ; ſed ad alias etiam extendi poteſt, ſi quando cura domûs incumbat eis.

S. Ambroſ. to. 3. com. in 1. ad Cor. c. 7.

Ædificat. Recole ſupra poſitam interpretationem Janſenii, quam ſumus complexi. Et licet ædificatio familiæ videatur ſonare tantùm hoc quod eſt ponere domûs exordia : non tamen ædificat minùs induſtria conſervans & amplificans illam. Deinde nota, domos quaſdam fortunâ donante factas illuſtres : minùs inclytum eſt hoc : longe præeunt illæ, quæ pariter ſplendeſcunt, quia claritatem, quam ſors negaverat, conquiſiverunt laudabilibus induſtriis. Huc trahe Demoſthenem, qui dixit : *Præclarum quidem eſt etiam per fortunam inter illuſtriſſimos admiratione eſſe ; ſed multò præſtantius eſt induſtria ſua quicquid glorioſum ac illuſtre ſit, adeptum eſſe*, &c.

Demoſth. or. amat.

8. *Domum.* Accipitur hîc pro familia : ſed etiam in re ſatis perſpicua non deſinam ſcintillam ad mores immiſcere. Bene familiam vocamus domum : quia ſicut materialis domûs partes oportet ſibi mutuò cohæreant aptè, vel imminet ruina : ſic familiæ membra congruum eſt uniri per concor

concordiam ; quæ verè commune bonum ejus appellatur. Apud Stobæum dixit quidam : *Familia, quæ cœtus eſt cognationis, diſſimilibus ſuis partibus componitur, & ad patrem-familias veluti unum optimum ſe refert, & concordiam, utpote commune bonum molitur.*

Callier. Pythag. apud Stob. ſer. 83.

Suam. Matres-familias domum quidem ut rem ſuam curare debent ; ſed illis contemnendum non eſt obtemperare viro. Si tamen oportuerit ab illius arbitrio diſcordare pro vitando peccato ; Deo animarum ſponſo, potiùs quàm homini præſtetur obedientia. Clemens Alexandrinus : *Velit ergo pudica mulier, primùm quidem ſi fieri poſſit marito perſuadere, ut ſit ei ſocius eorum quæ ferunt ad beatitudinem : ſi id autem non poſſit efficere, ſola contendat ad virtutem, marito quidem parens in omnibus, ut invito illo nihil unquam faciat, præter ea quæ cenſentur pertinere ad virtutem & ſalutem.*

Clem. Alex. l. 4. ſtrom. longe poſt med.

9. *Inſipiens.* Quæ hujuſmodi eſt, potiùs inter ancillas numeranda : nam inſipientia practica perſonam liberam abjicit in ſervitutem ; ſicut econtrariò practica ſapientia ſervum capacem conſtituit ut imperet. *Memorabilis eſt* (ait Mapheus) *Diogenis ſervitus : qui cum captus rogaretur quidnam ſciret agere, reſpondit, ſcire ſe viris imperare, atque ad præconem, Prædica, inquit, quiſnam ſibi dominum emere velit*, &c.

Maphe. Veg. l. 4. de educ. liber. c. 11. juxta med.

Extructam quoque. Et non ſolum extructam, ſed etiam opulentiſſimam ſæpe domum demolitur uxor ; cujus vir fortaſſis feliciſſimus eſſet, ſi maneret in cœlibatu. Hoc & aliæ multæ dolorum cauſæ reddunt ſtatum conjugalem ſatis moleſtum frequenter. Quapropter apud Bleſenſem rex quidam refertur, de quo *die qua deceſſit*, ait Bleſenſis, *legitur, dixiſſe Leontio fratri ſuo, nihil ſibi defuiſſe ad plenam felicitatem, ſi defuiſſet uxor. Leontio autem quærenti cauſam, reſpondit : Sciunt hoc omnes mariti.*

Petr. Bleſ. ep. 79. longe poſt princ.

10. *Manibus deſtruet.* Dionyſius Carthuſianus hîc : *Quia in verbis & factis ſuos ſcandalizat domeſticos, & in temporalibus malè regit.* Fortaſſis attendit hoc loco Salomon principaliter ad prodigalitatem fœminæ dilapidantis domum : de qua dici poteſt illud Clementis Alexandrini : *Eæ autem contra, intemperantiam prætulerunt temperantiæ, ut quæ ſuas facultates in lapides converterint, margaritas ſcilicet & ſmaragdos Indicos. Quinetiam in futilibus & evanidis tincturis, & in emptitiis mancipiis temerè profundunt, & pecunias abjiciunt, non ſecus ac gallinæ ſatiatæ vitæ, ſtercora fodientes.*

Dion. Carth. in Proverb. 14. 1.

Clem. Alex. l. 3. pædag. c. 4. fin.

11. Nunc ad laudes Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro tenuitate noſtra veniendum eſt : ipſa namque ſignificatur allegoricè præſenti dogmate. Cornelius Alapide ſcribit ad hunc locum : *Mulier ſapiens eſt Beata Virgo, quæ per Chriſtum ædificavit, & indies ædificat Eccleſiam numero & virtute fidelium, putà Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum*, &c. Imo ſcholarum fax rutilans Suarius Granatenſis affirmat, eam Apoſtolos & Theologos omnes, qui in Eccleſia Dei fuerunt, in cognitione Dei ſuperaviſſe. De ſapientia B. Mariæ multa poſſent hîc afferri : ſolum dabo S. Ignatium Martyrem ſcribentem D. Joanni Evangeliſtæ : qui de Virgine ſic loquitur : *Noſtræ novæ religionis & pœnitentiæ eſt magiſtra*, &c.

Alap. in Proverb. 14. 1.

Suar. Gran. to. 2. in 3 p. diſp. 19. ſect. 1. §. Ex hac.

S. Ignat. Mart. ep. 1. ad Ioann. Evangel.

DELIBATIO I.

Eccleſiæ priora fundamenta divinus jecit Sponſus in conceptione Beatæ Mariæ.

12. *An pulchritudo gratia Marianæ videtur ei connaturalis ?*

NOn eſſet in conjugiis hominum tam rarum ſortiri mulierem, quæ ſapiens ædificationi domûs proficua ſit, niſi ſæpe conſortium ſponſale fieret, quin præcederet electio prudens ; vel ſi non judicium viri deceptionem pateretur. Inde conjice, qualis ea ſit *Sapiens mulier*, quam deſponſavit ſibi Spiritus almus : cujus electio, quamvis amantiſſima, præceps nequaquam fuit, neque decipi valuit, ſive deſipere. Licet attamen Paræmiaſtes eloquatur de muliere per ſapientiam ædificante ; ſicut in humanis præcipuus ædificator, ſeu moderator familiæ vir eſt ; ita cùm de magna domo loquimur Eccleſiæ, fatendum eſt, principalem hujus ædificatorem divinum extitiſſe Sponſum. Hic ergo lapidem primarium jecit electum, & pretioſum pro tantæ fabricæ fundamentis : Deiparam ſcilicet ; cui poteſt illud aptari quod legitur apud Zachariam : *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Rabbi Hecados ad Meſſiæ matrem retulit hæc verba, dicens : *Hæc eſt petra primaria, ex qua Meſſias futurus eſt.* Dei Parentem ſine labe culpæ conceptam adamantem voco poſitum ab Eccleſiæ fundatore Deo : quoniam fulgoribus gratiæ radiabat ; non obſtante quòd totus mundus foret peccati caligine tenebroſus. Notum eſt, delictum optimo jure vocari tenebrarum nomine. S. Anaſtaſius Sinaïta : *Propterea enim*, ait, *fortaſſe hic rurſus poſt tenebras examinat aquam & ſpiritum, hoc eſt, poſt peccatum, baptiſmi illuminationem.* Adamantia nocte lucent, quia mutuatâ luce non egent ; ſed ſplendore proprio coruſcant. Audeat puriſſimæ Conceptionis Mariæ laudator hyperbolicè meditari, pulchritudinem Virginis animæ pene videri connaturalem ipſi, cum tamen fateamur eidem gratiosè donatam. Damaſcenus ad Beatiſſimam Dei Matrem dixit olim : *Tu quoque fons perennis veri luminis* &c. Et poſt pauca : *Tamen immenſi luminis, & immortalitatis vitæ, ac veræ beatitudinis puros, & inexhauſtos latices fundis.* Spiritualis venuſtas Dei parentis à gratia cœlitus datâ veniens, donum equidem fuit Altiſſimi : ſed cum nec per inſtans extiterit Maria, quin decorem gratioſum haberet ; parum diſtat ut videri poſſit, prædictam pulchritudinem ipſi connaturalem.

Rabbi Hecados apud Petr. Galat. l. 5. de arcan. c. 2.

S. Anaſt. Sinaï. l. 1. in hex. longe ante fin.

S. Ioann. Damaſc. or. 1. de dormit. B. M.

13. Sponſus Canticorum ſpecioſitatem dilectæ ſuæ laudans, oculos ejus commendat, pro tunc de cæteris partibus corporis nihil ſpeciale proferens. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Hæc ad Virginem deferri poſſe non inficiaberis. Rupertus ad hunc locum :

Cant. 1. 14.

Rupert. l. 1. in Cant. ib. *Ecce ergo tu pulchra es, & iterum dico, ecce tu pulchra es: puulchra decore virgineo, pulchra unigenito filio. Taliter geminata nullius unquam fuit, nullius unquam erit pulchritudo. Adhuc addo iſtud pulcherrimum oculi tui columbarum. Quinam ſunt oculi columbarum, niſi dona ſeptem gratiarum, id eſt ſeptem ſpirituum ſuper me requieſcentium* ? Noſſe deſiderabam, quid potius reperiatur in oculorum pulchritudine quàm in formoſitate faciei, ut Sponſus unicam perfectionem dilectæ ſuæ notans, non ibi faciem laudatorio ſermone commendet, ſed lumina ? Diſparitas inter oculos & faciem in eo, præter alias, eſt, quod pupillæ, ſi ſpecioſæ ſunt, non id præcipuè vendicant ab arte, ſed à natura: non enim per colorem extraneum, vel aliud ſimile artificium accipiunt principalem ſuam venuſtatem. Non ita ſe res habet in facie; quæ tot pigmentis fieri ſolet velut altera. Sic meditabar, pulchritudinem, hoc eſt, gratiam ſanctiſſimæ Virginis alicui videri poſſe quòd fuerit ei connaturalis. Hyperbolis audaciam devotio valebit excuſare. Specioſitas oculorum non incongrue poteſt accommodari puritati, quam in conceptione ſuâ Dei Genitrix habuit; immunis à labe primævâ: nam conformiter ad Auguſtinum, peccatum originale dicetur quædam cæcitas. *Hæc*, ait, *cæcitas contigit in primo homine per peccatum*, &c. Quapropter, cum in Deipara laudantur oculi, nobis meritò venit in mentem ejus originalis innocentia: præſertim, quia, cum Spiritus divinus columbâ fuerit uſus deſcendens in Jordane; non ineptè, cùm audimus columbarum nomen, de gratia Spiritus ſancti cogitationem excitari facillimum eſt. Huic favet aliquatenus D. Gregorius Nyſſenus ad ſimilia verba Canticorum 4. 1. *Quamobrem laus oculorum perfectiſſima eſt, eſſe horum hominum vitæ ſpeciem conformatam ad columbæ, hoc eſt, ſancti Spiritus gratiam.* Cum igitur & ibi gratia divina, prout notavimus, inſinuetur, necnon & venuſtas oculorum præcipua ſoleat à natura provenire; quid mirabimur errorem putantis, gratiam originalem Virginis immaculatæ naturalem extitiſſe Mariæ?

S. Aug. to 9. tr. 44. in Ioann.

S. Gregor. Nyſſen. or. 7. in Cant.

14. Sloni. Epiſc. d'al. in Eccl. poſt med. Verè dixit Salonius Epiſcopus: *Hyperbole dicitur, quando aliquid incredibile profertur.* Unde, cum ſibi fidem non aſtruat, divinam fidem non deſtruit. Eapropter non adhuc deſiſtam pro Matris Domini præconiis exaggeratiùs fari, quàm patiatur veritas; præmiſsâ, nec depoſitâ conſtanti fide; quam nec in minimo lædere velle profitemur. Imperfecta nimis eſt cognitio noſtra pro dignoſcendo ſplendore lapidis hujus adamantini primarii, ſcilicet Beatiſſimæ Virginis. Quidni cæcutiat fixus in tantæ claritatis fulgore noſter oculus veraciter lippus ad illam contemplandam apprimè? S. Anſelmus aggrediens Dei parentis laudationem, de ſemetipſo fatebatur humiliter: *Supereminentem omni quod poſt hominem Deum creatum eſt, excellentiam Beatæ Matris Dei quomodocumque & ſaltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans*, &c. Quomodo non cæcutiemus puſilli nos, intendentes aciem oculorum ad ſplendorem; quos tenebris aſſue: fecimus? Ita facilè continget exiſtimare, Mariam fulgentiùs Deo reſplendere. Naſcitur hæc allucinatio de triplici causâ. Prima, quoniam eo lux apparet minor, quò plùs à nobis diſtat: quam veritatem ſolus non judicabit cœcus. Virgo Maria, cum verè creatura ſit, non tanto ſpatio dividitur ab intellectu noſtro; Deus autem infinities diſtat ab illo. Cumque luminoſum plùs diſtans videatur minus alio propiùs poſito, ſed minori; fit inde, quod Sacratiſſimæ Virginis lumen repræſentetur excedere divinum. Secunda cauſa ſit, quòd in vita mortali Deum cognoſcimus per ſpeculum creaturarum, quod nimis parvulum eſt, comparatum Dei magnitudini. Cum res maxima cernitur in cryſtallo modicâ, referente fideliter imaginem; perſpicitur ibidem quaſi parva; prout experientia docet in ſpeculis annularibus. Hæc ratio ceſſat in Beatiſſima Virgine; quam fide magiſtrâ contemplamur in ſemetipsâ, quoad fieri poteſt. Tertiam addo cauſam, deductam ex verbis Alberti Magni, ad illa verba Matth. 1. *Quod enim in ea natum eſt* &c. dicentis: *Ex utero, ubi egredietur, non diſſoluto, nec confracto, nec remoto repagulo pudoris, ſicut radius de ſtella.* Cum in aſtro reperiatur lux major, quàm in ejus unico radio; Mariam audientes vocari ſtellam; Deum verò radium, qui prodivit ex illa; mente concipimus Virginis fulgorem tamquam ſuperantem incarnati Verbi lucem.

Albert. Mag. ad Matth. 1. 20.

15. Apoc. 22. 16. In Apocalypſi legimus, Jeſum Chriſtum ſibi ſumpſiſſe nomen ſtellæ matutinæ: *Ego ſum radix & genus David, ſtella ſplendida & matutina.* Commentatur S. Bruno Aſtenſis: *Eſt autem & matutina, illius videlicet, qui finem non habebit diei nuntia.* Ecce Patris Unigenitum habes comparatum illi ſtellæ, quæ nobis diem annuntiat. In Canticis meminiſti, Virginem aſſimilatam auroræ. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*, &c? Rupertus ibi: *Quando nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis aurora ſurrexit, aurora prænuntia diei ſempiterni*: &c. Et verè Dei Mater exhibuit munus auroræ. Anonymum refert Alcuinus ita loquentem ad illam: *Et rectè quidem auroræ impleſti officium. Ipſe enim Sol juſtitiæ de te proceſſurus, ortum ſuum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis ſuæ radios copiosè transfudit: quibus poteſtates tenebrarum, quas Heva induxit, in fugam convertiſti, atque ita deſideratum cunctis gentibus Solem mundo invexiſti.* Bene habet, quòd is, qui Salvatorem vocat ſolem, ſimul appellet ejus Parentem auroram. Sed, cum agnoſcamus, tam Canticorum, quàm Apocalypſis authorem eſſe Spiritum ſanctum; non potui non mirari, quòd in priori libro legamus Virginem quaſi auroram; & in poſteriori Chriſtum Dominum ſtellam matutinam. Nititur admiratio non inaniter in eo quòd per Mariam nobis donatus eſt Salvator. Et cum in aurorâ, quando jam plenè ſplendet, ſubtrahatur noſtris oculis matutina ſtella; difficile

S. Anſel. tr. de excell. B. V. c. 1. in princ.

Cant. 6. 9. Rupert. in Cant. l. 6. ib.

Anonym. apud Alcui. ſer. de Nat. V.

cile manet intellectu quomodo ſit ſtella matutina Filius Dei ; Maria vero ſimilis auroræ. Non oportet, in omnibus tenere ſimilitudines proportionem. Aliæ ſunt analogiæ, quas ratio dubitandi non tangit. Unam exprimere juvat, inſtituto noſtro congruentem. Cùm aurora totam detexit faciem, tenebræ diſparuerunt ; quæ terram cooperiebant in exortu primò ſtellæ matutinæ : quo probatur, minùs fulgere quidem aſtrum illud, quàm plenam auroram. Quando proinde legis incarnatum Deum ſub nomine ſtellæ matutinæ ; Mariam verò ſimilem auroræ ; cave ne judices, Marianam lucem ſplendidiorem eſſe Chriſti Domini radiis.

16. *Eſtne Virgo Maria multiplex imago Dei ?*

Cum illius lapidis pretioſiſſimi, quem ad Eccleſiæ poſt ædificandæ primordia ſegregavit Omnipotens, nitorem laudare concupiſcerem, non valui non ad cœleſtia conſcendere. Nunc repercuſſos demittamus oculos ad ſupra tactum adamantis emblema. Supremus Artifex, ſimulque dominus ædificii, huic lapidi ſuam inſculpſit imaginem : illi nempe Virgini, quæ necnon in eo ſuperexcedit adamantia, quòd iſta priùs reperiuntur impolita ; Maria verò nunquam ſine ſplendore gratiæ fuit inventa. De puriſſimâ Dominâ meritò dixit Philippus Abbas : *Tu es ergo omni claritate, & ſplendore ſolis clarior, & ſplendidior, omni lapide pretioſo longe incomparabiliter pretioſior.* Imaginem, inquam, refert æterni Parentis Maria, quia per gratiam eſt ejus filia. Verba circumferuntur D. Franciſci, quæ non prætermittam. *Sancta*, inquit, *Maria Virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo in mulieribus : Filia, & ancilla Altiſſimi Regis, Patris cœleſtis* : &c. Notiſſimum Theologis eſt illud S. Bonaventuræ : *Generatio eſt productio ſubſtantiæ ſimilis per modum fœcunditatis naturæ.* Proinde, cum ſupremi Genitoris filia ſit Virgo, ſimilitudinem ejus præ ſe fert. Et ô quàm pretioſa Dei viſitur imago fulgens in adamante ! Fateor, juſtos omnes imagines Creatoris eſſe. Deiparam tamen cunctos illos, etſi conjunctim ſumantur, valore ſuperexcellere, quis inficias ibit ? Quod ut meliùs expendas, meditare, Mariam, quamvis unica ſit ; æquivalere multis imaginibus Dei. Singulariter verba facimus de ipſa congruè, quia ſingularis eſt ; at, ſi magis ad illius excellentiam attendamus, eam vocabimus imaginem Domini multiplicem æquivalenter.

Philipp. Abb. in Cant.

S. Franciſc. orat. ad Virg. Habetur to. 5. Biblioth.

S. Bonavent. in 1. diſt. 13. art. 1. q. 2. ad 1.

17. *Eccli. 24 5.*

Apud Eccleſiaſticum alieno calamo, ſed valde proprio ſermone, loquitur de ſemetipsâ Dei Genitrix, dicens : *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* De Beata Virgine locum explicat Ricardus à D. Laurentio : *Loquitur*, inquit, *Maria dicens* : Ego ex ore Altiſſimi prodivi &c. *quia verbo Altiſſimi creata ſum* &c. Diſſimiliter locutus eſt Job, memorans fuiſſe conditum ſe ad imaginem Dei : nam haud ſeipſum dixit ore prolatum imperante divino ; ſed manibus Domini plaſmatum. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu* : &c. ubi S. Gregorius Magnus : *Quaſi per ſtudium de terra plaſmatur, & inſpiratione conditoris in virtute ſpiritus vitalis erigitur, ut ſcilicet non per juſſionis vocem, ſed per dignitatem operationis exiſteret, qui ad conditoris imaginem fiebat.* Sanè magis omnipotentiam declarat ſermo noſter, cum dicimus, Deum verbo creaſſe ; quàm cùm exprimimus velut manu fabricantem opera ſua : nam quòd ipſe dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt, perſonat poteſtatem ſummam ; fabricatio verò quaſi per opus manuale denotat, Creatorem velut artificem : quæ phraſis non adeò clarè manifeſtat ejus poteſtatem. Cur ergo Job non ait, ſe verbo Domini factum ; ſed plaſmatum eſſe manibus ? Dei parens autem apud Siracidem non dixit, ſe divinis manibus fabricatam ; ſed ex ore Domini prodiviſſe ? Nota pro ſolutione. Plaſmator operis lutei, cùm ſimilitudinem effingit, in ſingulis unicam efformat imaginem ; qui verò loquitur audientibus aliis, plures uno verbo reddit imagines : nam verbum, cùm profertur, ſimul repræſentatur in propriâ mente (ecce unam imaginem) & in alienis auditorum : ecce tot imagines, quot audiunt illud quod pronuntiatur ore. Virgo Maria ſtylo Verbi creata fuit ad ſimilitudinem Dei per gratiam, ſic ut ferè videatur imago multiplex Altiſſimi. Exhinc videre licet quanti fiat à Creatore Virgo ; cum in ea, tamquam in lapide pretioſo, niteat figura Regis regum.

Solitum eſt in magnificis ædificiis, primarium lapidem non à quocumque poni ; ſed à perſona digniſſima, pro majori ſolemnitate, qua ſumit opus auſpicia. In ædificatione domus Dei primum lapidem collocavit amor divinus. Ad hunc pertinebat iſta functio ſpeciali ratione : quia lapis ille, quamvis in fundamentis jactus non tamen lapſus eſt ; ſed manu Dei tenebatur, ne caderet. Amantis eſt prævià ſollicitudine dilectum præſervare, ne damnum patiatur. Nam, etſi necnon in præſtando remedio poſt eventum lacrymabilem dilectio probari valeat ; non tamen adeo patenter manifeſtat amator, ſe fuiſſe permotum affectu, dum ab eo, quem diligit, abſtulit malum. Hoc beneficium aliqui tribuent compaſſioni ; fortaſſis ignorabitur amor. Tarditatem faſtidit amans : vult amato bonum ; ſic vigilat, ut feſtinet ; ſic properat, ut currat. Anonymus : *Omnis qui amat, vult, cupit, rogat, vigilat, currit, feſtinat*, &c. Licet, poſtquam Dei Genitrix in conceptione ſuâ macularetur, Dominus miſertus infelicitatis ejus, pietate ſimul & magnificentiâ ſuadentibus, torrentes aquarum donaret, ut à fœditate culpæ lavaretur ; non circa Matrem oſtenderet ſic filialem dilectionem. Congruum fuit, ut Maria gratiâ præſervante muniretur, ne corruptioni pateret, inquinaretur que ſordibus. Ut mortalium aliorum amantem ſe Deus teſtaretur, ſat fuit liberaliter effundere donum poſt egeſtatem ; quò verò ſpecialiſſimè diligere Virginem patefaceret, oportebat, ut in ipsâ clauderetur aditus inquinamento culpæ, proſuſque tolleretur

18. *Mariam Dominus à periculo proximo præſervavit originalis culpæ.*

Anonym. l. 3. de hæreſ Habetur to. 27. Biblioth.

Richard. à D. Laurent. de laud. l. 4. B. M.

Job 10. 8. S Gregor. Mag to. 1. l. 10. mor. c. 27.

retur periculum proximum corruptionis peccati.

19. Apud Vatem Evangelicum legimus profuſam Dei liberalitatem erga malos, ut eruerentur à culpâ. Iſaï.41.17. 18. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt : lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſraël non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes* : &c. S. Hieronymus ibi loquens de Gentium populo : S.Hieron.to 5. l. 12. in Iſaï. c. 41. *A cruore idololatriæ, & ſanguine victimarum non poterat liberari. Propterea Dominus Deus Iſraël non eos penitus dereliquit : nec in æternum perire paſſus eſt : ſed aperuit in ſupinis collibus ſive in montibus flumina, & in medio camporum fontes.* Certè vides largitatem Dei pro ſedanda ſiti Gentium. Quam affluentiam Hugo Cardinalis myſticè commentatur ſic : Hug. Card. in eum locũ. *Per fontem intelligitur gratia præveniens ſive incipiens, quæ eſt initium omnis boni : per rivos, gratia proficiens : per flumina gratia conſervans : per ſtagnum quod eſt aqua immobilis, gratia perſeverans vel conſummans.* Concinit Cornelius Alapide, quatenus ait ibidem : Alap. ib. *Rurſum* egeni & pauperes. *q. d. Peccatores miſeri & captivi à diabolo, quærebant animæ ſuæ refrigerium & liberationem ; ſed non inveniebant*, &c. Dum hæc mente verſarem occurrit illud Canticorum : Cantic.4. 12. *Hortus concluſus ſoror mea, ſponſus, hortus concluſus, fons ſignatus.* Fontem iſtum eſſe Mariam, non hæſitabis. Accipe Rupertum ad ea verba : Rupert. l. 4. in Cant. ib. *Unde autem*, inquit, *fons ſignatus, & quo vel quali ſignaculo ſignatus ? Nimirum ex eo, quòd Spiritus ſanctus ſupervenit in te, & virtus Altiſſimi obumbravit tibi. Ipſe Spiritus ſanctus ſignaculum eſt hujus fontis noſtri, ſignaculum pectoris tui. Et hoc eſt geminum noſtræ cuſtodiæ munimentum, geminum noſtrorum amicorum gaudium : quia & uterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio acceſſibilis : & mens tua nulli vitio, nulli ſpirituali nequitiæ fuit unquam penetrabilis.* Nunc duplex dubium inſurgit. Primum : Deus, qui ſic repromiſit abundanter gratiam populo Gentium, quod fontes pollicetur, ſtagna, rives, flumina ; cur non in Canticis Virginem appellat mare gratiarum ; ſed fontem vocat ? Secundum eſt, quòd fons iſte, ſcilicet Maria videbitur impropriè ſignatum dici : tum quia fons clauſus non omnibus prodeſt ; de Virgine verò S. Ephr. in margar. S. Ephrem ait : *Hominibus Maria fons Spiritus æterni* &c. tum quia fons concluſus nulli ſubit vicem ſpeculi ; de Beatiſſima verò Deipara dixit Richardus à S. Laurentio : Riear. à' D Laurent. l.9. de lau. Virg. *Maria fons vicem ſpeculi ſupplet : facies Patris Filius eſt ; hanc autem faciem reddidit nobis fons iſte reſpiciente Patre humilitatem ancillæ ſuæ.* Quo ſtylo nominatur fons illa ſignatus ? Reſpondeo. Mare liberum non eſt ab eo quod ejus maculentur undæ per aquas turbidas fluminum : fons autem ſignatus, nec ab animali venenoſo corrumpetur ; nec bruti pedibus luto plenis inquinabitur. Quamvis non de Matre Domini loquatur Gilbertus ; tamen ait hoc loco : Gilbert. ſer. 35. in Cant. ib. *Fons, inquit, & fons ſignatus, ſed eſt jugiter intus erumpens, & non valens corrumpi.* Corrumpuntur ſtagna, lutulenti fiunt rivi ; nec ſemper flumina decurrunt cryſtallina ; mare turbidum fit procellis, fontes aperti ſordibus & corruptioni patent ; fons autem à Spiritu ſancto ſigillatus immunis eſt ab iſtis : Dei Genitrix, inquam, præſervata fuit originali gratiâ peramanter, non ſolum à macula ; ſed ab ejuſdem proximo diſcrimine.

20. Sed aliquis dicet adversùs ea, quæ præmiſimus : Immunis equidem extitit in primo ſuæ conceptionis puncto Dei Genitrix ab originis miſerabili nævo : ſed hoc non probat, illam peculiariſſimè dilectam : nam ſi Virgo laberetur in originale delictum, verè foret inimica Dei, prout notavit Scotus, inquiens : *Beata Virgo Mater Dei nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis ; fuiſſet tamen, niſi fuiſſet præſervata.* Quid ergo mirum, quòd noluerit, Matrem ſuam adverſariam ſibi fieri per culpam ille, qui cupiens peccatores (quantumlibet veraciter hoſtes dicantur ipſius) ad amorem provocare, factus eſt puer ? Guarricus Abbas : Guarric. Abb. ſer. de Nat. Dom. poſt med. *Ideo*, inquit, *& nunc cum primò ſe manifeſtavit mortalibus, puerum ſe maluit exhibere, magiſque amabilis quàm terribilis apparere : ut quia ſalvare veniebat & non judicare, præferret interim unde provocaret amorem*, &c. Ecce Deus factus puellus, neminem volens mortalium inimicari ſibi per crimen, vagitibus amicitiam ſollicitavit hominum. Igitur quid mirabile, noluiſſe, propriam Genitricem in culpam labi, per quam ſibi redderetur inimica ? Reſpondeo. Deus in originariâ præſervatione Matris fortè plùs attendit ad hoc ut immaculata foret ea, cujus virginale clauſtrum fuerat inhabiturus ; quàm ad impediendum, ne delinquendo Virgo foret adverſaria Deo. Meditationi forſitan aliquantùm favet Auguſtinus, inquiens : S.Aug. ſer. de Nat. B.V. *Virgo illa prudentiſſima, animatum templum Dei excelſi, quam Deus ſic elegit, & prælegit ante mundi conſtitutionem, ut ſancta, & immaculata mater Dei eſſet, & filia ab æterno præſervata incorrupta ab omni labe peccati.* Principaliter in exemptione ſacro-ſanctæ Dei Matris id curavit amor divinus providè, ne per maculam fœdaretur illa ; quàm ne per offenſam læderetur ipſe.

In præſervãda Virgine magis Deus attendit ne macularetur quàm ne offenderet ipsũ. Scot. in 3. diſt.18.q. un. §. Hoc viſo.

21. Ad Canticum Salomonis revertamur. Laudaverat ſponſa Dilectum : & chorus virginum ſuam necnon operam Sponſo commendando præſtiterat. In ſequenti capite Sponſus laudem ſponſæ rependit : ut verba conſonarent mutuò, ſicut affectibus erant concordes. Primùm generaliter propoſuit, illam eſſe pulchram : deinde ſingularum partium venuſtatem percurrens, idipſum confirmat. Notanda ſunt illa verba : Cant. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Notanda, inquam : non enim ſic fuit commendata Virgo, quia conceſſa fuerit ei venia peccati ; ſed quòd ſine macula ſit. Prodeſt ad hunc locum legere Gilbertum ; quamvis eum de Maria non exponat. *Amat indulgentiâ non eget : totum enim gratioſum eſt, ubi ſolus eſt. Denique vide nunc quomodo & offenſa excluditur, & gratia commendatur, & ſola gratia.* Tota, *inquit*, pulchra es amica mea, & Gilber. ſer. 29. in Cant. ib.

macula

macula non eſt in te. *Blandimenta hujuſmodi non videntur indulgentis, ſed diligentis, ſed amantis, ſed admirantis.* Tene illud: *gratia commendatur, & ſola gratia.* Nec obliviſcare, laudationem prædictam Deiparæ Virginis, reſpicere, præter alia præſervationem à primæva turpitudine filiorum Adam. Ad ea verba Canticorum ſapiens Idiota dixit: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati mortalis ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec unquam fuit*, &c. Sic ille præfata verba Salomonis explicans. Excitavit mentem loquendi modus, quo Sponſus utitur ibi: non enim dixit: Offenſa non eſt in te; ſed, *Macula*. Hoc dum cogitatione verſarem, in locum Gentium Doctoris contigit incidere: qui ſic loquitur ad Philippenſes: *Et hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in Diem Chriſti*, &c. Vel dies Chriſti ſignificet ibi mortis diem, vel illam poſtremam, in qua ferendum eſt univerſale judicium totius orbis manet extra dubium, deſideraviſſe Paulum, quòd ii, quos inſtruebat, in unoquoque dierum illorum reperirentur immaculati. Cur ergo non dixit: Ut ſitis abſque macula? Sed ait: *Ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti*, &c. Sponſus verò ſanctiſſimam Virginem commendans, non uſus eſt præcitato loco nomine offenſæ, dicens, Mariam eâ carere; ſed nomine maculæ: ſic loquens: *Macula non eſt in te?* Non puto, fruſtra ſic dixiſſe. Suſpicor, indicaſſe, plùs in Virginis immunitate originali dilectionem divinam attendiſſe ne macularetur Mater; quam ne læſionem acciperet ab illa Deus. Cum enim offenſæ ratio tangat honorem Altiſſimi, qui læditur; ratio vero maculæ ſit creaturæ peccantis dedecus; Deus, quia magis erat ſollicitus de ſuæ Parentis honoratione, quàm de propriâ, ſummopere vigilans providit, ut lapis adamas ille primarius, ad Eccleſiæ domûs fundamenta præparatus, nunquam rudis foret; ſed à primo ſuæ creationis inſtanti fulgidus emicaret.

Sapiens Idio. in contempl. B. M.

Ad Philipp. 1. 9. 10.

DELIBATIO II.

Immaculatæ conceptionis B. Virginis excellentia perpenditur ultra.

22. *Mariam citiùs noviſſe, Deum habitare in ea, fuit præclara circumſtantia conceptionis illius.*

MUlta nobis infauſta detulit ſecum lapſus originis: hôc ſupernaturalia penitus amiſimus; & quoad naturalia vulnerati ſumus. Primus homo beatitudinem accepit naturalem; ſed infelici tranſgreſſione deceptus, maligni fraude perdens quod poſteris traditurus acceperat, non valuit ad nos tranſmittere quod amiſit. *Inde*, ait Caſſiodorus, *propagatus interitus, inde humani generis nutrita defectio, inde ignorantia rationi contraria, inde noxiæ curæ, inde pœnitenda conſilia, inde obſcurata cognitio, turpe deſiderium, juſtitiæ neglectus: inde mille criminum lapſus, & plura nobis cum pecoribus communia, quæ divinitas fecerat eſſe diſcreta.* Gemitu continuò dignè lamentandum, quantam cataſtrophem invexerit una culpa! Gaudeat econtrariò Mater intemerata, quòd per gratiam præventa manſerit incolumis. Imo non ſolùm obſtitit caſui Virginis Dei manus provida; ſed ipſi multa dona contulit: nec enim potentior extitit malignus ut hominem depauperaret primum, & nos in ipſo; quàm Spiritus divinus Mariæ ſponſus, ut eam ditaret abundè. Dixi to. 1. fl. 1. delib. 6. n. 39. Ex Suario Granatenſi, tum loco proximè citando, tum diſp. 4. ſect. 2. §. Primo ergo. Beatam Mariam accepiſſe divinitus in primo inſtanti conceptionis uſum rationis & virtutes. Quem rationis uſum non tranſeunter, ſed permanenter ei datum, probat idem Suarius eodem to. 2. in 3. p. diſp. 4. ſect. 7. §. Dico quarto. Et citat D. Bernardinum Senenſem ſer. 51. de B. V. c. 2. art. 1. Immunitatis originalis præclara circumſtantia quidem eſt, Mariam in eodem puncto, quæ fuit creata fulgens gratiâ Dei, cognoviſſe munus tantum. Qui beneficium recipit, quin agnoſcat, mortuo quodam certè modo felix eſt; augetur notabiliter donum Virgini collatum; per hoc quod tam citò noverit, in ipsâ Deum habitare per gratiam: quod ſi Dei Genitrix ignoraret, videri poſſet, perinde fore, quaſi divinâ gratiâ careret.

Sponſa Canticorum poſtulat amanter à Dilecto, dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam* &c. Reſponſum accepit mox, quod primâ facie videtur diſcordare penitus ab interrogatione factâ; quam ſic expoſuit S. Anſelmus: *Indica etiam mihi* ubi cubes, *id eſt quieſcas, ſcilicet ubi nulla offenſio te inquietet*, in meridie, *id eſt in ſplendore majeſtatis tuæ, vel in fervore charitatis*: &c. Vides quid ſponſa quærat? Audi quid ei reponat ſponſus: *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum*, &c. Commentatur idem Anſelmus: *Si ignoras te in qua dignitate ſis, ex hoc quod ſponſa mea es*, egredere *de conſortio Eccleſiæ*, & abi, *id eſt, longe fias ab Eccleſia*, &c. Quomodo ſtat ſeveritas hujus reſponſi, cum amanti ſciſcitatione ſponſæ? petit iſta ſibi fieri notum, ubinam paſcat, ubi quieſcat in meridie: quid peccavit ſponſa, quo pellatur ab Eccleſia? Dubium iſtud robur accipit ex eo, quòd locus exponatur à Ruperto de ſanctiſſima Virgine. Ad ſponſæ prædicta verba dixit ille: *Senſum vocis hujus quærenti, nec dubitanti mihi, quin veraciter congruat tantæ tamque beatæ Virgini*, &c. & infra commentatur ſponſi dictum ſic: *O pulcherrima mulierum, ô benedicta inter mulieres, cujus pulchritudo benedictio eſt, cujus pulchritudo ipſe benedictus fructus ventris tui eſt, talis ac tanta cauſa tua eſt, ut ſi te ipſam non ignores, ſtatim ſcias illud quod quæris, dicens: Indica mihi* &c. Et poſt addit Abbas idem: *Fides & humilitas tota pulchritudo tua eſt, & hic eſt locus requietionis meæ. Locus in quo dilectus tuus paſcendo & cubando delicietur in meridie, id eſt in hoc tempore plenæ gratiæ, quando figurâ jam præteritâ res illuxit: umbrâ depulſa, ſol veritatis aſcendit. Si hoc ignoras, conſequens eſt quod dixi;*

23. Cant. 1, 6.

S. Anſel. com. in Cant. ib.

Cant. 1. 7.

S. Anſel. ibid. ad n. 7.

Rupert. l. 1. in Cant. c. 13. n. 6. & 7.

Caſſiod. l. de anima c. 15. ante fi.

egredere & abi poſt veſtigia gregum, videlicet eorum qui in lege vel in carne juſtificari volunt : &c. Quo plus ad prædictorum interpretationem cogitatum applico, mihi magis arduum remanet intelligere, quomodo Maria dilectiſſima, dato, quòd neſciret, Deum habitare per gratiam in ipſa, projiceretur à conſortio dilecti ? Fallor, niſi per hoc inſinuatur quod ſupra dicebam. Abjiciuntur à præſentia Dei peccatores. An ergo projiceretur necnon & Virgo quodammodo, ſi ſemetipſam ignoraret, factam eſſe per gratiam locum requietionis divinæ : quia perinde foret atque gratiâ carere, ſi neſciret eam accepiſſe ? Sic meditari liceat, ut agnoſcamus qualiter conſummaverit Altiſſimus privilegium puritatis originariæ Virgini conceſſum ; donans eidem ut ſimul agnoſceret illud, uſu rationis expedito.

24. *Gratiſſimi Deo virtutũ fructus in Maria præcoces.*

Cum anima ſtatim atque ratione utitur, poſſit efficere virtutis actus meritorios præmii ſupernaturalis cum adjutorio Dei ; non dubito rationem & arbitrium liberum, tam antelucanè donata Virgini puriſſimæ, nequaquam otioſa fuiſſe. Epiſcopus Chriſtopolitanus refert, quoſdam viros contemplatos aſſerere quod Virgo Maria *illico incepit uti libero arbitrio & mereri.* Quàm præcoces fructus edidit hæc nobilis palma ? Moras odit virtus, dedignata mendicare temporis auxilium, ne ſegnis inveniatur. Conſulebat Magnus Gregorius olim, dicens : *Mandata Dei, myſteria Redemptoris, cœleſtis patriæ gaudia, cum feſtinatione cognoſcite, & præcepta vitæ cum feſtinatione implere curate.* Celeritas iſta, quam prudentia conſulit univerſis, ne præoccupati ſubitò die mortis invenire non detur ſpatium temporis, quod negleximus ; in Deiparente velociſſimè præcucurrit. Nos pauperrimi ſegniter procraſtinamus in animæ lucris acquirendis ; illa Dei donis opulenta mereri ſatagebat priuſquam diceretur vivere. Difficilè ſimilitudines inveniet oratio ; quibus hanc depingat feſtinationem adeo manicantem, qua ſic Dei Mater ad merita conquirenda maturavit ; & cum non eſſet in tenebris, vitæ lucem præſtolari noluit, ad hoc ut progreſſus faceret in itinere vitæ. Non emittit odorem flos niſi naſcatur ; non radiat ſol ante ortum : ſed Maria lilium candidum, & ſolis aſtro pulchrior, antequam per nativitatem prodiret in orbem, bonorum operum fragrantiam exhalabat, & meritorum fulgoribus elucebat. Deo per laudabiles actus incepit vivere longè priùs, quàm vitæ numeraret initia : nam computari ſolitum eſt mortalium ætatem ab ortu ; Maria verò tempora præveniens, à conceptione cœpit ſanctas operationes exercere. Pervium eſt intelligere quantum Altiſſimo placuerit iſta maturatio ; qua virga de radice Jeſſe fructus maturos edidit eo tempore, quo nullus expectaret ab ea nec virides. Gratiſſimum extitit Conditori quòd Maria tam citò virtutum opera fructificavit optima.

Refert. Valent. Epiſc. Chriſtopol. expoſ. in Magnificat. ad illud : *Fecit mihi* &c.

S. Greg Pap. to. 2. hom. 22. in Evang. ad fi.

25. Ex ore divini ſponſi, Reginæ mundi laudem rurſum audiamus : ille quippe ſolus valet perfectiſſimè laudare, quam tam excellenter laudabilem condidit. In Canticis legimus ad Mariam ſanctiſſimam dictum ſic : *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Hugo Cardinalis : *Exponitur*, inquit, *etiam hoc de B. Virgine : quæ eſt hortus voluptatis & deliciarum amœniſſimus, omni arborum plantatione conſitus, de quo Geneſ. 2.* Plantaverat Dominus Deus hortum voluptatis &c. Expectabam potiùs hoc loco legere ſimilitudinem aliam vice horti : nam exiſtimabit aliquis, modicè ſponſam laudari, cum vocatur hortus : iſte quippe titulus non adeo celſus eſt, ut ſoli Mariæ conveniat : aliis etiam congruit juſtis. Promiſſum legimus apud Iſaïam : *Eris quaſi hortus irriguus*, &c. Cornelius Alapide ibi : *Multò magis*, inquit, *id fiet in anima : hanc enim Deus quaſi hortum ſuum irriguum, perpetuò aqua gratiæ ſuæ irrigabit.* Quid ergo maximum profert de Virgine dilectus, cùm eam nominat hortum ? Poſſet ipſam ibi vocare cœlum : nam Thaumaturgus introducit loquentem Deum ad Gabrielem Archangelum, cum ei committeret legationem pro incarnationis myſterio, ſic, *Abi ad alterum quod in terra eſt, cœlum.* Et ſi quia cœlum eſt quid ſterile ; Maria verò tot virtutibus fœcunda, ſponſo placet innuere ſpirituales fructus illos dilectæ ; patiebatur allegorica locutio quòd Maria diceretur quoddam cœlum pomis abundans : nam & poma cœli quidem legimus in Scriptura ſacra. Moyſes tribni Joſeph benedicens aiebat : *De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli*, &c. Interlinearis ibi verbo, *Pomis* habet : *Odoriferis virtutum fructibus, quibus Eccleſia repletur*, &c. Nonne ſatis apto commendaretur encomio Deipara, ſi vocaretur eo loco cœlum pomiferum ? quare dicitur hortus concluſus ? Melius locutus eſt ſic ſponſus. Memento, non ibi cuilibet horto, ſed paradiſiaco Matrem Dei conferri. Quid, inquis, in paradiſo peculiare ? Multa : ſed ad præſens inſtitutum nota quod legitur apud inſignem Commentatorem Geneſeos. *In exordio mundi, ut alia, ſic etiam arbores in ſtatu perfecto productæ ſunt, hoc eſt, cum fructibus jam maturis* &c. Et poſt pauca : *Hoc etiam apertè docet ſacra Scriptura*, &c. Hac doctrina comprehendi paradiſum, patet manifeſtè. Non igitur uſus fuit ſponſus metaphorâ cœli pomiferi : quia ſi virtutes meditemur eſſe poma cœleſtia, fructus iſti (proh dolor) frequenter inveniuntur eſſe valde ſerotini. Non ita fuerunt paradiſiaci : nam in primâ plantatione ſuâ, jam arbores fructibus perfectis diteſcebant. Similiter in Virgine, verè Dei paradiſo, virtutum fructificatio, nullâ factâ mora temporis à perfectione ſumpſit primordia. Laus hæc eſt Mariæ virtutum præclariſſima ; Deique gloria non vulgaris.

Cant. 4. 12. 13.

Hug. Card. in com ib. ad n. 12.

Iſaï. 58. 11.

Alapid. in com. ib.

S. Greg. Thaumat. ſer. 3. in Annunt. B. M. med.

Deuter. 33. 13.

Interlin. ib.

Perer. l. 1. in Geneſ. n. 122.

26. *Honoremne Mariæ Deus prætulit ſuo ?*

Quæres, quonam ducta motivo providentia divina curaverit, ut tam feſtinatum ſumeret initium virtus B. Virginis, ut in ipſo primo conceptionis inſtanti be-

ne fuerit operata ſanctiſſima puella ? De multis unam eligo rationem, deductam ex doctrina, quam Suarius Granatenſis, nixus authoritate D. Bernardini tradit; aſſeverans, Mariam in priori puncto, quo fuit concepta, recepiſſe gratiam per diſpoſitionem propriam : ille enim modus *omnibus penſatis*, inquit, *ad majorem perfectionem pertinet : nam qui ſe ad gratiam diſponit, quodammodo ſe ſanctificat, & cum divino auxilio, eſt ſibi aliquo modo cauſa gratiæ, quod majoris perfectionis eſt*, &c. Quomodo hæc ſtent cum principiis Theologicis, non vacat exponere panegyriſtam nunc, & non theologum agenti : ſatis eſt loqui præeunte non vulgari Theologiæ lumine. Quibus præmiſſis, proſequamur in ſanctiſſimæ Virginis præconio. Curæ Domino fuit extollere Mariæ decus : non decoroſius eſt puriſſimæ Dominæ prædicto modo ſuſcepiſſe gratiam collatam in primo ſuæ conditionis puncto ; quàm ſi donaretur hæc abſque diſpoſitione propriâ. Verum eſt, quòd ſi non illa ſe modo prædicto diſponeret, ſplenderet ampliùs in donando gratiæ munere divina liberalitas ; utpote quæ, ſi res ita contingeret, attenderet ſeipſam tantummodo ; non autem Deiparæ virtutem. Sed amantiſſimus voluit ſponſus magis in hoc Virgini condecorandæ conſulere, quam propriæ largitatis honorem adaugere. Quid miraris ; cum ſcias, Deum amore Mariæ permotum, fuiſſe myſterio incarnationis minoratum ab Angelis ; ejus verò Matrem ſupra Seraphim veneremur evectam ? S. Joannes Damaſcenus : *Mulier Seraphinis ſublimior effecta eſt : Deus viſus eſt paulo minus ab Angelis minoratus.* Nihil itaque reſiſtit, ne credamus, Deum magis fuiſſe de Genitricis honore ſatagentem, quàm de ſuo proprium decus non tam Deus curavit, ſicuti de Mariano ſollicitus extitit.

Suar Granat. to.2.in 3. p. diſp.4 ſect.8. poſt princ.& §. Dices.

S. Joan.Damaſc.or.1.de Nat. B.V.

27. Mirè ſplenduit puritas in duplici corde placente Deo nimis : in Joſeph, inquam, filio Jacob, & bellatrice fœmina Judith, ille recuſans crimine fœdare candorem, pertulit infamem calumniam, diuturnique moleſtiam carceris ; quia noluit pudorem temerare caſtum. Judith verò juxta flammas laſcivientis non exarſit : imo barbari ſanguine turpes ejus extinxit fortiter ignes. Tam Joſephum, quàm Juditham Dominus protexit ; ſed non æquali modo: matronam quippe cuſtodivit per Angelum ; non ita Joſephum. Victrix Bellona caput Holofernis protulit (fœdum ſpolium pulchræ victoriæ) coram Bethulienſibus, dixitque : *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*, &c. Non legimus, Joſeph ſimilia locutum poſtquam emerſit ad meliorem fortunam. Et ſanè, licet in multo fœmina diſcrimine fuerit ; non tamen Joſeph in modico periculo peccandi conſtitutus eſt : nam & mulier ardens libidine dominabatur eidem : & importunitate contentiosâ tentavit ejus pudicitiam. Cur ergo non per aſſiſtentiam peculiarem ſpiritûs alicujus Angelici de primoribus fuit cuſtoditus Joſeph à peccato; cum non ſine fundamento M. Celada ſuſpicetur, extitiſſe Michaëlem Angelum, qui Juditham cuſtodivit ? *Ego quidem*, inquit, *ſuſpicor primorum principem fuiſſe, Michaëlem inquam.* Ad myſtica nos conferamus. Joſeph Chriſtum Dominum figuraſſe recolo de Ruperti doctrina, dicentis : *Bene igitur Joſeph relicto in manu adulteræ pallio fugit, & egreſſus eſt foras. Fugit enim qui & dixit :* Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Juditham verò Beatiſſimam Virginem adumbraſſe, dixi perſæpe. Nunc do Cardinalem Hugonem ad illud, quod Ozias princeps dixit ad Judith : *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Ibi Purpuratus ait : *Poteſt hoc intelligi de Eccleſia : vel etiam de Beata Virgine.* Adde, quod illa verba Judith : *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*, poſſunt accommodari Virgineæ immunitatis ab originali noxâ privilegio. Forſan hac mente locutus eſt Gilbertus Epiſcopus. *Ipſa*, inquit, *quoque benedicta Virgo à Filio ſuo præſervata poteſt dicere illud Judith.* 13. Non permiſit Dominus &c. Cum igitur ſe magis exhibuerit ſollicitum Dominus de honore Judith, conſervans eam puram à turpitudine ; quàm de Joſepho, ne præcipitaretur in libidine, poſteaque dehoneſtaretur apud nos, ejus lapſu narrato, conjicitur ex hiſce figuris, Dominum plus ad Mariæ decus in præſervatione culpæ providum attendiſſe, quàm ad ſuum.

Judith. 13. 20.

Cela. in Judith c.13.ib. § 15.lit.n.72.

Rupert.l.8.in Geneſ.c. 34.

Ad Judith. 13. 23. Hug. Cardo in cō.

Gilb. Epiſc. ſer. de laud. V.

28. *An cecidiſſe videretur Salvator, ſi Maria caderet ?*

Sed parum abeſt ut hoc proximè dictum revocem : nempe quod Altiſſimus præpoſuerit Mariæ decus honori proprio. Contra hoc ſtat, quod honorificatio Matris exaltatio filii Salvatoris eſt : unde conſulens honorandæ Genitrici ſemetipſum extollit inſimul. Hinc verum eſt quod aſſeruit S. Bernardus, inquiens : *Non eſt dubium quicquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere : & rurſum cum Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus.* Simili ratione firmum eſt argumentum, quo S. Auguſtinus utitur, ad probandum, Virginis corpus emortuum corruptum non fuiſſe, nam ex eo, quòd ab iſto fuerit opprobrio liberum cadaver ſacroſanctum Redemptoris, deducit, etiam Deiparæ carnem extitiſſe hujus expertem injuriæ. *Putredo*, ait, *namque & vermis opprobrium eſt humanæ conditionis, à quo opprobrio cum Jeſus ſit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Jeſus de ea aſſumpſiſſe probatur.* Hinc tranſeuntes ad aliud majus opprobrium, nempe delicti, contemplari valemus, honorem Dei apud homines pependiſſe plurimùm ab eo, quòd ejuſdem Genitrix nequaquam deturparetur crimine : quoniam, ſi caderet Mater, exiſtimaretur cecidiſſe Filius. Pronum eſt hominis ingenium ad credendos in altero defectus, vel ex nullo, ſeu leviſſimo fundamento. Proinde nullâ cum injuriâ prorſus humani judicii timere poſſemus, quòd Mariâ Deiparâ cadente, Deus ipſius gnatus collapſus videretur.

S. Bernard. hom. 4. ſup. Miſſus. in princ.

S.Aug.to.10. ſer. 34. de ſanctis.

29. Felicitatem benedictionis paternæ, quam, diſponente ſupernâ providentiâ, Jacob accepit, commixtio ſubſecuta eſt germani dolentis quòd ſortem ſibi deſtinatam à natura, fratri contulerit induſtria. Diſceſſit peregrinus ad Laban. Sic temporalis fortuna, quantumvis data cœlitus, appendicem frequenter vendicat infortunium. Ad eamdem cœleſtis Moderatoris prudentiam, qui ſic abjecerat Eſau, præpoſueratque Jacob, attinebat hunc pergentem in via corroborare. Sic factum eſt per celebrem viſionem in ſomnis exhibitam. Stans apparuit ei ſcala ſuper terram : quæ vertice tangebat cœlum ; Angeliſque deſcendentibus & aſcendentibus præſtabat viam : Dominus autem innixus viſebatur ſcalæ. *Viditque in ſomnis ſcalam ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam. Et Dominum inixum ſcalæ* &c. Supponendum ex D. Auguſtino referendo mox, Jacobum non vidiſſe Dominum poſitum in terra, ſcalæque nixum inferiori parti ; ſed in cacumine. Dubitandi rationem affert hæc circumſtantia viſionis illius : nam ſi Deus ad Jacobum deſcenſurus eſſet, congruè primùm cerneretur in ſcalæ parte ſuperiori ; ſed, cum nequaquam viſus fuerit ad inferiora tunc deſcendens ; ut quid non potiùs innitebatur cœlo, quàm ſcalæ ? Reſpondeo. Dei Genitricis umbra ſcala noſcitur. Do nunc S. Bonaventuram. *Maria*, inquit, *figurata fuit per ſcalam, quam Jacob in ſomnis vidit* &c. Allegoricè Chriſtus Dominus niti ſcalæ conſpectus eſt à Patriarcha. S. Auguſtinus ait : *Sed ſi Jacob Dominum in terra dormiens figurabat, quid eſt quod in cœlo Dominus ſcalæ innixus incumbebat ? quomodo Chriſtus Dominus eſt in cacumen* (forte legendum: *Cacumine*) *ſcalæ in cœlo, & in beato Jacob eſſe videbatur in terra ?* Cœlum equidem lapſui non ſubeſt ; cum vero ſcalæ materiales à terra protractæ in ſuperna, ſi cadant, labi faciant eum, qui nititur eis ; Deus, qui viſibili ſpecie Jacob apparuit, videretur labi, ſi ſcalam decidere cerneret viator. Quid hoc eſt aliud, niſi ſummi Regis honorem ita connexum habere ſibi decus matris puriſſimæ, quòd ipsâ ruente videri poſſet erranti mortalium judicio, Deum ab ea genitum pariter corruiſſe. Præſertim cum originis macula per generationem continuetur in filiis Adam ; & propterea facilè putaretur, Deum hominem genitum à parente maculatâ noxâ primævâ, ſimilem contraxiſſe labem ; non temerarius dicebam ſupra, Dei Filium præveniendo gratiam originalem propriæ Matri, ne ruinam in primo conceptionis experiretur ingreſſu, dignitati majeſtatis divinæ conſuluiſſe prudentiſſimè.

Genes. 28. 12. 13.

S. Bonavent. in libell. de laud. Virg.

S. Aug. to. 10. ſer. 29. de temp.

30. *Amantiſſimum ſe Deus exhibuit Virgini, favens ei, quaſi curans de commodo proprio* Hinc aſcendere valemus, ut mens piè contempletur, quàm proximum Deo ſit hoc animatum cœlum, Deique ſedes elevatiſſima ; cum decus Mariæ ſit honor Omnipotentis. Non tantùm familiaritatem cum ſuo Creatore vendicat puriſſima creatura ; ſed eſt Conditori proxima. Parum diximus : nam, quantum creaturæ ratio patitur, jure dicitur intima Deo. S. Bernardus : *Quam* inquit, *familiaris ei facta es Domina : quam proxima : imo quàm intima fieri meruiſti !* Video, Reginæ cœlorum excellentiam potiſſimum à Dei maternitate deſumi. Sed adhuc licebit inquirere, quo plus divinus amor erga Mariam enituerit ? an quia Deus illam delegit in matrem ? Vel in eo, quòd eamdem præſervavit ab originis culpa ? Mehercle Virginis dignitas inde veniens quòd illa Deum genuerit, munus extitit adeo magnum, quòd infinitatem quamdam ei Theologi concedant, quæ dicitur ſecundùm quid. Et cum liberalitas amorem teſtetur diligentis ; affectus, quo Deus proſequitur Mariam, micavit ſplendidè per electionem ipſius in genitricem ejuſdem Verbi, quem Pater æternus incomprehenſibiliter genuit. Nihilominus, pro conceptionis inviolatæ laudibus hîc ad finem addendum eſt. Non deerit exiſtimans, ardentiorem dilectionem probaviſſe Deum circa terræ cœlique præcelſam Imperatricem in exemptione donatâ potenter à primo delicto generis humani, quàm in conceſſione maternitatis propriæ. Rationis fulcrum non deerit huic placito. Rector ſupremus totius orbis eligens Virginem, ut ab ea naſceretur ; per iſtius dignitatis donum affecit præmio meritum ejus : meruiſſe namque Mariam fieri matrem Dei, piè latiſſimeque Theologi docent. Mihi ſatis & ſuper nunc Auguſtini verba. *Nec*, ait, *potiorem meritis invenimus quàm te ad placandam iram judicis, quæ meruiſti eſſe mater Redemptoris & judicis.* Cùm Deus remuneratoris exercet officium, ſolvit quod aliqua ratione debet. Hæc in ſolvendo rectitudo non ſolet remunerantis amori tribui ; ſed vel juſtitiæ divinæ, vel ejuſdem fidelitati. Dum verò Dominus omnium non ex merito recipientis creaturæ, ſed ex merâ benevolentiâ quid elargitur, hoc vertitur amori. Beatiſſimæ Virginis immunitas originaria non fuit ab Altiſſimo donata, quatenus eſt remunerator de juſtitia : non enim potuit Virgo gratiam, in qua primò concepta fuit, mereri de condigno ; ut probat Suarius loco ſupra citato ex illo theologico principio : Principium meriti non cadit ſub merito. Si loquamur autem de merito, quod appellatur de congruo, licet dixerim ſupra B. Deiparam accepiſſe gratiam in primo conceptionis inſtanti per diſpoſitionem propriam ; hoc aſſerere non cogit, eam promeruiſſe : dantur enim diſpoſitiones quædam, quæ propriè merita non ſunt. Proinde cum Angelorum Domina de congruo meruerit fieri mater Dei ; nullo vero modo promeruerit originis puritatem ; relinquitur in hujus largitate magis fulfiſſe dilectionem Dei circa Mariam, quàm in prædeſtinatione ad maternam celſitudinem. Non hic ſiſtam : ſed aliud motivum quæram, ut in iſta præſervatione Mariæ refulſiſſe nimis amorem divinum aperiamus. Illud ex dictis colligo. Stabilitum ſuperiùs manet, Regem regum tamquam

S. Bernard. ſer. in ſignum Magnū.

S. Aug. to. 10. ſer. 2. de Aſſump.

honori ſuo conſulentem, Virginem tenuiſſe ne collaberetur in primordiale delictum. Ecce favor conceſſus Deiparæ quaſi commoditas fuit ipſius donantis. Hoc opus extitit affectûs ardentiſſimi: nempe ſic favere dilectæ Deum, velut proprium commodum ſollicitantem. Cum Dominus præmium confert, incendium tegit amoris; dum verò ſponſæ favens, de propriâ ſimul utilitate curare perhibet, amantior oſtenditur.

31. Dormiebat ſponſa Canticorum: ſed hoc ſomno nihil obſiſtente, dilectus acceſſit ad ejus fores: nam, cum locuturus eſſet ad cor ejus; ut ipſa perciperet illius verba, ſatis erat vigilare corde. Cupiit ipſius domum ingredi; quod erat benevolentia non exigua. Non tamen ſermonem fecit ad illam tamquam in hoc offerens beneficium; ſed ut poſtulans tecti protectionem à rore guttiſque noctis. *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. 2. Præcedenti capite legimus in eodem Cantico, ſponſum, quamvis amicam advocaverit, non ut eam quæreret perrexiſſe tunc; ſed ibi dixiſſe non ſemel ut veniret. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni:* Ib. c. 4. 8. &c. Repetitio vocationis amantem indicat: cur ergo non vadit ad illam; ſed vocat eam? Quia minùs exardentem hoc loco ſignificabat amorem; cum ad præmium tribuendum accerſeret ſponſam: remunerationis donatio non tam flagrantis affectûs indicium eſt. *Veni: coronaberis* &c. D. Gregor. Mag. to. 2. expoſ. in Cant. ib. S. Gregorius Papa ibi: *Omnium laborum ſuorum præmia conſequitur. Ibi jam omnino proſtratis & excluſis hoſtibus gloriosè coronatur. Ideo & hic per promiſſionem ſequitur: Coronaberis* &c. Cum ſponſus remuneratorem agebat, quamvis eam diligeret, non ſe tunc temporis amantiſſimum exhibuit: non, inquam, ivit ad quærendam ſponſam; vocavit ut veniret. Atvero poſteriori loco tali dilectionis incendebatur flammâ, quòd afficiens illam favore non vulgari (qualis erat benevolentia cupientis ingreſſum) habuit ſe quaſi commoditatem ſollicitans protectionis à rore ſub ipſius tecto. Quidni ſe tam exaggeratiùs amantem præſtaret, ut quæreret vigilans dormientem? Sponſam Canticorum eſſe Mariam, identidem ſupra notavi. Pronum eſt ex præmiſſis intelligere, quantum dilectionis opus Deus fuerit executus erga Virginem, donans incolumitatem originis, per quam ſemetipſum honorificavit. Et quia probavit ſe peramantem in beneficio proximè dicto; properè à ſuperiùs aiebam, amorem divinum collocaſſe primarium lapidem, ſcilicet Mariam, in fundamentis illius domûs, de qua Salomon in textu noſtro.

DELIBATIO III.

Virgo Maria ædificavit Eccleſiam exemplo humilitatis in Purificatione ſuâ.

A Puritate non agnoſcente maculam facilis tranſitus eſt ad purificationem haud indigentis emundari: nec recedimus à parabola Salomonis: *Sapiens mulier ædificat domum ſuam* &c. Nam in ſuperioribus adduxi Carthuſianum exponentem ſic: *Id eſt ſobolem ac familiam ſuam inſtruit verbis atque exemplis.* Cumque dixerimus, in ſpirituali ſenſu Eccleſiam eſſe domum illam, de qua Paræmiaſtes; operæ pretium erit Virgineæ ſubmiſſionis exemplum in ſubdendo ſe legi, qua non ligabatur ejus puritas, expendere: nullus enim dubitabit, Eccleſiam Dei plurimùm ædificatam ad hujus virtutis exercitium per imitationem Reginæ cœlorum, ſeipſam ſponteneè demittentis. Fateor equidem, humilitatem Eccleſiæ Salvatoris imitationem pertingere: nam ad illud Apocalypſis: *Cecidi ad pedes ejus* &c. Dixit Anſbertus *In ipſo Joannis caſu humilitas Eccleſiæ commendatur; quæ etſi carnem domat, voluptates illicitas frænat, humilitate tamen ad imitanda Chriſti veſtigia pertingit.* Non tamen extrahimus Eccleſiam ab imitatione ſponſi divini, cum eam aſſerimus ductam exemplo Marianæ humilitatis: nam Filius & Mater præbuerunt in ſolemniſſimâ Purificationis die nobis imitandam ſubmiſſionem admiratione dignam. S. Eligius: *Sed quod tam ille legis Dominus, quam & glorioſa Mater ejus; cum lege nihil deberent, ſponte tamen ſe decretis voluerunt ſubdere legalibus; nobis exemplum præbuerunt quanta humilitate, quanta obedientia Dominicis præceptis parere debeamus.* Itaque tacentes humilitatem Filii Dei, ſed ejus non immemores, admiremur humilem Virginem puriſſimam accedentem ad templum titulo purificandi ſe; cum eſſet mundiſſima. Non tantùm ſe Deo ſubmiſit, obſervans legem, qua non conſtringebatur; ſed etiam ſacerdoti. Juxta S. Vincentium Ferrarienſem fœminis poſt partum erat mos, quem jam ex illo refero. *Mulier veniebat, ad templum flexis genibus coram ſacerdote dicebat: Ecce oblationem, offeratis pro me ſacrificium, ut Deus remittat mihi peccata quæ commiſi concipiendo, portando, pariendo, & nutriendo. Sacerdos autem recepta oblatione & facto ſacrificio dabat mulieri benedictionem: & recedebat mulier. Iſtam conſuetudinem voluit Virgo Maria hodie ſervare:* &c. Minùs eſt quòd legiſlator Deo ſubjectionem Puerpera ſacroſancta præſtiterit circa legem ſervandam; qua non conſtringebatur: longè majus eſt quòd Mater Dei ſe creaturæ ſubmiſerit, genibuſque flexis loqueretur. Divina majeſtas infinitè Virgine ſuperior extat; & humilem ſubjicit majori non tam virtutis inſigne factum eſt: at quòd eadem ſeſe minori ſubjecerit, hoc excellentius.

32. *Maria magna humilitas in ſubdendo ſe minori.* Dion. Carth. in Prov. 14. 1. Anſbert. l. 1. in Apoc. ad c. 1. 17. S. Elig Epiſc. hom. 2. de Purificat. S. Vincent. Ferrar. ſer. de Purif. B. M. ante med.

Tandem illuxit felix illa dies, qua Patris Unigenitus mortalitatem noſtram in utero Mariæ ſumere dignatus eſt, ut 33.

filios Adam reſtitueret immortalitati. Præmiſſus eſt cœleſtis nuntius Gabriel, ut illius conſenſum acciperet: denuntiavit ei conceptum futurum. Puriſſima quantumlibet in Scripturis valde perita, percontata fuit modum, quo futurum erat id, quod audierat Angelo nuntiante. *Legerat*, inquit Beda, *Ecce virgo in utero habebit & pariet filium, ſed quomodo, id fieri poſſet, non legerat meritò credula iis quæ legerat, ſciſcitatur ab Angelo quod in Propheta non invenit.* Adde S. Bernardum exponentem ſic interrogationem Deiparæ: *Quomodo fiet iſtud*, &c. Commentatur, inquam, Doctor mellifluus: *Non dubitat de facto, ſed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet iſtud, ſed quomodo. Quaſi dicat: Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum: qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò virgo concipiam, virgo & pariam*, &c. Cogitabam, quare non potiùs Dei Genitrix interiùs rogavit hoc ipſum edoceri per cœleſtem inſpirationem ſolam; quam impetraret facillimè? Idem S. Doctor meditatur Gabrielem reponentem ſic ad Virginem ſciſcitantem: *Quid à me requiris quod in te mox experieris? Sciens ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo doctore, quo & authore. Ego autem miſſus ſum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec poteſt doceri, niſi à donante: nec poteſt addiſci, niſi à ſuſcipiente.* Quapropter non ſine rationis momento quærebam, cur non Deum, ſed Angelum rogavit Maria modum, quo peragenda foret in ejus viſceribus incarnatio. Patet noſtri dubii ſolutio, dum profundam Virginis humilitatem recordamur. Si percontaretur à Deo quod adhuc neſciebat, humiliaret ſemetipſam Altiſſimo ſupplex, ut inſtrueretur ab illo. Minor foret equidem hæc humiliatio propria: per hanc ſibi non ſatisfaceret humillima Conditoris ancilla. Concupiſcens abjicere ſe nimiùm, voluit à Gabriele doceri: ſic enim diſcipulam offerebat illius, cujus fuerat electa domina. Deprimit excellentiùs cor humile ſe, cum ſubjicitur voluntariè minori. Metiri licet hinc quàm inſigniter deſcenderit in die ſuæ Purificationis Maria; coram ſacerdote ſe proſternens in genua. Sic exemplo domum ædificavit, hoc eſt Eccleſiæ familiam inſtruxit circa reverentiam Dei miniſtris exhibendam.

Bed. in Luc. 1. c. 3.

Luc. 1. 34.

S. Bernard. hom. 4. ſup. Miſſus.

Idem ib.

34. *Perfectè humilis magis complacet in ſubmiſſione, quâ propriũ decus periclitatur.*

Alterum Virgo ſapiens humilitatis actum exercuit in eo, quòd accedens ad ceremoniam legalem; ſervans ritum, qui præſcriptus fuerat matribus, quas partus inquinaverat, expoſuit ſemet ut reputaretur immunda. Vitavit quòd haberetur prævaricationis rea, ſi non ſervaret legem Dei; ſe tamen velut exhibuit ſimilem genitricibus, quæ virginitatis diſpendio conſequuntur maternitatis bonum. S. Thomas à Villa nova: *Mater*, inquit, *ſine neceſſitate purificationis voluit cæteris mulieribus ritu purificationis aſſociari: & quoniam ſacri partus myſterium adhuc latebat, niſi ſervaſſet legem, prævaricationis rea apud alios haberetur.* Honor coram hominibus poſſideri ſolitus, tam indifferens eſt ad virtutem & illius carentiam, ut nunc ſubſequatur velut effectus laudabile factum ſaltem apud pios; nunc autem etiam apud eoſdem deperdatur inculpabiliter ex virtutis opere. Noſipſos fugiunt multa propria; non eſt quare miremur ignorari ſic aliena. Quis non, ſeclusâ revelatione, crederet, Mariam carere puritate virgineâ, cernens illam communium ſtylo genitricum accedentem, ut legaliter purificaretur? Potuiſſet quidem ſacratiſſima Puerpera (ſuppoſito quòd ei Deus hoc non vetaret) detegere ſacerdoti, necnon aliis cordibus piis in templo, ſe, quamvis matrem, virginem extare prodigioſè; Meſſiamque tot ſæculis deſideratum peperiſſe; ſubmittere tamen ſe legi purificationis propter impediendum ſcandalum aliorum id neſcientium. Hæc humilitas attamen apud eos, quibus myſterium aperiretur, multùm condecoraret illam. Ex aliâ verò ſubmiſſione, quam exercuit aſſocians niveam puritatem ſuam immundis matribus, factum eſt, ut necnon à ſacerdote, ſimul & aliis bonis judicaretur non pura. Maluit Maria poſteriorem demiſſionem, quam primam: quoniam ſolet animus humilis perfectè magis de ſubmiſſione complacere, quâ proprium abjicit honorem. Humiliari ſic, ut ex eo decus oriatur proprium, non tam arridet excellenter humili: placet ampliùs humiliationem eligere, per quam exiſtimatio propria periclitetur apud alios.

S. Thom. à Villa no. ſer. de Purif. B. M.

35. Scimus, Redemptorem noſtrum eleemoſynas pauperibus donaviſſe, quantumvis pauperem S. Auguſtinus: *Habebat*, inquit, *ergo & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſervans & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.* Sic illum decebat omnem implere juſtitiam; ut miſericordiam, quam nos cupit egenis exhibere, præiret exemplo. Necnon ſic ſe gerens probavit facto quod ſæpius inculcamus, eleemoſynam ſuadentes: nempe largitorem ſtipis accipere quod indigo donat. De verbis illis: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* colligimus, Chriſtum Dominum per manum pauperis eleemoſynam à nobis accipere. Donavit miſeris opem Dei Filius; & conſequenter ad proximam doctrinam à ſemetipſo recepit eam in ipſis; ut verum oſtenderet, inopi ſubvenientem ſuſcipere quod elargitur. Cum ita placuerit Redemptori miſeratio circa paupertate preſſos, ut noſtram cogitatiunculam non aſpernetur; attamen fundamentum video nullum ad hoc, ut aſſeramus, Chriſtum Dominum aliquando creaviſſe miraculosè pecuniam, ut juberet indigis erogari. Gradum faciamus ad Evangeliſtæ Matthæi narrationem. Ad Apoſtolum Petrum locuti fuerant illi, qui ſolebant accipere didrachma, circa ſolutionem divini Magiſtri. Antequam Simon hoc deferret ad Præceptorem, hic dixit ei: *Vade ad mare, & mitte hamum: & cum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens,*

S. Aug. to. 9. tr. 62. in Joann.

Matth. 25. 40.

Matth. 17. 26.

da eis pro me, & te. Duo ſunt hîc de ſupra dictis recolenda: primum, didrachma fuiſſe tributum, quod ſolvebatur Cæſari, juxta S. Hieronymum relatum fl. 12. n. 53. Secundum, quòd ſtater ille dicitur per miraculum creatus; de qno Paſchaſius adductus fl. 11. n. 13. Bone Deus! ut Imperatori, quin debeas, tributum perſolvas, prodigium patras, creato ſtatere? pro ſublevandis autem pauperibus non efficis miraculoſæ pecuniæ copiam, ut illis abundet? Attende. Salvator mundi, cum eſſet ſupremus Princeps, perſolvens tributum Cæſari, diſcrimini propriam exiſtimationem libenter exponebat: nam contingere poterat, ut aliqui dicerent: Quomodo credemus, hunc eſſe verè Deum; qui ſolutione tributi profitetur ſubjectionem Imperatori? Hanc humilitatem exercere, quâ proprium decus apud aliquos exponebatur periculo, ſic Filio Dei placuit, quòd ut eam exequeretur, tantum adhibuerit conatum potentiſſimus, ut mirabiliter creaverit ſtaterem. At nequaquam de theſauris omnipotentiæ nummos extraxit miraculoſos ad egenorum ſublevationem: quia ſic faciens operaretur in donatione ſtipis humilitatem honorabilem ſibi: nam & opitulari miſeris eſt opus honorificum; & in eleemoſyna largienda ſe Dominus humiliabat: quia tunc non benefaciebat uti Deus creaturæ; ſed quaſi proximus alteri proximo. Inſigniter humilis amat honorem proprium exponere cùm ſe demittit.

36. *Deo placet quærens illum; quin timeat per homines malè judicari.*

Rationem ſubjicio, cur illuſtribus virtute familiare ſit ſponte ſubmittere ſemetipſos cum diſpendio ſui nominis. Amor Dei ſuadet ipſis hanc egregiam fortitudinem. Languet illa dilectio, quæ recuſat operari bonum, niſi maneat honor operantis intactus apud homines. Imo, ſi periculum iſtius iſta reformidat, quòd omittat agere laudabiliter, ut non coram judiciis humanis dehoneſtetur; ſatis indicat hic affectus Dei, ſe tam infirmum, ut ab amore gloriæ ſæcularis turpiter vincatur. Oportet diligere virtutem ſic, ut iſta dilectio ſuperet cupiditatem gloriæ mundanæ: verecundum eſt enim, complacentiam laudis hominum ſuperare veritatis amorem. S. Auguſtinus: *Cupiditas,* ait, *gloriæ ſuperetur dilectione juſtitiæ. Ut ſi alicubi jacent, quæ apud quoſque improbantur, ſi bona, ſi recta ſunt, etiam ipſe amor humanæ laudis erubeſcant, & cedat amori veritatis.* Non benè conveniunt cœleſtis atque terrenus amor:

D. Aug. to. 5. l. 5. de civit. Dei. c. 14.

Hugo l. 2. pior. deſider. poëm. 1.

——— ——— pugnant
Diſſimili nimium conditione duces.
Hinc vocor, hinc revocor, rurſuſque invitor utrinque,
Non ſecus ac refluo quaſſa carina ſalo.
Ambiguum faciunt amor hic, amor ille duellum,
Impediuntque ſua ſiſtere vota loco.

Cor flammis ardens aſcendentibus ad cœleſtia, non aëre paſcitur opinionis mundanæ. Deo placere ſtudet, iſto diſpliceat hominibus: imo congruum hoc eſt ipſi, quò robur exerceat parvipendens mortalium ſuſpiciones falſas, & erronea judicia. Quomodo ſtabit fortiter dilectio contra vehementes inſultus hoſtiles in acie, ſi clauſam in humanis pectoribus exiſtimationem ſuî trepidaverit homo? Congruit igitur amanti Dei ſic eum quærere, ut malè indicari non paveat. Domino placet ſollicitudo ſe requirentis, & opiniones humanas adverſarias honori proprio tamquam nihilum æſtimantis.

Sæpiùs ad expenſionis libram revocavi nocturnum acceſſum ſponſi Canticorum ad ſponſæ fores. Excuſationes oſtendens illa noluit oſtium reſerare Dilecto. Sed mutato conſilio ſurrexit, aperuit januam, cum diſceſſerat ipſe. Prodivit è domo: filias Jeruſalem adjuravit, ut ſi quem diligebat invenirent, ſuæ dilectionis languorem nuntiarent eidem. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Ut quid ſponſa loquitur ad filias Jeruſalem, quæ non erant inventuræ Dilectum ſuum? Taceat, & quærat eumdem; ne ſuſpicientur ipſæ contemptam ab Sponſo. Jam contigerat illi fruſtra vigiles cuſtodientes urbem noctu rogare de Sponſo. Quæſiverat eum domî: cumque non inveniſſet, quærebat per plateas. Tandem legimus: *Invenerunt* me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* En interrogatio, prout apparet fruſtranea: quid enim cuſtodibus cum ſponſo? Accedit, quòd utrobique myſterio planum eſt hæc per divinum ſponſum permitti, quæ minimè decoroſa fortaſſis eſſent ſibi dilectæ: nam & vigiles (hominum genus, quod neutiquam frequenter ſolitat eſſe corde pium) facilè venirent in ſuſpicionem non bonam de fœmina per plateas nocte quærente quem diligebat: & alibi filiæ Jeruſalem forſan crederent quod proximè ſupra jam tetigi, nec honori ſponſæ congruebat. Vide. Delicatulus erat utroque loco ſponſæ affectus: quoniam primùm ſponſum requiſivit in lectuli requie; poſthac autem ingreſſum ei denegavit, ne tunicam induerer, ac pedes inquinaret. Conveniens fuit, ut amor ſponſæ roboraretur vincens aliquid arduum valde: nempe reſiſtens mentibus alienis vigilum (& poſtea filiarum Jeruſalem) ſi forte contra decus purum ſponſæ cogitarent de illa quid ſiniſtrum. Dilecto placebat, ut ipſum quæreret amatrix exponens lubenter exiſtimationem propriam dedecori. Relinquitur hinc, Mariam puriſſimam placuiſſe nimis Altiſſimo, die Purificationis; cum ejus amor, ut opus gratiſſimum Domino perficeret, litavit ei ſuæ puritatis decus: quid enim virginitatis agnoſceret in illa qui cerneret eam venientem ut purificaretur legaliter eo ritu, quo matres non puræ mundabantur?

37. Cant. 5. 8.

Ib. c. 3. 3.

38. *Humilitatis laus juſtipuitati ſponte rei à bonis.*

Inſigni Dei Mater exemplo dilectionis Dei, ſimul & humilitatis, ædificavit divinam domum, hoc eſt inſtruxit Eccleſiam. Valet equidem fideles hortari Maria ſibi ſumens illa verba dilectiſſimi Filii: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: &c. Non mihi, ſed Vincentio Fer-

Matth. 11. 29.

rarienſi debes meditationem piam. Ait ille, de Virgine loquens, cum ſe legi purificationis humiliter ſubdidit : *Virgo erat nigra oculis ignaris eam non cognoſcentibus : ſed erat formoſa Angelis Dei.* Nolite me conſiderare, *Supple, deſpiciendo* : quia decoloravit me ſol : *quia ardor divini amoris ſic humiliari faciebat : ſupple, incendendo. Ideo poteſt nobis dicere illud Matth.* 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde : &c. Putares, amoris Dei munus eſſe non deprimere, ſed elevare ſpiritum diligentis. Unum & alterum officium obit: exaltat in flamma ſurſum tendente : quia Deo conjungens animam, docet illam terrena deſpicere ; pariter & abjicit eamdem ad infima : quatenus exurens cor illuminat intellectum : ad cognoſcendam penitiùs Dei majeſtatem ; reſpectu cujus merè nihil ſunt elevatiſſimi ſpiritus juſtorum. Etſi velut arbor procera ſit anima perfecta, cùm dilectionis igne corripitur, quaſi redigitur in cineres : hoc eſt, ſe vilem profitetur, comparatione factâ cum infinitate Dilecti. Non tamen profundiſſima ſubmiſſio conſiſtit in eo, quòd juſtus propriis oculis judicetur abjectus : apud aliena lumina viliter æſtimari major humilitas eſt. Notandum tamen, hoc accidere diſpariter duplici modo : primò coram improbis, qui rectum contemnunt vitiato judicio : ſecundò necnon apud juſtos nequaquam ex contemptu ; ſed quia contuentes humiliantem ſe, nec agnoſcentes virtutis opulentiam, quæ latet in ipſius corde, reputant inculpabiliter, eam humilitatem non eſſe quam inflammat charitas, ſed quam parit veritas. Loquor phraſi D. Bernardi, qui ſic habet : *Vides igitur non eſſe idipſum, hominem de ſeipſo non altum jam ſapere, veritatis lumine redargutum : & humilibus ſponte conſentire, munere charitatis adjutum : illud enim neceſſitatis eſt ; hoc voluntatis.* Et mox humilitatem peccatorum conferens cum ſubmiſſione Chriſti Domini, ſubjicit : *Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam ſuppliciis : dignos plagis : non, inquam, ita & ille, quæ tamen omnia expertus eſt, quia voluit tamquam humilis corde : humilis videlicet illa humilitate, quam cordis ſuaſit affectio, non quam extorſit diſcuſſio veritatis.* Hoc omiſſo, reſtat quæſtio, quiſnam ſit præcelſior humilitatis gradus : juſtumne ſponte reputari per improbos iniquum ; an per laudabiles ? Dicam. Non aſcenditur ad voluntariæ demiſſionis apicem per id quod innocens habeatur peccator à malis : longè majus eſt quòd exiſtimetur ille nocens à bonis libenter : ſubmiſſionis metas hæc humiliatio ſpontanea videtur ſupergredi.

S. Vincent. Ferrar. ſer. de Purifi.

S. Bernard. ſer. 42. in Cant. à med.

39. Ad Jordanis fluenta Sol juſtitiæ deſcendit humillimus : non ut ibi videret occaſum ; cum id futurum eſſet in copioſioribus aquis, ubi tandem occidit occiſus : potius ut humilitatis voluntariæ præberet exemplum ; cum Innocentiſſimus ad baptiſma Joannis acceſſerit peccatoribus opportunum. Honorem Filii tueri curavit æternus Parens, factâ voce, qua denuntiatus eſt genitus ab eo. Necnon Spiritus advenit ſanctus in columba ſuper eumdem, ut indicaret, ipſum gratiâ minimè deſtitutum. *Ecce aperti ſunt ei cœli : & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* S. Baſilius Seleucienſis : *Fluvius*, ait, *Chriſtum circumdedit, baptizatum verò ſupernè cœlum fauſtâ proſequebatur acclamatione, ne ſpectatores baptizati dignitas lateret, neve eum ipſum, qui baptiſma in Jordanis fluento primùm inſtituit, gratiæ inopiam ſecum detuliſſe verbis urgeas. Ideo Pater cum clamore præconium fecit, Spiritus volatu indicium.* Ecce prima, tertiaque Trinitatis perſona ſtant pro tuendo Salvatoris decus, ne reputetur peccator. Non ſemel alibi Redemptor exiſtimatus eſt nequam ; non tamen ibi Pater, divinuſve Spiritus ejus honorem aliquo ſigno tutati ſunt. Quare ? Quia malum indicari per malos, minus abjicit innocentem : & idcirco velle pati contemptum iſtum eſt humilitas non egrediens fines decentiæ, quæ perſonæ Chriſti Domini debita fuerat. Quod autem Baptiſta ſanctiſſimus, non agnoſcens de facie Chriſtum, & viri per pœnitentiam juſtificati cenſerent citra culpam, eum, quem Joannes baptizabat, eſſe de peccatoribus unum, terminos humiliationibus ita videbatur prætergredi, quòd oportuit, hoc non permitti cœlitus. Eapropter duplex ſanctiſſimæ Trinitatis perſona ſignis ſenſibilibus honorem Chriſti Domini contutarunt. A bonis inſontem ſpontaneum exiſtimari viliter, humilitas eſt plurimùm exceſſiva. Deine mater plùs humiliavit ſe die purificationis, abſcondens candorem proprium inter legis umbras, quàm Filius in Jordane ? Non dicam : ſed fatebor, permiſſum divinitus ut juſti, qui adeſſent in templo, ſibi ſuaderent, Mariam oblationem pro peccatis propriis afferre ; quibus erat immunis feliciſſimè. Dei genitrix id patiebatur ultro : rarum equidem libitæ ſubmiſſionis exemplum !

Matth. 3. 16. 17.

S. Baſil. Seleuc. or. 34.

40. Non ſolam oblationem lege præſcriptam Virgo puriſſima tunc attulit. Quin &, licet vulgò dicatur, propterea non obtuliſſe quod ſolebant ex legali juſſo dites, quoniam paupertate coanguſtabatur : attamen, quia ditiſſimam agnoſco Mariam, utpote reginam totius univerſi, victimam æterno Regi conſecraſſe meditor, ſuâ, necnon & illius majeſtate digniſſimam : nempe Verbum incarnatum, iſtud ſummo Parenti virgineis manibus pro bono mundi ſiſtens. Matris illibatæ proponit hanc orationem S. Præſul Valentinus : *Suſcipe Pater omnipotens, ſuſcipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto orbe ancilla tua : ſuſcipe communem filium, tuum ab æterno, meum ex tempore. Gratias tibi immenſas, quia ſic me ſublimare dignatus es, ut ſim mater cujus tu es Pater.* Addit infra : *Reſpicit ex alto, plaudentibus oculis, vultu ſereno piiſſimus Pater Filium dilectiſſimum, virgineis manibus oblatum : ſtupent cœleſtia agmina ſuper tam mirabili ſacrificio.* Duo ſimul Pater ſummus

Deus plùs attendebat Virginis humilitati, quam dignitati.

S. Thom. à Villa no. ſer. de purif. B. M. ante med.

mus attendit: & humilitatem ejus, quæ dum oraret, ſe dixit ancillam; & celſitudinem, quam gratia fatebatur accepiſſe. Quæram. Ex his duobus quid placentius Domino? humilitaſne Virginis; an celſitudo? Primum illud magis Deo gratum delibero. Nitor hac ratione. Præcellentiam dignitatis maternæ Virgo cognoſcebat: (*Sic me ſublimare dignatus es, ut ſim mater cujus tu es pater.*) eamdem perfectiſſimè Deus noverat. Quidnam Domino magnum eſt perſpicere quod intelligit creatura; ut ex iſtâ cognitione gaudium accedat Omniſcio maximum? Atverò, cum Virgo ſic orabat: *Offero pro toto orbe ancilla tua*: &c. In hac ſubmiſſione intellectus Patris agnoſcebat excellentiam Deiparæ, quam illa ſibimet abſcondebat. Commendat autem divinæ comprehenſionis altitudinem, quòd in abjectione propriâ latentem ſublimitatem introſpiciat. Quapropter ſtatuamus ampliùs Deum attendiſſe Virginis humilitati profundæ, quàm elevationi præcelſæ: plùs ad profunditatem reſpexiſſe, quàm ad faſtigium.

41. Temporibus illis quibus ita prævalebant univerſim tenebræ lucem intellectualem obnubilantes, ut vix aliquibus conceſſum fuerit Mariæ lumen agnoſcere longe repoſitum ætati ſextæ, ſed nimiùm ſecundæ; Præceptor Evangelicus vaticinans de Virgine, Meſſiaque germine pulcherrimo plantæ nobilis, ait: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Commentatur Doctor melliſluus ita: *Ex his manifeſtum jam arbitror quænam ſit virga de radice Jeſſe procedens: quis vero flos ſuper quem requieſcit Spiritus ſanctus. Quoniam Virgo Dei Genitrix virga eſt: flos Filius ejus.* An ut intelligeremus, florem iſtum de virga Maria novo proceſſurum ordine, non ordinariâque nativitate prodituram, ſatis non erat, quod ſine viri cultura noſceretur progerminandum? an hocipſum confirmatur ex eo, quòd vates proferat aſcenſurum florem de radice, quaſi non de ſummitate virgæ, contra morem communem aliarum? Non audeo ſic exponere: ſed aliquid ſuſpicor in radice, quod Spiritus ſanctus attendit, calamum dirigens Prophetæ, quò non ſcriberet pullulaturum florem de vertice virgæ; magis autem diceret: *De radice Jeſſe*, unde fuerat egreſſura virga. Virgæ apex dignitas Matris Dei videtur eſſe; radix autem humilitatem inſinuat. Favet Sanctius, dicens: *Ideo ex radice humili ſeſe, non ex florenti ac nobili ſtirpe David oriturum eſſe germen prædicit.* Non tam rapuit oculos divini Spiritûs Marianæ celſitas virgæ, quàm ejus perfectionum radix & radicata præcordiis humilitas. Hujus exemplis inſtruit Eccleſiam Virgo Mater, quæ ſicut *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

Iſaï. 11. 1.

S. Bernard. ſer. 2. de Advcn.

Sanct. com. in Iſaï. 11. 1.

DELIBATIO IV.

Dei Genitrix ædificavit Eccleſiam cooperans redemptioni.

LOngè plùs gaudii parit conſtructio nova domûs ubi præceſſit alterius ruina. Corruerat mundus (qui ſui Conditoris domus valet appellari) per unius hominis factum, cooperante fœmina. Reſtauratæ ſunt ruinæ per ſumptuoſius ædificium Eccleſiæ, fundatore ſeccundo Adam, & cooperatrice Virgine. Quadrifariam perpendemus iſtam cooperationem; quam reparationi mortalium præſtitit Maria docente S. Proclo, qui ait: *O uterum, in quo communis hominum libertatis libellus impoſitus eſt! O ventrem, in quo adversùs mortem fabrefacta ſunt arma! O arvum, in quo naturæ ipſe colonus ſine ſemine ſpicam edidit! O templum, in quo Deus ſacerdos effectus eſt*; &c. Additum erat ſervituti genus humanum; & pro libertatis reſtitutione traditus eſt ei libellus; quem ſi retineat, nemo peccati ſervum appellabit. Ille ſcriptus eſt in utero virginali Mariæ. Captivorum liberatio non per aliquem contractum pacis cum hoſte perficienda fuerat; ſed per durum certamen: & quia nova bella Domini nova poſtulabunt arma, fabricata ſunt hæc in officina ventris Mariani per flammas dilectionis Dei. Mundus per inundationem aquæ peſſimæ peccati ſterilis factus patiebatur famem: cœleſti modo ſpica rationalis de terra virginea prodivit; quæ multiplicata produxit poſtea meſſis abundantiam. Expiandum erat crimen illud Adamidum, quod cauſa malorum, novo ſacrificio. Nullus iſtud offerre poterat, niſi noviter promovendus. Hic in templo clauſtri Virginei ſacerdotium accepit. Hæc prædicta quattuor jam proſequar. 42.

S Procl. or. 1. de B. M.

Quoad primum. Multum contulit, ut è captivitate liberaremur aſſenſus ille, quem incarnationi Verbi præſtitit puriſſima Virgo: cum ipsâ conſentiente deſcendit ad ejus uterum Sapientia Patris, tunc incepit noſtræ redemptionis opus: nam ibi Verbum Dei Virgini, chartæ mundiſſimæ, fuit inſcriptum, ad hoc ut à ſervitute felices erueremur. Chartam dixi Mariam inſtructus modo loquendi S. Gregorii Nyſſeni, qui ſic habet: *Quemadmodum enim nova charta pura eſt cum ſine ſcriptura eſt: ita etiam ſancta Virgo viri conſuetudinis expers.* Duo præſtanda fuerant pro redemptione generis noſtri: diſrumpendum erat ſceleris chirographum; & ſcribendum Verbum Dei liberans hominem. Juxta Seleucienſem præſtitum utrumque fuit in Dei Genitrice. *O alvum*, Baſilius ait, *ſanctam, Deique receptricem! in qua diſruptum eſt peccati chirographum. . . . Ut enim verbum chartæ inſcriptum, totum in charta ineſt, totumque in mente generante, ac totum in iis qui legunt: ſic Deus Verbum, quin & melius*, &c. Fatemur, hominum redemptionem fuiſſe conſummatam per mortem Redemptoris. 43.

Statim poſt incarnationem videri poterat noſtra redemptio conſummata.

S. Greg. Nyſſen. de Nat. Dom. ex Virg.

S Baſil. Seleuc. orat 39. in S Dei Genitr. M.

toris. Nihilominus tanta concernentia noſtram liberationem effecta ſunt cùm aſſentiente Maria Verbum eſt incarnatum, quòd loqui non erroneè, ſed hyperbolicè poſſumus, quaſi peracto jam incarnationis myſterio, redemptionem integrè mox factam exiſtimaremus. Loquendi modus eſt; ſed indigitat quantum Virgini debeamus. Aſſumpſit carnem Altiſſimus, quia præbuit Maria conſenſum: tunc in charta ſcriptum eſt Verbum. Et ſicut, quamvis captivus adhuc retineatur in vinculis; tamen ſtatim atque ſyngrapha regia pro illius redemptione ſcripta fuit, ereptio ſervi jam habetur ac ſi fuiſſet executioni data: ſic ſtatim poſt incarnationem in bono ſenſu jam aſſeverare potuerunt homines, mundi redemptionem à Deo fuiſſe perfectam.

44. Deo gravida, ſed non gravata, poſt annuntiationem Angelicam aſcendit in domum Zachariæ, Virgo mater; & breviter expoſuit qualia fecerit illi Potens, humilitatem reſpiciens ancillæ ſuæ. Vel reverſa fuerit, vel non ante nativitatem Baptiſtæ, proſequamur textum, & miraculo reſolutam linguam patris ejus audiamus attentè: nam prophetat: *Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebi ſuæ*: &c. Legit Vatablus: *viſitavit, & perfecit redemptionem populo ſuo.* Ad ſummum naturalis prudentia docet, qui bene cœpit, habere dimidium facti: ſed totum abſolviſſe jam, quia poſuit exordium, quis dicet, niſi per inuſitatam fandi rationem? Euthymium conſului: difficultatem non ſuſtulit; ſed aliquantulum adaugendo nobis favet. *Hæc*, inquit, *de Chriſti incarnatione Prophetа per hanc enim viſitavit ac redemit populum ſuum, non ſolum à tyrannide hoſtium inviſibilium ſed etiam viſibilium, ut videlicet fidem ejus ſperare non poſſint. Populum ſuum autem: primò quidem veterem: illo verò non credente, poſtmodum novum.* Spirituali pondere non vacat, Zachariam de redemptione mundi verba protuliſſe tamquam peracta. Scio, novum non eſſe, prophetantes loqui de futuris per ſermonem temporis præteriti, propter ſummam dictorum certitudinem. Notavit hîc Euthymius exponens præcitata verba Zachariæ: *Dicit autem ea quæ futura ſunt, tamquam ea quæ facta ſunt more prophetiæ.* Nihilominus liceat in præſenti quidquam Mariæ laudibus addere. Noverat grandævus, Deum in Virgine latentem: & quia magnopere proficiebat myſterium aſſumptæ carnis redemptioni terrigenarum, loquitur de iſta, quaſi jam perfecta fuiſſet. Aptè quidem: nam liberatio captivorum per libellum compoſitum in utero Mariæ, tam pulchra ſuſceperat initia, quòd per iſta videri poſſit opus conſummatum.

Luc. 1. 68.

Verſ. Vatab.

Euthym. in Luc. ib.

Idem ib.

45. Ad ſecundum pergo S. Procli pronuntiatum, quod ſupra dedi. *O ventrem in quo adverſus mortem fabrefacta ſunt arma!* Communi Reipublicæ mundi congruebat, ut perſonaliter bellum aggrederetur Dominus exercituum. Non reperiebantur arma proportionata Principi tanto: præſertim quia, cum deſcenſurus foret in aciem ſimul gigas, & puellus, non erat facillimum reperiri, quibus obarmaretur congruenter ad unam, alteramque menſuram: oportuit, in officinâ Virginis arma cudi; quibus poſtea dimicaturus erat. Sibi ſuccedat S. Proclus: qui varios advocans perſonarum ordines ad Chriſtum natum, accedens ad principes, ait: *Accurrant principes, quòd Princeps ille pacis in Virginali opificinâ, corporis arma cudens, eaque incontaminata Deitate durans iiſdem diabolum hoſtem interemerit*: &c. S. Procli meditatio multis forſan apparebit inopportuna. Princeps ille, cujus fortitudo non recuſat prælia; nec dedignatur ut in Exodo legamus: *Dominus quaſi vir pugnator*, &c. indigebat ut arma fabricarentur ipſi, quibus oppugnaret hoſtem? an ipſe priuſquam in utero Virginis tamquam in officina formaret arma ſibi, contra diabolum inermis erat? Vereor ne quis ita judicet: non quia priùs impotens foret; ſed quia dedignatus eſt per majeſtatem vincere viliſſimum adverſarium. Decreverat ſuperbientem humilitate ſuperare; crudelem patiendo ſubigere. Qua ratione fieri potuiſſet, ut humilem ſe Deus exhiberet, niſi terrenæ conditionis naturam uniret ſibi? quomodo ſuſtineret atrocia, niſi paſſibilis naſceretur qui de ſuo penitus erat invulnerabilis? Bono ſenſu dicere valebis velut inermem priuſquam ex Maria fabricaret ſanctiſſimæ carnis arma: nullum inconveniens in eo reperitur, quòd cum è cœlis deſcendit in prælii campum, abſque armis veniſſe viſus fuerit.

S. Procol. or. 4. in Nat. Dom.

Exod. 15. 3.

An Deus inermis contra diabolum ante incarnationẽ.

46. Superbiæ monſtrum Goliath provocavit ad ſingulare certamen virum, qui de Iſraëlitis eligeretur, ut pugnaret cum illo, deferreturque totus eventus pugnæ prorſus ad monomachiæ bonum, vel infelicem exitum. Invaſit metus Hebræos: & Saülem regem allocutus eſt confidenter David; offerens conſtanter ſemetipſum duello: tandemque regiis veſtimentis indutus eſt; atque loricâ, galeâque ſuper caput impoſitâ, gladio regis accinctus tentavit an poſſet armatus incedere: faſſus eſt ingenuè, non valere præ diſſuetudine. *Dixitque David ad Saül: Non poſſum ſic incedere, quia non uſum habeo.* Divina ſapientia novellum iſtum providit militem: imo regnaturum in Iſraël inſtruxerat, diſponens ut in certando pro grege priùs exerceretur. Proficuus eſt hîc loquens de Davide ſic Euthymius: *Pater quidem in terra eum abjiciebat, Deus verò deſuper adoptabat, eumque veluti regium puerum regali, hoc eſt, paſtorali ſcientiæ primùm vacare, inter irrationalia præparavit: vigilare ſcilicet certare pro grege, periculis ſe opponere, contendere adverſùs feras, latrones*, &c. Quapropter mirabar, Deum non corroboraſſe Davidem, ut quiret armatus incedere Saülis armaturâ. Saltem non ſinat hoc Dominus tentari per Davidem, ne coram rege non poſſe fateatur ſic incedere: nam contingere potuit ut reſponderet Saül: Qui non audes ambulare militaribus inſtrumentis protectus, quomodo pugnabis cum gigante?

1. Reg. 17. 39.

Euthym. præfat. in Pſ. longe poſt princ.

gante? rurſus ad gregem revertere: non ego tibi confidam pugnam, ex qua pendet honor Iſraëlis. Quare permiſit Altiſſimus, ut inermis David maneret? Ad myſticum ſenſum veniamus. David exiens ad pugnandum cum Goliath adumbravit Filium Dei præliaturum cum diabolo. Angelomus: *David*, ait, *Goliath in fronte percuſſum proſtravit: ſimiliter & Chriſtus devicto diabolo, qui ei hæſerant* (locus videtur corruptus & mutilus) *ſe infigens, ab ejus ſocietate ſecernens, fidei ſuæ ſubdidit: hoc enim indicabat, quòd idem Goliath percuſſus in faciem ruit.* Nihil dedecoris ortum eſt Unigenito Patris ex eo, quòd antequam ſumeret in tabernaculo Virginis arma, viſus fuerit inermis ut contra ſuperbiſſimum adverſarium comunem dimicaret. Ipſo neſciente fabricavit in utero Mariæ Dominus arma fortiſſima; quibus detriumphavit eum.

Angelom. in ſtrom ad 1. Reg c. 17.

47. *Quantùm Maria ſimilis pani cœleſti, quo paſcuntur fideles.*

Sequitur expendere conſiderationem illam tertiam S. Procli: *O arvum in quo naturæ ipſe colonus ſine ſemine ſpicam edidit!* Maledixerat olim terræ Dominus, Adamo peccante; poſt autem; cum ſcilicet remedium primordialis delicti per incarnationem cœpit exequi, benedixit utique terram ſuam, hoc eſt Mariam: de qua Guarricus Abbas: *At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remiſſionem peccatorum fructumque vitæ parturit univerſis, & filiis Adæ præjudicium originalis diſſolvit maledicti. Prorſus benedicta illa terra quæ omnino intacta, nec foſſa, nec ſeminata, de ſolo ore* (fortè legendum: *Rore*) *cœli Salvatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ miniſtrat*: &c. O qualiter fœcunditati Virginis obſtrictum eſt genus humanum! Inopiâ premebatur famelicum, & per ubertatem illius agri, non humano vomerê culti, ſed irrorati de ſupernis, famem depulit, & abundavit opulentiâ. Cum per meſſes copioſas aliquis effectus eſt dives, uno de duobus modis id frequenter ſignificamus: vel enim dicimus: Hæc terra diteſcere fecit hominem; vel aliter: Triticum divitias attulit iſti. Sic nobis concedatur parva componere magnis. Nos equidem ab egeſtate culpa fecit emergere panis Angelorum, ſcilicet Chriſtus Dominus: attamen Virgo fœcundus ager adeo noſtræ miſeriæ levandæ profuit fructificatione ſuâ, quòd parum abeſt, ut abſorpta devotione mens piorum tribuat Mariæ quod Salvatoris eſt: facilè continget, putari, non Virginem tantùm eſſe campum, de quo natum eſt illud granum, quod in terram cadens multum fructum attulit; ſed ipſam Deiparam triticum eſſe, quo paſcimur fideles.

Guarr. Abb. ſer. 2 de Annunt. poſt princ.

48. Sponſus Canticorum non ſemel in ſponſæ laudibus amorem verum indicat, & exhibet veracem. Humanâ dilectione ferveſcens fallitur, & mentitur ſæpiſſimè circa rei dilectæ perfectiones agnoſcendas, atque prædicandas. Defectibus picturas mirâ dexteritate ſuperinducit; & quamvis oculis orbetur, audet judicare de coloribus, quaſi dicens: Quod ego ſapiens artifex picturavi, cur non cernere poſſum atque diſcernere? Quod autem vere laudabile reperitur in dilecto ſic extollit, ut ab ipſo diverſum aliud quid putet quod amat. Cum illudat ita ſibi, laudat mendaciter, uti cogitat inaniter: fœda vocat pulcherrima; parva dicit magna; quæ verò modicum veracis laudationis patiuntur exaggerat nimius. Haud ſimiliter divinus amor. Hic falli neſcius ac fallere, nec exerrat in judicando; nec laudans exorbitat à verô. Sponſus itaque Deus loquitur dilectæ ſuæ verax laudator: *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.* D. Ambroſius de B. Maria locum ſimul explicat, & rationem quare verba deprompſerit in hunc modum Sponſus inſinuat. *In quo virgineo utero ſimul acervus tritici, & lilii floris gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium.* Hæc Mediolanenſis Antiſtitis expenſio difficultatem loci non evacuat. Dicitur Mariæ venter acervus tritici, quia generavit granum? Sanè triticum non generatur in acervo, ſed in agro. Quare non potiùs Maria nominatur hic pinguis ager: Emphaticè locutus eſt Sponſus, ut quamdam velut (hyperboli venia detur) identitatem inter Mariam & ſeipſum inſinuaret. Chriſto Domino, qui ſponſus in Canticis eſt, nomen tritici convenit: ille quippe ſuam ad mortem reſpiciens dixit: *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Triticum eſt & uterus Mariæ. *Venter tuus* &c. Non rarus erit cui veniat in mentem, nos per Virginem piiſſimam refectos, & inopiâ liberatos, quam abſtulit ab humano genere Chriſtus nos redimens atque reficiens.

Cant. 7. 2.

S. Ambroſ. to. 4. l. de inſtit. virg. c. 14.

Ioann. 12. 24 25.

Hucuſque meditati ſumus, Beatiſſimam Deiparentem in hominum reparatione quaſi cooperatricem Redemptori noſtro, ſic ut aliqualem æquivocationem cum ipſo patiatur. Nunc in eadem redemptione, quaremus opus extitit æterni Patris, prout mittentis Unigenitum, conferamus Deiparam cum ſummo Genitore, citca reſtaurationem Adamidum cuncta componentem cum eodem. S. Præſul Valentinus expendit verbum, *Fiat*, à Maria prolatum cùm præſtitit myſterio incarnationis aſſenſum, ſimilis vocis memor, quæ repetita fuit cùm formatus eſt orbis. *O fiat*, inquit, *potens, ô fiat efficax, ô fiat ſuper omne fiat, perpetuo honore venerandum. Hoc verbo, fiat, factus eſt mundus, hoc verbo cœleſtia terreſtriaque Altiſſimus condidit: ſed tale fiat non ſonuit in orbe, quale tu nunc beata dixiſti.* Annotabo epicteta quædam illius verbi, *Fiat*, pronuntiati per Virginem: diſtribuens illa conformiter ad litteras, quibus illud vocabulum ſcribitur: ſcilicet F. felix hominibus captivis; I. incentivum divinæ dilectionis; A. admirandum poteſtatibus Angelicis; T. tremendum ſpiritibus tartareis. Deinde pergamus ultra. Replicato multoties verbo, *Fiat*, creavit Omnipotens univerſum: Maria verò per unicum,

49. *An comparatione Mariæ venire poteſt in mentem piam, Patrem æternum in opere incarnationis nihil effeciſſe?*

S. Thom. à Villa no ſer. 1. de Annunt. B. M.

Fiat, opus longe majus universâ creaturarum compage perfecit; hoc eſt, genuit incarnatum Deum. Plurimum ad incarnationis myſterium contulit omnipotentia Patris: at nefas non erit hyperbolicè loquentem cogitare, quòd Virgo puriſſima tantam ad hujuſmodi prodigium operam adhibuerit, ut ejus comparatione factâ cum æterno Parente, videri queat, hunc nihil in eo miraculo peregiſſe; quaſi totum commiſerit Mariæ. Decipitur affectus; fide mens immota manet.

50. Adventus Redemptoris ad redimendos filios Adam irradiatio fuit veræ lucis diſſipatura piceam culpæ caliginem. Dominus de ſemetipſo protulit: *Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Joann. 12. 46. Et quodnam produxit aſtrum lucem iſtam? Virgo Dei genitrix, *pulchra ut luna*, &c. Cant. 6. 9. Rupertus: *Quando autem*, inquit, *Spiritus ſanctus in te ſupervenit & filium virgo concepiſti, tunc tu & extunc pulchra pulchritudine divina: pulchra, inquam, non quomodocumque, ſed ut luna. Sicut enim luna lucet, & illuminat luce non ſuâ, ſed ex ſole concepta: ſic tu ô beatiſſima, hoc ipſum quod tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia divina, gratia plena.* Rupert. l. 6. in Cant. ib. Et quid præſtitit incarnationi Pater? umbram: nam illa verba Gabrielis Archangeli: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35. Accipio nunc de ſummo Parente, cum Cardinali Toleto, dicente, *virtutem hoc in loco non ſignificare Filium Dei, ſed potentiam & virtutem Patris, qua facit quæcumque vult*, &c. Cardin. Tolet. ib. Quid in illuminatione materiali proficit umbra productioni lucis? Nihil. Quid præſtat illuminandæ nocti luna? Plurimum, ſi plena. Nonne, lector, jam tuæ circa Virginem pietati cogitatus occurrit proponens, Mariam adeo multum peregiſſe nobis per incarnationem illuminandis, ut ejuſdem comparatione Pater ferè nihil præſtiterit? non audes? Nec ego. Sed illamet inſtabit cogitatiuncula, ſi denuo ponderare velis. Ad ea verba, quæ verſavi ſupra n. 48. *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.* Cant. 7. 2. Recole S. Ambroſium ibidem citatum: ex quo pervium eſt inferre, ventrem puriſſimum Virginis dici vallatum liliis, quia Chriſtum genuit lilium. Quare ſimilitudo lilii, Salvatori congruentiſſima, nunc inſinuatur; cum æque bene poſſet indicari tamquam vitis florentibus pampinis illum acervum tritici vallans? Ipſe, fateor, vitem ſe nominavit, & Patrem agricolam: *Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt.* Joann. 15. 1. Attamen ſeſe offert ſpecialis ratio, noſtræ conveniens hyperboli; propter quam videri poſſit potiùs in Canticis Chriſtum Dominum inſinuari loco citato lilium, quàm vitem. Illa ſic habet. Jacit cultor agri triticum: germinat ager: & ſæpe lilia circa ſegetem naſcuntur; quin ad eorum generationem quidquam induſtriæ poſuerit qui coluit arvum. Non ſic evenit in vite, quam oportet plantari; vel nequaquam naſcetur. Dicemuſne fœcundiſſimum ſolum Virginis emiſiſſe lilium convallium; quin iſtud Pater agricola plantaverit? Abſit.

Denique perpendenda ſunt illa de Maria Virgine dicta verba S. Procli: *O templum, in quo Deus ſacerdos effectus eſt* &c. 51. *Excellentia ſacerdotii Chriſti, quia conſecratur in Maria.* Sanctiſſimam Deiparam verè Dei templum eſſe, nullus inficias ibit. S. Hildephonſus ait: *Maria eſt Dei templum, & arca novi teſtamenti, in qua verus Deus verſatur, non in figura & ænigmate, ſed in veritate, pro ſalute omnium Deus homo immolatur.* S. Hildeph. ſer. 1. de Aſſumpt. B. M. longe ante fi. Chriſtum Dominum verè ſacerdotem ſcimus; & quàm præcelſum illius extet ſacerdotium, non ignoramus. *Hic eſt*, ait Radulphus, *ſacerdos maximus: quia alii plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium: ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Iſte mortuus eſt inter fratres ſuos.* Radulph. Flavlac. l. 15. in Levit. c. 2. in Princ. In templo Mariæ ſacerdos iſte conſecratus eſt. Ceu poſſet Imperator cupiens filium ſuum dilectum ad ſacerdotium multâ cum ſolemnitate promoveri; novam extruere ſacram baſilicam, & liberaliter exornare ſumptibus majeſtate dignis, ut in ea ſacerdos regius conſecraretur: ſic orbis totius Moderator, unicum Filium ſuum ſacerdotem conſtituturus, novam & ſacratiſſimam erexit ædem, nempe Mariam, à fundamentis regali magnificentia fabricatam, auro gratiæ nitentem; virtutum ſuppellectili pretioſâ divitem: & ſtatuto præfinitione divinâ tempore Salvator in illa domo Dei ſacerdotium ſuſcepit à Patre. Peculiaris excellentia prædicti ſacerdotii Redemptoris viſitur in eo, quòd conſecrationem accepit in loco tam ſancto, ſcilicet in Maria: non alibi, quàm in iſto rationali tabernaculo Domini, tantum Sacerdotem conveniebat ſacrari.

52. Ad finem properabat Aaronis vita: cui ſubſtituendus erat in ſumma ſacerdotali dignitate filius ejus Eleazarus. Patris obitum, & gnati conſecrationem ſic diſpoſuit Altiſſimus, dicens ad Moyſen: *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.* Numer. 20. 25. 26. Notat Cornelius Alapide, præter morem & legem, fuiſſe conſecratum Eleazarum in Pontificem extra tabernaculum Domini. *Quod*, inquit, *extra tabernaculum & caſtra, idque ſola veſtitione veſtium Pontificalium, Eleazarus conſecratus ſit Pontifex.* Alap. ib. Aaronem conſecratum in tabernaculo novimus, dicente ſacro Textu: *Tulit & unctionis oleum quo linivit tabernaculum cum omni ſuppellectili ſua. Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit.* Levit. 8. 10. 11. 12. Cur non ſacratus fuit Eleazarus in tabernaculo, ſicut pater ejus? Congruebat ſanctitas loci præeminentiæ ſummi ſacerdotii, qua potitus eſt Aaron: ipſe nanque primus authoritativè munus hoc exercuit S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Initium quidem ſacerdotii Aaron fuit: quamquam & Melchiſedech prior obtulerit ſacrificium, & poſt hunc Abraham, Iſaac & Jacob. Sed iſti ſpontaneâ voluntate, non ſa-* S. Iſidor. Hiſpal. l. 2. de off. Eccleſ. c. 5. in princ.

cerdotali authoritate ita fecerunt. Præcellebat Aaron Eleazaro : propterea non iſte, ſed ille, fuit in tabernaculo Dei conſecratus. Nunc myſterium animadverte. Salvatorem adumbravit Aaron. Iſychius : *Aaron autem*, inquit, *iterum, ut figura veri ſacerdotis, ungitur, & aperta eſt illius imago myſterii.* Tabernaculum verò ſignavit Mariam. Arnoldus de Virgine dixit : *Ecce tabernaculum Dei, habens intra ſe Sanctum ſanctorum*, &c. ubi notat Scholiaſtes : *Mariam enim tabernaculo comparat, quantum ad præcipua, quæ in tabernaculo continebantur, dicens ſingulorum ſignificata in Maria inveniri : in tabernaculo eſt Sanctum ſanctorum, & virga ſignorum : & in Maria eſt Chriſtus, qui eſt Sanctum ſanctorum & virga ſignorum, virga ſcilicet virtutis paternæ*, &c. Summam dignitatem ſupremi ſacerdotis Chriſti decebat, ut initiaretur intra divinum tabernaculum, ſcilicet Mariam. Et quia non involuntariè ſolemnitatem conſecrationis hujus in ſacroſancta Virginis domo peractam fuiſſe notum eſt ; intelligere licet exhinc quantum noſtræ redemptioni cooperata fuerit pro Eccleſiæ conſtructione Deipara, quæ ſicut *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

Iſych. l. 2. in Levit. c. 8.

Arnold. opuſc. de laud. B. M. poſt med.

Scholiaſt. ejus ib.

DELIBATIO V.

Quantum Eccleſiæ domus B. Virgini debeat circa proviſionem alimoniæ quam percipimus in altari.

53. *An Euchariſtiæ myſterium acceleratum fuit mediante Maria ?*

MUlta ſpectant ad munus prudentis matrisfamilias. Ipſius, præter alia, ſollicitudo præſtat ſuis, ut abondent annonâ ; ſuadens domino familiæ, quod ei provideat abundè ; ſatagens de conſervatione rerum, quæ ſpectant ad filiorum, ſervorumque victum, & ipſas eis elargiens. Cornelius Alapide gnomen, in qua ſumus illuſtrandâ, verſans ait : *Per* domum *accipe familiam & rem familiarem, putà filios, filias, ancillas, ſervos, eorumque pacem, concordiam, virtutem ac ſtrenuitatem, quæ fit ut annona, veſtibus, cæteriſque rebus abondent, ac opes & prædia adaugeant. Hæc enim præſtat ſapiens materfamilias*, &c. Quanta per Euchariſticum panem ſit filiis Eccleſiæ ſaturitas, notiſſimum eſt ; necnon formatum in clauſtro Virginali cibum illum, pii meditantur. De ipſo D. Thomas à Villa nova dixit : *Quid enim dulcius, quid pretioſius, quid purius iſto cibo ? qui non de terra eſt, ſed de cœlo venit : non hominum opere, ſed Spiritus ſancti virtute, in ſacro Virginis utero formatus, omnem habet ſaporem, omnem continet ſuavitatem. In eo omnium virtutum & chariſmatum plenitudo eſt. Si quis eſurit, accedat ad illum, & omnem in eo reperiat ſatietatem.* Ut illud triticum natum ex Virginea terra creſceret, Eccleſiamque ſanctam aleret, ipſa Virgo, tamquam cœlum rore, providens irrigavit : hoc eſt, nectare ſacrorum nutrivit uberum Filium Dei. Devotè benemeritus Mariæ plurimùm Hildephonſus alloquitur eam ſic : *Si nutricem cœleſtis panis te vocitem, lactis dulcedine reples. Lacta ergo mater cibum noſtrum : lacta panem cœleſtem : lacta cibum Angelorum :* &c. Debemus equidem Euchariſtiæ myſterium Salvatori : ſed quid obſtat, ne tribuamus acceleratione ejus aliqualiter Mariæ ? Certe licet incarnatio Verbi divini fuerit opus liberalitatis Dei ; tamen hujus acceleratione antiquis Patribus ore pleno Theologi tribuunt. Quare non ſuſpicabimur, mediante Mariâ panem cœleſtem acceleratum hominibus fuiſſe ?

S. Thom. à Villa no. ſer. 1. de Euchar. ante med.

S. Hildeph. Archiep. ſer. 2. de Nat. B. M.

Aliquid notare libet circa celebrem apparitionem Abrahæ factam, in oſtio tabernaculi ſui ſedenti. Conſpexit ille tres viros : obtulit ſupplex hoſpitium, & ait Saræ feſtinans in tabernaculum : *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes.* In domo divitis Patriarchæ non ſunt inventi panes *in ipſo fervore diei*, quantum ſatis eſſet, ut hoſpitibus tribus apponeretur ? Nonne moroſum foret, quòd poſt adventum hoſpitum ageretur de conficiendis panibus & coquendis ? Omnia celeriter perficerentur interveniente Sara : non erat cur tarditas gignens Abrahæ verecundiam timeretur. Rimare quid ſignificent illi panes ; quid verò Sara. Panes umbra fuerunt Euchariſtiæ ſacræ ; Sara Matris Dei figura. Primum docuit Ricardus à D. Laurentio ad eum locum, dicens : *Sequitur* : Fac ſubcinericios panes. *Per panem ſignificatur caro Chriſti, quæ verè eſt cibus. Joann. 6.* Secundum vero S. Bernardinus Senenſis fulcit, inquiens : *Quippe ipſa Virgo verè Sara, quæ princeps interpretatur, quæ verum genuit Iſaac, ſcilicet Filium Dei* &c. Mediante Virgine Maria panis Euchariſticus acceleratus videtur : *Accelera*, &c. Ipſam de ſapientiæ divinæ theſauris abundanter inſtructam, inſtituendum Sacramentum ineffabile per Unigenitum ſuum cognoviſſe priùs, non dubito : deque pietate maternâ, qua proſequebatur fideles, verendum non eſt opinari, Gnatum rogaviſſe peramanter, ut ad inſtitutionem tanti Myſterii feſtinaret. Lege S. Irenæum infra citandum n. 56.

54.

Genes. 18. 6.

ib. n. 2.

Ricard. à Di Laur. l. 1. de laud. Mar. c. 4. ad eum locum.

S. Bernardin. Senen ſer. 3. de Nat. Virg.

Quid circa maturationem Euchariſtici doni Mariæ debeamus, meditabar uſque modo : nunc aliquid addendum eſt de magnitudine mirifici muneris, quod in altari ſuſcipimus, relativè ad Virginem conſiderata. Etiam in hoc, quòd nobis Dei Filius ibi tot beneficia confert, reſpicit ad Matrem. Enimverò potens erat ingratitudo noſtra futura (quam perfectiſſimè prænovit Salvator) ut ipſius quaſi ligaret manus ac tam profuſam largitatem impediret. At quis negabit, nos ingratiſſimos repleri cœlitus bonis pluribus, ut liberalitas Dei morigeretur Mariæ ? Sic in alimoniâ myſticâ donandâ cogitabam accidiſſe nobis licet enim Redemptor nos ut fratres liberaliter alat, quamvis offenſores ; gaudentius tamen hoc agit, quia videt à Maria per amoris generationem progenitos eſſe. Unde, licet fateamur, Salvatorem noſtrum extare authorem tam ſuperexcellentis doni ; tamen paratus à Maria dici poteſt cibus iſte vitalis. Loquens de communione Paſchali S. Vin-

55. *An liberalitas Euchariſtica propter Mariam ?*

S. Vincent. Ferrar. ſer. Dom. 1. Quadrag. fi.

centius Ferrarienſis ait: *In die Paſchæ, accedent Angeli, id eſt ſacerdotes, & miniſtrabunt cibum, quem Virgo Maria paravit, ſcilicet materialiter: effectivè autem Spiritus ſanctus in coquina uteri Virginalis: ſcilicet corpus Chriſti infra cortinam, id eſt in hoſtia conſecrata.* Potuiſſet equidem Chriſtus Dominus quatenus inſtitutor Sacramenti, ſine liberalitatis injuriâ, parciùs agere cum hominibus. Valeret, inquam exempli gratiâ, diſponere, quòd ſemel in anno tantùm conſecraretur; vel quòd unicus homo quotidie communicaret, qui primus accederet; vel tandem quòd è multis communicantibus alter ſuſciperet ſolam carnem Salvatoris; alius animam ſolam: &c. Non ita ſe continuit Filius Dei: tam largè divitias effudit amoris in Euchariſtia ſacra, ſicut univerſi norunt fideles. Et forte quis dicet, ita munificum fuiſſe, quia mediatrix extitit ad hanc donationem Virgo Mater. Incongruum erat, ut parcitatem ſervaret in Euchariſtia tribuenda; cum ejus largitio reſpiceret in Mariam.

56. Initium ſignorum fecit Jeſus, à Deiparæ precibus auſpicatus hoc omnipotentiæ ſuæ decus. Mihi non id mirum eſt: ſed quòd ſobrietatis amator tantam copiam aquæ tranſmutaverit in vinum apud illas nuptias in Cana Galileæ, cùm vocatus Dominus aderat: nam ſex hydriæ converſæ fuerunt plenæ: de quo miraculo Sedulius canit:

Sedul. in op. Paſch. l. 3. in princ.

Paſcere non paſci veniens (mirabile, fuſas
In vinum convertit aquas: amittere gaudent
Pallorem latices, mutavit læta ſaporem
Unda ſuum, largita merum, menſaſque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula muſto.
Implevit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus,
Quippe ferax, qui vitis erat, virtute colonâ,
Omnia fructificans, cujus ſub tegmine blando
Mitis in occiduas enutrit pampinus uvas.

Ex architriclini dicto ad nuptiarum ſponſum, colligitur, hoc miraculum patratum fuiſſe non initio convivii; ſed longe

Ioann. 2. 10. poſt: dixit enim: *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.* Ad quid ergo Dominus tam copiosè largitus eſt vinum? Reſpondebis, largitate ſatis opportunâ Dominum uſum eſſe, quia ſacram Euchariſtiam tunc adumbravit. Bene. Sed etiam cibus olim delatus per Angelum ad Eliam fuit Euchariſtiæ ſacræ typus (de quo infra n. 61.) ac tamen adeo parcè tunc Propheta cibatus eſt, ut poſitus fuerit ad caput ejuſ-

3. Reg. 16. 6. dem unicus tantùm *ſubcinericius panis, & vas aquæ*: nec ideo cenſebit quis Deum avarum Euchariſtici panis in umbra donatorem. Cur poſtea tam largus alterâ figurâ, cùm jam homo factus erat in Cana? Nonne vides, haud Eliæ tempore Mariam adfuiſſe; maximè verò nuptiis? *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.* An oblivioni tradidiſti, prodigium illud effectum eſſe rogante Virgine? Imo properabat in Euchariſtiam ſacro-

S. Iren. l. 3. contra hæreſ. c. 18. ſanctam, ut placuiſſe videtur D. Irenæo, dicenti: *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus* &c. Mediatrice Virgine liberalem plurimum in Sacramento ſe Dominus exhibuit; ut ei morem gereret, quæ ſpiritualiter divites nos optat filios ejus: & ſic velut *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

57. *Angelus agnoſcit, quòd Euchariſtiæ donare munus eſt Mariæ.*

Matronæ providè regentis domum ſuam proprium eſt filios enutrire; non ſolùm curans ut egeſtas minimè ſuadeat illis à nobilitate paternâ degenerare; ſed ipſos alere ſtudens eo pacto, quod gnatos decet illuſtres. Nos omnes, quantumvis degeneres, matrem habemus Mariam. Gofridus Cardinalis: *verè bona Maria peperit Chriſtum, & in Chriſto peperit Chriſtianos. Eſt itaque mater Chriſti, mater Chriſtianorum.* Et infra: *Et nos quidem Chriſtiani ſumus: & voluntate, malitia & multiplici malignitate à tanta fraternitate facti degeneres, tanti patris nos indignos fecimus hæreditate. Unde ad matrem ipſius, & per ipſam ad ipſum recurrimus, qui pia & miſericordi diſpenſatione Matrem ſuam noſtram eſſe voluit*, &c. Eapropter incumbebat Virgini cibare filios iſtos pane vitæ. Cœlum appellamus illam: non improportionatum eſt, quòd nobis impertita fuerit eſcam veraciter dictam panem de cœlo. Mariam vocat Eccleſia vitam: congruit ipſi donaſſe mortalibus alimentum vitale. Prodeſt audire S. Maximum Epiſcopum, qui ſic habet: *Maria velut cœlitus veniens, cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit: quem qui edere ac manducare negleXerit, vitam in ſemetipſo habere non poterit, ſicut ipſe Dominus ait*: Niſi quis manducaverit &c. Adeo proprium eſt hujus prudentiſſimæ totius orbis Chriſtiani Matrisfamilias Euchariſtiam ſacram nobis donare; quòd licet id Angelico ſpiritui committatur, quaſi verebitur in ea functione officium præſtare conveniens peculiariter Mariæ.

Cardin. Gofrid. ſer. 7 de Purific. B. M.

S. Maxim. Epiſc. Tau. ſer. in Dom. Pſalm.

58. Iſaïas vidit olim Dominum in excelſo throno ſedentem: & visâ majeſtate commotus doluit quòd pollutus labiis eſſet. Altiſſimus doloris ejus miſeratus eſt: non enim abſque nutu divino venit ad illum unus de ſpiritibus Angelicis; & carbone, quem forcipe tulerat de altari, tetigit Labia Prophetæ, quò mundaretur. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quid timet Angelus iſte, quòd non manu ſumit calculum; ſed forcipe? Lædetne carbo manum eoquòd ignitus? Non metus in cauſa fuit; ſed reverentia; tum ad Euchariſtiam ſacram exhibita (de quo dicebam alibi) ſed Virgini Matri, quæ ſymbolum vendicavit ſuum in parte quadam illius forcipis. Prædicto calculo deſignatam Euchariſtiam ab Incerto, ſub nomine S. Juſtini martyris, cape. *Viſione*, inquit, *Iſaiæ prophetæ, Chriſti myſterium eſt declaratum: qui in throno majeſtatis reſidet, & ſanctæ carnis ſuæ cibatu purificationem fecit peccati impiorum hominum* &c. Umbram verò Mariæ qualiter invenerit in forcipe S. Anaſtaſius Sinaita, dabo. *Hunc*, ait, *carbonem Dei Verbi priùs deſcripſit*

Iſaï. 6. 6. 7.

Incert. ſub nom. S. Juſt. mart. q. 44. in reſp. ad orthodoxos. in princ.

S. Anaſt. Sinai. l. 8. in Hex. ante med.

ac figuravit ille quoque carbo, quem vidit Iſaïas in medio eſſe forcipe: & purgare ejus peccata. Forceps autem Chriſti per duas pinnulas eum tenens eſt intemerata ejus Mater, & ſanctiſſimum ejus corpus. Cœleſtis ille Princeps, quaſi veritus Euchariſtiam ſacram attingere, licet in figura latentem; recurrere viſus eſt ad id, in quo reperiebatur aliqualis adumbratio Mariæ: q. d. Marianum erit aliquando munus præbere mortalibus Deum in pabulo ſacroſancto: vix audeo, niſi mediante Matre futurâ, Dei cibi diviniſſimi typum applicare vatis ori. Cernis, quàm ſit proprium Deiparæ nobis tale Dei contuliſſe donarium?

59. *An propter Mariam Euchariſtia conſervatur in Eccleſia?*

Mulieris, quam Paræmiaſtes de ſapientia laudat in dogmate, quod præ manibus habemus, adhuc magis proprium eſt, circa res magni valoris, agere de conſervatione ipſarum, quàm de proviſione: quoniam in iſtis pertinet ad eam virum ſuum (ſi fuerit opus) tempeſtivè monere quòd neceſſaria paret alendæ familiæ; mariti verò curæ potiùs incumbit res illas providere. Poſt hoc ad fœminam ſpectat propriùs diligenter ſatagere, quòd ab ſponſo ſuo comparata multo pretio non amittantur ob ſervorum nequam remiſſionem & nequitias. Allegoriam nunc aperiamus. Chriſtus Dominus Mariæ, licet filius, verè tamen ſponſus, providit in alimentum domûs, hoc eſt Eccleſiæ pinguem annonam duraturam uſque ad conſummationem ſæculi, ſcilicet alimoniam vitalem, quam ſuſcipimus ex altari. Negligentia ſervorum, & nequitia (nempe tepiditas, qua menſam divinam adimus nos miſeri ſervuli, necnon & peccata, quibus fœdamur) digna quidem erant, quòd homines Euchariſtico dono privarentur. Forſitan per Mariæ preces tantum bonum apud ingratos perdurat. Deipara vitis eſt; Chriſtus Dominus verò botrus, quem germinavit illa. Proficuus eſt hic S. Bonaventura: Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris. *Fructus vitis eſt proles Virginis.* Vitis materialis non ſolùm fructum edit; ſed conſervat eumdem. Vitis intellectualis Maria fructum Euchariſticum nobis protulit, & perennare facit: illius munus eſt ſollicitare ſapienter ut non deperdamus quod alioquin per ingratitudinem homo dignus erat amittere.

S. Bonavent. in ſpec. Virg. c. 14.

60. Populum ſuum Deus quondam ut cibaret, aperuit magnificenter omnipotentiæ penu; dans Hebræis manna. Præceptum eſt illis ut non relinqueretur in diem craſtinam, præterquam quod ad ſabbatum. Reſtiterunt aliqui præcepto; ſed in hujus ingratitudinis pœnam periit manna. *Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque manè, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* Juſſit poſtea Dominus Moyſi, quod certa mannæ quantitas cuſtodiretur ad poſteritatis memoriam. *Imple Gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui vos in ſolitudine*, &c. Video tamen, ita ſervatum fuiſſe manna poſtea, quòd non in omnium conſpectu poſitum erat; ſed claudebatur in arca teſtamenti.

Exod. 16. 20.

Ib. n. 32.

Paulus enim ad Hebræos ait: *Et arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna*, &c. Et licet Cornelius Alapide cenſeat, particulam, *In*, ibi more Hebraico amplè ſumi, & complecti, tam ea, quæ erant intus arcam, quàm illa quæ juxta ipſam; nihilominus loquor juxta opinionem (pro qua citat idem Cornelius Chryſoſtomum & Theophylactum) aſſerentium, tempore Moyſis in arca ſolas fuiſſe tabulas legis; tamen poſt à Jeremia urnam quoque cum Manna, & virgam Aaron in arca fuiſſe repoſita. Secundùm iſtum dicendi modum, difficultatem ingerit, quòd clauſum in arca manna, quia non patebat, facilè (prout videtur) potuiſſet oblivioni tradi; cui Dominus obviare cupiebat per aſſervationem illius mannæ. Ut quid conſervabatur arcæ traditum? Quia ſymbolum hæc erat Mariæ, ſicut perſæpe diximus, & infra confirmabimus n. 84. Per manna cibum Euchariſticum præſignatum eſſe, variis in locis notavi. Superaddam Incertum, dicentem: *Ad cognoſcendum & percipiendum ſacrificium veri corporis, ipſe te roboret, & potentia conſecrantis invitet. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, ſit tibi nunc manifeſtatus in gratia. Ipſum autem fuiſſe in mannæ illius ſpecie pvæſignatum, etiam Prophetа evidenter oſtendit, dicens:* Panem cœli dedit eis, &c. Non in loco profano publico ſervandum erat manna, ſed in arca figurâ Mariæ perpetuandum; quamvis olim propter ingratitudinem quorumdam perierit apud illos: ut ſic intelligeremus, licet ingrati mortales mereantur orbari cœleſti pane, jugiter conſervandum Virgine mediatrice: quæ, ſicut *ſapiens mulier* ſatagit, ut familiæ ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ non deficiat vitalis annona.

Ad Hebræ. 9. 4.

Videri poteſt Alap. in eŏ, Pauli. ib.

Incert. ſub nomine S. Cæſar. Epiſc. Arelat. hom. 7 in Paſch. ante med.

Reliquum eſt pro themate, quod in hac deliberatione proſecuti ſumus, gratas Virgini ſanctiſſimæ laudes offerre pro confidentia, quam ipſius protectio nobis ingerit, ut ad menſam accedat ſacroſanctam quiſque noſtrûm; quin vel recordatione præteritorum criminum timidus, vel Dei territus majeſtate retrocedat. Non ſolus convivium proponens manducaturos invitat; ſed etiam ipſa menſa, qua cibi largiter apponuntur, quodammodo vocare dicitur convivas ad comedendum. Salvator advocat homines in epulum: Dei Genitrix allicit, quia menſa verè cœleſtis panis eſt. Fortè reſpexit ad Euchariſtiam Cretenſis, cum dixit: *Seque verò Maria, ceu præſanctam menſam exhibet: tamquam nimirum ipſum totum vitalem panem, Dominum Deumque Jeſum Chriſtum, æternam illam vitam, rerum conſervatorem, ex Adami maſſa in panem formatum, diſpenſatione mirabili, in ventre portaverit: illum, inquam, qui ſanctè ad eum accedentes, ad novam quamdam vitam ſubvehat, ac divinè conſummet:* &c. Triplici ratione Maria communicaturis injicit animos, ne vereantur Principis gloriæ convivæ fieri. Devota mens primò recogitat, non Altiſſimum fuiſſe dedignatum ingredi viſcera creaturæ, quò fieret homo; quamvis antea, cum purè Deus eſſet, non

61. *Maria dabit, ut intrepidus accedas ad Euchariſtiam.*

S. Andr. Cretenſ. or. 2. in dorm. S. M. poſt med.

non carni communicaverit & ſanguini. Quamobrem ſic in fiduciam erigimur, dicentes, multò minùs recuſaturum eſſe Dominum, cum jam noſtræ carnis eſt particeps, præcordiis humanis hoſpitari. Secundò, ne formidoloſos efficiant nos anteacta ſcelera, recolimus, Deiparentem, quantumvis exiſtat ſanctiſſima, non abhorrere peccatores. Inde firmamur ad credendum, etiam nequaquam à Filio Dei projici tamquam deteſtabilem delinquentem, qui jam reſipuit. Denique tertiò confortamur attendentes, Mariam, quæ nobiſcum ejuſdem naturæ prorſus eſt, hunc panem vitæ dilectis filiis attuliſſe. Proinde non timemus cognatam nobis manum Virginis, veluti donantem paſtum ſalubrem. Ex his fit, hominem ad Euchariſtici myſterii majeſtatem quidem trepidaturum fore, niſi corroboraretur per Mariam: hæc efficiet ut intrepidus appropinques.

62. Jacob & Eſau nativitate gemelli; conditione diſpares, adulti degebant in paterna domo: prior dilectus matri Rebeccæ; ſecundus autem parenti charus. Hic veniens ab agro laſſus, petiit à germano minori, quòd ipſum participem faceret certi cujuſdem cibi. Nactus occaſionem Jacob emit ab eo primogenita, edulii pre-

Geneſ. 25. 31. tio. *Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua.* Et mox ita legimus: *Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Eſau, & vendidit primogenita.* Notabam, non timuiſſe Jacobum, quòd iſte contractus fieret notus

Ib. n. 33. parenti, diſpliceretque nimis quòd illo pacto dilectus ejuſdem primogenitus remanſerit abjectus à dignitate primogenituræ. Movit ejuſmodi cogitantem, quòd poſtea Jacob, genitrice conſulente perſonam indueret fratris, ut acciperet benedictionem, quam priùs nato decreverat

Geneſ. 27. 12. Iſaac, timuiſſe parentem. *Si attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Inſtitit maternus amor: & cor filii roborante matre, Jacob ejus monita perfecit. Antea ſine propriæ genitricis hortatu, Jacob auſus eſt emere fratris primogenita? nunc autem formidat venire ad Iſaac, ut benedictionem accipiat? & non auderet, niſi mater injiceret animos? Reconditum ſpiritum ſub littera cernito. Non in emptione primogenitorum; ſed in benedictione paterna, figuram Euchariſticam refulſiſſe notavi fl. 18. delib. 7. n. 1. Rebecca fuit imago Mariæ, prout ſentire videtur D. Ber-

S. Bernard. ſer. in ſignum magnum fi. nardus, qui ait: *Ciba hodie pauperes tuos Domina: ipſi quoque catelli de micis edant: nec puero Abrahæ tantum, ſed & camelis potum tribuas de ſupereffluenti hydria tua: quia tu verè puella es præelecta & præparata Altiſſimi filio:* &c. Timorem pellente Rebeccâ Jacob acceſſit ad benedictionem paternam, in qua præſignatam aſſeruimus Euchariſtiam ſacram. Virgine matre genitos adoptivos in confidentiam erigente, fiducialiter accedimus ad illud myſterium, quod etiam benedictio vocari poteſt conformiter ad Phraſim D. Cyrilli Alexandrini; cujus notum eſt illud: *Parvula benedictio totum hominem in ſeipſam attrahit, & ſuâ gratiâ replet: & hoc modo in nobis Chriſtus manet: & nos in Chriſto.* Sic bona Mater gnatos enutriri curat, ut validi fiant & ſpiritu gaudentes, per alimentum ſalutiferum, quo prudenter *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

S. Cyrill. Alexand. l. 4. in Joann. c. 17.

DELIBATIO VI.

Ædificium Eccleſiæ roboravit Sanctiſſima Deiparens exemplo fortitudinis.

63. *Maria plus doluit tormenta Domini, quàm propria.*

CUm, generatim loquendo, ſoleant exempla fortium ad perferendos labores conſolidare pectora recogitantium, non eos alterius fuiſſe naturæ, qui magna paſſi conſtanter ſunt; de fortitudine Mariæ non inficiaberis Eccleſiam ædificatam, hoc eſt, inſtructam exemplis eſſe, quò tribulationes fortiter in ſuis fidelibus perferret. Relege Cornelium datum ſupra n. 11. dicentem, Dei Matrem Eccleſiam ædificaviſſe numero Martyrum: quantumvis enim Virgo corpore non ſuſtinuerit materialem gladium: nobile tamen exemplar Martyrum extitit per inſignius in triduo paſſionis Domini martyrium. S. Hildephonſus Archiepiſcopus: *Hæc, inquit, Virgo glorioſa refulget etiam ſuper choros, ut cantatur exaltata inter Angelicos: clariſſima inter virgines, candidior inter Martyres. Quia & ſi illi martyrio coronati dealbarunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine Agni; nihilominus hæc beata & venerabilis Virgo candidior dignè prædicatur: eo quod & ſi corpora Martyrum pro Domino ſupplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima paſſa, teſte Domino, comprobatur.* Dolorum Parentis afflictiſſimæ contemplavi quidam robur illius perpendunt invictum, notantes quòd juxta crucem ſteterit; nec Evangeliſtæ ploraviſſe referant. S. Amedeus dixit: *Stabat ſublimiſſimâ quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excuſſit lacrymas, nec animum pœna dejecit.* quæſtionem proponam lectori diſſolvendam. Quid ampliùs torſit cor Marianum; cruciatusne Salvatoris, an proprius? Pro priori parte reſolvet aliquis dubium, ex illo vulgari principio philoſophiæ diligentium veraciter: ſcilicet animam peculiariùs habitare ubi amat, quàm ubi animat. In ſemetipſa Virgo Mater ſuos patiebatur angores; at cum ejus anima non tam ibi moraretur, quàm in dilectiſſimo Filio, diriùs anxiabatur in ipſo per tormenta Domini. Certè dixit Amedeus de Maria: *Mors Domini illi amarior morte fuit.* Meritò quidem pronuntiat ita: nam cruciamenta præcipua Virginis illa fuere, quæ prædilectum afflixere Gnatum: ceſſantibus iſtis, & manente propriâ Matris anxietudine, jam dicet aliquis, non tam fortiter quaſſatum cor ejuſdem.

S. Hildeph. Archiepiſc. Tolet. ſer. 2 de Aſſump. B. M. ante med.

S. Amed. hō. 5. de lau. Virg. ante fi.

Idem ib.

64. Granum frumenti cadens in terram ſepultum fuit, ut ſterilem fœcundaret. Abſentiam deſideratiſſimi Genitrix indoluit quantum vix mens humanæ capere valet.

let. Idcirco ſtupebam audire Bernardum ſentientem, quòd Maria Virgo non iverit cum aliis ad ſepulchrum Domini. *Pia Mater ad ſepulchrum ire nequibat. Tunc currentibus aliis, & unicum Filium cernentibus dicere potuit Virgo Maria: Filiæ Jeruſalem nuntiate dilecto quia amore langueo.* Pergit Magdalena, quæ multùm, ſed minùs diligebat. Maria, cujus amor nobis immenſurabilis eſt, nequaquam ſociatur eunti? Dices hoc non decuiſſe; proptereaque neutiquam à Deo diſpoſitum, ut pergeret ad tumulum. Contra hoc facit, quòd in monte Calvariæ ſtetit; quin aliquid indecentiæ ſubiret ejus maxima dignitas. Cur ergo (loquor nunc juxta placitum Bernardi) Deipara Domino tumulato non adſtitit cùm alii currerunt? Dicam. Morte finita ſunt Redemptoris tormenta; quæ principaliter Virginis præcordia lancinarunt. Remanſit utique ſibi proprius in Virgine dolor; ſed per iſtum non quatiebatur adeo vehementer; ſicut antea per Filii dolores tranſverberata fuerat. Per iſtos acerbiùs Maria ſuſtinuit in Filio paſſionis ejus vulnera: per hæc ampliùs enituit ejus fortitudo. Claudat periodum Georgius Nicomedienſis, in ore Matris doloroſæ collocans verba ſequentia: *Utinam verò liceret, tua in me fili, cruciamenta recipere. Utinam clavi illi meis poſſent infigi membris. Utinam tormentorum tuorum dolores, in meo ipſa ſuſtinerem corpore. Eſſet fortè tolerabilis cordis dolor: nunc enimvero intolerabilia ſunt ei impacta tela; animi dolor tantus eſt, ut minimè ferri poſſit.* Hæc pro quæſtionis propoſitæ primâ parte. Nunc ad oppoſitam.

S. Bernard. de lament. B. M.

Georg. Nic. ſer. 8.

65. *Oppoſitum dicit aliquis.*

Nonnullus potiùs econtrario judicabit (quin amori tenerrimo Virginis erga Chriſtum Dominum quicquam detrahat) quòd licet mater contribulata percuteretur iis, quæ Filium transfigebant; nihilominus vulnerabatur ſæviùs dolore, quem ſuomet in corde tulit. Ita cenſens rationem hujus pronuntiati ſic inſtruere quibit. Quicumque patitur, & ærumnam flebilem execratur, veluti pellit eam à ſeipſo pugnans cum eâdem. Atverò qui mœrorem atrocem libens amplectitur, objicit ei cor inerme; proinde crudeliùs feritur. Ille prior ſe gerit ut is, qui cæditur alieno gladio; poſterior autem habet ſe tamquam ſponte ruens in enſem proprium; ac proinde transfoditur magis dirè. Cruciata paſſionis tempore Virgo, Chriſtoque Domino patienti condolens, ejus tormenta deteſtabatur, utpote venientia de manibus impiorum. At proprios ipſa cruciatus non habebat odio; quin & augeri cupiebat pro Filio. Nicomedienſis proximè citatus: *Planè verò deſideratiſſimum habuiſſem, ac mitius præ doloribus qui tenent, ut in me clavi penetraſſent: ut tuos cruciatus recepiſſem in membris meis, ut innumerabilibus ludibriis ac verberibus, quibus per ſummam injuriam affectus fuiſti, dehoneſtata eſſem; ut pro chariſſima prole, maternæ manus vulneratæ eſſent.* Ex iſtis, quæ diximus, relinqui videtur, acriùs transfixum cor eſſe Virginis per dolores proprios, quàm per Gnati paſſionem: quia tantò plùs ejus anima dolebat, quantò magis libens amplectebatur malum.

Nicom. præ ſup.

Venerat in templum ſecundùm conſuetudinem diei feſti Jeſus, comite Maria. Sed ille, qui deſcendit, errantes quærere, habuit ſe per modum exerrantis à via; revertenteque Genitrice, remanſit in Jeruſalem. Dolens Virgo requiſivit puerum: inventum rogavit quare ſic fecerit. Ipſe repoſuit, inſinuans negotiis æterni Parentis operam ſe dare curaviſſe: nihilominus pariter cum Genitrice regreſſus eſt ad Nazareth. *Deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Quæro. Nonne Salvator dixerat, oportere ſe negotiorum Patris curam agere? Hoc indicant ejuſdem verba manifeſtè: *Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* quare Matri ſuæ non ſuaſit, ut per tempus aliquod moraretur ad propriam domum regredi, quandiu res illas paternas expediebat, quoad protunc ſatis foret? nonne Deipara, ſi Filius immorari plus ibi vellet, acquieſceret eidem? Non dubites. Cardinalis Toletus: *Noverat*, inquit, *ergo Mater quid divinum in facto, & verbis, nec refragata eſt Filio, ſed omnino conformem voluntati ſe exhibuit, nec ſi immorari plus temporis ibi voluiſſet, retrahere eum tentaſſet.* Qua de cauſa ſi magis placet non dixit ad Matrem Dominus, velle ſe diutius ibi morari; ſuperaddens, ut ea reverteretur Nazareth, ipſo relicto, ne fœmina ſubeſſet incommodis manendi penes alienos; illum autem poſtquam perficeret, prout ferebat occaſio, quæ Patris erant, iturum libenter ad eamdem? Reſpondebis, noluiſſe dolorem abſentiæ conferre Matri. Non abnuo. Sed quare permiſit, angorem iſtum antea premere viſcera Mariæ, cum doloroſa requireret Puerum? Quia, ſi tunc rurſus abeſſet Chriſtus Dominus à Genitrice, longè mœſtiùs Angelorum Domina contriſtaretur; quàm prius affligebatur. Et quare? Reſpondeo. Primùm Deipara, non invento Filio reluctabatur dolori: nollet enim abſentiam dilectiſſimi pati: quod ſatis indicavit in eo quòd inquireret ipſum. Atverò, ſi diſertis verbis Redemptor ei ſuaderet, ut abiret in Nazareth, ſe relicto ad tempus in Jeruſalem, Virgo conquieſcens arbitrio Gnati, mœrorem de novâ ſeparatione proventurum lubens amplecteretur, ne diſcordaret ab ejuſdem voluntate. Tunc ergo ſævior amaritudinis ictus percuteret illam; cum ſcilicet pateretur complectens ipſa dolorem. Hinc ſuprapoſitus diſcurſus, aliquo ſimiliter penſitante Claudi poſſet ita: Cum reſiſteret ergo Maria nolens Filium cruciari; proindeque cupiens non in eo pati; minùs crudeliter in eodem transfigebatur per ipſa quæ Salvator ſuſtinebat. Econtrariò, cum Virginis perfectiſſimus amor ſiſteret pro Genito majora tormenta ſuomet in corde ferre; conſequenterque ſponte cruciatus in ipſa receptos amplexaretur, iſtis contorquebatur duriùs. Hæc dicta ſint pro dubio, quod excitavi ſupra. Illud ſic in utramque partem utcumque diſcuſſum, quomodò ſolvatur lectori feliciùs, eligat ipſe potiùs, amabo.

66. Luc. 2. 51.

Ib. n. 49.

Tolet. Card. in Luc. 2. annot. 83.

67. *Mater dolens de filio amiſſo nimis, per hoc levabitur, quòd ſe non genuiſſe putet.*

Præſcindamus nunc à quæſtione : quinimo conjunctim liberemus Mariæ transfixionem amariſſimam, cum Salvatori noſtro condolebat ; & inveniemus cordis ejus vulnus immedicabile. Quis medebitur vulnerato pectori, quando medelam non affert amor ipſe ? Proferre S. Joannes Damaſcenus valuit amplius, quàm dixit, meditans Virginem tempore paſſionis reparturientem Unigenitum ; ſed cum doloribus, quorum priùs fuerat expers. *Sed Maria*, Damaſcenus ait, *beata & ſuper naturam, donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerum, lacerum reparturiens.* Eò pervenit pectoris amaror, ut nihil ei lætum de præteritis memoria ſuggereret in levamen, quod non amareſceret, quaſi lactis gutta ſi miſceatur poculo fellis. Memorabatur multa, quæ fuerant ipſi glorioſa ; quæ tamen recordatio tunc erat fellea : nam illamet omnia reddebat ingloria contriſtatio. Tempeſtivè Germanus Patriarcha loquens in perſona Matris anxiæ : *Quæ mihi in famæ ſplendorem erant, in infamiam tranſeunt. Glorioſa, ingloria ſunt : dulcia, amareſcunt : contriſtant me læta.* Glorioſiſſimum inter decoroſa præconia Virginis extat, quod verè Dei Mater eſt. *Quamvis igitur*, inquit Anſelmus, *hoc ſolum de ſancta Virgine prædicari, quod Dei mater eſt, excedat omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt*, &c. Sed hæc ipſa dignitas occaſionaliter torquebat Matrem, quam felicitaverat antea. Ne per iſtam cruciaretur, quoddam remedium ſupererat ; auſterum tamen ſatis ; nimirum quòd Virgo protunc meditaretur ſeipſam, quaſi non eſſet Filii dilacerati genitrix. Potuit Maria citra penitus omnem ingratitudinis maculam, cogitationem iſtam admittere, qui dolor ejus alleviaretur utcumque. Acrimonia multa quidem ineſt huic medicamento : non tamen aliud novi, qui ſe levet mater de filio dolens, niſi reputare ſeipſam tamquam non genuiſſet.

S. Joan. Damaſc. l. 4. fid. orth c. 15. fi.

German. Patriar. Conſtantinop. or. in Dominici corp. ſepult. poſt med.

S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 2. in princ.

68. Iſaï. 23. 4.

Tam univerſaliter Dei clementia protenditur in mortales, ut etiam hoſtium emmendationem deſiderans, prænuntiatione ſupplicii curet ab eis avertere mala. Sic per Iſaïam prophetam denuntiatur everſio Tyri ventura per Nabuchodonoſor. Introducit Vates itaque Tyrum everſam, loquentem ſic : *Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* Exponit Cornelius Alapide : *Videbar mihi olim genuiſſe fortiſſimos juvenes & pulcherrimas virgines : at jam vaſtata nihil horum agnoſco : omnibus enim ab hoſte occiſis aut captis nudata, orbata & viduata ſum.* Non videntur eventui congruere ſupradicta verba dolentis : nam ſi per deſtructionem invenitur filiis orba ; qua veritate nequaquam peperiſſe Tyrus affirmat ? Accommodata locutio materni doloris eſt, ad cujus ænigma proponitur civitatis lamentum. Quomodo mater, nimiùm diligens fœtus amiſſos, dolorem conſolabitur ſuum, niſi corde reputet, ſe non illos genuiſſe, quibus violenter deſtituta gemit ? Agnoſcimus vulgariter, quòd imaginatio ſæpius efficit cauſam dolendi : cur non & aliquando remedium afferet ingemiſcenti ; quo, licet non in veritate nitatur, verè tamen levamentum experiatur anxietudinis ? At, cum iſta medela triſtiſſima ſecum deferat in afflictâ genitrice neſcientiam de morte geniti, re meliùs conſiderata, minimè decebat Virginem. Potiùs aſſeramus, illam in afflictione ſuâ necnon & iſto, quem paulò priùs dixi, medicamine deſtitutam.

Cornel. Alap. ib

69. *Sæpe magis dolet ſapiens in adverſis, quàm ignorans.*

Aliud eſt præſentiſſimum in adverſis auxilium ; nempe ſapientia. Per hanc immanes præcordiorum torſiones mitigantur plurimùm : quod etiam verum habet, quamvis loquamur de ſapienti facultatis intellectivæ ſplendore, qui non excedat naturæ fines. Intellectus illuſtratus advertet facilè brevitatem vitæ ; quæ cum ſit multa nimis, nec anxietatem permittit eſſe longam. Inſuper non ignorat ſapiens, impetentes adverſitates animum non ſcindere ; cum ſit invulnerabilis : unde niſi ſe dedat proditor ſuî, ſtat in arce conſtans, occluſis mœrori januis. Bene Tullius dixit : *Sapientia eſt una quæ mœſtitiam pellat ex animis*, &c. Strictiùs more ſuo loquitur in hac re Seneca, dicens : *Quid eſt in tormentis, quid in aliis, quæ adverſa appellamus mali ? Hoc ut opinor, ſuccidere, & incurvari, & ſuccumbere : quorum nihil ſapienti viro poteſt evenire. Stat rectus ſub quolibet pondere.* Adhibenda quidem eſt moderatio Stoïcorum paradoxis ; quorum ſapientiæ non parum ſtoliditatis immixtum erat : nec enim ſapientia tollit ab homine ſenſitivam facultatem ; ſed perficit rationalem. Quod tamen hac via detrahimus, aliunde ſuperaddemus vero ſapienti : qui ſcilicet fide cœlitus edoctus novit quàm ſint felicia bona perpetua, quæ poterit ſuſtinendo mala temporalia lucrari. Fatendum igitur eſt, ſapientiam valde prodeſſe, tum præmuniendo cordi, ne dolori quandoque pronum offerat ingreſſum ; tum ut mœror conceptus imminuatur. Hinc putaret aliquis, Mariam immunem ab omni vehementis doloris incurſu ; cum eſſet adeo ſapiens, ut intelliges de Bernardi verbis. *Maria*, inquit, *profundiſſimam divinæ ſapientiæ ultra quam credi valeat penetravit abyſſum :* &c. Attamen illa, quam modò notabam, ſapientium à doloribus immunitas aliquas patitur exceptiones. Quod adeo verum eſt, ut nonnunquam ipſa patientis cognitio malum adaugeat. Sæpius ignorans evadit liber ; agnoſcentem verò tormentum velut enecat.

Cic. l. 5. de finib.

Senec. Epiſt. 71. longe poſt med.

S. Bernard. ſer. in ſignũ magnum,

70. Pſal. 34. 17.

Pſaltem regium cum ſeipſo conferamus. Dixerat ille : *Domine quando reſpicies ? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.* Commentatur Euthymius : *Tu me libera, inquit, ab illorum perverſitate, & in priſtinam ſecuritatem reſtitue.* Nota, loqui Davidem hîc ſub ſpe ut erueretur à diſcrimine ; quantumlibet Pſalmus iſte compoſitus fuerit cum perſecutionem graviſſimam patereturr : ait enim Commentator idem in ejus proœmio : *Hunc etiam Pſalmum compoſuit beatus David cum perſecutionem*

Euthym. cõ. in Pſal. ib.

Idem ib. in Prolog.

ſecutionem ſuſtineret à Saüle &c. Alibi lego, Pſalmiſtam plùs exaggeraſſe malum, quod ſuſtinuit in eâdem perſecutione Saülis.

Pſal. 70. 20. *Quantas*, inquit, *oſtendidiſti mihi tribulationes multas, & malas: & converſus vivificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me*: &c. Quod loquatur hîc de perſecutione

Cardin. Bellar. com. in Pſal. ib. Saülis, aſſeruit Bellarminus: *Id eſt*, ait *magnas varietate & amaritudine, quas pertuli in perſecutione Saülis* &c. Conferens utrumque locum, duxi non eſſe prætereundum, quòd tribulationem in poſteriori vocat multiplicem & malam, deque ſemetipſo loquitur ut ad vitam reſtituto: *Vivificaſti me*: &c. Priori verò Pſalmo minùs urgentibus terminis uſus eſt, ut conſideranti patebit. Cur ita? Hæc in mentem incidit ſolutio dubii. Priori loco David propoſuit ſe quaſi neſcientem flagella: ſæpeque non adeo patitur qui neſcit. Audi quid

Pſal. 34. 15. ille dixerit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi*: Euthymius ad eum locum:

Euthym. in com. ib. *Me*, *inquit*, *ignorantem hujuſmodi eorum conſilia atque inſidias, quas adverſùm me diſponebant.* Atverò Pſalmo 70. de ſe loquitur

Pſal. 70. 20 ut ſciente: *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes* &c. Sciens & patiens multa perpetitur mala, mergitur in abyſſum, vivens occiditur. Mitiùs angitur ignorans; acerbiùs cruciatur intelligens.

71. *Diſcerpitur cor prudens, cum pius amor dolere; recta vero ratio gaudere ſuadent.*

Illuminatiſſimæ Virginis mens agnoſcebat apprimè doloris motiva tantò vivaciùs ei propoſita, quantò ſapientiâ præpollebat. Unde per ipſam Intellectûs illuminationem, qua videbatur ſublevanda; potiùs afflictabatur actiùs. Et accedebat pro doloris incremento non vulgari, circumſtantia quædam cognitionis Marianæ, quam non omittam: ſcilicet quòd, cum probe noſſet, à morte Filii dilectiſſimi pendére totius orbis reſtaurationem ab ipſa deſideratam; præliabatur ejus amor ſecum: nam ſimul vellet, ut per interitum Salvatoris noſtra redemptio conſummaretur; & nollet ut Gnatus amantiſſimus obiret, Quantùm Virgo piiſſima ſalutem dilexerit univerſalem deducitur ex verbis

S. Ambroſ. to 3. l. 10. in Luc. c. 23. Ambroſii. Ait ille: *Sed nec Maria minor quam ut matrem Chriſti decebat, fugientibus ante crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem. Aut fortaſſe quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat ſe & ſua morte publico muneri aliquid additurum.* Sed, ſi tantus amor caſus reſpicere noſtros ei ſuadebat miſeratione plenæ; quomodo potuit illa ſimul dolere quòd Unigenitus interiret, cujus morte fuerat humanum genus reparandum? Ecce pugnam aliam (jam non dicam dilectionis cum ſemetipſa; quippe minus difficilè pacificatur amor ſecum decertans:) mutuò contendebant affectus & ratio, ſi fas eſt ita loqui de Virginis corde prudentiſſimo. Ratio ſuadere conabatur, ut ſe conformem exhibens voluntati divinæ, gaudetet multùm de victoria Chriſti Domini, quam per crucem acquiſivit, pro communi bono totius univerſi: trahebat amor Salvatoris econtrariò cor Mariæ, veluti cogens ut in Redemptoris nece diſpliceret. Violentum nimis eſt certamen, cum ſapiens amor quaſi dimicat cum ratione rectâ. In Rachele, de qua dicitur, conſolari noluiſſe de morte filiorum apud Jeremiam, quodammodò ſimile prælium Ierem. 31. 15. inter affectum & rationem notavit S. Aelredus: ait enim: *Affectus autem conſolaretur,* S. Aelred. in *ſi filius à mortuis revocaretur, ſi ejus aſpectibus* ſpec. charit. *iterum mater frueretur. Hoc noluit Rachel.* l. 1 c. 34. ante med. *Quare? Quia ſi ille à mortuis revocaretur, de beatitudine in miſeriam devolveretur. Noluit autem ut filius revocaretur, ſed ut illa ad filium in requiem aſſumeretur. Affectus filios requirebat; ne revocarentur, affectui ratio obſiſtebat*; &c. Hoc ſatis, ut maneat ſtabilitum, prudentis cor attrociter diſcerpi, dum recta ratio dictat ut gaudeat; & pius amor cogit ut doleat.

72. Libidinem inceſtuoſam violentâ morte luit Amnon. David indoluit valde; ſed non legimus in verba doloroſa ſimiliter prorumpentem, atque poſtea, cum certior factus eſt de rebellis Abſalom interitu. Tunc enim *ſic loquebatur, vadens: Fili* 2. Reg. 18 33. *mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* Expendis quantus dolor præcordia parentis amantiſſimi transfixerit? Minùs acriter videtur anxiatus fuiſſe, cum Amnon occubuit. Cur ita? Puto, quia certabant in pectore prudentiſſimi regis dictamen rationis, atque dilectio paterna. Præcipiebat ſanum judicium, quòd bonus princeps de victoria populi ſui contra perduelles gaudium conciperet, amans bonum commune regni. Contra paternorum viſcerum affectus pertrahebat illum ad filii mortem lugendam. O conflictum ſæviſſimum; quo ſcindebatur utrinque Davidis cor prudentis & amantis! Confer iſta dolori Mariano; quantumlibet ejus comparatione ſint minima. Noverat piiſſima Domina, Salvatoris in cruce victoriam, tum eidem glorioſam; tum orbi proficuam. Ratio docebat, gaudendum; amor dixit, lamentandum. O certamen difficile dictu; nedum arduum ſuperari! Mariæ tamen invictum robur ſtetit fortiter: & ſic illa per exemplum ſtrenuitatis inſtruxit Eccleſiam ad certamina; pro quibus quaſi *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

DELIBATIO VII.

Strenuitas B. Virginis in dolendo poſt Chriſti mortem.

73. *Congruebat in decus amoris Mariæ, hunc ſibi menſurare tormenta.*

AMoris blandam tyrannidem paſſim reperies apud multos notatam. Nullibi meliùs quàm in Maria contemplaberis idipſum: quia licet crudelitas hominum!, & affectus maternus cor Virgineum ſimul contorſerint; attamen ceſſavit per obitum Filii Dei ſævitia vulnerare matrem; & adhuc non ſuperſedebat à vulneribus amor. Etiam dilectionem affeciſſe grandi vulnere Deiparam, non inficiabitur qui legerit S. Bernardum aliorſum dicentem: *Et Maria quidem in tota ſe* S. Bernard. ſer. 29. in Cant.

grande & ſuave amoris vulnus accepit: &c. Adverte nihilominus, diverſo modo feriri cor amantis, cum ſolitis utitur amor ſagittis; atque dum arripit gladium ac deſiderio dilecti, quem amiſit, vulnerat: Vulnus illud prius, grande quidem, ſed ſuaviſſimum; poſterius autem nimis acerbum. Sepulto Domino cruciabatur Mater abſens à Filio dilectiſſimo. Non æquè menſurabis quàm dirè fuerit afflicta, niſi pio cogitatu metiri coneris quàm vehementer dilexerit. S. Amedeus: *Quò igitur magis Virgo diligebat, plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta paſſionis.* Ne ſævum dicas in Mariam ejus affectum: nam ipſius, quatenus amantis, honori profecit, quòd inimicorum atrocitate jam contra Dominum quieſcente, ſolus iceret piiſſimam Deiparentem illius amor. Hic, eoquòd pro dilecto pati diligat, antea quaſi dedignabatur, quòd Genitrix in Filio pateretur ad menſuram feritatis humanæ; ſcilicet id quod ſævities voluit exequi. Poſtquam verò deſiit ferire Salvatorem immanitas hominum; cum adhuc Maria torqueretur, apparuit, ejus affectum non egere manibus inhumanitatis ad lacerandum; cor Amantiſſimæ; ſed amorem ipſum ad normam arbitrii ſui magnitudinem doloris præſcribere, quò percuteretur Mariæ pectus. Congruebat in amoris Virginei decus, ut ille menſuraret ſibi dolorem; non autem humana ferocitas.

S. Amed. hō. 5. de laud. Virg.

74. Ventum eſt ad poſtremum conflictum inter ſummam invincibilis patientiæ fortitudinem, ac principes tenebrarum. Steterunt ibi ſol & luna, hoc eſt, Chriſtus & Maria: non ex diametro longè poſiti; ſed unum prope aliud aſtrum. *Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus*, &c. Notatu digniſſimum eſt, quòd hoſtes ibi permitterent adeſſe Genitricem Domini; cum in dedecus ipſius Chriſti ceſſurum foret, ſi violenter inde facerent Matrem diſcedere: & inſuper Salvatorem privarent flebili conſolatione videndi Parentem, cùm vitæ clauſulam jamiam apponebat extremam. Et ſi dicas, potiùs Mariæ condolentis præſentiam Chriſti dolores adauxiſſe, quæram: cur non à Deo permiſſum eſt, ut ipſa per vim traheretur ad Calvariæ montem, ut per ejus aſpectum Filius cruciaretur? Non animum inducam, ut exiſtimem, hoc eveniſſe, quin à providentiâ ſupernâ ſic ſpeciali cura diſponeretur. Et quare divino conſilio factum eſt, ut Virgo Maria tunc adeſſet ſponſanea Chriſto patienti, juxta crucem in eo loco poſita, quo voluit; non illuc vi perducta; & abſque quod impediretur ab aliquo? Donabo, non quod mihi debeas, lector; ſed quid tu cogites. Doloris Mariæ de crucifixione Geniti magnitudo plurimùm pendebat ex eo, quòd magis, vel minus diſtaret à Filio crucifixo: ſpatii quantitas inter utrumque major vel minor, extitit menſurâ cruciatûs, quem Virgo ſuſtinuit. Ut igitur cerneremus in honorem dilectionis maternæ circa Dei Filium, affectum Virginis libenter pati, proindeque non expectare manum alienam, quæ pro libito ſuo præſcriberet ei terminos anxietatis; nec, Deo permittente, Maria tracta per vim fuit ad Calvariam, ut oculis vulneraretur, videns emorientem Gnatum; nec inde propulſa, quò torqueretur per abſentiam. Potiùs conceſſum eſt ejus dilectioni quòd menſuraret illa ſibi dolorem ſuum: ſpontaneè veniens ad montem; ibi locum eligens juxta crucem; & ibidem ſtans nullo reſiſtente. Sic etiam poſt exitum Domini, quia jam crudelitas humana contra Filium Dei quieverat, dolendi fines Virgini metiebatur amor.

Joann. 19. 25.

75. Tempore, quo lamentabilis Mater poſt chariſſimi Jeſu funus & ſepulturam, nec demortuum videbat oculis lumen oculorum, perplura vexabant ejus animum, quibus mœſtiſſima conſtantiam exercebat. Sed illud inter tot atque tanta præcipuum; nempe ſeparatam à Dilecto degere, ſolatio deſtitutam, vivendique tædentem, quia diſceſſerat Author vitæ. Ut Mariæ deſideria mortuis, ut aiunt, coloribus depingamus, accommodare poſſumus ei (ne dicam abuti) verba, quæ Gilbertus Abbas poſuit in ore ſponſæ Canticorum, ſic: *Denique poſuiſti me, non dico tibi contrariam, ſed à te quaſi extraneam, & facta ſum mihimetipſi gravis. Gravis plane, quam tædet vitæ, tædet luminis hujus, quoniam lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. Ubi erit foris conſolatio, ſi intus in meipſa te abſente turbatio*: Et poſt pauca: *Qui adhæret Deo, unus eſt ſpiritus: dulce hocipſum, & ideo dura ſeparatio. Quomodo ſeparata eſt hæc identitas, diſſiliit unio, & ad me dimidiata redii? Nam tota à te non diſceſſi.* His & altioribus motivis meditatio Mariæ, dum ſuus aberat Unigenitus, dolorem fovebat, ſibimetipſi gravis. Quò magis illuſtratâ ſupernè mente pollebat, eò plus agebat vitam, quaſi jam penitus animam egiſſet. Cor deſideriis compreſſum expertus proprium, ſi mens ejus illuminatur de cœlo, degit ſic, ut ejus vita mors appellari queat: cum perſpiciat meliùs cauſas dolendi, vitâ potitur, quæ dici valet interitus.

Preſſus deſiderio rei dilectæ, ſi mens ejus illuſtratur cœlitus, vitâ fruitur, quæ dici poteſt mors.

Gilb. Alb. ſer. 3. in Cant. poſt princ.

76. Lacrymabilis Vates Jeruſalem deſcribit plorantem per hoſtium invaſionem ſævam. *Plorans, ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus*: &c. Quamvis humano loquendi more ſit uſitatum depingi multùm dolentem quaſi vita functum; ecce Jeremias urbem proponit ut viventem; cum affirmet plorantem, & flere viventis functio ſit. Aliter Propheta loquitur de ſemetipſo, dum ſe proponit anxium de clade populi. *Et dixi: Periit finis meus*, &c. De ſemetipſo loqui dicebam; quia ſic ex Maldonato colligitur approbante ſequentem expoſitionem, dum ait: *Putant nonnulli Hebræi, ut R. Salomon, hanc lamentationem à Jeremia propria perſona dici.* Et poſt pauca: *Prior interpretatio mihi magis placet*; &c. Et infra: *Videtur hinc poſſe colligi, Jeremiam non de populo, ſed de ſe ipſo loqui.* Sic ille ponderans verba non multò priùs poſita, quàm iſta, quæ modo verſamus. Nunc, ut contrapoſitio quædam expendatur inter Jeruſalem

Thren. 1. 2.

Ib. c. 3. 18.

Maldon. com in Thren. 3. 1.

Idem ib. ad n. 14.

lem & Jeremiam, notandum est primò, Prophetam, per illud, *Periit finis meus*, sermonem facere de seipso quasi mortuo. Maldonatus idem commentatur: *Id est venit finis vitæ meæ, transactus est finis vitæ meæ, actum est de vita mea, elapsum est, efluxit tempus constitutum vitæ meæ.* De Jerosolyma verò locutus est præcitatis verbis, ut vivente. Notandum secundò, cum Vates asseverare voluerit: Ego jam obii; non dixisse: Periit vita mea; sed: *Periit finis meus*, &c. Uterque nodus unicâ solutione tolletur. Mens Jeremiæ cælitus erat illustrata, cum foret ipse Propheta Domini; non ita civitas infausta. Equidem tam urbs, quàm Vates desiderio comprimebantur eorum, qui ducti fuerant in captivitatem: Sed Jerusalem anxiebatur minùs dirè; meritò proponitur ut viva: Propheta, quia divinitus illuminato fruebatur intellectu, cruciabatur ampliùs: vitâ vivebat quasi mortuâ. Propterea cum dicere posset: Periit vita mea, dixit: *Periit finis meus*: nam vita dolentis præ desiderio pio rei dilectæ, si de cœlo mens ejus irradiatur, & penitiùs introspicit motiva dolendi, magis est finis luctuosus, quàm cursus vitalis. Meditare quàm funeream egerit vitam & morte duriorem Dei Genitrix absens: utpote cujus intellectiva facultas abundanter divinæ lucis fulgore coruscabat. Meditationem istam claudere vellem; seu quò melius dicam, ei facilem aperire viam, huc trahendo verba S. Amedei. Dixi, trahendo, nam ipse de Virgine loquitur ante Christi Domini mortem. *Inter hæc*, inquit, *Dei Genitrix consternabatur animo, & dolores ut parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, ubi vita non tollitur & mortis angustia toleratur.*

Idem ib. ad n. 18.

S. Amed. hom. 5. de laud. Virg. ante fi.

77. *Adeo replet dolor absentiæ cor amãs, ut non videatur esse locus alteri dolendo malo.*

Objectiones aliquot nunc dissolvendas proponam adversùs ea, quæ vel supra stabilivi, vel saltem insinuavi. Prima sit. Nuper dixi, vix eum vivere, qui desideriis absentis dilecti conflictatur; sed ejus vitam appellandam esse mortem. Contra hoc stare videtur, quòd hic modus loquendi tribuit aliqualiter mortis nomen desiderio; cui non aptè congruere dicet aliquis. Nam interitus est pœnalitatum vitam obsidentium limes; desiderium autem illud amantis, plurimarum afflictionum radix est: unde multùm dissimile judicabis esse morti; cum hæc sit postremum inter mala super terram; ardor verò desiderantis non extet anxietas extrema. Respondetur facilè. Cruciatus, quem sustinet absens, veniens ab affectu, non quidem ultimus est amantem contorquens: at perinde se gerit, quasi nequaquam sequenti malo relinqueret locum. Rem explico. Cor amantis pervaditur ab amore totum: nihil vacuum dimittit affectus in ipso. Cum primùm discedit is, qui diligitur, dilectio comitem habet illam torsionem, quæ nascitur ex absentiâ; sic, ut omnino totum, quod incendit amor, torqueat afflictio: cumque dilectio penitus occupet cor integrum; dolor etiam totaliter possidet illud. Amaritudine repletus amoris locus quasi non capit novas ærumnas: propterea que supervenientia mala, quamvis accedant ad januam cordis, ingredi non valent, ut ita dicam; eoquòd absentis acerbissimum desiderium totam impleat internam domum. Similitudine materiali dictis adjiciam lucem aliquam. Ponamus, quòd per inundationem fluminis, de alieno velut superbientis, impetita domus omnino repleatur aquis. Detulere secum fluviales undæ convulsa dumeta: sistunt hæc ad januam, ingrêdi non valentia. Sic amantium corda tota dolor absentiæ tempestuosus inundat: quò fit, ut molestiæ consequentes eum, quasi locum aditui non reperientes, ad januam consistant: ibi tamen suam peragant hostilitatem.

78. Adhuc hoc ipsum, quod prædixi, majori vellem claritate donare. Pergamus ad sacrum Textum. Apud Isaiam sic lego: *Deserta est omnis lætitia: translatum est gaudium terræ. Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum*: &c. Loquitur Vates ad litteram de fine mundi, cujus exitus erit malorum abundans compendium. S. Hieronymus: *Et ut sciremus perspicuè de totius orbis interitu nuntiari, intulit: Hæc erunt in medio terræ: in medio gentium: sive populorum.* Describitur à Propheta mundus per ænigma civitatis eversæ, quæ redacta fuit in solitudinem. Illud me movet quod ibi dictum est: *Calamitas opprimet portas.* Nullus ignorat, quot & quanta futura sint acerba temporibus illis. Hippolytus: *Terræmotus erunt per omnes regiones, tonitrua, venti, horrenda fulgura, quæ domos agrosque exurent, procellæ ventorum, quæ terram ac mare sine modo perturbabunt, terræ sterilitates, sonitus maris, intolerabilis commotio ob interitum tam animarum quam hominum: signa in cælo, signa in luna*, &c. Et post alia concludit: *Et, ut semel dicam, gemitus & planctus universæ terræ consolatione carentis.* Cur ergo Propheta de mundo pereunte loquens in emblemate civitatis, non dixit, relictam calamitatem intus urbem; sed illam visus est ad januam constituere, cum inquit: *Calamitas opprimet portas?* Aliquis dicet, fari Vatem sic, ut servatâ proprietate loqueretur: nam dixerat, solitudinem relictam in urbe: *Relicta est in urbe solitudo*: & ubi solitudinis anxietas dolentem possidet, sic implet amaritudine solitarium, quod reliqua mala videantur ad fores quasi manere; tamquam spatio toto penitus occupato per amarorem prædictum, ipsa non valeant interitus penetrare, hoc est, non attendatur ad illa; quia tota mens absorbetur per solitudinis angorem. Sic pene cogitare possumus de Virgine Deipara: quæ licet urna sit aurea, fuit amarore plena. Germanus Patriarcha, loquens in persona Mariæ: *Urna ego aurea manna habens, plena sum amaritudine* &c.

Isaï. 24. 11, 12. 13.

S. Hieron. to. 5. l. 8. in Isaï. ib.

S. Hippolit. Episc. or. de consummatione mundi. longe post prine.

German. Patriar. Constantinop. or.

en Dom. corp ſepult. longe poſt med.

Deſideria nimis amara deſolatæ Virginis urnam repleverunt auream: ferè locus non reſtabat, ut aliis afflictionibus tunc meditandis applicaret animum. Idcirco ſolitudinis dolorem in amante dixi, quadam ratione vocari poſſe poſtremum ingrediens cor ejus: quapropter non diſſimilis eſt interitui; qui meta malorum. Hinc ſatisfit objectioni primæ. Nunc ad ſecundam.

79. *Anima dum abeſt & amat, vivit in amato per amorem; & manet in amante, ut crucietur.*

Opponet alius, reputans, incongruè noſtram devotiouem erga Virginem afflictam expendere Mariam ſolitudine cruciatam per Salvatoris abſentiam. Nam ſupra notavimus, animam plus habitare cum dilecto, quàm cum animato: de quo principio deducitur illud ſolitum dilectionis prodigium; ſcilicet ut abſentes amor efficiat quaſi non abeſſent mutuò. Dei Genitrix eximiè diligebat Redemptorem: igitur ei præſens aderat. Roboratur argumentum verbis Mariæ Sanctiſſimæ dictis ad famulam ejus dilectam S. Birgittam: *Verè dicere poſſum, quòd ſepulto Filio meo quaſi duo corpora in uno ſepulchro fuerunt* &c. Vulgò dicimus (& verum habet) amaram piæ Matris & amantem ſolitudinem in rigore loquendi cepiſſe poſtquam ſacroſanctum cadaver Chriſti Domini tumulo clauſum eſt; ſeu cum illud ab aſpectu Virginis extractum fuit, ut honor ſepulturæ deferretur eidem. A Salvatore vita functo non ſinebat amor dividi Mariam: quia dilectio vera nexus fortiſſimus eſt; quem ſicut non ſcindit falce mors; ita nequaquam diſſolvi poſſet manibus portantium Salvatoris corpus, ut conderetur in monumento. Qualiter igitur valemus aſſeverare, doloroſam Parentem à dilectiſſimo Filio diviſam abſentiæ gladio, mœſtam pati ſolitudinem? Reponam. Solet anima, quia partibus caret, adeſſe tota ſimul naturaliter in multis partialibus locis uniti ſibi corporis, ut notum eſt vel mediocri philoſopho. Quid magnum audemus concedentes aliquid ampliùs animæ per dilectionem volanti? Hæc enimvero duplicem totalem eodem tempore locum inhabitat, cum abeſt amator à dilecto. Moratur in amato, quia diligit: manet in amante, quia dolet. Amatoris animam abſtulit qui deſideratum fecit abeſſe: nihilominus in diligentis pectore manſit adhuc ſpiritus idem, ad hoc ut ibi patiatur malum abſentiæ.

Revel. B. Birg. l. 2. c. 21.

80. Redeamus ad Prophetam doloroſum de cæde populi ſui. Sic lamentabatur ille: *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthii, & fellis. Memoria memor ero, & tabeſcet anima mea.* Crede Cornelio ſentienti, Vatem loqui de anima ſua: ſic enim illa verba, *Memoria memor ero*, commentatur: *Q. d. Dum ex vehementi & acerbo ſenſu calamitatis meæ, & populi mei, aſſidue eam mente volvo & memoror, tabeſcit & inſtar ceræ liqueſcit, & fatiſcit anima mea* &c. Ne prætereas, Jeremiam loqui de anima ſua tamquam in ipſo manente: dixit enim: *Tabeſcet in me anima mea.* Ulteriùs lege Vatem, dicentem quod inſinuare videtur, ipſum fuiſſe paſſum quadamtenus abſentiam animæ propriæ à ſemetipſo: nam ſic loquitur, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Advertit Hugo Cardinalis, hoc eſſe vocem vel Jeremiæ, vel populi. Perpendamus iſta, quaſi Propheta de ſemet loquatur. Adaperiat ampliùs eadem verba Cornelius: qui ſic interpretatur ea: *Q. d. Miſerabilis aſpectus filiarum mearum captivarum ab hoſte illuſarum, animam mihi expectoravit* &c. Nunc difficultas emergit, ut componamus Jeremiam cum ſeipſo. Qui reputabat, animam propriam ſibi furto ſublatam, eoquòd abeſſent captivæ per hoſtes illæ, quorum deſiderio tenebatur; quo modo ſupponit priùs intra ſe poſſidere animam ſuam? Quo nexu cohærebit illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, cum iis, quæ præcedunt: *Tabeſcet in me anima mea?* Componi queunt hæc duo, ſi dicamus, animam Jeremiæ cruciatam per abſentiam rei dilectæ, duplicem tunc occupaviſſe quodammodo locum: nam & cum filiabus Jeruſalem habitabat in captivitate, quia dilectione conjungebatur eis; morabaturque ſimul in pectore vatis, ut ibi dolens viveret. Longè perfectiùs amabat Virgo Mater Unigenitum: quapropter ejus anima tempore ſolitudinis & cum Domino claudebatur in tumulo, dilectionis ei conjuncta vinculo; necnon in pectore manebat crudeli tranſverberata gladio: in monumento quidem, fateor, erat ſocia Gnato; ſed in ſemet deſolata miſerè Dei Genitrix exiſtebat.

Thren. 3. 19. 20.

Alap. com. in Thren. 3. 20.

Thren. 3. 51.

Hugo Card.

Alap. ib.

81. *Mœror junctus gaudio plùs ferit.*

Tandem arguam contra præmiſſa, quatenus Mariam inſinuavimus omni carentem ſolamine. Optimè noverat illa de rebus divinis peritiſſima, quòd anima Redemptoris petens inferiora loca, celebritate multâ glorificata ſit in hoſpitio ſubterraneo: de quo feſto, claroque triumpho Germanus Patriarcha: *Cæterum*, inquit, *in infimis terræ locis, nova quædam celebritas, ac feſta dies, mortuis à ſæculo, indicta fuit. Diruperunt potenter inferni vincula: vinciunt viciſſim vincientem: evertunt; proſtrato inſultant; læta accinunt pro funere cantica*: &c. & infra: *Talis hodie apud inferos feſtus conventus; ita mirabilis; ita præclarus ac lætus, ſupercæleſti Sole inferno facto irradiante, meridiemque ſine umbrâ in tenebroſis, ac umbrâ mortis nunc diei novante.* Non potuit non Virgo Mater de Filii plauſu feſtivali, quamvis abſens, gaudere. Propterea dices: Quomodo non Maria contemplans Triumphatoris decus illud feſtivum, ſolabatur dolorem ſuum? Nequaquam per hoc miteſcebat anxietas ipſius: imo quaſi per antiperiſtaſim Virginis mœror invaleſcebat, præ vicino gaudio de motivo proximè dicto; quod ejus anxietudinem oppugnabat. Quoties in amatoris abſentis corde conveniunt ab eadem cauſa manantes dolor atque lætitia, tunc afflictio ſumit incrementa. Mitiùs illa feriret carens contrario; duriùs comprimit adjuncta gaudio.

German. Patriar. Conſtantinop. ſep. longe ante ſi.

82. Poſt ſuæ paſſionis diriſſimum conflictum ſurrexit à mortis habitaculo victor

Princeps

Princeps pacis, & pariter Dominus exercituum. Sæpe discipulis apparens; sed non ut antea convivens, numeravit aliquot spatia dierum. Denique regrediens ad cœlestem curiam, unde non discesserat, nube suscipiente Conditorem suum ab oculis Apostolici Collegii; disparuit gloriosè. Apostolorum lumina protendebantur in cœlum: quia corda quærebant ibi centrum. Et ecce duplex Angelus eis adstitit, veste candidâ, præ se ferens hilaritatem congruam triumpho. *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos, in vestibus albis*, &c. Notat venerabilis Beda, visos ab Apostolis Angelos hoc loco fuisse, quò tristes de Magistri discessu consolarentur affirmantes regressurum aliquando. *Quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet*, &c. Hæc attendens illustris Commentator ait: *Ob duas illi causas Angeli videntur, ut videlicet ascensionis tristitiam regressionis commemoratione consolarentur, & ut verè in cœlum illum ire monstrarent.* Non quemquam latet quantùm eguit consolatore mœstitia discipulorum post dilecti Præceptoris absentiam. Sed an consolante non indiguerant priùs, cum de Salvatoris acerbo funere tristes erant? quare tunc minime descenderunt Angeli consolaturi similiter Apostolos, facto sermone de regressu mox ad vitam futuro? Reor, acriùs illos afflictatos ascensionis die, quam in passionis triduo. Quare? Quia, cum aderat illa triumphalis dies, ipsi desumebant ab eadem Redemptoris absentia tum dolendi motivum; tum gaudendi materiam. Dolebant, quoniam aberat prædilectus Magister; gaudebant ipsius gloriam noscentes majestate plenam. Priùs, cùm sepulturæ tradito Domino, gaudii nihil eis erat, minùs acerbè conflictabantur. Esto quòd cœlitus Angelici consolatores passionis tempore missi non fuerint ad mœstissimos; tamen in ascensionis luce triumphali, quando gaudia commiscebantur luctui; contrariis affectibus in ipsorum pectore bella moventibus, cor eorum proscindebatur acriter: oportuit, illos consolatione cœlesti roborari. Arctatur fortiter animus dum vehemens dolor ingenti gaudio consociatur: Sic in afflictissimæ parentis præcordiis, dum Genitus abesset, unà vigebat exultatio de gloria, quam suscepit in limbo; transfodiebatque peracutus en sis absentiæ diligentem plurimùm. O pugnam certè non marti, sed morti parem!

Actor. 1. 10.

Ib. n. 11.

Bed. com. in Act. ib.

DELIBATIO VIII.

Circa dolorem Dei Genitricis absentis nonnihil adnotatur.

83. *Major est absentiæ luctus dum flet solus amor.*

INter acerrimè lugendi causas, quæ Virgineæ mentis oculis objiciebantur quandiu Sol justitiæ claritate suâ pellustrabat hemisphærium infimum; & in absentiæ tenebris Luna præ luctu non lucebat; motivum quoddam extitit mœstitudinis, nunc expendendum: scilicet quòd amisisset Gnatum, quem faciebat multi Mater; & à quo magnî fiebat illa. Multiplex in tanto Filio, talique Genitrice concurrebat ratio, cur mutuò se prosequerentur appretiatione plurimâ: nam Virgini Christus & pater, & sponsus, & genitus, & omnia. Devotè Bernardus in persona Virginis ait: *Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor filio, omnia perdo. O fili mi ultra quid faciam? Væ mihi, væ mihi.* Conferam ad invicem extremum duplex memoratum nuper, hujusce doloris Mariæ causam. Inquiro nunc. Quidne Deiparam plùs affligebat de Redemptoris nece contristatam? perdidissene Filium, quem ipsa maximî ducebat? an jacturam feciſse Gnati, qui matrem æstimabat plurimi? Pro priori parte, sic arguebam. Dolor non est peculiare gratitudinis munus; pertinetque potius ad amoris officia. *Dolor itaque amoris indicium est*, inquit Justinianus. Propterea qui dolet ex eo, quòd gratus beneficiis extet susceptis ab illo quem abstulit mors, minus angitur. Cùm verò non ex gratificatione lamentatus sit benefactoris dilecti, sed ex amore tantùm, non parum adaugetur angor. Maria memor quantâ prosequeretur æstimatione Dominum quasi filia, sponsa, parensque, tunc amore suadente, quin affectus juvaretur à gratitudine (quam in Deipara non quidem negamus, nunc seperantes unum ab alio motivo) dolebat nimis jacturam incomparabilem. Tibi suade, non esse gratitudinis proprium nimium amisso creditore dolere: major est luctus, dum lacrymatur solus amor; quàm si lugens attendit ad receptum beneficium quo devinxit eum is quem lamentatur.

S. Bernard. de lament. Virg.

S. Laur. Just. l. de cast. conver. & an. c. 15. ante med.

Advocatur in Ægyptum per gubernatorem Josephum genitor ejusdem Jacob: tandemque perfecit ibi vitæ cursum, & suis progenitoribus appositus est. Obitum paternum fletibus Joseph prosecutus, exequias patris planctu celebravit per septem dies. *Celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies.* Vehementiam ploratûs video; sed quòd septemplicem diem haud excesserit, non præteribo. Memini, Jacob non diebus tantum septem; sed per totum restans vitæ spatium plangere mortem putabam Josephi sui deliberaviſse: dixit enim: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Et non perfunctoriè ostendens affectum ploravit parcè Jacob. Sed ubertim. Rupertus: *Patris lacrymæ, quia vulneratam cordis venam invenerunt, fræno laxato currebant quantum volebant, nec retineri adjunctis habenis poterant, quia forti impetu sese excusserant.* Quid fuit in causa, quòd tam diù lugere proposuit Jacob, cum plures numeraret filios? Joseph autem parentem unicum, & eximiè dilectum, per septem solos dies lamentatus est? Responderem. In Jacobo flebat solus amor; in Josepho dilectio simul cum gratitudine: largius deflevit affectus paternus. Cum Jacob ploravit existimatam necem Josephi, nequaquam adhuc illi fuerat obstrictus aliquo debito: proindeque

84.

Genes. 50. 10

Genes. 37. 35.

Rupert. l. 8. in Genes. c. 25. ad fi.

proindeque non ad gratitudinem pertinuit lacrymari; ſed ſpectavit ad amorem: qui necnon in hoc puer eſt, quòd fletum non continet. In Joſepho verò, qui patri plurimum debuerat, ploravit gratitudo ſocia dilectionis: & cum lacrymæ per ſocietatem ſimul flentium diminuantur, minùs planxit Joſeph, quàm Jacob; cujus amor conſortem flendi non admittens, profuſioribus lacrymis madebat. Cum Virgo Mater expendebat, abeſſe filium, quem ipſa ducebat multî ſuper omnia, ſolo dilectionis hortatu liqueſcebat in ploratus amaros. Illud igitur extitit violentius anxietudinis Virgineæ motivum: ſcilicet animæ ſuæ dimidium, quòd tam excellenter appretiabatur amiſiſſe. Faciunt hæc pro quæſtionis prima parte.

Non tamen deerit qui putet, magis pro contrariâ ſolvendum eſſe dubium: indicans, Virginis in ſolitudine planctus ex conſideratione potiùs manaſſe debitorum, quibus erat obſtricta Genito ſuo. Meminerat in quanto pretio fuerit illa priùs apud eumdem: qui habuerat eam charam ut filiam; conſortem fecerat ut ſponſam; reverebatur obedienter ut matrem. Sic Mariam Salvator colebat, ut Ambroſius dixerit: *Si religioſum eſt quod latroni venia donatur à Domino, multo religioſius quod mater honoratur à filio.* Non diffitemur (ſic diſcurſum inſtruet qui ſolverit quæſtionem pro hac parte) fletus inter amoris munia connumerari. Nihilominus etiam gratitudo, ſi de verâ dilectione provenit, imitatur amorem in abſentia deploranda benefactoris amati. Proinde tunc in eodem pectore duo ſimul ebulliunt fontes lacrymarum; amor ſcil. atque gratitudo. Nonne copioſior torrens effluet à bino fonte derivatus? Fallit hoc loco tritum axioma de multorum experientia ſumptum, quo vulgò dicitur, levari miſerorum ærumnas per ſodalitatem flentium. Hoc frequentiùs verificatur, cùm proprii cordis ærumnam diviſim plorat unuſquiſque ſodalium. Cum verò conſortes ambo plangunt idem lamentabile malum, multoties contingit, ut eorum nullus experiatur levamentum doloris. Imò frequenter eveniet ut per hocipſum fletus alieni ſodalitium magis cor amareſcat indolens; quatenus ita movetur ut perpendat, quam digna ſit lacrymis ægritudo pectoris, quam ſuſtinet, utpote quæ non proprias tantùm ciet; ſedetiam commovet alienas, vel etiam tangente causâ ſodalem, vel ad miſerationem commoto de miſeriâ non ſuâ. Cum igitur accidit ut pariter inveniantur in eodem pectore mœſto gratificatio ſimul & amor; videri poſſet, flentem ampliùs pungi dolore, ſi conjunctim ex affectu plangat & gratitudine. Gratus & amans anxiatur vehementius, cùm ex benefici memoriâ creditorem ſuum deplorat amiſſum.

85. *Gratus & amans anxiatur valde, cum ex beneficii memoriâ lamẽtatur amiſſum benefactorem.*

S. Ambroſ. to. 3. l. 10. in Luc. c. 23.

86. Implevit Saül menſuram criminum, quibus decreta fuerat mors adeo ſæva, quòd ille, quem non interfecerant hoſtes, proprio caderet enſe. David, cujus invicta patientia tam longam perſecutionem ab illo ſuſtinuerat, ejus interitum dolore multo proſecutus eſt: & ita, quòd eodem planctu, quò lamentatus eſt amicum fidiſſimum Jonatham, luxerit patrem Saülem. Dixit ille generosè pius: *Filiæ Iſraël ſuper Saül flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* Qua ratione Saüli deberent Iſraëliticæ fœminæ veſtes illas pulchras, & ornatus aureos, ex Angelomo collige: qui dixit ad verba citata: *De prædis hoſtium, quas agebat.* Dicet aliquis: Et non venit in mentem Davidi nobilius aliud motivum, quod proponeret filiabus Iſraël ad excitandos earum luctus de miſerabili morte Regis, niſi quòd ipſe antea ſuppeditabat muliebri mundo illarum pretioſa? quare non dixit: Flete pro miſero caſu principis, cujus vitam diligebatis fideliter? Equidem amorem ipſarum circa defunctum regem David ſupponebat; & præcipuè poſt miſeriam: nam communiter cor humanum quadam arcanâ ratione movetur ad amandos pereuntes. At quò foret uberior lacrymatio, provocavit earum gratitudinem ad ſimul flendum cum dilectione Saulis: reducens eis in memoriam quid illi debuiſſent. Igitur etiam gratitudini convenit lamentum de benefactore per necẽ perdito: quin & acerbioreſt anxietas illius jacturæ, cũ ex eo deploratur quia ſuſcepta munera gratus recolit animus.

2. Reg. 1. 24.

Angelom. ib.

87. *Ampliùs cruciat à dilecto dividi, quàm ab hoſte lædi.*

Igitur Virgo doloribus transfixa propter hoc vehementius afflicta plangebat ſalvatoris abſentiam, quòd recogitabat quanti fuerit appretiata ſemper apud ipſum. Suum agnoſcebat verè patrem; & meminerat, illud eidem reverentiam præſtitiſſe tamquam genitrici: ſponſum dilectum noverat; & non oblita fuerat, eum ſibi libenter obedientiam exhibuiſſe præ dilectione multâ. Hæc atque ſimilia benignitatem Redemptoris erga Mariam in iſtius memori mente retinebant. Conſuevit abſentis amati benigni memoria radices amoris velut irrigare, ne marceſcat. Ad amicum loco diſtantem, ſed affectu conjunctiſſimum ſcribebat olim Petrus Cellenſis: *Imago veſtræ dilectionis impreſſa & expreſſa ſtylo ferreo in ungue adamantino cordis noſtri viget, & in eo vigore non ceſſabit. Radicem namque miſit deorſum, quam irrigare non ceſſat jugis, & quotidiana recordatio benignitatis veſtræ ad amicum*, &c. Irrigabat abundanter adeo dilectionem Virginis erga Dominum rememoratio tenerrimæ benignitatis, quâ vivens proſequebatur eamdem, ut fluenta dimanarent ad horti concluſi januas, hoc eſt ad lumina Matris; adaucto vehementer hac via, dolore ſic, ut ſi divinitus ad exercitium fortitudinis Mariæ permiſſum foret hominibus in eam violentas injicere manus, non tam acriter ab illis pateretur, quàm à Salvatoris abſentia percutiebatur. Manifeſtum eſt hoc: nam hoſtilitas odientium nequaquam tangit animum; abſentiæ verò dilecti mœror totus in animam irruit. Eapropter ampliùs cruciat à dilecto dividi, quàm ab hoſte lædi: plùs diſtantis amati recordatio torquet; minùs

Petr. Celleſ. l. 7. ep. 13.

nùs adverſarii crudelitas dolere cogit.

88. Odio contra Joſeph miniſtravere ſomnia fomitem. Miſſus eſt à fratribus ciſternam aquis vacuam; & poſt venditus mutato conſilio. Ex textu ſacro novimus, illius animam fuiſſe anguſti compreſſam cum à germanis inimicè tractaretur; non tamen legimus, in fletum prorupiſſe. Tempora defluxerunt, & aſcendit inopinatò præfecturam captivus, & carceri mancipatus per calumniam. Bis venerunt ad illum neſcii fratres; ac tandem ſe detexit ille piè; ſed non ſine lacrymis. *Elevavitque vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptii, omniſque domus Pharaonis. Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Joſeph: adhuc pater meus vivit?* Rupertus ad hunc locum: *Hora, qua os aperuit, dicturus: Ego ſum Joſeph, citius ac properantius erupit incondito clamore doloris turbo violentiſſimus, vocemque cum fletu in altum extulit, quam & foris audierunt Ægyptii, omniſque domus Pharaonis.* Et infra: *Et continuò*: Adhuc pater meus vivit? *Quod utique non ut ſciret interrogando dixit, jam enim interrogaverat & audierat quia vivit, ſed dolenter admirando quòd adhuc viveret, & nimis compatiendo, quòd in luctu ſui cauſa conſenuiſſet*, &c. Cur, quæſo, nunc lacrymis madidavit ora Joſephus, qui minimè fleviſſe legitur, cum ſuſtinuit fratrum ſævitiam. Hoc fuit in cauſa, quia priùs hoſtiliter ſe fratres habuerunt adversùs eum: nequaquam illum compulit aliena crudelitas ad planctum. Atverò non valuit abſque lacrymis amor illa verba proferre: *Adhuc pater meus vivit?* quia tunc in mentem venit (ut exiſtimo) debitorem eſſe parenti, quòd ab eo plus cunctis filiis amaretur; & ſe diviſum dolens à genitore ploratu quæſivit incendia mitigare fruſtra. Vehementiùs corda premit ab amato ſejungi, quàm ab inimico pati. Propterea dicebam, non tam durum Virgini fore, ſi Domino ſinente læderetur manibus Judæorum, quàm à chariſſimo Gnato per ipſius mortem abeſſe.

Gen. 45. 2. 3.

Rupert. l. 9. in Gen. c. 11.

89. *Acerbiùs dolet qui tacet.* Multis interea vexabatur doloribus piiſſima Genitrix: tot gladiis percuſſa, quot cogitationibus illuminata, quot affectibus impetita. Sed inter hæc omnia Mariæ ſilentium fuit ejus tormentum non vulgare; cum frequenter afflicti verbis aliquatenus egerant animi dolorem. Multorum tamen experientiâ comprobatur, in extraordinariis cruciatibus pluries cor ita comprimi, quòd functionibus, quæ poſſint afferre levamen, vires non miniſtrat præ languore. Sic pluribus vox præcluditur, & lacrymæ negantnr; utrumque vetante maximâ triſtitiâ. S. Iſidorus Peluſiota: *Qui vero*, ait, *ingenti calamitate perculſi, ne lacrymari quidem queunt, doloris victi magnitudine, & quidquid ineſt humidi ignita vi conſumente. Vultu itaque attoniti ac perculſi mœrore, neque vocem, neque lacrymas emittunt, vultuſque triſtitiâ animi præ ſe ferunt triſtitiam. Hoc illis inexpectatum ſubitumque gignit malum.* Verum eſt, haud inopinato præventam dolore Deiparam: nam Filii paſſionem ipſa multò priùs meditabatur. Apud B. Birgittam ſic habetur: *Eum lactans cogitabat, quod felle & aceto eſſet potandus in cruce; quando eum manibus geſtabat, videbatur illi, quod crucis brachiis eſſet confixus: quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depoſitum; quando oſculabatur; Judæ oſculum cogitabat; quando faſciis involvebat, funes cogitabat, quibus ligandus ab impiis carnificibus; quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia, ut impiis judicibus ſiſteretur.* Nihilominus expectatiſſimus dolor non ideo minor fuit in ipſa. Plorantem piè meditamur illam; ſed contiſcentem; & in ſilentio novum genus martyrii. De Maria ſimul & Evangeliſta Joanne, cum aderant in Calvariæ monte, dixit Bernardus: *Defecerant ſpiritus illorum, & virtutem loquendi amiſerant. Audiebant & tacebant: quia præ anguſtia loqui non poterant. Solus illis dolor luctuſque remanſit amicus. Amabant flere, & flebant amarè.* Enimvero dolor eſt acerbiſſimus ille, qui verba corde claudit; quibus exponere dolentis afflictionem labia valerent. Non tam dirè torquetur depromens ore malum; vehementiùs percutitur ſilens.

Revel. B. Birg. l. 6. c. 24.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 391.

S. Bernard. de lament. B M.

90. Ad inſigne patientiæ certamen Jobum ſibi dilectum Rex regum deſcendere voluit, ut ab hoſte communi victoriam illuſtrem per bellatorem egregium reportaret. Perſonuit ruina potentis apud tres ejus amicos: condixerunt pariter venire conſolaturos: ac omnes illi cognoverunt, Jobum acerbè pati; prout colligitur ex illo ſacri Textus: *Videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Poſt rupit ſilentia Job: & Eliphaz, unus de tribus iis, ipſum calumniatus eſt impatientiæ, dicens: *Nunc autem venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es. Ubi eſt timsr tuus, fortitudo tua, & perfectio viarum tuarum?* Commentatur Pineda: *Impatientiæ tribuit illum calamitatum ſuarum ſenſum, quem expreſſit ſuperioribus lamentationibus.* Et infra: *Quamvis (inquit Eliphaz) tactus, percuſſus vehementer fuiſſes, & clade ingenti preſſus, percuſſus (nihil enim leve verbum tangendi habet) non deberes conturbari, ſed imperterritus conſiſtere*; &c. Quid permovit hunc moleſtum conſolatorem, ut mutaret judicium circa Job? videtur enim, eum antea reputaviſſe conſtantem, cum dolorem ejus agnovit extare vehementem; & nunc juxta Commentatoris datam interpretationem, jam exiſtimat, non cum vehementia percuſſum? ideoque reputat in ſuſtinendo non conſtantem? Deceptus eſt Eliphaz: ſed ejus exiſtimatio (præſcindamus à Jobo) confirmat regulam poſitam: ſcilicet ampliùs dolere tacentem; minùs angi qui verba promit lamentans. Antea ſilebat penitus Heros exemplar tolerantium: tunc cenſeret quivis, illum torqueri nimiùm. Poſtea ſermone lamentatus eſt mala ſua; non miror, quòd hæc idcirco putata fuerint minora. Silentium dolentis equidem teſtis mutus eſt, ſed verax anxietudinis multæ. Hinc aliqualiter intelligere proclive fit ſummum Virginis tormentum, quia ſiluit.

Job. 1. 13.

I. c. 4. 5. 6.

Pined. com. in Job. ib. n. 5.

91. *Eximius amator jacturam rei* Ad extremum diſſolvere conabor objectiunculam vulgarem, ex qua forſan alicui videbitur, Mariæ prædictum dolo-

dilecta, tangentem plures, arrogat ſibi ſoli.

rem non fuiſſe vehementiſſimum. Tetigi ſupra ſolitum effatum vulgi: ſcilicet miſeris afferre levamen ſocietatem dolentium ſimul è ſimili motivo. Sed omiſſâ jam illâ ſolutione, quam ſuperiùs aliorſum loquens indicavi, ſtatuamus, hoc triſtium frequens remedium ſuperatum eſſe per maximas tanti cruciamenti vires in Dei Matre. Maneat igitur piâ mente repoſitum, ſine mixturâ conſolationis amarum æquor extitiſſe pectus Deiparæ: nec enim fluctus maris acceſſu fluminum dulceſcunt. De Parente Salvatoris dolorosâ S. Antoninus ait: *Secundò oſtenditur magnitudo doloris in Virgine ex puritate afflictionis in Filii ſui paſſione. Puritatem autem dico: quia non habuit mixturam conſolationis.* Scio, noviſſe Reginam Apoſtolorum, qualiter ipſi de Magiſtri morte conſternarentur: Fatebor, pias mulieres in ejuſdem præſentia mœſtas adfuiſſe: ſed quid hæc ac ſimilia levamenti præſtarent anxiæ Genitrici? Quinimo credendum eſt, condoluiſſe diſcipulorum deſertioni, cæterarumque fidelium animarum: nec valuit ejus mitigare dolorem quod afferebat incrementa. Præcipuum caput, ex quo velut infirmum rejicio propoſitum paulò priùs argumentum, illud eſt; quòd nempe dilector ferventiſſimus, cum deperdit quod ſummo proſequebatur amore, jacturam luget, quaſi tantùm ſibi propriam; quantumvis alios damnum illud attingat. Eſto doleant plures, ipſe tamquam ſolus amiſerit, unicè contigiſſe putat ſibi ſoli quod patitur.

S. Antonin p. 4. tit. 15. c. 41 § 2. longe poſt princ.

92. Jacobum teſtem adducamus hujus proximè dicti; quem novimus, perfectum ſe Rachelis exhibuiſſe dilectorem: hoc enim probavit ille durus atque prolixus labor, amore multò factus brevis. Morabatur ipſe jam in Ægypto: factum eſt ut ægrotaret. Acceſſit ad illum prædilectus inter cæteros genitus: hic audivit iſta ſibi dicentem patrem de morte ſponſæ chariſſimæ: *Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel* &c. Quæro, Nonne Filios habuit Rachel Joſephum & Benjaminum? an partim tangit gnatos obitus maternus? cur ergo ſibi dixit mortuam; non addens, atque tibi, necnon & Benjamin uterino germano tuo? Reſpondebis, Rachelis dilectionem ſic illum docuiſſe loqui. Sed contra. Jacob enixè diligebat Joſeph; ac tamen, cum Ruben conaretur ei ſuadere, quòd permitteret deferri Benjamin ad Ægyptiacam regionem, abnuens pater, & occaſione ſumptâ loquens de Joſepho, prout credebat, vita functo, non dixit: Mihi mortuus eſt Joſeph; ſed ait: *Frater ejus mortuus eſt*, &c. Quæ diſcriminis ratio? Donabo quæ menti cogitantis occurrit. Amor Jacob erga Rachelem vehementior erat, quàm circa Joſephum: nam ideo tam eximiè dilectus erat hic, quia de Rachele progenitus fuerat. Aliam rationem Textus offert, cur prælatus eſſet Joſeph fratribus à dilectione parentis; at iſtud aliud motivum Scriptura tacendo non excluſit. Expreſſit aliud Theodoretus, inquiens: *Diligebatur ergo à patre, tum ut ſerò genitus, tum ut Rachelis filius, tum etiam ut eximiâ virtute præditus.* Si filius propter matrem charior erat genitori; non autem econverſò genitrix amabatur ob prolem, colligitur ex vulgari principio philoſophico, Jacobo magis dilectam fuiſſe Rachelem, quàm Joſephum. Quapropter, licet iſtam gnati ſui perdiderint, cùm vitam egit, Jacob arrogavit ſibi ſoli totam ejuſmodi jacturam: *Mihi.... mortua eſt Rachel* &c. Vehementiùs amans ita computat in damnis propriis abſentiam dilecti, quem ſejunxit ab eo mors, aliis dolentibus, quaſi ſolus ipſe careat illo. Conformiter ad iſta perpendebam, Virginem deſolatiſſimam ſic lamentari præ Salvatoris deſiderio; quaſi nulli præterquam ſibi detrimentum attulerit illa mors, quæ multis dolori fuit. Dicta ſint hæc pro Mariæ fortitudine: quæ tribuens exempla conſtantiæ, quondam illuminavit, & nunc devotione recolente, peculiariter inſtruit Eccleſiam ad ſuſtinenda triſtia. Sic Virgo quaſi *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

Genes. 48. 7

Ib. c. 42. 38.

Theodoret. apud cate Lipom ad Gen. 37. 3.

DELIBATIO IX.

Mater amantiſſima Virgo domum Eccleſiæ ſpei qui columnis fulcit.

93. *An plus fidendum protectioni Mariæ, quam Deo protegenti?*

INſipienter ædificat qui non curat ædificium ſolidare: parat hic potiùs ruinas, quàm domum conſtruit. Quamobrem apud Salomonem in celebris habitaculi Sapientiæ, quam alibi propoſuit, ædificatione, ſermo fit etiam de ſeptem columnis; quaſi ſpectaverit ad prudentiam ædificantis, non tantùm ædem erigere, ſed firmiter ſtabilire. Sapientiæ prudens imitatrix Maria, fabricans magnificam Eccleſiæ domum, ſperum fortiſſimas addidit columnas: pro quibus grata mater Eccleſia ſalutat eam titulo ſpei noſtræ. Bene Franconius Abbas: *Maria ſtella maris, lumen errantium, ſpes deſperantium, conſolatio mœrentium: commune gaudium omnium Chriſti fidelium.* Scio, virtutem ſpei vendicare pro motivo Deum prout bonum noſtrum eſt; cum ſit inter illas una, quas Theologicas appellamus. Nihilo ſecius, cum Dei Mater ipſo Domino ſit conſanguinitate primî gradûs conjuncta; non dedignatur ſpes noſtra moveri promovente Virgine. Sperantes nixi precibus Mariæ, validiſſimum adhibent expectationi ſuæ fulcrum. Verum quidem eſt, protectionem Omnipotentis fulcire fortiter juſtorum fiduciam, præſertim apud eos, quibus Altiſſimus aperuit, eorum ſe ſpecialem eſſe protectorem; non ſinens, illorum animos in ancipiti fluctuare. Tamen, cum theſaurorum omnipotentiæ diſpenſatio circa vota filiorum Adam quodammodò ſit commiſſa Deiparæ; cumque (ſicut alibi latiùs expendebam) ad illam non ſpectet hominem puniendo privare concupitis; ſed benignè favere deſideratis; inde fit, ut etiam juſtus aliquando (licet non peccaminosè) titubet, ne Dominus (cujus eſt tam proſpera, quàm adverſa moderari) deneget

Franco. Abb. l. 6. de grat. ante fin.

deneget illi quod peroptat. Cum verò fidelis animus recurrit ad umbram Virginis almæ, non eſt cur anceps hæreat. An plus fidendum protectioni Mariæ; quàm Deo protegenti?

94. Abraham Patriarcha dilectus erat Conditori nimis: audivit ab eo quondam:

Geneſ. 15. 7. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.* Quid reſponſurum crederes patrem credentium? Omitte quod putares: accipe

Ib. n. 8. quæ Scriptura tradit: *At ille ait: Domine Deus, unde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam?* Fateor, hac interrogatione minimè tunc Abrahamum fidem ſuam nævo maculaſſe. Sed non ideo prætermittam, quòd indecens apparet juſto, cujus fides adeo laudatur veraciter, expetiviſſe à Deo ſignum, quo ductus agnoſceret, promiſſionem divinam adimplendam. Nodum ſolvit Rupertus, inquiens: *Non ergo*, inquit, *tamquam incredulus infirmatâ fide dubitavit, ſed tamquam pius pater futuris filiis provident, ne forte peccantibus illis pœniteret Deum hujus ſuæ promiſſionis, & idcireo in promiſſione aliquod ſibi dari optavit firmamentum fixæ ſtabilitatis veritatis, & quaſi interpretationem juramenti.* Adhuc urget ſcrupulus. Et quare Moyſes, cui libertas Iſraëlitici populi commiſſa fuit in monte; proptereaque non parum ad illum attinebat executio tanti boni; non ſimiliter dixit: Et unde ſcire poſſum Domine, quòd perducetur ad coronidem opus iſtud magnum redemptionis Hebræorum, quo meos gravas humeros? Ipſe quidem formidoloſus recuſabat munus illud; inſufficientiam ſuam prætendens; imo rogans, ut alius mitteretur ad functionem iſtam peragendam: ſed neque ſignum petiit à Domino, quo certificaretur, Iſraëlem redimendum, neque de hoc dubitare viſus eſt. Quid tam conſtantem ei præſtitit ſpem? Suſpicor hîc pro fidelium novæ legis eruditione myſterium. Mariæ viderat inſcius umbram; ſcilicet rubum, qui ſpinis haud obſtantibus Virginem adumbravit. D. Bernardus: *Quid*, ait, *deinde rubus ille quondam Moſaïcus portendebat: flammas quidem emittens, ſed non ardens, niſi Mariam parientem & dolorem non ſentientem?* Quantumvis Abraham de protectione Domini certus eſſet, cum audierit inquientem: *Ego protector tuus ſum*, &c. tamen ſollicitus pro filiis, ne delinquentibus eis Deus poſſeſſionem Terræ denegaret, poſtulavit à Domino ſignum complendæ ſponſionis. Non ita Moyſes formidavit, ne peccantibus Hebræis ad exitum conſummatum non veniret plebis redemptio: quia licet ignoraret ille, rubum figurare Mariam (en occurro, lector, ſeveriſſimo judicio tuo, cogitatiunculam durè ſolito more caſtiganti) ſic res evenit, ut poſtea temporibus illuminatiſſimis legis gratiæ perpenderemus, non eſſe cur dubitetur, ſpem conceptam ſub auſpiciis Mariæ fore complendam eventu felici.

95. *Qualis hominibus con* Firmitudo ſpei, quam in Domino collocamus, dimanat à firmitate fidei. Credimus, Deum cuncta poſſe: necnon quæ ſunt hominibus repromiſſa: pariterque, Dominum fidelem in promiſſis adimplendis eſſe. Propterea tam firmiter anchora ſpei nos tenet inter undas irruentium cogitationum, flatuſque procellæ mundialis. Deducitur hinc, fortificari ſpem ab eo, quod roborat fidem. Quidni dicam, expectantem ſuſcipere robur à Maria, quò perſeveret; cum ſit in comperto, nos quadamtenus per ipſam ad credendum corroborari? Thaumaturgo crede: qui de Matre Dei hominumque dixit: *Hæc credentium firmamentum*, &c. & infra: *Tu fiduciam*, inquit, *in paradiſum introitus nobis dediſti; & antiquum dolorem luctumque fugaſti. ... Omnium enim bonorum plantator, tuus fructus effectus eſt.* Cum verè nulli creaturæ Deus plus debeat, quàm Virgini ſacræ, præpotentes illius preces nutantem fiduciam noſtram robuſtè ſuffulciunt, ne decidat. Quid noſtram dixi, qui gravibus noxis inquinamur? Quantumvis juſtus adeo ſit Altiſſimo dilectus, ut illius amplexibus fruatur; confidentiùs poſtulabit auſpicante Mariâ fortunatum petitionis exitum; quàm dum favore Dei non vulgari potitur. Non certè divini timet amoris conſtantiam immutandam; ſed veretur humiliter, indignum ſe credens, ut annuat poſtulatis Dominus. Atverò, ſi Virginis umbraculo protegatur, formidationem propellit, & fidenter efflagitat: imo velut exigit, quaſi non rogans.

fidentia in rogando venit ex umbra Mariæ.

S. Gregor. Thaumaturg. ſer. 2. de Annunt. B. M. longe ante m d.

Rupert. l. 5. in Geneſ. c. 20.

S. Bernard. hom. 2. ſup. Miſſus. longe ante med.

Geneſ. 15. 1.

Labani fraudes pertæſus, deliberavit, 96. monente Domino Jacob in Terram ſuæ nativitatis è Meſopotamia redire, numerosâ familiâ comite. Pertimeſcebat ille germanum, cui propter benedictionem paternam quondam fuerat exoſus: agnoſcens, humana corda, pro veris, aut putatis injuriis memori tenacitate retinendis, excedere marmora duritie, quibus in ventura ſæcula inſcripſit quædam priſcorum providentia: lapides quippe tempori cedunt edaci, litteras inſculptas prorſus obliteranti; humanum vero cor ſilice durius, poſt annorum ſeriem conſervat intactam memoriam offenſæ, per odii manus exaratæ velut in adamante. Deus, ut Jacobo fortitudinem ſuaderet, apparuit illi ſub virili ſpecie; luctatorem egit: non inimicitias exercuit, ſed amorem, cum ſe vinci permiſerit à dilecto. Protenditur ad auroram plena myſteriis lucta; quæ per benedictionem terminata fuit. Notabam, quòd iſtam non citiùs poſtulaverit Jacob. Meminſti, quòd aliquando ſatis idem Jacob ſe perhibuerit ſollicitum in petendâ benedictione paternâ: ſic enim oportuit, ne prior accederet è venatu regrediens Eſau, fruſtrareturque Jacobi votum. Quid ergo nunc moratur? præſertim cum (ut ex mox afferendo Purpurato patefiet) longè majoris momenti foret benedictio Domini, quàm Iſaac. Qua de cauſa non ſtatim atque Dei Jacob attigit amplexum, rogat, ut ei benedicat? nonne potuit amantiſſimum ſuî noſcere, proindeque neutiquam denegaturum quod ſupplex oraret? Utique: ſed pro noſtrâ doctrinâ congruebat, ut ejuſ-

dem petitio differretur ad ortum auroræ; quò supplicaret fiducialiter agens, pulsâ titubatione de non consequendo. Quare? Quia tunc aurora symbolum retulit Mariæ. Cardinalis Hailgrinus: *Hæc*, inquit, *est aurora, de qua Angelus ad Jacob in Genesi: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Si quidem per Jacob luctantem cum Angelo sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino precibus & lacrymis, extorquere, & obtinere à Domino incarnationem Filii sui tali instantia, velut quadam victoria nitebantur*, &c. Antequam nasceretur aurora, satis poterat Jacobus persuadere sibi quantò Deus eum prosequeretur affectu: sed licet peculiarissimè dilectus, audaciâ corruit, ut rem tantam supplex rogaret. Ortâ post auroâ, jam non dicam petiisse confidentem; sed quasi non postularet; sed magis exigeret: ille nanque dixit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Universa contigerunt illis Patribus in figura. Sic adumbratum nobis est, quàm fortiter possimus expectationem nostram circa dona Dei munire, ne langueſcat, intermediante Virgine Matre: quæ veri Solis aurora præfulgida, felicissimam diem annuntiat cordi cœlestia meditanti: confirmans validè spem ipsius aliquoties quasi labentem.

Cardin. Hailgr. in Cant.

Genes. 32. 26.

97. *Lætam adducit spem umbra Mariæ.*

Unum est, quod spem nostram fortissimè sustentat, ut non infirmetur: scilicet lætitia spiritûs. Nam discrimen, quod visitur in sperante, quo sæpius fit ut spem abjiciat, ex eo nascitur, quòd ista cor dilatione torquet, ac arduitate contristat: & eapropter animus, ut mœrorem deponat, sperare desistit. Occurritur huic mœstitiæ per hilaritatem prudenter conceptam; & ideo, si læta fuerit spes, constantior erit. Qui circa votorum adimpletionem confidit in Deipara, gaudio perfunditur salutari: nam vel ejus nomen consolatur mœstos, aspirat suavitatem, jucundat interiora pia. Fruere verbis Abbatis Franconii. *Neque enim post illud singulare dilecti Filii sui nomen, quod est super omne nomen, aliud nomen cœlum aut terra nominat: unde tantum gratiæ, tantum spei, tantum suavitatis, tantum consolationis, piæ mentes concipiant. Quotiescunque enim dulcissimum nomen illud, Maria, amatores illius audiunt: toties ex pio auditu & suavitate, auditi nominis, nescio quid inenarrabilis jucunditatis intus trahunt.* Si spes hominum nitatur potestate divinâ, forsan per mœrorem comprimetur; non quia dubitent, sed quoniam eadem omnipotentia, quæ favet quibusdam benefaciens, evertit malos aliquando severa. Cum autem expectatio fundamenta sumit à Virginis protectione maternâ, lætificatur animus; & constanter expectat, obtenturum sortem concupitam. Exultantem adducit spem umbra Mariæ.

Franco. Abb. l. 6. de grat. Dei ad fi.

98. Insurrexerunt adversùs Moysen Core, multique synagogæ proceres ægrè ferentes Moysis & Aaronis primatum. Superbia nec dignitatem reveretur, neque susceptа beneficia recolit. Puniti sunt quidam terrâ deglutiente; quidam igne combusti miraculoso. Postea Dominus præcepit Moysi, ut virgas tredecim poneret in tabernaculo fœderis, ut unâ solâ germinante divinitus, probaretur, illum ad quem ipsa pertineret, electum esse pro summo sacerdotio. Prodigium accidit. *Invenit germinasse virgam Aaron in domo levi: & turgentibus gemmis eruperunt flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Quid Deus hôc intendit mirabili? Dixit expressè Dominus ipse. *Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: & cohibebo à me quærimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant.* Ex his colligitur, potuisse Moysen & Aaronem spem in virgâ miraculosâ collocare, quòd non ultra similiter in ipsos alii rebelles insurgerent: quia portenti prædicti memoriâ continerentur. Bene. Sed nonne potuit hoc remedium præservativum paris rebellionis alicui videri superfluum? an satis Hebræi non coërcerentur horrendi recordatione supplicii? Non dubito fore quòd timerent. Quid ampliùs duobus germanis Deus attulit per illud mirandum virgæ? Dicam. Spem fratrum de quiete pacificâ populi Deus hoc modo reddidit jucundam; utpote recumbentem in virga germinante, floribus pulchrâ, foliis amœna, fructibusque divite. Si Moyses & Aaron ex præteritâ solùm punitione seditiosorum considerent, in posterum non insurrecturam seditionem similem contra se, tristis nimiùm foret spes hæc, ob reminiscentiam casus horribilis; mœstificaret eam nanque recogitatio hiatus terræ, quæ absorbuit Core, necnon flammarum, quæ tot redegerunt in cineres. Congruebat equidem ad hoc, ut spes illa duorum fratrum non contristaret eos, quòd jucundo miraculo virgæ florentis, velut pulchro baculo sustentaretur. Mariam significavit Aaronica virga. S. Isidorus Hispalensis: *Vel Matrem Domini significat virga: quia sicut virga sine humore & auxilio terræ fructificavit: sic Maria sine humano cœitu Deum generavit.* Quisquis experitur spes anxias ad Mariam confugiat, & expectabit gaudenter.

Numer. 17. 8.

Ib. n. 5.

S. Isid. Hisp. cõ. in Exod. c. 41.

99. *Mariâ mediante rogamus Deum tam confidẽter, quasi deprecaremur pro Matre.*

His, quæ diximus, erecta firmataque spes nostra Matrem generis humani quærat supplicationibus filiorum pronam. Ibi reperiet siti fontem, caligini solem, pauperiei thesaurum, cœlo scalam, ægritudini medicinam, morti vitam, tristitiæ dulcedinem. Nequaquam formidantes accedamus ad parentem; sed ipsius patrocinium toto nisu; illius adjutorium omni cordis affectu sollicitemus. D. Hildephonsus: *Interea*: inquit, *toto affectu ad auxilium Beatæ Virginis nos conferamus, nos unanimes omni nisu patrocinia imploremus*, &c. Duo sunt in auxiliatrice mortaliumpotentiâ; quibus plurimum fiduciæ nanciscuntur ii, qui properant ad alienæ potestatis umbraculum: nempe largitas & affectus in auxiliaturo vigentes egregiè. Hæc duo reperies apud Mariam Virginem, pro juvandis hominibus in summo gradu: magnificentiâ pollet, utpote Regina totius universi: charitate nos prosequitur ut mater genitos, quamvis indignissimos.

S. Hildeph. ser. de Nat. b. M. fi.

Utriusque

Utriuſque virgineæ qualitatis, hoc eſt munificentiæ dilectioniſque ſignum in glorioſiſſimâ Deiparente proferam ſatis apertum. Notabam alibi jam, benefactoris excellentis demonſtrationem exiſtere, ſic aliis opem ferre, quaſi benefaceret ſibi. Nam hoc pacto probat amorem erga recipientem; dilectione duos ita coadunante, quòd perinde valeat largiri, quàm recipere: pariterque liberalitatem conteſtatur, cujus apex dicitur eſſe, quòd largus ita gaudeat beneficum exhibere ſe, quaſi donum recipiat impertiens. Mariæ benignitas eſt in comperto. Crede, taliter ipſam indigentibus opitulari, quaſi neceſſitatem pateretur eamet: à Deo per illam auxilium poſtula: tantâque fiduciâ roga, velut ſi pro metipſa deprecareris.

100. Obſeſſa Bethulia per Aſſyriorum phalanges; quorum ſuperbiſſimus Monarcha, dominandi libidine ductus, in libita bella ruebat, ſic opprimebatur, quòd brevi quinque dierum termino voluntaria traditio timeretur civitatis miſeræ. Celebris matrona Judith morabatur in ea. Fragilitatem fœmineam ſuperavit (ut à ſuî victoria caperet exordium triumphi, quem retulit ab hoſte): prodivit ab urbe, ſe conferens ad inimicorum caſtra: pulchritudine rapuit oculos Holofernis; tandemque pugione caput amputavit illius. Hæc eſt hiſtoriæ notiſſimæ ſumma, quam non eſt cur latiùs modò proponamus, poſtquam toties eamdem ad themata diverſa vocavi. Nunc breviſſimâ tantùm ponderatione donabo verba Judithæ, quæ dixit ad Bethulienſes; cum derexit eis, deliberaſſe urbem egredi. *Uſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Pro ſe monet orari, boni communis ardenti zelo ducta, quæ virilem quaſi mutuata fortitudinem, urbis incolumitati conſuluit? an periculum ſubibat mulier pulcherrima, quòd necaretur ab hoſtibus? Neutiquam. Sed adeo flagrans ardebat in ea charitas, ut oppreſſionem Bethulienſium quaſi totam in ſemetipsâ computaret. Rei felicem exitum à Deo poſtulari volebat ſibi, velut ſi reciperet illa beneficium liberationis, quod attulit urbi. Habes in hac umbrâ venuſtiſſimâ dilectionem Virginis Mariæ: nam Dei Matrem figuravit Judith: de quo dixi ſupra delib. 2. n. 27. Sic Parens amantiſſima terrigenis fert opem, quaſi cum nos indigemus, egeret ipſa: tamque valemus confidenter orare Deum Virgine mediatrice, velut ſi pro dilectâ Matre rogaremus. Quid non exorabimus ita?

Judith. 8. 33.

101. *Videtur, plus hominem debere conferenti ſpem, quàm rem ſperatam.* Nollem, quòd aliqui ſub Marianæ devotionis prætextu, quæ diximus oppugnent; quaſi negaverimus, accipere nos à Maria liberaliter munera; propterea quòd ſupra toti fuerimus in probando, noſtram ſpem ſolidari, lætam fieri, quin & naſci per Virginem. Tacui munera nuncuſque, dicturus poſtea. Sed interim adverte, non modicum eſſe beneficium Deiparæ, quòd nobis conferat ſpem: Hæc enim perhibetur utiliſſima. Quid ſine ſpe maneret in orbe? Si de virtutibus loquamur, eſſet rarus qui ſectaretur bonum, ſemel quòd tollerentur expectata præmia. S. Laurentius Juſtinianus: *Eſt etiam ſpes anchora animæ eam ſervans, ne procellis tentationum irrumpatur*: &c. & infra: *Hæc quoque virtus hominem facit fortem.... Nunquam enim hanc vitam ſic conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem perfecta diffinitione ſentirent. In præſenti enim tempore ſpes eſt quædam vigilia ſolemnitatis æternæ.* Si verò deſcendamus ad temporanea, perluſtra cunctorum Adamidum varios ordines: nullum invenies, cujus vivendi ratio non expectatione moveatur. Unde generatim dixit Incertus: *Tolle ſpem, torpet humanitas tota, tolle ſpem, artes virtuteſque univerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia.* Quinimo, ſi componamus ad invicem beneficia duo; primum ſcilicet afferre ſpem deſperato; ſecundum verò illius præſtolationem opere complere: forſan judicabit accipiens, plus debere ſe benefactori, quia deſperanti largitus eſt ſperum fulcimentum, quàm ex eo, quòd poſtea vota perfecerit eiuſdem. Scis quàm grave malum deſperatio: per ſpem tibi donatam eriperis ab iſto. Poſt additur donum dono; ſpei ſcilicet accedit poſſeſſio: ſicutque gratior eſt lux, quæ tenebras pepulit; quàm ſplendor unus alteri ſuperadditus; ita ſæpe magis muneratum ſe reputabit homo, quia ſuſcepit ſpem, quàm dum recipit ſperatum feliciter.

S. Laur. Juſt. in lig. vi. c. 2. de ſpe poſt princ.

Incert. ſub nom. S. Zenon. ſer. de ſpe fid. & charit. poſt princ.

102. Poſtquam Dominus apparens in flamma rubi miſit Moyſen ad Pharaonem, perrexit ad Hebræos ille, fratre ſocio. Locutus eſt Aaron ad populum quæ Moyſes audierat: & illi gratitudinis exhibuere ſignum ſuppliciter. *Et credidit populus. Audieruntque quod viſitaſſet Dominus Filios Iſraël, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum: & proni adoraverunt.* Liranus ibi: *Pro gratiarum actione.* Subſecuta ſunt, obdurato rebelle Tyranno, prodigia multa; quæ longâ ſerie Textus refert: ac denique liberi prodiverunt ab ergaſtulo. Solummodo nunc adnotare placet, Iſraëliticam plebem nequaquam ſtatim poſt exitum à ſervitute ſimilem adorationem exhibuiſſe Domino pro libertatis beneficio: nec enim id taceret hiſtoriographus; ut non ſiluit priorem Deo præſtitam in captivitate. Quid eſt hoc? ſi dixerimus ingratos, reſiſtere videtur id quod proximè ſupra memoravi: ſcilicet eos audientes quòd Altiſſimus reſpexiſſet afflictionem illorum, & redemptionem pararet, adoraviſſe Clementiſſimum pronos, in gratiarum actionem. Si verò gratos non diffiteamur, obſtat, quòd, cum fuiſſet operæpretium quidem, ut mox atque ſunt à ſervitute deducti, ſe proſternerent adorantes Omnipotentem liberatorem, non id egiſſe ſcribitur. Fortaſſis exiſtimarunt, ampliùs obſtrictos fuiſſe priùs Conditori, quia Moyſi loquens, eis attulit ſpem libertatis, deſperantibus excutere ſervile jugum; quàm poſtea, dum cernebant liberationem ſuam executioni datam. Inde collige, quantum accipiat munus qui ſpem cœlitus recipit, ne deſperet. Dum hæc

Exod. 4. 31.

Lira. ib.

meditaris, recole qualiter ſimus debitores Virgini Mariæ; cujus preces nos efficiunt conſtanter expectare. Igitur *ad hunc fontem divinæ gratiæ quæ emanat in Maria, ſitibunda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulum expanſo & dilatato animo erigatur ſpes noſtra*, &c. Dei Matris eſt adamantinis columnis, hoc eſt ſpebus piis Eccleſiam fulcire: nam Virgo ſic, quaſi *ſapiens mulier ædificat domum ſuam.*

S. Laur. Juſt. prox. ſup. c. 5. longe ante fi.

DELIBATIO X.

Beneficentia Mariæ ſanctiſſimæ perpenditur.

103. *Maria præſidium adverſùs hoſtes.*

DE ſpe diximus: de bonis modò ſperatis advenientibus per Mariam Virginem dicamus: Oculos ad juſtitiæ Solem vix audemus levare, quò flagitemus deſiderata. Luminum acies majeſtate Domini reverberatur: ſed Piiſſima ſuſcipiens infirmos fovet, uti benigna mater. Fertur, avem reperiri, quæ pullos ab aquila genitrice rejectos, quia degeneres oculos ad lumen ſolis repercuſſos non fixerint conſtanter, ſuſcipit illa; cum prole ſuâ miſcet atque paſcit. Author eſt D. Ambroſius. *Avis enim*, ait, *cui fulica nomen eſt, quæ Græcè dicitur Phene, ſuſceptum illum ſive abdicatum ſive non agnitum aquilæ pullum cum ſua prole connectit, atque intermiſcens ſuis, eodem, quo proprios fœtus maternæ ſedulitatis officio, & pari nutrimentorum ſubminiſtratione paſcit & nutrit.* Marianæ pietati facillimum eſt aptare prædicta: *nam & aquila*, inquit Radulphus, *Dei ipſius typum gerit in Deuteronomio, ubi de eo dicitur*: ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, &c. Per gratiam baptiſmalem aquilæ filii conſtituti ſumus, hoc eſt Dei: ſed poſtea per peccatum degeneres effecti fuimus; & projici digni velut alieni. Sed Virgo Genitrix filios habens optimos, id eſt juſtos, peccatores abjectos miſcet cum eis, & maternâ ſollicitudine clementer nutrit. Hæc miſericors clementia cedit in piiſſimæ Virginis laudem ſic, ut putaverit S. Bonaventura, majus de miſeratione præconium accedere Deiparæ, quàm de virtutibus, quas exercuit in vita mortali. *Famoſa quidem eſt*, ait S. Doctor, *Maria propter virtutes & exempla ſua tam laudabilia; famoſior autem propter miſericordias & beneficia ſua tam inenarrabilia.* Et ut auxiliarem Deiparentis virtutem, qua nos protegit, expendamus, initium ſumam ab adjutorio, quod hominibus præſtat in bello, quo militamus cuncti ſuper terram. Nullus eſt immunis à certamine. Laurentius Juſtinianus: *Nemo tamen eſt*, ait, *qui certaminis neceſſitatem, ſive eorum qui videntur, ſive eorum qui non videntur effugere poſſit. Nempe illorum qui videri valent hoſtium duo ſunt genera, alterum juxta nos, alterum ſicut nos: ambo importuna, ambo ad ſuperandum difficillima: primum eſt viſibilis hic mundus, ſecundum quilibet proximus incompoſitus, & in converſatione indiſciplinatus.* Ut inimicorum potentia ſuperetur potentiſſimum eſt Dei Genitricis auxilium. Audi S. Amedeum. *Omnium de quacumque tribulatione clamantium illa libens preces ſuſcipit; & Nato ſupplicans omne malum ab eis miſeratrix avertit. Enim vero, ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velut ardore ſolis defluit glacies, ſic ab ejus facie inimicorum deperit acies, eâque jubente nihil adverſi ſubſiſtit.* Cum hæc ita ſint, vigebit animus adversùs hoſtes in eis, qui refugiunt ad Mariæ præſidium; aliter nullo percutiente cades. Deficiente Virgine corruit animus; ad illam intendens roboratur in adverſarios.

Radulph l. 8. in Levit. c. 3. med.

S. Bonavent. in ſpec. B. V. c. 8.

S Laur. Juſt. l. de inter. conflic. c. 1. poſt princ.

S. Amed. hō 8. de laud B. M. poſt med.

104

Antequam regibus obediret populus Iſraël, bella gerebat cum Philiſthæis. Iniere prælium, atque terga dederunt Hebræi, millibus aliquot inimico gladio pereuntibus. Non ceciderunt animo; *ſed reverſus eſt populus ad caſtra: dixeruntque majores natu de Iſraël: Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſtiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum.* Memoror infelicem eventum ſubſecutum fuiſſe deliberationem iſtam, ſed miror, profligatis animum perſtitiſſe conſtantem, ut adversùs victores Philiſtæos adeo citò rurſus inſurgere tentarent. Poſtea ſacerdos Heli, cum audiſſet valde triſte nuntium exercitûs Iſraëlitici devicti, concidit animo fractus, & mortuus eſt. *Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt.* Heli moritur exanimis factus præ dolore; cum nec faciem viderit inimicam? & illi, qui priùs adverſariorum armis fuerant cæſi perhibent ſe fortiter infractos animo, reſiſtere conantes adverſæ fortunæ bellicæ? Nil mirum, ſi myſterium attendas. Iſti reſpexerunt ad protectionem arcæ teſtamenti: hæc extitit figura Mariæ, prout nullus dubitat: ſed adhuc offero S. Methodii verba, dicentis ad Virginem: *Coram arca teſtamenti, quæ tui figura erat ut mihi veritas ponderetur*; &c. Attendens ad Maria patrocinium homo nequaquam labitur enervî corde, quantumlibet grave contingat infortunium. Cum ſacerdos exanimatus eſt aberat arca, poſita ſcilicet in poteſtate Philiſtinorum. Si deficiat umbra Virginis, adverſante gladio non opus eſt ut corruas; illius verò ſub tutela protectus erigeris animo, licet fortè cecideris extra.

1. Reg. 4. 3.

Ib. n. 18.

S. Method. hom. de Simeon & Anna. ante med.

105 *Ad Virginis umbram poteſt homo ſecurus quieſcere.*

Tam potens atque vigil in ope ferendâ ſuis Virgo clementiſſimè reperitur, ut abſque diſcriminibus oſcitantis inertiæ dare ſe quieti valeant homines dummodo præſens adſit umbraculum Deiparæ. Non obliviſcor modò quod ſæpe monebam; ſcilicet oportere viatorem per implexam tot periculis viam ad cœleſtia tendentem perpetuò vigilare: quia circuit hoſtis, nutat inconſtantia, langueſcunt requie vires. At hujus doctrinæ ſeveritas mollitur aliquantùm, ſi mortales, non quidem ſomno pigrè traditi, ſed cor fiduciâ cauté recreantes animadvertant, ſe prævalidè multùm ab Omnipotentis Genitrice defendi: nam quid pavebit memor, Mariâ cauſas ipſius tueri ſollicitè? Plurimis indigemus

digemus pauperrimi: beneficam nobis experimur abundè: Quatimur undique malis: ea tamen forti manu, ſed pietate blandâ reſiſtit univerſis. Mœrore conficimur, & invalidiores nobiſmetipſis reddimur: illa ſplendore ſuo triſtitiæ caliginem fugat. Ægritudinibus infirmamur: per ipſam, medicinæ moleſtias evadendo, convaleſcimus. Periculis jugiter conterremur: eadem perdit inutilem formidinem. Bene Leo Auguſtus ait ad cœli terræque Dominam: *A te indeſinenter beneficia, quaſi ex fonte manant; jugique illa bonorum ſcaturigine, calamitatum quas patimur impreſſionem, ac curſum cohibes. Diſſipantur triſtitiæ nubila, dum nitore ſuo ſerenas vitam. Fugantur morbi: periculorum terror in ſecuritatem commutatur*: &c. His perductus cogitabam paulò priùs, aliquando vertendum non eſſe deſidiæ, ſi quis poſitus ad Virginis umbram ſecurus quieſcat: non eſt ſomnus iſte prudenter captus reprehenſibilis.

Leo Imperat. Conſtantinop. or. 10. ante fi.

106 Occidit Elias, honoris Dei vindex inclytus pſeudoprophetarum turbam: quod ægrè ferens impia Jezabel per nuntium comminata fuit ei mortem. Vates humanum quid patiens timuit, & quæſivit fugæ præſidium. Poſt unius diei viam, jacens ille ſubter juniperum dormiebat: & ecce per Angelum expergefactus eſt, qui dixit ut comederet; attulerat ei panem & aquam. Manducavit; & rurſus dedit membra ſopori. Reverſus Angelus ſuſcitat iterum; & ait, illi grandem reſtare viam. Perrexit in Horeb: ubi cum in ſpelunca maneret, ſermone Domini dictum eſt ipſi: *Quid hìc agis Elia?* Juſſus eſt egredi, & in monte conſiſtere. Dum ſtaret in oſtio ſpeluncæ, denuo quæritur ab eo: *Quid hìc agis Elia?* Notavit Sanctius, Angeli verba, quæ dixit ad Prophetam, cum ſecundò veniens dormientem reperit. *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* dicta fuiſſe per modum reprehendentis Eliæ torporem. *Cum ſtomacho*, inquit Commentator, *hæc videri poſſunt dicta ab excitante Angelo, quaſi reprehendat nimis ſecurum & torpentem Eliam, & quod tali paſtus cibo langueſcat adhuc, & ſomno ſe rurſus, ac deſidiæ tradat, cum inimicam habeat, & tunc maximè infenſam Jeſabelem*: &c. Similem reprehenſionem innuere videtur interrogatio repetita: *Quid hìc agis Elia?* q. d. Nihil agis? Revertere, lector, nunc ad celebrem viſionem ſcalæ Jacob. Is profugiebat à fratre minante necem, ad Labanum; cujus expertus eſt fraudulentam nequitiam. Hic mos eſt mortalium: ſibi nota declinare mala vadentes ad ignota. Viator obdormivit: & ecce ſcala cœlum tangens apparuit ei. Per iſtam deſcendebant, & aſcendebant Angeli: nullus eorum legitur à ſomno ſuſcitaviſſe Jacobum, dixiſſeque: Surge: quid tu dormis, cum hoſtem habeas Eſau; qui valet inſequi te, deliberans occidere, quin expectet ut priùs Iſaac pater moriatur? Increpata fuit quies Vatis? non autem ſomnus Patriarchæ? Meritò quidem: nam Elias dormiebat ſubter arborem juniperum, quæ deſignavit juxta Rupertum crucem domini. *Jezabel*, ait, *quæ mortem Eliæ intentat, mors æterna eſt, quæ per peccatum in hunc mundum introïerat. Hanc quicumque fugit, ſedet ſubter juniperum, id eſt, confugit ad ſanctum & vivificum crucis dominicæ lignum*, &c. Etſi mortales ad crucem Domini confugiant, oportet illos continuò vigilare; non autem in umbra juniperi; ſcilicet crucis obdormire. In ſomnis adſtitit Jacobo ſcala, figura Mariæ, juxta Cretenſem, qui dixit: *Salve vera ſcala Jacob*, &c. Non erat cur Angelorum aliquis objurgaret Jacobum, quòd ſopori ſe tradidiſſet: nam ad Virginis umbram tutum ſe reputans à diſcrimine vecors non extat; ſed piè præſumit potiùs de ſollicitudine protegentis: quæ nec tueri nos deſinit, corde vigilans; nec indignitates noſtras peroſa manum contrahit.

Rupert. l. 5. in 3. Reg. c. 10. ante fi.

Andre. Cret. orat. 2. de Nat. B. M. longe poſt princ.

107 *Maria pluriſmùm Sponſo arridet, hominibus ſpiritualia providens.* Hæc beneficentia Virginis Mariæ dupliciter exhibetur nobis humaniſſimè: nam & hominibus erga temporalia ſubvenit; & (quod præcipuum) ſpiritualia miniſtrat. Cum ſit homo ſpiritu corporeque pariter conſtans, utriuſque gerit curam provida Mater. Plurima diximus alibi circa ſpectantia corpus: nunc de pertinentibus ad animam. Vt ſpiritualium filiorum Virginis Deiparæ creſceret ubertas, Altiſſimus decrevit numeroſum Gentium populum ad fidem adducere: necnon & hoc debemus Mariæ. Siccis ardent faucibus homines Dei gratiam: non fruſtra multitudo copioſiſſima recurrit ad plenitudinem illius, quæ cepit utero Deum. Hinc levatur eorum urgens ariditas abundanter: nec deficit perennis fons; necque faſtiditur dulcis aqua: Franco Abbas: *De plenitudine*, inquit, *Mariæ, impleta eſt ſolitudo gentium. Quiſquis ergo aridis faucibus ſitis dulcedinem gratiæ: cum debita reverentia accede ad plenitudinem ventris Mariæ. Tanta inde ubertas pietatis, tanta fluit pietatis ſuavitas; ut nec ubertas defectum, nec ſuavitas noverit faſtidium.* Abundat Maria cœleſtibus: idcirco libentiſſimè ſupereffluit in filios Adam; cum liberalis animi proprium ſit cupere ſocios opulentiæ ſuæ. Largitas iſta Parentis noſtræ valde placet ejus divino ſponſo: quia necnon & iſte ſummè largus eſt in miſeros; ac propterea gaudet ſponſam habere liberalitate conſortem.

Franco Abb. l. 6. de grat. Dei ante fi.

108 Virgo deſignata per ſponſam Canticorum ſæpiſſime reperitur apud interpretes. Videri poſſunt quæ dixi delib. 1. n. 13. & delib. 2. n. 23. Cogitatione verſemus nunc in Mariæ laudem verba ſponſi: quibus reſponſum præbuit interrogationi dilectæ ſuæ. Quæſivit hæc, inquiens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas*, &c. Liranus iſta verba commentatur: *Ubi paſcas fideles tuos.* Reſpondit Sponſus, vocans eam pulcherrimam: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres*, quo ſatis indicavit, eam tunc illi maximè placuiſſe. Ulterius in eodem capite lege: Sponſum invenies dicentem, non pulcherrimam, ſed pulchram. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, &c. Bis hìc de pulchritudine fatur, poſitivum nomen

Cant. 1. 6.

Liran. ib.

Eod. c. n. 7.

Ib. n. 14.

Sanct. in cō. ib.

Ib. n. 13.

Ibid. n. 7.

3. Reg. 19. 9.

men uſurpans in ejus laudem, cum antea fuerit uſus pro formoſitate ipſius commendanda vocabulo ſuperlativo, dicens: *O pulcherrima inter mulieres*, &c. Non caſu putabo, mutaviſſe loquendi modum: nam ornati ſermonis regula poſtulabat, ut à minori præconio conſcenderetur in majus: prius appellans pulchram, poſteaque vocans pulcherrimam. Cur econtrariò pulcherrimam nominavit primùm; poſtmodum verò pulchram? Fortaſſis, quia ſecundo loco ſponſa præ dilectione multâ ſibi ſoli ſponſum videbatur expetere: prædixerat enim: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Exponit Lira: *Id eſt inter cor meum.* Ubi ſponſa corde proprio poſſidere Deum cupiebat, nequaquam dicitur in oculis Domini pulcherrima; ſed pulchra: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, &c. Atverò priori loco ſponſa proprios oculos ibi paſcere deſiderabat in Sponſi facie peramanter, ubi Dominus etiam ſuos paſceret fideles: quaſi vellet ſortiri ſodales illos in participatione Dei. Tunc pulcherrima vocatur: tunc ſponſus complacuit in ea nimis: *O pulcherrima inter mulieres*, &c. Grata valde Maria divinis luminibus eſt eoquòd amet ſibi Deum, & in corde ſuo blandè teneat; ſed longe gratior ex eo quia conſortes velit homines in ſummo bono participando. Expende beneficentiam Virginis: & crede, non tibi defuturam; cum per iſtam pietatem arrideat plurimùm Altiſſimo.

Ibid. n. 12.

Lira ib.

109. *Cum rogare pro nobis Maria cunctatur, ipsâ morâ proficit indigentibus.*

Leves objectiunculas facillimè redarguam, quæ poſſent inſurgere contra prædicta. Dicet aliquis: non in Mariam injurius equidem; ſed habenas laxans dolori, quo premit ſpes, quæ differtur. Et quomodo ſtat Mariana liberalitas cum eo, quòd à fidelibus poſtulata ſæpe concedere moretur? Tritum eſt, omnem liberalitatem properare: quod etenim pretio temporis conſtat, non omnino gratis accipitur; imo beneficium per tormentum prolixæ ſpei deperdit venuſtatem. Reſpondeo. Nec ſemper cum à Maria genitrice noſtra flagitamus, tempus adeſt congruum præſtandi quod petimus. In donis præbendis largus & prudens omnes attendit circumſtantias: de quibus eſt una tempus, quo munus confertur: nec enim ſunt apta ſingula ſingulis. Bene Cordubenſis Philoſophus: *Depoſitum reddere, per ſe res expetenda eſt: non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore.* Et poſt pauca: *Idem in beneficio faciam. Videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare.* Nunc omitto quod infra perſequar: ſcilicet nos quid oremus uti congruit nobisipſis, penitus ignorare: & non infrequenter Maria differt concedere nunc id quod modò foret nocivum; & largitionem procraſtinat in diem, quo ſit utilis recipienti. Tantummodò nunc expendam, felicitatis protelationem, ſi Virgo mediatrix intercedit, non eſſe noxiam ſperanti; quamvis ipſamet voluntariè differat rogare pro miſeris. Novit ea quando ſit opportunum fundere preces apud Unigenitum, ad hoc ut à nobis avertantur mala; mœrorque fortunatè degeneret in gaudium. Expectat; ſed minimè per moras negotia noſtra Virgini commiſſa pereunt vel in minimo. Quin potiùs econtrariò proficit aliquoties nobis quòd Maria cunctatur, ut ſummum Regem pro mortalibus oret: ipſa quæ poſſet videri tarditas iners, medium eſt, ut hominibus aſſequatur quod ipſis neceſſarium.

Senec. l. 4. de Benef. c. 10.

110. Conſtantiâ Mardochæi renuentis adorare turgidum Aman ita ſe graviter læſum putavit iſte, quòd nihili faciens ab uno Mardochæo vindictam ſumere, deliberavit necem Judæis omnibus moliri, qui ditione Regis Aſſueri morabantur. Obtinuit fatale decretum. Quid non conſequeretur à cœco ducens illum? Res nota fit Reginæ; quæ quidem Hebræa cum eſſet, doluit nimis. Verebatur ad Aſſuerum, licet ſponſum, accedere non vocata. Sed, pietate ſuperante formidinem, præcedente dierum trium jejunio, tandem die tertiâ venit ad Regem; at nequicquam petiit ad liberationem populi: rogavit ut veniret ad convivium ſuum cum Aman. Inter epulas percontatus eſt Aſſuerus, quid peteret. Nec tunc negotium plebis propoſuit; ſed rurſus eumdem invitavit ad aliud epulum. Præterire non potui reginæ moram in re tantâ. Siſte gradum hîc: vel potiùs ambo divertamus ad illam cœnam; quam Herodes die ſui natalis exhibuit proceribus. Introivit ad eum menſæ deliciis fruentem Herodiadis filia: ſaltuque laſcivo ſic placuit illi, quòd ipſi juraverit donaturum quidquid poſtulaſſet. Conſuluit matrem Saltatrix quid potiùs peteret: cumque diceret genitrix, ut poſtularet caput Joannis Baptiſtæ; puella ſine temporis dilatione ivit ad monarcham, ut pretioſum, quamvis crudele, munus flagitaret. *Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi, in diſco caput Joannis Baptiſtæ.* Compone modò feſtinam puellam, cum Eſther petitionem ſuam pro Iſraëlitica plebe, prout ſupra notavi retardante. An major eſt activitas odii, quàm dilectionis perfectæ? Non credam. Cur ergo puella (de qua veroſimiliter credi poteſt, ſaltem poſt matris dictum, odium concepiſſe contra Joannem) ſic maturat ejus necem, ut non tantùm feſtinanter mox adiverit Herodem; ſed petat ut ſibi detur protinus caput illud venerandum, Eſther autem procraſtinat, quamvis cam impellat amor populi ſui; nec ſtatim cum feſtinatione preces interponit pro Judæis coram Aſſuero? Morantem ne damnes: nam & hoc profuit Hebræorum gerendo negotio: quia diligentis blanda timiditas potuit flectere cor ſponſi; quò faciliùs annueret petitis: tarditas ipſa per epulas regia viſcera ducebat in clementiam. Semotis imperfectionibus hiſtoriam adapta Mariæ, quam adumbratam in Eſthere fuiſſe noſti. Lira: *Beata Virgo, quæ ſignatur per Eſther* &c. Aſſuerus Chriſtum Dominum præfigurat. Hugo Cardinalis: *Aſſuerus interpretatur: Atrium, vel*

Marc. 6. 25.

Lira in Eſth. 5.

Hugo Card. ib. c. 1.

vel oſtium meum. Joannis 10. *B.* Ego ſum oſtium *Et ſignificat Chriſtum*, &c. Igitur, licet aliquando Maria rogatura Chriſtum regem pro fidelium populo, ut eruatur à calamitate, vertaturque mœror in exultationem; immoretur, ſupplicationem reſervans futuro tempori, nihil adverſum benevolentiæ ſuæ pia Mater agit.

III. *Virgo Maria benefica nobis eſt etiam cum non adeſt auxiliatrix.*

Alia denique reſtat ſimilis hæſitatio tollenda facillimè; propterea quòd ei jam ſit inſinuata ſolutio. Querulam audio vocem dicentium: Non ſemel Virginem rogamus; & exorare non datur quod petimus: an eſt in ejus beneficiis numeranda repulſa? Tu dixiſti: verumque habet. Non Matris clementiſſimæ dilectio circa nos indigniſſimos filios, ei compar eſt, quæ parentem genitorum Zebedæi permovit, ut à Chriſto Domino poſtularet ſedes pro gratis, ita quòd unus maneret ad ſiniſtram. Neſciebat quid peteret. ſicut & geniti quid optarent. Virgineus amor erga nos extat ſapientiſſimus. Unde petitiones, quas offerimus eidem, ut eas divino conſpectui ſiſtat, nunc emmendat; nunc tamquam penitus inopportunas diſcindit; vel ut nos inſiſtentes orationi ferventiùs meritum augeamus, vel ut credamus rogaviſſe neſcientes illud quod non expediebat inadvertentibus quæ congrueret ſupplicare. Etiam quandoque venit inter dona repulſio quarumdam cupiditatum noſtrarum. Seneca: *Sunt*, ait, *quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, ſed negare beneficium eſt. Æſtimabimus itaque utilitatem potiùs, quam voluntatem petentium.* Divinæ clementiæ refert amantiſſima Parens ingenium etiam in iſtis repulſis: nam Deus ipſe, prout vulgò dicimus, nos audit ad voluptatem; ſed exaudit ad neceſſitatem. Sic & Maria; cum ad illam ſpecialiſſimè pertineat (ut ad genitricem) corrigere pueriles inſcitias eorum, quos amore genuit: quorum petit unus cultellum, quo feritur; alter cibum noxium, quem poſtea manducaviſſe dolet. Eapropter computandum eſt inter materna Virginis munia, quòd nonnunquam filiorum conatibus non adſit præſentanea: nobis nunc adeſt; nunc abeſt: in utroque benefica.

Senec. l. 2. de benef. c. 14.

112. Variis nominibus excellentiam Reginæ cœlorum, ductu ſacræ Scripturæ, contendimus exprimere. Cæteris nunc omiſſis, recogitandum eſt modò, quòd ipſam Dei thronum vocamus inſtructi per illud Pſalmi: *Et thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo*, &c. De Sanctiſſima Patrem æternum loqui per Davidem, ſentit D. Bonaventura, dicens: *Tu enim es thronus ille indeficiens, thronus in æternum, thronus Filii Dei, de quo Pater, per Prophetam ait*: Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum: &c. Appellatio quidem throni, fateor, aptiſſima Virgini; cujus in ulnis Dominus omnium, quamvis factus puellus, magnus & laudabilis nimis oculis fidelibus majeſtate refulget in ſolio præcelſo: de quo S. Andreas Cretenſis: *Thronus Cherubicus, prægnus ille, igneus, ſublimis, quæ Regem Dominum Sabaoth ſinu geſtet*: &c. In illo tantùm hæreo, quòd appelletur Sol thronus iſte. Ratio ſeſe nobis offert hæſitandi non omnino contemnenda; qua videtur iſta ſimilitudo non parum debilitari. Sol non eſt aſtrum fixum; ſed mobile: quinimo non unico motu fertur. Honorius: *Cum igitur ſol naturali motu, ab Occidente in Orientem, contra firmamentum nitatur, quotidie à firmamento, dum refertur ad occaſum*, &c. Atverò thronus eſt quid ſtabile. Quo nexu conſtant igitur hæc duo: ſcilicet Mariam thronum ſimul & Solem extare? Stat ſimilitudo ſolis in Maria ſatis accommodè: nam luminare majus, planeta benevolus, ita plantis prodeſt per ſplendorem, cum adeſt in hoc hemiſpherio; ſicut proficuus eſt illis per abſentiam, cum antipodas perluſtrat: quoniam ſi perpetuò virentibus apud nos adeſſet, combureret omnia. Sic Deipara necnon perſæpe cùm ejus benevolentia ſubtrahitur nobis, hoc per noſtrî dilectionem præſtat.

Pſal. 88. 38.

S. Bonavent. in ſpec. Virg. c. 8.

S. Andr. Cret. or. 2. in Nat. B. M. ad fi.

Honor. Auguſtodu l. 1. de philoſo. mundi c. 27. fi.

De Marianis laudibus nunquam ſatis. At ſiſtat hîc rudis calamus: utinam indignitatem ſuam ſic agnoſcens, ut placeat ei, quæ per humilitatem promeruit illum gignere qui factus eſt humilis ex deſiderio vocandi Mariam nomine Matris.

Hæc tibi qui, indignus quamvis corde, ore, ſuſurro,
Spes mihi ſis veniæ, quæ vehis orbis opem.

Venant. Fortunat. l. 8. carm. poëm. 5. fi.

FLOS XX.

Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.

APERITUR.

1. Lect. Heb. Prover 14. 2.

HEBRÆA ſic habent: *Ambulans in rectitudine ſua timens* (vel *timet*) *Dominum: & perverſus vias ſuas deſpiciens* (vel *deſpicit*) *eum.* Ubi notant interpretes ambiguitatem pronominis, *Eum*: referrique poſſe dicunt vel ad Deum, vel ad juſtum. Secundum ſenſum ex his elegit Vulgatus. Unde rejiciendus eſt Janſenius; qui primum ſenſum præfert. Vellem, ut expoſitores catholici decentiùs de Vulgata lectione loquerentur; cujus authoritas eſt fide ſancta. Cornelius Alapide conciliat utrumque ſenſum illum: non reluctor. *Nam*, inquit, *qui deſpicit timentem Deum, ipſum Deum indirectè deſpicit; ſicut qui deſpicit ſervum, deſpicit quoque herum ſervi*, &c.

Janſen. com. in Prover ib.

Alapid. ib.

2. Contemptus, quo ſceleſti proſequuntur bonos, ex eo ſæpe naſcitur, quòd iſtorum vivendi ratio vertitur ſtultitiæ; ſicut econtra putatur vera prudentia, quam ſectantur plures, qui ſapientiâ carnis turgent. S. Gregorius Papa: *Ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur.* Quidquid ab iſtis neſcitur, ſtultitiæ notatur apud eos. Ipſorum quidam hoc audent exprimere verbis: at multò

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 10. mor. c. 16.

plures mente retinent idipſum, ne pateat, ipſos nomine tantùm extare Chriſtianos; & eapropter irridere, quaſi fide careant, opera contendentium imitari Salvatorem. Idem Pontifex: *Sed quia ipſi quoque deriſores ſimplicium Chriſtianitatis nomine cenſentur, reverentia religionis preſſi, exhibere malum publicæ irriſionis erubeſcunt. Unde fit ut apud ſe tumidi tacenteſque derideant, quos abjectos valde atque infimos per ſimplicitatem putant.* Non eſt cur in hoc detineamur ampliùs dum exponimus litteram: *Manifeſta perſtringimus, ut in obſcurioribus immoremur.*

Idem ib. c. 17 n. 29.

S. Hieron. to. 5. l. 3. in Ezechie. c. 12.

3. *Ambulans.* Agnoſco verbum ambulandi indifferens de ſe tam ad viam dextram, quàm ad ſiniſtram: nam de Noë juſto dicitur: *Cum Deo ambulavit.* Et antea legitur: *Ambulavit Henoch cum Deo*, &c. Malos autem Salomon dicturos affirmat: *Ambulavimus vias difficiles*, &c. Nihilominus in ſenſu ſtrictiori congruit ambulatio juſtis: impii nanque, cum identidem graviter cadant, neque citò ſurgant, jacent potiùs, quam pergunt. Favet B. Bruno Herbipolenſis ex Caſſiodoro, ſuper illud Pſalmi: *Qui ambulant in lege Domini*, dicens: *Ibi enim ambulare juſtorum eſt, non pedibus corporeis, ſed recta ratione.* Econtrariò peccatorum eſt jacere: nam S. Eucherius ait: *Ambulare, ad Deum tendere. In Pſalmo*: Et ambulabam in latitudine. *Sedere, In Deo humiliter quieſcere. In Evangelio*: Vos autem ſedete in civitate. *Jacere, aut vitiis, aut tentationibus ſuccumbere. In Evangelio*: Et invenit eum jacentem in lecto. *Currere, in operibus bonis properare. In Apoſtolo*: Sic currite ut comprehendatis. Hinc advertat pius, nec illi quietem denegari, dummodò quieſcat in Domino; nec approbari ſegnitiem: nam cur tardus ambulabit ad vitam qui lentè feſtinans evalet currere?

Genes. 6. 9.

Ib. c. 5. 22.

Sapient. 5. 7.

B. Brun. Herbip. ex Caſſiod. ad Pſalm. 118 1.

S. Eucher. l. form. ſpirit. c. 9. poſt pr.

4. *Recto itinere.* Callis dexter bene rectus appellatur, eo quòd ſit conformatus ad normam rectæ rationis: ſed etiam ſic vocari poteſt, quia non eſt anfractibus diſtortus; ut via perditionis, quantumvis latiſſima. Facit huc ad illud Pſalmi: *Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam*: &c. Euthymius inquiens: *Recta quidem, veluti ſine errore: plana verò tamquam periculis & ſcandalis libera: quæ dicere poſſumus eſſe peccandi affectus.* In iſtis malus ambulat in circuitu, ſemper obliquus; in via ſua graditur juſtus rectò, quia regitur ſani judicii præſcripto, non obliquans: ambo greſſus movent; ſed inæqualiter nimis.

Euthym. in Pſ. 142. 10.

5. *Et timens Deum.* Magis valet iſta locutio, quàm ſonat: nam ſi verborum ſonum attendas tantùm, exiſtimabis agi de ſolis actibus timoris Dei: qui triplicis conditionis eſſe reperiuntur: eſt quippe timor unus reverentialis, qui vix levat oculos ad majeſtatem Altiſſimi, ſequiturque fidem: alter dicitur ſervilis: qui ſcilicet Deum contremiſcit, ut juſtum punitorem delinquentium: hic dirigitur à ſpe, qua juſtus præſtolatur evadere ſupplicia: tertius, & perfectiſſimus, nominatur filialis: quo rectus veretur admittere quidquid patri Deo diſplicet. Magis amplo ſenſu dicimus, illum timere Deum, qui ſervat omnia mandata: juxta quem loquendi modum. S. Odo Gregorii Pontificis M. abbreviator, inquit: *Deum timere eſt, nulla quæ facienda ſunt bona præterire. Unde per Salomonem dicitur*: Qui Deum timet, nihil negligit. Verba dogmatis hujus immediatè præcedentia cogunt ſumere latiſſimè nunc illud: *Timens Deum.*

S. Odo Abb. Clun. l. 1 in Job poſt pr.

6. *Deſpicitur ab eo.* Superius, dum commentarer integram ſententiam iſtam, notavi, frequenter ideo deſpici per malos illum, qui viâ regiâ bonorum operum graditur; quia ſcelerati vitam hujus æſtimant inſaniam, ne dicam, fatuitatem, ſuggerente ſuperbiâ, qua ſolos prudentes reputant ſemetipſos. Alii tamen ſunt, qui propterea deſpiciunt juſtum, quoniam eorum cor exuritur invidiâ. Incertus latens nomine S. Ambroſii: *Sunt & deriſionis mendacia, quæ propriè ad invidos pertinent. Derident nanque ſemper invidi facta meliorum, & quibus coæquari non poſſunt, eorum actus ſuis mendaciis obnubilare quærunt.* Equidem ſunt vix intelligibiles iſtiuſmodi contemptores bonorum. Singulis inſultare poſſemus ita: Si contemptibilem reputas quem aſpernaris, cur invides? ſi teipſo majorem credis, cur deſpicis? Fruſtra contendemus extorquere verbis rationem ab illis, qui tam irrationabiliter operantur. Nunc iſtos cogit veritas; nunc fictio rapit. Coactè vel ſplendorem virtutis agnoſcunt reverberantem eorum cæca licet lumina; vel reveriti judicia prudentum, qui magnî ducunt hominem pium, fatentur interiùs, illum termaximum. Hoc ab eis extorquet veritas. Sed cum livor non patiatur, ut alterum ipſis præponat exiſtimatio communis, recurrunt ad miſerum ſolatium fictionis, qua ſibi mentiuntur, juſtum eſſe deſpicabilem, quia nec divitiis prævalet, nec veſtium apparatu fulget, nec injuriis læſus repercutit injurioſum. Ex iſtis & ſimilibus motivis contemnit malus eum, quem præcellere virtute novit.

Incert. ſub. nom. S Ambroſ. to. 5. com. in Apoc. c. 21.

7. *Qui infami.* Salomon cupiens inferni viam, floribus & fructibus hinc & inde germinantem, reddere mortalibus inviſam, vocat eam infamem: optans ut ſaltem infamiæ nobis inſitus horror ab itinere ſiniſtro deterreat. Quam congruenter appellentur infames viæ perditorum, collige de verbis Patriarchæ Venetiarum. *Per peccatum enim*, ait, *homo ſit alienus à Deo, interemptor ſui, gehennæ filius, confuſionis domus, diaboli ſervus, diſſipator naturæ, gratiæ illuſor, gloriæque contemptor.* Non vitupero nomini bono ſuo conſulentes mediis licitis. Nihilominus attendenda ſunt duo. Primum eſt, majoris ponderis eſſe cunctis infamiis vitæ poſtremam illam, quam incurret peccator in die judicii; cùm abſcondita cordi noſtri manifeſta fient. Secundum eſt, quòd frequentiùs laudatur peccator apud ſæculum famigeratione multâ; cum ipſe potiùs viam teneat infamem. Depravata ſunt mortalium

S. Laur. Joſt. tr. de perfect. grad. c. 1. ante med.

lium judicia : non illis tutò fidas.

Graditur. Lege quæ supra dixi verbo, *Ambulans* : & inde facile deduces, etsi verè gradiatur impius, tum quia vivit, & vita nostra quædam iterfactio veraciter est ; tum quia fines ad quos pergit multoties assequitur ; cum hoc tamen stare, quòd bene dici potest, ambulare frustra, propterea quòd nil commodi reportet mansurum perpetuò. S. Odo Abbas : *In vacuum ambulant qui nihil secum de fructu sui laboris post mortem portant.*

S. Odo Abb. Clun. l. 1. collat. n. 29.

Via. Quamvis legas viam in singulari ; dividitur hæc tamen in plures. Idem S. Odo : *Via nanque elati superbia, via raptoris avaritia, via est lubrici concupiscentia carnalis.*

Idem. l. 17. in Iob. n. 23.

DELIBATIO I.

Insolentia malorum in contemnendo justo.

9. *Superbus animosior ut contemnat justũ, quàm ut dignitatẽ propriam tueatur.*

INiquorum vesania multùm imitatur eos, quibus per ægritudinem judicium rationis impeditur : in quibusdam furiosi reperiuntur : nonnunquam incredibilia credunt : quietem sibi denegant ; &, quod magis ad rem nostram accedit, mente sanos irrident. Aliqui sunt ita nimii contemptores agentium vitam inculpatam, ut videantur eorum Carthaginiensium discipuli, de quibus aiebat Salvianus : *Et si quando aliquis Dei servus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de sacris Jerusalem locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis ad urbem illam officio divini operis accessit, simul ut populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solum hoc ; sed improbissimis flagitiosorum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi taureis cedebatur* : &c. Supra notabam, de superbiæ radice venire frequentissimè contemptum istum, quo justus abjicitur apud malos ; aliquando verò de livore nasci, quo fervent eorum corda, quæ dum lucere gestiunt, ardent, & non fulgent, quia similis infernali flammæ succensus est ignis in ejus præcordiis. Tam superbî, quàm lividî mos est plurimî facere semetipsum : aliquando tamen prætereunt conniventer suæmet abjectioni resistere ; non verò contemnere virtutis opus exercentem verebuntur. Aliqualiter excusabilis est animositas, qua superbus abnuit ut alterius manu deprimatur : humana quippe fragilitas recusat vilitatem, præsertim si projiciamur altero propellente. Sed aliquando patitur elata mens abjici, quin humilitatis aliquid ibi misceatur ; & ipsamet cernens pium exequentem humiliter factum virtuosum, insultans eidem contemnit eum.

Salvian. l. 8. de gubernat. ante fi.

10. Exemplum filia Saülis Michol subministrabit. Rex David arcam testamenti reducebat ex domo privatâ quadam in Jerusalem cum gaudio magno : tam pie, quòd accinctus ephod saltaret ante ipsam. Michol ejus uxor prospiciens vidit illum ; atque tamquam sic majestatem regiam dedecoraret, contempsit. *Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saül prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino : & despexit eum in corde suo.* Vides reginæ superbiam ? Relege superius historiam regalem. Jam David erat matrimonio junctus ipsi Michol ; cum ejus monitu profugus declinavit crudelitatem Saülis. Absente Davide Saül dedit illam uxorem alteri viro, quem accipere potuit recusare fœmina princeps ut non decentem filiæ regis. *Saül autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais,* &c. Non decebat, inquam, ei, quæ parentem fuerat sortita monarcham, conjugium Phaltis : de quo non credam fuisse nobilissimâ stirpe genitum ; cum postea, tempore quo rediit Michol ad virum suum Davidem, ille secutus fuerit eam flens ; quod non ageret homo perillustris. *Sequebaturque eam vir suus, plorans* &c. Imo Liranus ait : *Dicunt Hebræi quod iste fuit legis doctor*, &c. Quod, si verum habet, confirmat nuper dictum : non enim valde quotidianum est, sapientiam conjungi cum procerum fulgore. Mirum est, Michol non restitisse : nam Saül in hoc violentiam intulit juri matrimonii, tradidit enim, vivente Davide filiam alteri marito. Glossa Ordinaria ex Theodoreto. *David non dimiserat Michol, sed pater illius eam iniquè abductam à conjuge, alii dederat. Vis ergo erat matrimonium & quæ cum illo fuerat conjunctio. David ergo non est legem transgressus : sed Saül, qui Michol conjunxit alteri.* Cur non restitit genitori filia, dicens incongruum esse, regio parente progenitam viro tradi non illustrissimo ? Micholne tam humilis erat, ut non ausa fuerit patris voluntati reluctari ? Superbiam potiùs illa tunc ostendit, quando subsilientem coram arca Davidem fuit aspernata. Quomodo stat hic tumor cum illâ damnabili modestiâ ? Fallor, nisi comprobatur ita quod supra dicebam. Superbiens erat animo filia Saülis, ut exercentem Davidem opus virtutis despiceret ; non sic apparuit ejusdem generositas in propriæ dignitatis decentiâ tuendâ. Moris est ita multis. Quamvis tumeant, quandoque præmetu, vel alio motivo, patiuntur id quod in ipsorum abjectionem vergit ; si tamen accidat ut in eorum conspectu justus aliquid laudabile perficiat, irridentes despiciunt eum, ne majorem fateri videantur.

1. Reg 6. 16.

1. Reg 25. 44.

2. Reg 3. 16.

Lira in 1. Reg. 25. 44.

Glossa Ord. ex Theodoret q. 11 in 2. Reg 3.

11. *Etiam justus tribulationes quærere solens, acerbũ existimat opprobria pati propter virtutem.*

Et ô quàm validâ fortitudine muniri congruit justum, ad hoc ut æquanimiter sustineat irrisionem contemnentium eumdem ob virtutis gesta ! Scio, non difficile probis esse contemptim agere circa semetipsos. Novimus & plures quærentes operâ datâ materiam patientiæ : tamen specialis ratio quædam reperitur in præsenti ; propter quam nequaquam de virtute contemni plurimi recti cupiunt : scilicet ne mortali debilitate suadente virtutem deponat, ut contemptum fugiant. Hæc est vehemens tentatio, sternitque plurimos. Lege S. Ambrosium. *Quotes inter fabulas ebriorum virtutes*

S. Ambr. to. 2. expos Psal. 1. 2.

virtutes probro ſunt, peccata laudi, honeſtas ludibrio, continentia riſui, miſericordia vanitati? Et infra: *Ad irriſores bonorum, quos Aquila χλευαστὰς dixit, quòd iſti verè morbi ſunt, qui irridendo bonos plurimorum animis operantur errorem, menteſque corrumpunt.* Si forte S. Doctor in illo verbo, *Plurimorum*, intellexit eos bonos, qui non ferentes contemni propter virtutem, declinant à viâ rectâ, dictis favet appoſitè; non enim ſolitum eſt juſtis quærere morbos. Virtutis amator ſanè tribulationes provocat; nequaquam pavore fortitudinem ejus infirmante. Sed, cum patitur opprobria propter virtutem, formidat meritò, ne declinet ab illâ, vitans contumeliarum ictus. Ipſemet, qui ſollicitus quærit in quo tribuletur, & patientiæ ſtadium currat, ſtudium exerceat; veritus ne contemptu frangatur, opprobria flagitat averti, quia legem Dei requirit, hujus obſervationem diligens.

12. Ore Pſalmiſtæ ſic loquitur ſpiritualis
Pſal. 114. 3. homo: *Tribulationem & dolorem inveni*: &c. Qui hæc invenerat, ſanè quæſierat. D.
S. Hieron. to. 8. com. in Pſ. ib. Hieronymus ad hunc locum: *Si autem dixiſſet: Invenit me tribulatio, invenit me dolor, non erat quæſtio. Nunc autem quid dicit?* Tribulationem & dolorem inveni: *Quaſi quærens, ſic invenit. Non enim invenitur niſi quod quæritur. Sanctus non quærit requiem, ſed tribulationem.* In hac doctrina minimè nodum fruſtra requiramus. Attamen in alio Pſalmo, Davidis ejuſdem verbo dicitur in
Pſ. 118. 22. perſona fidelium: *Auſer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſivi.*
S. Aug. to. 8. com. in Pſal. ib. Commentatur S. Auguſtinus: *Chriſti corpus iſta cum dicit, nunquid ab impiis & ſuperbis audire opprobrium atque contemptum ullam deputat pœnam, cum potiùs inde perveniat ad coronam? Cur ergo quaſi grave aliquid & intolerabile à ſe poſcit auferri, niſi quia, ut dixi, orat pro inimicis ſuis, quibus eſſe proſpicit noxium objicere ſanctum nomen Chriſti, tamquam opprobrium Chriſtianis*, &c? Tetigit Auguſtinus dubium, quod in præſenti verſamus: & interpretatione ſuâ nobis tollere videtur quæſtionem; flectens aliò verba juſtorum rogantium opprobria ſibi tolli. Nihilominus adhuc urgeo dubiolum noſtrum. Si juſtus, quia diligit hoſtes, orat in eorum bonum, quòd opprobria ceſſent, quibus impetitur; nonne tribulationes utplurimùm veniunt à manibus adverſantium rectis hominibus; & inimici per hanc hoſtilitatem ſibimetipſis nocent? quare non ipſorum dilectione ductus, ne proſequantur iidem quod illis malum eſt, poſtulat à Domino quòd tribulantes quieſcant? Quinimo longiùs abeſt ab hoc poſtulando qui tribulationem quærit; invenit, quoniam quæſierat. Quid peculiare ſibi vendicant opprobria, propter quod vix probus ea non execretur, qui ſolet alias tribulationes inquirere? Vide, non de quibuſcumque contumeliis haberi ſermonem loco citato; ſed tantùm, juxtà prædictam expoſitionem Auguſtini, de jactis opprobriis in juſtum propterea quòd Chriſto militet. Acerbiſſimum eſt etiam conſtantibus propter virtutem irrideri.

Tribulationes alias quærunt plures intrepidi; refugiunt autem contemptum ortum ex prædicto motivo. Et quare? *Auſer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſivi.* Commentatur Bellarminus: *Quod exponi debet, exquiſivi ut cuſtodirem.* Quia periculoſum eſt ſuſtinere propterea contemptum, quòd virtutem ſectantur, quam iniqui rident; juſti ſcientes, non omnibus datum proculcare deſpectionem iſtam, nollent (raris exceptis) ob iſtiuſmodi cauſam contemni; licet cum aliis calamitatibus duella non recuſent.
Cardin. Bellarm in Pſal. 118. 22.

Multifariam contingit hic juſtorum contemptus. Ille deſpectus inter cæteros terribilior, quo feritur juſtus dum patitur; ſi venit ab eo, quem non tangunt mala contingentia recto viro, virtutis occaſione ſuæ. Duriſſimum eſt iſtas irriſiones pati. Conſtans animus infringitur contumeliis: & ne penitus cadat, congruit quòd ad ſemetipſum regrediens, in Deo ſolidetur; cum non inveniat apud homines requiem, ſed injurias S. Gregorius Papa: *Nonnunquam verò recto operi animus conſtanter immittur, & tamen humanis irriſionibus urgetur: miranda agit, & opprobria recipit; & qui exire foras per laudes potuit, repulſus contumeliis, ad ſemetipſum redit: & eò ſeipſum intus robuſtius in Deo ſoludat, quò foris non invenit in quo requieſcat.* Impiè quidem agunt virtutis contemptores, opprobrantes juſto virtutem, quaſi contumelioſa foret; cum potiùs laudabilis exiſtat: præſertim, quia conſtituunt illum ſic in diſcrimine maximo derelinquendi viam rectam. Ab iſtis irriſoribus quæri poſſet, quid utilitatis fingant ſibi proventurum ex eo quòd juſtus fortaſſis timens illorum deſpectum fiat malus? Ordinariè loquendo, nihil. Contra, ſciſcitarer quodnam patiantur ipſi malum, ſi forſan rectus, quia virtutes amplectitur, ideo tribulatur? Non illi tam ardenti charitate fervent, ut ejus detrimenta reputent ſua. Quonam igitur pacto contemptus excuſabitur iſte? Nullo certe. Si fortè cerneremus irridere juſti virtuoſa facta quemquam adeo conjunctum, quòd oppreſſiones comitari ſolitæ ſanctè viventes, pariter caderent ſuper ipſum, contemptorem aliquis excuſaret. At quando ceſſat hæc ratio, penitus inexcuſabilis eſt.

13. *Inexcuſabilis eſt contemnens juſtum patientem, cum ejus malis non opprimatur.*
D. Gregor. Mag. to. 1. l. 10. mor. c. 15.

Juſtus erat, Deoque valde placens Tobias. In captivitate poſitus, charitati proximorum, & aliis virtutibus incumbebat. Sed quoniam Deo placitus erat, oportuit ut illum probaret ulteriùs tentatio: propterea cœcus effectus eſt. Inſultabant illi cognati ſubſannantes virtutem ipſius. Idem quamvis conſtans objurgavit prudenter eos. *Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui*: &c. Accidit occaſione quadam ſumptâ leviter, conjugem Tobiæ ferè ſimilibus verbis deridere virtutem viri ſui, dicentem: *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua; & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt.* Non tamen legimus, Tobiam ad hæc uxoris dicta quiquam repoſuiſſe. Quæro. Nonne magis pertinet ad virum

14.
Tobiæ 2. 17.
Ib. n. 22.

correctio

correctio fœminæ consortis, quàm reprehensio cognatorum? Isti dixerunt ad Tobiam: *Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* Commentatur Liranus: *Ex quo videtur, quod isti remunerationem boni & mali credebant esse tantum in vita præsenei*, &c. Ecce despiciebant virtutem spei manentem constanter in Tobia: reprehendit eos ille justissimè. Quare non pariter increpavit uxorem, quæ similiter ejus contempsit spem, dicens: *Vana facta est spes tua*, &c. Quia cum vir & uxor reputentur unum quid, plurimùm tangebat mulierem Tobiæ malum: propterea quadamtenus hæc excusabilis erat: ideo Tobias reprehensionem istius omisit. Cognatorum quid intererat quòd pateretur vel non justus contribulatus? Excusatione prorsus carebant: ideoque velut indignos veniâ corripuit. Iniqui bonis in faciem conjiciunt per subsannationem quòd multa patiantur virtutis amore; risuque digna putant eorum commendabilia gesta. Sed quid refert illorum quòd sustineat justus? Veniabilis ergo non est ipsorum contemptus adversus pium.

Ibid. n. 16.

Lira ib.

15. *Justum absentem reverentur aliquando qui præsentem contemnunt.*

Duo supra motiva recensui, de quibus oriri solet quòd à malo contemnatur *ambulans recto itinere*: nunc aliud subjiciam fortasse frequentius: nempe quia justi virtutes, ipso tacente reprehendunt eorum iniqua facta: castitas, quin verbum proferat, vocat luxuriam turpem: liberalitas, quin ore personet, avaritiam appellat immundam; & sic de virtutibus reliquis patet, quarum singulæ sugillant opposita vitia. Inde fit, ut abominentur mali justorum opera, quia pravi mores ipsorum, comparatione virtutum alienarum, detestabiles ampliùs redduntur. S. Leo Papa: *In bono*, ait, *ergo proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium, diabolo instigante, non desunt, & facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione rectorum.* Et longe plùs accenditur odium istud, si justus charitativè paratus est ad ipsorum iniquitates fraternâ correctione redarguendas: adeo ut, cupientes ejus os præcludere, facti dæmonis ministri, satagant quòd ille collabatur in peccatum, ne reprehensionem audeat in ipsos labiis depromere. Scio, quòd, cum non sit impiis vera pax, etiam cum similibus rixantur; attamen justum diriori prosequuntur odio. Prædicta patrocinatur S. Joannes Chrysostomus: *Neminem*, inquit, *enim mortalium sic aversantur, oderuntque hi qui peccant, atque eum qui parat redarguere, captantque occasionem ut elabantur, cupientes effugere reprehensionem.* Signum dictæ veritatis est, quòd, si justus loco distet, aliquando mali reverentur eum; si verò præsens adsit, contemnunt. Quippe, cum à distante non reprehendantur tacitè per facta, mitigatur odium, quo moti despiciunt eumdem. Econtrariò, cum in præsentiâ bona justorum opera silenter increpent ipsorum nequitias; tunc armantur despectionibus iisdem, qui reverentiam probis absentibus deferunt.

S. Leo Pap. ser. 9. de Quadrag. ante med.

Chrysost. to. 1. hom 5. de verb. Isaï.

16. Ad Corinthios iterum scribens Apostolus memoratur quorumdam satis audacia verba contra eumdem Gentium Doctorem. *Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, gràves sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis*: &c. Ecce reverenter loquebantur isti de litteris Pauli; non ita verò de præsentia, sermoneque ipsius cùm aderat. Existimares oppositum eventurum, de consuetudine hominum ferè communi: quorum in mente figitur altiùs vox viva, quàm scriptura; magisque movet cominùs visus magister; quàm velut auditus per litteras eminùs. *Vehementior*, ait Valerius, *fit impressio in mentibus audientium, ex visu doctoris & auditu, quàm ex studio & libro.* Ergo cur isti contemnebant Apostolum præsentem; & ejus absentis epistolas magnî faciebant? Quia, dum aberat, non cernebant ejus opera bona, quorum radiis eorum facta reprehensibilia percutiebantur. At præsens Apostolus humilitatem superciliis eorum objiciebat modestissimus. Primasius Episcopus ad præcitata verba: *Præsentia sanctorum per nimiam humilitatem potest esse contemptui: absentes verò, si necesse fuerit, confidenter suam indicant potestatem.* Quapropter Paulus, cùm præsens erat, superbiam illorum, qui sic locuti sunt, reprehendebat humilitate suâ tacitè. Fiebat hinc ut execrarentur modestiam Apostoli corripientem ipsorum tumores; & propterea contemnerent eumdem, quò sic non dolerent se reprehendi, putantes, id per hominem contemptibilem fieri. Cessabat in epistolis hæc ratio: propterea non spernebant eas. Odit iniquus facta justorum, quibus est suis operibus contrarius: & quia tandiu se dolet argui, quandiu suscipit eum, quasi præcellentem se, refugit ad contemptum: desiderans eumdem sic æstimatione suâ vilem reddere, quòd nihil valeat apud illum ipsius tacita reprehensio.

2. ad Cor. 10. 10.

Valer. l. 8.

Primas. Epis. com. in 2 ad Cor. sup.

17. *Timet justus contemptum aliquando vulgi publicum.*

Terribillima quædam circumstantia non semel accedit contemptui, quo justos afficiunt improbi subsannantes egregia virtutis exercitia: nempe, quòd subsannatores istos facilè turba sequitur; & irruit multitudo clamorosè ridens in humilem; quod non parvi ponderis malum est. De virtutum irrisionibus Ambrosius loquens addit hæc verba: *Isti sunt morbi qui mala sua in multos transferunt. A paucis corruptela ad omnes pervenit.* Certè durum est ita justum rideri, quòd ab impiis haberi contemptui perinde videtur ac in manus peccatorum tradi. S. Antiochus: *Justi enim*, ait, *derisui ac ludibrio haberi solent; non item deridere: traduntur enim in manus peccatorum*, &c. Imo pejus est contumeliis lædi, quàm percuti manibus: quippe manus tantummodo corpus attingunt exteriùs; opprobrium corda penetrat. Idem Antiochus: *Contumelia enim hominis cordi afflictivam tribulationem affert*: &c. Si fortè docti (quod rarum est) justum irrident clam, non adeo vulneratur justus; quia non ad vulgum protenditur ista subsannatio; quoniam plebs non agnovit exemplum illud quod imitetur in contumeliam

S. Ambr. to. 1. exposf. Ps. 1. 2.

S. Antioch. hom. 48. ad fi.

Idem hom. 51. post pr.

meliam laudabilis viri. Si verò (quod adhuc rariùs eveniet) homo ſapiens ita deriſit probum palam, ut populus id noverit, ſpectatores vulgares, ut plurimùm non ſequuntur eumdem; nequaquam audentes ſe docto pares profiteri; ſuperbè, contemnendo quem deridet ſapientiâ pollens. Atverò cum unus vel alter è turba palam conjicit opprobrium in bonos, quod facilè queat apud multitudinem diſſeminari; necnon & modeſtiſſimus, fortis & patiens, obviare malo curat iſti, proprium tuitus honorem, ne ſerpat contumelia, creſcens ad infamiam. Suſtinet vir perfectus irriſionem ſapientum clanculùm factam; timet autem barbaram abruptamque ſententiam judicio carentis vulgi: propterea ſine detrimento patientiæ ſtudet propriæ defenſioni.

18. Divinum Flamen ſuccendit Apoſtolorum corda: linguiſque loquebantur variis in Pentecoſte. Stupebant audientes; alii tamen ſpiritu malo ſuggerente, *dicebant: quia multo pleni ſunt iſti.* Quis crederet, Petrum non contempturum fore ſtultitiam ſic loquentium? Non tacuit; imo fortitudinem exercuit obſtans elatâ voce fatuis, qui putaverunt ebrios Apoſtolos. *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Judæi & qui habitatis Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt*, &c. S. Joannes Chryſoſtomus: *Vtdes ne illic curioſitatem, hic animi fortitudinem? Etenim ſi admirabantur, ſi ſtupebant: nonne & illud æquè mirandum erat in tam numeroſa multitudine in verba prorumpere hominem illiteratum & idiotam?* Non proſequar interrogationem Doctoris aurei; ſed aliam propono. Hæccine fuit à divino Magiſtro data per exemplum doctrina; cum petitus opprobriis in paſſione tacuit? quare non ſilet Apoſtolorum Princeps auditâ contumeliâ? Scio, Paulum, cum pateretur Chriſtus Dominus, minime lumen adhuc percepiſſe fidei; tamen ejus patientiam in irriſione ſubtinendâ ſilenter imitatum fuiſſe, dum in Areopago mentionem exhibuerat publicè de reſurrectione. Textus ait: *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum.* Ecce non ore dat Apoſtolus verba, quibus redarguat irriſores; potius terga dedit contemnens eos non ſuperbè. Qua de cauſa tam conformes in aliis Apoſtoli duo ſic in iſto diſcordarunt? Dicam. Paulus fuit irriſus à quibuſdam ſapientibus: erant enim illi judices in Areopago jura dantes: & non publicè facta fuit hæc deriſio; ſed clam, in ipſo nempe ſenatu. Doctor Gentium taciturnitate præterivit contumeliam irridentium; quia non pertranſitura fuerat in vulgum. Petrus autem publicum audivit opprobrium judicantium Apoſtolos ebrios: quod facillimè diſpergi valeret ad plebem. S. Joannes Chryſoſtomus ad illa verba, *Muſto* &c. ſic habet: *Ut audientibus imponant, perſuadeantque illos eſſe temulentos. Hebetudini crapulæque rem totam aſcribunt, dicentes eos eſſe muſto plenos.* Eapropter Apoſtolici Collegii Præſes non omiſit opponere ſe contumeliæ; ſed elevatâ voce reſtitit; ne contagium deriſionis prædictæ populum totum afficeret. Non injuriam patientiæ ſuæ juſtus infert, cùm barbari vulgi linguam ex bono fine cavet; ac propterea ſe tuetur, opprobrio reſiſtens, ne generetur infamia; cum neceſſaria ſit proximis fama noſtra. Sic operatur aliquoties *Ambulans recto itinere, & timens Deum, cum deſpicitur ab eo, qui infami graditur via.*

Act. 2. 13.

Ib. v. 14. & 15.

Chryſoſt. to. 3. hom. 4. in act juxta med.

Act. 17. 32. 33.

Chryſoſt. prox. ſup.

DELIBATIO II.

Exhortationes aliquot ad contemnendas irriſiones malorum.

19. *Sibi facit injuriam qui dolet alterius in ſe opprobrium.*

LIcet in ſuperiori delibatione dixerim quàm ſit nimis durum probo pati virorum nequam deriſum: quia tamen hunc ſuſtinere virtutis amore plurimùm juſtis prodeſt; eos nunc exhortari cupio perferendis fortiter irriſionibus iſtis. Aliquot motiva proponam, quibus in ſubjecta materia tolerantia corroboretur. Primum ſit. Congruit, ut juſtus expendat, ipſum contumelioſè agere contra ſeipſum in eo, quòd tam infirmum ſe prodat, ut indoleat ſe fuiſſe per malos contemptum. Bene Guigo Carthuſianus: *Contemptus aut parvî habitus doluiſti: hoc ipſo contemnendum, ac parvî habendum fuiſſe, & ideo jure id factum demonſtrans. Niſi enim contemnendus ac parvî habendus fuiſſes, contemni nec parvî haberi nequaquam timuiſſes, aut doluiſſes. Hoc enim ipſo ſolo, vel maximè contemnendus & parvî habendus es, quod id times aut doles.* Tu, qui tam delicatus es auribus, ut leve contumelioſum verbum accipiens, tamquam telo percuſſus ingemiſcas; quid teipſum opprobrio ſic percutis; detegens effœminato corde languentem per impatientiam? Puſillorum eſt ad verba moveri. Bellè Seneca: *Non expedit omnia videre, omnia audire: multæ nos injuriæ tranſeant*: &c. Propiùs ad rem noſtram accedens, dixerat alibi: *Sæpe adeo injuriam vindicare non expedit, ut ne fateri quidem expediat.* Non expedit, inquam, nam dolorem ſic aperis, & debilem te fateris animo. Plus à temetipſo pateris injuriam, cum te credis offenſum, quàm ab illo, qui conjecit protervus opprobrium contra te. Doles te læſum? Opinio tua te percuſſit; non alterius audacia. S. Nilus: *Memento*, ait, *quod non is qui probis inſectatur, aut qui verberat injuriam inferat, ſed opinio, quæ de his habetur, velut injuriam inferentibus; cum igitur aliquis te irritarit in aliquo, ſcito quòd opinio tua te irritavit*: &c. Vel ſententia ſit Epicteti philoſophi, vel fortaſſis addita per Nilum, Chriſtiana philoſophia hæc eſt. Hâc eruditus crede, quòd teipſum dehoneſtas: cùm alii cernunt, vel prudenter ſuſpicantur, te injuriam ab altero irrogatam lacrymari pueriliter.

Guig. Carth. in medit. c. 7. fi.

Senec. l. 3. de ira. c. 11. in princ.

Idem ib. l. 2. c. 33. poſt pr.

S. Nil. in manual. Epict. n. 27.

Paræmiaſtem conſulamus. Ait ille:

Proverb. 9. 7. *Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit*: &c. Commentatur Dionysius Carthusianus: *Id est seipsum inhonorat, imprudenter agendo atque inaniter laborando, & derisorem provocando ad injuriandum sibi.* Alibi dixit Prov. 24. 25. idem Salomon, laudandum illum qui arguit impium: *Qui arguunt eum, laudabuntur*: &c. Exponit Jansenius: *Qui pro officio suo arguunt impium ut meretur, sive verbo, sive facto ejus impietatem coercentes, & injustitiam, consequentur apud homines bonum nomen*, &c. Conciliare cupiebam has duas parabolas, quas proponit Salomon: nam si laudem assequentur arguentes iniquum; quomodo verificabitur, injuriosum sibimet esse illum, qui deridit derisorem? Adverte, de quo derisore sit ibi sermo: Bed. in Prov. 9. 7. clarior manebit sententia Sapientis. Hanc illustrat ita Venerabilis Beda: *frustra laborat qui verbum sapientiæ inculcare nititur ei, qui audire contemnit, sapientiorem se doctore & meliorem existere credens.* Sic ille nomine sapientiæ loquens. Itaque, dum contingit ut aliquis erudiat superbum, qui putat excedere scientiâ docentem se; quoniam hoc postulat patientiam non vulgarem, haud creditur, erudientem non de hoc dolere. Semel autem quòd habetur impatiens hujus derisionis, quâ discipulus contemptor afficit magistrum; apud cordatos ipse contumeliam irrogat sibi. Propter hæc ambulans in via Domini, quando ridetur à malis, fortitudine constans persistat, ne sibimetipsi fiat injurius.

21. Esto derisiones ejusmodi contemnendi ratio secunda, mente librare prudenti, quòd prorsus erat existimans, affectum se verè contumeliâ, cum propter facta virtutis petitur opprobriis malorum. Generaliter loquens Chrysostomus credidit, contemptum probrorum velut retrotrahere vim suam ad præterita (quod mirum est) potentem efficere quòd non fuerit illa contumelia, quam despexisti, factus S. Ioann. Chrysost. to. 5. hom. 2. ad pop. vulnere fortior, vulnerante melior. *Si contumelias*, ait, *deriseris, si verba non susceperis, & vulnere superior sis, contumeliam non es passus.* Hæc universalis doctrina verum habet apertius in eo, qui de laudabili substannatur opere: nam, velit, nolit is qui ridet commendabile factum; per ipsam irrisionem impii (præsertim si publicè fiat) declaratur opus illud esse bonum: patet nanque, scelestum non irrisurum fore sibi similem: proinde conjicitur, & fortè patefit, justum, qui ridetur, operatum fuisse rectè. Nunc percontabor: Ubi, quæso, tunc est injuria derisionis? Nullibi, dices; nisi tu sis adeo barbarus, ut virtutem, sublatis contemptoribus ejus, amplecti putes dedecus, ex eo saltem, quòd stultum existimas quidquid appetitui resistit, & ad æternam salutem Dion. Carth. com. in Sapien. 5. 3. dirigit: *nam carnalis homo*, inquit Dionysius Carthusianus: *non sapit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia est illi, quod pertinet ad salutem. Hinc vitiis obtenebrati transitoria & sensibilia toto cupientes affectu, eos despiciunt & irrident, quos vident talia aspernari.* Reponit ad ista quorumdam incipientium dolor: Bene, inquiunt, philosopharis: non tamen illa facilis est philosophia; cui, quantumvis nixæ ratione, resistit experientia. Omnes ista loquimur, quandiu nemo nobis insultat; sed cum audet procax injuriosa verba, necnon & cachinnos projicit in id, quod laudare debuerat; nonne verus est risus? quomodo non erit injuria vera? Respondeo. Penitus aliud est risus, quàm injuria. Derisus, fateor, verus est; injuria verò putata. Risus, inquam, est actus alienus; & ideo fiet ab altero cum libuerit: at injuria quò sit, pendet à teipso: nisi dolendo suscipias illam, non eam recepisti. Stat igitur, quòd verus fuerit ille derisus; opprobrium verò minimè.

22. Non egrediamur à Salomone. Proposuit is malos in extremi judicii die serò venientes in culparum pœnitentiam inutilem; & agnoscentes justorum excellentiam; quos aliquando cæci despexerant. Gemitus edent præ spiritûs angustiâ qui lætabantur olim, cumque perperam egissent, exultabant in rebus pessimis, atque dicent intra se: *Hi sunt quos habuimus* Sapient. 5. 3. *aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.* Notasti disparem loquendi modum? Verba quidem sunt interna malorum; quos meritò stultos vocamus: attamen jam tunc sublata penitus erit cæcitas à mentalibus oculis illorum; ratione cujus nunc eos fatuos dicimus; unde neutiquam existimes, ipsorum internum sermonem, quem describit Sapiens, indignum expensione. Nunc me movet solummodo, quòd non dicerit: Hi sunt quos habuimus in similitudinem derisus, & improperium; sed intra se loquentur sic: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.* Si memineris à Spiritu divino Salomonem illuminatum, nequaquam existimabis casualiter ita locutum. Non hoc vacat mysterio. Derisio quidem illa temnit virtutem proborum, prout colligitur de subsequentibus: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus* Ib n 4. *insaniam*, &c. Quapropter verus est ille derisus; opprobrium verò nequaquam; sed quædam improperii similitudo. Cardinalis adest Hugo. Verba prædicta: *Et in similitudinem improperii*, commentatur Hug. Card. sic: *Id est improperium similitudinarium, &* ib. ad n. 3. *non verum.* Et unde factum est, ut illud verum non foret opprobrium? Plurimum confert ad hoc patientia justorum, qui nihili faciunt contemni: nam propterea putantur mente non sani (motivis aliis omissis) quia non solum injurias minimè dolent; sed ipsis colaphizati gaudent, alteramque præbent maxillam.

23. Tertiò nunc est aliud fundamentum subjiciendum, cur justus parvifacere curet malorum contemptus, quos pro virtute subit. Nimium dolere de susceptis injuriis ab homine videtur insinuare frustratam spem de remuneratione bonorum operum accipienda per honorem vanum præstitum à mortalibus ob virtutem. Hæc expectatio veluti Desertio Dei est: nam homini quasi militat, non Deo, quicumque præmium laudis experit ab hominibus.

Idololatriæ genus est nimium dolere de contumeliis.

bus. Indicat equidem, cupere ſæculi præconia, qui pro laudibus factis opprobria ferens ingemiſcit ejulans. Hic videtur ad caſtra hoſtium Dei transfugiſſe.

Sime. Iun. orat. 31. poſt princ.

Dictis opitulantur verba Simeonis, qui ſic habet: *Qui autem tempore tentationis conſputationes, alapas, petulanter illatas injurias pacatè non ſuſtinet, aut animo concitatus, verbum indecens profert; aut denique per exteriorem habitum ſe ira ferventem prodit, contraque verbis contumelioſis inſurgit; aut aliud ſui ulciſcendi causâ facit, quomodo is ullâ ex parte ſervum ſe, & imitatorem Domini ſui, ac non inimicum potiùs dicere audebit?* Et ne putes, nunquam tranſire metas hyperbolis id, quod antea dixeram; ſcilicet genus quoddam infidelitatis eſſe hanc impatientiam, quâ petulantium timemus improperia; nota quid narrent hiſtoriæ. Fuit quidam tam nimiè timidus contumeliarum, ut contumeliam adoraverit, & aram tam contumeliæ, quàm impudentiæ devotus erexerit. Clemens Alexandrinus ait: *Epimenides, qui contumeliæ & impudentiæ Athenis erexit altaria.* Cur hic in iſtam decidit barbariem, niſi quia nimis timuit affici contumeliâ per aliorum impudentiam? Non igitur liberè dixi, velut ſpeciem extare idololatriæ, quòd quis in timendis opprobriis hominum atque dolendis, exceſſivè ſit formidoloſus.

Clem. Alex. in admonit. ad Gentes.

24. Surrexit Saül, ut quæreret vitam Davidis, proditi per Ziphæos: & caſtrametatus eſt in Gabaa. David ſciens adventum Saülis, acceſſit ad ejus tentorium, & invenit illum dormientem. Cum interficere poſſet impunè, manus continuit; & clamavit ad Abner. Saül expergefactus cognovit vocem Davidis. Hic locutus ad Regem, poſt alia, queſtus eſt de illis, qui Saülem fortaſſis incitarent adversùs eum, dicens: *Si autem filii hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, ſervi diis alienis.* Si perlegeris totam hiſtoriam, non invenies, quemquam dixiſſe Davidi, quòd Gentium adoraret ſimulacra. Qui ſunt igitur iſti, de quibus David conditionaliter aſſeverat ſibi dixiſſe, ut ſerviret ipſe falſis numinibus? Audi commentarium Sanctii, quò rem perſpicias. *Dum igitur*, inquit Commentator, *qui Saülem inſtigant ut Davidem perſequatur, id etiam efficiunt, ut illum ad Gentilium regiones excedere compellant, quibuſcum ſine veræ religionis injuria, ac ſine periculo abjurandæ pietatis commorari non poteſt. Perinde igitur eſt, dicere Saüli:* Perſequere Davidem; *ac dicere Davidi:* Vade ad Gentilium fines, & illorum cole impia ſimulacra. Non aliud latere crederem in illo dicto Davidico, ſi non foret hoc hominis illuminati cœlitus: aliquid igitur altiùs ibi perſcrutemur. Inſtigare Saülem, ut perſequeretur Davidem; & conſequenter huic occaſionem præbere, quòd ad infideles pro vitando periculo tranſiret, valebat idem atque dicere quòd verum deſereret Numen per idololatriam: nam ſi David confugeret ad Gentes, ibi quidem timeri poterat ut audiret opprobria multa: nempe vocari fugitivum, & ſimilibus injuriis affici: quodque præcipuum eſt, forſan ab illo quæreretur: Ubi eſt Deus tuus? Diſcrimen erat, ut præ fragilitate conditionis mortalis plùs, quàm permittit prudentia, doleret hæc improperia; qui dolor nimius, ut antea dicebam, æquivalenter eſt dereliction veri Dei. Quapropter, ne juſtus vel umbram incurrat infidelitatis, æquanimitatem retineat conſtanter ſeptus injuriis.

1. Reg. 26. 19.

Sanct. ib. n. 13.

Timeat prius indignationem Dei; quam poterit incurrere, ſi dolore preſſus, quem de mortalium deſpectibus concepit, ad orationem confugiat; poſtulans vindictam adversùs illos, qui conviciantur ei. Ratio timoris hujus eſt, quia per malos opprobrari beneficium Dei vocandum, ſuſcipiendum cum gratiarum actione. Quamobrem ingrata Deo nimis erit oratio quæ loco gratificationis offert ingratiſſimè querelam pro dono; ſicut econtrariò protectionem divinam experietur qui ſuſcipiens humiliter convicium, grates perſolvit Altiſſimo de ſibi permiſſâ occaſione merendi. S. Antiochus: *Ille verò, in quem intortum eſt contumelioſius opprobrium: ſiquidem eam contumeliam imperturbato animo exceperit & cum gratiarum actione; per eam humiliationem divinâ ope protegitur*, &c. Indignatione Domini digniſſimus eſt ingratus; & ingratitudine deturbatur is, qui non ſolùm abjicit materiam, qua poſſet uti pro merito conquirendo; ſed ulteriùs & querimonias depromit, & ultionem amat. Subſannatus ab adverſariis Deum cogente dolore quærens, & oratione pulſans doloroſâ cœli fores, Dominum efficit miniſtrum iræ propriæ; quod injurioſum eſſe videtur Clementiſſimo. Proinde non erit mirum, quòd Omnipotens orantibus aliàs propitiùs, in iſtam precationem nimis dolentium adverſaria ſanna ſeverus iraſcatur; quia redolere videtur ſuperbiam hæc oratio; quatenus homo non patitur ab alio ſe deſpici. Cum ex humilitatis valle conſcendunt juſti preces, non ad ejus revertuntur ſinum vacuæ; ſed exorant quod ſupplicant. Dum autem ex dolore ſubſannationis alienæ prodeunt, vereor ne tumor lateat; atque Deus in iſto diſplicens indignetur oranti.

25. *Timeat juſtus ne Deus iraſcatur ejus orationi mananti de dolore nimio contemptûs.*

S. Antioch. hom. 51. poſt princ.

Duplicem Pſalmiſtæ locum ad invicem conferre libet. Dicebat piiſſimus Orator in Pſalmo quodam: *Domine Deus virtutum, quouſque iraſcêris ſuper orationem ſervi tui?* Commentatur Cardinalis Bellarminus: *Propheta ſervus Dei in perſona populi orabat; ac per hoc Deus nolens exaudire iraſcebatur ſuper orationem ſervi ſui, qui eam fundebat, & ſuper orationem populi ſui, quæ per Prophetam ipſius populi nomine fundebatur*: &c. Tranſi nunc ad alium Pſalmum; quo David loquitur de oratione ſua confidenter dicens: *Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo convertetur.* Ubi Purpuratus idem ait: *Ponitur enim*, in ſinu meo, *pro* in ſinum meum, *ut habetur in textu Hebræo & Græco; quaſi dicat: Oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, ſed ſinum*

26.

Pſal. 79. 5.

Card. Bellar. ib.

Pſal. 34. 13.

Bellar. ſup.

ſinum meum cœleſti conſolatione implebit. Bene quidem eſt quòd humilitati rogationis Davidicæ tribuatur fructus, quem fiducialiter expectabat. Sed nonne ſimiliter humilis erat oratio, de qua loquitur in alio Pſalmo David, exhibita nomine populi? Certè ſi perpendamus verba quæ præcedunt, ſic affirmabis. Initium pſalmi lege: *Qui regis Iſraël, intende: qui deducis velut ovem Joſeph.* Exponit idem Cardinalis: *Id eſt, tu Deus, qui deducis ad paſcua velut ovium gregem, populum deſcendentem ex Joſeph; audi orationem, quam fundo pro ipſo populo tuo, qui & Iſraël, & Joſeph dicitur.* An non humillimè loquebatur populus ore Davidico de ſemet; appellans nempe gregem ovium ſeipſum; cum poſſet vocare ſe filium Dei primogenitum? cur ergo credit iraſci Deum ſuper orationem ſuam? Exiſtimo, ſic dictum, quia partim prodibat oratio de nimio dolore concepto propter injurias inimicorum: qui gemitus imbelles Deo non placent. *Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannaverunt nos.* Video lectorem inſurgentem notare quòd etiam in alio Pſalmo dicitur: *Tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione*: &c. Vellem ut lectorum ſcrupuli ſemper in ſacro Textu niterentur. Huic nunc pungenti ſatisfaciam ex verbis ejuſdem Pſalmi: *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam*: &c. Bellarminus ibi: *Sic enim affectus fui erga unumquemque adverſariorum, ut amicus erga amicum, & imo ut frater erga fratrem*: &c. Non invenies verba ſimilia in altero Pſalmo. Cum ergo David afficiebatur erga ſubſannantes, velut amicos & fratres, non adeo dolebat; ſed quaſi beneficium ab eis acciperet, ita contemptum ab iiſdem recipiebat. Tunc, inquam, non erat cur timeret non exaudiri. Quia verò populus perfectionem illam Davidis non attingebat, computantis hoſtes inter fratres; nimius erat in dolendo adverſariorum contemptu: propterea que Deus iraſcebatur adversùs orationem plebis, quamvis ore juſti depromptam.

Pſal. 79. 2.

Bellar. ib.

Pſal. 79 7.

Pſal. 34. 16.

Ib. n. 14.

Bellar. ib.

27. *Æquum eſt in ſuppliciũ verti donum dolentinimis de cõtemptu.*

Cum videatur arduum aſſerere, Deum iraſci precibus noſtris, dum anxiati per adverſarii contumeliam refugimus ad vindicem Dominum; iſtius pronuntiati rationem reddere non recuſo. Jam ſupra nonnihil tetigi, quô nitor. Idipſum nunc ex Humberto cape. Dixit ille: *Quando ergo de detrahente ſe quis vindicaverit plus amittit, quia tribuit tunicam innocentiæ tollenti pallium bonæ famæ. Si quis verò à Domino vindictam poſcit, ipſum quodammodo Deum tortorem; ſed judicem ſeſe facit*; Nonne dignus eſt indignatione Dei qui ſic indignum offert munus divinæ majeſtati? Conditor igitur offenſum exhibet ſe valde per iſtam impatientis injuriam. Indeque fit ut extraordinario ſupplicio mulctet illum qui dolens opprobria peſſimorum ſuſpirat motus hoc ipſo, quod gratificari Deo potius operæ pretium erat. Inter punitiones, quibus Deus flagellat hominum ſcelera, peculiarem locum tenet illa vindicta; qua ſic delinquentem punit, ut in ejus malum vertatur quod fuerat ipſi dono conceſſum; & quo voluntariè neſcivit uti bene: *nam*, ait S. Ambroſius, *ſi multa diſcutias, complura reperies, & plane innumera, quæ ei qui uti neſciat, poſſint nocere.* Proportionatum eſt ingratitudini ſupplicium. Ingratus homo ſuſcipit à providentia Dei permittentis materiam, qua diteſcat meritis per exercitia patientiæ, ferens hominum convicia, ſub pretio ſuperabundantis præmii. Quid homo tunc? Convertit illud, quod ei prodeſſe potuit, in occaſiones impatientiæ. Dominus, ut illum puniat perperam utentem beneficio, transmutat aliquando conceſſa dona in ejuſdem hominis tormentum: contorqueatur ille dono Dei, qui beneficium ejus perdidit abutens.

Humbert. opuſc. de vot. ſubſt. c. 44.

S. Ambroſ. to. 1. l. de parad. c. 7. ad fi.

Querulus Jeremias quod factus eſſet in deriſum, & omnes eum ſubſannarent, deliberavit quod his verbis expreſſit: *Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius*: &c. S. Hieronymus: *Quamobrem in mea mente decrevi, ut ultra ad populum Dei verbis non loquerer: nec nomen illius nominarem.* Sed quid accidit vati? Confeſſus eſt idem: *Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens.* Commentatur S. Hieronymus: *Quod cum pudore ſuperatus, verecundè quidem, ſed ſtultè conſtituiſſem: factus eſt, inquit, in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: ſive undique diſſolutus ſum, ita ut ferre non poſſem. Conceptus enim animo ſermo divinus, nec ore prolatus, ardet in pectore.* Quare non potiùs aliâ pœnâ Deus mulctavit Propheram? Quia multum proportionis habuit iſta. Dominus permiſerat ut haberetur contemptui, quo per tolerantiam adaugeret meritum: ipſe verò non bene fuit uſus hoc medio, quod arcana providentia coaptaverat in ejus lucrum; ſed econtrariò querelas protulit, inquiens: *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & invaluiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me.* Dignus erat, ut idem ſermo Domini, qui verè donum Dei fuerat mutaretur in ſupplicium ejuſdem; clauſus intra Prophetam, velut ignis urens. Minora pati detrectans lucroſa, fortè patietur duriora gratis. Hæc, atque ſimilia motiva conſolidant juſti patientiam, ut ſtet fortiter, cum *ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via.*

28. Jeremi. 20. 9.

S. Hieron. to. 5. l. 4. in Jeremi. 16.

Jerem. prox. ſup.

S. Hieron. ſup.

Jeremi. 20. 7.

DELIBATIO III.

Proventus patientiæ ſuſtinentis opprobria.

29. *Qualiter opprobrium ferenti Deus opituletur.*

CUm inter Dei nomenclaturas illuſtres quædam ſit non parum inclyta, qua dicitur à nobis, fortis & patiens; amorque peculiariter feratur in ſimilia; Dominus omnium liberaliſſimè favet iis qui patienter & ſtrenuè ſuſtinent. S. Gregorius Papa: *Si in adverſis gratias referens, Deum*

D. Gregor. Mag. to. 2. l.

8. epiſt. c. 31. *tibi patientia feceris eſſe placabilem, & quæ amiſſa ſunt multiplicata redduntur & ſuper hoc gaudia æterna præſtantur.* Multum equidem, ſicut ex dictis liquet, contriſtant fortiſſimos illa, quæ per iniquos opprobria conjiciuntur in bonos: iſtos velut inopes conſilii fluctuare cogunt in fletibus, quaſi naufragos. At, ſi colluctans animus undis, brachia fortitudinis languere non ſinat, ſed quatientibus reluctetur per conſtantiam; Deus paterno vultu mœſtis aderit, & hilaritatem reſtaurare dignabitur. Loquens ad animam ſuam, poſito quòd injuriis afficeretur ob negotium aliquod ſpectans ad honorem Dei, ſcribebat Simeon Junior ſequentia: *Aſt bonus Dominus, cum te conſilii inopem, & in fletu, mœſtitiæque conſtantiſſimam viderit, iterum repente tibi apparebit; iterum te illuminabit; iterum tibi inexhauſtas divitias demonſtrabit, paterni vultus gloriam immarceſſibilem, & exhilarabit, gaudioque te implebit ut prius, & ita gaudii plenam relinquet.* Omnipotentia Dei longe majori ſollicitudine curat benefacere ſuſtinenti patienter opprobrium; quàm aliud malum ferenti citra vituperium. Si pectus anxium ingemiſcat, Deus pietatem differt aliquando; non ita verò circa tolerantem fortiter opprobrium: huic remedium providet feſtinum, & extraordinariè ſubvenit.

Simeon Iun. l. ſacrar. com. c. 35. poſt med.

30. Egreſſa de propriis finibus mulier Chananæa, dolens, filiam à demonio vexari, clamavit ad Salvatorem. Sed an ſtatim obtinuit quod petebat? Lege Textum

Matth. 15. 23 D. Matthæi: *Qui non reſpondit ei verbum.* Rogaverunt pro fœmina diſcipuli; repulſamque tulere. Venit, amore materno fortiter impellente genitrix: adorat; auxilium poſtulat, & repellitur. Notabam, quàm aliter benignitas Domini providerit Saræ conjugi Tobiæ junioris. Sævus dæmon enecaverat ſeptem viros, quibus illa ſucceſſivè tradita fuerat in matrimonii vinculum. Accidit ut ancilla patris ejus exprobraret ei, quòd interfectrix eſſet virorum ſuorum. Tacuit Sara, recurrens ad orationem: quæ ſtatim exaudita fuit in conſpectu Domini; & miſſus eſt

Tobi. 3. 24. 25. Raphaël Angelus, ut eam à dæmonio liberaret. *In illo tempore exaudita ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei: & miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël ut curaret eos ambos*, &c. Quam diſſimilis providentia contigit utrique fœminæ! Poſt incarnationem Domini Deus mortalium cauſas blandiori manu tractabat; & miſeriam Chananeæ tollere diſtulit? antea verò; cum Dominus, adhuc non factus homo, ſeveriùs agebat, mox ut oravit Sara, preces illius exaudiuntur in altiſſimis? & nullâ factâ morâ deſtinatur Angelus de primoribus Curiæ, qui remedium afferret? quid movit ampliùs hîc benignitatem Domini? Puro, quòd ex eo magis miſertus eſt Saræ, quòd illa ſuſtinuit patienter opprobrium ancillæ proprii parentis, quæ dixit in faciem: *Amplius ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum.* Nihil Sara tunc repoſuit; *ſed ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ*: &c. Non legimus aliquem conjeciſſe contra Chananæam improperium propterea, quòd ejus filia vexaretur à diabolo. Forſitan ex hâc ratione Saræ patientis malum non ordinario modo ſublatum eſt; ſed ad id miſſo ſpecialiter Principe de cœleſti Regiâ: non Sara tulit repulſam priùs, quàm exaudiretur; cum oppoſitum acciderit Chananææ. Sic Deus convicium æquanimiter ferentibus adeſt.

Tobi. 3. 9. Ib. n. 10.

31. *Sollicitandus eſt honos à patientiâ veniens; non autem qui donatur ab homine.*

Secundum patientiæ proventum numerabo decus illud; per quod Remunerator æquiſſimus, valde commenſurans merito præmium, ſolvit juſto fideliter honorem, qui per temerarias, & audaces hominum voces læſus eſt. Inhonoraris linguâ procaci: petulantiam fers manſuetus: hæcipſa patientia meritum ſimul eſt & remuneratio: nam per eandem tolerantiam verè condecoraris. Simeon Junior loquens ad animam propriam: *Vis honoribus tolli, vis prædicari? Audi igitur quid ſit honor, quid ignominia. Honor eſt honorare quidem omnes; ſed Deum ante omnes, & mandata ejus inſuper ut opes ſibi comparare, eorumque causâ injurias, maledicta & omne genus probra ſuſtinere.* Inſitus eſt homini quærendi honoris amor; ſed vix eſt qui ſciat ubinam verus inveniatur honos: unde Petrarcha dicebat: *Cave ne quam gloriam veram putas, imago falſa ſit gloriæ. In rebus hominum multa regnat illuſio.* In quærenda gloria ſic illuduntur frequenter mortales, ut illa reperiatur latens inter ea, quibus deſtrui putabatur. Vulgò dicitur, ipſam à non quærentibus repertam iri. Hoc nonnunquam ideo contingit, quia laurea deliteſcit ubi non putabas; & idcirco nequaquam ibi quærebas eam. Cupis audire quomodo recondatur in patientia decus? Audi S. Iſidorum Hiſpalenſem. *Injuriam*, ait, *non reſpondeas, convicium non retorqueas, contumeliam non repetas, tene ſilentii patientiam, tacendo citiùs vinces.* Et infra: *Magna eſt virtus, ſi non lædas à quo læſus fueris. Magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus, remittas: magna eſt gloria, ſi cui poſſis nocere, parcas.* Vides patientiam victricem, gloriaque fulgentem? Igitur ſuade tibi quòd tolerando patienter, decoras teipſum. Sollicitandus eſt honos de patientia veniens; non autem qui manibus hominum confertur: hic neutiquam à prudenti quærendus eſt; ille verò maximè.

Simeon. Iun. prox. ſup.

Petrar. de rem. proſp. fort. dial. 92.

S. Iſid. Hiſp. l. 2 ſynonym. c. 7.

32. Sibimetipſi contrarius exiſtimabitur Siracides ab expendente duplex ipſius pronuntiatum. Priori loco dixit: *Noli quærere à domino ducatum, neque à rege cathedram honoris.* Rationem hujus dicti Carthuſianus offert: ſcilicet quia temerarium eſt reputare ſe præditum requiſitis omnibus ad honorem illum concupitum. *Cum*, ait, *unuſquiſque teneatur eſſe tantò majoris prudentiæ ac virtutis præſertim juſtitiæ, quantò majoris eſt dignitatis, & quò pluribus præeſt. Talem autem ſe reputare eſt temerarium*, &c. Meritò ſic loquitur Eccleſiaſticus ergo, quò ſuadeat humilitatem in ſentiendo ſubmiſsè de ſemetipſo. Tamen inveſtigare peroptabam quomodo ſtent prædicta cum iis, quæ dixit alio Siracides in loco:

Eccli. 7. 4.

Dion. Carth. com. in Eccl. 7. 1a.

Fili

Eccli. 10. 31. *Fili in manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Commentatur Dionyſius idem: *Id eſt ab impatientia, ira, & turbulentia eam cuſtodi*, &c. Quæro. Jam non putavit Eccleſiaſticus, eſſe temerarium, quòd honoris meritum homo judicet in ſe reperiri? Sic inſinuare videtur, niſi fallor, qui dixit, ut homo ſibi det honorem juxta meritum proprium. Non tamen ideo ſibi contrarius eſt: nam priori loco ſermonem faciebat ille circa decus veniens ab hominis manu; poſteriori verò fatur de honore, qui manat à patientia propria. Illud prius inquirendum non eſt; honos autem poſterior donandus ab unoquoque ſibi. Nec in ſumendo ſibimet honore per manſuetudinem periclitatur patientis humilitas: nullum enim eſt ſuperbiæ diſcrimen in eo, quòd quis extollat ſemetipſum ita ſupprimens libenter ſe ut injurias ferat majorum, æqualium opprobria, necnon & minorum contumelioſas audacias: quomodo namque tumet qui ſe cunctis voluntariè ſubjicit iſtis?

Carthuſ. ib.

33. *Honor fugientem ſequitur.*

Proſequi juvat rationem præfatæ veritatis; quam indicare cœpi jam ſupra. Dicebam, gloriæ (quantumlibet ſplendeat) ingenium quodammodo ineſſe velut umbræ corporis proprii: quam ſi quæras, te refugiet; ſi pergens autem fugias te ſequitur. Dementis judicabitur eſſe quærendo ſui corporis umbram, in gyrum circumrotari: quin etiamſi mente privatus non ſit qui ſic ambulat in circuitu fruſtra poſt umbram ſuam, ſimilis erit amenti vertiginem patiens. Laborat hic inaniter: nam Chryſoſtomus dixit: *Gloriam enim aliter aſſequi non licet, niſi gloriam fugiendo. Nam donec quidem eam ſectemur, nos fugit; cum autem eam fugimus, nos ipſa ſequitur.* Adeo nota veritas hæc eſt, ut poſſimus addere Chryſoſtomo Poëtam, dicentem:

S. Ioann. Chryſoſt. to. 5. hom. 39. ad pop.

Sectantes velut umbra fugit, fugientibus inſtat,
Addita corporibus ſcilicet umbra comes;
Sic fugit immerita captantes præmia laudis
Demiſſis contra gloria juncta comes.

Aliquoties accidit, ut homini futilem gloriam ſollicitanti, ſe verus honor patientiæ lubens offerat per obſtacula, quæ conatibus ejus reſiſtunt: at ipſe tractus amore cœco gloriolæ, ſed impeditus, ne conſequatur eam, neque veram acquirit; neque fucatam comprehendit. D. Gregorius Papa: *His*, inquit, *plerumque, ut ſuperius diximus, contingit, ut eos in carnalibus deſideriis ſuis mundi hujus adverſitas feriat, apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant: & dum per alta pelagi quaſi ad grandiores curas hujus ſæculi navigare proponunt, ſemper adverſis fletibus ad dejectionis ſuæ littora repellantur.* Et infra: *Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabeſcunt, aut afflicti injuriis concidunt*, &c. Quia laborant ignorantiâ, propterea labore conſumuntur fruſtraneo: contendunt quærentes gloriari; poſt dorſum relinquentes honorem verum. Hic eſt ille, qui ſequitur à tergo fugientes; quales ii ſunt, qui tenentes humilitatem, ſuſtinent ultrò contumelias ob amorem Dei: requieſcit in iſtis honor cum invenit eos.

S. Gregor. Mag to. 2. hom. 36. in Evang.

Apoſtolorum Princeps in Epiſtola ſua priori docebat ita: *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit.* Putaret aliquis, ipſo contextu quaſi poſtulante, Petrum, ſicut loquens de futuro dixerat: *Beati eritis*, ita dicturum: In honore gloriaque requieſcetis: ita nanque diſcipulorum animos erigeret, ut fortiter opprobria ferrent, ſub ſpe requiei ſibi donandæ. Quare non potiùs aſſeruit Apoſtolus, ipſos habituros eſſe requiem; ſed affirmat, quòd, ſi fuerint exprobrati propter Chriſti nomen, gloria requieſcit in eis? Reſpondeo. Juxta dictionarium Calepini, verbum, *Requieſco*, valet idem atque, *A labore ceſſo.* Cumque juſtus laborare non ſoleat pro quærendis honoribus mundanis; cum fortaſſis glorificatur à ſæculo, non requieſcit in iſtâ gloriâ, quia nequaquam in ipsâ quærendâ laboraverat. Eapropter Petrus non dixit: In gloria honoreque requieſcetis. Econtrariò veluti laborat honor ipſe quærens fugientem à ſe juſtum: ac tandem ipſum exaltans requiem ſumit; quia ceſſat à ſollicitudine quærendi virum laudabilem, cum illum comprehendit. Igitur optimè dixit Apoſtolus: *Quod eſt honoris, gloriæ, ... ſuper vos requieſcit.* Loquitur Petrus de ferentibus opprobria. S. Thomas ad eum locum: Si exprobramini, *quaſi dicat, Etiam debetis gaudere, quia ſi exprobramini, id eſt opprobria ſuſtinetis.* Itaque fortes humanæ gloriæ contemptores irrident contumelias pro Chriſto: ſic eos gloria quærit, quam non ſollicitant; & cum fugientes comprehendit, requieſcit in eis.

1. Petr. 4. 14.

34.

S Thom. cō. in Epiſt. 1. Petr. ib.

Tertia tolerantiæ dives utilitas eſt cuſtodia virtutum aliarum. Scuto ſimilis exiſtit in ſpirituali bello patientia: nam ſicut umbone miles obarmat omnia membra; ſic bellator Chriſtianus in virtutum acie, nunc unam protegit, nunc aliam, fortiter objectâ patientiæ parmâ. Modò levat iſtam in altum, ne deſperationis gladio feriatur galea ſpei; modò tegit pectus, ne vulneretur charitas: & ſic de reliquis velut membris animæ: nam & ſpiritus noſter metaphoricè dicitur habere membra. Euthymius: *Homo*, ait, *non ſolum is dicitur, qui exterior eſt, hoc eſt non ſolum ipſum corpus, ſed etiam qui interior, hoc eſt ipſa anima, quæ ſua etiam membra habere dicitur, ſicut & corpus, atque eiſdem nominibus diſtincta.* Et infra: *Non corporis, ſed animæ membra intelligimus; unde & nunc per oſſa ſolidiores quaſdam animæ cogitationes intelligit, quæ eam non ſecus atque oſſa corpus ſuſtinent, atque confirmant; cuſtodit autem Dominus hæc, quæ diximus juſtorum oſſa, quia ei placet, & nihil eorum conteretur, violentia ſcilicet peccati.* Cum igitur ſcuto patientiæ juſtus hominem interiorem tuetur, ne vulnus accipiat à delicto, virtutes defendit proprias: & ideo ad tolerantiam intendunt univerſæ. Incertus ſub nomi-

35.

Euthym. cō. in Pſ. 33. 21.

Incert. sub nomi. S Zeno. ser. de patient. in pr.

ne Zenonis : *Et si beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidinem flagrans humanitas per momenta suspirat, tamen omnes uno, eodemque consensu quasi quemdam patientiæ deferuntur in portum* : &c. Et infra post alias patientiæ laudes, addit : *Omnes aut devitat, aut portat injurias. Incertum est, utrum impassibilis judicetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, invenitur.* Lentiùs attende quod subjicit. *Non*, inquit, *virtutes possunt esse virtutes, non perennes elementorum status, non tempora cognata connexione in solemnes reditus commearent, nisi rerum disciplinam, conversionemque quasi quædam sollicita mater patientia custodiret.* Ex istis colligitur, in opprobriis tolerantiam remedium esse proficuum ad hoc ut anima exercitio fortitudinis vigorem concipiens, gratiam Dei pugnando spiritualiter servet illæsam. De tolerante libenter contemptum confidi potest, quòd ad non ultra peccandum fortis erit.

36. Accumbebat in domo Pharisæi Salvator hospes. Occasionis crines apprehendit Magdalena, propriis annectens capillis : & istos ad Christi Domini pedes tergendos, quos madidaverat lacrymis, lintei loco protulit. Simon, despexit intra se mulierem, quia reputavit adhuc esse peccatricem ; & proinde non dignam, ut ad Redemptoris tangendas plantas admitteretur : & propterea judicavit, ipsum nescire qualis esset mulier Magdalena satis potuit intelligere de verbis divini Magistri, se contemptam fuisse per Pharisæum; nihilominus tacuit. S. Bernardus : *Indignatur*, ait, *siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam discipuli murmurant : ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus.* Non me movet audire loquentem Filium Dei pro tacente Mariâ : solet enim Deus patientibus opprobria patronum se peculiarem exhibere. Notabam solummodò, quòd cum ad paralyticum dixerit in templo Dominus : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* non similiter locutus fuerit Magdalenæ. Legimus apud Lucam : *Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Qua de causâ non addidit : Noli ampliùs peccare ? Respondeo. Monuit paralyticum ut non peccaret, quia non ipse tam fortis erat, sicut Magdalena. Paralyticus enim, cum Judæi calumniati sunt eum quòd in sabbato portaret grabatum, defendit semetipsum, dicens : *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, & ambula.* Non sic Magdalena ; quæ contempta per Pharisæum siluit. Mulieri, quæ fortitudinem hoc silentio probavit, confidi poterat ut peccatis ulteriùs resisteret : languido verè jam sanato, qui non similiter se gesserat, monitio congrua fuit, ut constanter delicta caveret. Optimum est patientia signum roboris : necnon & remedium ; quo fortificetur anima contra tentationes impugnantes virtutem.

S. Bernard. ser. 3. de Assumpt.

Ioann. 5. 14.

Luc. 7. 50.

Ioann. 5. 11.

37. *Anima sine contumeliis justa, pulchra est ; si verò non timet opprobria, formosissima.* Clem. Alex. l. 3. pædago. c. 11. longe ante med.

Quartus, & nobis ultimò considerandus tolerantiæ fructus est, animæ pulchritudo. Non dubites, etiam animabus inesse venustatem suam. Lege Clementem Alexandrinum. *Pulchritudo enim*, ait, *optima primùm est pulchritudo animæ, ut sæpe significavimus, quando fuerit sancto Spiritu, & iis quæ ab eo oriuntur ornata lætitiis anima, justitiâ, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, bonorum amore & pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est.* Ad pulchritudinem corpoream humanæ faciei concurrunt albedo multa, rubor moderatus, hilaritas modesta, sanitas hæc omnia vigere faciens. In homine sic interiori cogita, candorem esse innocentiam, quantumlibet calumniis oppressam : ruborem intellige suo modo, qui nascitur de verecundia, propter contumelias, quamvis falsas. Lætitiam superadde ; qua gaudet justus dùm patiendi materia donatur eidem : sanitas est constantia, qua non imitatus injuriosum sibi, nequaquam retaliat susceptas offensas : persistit fortis & infractus. Huic pulchritudini (quam velut adumbratam dicemus formositate naturali vultûs) non parum accedit speciositatis ab ornamentis. Patientis animam ornat quasi vestis humilitas : vestis, inquam, nam hac sustinens convicia tegit virtutes proprias ; non proferens in publicum ea, quibus posset redarguere calumniantes. Exornatur etiam floribus, hoc est verbis mitissimis : quæ potiùs diceres pretiosos lapillos enitentes. Ista componunt, non muliebrem, ut appellamus vulgò, mundum ; sed munditiem virilem resistentis fortiter oppugnantibus. Hinc fit, ut anima justi, quàmlibet cum non patitur opprobria sit pulchra ; cum tamen illa parvipendit, extet pulcherrima : formosa vocetur degens immunis à contumeliis ; ostendens autem se superiorem illis, non pavens quòd superetur ab eis, nominetur formosissima.

38. In Canticis persæpe dicitur sponsa pulchra ; nusquam verò vocatur pulcherrima, nisi ter. Legitur primùm : *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres*, &c. Deinde dixerunt ad eam filiæ Jerusalem : *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum* ? Et infra : *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum* ? Cum sponsa sit ubique tota pulchra, mirum est quòd nec semper appelletur pulcherrima. Quid speciale prædictis locis accessit pulchritudini sponsæ, cur ibi superlativo nominatur vocabulo pulcherrima ? Dubium solvam per partes. Priore loco patientiam ostendit imperturbatam, quatenus verita non fuit opprobriis affici propter præteritam nigredinem à filiis Jerusalem : *Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem*, &c. Commentatur S. Gregorius Nyssenus. *Tametsi enim, inquit, nunc in me pulchritudo lucet, quæ mihi propterea est impressa, quod rectitudo maledixerit : scio tamen ab initio me non fulsisse, sed fuisse nigram. Talis verò in me speciei caligini & tenebris consentaneæ causa est vita præterita.* Vides quàm fortis exponat se patiendis opprobriis à filiabus Jerusalem ? quare non, dum post pauca loquitur ad eam Sponsus, vocaret ipsam pulcherrimam ? Arrisit ei peculiariter ejusdem

Cantic. 1. 7.

Ib. c. 5. 9. 17.

Cantic. 1. 4.

S. Gregor. Nyss. or. 2. in Cant. longe post princ.

dem venuſtas, cum ſancta contumeliis patere non timuit. Procedamus ad alia loca citata ſupra. Tunc etiam patientiæ robur exhibuit ſponſa, non pavens, quòd in faciem exprobraretur, quòd præ dilectionis tepiditate nolens è lecto ſurgere, perdiderit Sponſi præſentiam, ſi forſan aliquis hoc ſuſpicaretur. Ne dubites, hîc ſponſam eſſe animam juſti. Nyſſenus idem: *Et ſurgit anima, & aditum Sponſo patefacit.* Et oratione ſequenti ſic habet: *At anima, cui Canticum hoc eximium perfectionis teſtimonium tribuit, cui cordis velamen eſt ademptum in depoſitione tunicæ veteris, quæ peplum faciem tegens abjecit, per quod intelligimus omnem cogitationem dubitantem quaſique palpitantem, ita ut jam purè ac ſine dubitatione veritatem intueatur: hæc igitur jurejurando filias Jeruſalem adſtringit*, &c. Illa quidem tolerantiam conſtantem objecit contumeliæ, quam pati valeret, ſi filiæ Jeruſalem ſuſpicarentur occaſionem exitus illius è domo, deriderentque dicentes ad ipſam: Quomodo ſponſum tuum diligis, quæ noluiſti januam reſerare, veſtiri tunicâ rurſus abnuens, quam exueras? Meritò pulcherrimam dixerunt; quæ, nonnullo rubens pudore, niveam retinebat puritatem. O quam venuſta fit anima per patientiam; quamvis occaſio ferendi non detur! quantò plùs Domino placebit, cum *timens Deum, deſpicitur*?

Idem orat. 12. in Cant. longe poſt pr. & orat. 13. in princ.

DELIBATIO III.

Infamia peccatoris.

39. *Peccatorem non pudet de infamia, quam involvit in ſe peccatum, quandiu peccat.*

NUnc ad verba, quæ ſequuntur immediatè perpendenda veniamus. *Ab eo, qui infami graditur via.* Fama bona dicitur in ſacris bonus odor; ſicut econtrariò fama nequam vocatur malus. Bona conſcientia ſuavem ſpirat halitum; iniqua mittit fœtorem: illa propter conſtantiam juſti (quæ, ſuppoſitâ gratiâ Dei, ſimilis eſt quadamtenus imputribilitati) quaſi cedrus olet ſuave; iſta verò fœtet ex putredine. Gilbertus Abbas: *Bonus odor fama bona, bonus odor conſcientia bona. Illa aliis bene olet, iſta ſibi. Hæc enim gloria ſanctorum, teſtimonium conſcientiæ. Futuræ enim beatitudinis fructus jam nobis in bonitate vitæ cœperunt olere. & bene imputribilitati bonus odor adjungitur. Nam econtrariò putredo fœtorem emittit.* Duplex infamia peccatoris eſt: alteram ſcelus ipſum imbibit; alia multoties poſtea ſequitur. Sed quandiu peccator malitiam non conſummavit utplurimùm non advertit iſta damna. S. Joannes Chryſoſtomus: *Ita enim ſe habet peccatum: quando conſummatum eſt, & opere perfectum, tunc ſuæ abſurditatis oſtendit excellentiam. Et ſicut ebrius, quando multum vini ingurgitat, nullum ſentit à vino damnum; poſtea autem ſentit quantum ſit damnum*: &c. Illud tamen fatendum eſt, improbum habere præ oculis aliquoties infamiam, quæ datur in peccati pœnam; rarò autem vel nunquam illam alteram infamiam conſpicere, cum delinquit, quæ reperitur in ipſomet ſcelere quatenus peccatum eſt. Illa cernitur ignominia, faciemque rubore ſuffundit, quæ ſupplicium criminis extat; opprobrium verò ſiſtens in ipſo delicto verecundiam affert peccanti, quandiu peccat.

Gilbert. Abb. ſer. 17. in cant. poſt med.

Chryſoſt. to. 1. hom. 64. in Geneſ. longe ante med.

Pſalmiſtam duplici loco ſibimetipſi conferamus. Dixit priùs: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*: &c. Aquila pro, *Illuſionibus*, vertit, *Ignominia*. Dixit poſtea: *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum, Domine.* Multum diſtat uterque Pſaltis locus: nam juxta lectionem illam adductam, ignominia deſignatur veluti miſſa poſt tergum ad lumbos; in poſteriori verò ſignificatur prodiens ad faciem per verecundiam. Quid eſt in cauſa diſparitatis hujus? Exiſtimabit nonnullus, hanc illius eſſe rationem. In Pſalmo, priori ſermo factus eſt, conformiter ad Aquilæ verſionem, de ignominia, quæ ſiſtit in ipsâ putredine peccati, per conſcientiæ fœtorem. Favet S. Baſilius Magnus inquiens: *Pro*, Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, *Aquila vertit*: Quoniam impleta ſunt ilia mea ignominia. *Et per hæc ad recordationem turpis ac ignominioſi facti progreſſus, ob ſanos animæ ſenſus hæc dixit*: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. *Cur autem putruerunt, inducit dicens*: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: *aut* ilia mea ignominia. *Innuit autem per hæc, turpis facti ſpeciem.* Ecce David, cum loquitur de ignominia, quam involvebat ipſum peccatum, ſupponit quòd ille dum peccaret, miſit eam poſt tergum ad lumbos, quaſi non cernens eamdem. Atverò poſteriori Pſalmo mentionem exhibuit de alio ignominiæ genere: quæ ſcilicet fructus eſt quorundam criminum, & prominet in facie per triſtitiam, ruborem, vel quid ſimile: *Imple facies eorum ignominia*: ubi S. Bruno Aſtenſis: *Et revera ignominiâ, & talibus maledictionibus digni ſunt, qui Sanctuarium Dei ejuſque miniſtros ita conculcant, ſibique ſubjiciunt*, &c. Horum peccantium opprobria conſpiciuntur oculis ab intuentibus facies impiorum: ac inde ſæpe fit, ut iidem ſuum pudorem percipiant, & ideo Dominum quærant.

40. Pſal 37. 8. Verſ. Aquilæ. Pſal. 82. 17.

S. Baſil. Mag. hom. 21. in Pſal.

S. Brun. Aſt. com. in Pſal. 82. 17.

Hæc infamiæ cognitio ſolitat evenire poſt ſcelera; non autem priùs. Quinimo, dum peccator actu malus eſt, etſi veniat in mentem turpitudo facti ſui, parvipendit hanc adeo, quòd ſollicitat idipſum, quo fœdatur. Non illum retrahit honoris amor: inimicus ipſemet ſibi laborat cum famæ diſpendio, trahente cœcum appetitu; nec parcente labori. Dignus foret excuſari miſer ille, ſi nequitias cunctas comitaretur otium: at quam excuſationem adinveniet admitti dignam, qui ſtudiosè laborat, ut peccet? S. Joannes Chryſoſtomus: *At*, inquit, *ſi per otium & negligentiam peccaremus, eſſet fortaſſe aliquid veniæ his, qui laborare nequiviſſent. Ubi verò laboratur ut peccetur, ſtudiumque adhibetur & contentio quatenus prætereatur mandatum: quis eſt qui pro hoc malo veniam ſperet?* Omitto crimina, quæ non fallunt partem ſen-

41. *Magis infamis dicitur qui peccat laboriosè.*

Chryſoſt. to. 5 l. 1 de compunct. cord. ante med.

ſitivam delectationis illecebrâ: verbî gratiâ vindictam difficilem, & incommodam valde corpori ſe vindicantis &c. Premo tantùm alia quæ nobis delicioſa ſunt. Ad iſta non ſemel itur per laborioſam viam. Seresberienſis, loquens de putatâ felicitate voluptuoſæ vitæ, ſic habet: *Sed numquid hoc ſine labore venitur?* Et infra: *Numquid hæc gratis, id eſt, ſine labore, & ſollicitudine acquiruntur? Sed in his contemni durum quidem eſt & intolerabile, eo quod amor commodi innatus eſt homini, ut etiam qui non agit ut bonus ſit, bonus videri velit, & in æſtimatione ſui aliorum credit errare judicia.* Hoc nihil obſtante ſcelerati multi contendunt ſummis laboribus perficere quidquid ipſi moliuntur pro voluntatis propriæ complemento: inſurgentes obices conantur avertere; competitores pro viribus oppugnare; milleque modis aliis fatigantur. Hos magis infames quis dicet; nempe laborantes in voluptatibus fugitivis perſequendis: minus contumelioſi reperiuntur ſibi, qui pergunt viâ damnabili citra laborem.

Seresber. l. 7. de nug. c. 15. longè poſt princ.

42. Audi Paræmiaſtem: qui de ſectantibus vituperabilia ſæculi gaudia ſic loquitur: *Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Carthuſianus ibi: Et infames, *id eſt, mali ſunt* &c. Cardinalis Hugo: Greſſus eorum, *id eſt operationes exteriores quoad proximum.* Hærebam in proprietate ſermonis: nam potiùs exiſtimares, de manibus, hîc dicendum fore quod legitur de greſſibus: nam S. Auguſtinus aliorſum loquens ait: *In manu actio rectè intelligitur*, &c. Cur ergo Salomon hoc loco non dixit: Infames manus eorum? Reſponderem, ideo non ita locutum, quia propoſuit illos tamquam viam facientes; & dum carpit viator iter, non ejus manus laborant, ſed pedes. Cumque deditus voluptuariæ perverſitati, rebus ignominioſis coram Dei recto judicio det operam, viſitur infamia peculiariter in eo, quòd ſatagat improbo labore conſequi ſtudioſus idipſum, propter quod opprobrio dignus eſt. Unde non citatis verbis infamiam appropriavit Eccleſiaſtes manibus impiorum quieſcentibus dum viam conficit: ſatis aptè greſſibus infamiæ notam appinxit calamo; quia labor viatoris in greſſibus eſt; ac turpiſſimum extat, hominem laborare, quo turpis fiat. Adde S. Laurentium Juſtinianum. *Quantos*, ait, *intuemur quotidie cupiditatis ſiti æſtuantes infatigabiliter laborare*, &c? Imo præ ſiti, quæ viſceribus ardet, de ciſternis diſſipatis contendunt haurire totis lacertis aquas; & fruſtra: nam, ſi fortaſſis aliquid bibunt, minimè reſtinguit ardorem pectoris unda luto plena: præſertim, quia ſalſedinem participat æquoris mundi, nec ſalſæ potantem ſatiabunt aquæ. S. Præſul idem: *Hujuſmodi quò plus bibunt, eò amplius ſitiunt.* Et hoc eſt refrigerium, quod ipſi requirunt avidè pretio famæ! O cæcitatem, non ideo minorem, quia ſpontanea.

Prover. 2. 14. 15.

Dion. Carth. ib. ad n. 15. Hugo Card. ibid.

S. Aug. to 4. l. 1. de ſer Dom. in mō. ante med.

S. Laur. Iuſt. in faſc. amor. c. 15. poſt pr.

Idem ib.

43. Unum eſt in iſtis ita cœcutientibus, ut ſeipſos dedecorent nequitiâ ſuâ, valde notandum: nempe quòd hi, quamvis lippientes, facilè percipiunt in aliis ignominiam ſcelerum eamdem, quam non agnoſcunt in proprio capite. Cur ita contingat colligo de verbis D. Bernardi, qui ait: *Habent & mores colores ſuos, habent & odores. Neque enim ſpiritibus idipſum eſt color, & odor, non magis quàm in corporibus. Ergo de colore conſcientia conſultetur, de odore fama.* Cum igitur ad colorem pertineat fœditas peccati proprii; frequentiùs ignoratur ab homine, quia cæci de coloribus judicium non ferunt; homines autem viſu deſtituti ſunt per offuſam caliginem. *Miſerum*, inquit Campanus Epiſcopus, *genus humanum, quantis in tenebris errorum, in caligine & cœcitate verſamur?* Sed quia cœcus non ideo caret olfactu, fœtorem animadvertit: non proprium, quia nemo ſibi fœtet, ut fertur in veterum proverbio; ſed alienum: hoc eſt, alterius delinquentis infamiam (quæ malus vocatur odor) unuſquiſque mutuò percipit; acutus in ſubodorandis vituperabilibus factis aliorum, & obtuſus circa ſua. Perantiquus philoſophus, qui fabulis adumbravit veritates multas, hoc expreſſit apologô; qui ſic refertur apud Mapheum: *Æſopus pulcherrimum apologum ſcripſit, quemque ſcilicet hominem duas manticas ferre vitiis plenas, unam ante, alteram retro, atque eam, quæ ante fertur, peccata aliena continere, quia aliorum peccata nobis patent, noſtraque aliis; eam verò quæ tergo portatur peccatis propriis plenam eſſe, quòd lateant nos peccata noſtra, aliis autem aperta ſint.* Mira perſpicacitas reperitur in homine circa proximorum flagitia; ſimulque ſtupenda lippitudo, qua præterit à ſe patrata. Servabit peccator honorem diviſus ab aliis, neque per fœdiſſima piacula confundetur: quia nec ille cernit in ſe deformitatem; nec adſunt qui rimentur. Si verò congregentur mali, decus amittent: quia ſinguli ſingulorum defectus agnoſcent; & ſic exhonorabitur unuſquiſque.

Infamiam culpæ cernimus in aliis; noſtram non ſic.

S. Bernard. ſer. 71. in Cant. poſt princ.

Ioann. Campan. Epiſc. orat. ciner. longe poſt med.

Maphe. Veg. l. 4 de perſever. rel. g. 5. 2. poſt princ.

Apud Eccleſiaſticum non difficulter invenies, quibus proximè dicta ſtabiliantur. ait Siracides: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum*, &c. Poſteriora verba ſic Hugo Cardinalis commentatur: Exhonoravit Dominus: *id eſt extra ornatum & honorem conſtituit*: Conventus malorum, *ſcribarum & phariſæorum, & quorumlibet ſuperborum.* Antea proximè locutus fuerat Eccleſiaſticus in ſingulari de ſuperbo. Quare nunc mutat ſtylum, loquens de ſuperbis numero plurali? Quia verbis poſterioribus agebat de tumentis dedecore: quandiu manet ſolus, ipſe non confunditur: quia ſuperbiæ ſuæ monſtroſitatem nequaquam videt; neque teſtes adſunt, apud quos ille confuſioni ſubſit. Factâ verò congregatione ſuperborum, ſingulis intuentibus patet aliena fœditas; & ſic exhonoratur. Elati paſſim pugnant odiis reciprocis; livoreque tabeſcunt: quomodo fieri poterit, ut inflatio cujuſvis

44. Eccli. 10. 15. 16.

Hugo Card. ib. n. 16.

jusvis alterum lateat? Invidia petit summos: non solùm qui verè prælti sunt; sed etiam eos, qui per elationem suprema tenent. Unde turgentium celsitudo frequenter invidetur, præsertim à similibus: nam superbiæ germen unum est livor. S. Odo Cluniacensis: *Ex superbia nimirum nascitur inanis gloria, invidia*, &c. Quod autem perspicax invidus malum ejus, contra quem livore consumitur, inspiciat, est in comperto. De invidia loquens ait S. Laurentius Justinianus: *Nullum profecto vitium fraternæ ita se opponit dilectioni, quemadmodum istud: detractioni semper vacat, bonis alienis derogat, cordium occulta dijudicat, dicit (ô quàm sæpe) bonum malum & lucem tenebras.* Si lividus oculus introspicere tentat occulta, quid erit apertè malum, quod non recenseat? si bona vertit in mala, connivebitne damnabilia? Positus ergo superbus in conventu superborum dehonestatur; quia nullus ipsorum ignorat vitium, quod illum deturpat.

S.Odo Abb. Clun. l. 31. mor. in Iob n. 28. med.

S.Laur. Iust. de spirit. anim. interi. l.1 longe post med.

45. *Peccatorem si magnificaveris, non honorabis verè.*

Cum hæc ita sint, adhuc amor proprius desipit adeo quotidianè, sponte nesciens quæ reddunt hominem indignum commendari; quòd exoptat vir nequam laudes ab aliis accipere, quasi laudabilis foret. Decipitur iste quidem præconia cupiens: quia vera laus non est illa, quam peroptat. Laudatur itaque sono tenus; veraciter attamen haud commendatur. Guigo Carthusianus inquit: *Esto talis qui lauderis: non enim bene laudatur, nisi bonus; quod non est qui laudis cupidus est: non ergo laudatur.* Justus propriæ conscientiæ testimonio contentus haud ambit hominum voces: quæ solent iniquum benedicere; piumque deprimere. Hypocritæ familiaris est laudis mundanæ cupiditas; qui totus pendet ex aliorum dictis; nec gesta bona diligit; sed vocabula pulchra. Bene scripsit Incertus: *Per omne enim quod hypocritæ faciunt, occultis cogitationibus laudes hominum requirunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant; laudati autem secum taciti in cogitationibus versant*, &c. Alieno certè non aptè vestitur ornamento malus ille: magnificatur utique; sed non honoratur veraciter: quoniam nemo de alieno ditescit; & laus, quæ contingit hypocritæ, furtiva quidem est. Ad illud quod legitur in libro Jobi: *Quæ est enim spes hypocritæ, si avarè rapiat*, &c? Dixit Radulphus: *Rapit hypocrita: quia quod suum non est usurpat, laudem scilicet virtutis, quam in superficie prætendit, cum interius virtute vacuus sit.* Sicut nemo de rapinâ sublatis opulentus dici valet; ita nullus de laude, quam non meretur condecorari potest: malum si magnificaveris, neutiquam honoras.

Guig Carth. in medita. c. 7. in princ.

Incert. sub nomine S. Euch. l 4. in 4 Reg. 20 19.

Radulph. flaviac. l. 4. in Levit. c. 2. med. ad Iob. 27. 8.

46. Pro sententiis Paræmiastæ dilucidandis, transimus pluries ad Siracidem ejus imitatorem. Ait iste: *Noli magnificare virum peccatorem divitem.* Commentatur Dionysius Carthusianus: *Imo vilipendere eum inquantum est iniquus, non pœnitens.* Addit paulo post Ecclesiasticus: *Insius non honorabitur.* Exponit Carthusianus idem: *Secundum quod talis: & verè infeliciter insius est & stultus, qui propriam defectuositatem non pensans, nec occulta & quotidiana sua vitia ponderans, corripienti irascitur.* Utrumque locum vellem à doctioribus conciliari, ne videatur Siracides contrarius aliqualiter sibi: nam primâ facie putabitur, unum cum altero dictum non stare. Sermo quidem est utrobique de malo. De hoc asseritur in secundo loco, non honorandum: existimabis igitur superfluum dixisse priùs, ut non magnificaretur peccator dives: nam, si fœdus vitiis non honoratur, quid oportuit monere, ne magnificetur? Nota, diversum quid esse magnificare virum sceleștum, & honorare illum: sicut, rigorosè, moraliterque loquendo, non est idem replere bonis hominem, atque ditem reddere; cum possit iste post receptionem bonorum avaritiâ premente, manere pauper. Sic in subjecta materia. Prædicatur encomiis flagitiosus: magnificatur utique; non honoratur verè: magnitudo quippe sistere potest in verbis; honor autem verus absque merito non persistit: quia vestem pulcherrimam, quam laudator superinduit viro nequam, rumpit istemet factis iniquis. Quis ornabit indumento pretioso mentecaptum, qui vestimenta disrumpit? quis, inquam, honore veraciter affici: & exhonorantem seipsum per crimina? Ulteriùs lege Siracidem. *Peccantem*, ait, *in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?* Commentatur Episcopus Gandavensis: *Generaliter tamen hac sententiâ uti licet contra eos, qui quovis vitio contaminant animam suam. Qui enim diligit iniquitatem odit animam suam, & in eam peccat, atque eamdem dehonestat; cum in ea pulchritudinem tollat imaginis Dei, ad quam creata est. Tales ergo meritò nec quisquam excusabit, nec honore dignos judicabit.* Interrogatio prædicta Siracidis ultima fortè duplicem admittit sensum: primus est, quòd animam suam inhonorans per nequitiam à nullo rectè sentiente judicabitur dignus honore: secundus est, hunc eumdem honoratione, quæ vera sit, prosequendum ab ullo non fore. Sensus iste secundus magis accedit ad rem nostram: nam, cum præcipuum decus hominis maculetur per crimen; quidquid extrinsecus adjicitur est serica vestis in simia; monile aureum in sue.

Eccli. 10. 26.

Dion. Carth. ib. art. 10.

Eccli. 10. 28. Carthus. ib.

Eccli. 10. 31.

Cornel. Iansen. in comm. ib.

Quapropter eò clariùs visitur fœditas peccatoris publici, quò magis honoratur à similibus: crescit infamia nonnunquam per famam, velut pigmæi pusillitas magis apparet, si collocetur in præcelso fastigio. Dato quòd malus in turba maneret, nullis evectis laudibus, minùs agnosceretur ejus turpitudo; cum autem clamoribus effertur sæpe fit illius infamia clamorosa. Bellè dixit Guigo Carthusianus: *Cum dicitur, quàm bonus, quàm justus, qui hoc est, laudatur; non tu qui non es; imo etiam vituperaris non parum, quippe tam malus, tamque injustus. Laus enim justi injusti est vituperatio. Ergo tua, ut injusti. Cum ergo laudatori justi applaudis: tuo verissimo vituperatori applaudis, quia injustus es.* Hocipsum, quod in honorificatione

47. *Magis patet indignitas mali, si tollatur in altum.*

Guig. Carth. in medit. c. 7.

rificatione contingit illâ, qua labiis extollitur indignus publicè notus; accidit similiter, cum iste promovetur ad honores indebitos: minùs enim foret infamis, dato quòd ad superioritatem non ascendisset. Hæc alio nomine vocatur dignitas, fortè per emphasim, quia dignis congruit. Eapropter ad illam assumptus, qui noscitur non dignus, indignitatem suam propalat manifestiùs: præsertim quoniam positus in sublimi pejus operatur, potestate dante, quàm priùs dum tenebat infima. Tempestivè Quidam: *Non autem appetendus temporalis honor est, qui vitium non repellit, nec virtutem mentibus inserit, nec nequitiam fugat, sed potiùs manifestat; sicut publicè dicitur, quoniam* honor mores manifestat, *facit improbum dignitas despectorem. Talis enim maculat dignitatem.* Delinquentibus conveniens non est honorificatio: nam cum exaltantur, apertiùs patescit iniquitas illorum: sursum ascendendo fit, ut manifestiùs cernatur, & à pluribus deformitas eorum.

Vel Gilbert. Tornac. tract de pace c. 23. ante fi.

48. Ad curandos animos pusillorum, qui facilè scandalizantur, cum vident in sæculo malos prosperari, Psalmum composuit sententiis gravitantem David. Ait igitur: *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.* Psalmistæ mens fuit significare, brevissimam esse hanc malorum sortem. *Inimici verò Domini*, ait Bellarminus, *quales sunt omnes peccatores, è contrario habebunt brevissimam felicitatem*; &c. Quare non, ut caducam exprimeret illorum gloriam, potiùs eos æquiparavit flori, qui nimio sole marcescit, & unico? Quia flos in vertice rami plus ostendit suam pulchritudinem, eò magis, quò positus est in altiore loco; fumi verò nigredo tunc à pluribus conspicitur meliùs, cum levatur in excelsum. Sic evenit iniquis in potestate constitutis: nam de illis ibi sermo fit. S. Hieronymus: ut honorificati fuerint, *in potestate terrena.* Et exaltati, *in vana gloria.* De his dicitur quod evanescent more fumi. Odo Astensis ibi: *Vel ideo peccatores ut fumus peribunt, quia quanto altius ascendent, tantò magis evanescent, & meritò.* Meditationem istam Odonis, illo non citato, præripuit adinveniens, Augustino duce; meque felicior doctus Hispanus (prior tempore potiorque jure) præcessit, notans ad Psal. 67. 3. illum infeliciter corruere, qui ad altiora, quàm valet, aspirat; sicut fumus quò sublimiùs elevatur, eò faciliùs evanescit. Aliò tendit cogitatiuncula nostra: mens enim est adnotare, quòd veluti fœditas nigra fumi quò sublimiora tangit, eò videtur apertiùs & à pluribus; ita vir nequam tunc detegit ampliùs iniquitatem, cum locatur in dignitatis apice. Proficuus erit in hac re S. Augustinus incedens non longiùs. *De talibus*, ait, *dictum est*: Sicut Jamnes & Mambres restiterunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. *Unde autem resistunt veritati, nisi inflatione tumoris sui, euntes in ventos, extollentes se quasi justos & magnos? Quid autem de illis ait tamquam de fumo?* Sed ultra non proficient. Dementia enim eorum manifesta erit omnibus, &c. Satis dilucidè vides, favere dictis aliqualiter S. Doctorem. Ad alia festino.

Pſal. 36. 20.

Bellarm. ib.

S. Hiero. to. 8. com. in Pſal. ib.

Od. Aſt. in Pſal. ibid.

S. Aug. to. 8 expoſ. Pſal. 36. 20.

DELIBATIO V.

Respiciens retro similatur retrogredienti. Despectus propriæ virtutis, ac trepidatio justi. Amoris fiducia. Malus sæpe dux timor.

Ambulans recto itinere. Pro significando justo appositè sumpsit hanc phrasim: quia sicut iterfaciens non conjicit oculos in spatium viæ, quod jam confecit; potiùs tendit ultra lumina sua; nisi vel pedibus deviet à calle recto ad latus; vel aliter perturbet ambulationem: ita viator in cœlum tendens, quandiu pergit ulteriùs in directum, præteritos bonos gressus proprios non videt; videbit utique, si declinet ad latus, deserens rectam semitam, vel adminus perturbet spiritualem iterfactionem. Si cupit utrumque damnum istud vitare, solùm attendit peregrinus ad iter, quod sibi restat adhuc. Proficit audire nunc Protopatriarcham Venetiarum. *Viatorum*, inquit, *hæc est consuetudo, & commendabile propositum, ab incepto non deficere itinere, donec ad terminum, quo pergunt, attingant.... In omni re, in quolibet negotio videndus est finis. Nihil laude dignum est quod imperfectum relinquitur. Cœpisse, nec perfeciſſe opus, non caret reprehensione. Hoc attingit in agricultura, hoc in ædificiis construendis, hoc in studio litterarum, hoc in moribus componendis, peramplius, verò in adipiscendis virtutibus.* Dicent aliqui, prorsus aliud esse retrospicere, quàm cessare: nam desistens mutat viam; cernens autem spatium, quod ambulando pertransivit, sumit animos, ut eundo perseveret: quoniam experientia præteritorum conducit non parum ad vincenda futura. Minimè diffiteor, aliquando sic evenire; sed rarum est hoc: propterea dicam, esse perinde retro palpebras vertere, dum tendimus in tramite virtutis, ac itinerantem ab inceptis desistere: rediens retro valet æquiparari cum aspiciente retrorsum: ad præterita vestigia propria flectens oculos, habet se quasi retrorsum veniat.

49. *Respiciens retro similis est rotrorsũ venienti.*

S. Laur. Iust. in lig. vi. c. 10. de orat. in princ.

Salvator mundi loquens de suomet adventu secundo, monuit, ut ille qui repertus fuerit in tecto non descendat in domum; & qui similiter in agro, non redeat retro. *In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retro.* Sensus est hortari, quòd in tribulatione dierum illorum, qui terribilem imponent mundo clausulam, nullus deficiat à virtutibus, aut ab Ecclesia. Non modicum patrocinatur expositioni Druthmarns: Qui fuerit in tecto, *in celsitudine virtutum.* Vasa ejus *concupiscentiæ carnales.* In agro, *in Ecclesia.* Uxor, *illos qui in tribulatione, retro aspiciunt absque*

50.

Luc. 17. 31.

Druthmar. in Luc. ib.

abſque ſpe divinitatis. Illud omittendum non eſt, quod tetigit Commentator de uxore Loti, legiturque mox in Textu ſacro: *Memores eſtote uxoris Lot.* Nota cunctis eſt hiſtoria. Ne juſtus involveretur ſupplicio civitatis infamis, ductus ab Angelis cum uxore, monitus eſt ab eis ut non reſpiceret poſt tergum, pergens ad montem, ubi ſalvus fieret. Uxor Lot aliter ſe gerens periit. *Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Redemptor hoc exemplum reducens in memoriam voluit minari triſtem exitum redeunti retro ab Eccleſia, vel deſcendenti à celſitudine virtutum; ſic ut paveretur exitium ſimile caſui conjugis Lot; quæ retroſpiciens interiit. Sed quid proportionis eſt uxori Lot, quæ non pedes convertit retro, ſed lumina tantùm, cum eo, qui poſtquam aſcendit ad culmen ſanctitatis, delapſus eſt ad concupiſcentias carnales; vel ſemel imbutus vera fide, deſeruit Eccleſiam? Perinde ſunt oculos retrorſum vertere; atque greſſus retrofacere, vel de ſummitate deſcenſum eligere. Quod ut ampliùs roboretur, adverte, viam Loti cum ſuis moraliter ad virtutem pertinere. Super illa verba Geneſis: *In monte ſalvum te fac*, ait Rupertus: *Mons enim, de quo rectè dicitur:* Sed in monte ſalvum te fac, *illa perfectio eſt, de qua Dominus noſter in Evangelio dicit adoleſcenti diviti*: Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. *Hæc perfectio vitæ mons juſtitiæ eſt.* Itaque ſimillima ſunt in ſpiritualibus retrorſum intueri juſtum, atque retrogredi: nam ſi proprias virtutes anteactas luſtraverit acie mentis, vereor, ne ſibi placens, non ſolum renuat majorem quærere perfectionem; ſed retrorſum abeat. Bene dicitur juſtus, quaſi nequaquam devians ad latus, ut reſpiciat illud, quod viæ jam confecit, *ambulans recto itinere.*

Luc. 17. 32.

Genes. 19. 26.

Ib. n. 17.

Rupert. l. 6. in Geneſ. c. 10. poſt med.

51. Lect Hebrai. Prov. 14. 2. *Juſtus virtutem ſimul quia bona magni facit; & quia propria eſt, conculcat.*

Ad eadem verba parœmiæ noſtræ prætereunda non eſt lectio Hebraica: *Ambulans in rectitudine ſua.* Dum lectionem iſtam originariam cum Vulgata confero, video, virtutes ipſas, quæ rectitudinem hominis conſtituunt, à Vulgato ſignificari per nomen, *Itinere.* Non mihi ſuadebo, fruſtraneè deſignatam virtutem hoc vocabulo. Opportunum aliquid moribus indagemus ibi. Nunc illud occurrit, quòd iter à viam faciente pedibus teritur: ſua virtus pariter à juſto proculcatur. Viator non proficit in ambulando, niſi ſemitam calcans: vir probus utique, ſi non per humilitatem benefacta propria conculcet, nec paſſum in calle virtutis movebit; imo quod jam peregerat nihil eſt. S. Gregorius Papa: *Sed*, inquit, *& ſi quælibet bona aſſint opera, nulla ſunt, niſi ex humilitate condiantur.* Concinit Gregorio Simeon Junior, dicens: *Unum enim peccatum, ſui admiratio; & una juſtitia, ſuprema humiliatio.* Et infra: *Etiamſi quis mundum univerſum Deo donaverit, quod fieri nequit, nec tamen ſibi perſuaſerit, ſe nihil eſſe, ſalvari nunquam poterit.* De his non dubito. Sed facilius apparet homini contemnere ſeipſum, ſi juſtus eſt, quàm virtutem propriam; utpote qui totis viſceribus illam diligit. Igitur, ſi vir perfectus abſque periculo ſuperbiæ cognoſcat opera bona propria, qua ratione pedibus conteret iſta? quomodo vilia reputabit offerens ipſa Domino, quæ nihili facit? Vincitur hæc difficultas ingenio virtutis ipſius. Stare queunt in eodem pectore duo ſimul nempe magnificare virtutem quia virtus eſt; & eamdem, quia propria viſitur, veſtigiis calcare. Non ſibi mutuò contrariantur hæc in anima pia: laudabilia geſta ſua, propterea quod Altiſſimo placeant, multî ducit, ne diſcordet in hoc à Dilecto; nihilominus eadem virtuoſa facta mittit ſub plantas; quoniam agnoſcit, extare ſuæ vilitatis germina.

D. Gregor. Mag. to. 2. hom. 7. in Evang. ad fi.

Sime. Iun. or. 8. poſt pr.

52. Contrapoſitionis hujus induſtriam docebit ſponſa Canticorum, de cujus piis cogitationibus aiebat Sponſus: *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Exponit Cardinalis Hugo: *Per capillos multifaria ſanctarum cogitationum ſubtilitas deſignatur. Et ſicut capilli de cerebro imperceptibiliter oriuntur; ſic cogitationes de mente, quæ caput eſt animæ: cui ſemper & adhærere debent, ut non ſemper ſeparentur ab ea.* Vides, non paucos actus virtutum ſiſtentes in cogitatione piâ, poſitos ut capillos in animæ capite? Nunc audi puellarum vocem. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis!* Quid accipi credis hoc loco per calceamenta? Dabit Purpuratus idem. *Vel*, inquit, *greſſus animæ fidelis ſunt caſtus timor Domini, & ſpiritualis deſiderii flagrantia: quæ duo ſicut quædam calceamenta animam à ſpirituali læſione defendunt.* Si non in ſacris verſaremur, ac de virtutibus nequaquam fieret ſermo, ſed ageretur de profanis; exiſtimares, hîc inſinuari levitatem fœmineam, quæ nunc pedibus calcat plura, ſicut propria calceamenta; nunc retinet ſupra caput, quaſi ſuoſmet capillos. Longe tamen abſumus, ut ad hæc Textum detorqueamus. Quid eſt igitur, quòd tam diſcordi ſtylo ſermonis agitur de ſponſæ virtutibus? Dicam. Virtutes & Authoris gratiæ dona ſunt; & oblationes, quas anima conſecrat Sponſo, quò placeat illi. Sub iſtis conſiderationibus virtutes non deſpicit juſtus: nec enim dicaret Altiſſimo quæ putaret vilia, cupiens ei placere, nec ingratus ipſius dona contemnit. Sic ea ſupra caput locat; crinibuſque ſimilantur: multî quippe fiunt capilli quandiu non abſcinduntur. Atverò dum attendit anima, facta virtuoſa non aliena quidem extare, ſed ſibi propria, mittit ea ſub pedibus, tamquam calceamenta, quibus utitur. Cohærent igitur hæc duo: ſcilicet hominem rectum bona quæ gerit appretiare plurimùm; ita quòd ne dimittat hæc, non timeat aliarum poſſeſſionum facere jacturam; & ſimul commendabilia geſta ſua, quia propria ſunt, plantis conterere. Proinde rectè Vulgatus interpres, non ignorans, iter pedibus viatoris calcari, pro eo, quod habetur in origine: *Ambulans in rectitudine ſua*, vertit: *Ambulans recto itinere*, &c.

Cant. 6. 4.

Hugo Card. in com. ib.

Cant. 7. 2.

Hugo Card. in com ib.

53. *Et timens Deum.* Hugo Cardinalis accipit hæc verba ſic latè, quaſi valeant: *Declinans à malo, & ab omni quod credit Deo diſplicere.* Secundùm hanc expoſitionem locutus in commentario ſum: nunc autem conformiter ad interpretationem arctiorem verſabimus eadem verba Salomonis: juxta quam verba præcitata ſumuntur de timoris actu filialis, vel ſaltem initialis. Placuit hæc acceptio Dionyſio Carthuſiano, qui ſic habet: Et timens Deum *filiali aut ſaltem initiali timore*, &c. Expreſſit hoc loco Paræmiaſtes Dei timorem: nam qui pæditus eſt illo, ſi metuit ex amore, tangit virtutis verticem. Proficuus eſt hîc S. Bernardus, dicens: *Omni tempore time Deum & ex omni corde tuo, & impleſti hydriam tuam uſque ad ſummum. Amat Deus integrum munus, affectum plenum, perfectum ſacrificium. Cura proinde nuptiis cœleſtibus plenam inferre hydriam, ut de te quoque dicatur, quia replevit eum ſpiritus timoris Domini.* Scio, multigenam eſſe virtutum ſuppellectilem; de qua varietate fit anima pulchra. Adeo tamen illa per timorem Deo placet, ut hæc ſola virtus quodammodo videatur in complacentiâ Sponſi conciliandâ, cæterarum omnium cumulum excedere, præſertim, ſi timor amori jungatur; de quo dixit ex Caſſiodoro Bruno: *Ille timor Deo probatur acceptus, qui cum amore maximo & pia ſpe conjungitur. Timeat ergo unuſquiſque, ne peccet: amet ut ſupplicet, ne tamen deſperet.* Attamen in divini timoris laudem aliquid audere non timeo. Ponamus exhinc varietatem virtutum, qua juſti ſpiritus pulchreſcit, menteque præſcindamus timorem; fortè putabis, non adhuc animam potiri Salvatoris amplexu propter illam pulchritudinem ipſius non trepidantis; tûc verò Filium Dei complecti juſtos amantiſſimè, cum cernit illos in ſuæ majeſtatis præſentia trepidos. Plurimùm ad benignitatem provocat Redemptorem trepidatio juſti.

Hugo Card. in Proverb. 14. 2. *Plurimùm ad benignitatem provocat Redemptorem trepidatio juſti.*

Dion. Carth. in Prov 14. 2.

S. Bernard. ſer. 54 in Cant ad fi.

Ex Caſſiod. B. Erun. Herbip. in Pſal. 146. 11.

54. Indignatus Aman contra libertatem Mardochæi, qui renuit ſuperbiſſimo flectere genu, perdere voluit Hebræos morantes in ditione regis Aſſueri; cui veluti dominabatur ipſe. Regina, quæ de populo Dei trahebat originem, acceſſit ad Sponſum regem, animo flectendi cor illius. Adſtitit ſpecioſa valde: nec tamen ideo tyranni faciem vidit ſtatim benevolam; ſed legimus: *Cumque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, &, in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.* Quid tunc Aſſuerus? *Feſtinus ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere.* Benevolentiam iſtam eximiam dilectæ ſponſæ fore citiùs exhibiturum crederes Aſſuerum: nam de illa ſcribitur: *Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Et infra: *Adamavit eam rex plus quam omnes mulieres*, &c. Igitur quid fuit in Eſthere magis gratioſum quando pallida facta viſebatur, ut eam ſuſtentaret ulnis, velut amplexu benigno, quod non egerat antea, quando *roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis, triſtem celabat animum, nimio timore contractum*? Multum permovit regem timor proditus pallore faciei; quem diſſimulaverat uſque tunc Eſther. Mitigavit blandè cor efferum illa formido, præ cæteris, quæ provocabant amorem ſponſi. Longè pulſis imperfectionibus Aſſuerus Chriſtum Dominum ſignificat. Gloſſa Interlinearis ad illa verba Textus: *Adamavit eam rex*, nobis favet unico verbo, *Chriſtus.* D. autem Iſidorus Hiſpalenſis ait: *Judith & Eſther, typum Eccleſiæ geſtant*, &c. Interlinearis illud, *Formoſa valde*, ſic exponit: *Circumdata varietate virtutum.* Ex his omnibus concluditur, Salvatorem, quamvis arrideat illi pulcherrima varietas virtutum, quæ decorat Eccleſiam, ſpecialibus tamen benevolentiæ ſignis ipſam aliquando proſequi dum timore conſternatur. Expende quàm ſit glorioſus ille titulus juſti, qui per hæc verba Salomonica profertur: *Et timens Deum.*

Ib. c. 15. 8.

Interlin. ad Eſth. 2. 17.

S. Iſid. Hiſp. in allegor. vet. teſt ante fi.

Interlin. ad Eſth. 2. 15.

Ex prædictis pervium fit inferre, poſſe quidem animam Deo charam ex eodem penitus motivo metum & confidentiam eruere: nam, cum timor Dei benevolentiam excitet, ſe poterit juſtus credere beatum quia timet. Non pigeat legere ſub nomine Zenonis Incertum; qui ſic habet: *Propheta in exordio Pſalmi locutus eſt, dicens:* Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, *oſtendens non ex trepidatione noſtra, quia nec timoris eſt auctor in cæteris, neque ex terrore ejus, qui terribilis ſit, beatos eſſe qui timeant; ſed ex eo, quod in viis Dei incedant: timor enim, ut diximus, non in metu, ſed in obedientia eſt, & timoris teſtimonium eſt obſequela.* O quali fiduciâ beatiſſimè roboratur ex metu ſic vitam componens, ut nihil admittat ſummè bono Deo diſplicens! Appoſitè Guarricus Abbas: *Inde fit ut non niſi caſtè timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conſcientia bona fiduciam iſtam præſumit, ſuadetque corda noſtra in conſpectu judicis æterni. Quis enim bene ſibi de illo promittat, à quo ſe minimè diligi intelligat? Qui autem diligit nunquam diffidit:* &c. Unus de mirandis effectibus amoris eſt, ut quantumlibet dicatur eſſe puellus, robore magno polleat, nec à timore ſuperetur, ut in diffidentiam inducatur. Sed quî fieri poteſt, ut perfectus amans diffidat, & accedere vereatur ad ſibi dilectum Dominum? præſertim, cum per ipſum timorem vocetur à Deo; nec is qui vocatur, ſi vocationem ſuam cognoſcat, reformidet acceſſum. Tempeſtivè D. Bernardus: *Dum quiſque vocatus per timorem, juſtificatus per amorem, præſumit ſe quoque eſſe de numero beatorum: ſciens nimirum quia quos juſtificavit, illos & magnificavit. Quid enim? Audit ſe vocari, cum timore concutitur: ſentit & juſtificari, cum amore perfunditur: & de magnificatione diffidet?* Quidnam eſt, quod fortiùs quatit cor ſpiritualibus intentum? Sanè timor ultimi judicii. Necnon in hujus meditatione juſtum fiducia non deſerit: quis crederet? Sed is eſt vigor amatorum Dei, quòd in illius examinis cogitatione poſiti ſervent confidentiam

55. *Quantam generet fiduciam perfectus amor etiam circa maximum timoris motivum.*

Ad Pſal. 127. 1. Incert. ſub nom. S. Zenonis ſer. de Pſal. hoc.

Guarri. Abb. ſer. 2. de S. Benedict. ante med.

S. Bernard. ep. 107. ante med.

Ib. n. 11. & 12.

Ibid. c. 2. 15. 17.

dentiam, ſi perfecta charitas illorum eſt: adeo fidunt, quaſi non illam diem terribilimam paverent.

56. Exemplo ſit ille charitatis magiſter Inſignis Joannes Evangeliſta: qui ſimul diſcipulis doctrinam præbens, & æqualiter id, quod proximè dicebam, inſinuans de ſeipſo, ſcripſit hæc: *In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii:* &c. Ut germanum ſenſum verborum Diſcipuli dilecti noſcamus, conſulendus eſt S. Auguſtinus. Commentatur ille prædicta ſic: *Quiſquis fiduciam habet in die judicii, perfecta eſt in illo charitas. Quid eſt habere fiduciam in die judicii? Non timere ne veniat dies judicii.* Et quî fieri poteſt, ut homo, qui ſalutem ſuam non obliviſcitur, haud contremiſcat memor illius examinationis diſtrictiſſimæ, cum, nullo favente patrono, multis accuſantibus judicem experietur ſeveriſſimum? Certe ſpiritalis militiæ pugnatores validi pavore conſternantur, ita ut S. Antonius Ulyſſiponenſis fateatur, dicens: *Licet autem omnia ad judicium memoratum concurrentia nobis vehementiam timoris incutiant:* &c. Igitur qualiter amicus Dei non timebit illum diem; quo Judex integerrimus, quamvis amiciſſimus, cunctorum cauſas judicabit exactè? quis non trepidabit reddendam rationem vel de minimis? Non metuit perfectus amator venturam lucem poſtremam: nam amor ingerit illi confidentiam, ut non ſolum haud vereatur illam venire diem; ſed eam deſideret, atque poſtulet. Opportunè S. Doctor proximè citatus: *Jam cum cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus ſponſi, renuntiat adulterо, ſit virgo interiùs ipſa fide, ſpe & charitate. Habet jam fiduciam in die judicii, non contra ſe pugnat quando orat & dicit,* Adveniat regnum tuum, *qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Qui autem orat, quomodo orat qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia, charitas optat jam ut veniat.* En quàm ſit ſtrenuus amor perfectus: quod alii paveſcunt, ſic amans exoptat: quod multi fugere vellent, ipſe flagitat: circa motivum pavendi conſtans. O maximam dilectionis vim!

1. Ioan. 4. 17.

S. Aug. to 9. tr 9. in 1. Ep. Ioann.

S. Anton. Ulyſſip ſer. fer. 2. heb: dom. 1. Quadrag poſt pr.

S. Aug prox. ſup.

57. *Malus dux ſæpe timor hominis; ndn ſic timor Dei.* *Deum.* Potuit Salomon haud ita loqui; ſed tantùm dicere: Ambulans recto itinere, timenſque declinare ad viam ſiniſtram &c. Non uſus eſt hac loquendi formulâ: quia multi ſunt metuentes à recto deviare; quorum timor laudabilis non eſt: ut licet in iis videre, qui pro vitandis criminibus, non Dominum, ſed mortales verentur. Hi contemnunt Altiſſimum; hominiſque manum reverenter formidant. Hic timor, quantumlibet ſuadeat operari bene, dux non eſt ſecurus in via ſalutis: quia multa ſunt diſplicentia cenſoribus mundanis; cum ſint digna laude: pluraque ſimiliter judiciis humanis placent, imo præmiis afficiuntur, quæ punienda forent. Opitulatur dictis Chryſoſtomus. *In ſceleribus rurſum*, inquit, *Deo contempto, homines formidamus.* Et infra: *Hinc omnia orta ſunt mala, quod in rebus turpibus non Deum, ſed homines timemus.... nos ipſos illi ſubjicimus, & Dominos nobis facimus. Multa autem hujuſmodi dominis videntur eſſe mala, quæ non ſunt, & ea nos ſimiliter fugimus,* &c. Ab hoc diſcrimine liber eſt qui dum operatur non ſibi conſtituit regulam hominis metum; ſed timorem Dei: quo quidem affectu ducente, non exerrabit. Periculum errandi ſubeſt illis maximum, qui ſectantur humanam formidinem tamquam ducem: non tantum ex eo, quòd homines dicere ſoleant bonum malum, & malum bonum; ſed etiam quia metus pro motivo ſumens hominem, aſſuetus erroribus, nonnunquam ſub ſpecie rectum exequendi fallit metuentem, ac ſuadet iniquitatem. Contingit aliquoties, ut homo timens humanam poteſtatem, putans, laudabilirer agere dum præſtat obedientiam ei quem reformidat, malum agat. Non ſic evenit paventi Dominum: etiamſi vendicet mali ſpeciem quod exequitur; ſemel quòd timore Dei ducitur, operatur juſtè.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 4. hom. 12. in 1. ad Cor. longe ante med.

58. Oppreſſione famis cogente filii Jacob venerunt ad ignotum fratrem præfectum Ægypti, quem ſic mutaverat ætas, quod non agnoverint illum; non autem fortuna tranſmutaverat, ut peregrinos haud notos haberet germanos. Egit cum eis ſeverè: tradidit cuſtodiæ, Simonemque tandem poſuit in vinculis, dimittens illos ad parentem. Quamvis nihil in hoc Joſeph exequutus fuerit iniquum, negari non poteſt, apparentiam injuſtitiæ præ ſe tuliſſe rem: nam dixit eis in faciem: *Exploratores eſtis: ut videatis infirmiora terræ veniſtis.* Et miſit eos in carcerem; cum longe foret ab eorum animis inconfidentiæ ſcelus. *Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus.* Quis ibit inficias, hac ſpeciem habuiſſe mali? Colligitur tamen ex Chryſoſtomo, Joſephum in fratribus carcerandis benevolentiam exhibuiſſe. *Poſuit autem eos in carcere. Vide quomodo ipſorum probat animum, & per ea quæ illis facit, ſuam erga fratres declarat benevolentiam.* Tranſeamus ad tempora Danielis. Nabuchodonoſor juſſit introduci pueros, ut litteras docerentur, & poſtquam enutriti per tres annos fuiſſent, ſtarent in conſpectu regis. Daniel erat unus ex eis: qui noluit comedere de cibis conſtitutis è menſa regia. Contendebat princeps eunuchorum, volens obedire Monarchæ circa nutriendum Danielem atque ſocios regali cibo. Putabat ille, ſe rectum agere, quia parebat regi ſuo: nihilominus malum operatus eſt, quatenus curavit ſuadere Danieli, quòd manducaret non licita ſibi; tum quia perhibebantur veteri lege; tum quia ſæpe dicti cibi erant ex iis, quæ conſecrabantur idolis. Cornelius Alapide: *Tum quia Rex Ethnicus carnem porcinam, & alia lege Moyſis vetita comedebat.... tum denique, quòd ſæpe cibi hi regii Belo, & aliis ejus idolis jam ante erant oblati, aut eorum nomine benedicti; quod Judæi execrabantur.* Ecce præpoſitus eunuchorum perperam operatus eſt; cum obedientiam debitam regi videretur amplecti.

Genes. 42. 9.

Ib. n. 17.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 1. hom. 64. in Geneſ. longe poſt prine.

Cornel. Alap in Daniel. 1. 8.

Contra verò Joſephus in eo, quod videri poterat injuſtum, benevolus extitit. Quid fuit in cauſa tam diſparis eventûs? Diſſimilis timor, qui movit utrumque. Princeps eunuchorum ducebatur ad manducationem ſupradictam conſulendam timore poteſtatis humanæ: *Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coævis veſtris, condemnabitis caput meum regi.* Joſeph autem non ſic: quoniam, dum velut cum ſuſpectis ageret, non dixit: Veſtram ita fidem examino quia metuo Pharaonem; ſed ait: *Facite quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo.* Ductus ergo formidine Dei laudabiliter egit, etiam cum apparuit iniquus. Bonus viæ ductor eſt Domini timor; malus autem ductus frequenter extat metûs humani. Ambulat recto itinere *timens Deum.*

Danic. 10. 10.

Geneſ. 42. 18.

DELIBATIO VI.

Diſcrimen honoris in benemerito non modicum. Humilitatis arma. De quærente ſatietatem in temporalibus. Ad ſcelera infamia currunt aliqui potiùs. Gravis morbus ſedentis in peccato.

59. *Majus diſcrimen aliquoties ab honore debito venit honorato.*

D. Thom. 2. 2. q. 145. art. 1.

Tull. l. 2. de finib.

Pſal. 81. 6.

Ex Caſſiod. B. Brun. Herbip. in com. ib.

Petr. Bleſ. ep. 102. ante med.

Deſpicitur. Procax eſt audacia ſceleſtorum: temerè contemnit juſtum, cui debuerant ſanè reverentiam; cum ſit honorabilis valde quicumque virtutis ornamento decoratur. Imo ſecundùm D. Thomam honeſtum valet idem atque virtus: cum Cicero dixerit, honeſtum vocari ſolùm, quod eſt populari famâ glorioſum: proindeque deducatur honeſtum ab honore. Honeſtè operantes gaudent filiatione divinâ: quo quid venerabilius? Regius vates ait: *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* Commentatur ex Caſſiodoro Bruno: *Omnes autem ejus filii, vocantur, qui ſuis juſſionibus acquieſcunt. Iſte ergo verſus ſolos juſtos reſpicit.* Cum ſic ratio dictet, ac nonnulli, quamvis impii, fateantur, juſtum eſſe dignum honorari; ſunt quidam tam protervi, quòd bonos aſpernantur: imo quia boni ſunt, idcirco temnunt eos. A Dei providentia, ſi liceret, inquirerem, cur hæc patiatur. Non abſque juſtorum emolumento ſinit eos habere contemptui: quoniam plurimo diſcrimini patet honos benemeriti; minus eſſet fortè periculum, dato quod indebitè frueretur honore. Decus atque divitiæ ferè ſunt pares in adducendis periculis animæ. Bleſenſem audi. *Sanè honores & divitiæ ſibi habeant* (fortè legendum, *Habent*) *annexa, vitæ ſecuritatem, vinum & pinguia, otium & ſaturitatem, contemptum Dei, & diſpendium ſui.* Unde, ſicut nullius anima periclitatur ex divitiis alienis; ita plurics continget, ut homo poſſidens honorem non ſibi debitum (qui propterea bene dicitur velut alienus) ejus occaſione minora ſubeat ſpiritûs diſcrimina. Fortaſſis minus homo periclitatur circa ſuſcipiendos honores non ſibi debitos: quia, niſi cæcutiat nimis, advertit, non eſſe cur glorietur de plauſu non ſuo; quem humana labia ceſſare faciunt eâdem facilitate, qua cœptum eſt: vento diſpergitur quod mero flatu ſubtollitur. At ſi meritis par eſt oblatum decus; prudens, etiamſi conſtitutus in ſecuritate permaneat, veluti pavebit, atque refugiet. Si tibi defertur honor debitus, fugæ præſidium quære, quantumvis tutum credas à gloriola: minus eſt aleæ cùm decus offertur indebitum.

60.

Baptiſtæ ſanctitas effulſit ſplendore tanto, quòd in dubium vocaverunt aliqui, ne fortè Meſſias eſſet ille repromiſſus in Scriptura. Quin & miſſi ſunt ad eum qui Meſſiæ titulum honorificum obtulerunt Joanni. Rupertus enim ait: *Nimirum audire cupiebant ex ore ipſius, utrum ipſe eſſet Chriſtus, ſicut vulgo exiſtimabatur.* Non eſt parum veriſimile, quòd novum non fuerit Joanni, potuiſſe contingere hoc, quòd evenit ei defacto: ſcilicet ipſi Meſſiæ nomen offerri. Cur non vitat occaſionem, aufugiens, ne legati Judæorum in periculo vanæ gloriæ conſtituerent ipſum? Memini, Salvatorem ſæculi, cum turbæ venturæ forent, ut facerent eum regem, in montem fugiſſe. *Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Redemptor, incapax peccati, fugit honorem à mortalibus afferendum? Joannes verò (tandem purus homo) non declinat, dans terga, venturos legatos, offerentes decus maximum? Vide. Chriſtus Dominus de ſuo rex erat: unde mortales ei voluerunt contribuere decus verè ſuum: & in eruditionem noſtram fugam cepit, ut agnoſceremus quantùm periclitetur homo, cùm defertur honos ei, quo dignus eſt. *Oblatam*, ait Gregorius Magnus, *gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetit: ut membra ejus diſcerent favores mundi fugere, terrores minimè timere*, &c. At verò Præcurſori non debebatur inclyta Meſſiæ dignitas. Unde, cum longe facilius extet alienum raperc nolle, quàm dimittere quod noſtrum pro meritis eſt; ne mireris, quòd exemplo Joannis minimè docti fuerimus ad vitandas honorificationes indebitas; maximè verò Salvatoris imitatione ducamur ad cavendas exaltationes, quarum nos eſſe benemeritos agnoſcimus. Igitur, ut vitetur hujuſmodi periculum, Altiſſimi providentia ſinit juſtum inhonorari.

Rupert l. 1. in Ioan c. 1.

Ioann. 6 15.

D. Gregor. Pap. to. 1. p. 1. Paſt. c. 3.

Secunda ratio, quare Deus chariſſimos permittat opprobriis affici frequenter, hæc eſt: quia, licet illi, ſi beneficio Domini præſervarentur à contumelia, pugnarent contra diabolum, utentes hoc ipſo dono Dei; congruentius eſt, ut contemptu, quem ſuſtinent, armentur adverſus hoſtem communem; vel potius humilitate, quam tartareæ phalanges perhorreſcunt. S. Laurentius Juſtinianus ait: *Perneceſſaria quippe eſt humilitatis virtus peregrinantibus, & in hoc ſæculi ſtadio pugnaturis. Hanc emim malignorum ſpirituum innumerabilis exercitus tamquam flagellum perhorreſcit,*

61. *Contra dæmonem aptiora ſunt arma, quæ nos humiliant.*

S. Laur. Iuſt. l. de caſt. connub. c. 1. longe poſt med.

reſcit, & fugit. Cùm dæmones per ſuperbiam ceciderint ſuam, & per Salvatoris voluntariam demiſſionem proſtrati ſint; duplici ratione vix ferre valent humilitatis conſpectum: & quia videntes oppoſitam virtutem ſuperbiæ ſuæ, confunduntur; & quoniam ſatis memores cladis, quam à Principe gloriæ fuerunt experti, proſequuntur odio ſubmiſſionis ejus imitatores. *Vexillum Chriſti humilitas*, dixit Abbas Guarricus. Et cum ejuſmodi teſſera cruce, qua velut fortiſſimo telo transfixus eſt malignus, inſigniatur, non poteſt non horrere cacodæmon humilitatem, cujus potentiâ profligatur. Ad hæc. Dum juſtus egreditur in aciem geſtans humilitatis arma ſtratagemate pugnat; & vel fortiſſimus pavet inimici prudentes dolos. Pugnat, inquam, ſtratagemate: nam ſub infirmitate latet robur eximium. Quapropter aptiora indico pro victoriis ab adverſario communi reportandis arma, quibus humiliamur; quam illa per quæ glorioſè nimis extollimur. Adverſus tartari bellatorem ſuperbiſſimum juſtus armetur iis potiùs, quibus deprimitur, quàm illis, per quæ glorificatur.

Guarr. Abb. ſer. de omnib. Sanct.

62. Ad ſingularem conflictum provocavit Iſraëlem Gigas, ut belli ſors ad unius hominis fortunam tota deduceretur. Timuit Saül rex; & metuente principe, non mirum, quòd populus formidaverit ſimul. Audivit ſuperbiam Goliath Paſtor Betlehemiticus: & quamvis non ſecutus caſtra fuerit unquam, ſed oves, ad tuendum populi ſui decus, divinique nominis decentiam vindicandam, animos induens martiales; poſitus coram Saüle, ſeſe confidenter obtulit arduo certamini: quippe martis inexpertus dimicaturus erat cum præliatore, qui bellis ab adoleſcentia ſolidaverat militarem fortitudinem. Diffidit Saül, animadvertens inæqualem valde militem: ac reputans, eum nimis audere; nec deliberans rem tantam pecorum cuſtodi committere. Perſtitit ille, reponens, leonem & urſum interfeciſſe; proindeque ſimiliter eventurum ſibi, ſi cum illa rationali belluâ decertaret. Spem igitur jam concipiens de felici futuro Davidis eventu Saül illum pro duello curavit armis regiis muniri. Cum tamen diſſuetudo præpediret eum, confeſſus eſt novellus pugnator, non poſſe gravatum armaturâ prædictâ ſic incedere. Depoſuit ornamenta militaria; baculum, peram, lapides & fundam tulit in certamen. *Et depoſuit ea, & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit: & proceſſit adverſum Philiſtæum.* An difficile foret omnipotentiæ divinæ præſtare vires atque dexteritatem Davidi, quò poſſet martialibus inſtrumentis armatus progredi libero pede? cur non ita miraculosè datum eſt illi? Quia Saülis arma Davidem honorabant; paſtoritia verò deprimebant: & cum figura dæmonis eſſet Goliath, convenientius extitit, ut humilibus potiùs, quàm glorioſis depugnaret certator, quem Dominus exercituum providit. Facit huc non parum Sanctius inquiens: *Cum paſtor videri mallet, quam miles, ut, ſi quid glorioſum ex eo certamine contingeret, divinæ videretur, non humanæ virtutis, baculum aſſumpſit paſtorum inſigne, cujus in eo certamine uſus nullus eſſe poterat*: &c. Quod autem Goliath dæmonis retulerit umbram author eſt Angelomus, dicens: *Arma vero Goliath, & operimentum ejus, totius diaboli impietatem atque nequitiam demonſtrabant, per quæ humanum genus debellando gravi pondere peccatorum depreſſerat*: &c. Ut igitur in umbra vinceretur diabolus accommodatiora fuerunt arma, quibus humiliabatur David ſe demonſtrans paſtorem; quàm arma regalia, de quibus, niſi reſiſteret animi ſubmiſſio, glorificari poterat. Multùm prævalet adversùs dæmonem voluntaria demiſſio bellantis. Idcirco, permittente Domino, militiæ ſuæ deditus, ut humilitatem exerceat, *deſpicitur.*

1. Reg. 17. 39. 40.

Sanct. ib. ad v. 40. n. 33.

Angelom. in c. 17. l. 1. Reg.

63. *Ab eo, qui infami.* Habet alia lectio, quam refert Hugo, pro *Infami*, *Infinita.* Cardinalis addit: *Infamis eſt via, de qua malè ſentiunt boni. Via infinita, eſt via circularis: de qua Pſ.* In circuitu &c. Laborioſa circuitio quidem hæc eſt, ad imitationem facta diaboli, cujus membra ſunt mali. Cum rotetur caput eorum, demirarer, niſi gyrum agerent illius membra, ſcilicet peccatores. Ad illud ſatanæ: *Circuivi terram*, ait S. Gregorius Papa: *Perambulans ergo terram circuit: quia ab illo ſpiritalis potentiæ volatu corruens, malitiæ ſuæ preſſus gravedine, foras ad gyrum laboris venit. Hinc eſt enim quod & de ejus membris per Pſalmiſtam dicitur*: In circuitu impii ambulant: *quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur.* Hujus irrequietæ vertiginis, qua circumferuntur improbi, cauſam reperire non invenitur difficile. Diligunt externa; quorum nullum ſatietatem afferre quit animæ capaci Dei. Hæc igitur delectari cupida nunc iſtud, nunc illud jucundum ſollicitat: nullibi dulcedine perfunditur ab amarore penitus experte: propterea nuſquam requieſcit integrè; ſed convertitur ad aliud æquè fruſtra quietem delectabilem requirens. D. Laurentius Juſtinianus. *Anima enim*, ait, *delectationis avida, ex quo ab unitate divinæ & fraternæ dilectionis receſſit, cum nequeat rerum qualitate ſatiari, iterum varietate impleri deſiderat. Nunc iſta, nunc illa quærit, nec tamen reperit, in quo requieſcat. Cogitationes alternat, mutat conſilia, diverſarum format in ſe ſpecies voluptatum, ut ſuo poſſit ſtabiliter frui deſiderio. Nunquam verò tali indagatione ad ſui poterit pertingere finem deſiderii, quia ſicut impoſſibile eſt lucem ſplendeſcere cum tenebris, & cum amaritudine perſtare dulcedinem, æque contrarium eſt & præter naturam, in his temporalibus voluptatibus pacem perfectè in animo poſſidere.* Quiſnam fructus ex iſta fatigatione colligitur? Reddere ſemet indignam veniâ: nam, ſi quærens anima terreſtria delectaretur plenè, quadamtenus excuſabilis foret; at cum nunquam experiatur integrè ſuavia; contendens ulteriùs inve-

Alia lect. Prov. 14. 2. Hugo Gard. ib

V. niâ ſe præbet indignum circuiens. ut in temporalibus inveniat quod ſatiet

D. Gregor. Mag to. 1. l. 2. mor. c. 3 ad fi.

S. Laur. Juſt. in lig. vi. c. 3. de continen. ad fi.

nire bonum; quo ſtatueretur, ſe prodit non dignam ut ei remittatur contentioſa nequitia.

Regii vatis in Pſalmo duplici juvat expendere verba. Loquens in perſona Eccleſiæ Chriſtus Dominus ore Davidis, Pſal 24. 11. ait: *Propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.* Initio expoſitionis hujuſmodi Pſalmi S. S.Aug. to.8. ib. in princ. & ad n. 11. Auguſtinus dixerat: *Chriſtus, ſed in perſona Eccleſiæ loquitur.* Addit poſtea ſuper allata verba: *Non ſolum peccata mea donaſti, quæ ante quam crederem admiſi, ſed & peccato meo quod multum eſt, quia & in via non deeſt offenſio, ſacrificio contribulati ſpiritus propitiaberis.* Alibi fatur ſatis diverſimodè Propheta. Pſal. 56 6. *Non miſereatis*, inquit, *omnibus, qui operantur iniquitatem.* Quomodo ſtare poſſunt iſta cum præcedentibus? Deus ille, qui propitiatur multa peccantibus, nonne miſerebitur? Reſpondetur ex eodem Auguſtino, quamdam eſſe iniquitatem, cui D. Aug. ib. Deus miſericordiam denegat. *ſive*, ait, *quod eſt quædam iniquitas, quam qui operantur omnino eorum Deus non miſeretur.* Quænam eſt hæc? Impœnitentia finalis eorum, qui per circuitus varios, ducentes vitam, nunc ad iſtud bonum temporale, nunc ad illud tendunt contentioſè; donec deſiderio perfectæ quietis omnino fraudato, ventum eſt ad veſperam: quando ſcilicet jam tempore vitæ finito, pœnitere fructuoſè non licet, Expende quæ ſequuntur in Pſal 58. 7. eodem Pſalmo poſt ea verba, quæ libramus immediatè. *Convertentur ad veſperam: & famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem.* Cardinalis Bellarminus Cardin. Bellarm. in cō. ib. ibi: *Pergit*, inquit, *explicare miſeram conditionem iniquorum in noviſſimo die. Ipſi enim* convertentur ad veſperam, *id eſt, finito die, in quo fructuoſè converti licebat*, &c. Ne concitatâ mente dimittas illud, *Circuibunt civitatem.* Civitas illa mundus eſt ſecundùm Auguſtinum, qui ſcribit in commentario Pſalmi hujus: Et circuibunt S. Aug. ſup. ib. civitatem. *Quam civitatem? Mundum iſtum, quem quibuſdam locis vocat Scriptura civitatem circumſtantiæ*: &c. In hac urbe mundi non ſedent aliqui, non ſtant, non quieſcunt; ſed circumſtant, vel circumferuntur: & more canis dimittunt unum, quod projecit eis fortuna; ſolliciti de noviter accipiendo meliori: ſic famem patiuntur ut canes, & circumeunt. Quis putabit illos veniâ dignos, qui peccando tendunt viâ circulari, quæ dici poteſt velut *infinita*?

65. *Aliquipotiùs ad infamia crimina feſtinăt, quàm ad alia.* *Graditur.* Non utrumque gradiuntur quidam, ſed currentes, quia volatilia ſequuntur: iſtorumque propterea feſtinationem veloces imitantur; capere cupientes quod tenere nequibunt, ne fugiat. Et magis horrendum eſt, quòd non tantùm ad bona prendenda curſu feſtinant; ſed conſequenter ad mala, quæ currentes incurrent. Beda ſuper illud Proverb: *Pedes* Ad Proverb. 1 16. Bed. in com. *enim illorum ad malum currunt*, ſic habet: *Non ſolùm ad malum quod temporaliter operantur, ſed etiam ad malum, quod perpetuo paſſuri ſunt impii properant, quoties ad patrandum homicidium, vel aliud quid ſceleris agendum feſtinant.* Quonam iſti feruntur impulſu? Vento propelli non dubites; cum peccator ſit res leviſſima. Tam ſceleſtus, quàm ſcelera contrariis qualitatibus conſtant. Peccata gravia pondus magnum ſunt in tartarum detrudens ille gravatum; & ſimul flatuum referunt ſimilitudinem. Sic & criminoſus onuſtus delictorum ſarcinâ gravitat in profundum; & nihilo ſeciùs velut inanis palea flamine movetur iniquitatum. Accommodè S. Thomas à S. Thom. à Villano. ſer. de S. Nicol. poſt med. Villanova: *Si*, ait, *concupiſcentiæ, ſi iracundiæ, ſi invidiæ, ſi avaritiæ, cæterorumque vitiorum tenuis ventus perflaverit, modico flatu rapitur ſicut palea.* Notandum autem (ne longius à dogmate noſtro diſcurrentes abſcedamus) nec honoris appetitu multos contineri, ne per viam euntes lacebroſam ad præcipitia non proruant. Fortaſſis inquiens: *Infami graditur via*, Salomon attendit principaliter ad ſcelera, quæ generant apud homines etiam ſæculo deditos infamiam. Dubitabam, eſſetne mens iſta Carthuſiano ſuper ea verba, dum ait: *Id* Dion. Carth. in Prov. 14. 2. *eſt, ſcandalosè ac turpiter converſatur.* Adeo cæco modo currunt ad mala nonnulli, quòd velociùs feſtinant ad illa piacula, quæ famam lædunt etiam apud mundanos; quàm ad alia, quæ non exiſtimant opprobrio digna: potiùs ad infamia currunt flagitia, quàm ad cætera.

66. Deus per os Davidis redarguit iniquum, dicens: *Si videbas furem currebas* Pſal. 49. 18. 20. *cum eo*: &c. & infra: *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*, &c. Hic ſecundus modus loquendi moram inſinuat (: *ſedere*, ait ex Caſſiodoro Bruno Herbipolenſis, Ex Caſſiod. B. Brun. Herbip. ib. ad n. 20. *enim morantis eſt, & ideo gravius peccat qui moratur in detractione fraterna.*) primus verò feſtinationem involvit: & nota, quòd non agitur ibi de ſodalitate purè materiali cum latrone; ſed eſt ſermo de præſtante ſocietatem formaliter in eodem crimine. Rurſus adi Brunonem ex eodem Caſſiodoro dicentem: *Ille currit cum fure, qui ei ad faciendum ſcelus ſocia voluntate jungitur.* Impar loquendi ratio quemque movebit, ut inquirat ſic: Nonne pronior eſt lingua quò detrahat, manu, quò furripiat? Quis dubitat? Et accedit aliud hærendi motivum in illa diſparitate: ſcilicet quod dicitur malus currere cum fure; ſedere autem detrahentem. Illud eſt: quoniam alienum ſuffurari conantibus multa ſæpe reſiſtunt obſtacula; quæ non impediunt volubilitatem linguæ: nam hæc ſicut ſagitta volando percutit. Detractoria verba ſunt velut peſtilens aër; qui velocitate plurimâ permeat. Quid eſt ergo, quòd introducitur ſedens qui proximi cadit honorem? currens autem cum fure ſocius perhibetur? Nil mirum: nam apud mundanos detractio non eſt infame vitium; maxime vero latrocinium: & multoties ad ſcelera, quibus fama peccantis inquinatur, homo properat currens; non autem ſimiliter feſtinat pro criminibus illis perpetrandis, quibus nequaquam apud homines dedecoratur. Ita reddit multos frontis perfrictæ cæcitas, qua voluntariè proprii delicti fœditatem non intuentur cum peccant: quæ colligi videtur ex eodem

Pſalmo;

Pſal. 49. 21. Pſalmo ; quo poſt pauca dicitur : *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Ubi Cardinalis Bellarminus : *Id eſt faciam ut videas gravitatem & multitudinem peccatorum tuorum,* &c. & poſt nonnulla : Statuam te contra faciem tuam, *nihil eſt aliud, niſi ſtatuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua, ante oculos tuos : ut non poſſis ea non videre.* Per ſpontaneam inadvertentiam cœcutientes perplures non advertunt quàm turpia ſint piacula, quibus maculantur : idcirco feſtinant ad illa tamquam ad voluntatis propriæ trophæa : quivis horum currit magis delinquendo, quàm *graditur.*

Bellarm. in com. ib.

67. *Gravior eſt ſedentis in peccato morbus.*

Via. Ponitur hoc vocabulum pro malâ vivendi ratione ; quam tenet qui deſpicit ambulantem rectâ, quin declinet à mandatis. Et utinam cuncti ſcelerati, dum perperam operantur, vitam agerent curſim : neutiquam ſedentes in malitiæ cœno ; vel quod pejus eſt, jacentes. Uſque nunc ſuggillabam feſtinantes ad malum ; nunc oportet reprehendi moroſos in peccato : *non peccare enim*, ait S. Bruno Aſtenſis, *impoſſibile eſt : in peccato verò perſeverare iniquiſſimum eſt.* Greſſum faciens ad bonum prohibitum delectabile ; modò pergens, modò perſiſtens, videtur indicare, non ferri totis præcordiis ad præcipitium ; ſed interruptim aliquale tædium concipere, vel ob inſurgentes difficultates, quæ præpediunt conantem ; vel quia ſicut amens lucida nonnunquam expertus intervalla, cernit ſub quodam rationis crepuſculo quò tendat miſer ; & ſiſtit, quamvis pedem non retrahat omnino. Spem ingerit iſte quòd citò meliora ſapiet ; meditans ambulare ſe vias difficiles. Apud medicos indicium eſt futurî morbi ſpontanea membrorum laſſitudo. Non ſic in ſpiritualibus : quin econtrariò malus advertens, gradientem ſe per latam ſemitam iniquitatis delaſſari, fortaſſis non ſerò dimittet ſervitutem, qua tyrannis obtemperat atrociſſimis. Haud ſimiliter ſe gerit homo, cui fragilitas dat peſſimam conſtantiam : qui ſcilicet perſeverat in crimine ; fortis in infirmitate ſuâ, fugaciſque jucunditatis contentiosè tenax. Hic præ ſe fert nimium peccandi ſtudium, totis viſceribus addictum ſceleri : quo fit, ut non celer gradiatur in calle nequam ; ſed potiùs ibi ſedeat. Hoc nequiſſimum eſt : gravior extat confidentis in delicto morbus.

S. Brun. Aſt. com. in Pſal. 1. n. 1.

68. Hugo Card. in Pſal. 1. in princ. Pſal. 1. 1.

Apud Pſalmiſtam in capite libri juſtus beatificatur : nam juxta Hugonem purpuratum Pſalmus prior *moraliter exponitur de viro juſto.* Sumit initium, dicens : *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit* : &c. Notaſti, non unico verbo ſignificari malum, à quo juſtus declinat ? Primò dicit : *Non abiit* : ſecundò : *Non ſtetit* : tertiò : *Non ſedit* : & inſuper ne prætereas, cum dicitur, non abiiſſe, poſtque ſubjicitur, non ſtetiſſe, nil tangi quod peſtem ſignificet ; at verò cum additur : *Non ſedit*, legi tunc : *In cathedra peſtilentiæ.* Non fruſtra diſtributio per Vatem Spiritu ſancto calamum dirigente, facta ſic eſt. Sed urgebis adhuc. Sanè conſilium impiorum, & ipſorum via peſtilentes nimis exiſtunt. Cur ergo neque conſilium, neque via ſcribitur ibi tamquam luis contagium ; ſolaque fit mentio peſtilentiæ, qua miſerabiliter inficitur cathedra, quæ peccatori ſeſſionem præſtat ? Si moraliter loquamur, indicari videtur diverſitas inter ſedentes in peccatis, & alios, qui peccant velut ambulantes, & aliquos delinquentes, qui ſtant in malo ; ſed non jacent. Damnabile quidem eſt, hominem ſiniſtrum iterfacere, vel in eo conſiſtere ; ſed in crimine ſedere pejus eſt adeo, quòd ipſa criminoſi ſedes optimo jure vocetur cathedra peſtilentiæ. Gloſſa Interlinearis hîc verbo *Sedit*, addidit, *Conſuetudine* ; quæ quidem involvit perſeverantiam peccandi. Favere necnon videtur S. Ambroſius ibidem : *Etenim inveterati in errore, & ſtudiosè flagitiis inhærentes ſedere dicuntur, qui nolunt aſſurgere,* &c. Igitur ſeſſio non indicat nudè peccatum ; ſed explicari poteſt de perſeverante in malo. Quòd autem minus vituperabile ſit ſtando, vel in tranſitu delinquere, colligitur ex Gloſſa Ord. quæ ad illud Pſal. 49. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*, commentatur ex Caſſiodoro ſic : *Quod tranſiens vel ſtans facit, non cum voluntate facit.* Vide quantò ſit gravius in flagitio ſedere ; quàm tranſeunter, vel ſtantem delinquere. Propterea dicebam : Utinam omnis peccator ſaltem ita declinaret à ſemitâ rectâ, ſicut ille, qui mala *graditur via.*

Interlin. ib.

S Ambroſ. ibid.

Fx. Caſſiod. Gloſſ. Ord. ad Pſal. 49. 20.

Tres in Textu Salomonis verſiculos, nempè 3. 4. & 5. necnon atque 7. cum pace lectoris, vel abſque illa prætermitto : nam quod interpretes ad verba dimiſſa notare ſolent utplurimùm tractabam duobus præcedentibus tomis : quorum indices conſuli poſſunt v. Concionator, Doctrina, Peccator, Prælatus, Societas, Stultus, Superbia. Videri poteſt etiam tomus 2. fl. 34. delib. 2. *Quorum ſi lector oblitus eſt, recurrat ad explanationem priſtinam : melius eſt enim illum ſcripta relegere, quàm nos dicta replicare.*

S Hier. to. 5. l. 18. in Iſai c. 66.

FLOS XXI.

Quærit deriſor ſapientiam, & non invenit : doctrina prudentium facilis.

APERITUR.

1. QUÆRITUR primo quid accipiendum ſit hoc loco per deriſorem ? Primò non deeſt qui ſignificari credat hoc vocabulo hæreticum, vel tentatorem, vel hypochritam. Secundò memoranda venit expoſitio Rodolphi ; qui de juvenibus intelligit & pueris addictis ad jocos : qui poſtea dum ſapientiam quærunt, non inveniunt, & faſtidiunt propter aſſuetudinem ad ludicra. Favet huic

Rodolph. com. in Prover. 14. 6.

Janſen. ibid. huic expoſitioni poſt aliam adductam Janſenius. Interpretationes iſtas non elligo, quia parœmiam coarctant Salomonis. Aliquantùm latius primùm expoſuerat idem Janſenius de illo, qui diù reſtitit ſalutaribus monitis, ea ridens: poſtea in tribulatione quærit conſilium ſapiens, non invenit; ſed prolabitur in pejora. Adhuc hæc explicatio minus ampla mihi viſa fuit, quàm vellem; quia limitatur ad tempora tribulationis.

2. Corn. Alap. ib. Cornelius Alapide ſumit hæc verba de illo, qui non ſeriò quærit; imo ridet ſapientiam. Placet commentarium ſicut illud Salazaris & Liræ interpretantium de ſuperbo fidenti proprio ingenio, & contemnente videre antiquorum dicta. Non tamen approbo limitare Paræmiaſtem ad ſuperbos tantùm; ſed judico extendendum ad omnes irriſores, vel ex ſuperbia, ſeu ex alio malo, vel imprudenti motivo. Quàm abominandi ſint ſapientiæ irriſores, & præſertim ſi rideant eam ſapientiam, quæ virtutes dirigit, atque peccatorum docet fletum, deduc ex D. Joanne Chryſoſtomo; qui ſic legitur: *Et tamen inveniuntur quidam tam incenſibiles prorſus ac ferrei, ut poſt hæc etiam dicant: mihi verò utinam haud unquam flere contingat, ſed præſtetur mihi potiùs à Deo ludere omni tempore, & ridere. Quidnam, obſecro, tali inveniatur mente puerilius? Non enim Deus dat ludere, ſed diabolus.* Et infra: *Ille enim eſt ille, qui etiam in artem jocos, ludoſque digeſſit, ut per hæc ad ſe traheret milites Chriſti, virtutiſque eorum nervos faceret molliores.*

Salaz & Lira ibid.

Chryſoſt. to. 2. hom. 6. in Matth. longe poſt med.

3. Alap. Rodolph. Lira Salaz. Janſ Hugo Card. & Bed. in Prover. 14. 6. Quæritur ſecundò, quid intelligemus in præſenti per ſapientiam? Sumit Cornelius Alapide honeſtatem & virtutem. Rodolphus, Liranus, & Salazar accipiunt ſapientiam ſimpliciter prout ſonat. Janſenius intelligit ſapientiam, quæ dirigit ad evadendum ab urgentibus malis: Hugo verò dirigentem res ad animam ſpectantes: preſſiùs Beda ſapientiam illam, quæ attinet ad bene credendum. Puto, nomen, *Sapientiam*, generaliter hîc exponendum eſſe de omni genere ſapientiæ utilis. Conducit ſecunda ſententiæ pars, ut primam in tantâ ſumamus amplitudine: nam legimus: *Doctrina prudentium facilis.* Contra deriſores iſtos inſurgere valemus ex dictis Humberti; cujus hæc ſunt verba: *Deſpectio ſapientiæ multum habet ſtultitiæ. Quanto enim res aliqua eſt pretioſior, tanto deſpectio ejus eſt reprehenſibilior. Sapientia verò eſt res pretioſiſſima. Hujus ſignum eſt, quod ſapientes multum eam appretiantur, ſicut ſtulti multum eam deſpiciunt.* Hîc vide mutuam, atque diſparem irriſionem prudentium & ſtultorum. Imperiti ſubſannant peritorum ſapientiam; docti rident hunc fatui contemptum. In ſapiente riſum ejuſmodi non laudo; ſicut neque laudarem ſanum ridentem ægrotos. At, ſi de ſtulto loquamur deridente ſapientiam pertinentem ad animæ directionem; non ſolùm deriſus iſte non arridet; ſed lacrymis proſequendus eſt.

Humbert. l. 6. ſpecu. religioſior. c. 17.

4. Circa ſecundam hujus dogmatis partem: *Doctrina prudentium facilis*, quæritur tertiò, an verbum, *Doctrina*, ſit accipiendum activè; an paſſivè? Priori modo ſumptum inſervit, ut valeat Salomonica ſententia, , prudentes docere alios facilè: ſumptum verò paſſivè, reddit ſenſum nimis diverſum; ſcilicet prudentes facilè doceri. Sto pro ſenſu paſſivo, cum Rodolpho, Janſenio & Salazar. Sed pro ſenſu activo ſtant Liranus & Beda. Media via procedunt, non tamen pariter, Hugo Card. & Cornelius Alap. nam Purpuratus utrumque ſenſum amplectitur collectivè; Cornelius autem diviſivè. Pro ſuperiori expoſitione, quam prætuli, memorandum eſt, ideo prudentem facilè doceri, quia facem prudens habet accenſam, qua mens illuminatur: eapropter amplectitur non difficulter viam. Fruere D. Proſpero. *Prudentia verò rationem, quæ eſt acies mentis, illuminat: ut & ratio appetitum gubernet, & rationi appetitus obtemperet.* Sed quoniam non æquè patent omnia vera; ſolet prudentia præbere lucem, ut examinentur conſilia; nec per credulitatem ad exiſtimanda falſa prolabatur cordatus; imo circa dubia ſuſpendat judicium. S. Martinus Epiſcopus: *Prudentis proprium eſt, examinare conſilia, & non citò facili credulitate ad falſa prolabi. De dubiis non definias, ſed ſuſpenſam teneas ſententiam.... Crebrò ſi quidem faciem mendacii veritas retinet. Crebrò mendacium ſpecie veritatis occulitur.* Sic extollit Antiſtes idem prudentiæ claritatem, ut eam affirmet penitus falli neſciam, dicens: *Prudens fallere non vult, falli non poteſt.*

Rodolph. Janſ. Salaz. Lira. Bed. Hugo Card. & Alap. prox. ſup.

S Proſp. l. 3. de vit. contempl. c. 27.

S. Martin. Epiſc. Dumien l. de 4. virt. c. 1. poſt princ.

Idem prox. ſup.

5. Nunc lentiùs examinabo dogma. *Quærit.* In ſingulari loquitur: nam fortè ſic indigitat raritatem illorum, qui, poſtquam irriſere ſapientiam, reſipientes quærunt eamdem. Turba plurima deridet utilem ſcientiam: ſed ex his pauciſſimi reſipiſcunt, & quærere deliberant quod ante ſpernebant. Mirandus eſt hic tot ſtultorum erga ſapientiam deſpectus multis de cauſis: Et potiſſimùm, quia potuit amor vitæ ſuadere prædictis, ut nequaquam aſpernarentur ſapientiam, quæ certâ quadam ratione ferè detinet curſum dierum, ne dilabantur: non enim dies tranſit ei, cui nox haud advenit. Et quæ ſapienti nox erit, qui totus internâ luce clareſcit? Hujus itaque præteriti dies veluti manent adhuc. Mapheus Vegius, bellè quidem: *Ciceronis, ac cujuſvis docti viri dies omnes atque horas, quibus aſſiduè componendis operibus ſuis vacarunt, exiſtimabimus durare, vivereque in illis nos, unde tam ſalubria vitæ documenta ſuſcepimus. Hoc item, quo & nos interea de Tempore ſcribimus, quo de Moribus præcepta tradimus, minimè tempus elabitur, ſed manet ſtabile, manebitque retinente illud quaſi unico quodam elucubrationis noſtræ.* Propterea mirabar, quòd amor vitæ, cunctis mortalibus inſitus, non omnibus dilectionem ingereret ſapientiæ: cujus factis, ut ita dicam, eluduntur fata; cum poſt hæc ſapiens quaſi perennet.

Maphe. Veg. l. 6 de educ. liber. c. 6. longe poſt med.

6. *Deriſor.* Quidam ſunt idcirco ſapientiam minime requirentes, quòd ſomniant, ſeipſos in hac re ſatis abundantes. Pudet fateri

fateri quòd neſciant; unde non quærunt quod ſciant. Pudor iſte non prudens detegit vocabuli potiùs, quàm rei dilectorem illum, qui recuſans addiſcere, quaſi veretur perdere ſtultitiam propriam. Tempeſtivè Seresberienſis: *Verentur tamen perdere imperitiam ſuam jactatores ſapientiæ, non amatores, & id quod neſciunt, pravo pudore neſcire, quàm quærere & diſcere malunt*, &c. Vix ullus eſt adeo barbarus, ut nolit bona, quæ ſapientiam conſequuntur: ſed aliqui diligunt effectus; & contemnunt cauſam: terminum cupiunt, & viam negligunt. Idem Seresberienſis: *Sed*, inquit, *jam ferè malitiâ invaleſcente non quæritur, ſed neglectui ducitur præ iſtis, etiam ſi occurrat. Nam cum omnia bona ſapientiæ acceſſoria ſint, ipſamque conſtet ſuper ſalutem & omnem pulchritudinem appetendam, ipſa cæterorum collatione vileſcit, & ſola ſunt acceſſoria ejus in pretio. Quis enim philoſophatur ut ſapiat?* Qui ſunt ejuſmodi, ſapientiam aliquando volunt primâ facie, ſed velut nolentes volunt.

Ioann. Seresber. l. 7. de nug. c. 12. poſt princ.

Idem ib. c. 15. ante fi.

7. *Sapientiam.* Cum ſapientia, prout antè dixi, ſumatur hîc univerſaliter pro ſapientiæ utilis genere cuncto; dividunt aliqui genus iſtud; & excludunt eam partim: quoniam virtutem nequaquam diligentes, etiam de ſapientiâ non curant illâ, quæ dirigit eam. Animæ culturam peroptant iſti: nam fatemur, ſpiritum per ſcientias exornari. Sed cum virtutes haud ſollicitent, ſimiles ii remanent agricolæ, qui ſeminat flores in agro, de quo poſſet colligere triticum: ornatur floſculis ager; ſed agricola non ditatur gariophyllis, liliis, & roſis. Haud aliter homo de virtute minimè ſatagens, & ſapiens fieri deſiderans, paupertatem patitur exornatam floridè: quod genus inopiæ riſui patet. Quinimo, ſi magis preſſè loqui juvat, dicet quilibet hunc, qui ſanctitate pauper eſt, ac ſapientiâ floret, putativè ſolummodò ſapere; jejuniumque ſocium egeſtatis extendi ſic, ut etiam à ſapientiâ jejunet in pœnam contemptæ virtutis: *quia dignum profectò eſt*, ait Lupus, *ut qui primas partes eruditioni tribuit, non ſanctitati, à refectione ſapientiæ exitiali jejunio excludatur. Quocirca ſi vigilanter poliendo incumbimus eloquio, multò maximè conſequendæ honeſtati atque juſtitiæ operam impendamus oportet.*

Lup. epiſt. 35. med.

8. *Et non invenit.* Hærebit hoc loco memor, apud Salomonem ita legi: *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.* Igitur, quomodo non invenit ſapientiam deriſor ille, cum ſoleat iſta juxta Salomonem inveniri ab his, qui quærunt eam? Tollet hæſitationem qui recolere ſtuduerit Hugonem Card. ad eum Sapientiæ locum; quem ita commentatur: Et invenitur ab his qui quærunt illam, *ubi debent, quomodo debent, quando debent.* In iſtis deficiunt multi: qui vel ſapientiam veram requirunt in ſuperbiæ collibus; vel non uti par eſt laborantes acquirere geſtiunt eamdem; vel eo tempore deliberant ſapere, quo mens per habitus practicos erroneos vitiata, non imbuitur veritate: quia mendaciis aſſueta reſiſtit vero. Necnon advertendum, tria requiri, quò ſapientiam deſiderans inveniat eam. nempe naturam, exercitium, & diſciplinam; Hæc tria requiſita collige de verbis Presbyſteri Pothonis, qui ait: *Hæc de ſtudio ſcholæ illius, quam ſapientia in domo ſua inſtituit, breviter prælibavimus, in qua nimirum ſtudentibus tria ſunt neceſſaria, natura, exercitium, & diſciplina. In natura conſideratur, ut audita quiſque facile percipiat, & capta* (forte legendum: *Percepta*) *firmiter retineat; in exercitio, ut labore & ſedulitate naturalem ſenſum excolat; in diſciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum ſcientia componat.* Genium poſtulat accommodum ſapientiæ, quod non cunctis datum; exercitium, quod non omnibus volitum; diſciplinam plurimis non dilectam.

Hug. Card. in com. ib. n. 13.

Potho Præſbit. l. 2. de ſtat. dom. Dei ante fi.

9. *Doctrina.* Tria ſunt, aliis dimiſſis, quæ reddunt addiſcentem peritum: primum, ut magiſtri documentis diſcipulus animum ſubmittat: quod facillimè præſtabit, ſi dilexerit eum. Quàm ſit autem amore proſequendus, ex Honorio colli-ge. *Plus*, ait, *ergo diligendi ſunt boni doctores, quam parentes. Nec tantum juſtum, ut plus diligantur doctores, ſed utile, ut ſententiæ illius nobis placeant, & verba in eo; quem diligimus; quia quem non diligimus, ſæpe etiam nobis verba diſplicent, illaque fugimus, dum ſtudemus non imitari illos, quos non diligimus.* Experientia notum eſt, ingenia puerorum paſſim artibus apta. Quid non addiſcet amor, puer, & ingenioſus? Secundum requiſitum ad percipiendam ſcientiarum lucem eſt librorum lectio: tertium denique rerum lectarum ſedula meditatio. De utroque dixit ſupra datus Potho: *Principium namque doctrinæ eſt in lectione, conſummatio in meditatione.* Libri commendabiles verè ſunt præceptores, quamvis muti; deſertiſſimi tamen: ſed quia viva vox in docendo plurimum ſuperadit, hanc ſupplet matura conſideratio; quæ quidem vitalis eſt.

Honor Auguſto lun. l. 4. de philoſoph. mund. c. 38.

Poth. prox. ſup.

10. *Prudentium.* De ſcientiis utilibus fit in præſenti ſermo. Quapropter aptè prudentes hîc exprimuntur: quia Clemens Alexandrinus dixit: *Volentem autem ſequi id, quod eſt utile, & principium prudentiæ.* Cum prudentia dirigat in homine geſta minoris notæ, convincitur, multò majori ratione regere operationes attinentes ad partem tationalem; qualis eſt acquiſitio ſapientiæ. Fit inde, quòd nemo ſine prudentia verè ſapiat; nec abſque ſapientia perfectè prudens appellari queat. S. Proſper: *Credo*, inquit, *propterea, quòd nec ſapiens ritè dici poſſit, cui prudentia; nec prudens, cui ſapientia deſit. Quapropter ſi nihil aliud prudentiæ ac ſapientiæ munus accipitur, niſi inquiſitio, & comprehenſio veritatis, qui veritatem prudenter quærere, & ſapienter invenire poterit, is prudens, is ſapiens jure vocabitur.* Sed plures inveniuntur putantes & prudentiâ nimis, & ſapientiâ pollere; quàm veraciter ambabus prædíti.

Clem. Alex. l. 2. ſtrom. longe poſt princ.

S. Proſp. l. 3. de vit. contemplat. c. 29. in princ.

11. *Facilis.* Non dedignatur ſapientia cor-

de prudentis morari; necnon feſtinanter ad ipſum venire: quia non in tranſitu doctrinam percipit ille; ſed velut generoſus ager inſtillatam à magiſtro pluviam retinet; non verò ſicut petroſum deſertum diffluere ſinit aquas. Notat, ruminat, conſervat audita, figens altâ mente quod percipit ſemel: nec imprudentibus dubiis inquietat quod hauſit à præceptore. Tempeſtivè Simeon Junior: *Qui magiſtrum*, inquit, *ac ducem ſuum non ſecus quam Deum auſcultat, & in eo defixus eſt, contradicere non poteſt. Sin autem arbitratur in utramque partem dici poſſe, ſe errare ſciat.* Hanc diſciplinæ capiendæ rationem prudentia gubernat, alumnum docens, ut ſine curioſitate nimiâ curioſus dicta docentis amplectatur candidè; ſique fortaſſis excedunt propriam intelligentiam, ſciſcitetur modeſtè, cùm datur opportunitas. Adeſt Euthymius: *Candidi*, ait, *ſiquidem diſcipuli eſt, omnia quæ jubet præceptor abſque curioſitate excipere, & ubi ſeſe offert opportunitas, verecundè de his interrogare, quæ ejus excedunt intelligentiam.*

Simeon. Jun in capitibus mor. n. 55.

Euthym. in Ioann. 6.

DELIBATIO I.

Juvenum levitas increpatur circa jacturam temporis.

12. *Videtur celeriùs currere juventus, quàm ſenecta.*

SUb orientis auroræ luce nonnulla perperam videntur etiam ab oculo perſpicaci: diſparuere denſæ tenebræ; ſed iſtarum reliquiæ manentes necnon acuta lumina faciunt in quibuſdam allucinari. Proſpicimus tunc fluenta: videntur ſtare; cum jugiter currant. Velut aurora vitæ juventus eſt; licet jam non obſcura penitus. Eapropter non ſolent juvenes intueri perfectè, quàm citato fluxu vita feſtinet. Idcirco poſitus in ætate juvenili non advertit apprimè temporis fugacitatem, & volatum irrevocabilem: terit annos inutilibus nugis, & fit pro ſeriis *deriſor*: unde poſtea, ſi quærat ſapientiam, non inveniet. Sed in hac re non illi ſoli delirant: ſed etiam genitores haud prudenti dilectione laxantes habenam, ſe dementiam voluntariam pati perhibent. Rodolphus in commentario parabolæ noſtræ: *Seriis*, ait, *rebus & honeſtis diſciplinis ſtatim ab ineunte ætate vacandum eſt iis, qui ad frugem pervenire volunt: nam ubi deriſor evaſit quis, non inveniet ſapientiam. Qua in re parentes ſolent eſſe negligentes, qui cum permiſerint liberis ad annos aliquot nugas agere, ad ſanam mentem & ſtudium bonarum artium reducere non poſſunt.* Bellè depinxit adoleſcentiam S. Ambroſius. *Adoleſcentia*, inquit, *ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis.* Si quæramus ab eo, qui floridam ætatem diſſipat ludicris, cui fidat? cur dierum & annorum jacturam faciat? reponet, longum ſibi reſtare tempus, ut rebus honeſtis incumbat; nec eſſe cur properet jam, & ad maturiora maturet. Fallit ſe ſponte veſanus. Ipſemet ſi jam ſenectute langueſceret, coactus intelligeret, ad mortem feſtinare. Vellem (ſi verum per exaggerationem exponere licet) ut exiſtimaret, vitam, priùs quam veniat ad ſtatum conſiſtentiæ, quamvis incipiat, quaſi velociùs ferri. Meditare flumina: nonne magis rapidè currunt paulò poſt ortum, quàm in exitu? Judicabis, quòd, cum fluvii ſe mittentes in æquor nomen deperdant; veluti non ſponte jam in fine fluentes, ut mare ditiſſimum aquis repleant, gradum, ut ita dixerim, quadam ratione detinent, ac ſi non voluntariè tributum pendant. Non ita ſub initiis fluendi; dum vigor fluvii præcipitat eum. Humana vita flumen dicitur à Baſilio. *Flumen*, inquit, *eſt autem vita noſtra perpetuò fluens, & undis alternatim ſuccedentibus plenum: partim enim jam præterfluxit, partim autem currit: & partim quidem jam de fontibus proceſſit, partim verò proceſſurum eſt: & univerſi ad commune mortis mare feſtinamus.* Parum abeſt, ut putem, extare breviores juventutis annos, quàm ſenectæ. Juvenilis ætas creſcens minuitur ita, quòd longe minus viæ, ſeu vitæ conficere credes grandævum, quàm adoleſcentem: baculo nixus ille minùs ambulare dicetur, quàm florens ætate, pulſanſque telluspede valido.

S. Baſil. Mag. hom. 24. inter var.

13. Eccli. 12. 1.

Salomonem conſulamus noſtrum. Ait is: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent*: &c. Non dubitas, annos, iſtos, qui non placebunt, intelligi juxta Cardinalem Hugonem tempora ſenectutis: quæ cum ſit velut morbus, tædio, quod generat, exiſtimatur longa. *Dies*, inquit Hugo, *ſenectutis non placent propter multa incommoda: qui etiam pro ſua tedioſitate longi videntur eſſe: & ideo anni vocantur.* Jam cuique pervium eſt notare, quod Salomon, cum de ſenectute loquitur, uſus eſt annorum vocabulo; cum verò de juventâ facit prædicta verba, non dixit: In annis juvenilibus: nam legimus: *In diebus juventutis tuæ* &c. Non poteſt non in hac mutatione vocis aliquid latere myſterii. Partim videtur hoc inſinuari per Hugonem citatum. Senectus igitur, cum frequentiſſimis anxietatibus moleſta ſit, apparet prolixa nimis; at juvenis ætas, quia frequenter voluptuoſis rebus impenditur, ita brevior ſenectâ videtur, ut collatione factâ prudenter inter ætatem utramque, juventus appellari poſſit, non anni, ſed tantùm dies; atverò ſenectus retineat annorum numerum. Hinc videant ii juniores, quibus pro ratione voluptas, ipſos quò magis tradunt ſe deliciis, eò plùs florentia tempora velut inſtruere novis alis, ut perniciùs avolent. Deſipiunt qui tenere ſe putant vitæ florem tenerũ, ne marceſcat: nam quò delicatior eſt floſculus in prato, minore ſpatio flacceſſit.

Hugo Card. ib.

14. *Vita noſtra deſcendit aſcenſu.*

Adhuc reſpondent præſumentes de vigore ſuo juvenes: Quid vitam, de ſe brevem, nobis per iſtas meditationes reddere breviorem ſtudes? Quiſque noſtrûm adhuc eſt in augmento mortalis curriculi: veniet illa quæ dicitur vulgariter ætas conſiſtens; & poſtquam ſteterit, declinabit: nunc verò ſumus in aſcenſu. Petrarcham

Rodol. in Prov. 14. 6.

S. Ambroſ to. 2. l. 1. de interpellat. Job. c. 7. in princ.

trarcham tibi dono: cujus verba si bene perpendas, ô juvenis, credes, nec vitam stare unquam, nec ascendere. Proponit ille gaudium, q. d. *Juventa nunc saltem præsens est, & senectus absens.* Apud eumdem respondet ratio: *Nil mobilius juventâ, nihil insidiosius senectute. Illa non stat, mulcendoque fugiens abit; ista per tenebras, atque silentium pedetentim subiens improvidos ferit, & dum longinqua fingitur, in foribus est.* Adhuc instat gaudium apud eumdem Petrarcham. *Ætas in ascensu est.* Redarguit illud ratio, dicens: *Insidiosissimæ rei fidis. Ascensus iste descensus est.* Meministi vocatum hominem arborem inversam? Credo, quòd saltem hoc non obliviscaris, quia radices putas viam nostram in peregrinatione fixisse. Si ligno daretur, versis ad infinum ramis, sublatisque radicibus in altum, perdurare; sanè crescret illud nequaquam ascendens; augmentum potiùs descensus foret. Ita cogita de mortalium vita: crescit utique versùs imum: ascensus istius, descensus est.

Petrar. de reme. prosp. fort. dial. 1.

Idem ib.

15. Ægrotavit rex Ezechias lethaliter: eique Vates Evangelicus, loquens in sermone Domini supremum denuntiavit exitum. Monarcha refugit ad orationis præsidium: imploravitque lacrymarum potentiam. Exauditus est coram Altissimo. Propheta melioris nuntii delator, notum fecit ei, quod à Domino perceperat. Cupiit Ezechias aliquod signum futuræ sanitatis. Mirabile nimis obtulit Isaias, inquiens: *Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Antequam locum expendamus, Adverte proportionem signi cum significato; quam ex D. Hieronymo conjicio, dicente: *Quod signum & præsentis temporis, & futuri typus erat: ut quomodo sol reverteretur ad exordium sui: ita & Ezechiæ vita ad detextos annos rediret*: &c. Conformiter ad hanc expositionem, regis vita, quæ processerat, dici valet etiam similis umbræ, quæ jam ascenderat in horologio. Nequeo tamen illud præterire, quod licet Isaias umbræ processum vocaverit ascensum (*Vis ut ascendat umbra* &c?) nihilominus umbræ progressio jam in horologio facta, paulò pòst appellatur descensus: *Reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat* &c. Ne te, lector, moveat stylus dispar: ibi namque mentio fit umbræ, per quam possumus intelligere moraliter vitam. Quid ergo mirum, quòd hujus umbræ progressus, nunc ascensus dicatur, nunc descensus? Augetur mehercle vita, sic urgens ad sepulchrum jugiter, ut etiam, cum ascendit vigens, descendat pariter. Hallucinantur ætate floridi, cùm passus viæ, quam vivendo carpunt, ad tumulum descendere non meditantur: & ideo prodigunt annos cum non detur illis revocare gradum. Fortassis postea serò flebit qui nunc ista contemnit vanus *derisor.*

4. Reg 20. 9.

S. Hieron. to. 5. l. 11. in Isai. c. 38.

4. Reg. 20. 11.

16. *Adolescens fortunatus varò novit seipsum.* De multis, in quibus hi monita deridentes libitâ cœcitate laborant, unum trutinare liceat, quod plurimarum deceptionum radix est; nempe defectus cognitionis propriæ. Vitæ floridior pars conteritur illecebris atque ridiculis; quibus fovetur hominis vanitas dementiæ similis: furorem induit robur; oblivionem inducit vana gloria; prudentes habet ludibrio superbia, risuque digna magnî facit mens illusa. Non longe procedit Olympiodorus, inquiens: *Animo autem juvenili, amentia ferè plerumque annexa est, quæ nihil est aliud, quàm mera vanitas.* Et sicut fumo visus obnubilatur vel acutissimus; ita felicia quorumdam juvenum ingenia fumante vanitate cæcantur, ut propria careant agnitione: nec enim stat cum superbia cognitio perfecta suî; propterea quòd elatio prudentiam tollat; & nisi sis prudens, ut supra notabam, sapiens esse consummatè non valeas. Utere Simeonis dicto. *Quapropter*, ait, *faciundum penitus, ut homo quivis seipsum cognoscat, quòd de se humiliter sentire possit: nam humilitas occulta quædam prudentia est. Ut enim omnis superbus insipiens ac stultus est, ita omnis humilis prudens & intelligens.* Hæc superbiæ levitas juvatur felicitatis aurâ, sicut à vento fumus ut ascendat. Vix credi potest quòd felix in ætate floridâ noscat semetipsum: annis autem provectus fortunatus propriam cognitionem fortasse non obliviscetur. Dum sors & adolescentia dant vela Noto; frequenter oculis mentalibus velum objiciunt, quo fiat ignotus ipsemet sibi: prudens non ab illo quæret aliquid spectans ad notionem suî.

Olympiod. in Eccle. 18.

Sime. Iun. orat. 8. antè med.

Gigas ille superbiæ monstrum, qui terruit Israëlem dum provocaret ad singulare certamen; nequaquam terrorem incussit Bethlehemitico Pastori; cujus humilitas eum solidaverat, ut minimè flatibus elationis alienæ quateretur. Zelo publici ductus honoris David obtulit se duello: denique prodiit lapidibus & fundâ munitus; velut contra belluam pugnaturus. Nullum non moverat lapidem, ut sibi concederetur pugna; sed unico lapide stravit hostem. O quoties nativitatis obscurâ fortunâ pressus insumit plus industriæ ne despiciatur, quasi decorosis functionibus impar; quàm, ut eas exequatur insigniter! Trucidato Goliath victor detulit præcisum caput ejus coram Saüle. Scio, regem interrogasse Davidem, quanam de progenie duceret ortum. *De qua progenie es, ô adolescens?* Saülis mens fuit agnoscere, utrum de bona stirpe natus esset: quia sic oportebat, ut filia regis ipsi traderetur in uxorem. Liranus ad proximè citata verba: *Volebat*, inquit, *scire si esset de bono genere, ita quòd filia sua esset illi competenter assignata* &c. Valde serò dicet aliquis, regem interrogasse Davidem quod sibi multum congruebat agnoscere. Verum est, quòd antea, cum David egrederetur adversus Philistæum, Saül dixit ad Abner militiæ principem: *De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner?* *Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi. Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer.* Vel scisitationem à rege commissam penitus omisit Abner, vel distulit, vel saltem responsum ad Saülem non detulerat cùm

17.

1. Reg. 17.

Liran. ib.

Eod. c. n. 55. & 56.

David regreſſus de pugna fuit introductus coram Iſraëlitico principe. Quidquid horum fuerit, adhuc moroſus exiſtimabitur Saül in ſubjectâ materiâ : nam cum decretæ fuiſſent regales nuptiæ vincenti gigantem, reputabis oportuiſſe, priùs examen fieri generis Davidici : ne pœnitens poſtea rex, judicans, non decere generum ejus fieri, doleret. Quid cunctator Saül? quare non citius percontatur Davidem de progenie ſua? Siſte pauliſper, dum ex libro Geneſis recolo Pharaonem, cùm ingreſſus eſt Jacob ad ipſum, ſtatim rogaviſſe, dicentem : *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* Sciſcitatur mox Pharao Jacobum de re, quæ nihil ad interrogantem pertinebat? & Saül moratur in percontando quod ex ratione datâ valde tangebat eumdem? Fallor, niſi timuit Saül, ne veram reſponſionem fruſtra quæreret ab adoleſcente per monarchæ gratiam felici, de re, quæ ſuî cognitionem concernebat. Ceſſabat hic metus in Pharaone. Rarò propriam agnitionem invenies in adoleſcente fortunato.

Geneſ 47 8.

18. *Solent juvenes abuti donis Dei.*

Hæc ignorantia ſpontanea ſuî frequenter juvenilibus annis ingerit fiduciam, ut ridentia tempora prodigè diſperdant ridiculis, & ſalutaria documenta quivis eorum ſpernat imprudentiſſimus *deriſor*. Sic aſpernantur iſti dona Dei, quibus vireſcit ætas illa : quinimo non utcumque prædictis muneribus abutuntur juvenculi ; ſed uti mediis ad graviſſimas offenſas Creatoris. Quantum hoc diſpliceat, ex verbis collige quæ leguntur apud Malachiam prophetam : *Maledicam benedictionibus veſtris*, addito commentario S. Hieronymi, dicentis ibi : *Qui ſanitate abutuntur in libidinem, & divitias vertunt in luxuriam : bonamque famam ſordida converſatione deturpant : hi benedictiones Dei mutant in maledictionem.* Notum eſt, plurimos etiam ſenes uti perperam Altiſſimi beneficiis. Quidam experientiis acquiſitam ſapientiam degenerare faciunt ad calliditatem : alii congeſtas opes cogunt avaritiæ ſuæ præſtare fomitem : nonnulli filiis committunt ſcelera per ultionem patrare, dum jam per debilitatem ſenilem pares non extant genitores vindictæ per ſemetipſos capiendæ. Nec ſemper mens, ratio, conſilium, in ſenibus eſt : multoties repetiti lapſus contingunt ipſis in fine viæ ſatis graves : cumque vergunt ad occaſum vivendi, tenebris involvuntur lethalibus ; quaſi permiſſum foret eiſdem certò ſpatium adeo longum vitæ, quòd poſt multa prædicta ſenectutis malæ deliria, reſipiſcant atque perdita reſtaurent. Nihilominus cum hoc ſtat, magis proprium eſſe juventutis vitium creaturis uti nequiter : ordinariè frequentiùs reperitur in juvenibus iſte donorum Dei abuſus.

S. Hieron. to. 6. expoſ. Malac. c 2.

19. Salomon, ut oſtendat, unicum ſcopum impiorum, rectâ ſollicitudine vitæ futuræ carentium, exiſtere frui temporaneis voluptatibus, proponit malos agnoſcentes, exiguum, & cum tædio tempus eſſe curſus vitalis : de nihilo natos apud ſe fatentes ; & ſeipſos extituros quaſi non fuerint : corpus in cinerem redigendum ; tranſiturumque tempus vivendi ſicut veſtigium nubis ; atque diſſolvendum ſicut nebulam fugatam à ſole. Putares, ipſos, ex his omnibus manuducendos ut eligerent ſemitam, quæ ducit ad cœleſtia. Crede Salomoni potiùs, quàm tibi : nam affirmat, improbos iſta dixiſſe : *cogitantes apud ſe non rectè :* &c. Veritatum illarum agnitio laudabilis foret, niſi pravo regeretur fine. Perlege Textum ; & videbis malam conſequentiam deductam ex antecedentibus de ſe peroptimis. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* An Sapiens hîc ſupponit, juvenes tantùm ſic loqui? nonne multi grandævi gerunt ſe pariter, ut pueri centum annorum? cur ergo Salomon exhibet eoſdem ſic loquentes? *Utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* Quia proprium eſt juvenibus uti dono Dei pro ſcelere. Hugo Cardinalis illud, *Tamquam in juventute* &c. Interpretatur in hunc modum : *Id eſt tamquam juvenes : qui in talibus maximè delectantur. Malitia enim vel nequitia non ſinit eſſe ſenem.* Abuſus prædictus creaturarum, fatemur, à ſenioribus quibuſdam non exulat ; ſed frequentior eſt in ætate virenti : quæ de muneribus Domini præſumens ; caduca tractans quaſi perpetua, per vanitatem deluditur ultrò ; ſeria ridet, puerilia ſectatur amans & amens.

Sapient. 2. 1.

Ib. n. 6.

Hugo Card.

20. *Quàm graviora ſint pluries aliqua peccata juventutis.*

Doctrinæ datæ contra delirantes in moribus juvenes aliqui non reluctantur ferociter ſed humeris contractis, atque fictâ modeſtiâ reſpondent, illa, quæ damnamus, eſſe quaſdam luxuriantis plantæ ſuperfluitates ; non adeo ſeverè caſtigandas : quia tempori dant quod ſuum eſt, ut aiunt ipſi. Forſan levia putant omnia facta damnabilia, quæ de levitate naſcuntur. Certè leviſſimus eſt ignis, & non ideo nequaquam horrendus : imo terribiliter arbores robuſtas redigit in cineres ; æquat ſolo turres munitiſſimas. Accidit paſſim, quòd adoleſcentia graviùs peccet, quàm virilis ætas : annorum fervor ille, neutiquam preſſus experientiis, renuit mandatis domari ; non ad unicum profilit præcipitium. Ad illud Pſalmi : *Præveni in maturitate, & clamavi :* Remigius ait : *In adoleſcentia quæ ætas eſt immatura & indomita ad cuſtodienda mandata tua. Nam juvenes quantum ſunt ætate ferventiores, tantum ſunt ad ſuperbiam & iram ac luxuriam cæteraque vitia procliviores.* Cum igitur major in eis reperiatur ad iſta proclivitas, eapropter identidem juventute vividi præcipitantur ad inferiora, hoc eſt magis gravia delicta. Dixi ſupra, ferè velociùs currere vitam in vere primo : nunc dicam : Si labitur currens, decidit graviore lapſu qui feſtinat ampliùs. Dictum ſapienti ſat eſt. In hac re non contingit quod evenit in caſu materiali rerum gravium & levium : videmus enim (philoſophus examinet cur ita) levia difficiliùs cadere. Non ſic accidere fatendum eſt haud ſemel in ſpirituali ruinâ ; cum experiamur,

Ad Pſal. 118. 147. Remig. ib.

riamur, inconſtantes nimiùm levitate ſuâ mentes altiùs in ſcelerum profunda ruere. Quod adeo verum eſt, ut ſi caderet in Deum oblivio, potius optandum foret pœnitentibus, ut juventutis eorum peccata Dominus obliviſceretur. Cum hæc piacula, proportione habitâ, ſint fœdiora, dato quòd Deus propriè diceretur oblita recordari; peccator meliora ſapiens, prudenter cuperet potiùs, ut piacula ſuæ juventutis Deus non meminerit, quàm alia malefacta, quæ commiſerat in ætate maturâ.

21. Pſalmographus humiliter quondam poſtulabat à Domino quòd ipſi demonſtraret vias ejus, & ſuas miſerationes reminiſceretur pius. Preme quod addit: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* De ſemetipſo loquitur Pſaltes. Euthymium lege. *Conſidera*, inquit, *quomodo beatus David perfectior admodum effectus pro delictis ſupplicet à ſe in juventute commiſſis*: &c. Et quid verbis adductis Propheta ſupplex orabat? Ut Judex æquiſſimus illa peccata nequaquam reſervans ad vindictam, haberet ſe tamquam ſi deciderent è memoriâ. S. Auguſtinus verba Davidis elucidat, inquiens: *Delicta confidentis audaciæ meæ & ignorantiæ meæ ne ad vindictam reſerves, ſed tamquam excidant tibi.* Laudo quidem timorem vatis ita circa ſupplicium divinum trepidantis, ut erratorum, de quibus in eo verſiculo meminit, oblivionem à Domino poſtulaverit. Sed recolamus dicta Davidis, & ſimul alterius Prophetæ; qui poſt adulterium & homicidium ab eodem rege commiſſum, verbo Domini percuſſit eum. Sermonem hunc audiens *dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.* Nathan potuit, ut pœnitenti Davidi confidentiores adjiceret animos, dicere: Dominus oblitus eſt utriuſque tui dilecti. Quare non ita loquitur? oblitum (verba facimus humano more ſequentes phraſim ejuſdem Pſalmiſtæ) quaſi cupiebat rex Altiſſimus circa delicta ſuæ juventutis? & non ſimiliter eumdem peroptaret immemorem delictorum tam immanium, qualia fuerunt adulterium & homicidium? Fortè non ita, ſi graviora putavit iſtis delicta juventæ propter audaciam, quæ ſolitat his adjungi comes. Itaque de juventutis criminibus timens ille ſibi, petebat, ut ipſorum non foret memor Deus. Haud pariter locutus eſt Nathan de adulterio & homicidio: fortaſſis quia non in juventute commiſit iſta David. Non ergo ſibi ſuadeant juvenes, hujus ætatis piacula dici non poſſe nimii ponderis; ne fiat unuſquiſque per imprudentem confidentiam leviſſimus *deriſor*.

Pſal. 24. 7.

Euthym. in com. ib.

S. Auguſto. 8. in com. ibid.

2. Reg. 12. 13.

DELIBATIO II.

Sæpe quærit homo ſapientiam ubi non eſt.

22. CUm deriſores perpendo, non curantes addiſcere congruentia ſibi, dubitabam utrum in eis fallat Ariſtotelis regula dicentis: *Omnes homines natura trahuntur & & ducuntur ad ſcientiæ cognitioniſque cupiditatem* &c. Potius dicam (paucis exceptis) illos quidem cupere ſapientes, ut putant, fieri: ſed non eâdem via tendere: non enim omnes in eodem conſtituunt ſapientiam; quam diligere profitentur, & aliqui jam habere ſomniant. Quidam tunc ſe putant ſapere, cùm aliorum ſcientiam verbis minuunt: alii diſertos judicant ſeipſos, quia detrahunt acutè: non pauci reputant ſemet propterea ſcientes, quia divitiis abundant: nonnulli conſiſtere ſapientiam credunt in multiloquio: tandem ſunt, qui (cæteros omitto) quia poteſtate fulgent, idcirco ſapientiſſimos exiſtimant ſemetipſos. Iſtorum omnium deceptiones aperiam ſingulatim. Sumamus exordium ab illis, qui de reprehenſione aliorum (quæcumque ſit illa) ſibi vendicant excellentiam; quaſi ſuſtollantur alienâ depreſſione. Facit huc Nazianzenus, inquiens: *Quicumque voluerit ſcientiæ ſibi vendicat ſummam, & profunda ſpiritus intra ſe eſſe deputat. Omnes autem ex hoc docti & catholici volumus videri, ſi alios reprehendamus & impios judicemus.* Qui ſunt ejuſmodi curant, ne putentur ex invidia loqui de aliis abjectè; ſimulque fugillant aliena dicta, velut imprudentia; quò ſic exiſtimentur illos excedere, quorum ſententia ſibi non placet. Quin & obtinent intentum finem ſæpe: non enim ſemel habetur præditus excelsâ mente, qui livore carens damnat alienum judicium tamquam non prudens. Ita deſipiunt homines vulgariter, ut eximius reputetur in judicando qui diſplicet in alterius placito.

Ariſt. l. 1. Metaph. c. 1. *Sapiens aliquando judicatur, cui ſine livore diſplicet aliena ſententia.*

S. Gregor. Nazianz. in apolog longe poſt med.

23. Perfidus Abſalom jam factus aperto marte genitoris adverſarius, numerabat in conjuratione ſuâ virum inſignem Architophel; de quo legimus: *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum*: &c. Doluit rex David Achitophelem inter conjuratos reperiri: propterea ſuaſit amico ſuo Chuſai, quòd ſe transferret in Abſalomi partes, ut ibi munus ageret exploratoris, & conſilium diſſiparet Achitophelis. Ille receptus à parricida fuit. Contigit, ut Achitophel arbitrium offerret Abſalomo, quod ei placuit. Sed Chuſai demolitus eſt conſilium Achitophelis; & aliud præſtitit. Notabam, Achitophelem feciſſe prædictum ſermonem, quin à principe rebelli fuiſſet interrogatus utrum hoc expediret; Chuſai verò non ita; ſed poſtquam Abſalom dixit ad eum: *Hujuſcemodi ſermonem locutus eſt Achitophel: facere debemus an non? quod das conſilium?* Notatu dignum puta-

2. Reg. 16. 23.

Ib. c. 17. 6.

bam, quòd Achitophel acceleraverit conſilium præbere, quin rogaretur; non ita verò Chuſai; cum tamen hic apud Abſalom haberetur conſilio magnus, & ſibi fidelis; de quo Sanctius: *Abſalomo tamen viſum eſt, ut ad illam etiam conſultationem aſciſceretur Chuſai, quem & virum norat eſſe magni conſilii, & ſibi fidelem fore arbitrabatur.* Ratio dubioli videtur in promptu poſita: quia ſcilicet Achitophel non contendebat parare ſibi nomen prudentis per alieni placiti dejectionem (cum ipſe famigeratione plurimâ potiretur, ut ex prædictis liquet) ideo non eſt ampliùs immoratus in conſulendo, quaſi præſtolaretur, ut priùs alter ſuffragium ferret, cui ſeipſum opponeret. At verò Chuſai deſiderabat ſuperare tunc Achitophelem, ſic ut pro deliberatione præſenti prudentior haberetur illo. Ingenium, quòd ipſe forſan cogitavit, audi. Simul Achitophelis conſilium rejecit, & ne putaretur invidus, laudavit illum indirectè. *Dixit Chuſai ad Abſalom: Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Commentatur Lira: *Q. d. licet ſit ſapiens homo, & conſuetus dare bona conſilia; tamen defecit iſta vice. Hoc autem dixit Chuſai, ne videretur contra Achitophel invidia moveri: & ideo licet de ſapientia eum commendaverit generaliter, non tamen in hoc facto*, &c. Suſpicor, hæc animo voluiſſe Chuſai: Nunc oportet me reputari prudentiâ maximum; quò ſic omittatur Achitophelis conſilium, & Abſalom ſectetur meum. Ad hoc ut id obtineam, ſignificabo, mihi non arridere placitum ejus; ita quòd inſinuem, nequaquam ex invidia me ſic locutum, cum eumdem tacitè laudem: nam hæc diſplicentia de alieno judicio, ſi livor abeſt, ſæpius exiſtimatur de celſitudine mentis prodire, quaſi ſenſu meliore polleat, qui cenſor auſterus reprobat alterius dicta. Sic maximus habetur qui magnam effecit umbram, qua cæteros nititur obſcurare. Hac via non rarus *quærit deriſor ſapientiam, & non invenit*: &c.

Sanct. in com. ib. ad v. 1. n. 1.

2. Reg. 17. 7.

Liran. ib.

24. *Aliqui ſe probare volunt ſapientes eo quòd verbo feriant.*

Gradum faciamus ad alios, qui mentis aciem, & ſcientiam conſtituunt in acumine multo, quo famam pungunt alienam. Iſti linguâ velut acu pungunt ſapientiam, quam de punctionibus extolli faciunt apud eos, qui voluptatem ex alienâ detractione capiunt. Acûs pretium obolus eſt peracutæ: nec ideo quia ferit, pluris valet. Pauperum eſt inſtrumento comparare tam vili nomen ſibi: quinimo brutorum eſt morſu delectari. Fruere S. Hieronymo: qui fortè loquens ad rem noſtram, de quibuſdam, qui ſæculum reliquerant, ait: *Qui verò pauperes ſunt & tenui ſubſtantiola, videnturque ſibi ſcioli: pomparum ferculis ſimiles procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam.* Odioſum nimis eſt vitium detrahentis: vereretur forſan detractor ab univerſis odio haberi, niſi motivo ferretur aliquo non minimo. Quidam, ut venentur gratiam potentum, coram eis atrociter cædunt abſentem, quem potens habet exoſum: ſic negotiantur ampliùs aliquando, quàm ſi magnati prædicto multa præſtarent obſequia. Alii carpunt honorem alterius, ut mitigent conceptum gravem dolorem injuriarum, quas ab ipſo pertulerunt: & inſani felle murmurationis dulcorare ſatagunt amarorem læſionis antiquæ. Multi reperiuntur, qui propterea famam vellicant alienam, quia cum ſimiliter loquentibus converſantur; quorum niſi ſequantur mordacia dicta, conſulant capiti ſuo: nam qui detractoribus reſiſtit, vel tacet, habetur ſuſpectus; & propter hoc in eum vertuntur hoſtiliter arma linguæ. His omiſſis, aliud eſt maledicorum genus terribile: quia videtur nobiliſſimâ ratione duci. Sunt illi, qui detractoria verba promunt, ad hoc ut putentur ingenioſi. Iſti judicant, eò ſe probare ſapientiores, quo lingua feriunt acutiùs: ſapientes volunt credi per aſtutiam, qua de labiis evaginant enſem.

S. Hieron. to. 1. ep. 1. ad Ruſt.

Patientiâ ſuâ celeberrimum certamen inceperat pati Jobus, animo ſtans; in reliquis expertus ruinas miſerabiliter utiles. Etiam cœperat impugnatores audire patienter amicos; vel ut meliùs dicam, habentes amicitiæ ſanctum, & venerabile nomen: non enim ſolet arbor humi jacens diligi, ſicut aliquæ ferentes optatum fructum; ſed potiùs durâ ſecuri cædi. Unus de tribus amicis Eliphaz, ut Jobum argueret iniquitatis, in Dei laudes prorupit. O nequitiam! quid non adulteras? etiam Altiſſimi præconia ſic audes temerare fine pravo? Pro laudatione Domini dixit ille: *Porrò ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum*, &c. Cogitabam veſtigare, cur non gladium dixerit in manu prædictorum poſitum; ſed gladium oris pronuntiaverit? cum ſtatim ſubjungat: *Et de manu violenti pauperem.* Conjiciebam, ita fatum fuiſſe, quia paulò priùs dixerat, ſapientes iſtos; & notaverat illorum aſtutiam, inquiens: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*, &c. Quia verò quidam ſunt, qui ſapientiam oſtentare ſolitant ferientes verbis, idcirco forſan dixit: *Gladio oris eorum*, &c. Hi quippe, ſicut enſis eò melior eſt, quò vulnerat acutiùs; ita ſe judicant, ſapientiùs verba facere, ſi peracuti feriendo proximos audiantur. Non hæc illuſio ſit admirationi: ſunt enim de mentis præſtantia turgentes nonnulli ſic audaces, ut ipſi Deo contraire præſumant, humanâ ſapientiâ tumentes. S. Gregorius Magnus: *Sæpe enim nonnulli humanâ ſapientiâ inflati, dum deſideriis ſuis divina judicia contraire conſpiciunt, aſtutis eis reluctari machinationibus conantur*: &c. Non ergo mirum, quòd homines impugnent qui ſic in Deum audent. Sed fruſtra quærunt hoc pacto decorari detractores: quia nequitiam ſuam nolentes aperiunt prudentibus; quatenus obtrectatores, cum lacerant bonos labiis, indicant, ſe virtutibus carere, quas linguâ diſcerpunt. Ad eumdem Pontificem redi ſuper illa verba: *Iniquitas autem contrahet os ſuum.* Ibi ſic habet: *Nunc enim malus bonis derogat, & recta, quæ agere negligit, hæc in aliis obtrectando lacerare non ceſſat.*

25.

Iob. 5. 15.

Ib.

Ib. n. 13.

D. Greg. Pap. to. 1. l. 6. mor. c. 12. in pr.

Iob. 5. 16.

D. Gregor. prox. ſup. ante fi.

ceſſat. Ecce quàm inutiliter quidam ex aliorum denigratione colligere geſtiant ſibi decus.

26. *Pauper quãdoquc non honoratur tamquam ſapiens.* Sequitur increpare ſuperbos illos, qui divitiis onuſti, ſe propterea putant ſapientiâ plenos. Et amplius eſt, quòd vulgus eorum ſtultitias deauratas reveretur; ac ori digitum ſuperponens auſcultat, ſuſcipit, atque plaudit: quia numeratur inter ſapientes, qui, dante loquendi facultatem opulentâ fortunâ, ſententias depromit Platonicas cum ſupercilio, ſine oculis. *Qui dives eſt*, ait Seresberienſis, *qui proſperatur in viis ſuis, ſapiens & felix indicatur.* Et infra miſeriam pauperis memoratur, quem ſic inopia ridiculum efficit, atque deturbat, ut ſtultitiæ notetur ſemel quod egenus eſt. *Interim quicumque non habet divitias ſtultus eſt, aſinus, ſtipes, caudex, plumbum, aut ſi quid inſenſibilius eſt. Stultus ergo miſerque eſt ſi quis pauper.* Ita Seresberienſis idem. In contrarium ſtat veritas: nam ſicut affluentiâ rerum declinant frequenter homines ad vitiorum tenebras; ita ſæpius incurrunt intellectus caliginem: cum etenim eis per opes ferè cuncta licere putentur, ad ſenſitivas functiones ita præcipites eunt multi, quòd vim rationalem pene videntur amiſiſſe. Seresberienſis idem: *Ut ergo Publius* (alia lectio habet, *Publicus*) *Carpus ait, divites pauperibus miſeriores ſunt, eo quod à ſapientia longius abeunt. Appetitus divitiarum ſapientiæ excluſio eſt, & fuga virtutum; fœcunda virorum paupertas, naturam optimam bene vivendi ducem imitatur, & virtutum parens & cuſtos eſt.* Non iſta facilè ſuadebis turbæ; quæ dites ut Catones admiratur; cenſu verò catentes putat inſenſatos. Et ſi quando fortè judicium alicujus inopis neceſſitate compulſi libenter amplectuntur homines; non ideo magnificiunt eumdem; ſed habent ſe quaſi cenſentes, illum caſu tetigiſſe verum. Nil prodeſt apud vulgares homines pauperi viro prudentia ſua, quò tamquam ſapiens honoretur.

Joann. Seresber l. 5 de nug. c. 17. poſt med.

Idem ib.

Idem ib.

27. Diſcribit Salomon civitatem obſidione preſſam hoſtili: quam induſtriâ ſuâ pauper ſapiens eripuit: nec tamen ideo poſt hæc benefactoris memor extitit populus ab hoſte liber effectus. *Inventuſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis.* Forſan hoc non eſt parabola; ſed hiſtoria. Non præcipito ſententiam: quia loquitur in hac re ſub dubio Dionyſius Carthuſianus, dicens: *Quod ſequitur, potuit eſſe res geſta, vel ponitur pro exemplo.* Dato, quòd caſus hic ita verè contigerit; mirabar, incolas illius urbis non ſaltem exteriùs, ut probarent affectum circa bonum publicum, honore ſapientem illum affeciſſe; qui per mentis auxiliares copias eruit civitatem à diſcrimine bellico. Jam non eorum gratitudinem requiro; ſed proprii decoris dilectionem expoſtulo: ſciens, decoroſum eſſe valde civibus, amorem teſtari facto, verbiſque, reipublicæ, qua morantur. Donarent aliquidne miſero prædicto de propriis facultatibus illi, ſi præconiis efferrent ſapientiam ejus; perpetuò memorantes, quòd eorum liberator extiterit auxilio prudentis induſtriæ? licet verba facerent auri pretio digna, meritò ſumptus iſtos expenderent pro condecorando quaſi redemptore civium. Quid immemores adeo reddidit eos atque contemptores? Hominis illius egeſtas motivum extitit ipſis, ut hinc occaſione ſumptâ, fortaſſis putarent, non eum veraciter ſapientem; ſed caſualiter agnoviſſe medium, quo ſalva fieret urbs. Honorarent eumdem, ſi foret opulentus; indigentis obliti ſunt ingrati. Prodeſt audire S. Hieronymum; quamvis non examinem, putaveritne parabolam, vel hiſtoriam. *O ingrata*, inquit, *hominum oblivio: poſtquam fuerint liberati, & ſoluta captivitas, & reddita patriæ libertas: nemo meminit ſapientis illius pauperis: nemo refert gratias pro ſalute: ſed omnes honorant divites, qui in periculo nihil ſubvenire potuerant.* O ſortem infelicem nimis indigi viri: quem non tantùm aliis honoribus deſtituit exiſtimatio cœca mortalium; ſed etiam in eorum opinione veluti privat egenum dotibus animæ! Ingenio vacuum credit: necnon ſtudiorum fructibus autumat ſterilem.

Eccle. 9. 15.

Dion. Carth. in com. ib.

S. Hieron. tõ. 7. com. in Eccle. ib.

28. *Multa loquens reputabit ſilentem fatuum.* Veniamus ad infimi vulgi ſciolos: quorum verboſitas ipſis videtur facunda; ſapientiæque ſimia ſit ſermonis fœcunditas inanis. Torrentem ſi videas hyberno tempore perſonantem, fluidum copioſè lymphis, exiſtimabis flumen abundans nativis aquis. Alienæ ſunt penitus undæ: multa miſcet hinc & inde convulſa: citò dereget inopiam ſuam, ſi pauliſper expectes. Haud aliter verboſus, & inſcius, cum ſit aridior arenis Libiæ, mittit quaſi torrens orationem præcipitem, feſtinato nimiùm decurſu. Non oriundis è mente propria diffluit; ſed furtiva fragmenta commiſcens de variis aliorum ſuppellectilibus, monſtrum componit imprudenter; & ſapientium rhetoricam imitari conatus, figuram exhibet ille diſertiſſimi: plauſuque libenter à plebe proclamatur; cum promeruerit ſibilari. Non valde condemnarem hîc riſum: nam iſte loquax ſicut ebrietate rapitur, ut plus æquo dicat. Sanè mundana ſapientia vino poteſt æquiparari. Angelomus ait: *Sapientia autem ſæculi, quaſi quoddam vinum eſt. Inebriat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit.* Sic apud quoſdam invaluit, ut ex multiloquio probetur excellentia mentis, quòd, ſi coram loquente plura ſileas, fatuus ab eo cenſearis. Taciturnitas apud non garrulum admirationi quidem eſt; in conſpectu vero ſermones multos proferentis, permanens tacitus irridebitur, ut judicio non ſanus.

Angelom. in Cant. 1. longe poſt pr.

29. Qui condidit orbem, & in extremâ die judicabit majeſtate fulgens, olim reus innocens adductus eſt coram Pilato, remiſſuſque fuit ad Herodem à Præſide. Rex ille Dominum illuſit, & indutum albâ veſte miſit ad Pilatum. Notabam, Præſidem nequaquam ſimiliter ſpreviſſe Dominum. Quare non, ut placeret Judæis?

dæis? Exiſtimo, regem habuiſſe Redemptorem quaſi fatuum. Patrocinatur Carthuſianus. Sprevit illum Herodes cum exercitu ſuo: *Tamquam ſimplicem & fatuum*, &c. Sed cur non pariter Pilatus eum fatuitate laborare cenſuit? quid eſt quòd ſimplicem & ſtultum judicavit Herodes? Reſponſum dabit proximè citatus Carthuſianus, dicens: *Eo quod nec ſibi, nec accuſatoribus quippiam reſponderet.* Adhuc pungit ſcrupulus. Nonne legimus apud Matthæum, Dominum ſiluiſſe coram Pilato; proptereaque Præſidem fuiſſe demiratum valde? Textum conſule. *Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* Silentium Salvatoris admirationi fuit Pilato? Herodi autem, ludibrio? miratur ille reticentem? iſte fatuum reputat? Vide. Narrat Evangeliſta Lucas, quòd multa locutus eſt Herodes tunc; ſed mitiſſimus Agnus nil repoſuit ei. *Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat.* Non tale de Pilato legimus. Apud loquentem plura fatuus exiſtimabatur qui tacet: quia verbis nimis profluus in multiloquentia ſapientiam ſuam conſtituit. Arbor in anno, quo nimis fructificat, fructus edit minores, & aliquando minus bonos: haud ſapiunt meliùs ex multitudine. Sic & homo germinans eruditionis partus, non propterea ſapit excellentiùs, quia multitudinem verborum labiis promit indefeſſus; atque ter & ampliùs idem replicat aliâ phraſi grammaticam fatigans. Dic ſemel, & bene dixiſti: quò brevior fueriſ, claritate ſervatâ, magis pónderosè loquêris.

Dion Carth. com. in Luc. 23. art. 49.

Idem ib.

Matth. 27. 14.

Luc. 23. 9.

30. *Putant aliqui, ſe de poteſtate ſapientiores quocumque ſubdito ſuo.*

Tandem aperiamus errorem aliorum, qui ſapientiam quærunt in poteſtate, proptereaque non inveniunt. Hi per potentiam ſumunt alas: & ſemel quod volant ſe credunt aquilas; quaſi non etiam volarent corvi. Cum verba faciunt, imaginantur ſe luſcinias, eo quòd auſcultentur à minoribus reverenter. Etiam hirundines dant ore ſonos, & moleſtiſſimè trinſant, non hyemis tempore; ſed cum prata rident. Sic illi quandiu repunt humi ſilentia diligunt; ſi proſperitatem conſequuntur celſam, fari non deſiſtent importunè. Præſertim ſe ducunt ſapientiſſimos, comparatione factâ cum eis, quibus imperant: exiſtimantes, iſtos attingere non poſſe quod ipſos latet. Fallunt ſuperbè: *multa ſiquidem dominum quandoque latent, quæ ſubditis innoteſcunt.* Ita ſcribebat quondam Bleſenſis ad Anglorum Regem. Dominatio nec alterius infundit ſpeciei mentem; neque priſtinam reddit ampliorem: imo rerum gerendarum pluralitas in dominante velut coarctat ſphæram intellectûs illius. Ideo præcitatus Bleſenſis in eadem epiſtola dixit ad monarcham prædictum: *Licet præ cunctis regibus terræ ſubjectorum mores, veſtrique regni ſtatum noveritis: quia tamen humanum tranſcendit ingenium omnium habere notitiam, quæ in tot & tam diffuſis provinciis fiunt, audite pauca*, &c. Accepit rex prudenter quæ ſcripſit ad illum Archidiaconus; nec legere dedignatus eſt ſalutaria. Non ſic invenies paſſim dociles alios multò minori ſolio collatos: etſi priuſquam eveherentur ſtupidi forent, atque velut inſenſibiles; mox ut eis regnare datum eſt, jam exiſtimant ſe peritiâ magnos adeo, quòd maximos, quibus præſunt, valeant obumbrare, quin & aſtutiâ decipere. Naturâ parvi, poſt augmenta fortunæ, ſubjectos umbrâ tegere poſſe judicant; & eos ingenio ſic præcellere, quòd facillimè queant eos verbo circumvenire.

Petr. Bleſ. ep. 95. ad Regem Angliæ.

Idem ib.

Abimelech occiſis ſeptuaginta fratribus, uſurpavit imperium ſibi tyrannicum. Frater minimus, qui cædem evaſerat, ut populum reprehenderet, quòd iniquè conſtituiſſet Regem Abimelech, propoſuit celeberrimam arborum parabolam: cujus corticem non egreſſus confirmabo proximè dictum ponderatione quadam. Voluerunt ligna ſtatuere ſibi regem: obtulerunt regnandi facultatem olivæ. Recuſavit illa: ſimiliterque ficus & vitis. Præponere decreverunt ſibi rhamnum: de quo Lira dixit: *Rhamnus ſecundùm Iſidorum eſt dumus parvus, qui vento agitatus ex ſe emittit ignem.* Attende quid rhamnus dixerit lignis. *Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Duplex notatiuncula nobis offertur expendenda. Prior eſt. Rhamnus, ut ex dictis colligitur, non eſt maxima plantarum: quomodo præſumit umbram efficere talem, ut ſub ea requieſcant arbores illæ, quæ velut nubes vertice tangunt? Poſterior eſt. Qua veritate credi poſſet, habitura ligna requiem ſubter umbram rhamni, quin timore concuterentur ignîs emittendi, vento poſtea flante? Unum & alterum nodulum breviter diſſolvam. Ad primum. Sterilis quidem rhamnus eſt & parva: ſed quaſi putabat, ſic fore magnam poſtquam regnaret, ut umbraculo ſuo tegeret cedros Libani, ſemel quod & iſtæ ſubderentur illi. Ad ſecundum. Rhamnus agitata vento mittere ſolet ignem; ſed obtulit umbram, quaſi ligna periculum illud uſtionis haud adverterent ſtultè. Non diſſimiliter quidam: priuſquam extollantur in altum ſteriles, ac infelici conditione parvi: ſtatim atque dominatum ſortiuntur, ſi contingat ſubditas habere cedros elevatiſſimas, phantaſia ſuadet illis, has poſſe contegi ſub ejus umbrâ: necnon & putant ſubjectos, ut fatuos, ignorare diſcrimen, quod ipſis imminet ab acutâ rhamno; cum iſtius acumen ſpinæ ſint, nec aliud. Igitur quia ſapientiam quærit alius in poteſtate, alter in multiloquio, quidam in divitiis, nonnullus in detractione, aliquis in abjiciendo cæteros; idcirco non datur illis invenire ſapientiam, quam requirunt ubi non eſt. *Quærit deriſor ſapientiam, & non invenit*: &c. Hugo Cardinalis: *Quia malè quærit: vel quia ibi quærit, ubi non eſt.*

31.

Liran. ad verb. Iudic. infra prox.

Iudic. 9. 15.

Hug Card. in Prov. 14. 6.

DELIBATIO III.

Qualiter Deus quærendus? de procraſtinantibus; ac laudabilitate virtutis; oculis mentalibus claudendis; & contemptu rei ducentis ad ſpiritualem ruinam.

32. *Fruſtra Deum quærere proponit qui fertur ad hoc ex affectu creaturæ.*

QUærit. Licet ad litteram de quærente ſapientiam ſermo fiat à Salomone: tamen ſenſu morali non violenter aptari poteſt illi, qui poſt ſalutaris viæ deriſionem, quærit eum, qui Sapientia Patris eſt. Dominum plures inquirere deliberant poſteaquam per varios errorum circuitus ambularunt: nec inveniunt, quia malè requirunt. Aliqui reperire cogitant Salvatorem in hujus vitæ requie; ſed fruſtra. Dulce canit Vates:

Hug. pi. deſid. l. 2. pœm. 10. *Ah! malè te placido quæſivi ſponſe cubili;*
Qui crucis in thalamo reperiendus eras.

Non pauci lilium, ſcilicet Chriſtum Dominum, quod gaudet convallibus, non in humilitate, ſed in ſuperbiæ colle ſollicitant fruſtraneè. Feliciter invenerunt eum diſcipuli humiles, & Scripturarum arcana penetraverunt ſapienter. Bedà in hunc locum Parœmiaſtæ, quem ruminamus.

Bed. in Prov. 14. 6. *Diſcipuli, qui ſe humiliter*, inquit, *auditui veritatis ſubdiderant, accepta ſpiritûs gratia non ſolummodo Chriſtum Dei filium cognoſcere, ſed & abdita ſcripturarum intelligere meruerunt.* His omiſſis, ad illos pergo, qui Deum quærunt propter creaturam. Quomodo continget invenire, ſi rectum commutant ordinem, finem ultimum adhibentes veluti medium ad hoc ut creaturæ placeant? Res creatæ virtuosè volitæ mediant ſæpius ut inveniatur Deus: inordinatum eſt autem uti Domino tamquam viâ pro fine perituro conſequendo. Sepono cunctos inquirentes Deum propter creaturas ita, quod in iſta delinquant inquiſitione fatuâ. Solùm adnotabo nonnihil de ſollicitantibus ex affectu bono creaturæ Dominum. Sanè meliùs iſtos omitterem: non eſt enim cur tamquam res magnî momentî reputetur deſiderium inveniendi ſummè bonum Deum, cui motivum ſubminiſtrat affectio rei creatæ. Aves Dei vultum cernere, quo ſic morigereris humano cordi? quid maximum eſt hoc? Imo fruſtra quærere proponis ita Deum.

33. Diſceſſit Sponſus Canticorum à foribus dilectæ: quoniam renuit illa januam reſerare. Serò tandem prodivit è domo, percuſſaque fuit à cuſtodibus urbis, & ſpoliata pallio. Dolens ipſa filias Jeruſalem adjurat, ut ſi dilectum invenerint, nuntient ei quòd amore langueat. Ad compaſſionem ipſæ videntur inclinaſſe:

Cant. 5. 9. propterea quæ dixiſſe: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Fortè jam tacitè deſiderium quærendi Sponſum inſinuaverunt filiæ Jeruſalem, quod

Ib. n. 17. poſtea verbis indicarunt, dicentes: *Quo declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Ecce duplex votum afficiebat *filias Jeruſalem, id eſt, minores*, ut commentatur Hugo Cardinalis. Prius ut indicaret eis qualis eſſet Sponſus. Huic deſiderio fecit illa ſatis: deſcribens elegantiam dilecti ſui, prout in eodem capite legere cuique licet. Poſterius erat quærendi Sponſum pariter cum dilectâ. Non ad iſtud Sponſa repoſuit ſecundùm earum intenſionem: nam etſi verba: *Dilectus meus deſcendit in hortum* &c. ſint reſponſio præſtita filiabus Jeruſalem: non tamen exprimunt, ſponſam acceptaviſſe conſortium ipſarum in Sponſo quærendo: quinimo per verba proximè citata nequaquam repoſuit juxta mentem earum. Dicta verba ſic explicat idem Purpuratus: *Filiabus quærentibus: quo abiit Sponſus, reſpondet Sponſum ipſum in ſeipſam deſcendiſſe, ut ipſæ eam imitentur, ſi Sponſum velint invenire. Nam ipſa eſt hortus:* &c. Certè ſponſa cum adjuravit filias Jeruſalem, non dilectum quærebat in ſemetipſa. Volebant illæ Sponſum requirere, cum ſponſa; non tamen in eâdem. Putares, hanc potiùs dicturam: Ego quidem ignoro quònam abierit; ſed quærite mecum. Quare non ita loquitur? Quia non multî duxit eſſe faciendam voluntatem illam filiarum Jeruſalem de quærendo ſponſo: quippe movebatur ex affectu ſponſæ, cui compatiebantur, ut amore languenti. Parvifecit iſtiuſmodi votum ipſarum (nec eſt executioni datum) quoniam non eſt numerandum inter maxima quòd inquiras Deum ex amore creaturæ. Non ſic requirebat amatum ſponſa. Cardinalis idem: *Languet enim amore ſpirituali tota tendens in Deum, & terrena jam omnino deſpiciens* &c. Ex his colligat vir perfectus, quare non ſemel homo Deum, qui ſumma ſapientia quidem eſt, requirens non inveniat: quia ſcilicet ex amore lucri temporalis inquirit eumdem, quaſi non clauderentur in eo cuncta bona creata. *Qui Deum*, ait Lupus, *quærit bona voluntate, in quo eſt ſummum bonorum omnium, cuncta intra ſe bona perfectaque continens, nihil aliud quærit, niſi ſempiternum in cœlo gaudium.*

Hugo Card. in Cant. 5. 8.

Cant. 6. 1.

Hugo Card. ib.

Hugo Card. ad Cant. 5.

Lup. hom. 1. de S. Uvigberto, ante n.

Deriſor. Hoc vocabulo magiſtri ſpirituales increpant quandoque nonnullos in quærenda ſapientiâ practicâ (hoc eſt virtute) procraſtinantes adeo, quòd negotia ſpiritûs deridere perhibeantur. Vix eſt intelligibilis mora, qua multi, propenſi quidem ad bonum, differant aggredi ſeriò vitæ callem; ac tempora dilabi ſinunt incertiſſima, tendentia jugiter ad certam vitæ metam. Non omnino tradunt oblivioni ſalutem; ſed craſtina ſemper amant. In bellis materialibus aliquando proficua fuit iſta cunctatio: nam prælii dilatâ nimis die, vires hoſtium nonnunquam ſenſim decreſcunt, & ita cedendo cæditur adverſarius. Non ita contingit in certaminibus cum hoſte communi: nam hic perſpiciens, hominem recuſare conflictum, nec viribus minuitur, nec deſiſtit impugnare fortiter languentem: quin ideo magis oppugnat illum, quia cernit jacentem deſidiosè. S. Iſidorus Peluſiota:

34. *Reprehenditur procraſtinantes aggredi ſemitam vitæ.*

S. Iſidor. Peluſ. l. 5. ep. 369.

Ubi enim, ait, *dæmon novit homines in diem vivere, futurum verò ſit* (videtur aliquid in his verbis Peluſiotæ deeſſe) *incertum, oppugnat illos, ac præſentia quidem fallens, deque futuris inaniſpe lactans qui hodiernum diem ſemper præſentem arbitrantur, à ſe perſuaſos præcipitat.* Non loquor nunc de illis, quorum ſic merguntur corda vitiis, ut nec animo concipiant propoſitum ſapiendi meliora; nec in mentem veniat eis de cœno ſurgere: deſero prorſus iſtos, velut in tartari præludiis poſitos. De aliis dicam illuſoribus: qui ſæpius deliberant converſionem ſuam, & nunquam exequuntur. Nullus prudens agnoſcere credet horum animos: nam ſi propoſita perpendantur illorum, videntur juſti; cum appropinquare Deo diligant: ſi verò facta notentur malos judicabis eos etiam in exiſtimatione ſuâ; quin & neſcientes vias Domini. Quod iſti ſciunt videntur ignorare; velleque putabis quod nolunt.

35. Jubetur Iſaias exaltare per modum tubæ vocem: & meritò de tubâ mentio fit cum annuntiare præcipitur populo ſcelera; quibus hic degenerans à filiatione Dei, vel factus eſt hoſtis, vel bellum protraxit. Attende maturiùs quæ ſequuntur: *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me judicia juſtitiæ: appropinquare Deo volunt.* Implicatus aliquantùm locus eſt: nam ſi Judæi volebant ſcire vias Domini; quomodo ſimul inſinuantur mali? neſciebantne calles rectos? Non eſt cur noſtra cogitatio conetur enixè veſtigare perfectiſſimè qualiter ſe habuerint iſti corde: cum enim differrent appropinquare Domino per converſionem): *Me etenim de die in diem quærunt*) volebant nolentes; & nolebant cupientes accedere: proponebant regreſſum à delictis ad viam ſalutarem; & non movebant pedem: quaſi neſcientes viam Dei; proptereaque ſcire deſiderantes. Non in ſolis Hebræis hæc notatur cunctatio. Ad Vatis Evangelici Textum, ſuper illa verba Domini: *Me etenim* &c. dixit Commentator Luſitanus: *Ita nunc multi de die in diem proponunt ſe à vitiis ad Deum converſuros, at nunquam convertuntur: ſimiles nautis in portu; qui quotidie proponunt egredi, & dare vela ventis; & nunquam ſolvunt, donec præterito navigandi tempore, navis in portu putreſcat & conſumatur. Prætereunt quadrageſimæ & quadrageſimæ, & nunquam à vitiis abducuntur, quotidie ſe ab illis abducere proponentes.* Voluntarius error unus ducit eos in alium. Toto cœlo prorſus aberrat qui figit anchoram in criminum pelago, quaſi placido portu. Fit inde, quòd ad ſalutis tutam ſtationem navigare pigreſcat; & modò conetur è littore ſolvere; modò perſeverantiam peſſimam protelet. An hic non dicetur *deriſor*?

Iſai. 58. 2.

Fr Hect. pint. in Iſai. ib.

36. *Virtutis laudabilitatem peccatores utplurimùm non ignorant.*

Sapientiam. Novum non eſt, virtutem nomine ſapientiæ deſignari. Variis in locis hoc ſæpe me notaviſſe memini, dum expenderem, quòd, ſicut verè peccator ſtultitiâ laborat; ita ſapientiâ prædituſ juſtus eſt. Ille theſauros incomparabiles theſauros felicitatis æternæ dimittit pro conquirendis bonis ludicris, atque citò fugientibus poſſeſſorem; quaſi fatuus gemmam commutans pro vili cibo: juſtus autem pretioſiſſima comparat pretio meritorum; quæ, licet collectim ſumantur, velut nihil ſunt reſpectu Dei, qui principale præmium ſanctorum eſt. Hæc multoties inculcavi: ſed repetere non piget; cum à nobis miſeris nunquam diſcantur ſatis. In commentario parœmiæ noſtræ, verbo, *Sapientiam* dixit Cornelius Alapide: *Sapientia puta honeſtas & virtus.* Cum ſermo ſit, conformiter ad quandam interpretationem Hugonis datam ſupra, de malè quærentibus; dubitabit nonnemo quî fieri poſſit, ut actu malus, & perſeverans nequitiâ ſuâ, quærat aliqua ratione virtutem, quam non diligit? Reſpondeo. Quamvis iſte perperam quærat honeſtatem; tamen aliqualiter cupit illam: & cupiditas amor eſt. S. Auguſtinus: *Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt*: &c. Dicet nonnemo: Si vir nequam virtutem non amat ut amplectatur, quomodo cupit? ſi non cupit, quomodo multoties quærit? Non iſtam cupiditatem dirigit amor honeſti; nec ipſa perfectè dilectio virtutis eſt: regitur à ſola cognitione bonitatis, quæ relucet in rectis operibus, necnon apud oculos odio habentis quod bonum eſt. Gennadius Patriarcha: *Et apud hoſtem virtus eſt honorabilis.* Etiam peccatores utplurimùm percipiunt honeſtatis laudabilitatem eximiam; nec tenebræ, quibus involvuntur, ignorantiam eis ingerunt de hoc, quòd ſit amabilis vitæ rectitudo.

Alap in Proverb. 14. 6.

Hugo Card. citat. ſupra delib. 2. fin.

S. Aug. to. 5. l. 14. de civit. Dei, c. 7.

Gennad. Patriar. Conſtantinop. pro Concilio Florent. c. 5. ſect. 13. fi.

37. Pauli poſteriorem Epiſtolam ad Corinthios cogitatione verſare nunc operæ pretium erit: ubi Magiſter Gentium Deo gratias agit, quòd notitiam ſui per eum ſocioſque laboris ejus manifeſtet. Addit: *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt: & in iis qui pereunt*: &c. S. Auguſtinus alibi, ſed alludens ad hunc locum, ait: *Ideo & pereuntibus non malus odor, ſed bonus odor. Ideo enim magis illi invidebant, quia tam tunc bona in illo gratia prævalebat: nemo invidet miſero.* Habemus, Paulum fuiſſe bonum odorem necnon in malis. Quid autem intelligam per odorem hoc loco me docuit Anſelmus: *Odor Chriſti, id eſt puritas noſtræ converſationis Chriſtum redolet, & prædicationis longe, lateque ſpirat fragrantia.* Cur puritatem vitæ non aſſimilavit in præſenti Paulus fulgori; ſed odoris elegit ſimilitudinem? Quia peccatores inveterati cœcitate laborant. S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Quidam execantur longa conſuetudine peccatorum.* Cœcus non percipit ſplendorem; odorem verò maximè: ſi fragrantiam applices ei pretioſorum aromatum, bonum agnoſcit odorem; quantumvis luminibus orbatus ignoret lumen. Cumque virtus Pauli non eſſet nota ſolummodò tenentibus iter dextrum, ſed etiam peccatoribus, etſi conſuetudinariis, & invidentibus, diſertè fuit uſus odoris metaphora: nec enim caligo quorumdam vetuit eos agnoſcere quàm foret

2. ad Cor. 2. 15.

S Aug. to. 8 expoſ. Pſal. 44.

S. Anſel. cõ. in 2. ad cor. 2. 15.

S. Anton. ſer. fer. 4. hebd. 4. Quadrag. longe ante fi.

ret commendabilis honeſtas vivendi, quam ſectabatur Apoſtolus ; veluti cœcum non fugit odor bene redolens. Cum hoc verum habeat, non eſt cur hæſites, videns quòd *quærit deriſor ſapientiam*, hoc eſt, honeſtatem atque virtutem.

38. *Claudere mentis oculos proficit ut mundum vincas.*

Et non invenit. Rurſus acceptionem illam dogmatis noſtri, notatam ſupra delib. 2. fi. recole : ſecundùm quam ſumitur parabola de malè quærentibus. Ideo (dicam denuo) plures non inveniunt ſapientiam, quia non ſapienter inquirunt illam. Varii ſunt errores in materia ſubjecta. Nonnulli malè quærunt ſapientiam (de virtute nunc loquor) eo quòd non prius aures claudunt inſtillantibus nociva : ſimiliter alii, quoniam neutiquam excutiunt de pedibus catenas, quibus prægravantur ; & ideo claudicant pergentes ad virtutis viam. Utroſque relinquo deſiderans, ut mihi locus detur meditandi, ſic oportere mutari penitus in alterum virum, quemvis inveſtigantem ſpiritualia lucra ; quòd opportunum ſit mentis oculos claudere naturales, ut acies data ſupernè (quæ ſcilicet ſuperat naturam) impedimenta non experiatur adeo frequentia. Quis crederet, extare congruum viatori lumina concludere ? Prudens iſta cœcitas proficit aliquando valde. Quin etiam ipſa victoria, qua tentatio vincitur appellari valet oculorum concluſio. Claudens mentis oculos homo cuncta mundi pericula feliciter evadit, in tantum detriumphat ſæculum, inquantum lumina mentalia concludit.

39. 1. Ioann. 5. 3. 4.

Dilectus diſcipulus explicans quæ vera ſit in Deum charitas ; fideique vim proponens, aiebat : *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus : & mandata ejus gravia non ſunt. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum : & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Commentatur Lorinus : *Fidei uni attribuitur victoria, ſicut & ipſa juſtificatio, ut ſæpius dictum eſt : quia prima eſt, & ejicit errorem ac ignorantiam, detegit hoſtes & inſidias, proponit Deum, per quem vincimus, ſuggerit vincendi modos* &c. Victoriam de mundo Joannes appropriat fidei ; cum potiùs diceres, attribuendam charitati : nam hæc pertinet ad voluntatem ; cujus eſt amplectendo bonum, & reſiſtendo malis, illecebram hoſtilem ſæculi ſuperare : fides autem ad intellectum ſpectat. Charitas involvit in animi propoſito mandatorum obſervantiam ; quam non includit fides : quis ergo victricem renuet appellare charitatem ? De hac Paſchaſius dixit : *Charitas dimicat ut omnia mala in bono vincat.* Quid igitur peculiare Joannes in fide reperit, ut eam, vincere mundum ſignificet ? Sciebat, amorem extare videndo peracutum. Non dixit Evangeliſta citato loco, mundum ſuperari dilectione Dei ; ne putares, totam rationem vincendi prædictum inſidioſum hoſtem in eo ſiſtere, quòd ipſius technæ videantur obtutu perſpicaci. Quò tunc inſinuaretur prodeſſe victuris mundum claudere mentales oculos ; divinum Flamen Apoſtoli calamum direxit, ut victoriam

Lorin. in com. ib.

Paſchaſ. l. 3. in Matth. c. 5.

de ſæculo relatis verbis addiceret fidei ; quæ facit veluti ſapienter cœcutire lumina ſpiritualia noſtra, prout eſt notiſſimum : Non enim fidei viſus accommodatur, ſed auditus : imo fides aurium nomine denotatur ab Alexandrino, dicente ; *Fides autem ſunt aures animæ* ; &c. Cum itaque virtutum quærens tramitem, atque tenens contendat vincere conſummatè mundum, claudat intellectuales palpebras ad iniqua, velut ignorando ; ne ſit, ut ille, qui malè *quærit deriſor ſapientiam, & non invenit* &c.

Clem. Alex. l. 5. ſtrom. poſt princ.

40. Caïetan. *Contemne quod fuerit inſtrumentum ſpiritualis ruinæ.*

Et non invenit. Vertit Caietanus : *Et non veſtigat* &c. Equidem aſſeverari poteſt de nonnullis, quærere ſimul & non quærere virtutem. Hoc peculiariter aptari valet iis, qui abſtinent à peccato ; ſed non derelinquunt occaſionem peccandi. Non inveniunt iſti ſapientiam. Id eſt Salvatorem : hic enim cum ſit ſummè ſanctus longiſſimè diſtat à delicto : qua ratione poterit inveniri per illum, qui poſitus in periculo proximo peccandi viam facit juxta ſcelus ? Appoſitè Valentinus Præſul : *Primo itaque*, ait, *egredere de finibus tuis, ſicut Chananæa de ſuis egreſſa eſt : relinque non ſolum peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum, & elongare ab eis quantum potes, & ſic obviabis Salvatori. . . . nam inter peccatorum fines Chriſtum invenire non poteris.* Quo pacto finem attinget intentum, ſcilicet amplectendi ſeriò virtutis viam, qui non deſerit vitii confinia. Vulgò dicunt odiſſe crimen ii, qui ſibi nimis fidunt. Crederem, ſi penitus occaſionem ruendi proximam ſeponerent. Qui non vult efficaciter incendium, arcet ignem à fomite. Solent ægri nimiam ſitientes aquam, hauſtum lymphæ ſumentes ore volvere : proteſtantes, nollé aquam noxiam bibere : convincuntur tamen illam ſitire ; quam ſic approximant gutturi. Bibit homo ſicut aquam iniquitatem : ſimilitudinem accommodabis facilè. Peccatores aliqui profitentur decreviſſe nequitiam jam non deglutire ; ſed verba proximè ducentia in peccatum (exempli causâ loquor) volutant ore frequenter : qui mihi perſuadeam, jam non ſitire malitiam, quam teſtantur abominari ? Reperiri fateor aliquas occaſiones proximas ; quas deponere prorſus eſt impoſſibile. Qualiter fœmina laſciva pulchritudinem ſuam abjiciet ; dato quòd in talibus circumſtantiis poſita ſit, quas omnino deſerere phiſicè nequeat, ex quibus pulchritudo vocari poſſit occaſio proxima luxuriæ ? Occaſiones hujuſmodi cum à te ſemovere nequiveris, ad minus non habeas in pretio ; vel dicam, te ſcientem, vel ſponte ignarum ad æternam perditionem tendere. Contemne quod fuerit inſtrumentum ſpiritualis ruinæ.

S. Thom. à Villano. ſer. Dom. 2. Quadrag. ante med.

Magdalenam ſequamur euntem ad Phariſæi domum. Quis dubitat ipſam priùs deliberaſſe quod poſt fuit executa ? nempe : *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat*, &c. Nullus exiſtimabit, Magdalenæ defuiſſe linteum, quod ſecum deferret ad tergendas Domini plantas : quo fine crinibus utitur ad

41. Luc. 7. 38.

hoc miniſterium ? Recordabatur illa, ſe capillis velut funibus juvenes illigaſſe. Voluit contemptim proprii capitis ornamentum illud tractare, deſpiciens crines, quæ deteſtabatur crimina. Incertus ſub nomine Titi : *Nimirum*, ait, *quo per ea aucupetur ſanctimoniam, per quæ juventutem pellexerat ad noxam.* Venerabilem adde Bedam : *Capillos*, inquit, *ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat.* Et ſi ſcrupuloſus opponas, affirmari non poſſe, contemptum capillorum, quòd iſti Redemptoris pedes tangerent ſacratiſſimos : reſpondeo, bene ſtare ſimul, in rei veritate crines illos accepiſſe decus per ejuſmodi tactum, & Magdalenam ſic eoſdem abjicere voluiſſe. Niſi foret hoc verum, non tam propriè loqueretur S. Ambroſius occaſione facti mulieris humillimi, dicens : *Expande capillos, ſterne ante eum omnes tui corporis dignitates.* Seriò deliberaverat Magdalena fugere crimina : propterea capillos, qui diſcrimen adduxerant peccandi, cùm non abſcinderet, ſaltem aſpernari teſtabatur opere. Non ſic ille ſatis notus parricida; qui ſuſpenſus crinibus in quercu periit. Aliquando cupiebam hunc interrogare, cur tempore prælii non vittâ colligavit cæſariem ? Scio, quod in ea complacebat ut in portione pulchritudinis propriæ : nam erant ſpecioſi crines ejus; aliter non emerentur à fœminis ad ornatum proprium, *Et quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico.* Hugo Cardinalis ad hunc locum : *Vel hoc pretio emebatur à mulieribus ut inde ſubornarent crines ſuos.* Adde Gloſſam ex Chryſoſtomo. *An*, inquit, *non erat pulcher & formoſus Abſalom, & uſque ad capillos capitis porrigebatur ejus corporis ſpecies ?* Non parvifaciebat igitur ille capillos : ideo forſan exitus mali fuerunt inſtrumenta; demumque ſic damnationem ingreſſus eſt æternam. Juxta Cardinalem adductum, *Abſalom peccator eſt* : & ô quàm ſæpe fit illi medium ad perpetua ſupplicia quod magni facit ! Spernat iſte quidquid vicem funis agere poteſt, ut mancipetur æternum duraturo carceri : vel cum ipſe nolens pericula proxima ruinæ vitare, *quærit deriſor ſapientiam, & non invenit*, cenſebimus quod eamdem *non veſtigat.*

Incert ſub nom Titi in Luc. ib.

Bed. b.

S. Ambroſ. to.3. l.6. in Luc. c. 7.

2.Reg.14.26

Hugo Card. ib.

Ex Chryſoſt. Gloſſ. Ord. ibid.

Hugo Card. com. in 2. Reg. 18. 9.

DELIBATIO IV.

Docendo doceris : & quò doctior es magis ſollicitas ſcire. Peccatoris ignorantia. Auditores quidam reprehenduntur.

42. Hugo Card. in Prov.14 6. *Sapientior utplurimùm redditur qui docet.*

Doctrina. Hugo Purpuratus hîc : *Id eſt prudentes faciliter docent & docentur* : &c. Eadem voce duo Cardinalis conjunxit ſatis diſſita : nempe docere atque doceri. Non modicè diſtant hæc : nam docere quidem authoritatis eſt; doceri verò utilitatis : qui docet largitur; qui docetur accipit. Illa tamen extrema ſic amicabiliter annectuntur, ut etiam reſpectu doctrinæ generis ejuſdem, hominem docere ſimul atque doceri non repugnet. Ambroſius olim ſcribebat : *Ego enim de tribunalibus atque adminiſtrationis inſulis ad ſacerdotium raptus, docere vos cœpi quod ipſe non didici. Itaque factum eſt, ut prius docere inciperem, quàm diſcere. Diſcendum igitur mihi ſimul & docendum eſt : quoniam non vacavit antè diſcere.* Necnon & ipſummet exercitium docti magiſterii præceptorem inſtruit; ac ille veluti ſuî factus alumnus addit ſcientiam; colligens cum ſpargit. Nauclerus regit navim; ducit nautas in portum, ſimul & ſeipſum : nec niſi judicio captus dicet ad ſecum navigantes : vos in felicem ſtationem duco; ſed ego mediis in fluctibus manebo : nam ſatis & ſuper enavigavi. Similiter viatoris dux, cum exequitur iſtud munus, ambulat ultra : proficit in via, quam docet. Magiſter officium naucleri peragit in æquore ſapientiæ : necnon ſimilis eſt ei, qui facientem iter ducit; proptereaque diſcipulos promovens ad majora, creſcit in eodem genere, quo nutritios alit : ſapientior utplurimùm redditur qui docet.

S Ambroſ. to. 4 l.1. de offic. c. 1.

Jacobus Apoſtolus, cupiens humilitatis amorem ſuadere, ſcribebat ſic : *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes.* Dubitabam, quomodo per illa verba : *In multis enim offendimus omnes*, aſſignari poſſit ratio prædictorum; vel aliquid ſignificetur concernens quæ dicta fuerant ? Dixerat, ut nollent plures fieri magiſtri, quia ſic majori judicio ſubeſſent. Quid facit ad hæc ſuperaddere : *In multis enim offendimus omnes ?* Pro germanâ priorum intelligentiâ conſului Cardinalem Hugonem, quem dicentem excepi : *Magnum eſt judicium, quia illiterati : majus quia mali morigerati : maximum quia deficientes in utroque.* Adhuc non ſatis percipiebam, quomodo ſolverem dubitatiunculam prædictam ad rem noſtram. Maturiori conſideratione, ni fallor, confirmationem hinc eruam eorum, quæ ſupra diximus. Attende. Optimè noſti, cæteris paribus eò gravius eſſe delictum, quò ſapientior eſt in ea re qui peccat. Magiſter exercens officium docendi, ſuſcipit incrementa ſapientiæ : proindeque gravitas accedit crimini per hoc ipſum quòd præceptor eſt : & per conſequens in aſſumendo ſibi doctoris locum, judicium ſumit ille majus : quod ut ipſi timerent ad quos Gentium Doctor ſcribebat, ob oculos poſuit quòd in multis delinquimus omnes. Hinc manifeſtè liquet, docentem incrementari ſcientiâ, cum docet. Ex quibus apertum eſt in præſenti, quàm genuinè valeat intelligi ſimul activè, paſſiveque nomen *Doctrina.*

43. Jacob.3.1.

Hugo Card. ib. ad n. 1.

Nec dedignari putabo magiſtros, etſi peritiſſimos, aſſertionem ſupra ſtabilitam: nimirum, ipſos doceri cùm docent : nam deſiderium ſciendi nunquam ſatiatur in ſapiente. Non loquor de ambitione cupientium ſcire pluſquam oportet, inſtigante ſuperbiâ; ſed tantùm de amore illo

44. *Quò plus doctus es, eò magis ſollicitas ſapientiam.*

plus

plus agnoſcendi, ſervatâ moderatione rationabili: quod ſtudium addiſcendi ſuadet humilitas, libenter credens, hominem, licet multùm profecerit, indigere doctrinâ, quandiu vita manet. S. Ambroſius: *Et quantumlibet quiſque profecerit, nemo eſt qui doceri non egeat, dum vivit.* Sapientis proprium eſt noſſe quanta cognoſcenda ſibi deſint: unde non audet gloriari de ſemetipſo tumens; ſed magis dolet ſibi deficere non pauca. Petrarcha: *Sapiens*, ait, *enim quantum eſt quod ſibi deſit, intelligit: non gloriatur itaque; ſed ſuſpirat.* Et mox addit: *Credere ſe ſapientem primus ad ſtultitiam gradus*, &c. Imo dicerem, non gradum ad fatuitatem eſſe præſumptionem de ſapientiâ propriâ; ſed meram inſipientiam, in quibuſdam viſu dignam; in aliis culpabilem. Et cum ex oppoſitis unum lucem præbeat alteri, ſequitur econtrariò, ſapientis eſſe tendere ſemper ad eruditionis augmentum: nec reſpuere profectum, quantumvis abundet. Non rejicit æquor acceſſus aquarum, quas flumina mittunt in illud, etſi ditior ipſis extet. Aquæ ſapientia confertur: unde, licet peritiſſimus copiis doctrinarum diteſcat; non ideo renuit ulteriora documenta ſuſcipere: quin & ampliùs tunc ſollicitat ſcire, cum jam ſapientiſſimus eſt. Antequam ad hanc peritiæ celſitudinem aſcenderet, minori conatu ſatagebat erudiri; poſtquam verò doctiſſimus efficitur, ampliorem diligentiam exhibet ut in ſapiendo creſcat.

S. Ambroſ. prox. ſup. fi.

Petrar. de remed. proſp. fort. dial. 12. in princ.

45. Exemplum nobis præbeat Salomon; de quo dicitur in libro Proverbiorum: *Erudivit eum mater ſua.* Si matris hæc inſtructio fuit exhibita cum Salomon eos numeraret annos, quibus pueri ſortiti bonam indolem amant ſub præceptore rectis artibus imbui: mirabar quòd tunc Salomon contentus fuerit erudiri per genitricem: nam litteram prout ſonat intelligo; ſcilicet ab ipſa matre Salomonem inſtructum fuiſſe per ſeipſam. Ita ſentit Rodolphus, inquiens: *Melius intelligimus etiamnum puerum his verbis fuiſſe inſtructum Salomonem à matre*, &c. Aliter ſe habuit poſtea Salomon, veſtigans plura ſcire, cum jam rex eſſet: ipſe namque dixit: *Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſraël in Jeruſalem, & propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſole.* Familiare vitium regibus eſt, quòd addiſcere nequaquam dignentur; quaſi regnandi majeſtas intellectum concederet ipſis univerſa comprehendentem. Igitur quomodo Salomon, qui priuſquam teneret ſceptrum Iſraëliticum, à parente ſuâ docebatur, nec legimus, tunc majori diligentiâ ſollicitaviſſe rerum peritiam; poſt evectionem ad ſolium quærere propoſuit, ac ſapienter inveſtigare de cunctis, quæ ſub ſole fiunt? Exiſtimo, plurimam ſapientiam Salomonis à Deo ſibi donatam, cor ejus permoviſſe, quò deſideraret ultra ſapere: nam quò ſapientior eſt homo prudentiâ præditus eò majorem cupit eruditionem. Quod illa matris inſtructio facta fuit antequam Salomon acciperet habenas regni, vel certum judicabis, vel ſaltem veroſimile, ſi memineris Abulenſis atque Liræ ſententiam, quam Sanctius approbat, circa ætatem, qua fuit unctus ille rex. *Illa*, inquit Sanctius, *mihi ſententia potior eſt deſignatum eſſe, atque unctum Salomonem Regem anno vigeſimo, aut non procul à vigeſimo, quod putant Abulenſis, & Lira* &c. Utique ſapientia cœlitus donata fuit ei cum jam regnaret; ac proinde quamvis divinitus effectus eſſet jam ſapientiſſimus, adhuc plura ſcire cupiit. Dionyſius Carthuſianus ad illa verba *Propoſui*, &c. ſic habet: *Quamvis enim Salomon habuit de naturalibus & multis ſupernaturalibus ac myſticis infuſam ſcientiam; non tamen de omnibus talibus occultis Dei judiciis, de quibus immoderatè ſcrutari curioſum temerariumque cenſetur*: Eximiè ſapientium eſt ulteriorem quærere ſcientiam. Non ergo conjunguntur, improportionatè, docere, atque doceri, ſub eâdem voce, *Doctrina.*

Proverb. 31.

Rodolph. in com. Prover. l. 3. c. 31.

Eccle. 1. 12. 13.

Sanct. in lib. 3. Reg c. 3. n. 13.

Dion. Carth. in Eccle. 1. 13.

Prudentium. Accipi valet pro degentibus conformiter ad rationis dictamina. Septuaginta legunt parœmiam, in quâ ſumus verſandâ, ſic: *Quæres ſapientiam apud malos, & non invenies: ſenſus autem apud prudentes facilis.* Sat memini quàm ſint iniqui prudentes in malo: nam legimus apud Jeremiam: *Sapientes ſunt ut faciant mala*, &c. Necnon illud recordor Servatoris noſtri: *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ ſunt.* Attamen, cum prudentiam in peccatoribus agnoſcimus, vel de prudentiâ falsâ loquimur (de qua ſunt intelligenda citata loca) vel de prudentiâ non perfectâ, ſeu induſtriâ naturali. Prudentiâ verò perfectâ non pollent iniqui ſecundùm quòd mali ſunt. Hoc eſt adeo notum apertè, ut Ariſtoteles dixerit: *Impoſſibile eſt prudentem eſſe non bonum*: &c. Aves dantur, quæ noctu cernunt: ita ſcelerati perſpiciunt acutè quod ad ſcelus, vel mundi tenebras attinet; non autem quod ad æternam ſalutem. Doctè dixit Boëtius: *Nequeunt enim oculos tenebris aſſuetos ad lucem perſpicuæ veritatis attollere; ſimileſque avibus ſunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cœcat*: &c. Cohærenter ad hæc Rodolphus expendens parabolam quam nunc illuſtramus, ait: *Monemur ne quæramus ſapientiam vel doctrinam ab illuſoribus & malis hominibus, apud quos non poteſt inveniri; ſed à prudentibus & doctis, qui bene vivunt, & rectè credunt, & facilè inveniemus.* Gaudent apud ſæculum nomenclaturâ ſapientum aliqui peſſimam vitæ rationem agentes: qui potiùs inſipientiſſimi ſunt, eo quòd rectè vivere neſciant ſpontè. S. Thomas à Villa nova: *Ars*, inquit, *artium eſt ſervire Deo, ſuprema ſapientia ſcire bene vivere: ſi hanc noſti, etiam ſi cætera neſcies, ſapientiſſimus es; qui hanc neſcit, quicquid ſciat ignorantiſſimus eſt*: &c. Veluti ſynonyma ſunt, ignorans & peccator: neſciens, & iniquus.

46. *Peccator eſt ignorans.*

Lect. 8ept. Prov. 14. 6.

Jeremi. 4. 22.

Luc. 16. 8.

Ariſtot. l. 6. Eſth.

Boët. l. 4. de conſolat. philoſoph. proſ. 4.

Rodolph. in Prov. 14. 6.

S. Thom. à Villano. ſer. 2. Dom. 2. Quadrag. poſt princ.

Cœcum à nativitate mundi Salus illuminavit; qui magis cupiebat miſerabiliorem cœcitatem de mentibus hominum pellere. Viſui reſtitutus delatus eſt ad

47.

cœcos; hoc eſt, Judæos; qui non crediderunt prodigium. Cum aliquando cœcus cœcum ducat in ſpiritualibus; hîc jam videntis ductum nequaquam ſecuti ſunt qui non videbant. Poſtea rurſum locuti ſunt ad eumdem: tandemque dixit ille percontatoribus importunis, laudans benefactorem ſuum: *Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam. Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Priùs, quàm in præſuppoſitæ veritatis confirmationem aliquid eruamus ex hoc loco, recolendum eſt commentarium docti Maldonati: *Magis etiamnum eos pupugit, quod cœcus illos, id eſt, homo vilis abjectus, imperitus, & nihil niſi peccare ſciens, homines ſanctitatis & ſcientiæ opinione præcellentes, & uno dicam verbo, Phariſæos, id eſt egregios, & ab imperita multitudine ſegregatos docere videretur.* His præmiſſis examinabo ſupra citata verba: *In peccatis*, &c. Qui dedignabantur quòd ſibi doctrinam præbere videretur ille; quare non potiùs dixerunt: In ſtultiis natus es, atque merſus manes; & nos doces? quid proportionis vendicant peccata cum incapacitate docendi? Maximam: nam ignorans aptus non eſt magiſterio; peccator autem & neſcius veluti ſynonyma ſunt. Satis memini, quòd veritatem iſtam, prudentibus malis ingratam, variis in locis inculcavi: ſed eam rurſus in medium adducere non tædet: quia doctos alioquin per amorem ſapientiæ vellem ad viam ſalutis reducere: ſciens quàm breviter multùm proficiant.

Joann. 9. 33. 34.

Maldon. cō. in Ioann. ib.

48. *Quidam potiùs videntur accedere dum concionatorem, quàm ad audiendum.*

Facilis. Expendamus parœmiam Salomonis activè quatenus ea ſignificat, hominem prudentem docere facilè. Veriſſimum eſt hoc: novit enim exhibere ſemet accommodum addiſcenti: quapropter facilitat ei doctrinam. Verum tamen eſt, nonnullos illam judicare difficilem intellectu, poſtquam docens adhibuit proportionata media, quò proponeret clarè quæ ſentit. Sed vel audientes vivam vocem, vel ſcripta legentes aliqui propterea quòd non ſatis mentem applicent, tenebras imaginantur in cryſtallo: perviam ſibi redderent ipſi doctrinam, ſi diſcerent applicatè. Prodeſt nunc audire S. Irenæum. *Senſus*, inquit, *autem ſanus, & qui ſine periculo eſt, & religioſus, & amans verum, quæ quidem dedit in hominum poteſtatem Deus, & ſubdidit noſtræ ſcientiæ, hæc prompte meditabatur, & in ipſis proficiet diuturno ſtudio, facilem ſententiam eorum efficiens.* Ultima verba preme. Quid ergo queruntur de præceptoris obſcuritate quidam, nec aures habentes pronas ejus verbo; nec iſtud ſicuti par eſt meditantes? Iſta querimonia frequentiſſimè reperitur in auditoribus concionum ſacrarum: qui prædicatorem incuſant affectatæ caliginis; ideoque ſub ſpecie pietatis calumniantur eum quòd ſuum ritè munus haud exequatur; cum ipſi perperam nimis agant audientis officium. Sunt qui tantùm verborum ſonos æſtimant; non autem ea cenſent ad pondus. Aptari poteſt iſtis illud Incerti ſub nomine Cæſarii: *Non ut inſtar nummulario-*

S. Iren. l. 2. adverſ. hæreſ. c. 46. in princ.

Incert. ſub nom. Cæſar. dial. 3.

rum ſonum explorando excipiamus, ſed ut ponderantes pronuntiata illorum, qui colloquuntur, &c. Alii dantur, qui accedunt animo videndi concionatorem; potiuſque ſunt videntes, quam auditores. Non examinantur oculis verba: mutatiſque ſenſuum functionibus, quid non erit obſcurum? Non rarus eſt, qui ſic de geſtu, ſimilibuſque pertinentibus ad oculos appretiatur prædicantem; ut magis videatur ad videndum concionatorem veniſſe, quàm ad ſuſcipiendum aure doctrinam.

49. Digniſſimus panegyriſta Joanne Salvator in laudem Præcurſoris dixit ad turbas de majore nato mulierum filiis: *Quid exiſtis in deſertum videre?* Si tantùm pro hac vice Dominus uteretur verbo videndi, nihil hoc loco ſuſpicarer myſterii pro firmando quod nuperrimè notabam: nam forſan mihi ſuaderem, divinum Magiſtrum ſumpſiſſe vocem illam, *Videre*, pro, *Audire*: non infrequenter enim ſic loquimur: Vide quid tibi dicam. At Servator iterum atque tertiò fatus eſt ſimiliter: mox quippe dixit: *Sed quid exiſtis videre?* Poſt pauca repetit quod prædixerat: *Sed quid exiſtis videre?* Nonne prædicatoris munus obeuntem audire venerunt homines? quid ergo Chriſtus Dominus ait ad eos ter, ſupponens (ut verba ſonare videntur) exiviſſe, quò cernerent Baptiſtam? Fortaſſis, quia multi prodiverant, ut viderent hominem pilis cameli veſtitum & zonam pelliceam habentem circa lumbos; quod miniſtrabat non modicam admirationi materiam. Temporibus noſtris haud pauci nequaquam dictis auditum inclinant; ſed magis oculis dicentem examinant; corpore perſpicaces, animo lippi. Sed cum fortunæ (quæ cœca dicitur) cœcutientes miniſtri ſint, ut immeritò nonnullos extollant, alios rigidâ cenſurâ deprimant; cœco modo ferunt de miſero concionatore ſententiam: tenebras ipſorum proprias appingentes eidem. Qua viâ doctrina prædictis erit facilis?

Ioann. 11. 7.

Ib. n. 8. & 9.

50. *Clariſſima tantùm percipiunt quidam ſcioli.*

Difficultas aliorum in auditis percipiendis naſcitur ex eo quòd minimè cor applicant, ut amplectatur monita ſalubria quæ propinat ſermonibus Orator Evangelicus. Adſunt loquenti more (lapidumne dicam, vel aſpidum?) Aſpides imitantur ampliùs: tum quoniam quærunt à concionante flores, quibus lateant illi, dum proditoriè laudant eorum pulchritudinem: tum quia venenosâ mordacitate miſcent præconiis punctiones lethales; velut aſpis, qui blandè mordet. Tempeſtivus adeſt Chryſoſtomus. *Quare*, inquit, *ſummâ nobis attentione elaborandum eſt, ne nobis dicatur quod aſpidis ſurdæ aures habeamus. Quid enim à fera talis differt auditor? nonne omnibus brutis eſt rationis expertior, qui loquentem Deum audire dedignatur? Si Deo placere hominis eſt, qui audire negligit, quanam ratione id aſſequetur? Is profectò nil differt à bellua.* Auditores iſtiuſmodi puniuntur in quo delinquunt. Præſumunt ſe nimis acutos; & obtuſos experimur eoſdem: ambiunt exiſtimationem de cenſorio judicio deliberante ſeveriùs; & nomen hominis

Chryſoſt. to. 3. hom. 1. in

apud

apud bene cenſentes deperdunt: quia materialia tantùm attingere perhibentur; & ut vulgò dicimus, ea ſolùm dignoſcunt, quæ ſicut aqua dilucidè clareſcunt. Si de majoribus examen facias; nihil ſe capere tunc aperient humilitate coactâ: percipiunt ad ſummum quæ velut unda facillimâ claritate lucent: & utinam ſaltem hoc penetrarent.

51. Ejecerat ex templo Redemptor ementes atque vendentes: ibique docebat. Sacerdotes ſummi, Scribæ, atque ſeniores quæſiverunt ab illo, qua poteſtate faceret iſta. Dei Filius aliâ quæſtione redarguit
Marc. 11. 30. eos, dicens: *Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Non deeſt qui doceat, Chriſtum Dominum hîc intellexiſſe per baptiſmum Joannis, ejus de ſe teſtimonium, etiamque prædicationem: ac proinde uſum ſynedoche fuiſſe. Nihilominus probabile puto, locum accipi valere de ſolo baptiſmo prout ſonat. Doctrinam excluſit Maldonatus à ſignificatione vocabuli: *Baptiſmus*, generaliter loquendo; quamvis non immemor verborum Domini ſupra. *Baptiſmum in ſacris litteris pro*
Maldon. in Matth 3. n. 11. *igne, pro morte, pro afflictione poſitum legimus; pro doctrina non legimus.* Et infra: *Jam*
Idem ib. in c. 21. 24. *probavimus baptiſmum nunquam accipi pro doctrina*, &c. Hæc ille, quamvis alibi ſentire videatur oppoſitum; expendens verba præcitata Salvatoris. Judicet alter, an ſibi contrarius: nam ego non audeo tantum Commentatorem ſugillare. Quibus præmiſſis quærebam, cur ſummus Præceptor non quæſivit ab illis quid eis videretur de doctrina Joannis? Solvebam quæſtiunculam ſic. Vel de cunctis iis, vel de quibuſdam confidi non poterat quòd Præcurſoris doctrinam intellexerint exactè: credere valemus ad ſummum, omnes eos aliquo modo penetraviſſe mente baptiſma Joannis. Et quare? Quia baptiſmus hic exiſtebat res palpabilis.
Joann. 1. 26. Baptiſta dixit: *Ego baptizo in aqua*: &c. Adde Alcuinum: *Joannes*, inquit, *non*
Alcuin. relatus à Novar. in Joann. 1. n. 1242. *ſpiritu, ſed aquâ baptizat, quo peccata ſolvere non valens, baptizatorum corpora aquâ lavat; ſed per veniam non lavat.* De re materiali, perceptibilique viſu velut aquâ poterant cœcutientes interrogari juxta prudentiæ regulas. Atverò non erat cur hi ſeriò rogarentur quid cenſerent ipſi de Joannis doctrina: quia Præcurſor ex parte locutus eſt per ænigmata. Meminit (ut refertur à Matthæo) ſecuris, arborum, tritici, palearum. Hæc omnia ſunt emblemata non multum perſpicua. Maldonatus explicat quædam, dicens: *Ar-*
Maldon. in Matth. 3. 10. *borem hominem ſignificare manifeſtum eſt, ... Securim vocat divinum judicium*, &c. De
Alap. ib. n. 12. tritico verò dixit Cornelius Alapide: *Triticum ſunt juſti* &c. & infra de paleis habet ſic: *Impii & damnandi vocantur paleæ, quia ut paleæ ſunt leviſſimi, viliſſimi, inutiliſſimi*, &c. Cum iſta non eſſent nimium clara, nequaquam ſciſcitatus eſt eos de doctrinâ Joannis Filius Dei: ſolent enim ſuperbi quidam ſola materialia percipere; reliqua verò ſunt ipſis difficilia valde: quoniam denegantes aditum corde ſalutaribus monitis, efficiunt quòd non ſit pro eis *doctrina prudentium facilis.*

FLOS XXII.

Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans.

APERITUR.

1. Corn. Alap. in Prov. 14. 8. Salaz. ib.

PRIMA probabilis expoſitio traditur à Cornelio (cui non diſſentit Salazar) & habet ſic: *Senſus eſt, q. d. Vir cautus & prudens intelligit ſuas vias, id eſt actiones: quia antequam eas obeat, prævidit & proſpicit modum, quo prudenter, recte & honeſtè juxta Dei legem & voluntatem eas operetur, ut per eas ad vitam honeſtam, ac tandem beatam rectâ contendat ac perveniat. Et in hoc ſita eſt vera ipſius ſapientia. At verò imprudentia & inſipientia ſtultorum in eo conſiſtit, quòd ipſi non intelligant, non proſpiciant, ut viæ eorum ſint rectæ; ſed à rectitudine aberrant in avios & devios voluptatum errores*, &c. Huc trahi poterit ſponte S. Nilus, inquiens: *Homo in primis perpenderem qualis ſit, & poſtea tui ipſius naturam pernoſce, an poſſis portare. Vis certare in Quinquertio? vis in palæſtra luctari? Vide tua brachia, crura, ilia proba; alius quippe ad aliud natus eſt*: &c.

S. Nil. in manua. Epict. n. 36.

2. Hugo Card. in Prov. 14. 8.

Secunda interpretatio necnon probabilis, ex iiſdem citatis initio commentatoribus, & Hugone Cardinali ſic habetur: q. d. Sapientia verè prudentis non eſt cognoſcere fraudes ad bona temporalia comparanda; ſed quid agendum, quà eundum. Plures conſtituunt ſapientiam in aſtutia fraudulenta. Verum eſſe nequit illud, quod prodit in dolos: nam (aptare liceat rebus moralibus rudimenta ſcholaſtica) Logici docent, quòd ex vero non niſi verum deducitur. Unde veraciter ſapientia non eſt quæ generat fallacia. Igitur aſtuti, quorum ingenia tota circumveniendis proximis incumbunt, ſtudio conquirendi temporalia nequaquam ſapiunt verè. Per hoc tamen haud vetamus etiam pro dirigendo uſu bonorum temporalium veram ſapientiam adhibere. Lege quæ de conſideratione dixit Bernardus: *Conſideratio item eſt quæ inter voluptates & neceſſitates, media quaſi quædam arbitra ſedens, utrinque certis limitibus diſterminat fines, iſtis aſſignans & præbens quod ſat eſt; illis quod nimis eſt demens*: &c.

S. Bernard. l. 1. de conſiderat. longe ante fi.

3. Lactan. Firmia. l. 2 divinar. inſtitut. c. 7. poſt pr.

Sapientia. Firmianus aſſimilavit ſapientiam claritati ſolis, inquiens: *Sapientia illibabilis eſt tamquam lux, & claritas ſolis, quia ut ſol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani.* Deducitur ex iſta ſimilitudine primò, ſapientem ambulare in die; ſtultum verò carpere viam nocte: ſecundò, illam ſapientiam operatione deſtitutam non ſufficere pro felicitate plenâ viri ſcientis; ut viatori nolenti movere greſſus, non ſatis eſt lumen ſolare, quò pertingat optatam ſibi metam: tertiò, ceu faciens

faciens iter horâ, qua ſplendor ſolis illuminat eum à tergo, umbram proprii corporis præ oculis habet; ita ſapiens, qui declinans in malum, dictamina rationis mittit poſt dorſum, videt erga ſeipſum erroris umbras practici; graditurque poſt eas. Econtrariò tergum præſtat erroribus illis qui regulas rationales habens ductrices, & fingens in eis lumina mentis, caliginem deceptionis in dorſum projicit; veluti viator poſitus in materiali via, Phœbi radiis anterius lucentibus, ad umbram ſuam non attendit.

4. S. Iſid. Hiſpal. l. 3. different. lit. c.

Callidi. Hac voce nunc utimur in bonam partem; nunc in malam. S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Callidum non pro aſſluto tantùm, ſed pro aſſutè docto dicimus*: &c. Unde ſignificatio nominis, *Callidus*, indifferens videtur ad bonum & malum: ſed in præſenti ſumendum eſt in bonam partem, ut cuique legenti Salomonem patebit.

Eſt intelligere. Multa ſunt, quæ ſapientem intelligere novimus de via ſua. Sed peculiariter intelligendum, atque ruminandum eſt vitæ complementum: nam ſicut homo corpore pergens, & neſcius quò tendat, vagus exerrat: ita viator ſpiritualis, terminum vitæ non advertens, vagabundus tempora terit: ſcientia verò, quæ verſatur circa mortalis curſus exitum, ſic reddit hominem ſapientem, ut ſuperet eruditiſſimos. *Quis eſt ille* (ſcribit Iſaac monachus) *qui digne nominatur intelligens? R. Qui verè intellexit quid ſit terminus hujus vitæ, idem enim potens eſt ponere terminum delictis ſuis. Quæ namque ſcientia, quiſve intellectus eſt major iſto, videlicet, ut excogitet quis qualiter exire poſſit de hac vita*, &c?

Iſaac l. 1. de contempt. mun. ante med.

5. Hugo Card. ſup.

Viam. Commentatur Hugo Cardinalis: *Id eſt ſapientis eſt ſcrutari opera ſua.* Sed nota quod piè, pariter & ſcitè ſubdidit. *Debet autem*, inquit, *unuſquiſque intelligere viam ſuam: unde venit, per quam vadit, quò vadit: id eſt principium, medium & finem. Vita cujuſlibet, eſt via ejus: cujus principium immundum: medium perverſum: ultimum periculoſum. Unde Bernardus: Attende homo unde venis, & erubeſce: ubi es, & ingemiſce: quo vadis, & contremiſce.* Magis Hug. rem urget, qui dixit, vitam noſtram vitam non eſſe; ſed viam ad vitam. S. Columbanus: *Quid ergo es humana vita? Via es mortalium, & non vita; à peccato incipiens uſque ad mortem: vera enim eſſes ſi te peccatum primæ tranſgreſſionis humanæ non interrupiſſet, & tunc caſſabunda & mortalis deveniſti, cum omnes tuos viatores morti aſſignaſti. Via ergo es ad vitam, & non vita*: &c. Quid ergo mortem odio proſequuntur mortales, cum per exitum pergant ad vitam? De hoc alibi.

S. Bernard. apud Hug. ib.

S. Columb. inſtruct. 5. poſt princ.

6. S. Odo Abb. Clun. l. 6. in Iob. juxta fi.

Suam. Bene citatus Hugo numero præcedenti per viam intellexit opera: nam verè noſtra ſunt, vita verò, quamvis dicatur vulgò noſtra; tamen à juſtis aliena cenſetur. S. Odo Abbas: *Electis*, ait, *quippe tempus eſt alienum vita præſens*, &c. Hinc fit ut ambulantes conformiter ad normam rationis, temporis voluntariam jacturam abominentur quaſi damnum tertii; mortemque non oderint, cum per illam dimittant quod alienum erat. Ex hac meditatione toties, & non fruſtraneè, repetita procedit alia valde quidem utilis: ſcilicet bona temporalia cogitare tamquam non propria. Meritò ſic judicat bene ſentiens quivis; cum viventes peregrinentur homines, & peregrini verſentur inter aliena. Proficuus eſt hic D. Gregorius Papa: *Si vos*, inquit, *frui bonis in terrâ veſtra, id eſt in terra viventium, quæritis, mala hominum in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe eſt vita præſens*: &c.

S. Gregor. Mag. to. 2. l. 9. ep. 70.

Et imprudentia. Sicut prudentia dictat quid loquendum, vel agendum ſit; econtrariò vir non prudens per imprudentiam ducitur ad errorem in dicendis, & operandis. Fruere Platone. *Eos*, ait, *ne prudentes putas, qui facienda dicendaque cognoſcunt? Hos ipſos. Quos verò imprudentes arbitraris? nonne qui neutrum iſtorum ſciunt? Ita ſane. Igitur qui utrumque iſtorum ignorant, imprudentes ſeſe produnt, dicendo faciendoque ea quæ non convenit.*

7.

Plato in Alcibid.

Stultorum. Sed ô quoties hoc abjecto nomine digni, proclamantur apud mundiales prudentiſſimi, quia noverunt artes fallendi ſimplices; ingenioſique ſunt ad ſubdolas damnabilium intentionum technas! Non pigeat Ambroſium legere. *Prudentia carnis peccatum eſt, quod generat mortem. Prudentia enim ideo dicitur cum res ſtulta ſit, quia ſæcularibus hominibus errores ex viſibilibus concepti, ſive in ſenſu, ſive in actu, contra legem Dei, prudentia videntur*: &c. Unde Cornelius Alapide ſic explicat poſteriorem partem dogmatis hujus: *Ex*, inquit, *adverſo ſtultorum eſt machinari doles, & fraudes, quibus ſe ditent & magnificent: putant enim ſe ſapientes & callidos, cùm eò per dolos pertingere valent: At hæc eorum ſapientia ſumma eſt inſipientia & imprudentia*: &c.

8.

S. Ambroſ. to. 3. com in Epiſt. ad Rom. c. 8.

Cornel. Alap. in Proverb. 14 8.

Errans. Dubitari poteſt hîc, an errare ſumatur in eo ſenſu, quo valet idem atque peccare; ſitve nunc intelligendum de illo errore, qui ſiſtit in intellectu? Priorem ſenſum tacitè videtur amplecti Cardinalis Hugo ſuper hæc verba poſtrema parabolæ, dicens: *Improvidentia de futuris facit ſtultos errare: id eſt ſtulti errant, quia non provident futura. Ideo dicitur Eccli. 7. D.* In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis. Senſum poſteriorem tenuit Cornelius Alapide: ait enim: *Quia ſcilicet error eorum decipit eos, ducitque in exitium & tartarum.*

9.

Hugo Card ib.

Alap. ibid.

DELIBATIO I.

Agnoſcat ſapiens vitam ſeu viam ſuam.

RE colantur ea quæ dedit in expoſitione dogmatis præſentis Hugo citatus proximè ſupra n. 5. De quibus occaſione ſumptâ, fraudes aliquot vitæ detegemus, ut ad perfectam ejus cognitionem ſenſim aſcendamus. De hac re non ſemel dixiſſe me

10. *Hominis præſentia ſuper terram tranſit in præteritam citiſſimè.*

me fateor; ſed operæ pretium eſt rurſus eamdem revolvere mente; quia facilè decidit è memoria. Sapientis eſt; non ſic amore vitæ circumveniri, quòd ſolùm attendat proſpera, mortis oblitus. Triſtia canebat; ſed utilia B. Eugenius Epiſcopus, dicens:

B. Eug. Epiſc. Tolet. carm. 2.

O mortalis homo mortis reminiſcere caſus
Nil pecude diſtas, ſi tantùm proſpera captas.

Vitæ fugacitatem ſenſibus non integrè perceptibilem facillimè noſcet qui planetarum curſus velociſſimos animadverterit oculis non menſurari; quin potiùs velocitate ſummâ progredi, cum ſuſpicienti videntur ſtare. Similiter hominis anni perſiſtere putantur, & perpetuò moventur celeriter, ſuoque profectu deficiunt. *Nihil eſt*, inquit Nicolaus, *annis velocius*; *hinc eſt quod puer in adoleſcentem, adoleſcens in juvenem, juvenis in ſenem, ſenex in decrepitum commutatur, ut unde proficit, inde deficiat, donec redeat in terram unde aſſumptus eſt*, &c. Aliquoties homo ſemetipſum advertens recogitat iſta, vel ſimilia: ſed mox obliviſcitur ſe qualiſnam ſit: quia feſtinanter adeo vita decurrit, ut quod nunc eſt, jam ſtatim non ſit, ſed fuerit. Hominis præſentia ſuper terram tranſit in præteritam citiſſimè.

Nicol. notar. D Bernardi ep. 49.

11.

Jacobus Apoſtolus eos, quos inſtruebat, hortabatur ut non fallerent ſeipſos, opere non complentes quod percipiebant auditu. Protinus addit: *Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Nota ſtylum: non enim dixit: Oblitus eſt qualiſnam ſit, ſed inquit: *Statim oblitus eſt qualis fuerit.* Cur de præterito loquitur? Quia vita ſic fugit concitato greſſu, quòd idipſum punctum, quod præſens nunc eſt, perniciter in præteritum mox tranſeat. Ut ſupra dictis locum aliqualiter aptemus, conſulatur Hugo Cardinalis in commentario, dicens: *Item ſacra Scriptura ſpeculum dicitur: in quo multi contemplantes per ſtudium & lectionem, ſuam miſeram conditionem, & exilium ubi ſunt, cognoſcunt*, &c. Sed ſtatim hocipſum vitæ miſeræ punctum, quod attendentes percipiebant, factum eſt præteritum, & oblivione ſepultum. Præteritio fugax miſerabilis eſt; ſed oblivio, quia voluntaria, damnabilis. Undique percutimur, ut vitæ mortalis perſpiciamus inconſtantiam: ſed homo ſimilis eſt aquæ: quam ſi ferias, veſtigium non remanebit in eâ. Sic aliqui propriæ fragilitatis oblivioſi. Hugo citatus ad eadem verba Jacobi. *Tales*, ait, *ſunt ſicut aqua, quæ ictus recipit, nec retinet: nec in ea apparet.*

Jacobi 1. 23. 24.

Hugo Card. in com. ib. ad n. 24.

Idem ib.

12. *Interitus advenit feſtinantiùs aliquando mortalibus, cùm tractantur molliùs.*

Qui ſtudet intimè cognoſcere quid ſit vita præſens, de illa judicet expendens quam facili ratione diſſolvatur; quantiſque ſubſit malis; per quæ tendit ad mortem. Alibi dicebam nos fragiliores vitro: nunc in Mapheum incidi, cujus verba dictum confirmant. *Quid fragilius*, inquit, *vaſe vitreo? & durat per ſæcula, & invenis calices ab avis & pro avis factos, quibus bibunt nepotes & pronepotes. At verò ſi caſus vitro timetur, ſenectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores vitro & infirmiores ſumus: quia & omnes caſus qui non ceſſant in rebus humanis, & fragilitatem utique noſtram quotidie formidamus, & ipſi ſi caſus non accidant, tempus ambulat.* Ecce vides quid ſit illa vita, quam ducis adeò maximî. Forſan ipſa facilitas, qua perit, adauget hujus appretiationem. Si contingeret ut ars inveniret aliquid fragilius vitro, ſed æquè tranſlucens, haberetur fortaſſis in majori pretio, quàm vitrum cryſtallinum: nam majus periculum fractionis æſtimationi mortalium fortè præſtaret augmentum. Sic evenit hominibus in æſtimandâ vita, fragillima, ſimulque perlucente: propterea pluris fit, quia periclitatur ampliùs. Unum adjiciam, quo virrum exceditur à vita fragilitate ſuâ. Vitreum calicem accuratè ſervas, quem habes in deliciis; ideoque longiori tempore durat, quia maximâ ſollicitudine ſatagis ne frangatur. Vita quandoque non ſic; imo ſæpe tunc finitur, cùm deliciosè majori curâ conſervari ſtudetur. Experientiam adducere poſſemus in teſtem. Quot homines duris laboribus & aſſiduis ita durantur, ut ætatem valde longævam attingant? Ruſtici quidam nos docent exemplo ſuo quod prædixi. Quot econtrariò voluptatibus dediti, nimiùmque de conſervatione vitæ ſine labore laborantes, deliciarum blanditie molliuntur ita, quòd adoleſcentiam non egrediantur? Itaque non ſemel accidit, ut mors adveniat citiùs eis, qui molliter degunt in blanditiarum gremio; quàm ſi non ita cuſtodirentur ſollicitè: interitus advenit feſtinantiùs aliquando mortalibus cùm tractantur molliùs.

Maph. Veg. l. 6. de perſe- ver relig. c. 1. poſt med.

Mulier quædam Sunamitis, cui debebat hoſpitii pietatem Eliſeus, accepit ab eo prophetiam de conceptione filii, quam probavit eventus. Natus eſt puer, & crevit. Die quadam, cum egreſſus iviſſet ad genitorem in agro poſitum, queſtus eſt de capitis dolore. *Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſores, ait patri ſuo: Caput meum doleo*, &c. Curavit pater ut ille duceretur ad genitricem; & in ejus gremio mortuus eſt ipsâ die. *Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua uſque ad meridiem, & mortuus eſt.* Quid eſt hoc! tenerrimus flos unitus virgæ, quæ germinaverat eum, tam citò marceſcit; non verò tunc interit cùm diviſus ab ea reperiretur in campeſtri loco? Liceat nonnihil meditari pro miſerrimâ vitæ noſtræ conditione, ſeu potiùs adversùs illam. Tempus erat, quo meſſis colligebatur; at tunc luminare majus fuerit quos fovet: ad ejus ardentes radios non expertus eſt mortem ille tenellus; reclinatus autem blandè ſuper genua matris periit feſtinè: ubi non minùs patebat inclementiæ ſolis in rure, quàm ipſi meſſores, non obiit; cum autem erat in molli gremio parentis expiravit. Ut exemplum iſtud multis aptes mortalibus, adverte, per

13.

4. Reg. 4. 18. 19.

Ib. n. 20.

hunc puerum ſignificari genus humanum. Hæc videtur eſſe mens D. Bernardi, qui recogitans ejuſdem pueri, ſuſcitationem, dixit: *Peccatum, quod mors animæ eſt, nec compunctionis mihi ſenſum, nec confeſſionis reliquerat vocem: & eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit: & utrumque reſtituit, & dicit animæ meæ*: Salus tua ego ſum. *Quid mirum ſi cedit mors ubi vita deſcendit? Jam corde creditur ad juſtitiam, & ore confeſſio fit ad ſalutem. Jam oſcitat puer*: &c. Non igitur nimis liberè traximus in teſtimonium fragilitatis humanæ vitæ, fragmentum illud ex hiſtoria Regali ſacrâ: cupientes firmare, tunc aliquando velociùs cadere vitam noſtram, cum hæc blandimentis conſervari ſtudetur; & econtrà non ſic aliquoties evenire cum experitur aſpera. Vitrum diù permanet inter mollia; vita perdurat ſæpius quaſi conſolidata per ictus. Vide quæ dixi to. 1. fl. 28. n. 36.

D. Bernard. ſer. 15. in Cant. fi.

14. *Reſervatur æternitati gaudium permanſurum, ſublatis omnibus flendi motivis.*

Meditati ſumus ex brevi duratione, quantùm ſit exigua vitæ noſtræ ſubſtantia. Nunc iſtam rurſus æſtimandam viliter ſuadeamus propter preſſuras, quibus jugiter affligitur. Hinc hoſtium inſidiæ timentur; illinc aliorum aperto marte pugnantium feruntur incurſus: nunc ſpes angit, nunc deſperatio: poſſeſſa diripiuntur; expectata non adveniunt: morbi torquent, inquietant pericula, mœror comprimit, vaſtat ruina, vexat atra cura. Tandem, è ferè cunctorum oculis diffluunt lacrymæ. Verè pronuntiavit Remigius: *Vallis lacrymarum eſt via iſta miſera*, &c. In montibus fluenta multoties penitus exſiccantur; in vallibus autem quibuſdam rarò deſunt aquæ. Proinde, quamvis in vita mortali dolores increſcant nimis, atque tempeſtatum vi quaſi montes volvantur aquarum, accommodatiùs lacrymarum vallis appellatur vita, quàm vocaretur mons. Nullus præſumat immunitam à fletibus dum vivere datur: ſatagat potiùs laudabiles eligere planctus: non enim cuncti ploratus commendatione digni ſunt, juxta dictum S. Auguſtini: *Oportet ut fleas recordando Sion. Multi enim flent fletu Babylonico, quia gaudent gaudio Babylonis.* Eligendis lacrymis utilibus animæ tuæ ſedulus incumbe; nec operam impendas curans ut omnino ploratione careas: pene quippe nunquam verè prudentes id obtinuerunt. Crede, quòd prorſus carere lacrymis & earum cauſis non contingit in vitâ peritura, ſed in perpetuâ: reſervatur æternitati gaudium permanſurum, ſublatis omnibus fluendi motivis.

Remig. expoſ. in Pſal. 83. longe poſt princ.

S. Auguſt. to. 8. expoſ. Pſa.. 136.

15. Apud Vatem Evangelicum ſit menſio felicitatis Judæorum emergentium ab Holofernis oppreſſione; quæ narratur in libro Judith: *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*, &c. Hugo Card. ibi: *Id eſt ſervitutem & oppreſſionem Holofernis ab omni populo, quæ faciebat eos lacrymari* &c. Conferamus illa quæ leguntur apud Iſaiam, cum ea voce, quam dicentem audivit Joannes in Apocalypſi: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*: &c. Exponit Purpuratus idem: *Q. d. erit tanta gloria quanta prædicta eſt: & cum hoc nulla miſeria: quia abſterget Deus omnem lacrymam, quæ ſcilicet poteſt eſſe quacumque de cauſa.* Tria ſunt in quibus hæreo, dum ad invicem loca prædicta compono. Primum eſt. Apud Iſaiam legis, auferendam lacrymam; in Apocalypſi Joannis abſtergendas. Secundum. Prioribus verbis agitur de facie; poſterioribus verò de luminibus. Tertium. Priùs dicitur, auferendam lacrymam; & non additur, omnem; poſteriùs habetur: *Omnem lacrymam* &c. Ad hæc tria ſigillatim nunc venio, requirens viam, qua tollatur hæſitatio. Quod ad primum attinet. Abſtergere lacrymam (quantùm verbi ſonus, & uſus communior inſinuat) ampliùs videtur ſignificare, quàm auferre: nam qui digito eam tollit, non tergit; ſicut efficeret ſudariolo. Supervacaneum foret in vita mortali penitus fletum abſtergere; cum poſt abſterſionem ſolitet novus eidem homini ſubſequi ploratus non poſt longam temporis intercapedinem; quo facies madidatur iterum. Simili notatione ſolvetur illud ſecundum de tribus quæ propoſui nuper. Poſſunt equidem lacrymæ tolli de facie, & aliæ ſimul eſſe in oculis. Voluit Spiritus ſanctus, ut apud Iſaiam legeremus, auferendam eſſe lacrymam à facie; non autem ibi diceretur, fletus eſſe tollendos ab oculis; quò meditaremur occaſione prædicti modi loquendi, frequenter in hoc exilio, cum ſublatus à facie ceſſat fletus ortus ab uno motivo, præſentem adeſſe jam in luminibus alium ex altera cauſa natum. Non diſſimiliter ad tertium dicam, in Apocalypſi fieri ſermonem expreſsè de cunctis lacrymis, quia ſolùm in æternâ beatitudine perfectè reperitur immunitas à ploratu. In Iſaiæ textu non habetur hæc expreſſio, quia necnon poſt victoriam de Holoferne, victoribus non deeſſet aliquid indolendum, ſi de iſto cogitare vellent. Hoc ipſum confirmabo de verbis libri Judith, quibus dicitur: *Erat autem populus jucundus ſecundùm faciem ſanctorum*, &c. Interlinearis ibi: *Sicut decet ſanctos.* Et quid eſt eſſe jucundum ſicut decet ſanctos? Exiſtimo ſic illos jucundari, qui ſimul triſtantur aliqualiter ex diverſâ cauſâ; quò non exultent hilaritate nimiâ: ſequentes Apoſtoli doctrinam Corinthiis datam: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*: &c. ubi S. Thomas: *Quia licet in exterioribus, & quæ ad carnem ſunt patiuntur triſtitiam, & amaritudinem: interiùs tamen continuum gaudium habemus*, &c. Cum igitur juſtorum ſit mœrorem jucunditati miſcere; populuſque ſuperato jam Holoferne fuerit jucundus ut ſanctos decet; infero, licet lacrymæ fuerint illis ablatæ; non tamen caruiſſe motivis univerſis plorandi. Propterea dictum non eſt Auferet omnem Deus lacrymam; ſed: *Auferet Dominus Deus lacrymam*, &c. Statue tecum, vir piè, tunc ſolùm exemptos à fletibus oculos, cum immunitatem acceperis à lapſu; quod ſolum conceditur in vita perenni. Claudat periodum

Hug in cō. Apoc. ib.

Iſaï. 25. 8.

Hugo Card. in com. ib.

Apoc. 21. 4.

Judith. 16. 24.

Interlin. ib.

2. ad Cor. 6. 10.

S. Thom. in com. Pauli. lect. 2.

S. Aug. to.8. expoſ. in Pſ. 114.

periodum S. Auguſtinus : *Tunc autem*, inquit, *eximit oculos noſtros à lacrymis, quando & pedes à lapſu : quia tunc nullus erit lapſus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullum erit lubricum.*

16. Vidimus in ſpeculo lacrymarum quàm ſit miſera vita, circumſepta doloribus, obſeſſa jugibus ærumnis. An ideo minuitur nobis amor illius ? Quinimo, ne doleamus de vitæ fragilitate multâ, fingimus, illius durationem largius protendendam ; & menſuramus eam ſecundùm vota noſtra. Ridiculum eſt hoc : ſicut eſſet, ſi perſonam agens in theatro, vix bene ſciens memoriter proferre quæ dixit ; vellet ex proprio marte comœdiam augere theatralia carmina pangens. Quantùm hæc ſimilitudo congruat vitæ noſtræ, collige de ſatis erudito Seresberienſi. *In eoque*, ait, *vita hominum tragœdiæ, quàm comœdiæ, videtur eſſe ſimilior, quòd omnium ferè triſtis eſt exitus*, &c. Hic error proximè notatus familiaris eſt juventuti. *Speravant*, ait Philippus, *juvenes ad ſenectam ſe proventuros* : &c. Sed non ſolis juvenibus hæc deceptio frequenter contingit. Rarò videbis apud homines degentes ad ſæculi normam, decrepitum aliquem, qui licet nimiùm ad terram incurvetur, credat, ſe proximiorem ſepulchro. Sponte pellit è memoria dictum Pauli : *Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* In hac re plurimi ſunt, qui parum diſtant, ut videantur exiſtimare, datum ſibi tempora metiri, quibus fruantur uſu vivendi. Noſtrum non eſt hoc ; ſed alterius qui moderatur cuncta. Redeamus ad Solitarium. *Terminum* ait, *vitæ alius omnibus emetitur : alius finem hujus lucis, mortemque diſtribuit. Et aliis quidem annos apponit, ab aliis rurſum amputat, ut fecit Ezechiæ regi, & improbo Baltaſſar.* Etiamſi pias lacrymas emittat homo, ſe credens interitui proximum, adeo tenaciter vitam diligit, ut videatur putare, quòd ad ſe pertineat annorum ſpatia ſibi longiùs extendere quò vellet. Non ita credit equidem, niſi mente ſit captus : at aliqui, ſe gerunt ſic, quaſi vitæ longitudinem protendere poſſent, uſque dum voluiſſent.

Seresber. l. 3. de nug. c. 8. non parum à princ.

Philipp. Solit. in diopt. l. 1. c. 10.

Ad Hebræ. 8. 13.

Philipp. Solit. prox. ſup.

17. In gratiarum actionem pro ſanitate reſtituta rex Ezechias, vel per ſe, vel per Vatem carmen compoſuit in divinæ clementiæ præconium. Inter alia memoratur ſe dixiſſe : *Præciſa eſt velut à texente, vita mea : dum adhuc ordirer, ſuccidit me* : &c. Commentatur Cornelius : *Sicut texens, ſive textor veniente milite, vel urgente alia neceſſitate præproperea telam inchoatam præcidit : ita & ego quaſi textor, morbo preſſus cogor telam vitæ meæ inchoatam præſcindere & abrumpere. Unde Hebraice eſt* : Præcidi velut textor vitam meam. Notat idem Cornelius, triginta & novem annos numeraſſe regem, cum Iſaias in perſona Domini mortem nuntiavit ei. *Erat*, inquit, *enim Ezechias jam triginta novem annorum, quæ ætas eſt quaſi dimidia vitæ humanæ* : &c. Et quis notum fecerat Ezechiæ, ſibi reſtare dimidietatem vitæ, niſi præſcinderetur à Deo ? Rurſus inquiro. Cur non propriam vitam æquiparavit plantulæ, quam ventus dejicit ? ſed telæ, quam textor ſcindit ? Huic interrogationi ſecundæ ſatisfaciam ; & exhinc patebit quid ad ſecundam reſpondendum ſit, faciens ad ſcopum, ad quem nunc intendimus. Dicam breviter. Plantam inſerens non præſcribit illi quantùm creſcere debeat : telæ verò longitudo quanta futura ſit, manet in texentis poteſtate. Non equidem credebat rex, in manu ſua poſitam priùs fuiſſe durationem vitæ propriæ ; ſed hujus amore ſuadente, ſe geſſit ac ſi crederet, præſcindi ſibi dimidium ; quod ipſe voluerat, quaſi potens ad eum terminum quem eligeret ætatem extendere ; ſicut eò quò vult protendit largitatem ſuæ telæ textor. Et nota, quòd cùm dolebat Ezechias de annorum præciſione, ejus oculi madebant lacrymis. *Elevit Ezechias fletu magno.* Si flentibus talis ineſt vitæ dilectio, quid erit in exultantibus ?

Iſai. 38. 12.

Cornel. Alap in cō. ib.

Idem ib. ad n. 10.

Iſai. 38. 3.

Magna voluptuoſorum illuſio cernitur à prudentibus in eo, quòd exiguum eſſe noſcentes illud tempus, quo terras incolunt, ſe dedant gaudiorum illecebris. Fertur, delphinos, magis exultare cum furit in æquore tempeſtas ; quam dum adeſt ſerenitas. Non eſt cur hoc miremur : nam illis non imminet à procella diſcrimen. Si verò nauta cùm tumentes fluctus ei minitantur exitium, tunc exultaret, convinceremus hominem judicio rationis non uti. *Tot*, ait Juſtinianus, *paſſibus quiſque tendit ad mortem, quot diebus & horis vegetatur ad vitam*, &c. Paſſus iſtos hominem tripudiando perficere, dato quòd neſciret mortalis curriculi brevitatem, ridiculum foret : at cum non ipſum lateat, ſuæ peregrinationis brevem circulum extare, cœcutientis eſt gaudenter diſſipare tempora vitæ. *Maximum*, inquit idem Patriarcha, *quippe hoc ſpiritualis eſt indicium cœcitatis, quando quis temporalibus proſperitatibus lætus, immemor efficitur futurorum. Diſcute ſingulorum opera hujus ſæculi oblectamenta ſectantium, & proculdubio intelliges ipſos errare ut cœcos, captivos duci ut ſervos, de propria perditione nil formidare ut fatuos, atque de futurativa nihil cogitare ut mortuos.* Video, tam fatuitatem, quam visûs mentalis defectum ſponte pati eos, qui voluptatibus animum deſpondent : nihilominus magis propriè cœcos appellabis illos, quàm ſtultos, qui vitæ fugacitatem advertentes, propter hocipſum laxant habenas voluptuario degendi modo. Qui præſumit ſibi differri mortem in annos plurimos, & hortatur animam ſuam ut gaudeat, ſtultus eſt ; ille verò dicatur cœcus, qui non oblitus quàm ſint nobis contracta ſpatia vivendi, ſe tradit lætitiæ mundanæ : hunc fatuum nominare modicum eſſet ; magis dic excœcatum.

18. *Potiùs dicatur cœcus, quàm ſtultus qui vitæ brevitatem advertens tradit ſe voluptati.*

S Laur. Juſt. l. de inſtitut. & regim. prælat. c. 13. non parum à princ.

Idem ib.

Divinus Magiſter ſimilitudinem propoſuit hominis ; cujus ager fructus uberes attulit. Deliberavit ille ſic : *Dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos : requieſce, comede, bibe, epulare.* Hic miſer longam ſibi fore vitam expectabat, cum eâdem nocte mors inſtaret. S.

19. Luc. 12. 19.

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 22. mor. c. 2. Gregorius Papa : *Eâdem enim*, ait, *nocte ſublatus eſt qui in rerum ſibi abundantia multa tempora fuerat præſtolatus, ut ſcilicet qui in longum ſibi ſubſidia colligendo proſpiceret, ſubſequentem diem vel unum minime videret.* Non tamen iſtum Deus vocavit orbatum uſu luminum ; ſed ſtultum. Luc. 12. 20. *Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te* : &c. Commentatur ibi Cardinalis Toletus : Cardinal. Tolet. ib. *Ecce Deus illi loquitur irridens eum, atque ſubſannans, inquit* : Stulte, *id eſt, imprudens, & inſipiens*, &c. Dictis componere libet quæ leguntur apud Sapientem, cum impios vocavit cœcos, dicens : Sap. 2. 21. *Hæc cogitaverunt, & erraverunt : excœcavit enim illos malitia eorum.* Rationem indagare peroptavi, quare non excœcatus dictus fuerit à Domino dives ille, ſed ſtultus ; econtrariò verò Salomon non dixerit, impios infatuatos eſſe per malitiam ; pronuntiaverit autem, hanc ipſos excœcaviſſe. Cogitabam, diſparitatem in eo cerni, quod opulentus apud Lucam decreverit ſe voluptati dare, cum plurimos præſtolaretur annos. Hoc ſtultum eſt, atque ſubſannari dignum. Citato verò loco Salomonis improbos invenies advertentes, non eſſe longum tempus vitæ : *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*, &c. & nihilo- Ib. n. 1. ſecius eligentes voluptatum blanditias : Ibid. n. 7. & 8. *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus : & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant : nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Meritò ſapientiſſimus Rex notavit illos de cœcitate : *Excœcavit enim illos malitia eorum.* Qui nequaquam oblivioni tradentes exiguitatem vitæ voluptuosè vivere diligunt, cœci quidem ſunt : nam *ſapientia callidi eſt intelligere viam ſuam*, & vitam ; quam non perfectè percipit *imprudentia ſtultorum errans.*

DELIBATIO II.

Suadetur agnitio propria.

20. *In ſuperbiæ remedium cogita quid fueris.*

SApientis eſt operum ſuorum examen diligens non prætermittere : quod ut præſtet, oportet ſemetipſum cognoſcere ſtudeat : nam cognitio ſuî plurimum conducit ad operum examinationem rectam : niſi te fragilem noſcas, magiſque ſuperbiâ tollaris, culpabiliter credes, bonas eſſe tuas operationes quæ verè malæ ſunt ; & ignorabis nævos, quibus fœdantur aliæ de ſe bonæ. Tria ſunt in meditatione ſuimetipſius ab unoquoque noſtrûm aſſiduè ruminanda, quorum Archiepiſcopus Cantuariæ meminit, inquiens : S. Edmund. Archiep. Cantuar. l. Specu. Eccle. c. 3. poſt pr. *Cogita diligenter & frequenter qualis tu es, qualis fuiſti, & qualis eris ; primo quantum ad corpus, poſtea quantum ad animam.* Circa noſtram præſentem, atque futuram qualitatem dicam nonnihil poſtea : nunc de præteritâ hominis abjectione loquar. Quid fuerimus recogita ; licet mentem cogas amori proprio non grata penſitare. Quid fuit anima tua priùs, quàm crearetur ? quid verò corpus, antequam hoſpitaretur in utero materno ? Spiritus fuit merum nihil : de corpore dicere pudet. Prælata ſcientiarum arcana, rerum naturalium occulta plures introſpiciunt, & ſeipſos neſciunt. Quorumdam interna lumina ſimilantur in hoc materialibus oculis ; necnon humano palato. Cernit oculus plurima ; ſed non ſeipſum : guſtat multa palatum ; ſed proprium ſaporem non percipit. Caſſiodorus : *Oculus enim*, ait, *qui uſque ad ſidera tendit, ſe videre non prævalet : & palatus noſter cum diverſa guſtu ſentiat, cujus ipſe ſit ſaporis, ignorat.* Quod in palpebris corporeis extat impoſſibilitas, in animo noſtro frequenter eſt vitium ſuperbiæ. Hujus elationis medelam ſcito peroptimam fore verſare cogitatu quid fueris. Fr. David de Auguſta : *Primum ergo ſuperbiæ remedium eſt conſideratio propriæ vilitatis, tam in corpore, quàm in anima*, &c. Et poſt pauca : *Conſidera vilitates & infirmitates corporis, quid fuimus, quomodo concepti*, &c. Inflationi ſpiritus medicamen aptum eſt hominem animadvertere quid ante ſuam conditionem extiterit : quiſnam ſuperbiet, ſi quid erat antea meditetur ?

Caſſiod. l de anim. in Procem. ante fi.

Fr. David de Aug. in ſerm. novit. c. 45.

21.

Peccavit Protoparens humani generis ; & in pœnam delicti damnatus eſt ad hoc ut ſudore proprio victitaret. Gen. 3. 19. *In ſudore vultus tui veſcêris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es : quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Meritò conjicitur in faciem Adæ quod fuerit è vili materia formatus. Et adjicitur reverſurum in pulverem fore : nam ſuperbierat ; & humanum tumorem reprimit quòd ſit redigendus in cinerem. Non it longè Rupertus, dum ait : Rupert. l. 13. in Geneſ. c. 24. juxta med. *Ecce ultima percuſſio mors carnis eſt. Saltem hac plaga ſuperbiam cineris domare, & redigendas in lutum cervices quandoque flectere habebat.* Notandum etiam eſt Barcepham Epiſcopum cenſuiſſe, Protoplaſtum, antequam ei diceretur, *Pulvis es*, ignoraviſſe quòd fuerit è pulvere fabricatus. Moyſ. Barce. Epiſ. l. de parad. p. 1 c. 28. longe ante ſi. *Animadvertendum*, ait, *hic eſt, Adamum ante hoc oraculum* : Quia pulvis es, *neſciviſſe ex pulvere ſe eſſe conformatum, genuſque ſuum unde eſſet, ignoraſſe.* Quo præſuppoſito ſic dubitabam. Si Dominus, ut ſuperbiam præteritam retunderet Adami, docuit eum, fuiſſe pulverem priùs : quare non ſimiliter, ut longè majorem diaboli ſuperbiam redargueret, dixit ad illum : Qua dementiâ ſic auſus es me lædere ſuperbiſſimus, cum te formaverim de nihilo ? nonne tunc Deus locutus eſt dæmoni, cum ad ſerpentem verba fecit ? Lege S. Auguſtinum. S. Aug. to. 3. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 36. *Nunc*, inquit, *ergo quod ſerpenti dicitur, & ad eum qui per ſerpentem operatus eſt, utique refertur, procul dubiò figuratum eſt : nam in his verbis tentator ille deſcribitur, qualis generi humano futurus eſſet* : &c. Quid eſt in cauſa, quòd Adamo dixit eſſe pulverem, ut agnoſceret, ſe viliter ortum de limo terræ ? diabolo verò præcitato loco dictum non eſt, fuiſſe de nihilo creatum ? Suſpicor (& non abſque rationis momento) propterea minimè dæmoni dixiſſe quòd fuerit nihil, quia jam in ſtatu erat æternæ damnationis ; ac proinde penitus irremediabili ſuperbiâ

ſuperbiâ tumebat. Adamus autem extabat remedii capax, tum curativi anteactæ ſuperbiæ; tum præſervativi futuræ. Perutile Deus ei propinavit medicamentum; ſcilicet agnitionem quòd extiterit limus: nam, ut ſupra notabam pharmacum eſt homini ſaluberrimum ad comprimendam elationem, & obſtandum novo ſuperbiæ flatui, ne præcordiis admittatur, agnoſcere, quàm ſit ex propriâ molitione nimis abjectus.

22. *Agnoſcit juſtus quod patitur: nec audet dicere præ oculis habere, quod ſit nihilum?*

Arduum, fateor, eſt ſuperbo rectè cognoſcere ſemetipſum depreſſâ mente: nam iſte quaſi transformatus in vitium tumefactionis (quod eſt aëreum) velut induit ſibi proprietates aëris; quem ſi velis deprimere, fruſtra laboras: nam levitate ſuâ rurſus erumpit in altum. Ita ſuperbiæ vaniſſimam auram, qua plenus eſt homo ſe neſciens, ægrè comprimet ipſe; niſi virum commutetur in alterum. Nil mirum igitur, quòd difficilis extet ſcientia ſui peccatori tumido. Magis admirandum, quòd etiam humilibus cognitio propria multoties perfacilis non ſit. Ut homo plenè cognoſcat ſeipſum, oportet quòd amorem proprium ſubigat: nam hic mendaciſſimus pictor objicit phantaſiæ noſtræ quamdam ſe cogitantis imaginem à veritate prorſus alienam. Cumque perfecta victoria de propriâ dilectione, poſt multa prælia rarò contingat; fit inde, quòd non inveniatur identidem homo ſemet exactè ſciens. Accedit, quòd pluribus intentus minor eſt ad propria ſenſus: eapropter internorum ignarus eſt qui per exteriora vagatur. S. Bernardus: *Miſer*, ait, *homo, qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum: putans aliquid ſe eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Hac ignorantiâ laborant quidam, non perfectè humiles. Nec dicas, non eſſe cur aſſeramus, tam difficilem cognitu creaturam non maximam; ſcilicet hominem: non, inquam, hoc dixeris: nam, ſi Dei cognitio nobis eſt ardua, quoniam perfectionum abyſſus eſt; econtrariò, cum homo ſit abyſſus imperfectionum, non eſt facillimum comprehendere mente copiam tantam carentiarum. Hinc oritur, adeo præcelſam extare in unoquoque ſcientiam ſui; quod amicus Dei, ne ſuperbiat, libens quaſi fateatur ignorare ſemetipſum. Agnoſcit juſtus quod patitur: nec audet aſſeverare, præ oculis habere quòd ſit ille nihilum.

S. Bernar. ſer. 2. de Quadrag.

23. Pſal. 72. 16.

Duplicem Pſalmiſtæ locum verſabo pariter. Ait ille: *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me*: &c. exponit S. Ambroſius: *Cauſa autem laboris ignorantia eſt, quoniam qui neſcit juſtis repoſita eſſe præmia, non reficitur à laboribus; ſed magis imprudentiæ ſuæ labore curvatur & frangitur.* Non ſimilem phraſim legimus alio Pſalmo, cum dicitur: *Et ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.* Quare non dixit: Subſtantia mea tamquam nihilum ante me? ſicut alibi dixit: *Labor eſt ante me*: &c. Adeſt ibidem ratio dubitandi: nam cognoſcebat, hominem eſſe vanitatem: *Verumtamen* &c. Ergo quare non dixit, ſubſtantiam ſuam tamquam nihilum ante proprios oculos? Quia, cum virtute ſublimium ſit rectè cognoſcere ſemetipſos, ex animi ſubmiſſione detrectavit aſſerere, quòd præ oculis ſuis haberet, ſe velut nihilum eſſe. Nonnihil favebit Auguſtinus ad eum locum, inquiens: *Ante te Domine tamquam nihil ſubſtantia mea, ante te qui vides hoc; & ego cum hoc video, ante te video; ante homines non video. Quid enim dicam? quibus verbis oſtendam, nihil eſſe quod ſum in comparatione ejus quod eſt? Sed intus dicitur, intus utrumque ſentitur; ante te Domine, ubi oculi tui ſunt; non ubi oculi humani ſunt.* Laborem utique natura fragilis execratur; hunc tamen homo ſolet anteriùs poſitum cernere, dicens: *Labor eſt ante me*: non ita verò frequens reperimus, mentem humanam ob oculos conſtitutum habere, quòd ſit homo *tamquam nihilum.*

S. Aug. to 8. in com. ib.

24. *Exterioris hominis contra virum interiorem inimicitia dirior, quàm diaboli.*

Quantumlibet nulla detur verborum copia talis, ut explicetur apprimè nihileitas hominis; nihilominus, cùm hic ſe perpendit ſuimetipſius hoſtem, paveat iſtud nihilum; nec ſpernat inimicum; quamvis tenuiſſimæ ſubſtantiæ ſit. Hoc peccatoribus atque juſtis commune. Sed in hoc hi, præter alia, diſtant, quod peccator duplicem domeſticum patitur hoſtem; carmen ſcilicet quia contra rationis dictamina pugnans, hominis perniciem ſollicitat; & ſpiritum, quia fœderatus carni præcipitem agit hominem totum in exitium æternum. At juſtus domi ſimul habet amicum veracem, nempe ſpiritum cum corpore confligentem fortiter; & adverſarium ferocem blandè; ſcilicet carnem ſpiritui reluctantem. S. Paulinus: *In nobis*, ait, *& hoſtis & amicus habitant. Quis autem mihi amicior, quam ſpiritus, qui adverſatur carni, ne me trahat in legem peccati? Aut quid inimicior nobis, quàm caro; quæ adverſus ſpiritum pro interitu concupiſcit?* Debilis eſt conditione ſuâ caro; ſed non invalida reperitur in hoſtilitate ſuâ. Diverſa valde ſunt hæc duo: nempe ſubſtantia rei, ac vires ejuſdem. Tenuiſſimum quid eſt ventus: attamen arbores eradicat; ciet procellas impulſu fortiſſimo. Sic & caro noſtra gracilis eſt ſubſtantia; ſed non leviter nos oppugnat. Ex tribus adversùs animam bellantibus vulgariter notis magis pavenda caro, quàm diabolus vel mundus. Quidam, cujus verba jam dabo, monuit mundum cavere; dæmonem odiſſe; carnem autem pavere. *Caro eſt hoſtis domeſticus, & ideo magis timendus. Mundus hoſtis ſophiſticus, & ideo cavendus. Diabolus hoſtis antiquus, & ideo magis timendus.* Comparationem non inſtituam inter mundum & carnem: nam hæc nos, dum vita manet minimè deſerit; ille verò fugit. Quid nimirum eſt, majori ſollicitudine dimicandum nobis cum obſidente contrario, quàm cum fugitivo? Dæmonem & carnem conferamus ad invicem. Terribilior eſt inimica ſpiritui caro; quàm infenſus nobis tartareus coluber: exterioris hominis contra virum interiorem inimicitia dirior extat, quàm diaboli.

S. Paulin. ep. 2 ad Sever. longe poſt med.

Petr Comeſt ſer 8. de S. Vincent. juxt. med.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 72. 16.

Pſal. 36. 6.

25. Ad Eph. 2. 15. 16.

Paulus Apoſtolus ad Epheſios ait ſic de Salvatore mundi : *Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore : Ideo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Vocaverat ibidem paulò priùs Gentium Doctor Chriſtum Dominum pacem noſtram. Hôc moveor, ut non improbabile putem, involvi textu citato, factam etiam pacem per Chriſtum inter duos homines, ex quibus compaginamur ; internum ſcilicet ac exteriorem. Quamvis enim Paulus intenderit ad unitatem inter populum Judaicum, & Gentilicum ; nemo vetat nos intelligere, ſimul ad pacem inter duos illos homines proximè dictos attendiſſe. Fortaſſe cogitavit hoc Primaſius. *Pacem*, inquit, *refudit, legemque evacuans, ut duos conderet in uno novo homine : in quo non ſolum interiorem & exteriorem, ſed etiam Judæum ſignificat & Græcum, ut eſſet omnia in omnibus.* Dato quòd expoſitionem iſtam lector cenſeat veriſimilem, admirabitur, quòd, cum Dei Filius tantos fecerit ſumptus, ut pacificaret in nobis hominem externum cum interiori ; non coegerit infernalem inimicum, ne pugnaret adversùm nos. Devicit eum ; ſed permiſit illi quòd tamquam leo ſe gereret contra mortales. *Vigilate : quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* : &c. Domare dedit Redemptor juſtis carnem propriam ? dæmonem verò ſinit ferocire ſicut leonem ? Vidit, periculoſiora certamina cum propriâ carne, quàm cum ſpiritu maligno : donavit probis, ut carnem ſpiritui ſubdentes, inter ipſos fœdus aliquale pangerent : nullum autem pacis genus voluit eos habere cum adverſario communi : quia minus eſt ab iſto diſcrimen ; durius autem prælium experimur à nobis.

Primaſ. Epiſc com. ad Epheſ. ib.

1. Petr. 5. 8.

26. *Cedit iniquus aliquando non audens contendere cum homine, qui vicit ſemetipſum.*

Hinc videre licet, quàm ſit excellens omnis ille triumphus, quo ſuperamus noſmetipſos. Victoria ſuî collata reliquis materialibus pugnis, difficultate ſuperexcellit cunctas. Difficultatem probat raritas : nam Seneca dixit : *Multi* ſunt, *qui gentes & populos habuerunt in ſua poteſtate ; pauciſſimi autem qui ſe.* Utque doctrinam iſtam nobiliori teſtimonio confirmemus, audi Gerſonem. *Collaudabunt*, inquit, *alii cruentas bellorum victorias, & ambitioſos ex his triumphos mirabuntur. Plus apud me valet aſſertio Sapientis, quod melior eſt ſapiens* (in Vulgata habetur *Patiens*, quod fortè voluit Gerſon ſcribere) *& qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* Manus conſerit homo rectus cum diabolo, mundo, ſeipſoque validè : ſed victoriæ de tribus his adverſariis non in omnibus pares inveniuntur. Imprimis : quantumvis pii ſæpe mundum proterant, non efficient, ut hic in ſpiritualibus victorem adjuvet ; ac longe minùs hoc aſſequentur à dæmone victo ; cum verò ſuperat ſpiritualis pugnator ſemetipſum, frequenter exterior homo ſubactus fert interiori ſuppetias ad quædam virtutis opera. Quapropter non abſque fundamento præferimus victoriam ſuî duabus illis, quæ de ſæculo, dæmoneque reportantur. Deinde vir bonus debellat mundum ; diabolum fugat : nec tamen iſte, nec ille, ſe confitentur devictos : imo frequentiſſimè contingit, ut ſpiritûs bellator ex his victoriis laudem nullam penes malos conſequatur. Atverò victor ſuî manet inclytus egregiè, quòd nonnunquam judicetur apud iniquum laudabilis ; imo cedat à nequitia, qua rectum virum perſequebatur ; non audens contendere cum homine, qui potuit triumphare de ſemetipſo.

Gerſon. p. 1. ſer. coram Papa Benedictio ante med.

27. 1. Reg. 16. 23.

Spiritum nequam expugnavit Paſtor Bethlehemiticus non ſemel, dum torquebatur Saül. *Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül, & leviùs habebat : recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Non legimus, ob triumphos iſtos accepiſſe Davidem ſplendorem aliquem à commendatione Saülis ore factâ de fortitudine vincentis. Subſecutum fuit illud celebre duellum ; poſt quod publico fœminarum plauſu decantatus David non ſuperbivit ; qua quidem humilitate vicit mundum : non ideo tamen ejus animi ſubmiſſionem tunc temporis laudatam lego. Habes ecce jam David mundi necnon atque dæmonis victorem ; quin præconio celebraretur, quòd hos duos terribiles feliciter ſubegerit hoſtes. Progrediamur ad eventum, quo Davidi contigit in ſpelunca latere, quam ingreſſus eſt Saül rei neſcius. Potuit illum Jeſſæus Heros occidere, nullo diſcrimine vitæ propriæ : ſed victor ſuimetipſius abſtinuit à vindicta. Quam glorioſa fuerit hæc victoria ſui ipſius, collige de verbis Chryſoſtomi. *Illud*, inquit, *conſidera, quod ex inſidiis Saülis tripla, quadruplaque martyrii coronâ redimitus eſt. Etenim qui ſervavit hoſtem, eum qui ſemel atque iterum, imo frequenter lanceam in caput illius vibrarat, cum eſſet occidendi poteſtatem nactus, tamen pepercit ; idque cum ſciret poſt eam præſtitam clementiam fore, ut denuo ab illo impeteretur : perſpicuum eſt quod millies coronam meruit animi propoſito, millies autem interfectus propter Deum, plurimas tulerit martyrii coronas* : &c. Multis omiſſis, illud tantùm non præteribo, quòd licet iniquus exiſteret Saül, tamen tunc videns, ipſum noluiſſe manus in illius vitam extendere, laudaverit eum. *Juſtior*, ait Saül Davidi, *tu es quàm ego* : &c. & infra : *Et nunc quia ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël : jura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Videſne celſum adeo redditum Davidem per victoriam de ſeipſo ; quòd ejus laudator factus eſt qui perſecutor erat ; & inſuper demiſſis verbis locutus eſt ad illum ? Non ſimilem claritatem Davidi contulit profligare citharæ pulſu dæmonem, & humilitatis vi mundum. Conjice, victoriam inſigniorem eſſe, quam de temetipſo conſequeris, triumphis de ſæculo ſpirituque maligno. Sic vide qualem domeſticum habeas hoſtem, ut ſapienter noveris teipſum.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 1. hom 3. de Davi. longe poſt med.

1. Reg. 24. 18.

Ib. n. 21. & 22.

Pro

28. *Felix mortem non tantùm cogitet ut futuram; ſed ut præſentem.*

Pro cognitione propriâ diſcendâ meminiſti jam quid fueris, atque pariter quid ſis. Reliquum eſt, ut ad memoriam revoces quid eris. Hoc potiſſimùm vellem profundè mentibus humanis imprimi: diem illam nempe, quæ metum nunc; tunc verò metam adducet vitæ cujuſque noſtrûm: tot circumſtantiis horribilibus vallatam; ut jam tremiſcat eas non mente veſanus. Hugo Eterianus: *Imprime*, ait, *menti tuæ noviſſimum diem exitus, anguſtiam, ſuffocationem & horam direptionis ſpiritus, ſententiam Dei urgentem, Angelos feſtinantes, animam inter hæc fluctuantem; obtenebreſcentem trementem vehementer, dubitantem inutiliter, pœnitentem quando nihil prodeſt.* In duplicem claſſem dividuntur mortales: alii feliciter conficiunt vitæ curſum; aliis fortuna minimè favet: congruit utriſque propriî recordari finîs: priores enim ſic fortiùs reſiſtent ſuperbiæ; meditantes, denique ſortis riſum flebili morte ſaltem ceſſaturum; poſteriores autem leviùs ferent infortunia ſua, ſi non obliviſcantur ſpinas, de quibus dolent, falce mortis denique præſcindendas. Aliquam tamen diſparitatem in hac funeris memoriâ concedo fortunatis & infelicibus: nempe, quòd afflictis permitto (quamvis non libens) ut obitum ſuum tamquam ſolummodò venturum conciperent mente. Congruentiſſimum eſt, ut in tempore felicitatis, æſtimes, te de præſenti mori; nec ſis contentus apprehendere fata quaſi futura.

Hug. Eterian. l. de anim. regreſſ. c. 9. juxta med.

29. Meritas luit veſaniæ ſuæ pœnas dementiſſimè tumens Abſalom: tribus lanceis confoſſus eſt, quæ poſtea cor amantiſſimi parentis confixerunt: nam occiſione geniti nuntiatâ, pater *ſic loquebatur, vadens: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuit ut ego moriar pro te*, &c? Putares, Davidem tunc dicturum fore: Nunc morior præ cruciatu ſummo. Non ita loquitur; ſed mortem cupere ſignificat, non apprehendens iſtam ut præſentem. Aliud ſonant verba Joſue: qui poſt monita ſalutaria data populo, dixit: *En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ*, &c. Adverbium illud, *Hodie*, ſatis inſinuat, prudentiſſimum Ducem non concepiſſe tunc mortem propriam ut poſt dies multos futuram ſed tamquam ſi moreretur ipsâ die, qua loquebatur iſta. Rationem diſparitatis inter Davidem atque Joſue veſtigabo. David, cùm prædicta locutus eſt, infortunio premebatur necis violentæ filii, quem diligebat. Eſto, quòd adverſitate comprimente, non refugiat homo tunc ad mortis conſiderationem ut adſtantis; & ſolùm cogitet eam ut futuram. Joſue verò tunc temporis experiebatur proſperitatem non exiguam: nam ſermonem, ex quo deprompſimus quod præcitavi, habuit *poſtquam pacem dederat Dominus Iſraëli ſubjectis in gyro nationibus univerſis*, &c. Vir pollens prudentiâ multâ, ne de proſperis eventibus inflatus deviaret à recto, præſervativum remedium quæſivit perutile: ſcilicet mortem non longe differendam revolvere mente; ſed quaſi præſens illa die jam adeſſet interitus. Felicibus utplurimùm inſtat majus periculum; quod ſtrictiori meditatione mortis vincendum eſt. Sed utinam fortunati ſepulchrum recordarentur ad minus ut futurum: per memoriam pulveris propriæ cognitioni ſtuderent; & ſic examinarent opera ſua ſapienter: nam *ſapientia callidi eſt intelligere viam ſuam.*

2. Reg. 18. 33.

Joſu. 23. 14.

Ib. n. 1.

DELIBATIO III.

Attende tibi: de cæterorum factis non cures.

30. *Curioſus alienorum ſcrutator hinc fortè parat detractioni viam.*

MIrum, & miſerum eſt, hominem de viis alienis imprudenter ſollicitum, adeo parum curantem *intelligere viam ſuam*, cenſorem agere perpetuum circa geſta proximorum; de propriis autem velut inſenſatum exhibere ſemetipſum. Si cauſam iſtius inordinationis eſſe dixeris eam difficultatem, quæ cernitur in judicando ritè de propriis; reſpondebit aliquis, non extare parum difficile rimari cordium alienorum intentiones, quas non excludimus à cenſurâ noſtrâ; nec fatemur, has difficulter indagari. S. Baſilius Magnus, *Facilius*, inquit, *unicuique noſtrûm eſt curioſum eſſe de alienis, quàm ſua ipſius ac propria conſiderare*, &c. Charitatis affectu ſe duci nonnulli ſimulant, cùm alios curiosè circumſpiciunt, de ſuis negligentes. Non hæc ordinata bene charitas eſt, quæ non incipit à ſeipſa: latet invidia quandoque. S. Bernardus: *Monachus enim*, ait, *qui ſui negligens alios curiosè circumſpicit, dum quoſdam ſuſpicit ſuperiores, quoſdam deſpicit inferiores: & in aliis quidem videt quod invidet; in aliis quod irridet*: &c. & infra: *Has autem animi viciſſitudines nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania, nunc riſu, nunc luctu plena, ſemper verò irrationabilia indicant verba.* Detractorum quotidianus defectus eſt alterius inveſtigare mentem: percontatur imprudenter quæ ſuâ non attinent; neutiquam ut proximorum conatus adjuvent; ſed (eſto quòd ipſis, à quibus rogant, nihil moliantur mali) ſaltem inde venantur occaſionem, ut alicujus tertii famam rodant. Nequaquam animus iſtis percontatoribus eſt iis adjutorium præſtare, quos reducunt ad examen; ſed parare detractioni viam.

S. Baſil. Mag. hom. in il. lud. Attende &c. longe poſt med.

S. Bernard. tract. de grat. humil. gr. 2.

31. Paterni ſceptri cupidus, quamvis ambitione cæcus, perſpicuè noverat quàm ſit opportunum regnaturo corda ſubditorum in ſe convertere, perfidus Abſalom: Mane ſurgebat; & ad civitatis januam loquebatur affabiliter venientibus ad negotia. Ambitioſus nec ſomnos carpit nimios; nec inferioribus proferre detrectat benignos ore ſonos. *Mane conſurgens Abſalom, ſtabat juxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Abſalom ad ſe, & dicebat: De qua civitate es tu?* Non exprimit ſacer Textus, ulteriùs interrogaviſſe quid afferret negotii; ſed illum hoc etiam ſciſcitatum fuiſſe veroſimile reputo: non enim auderet homo vulgaris exponere filio regis

2. Reg. 15. 2.

gis cauſam, quam deferebat in urbem regalem, niſi de hoc is prius rogaviſſet eumdem. Illos autem aperuiſſe coram Abſalomo quid adveniſſent tractaturi, colligitur ex verbis ejus: *Videntur mihi ſermones tui boni & juſti.* Quid intendit Abſalom quæſo? Hiſtoriographum audi. *Sollicitabat corda virorum Iſraël.* Adde S. Ambroſium: *Sic*, ait, *convertit in ſe corda omnium, dum blanditiæ hujuſmodi intimorum tangunt viſcerum ſenſum.* Expectares, ut Abſalomus, audito negotio cujuſque ſponderet auxilium illi, quò deſiderata perficeret: hoc enim pacto longè plùs traheret ipſius corda. Non ita legimus; haud tamen fruſtra. Crede, curioſum veſtigatorem alienæ mentis, ordinariè loquendo, non id agere quia velit alteri juvamen afferre; ſed ut occaſionem ſumat detrahendi. Sic videre licet in Abſalomo dicente: *Non eſt qui te audiat conſtitutus à rege.* Hoc dicto famam Davidis lædebat. Angelomus ad præcitata verba: *Abſalom patris ſui juſta judicia auſu temerario coram omni populo reprehendere non timuit.* Hic mos aliena ſcrutantibus eſt: per curioſitatem nempe parare viam, ut alterum feriant maligno dente.

Ib. n. 3.

Ibid. n. 6.

S. Ambroſ. to. 4. l. 2 de offi. c. 22. ad fi.

2. Reg. 15. 3.

Angelo. in com. ib.

32. *Alieni facti ſcrutator incidit in judicium temerarium quandoque.*

Alii ſunt cautiores in malignitate ſuâ diſſimulandâ, cùm aliena pectora penetrare conantur. Iſti non prorumpunt in verba detractoria, contra quemquam, ſumentes anſam de curioſitate propriâ; ſed ex alieni facti ſcrutatione decidunt in judicia temeraria: gaudent, ſe veritates occultas clarè comprehendiſſe per conjecturas: palpabile ſibi putant cor humanum: acuminique ſuo patere, quaſi meridiana lux oculis percipitur; cum potius ipſi caligine pleni ſint. Opportunus adeſt S. Laurentius Juſtinianus ad illud Pſalmi: *In tenebris ambulant* &c. Legit S. Patriarcha ſic: *Ambulabunt in tenebris ſicut in meridie* &c. & ſcribit ille: *Porro quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi ſunt, qui mentium proximorum profunda conſilia curioſa inveſtigatione perluſtrant. Et ex hoc judicia temeraria contingentes, in nocte ignorantiæ ambulantes, meridiem ſe aſpexiſſe exultant.* Somniantes, cum ſpecies, quæ ſomnium fabricaverunt, erant clariores, & melius coordinatæ concurrebant, magis decipiuntur à ſomnio ſuo: quod infertur ex dubitatione, quam ſemiexpergefacti mente verſant, utrum illud, quod memorantur extiterit illuſio phantaſiæ, vel fuerit verum: imo frequenter evenit, ut exiſtiment ipſi protunc, neutiquam à ſomno ſe deluſos: nam ſub tantâ claritate ſomniaverant, ut credant, idipſum corporeis oculis aſpexiſſe. Conjectatoribus temerariis applica. Nonnunquam ex indiciis, quæ ſollicitè captant, ſibi mentiuntur, dicentes: Ecce perſpicuum eſt hoc: non apparet ratio dubitandi. Tunc illi tenebroſiùs hallucinantur, cùm imaginationi ſuæ, tamquam luci clariſſimæ fidem præbent. Temerariè judicant: & hujus peccati frequentiſſima radix eſt ſtudioſitas imprudens, qua facto ſe miſcent alieno. Si tantùm ſemetipſos attenderent, non cenſerent alium temerè; quia verò ſe geſtis aliorum immiſcent, iniqua judicia ferunt.

Pſal. 81. 5.

S. Laur. Juſt. l. 1. de ſpirit. ani. inter. longe poſt princi.

Ad probaticam piſcinam in Jeroſolyma venit Angelus magni conſilii Filius Dei. Non tamen aquas movit; ne qui primus ex ægrotis deſcenderet in eas tribueret fortunæ ſuæ ſalutem, quam debebat Salvatori. Vidit hominem jacentem, diuturno morbo membris ligatum: dixit ei: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Sabbatum erat cùm hæc facta ſunt; cujus obſervationem tranſgreſſum fuiſſe putaverunt Judæi. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum*, &c. En temerarium judicium: ſcilicet quòd Redemptor frangeret legem de cuſtodia ſabbati. Non dubito quidem, ægros aliquos vidiſſe paralyticum tollentem grabatum: nullus tamen ex eis judicavit, illum, vel Chriſtum fractorem ejus præcepti divini. Cur prædicti Judæi cenſuram temerè tulerunt; non autem infirmi? Quia Judæi ſcrutati ſunt quod ad ipſos non pertinebat. *Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* Ex iſtâ curioſitate devenerunt ad judicium damnabile. Languidi verò dolentes infirmitatem propriam attendebant ſibi; non ſe de facto paralytici, vel Servatoris, intromiſcentes: idcirco nequaquam in hac re ſententiam tulerunt injuſtam. Ægrotantes piſcinæ Rupertus expendens moraliter ait: *Sicut piſcina quinque porticibus cingebatur, in quibus jacebat multitudo languentium motum aquæ expectantium: ita lex Moyſi, cujus quinque libri ſunt, peccatores interim cohibebat, ſacrificiis illis obumbraticis emundari non valentes*, &c. Hinc manuduci poſtumus, ut per illos infirmantes accipiamus univerſaliter peccatores in ſenſu morali. Miſer peccator attendat infirmitati ſuæ: nec indagare geſtiat quicquam de ſibi ſimilibus; & multa culpabilia judicia vitabit.

33.

Ioann. 5. 8.

Ib. n. 18.

Ibid. n. 12.

Ruper. l. 5. in Ioann. c. 5. longe à pr.

Cavendum eſt ingeniis peracutis, ne vituperabilem curioſitatem admiſceant cuidam imperfectæ dilectioni proximorum, quaſi charitativè curantes de cæterorum emmendatione atque profectu; ſic placere Deo volentes. Nequaquam Deus complacet in horum inſipienti ſollicitudine: vellet, ut ſemetipſos illi curarent. Utere S. Antiocho. *Rerum*, inquit, *alienarum ſatagere curioſius, & quæ ſupervacanea ſunt nec ullius frugis moliri, prorſus diſſentaneum videtur, nec convenire ei, qui Deo contendit quammaxime eſſe gratioſus. Qui enim vitæ ſanctimoniam profiteri vult atque munditiam, neceſſe ſit perpeti tenore vitam inſtituat ſuam: hoc eſt, ſibi ut attendat*, &c. Miles in ſtatione ſuâ perſiſtit excubias agens: & illam non deſerit; quantumvis commilitonem ſimiliter excubantem cernat relinquere locum, quem debuerat cuſtodire; ne, ſi alterius incumbat muneri, proptereaque damnum accidat commune, dicat illi dux: Oportebat, ſervare te commiſſum locum; nec de alieno curare. Præfectus navigio, videns, à longe navim, & cupiens

34. *Scrutatio circa rem alienam germinat ſæpe negligentiam circa propriam.*

S. Antioch. hom. 34 in princ.

piens non prudenter examinare cujas illà ſit, & quò tendat, vocat illam dato nautico ſigno tormenti bellici; quo nonnunquam fit ut incidat in hoſtem. In mortali vita navigamus omnes, & bella gerimus. Unicuique noſtrûm fuit injunctum navem propriam regere; ſtationemque ſuam cuſtodire. Quò naviget alter, vel quod officium derelinquat proprium attendere, ſæpiſſimè curioſitas minimè laudabilis eſt: de qua naſcitur identidem, ut ſui deſerat cuſtodiam qui operibus alienis inſipienter ſe curatorem offert: dicetque:

Cant. 15. Cogitationes meæ *poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodivi.* O quam frequenter contingit ut ſibi non attendat qui de alio curat in iis, quæ neutiquam incumbunt ſibi! Scrutatio circa rem alienam germinat negligentiam circa propriam.

35. Qamvis Judas à Domino vocatus eſſet jam diabolus; non ideo non perditionem ejus indolebat. Indicium veritatis hujus eſt, quòd cum adeſſet prope tempus conſummandi rem tantæ molîs, qualis erat redemptio noſtra, non penitus è memoria propulerit perfidum: quinimo tunc inſinuavit Apoſtolis, nomine ſuppreſſo, fore ſibi traditorem unum ex ipſis. Petrus probè ſciens, nequaquam ſe perfidiâ contra Magiſtrum fœdari; tamen ſciſcitatus eſt à Domino tunc, an foret ipſe traditor: nam & Simon comprehenditur illis verbis, quæ leguntur apud Matthæum: *Et contriſtati valde, cœperunt ſinguli*

Matth. 26. 22. *dicere: Numquid ego ſum Domine?* Ecce pro ſemet ſollicitus erat ita Petrus, ut quæreret, an perfidiæ maculam contracturus eſſet; quod piaculum committere nunquam illi venerat in mentem. Poſt reſurrectionem non adeo ſatagentem lego Simonem de ſemetipſo. Nam illa verba Domini relata per Joannem: *Tu me ſequere.*

Joann. 21. 22. quæ Salvator dixit ad Apoſtolorum Principem, non erant adeo perſpicua, quod S. Auguſtinus illa non explicet quaſi formidans, an tetigerit eorum ſenſum genuinum. *Quid enim*, ait, *eſt hoc? Quantum ſapio, quantum capio, quid eſt hoc, niſi tu me ſequere per imitationem perferendo temporalia mala: ille maneat, donec ſempiterna venio redditurus bona? quod apertiùs dici poteſt: Perfecta me ſequatur actio, informata meæ paſſionis exemplo: inchoata verò contemplatio maneat donec veniam, perficienda cum venero.*

S. Aug. to. 9. tr. 124. in Joann. Fortè neſciebat Apoſtolus quam ſignificationem ex mente Domini vendicarent illa Præceptoris verba: *Tu me ſequere.* Quare non interrogavit Simon quid ſibi vellent? Conjector, eum, cum non adhuc eſſet conſummatè perfectus, aliquid humanum fuiſſe paſſum, admiſſâ quadamtenus incuriâ circa propria: quia tunc temporis attenderat in rem alienam; percontatus quid futurum eſſet Joanni: *Do-*

Joann 21. 21. 22. *mine, hic autem quid?* Inveſtigare tentavit quod ad ipſum non attinebat (*Quid ad te?* propterea de ſe minus fuit ſollicitus. Atverò, cum adeſſet menſæ, nequaquam in ejus cogitatum incidit curioſitas aliqua de alieno digna reprehenſione; ſicut fuit illa, de qua ſuprà, cùm Dominum rogavit ipſe de Joanne. Superflua ſollicitudo de alienis gignere ſolet negligentiam circa propria.

36. Cum eà, quæ diximus erga non prudenter attendentes ad proximorum actus & intentiones, videantur ſtultitiæ notare prudentiam carnis; quilibet inquiret à nobis, quomodo ſtet iſta doctrina cum verbo Redemptoris apud Lucam: *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Deinde, judicium temerarium frequens peccatum eſt non ſtultorum; ſed ingenio pollentium. Deinceps per indicia cor hominis aucupari, ſimiliter eſt mentis acutæ. Qua ratione damnamus hæc omnia tamquam errata? Imperfecta valde prudentia carnalis eſt; mundanorumque ſapientia vana; proindeque ſtultitiæ ſocia. S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Iſta eſt ſapientia plena tumiditate, plena vanitate, plena calamitate. Unde Auguſtinus: Sapientes in naturis rerum ſtulti facti ſunt in Deo.* Adulterat malitia ſcientiam, cum avertat hominem à Deo, qui ſapientia dicitur: unde qui Deum relinquit, ſtulteſcit. S. Ambroſius. *Quoniam*, ait, *enim humanæ cogitationes & conſilia improvida & infirma ſunt, non eſt gloriandum in homine, ſed in Deo, cujus conſilium retractari non poteſt. quidquid enim homines ſine Deo ſapiunt, ſtultum eſt.* Ut ſcias quàm ſtulta ſit prudentia ſæculi, quid huic non cogitanti contingat multoties, adverte quod addo. Non infrequenter accidit induſtrioſis malis, ut media, quæ præparaverant ad optatum finem, conducant cum effectu pro contrario votis eventu. Loquens aliorſum D. Gregorius Magnus vocari poteſt huc non ineptè. *Subtiliora conſilia*, inquit, *exquirunt, ſed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei conſilio, dum reſiſtere nituntur, obſequuntur, quia ſæpe & hoc ejus diſpoſitioni aptè militat, quod ei per humanum ſtudium frivolè reſultat.* Unus ex effectibus prudentiæ ſolitat eſſe mediorum electio congruens ad intentos fines. Degenerat in hoc prudentia peccatoris crebrò; ſic, ut eâdem via, qua tendebat in optatum, exeat in oppoſitum: accidit quod fugiebat, per idipſum, quo vitare ſtuduit rem non convenientem ſibi.

Media, quæ prudentia carnis eligit, exeunt aliquoties in oppoſitum finem.

Luc. 16. 8.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. in cœn. Dom.

S. Ambroſ. to. 3. com. in 1 ad Cor. c. 3. ad fi.

D. Gregor. Pap. to. 1. 6. mor. c. 12. in prine.

37. Inobediens vocì Domini Saül projectus eſt ab Omnipotenti. Injungitur Samuëli quòd Iſai gnatum, virum ſecundùm cor ejus, ungat in regem. Dei mandatum Propheta perfecit; quin rem noverit Saül: ſi nanque noſſet, vatem interficeret; prout colligitur ex illo Samuëlis dicto, quod ipſe repoſuit Altiſſimo diſponenti: *Quo modo vadam? Audiet enim Saül, & interficiet me.* Ecce manſit occulta Saüli Davidis hæc unctio. Non ſimiliter contigit cùm David adulterium ſuum, & homicidium celare diligenter curavit: dixit quippe Nathan ad eum: *Blaſphemare feciſti inimicos Domini*, &c. Quod fieri non valuit, quin vel adulterium, vel homicidium, vel utrumque, de latebris arcani prodiret. Nec dubito, ſecretum Judæis

1. Reg. 16. 2.

2. Reg. 12. 14.

tandem notum fuiſſe plenè : nam quòd attinet ad homicidium, conjector, Joabum non ſervaſſe regium ſecretum. Ducor doctrinâ Sanctii, dicentis : *Neque Joab adeo fuit fidei, aut ſecreti tenax, ut non alicui ſuum Davidiſque conſilium : & datum ſibi imperium, prodiderit. . . .credibile eſt quò ſuum nomen à populi reprehenſione vendicaret aperuiſſe aliis regium mandatum*, &c. Deinde pro adulterio dicam. Semel quòd patuit homicidium Davidis, & adeo brevi tempore poſt Uriæ mortem, hujus viduam ille ſibi conjugio, copulavit, infertur, etiam adulterium non latuiſſe. Habes en occiſionem viri, quam elegerat David ut arcana libido ſua nemini foret nota, potiùs effeciſſe quòd agnoſceretur. Supradictum Samuëlis factum manſit occultum Saüli : quia pro hac occultatione medium adhibuit, quod ipſe Deus elegit, inquiens : *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices : Ad immolandum Domino veni.* Cumque Samuël prudentiâ juſtorum fuerit uſus ductum Dei ſequens, fruſtratus non eſt intento fine. David autem luxuriâ fœdatus, nece crudelis, ut contegeret unum & alterum flagitium remedia quæſivit, quæ dictavit ei prudentia carnis : eapropter nil mirum, quòd non ſolum caruerit effectu cupito votum ejus de ſecreto ſibi congruenti ; ſed potiùs medium illud verſum fuerit in eventum contrarium. Hæc eſt prudentia ſæculi, de ſe non perfecta, per malitiam infatuata. Non igitur à me requiras, quo fundamento ſugillaverim tamquam exerrantes eos, qui mentis acie multâ prædíti declinant ad judicia temeraria ; fereque totam perſpicaciam inſumunt alienis rimandis.

Sanct. ad 2. Reg 12. v. 14. n. 36.

1. Reg. 16. 2.

38. *Proſequere planctu hominem, cui ſapientia ſua attulit ſuperbiæ ruinam.*

Nullus putet, errores mundialium ſapientum, quantumlibet è vanitate naſcantur, non magni ponderis eſſe. Coram hominibus nequaquam vulgò fatuus habetur, quem inflavit ſapientia ſæcularis ; apud Altiſſimum verò, qui non fallitur, ſtultus eſt. Dionyſius Carthuſianus : *Imo*, inquit, *talis ſcientia inflat : qui autem inflatur, ſtultus eſt coram Deo.* Lamentabilia valde ſunt errata naturæ rationalis : utpote quibus nobis reducuntur in memoriam pœnalitates, in quas incidit homo per originalem noxam : quarum numeratur una mentis error, ut Auguſtinus memorari viſus eſt, cum dixit : *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Quis non diffluat lacrymis, cùm recordatur quanta perdiderit humanum genus bona ; quotque venerint ei mala de primævo delicto ? Damnum illud hominum, quod rigoroſâ locutione dicitur error, præit alia plurima : nec enim quæcumque neſcientia propriè ſic nominatur. Auguſtinum recole. *Error*, inquit, *mihi videtur eſſe falſi pro vero approbatio.* Igitur ſecundùm rigorem loquentes dicimus proprium errorem eſſe illum (aliis omiſſis) qui de ſapientia naſcitur. Homini ſcientia prodeſſe poteſt ; & ſæpe nocet. Rem certe lamentatione dignam ! Planctu proſequere hominem, cui ſapientia ſuamet attulit ſuperbiæ ruinam.

Dion. Carth. com. in Ierem. c. 10. art. 21.

S. Aug. to 1. l. 3. de lib. arbit. c. 18.

Idem. to. 1. l. 1. contra Academ. c. 4.

39. Ezechie. 28. 11.

Ad Ezechielem factus eſt ſermo Domini, dicentis : *Fili hominis leva planctum ſuper regem Tyri* : &c. Eodem capite Deus advatem dixit, ut in ejus perſona prænunciaret Sidoni peſtem, & ſanguinem : *Et immittam ei peſtilentiam, & ſanguinem in plateis ejus* : &c. Non tamen hoc ſecundo loco dictum eſt Prophetæ : Lamentare Sidonem : nonne ſanguis, & peſtilentia terribilia valde ? quare non hortatur Dominus Ezechielem, ut levet planctum ſuper Sidonem, ſed ſuper Tyri regem ? Quia ſapientia hujus adduxit ei ſuperbiam, & iſtius pœnam : *In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem : & elevatum eſt cor tuum in robore tuo.* Ad quæ verba Carthuſianus ait : In ſapientia, *qua de divinorum notitia te jactitaſti*, &c. & infra ad illud, *Elevatum* &c. inquit : *Id eſt in conſideratione potentiæ tuæ.* Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eò quòd elevatum eſt cor tuum *per falſitatem & erroris & culpæ*, &c. Meritò ſanè dicitur ad Prophetam, ut levet planctum ſuper hominem, qui ſapientiæ ſuæ malo ductu decidit in errorem. Cogita, quali miſeratione ſit proſequendus homo ſapiens de more ſæculi nimis ; in quo reperitur etiam *imprudentia ſtultorum errans.*

Ib n. 23.

Ibid. n. 5.

Dion Carth. com in Ezechie. ib.

DELIBATIO IV.

Iter ad cœlum ſciens inquire. Per invia tendens ad bonum laudatur. Complenda ſunt opere bona quæ noſti. Etiam juſtus maculâ non caret. Humilitas viri perfecti.

40. *Circa iter ad cœlum percontare ; quamvis agnoſcas.*

Sapientia. Cum plurima ſint errandi genera, quibus opponitur ſimul ſumptis vera ſapientia ; patet quot partibus conſtet iſta. Omitto quæ ſpectant ad impediendos errores purè ſpeculativos. Non modicum eſt ſcire quid cupias, & quà ſit aſſequendum : de quo S. Iſidorus Hiſpalenſis : *Primum*, ait, *unicuique eſt ſcire quid appetat : ſecundum verò eſt, ut id quod appetit, apprehendat : imperfecta quippe ſapientia eſt, quò tendas ſcire : & neſcire iter, per quod expediat ire.* Non omnibus pervium eſt perfectè cognoſcere viam in animæ negotiis : ita ut S. Gregorius Papa dixerit : *Viro enim via ſua abſcondita eſt : quia etſi jam in qua ſit vitæ qualitate conſiderat, adhuc tamen ad quem finem tendat, ignorat. Etſi jam ſuperna appetit, etſi plenis hæc deſideriis quærit, adhuc tamen ſi eiſdem deſideriis permaneat, neſcit.* Non pauca circumſtant impedimenta nos miſerrimos : ex quibus fit, ut iter in cœlum nequaquam exactè calleamus : virtus habetur pro culpâ ; delictum induit faciem virtutis ; &, ut alia prætermittam, ſuperbia, qua præſumunt plures, jam ſe conſummatiſſimè noſſe quiſnam ſit callis ducens ad cœleſtia, nociva plurimum

S. Iſidor. Hiſpal. l. 1. ſentent. c. 21.

D. Gregor. Mag. to 1. l. 5. mor. c. 6. in princ.

mum eſt animæ curanti de ſalute propriâ. Quam elationem ut vitet homo pius, oportet, illum de via cœli percontari, quantumlibet agnoſcat eamdem : ſciens interroget ; nec erit fruſtraneum.

41. Verba Domini relata duplici capite per Joannem conferre mutuò non erit otioſum : apparenter quippe ſibi contrarius exiſtimabitur divinus Magiſter ab aliquo, non maturè perpendente Salvatoris dicta. Ioann. 14. 4. Ad Apoſtolos dixerat : *Et quò ego vado, ſcitis, & viam ſcitis.* Poſtea verò dixiſſe legitur : Ib. c. 16. 5. *Et nunc vado ad eum, qui miſit me ; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis ?* Quomodo cohærent iſta ? ut quid interrogarent diſcipuli quò Dominus iret per aſcenſionem : *Quò vadis ?* cum idipſum non lateret eos : *Quò ego vado, ſcitis*, nec enim dubitabis hiſce poſtremis verbis de aſcenſione ſuâ locutum fuiſſe Chriſtum Dominum ; dicente Cardinali Toleto ſuper eadem : Card. Tolet. in Ioann. 14. 4. *Jam enim de morte ſua, & de reditu ad Patrem locutus erat*, &c. Chryſoſtomus docet, illud, quod ex capite 16. Joannis retuli nuper, vim reprehenſionis habuiſſe. S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom. 26. in Ioann. *Cum*, inquit, *triſtitia diſcipulos nondum perfectos oppugnaret, conſidera quomodo eos perterrendo arguit Chriſtus. Dices* : Quid reprehenſibilitatis erat in eo quòd Apoſtoli non ſciſcitarentur Chriſtum Dominum quò vaderet, cum id ſcirent ? Reſpondeo. Vellet Filius Dei, ſuos nunquam ſibi ſuadere quòd exactè noverint quò tenderet, ac ſequerentur ipſi per affectum, cum viam faciebat in cœleſtia. Circa rem hujuſcemodi, ſciant ; & adhuc interrogent. Elevatio materialis per æthera Salvatoris in Empyream regionem, quamdam habet affinitatem cum aſcenſu ſpiritali fidelium per virtutes ad beatitudinem. S. Aug. to. 10. ſer. 175. de temp. D. Auguſtinus : *Aſcendamus*, ait, *cum Chriſto interim corde ; cum dies ejus promiſſus advenerit, ſequemur & corpore.* Viam quà pergitur ad perpetuas felicitates minimè plenariâ cognitione percipere ſe credet ille, qui pollet vera ſapientia.

42. *Uti pios ad bonum aſtutiâ, quæ ſceleſtis via ſit ad piacula ; magnum quid eſt.* *Callidi.* Vox iſta de ſe nunc ſonat malè, nunc bene ; prout notavi jam in commentario. Fortaſſis de ſimilitudine vocis hujus, necnon & cæterarum, quæ vulgò ſolent accipi nunc in bonam partem, nunc in malam, occaſionem ſibi confingunt aliqui dicendi malum bonum, & bonum malum. De hoc alibi. Modò certum eſt, nomen *Callidi*, ſignificationem exhibere bonam : nam valet hîc idem atque, Sapientis, ut habetur ex Hugone Cardinali dato ſupra n. 5. Alii ſunt callidi ſenſu malo, de quibus Marcus Exercitor ait : Marc. Exercit. diſp. cum quodam. *Callidus, & qui placet hominibus, dum uni conſulit, alteri inſidiatur : ſi laudat alium, alium vituperat : .... ſuppreſſo nomine calumniatur, ut ſuam detractionem occultet : jurejurando adigit pauperes profiteri quibus indigeant, tamquam elargiturus quippiam : cumque declaraverint, diffamat eos : ut efflagitatores : gloriatur apud imperitos ; & apud doctos ſubmiſſa voce loquitur*, &c. Hæ ſunt artes quædam calliditatis improbæ. Calliditas bona ſuis utitur induſtriis : & fit, ut aſtutia, quæ tendens ad finem vituperio dignum, & eligens media nequam, damnabilis erit ; ſi per vias laudabiles collimet in ſcopum rectum, commendabilis eſt. O quam ingenioſa virtus ! Nihil eſt, quo neſciat uti bene. Quid miraris ; cum etiam peccatis utatur fructuosè ? Appoſitè S. Bernardus : D. Bernar. ſer. 1. de diverſ. poſt med. *Uſque adeo*, inquit, *ſiquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea quæ nihil ſunt numerentur : moleſtia morbus & ipſa mors, etiam & peccatum* : &c. Non valde mirandum, quòd vir probus, cùm rectos imitatur, operetur ſanctè ; longè plus eſt juſtitiam non deſerere quando non dedignatur in aliquo malos imitari. Propterea magnum quid eſt, uti pios ad bonum aſtutiâ, quæ ſceleſtis via fit ad flagitia.

43. Inſtruens alumnos Dominus ad executionem Evangelicæ miſſionis ; cum eis multa vincenda forent prælia, nec armatos adverſariis objici congrueret veritati nudæ, cujus erant futuri miniſtri ; docuit eos ut prudentiâ munirentur. *Eſto-* Matth. 10. 16. *te ergo prudentes ut ſerpentes*, &c. Quid in ſerpente peculiare diſcipulis imitandum ? Certè valde prudens animal eſt elephas, de quo dixit Magnus Baſilius : S. Baſil. Mag. hom. 9. in Hex. *Hoc tamen animal tanta magnitudine præditum ſubditum nobis Deus conſtituit, ut & ſi doceatur intelligat*, &c. Quare non Dominus dixit : Eſtote ergo prudentes ſicut elephanti ? Fortè quia juſtos elephas deſignat. Honorius Auguſtodunenſis : Honor. Auguſt. in Cant. 5. *Significat*, inquit, *autem elephas, ſanctos & caſtos à telis diaboli invulnerabiles.* Maximum aliquid non eſſet Apoſtolis ut conarentur ſequi prudentiam juſtorum tantùm : amplius eſſet, quòd vertentes in bonum dictamina, quibus utitur callidi nequitia, prudentiam ſerpentum, hoc eſt iniquorum veluti ſectarentur ; facientes illius regulas in bonam partem degenerare feliciter. Aliorſum loquens D. Eucherius S. Eucher. l. form. ſpirit. c. 5. ad fi. ait : *Serpens, diabolus, vel maligni homines* &c. Et applicatè ad Matthæi locum Paſchaſius refert aliorum ſententiam, ſic : Paſchaſ. l. 6. in Matth. c. 10. *At vero quidam, non ad naturam ſerpentis oportere referre dixerunt ; ſed ad aliud quod in Geneſi legimus, antequam Adam in paradiſo traduceret, prudentiorem eum fuiſſe præ cunctis animantibus terræ. .... Pari igitur dicunt oportere prudentia doctorem agere*, &c. Quid non evalebit argumentoſa virtus ? Etiam aſtutiâ peſſimas tranſmutat artes in prudentiam præconio digniſſimam tam induſtriosè, quod non improprium juſto ſit nomen *Callidi.*

44. *Homo non opere complens quæ novit, videtur hæc ignorare.* *Eſt intelligere.* Nemo ſic adhæreat huic vocabulo, quòd exiſtimet, ſapientiam totam practicam in eo ſiſtere ut intelligat homo quæ ſpectant ad illam : nam inſipiens erit qui bene ſciens, opere tendat in oppoſitam viam. Pone duos viatores euntes in eamdem civitatem : alterum, qui ſciat quà tendendum, pergat verò contrario tramite ; alterum qui neſciat quà ſit conficiendum iter. Sic in ſpirituali progreſſu : turpius neſcit qui mente cognoſcens practica dictamina, non ea ſectatur ; quàm ſi neſciret eadem. Utere Iſaac Monacho, qui ſic loquitur : *Homo enim qui*

Iſaac monach l. de contemp. mun. lor ge ante med.

acuit intellectus ſuos ut ingrediatur ad ſecreta omnium naturarum, & ditatus in adinventione & conſideratione, in omni ſcientia, & anima ejus exiſtit ſordibus peccati polluta, nec acquiſivit teſtimonium in ſpe animæ ſuæ, ſed putat bene ad portum confidentiæ pervenire, inſipientiorem eô mundus non habet. Adeo deſpicit ille, qui in attinentibus animam nequaquam actione complet id, quod intellectu cognoſcit, ut hocipſum videatur ignorare ſimul atque ſapere. Mendacem dicimus illum, cujus opera, cùm vicem agunt loquelæ, diſformant à mente propria. Sic etiam ſapientia quorumdam ab eorum geſtis diſcordans mendax eſt: eos latere dices ipſamet quæ ſibi nota ſunt.

45. Canticum locutus eſt Moyſes univerſo Iſraëli; quo Dei beneficia retulit, & ingratitudinem populi ſæpius à Domino punitam. Notandum illud: *Circumduxit eum, & docuit*: &c. Commentatur Rupertus: *Circumduxit igitur & docuit, non ſolum multis bonorum & malorum experimentis, verumetiam doctrina conſcriptæ hujus legis.* Componamus nunc prædictis alia verba, quæ protulit Moyſes eodem cantico loquens in perſona Domini: *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Hæc exponens idem Rupertus ait: *Saperent videlicet, qualia vel quas ob cauſas ventura illis mala ex lege ſuperius ſcripta prænunciata ſint*: &c. Diſſonare videntur proximè dicta verba conditoris ab eo, quod Moyſes antea de Iſraëlitica plebe pronuntiaverat. Hebræi docti fuerant à Domino; nec adhuc ſapiebant? Quod attinet ad intelligentiam legis non miror. Sed cum experientiis inſtruxerit eoſdem (quarum non eſt obſcura doctrina) quî fieri poteſt, ut experti non intelligerent? Operabantur iſti perperam; non amplectens illud, ad quod experientiarum ductu monebantur: unde videbatur quòd aliqua ſciebant ſimul & ignorabant; docti necnon & neſcii. Non ſolis hoc proprium fuit Judæis: plurimi ſunt imitatores eorumdem. Experiuntur ſupplicia; nec ideo deterrentur à novis flagellorum cauſis. Doctrinis imbuuntur ſalutaribus; quarum luce percipiunt, eſſe damnabilia quædam facta, quæ reputabant priùs virtuoſa: non ideo tamen abſtinent ab eis. Idcircodum ſe gerunt ita, perhibentur velut ignorare quæ norunt. Sapientiſſimos æſtimant ſeipſos: oportuit meminiſſe, quòd vera perfectaque ſapientia non tantùm *eſt intelligere.*

Deuter. 32. 10.

Rupert. l. 2. in Deuter. ib.

Deuter. 32. 29.

Rupert. ib.

46. *Etiam juſtus non ſine macula.* *Viam.* Dum litteram dogmatis hujus aperirem, dixi per hanc vocem opera ſapientis intelligi. Cumque ſapiens ille perfectè ſit qui juſtus eſt, mentem pupugit ſcrupulus qualiter operationes virtutum queant dici via. Rationes aliquot occurrunt hærendi. Prima, quia viam faciens, ordinariè loquendo certò ſcit, quali termino concludet iter ſuum: non ita contingit juſto: quoniam neſcit an in ſemitâ dextrâ ſit perſeveratutus ad finem; an verò laborem totum peſſundabit exitu malo. Quo pacto ſimilis eſt ergo via materialis exercitio virtutum? Accedit alia ratio dubitandi. Videbis in eâdem viâ quotidie pergentes quoſdam, exemplî gratia, verſùs Orientem; alios in Occaſum. Juſti non ſic: omnes greſſum faciunt ad eamdem cœleſtem Jeroſolymam: nec retrò movent oculos, nedum pedem referunt. Diſſonat igitur vitæ nomen à virtute. Reſpondeo, non oportere quòd ſimilitudo teneat in omnibus: alia ſunt, in quibus via, virtuſque ſatis coincidunt. Unicum hîc meditor. Viam carpit nemo, cujus plantis non aliqua leviſſima ſaltem adhæreat macula. Vir pietati deditus agnoſcat humiliter, licet rectum tramitem non deſerat, minime tamen eſſe prorſus immunem à nævis univerſis. Doceatur à D. Iſido. Peluſiota. *Neminem*, inquit, *mortalium eſſe arbitror qui non & vitia & virtutes habeat: verùm optimi quique ac probatiſſimi parva quidem & tenuia vitia, maximas autem & excellentes virtutes habent: alii verò aut pares vitiis virtutes, aut ſuperiores, aut etiam inferiores.* Urgere poſſumus hoc ipſum ex doctrina Remigii, quatenus virtutes nominavit plateas. Ad illud Zachariæ 85. *Et plateæ civitatis* &c. Commentator habet ſic: *Spiritualiter plateæ, quæ à latitudine dicuntur, ſunt virtutes, in quibus ſancti ſpatiantur & fideliter agunt.* Experimur in urbibus, quòd etiam eligentes viam rectam pedes inquinamus luto hyemis tempore. Solent juſti, dum vita manet, hybernas adverſitatis inclementias experiri: ſervant rectiſſimum callem; & adhuc maculas contrahunt. Humilietur ſponte virtutis amator: cognoſcens, quantumvis paſſus vitæ metiatur accuratè, non penitus impolutè pertranſire viam.

S. Iſid. Peluſ. l. 3. ep. 248.

Ad Zachar. 8 5. Remig. in com.

47. Duodecim Apoſtolos ad meſſem Evangelicam Salvator miſit; & in munere ſuo prudenter informare curavit. Inter alia dixit, ut intrantes domum ſalutarent eam. Poſt pauca ſubdit: *Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Perdoctus Novarinus adnotavit ſequentia: *Hinc excutere pulverem jubentur Apoſtoli, ut declarent, etiam eorum pulverem eſſe impium, ideoque nolle ſe eum habere.* Conformiter ad iſtam expoſitionem rogabis, quare non dictum eſt ad Apoſtolos, ut excuterent pulverem, qui de civitate prædicta veſti ſuæ adhæſiſſet? Quia per urbem gradiens facilè colligit veſtes, cùm non vult quod terram tangant, & coinquinentur: non tamen efficiet, ut non ſaltem pulviſculus adhæreat pedibus. Ita voluit Chriſtus Dominus, ut Apoſtoli meditarentur, juſtorum paſſus, quantumvis poſitus in viâ mundâ, comites habere ſaltem leves defectus. Accedit, quòd eodem capite refertur, diſcipulis calceos in via prohibuiſſe: *Neque calceamenta* &c. cum tamen ſandalia non vetuerit: legimus enim apud Marcum: *Sed calceatos ſandaliis*, &c. Cum pes non perfectè ſandalio tegatur; qui viam facit per urbem ſandaliis calceatus, pulvere ſaltem maculat plantas; quæ ſunt utique partes hominis. At verò, ſi veſtis pulverulenta fiat, non maculatur homo

Matth. 10. 14

Novarin. in Matth. n. 6. 13. fi.

Matth. 10. 10

Marc. 6. 9.

mo propriè loquendo ; ſed indumentum. Proinde Magiſter divinus ita loquens occaſionem præbuit venturis poſtea viris piiſſimis, ut humili mente reponerent, quantumvis aſcendant ad virtutum culmina, levibus piaculis non exortes fore. Nam horum aliqua ſignificantur illo pedum pulvere, de quo ſupra. S. Anſelmus. *Pulvis*, ait, *quoque in pedibus, venialia illa ſignificat peccata, quæ adhærent prædicatoribus tranſeuntibus per mundum.* Simili de cauſa divinum Flamen illuminans Parœmiaſtem, voluit ut opera juſtorum deſignaret nomine viæ : quia, ſicut viator, quamvis tendens coinquinat pedes ad minùs aliqualiter ; ita juſto contingit ſaltem leviter maculari, cum terit virtutis *viam*.

S Anſel.com. in Matth.10. 14.

48. *Perfecti viri cogitant abjectè de propriis viribus ad virtutem.*

Suam. Potuit Salomon dicere : Viam Dei ; ſed lego : *Viam ſuam*. Virtutes equidem non unico titulo vocari queunt via Domini. Primò quia ducunt ad ipſum : ſecundò quoniam earum actus quidam jubentur à Deo, alii verò ſaltem placent ei : tertiò propterea quòd opera noſtra bona verè dona Dei ſunt ; quamvis arbitrii cooperatio non excludatur. Sub iſtis conſiderationibus vir inculpatus virtuoſas operationes haud contemnit, advertens, illas eſſe viam Altiſſimi. Congruum tamen eſt, ut identidem animadvertat, ipſas eſſe *viam ſuam* ; quò ſic eas ut quid proprium deſpiciat, animi ſubmiſſione ſuadente. Quàm ſit proficua cunctis de ſalute ſpirituali curantibus exiſtimatio vilis bonitatis propriæ, collige de doctrina S. Joannis Climaci. *Qui nos*, inquit, *ipſos pernoſſe volumus, nunquam deſiſtamus in nos ipſos inquirere ; & ſi ex intimo animi ſenſu alios omnes nobis meliores credamus, tum demum nos non procul à divina miſericordia abeſſe credemus.* Hoc & alia noſcentes amatores Dei, propriî ſpiritûs excellentiam parvî ducunt : robore multo vigent ; & hoc ipſum ignorant. O ſapientiſſimum neſciendi genus ! Perfectorum eſt ſemetipſos ad humilitatis menſuram in æſtimatione propriâ contrahere, ſic ut reputent, in re virtutis attingere ſe non poſſe quod certè valent.

S. Joann. Clim.in ſcal 9. 25. ante med.

49. 1.Ad.Cor. 10. 13.

Animos injicere Corinthiis peroptans Paulus ad perferendas tentationes, aiebat ſic : *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, &c. Dicet aliquis, non multum cohærere ſibi Doctorem Gentium ; cum ad eoſdem Corinthios in epiſtola poſteriori loquatur ſic de ſemetipſo : *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem*, &c. Quomodo conſiſtunt hæc effata duo Pauli ? primùm dixit, nequaquam Deum permiſſurum fore, quod ultrà quàm poſſent obluctari Corinthii tentarentur ? pòſt autem ſe gravatum fuiſſe tribulatione dixit plus quam valeret ? Mehercle providentia Dei ſatagit univerſaliter fidelibus moderationem ejuſmodi cum tentantur : non enim erat hoc aliquod privilegium datum Corinthiis. Ergo necnon & Paulum Dominus tentari non ſinebat ultra quàm reluctari quiret. Qua veritate dixit Apoſtolus, contribulatum ſupra virtutem propriam ſe fuiſſe ? Gentium Doctor humilis erat. S. Auguſtinus : *Quando Saulus, ſuperbus, elatus, quando Paulus, humilis, modicus* : &c. Idcirco non magnificiebat robur ſuum ; paſſumque fuiſſe credebat ſupra quàm poſſet. Non it longè minus Epiſcopus Catharinus, idem verſans dubium, quod modò ſolvebam. *Reſpondetur*, ait, *quod amicos & electos ſuos ſupra eorum vires tentat Deus : non tamen ſimpliciter ſupra vires habitâ divini auxilii ratione, quo conſiderato, non eſt ſupra vires tentatio. Hoc autem facit Deus, ut illi perfectè ſe agnoſcant, qui non poſſent tanta perpeti, niſi Dei præſentaneum adeſſet auxilium.* Obtinuit hoc in Paulo Dominus : & eamdem agnitionem propriam complectitur quiſque juſtus, conformiter ad humilitatis, qua ſe dejicit, menſuram. Et inſuper poſt multas victorias tentationum, pluresque ſupererogationis actus, dum ſuſpicit ille demiſsè quòd laudabilium geſtorum ſit operator ipſemet, ea contemnit, pedibuſque proterit, quaſi *viam ſuam*.

S.Aug. to.3. tr.8.in Epiſt. Ioann.

Cathar. Epiſc.com. in 2. ad.Cor. 1.

DELIBATIO V.

Judicium humanum reprehenditur. Neſcius eſt qui miſeriam ſuam computat felicitatem. Clementiâ dignus non eſt qui ſibi parcens aliena facta damnabilia notat.

ET *imprudentia*. Non eſt locus admirationi, cum ſtultos paſſim offendimus : nam rem ſolemus demirari raram ; & illorum infinitus eſt numerus. Hoc ſtupet, ſimul & lamentatur conſideratio prudens : nempe quòd eorum fatuitas non ſemel habeatur Catonis prudentia ; vel quia noſtro morigerantur appetitui quæ ſtultus profert ore tumenti ; vel quoniam per audientium adulationem (quæ ventus eſt) paleæ tollantur in altum. Fateor, multos, verâ ſtultitiâ laborantes, ad vituperabilem finem extare prudentes ; alios eſſeque non diſſimiliter induſtrioſos ad nonnulla, quæ docet imperfecta prudentia : non omnis tamen, qui dicitur prudens in aliquo ſenſu, vocetur veraciter perfectè ſapiens. Clemens Alexandrinus : *Sapientia quidem*, ait, *eſt prudentia, ſed non omnis prudentia eſt ſapientia.* Ne ſequamur inania nomina vulgi : potius fateamur, neſcire nos mundi barbarum idioma. Cum relegatur ad exteras nationes delinquens, è patrio regno pulſus ; ibidem linguam neſcit alienam : ſed odio proſequens ingratum violentumque ſibi domicilium, non curat ignotas voces addiſcere, ſi brevî ſperat finiendum tempus exilii. Mortales univerſi quidem exulamus ob primordiale delictum. Degimus à regno cœlorum (quod patria nobis eſt) longiſſimè facti : perplures appellationes rerum audimus, quas non patitur veritas ; & ſi rectè ſen-

506

Clem. Alex. l.2 ſtrom. long: à pr.

tit noſtra mens, ignoramus. Haud prolixa nos manet exulatio; minimè diſcere curemus alienam loquelam. Hujus proprietas ferè nulla: quin etiam per illam confunduntur ſub uno vocabulo res diverſiſſimæ. Cum promantur conceptus verbis, & ſæculi mens æqualiter æſtimet plura, quæ prorſus inæqualia ſunt; eodem nomine donat mundus vitrum, cryſtallum, ac adamantem. Ne tibi ſit hoc mirum; cum experientia doceat, mundiales homines, infideles rerum æſtimatores, vitrum præferre gemmis.

51. *Apud homines vitrum confunditur cum adamante, quin & præfertur ipſi.*

Sapientia laudatur à Jobo tamquam pretioſa valde: inquit poſt alia: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, &c. Vbi vulgatus habet *Vitrum*, Biblia Regia legit cryſtallum: Pagninus & Caietanus interpretantur adamantem. Reſpectu divini Spiritus, caſu factum non arbitrabor, Jobum hoc loco fuiſſe uſum voce quæ patiatur hæc omnia: nam ſatis patens diſcrimen eſt, quo diſcernantur vitrum, cryſtallus, & adamas. Formidabit lector, vel fortaſſe credet, me tam in dicendo præcipitem, ut exemplo Jobi probare velim, homines eodem nomine donare pariter ea quæ pretio multùm diſparia ſunt. Non audeo ſic temerarius. Eruditis attamen eſt in comperto, Scripturam ſacram accommodare ſæpius locutionem ſuam phraſi, quæ vulgariter apud homines habetur in uſu. Quò ſic eorum intelligentiæ circa Textum faveat. Habemus in præſenti ſub eodem vocabulo vitrum; cryſtallum, & adamantem: non quod ſplendore niteant compari; ſed quia, cum familiare ſit mundi ſectatoribus, dum ſapientiam appretiant, vitra quaſi cryſtallos vel adamantes reputare, ſequitur Scriptura, demptis imperfectionibus, æquivocationem iſtam: fuit enim adhibita vox, quæ apud Vulgatum exſcribitur, *Vitrum*; ſed accipi valet pro cryſtallo, necnon & adamante. Notandum etiam eſt in ſapientiæ laudibus à Jobo prolatis, quòd, cum de ipsâ dixiſſet: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonicho pretioſiſſimo, vel ſapphiro.* mox addit verba proximè citata: *Non adæquabitur* &c. Solent qui propriè ſermonem concinnant, cum aliquid laudant, non deſcendendo progredi, tranſeuntes de majoribus encomiis ad minora, ne frigeſcat oratio; ſed econtra procedere, præmittentes id quod minus eſt; exhinc aſcendentes ad præconium ſublimius. Quo ſtylo Job priùs dixit ſapientiam præcedere ſardonichum atque ſapphirum? poſtea præcellere vitrum aſſeverat? Non diſſimili ſolutione ſatisfaciam. Frequenter apud homines, cum agitur de ſapientia, vitrum adamantibus præfertur, nedum cryſtallis. Nequaquam Job admiſit hunc errorem; ſed quamvis divinitus inſtructus loqueretur, legimus verba prædicta velut accommodata mortalium conſuetudini. Providit Spiritus almus author Scripturarum, quòd occaſionem acciperemus notandi, qualis vulgariter invaluerit modus loquendi. Errorem ſæculi non tam deplorarem, ſi tantùm faceret nomina magna rebus dignis exiguâ laude: pejus eſt, vocabulis honorabilibus decorari digna vituperio. Sic perfectiſſima ſapientia nominatur quod in æſtimatione peritorum eſt *imprudentia*.

Iob. 28. 17.

Bibl. Reg. Pagnin. & Caiet. ib.

Ib. n. 16.

Hinc tranſitus facillimus aperitur ad mundanos honores contemnendos. Vaniſſimi ſunt in ſemetipſis: attamen adeo tranſlucent, ut oculos mentis fallant, ſi conentur in eis dijudicare ſplendorem, quo ſuperbè coruſcant. At verò, ſi maturâ cogitatione revolvas quid ſint illi, quos mundus orbatus viſu tollit in æthera, decus prædictum contemnes prudens, eoquòd indignis tribuatur frequenter. Dono tibi S. Eucherium. *In honoribus*, inquit, *vero hujus mundi, ut cætera taceam, quæ æſtimari dignitas poteſt rerum, cum ad hanc promiſcuè cum bonis mali ambitione conſcendant, & non unius meriti viros unus honor ambiat, dignoſque & indignos non jam diſcernat dignitas, ſed confundat?* Qui ſiti perurgetur, aquam deſiderans, illam proſequitur æſtimatione multâ; ſi videat eam in vaſe repoſitam immundiſſimo, deſpiciet illam. Sæcularis honor nonnihil ſimilis eſt aquæ: nam ſicut iſta per modicam urcei rimam diffluit; ſic ille parvo defectu nonnunquam perditur. Hoc decus anheli ſitiunt plures: hi tamen, ſi lentè perpenderint, quàm non meritò frequentiùs honorentur aliqui; minimè ſitibundus id ardebit nullus. Honorari cum honorabilibus eum, qui dignus eſt honore, ſæpe magnum quid eſt; benemeritum autem eodem titulo donari, quo nominantur indigni, contemnendum eſt à ſapiente.

52. *Benemeritũ eodem titulo donari, quo nominantur indigni, contemnendum eſt à ſapiente.*

S. Eucher. Epiſc. epiſt. parœn. ad Valerianum.

Vidit per ſomnium Nabuchodonoſor ſtatuam: cui caput aurum, cætera verò argentum, æs, ferrum, atque teſta. Lux futurorum arcanâ continebatur in umbrâ; ſed prorſus oblitus eſt rex quid viderit. Convocatis itaque ſapientibus injunxit monarcha mente confuſus, ut indicarent illi viſum, & interpretarentur. Ipſi quamvis ad interpretandum parati, neſcierunt divinare ſomnium regis; & juſſi ſunt occidi. Certior factus Daniel injuſti decreti, ſeſe libens obtulit, ut introductus ad Nabuchodonoſor indicaret ei ſolutionem. Coram eo poſitus dixit humiliter: *Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me plus quàm in cunctis viventibus, ſacramentum hoc revelatum eſt*: &c. Maldonatus exponit: *Non propter ſapientiam, qua cæteris mortalibus antecellam.... Hoc autem Daniel non ſolum modeſtiæ, ſed etiam religionis causâ dicit.* Vidiſti Danielis humilitatem. Perge nunc ad celeberrimum caſum Baltaſaris, cum in epulo traditus voluptati, manûs articulos aſpexit, in ſuperficie parietis aulæ regiæ ſcribentis verba myſtica. Ut hæc explicaret vocatus eſt interventu reginæ Daniel: feralem Dei ſententiam fuit interpretatus; & accepit in præmium quòd tertio loco poteſtatem haberet in regno; quam, licet cum ſponderetur propheta recuſaverit; poſt ſuſcepit: aliter oppoſitum narraret Scriptura: quam etiam tacentem audimus. Humilis erat animo

53.

Dan. c. 2. 30.

Maldon. in com. ib.

Daniel:

Daniël, ut quid acceptare deliberat eximiam dignitatem qui præ modeſtia profeſſus eſt, ſe nequaquam ſapientiſſimum coram Nabuchodonoſore? Priuſquàm reſpondeam adverte duo. Primum eſt, quod ex Maldonato (apud quem nihil hujuſmodi, fateor, invenire potui) Cornelius Alapide reffert, & fortaſſis approbat, dicens ad illud, *Tertius* &c. *id eſt primus in regno erat rex, ſecundus regina, tertius Daniel, inquit Maldonatus.* Secundum eſt, ſapientes illos convocatos notari poſſe ſtultitiæ, quia ſe profitebantur ſapientes in iis, quæ latebant eoſdem. *Ipſi*, ait idem Cornelius, *utpote aſtrologi judiciarii, & genethliaci profitebantur ſe ex ſiderum inſpectione, & ex magia noſſe occulta, & futuros rerum eventus, & liberos.* His prænotatis, ad ſuprapoſitam quæſtionem dicam. Daniel elevatus ad tertium regni locum numerabatur cum rege atque regina. Rex meritò regio fruebatur honore, ſi propaginem tantùm attendamus; erat enim regis alterius filius: ſimiliterque regina, ſi tantum ſpectaverimus regale conjugium, non immeritò majeſtate potiebatur. Unde ſublatus in tertium locum Daniel honorabatur cum honorabilibus; quod equidem erat quid magnum. Atverò nomenclaturam ſapientiſſimi Prophetæ contempſit: quia nomen ſapientium arrogabant ſibi prædicti conſulti per Nabuchodonoſor, de quibus jam dixi quantùm ſtulteſcerent. Deſpicabile quid eſt coram prudente decus illud, quod mundus illuſus donat immerentibus. Hinc deducito, non multî faciendum eſſe nomen inclytum, quo ſæculum vane proclamat ſapientiam quorumdam tamquam elevatiſſimam, cum plurima detur in eis *imprudentia.*

Alap. com. in Daniel. c. 5. 29.

Idem ad c. 2. Danie. n. 5.

54. *Qui miſeriam putat felicitatem neſcius eſt.*

Stultorum. Plura ſunt ſtultitiæ genera: longum eſſet enumerare cuncta. Sugillemus unam vel alteram fatuitatem, quæ reperitur apud homines non ſemel. Felices cupiunt fieri; ſed in quo felicitas vera ſita dicenda, neſcire perhibentur utplurimùm. Cum enim ad id non intendant, quod verè felicitat hominem, potiùs credes, iſtos non agnoſcere, quam non optare finem; quem ſi conſequerentur, eſſent veraciter fortunati. Nonnulli ſunt, qui propterea felices reddi non curant, quia ſemet imaginantur feliciſſimos; & ſæpe deprimit eoſdem miſeria ſumma. Stultum eſt hoc. Remigius Antiſſiodorenſis: *Stultus*, inquit, *eſt ille, qui cum ſit in ſumma miſeria, putat ſe eſſe in maxima felicitate*, &c. Non ſomnium dicam, ſed amentiam perſuaſionem iſtam, qua ſemetipſos illudunt ipſi: nam qui phantaſiæ cernit antefacta dormiens, cum, exempli gratiâ, ſe regem ſomniat, à ſemetipſo poſt docetur, ut ſceptrum dimittat; quamvis non tyrannicè præripuerit illud, ſed blandè; ſcilicet dum ſopori membra dabat: demens autem, qui ſe credit monarcham, non deſiſtet, quamvis ei mentis fallaciam aperire contendas. Ita multi mordicus adhærentes deceptioni propriæ, quantumlibet clames, non eos felicitate potiri, quam ſibi fingunt. Nequaquam eos ab errore ſuſcitabis, quia minimè ſomno premuntur; ſed inſanâ mente laborant. His tamquam pertinacibus prætermiſſis, illos tantùm reprehendam, qui licet doceri paratiſſimi, facilè tamen ſibi perſuadent, ſummam felicitatem inveniſſe: peroptantque perſeverantiam in ejus fruitione ſibi concedi, cum econtra miſerum foret, ſi nunquam iſtâ putatâ beatitudine privarentur. Neſciunt iſti quid concupiſcant, infortunium reputantes ut ſortem.

Remig. Antiſſ. com. in Pſal. 91.

55. In gloriæ theatro teſtis officium egit pro majeſtate Domini Simon: qui teſtimonium ferre non eſt auſus, cùm traditus manibus hominum foret inglorius. Utrobique perculit eum timor, ſed impar: nam in monte de voce divina prognatus pavor generavit humilitatem; qua diſcipuli ſe coram Filio Dei proſtraverunt corde; non minus quàm fragilitas cadere coegit corpore: in atrio verò Pontificis metus ab ancilla quodammodo genitus, progerminavit degenerem culpam. Poſtremo loco Petrus contra rationis dictamen locutus eſt, dicens: *Neſcio quid dicis.* Cum (ſicut alibi proſecuti fuimus) omnis peccans verè ſit ignorans; notatione dignum judico, D. Lucam referentem quod negaverit Petrus, non addidiſſe, principem Apoſtolorum neſciviſſe quid tunc diceret; ut ſic aliquantùm alleviaret ejus culpam: ſicut aſſeruit referens illius verba, quibus trium tabernaculorum fabricationem concupiſcere ſignificavit: *Neſciens quid diceret.* Occurritur huic notationi facillimè. Petrus amans ibi cum Domino permanere, credidit ſe tunc ſummè felicem. *Fortaſſis*, ait Paſchaſius, *ergo & iſte, quia prægravatus ſomno fuerat, ideo putabat quod reſurrectionis ſpeciem ſolutus carne, per extaſin jam videret.* Reipsâ verò miſeriam incomparabilem eligere viſus eſt Apoſtolus; iſto manſionis deſiderio renuntians beatitudini. S. Proclus, *Si quidem*, ait, *montem iſtum deſideras, cœlis poſthac renuntia.* Meritiſſimè per Evangeliſtam neſcienter locutus profertur qui miſeriam videbatur eligere quaſi maximam ſortem. At, cum negavit Magiſtrum, bene tunc advertebat Miſeriam delicti: nec illi venit in mentem, quòd negando Chriſtum Dominum redderetur felix. Non erat cur à D. Luca vocaretur ignorans. Ille peculiariter inſipiens, qui proprio malo ſe cogitat fieri beatum: hæc eſt plurium *imprudentia ſtultorum.*

Matth. 26. 70.

Luc. 9. 33.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. c. 17.

S. Proc. ſer. de Transfigur. Dom.

56. *In adverſitate oſtenditur ſapientia.*

Ad alteram fatuitatem deſcendamus; quæ potentibus familiaris eſt. Hi ſtatuunt, per ſuperbiam dementati, ſibi ſolis datum ſapere: Minervâ genitrice, fratreque Mercurio gloriantur, ſapientiæ theſauros hereditaviſſe mentiuntur ſemetipſis; cum certum ſit, ſcientiam nec eſſe gazis addictam unicè, nec majoratum extare nobilium; ſed pauperi vilique patere. S. Laurentius Juſtinianus. *Sapientiam*, inquit, *ſecundùm naturam pauper & dives, nobilis & ignobilis, infirmus & ſanus poſſident.* Imo poſtea ſubdit: *Itaque quamvis ſplendeat homo*

S. Laur. Iuſt. l. de caſt. connub. c. 12. longe poſt

med & ibid. c.15.poſt med.

homo honoribus, affluat delectationibus, plenitudinem non capiet ſapientiæ. At, cum ſolitum ſit, homines credere, felicem, ſicut proſperitatis pennis fertur in ſidera, ſic & ingenio prævolare; non deſunt qui fortunas ambiant, ad hoc ut reputentur ſapientiſſimi. Patiuntur ii ſponte phantaſiæ ſuæ luſum: exiſtimantes, proſperis temporibus probari mentis peritiam, abſque alio ſplendentis eruditionis teſtimonio. Stat in contrarium veritas: id eſt rebus adverſis examinari ſapientem. Hoc ex variarum ſimilitudinum ductu confirmabis; quas accipies à Baſilio Magno.

S.Baſil.Mag hom 11.inter var.

Etenim, ait, *gubernatorem navis tempeſtas, athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas, Chriſtianum autem tentatio probat & explorat, afflictiones animam, velut ignis aurum declarant.* Preme hoc ultimum, poſtquam cætera cogitando volutaveris. Flammis aurichalcum ab auro diſcernitur: vera detegitur ſapientia; quæ quidem auro ſimillima. S. Eucherius dixit:

S. Eucher. Epiſc. l. formul.ſpirit. c.8.ad fi.

Aurum ſapientia, ut Salomon: Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Philoſophiam conſule: docet illa, cauſam ducere in cognitionem effectus. Infertur ex hoc philoſophico principio, ſapientiam ex afflictionibus cognoſci: cum ea ſæpe ſit iſtarum germen. S. Antonius Ulyſſiponenſis:

S. Anton. Ulyſſip.ſer. 2. Dom. 1. Quadrag.

Tribulatio ſpiritus & ſenſus ſubtiliat, deinde ad cognoſcendum divina confert, &c. Ex his omnibus concludere licet, ſapientiorem optimo jure cenſeri quem docuerunt ærumnæ Felix etſi negotia tractet deſiderantia mentis aciem, non adeo peritus evadit: laboribus exercitus plùs egregiè ſapit cæteris partibus.

57. Somnia præſaga futurorum vidit Pharao: quæ non valuere conjectores interpretari. Adducitur Joſeph de carcere, felix de viſis alienis; qui fuerat infortunatus ex propriis. Aperuit regi venturam abundantiam, ſucceſſuramque famem. Tandem conſuluit, ut eligeretur vir ſapiens; cujus induſtriâ per frumenta congregata fœcundo tempore provideretur inopiæ ſubſequenti. Tunc ſacra narrat

Geneſ.41.37. Hiſtoria: *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris ejus*: &c. Elegit ergo Pharao Joſeph ad munus iſtud obeundum.

Ibi.n.39. & 40. *Numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero? Tu eris ſuper domum meam*, &c. Cogitatiunculam ponderanti rem libens obtulit hoc dilemma. Vel hi regii miniſtri ſapientes erant, vel non. Si florebant ſapientiæ laude, quare non magis unum ex illis, quàm hominem alienigenam delegit rex ad munus publicum? Si vero minimè, cur audent cenſere de conſilio Joſephi, fueritne prudens, an non? Reſpondeo. Inſipientes illos fuiſſe non eſt cur ſuſpicemur: ipſis tamen ſapientiorem Pharao decrevit eſſe Joſephum. Qua de cauſa? Quia regi miniſterium exhibentes fortunatè ſub ejus umbrâ, ſortis placidâ fovebantur aura; Joſeph autem fluctibus tempeſtatis expoliverat ſapientiam. Chry-

Chryſoſt. to. 5. c. 8. ad Olympiam poſt med. ſoſtomus de illo dixit: *Fecit ergo eum magnum pædor, ferrum, & omnis miſeria vinculorum.* Vel S. Doctor incluſit ſapientiæ magnitudinem cum aliis dotibus animæ, ſub verbo, *Magnum*; vel ex magnitudine per Chryſoſtomum notatâ colligemus, etiam ſapientiam adauctam fuiſſe, calamitate magiſtrâ. Teſtantur ſapientem egregium tribulationes prudenter ſuperatæ; non autem ridens fortuna ſæpe docet, ut credit plurima turba *ſtultorum.*

58. *Clementiam reperire dignus non eſt qui ſibi parcens aliena facta damnabilia notat.*

Errans. Hìc turſus occurrit error ille plurium; qui de propriis factis nil, vel parum curantes, toti circa proximorum geſta judices inſurgunt, & calumniatores agunt. Vide quæ dicta ſunt delib. 3. Non paucos reperies conſcientiam alienam zelantes, & propriam negligentes. Aſſimilantur iſti carceratis inertibus, & jam per longum tempus vinculorum deliberantibus habere carcerem pro domicilio. Nonnunquam iſti, ſi videant in cuſtodiam adduci quemdam; inquirunt ab eo minutatim quodnam commiſerit crimen; & ipſum reprehendunt facti: conſulentes qua viâ liber citiùs evadat. Sic multi peccato vincti, nec liberari ſatagentes, Aliorum ſcelera numerant; & cum infirmentur, dant ægrotis recta conſilia. Poſſemus adversùs iſtos uti verbis Magni Baſilii. Attende *ergo & circumſpice teipſum; non eorum qui extra te ſunt culpas & peccata dinumeres*: &c. Ex iſtis quidam nequaquam proprios fatentur culpæ reatus; alii verò ſemetipſos accuſantes, ad alterum, qui necnon peccavit, vertunt oculos atque verba; cum oporteret tantummodo ſemet incuſare; quò Deum experirentur propitium. Priorum cœcitas miſeranda quidem; ſed nunc omittenda. Redarguam eos, qui ſuum confitentes erratum, percutiunt ſimul alienum. Hi propitiationi divinæ ponunt obſtaculum: non eſt qui ſibi parcens aliena facta damnabilia notat.

S.Baſil.Mag. hom. in Attende tibi. juxta med.

59. Peccavit Adamus, deglutiens ore venenum pulchrum, & ſuave, cùm cibum de vetito ligno ſumpſit. Aperuit illi pœnitentiæ viam Dominus miſericorditer: & Protoplaſtus faſſus culpam, non audivit à Conditore verba, quibus diceret ipſi: Remittitur hoc piaculum tibi. Deliquit Monarcha Jeſſæus, violans alienum torum; & adulteratam viduans marito. Confeſſus eſt peccaſſe; dixitque Nathan ad eum: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: &c. Adamo denuntiata fuit pœna mortis: *In pulverem revertêris*: & Davidi revocata fuit ſententia capitalis: *Non moriêris*: Cornelius Alapide ibi: *Hinc videtur quod Deus per Nathan intentans Davidis domui pœnam gladii uſque in ſempiternum; etiam in ipſum Davidem tulerit ſententiam mortis, ... ſed ob eximiam ejus pœnitentiam, pœnam hanc mitigarit condonando ſcilicet ei vitam*, &c. Quid eſt, quòd Adæ neque mors condonatur; nec venia culpæ nota ſit verbis expreſſis à Domino; mortis autem ſupplicium remittitur, & indulgentia peccati notificatur adultero ſimul & homicidæ Regi? Reor, Adamum demeruiſſe clementiam Domini; cujus benignitatis David extitit benemeritus. Primus hominum genitor, cum oportuiſſet feri-

2.Reg.12.13.

Geneſ.3.19.

2.Reg.prox. ſup.

Cornel. Aap.in com. ib.

re

re tantummodo ſeipſum malleò conſcientiæ, culpam notavit Hevæ. Chryſoſtomus. *Vir culpam*, ait, *in mulierem rejicere videtur, dicens: Mulier coegit me, & dedit, & comedi*: &c. David autem non accuſavit Bethſabee, dicens, illam per cautelæ defectum culpabilem occaſionem præſtitiſſe delinquendi; lavantem ſe poſt meridiem ſuper ſolarium ſuum; quod videri poterat è domo regiâ. Non, inquam, locutus eſt ita; ſed tantummodò ſe percuſſit, inquiens: *Peccavi Domino.* Propterea judicium rex evaſit mortis; & peccati condonationem Prophetæ verbis accepit. Non ſimiliter contigit Adamo: quia miſerationi Creatoris impedimentum objicit qui proprii non ignarus piaculi delictum proximi notare non veretur; in fatendo quidem ſcelere ſuo prudens; & in alieno dum ſe miſcet, *errans.*

S. Ioann. Chryſoſt. to. 1. hom. 17. in Geneſ. longe ante med.

2. Reg. 12. 13.

Duplicem verſiculum; nonum ſcilicet ac undecimum prætermitto. Videri poſſunt dicta jam to. 1. fl. 24. & in diem illius tomi quære poſtremum, verbo Juſtus, Peccaror, Virtus. Video quid nunc circa ſententias, quas omitto, notare poſſem: *quod quia nos jam plenè ſupra oſtendiſſe credimus: nunc iterare refugimus.*

S. Petr. Abb. Clun. l. 1 ep. 27. longe poſt med.

FLOS XXIII.

Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus.

APERITUR.

1. Janſen. com. in Proverb. 14. 10.

PRÆFIXAM gnomen exponit Janſenius quaſi valeat: ille, qui dolet mala ſua, probè neſcit ea; nec facilè conſolationes admittit alienas. Rejicitur hæc acceptio: non enim Salomon exprimit, ſe reprobare cor illud tamquam pertinax: reprehenderet autem hominem ſic ſe gerentem, ſi genuinus foret ſenſus iſte, qui placuit Epiſcopo citato. Sane rarus eſt caſus, in quo dolore preſſus nullum volens acceptare ſolamen, non ſit reprehenſibilis de contumacia. Ad Polybium ſcribebat Seneca: *Ab hac te infamia vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere unus dolor, quàm hæc tam multa ſolatia.*

Senec. in conſolat. ad Polyb. c. 31. in princ.

2. Caïet. ad hunc loc.

Secundam interpretationem affert Caïetanus, exiſtimans, hîc ſignificari, virum prudentem tam dolores, quàm gaudia corde premere. Non etiam placet: nam ægra videtur eſſe mens, quæ perpetuò reticet univerſa, tam læta, quam triſtia. Secretum cordis appellatur nomine lecti. S. Odo Abbas: *In ſacro*, inquit, *eloquio lectus, cubile, ſtratum, ſecretum ſolet cordis intelligi.* Sicut nunquam ſurgens à lecto ſatis oſtendit ægritudinem pati: ſic proprii cordis arcanum penitus ulli nunquam aperiens, judicabitur non ſanus mente. Vitandum eſt etiam aliud extremum: ſcilicet eorum loquacitas, qui nihil non verbis manifeſtant. S. Nilus: *Parcè*, ait, *utere linguâ: ſæpe enim proferuntur quæ melius fuiſſet celari.* Quid erit nimium laudabile, ſi necnon & virtutes mediocritatem diligunt? S. Iſidorus Peluſiota: *Ut*, inquit, *corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio eſt: ita etiam extrema ſpiritualis pulchritudinis linea in virtutum mediocritate conſiſtit.*

S. Nil. pa. træn. 43.

S. Iſidor. Peluſ. l. 3. ep. 131.

3.

Tertiam expoſitionem lego, quæ mihi non arridet: ſecundùm quam valet iſta paræmia q. d. Sapiens: unuſquiſque ſcit quo gaudeat, vel crucietur ipſe. Refellitur: quia ſic in priori parte parabolæ ſuperflueret particula: *Quod*: magiſque diceret Paræmiaſtes: Cor hominis agnoſcit amaritudinem ſuam. Deinceps in poſteriori parte non apparet, quo fundamento cenſeamus, vocem illam quæ legitur ibi, *Miſcebitur*, hoc loco ſignificare cognitionem anxietatis alienæ.

4.

Quartam acceptionem offert Salazar, ita ut ſumamus hanc ſententiam, ac ſi dixiſſet Eccleſiaſtes: Qui ſe deſertum expertus eſt dum afflictabatur amarore; poſtea non vult in gaudio ſocium. Non multùm quieſco: nam qui perpetiuntur afflictiones utplurimùm juſti ſunt: quorum non eſt excludere proximos à conſortio gaudiorum. Lege Magnum Gregorium ad illud Lucæ 10: *Nolite gaudere* &c. Dicentem: *Admonentur ergo diſcipuli privatam lætitiam deponere; de communi autem & perpetua felicitate gaudere. Quiſquis itaque in eo gaudet, quod alter non habet, ex ipſa ſua abundantia deterior factus, gaudium privatum habet.*

S. Gregor. Pap. to 2. hom. 19 in Ezechie. ante med.

5.

Quintò Salazar idem addit intelligentiam quamdam hujus dogmatis: quam ipſe vocavit reconditam; & aliquis diceret liberam. Sumit verbum *Novit*, pro, *Diligit*: & ſecundam partem exponit q. d. Ad gaudium, quod afflictus ipſe reperit in dolendo, nemo volet ut ſodalis admitti. Rejicitur: quia nec primæ, nec ſecundæ partis expoſitio ſufficienti nititur fundamento ſecundùm rigorem litteræ.

6.

Placet igitur hujus explanatio proverbii; cui Beda favet, ac eſt hujuſmodi: Cor, quod bene ſcit æſtimare, quàm utiles homini ſint afflictiones; gaudium poſſidebit poſtea; quod ignorabit ille, qui à gaudio tribulationis eſt alienus, hoc eſt id ignorat. Video, commentarium iſtud aliquot impugnationibus patére: ſed eligo de pluribus hoc, ne me calumnieris acquieſcere nulli. De tribulationum proventibus variis in locis multa dicebam: nunc addo Bleſenſem: *Tribulatio*, inquit, *eſt fidelis ſuccurſus à Domino miſſus ad eripiendum animum de manu omnium inimicorum ejus.* Mirabile dictu! Veniunt ab hoſtibus tribulationes frequenter: an & iſtæ de manibus omnium inimicorum eripiunt animam patientis? Hoc unum ſcio: ſcilicet proficuam eſſe de ſe tribulationem; & pio viro nequaquam triſtitiæ motivum extare multitudinem illarum; ſed gaudii materiam. S. Nilus: *Non oportet contriſtari ſiniſtris eventibus, ſed potius gaudere ob multitudinem tribulationum. Propterea*, inquit, *af-*

Petr. Bleſ. l. de utilit. tribulat. poſt pr.

S.Nil.ep.113. *flixi te, & fame maceravi, ut comederes manna cognitionis, & ut in noviſſimis tuis bene tibi faciam.*

7. *Cor.* Aptè cognitio tribuitur cordi. Conſonant huic dicendi modo quædam Incerti verba : quæ ſic habent : *Ratio*, ait, *quamvis capitis impedimento tollatur, non in capite tamen, ſed in corde eſſe creditur.* Sumi poteſt etiam, *Cor* pro homine toto : quia pars valde principalis eſt. Quidam ſub nomine Cæſarii : *Quammaximè*, inquit, *præcipuum & neceſſarium vitæ noſtræ membrum cor eſt*, &c.

Incert. ſub nom Euſeb. Gallican ſer. fer.4.poſt Dom.3 Quadrag.

Quidam ſub nom.Cæſar dial.3.ſub tit. *Verba de libris* &c. longe ante ſi. Anſbert.l 2. in Apoc.c.4.

Quod novit. De corde proferimus audire, necnon & intelligere. Sic dixit Anſbertus : *Carnis itaque auris in auditu tantùm conſiſtit : cordis verò, auditu ſimul & intellectu vigetur.*

8. *Amaritudinem.* De temporalibus amaritudinibus nunc ſermo fit. Nec indignum eſt Sapiente, quem divinus edocuit Spiritus, agere de dolore, qui naſcitur ex temporaneis cauſis : non enim à Deo cogimur ad inſenſibilitatem Stoïcam. Vellet attamen ipſe quòd validè ſuſtinentes afflictionem temporariam, tantò plùs præterita crimina doleremus, ut hujus comparatione dulceſceret amaritudo ſupradicta. Petrus Bleſenſis : *Amara quidem ſunt*, ait, *quæ ſuſtinet : ſed comparatione illius amaritudinis, quam habet de ſuorum peccatorum & exceſſuum recordatione & dolore, dulceſcunt.*

Petr Bleſ.ſer. 9 de Epiph.

Animæ. Ad animam uſque pervadunt ſanè dolores : At juſtorum animas non totas poſſident : imo ſæpe non ipſas tangunt; ſed in ſenſu tantùm ſiſtunt. S. Maximus : *Diviſa*, inquit, *triſtitia & voluptate in animam & ſenſum, qui ſibi vendicat animæ voluptatem, ac triſtitiam ſenſus cum patientia ſuſcipit, probatus eſt, perfectus, & integer* : &c.

S.Maxim. de virt. & vit. cent 3.c.95.

9. *Suæ.* Pronomen hoc vox eſt, qua multoties utimur ad exprimendam dilectionem : vocantes rem dilectam, ſuam, reſpectu diligentis. Cor, & corpus totum, prout contradiviſum ab anima, qua vivificatur, capax non eſt amandi rigorosè. Sed adeo ſtrictè corpus vi naturæ propendet in ſpiritum, ut illud amare videatur. Fortaſſis ideo dicit Nicetas : *Jam ſi animæ à quibuſdam corporum idola dicta ſint*, &c. & infra : *Corpus porro idolum quoque animæ dictum eſt*, &c. Ille velut affectus corporis in animam ſe vivificantem reperitur in rebus phyſicis ; in moralibus autem adverſarium ſpiritui corpus eſt ; audens in dominum ſuum bella movere. Archiepiſcopus Theſſalonicenſis : *Tale quoddam*, ait, *contra me ſervile bellum concitat naturâ mihi ſervum corpus, aut etiam acrius*, &c. Acerrimum bellum eſt iſtud. Ideo, quamvis antiquitus prælia vincens inita cum ſervilibus perſonis haud triumpho donaretur, ſed tantùm ovaret ; ſummus tamen Imperator Deus triumphare nobiliſſimè dat ſuperanti proprium corpus, quantumlibet ſervum.

Nicet.coniates l.2.theſauri c.58. in princ.

Gregor.Palama Archiep. Theſſalon. in proſp ſub tit. Declaratio &c. ante med.

10. *In gaudio ejus.* Vix erit qui gaudere non deſideret : ſed unde ſibi gaudendum ſit ; non omnes eligunt ſapienter. S. Proſper : *Nam*, inquit, *gaudere quidem bonum eſt : ſed qui gaudet, ſi non inde gaudeat unde debet, non poteſt bonum eſſe quod gaudet.* Ne recedamus ab explicatione verſiculi noſtri quam prætuli ſupra n. 6. Perfectus patiens non ſolum fert corde miti mala, quibus percutitur ; ſed ipſis exultat. Audi quid circa perpeſſionem injuriarum ſcribat Marcus Eremita. *Ne gaudeas*, inquit, *cum alicui benefeceris : ſed cum citra acceptarum injuriarum memoriam ingruentem adverſitatem pertuleris.* In victoria juſti, qui perpetitur æquanimiter offenſas, conjungitur duplex gaudendi motivum : nam ſubigit adverſarium; ſuperatque ſemetipſum. Glorioſum eſt utrumque : ſed magis hoc ſecundum, quia rarum.

S.Proſp.l.2. de vit.contemp.c.13. poſt princ.

S.Marc.Eremi. l.de lege ſpirit n.128.

11. *Non miſcebitur.* Qui neſcit quidquam de gaudiis tribulationum, ſæpeſæpius de felicibus eſt : quorum veſanæ lætitiæ nec in mente commiſcebuntur exultationi, quam ærumna juſto germinat : ſunt enim diverſiſſima gaudendi genera duo hæc : unum, quod adducit calamitas ; aliud ; quo lenocinatur voluptas ; eoquòd illud primum ſit verum gaudium ; non autem hoc ſecundum. Incertus ſub nomine Cæſarii : *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & juſtitia teneatur.*

Incert.ſub nom. S.Cæſ. Epiſc Arelat. hom 19. ante fi.

Extraneus. Hoc nomine vocatur ; ſed non ideo non diligitur. Perfecti ſolent amore proſequi necnon & illos, qui præcordiis eorum propinant amaritudinem ; nedum reliquos. de Jobo S. Odo Abbas ait : *Quia vero ab amore recedere etiam læſa charitas neſcit, & ſubverti velle ſe queritur, & tamen amicum Job ſe eſſe teſtatur.*

Ad Iob.6 27. S. Odo Abb. Clun.l.8.in princ.

DELIBATIO I.

Lacrymarum pœnitentis animæ dulcedo.

12. *Lacrymæ pœnitentium cibus Chriſti.*

NOn omnia corda noverunt *amaritudinem animæ ſuæ* prudenter æquè librare. Sapientia Patris æterni beatos dixit lugentes ; & rarus eſt, qui non judicet miſerrimos univerſos lacrymantes. Secundùm diverſa motiva flendi cenſe de mortalium fletibus : aliqui namque ſunt inter dona Dei numerandi. Fortaſſis hoc ſenſu dixit Mapheus Vegius : *O magnum igitur & ſingulare lacrymarum munus. O ſacrum & divinum pabulum.* Paſcitur anima ploratu, quem vel æternæ felicitatis deſideria, vel criminum dolor elicit. Non inſuave ferculum eſt hoc, ſi ſpiritu guſtatur, & guſtus animæ ſanus eſt. Cibi multi proprii rationalium brutis animantibus grati non ſunt : imo tibi cùm ægrotas amareſcunt, non amarore cibi, ſed vitio palati. Sic & planctuum ſacra pabula dulceſcunt, dum ſanitate potiris ; at ægritudine peccati laboranti ſunt amariſſima. Nec mihi jam objicias Evangeliſtam duplicem dicentem de Petro, cùm dolebat, negaviſſe Magiſtrum : *Flevit amarè.* Aliud eſt amarum dici fletum ob amarorem de præteritis culpis adjunctum ploratibus : aliud verò, lacrymas ipſas felleas extare.

Maphe Veg. l.5. de perſever. relig c. 4. ad fi.

Matth. 26. 75. & Luc. 22. 62.

extare. Si pœnitentium lacrymæ forent amaræ ; non auderet pœnitens illas offerre Salvatori tamquam obſonium quo paſcatur. Cur non anima cibabitur lacrymis illis , quæ Redemptori cibi ſunt ? Hoc non dicam de fletu , qui naſcitur ex temporaneis calamitatibus ; maximè verò de ploratu pœnitentium : hîc verè Chriſti cibus eſt.

13. Evangelicæ meſſis operarii fideles Apoſtoli venientes reddiderunt rationem Domino ſuo de factis atque doctrinâ : non enim potuerunt ignorare quanto gaudio perfunderetur ille , cum cerneret quæ pro ſalute mortalium præſtarent ejus peramantes miniſtri. Condolens ipſorum labori dixit eis , ut venirent ad locum deſertum , atque puſillum requieſcerent. O ſolitudinis paradiſum ? Labor in frequentia ; requies in deſerto. Rationem addit S. Marcus : *Erant enim qui veniebant & redibant*
Marc 6.31. *multi : & nec ſpatium manducandi habebant.* Non potui mentem continere , ne mirarer diſcedentem Chriſtum Dominum propterea , quòd adeo multi veniebant ad illum tunc temporis , ut manducandi liberum non relinquerent ſpatium. Redemptor hos excipiens exequebatur voluntatem Patris , de qua dixit : *Meus ci-*
Ioann. 4.34. *bus eſt , ut faciam voluntatem ejus , qui miſit me , ut perficiam opus ejus.* Igitur omnes venturos ad ipſum recipiat Salvator ; etiamſi manducante Domino tempeſtivè non accedant : ad menſam poſitus eos admittat An repulſam fuit paſſa Magdalena , quoniam in domo Simonis eô conveſcente venit ad illum ? Nequaquam. Diſparitatem requirebam ; quare Dominus Phariſæi conviva non detrectaverit acceſſum quondam peccatricis ; inſinuaverit autem abiens in deſertum locum , non opportunum fore adventum quorumdam tempore , quo divinus Magiſter cum Apoſtolis manducaret. Rationem quam ſubjicio non putabam omni veroſimilitudine deſtitui. Credibile fortaſſis eſt , aliquos ex illis , quos tunc declinavit Chriſtus Dominus ; dato quòd exciperentur ab ipſo dum comederet , poſtulaturos obortis lacrymis remedia malorum temporalium. Fletus hi dapes Filii Dei non ſunt : proinde non tam opportunè reciperentur ab Unigenito Patris manducante. Lacrymæ verò Magdalenæ , quas dolor expreſſit execrans præterita ſcelera , cibus erant Redemptoris : tempeſtivè quidem venerunt ad menſam. Non audeo nimis , cùm diligentis multùm fœminæ planctum voco paſtum Dilecti , nam hæc videtur fuiſſe mens D. Cypriano : qui Magdalenæ memor , ejus oculos appellavit catinum.
S. Cyprian. tract. de ablutio. ped. *Nec* , ait , *dedignatus es in menſa ſolemni , multis conveſcentibus , infamis perſonæ ſuſcipere famulatum ; cujus devotio uſa eſt ibi capillis pro linteo , oculis pro catino* , &c. Quidni connivante Chriſto Domino ſuſciperetur mulier ; quæ per dulcem dapem in paropſide luminum obtulit ei ? Obſonium Principe gloriæ dignum ſpirituales viri non reſpuunt ; ſed eodem pro captu ſuo cibari curant ; & ſuavitatem ejus experiuntur. Quam ut explicem , numerabo gaudia nonnulla , quæ pias lacrymas comitantur.

14. *Pulchritudò animæ veniens à lacrymis.* Primum virtuoſi fletûs gaudium facillimè deducitur ex iis , quæ proximè dixi. Gaudet juſtus in illis , quæ Deo novit placere valde : quoniam nexus amoris efficit , ut quæ Deo placita ſunt , hæc ejus amico multùm arrideant. Quantùm jucundetur Deus in pœnitentium lacrymis , à S. Iſidoro Peluſiota libens accipe. *Pœni-*
S. Iſidor. Peluſ. l. 1. ep. 200. *tentiæ* , inquit , *lacrymæ non modò reprehenſione carent , verùm etiam Deo thymiamatis inſtar , gratæ ac jucundæ ſunt.* Salvator , qui paupertatem doluit Adamidum ; lætatur cum eos abundare conſpicit : illi verò redduntur ex inopibus dites , inventis pretioſis margaritis in pœnitentiæ mari : quibus opulenti fiunt ſic , ut valeant comparare pretio regnum cœlorum. Servator idem piè miſeratur animarum languores : eapropter illum juvat aſpicere flentes ; cum per id balſamum ſanentur illorum vulnera. Sponſus animæ Dei Filius eſt : cui plurimum diſplicet ſponſæ fœditas ; dilectionis blanditias minuens ac retardans. Placet eidem formoſitas , qua venuſtatur dilecta , dum palpebrarum aquis maculas eluit. Fletu madida complacentiam trahit ſponſa Redemptoris : in ea tunc velut in ſpeculo ſemetipſum lubens intuetur. Flebiles hi latices transformant pœnitentem , ut in eis quaſi cryſtallo refulgeat ſpecies illius , qui ſpecioſus forma præ filiis hominum renitet. Hinc eſt , quòd apud Sponſum divinum , ſic decora judicetur facies irrigata planctu.

15. A Magis audiens natum regem , ſibi metuens , illum perdere ferox parabat Herodes. Cum per eoſdem fuiſſet illuſus in eo , quòd ad ipſum non detulerint ubi recenter ortum puellum inveniſſent , juſſit occidi multitudinem puerorum ; quò ſic inter occidendos ignoratus è medio tolleretur. En quid eſt humana tyrannorum poteſtas : non aliter niſi per inſontium cladem ſe credunt aliqui ſecuros. Matthæus enarrat execrabile factum : & notat , impletum fuiſſe quod apud Jeremiam le- Matth. 2. 17. gitur de lacrymis Rachelis. *Tunc adimple-* 18. *tum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita eſt : Rachel plorans filios ſuos* , &c. Dubium jam diù verſatum pungit adhuc. Illud rurſus in mentem reduxi , legens D. Thomam Aquinatem ad præcitatum Evangeliſtæ locum S. Thom. in com. ib. ſcribentem ſic : *Dicit Auguſtinus quod conſuetudo eſt quod quando alicui aliqua proſpera ſuccedunt , ille quando adverſitates veniunt , magis dolet. Lia & Rachel ſorores fuerunt : & iſti qui occiſi ſunt fuerunt de filiis Liæ.* Quid eſt igitur quòd non Liæ , ſed Racheli , ſacer hiſtoriographus attribuit ploratum ? Memorare duo pro ſolutione Primum eſt , Rachelem apud illum vatem deſignare animam piam. Favet huic expoſitioni Rupertus ; licet non adeo generaliter loqua- Rupert. l. 2. in Matth. ib. tur : *Itaque & mater Eccleſia , ſive omnis anima quæcumque Chriſtiano perſecutionem propter juſtitiam patienti compatitur , rectè apud prophetam iſtum dicitur Rachel* , &c. Secun-

Geneſ.29.17. dum eſt, quod habemus in Geneſi de utrâque filia Labani. *Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decorâ facie, & venuſto aſpectu.* Ubi pulchritudo florebat in animæ piæ figurâ, reperimus lacrymas profluentes, eo quòd ab iſtis venuſtas Deo placens efloreſcat. Qui novit iſta quæ diximus, gaudet exhibere Salvatori rem jucundiſſimam: & hac meditatione multùm dulcoratur amaritudo cordis. *Vide infra* fl. 32. n. 35.

16. *Amoris veri probatio lacryma ſunt.*

Secundum lacrymantium gaudium provenit ex eo quòd flens agnoſcat, ſe lacrymis tamquam teſtibus occultatis probare dilectionem ſuam, qua proſequitur diligendum ſuper omnia. Ducitur in cognitionem vulneris qui videt ſanguinem. Tritum eſt, animam per amorem vulnerari: de quo Gregorius Pontifex relatus à nobis to. 1. fl. 23. n. 33. pag. 488. Quòd autem lacrymæ ſint animæ ſanguis dixit Radulphus. *Cruciatus quippe mentis & lacrymæ, quæ oculis plangentis profluunt, ſanguis animæ ſunt.* Ex his præmiſſis patet conſequentia: nempe verum amorem teſtimonium accipere de lacrymis. Non inficior, aliquando necnon in hoc fallaces mortalium palpebras eſſe: non ſemel æque fluunt oculis; & ignis perfidiæ corde latet. Expertus eſt in uxore Samſon ploratum perfidum; cum ſenſum problematis extorquere contenderet, ut revelaret filiis populi ſui, quod in viri damnum ceſſit. *Quæ fundebat apud Samſon lacrymas, & querebatur dicens: Odiſti me*, &c. & infra: *Quæ ſtatim indicavit civibus ſuis.* Sed hujuſmodi mendacia luminum contingunt cùm ſpectatorem quærunt lacrymæ, quem circumveniant. Pœnitens autem arcanè deplorans peccata longe nimis exulat à ſuſpicione falſitatis: amoris probatio veracis exhibetur planctu.

Radulph. Flaviac. l. 10. in Levit c. 1. longe poſt med.

Judic.14.16.

Ib. n.17.

17. Luc.22.61.

Peccavit Princeps Apoſtolorum, cùm timore quaſſatus negavit Magiſtrum. Pòſt ille ſe deliquiſſe *flevit amarè*. Infidelitatis reatu D. Thomas Apoſtolus inquinavit ſeipſum. D. Gregorius Papa de Chriſto Domino, cùm poſtea comparuit illo præſente, ſic habet: *Oſtenſa ſuorum cicatrice vulnerum infidelitatis illius vulnus ſanavit.* Non tamen legimus, Thomam ſuum fleviſſe crimen. Quare potiùs petra, nempe Simon, aquas fundit, quàm Thomas, cujus nomen ſonat abyſſum? quæ vox fortaſſis alludit ad aquam plurimam, conformiter ad modum loquendi, quem legimus in hiſtoria creationis mundi: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: &c. ubi Cornelius Alapide: *Putà ſuper aquas & molem aquarum, quæ quaſi abyſſus terram operiebat*, &c. Reſpondeo proximè poſito dubio. Thomas non circa Præceptoris affectum, ſed erga fidelitatem perdiderat exiſtimationem apud Apoſtolos: qui dicentem audivere Dominum: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* At verò timuit Petrus, ne, cum fieret notum negaviſſe Magiſtrum, jacturam famæ pateretur ejus amor. Et certè cùm lapſus eſt, friguit affectus ipſius. S. Ambroſius: *Frigus ergo erat mentis, non corporis. Denique ad carbones ſtabat Petrus quia algebat affectu.* Non deeſſet aliquis propter negationes auſu temerario poſtea dicens, Apoſtolorum Principem nunquam verè dilexiſſe Chriſtum. Quò tueretur ſuî decus amoris erga Dominum teſtes produxit lacrymas. Cum igitur juſtus præ compunctione de ſceleribus anteactis diſſolutus in fletum, Deum ſuum diligere profiteatur plorans, gaudia miſcet planctui: qui propterea ſuavitate perfundit eum.

Geneſ.1.2.

Alap. com. in Geneſ. ibi.

Ioann.20. 27.

S. Ambroſ. to.3.l.10.in Luc. c.22.

18. *Lacrymæ præſentiam Dei negotiantur.*

Tertium deplorantis animæ ſanctæ gaudium eſt, quod ſic ſtrictè nectitur ſponſo dilecto. Similitudo conciliat amorem: & quantùm illa major extat, plus amantium pectora colligantur. Salvator fons uberrimus eſt: juſtus oculos vertit in fontes: cumque non parum hac ratione ſimiletur Dilecto, diligit ampliùs ipſum dum plorat, & arctius funiculo charitatis vincitur. Homo, qui non lacrymatur creta ſicca dicatur: Chriſtus Dominus autem lapis eſt angularis. Niſi madefiat argilla, qualiter adhærebit petræ? Meritò dixit Chryſoſtomus: *Nihil quippe ita conglutinat Deo, ut illæ lacrymæ, quas & peccati dolor & amor virtutum effundit.* Præſentiſſimum igitur abſentiæ remedium, qua diſtat vir perfectus à Salvatore, non longè poſitum reperitur: in ipſis oculis eſt. Iſti defectum patiuntur optatæ præſentiæ Redemptoris: iiſdemque cœlitus data fuit induſtria, qua loci vincentes intercapedinem, juſtum reddant affectuosè præſentem Filio Dei. Peccata lugeat præterita: ſic vicinus adſtabit amato Domino. Felices lacrymæ; quarum interventu præſtatur homini dolenti crimen, ut (ſi fas eſt dicere) quaſi non dividatur ab Aſſertore ſuo corporali præſentiâ.

S. Ioann. Chryſoſt to. 2. hom. 6. in Matth. longe poſt med.

19.

Ad Petri miſerabilem ruinam perpendendam revertar: nunquam enim ſatis admiratâ mente verſamus caſum illius, qui futurus erat Eccleſiæ non ruituræ ſtabile fundamentum. Iterum atque tertiò negavit. Ac tandem reſipiſcens illacrymatus eſt: non quidem in atrio Pontificis: nam D. Lucas ait: *Et egreſſus foras Petrus flevit amarè.* Dubitabam, cur Apoſtolus non ubi peccaverat ibi defflevit culpam? Recolo, Davidem in domo regiâ proſecutum fuiſſe lacrymis adulterium, quo ſe polluerat ibidem: nam lacrymatum eſſe cùm Propheta venit ad illum, S. Hilarius inſinuat, inquiens: *Tunc cum Nathan propheta arguente crimen ſuum recognovit & flevit: nunc quoque non deſinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens*: Exitus aquarum tranſierunt oculi mei: *fontes ſcilicet lacrymarum ſuarum, fontes fluminum eſſe tranſgreſſos.* Cur non ſimiliter Petrus? an victoria non eſſet illuſtrior, ſi de crimine triumpharet ubi ceciderat? nonne per ejuſmodi luctum offenſo Magiſtro ſatisfactionem exhibuiſſet ampliorem, ſi plangeret in illorum conſpectu, coram quibus negaverat? qua de cauſa foras egreſſus plangit? Voluit auxilio lacrymarum Petrus à Salvatore ferè non ſeparari corporis abſentiâ; ſtuduit iſtam vincere per amoris ingenium. Hæc

Luc.22.62.

S. Hilar. in Pſal. 118. n. 136.

ratio

ratio ceſſabat in Davide; cum ejus temporibus non adeſſet in terris Deus corpore præſens; quia non adhuc erat myſterium incarnationis peractum. Rem explico. Vidit Simonis amor quàm difficile foret in atrio Pontificis non rurſus peccare, ſed pœnitere. Paſchaſius: *Nam in atrio Pontificis ſedens non poterat, non dico ſtare in fide, verùm etiam nec poſt lapſum agere pœnitentiam.* Eadem Petri dilectio tenere ſatagebat Apoſtolum, ne tunc elongaretur à Chriſto Domino, qui Pontificis aderat in domo. Paſchaſius idem: *Mira Petri*, ait, *cum Domino perſeverantia. Qui quamvis timeret, tamen non reliquit. Venit enim timor à natura; ſed cura de affectu pietatis.* En ſecum pugnabat Apoſtolorum Principis affectus: hinc detinens illum, ne relinquens Præceptorem diſcederet; illinc urgens, ut fugeret occaſionem peccati, necnon obſtaculum pœnitentiæ. Quid ageret amator egregius Redemptoris, ut hanc amoris cum amore pugnam componeret? Induſtrioſus recurrit ad lacrymas; quæ conjungunt hominem Chriſto. Verè diſceſſit egreſſus foras: quaſi tamen haud abſceſſiſſet, adeo vicinus Domino manſit, ut meditari poſſimus, dexteram Salvatoris illum tenuiſſe, ne rurſus caderet. Imitamur ſic loquentes phraſim S. Leonis Papæ, dicentis ad Apoſtolorum Principem: *Adfuit enim dextera Domini Jeſu Chriſti, quæ labentem te priuſquam dejicereris, exciperet*, &c. Satis approximatur alteri quiſquis excipitur ab illo dexterâ ſuâ. Ecce qualiter lacrymæ conglutinant pœnitentem Redemptori: quod homini reſipiſcenti dulciſſimum eſt.

Paſchaſ. l. 12. in Matth. c. 26.

Idem ib.

S. Leo Pap. ſer. 9. de paſſio.

20. *Brevi tempore proventus colliget lacrymans.*

Quartum gaudium ex quo manat ille dulcor afficiens animam, quæ poſtquam inceperat tenere viam ſalutis lapſa fuit in delictum, ideoque perdidit bona, quæ comparaverat: gaudium, inquam, nunc penſitandum, naſcitur ex eo quod cernat cum lacrymatur, hac pluviâ rigari virtutes, velut plantas. Agricola, cujus ager cœperat germinare; ſed ubertati futuræ triſtis obſtitit ſiccitas diuturna, lætatur valde cùm ſtillant nubes, revireſcunt plantulæ, reviviſcunt arbuſta feliciter. Agri cultores dicuntur ii, qui ſalutariter lugent. S. Nilus ait: *Beati enim qui nunc lugent, & colunt quaſi agrum ſalutarem luctum* &c. Gaudent illi, cùm luminum imbre ſemina virtutum rigantur: nam abſque hujus irrigationis adjutorio fructus non ederent; ſed perirent. S. Fulgentius: *Omnia etenim*, ait, *ſemina non germinant, niſi fuerint irrigata, nec de ſemine procedit fructus, ſi fuerit aquarum juvamine deſtitutus. Proinde nos quoque, ſi volumus fructus noſtrorum ſeminum capere, non deſinamus ſemina noſtra lacrymis irrigare, quæ magis corde ſunt fundendæ, quam corpore.* Notabiliorem adhuc exiſtimo celeritatem, qua fructificat rationalis tellus humectata planctu: fœcunditas adeo mirabilis venit ei de lacrymis, ut non multùm diſtet meſſis à ſatione: brevi tempore proventus colliget lacrymans.

S. Nil. ep. 124.

S. Fulgent. ep. 4. ad Probam. c. 5.

21. Apud Pſalmiſtam legitur ſic: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Manipuli deſignant operationes fructu plenas. Ex Caſſiodoro Bruno: *Fecerunt manipulos, id eſt, fructuoſiſſimas actiones.* Necnon & ſemina ſignificant opera laudabilia. Hugo Cardinalis in eumdem Pſalmum: qui ſeminant *opera bona.* Non prætereundum cenſeo, quòd, cum vita noſtra ſit via brevis, & virtutum perfectio ſoleat per longum annorum decurſum acquiri; ſic legamus fieri ſermonem de virtuoſis factis ad maturitatem perductis, quaſi non ampliùs diſtet ſpiritualis meſſis à ſeminatione, quàm in materialibus fundis interjicitur temporis, computati de labore, quo ruricola ſerit, ad jucunditatem, qua manipulos colligit. Mentem cogitantis fallit imago veri, niſi per hoc denotatur velocitas fructuum ſpiritualium, quos irrigant lacrymæ priùs, ut pullulent. Accommodè Doctor Luſitanus ait: *Sicut enim terra rigata germinat, ſic anima rore lacrymarum compluta.* Sic D. Antonius ad ſupradictum Pſalmi locum. Quomodo non ſpiritus hilareſcet; cùm ſenſitiva pars ingemiſcens, virtutum ſata lacrymatione rigans, fœcundat? His & aliis jucunditatibus mixtum, dulcem experitur fletum ſalubrem *cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ*: quoniam ſicut ſæculi voluptates propter mœroris mixturam pluribus amareſcunt; ita propter concurſum gaudiorum quibus fruuntur juſti lacrymantes, eorum triſtitia felix redditur ſuavis. Excurſum coronet Chryſoſtomus. *Sicut*, inquit, *enim mundi gaudium triſtitiæ conſortio copulatur; ita etiam ſecundùm Dominum lacrymæ jugem pariunt certamque lætitiam.*

Pſal 125. 6.

Ex Caſſiod. B. Brun. Herbipol. in Pſ. ib Hug. Card. ibid.

S. Anton. Ulyſſip. ſcr. de omnib. SS. ad eum locum Pſal. ſupra.

S. Ioann. Chryſ. to. 2. hom. 6. in Matth.

DELIBATIO II.

Juſti lacrymæ, quas elicit gloriæ deſiderium, ſæpe mœrorem tollunt: qui de conſortio collacrymantium non parum in dolente minuitur.

HUcuſque delibabam dulcedinem lacrymarum: quas deteſtans peccata miſcet in amaritudine animæ ſuæ, cum ſpiritalis delectationis potu. Nunc ad alios pergo fletus; quos ad amicitiam Dei reſtitutus emittit præ deſiderio cœleſtis patriæ; nec abſterget aliquis, niſi Deus benignâ manu, cum tempus aderit, quo revocatus ab exilio, ſupernæ Jeroſolymæ civibus aſſocietur in perenni felicitate manſurus. Utroque profluvio madere ſolitat amor tenellus. Pueris mos eſt non minùs lacrymari, ſi mater abeſt; quàm ſi percutiantur à quoquam. Puellus eſt amor: non ſolum flet, quia vulneratus à delicto gemit; ſed etiam quia longius abeſt illa, *quæ ſurſum eſt Jeruſalem, ..., quæ eſt mater noſtra.* Ad hanc patriam perveniendi cupiditas, urgente dilectionis igne, ſatagit ſtillari lacrymas expreſſas de floribus virtutum variis. Proverbium

22. *Lacrymis fuſis ex deſiderio cœleſtis patriæ ſocia, jungitur lætitia.*

Ad Galat. 4. 26.

bium Salomonis, quod nunc libra mentis appendimus, S. Gregorius Papa dilucidat in hæc verba: *Humana etenim mens animæ ſuæ amaritudinem ſcit, cum æternæ patriæ deſideriis accenſa, peregrinationis ſuæ pœnam flendo cognoſcit: ſed in ejus gaudio extraneus non miſcebitur, quia qui nunc à mœrore compunctionis alienus eſt, tunc particeps ad lætitiam conſolationis non eſt.* Sic ſcribens Pontifex aciem ſpiritualem vertit ad gaudium perennaturum in Empyrea ſede. Cum hoc tamen ſtat, flentes illos præ votis veniendi tandem ad cœli quietem jucundiſſimam, jam ſimul in terris delectari dum plorant. Dixi nuper, aquas iſtas de floſculis virtutum diſtillari: cur ſuavis non erit aqua de floribus electiſſimis promanans? Hoc ſi lentiori cogitatu volvas, dices, illum, qui præ gloriæ deſideriis triſtatur, vix poſſe mœroris cauſam, ſi rogetur aperire. Perurgebis mœrentem iſtum, ſciſcitans ab eo cur ſic triſtitiâ prematur: fortè reſponſum non accipies, quaſi motivo careret iſte mœror: imo ſi percontetur idem à ſemetipſo qua de cauſa contriſtetur ita; continget ut reſponſione ſuperſedeat; velut ſi nihil occurreret, quo ſibi quæſtionem iſtam ſolveret.

Ad Prov. 14. 10 D Greg. Mag. to. 1. l. 6 mor. c. 10.

23. David animæ Deum ſitientis vota quodam Pſalmo deſcribit ardentia: nam in hujus commentario dixit Hugo Cardinalis: *In hoc Pſalmo loquitur fidelis ſolum Deum ſitiens.* Igitur ille, qui Dominum fontem inexhauſtum ſitibundus anhelat, quærit ab anima ſua ſic: *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?* Bellarminus ibi: *Conſolatur*, ait, *lacrymas ſuas dicens*: Quare triſtis &c? Eccur ibidem non introducitur anima reſpondens: Triſtor, quia die nocteque ploro? nonne legimus haud longe prius: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte:* &c? quid ergo quærit ab anima ſua qui plorat continuò, cur triſtis eſt ejus anima; velut increpans illam, tamquam ſine cauſa contriſtatam? & nil reſpondere perhibetur anima ſic deplorantis? Adverte, lacrymas iſtas obortas ex eo, quòd acceſſus in patriam differatur viro pio. Hugo Cardinalis ibi: *Q. d. Ego ploravi pro irriguo ſuperiori & inferiori, id eſt pro dilatione patriæ, & incolatu hujus miſeriæ* &c. Favetque Textus ipſe: nam immediatè præcedunt, antequam fieret ſermo de lacrymis, hæc verba: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Ubi Bellarminus: *Quando finis erit peregrinationis? quando initium fruitionis?* Quo fundamento præſuppoſito, dicam. Non immeritò cœleſtis gloriæ contemplator, ſi madentibus oculis triſtem gerit animum, dum ſiti beatitudinis urgetur; difficile rationem ſibimetipſi reddet cur non hilaritate profundatur ſpiritus ejus: tot enim ſuperſunt illi gaudendi cauſæ, quòd valerent ab eodem tollere mœrorem.

Hugo Card. in Pſal. 41. 2.

Pſal. 41. 6.

Bellarm. in com. ib.

Eod. Pſal. n. 4.

Hugo Card. ib.

Pſal. 41. 3.

Bellarm. ib.

24. Quamvis lacrymari ſit unum ex muneribus luminum; ne tuis nimiùm fidas, cum cernis aliena faciem rigantia. Juſtos aſpicis in iſtâ miſerâ convalle plorationis identidem flere. Multoties credis premi cordis anxietate, ſed falleris: nam ex animi dulcedine liqueſcunt in undas. Officium, inquam, palpebrarum proprium eſt latices guttatim emittere; ſed non de alienis planctibus judicare. Quin egrediamur temporalium rerum limites, poterit ejuſmodi contingere deceptio: natura quippe lacrymas providit, non ſolùm doloribus egerendis aptas, cùm anguſtantur præcordia; ſed opportuna ſignificando gaudio non vulgari; quo dilatatur cor vi lætitiæ multâ. Quare non etiam pietas dabit ori ploratus utriuſque generis: nempe mœſtos, atque jucundos? an minus provida gratia, quàm natura? Divus Ambroſius adeſt non intempeſtivè. *Non ſolus*, inquit, *dolor lacrymas habet, & lætitia lacrymas ſuas. Et pietas fletum excitat*, &c. Non diffiteor, juſtum ex abſentia dilectiſſimi ſibi Filii Dei commutare lumina frequenter in fontes aquarum: ſed iſtæ ſimillimæ ſunt iis, quæ fluunt ex hilaritate laudabili: nam utræque manant ex dilatatione cordis. Nonne conformiter ad phraſim, quæ legitur apud Pſaltem: *In tribulatione dilataſti mihi*, videmus aſſerere; cor juſti, dum anxiatur dilatari? Cenſeamus igitur, piorum fletus, quamvis ex dolore manantes, adeo planctibus ab exultatione productis aſſimilari, quòd lacrymæ triſtes in lætas fere commutari queant, cum preſſura finitur, & jucunditas advenit: ipſimet ploratus, qui de mœrore prodierunt, velut mutari poſſunt in exultantes lacrymationes.

Fletus ex dolore ferè mutatur nonnunquam in lacrymas lætitiæ.

S. Ambroſ. to. 4 or. in obitu fratris, longe poſt princ.

Pſal. 4. 2.

25. Triumphator mortis Redemptor prodiverat è tumulo; & qui pro ſalute noſtrâ comparandâ nullum non moverat lapidem, hoc negotio peracto, noluit illum, quo ſepulchrum claudebatur, amovere: ſic probans, nullo ſe prorſus obſtaculo præpediri, cum homines quæreret prædilectos. Mortuum requirebat Magdalena: rigabat faciem lacrymoſa; cor per oculos mittens, quia dilectum cadaver non invenerat. Ignotus adfuit ipſi Redemptor: & ab ea quæſivit plorationis motivum, dicens: *Mulier, quid ploras?* Notavit interrogantem Doctor Angelicus, & ait: *Ploratus ex deſiderio inquiſitionis cauſabatur: quem quærit enim interrogat, ut augeatur deſiderium: quatenus cum nominaret quem quæreret, in amorem ejus ardentius æſtuaret:* &c. Exhinc deduco, Dei Filium occaſionem præſtitiſſe Magdalenæ tunc augendi fletum: nam cum hic foret effectus deſiderii; Dominus, qui percontando cupiebat illum incrementare, ciebat ita noviter lacrymas. Bone Deus! affligitæ ſic addis afflictionem? Putabam, quòd ejus oculorum fontes tuæ dilectionis æſtu ſiccares; ipſas benignâ manu tergens: vel ſaltem, ſicut viduæ dixeras aliquando: *Noli flere*, ſimiliter amantiſſimam ſolareris. Cur non ita? Necnon accedit, incongruum videri, quòd hujus lacrymas adaugeas interrogatâ cauſa, cùm eadem fœmina ſtatim erat gaudio tanto perfundenda, ut S. Thomas à Villa nova dixerit: *Potentem hunc lætitiæ ictum, quo animus illius ſubito tranſfigitur, dicere quis ſufficiat? Mirum quod non eſt extincta præ gaudio.*

Ioann. 20. 15. D. Thom in Ioann. ib.

Luc. 7. 13.

S. Thom à Vill. no ſer. 1. in die Paſch. poſt med.

Quid

Quid habet exultatio commune cum fletu dolentis? an opportunum fuit, ut ejuſmodi ploratu madidis palpebris lumen oculorum ſuorum agnoſceret Magdalena? Rationi conſentaneum erat, ut præ gaudio ploraret cernens Magiſtrum redivivum: & ipſæmet lacrymæ, quas dolor exprimeret priùs, valebant mox agere vicem exultantium fletuum: quia planctus ex amore Salvatoris ortus adeo ſimilis eſt ploratui, qui de gaudio naſcitur, ut poſſit in illum quaſi tranſmutari. Vidua lugens filium qui deferebatur ad monumentum, ex motivo flebat humano: Diſſuadere optavit Dominus lacrymas iſtas matri, quæ jamjam erat per gnati ſuſcitationem exhilaranda. Non curavit ſimiliter ut ſtetim fletus Magdalenæ ſiſteretur antequam gauderet: nam ejus lacrymæ vendicabant nobiliorem cauſam; proindeque difficile non eſſet iſtas agere munus earum, quas voluptas movet. Ita contingit juſto, cum ex deſiderio patriæ totus ardet: nam plorans ex abſentia Dei, non difficulter experietur, eaſdem lacrymas, quas mœror erumpere juſſit, amore dulcorari.

26. Sed oportet animadvertere, quòd ut, ſicuti prædictum eſt, lamenta commutentur in piam hilaritatem, operæpretium erit mentem à terrenis avertere, ſimul & ad cœleſtia levare. Nullus eſt, qui neſciat, quàm ſit proficuum erigere cogitationem ad ſuperna; terrenaque ſpernere conſtanter. Sic plurima vitantur pericula, ſpes roboratur fortiter, amor accenditur, habetur odio culpa. *Quapropter nihil nobis utilius ſciamus, quam ut omnibus diebus vitæ noſtræ vitam ancipitem retractantes, noſmetipſos quotidie diſcutiamus, & verborum cogitatuumque noſtrorum rationem agentes, & humanam vitam perhorreſcentes, hunc ſupradictum iſtius viæ, id eſt, vitæ noſtræ finem, cunctis ſpretis mundi hujus voluptatibus, ſine intermiſſione cogitemus.... Ne ergo nos fallax & ſeductrix, brevis & temporalis, caduca & fragilis, amara ac triſtis vita decipiat, de vera & æterna ſemper cogitemus, quæ poſt mortem immortales habitura ſit.* Hæc S. Columbanus. De vita miſerabili nequaquam gaudere propterea quòd perpetua bona contempleris, non arduum eſt; cum terreſtria ſordeſcant æterna meditanti. Quidnam exequitur maximum is, qui propter hoc voluptatem non accipit à bono tranſitorio, ſed potius anxiè ſuſpirat, quia mente revolvit ſpiritualia? Longe majus eſt non exultare de vitæ caducæ lenociniis, quin hujuſmodi contemptum pariat contemplatio, quam ſuperior lux dirigit. Juſtus igitur ſuſpiria præmittit, ne lætetur in hoc exilio mundanè: poſtea ſatagit contemplando refici.

S. Columb. in inſtructio. 9. ante fi.

27. Sanctitatis inſignis pugil, & exemplar nobile fortitudinis Job in acie patientiæ depugnans, poſt alia, dixit: *Antequam comedam ſuſpiro*: &c. Quod ut intelligas, audi moraliſſimum Commentatorem. *Comedere*, inquit, *namque eſt animæ, ſupernæ lucis contemplationibus paſci.* Hæc ex Divo Gregorio Magno S. Odo. Addit Gregorius idem: *Niſi enim ſuſpiret, non comedit: quia qui ſe in hoc exilio per deſideriorum cœleſtium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non deguſtat. A veritatis enim pabulo jejuni ſunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur.* Notandum quod haud fruſtra vir ſanctus primùm ſuſpirat, poſtea contemplatur. Dices. Nonne foret utilius initium à contemplatione ſumere: hinc ad gemitum venire? Minus egregium eſſet hoc: nam quid mirum eſt agnoſcere vitam gemitibus dignam, exulem, qui priùs patriam cœleſtem, quamvis à longe, mentalibus oculis perluſtrat? Fatuum diceres illum, qui poſt meditationem perpetuæ felicitatis mox lætaretur demittens oculos in terram: proinde multo minùs laudabilis erit, qui poſtquam ſuperna cogitans reficitur, ſe poſitum extra patriam ſedens plangit. Ille fortiùs agit, qui deſpicit peritura, quin juvetur à præcedente cogitatione bonorum perpetuò manentium. An ut labentia temnantur ſatis non erit iſta penitius introſpicere? Hoc ſanè rectè videnti ſufficiat, ut in lacrymas reſolvatur: dolens quia cernit quò devenerit in primævæ culpæ ſupplicium. Hi fletus commutabuntur in gaudia, cum à ſuſpiriis tranſiverit ad contemplanda quæ Dominus præparavit iis, qui nunc ſanctè lugent: & ſic probè cognoſcet *amaritudinem animæ ſuæ* ſuavitatum fœcundam.

S. Greg. Pap. to. 1. l. 5. mor. c. 7.

28. *Patientia roboratur, ſi mens ad ſuperna conſurgat.*

Video quàm rari ſunt ex motivo ſpirituali flentes; & propterea ſalutarium cogitationum cibo paſti. Duplex illud munus oculorum, ſcilicet viſus atque fletus, ita nectitur in luminibus humanis, ut vix aliquando plorent homines amore ducti rei, quam cernere non valent; quaſi ſolâ viſione corporeâ miniſtrante mens perciperet motiva dolendi. Per ſenſibilia ſic trahimur ultrò, velut ad illa ſola meditanda conditi fuiſſemus. Horum defectus nos angit; eorum autem, quæ ſub ſenſum non cadunt, etſi lamentatione digniſſima ſit iſtorum carentia, ratio non habetur. Hanc de ſpiritualibus incuriam ſatis imprudentem conantur excuſare plurimi, dicentes: Tam copioſa multitudo nos obſidet malorum nequaquam egredientium ſphæram naturæ; quòd anima tot percuſſa telis turbatur ſic, ut ad ſuperiora non attendat præ nimio conflictu. Hinc hoſtis vulnerat, illinc amicus prodit: felicitas abit, ægritudo torquet, ac alia mille cor oppugnant agmine facto. Proinde fit, ut animus tot afflictationibus compreſſus, imo projectus humi, ſe levare quaſi nequeat attendens ea, quæ naturæ ſuperexcedunt ordinem. Hæc illi. Sed, niſi mens vitiata foret, ab ipſis temporalibus preſſuris occaſionem arriperet levandi cogitatum in cœleſtia. Optime S. Gregorius Papa: *Sciendum quoque eſt quod bonorum mens quò duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certiùs ſperat.* Igitur ô tu, qui multiplicatis ærumnis anxius doles; viſne patientiam roborare? Te ſurſum eleva; volatum cape: ſic velut extra telorum jactum conſtitues temetipſum;

S. Gregor. Pap. l. 10. mor. c. 14. med.

Iob. 3. 4.

S. Odo Abb. Clun. l. 5. in Iob. ib.

metipſum : ne terrenis hæreas ; cor duc in altum ; & ſufferentiam experieris victricem.

29. Jobi conſolator oneroſus Eliphaz, perperam cenſens, illum per impatientiam dejectum ; volens ei ſuadere conſtantiam, dixit ad ipſum : *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* Patet, hæc verba dixiſſe, quia Jobum putavit impatientem. Abbreviator Gregorii Pontificis, ad illa verba capitis ejuſdem n. 2. *Verè ſtultum* &c. ſic ſcribit : *Hæc nimirum ſententia vera eſſet, ſi illata contra tanti viri patientiam non fuiſſet.* Ex quo libenter colligitur, quòd Eliphaz per citata verba Jobo conſuluit, ut patienter ſuſtineret mala, quibus cruciabatur fortiter. Cogitabam ſimilitudinem illam ab ave ſumptam : *Et avis ad volatum.* Nam ibi particula, *Et*, valet idem atque, *Sicut.* Pineda in hunc locum : *Sicut enim volandi celeritate, & aſſiduitate victum quærit, & invenit avis, ſic in labore vultus ſui veſci pane ſuo hominem oportet.* Certe cùm volat ales non laborat nimiùm. Quid ergo proportionis habet volatus avium cum ſummis laboribus Jobi? Forſan videretur aptius ænigma bovis : qui natus equidem ad laborem improbum eſt : nunc enim trahit aratrum proſcindens terram ; nunc immania rotat onera plauſtro ; nunc ſegetes atdente ſole triturat ; cunctaque patitur manſuetiſſimè. Accedit, bovem cum ſanctitate nonnullam vendicare analogiam. Radulphus Flaviacenſis : *Cum bos & ovis ſanctitatis ſpeciem gerant*, &c. Ergo cur Eliphaz, ut Jobo ſuſtinentiam laborum perſuadeat, potiùs utitur alitis exemplo, quàm bovis? Fortaſſe quia virtutis Jobi neſcius, illum tacitus hortari voluit, ut pro conſequendo robore, ſeipſum per contemplationem erigeret in altum. Bos membra fatigat ; ſed totus addicitur circa terreſtria. Non ſic avis ; imo frequenter omnis ejus conatus eſt evolare ſurſum. Ita ſe levet animus conflictatus doloribus ; & prævalebit. Opportunè Gregorius Pontifex : *Quia tantò*, inquit, *animus à laboris afflictione ſe ſubtrahit, quantò per ſpem ad ſumma ſuſtollit. An non quaſi avis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot adverſa ſuſtinens dicebat :* Noſtra autem converſatio &c? Ecce qua ratione juſtus, quantumlibet calamitatibus impetitus evadere ſolet ovans inclytè. Suſtollitur æterna meditans, ut angores temporales infra ſe poſitos aſpernetur. Nullus itaque temerarius excuſet puſillanimitatem ſuam, dicens, ideo non contemplari quæ ſupra nos manent, quia lancinatur inferiùs undique tribulationibus plurimis. Imo, ſi doctus anxietate ſuperiùs attendat ſpe, cogitatu, cordeque toto, proficuam experietur ſibimet *amaritudinem animæ ſuæ.*

Job 5.7.

S Od Abb. Clun. l. 5 in Job. ante fi.

Pined. in com Iob 5.7.

Radulph. Flaviac. l. 1. in Levit. c. 2.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 6. mor. c. 7.

30. *Aliorum lacrymas non intuens duriùs angitur.* Superaddenda nunc alia ratio non levis imminuendi lacrymas : quarum abundantia fluens à corporeis luminibus, potens apud aliquos eſt, ut ſpirituales oculos vel cœcutire faciat, vel minùs acutè cernere quæ ſpiritum attinent. Quiſque paſſus infortunia, ſi numeraret aliorum vulnera, non adeo lamentaretur propria. Quis in vita mortali reperietur à dolendo penitus immunis? an miſeriarum vallem non habitant cuncti? ignoras illud quod Salonius expreſſit, inquiens : Tempus plangendi *eſt vita præſens* : &c! Deſipis, niſi totum vitæ curſum ſtadium credis afflictione plenum. Nervosè Petrus Bleſenſis hocipſum in hæc verba proponit : *Quod video, quod audio, quod volo, quod nolo, quod placet, quod diſplicet, quod meditor, quod loquor, quod taceo, quod laboro, quod quieſco, denique totum quod vivo tentatio eſt, & afflictio ſpiritus.* Cum igitur adeo ſint multiplices dolorum cauſæ, totque premant aliena corda ; quis erit mente ſanus tam nimius amator ſuî, quòd ſolummodo proprias anxietudines attendat ; nec ei mitigentur iſtæ cùm proximorum plagas intuetur? Naturæ conſonum eſt, ut conſortia dolentium proprios cruciatus imminuant. Multum dolens in obitu fratris dicebat S. Ambroſius : *Cur ſolus præ cæteris fleam, quem fletis omnes : Privatum dolorem communi dolore digeſſi. . . . Non poteſt fletus eſſe diuturnus, qui univerſorum eſt affectibus conſecratus.* Cum itaque ſimul patientium pluralitas afferat miſero ſolamen ; conjicio, ſæpius homines ſine levamine pati, quia nequaquam ad alienos ploratus convertunt oculos. Aliorum lacrimas non intuens angitur duriùs.

Salon. Epiſc. in Eccle. 3 4.

Petr. Bleſ. ſer. 44. med.

S. Ambroſ. to 5. or. in obitu frat.

31. Zacharias Propheta deſcribens terribilem illum diem Domini, quo Judex æquiſſimus damnabit malos in æternum, ſic habet : *Et planget terra : familiæ & familiæ ſeorſum, familiæ domus David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum* : & poſt pauca : *Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum.* Quod vates de finali die loquatur, ne dubites. Audi Rupertum. *Planctus*, inquit, *illius magnitudo quantacumque fuerit, nihil ad magnitudinem planctus futuri, quando ille quem confixerunt aſpiciendus apparebit. Tantummodo propter aliquantulam ſimilitudinem hîc illius planctus meminit, ... plangent ſeorſum, quamvis omnes ad unum congregentur judicium, omnes ad unum deſcendant carcerem, id eſt infernum, omnis animus ab omni animo erit ſeorſum, multum occupatus apud ſemetipſum, nec amicam reſpiciens, nec amicum.* Et quid refert ad inſinuandum quàm erit horribilis dies iræ, Prophetam citato loco memorari, familias tunc eſſe lamentaturas diviſas à familiis ; imo viros fore ſeorſum à fœminis? Non modicum quid eſt iſta diviſio, ut ex ea colligamus, quanta futura ſit anxietatis multitudo, cum dies advenerit horrore plenus. Tunc erit unuſquiſque malus à cæteris ita diviſus animo, quod non ad aliorum lacrymas attendet : propterea multòplùs dolebit. Similiter accidit perpluribus in vita mortali : non advertunt alios pariter flentes ; qua ſodalitate miſeriarum, poſſent alleviari propriæ. Tantùm reſpiciunt ſeipſos ; idcirco toti liqueſcunt fletibus. Dato quòd homo computaret mente quot & quanta ſuſtineant alii, minorem ſæpe comperiret in ſe plangendi cauſam. Qui perpendit

Zachar. 12. 12. 14.

Rupert. in com. Zachar. ib.

dit graviorem adverſitatem proximi, *novit amaritudinem animæ ſuæ.*

DELIBATIO III.

Duplex corde pavidus. De humana ſcientia, & tribulationibus.

32. *Duplex corde frequenter pavidus eſt.*

COr. Appoſitè Salomon, cùm de tribulatione verba facit, utitur nomine cordis numero ſingulari. Forſan occaſionem præbere voluit, ut prudens meditaretur, duplicitatem cordis robori nequaquam prodeſſe. Diſcurrat peritus indagator operum naturæ per corpus humanum: plures hujus partes inveniet binas; cor autem nequaquam. Duplicem natura donavit nobis oculum, aurem, manum, pedem; ſed cor unicum. Et meritò quidem: nam locum principis obtinet cor erga reliqua membra: non autem congruum eſt ut iiſdem ſubditis duo poteſtate pares principentur: nam præter alia damna, quæ ſolent oriri de principatu diviſo Reipublicæ, vires ejus infirmantur hoc pacto: velutque lignum ſciſſum in duas partes debile redditur, & facile confringetur: ſic & poteſtas in duplicem dominum bipartita. Haud aliter ſi cor humanum per duplicitatem ſcindatur, debilitabitur. Puſillanimitas atque duplicitas mehercle ſociæ ſunt. S. Antiochus favere dictis videtur aliqualiter, dum ait: *A nobis itaque auferamus duplicitatem ſimul & puſillanimitatem.* Utplurimùm propterea tolluntur à nobis inſimul ambæ, quia ſocietatem ad invicem inire ſolent indiviſam. Timidus, ut arte perficiat quæ viribus exequi non valet, aſtutiam ſectatur, animo duplex. Et qui duplicato corde reperitur aſtutus, veretur, fraudulentiam ſuam aliis aperiendam; & ejus damna declinare non valiturum. Ex hoc fit, ut identidem ſit pavidus ille, qui duplici corde pollet.

S. Antioch. hom. 85. in princ.

33. Ut quæ prædicta ſunt ſtabiliam conſulere libet Siracidem: cujus doctrina ſalubris multiplicem & variegatam ſuppellectilem noſtris lucubrationibus hucuſque ſuppeditavit. Hæc leguntur apud illum: *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo*: &c. Primum oportet advertere quid hoc loco ſignificet, *Diſſoluti corde.* Dabit Cornelius: *Porro*, inquit, *diſſoluti corde ſunt diſſoluti & fracti animo, qui ob adverſa diu durantia perdunt mentis conſtantiam.* Et infra: *Quocirca dum per metum ſolvitur vigor, & robur animi, laxatur pariter & ſolvitur per ſympathiam vigor roburque cordis.* Secundò notandum, eoſdem hîc dici habentes cor duplex, atque diſſolutos corde. Alter Cornelius: *Sunt autem duplici corde hoc loco iidem, qui & timidi*, &c. Jam cuique pronum eſt dubitare, quomodo qui duplicato corde comperitur, ſit etiam formidoloſus: nam ſatis magnum videtur cor illud, quod æquipollet ſimul duplici. Falleris: non enim hæc magnitudo judicatur ad numerum vel pondus. Iſta duplicis cordis moles virum pluries emollit: indeque fit, ut paventem experiaris quem præ duplicitate formidabas. Econtra ſimplex animo ſæpe ſtrenuus eſt, ut amaritudines libenter ſuſtineat. Iſte ſibi concors infracto, non diviſo vigore perſtat in laborum conflictu: nec ejus facilè langueſcit *cor.*

Eccli. 2. 14. 15.

Alap. ib. adv. 15.

Ianſen. ib. ad n. 14.

Quod novit. Arduum eſt apprimè noſcere *amaritudinem animæ*, quàm ſit pretioſa, quàmque proficua. Quid mirum eſt, quòd extet humana mens hebes ad iſta judicanda; cum fugiat homo longe minora? Genus humanum in Parente primo per appetitum ſciendi ſuperbè deliquit: æquiſſimè punitum fuit in ſapientiâ. Bruta nos in cognoſcendis aliquibus excedunt, & nocitura vitant; utilia quærunt. Homo diſcrimina plurima non præſentit miſer; & inſuper damnum exinde ſecutum remedio lenire neſcit. Fatentur medici, medicamina quædam ab exemplo animalium illis utentium ſumpta fuiſſe. Ut ampliùs comprimatur humanus in ſapiendo tumor, ſit ſatis expendere, non adhuc philoſophos convenire quærentes quibus componatur extremitas unius acûs: in varias quippe abiere ſententias in quæſtione celebri de compoſitione continui, ſic ut nullam adducant difficultatibus exortem. Qui ſic hallucinamur circa minima naturalia, quidni quæ ſupra naturam ſunt ignoremus? Perpetuò diſcendum eſt in re tantâ. S. Irenæus: *Ut ſemper*, ait, *quidem Deus doceat, homo autem ſemper diſcat quæ ſunt à Deo.* Parum eſſet fateri, nos indigere quòd circa ſpiritum concernentia doceamur à Deo quæ neſcimus. Adeo parum in iſtis homo ſapit, ut aſſeverari queat, Deum nos edocturum ea quæ ſcimus. Confidentiam non in propriâ mente, ſed in Domino firmemus, expectantes ut nos illuminet in ipſis quæ novimus.

34. *Humana ſapientia ſic limitata, ut dici poſſit, Deum nos docturum quæ ſcimus.*

S. Irenæus l. 2. contra hæreſ. c. 47. med.

Gentium Doctor ſcribens ad Philippenſes, & cupiens ne tollerentur in ſuperbiam, quaſi jam perfecti forent ſic ad illos aiebat: *Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Non unicam expoſitionem verborum Pauli reperies. Lira commentatur: ſi quid aliter ſapitis, *id eſt ſi quid aliud pertinens ad cultum Dei, & ad perfectionis ſtatum vos cognoſcere contigerit.* Huic expoſitioni difficultatem ingerunt verba ſequentia: *Et hoc vobis Deus revelabit.* Qua ratione revelaturus Deus erat eis quæ jam ſaperent? Scio, Liranum præterire, ne dicam illudere, dubium iſtud; quamvis ab ejus interpretatione genitum: nam illud, *Revelabit*, exponit hoc modo: *Q. d. Sciatis quod hoc non provenit ex intelligentia veſtra, ſed ex revelatione divina*: &c. Non multum placet in hoc Lira: quia vox, *Revelabit*, , ſonat revelationem futuram: &, ut ex contextu patet, refertur ad idipſum, de quo dixerat Apoſtolus ibidem: *Si quid aliter ſapitis.* Adhuc erga nos urget ſuprapoſitum dubiolum! dicebam enim: Qua ratione Deus revelaturus ipſis foret quæ jam ſaperent? Promam quod ſentio: fortaſſis opitulabitur

35. Ad Philippen. 3. 15.

Liran. ib.

Idem ib.

mihi non parum Chryſoſtomus inſignis verborum Pauli ſervator. Optabat Apoſtolus, ut Philippenſes agnoſcerent quàm ſit imperfecta mortalium ſapientia. Voluit ut etiam circa ſibimetipſis nota lucem expectarent à Domino, quaſi docturus foret eos illa quæ jam ſaperent. Fruere Chryſoſtomi verbis ad prædictum locum. *Paulus*, inquit, *docuit, ſed Deus inducet. Et non dixit, inducet : ſed*, Revelabit, *ut res iſta magis videatur eſſe ignorantiæ. Non de dogmatibus iſta dicit, ſed de perfectione vitæ, & ne putent ſeipſos perfectos eſſe. Quiſquis putat ſe aſſecutum eſſe totum, nihil habet.* Audiant igitur Magiſtrum Gentium ſuperbientes de rerum divinarum ſcientiâ : credat horum quiſque, ut ſpiritualia (interquæ numeratur afflictionum proventus) probe ſciat, diſcendum ſibi reſtare *quod novit.*

S. Ioann. Chryſoſt. to. 4. hom. 12. in Epiſt. ad Philipp.

36. *Tribulatio peculiare ſignum divinæ præſentiæ.*

Amaritudinem. Afflictiones, quas patiuntur juſti, nomen amaroris habent ; ſed illis verè ſunt dulces. Ingenium eſt hoc humilitatis ; quæ ſpontaneè ſuſtinens dulceſcere facit amara. Tempeſtivè S. Antonius Ulyſſiponenſis : *Sola enim humilitas cum ſpiritus aviditate & delectatione novit fugere tribulationem & dolorem.* Scelerati piis etiam adverſantur in hoc quòd malorum voluptas ut in ore dulceſcit ; ſed niſi prorſus inſenſati ſint, amaricari facit intus animam : econtrariò bonorum calamitates cùm veluti deglutiuntur ore, ſunt ibidem amaræ ; ſimulque ſuavitatem cordi propinant. Voluptas, inquam, damnabilis amara quidem : nam peccatum eſt, hominem Deo privans. Huc faciunt verba S. Thomæ à Villa nova : *O magna cœcitas filiorum Adam, qui malunt ſervire peccato cum labore, quam Deo cum jucunditate.* Oppoſitâ ratione dulcis eſt viro probo tribulatio : quia tunc peculiariter fruitur præſentiâ Dei cum afflictatur. S. Gregorius Nazianzenus : *Animæ afflictæ adeſt Deus*, &c. Abeſſe putas à te Dominum, cum dura toleras? Imo ſignum peculiaris præſentiæ Dei cenſendum eſt, quòd tu conflicteris, ubi non contriſtantur alii. Cùm, multis non dolentibus anxiaris, crede, plùs Deum adeſſe tibi, quàm illis.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. infra oct. Nat. Dom. longe ante med.

S. Thom. à Vill. no. ſer. de fœd. Princip. poſt pr.

S Gregor. Nazianz. orat. 15.

37. Ut nos doceret Filius Dei vulgi plauſum declinare : poſtquam expulit non pauca dæmonia, & plures malè habentes curavit ; cum videret circum ſe turbas multas, naviculam aſcendit, diſcipulis veſtigia ſequentibus ipſius. Tunc Matthæus narrat ſic : *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Exiſtimat Beda, ſolam iſtam naviculam tunc fluctuaſſe ; non autem alias. *Aliæ autem*, inquit, *naves, quæ fuiſſe dicuntur cum Domino, nec tamen in altum ductæ, vel aliquid tempeſtatis pertuliſſe narrantur*, &c. Aliquis putaret, conſentaneum fuiſſe, quòd non iſta navicula ſola tempeſtatem experiretur, ſed etiam reliquæ naves : hinc enim poterat erui moralis doctrina pro diſcipulis inſtruendis ad prælaturas : nam ſic inſinuaretur, eſſe rationi conforme, quòd tonante procellâ, tangat omnes illa ; non autem quidam concutiantur, & alii ſerenitate fruentes quieſcant. Myſterium proinde latet in eo, quòd navis hæc ſola quateretur undis. Ad rem noſtram cogitabam ſic. Contingere poterat, ut Salvatoris alumni, videntes illum ſomno traditum, & non ignorantes quàm ardenter diligeret ipſos, putarent (ut alibi) Redemptorem non adeſſe realiter ibi ; ſed phantaſma ſe videre ; cum non opem dormiens ferret iiſdem. Ne deciperentur ita, præbuit eis fortiſſimum ſignum ſuæ realis præſentiæ : ſcilicet quòd aliis tranquillitate potientibus, diſcipuli turbine vexarentur. Fortaſſis non multùm recedit ab iſta cogitatione Chryſoſtomus, inquiens: *Præſens quidem erat in primo periculo, ſed dormiebat, ut non longè ſalutem abeſſe crederent.* Ex D. Petro Chryſologo collige, tempeſtatem iſtam deſignaviſſe tribulationes quæ contra juſtos inſurrexerunt. *Ubi* (dixit eleganter de more ſuo S. Doctor) *Chriſtus Eccleſiæ ſuæ navim mare ſæculi transfretaturus aſcendit, gentium flabra, Judæorum turbines, perſecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ, ſic ruerunt, ut totius mundi fieret una tempeſtas. Regum ſpumabant undæ, fervebant poteſtatum fluctus, ſonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur perfidiæ notabantur ſcopuli, mugiebant littora Chriſtiana, lapſorum naufragia vexabantur, & erat totius mundi unum diſcrimen, unumque naufragium.* Hac tantî Patris luce ductus, cum dolueris, cordis tui cymbam in æquore mundi fluctibus concuti, judica, Deum tibi ſpecialiter præſentaneum ; & propterea reputa ſuavem *amaritudinem.*

Matth. 8. 24.

Bed. l. 2 in Marc. c. 4.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 2. hom. 51. in Matth. poſt princ.

Chryſol. ſer. 20.

Animæ. Adverte, ſæculi calamitates tantummodò corpus vulnerare ; ſed quia ſpiritus dum vita manet unitur corpori, propterea vulnerato corpore cruciari paſſim animam. Nequaquam dicas hoc oriri de perfecta amicitia inter ſpiritum & carnem. Amicus verus optat ut ſodalis infortunii ſui particeps non ſit. ; præſertim ſi beneficia multa ſuſcepiſſe recordatur à dilecto. Non ita ſe gerit erga ſpiritum caro, quantumvis amicabili nexu fœderata videatur ei. S. Baſilius Magnus : *Vitam*, ait, *quidem ſuſcipit corpus ab anima : recipit vero anima dolores, mœroreſque de corpore.* O contubernalem ingratiſſimum ! Numera quanta recipiat corpus ab anima. Hæc illi vitam, ſenſum & motum præſtat : hæc de conſervatione curat ejuſdem : hæc illud ad functiones honorificas aptat. Ingrata caro cruciatuum ſuorum conſortem animam eſſe cogit. Sed imputet illa ſibi fatuitatem, qua de corporis percuſſionibus nimis angitur. Nonne ſtultum foret, ſi doleres, quia flagellis feriretur paries domus tuæ ? quid eſt caro niſi luteum ædificium, intra quod latet anima ? Angelorum, licet aliorſum loquatur de Chriſto Domino, lege. *Indutus*, inquit, *pariete noſtræ mortalitatis, latuit ſubſtantia Divinitatis.* Imprudenter, & quaſi ratione careret, anima turbatur nimiùm, cùm parietes habitaculi ſui cæduntur adverſis. Quid timidè conturbaris, ô rationalis anima ? Nequaquam ictus illi te quærunt ferire, vel queunt.

38. *Afflictiones corporis animæ vanè dolet nimis.*

S. Baſil. Mag. hom. 3. in Attende tibi ante ſi.

Angelom. in ſtrom. ad Cant. c. 2.

Apud

39. Pſal. 38. 12. Apud Pſalmiſtam legitur ſic: *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus: verumtamen vanè conturbatur omnis homo.* Meditationi præmitto commentarium Euthymii. Euthym. in com. Pſal. ib. *Eſt autem*, inquit, *aranea exile animal, cui nunc animam ſuam comparat. Solet enim anima à peccatis, quodammodo craſſior reddi; & contra afflictione, & flagellis attenuari.* Multum hærebam, diſcurrens in quærendâ ſimilitudine ſpiritûs noſtri cum araneâ. Nam hæc ſimilior videri poterat carni: quia ſicut animalculum illud in opere ſatis futili totum laborat; ita caro circa res inanes fatigatur; ac velut aranearum telas aſſiduo labore texit. In quo ſimilatur araneæ nobilis anima? Vide. Opifex, ut ædificium, quod vergit in ruinam reformet, parietes inſtrumento fabrili percutit. En aranea, quæ ſub illo tecto latebat perturbatur atque fugit, quaſi mors ictibus illis intentaretur ei. Haud aliter contingit animabus quibuſdam plus æquo metuentibus. Summus Opifex utili percuſſione ferit eam domum, qua ſpiritus abſconditur, non intendens mortem animæ. Stultè conturbatur illa plurimùm, dum vulneratur utiliter corpus, Deo ſic diſponente. Commentator idem proximè citatus: Idem ib. *Salutaris eſt*, ait, *igitur caſtigatio tua. Per hominem verò ſeipſum intelligit.* Sed quantumvis hæc replicemus; tam addicta corpori vivit anima noſtra, quòd, cum non crucietur homo propriî ſpiritûs vulneribus, hoc eſt criminibus; mox atque percutitur caro, ſentit dolenter *amaritudinem animæ.*

4.0. *Frequenter unuſquiſque ſolùm de propriis malis angitur.* *Suæ.* Superfluum exiſtimabitur à nonnullis hoc pronomen; ſed fruſtraneum non eſt. Ejus occaſione valemus adnotare quàm ſint homines utplurimùm ſuî tantùm amantes; & proximos negligant. Non hoc vitium cultori virtutis eſt: ſed id in aliis nota, ſumens anſam de modo loquendi ſacri Textus. Si mortales cuncti perfectè conjungerentur Deo per amorem; ſic in eis efferveret charitas erga participes ejuſdem naturæ, quòd lugerent cum lugentibus; imo ferè perirent cum finientibus vitam: affectuosè quippe cum uno tertio, nempe Deo, per dilectionem uniti coadunarentur inter ſe aliter, ut aliorum damna reputarent propria. Cum autem pene cuncti plus diligant ſemetipſos, quàm Deum, ſecernuntur ad invicem; quia perfectus amor eos minime Domino copulat. Unde vix invenimus aliquem de proximorum anxietatibus dolentem. S. Hieronymus inquit amore flagrans: S. Hieron. to. 9. l. 3. in Epiſt. ad Galat. c. 5. *Quis cum lugentibus lugens, cum gaudentibus gaudens, alieno vulnere vulneratur? quis fratris morte perimitur? Omnes magis amatores noſtri, quam amatores Dei ſumus.* An putas, quòd, licet amoris erga Deum nexus non faciat adhærere nos proximo, quia caremus illâ dilectione; ſaltem amor humanus ad illum nos ei conſociat ſic, ut aliena mala curemus? Rarus eſt qui diligat ita: ſolùm attendims mala propria; aliorum ærumnæ minimè nobis curæ ſunt. Excipiemus ab iſta veritate pudore dignâ patrem adminus erga filium? Non deerit qui neget.

Recolamus hiſtoriam Ezechiæ regis apud vatem Evangelicum. Ægrotavit ille; ſed miſertus Dominus contulit ei ſanitatem. O mortalium ingratitudinem! Poſt hæc ipſe deliquit per ſuperbiam. Tunc Propheta denuntiavit ei venturam cladem à Babyloniis ita lamentabilem, ut ab eo progeniti ducendi forent, ut ſervirent adverſario regi. *Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Deprecatuſne fuit Ezechias Deum ne contingeret hoc? Nequaquam: imo ſic apud eumdem vatem habemus: *Et dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonum verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit: Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.* Mirum equidem eſt ita loqui regem. Nam ille priùs; cum præſtolaretur mortem, dolebat quod abſque ſobole decederet: *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.* Hugo Cardinalis ad hæc verba: *Sicut tabernaculum paſtorum complicatur & aſportatur ita quod nullum veſtigium remanet; ſic nec de me; quia nullum relinquo hæredem.* Quomodo rex idem, cum pronuntiaretur ei ſuæ ſtirpis captivitas, non doluit; nec illam ſollicitavit averti; ſed loquutus eſt, *quaſi non curans de aliis?* ut verbis utar Carthuſiani. Non ſollicitus erat ipſe de malis aliorum, quantumvis à ſe ducentium genus. Contriſtatus fuerat certè cùm obiturum ſe credebat ſine progenie: gnatorum quippe defectus damnum erat incluſum in morte propriâ, velut effectus in cauſa; propterea que de iſto cruciabatur tamquam de portione quadam infortunii ſui. Quòd autem venturis temporibus captivi fierent ab illo progeniti, rigorosè loquendo calamitas extitit, non Ezechiæ, qui mortuus erat; ſed aliorum, de quibus ipſe non curabat. Amor humanus, etſi nitatur conjunctione ſanguinis, præ dilectionis imperfectæ debilitate quaſi non reddit communia nobis quæ ſuſtinent alii; ſed unuſquiſque ſolam attendit *amaritudinem animæ ſuæ.*

41. Iſai. 39. 7. Ib. n. 8. Ibid. c. 38. 12. Hug. Card. in com. ib. Dion. Carth. com. in Iſai. 39. 8.

DELIBATIO IV.

Gratior voluptas eſt poſt mœrorem. Magna quandoque lætitia, cui mœror comes. Gaudia ne dicas noſtra; ſed triſtitiam. De ſociis felicium. Gravis injuria Salvatoris, quod habeatur ut extraneus.

42. *Jucundior eſt voluptas poſt mœrorem.* IN *gaudio.* Cum verba Salomonis litterali donarem commentario, dixi, loqui Sapientem de gaudio, quod ſubſequitur afflictionem. Quàm ſit jucunda voluptas veniens poſt anxietudinem, expendebam alibi. Nunc addere liceat Chryſologum, qui ſic habet: Chryſol. ſer. 79. ad fi. *Sicut ardorem ſitis frigida pocula reſtinguunt & refrigerant, ita mentis auditus lætior fit poſt mœrorem.* Rem tractamus & experientiâ notam, & exemplis rerum naturalium velut inſinuatam. Longè gratior oculis

eſt amœnitas florum virens pulchrè ſuper terram, quæ progerminavit eos; quàm ſi curiosè ſpargantur ſuper pavimentum ſerico tectum ornatu, vel deferantur argenteâ paropſide: nam illarum ſuavitas terræ ſuprapoſita, de ſe triſti, plus eminet, atque placet. Similiter lux meridiana cernentibus non tam hilaris eſt, ſicut matutina: quia mœſtitudo noctis, quam ſequitur iſta præbet illi decorem, quaſi donans quod non habet. Haud aliter præcedens anxietas gaudium adauget. Querimur de ſortis inconſtantia paſſim. Enimvero, ſi lentè meditati fuerimus Altiſſimi providentiam diſponentis ut nobis alternentur fortunæ vices, nunc proſperæ, nec adverſæ, mirabimur Deum necnon in ſubtractione lætitiæ noſtræ liberalem: nam hinc oritur, felicitatem, quæ mœſtitiam ſubſequitur, incrementari. Itaque minus exhilaratur homo, ſi gaudium ſuccedat unum alteri: jucundatur ampliùs cùm poſt dolorem accedit exultatio. Gratior eſt voluptas poſt mœrorem.

43. Aperuit Joſeph eductus de carcere ſomnia Pharaonis: & conſuluit, ut provideretur vir, qui venturæ fami ſervari curaret annonam. Elegit huic muneri præſtando Joſephum Ægyptius Monarcha: præfecit eum Ægypto: necnon annulo ſuo pulchrâ veſte, torque ſimul aureâ munificus inſignivit eumdem. Ipſum fecit aſcendere ſuper currum, atque vehi, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent. Putas ad iſta, Joſeph ſignum aliquod exultationis protuliſſe? Nec textus id narrat (mos autem nobis eſt, ut ſæpe notavi, Scripturam etiam tacentem audire) neque de viro prudentiſſimo credam gaviſum fuiſſe regiis donis; in quorum permanentiâ latére multum aleæ ſapienti notum eſt. Certior factus fuit Jacob pater ejus poſtea, quòd Joſeph viveret, ac dominaretur in Ægypto. Quanta venerit hilaritas cordi paterno de ſuſcepto nuntio felici Textum legenti facillimum eſt intelligere. *Quo audito Jacob, quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis.* Et infra: *Ait: Sufficit mihi ſi adhuc Joſeph filius meus vivit*: &c. Filium cum genitore compono. Parens exuberanti lætitiâ repletur, audiens narrata; genitus autem nequaquam de prædictâ felicitate ſuâ lætabundum ſe prodit. Res non difficulter patebit. Eſto quòd gaviſus fuerit Joſephus de ſupra dictâ ſorte propriâ, minus tamen gaudium expertus eſt: quia præceſſerat immediatè priùs voluptas, quam verosimiliter ille concepit, cum videret ſe de cuſtodiâ ductum ad conſpectum Pharaonis, fuiſſe conſultum ab illo. Non adeo movet ſecunda fortuna, cum prima poſt mœrorem non eſt. At verò Jacob lætatus eſt ſubſequenter ad angorem, quo de putatâ morte filii triſtabatur adhuc. Nuntiatum eſt illi, gnatum ſuperſtitem, atque potentem: quo nuntio recepto geſtierunt ejuſdem præcordia, mœſta; non aliter, quàm, ſi lucernæ quæ jamjam extinguitur infundas oleum. Ne ſimilitudinem iſtam contemnas, vel temerarius audebis adversùs aureum Doctorem, dicentem de Jacob: *Sicut ignis*, ait, *in ampulla, quando deficit olei alimonia & jam extinguitur, ſi parum quis olei infuderit, repente quod extingui putabatur, & clariorem emittit lucem: ita & ſenex ille præ triſtitia jam extingui videbatur.* Cum uni gaudio præmittitur aliud, ſæpe minùs exultat homo, plùs autem hilareſcit afflictione præcedente.

Genes. 45. 26. 28.

S. Ioann. Chryſoſt. hom. 65. in Geneſ. poſt princ.

44. *Magna lætitia, cui mœror comes eam non extinguit.*

Quæſtionem breviter ſolvendam nunc inſtituo. Quodnam credendum gaudium dulcius: an illud, quod anteceſſit preſſura? vel id quod juſtis cùm tribulantur ſimul adeſt? Noſti, viros pios in adverſitatis fluctibus colluctantes, non modicam ſuavitatem experiri. De hoc aliis in locis dixiſſe me quædam, ſatis memini. Do tibi modò S. Odonem; cujus hæc ſunt verba: *Non triſtandum quidem, ſed potius gaudendum eſt, ſi quolibet modo affligamur*, &c. Necnon juſtis multoties advenit poſt nubila ſerenitas, eorum animas lætificans. Quæritur, utrum ampliùs lætetur probus gaudio ſubſequente dolorem; an voluptate, quam nectit anxietudini? Solvo dubium, pro ſecunda parte, nixus hac ratione. Si præcedens triſtitia fugit propter gaudium ſequens; iſtud fuit aſſecutum facilè victoriam; utpote contra fugientem. At cùm perſiſtunt in eodem corde jucunditas & angor; illa cum iſto certamen aggreditur: prælium durat, nec voluptas vincitur: unde major eſſe comprobatur, cum reſiſtat contrario. Vel hæc mens Chryſoſtomo; vel S. Doctor non longè nimis incedit, cùm ait: *Multis autem incumbentibus, quæ in triſtitiam impellant, omnibus eſſe ſuperiorem, & in mediis triſtibus lætari, hoc eſt admirabile.* Conſonat Iſaac Monachus inquiens: *Igitur à difficilibus tribulationibus contingentibus tibi ex diſpenſatione divina, comprehendis quantam conſolationem recepit anima tua de magnitudine ejus. Nam ſecundùm triſtitiam & conſolatio.* Statuamus uberiorem eſſe lætitiam, cui comes annectitur anxietas; illam verò minorem, quæ poſt adverſa contigit.

S. Odo Abb. Clun. ſer. 4. de combuſt. eccle. longe ante fi.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 5. hom. 18. ad Pop.

Iſaac Monach. l. de contempt. mundi longè poſt med.

45. Ignorare fateor, an aliquando Dei Filius in terris fuerit lætatus ita, quòd in ejus carnem ſanctiſſimam exuberaverit lætitia ſpiritus; præterquamquòd poſt reverſionem ſeptuaginta duo diſcipulorum ab Evangelicâ miſſione. *In ipſa hora* (ſcribit S. Lucas) *exultavit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Non legimus, exultaſſe Dominum, cùm ſurrexit è tumulo victor mortis; neque ſimiliter cum triumphator aſcendit in thronum. An Chriſto non erat ineffabilis cauſa gaudendi, tum cùm redibat victâ morte rurſus ad ſuos; tum cum tranſibat tandem ad Patrem? Supervacaneum cenſeo numerare motiva lætandi quæ patent in utroque die. Solùm juvat inveſtigare, cur extitit adeo magna lætitia Salvatoris, de qua cit atus Lucas, ut ab ejus anima redundaverit extra? Dicam reſurgens à ſepulchro,

Luc. 10. 21.

chro, conſcendenſque cœlum, lætatus eſt equidem, præcedentibus acerbiſſimis doloribus paſſionis. Non diffiteor gaudium iſtud magnum, quod tormenta præceſſerunt. Attamen illud quod Evangeliſta ſupra ſcribit, fortè majus extitit; quia ſimul cum dolore conceptum eſt; & reſtitit eidem. Dolebat, inquam, de contumacia non credentium; dum gaudebat pro parvulorum illuminatione, qui ſuſcepere fidem. Opportunè Chryſoſtomus: *Quod ab illis occulta ſunt, non gaudere, ſed lacrymarum fontes emittere digniſſimum: quod profectò facit lacrymans atque commiſerans civitates. Non ergo, quia ſapientes non cognoverunt, gaudet: ſed quia parvuli perceperunt, lætatur.* Tunc igitur, quoniam in Redemptoris pectore fuerunt ſimul anxietas & voluptas, gaudium fuiſſe videtur amplius in illius anima ſanctiſſima; necnon eapropter ad corpus exundaſſe. Non ſemel ſuperexcellit ea jucunditas, cui dolor ſodalis: non enim loquor de mundanis lætitiis, quas vel parvus angor perturbat, & minuit; ſed nobis eſt ſermo de gaudiis altioris notæ, qualia juſtus experitur (procedo modò conformiter ad quintam expoſitionem noſtri dogmatis, quam in commentario dimiſi) cum in mœroribus poſitus vitam agit ſimul *in gaudio.*

S. Ioann. Chryſoſt. to. 2. hom. 39. in Matth. non parum à pr.

46. *Ejus.* Genitivus caſus poſſeſſionem denotat. Sed notandum eſt, non ideo cuncta gaudia ſic ſe habere, quòd verè noſtra ſint: etiam frequenter aliena poſſidentur. In vita mortali multoties lætitia nobis aliena judicanda prudenter eſt; lucem præſtante pronuntiato Caſſiodori, licet aliorſum loquentis ita: *Nec dici poteſt proprium quod liberare Dominum non videtur* &c. Hinc deduco, gaudia multa, ſi moraliter, & rigoroſè loquamur, non eſſe dicenda propria noſtrûm; cum nos à venturis malis efficere nequeant immunes. Econtrariò mœror ille ſalutaris, qui vocatur ſecundùm Deum, noſter eſt; quoniam valde proficit, ut à damnis quibuſdam eruantur homines; ab aliis præſerventur. Per hujuſmodi triſtitiam conciliatur dolor peccata pellens: oblivio cœleſtis patriæ tollitur: defectus compaſſionis erga proximum impeditur; & levitas animi, cor diſſolutum efficiens, propulſatur. Proficuus eſt hîc Fr. David de Auguſta, dicens: *Affectus triſtitiæ datus eſt homini, ut doleat de peccatis ſuis, & alienis, ut mœrens ſit de dilatione patriæ, timeat ſupplicia inferni, doleat de imperfectione ſua, compatiatur alienæ afflictioni, & per maturitatem utilis luctus excludat levitatem vanæ lætitiæ, quæ eſt nutrix diſſolutionis.* Cum poſſimus ad tot effectus nobis profuturos uti ſalubri triſtitiâ, domini ſumus ejus: nam dominium eſt utendi, fruendique libera poteſtas. Cum verò liberum non ſit hominibus gaudio frui quoad velint, & eo dum placuerit uti; nequaquam huic ſtrictè dominamur. Gaudia mortalis vitæ ne tu noſtra dicas; triſtitiam verò maximè.

Caſſiod. l. 7. var. c. 47.

Fr. David de Auguſ. in formul. novit. c. 27.

47. Diſceſſurus ab Apoſtolis per viam regiam crucis Redemptor dixerat eis, fore ut poſt modicum non fruerentur ejus gratiſſimâ præſentiâ; ſed rurſum brevi reſtituendum eiſdem ſuorum lumen oculorum. Tunc ſubdidit: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Nota, quod hîc diſcipulorum contriſtationem futuram vocat Apoſtolorum triſtitiam: *Triſtitia veſtra* &c. Non ſic autem gaudium appellat venturum eorumdem; ſed abſolutè, *Gaudium.* Aliter loquitur ſtatim Salvator, inquiens: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Styli diſparitatem cernis: rationem hujus veſtigare non pigeat. Secundo loco dixit: *Gaudium veſtrum*; primo non ita, ſed pronuntiavit, *Gaudium*; quin adderet, *Veſtrum.* Quare? Quia Chriſtus Dominus agebat prioribus verbis de gaudio diſcipulorum, quod in reſurrectione Magiſtri, vel in ejuſdem aſcenſione fuerunt adepti, commutatâ mœſtitiâ quæ præceſſerat, in feſtivam jucunditatem. Hugo Cardinalis: *In reſurrectione quando eum videbitis, vel in aſcenſione.* Cum ibi ſermo fuerit de rebus Apoſtolis in vita mortali venturis; triſtitiam diſcipulorum quidem nominavit Filius Dei ſuam ipſorum; gaudium non ita: quinimo velut inſinuans eis alienum, dixit: *Gaudium*; quin adderet, *Veſtrum.* At poſterioribus dictis Præceptor divinus locutus eſt de gaudio cœleſtis patriæ juxta quamdam expoſitionem D. Thomæ, dicentis: *Vel* gaudium veſtrum *de gloriæ fruitione* nemo tollet à vobis *cum ſit inamiſſibile & perpetuum.* Non tantùm credas, aliena poſſidentibus eſſe gaudia vituperabilia. Necnon & licita ne computes ut noſtra; quamvis aliud ſonet humanus modus loquendi, cum parœmia præſens conformatur, cum ait: *In gaudio ejus.*

Ioann. 16. 20.

Ib. n. 22.

Hug Card. in Joann. 16. 20.

S. Thom. ib. ad n. 22.

48. *Non miſcebitur.* Loquar iterum juxta quintam illam interpretationem, quam Salazar obtulit; quamvis illa mihi non fuerit accepta, cùm litteram aperirem. Sumamus, inquam, verba Salomonis de gaudio, quod ſociatur ipſi tribulationi juſtorum. Huic arcanæ voluptati *non miſcebitur extraneus*: ille ſcilicet qui neſcit gaudium tribulationis, quod prædixi. Quantumvis huic millies aſſeverem, perfectos viros in afflictione gaudere non cupiet hujuſmodi jucunditatis participem fieri. Vellet ſanè conſors exultationis ejus eſſe, quæ poſt mœrorem venit, alternante fortunâ vices. O quantus numerus adeſt ſodalium, cum proſpera ſuccedunt! quàm pauci comitantur adverſis oppreſſum! Sæpe deploravimus illam perfidam ſodalitatem; & hanc infelici tempore ſolitudinem; ſed non adhuc ſatis. Accipe nunc S. Aëlredum: *Amici divitis*, ait, *multi. Sed utrum verè amici ſint, interveniens paupertas explorat.... Multa ſunt alia, quibus fides probatur amici, quamvis in ſiniſtris maximè.* Amicitiæ bonum ex illis eſt, quæ longius poſita fortè meliùs examinantur, quàm de prope. Fortunatus adhærentes lateri cernit plurimos, & fallitur, cum ideo cenſet amicos veraciter, quia non audent abeſſe. Sunt innumeri, qui tempore calamitatis nec in minimo ferunt

Multo cum labore ſociatur homo fortunatis; eiſdem verò dum erant infelices nec facilè præſtabant operam.

S. Aëlred. l. 3. de amicit. ante med.

opem ſuſtinenti mala. Dato quòd hic emergat ex infortuniorum fluctibus ad proſperitatis auram, eoſdem reperies comites ipſorum, quos antea neglexerunt. Multo cum labore conſociantur homines exultanti; dum verò cruciabatur miſerè, nullus erat, qui pro levandis ærumnis levem ſaltem præſtaret operam.

49. Tandem coactus Pharao dimiſit Hebræorum populum. Profecti ſunt: & Moyſe narrante ſcimus, Ægyptios permultos viam cepiſſe cum Iſraël. *Sed &* Exod.12.38. *vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis*, &c. Quò tendunt Ægyptii? quid illis cum populo Dei? Dicet aliquis, eos hoc iter propterea ſuſcepiſſe, quia converſi fuerant ad Judaiſmum; ſed hoc eſt incertum; ſicut ex modo loquendi Cornelii deducitur: qui ſic habent: Alap ib. *Quibus acceſſit Ægyptiorum vulgus innumerabile, qui Judæis adhærentes, vel ad Judaiſmum converſi comitari voluerunt*; &c. Cum non detur fundamentum ſufficiens, ut converſionem illam tamquam certam pronuntiemus; aliâ viâ tendendum nobis eſt. Memini, Judæos odio habitos ab Ægyptiis. Rex opprimebat eoſdem oneribus: & urgebat ampliùs, cum juſſit, ut & igni materiam colligerent exeuntes; & operis menſuram ſolitam complerent ſicut antea, cùm ſubminiſtrabantur eis paleæ pro flammis nutriendis ad fabricam laterum. Non lego, quòd Ægyptius aliquis vel per duplicem adjuvaret ipſos in opere lateritio; ne temporis defectum paterentur adeo, proptereaque vexarentur duriùs. Et poſtea tantam habuerunt in comitatu multitudinem; quantumlibet laborioſum eſſet viam carpere? Aperta diverſitas eſt utrumque tempus expendenti. Priùs adverſitate Judæi jactabantur: & quamvis non foret nimis difficile, quòd eorumdem Ægyptiorum aliquis adminus per horam laboraret cum illis in opificio ſervili; neminem ipſorum habuere ſodalem. Sed cùm denique felices emerſerunt ab ærumna, tunc numerari non poterat ſociorum turba; labori maximo non parcens, dum adjungeretur fortunatis. Hæc eſt ferè ſemper mortalium conditio: ſcilicet libenter adjungi felicibus, etſi cum laboris magni diſpendio; miſeris autem non adeſſe per adjutorium, quamvis facile. Voluptati, quam ipſe poſtea colliget ex infortunio priſtino, communicabit ſponte factus illi ſocius; ei verò gaudio, quod tribulatione durante juſtus ex patiendo recipit, non *miſcebitur*.

50. *Extraneus.* Hugo Cardinalis exponit: Hug. Card. in Prover.14. 10. *Id eſt reprobus: qui propria ſponte cœcatus non videt quod in præſenti patitur: & quod in futuro ſit paſſurus non prævidet.* Ignorantias iſtas reproborum non miror, cum cœcos agnoſcam. Illud me nunc movet, quòd reprobi dicantur extranei. Nonne cuncti ſumus exules? Ita quidem. Nihilominus mali non eodem pacto, quo juſti, peregrini ſunt; ſed nimis diverſo. S. Auguſtinus: S. Aug. to. 8. in expoſ. Pſal. 38. *Multi enim*, ait, *peregrini ſunt cum diabolo: qui autem jam crediderunt & fideles ſunt, peregrini ſunt, quia nondum ad illam patriam domumque venerunt, ſed tamen apud* Deum ſunt. Hîc expendam extraneitatem (liceat ita loqui) activam: ſcilicet auſteritatem aſperam, qua mali ſemetipſos à Deo ſegregant; & quantumlibet ab illo benignè tractentur, cum eo ſe gerunt quaſi cum extraneo. Dei Filius per incarnationem factus eſt eorum frater; ſed ipſi velut peregrinum habent; ut extraneum non diligunt. Peculiaris eſt hæc injuria, Domini, quia lædit ſpecialiter amorem. Offenſum judica peculiariſſimè Salvatorem per hoc, quòd ab hominibus tractetur ut extraneus.

Peculiaris injuria Salvatoris eſt quòd ab hominibus habeatur ut extraneus.

Redemptor noſter loquens anticipatè per Davidem queſtus eſt, quòd opprobriis oneraretur à Judæis: 51. Pſal.68.10. *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.* Expoſuit Cardinalis Bellarminus, inquiens: Card. Bellar. in com. ib. *Cum blaſphemabant, eique conviciabantur, dicentes:* Dæmonium habes, Samaritanus es; &, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia; &, ſcimus quia hic homo peccator eſt, *Joannis 9. & ideo ſubjungit in Pſalmo*: Opprobria exprobrantium tibi &c. Verumtamen nullum ex opprobriis illatis Chriſto Domino legimus expreſſum apud Pſalmiſtam ſingulariter; cum diſertis verbis exprimatur à Domino per eumdem vatem querela propterea quòd factus fuerit extraneus propriis fratribus. *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Eod. Pſal. n. 9. Commentatur S. Auguſtinus: *Filiis ſynagogæ hoſpes factus eſt. In patria quidem ipſius dicebatur*: Nonne nos ſcimus eum eſſe filium Mariæ & Joſeph? *Et unde alio loco*: Hunc autem neſcimus unde ſit. *Factus ſum ergo hoſpes filiis matris meæ. Non ſcierunt unde ſim, de quibus erat caro mea.* Quid, quæſo, reperiebatur multum offenſionis in eo, quòd Filius Dei, valde per ſanctitatem diviſus ab improbis illis, reputaretur apud eos tamquam extraneus? Hujus injuriæ mentio ſpecialis fit? non autem ex prædictis opprobriis aliquod notatur peculiari querimoniâ? Meritò quidem: nam quòd homines in Creatorem fuerint auſi ſupra dicta conviciari, majeſtatem ejus lædebat: minus offenſum per hoc exhibuit ſe Chriſtus Dominus ore Davidis; cum non expreſſerit quænam fuerint hæc opprobria. Per eumdem vatem inſinuavit, ſe plùs dolere, quòd extraneus habitus fuerit ab iis, quorum germanus dici voluit: & propterea verbis expreſſis propoſuit ſermone Davidis hanc offenſionem: *Extraneus factus ſum fratribus meis*, quia ſic immediatè percutiebatur ipſius tenera dilectio. Quiſque fidelis animadvertat, Verbum Patris, cùm noſtram aſſumpſit mortalitatem, non ſolius Iſraëlitici populi, ſed omnium noſtrûm fratrem fieri dignatum eſſe; ne per ſcelus ita ſe gerat, quaſi foret *extraneus*.

FLOS XXIV.

Eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.

APERITUR.

1. Janſen. Rodolph. ac Salaz. in Prov. 14. 12.

EXPOSITIO prima ſit, quam tradit Janſenius, & non improbant Rodolphus ac Salazar: juxta quam accipitur parabola de illis, qui errant contra fidem. Non eſt improbabilis hic ſenſus: quia ſcelerum aliorum via nemini utenti ratione videtur juſta: qui verò fide carent putant culpabiliter ſe rectè procedere. Nihilominus prædictam interpretationem rejicio: quia, ſi mens foret Salomoni de rebus fidei loqui, credo, non uſurum verbis adeo mitibus: præſertim quoniam hæreticæ doctrinæ non ſolum viæ ſunt ad mortem; ſed etiam inferni portæ. Zacharias Epiſcopus forſan ex Beda: *Peccata & doctrinæ hæreticorum ſunt portæ inferi.* Proinde cenſeo, limitandam non eſſe hanc ſententiam ad errantes in materia fidei.

Zachar. Epiſc. l. 3. in un. ex 4. c. 40.

2. Hugo Card. Alap. & Salaz. in Prov. 14. 12.

Secundam expoſitionem affert Cornelius Alapide poſt Hugonem Cardinalem: nec diſplicet Salazari. Via flagitiorum, quamvis tendat in exitium, videtur bona illis, qui nimis afficiuntur in delicta. Rejicitur: eoquòd rarò contingit ut peccator exiſtimet, ſe cum peccat gradi recto calle. Ac, licet plurimi peccent ex ignorantia culpabili, reputatur hæc tamquam ſcientia. Clemens Romanus: *Is ergo qui ſcire noluit, quomodo poſſit venire ad vitam, ſed maluit ignorare, ne per hoc reus fieri videretur: ex hoc ipſo jam, quaſi qui ſcierit, & habuerit ſcientiam, judicatur.*

Clem. Rom. l. 5 recogn. ante med.

Rodolph. in Prov. 14 12. Ianſen. ib.

Tertiam dedit acceptionem Rodolphus; cui favet Janſenius. Eſt hujuſmodi. Qui proſperè agit in hac vita, & ideo putat, ſe placere Deo, ſibique tamquam juſto felicitatem donari cœlitus; in fine reperiet oppoſitum. Probabilis eſt hic exponendi modus.

3.

Sed probabiliùs valet ſecundùm rigorem litteræ ſententia Salomonis. q. d. Sunt vitia quædam ſpeciem virtutum præ ſe ferentia: quibus facilè decipitur qui ſectatur ea; cum tamen verè ducant ad mortem ſpiritualem. Alio jam loco notavi non parum nocivam vulgò ſolitam nominum tranſmutationem ſatis impropriam. Piaculum virtutis appellatione tegitur; virtus vocabulo criminis fœdatur. S. Iſidorus Peluſiota: *Valde*, inquit, *equidem eos admiror, qui & res & nomina confundunt. Eò enim ſcientiæ ventum eſt, ut dicendi libertatem imprudentiam nominent; & contra impudentiam loquendi vocent libertatem*, &c. Hac viâ plurimi falluntur, putantes optimam; cum ſit iniqua. Alius eſt deceptionis modus: qui poteſt etiam aptari doctrinæ, quam tradit Eccleſiaſtes in præſenti. Sæpius contingit, ut peccata ſubrepant, &, ut ita dicam, furtivè ſe nobis ingerant: quo fit, ut cum veram virtutem amplectimur, delictum adjungamus; velut ille, qui manducat pomum cum verme, quem neglexit excutere. Facit huc S. Joannes Climacus: *Cum manſuetudine*, ait, *miſcetur fallacia & ignavia, & tarditas, & contradictio, & proprius vivendi ut velis ſenſus & inobedientia; cum ſilentio magiſterii ſupercilium & faſtus, cum gaudio elatio animi, cum ſpe pigritia; cum charitate rurſum temerarium judicium, cum quiete deſidia & quidam animi torpor, cum caſtitate amaritudo, cum humilitate nimia confidentia*, &c?

S. Ioann. Clim. in ſcal. gr. 26.

Eſt via. Mirum eſt, quòd tam proclive ſit multis judicare bonam ſemitam, quæ potius eſt peſſima; cum via dextra plurimùm differat à ſiniſtra. Hæc floribus tegitur ſtratis; illa ſpinis: hæc tortuoſa nimis: illa verò recta: hæc in latitudinem diſtenditur; illa coarctatur anguſtè. S. Fulgentius: *Cæterum*, inquit, *fruſtra ſeipſum ſeducit quiſquis per latam & ſpatioſam viam ſe perventurum arbitratur ad vitam: cum Dominus per arctam viam nos jubeat ambulare, atque anguſtæ portæ nobis demonſtret introitum, per quem venitur ad regnum.* Igitur admiranti quaſi ſtupidum errorem iſtum, quo cenſetur bona via, cum ſit mala, mihi reſpondebis, non eſſe cur mirer cœcum errare ſic miſerè. Sed reponam: Et cur audet judicare cœcus in re, quæ non difficulter deceptioni patet? Oportuit ſequi ductorem; non autem ferri judicio ſuo.

4.

S. Fulgent. l. 2. de remiſſ. peccat. c. 4. poſt princ.

Quæ videtur. Memento voluntarium peccantibus errorem iſtum; non autem exiſtimationem inculpabilem. Fruere S. Odone: qui ad illud Job. 34. *Et omnes vias ejus intelligere noluerint*: ſic habet: *Non enim infirmitate non intelligunt, ſed* intelligere noluerunt, *quia ſæpe quæ facere deſpiciunt, etiam ſcire contemnunt.*

5.

S Od. Abb. Clun. l. 22 in Iob.

Homini. Aptè Parœmiaſtes utitur hîc nomine hominis, cum loquitur de itinere: nam iter facit quicumque vivit: non ſicut viam corporalis ambulationis carpentes; qui ſaltem quandiu ſe tradunt ſomno, quieſcunt: vitæ curſus quietem neſcit; ſedens, imo dormiens ambulas. Joannes Campanus: *Ut rectè diffiniſſe videatur ſapiens ille, qui interrogatus quid eſſet homo, reſpondit eſſe viatorem aſſiduè tranſeuntem, qui magno ſudore, crebro anhelitu, citato gradu, nulla interpoſita quiete, curſu quanto poſſet majore, ad mortem die, ad mortem nocte contenderet.* Præterea nota, non eſſe improbabile, poſſe necnon ſumi vocem illam *Homini*, pro alio, qui videt malè operantem ſub colore virtutis. Favere videntur Chaldaïca lectio: *Eſt via quam putant filii hominis eſſe rectam*, &c.

Ioann. Campan. or. cinер. poſt med.

Lect. Chaldai. Prov. 14. 12.

Juſta. Dicet aliquis: Ad quem finem malus attendit, cum piacula ſua credit virtutes; & iſtarum nominibus honorat illa? nonne vitia diligit; & execratur opera bona? cur inviſæ titulo virtutis donat iniquitatem dilectam? Reſpondeo, coactum improbum agnoſcere, virtutem

6.

eſſe

eſſe veneratione dignam; & propterea ſub ejus quæſito prætextu condecorare velle ſcelera propria. Tempeſtivè Fr. David de Auguſta: *Quia virtus tam nobilis eſt, & venerabilis omnibus, & præ omnibus, quod etiam vitioſi eam ſuper omnia venerentur, ideo & vitia quandoque ſe virtutes eſſe mentiuntur, & velamen virtutis aſſumunt, ut aut ſecuriùs diſſimulentur, & non arguantur, aut etiam laudem virtutis aſſequantur.* Furtivum eſt hoc totum; ſed novum non appellabis, quòd bella gerentes dent operam hoſtili rapinæ. Virtus & vitium ſunt inimica: quapropter hoc ſuffuratur illius nomen atque præconium.

Fr David de Aug in form. novit c. 22. juxta med.

7. *Noviſſima autem ejus.* Notat Salazar, expendens litteram hebræam, quæ habet apud Rodolphum: *Et noviſſima ejus eſt viæ mortis.* Notat, inquam, ſic: *Id eſt fines illius multas ad interitum vias ſternunt.* Si terminum poſtremum attendas, unam eſſe dices malorum viam: ſi verò media numeres ad eundem exitum ducentia, plura quidem invenies. Lactantius Firmianus: *Hujus*, inquit, *dux prævaricator, ac ſubdolus, ut videatur eſſe diſcrimen aliquod falſi, & veri, mali, ac boni, alia ducit luxurioſos, alia eos, qui frugi appellantur, alia imperitos, alia doctos, alia inertes, alia ſtrenuos, alia ſtultos, alia philoſophos, & eos quidem non uno tramite.... Sed tamen illa omnia itinera, quæ ſpeciem bonorum oſtentant, non ſunt aliæ viæ, ſed diverticula, & ſemitæ, quæ videntur quidem ab illo communi dextroverſùm ſeparari, ad eamdem tamen, & ad unum omnes exitum ſub ipſo fine referuntur.*

Salaz in Prov. 14. 12.

Lact Heb. apud Rodolph.

Lactant Firmian. l. 6. inſtit. divin. c. 17. poſt med.

8. *Deducunt.* Cum verum ſit quòd trahit ſua quemque voluptas; non dixit hoc loco Salomon, Trahunt; ſed ait: *Deducunt*: fortaſſis, ut inſinuaret, multùm voluntariam extare deceptionem; de qua loquitur in iſta parabola Sapiens. Nihilominus verè dici poteſt, trahi hominem ad exitium etiam cum deceptoriè tendit ad illud. Clemens Alexandrinus: *Cum ſit ergo duplex vitii genus, unum quidem, quod cum fraude & clanculum, alterum autem quod cum vi fert & trahit*, &c.

Clem. Alex. l. 2. ſtrom. longe poſt princ.

Ad mortem. Intellige de morte damnationis perpetuæ, quæ vocatur in ſacra Pagina, ſecunda mors. Hoc non tollit, etiam peccatum dicendum eſſe mortem. Ansbertus ad illud Apocalypſis. *Non lædetur à morte ſecunda.* ſic habet: *Mors itaque primogenita, quæ lædit, peccatum eſt. Huic autem nulla alia quæ lædere poſſit, niſi æterna damnatio, ſuccedit. Prætermiſſa ergo media, quæ non lædit, illa debuit vocari ſecunda, quæ poſt peccatum lædit.*

Ansbert. l. 2. in Apoc. ad c. 2. 11.

DELIBATIO I.

Avari & prodigi viam liberalitatis falsò tenere ſe putant.

9. *Quantùm Deo diſpliceat prodigalitas pallio tectæ virtutis.*

INter virtutes, quæ circa rem creatam verſantur immediatè, vix eſt ulla, quæ magis arrideat ſpectatoribus, quàm liberalitas. Non credam, cunctos ad illam affici præ virtutis dilectione: vereor ne lucri causâ laudatores nanciſcatur multos de turba. Cum autem imperfecta corda bonum opus ex eo diligant, quia placet hominibus, ea propter nullum invenies de poſſeſſoribus temporalium bonorum, qui non liberalem ſe putet, ac vitare curet oppoſitum vitium; non advertens, iſtud eſſe duplex, cum eâ virtute pugnans. Quidam fugere peroptantes inſanam prodigalitatem, declinant in ſordidam avaritiam: Alii cupientes evadere ſordes tenacitatis, deviant ad ſumptus prodigos. Utrumque vitioſum exiſtere noſti; ſed audi S. Ambroſium. *Se immerſit*, inquit, *avaritia, veluti quædam bonorum ariditas officiorum: ut homines damnum putent quidquid præter morem impenditur. Sed etiam in hoc adverſus avaritiam, ne quod afferre poſſit impedimentum, proſpexit Scriptura venerabilis, dicens*: Quia melior eſt hoſpitalitas cum oleribus. *Et infra*: Melior eſt panis in ſuavitate cum pace. *Non enim prodigos nos docet eſſe Scriptura, ſed liberales. Largitatis enim duo ſunt genera; unum liberalitatis, alterum prodigæ effuſionis.* Tam avari, quàm prodigi delinquere ſolent ſub prætextu virtutis: & eſt ſua quibuſque *via, quæ videtur homini juſta*: &c. Prætendit avarus temperantiam; prodigus magnificentiam: ſed à liberalitate, quæ medium tenet, exerrat uterque. Priùs mederi prodigis curemus: nam periculi plus ineſt crimini, quod apud vulgum titulo donatur magnitudinis; eo quòd vel animo viles, profundendo poſſeſſa, credantur bellè Cæſarem illum imitari, de quo Seresberienſis ait: *Captus eſt tamen Cæſar virtutis imagine, eo quod profuſione pecuniæ, & conviſcerationibus, & latronum, & hiſtrionum ſtipatu, magnificus vulgari videbatur.* Agnoſco, nec ſemper prodigos velamento virtutis iniquitatem operire: tantummodò vellem oſtendere quantùm Deo diſpliceat prodigalitas cùm latet, ſeu deliteſcere putat ſub virtuoſo pallio: provocat ſupplicium Dei hæc hypocriſis.

S. Ambroſ. to. 4. l. 2. de offi. c. 21.

Seresber. l. de nug. c. 7.

10. Sub parabola genitoris filium de perditis moribus ad meliorem frugem converſum recipientis, voluit Magiſter divinus proponere gaudium cœlo veniens à converſione peccatoris. Itaque veſanus adoleſcens, egeſtatis pondere levitatem ſuam corrigens, poſt diſſipatam ſubſtantiam venit ſupplex ad parentem; ſed pater nec verbum protulit, quo ſumptus reprehenderet inſanos. Legamus nunc Ezechielem: per quem denuntiatur Synagogæ, ſub nomine Jeruſalem, grave ſupplicium: *Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium ſanguinem: & dabo te in ſanguinem furoris & zeli.* Quare ſic? Lege quæ præcedunt: *Quia effuſum eſt æs tuum*, &c. Commentatur Cornelius Alapide: *Id eſt, pecuniam tuam prodigè effudiſti in amatores tuos, & idola tua.* Necnon ante dictum fuerat de Synagoga: *Dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis*, &c. ubi Cornelius idem: *Mercede provocaſti amaſios tuos, uti fecit Achaz mittens Regi Aſſyriorum multa auri talenta, cum ejus idola in templum induxit 4. Reg. 16.* Punitionem tam acerbam

Ezechie. 16. 38.

Ib. n. 36.

Corn. Alap. in com. ib.

Ezechie. 16. 33.

Idem Alap. ib.

ſynagogæ

ſynagogæ provocavit illa per ſumptus iniquòs ? & Altiſſimus (qui deſignatur in parabola per genitorem) nec unico verbo corripuit juniorem gnatum , quoniam ſubſtantiam ſceleratè conſumpſerat ? Sanè, licet per adoleſcentiorem filium Gentilicus populus accipi ſoleat ; non incongruè tamen ſumi poteſt pro Judaïca plebe , vel ſumpta ſeorſum (pro Judæis tamen , qui fuere converſi) vel de iiſdem ſimul cum Gentilibus , qui fidem ſuſceperunt. Judica tu , lector , quænam ex iſtis fuerit mens incerto Authori , qui fertur ſub nomine Chryſoſtomi ; & ait : *Conſequenter annectit parabolam de duobus filiis : comparationem , ut mihi videtur , faciens non de Judæis tranſgreſſoribus , neque Gentibus perditis , ſed populi ejus , qui per pœnitentiam ſaluti redditur. Quem juniorem filium nominat , hoc eſt , iis juniorem , qui ab ævo ſuperiori uſque ad Salvatoris humanum adventum ſecundùm juſtitiam legis viventes , juſti videbantur.* Reſtat ſolvere quæſtiunculam ſupra poſitam. Quomodo tam rigidè plectenda Synagoga prædicitur ob ſumptus nimios ? prodigus autem à patre , qui Deum ſignificat , non increpatur propter facultatum diſperſionem ? Dicam. Filius ille prodigalitati ſuæ nullam ſuperinduit virtutis hypocriſim : quis enim eſſet adeo fatuus , ut virtuoſum diceret donare meritricibus ? Diſſimulavit ejuſmodi prodigam effuſionem. At verò ſumptus illi , de quibus apud Ezechielem , honorificati fuerunt pulchro nomine liberalitatis , ut ea , quæ diximus , conſideranti patebit. Scelus ita contectum audaciter virtutis vocabulo promerebatur acerrimè puniri. Vix Deus videtur pati , quòd perfectio tam ipſius propria (liberalitas , inquam) quadamtenus dehoneſtetur ab illo , qui prodigus eſt , & virtuoſo pallio largitatis exornans delictum , ſic oſtentat ſe liberalem.

Incert ſub nom. Chryſoſt. to. 2. hom. 4. in Luc.

II. *Aliquando facilius de concordia naſcitur peccatum, quàm de diſſidio.*

Aliud eſt genus hypocriſis , & nimis execrandum : familiare multum iis , qui theſauros conviviis , atque feſtivis oſtentationibus abliguriunt : dicentes , ita conſervari cum proximis concordiam. Quaſi bellum indicunt iſti miſeris genitis ; diſpertientes hoſtiliter ea , quæ futura gnatis erant matrimonia ; quo ſic pacem cum extraneis ineant , & ſervent. Amabilis de ſe pax eſt ; ſed quædam odio reperitur habenda , quia Dominus illam odit. Optimè Bleſenſis : *Eſt tamen pax , quæ nec eſt meritum , nec præmium : pax , quam Dominus odit : pax ſcilicet terrenæ voluptatis : de qua Dominus dicit* : Non veni pacem mittere in terram , ſed gladium. *Pax enim quæ in deliciis carnis exercetur , peſſima eſt* : &c. Vix invenitur aliquid pertinens ad animæ bonum , quòd nequitia non adulteret : peccatum quippe ſuis finibus conſiſtere neſciens tranſit ad virtutum caſtra ; ferèque demolitur cuncta. Concordia certè ſalutare quid eſt ; ſed ea , quæ conciliatur epularum , ſimiliumque ſumptuum auxilio , non ſemel delicta progerminat. Offenſio Dei nonnunquam timenda plùs ubi deliciis vacantes menſarum concordant homines , quàm ſi diſcordarent animis. Facilius , inquam , naſcitur quandoque majeſtatis divinæ læſio de pace prædictâ , quàm de mutuâ diſcordiâ.

Petr. Bleſ. ſer. 48. in feſt. omnium S S.

Polluerat inceſtuosè Thamarem Amnon. Ægrè tulit hoc Abſalomus , & propterea fratrem oderat. Occaſione quadam ſumptâ rogavit parentem Abſalom , ut ſecum ire permitteret Amnonem. David primùm repulit ſupplicationem ejuſmodi ; ſed tandem acquievit illi. *Dixitque ad eum rex : Non eſt neceſſe ut vadat tecum. Coegit itaque Abſalom eum , & dimiſit cum eo Amnon* &c. Sanctius ibi : *Pater* , inquit , *cum aliquid ex convivio adverſum præſagiret principio , tandem permiſit , ut alii cum Amnone ex genere regio genialibus epulis accumberent* , &c. Ecce tandem prudentiſſimus David permiſit ut iret Amnon cum Abſalomo , vel pellens timorem , vel jam propè nihîl timens malum , quod oriri valebat ex diſcordia duorum fratrum , quam David uequaquam videtur ignoraſſe. Sollicitiorem notabis fuiſſe Job circa ſuos genitos : utpote de quo legitur , ſacrificia pro ſingulis obtuliſſe. *Cumque in orbem tranſiſſent dies convivii , mittebat ad eos Job , & ſanctificabat illos , conſurgenſque diliculo offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim : Ne fortè peccaverint filii mei* , &c. Adeo pavet Jobus , ne geniti deliquiſſent ? David autem non ita de Abſalom ? Meritò quidem ampliùs metuenda fuerat offenſa Domini de concordia filiorum Job , quàm à diſſidio , quod verſabatur inter Abſalom , & Amnonem : quia Jobi gnatis pax erat inter epulas ; quam ſequi delicta non eſt infrequens. S. Odo Abbas : *Vir quippe ſanctus noverat , quia celebrari convivia ſine culpa vix poſſent. Nam dum corpus in refectionis delectatione reſolvitur , cor ad inane gaudium relaxatur.* Ecce quàm periculoſa cenſenda ſit amicitia quorumdam voluptatibus conſervata. Non mediocres aliqui ſumptus faciunt , optantes menſarum luxu , ſimilive deliciarum conſortio , ſodalium animos habere ſibi concordes. Timeo , ne proximorum dilectio degeneret in offenſiones Dei. Fortaſſis eventus aperiet , non extitit virtutem , ſed prodigalitatem , quæ peperit ſcelera.

2. Reg. 13. 26. 27.

Sanct in 2. Reg 13. 27. n. 19.

Iob 1. 5.

S Odo Abb. Clun l 1 in Iob. longe ante fi.

13. *Aliquando qui reliquerunt omnia peri litantur plus ne labantur in avaritiam.*

Vidimus quomodo ſub nomine liberalitatis aberrari poſſit à recto per nimietatem. Nunc ad aliud extremum corripiendum tranſeo. Plures inveniuntur , qui ne prodigi fiant , parcimoniam diligunt. Cavere ſibi congruit iſtos : nam eveniet facillimè parcitatem reddi tam degenerem , ut maneat avaritia. Doctrinam capiant iſti S. Martiani Dumienſis. *Continentia* , inquit , *deinde his termiois ſe aſtringat : cave ne parcus ſis , ne ſuſpiciosè & timidè manum contrahas. Ne in minimis quoque ſpeculum ponas. Nam talis & tam circumciſa vilis putabitur integritas. Hac ergo mediocritatis linea continentiam obſervabis , ut nec voluptati deditus , prodigus & luxurioſus appareas : nec avarâ tenacitate ſordidus , aut obſcurus exiſtas.* Proclivis nimiùm eſt hic deſcenſus ; à frugalitate ſcilicet ad tenacem opum dilectionem : quod vitium non ſemel ſugillavimus in iis , qui ſæculi bonis abundant. Sed ne

S Martin. Epiſc Dumien in formu. honeſt vi. c. 7.

putes exemptos prorſus ab avaritiæ labe quotquot facultatibus carent. Etiam lutum calcantes inquinant veſtem : non ſoli maculantur qui jacent in cœno. Divites velut reclinati ſuper copiarum lutum , per avaritiam ſordeſcunt equidem: ſed necnon aliquando qui terræ bona deſpicere profitentur, contrahunt ejuſmodi ſordes ; & quod non apprehendit manus, amplectuntur præcordia. Quinimo nonnunquam diſcrimen amplius in avaritiam labendi ſubeſt iis , qui reliquerunt omnia , quàm ſatagentibus de poſſeſſione mundialium bonorum. Attendant ſibi qui deſeruere ſæculum : non enim parum timendum eſt ipſis , ne cupiditatem avaris propriam cum paupertate conjungant.

14. Ea Salvatori noſtri benignitas eſt , ut ne ſententiam proferret , ex qua doleret unus de germanis , officium judicis agere noluerit circa duos fratres ; quorum quidam ab illo petiit , ut germano ſuo diceret , quod hereditatem cum eo
Luc 12. 14. divideret. Dominus ipſi reſpondit : *Homo , quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos* ? Non tamen Filius Dei hominem iſtum increpavit , quòd temporalium bonorum nimiùm ſollicitus eſſet. Proinde notatu digniſſimum eſt , occaſione ſumptâ dixiſſe tunc diſcipulis , quamvis non ſolis , ut ab omni caverent
Ib.n.15. avaritiâ. *Dixitque ad illos : Videte & cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt , ex his quæ poſſidet.* Ut
Interlin. ib. Gloſſa interlinearis , verbo , *Illos* , ait : *tam ad turbas , quàm ad diſcipulos.* Non equidem Apoſtoli , qui reliquerant omnia , cupiditate laborabant opum ; vir autem ille ſupplicationem interpoſuit , quæ præ ſe ferebat ſpeciem avaritiæ. Maldonatus
Maldon.ib. ad eum locum : *Sumptâ* , inquit , *occaſione ex ejus hominis petitione , quæ avaritiæ ſpeciem præ ſe ferre videbatur* , &c. Verum eſt , quod non inhiabat alienis invadendis ; attamen avidiùs , quam par erat , cupiebat ſua. Novarinus in eadem verba :
Novar. in Lucæ 12. ſect. 1. ad fi. *Fortè quis avarum , & cupidum diceret , quia aliena cuperet : parum iſtud : & avidè ſua petere avaritiæ quoddam genus eſt. Non ſolum avarus eſt qui rapit aliena , ſed etiam qui cupidè ſervat ſua.* Igitur monitum de avaritiâ cavendâ potiùs attinere videbatur ad hominem prædictum. Quid Apoſtolis cum avaritia , qui dimiſerant cuncta ? Multum diſcriminis erat , ne paupertatem voluntariam ſectantibus irreperet amor divitiarum : ideo quamvis Dominus ibi non reprehenderit hominem avarum , pauperes monuit , ut ab avaritia caverent. Non leviter opitulatur Ambroſius,
S. Ambr to 3 l. 7. in Luc. c. 12. inquiens : *Et quoniam avaritia plerumque ſolet tentare virtutem , etiam hujus abolendæ & præceptum ſubjicitur , & exemplum* , &c.

15. *Inter prodigalitatem & avaritiam liberalitas medium tenet.* Inter hæc duo vituperabilia nimis extrema , per viam liberalitatis incedit homo rectè ; nec ad unum , nec ad alium vergens flagitium. Relege que proximè dedimus ex D. Martino Dumienſi ; cui nunc rurſus addo. S. Ambroſium dicen-
S. Ambr. to. 4. tem : *Sicut igitur modus liberalitatis tenendus eſt , ita etiam calcar plerumque adhibendum videtur. Modus ideo , ut quod bene facis , id quotidie facere poſſis , ne ſubtrahas neceſſitati quod indulſeris effuſioni* : &c. Imitatur veritatem in plurimis virtus : ambæ quippe ſortiuntur paucos amatores : unam & alteram laudant etiam illi , qui non opere complectuntur. Et ne digrediamur ab inſtituto noſtro ; ſicut veritas , ita virtus mediam ſolitat viam tenere. A vero deviatur nunc per defectum , nunc per exceſſum ; & uterque mendacium eſt. A liberalitate declinatur nonnunquam per nimietatem profuſam ; quandoque per contractam retentionem ; & utrumque vitium extat. Accedit alia ſimilitudo. Amat natura temperamentum : quod ſi multùm deordinatur , vivens perit ; vel excedendo contingat deordinatio , vel deficiendo. Non contrariatur naturæ virtus : & hæc temperiem diligit. Hoc in largitate pronum eſt intelligere. Non ſemel vitioſum reperies quod liberale putabas ; & econtra laudabile comperies quod reprehendendum cenſeres. Vitanda ſunt igitur in hac re prudenter extrema. l. 2. de offic. 16. poſt pri.

16. Advenerunt Ægypto ſeptem fertilitatis anni ; quos totidem ſubſecuti ſunt ſteriles. Præpoſitus fuerat à Pharaone Joſeph , ut conſuleret utilitati publicæ ; providens opportunè de remedio famis venturæ , cùm abundabat frumento valde Terra. Notandum ex Cornelio , compulſos Ægyptio fuiſſe mandato regis , ut ſibi venderent quintam frugum partem, reponendam in auxilium pro temporibus inopiæ futuris. *Omnes* , inquit , *ergo* Alap.in Gen. *Ægyptii hoc ſeptennio fertilitatis , juſſu Regis* 41.34. *compulſi ſunt quintam partem frugum ſuarum vendere Regi , ſervandam in ſeptennium ſterilitatis* ; &c. Hoc diſpendium pecuniæ regalis magnificentiam Pharaonis probat , qui ſumptu proprio per Joſephum curavit prævenire ſuis annonam. Sed quomodo ſtat cum iſtâ magnanimitate regiâ, quòd poſtea non gratis diſtribuebatur Ægyptiis tempore famis alimentum ; ſed pretio recipiebant ad Joſephi nutum ? *Creſcebat autem quotidie fames in omni terra* : Gen. 41. 56. *aperuitque Joſeph univerſa horrea , & vendebat Ægyptiis* : &c. An largiratem Pharaonis arctavit miniſter ; Nequaquam. Ut quid igitur nomine regio venditur velut avarè frumentum ; quod rex liberaliter ſumptibus propriis emerat in ſubſidium Reipublicæ ? Subjicio ſecundam rationem dubitandi ; perpendens factum aliud , certè magnificum , executioni datum à Joſeph nomine regis. Cum defeciſſet jam Ægypto pecunia , pòſt etiam defuerunt animantia ; quorum permutatione comparabant alimentum. Similiter contigit in agris ; quos omnes emit Joſeph Pharaoni ; frumentum donans Ægyptiis in eorum pretium. Ad miſeram adeo venerunt inopiam , ut nihil ſupereſſet vendendum , quò famem depellerent. Joſeph ad illos tunc ait : *Accipite* Ib. c. 47. 23. *ſemina , & ſerite agros , ut fruges habere poſ-* 24. *ſitis. Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas*

reliquas permitto vobis &c. Non bene cohærere videbitur animi liberalis magnitudo, qua Præfectus uſus fuit in perſona Pharaonis, gratis dimittens Ægyptiis quattuor partes proventuum colligendorum ex agris emptis nomine regali; cum eo quòd Pharao priùs foret quaſi mercator frumentarius, non gratiosè diſtribuens alimenta, ſed emptione, poſteaque permutatis gregibus, & emptis agris. Crede tamen prudentiſſimè factum, quò liberalitas regis medium teneret congruum. Si quæ congregata fuerant in horrea publica donarentur gratis, prodigum eſſet hoc. Econtrariò niſi quattuor partes prædictorum fructuum dimitterentur Ægyptiis, hæc avaritia noceret publico bono. Fruere S. Ambroſio. *Potuit*, inquit, *donare Joſeph totas opes Ægypti, & effundere theſauros regios: noluit tamen de alieno effuſus videri: maluit frumenta vendere, quàm donare eſurientibus: quia ſi paucis donaſſet, pluribus defuiſſet.... Ad poſtremum jura terrarum Regi acquiſivit: non ut omnes exueret ſuo, ſed fulciret: publicum tributum conſtitueret, quo ſua tutiùs habere poſſent.* O prudentiſſimum adminiſtrum! Sic retetentionem ac largitatem regis liberam ab utriuſque vitii contrarii notâ contemperavit, ut regia liberalitas clareſceret: hæc enim virtus extrema vitat: quorum ſingula ſunt perſæpe *via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

S. Ambroſ. to. 4. l. 2. de offi. c. 16.

17. *An dives in gehenna poſitus divitias adhuc amat?*

Notavimus in præcedenti doctrina duplicem callem, per quem à liberalitate ſolent homines aberrare diverſimodè; convenientes in eo, quòd, vel ſectentur effuſionem copiarum, vel tenacitatem complectantur, facultates proprias efficiunt materiam ſpiritualis ruinæ. Noſcunt in proximis adminùs damnum iſtud; imo quidam ingenuè fatentur, extitiſſe jam ſibi divitias occaſionem criminum: nec tamen ideo minuunt earum dilectionem. Gratæ ſed ingratiſſimæ ſunt amantibus opes, cum diligenti noceant: ſed illi, quaſi foret egregium in ſubjectâ materiâ vincere per affectum cordis ingratitudinem, totis viſceribus feruntur in ipſas. Urgent exempla ſuadentia cautelam, ne per caduca diſpereant in æternum: ſed rarò flectitur exemplis qui rationem proculcat: & ſuperbia, quæ germen eſt abundantiæ, præſumptionem ingerit opulentis non paucis; qua ſomniant, ſeipſos immunes à diſcrimine mali, quod aliis contigit. Prealtas radices agunt in corde multorum gazæ; cum, loquendo moraliter, omnes bona mobilia ſint: & ex oppoſito virtutes in pluribus animis tam levibus fibris radicantur, ut ventus quandoque ſufficiat ad illas evellendas facillimè. Habitus boni velut floſculi ſunt; divitiæ verò juxta doctrinam Domini ſimilantur ſpinis. Flores videmus non adeo ſolidè radicatos atque rubos. Non diſſimiliter ſæculi facultates mittunt in præcordia robuſtiſſimas radices, quia ſpinæ ſunt. Hoc tam verum eſt, ut ſuſpicer, divites malos adhuc in gehenna poſitos opes diligere. Notum eſt, mortem ſceleratorum non eſſe peccandi metam. S. Fulgentius: *Nulla*, inquit, *ibi erit remotio malorum, quamvis futura ſit bonorum promotio meritorum. Illa enim manebunt in pœna, iſta perficientur in gloria.* Et infra: *Illa voluntas, quæ hic iniquum uſque in finem tenuit obduratum, ad hoc ſine fine pœnitentiam habebit de ſceleribus ſuis, ut nec poſſit ultra converti, nec æternitate carere ſupplicii.* Itaque dives peccator ſuppliciis addictus infernalibus, pœnitentiâ ſerâ ducitur de peccatis, quæ detruſerunt ipſum in barathrum; ſed non ideo bona mundialia, per quæ ventum eſt ad perditionem, reſipiſcens abominatur; imo conjector, quòd perditus amat perditè quæ poſſidebat olim.

S. Fulgent l. 1. de remiſſ. pecca. c. 10. ante fi.

Idem ib. c. 15. ante med.

18.

Commutatâ ſorte voluptates epulonis deſierunt in cruciatus perpetuos; angores vero Lazari verſi fuerunt in placidam quietem. Pauperem quieſcentem vidit ille dives flammis ardens; quem dum viveret vel non intuebatur, vel cum faſtidio cernebat. Abrahamum rogavit, ut mitteret ipſum ad refrigerandum linguæ ſuæ ardorem igneum digito madente. Repoſuit Patriarcha: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua*, &c. Quare non dixit potiùs Abraham: Reduc in memoriam peccata, propter quæ torqueris ita? Quia delicta jam dives oderat præterita: proindeque non erat cur eorum recordationem hortaretur. At verò poſſeſſas quondam opes dives non adhuc proſequebatur odio. Quapropter Abrahamus dixit, ut bonorum, quibus fuerat potitus, recordaretur: quia juſtum fuit, ut in hoc etiam punitionem reciperet, quòd execraretur copias, quibus in vita mortali ſe feliciſſimum putaverat; fortéque diligebat in pœnis poſitus. Inſinuavit ipſi Patriarcha, dolores ejus ab ſpinis, hoc eſt, divitiis promanaſſe, quò ſic odiſſet eas, quas fortaſſis adhuc amabat. O miſerum, qui perpetuæ damnationis occaſionem, quam dimiſerat coactus, complectebatur animo! Neutiquam illuminant mentem infernales flammæ. Utinam dum conceditur veræ pœnitentiæ locus, homines illuſtrationibus divinis oculos mentales non clauderent: adeo cœcutiunt, ut amore poſſeſſionum tracti ſemitam eligant, quam laudabilem dicunt falsò: nam *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

Luc. 16. 25.

DELIBATIO II.

Contra ſuperiores, qui tyrannidi vacant ac ſi viam recti regiminis tenerent.

19. *Amplius Deus miſereatur oppreſſum populum ſub titulo dilectionis boni publici.*

MInus malum eſt, ſed non ideo laudatione dignum tum peccator eo tempore, quo delinquit, ſimul afficitur aliquali pudore, quærens latebras, quibus nequitiam contegat. Effrontes namque diabolum vincunt malitiâ, qui ſæpe delicta ſua virtuoſo colore velat; cum dæmon tentationes multas quibus nos ad peccandum invitat, ſub ſpecie boni diſſimulet;

ſimulet; homines autem inverecundè peccantes, contemptores effecti ſint ita, quòd non umbram requirant, qua ſcelera pallient: imo jactabundi non ſemel glorientur, dum agunt iniquè. Dimittam prorſus iſtos: quia difficilè medicamen ſuſcipiunt. Ad priores venio, quos dixi nonnihil minus malos: horum quippe peccandi modus, cum denotet quemdam, licet infructuoſum timorem, ne deprehendantur in peccato, ſpem nonnullam præ ſe fert, non abjecturos fore medelam. Frequenter hoc pacto delinquunt qui tenent regimen publicum: nam, cum eorum geſta pateant ſollicitis oculis obſervantium; ſatagunt cautè ſub nominibus honorificis abſcondere turpia facta, ne cenſuræ vulgi ſubſint. Primò ſunt increpandi nunc illi, qui proteſtantur, ſe duci boni communis amore, cum ſibi ſubjectos opprimi crudeliter curant. Adversùs tales uti poſſumus dicto Seresberienſis. *Concutiunt*, inquit, *populos, regna ſollicitant, Eccleſiarum diripiunt facultates, fortè ut ſibi faciant materiam promerendi, ut componant omnia, ut pauperibus miſerendi, & promerendi, aliis concurrentibus neceſſitatem præripiant.* Principantes aliqui tyrannidem exercent; & ſe populos diligere profitentur. Miſeratione multâ digna quidem ſubditorum compreſſio, ſub titulo boni communis executioni data. Divinam plùs iſta movet pietatem; quàm ſi tyrannus irâ percitus fureret in populum. Cum potens iracundiâ ductus proterit quoſdam, condolent alii, quos perſecutio non tangit; haud ita verò, ſi Reipublicæ prætendatur utilitas crudelitati. Quoniam autem divina clementia tunc plus moveri perhibetur, cum abeſt humana; Dominus ampliùs exhibet ſe miſerentem, cum plebis rector malus conterit ſubjectos, quaſi diligens bonum publicum.

Seresber. l. 8. de nug. c. 23. non parum à principio.

20. Vix erit qui neſciat quàm piè Deus fuerit miſeratus plebem Judæorum ingemiſcentem ſub jugo Pharaonis: *Audivit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis quod pepigit cum Abraham, Iſaac & Jacob. Et reſpexit Dominus filios Iſraël, & cognovit eos.* Et infra: *Sciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum*, &c. Onerabantur, fateor, Iſraëlitæ ſævè juſſu Pharaonis: attamen aliam atrocitatem adversùs Hebræos legimus in libro Tobiæ, cujus non invenimus Deum fuiſſe miſertum, aliquo tunc dato ſigno pietatis. *Cum reverſus eſſet rex Sennacherib, fugiens à Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filiis Iſraël*, &c. Cur non adeo miſerabilem cædem dicitur Altiſſimum reſpexiſſe miſericorditer? gemitus, quos Hebræi ſub poteſtate Pharaonis emittebant, plus Omnipotentis miſericordiam provocaverunt; quàm ſub poſteriori tyranno tot Judæorum ſanguis immaniter effuſus? Ita fortè cenſebis: quia Sennacherib ex ira cladem executus eſt Hebræorum. Pharao non ſic: nam ſtudio publici boni velare curavit impietatem: dixit enim ad ſuos: *Ecce, populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Audis optimum verborum ſonum? quis non judicaret, Pharaonem regale munus agere laudabiliter, ſic Reipublicæ providentem? Heu: delituit ſub venuſtâ facie dilectionis populi ſui torvitas atrox tyrannidis, qua perſecutus eſt Iſraëlem. Tunc igitur Deus oſtendit ſe pietate multâ commotum; non autem ſimiliter Tobiæ temporibus, furente Sennacherib irato. Minus miſerabile quidem eſt, ſi videas humiles protritos per potentiam adjunctam iracundiæ: miſerandum ampliùs, cùm inordinata poteſtas diſſimulat ſævitiam prætextu curæ de communi bono.

Exod. 2. 24. 25.

b. c. 38.

Tobi. 1. 21.

Exod. 1. 9. 10.

Secundo loco ſugillandi ſunt illi, qui nobis inculcant, exequi ſe juſtitiæ rectæ ſeveritatem in eodem facto, quo declinant ad injuſtitiam. Sic nonnulli reperiuntur crudeles, cùm venditant ſe juſtos moderatores. Leges promulgant imponentes onera non humeris paria: quia, cum ſe non meminerint homines tantùm eſſe; humanæ conditionis fragilitatem in ſubditis obliviſcuntur blandâ tractare manu. Rigorem iſtum juſtitiam vocant? Utar hîc verbis Ambroſii, dicentis: *Impia juſtitia eſt humanæ fragilitati non ignoſcere.* Præceptis iniquis præmittunt pia ſatis proœmia: proponentes fines rectiſſimos, quibus moventur, ut ita jubeant. Leges iſtas examina: ſic non credes earum proœmio, mendaciaque deprehendes veſtita colore veritatis. Prodeſt hîc Venetus Antiſtes: *Opus*, ait, *namque juſtitiæ eſt obtemperare, legibus, illis præcipuè, quæ de theſauris prodeunt veritatis, & veritati ſubnixæ ſunt. Nam quæ injuſtitiam ſapiunt, & æquitati adverſantur, non utique leges, ſed oppreſſiones vocandæ ſunt, quoniam nihil in ſe continent veritatis.* Legis officium eſt illuminare ſubditos. Non autem incendio perdere. Sed omitto modò leges novas improbas: tranſeam ad utentes malè veteribus. Eſto quòd ſint optimæ, non idcirco malus eorum excuſabitur uſus. Quid refert, ſtateram extare fidelem, ſi pondera ſint adulterata? Recta lex erat; ſed abutens ipsâ non æquè, virtutem juſtitiæ dedecorat, legem compellens iniquitati ſuæ ſervire. Dignus eſt iſte quidem acerbiſſimo Dei ſupplicio. Clementer ſupremus arbiter multoties alia peccata punit; ſed rectitudinis velo palliari quod impium eſt, irritat æquitatem divinam, ut hoc ſcelus horrendè vindicet.

21. *Acerbo ſupplicio dignum crudelitatem palliari titulo juſtæ ſeveritatis.*

S. Ambroſ. to. 5. l. 4 ep. 29.

S. Laur. Iuſt. l. de obed. c. 4. ante fi.

Non te latet quàm extraordinaria fuerit pœna, qua cœlitus eſt Jezabel damnata. *Præcipitaverunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & æquorum ungulæ conculcaverunt eam.* Et infra: *Cumque iſſent, ut ſepelirent eam, non invenerunt niſi calvariam, & pedes, & ſummas manus.* O terribile Domini judicium! Recordor, quòd cum David graviſſimè peccaverit adulterio ſe polluens, & homicidium adjungens Uriæ, Deus minùs graviter mulctavit eumdem, puniens

22. 4 Reg. 9. 33. Ib. n. 35.

2. Reg. 12. 14. niens eum puerili morte. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quare tremendam adeo ſubit ſententiam Jezabel? Hujus impiæ mulieris necem provocavit occiſio Naboth. Ita colligitur ex eo quòd Elias poſtquam ex perſona Domini reprehendit Achabum deſcendentem, ut poſſideret vineam occiſi Naboth per induſtriam reginæ, dixit: 3. Reg. 21. 23 *Sed & de Jezabel locutus eſt Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.* Et quid peculiarius in hoc repertum eſt homicidio, quòd tam horribiliter ultionem promeruit; cum non acerbitate ſimili fuerit animadverſus David propter Uriæ mortem? quia David abſtulit Uriæ vitam ſub infortunii bellici prætextu; jubens illum in loco ſtatui, quo prælium erat fortiſſimum, ad hoc ut percuſſus interiret. At verò Jezabel non ſimiliter egit; ſed curavit, Naboth per falſos teſtes damnari: Sanct. in 3. Reg. 21. v. 10. n. 14. *& quod lex in ejuſmodi criminis reos ſupplicium ſtatuiſſet, illud in Naboth legitimo judicio decernerent, & quamprimùm exigerent.* Cernis palliatam colore juſtitiæ trucem crudelitatem? Non eſt ergo cur mireris, Jezabelem ſic atrociter punitam. Plurimùm execratur Dominus, æquitatem (cujus ipſe dilector eſt eximius) ita dehoneſtari, quòd ejus nomine detur impietas executioni. Multùm abominabilis eſt hæc perfida contra ſubditum hoſtilitas.

23. *Aliquando pejus eſt, prælatum exercere nimium jus, quam ſine correctione dimittere peccantes.* S. Laur. Juſt. l. de inſtit. & reg. prælat. c. 16. longè ante fi. Tertiò quidam regiminis habenas perperam flectentes inflexibiliter, imprudenter agunt; quamvis ad rigorem litteræ ſemper exequantur juris præſcripta: contra quos fertur illud axioma Juriſtarum: Nimium jus, nimia injuria. Huic Juſtinianus conſonat, inquiens: *Expedit eis qui præſunt regimini, juris relaxare rigorem*, &c. Niſi præpoſitus moderationem iſtam adhibeat, cum ſubditos moderatur; hujus mehercle juſtitia libram depoſuit, & utitur enſe tantùm; proindéque mutila remanet æquitatis forma. Libens agnoſco, jus eſſe frenum, coërcens à vitiis degentes more brutorum: ſed aliud eſt frenare greſſus, ut incedat ſubditus rectè: aliud autem freno tam fortiter conſtringere, quòd eliciatur ſanguis. An vellent hi rigidiſſimi frenatores populi, ſimiliter ſe tractari per ſuperiorem ſuum? Non fidem præſtabo; licet millies proteſtentur. Opportunè Seresberienſis: Joann Sereſber. lib. 7. de nug. c. 17. ante med. *Quis eſt*, ait, *qui ſic ſubditum tractet, ſicut ſe vellet tractari, ſi ſubderetur?* Qui ſunt hujuſmodi, ſibi cupere ſolitant umbram, ne feriantur à ſole, quamvis agnoſcant deliquiſſe; peroptant verò ſubditos uſque ad internecionem plecti: ſibimetipſis blandi ſunt; aliis autem rigidi valde. Aliquando pejus eſt hoc, quàm ſine correctione dimittere peccantes.

24. Ninivitarum exuberans nequitia deſcendens in ſcelerum profundum, aſcendit coram integerrimo Vindice, provocans ultionem. Sed cum Dominus, cui proprium eſt miſereri, ſoleat in ipsâ punitione miſcere clementiam injunxit Jonæ prædicare ſceleſtis imminentem vindictam. Ille functionem haud ſibi gratam recuſans, fugam à facie Domini molitus eſt. Nec tamen propter inobedientiam iſtam vel unico verbo caſtigatum legimus. Ad navim Propheta fugitivus deſcendit: adversùs eum tempeſtas inſurgit: damnat idem ſeipſum naufragio: mittitur in æquor, ut ceſſet procella: deglutitur à piſce; qui poſtea nutu Dei ſic diſponente vomit eumdem. Jam vates, utens deliberatione ſaniori prædicaverat in urbe ſubverſionem; & incolæ pœnitentiâ mediante conſecuti fuerant indulgentiam delictorum. Propterea Jonas iratus petierat à Domino, quòd vitam propriam tolleret è medio; cum divinâ providentiâ contigit ut hedera, qua vates lætatus eſt uti umbraculo, quo protegeretur à ſole, ſubitò rodente verme decideret, ac exaruerit. Percutiente poſt Phœbo Jonam, hic æſtuabat: & rurſus mortem cupiit: nam irâ vehementi commotus eſt ſuper hederæ caſu. Tunc Dominus ad illum: *Tu doles ſuper hederam,* Jonæ 4. 10. 11. *in qua non laboraſti, neque feciſti ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ*, &c. Cornelius Alapide notavit ad hæc verba, Deum reprehendiſſe Jonam, inquiens: *Ex v. 10. Ubi reprehenditur Jonas à Deo, eò quòd doleret Deum parcere urbi*: &c. Cur hîc Vates increpatur; non autem cum inobediens Deo fugit? Quia Jonas prælatum ſignificat. Liranus: *Per Jonam ſignificatur prædicator, doctor, vel prælatus quicumque*, &c. Antea Propheta fugam capiens dimittebat urbem delictis involutam, quin ējus emmendationem curaret. Aliquando minus malum eſt, quod prælatus ita ſe gerat, ſuos relinquens augere crimina, nihil de correctione ſollicitus. Ecce non tunc verbo Dei corripitur Jonas. At cum ipſe cupiebat umbram ſibi, ne ſol noceret; Ninivitis verò cladem; ſuperiorem expreſſit blandum ſibimetipſi; nimis autem rigidum pro ſubjectis regimini ſuo, diligentemque jus nimium. Adeo Regi ſummo diſplicuit ſeveritas Vatis, ut reprehenderit eum: quaſi nonnunquam reprehenderit pejor in animarum rectore ſit rigoris nimietas, quàm omiſſio diſciplinæ. Alap. in Jonæ 4. 5. Lir. ib. v. 1.

25. *Acerbè puniri meretur ſuperior inſiſtens iniquæ conſuetudini.* Quartò dicam adversùs aliò pergentes, qui necnon injuſta decernunt; & cenſent, optimam carpere ſemitam. Hi ſunt (jam præcedentibus omiſſis) qui nec apparenti ſaltem ratione ſe duci (ſeduci potiùs diceres) proteſtantur; ſed conſuetudinem ſequi, dum iniqua jubent. Non exiguam vim obtinere ſolitat conſuetudo. *Inveteratam enim*, dixit Climacus, *conſuetudinem emmendare & ſanare eſt difficile.* Præſertim viſitur conſuetudinis malæ robur, cum illa non in uno tantùm viget homine; ſed multorum error eſt: nam ipſa pluralitas errantium conciliat apud quoſdam authoritatem; quam non haberet erratum, ſi perſona tantùm ſingularis deviaret à recto. Sæpè judicantur hæc, non ad pondus, ut par erat; ſed ad numerum, ceu nunquam damnabile foret quod mul- S. Ioann. Clim in ſcal. gr. 19. in pr.

tis placet. Vitiatur facilè morbus contagioſus, quo laborat unicus æger; ſi verò populus inficiatur eodem, periculoſiſſimum eſt contagium. Idcirco nunc dimittam eos, qui plurimorum conſuetudine reprehenſibili ducuntur ad malum purè per modum exempli: quia difficultas, quam fatemur in opponendo ſe tacitè pluribus, alleviat quadamtenus ipſorum crimen. Veniam ad alios, qui vituperabili conſuetudine feruntur quaſi debito peccandi: contra quos poſſemus uti doctrinâ quam reperimus apud S. Amphilochium. *Verè*, ait, *ſi quidem pronuntiavit qui dixit, conſuetudinem velut debitum eſſe, ex quo enim aliquis facere conſuevit, invitus nolenſque conſuetudine ceu creditore quodam trahente facit quæ minus conveniunt*, &c. Hinc, ne deſiſtam ab inceptis, viam facimus ad moderatotes illos, qui præcipiunt non æqua, ſectantes conſuetudinem injuſtam, quam induxerunt ipſi. Irritat hoc valde manſuetudinem Dei. Se non tam ſeverum, forſan oſtendet, ſi majeſtas ejus immediatè lædatur blaſphemè; rigidioremque ſemetipſum exhibebit, ſi gubernator ſit erga ſubditos iniquus, inſiſtens mori non æquo. Acriter Deus puniet iſtum; præcipuè, ſi minimè ſervetur conſuetudo juſta ſubditis favens; altera verò nequam, ipſos opprimens, cuſtodiatur ad unguem.

S. Amphiloc. or. 8. poſt med.

26. Poſt Joſephi mortem Iſraëlitæ premebantur in Ægypto duris operibus. Conditor omnium clementer miſeratus angorem populi, deſtinavit Moyſen ad Pharaonem, ut libertatem dilectæ Domino plebis negotiaretur. Tyrannus accepta legatione divinâ repoſuit ſuperbè: *Quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Blaſphema verba non ſtatim punivit Altiſſimus; neque ſigno dato patientiam ſuam oſtendit velut exaſperatam ſuperbiâ Pharaonis, cum ipſe protulit audaciter quæ nunc retulimus. Crimen barbarus adjungens crimini, plebem compreſſit ampliùs, jubens, ut non ſicut priùs ipſis paleæ miniſtrarentur in alimentum flammæ pro conficiendis lateribus; & nihilominus compleretur laterum numerus, ad quem perveniebat antea quotidianus labor, cum dabantur eis paleæ. Doluerunt Hebræi crudelitatem: & piè queſtus eſt Moyſes alloquens Deum. Tunc illi Dominus: *Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejiciet illos de terra ſua.* Ubi Liranus ait: Nunc videbis. *Id eſt, citò*; quæ facturus ſum Pharaoni, *ſcilicet mirabilia aliàs inaudita.* Per manum enim fortem, *id eſt, per potentiam meam eum fortiter flagellantem*, dimittet eos, &c. Expendebam quod modò ſeveritatem prædictis verbis Dominus oſtendit, cùm noviter oppreſſionem Hebræis intulit Pharao; non autem ſimiliter egit cum blaſphemè locutus eſt contra Dominum priùs: *Quis eſt Dominus*, &c? Credo, quòd exacerbavit Altiſſimum atrocitas tyranni: qui contra Judæos agens injuſtè, præcipiebat ſervari conſuetudinem iniquam eos cogentem ad opus quotidianum, quò miſeri conflictabantur; nolebat autem in favorem plebis cuſtodiri morem alterum, quò ſolebant illis tribui paleæ in opus lateritium: Ad uſum recurrunt aliqui ſuperiores, ut impietatem, qua premunt ſubditos, excuſent; nullatenus obſervantes alteram conſuetudinem ſubjectis favorabilem. Severam Dei punientis manum timeant iſti. Non bonam carpunt illi viam; quamvis id ſibi fingere videantur.

Exod. 5. 2.

Ib. c. 6. 1.

Lir. com. in Exod. ib.

27. Demum claudam gubernantium vix numerabiles errores: detegens aliorum fictionem; qui malè regentes peccant; & refugiunt ad excuſationem impoſſibilitatis aliter operandi. Deteſtabilis eſt hic delinquendi modus: nam hi pugnant contra legem; volentes eam tollere, quin poſſint: quaſi non ſatis appetitui ſuo ſit juri non obedire, niſi deſtruant illud, quaſi nequaquam poſſibile ſervatu. Sceleſtus frequenter odit legem; cum ad bonum cogat; ipſe verò malum amet. Unde, cum ad impoſſibile non obliget lex; ut eam pro ſemetipſis evacuent, cum fingunt impoſſibilia. Neceſſitatem audierunt carere lege: quapropter ſibi neceſſarium dicunt eam tranſgredi qui debuerant occurrentem difficultatem ſuperare fortiter. His obſiſtere valemus aſſumentes verba D. Bernardi: *Ita*, inquit, *anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam ac malè libera neceſſitate, & ancilla tenetur & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem*: &c. Non inficior, multoties & ſubditos peccare conantes delictum excuſare neceſſitatis prætextu; ſed minus damnabilis eſt illorum culpa: quoniam ipſis commiſſum non eſt legem tueri. Quia verò regentibus incumbit infracto robore pugnare pro legis obſervantiâ, damnabilior eſt hæc eorum ignavia. Quòd privatus perperam operetur, id ſibi neceſſarium eſſe comminiſcens, humano judicio plecti nonnunquam ſatis eſt: quòd verò præpoſitus legem non ſuam tranſgrediatur ſub excuſatione ſimili, cæteris paribus, adeo gravius eſt, ut aliquando reſervetur judicio Dei tremendo flagellandum.

Supplicium timeat gubernator excuſans iniquitatem ſuam per impoſſibilitatem pugnandi pro lege.

S. Bernard. ſer. 81. in Cant. longe ante fi.

28. Deliquit impiè populus Hebræorum: declinans ad idololatriam, ſub colore neceſſitatis; quaſi duce carerent, qui præcederet eos in via non ſibi nota: dixerunt enim ad Aaronem: *Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quod acciderit.* Deſcendit è monte poſtea Moyſes: viditque vitulum aureum, cui divinum obtulere cultum. Contrivit pius idolum: increpavit; ſed non punivit fratrem ſceleris complicem; cum tamen ad necem idololatrarum ſeverus, dixerit Levitis: *Occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Mirabar quòd plebis moderator æquiſſimus noluerit ut Levitæ ſuos exciperent à ſupplicio communi; Moyſes ipſe verò germanum proprium, qui graviter deliquerat in fabrica ſimulacri, non tantùm haud occiderit; ſed

Exod. 32. 1.

Ib. n. 27.

ſed verbali ſola reprehenſione mulctaverit. An Moyſes perſonarum acceptione fœdavit zelum, quo circa Dei honorem ardebat? quare non Aaronem damnavit pœnâ capitis? Remittendam cenſuit hujus punitionem judicio Dei. Sed cur? Paululum deflectamus ad myſticum ſenſum. Liranus ait: *Aaron figuram tenuit boni principis, vel prælati; qui propter malitiam ſubditorum aliquando permittitur in peccatum labi.* Aaron equidem in eo caſu crimen admiſit quaſi neceſſarium ad tuendam propriam vitam. Gloſſa ex Theodoreto: *Quapropter vitulum formare coactus eſt.* Adde Liram expendentem Aaronis verba. Dixerunt mihi, *ſub comminatione mortis*, &c. Etiam populus peccavit quæſito prætextu neceſſitatis, ut ſupra notabam. Sed hoc execrabilius eſt in præfecto deſignato per Aaronem, quàm in populo. Propterea Moyſes, qui damnaverat idololatras ad mortem, non auſus eſt Aaronis cauſam judicare, tamquam longe graviorem; ſed illam remiſit vindictæ Domini. Videant publico munere fungentes quàm ſit eorum delicti gravitas maxima, cùm divinas leges frangi ſinunt; & ſe rectò procedere putant, dicentes non valere reſiſtere peccantibus. Illorum via, quam in regendo ſubditos eligunt, *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

Lir. in com. ib. ad n. 1.

Gloſſ. ex Theodore. q. 66.

Lira ſup. ad n. 23.

DELIBATIO III.

Calles nimiæ fiduciæ, indiſcretique timoris, boni videntur, & mali ſunt.

29. *Supplicium timeat acerbum qui putat, eò magis à Deo ſe quærendum, quò plus fuerit ingratus.*

DUm peregrinamur à Domino, congruit nos tendere per ſemitam ſpei, quæ ducit ad ſceleſtia. Sed adeo reperitur arcta, quòd vel in dextram, vel ad ſiniſtram declines, præcipitium tibi ſollicitas. Dupliciter periclitaris in hac re: nam, cum oporteat, ſperantem conjungere metum confidentiæ, ſi nimius fuerit pavor, corruis in deſperationem; ſi verò fiduciam non attemperes, in præſumptionem degenerabit. Poſteriori modo relinquentium viam rectam, videbis turbas plurimas: adverſus quos nobis arrogare poſſumus quæ ſcribit Remigius expendens quæ leguntur apud Michæam. *O domus Jacob nolite nimium præſumere de miſericordia Dei, & nolite dicere quod adhuc multi dicunt, Deus bonus eſt & miſericors, non veniet ſuper nos malum captivitatis quod timemus. Qui enim omnibus copioſus eſt in miſericordia, nobis etiam clemens erit, nec propter nos ſolos abbreviabitur bonitas ejus.* Qui loquuntur ejuſmodi ſermones in corde ſuo, multo diſcrimini ſubſunt: nam pulchrâ videntur iter facere viâ, nimiè confidentes in manſuetudine Dei: ſic enim reputant, egregiè ſe laudare Domini circa mortales amorem. Divinæ lenitati ſociatur amor: unde qui mitem prædicat amantem commendat. Quamobrem non pauci dilectionem erga nos Altiſſimi putant extollere, cùm ejus clementiæ nimis confidunt. Accedit, iſtos perſuadere ſibi, quòd ita veram ſpem corroborant, quoniam pellunt noxiam formidinem: pariterque judicant, hoc ingenio verum amorem Dei ſuis in præcordiis accendere, motum ejus eximiâ benevolentiâ. Cernis, quàm ſpecioſa proponatur ſemita præſumentibus? Cave, nam *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Præſumptor Deum veluti credit judicem amore ſuo corruptum: & adeo dilectioni divinæ circa ſe confidit, ut exiſtimet, eò ſe ferventiùs à Domino quærendum, quò plùs reſtiterit ingratus. Qui taliter ſuperbit, cogitet futurum ſupplicium ſuæ præſumptionis. Mitiùs Deus agit ſæpe cum diffidentibus, quàm cum putantibus, cum ingratitudine ipſorum quaſi moveri, ut illos quærat amantiùs.

Remig. Antiſſiod. in Mich. 6. 7.

30. Jſraëlis futura punitio legitur apud Jeremiam: & inſinuatur, ideo populum fore plectendum, quia contemſerat eum ad ſimilitudinem fœminæ deſpicientis diligentem ſe. *Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël, dicit Dominus. Vox in viis audita eſt, ploratus & ululatus filiorum Iſraël, quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui.* Liranus ibi: *Hic conſequenter circa Chriſti vocationem ponitur Judæorum malignitas, cum dicitur*: Sed quomodo &c. Non adeo ſeverum lego proponi ſupplicium Chriſtianæ plebis apud Iſaiam. Licet enim ſupponatur operans iniquè: *Et oblitus es Domini factoris tui*, tamen ſubditur, cito venturum Dominum gradientem ad ferendum auxilium, nec permittentem ut populus pereat. *Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet uſque ad internecionem*, &c. ubi Carthuſianus ait: Non interficiet &c. *id eſt non penitus extinguet populum Chriſtianum*, &c. Nonne vindictam advocat non levem oblivio Dei? quare, cum Chriſtianus populus ibi ſupponeretur oblitus Domini, prænuntiatur agendum cum illo citra ſeveritatem extremam; apud Jeremiam verò ſic acerbè flagellandos fore Judæos? Dicerem, & fortaſſis annues. Oblivio, de qua legimus apud Iſaiam, extitit culpa deficientium in actuali fiducia, quam debuerant in Domino collocare. Carthuſianus ad ſupra data verba: Oblitus es Domini factoris tui, *ita quod paſſio timoris impedivit actualem in Deo fiduciam*, &c. Mala quidem eſt hæc diffidentia, ſed minus mala, ſi conferatur cum Judaica præſumptione gerentium ſe cum Domino, ſicut mulier contemnens amatorem ſuum. Trutina cogitatione ſimilitudinem iſtam. Fœmina ſæpius experta ſe dilectam, conſultò procum aſpernatur: intendens ut ex hoc ipſo contemptu fervoroſius accendatur deſpectus ad eam peramanter ſollicitandam. Sic multi degunt in rebus animæ: præſumentes nimis de clementiſſimi Domini dilectione, qua proſequitur eoſdem: fere credentes, eò diligentiùs inquirendos à Domino fore, quò magis ingrati fuerint ei. Extollunt iſti benignitatem paternam Dei;

Jerem. 3. 10. 21.

Lir. ib. ad n. 20.

Iſaï. 51. 13.

Ib. n. 14.

Dion Carth. in com. ib.

Idem ad n. 13.

Dei; nihilominus haud bono tramite procedunt. Animadvertant quod *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

31. *Plus periculi datur circa multam fiduciam in Deo; quàm circa nimium timorem.*

Cum his tamen ſtat, non ita deteſtandam eſſe temeritatem exuberantis confidentiæ, quòd pertranſeamus ad formidinem deſperantem. Sed antequam vecordiam timentium nimis increpemus, adhuc notare libet pro fugienda præſumptione, majus eſſe diſcrimen mortalibus, ne confidant plùs æquo miſerationi divinæ; quàm ne deſperationi ſe tradant. Rationem aſſigno duplicem. Prima ſit, quoniam via confidentium de clementia Dei pluſquam par eſt, lætitiam ingerit cordi; callis autem proruentium per metum imprudentem in deſperationis profundum, valde mœſtus invenitur: & novum non eſt, nos læta faciliùs amplecti; triſtitia verò difficilè. Subjicio rationem alteram. Vir nimius in confidendo manſuetudini Domini, frequenter omittit ea, quæ fuerant cum labore peragenda: nam ſocordiæ quieti ſe tradit, & negligit virtutis actus quoſdam laborioſos: hæc ratio ceſſat in eo, qui premitur indiſcretâ formidine multâ. Cumque ſoleant quamplures virtutis laborem odiſſe, fit ut in eis magis periculoſum ſit cor per inopportunam confidentiam relaxare, quàm vehementi metu contrahere. Plus neceſſarium eſt humanæ menti cavere ne per fiduciam declinet ad præſumptionem; quàm ne pavens incongruè deſperet miſerè.

32. Adventabat jamjam hora; qua permiſſum eſt, ut poteſtas tenebrarum fortiter inſurgeret adversùs eum, qui lux eſt, & venerat illuminare caligine merſos. Comprehenſo paſtore diſpergendus erat grex; & ita, quòd inter Apoſtolos dilectione ferventior negaturus fuerat Magiſtrum. Id Petrus ignorabat: nam hujus amor in hoc tantùm cœcus erat, quòd ſeipſum non adhuc agnoſcebat plenè. Divinus Præceptor, ut erga propriam cognitionem illuſtraret Apoſtoli mentem, denuntiavit ei triplicem illius lapſum. *At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.* Scio quod, cum antea dixerit Simon: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Dei Filius per negationis trinæ revelatione curavit, ne ſupe biret de viribus propriis. At quæro. Cur non etiam diſertis verbis Chriſtus Dominus ait Petro: Sed poſtquam negaveris me, veniam tibi donabo pœnitentiâ tuâ motus? Fateor id inſinuaſſe, cum dixit: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ad quæ verba ſcripſit Incertus, qui legitur ſub nomine Titi: *Nam etſi me negaturus es, non ob id tamen Apoſtolicâ gratiâ privabere; id quod certiſſimum divinæ erga illum ſerenitatis, infandæque benignitatis argumentum erat.* Sed, quæſo, quare Dominus non loquitur expreſſiùs Apoſtolo de concedendâ veniâ negationum; cum adeo clarè prænuntiaverit ei, ter negaturum ſe? quia dum locutus eſt de futurâ converſione Petri, ſatagebat ei miſericorditer animos injicere, ne poſt lapſus deſperaret. Favet recens adductus Commentator, ad illa verba: *Et tu aliquando* &c. iuquiens: *Hoc addit, ne animum prorſus deſpondeat; quin magnam potius de Dei auxilio fiduciam mente concipiat.* Non expreſſiori ſermone Redemptor uſus fuit erga remiſſionem Petro poſt pœnitenti concedendam: quia non tam ſollicitus erat, quòd ipſe præ timore non deſponderet animum poſtquam peccaret. Periculi minus eſt, ne fidelis & amator Dei corruat in diffidentiam. At verò clariùs denuntiavit ei ruinam ſibi futuram: quia magis periclitabatur Apoſtolus: ne ſuperbiret, certò credens, nequaquam permittendum à Domino ſibi fore, quòd illum negaret. Multum aleæ viſitur in eo, quòd homo ruat per indiſcretam fiduciam in Deo poſitam: nam iſta quidem *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem* &c.

Luc. 22. 34.

Ib. n. 33.

Ibid. n. 32.

Incert. ſub nom. Tit. com. in Luc. ib.

Idem ib.

33. *Quandoque vehementiſſimâ cognitione gravitatis culpæ præcipitatur homo in laqueum.*

Obtuli doctrinam pro multorum elatione comprimendâ: qui ſub facie laudabilis in Domino fiduciæ, miſericordiam inexhauſtam agnoſcentes, amplexantur deſidiam præſumptione plenam. Nunc econtrariò quibuſdam per metum immoderatum vergentibus in deſperationis foveam, hujus immanis piaculi timor ingerendus eſt, ut clavus clavum trudat: nempe timor bonus indiſcretum. Eligunt iſti viam timoris: ſed novum non eſt, ut quod verè de ſe bonum, adulteretur, & malè fiat. Huic mutationi degeneri reſiſtere videbatur illa virtutis immunitas, quæ patet ex ipſius diffinitione vulgari: ſcilicet quòd virtute nullus utitur iniquè. Nihilominus multum audet nequitia: malignoque ſpiritui nocendi ſunt artes mille. Non equidem fieri poteſt, ut virtus directè ſerviat culpæ; ſed occaſionaliter hominem ad illam per actum virtuoſum deduci non dubitas. Hoc pacto prædicti formidatores indiſcreti (quos nunc optamus contineri ne ruant) delinquunt adversùs clementiam Dei. Bonus eſt Dei judicis pavor; necnon & criminis horror: ſed adverſarius communis ab his anſam deſumit, ut peccatorem deſperare de venia ſuadeat. Eſt ille ſerpens antiquus; & ſerpentum eſt in venenum (quo non ſibi, ſed hominibus nocent) convertere cibos optimos, ſi forſan eos ore glutiunt. Anguis tartareus deglutit (ut ita dicam) hoc eſt ſæpe non curat impedire poſt peccatum formidinem bonam hominis de judicio Dei, horroremque gravitatis delicti commiſſi. Tamen ingenio ſerpentino fabricat inde non ſibi, ſed mortalibus, toxicum deſperationis. Non ſemel diximus, hoc extremum, ſimul & oppoſitum, de quo ſupra, vitandum. Nunc do tibi S. Agobardum, dicentem: *Quia ſpes animum ſemper erigit, metus autem premit, & metus ſpem & ſpes temperet metum; ac ne ſpes in ſuperbiam erigat, metus continuo adjacens metum premat; rurſum, ne immoderatus metus animum in deſperationem obruat, hunc confeſtim ſpes erigat.* S. Præſulis doctrina perſpicua non poſtulat explanari. Moneo, perpendenda maturè damna, quæ non ſemel incurrit qui poſt culpam imprudenter multus

S. Agobard. Archiep Lugdun ep. ad Elbon. Epiſc.

tus eſt in ponderanda gravitate flagitii præteriti. Fit aliquando, quòd iſtam agnoſcens, erratum ſine verâ pœnitentiâ fateatur, & pereat; cum econtra ſalubriter convertatur alter, qui non integrè libravit pondus peccati, quod jam commiſit. Multoties minùs vehemens cognitio magnitudinis delicti non obſtat emmendationi; vehementiſſima nonnunquam præcipitat in laqueum.

34. Execrabili ſæculis perfidiâ Judas vendidit Magiſtrum: ſed poſtea malè pœnitens peccaviſſe confeſſus eſt: & projectis argenteis in templo, tradidit ſe laqueo. Notabam, agnitionem delicti non fuiſſe traditori proficuam ad ſalutem; imo noxiam extitiſſe. Longe contigit aliter Saülo: qui, dum tenellas Eccleſiæ primitivæ plantas perſequeretur, proſtratus à Domino, converſus eſt. Res mira! Perit qui doctrinam acceperat in ſchola Salvatoris; & reſurgit qui neſciebat quid ſibi foret agendum? Vide. Saülus, cum vocem audivit Redemptoris, contremuit, & ſtupore correptus eſt: *Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 6. Conjector, Paulum protunc non valde perpendiſſe delicti ſui gravitatem; ſed ſolummodo quantùm ſatis erat, ut furorem conceptum deponeret. Nitor in eo, quòd cum audiſſet: *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris*, Ib. n. 5. non reſpondit: Peccavi nimis in perſequendo juſtum; ſed ait: *Domine, quid me vis facere?* Moderata cognitio delicti ſui, prudenſque timor extitit utilis ad veram pœnitentiam. Judas autem nequaquam veraciter pœnituit; ſed ad perditionem præceps ivit, eo quòd ex gravitate criminis decidit in mœrorem, qui deſperationem attulit. S. Joannes Chryſoſtomus: *talis*, inquit, *nempe diabolus eſt ut non dimittat hominem, niſi negligat ante ultimum effectum peccati magnitudinem prævidere, ne pœnitentia ductus à peccato reſiliat.* Chryſoſt. to. 2. hom. 86. in Matth. Et infra, loquens de Juda proditore, ſic habet: *Cum verò in ultimum jam effectum res venit: tunc pœnitentia ducitur neque tunc utiliter, & ut oportebat.* Dæmonis arte plures damnantur viâ pari: cùm ſcilicet execratio ſcelerum, quæ ducere potuiſſet illos ad portum, vitiatur per ſæculi triſtitiam; & indiſertè vehementem apprehenſionem immanitatis culpæ; quibus prolabuntur in deſperati metûs antrum. Non ergo bona via nimius timor; ſed *noviſſima ejus deducunt ad mortem.*

35. *Prædicator ne ſit perpetuus annuntiator ſupplicíorum.* Hinc videre licet, non ſapienter munus exequi ſuum aliquot miniſtros verbi Dei, confeſſioniſque tribunalis judices: quorum tota ſollicitudo verſatur in pavore fortiter incutiendo pectoribus illorum, quos intendunt ad ſanitatem ſpiritûs reſtaurare. Non eſt unica medici cura ferire morbidum: nàm ſic exanguem occidet, vel ſaltem ita debilitabit, ut remedia non ſuſtineat. Si ſapit, nunc lenibus utitur, nunc acerbis. Ita ſe gerere congruit eos, quibus incumbit ſanare morbos animæ. Gregem ducens nec ſemper utitur fundâ lapideque, pro reducendis ad viam pecoribus; ſed nonnunquam præſtat hoc levi ſibilo. Quantò magis id obſervandum eſt homines ducenti, non bruta, ne perpetuus in cædendo ſit. Bene dixit Gregorius Pontifex: *Nova verò atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* D. Greg. Pap. to. 2. l. 2. ep. 91. juxta fi. Oportet, concionatorem erigere corda fidelium ad pugnam contra vitia: ſimul & ipſos in Domino lætificare piè, quò ſanctè gaudentes amplectantur virtutes alacriter. Non igitur eſt unicum prædicantis officium denuntiare ventura ſuplicia Domini: præcipuum eſt munus incumbens ei, ſuis auditoribus proponere culpas, quibus inquinantur; ut abominentur eaſdem: non itaque jugiter annuntiet futuras pœnas.

Ad Vatem Evangelicum Dominus dixit; pertæſus populi ſui flagitia, quibus Clementiſſimum provocarunt. *Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Iſai. 58. 1. Ecce bis Prophetæ dicitur, ut loquatur de malefactis Judaïcæ plebis. Putares, poſt priora verba, non rurſus mox dicendum Vati quidquam de culpis annuntiandis; potiùs hortandum, quòd ſcelerum pœnam terribilis prædiceret. Quare non de ſupplicio prædicendo loquitur ad Iſaïam Dominus hoc loco? Puto, quia prædixerat ibidem ad eumdem: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem* &c. Ib. Quamobrem, ne Prophetа putaret congruum fore perpetuis clamoribus agere de flagellis Dei, nec unquam à perſonando terribilia ceſſare, nihil præcitatis verbis Dominus miſcuit circa nuntiationem ſupplicii. Ne prætereas illam ſimilitudinem tubæ, qua Deus inſtruens Iſaïam uſus eſt. Tuba quidem terrorem incutit nonnunquam; ſed non ſolum ad terrendum clangor ejus inſervit. Etiam tubarum ſonitu milites animantur ad prælium; & inſuper iis utimur in functionibus feſtivis ad movendum gaudium. Ita ſalubris doctrinæ diſtributor attentus, nec ſemper tamquam ad virtutis hoſtes acriter inſonet; ſolas inferni flammas in ore geſtans, & ſimilia: ſed etiam roboret animos ad ſpiritualem pugnam; & aliquoties de gaudiis æternæ vitæ verba faciat. Opportunè Commentator Luſitanus ad verba data nuper, apud Iſaïam: *Comparat*, inquit, *etiam Deus concionem cum tuba: quoniam ut tuba ad bellum vocat & excitat, ſic concio ſuadet ad fortiter cum mundo, carne, & diabolo pugnandum. Præterea ſolet tuba in ſolemnitatibus tonare ad gaudium nuntiandum.... ſic concionator debet excitare ad laborem in præſenti, & ad gaudium in futuro.* Fr. Hect. Pint. in Iſai prox. ſup.

Hæc expendant qui muneri concionatorio dant operam; ne zelo ducti, fidelibus nimiam trepidationem ingerant, quæ ſpem ſalutis proſternat.

37. *Efficacior eſt doctrina timorem ingerens & fiduciam, quàm ſolus terror.* Replicare ſolent ex illis quidam, ſe doctos experientiis, efficaciorem movendis auditoribus eſſe monitionem de verbere futuro, quàm aliud quodcumque prædicatoris verbum. Non diffiteor utilem eſſe timorem pœnæ: ſed attendendum illis eſt, ſe multos docere: quorum nonnullis valde neceſſarium invenitur attemperare ſuavibus mœſta. Quinimo dixit abſolutè loquens Chryſoſtomus: *Abſo-*

S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom. 7. in Act. longe poſt princ.

luta & perfecta eſt doctrina, quæ & metum incutit, & amorem declarat. Peritus navarchus non ſolum providet, ut pondus (non viribus impar) mittatur in navim, ne præ levitate fluctuet; ſed etiam curat, quòd, ut ita dicam, reſpiret velorum auxilio. Attendit ut vitentur ſcopuli; cogit in tempeſtate ferè cunctos laborare: ſed etiam ſatagit venturam tranquillitatem nautis prædicere, ne cadant animis. In ſpiritualia docens, non totus hæreat in perterrendis auditoribus: nam contingere poteſt, ut aliquis eorum nequaquam per fervoroſam pœnitentiam ducatur ad ſalutis portam; ſed preſſus vehementiſſimâ præteritorum criminum apprehenſione demergatur in deſperationis abyſſum. Doctor aureus dixit: *Pondus peccati deprimit deſperantem, providus autem pœnitens levius pergit.* Exiſtimant quidam, congruentiorem ad reducendos peccatores viam eſſe loqui jugiter de tremendis; omiſſis penitus omnibus, quæ poſſent illis præſtare fiduciam. Falluntur ſanè. Magis proficit ea doctrina, quæ non ſolam Dei juſtitiam punientem reducit in memoriam; ſed ejus clementiam pariter non ſinit obliviſci. Sæpe terror deſtitutus confidentiâ non adeo prodeſt ad emmendationem vitæ: ſi verò ſermo non ſolùm terreat; ſed recogitare faciat benignitatem Omnipotentis, ampliùs efficax eſt, ut homo virtutem complectatur.

Idem. to. 5. ſer. 1. de pœnit. poſt pr.

38. Dives epulo gehennæ traditus incendiis, ad acriorem culparum pœnam, proſpexit Lazarum quieſcentem in Abrahæ ſinu. Poſtquam repulſam paſſus eſt circa poſtulationem refrigerii, novam obtulit precem: novam, inquam, nam quis crederet, hominem tartaro damnatum ſollicitum fore de vivis, ne damnarentur? Memor de ſuis fratribus oravit Patriarcham, ut mitteret ad illos mendicum Lazarum; qui ſalutaria loqueretur ad eos, nec truderentur ad inferni carcerem ſimul & ipſi. *Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Putabat iſte, majorem vim ad utilitatem ſpiritualem fratrum habitura fore verba Lazari, quàm Scripturas. Theophylactus: *Nam, quamvis ipſe Scripturas audiens* (fortè legendum: *Quia ipſe*) *non crediderat, & fabulas eſſe putarat ea quæ dicuntur: ſimiliter etiam fratres ſuos ſe habere ſuſpicatus eſt: & ex ſe judicans dicebat, quod non aduturi ſint Scripturas, ſicut neque ipſe; ſed ſi quis ex mortuis reſurrecturus eſſet, crederuti ſint.* Vide tamen quid avaro dixerit Abrahamus: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Nonne vehementiùs fratrum divitis animo loquela mortui reſurgentis inſideret; ac illam reciperent qui non recepiſſent Scripturam? Non ita putavit Abrahamus: imo videtur inſinuare, minùs valituram apud eos atteſtationem alicujus ad vitam revocati, quàm Scripturas. Et quare? Quoniam, ſi defunctus reſurgeret, atque germanos epulonis alloqueretur, totum quod ore proferret, ipſos pavore multo prati faceret: quid enim demortuus ad vitam revocatus effaretur, quod non moveret formidinem? cum ad hanc ſatis foret advertere quòd audirent hominem, qui fuerat vita functus, ad ipſos verba depromentem. Minor eſt orationis efficacia, cum ſermo ſpiritum concernens nihil miſcet adducens audienti plenam confidentiam; ſed totus omnino terribilis eſt. At vero Scriptura non ſolam æquitatem Dei vindicem criminum peccatores cogit recordari; ſed etiam eos manuducit ad clementiam Domini perpendendam. Bene cenſuit Patriarcha procedens à majori ad minus, non profuturum ſermonem redivivi, qui terrorem pœnæ ſolum ingereret, iis, quibus non proficeret Scriptura, de qua timorem conjunctum fiduciæ poſſent eruere. Credant igitur decipi monſtrantes continuò nimii timoris viam. Meminerint, quòd *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem* &c.

Luc. 16. 27. 28.

Theophyl. com. in Luc. ib. n. 30.

Luc. 16. 31.

DELIBATIO IV.

Putant aliqui rectâ viâ progredi detrahentes proximo ſub ſpecie zeli.

39. FRequentiſſimè detractor putat (quamvis non inculpabiliter) ſanctè ſe loqui reprehendentem in altero flagitium, quaſi ducatur affectu; quo permotus nollet ut ille, quem fugillat, fœdaretur eâ maculâ. Sic fallunt ſemetipſos necnon & auditores multos: quorum gratiam captant, metuentes haberi ſe maledicos. Odibile nobis nimis eſt in aliis detractionis vitium: propterea multi detrahentes curant abſcondere maledicentiæ turpitudinem; timentes audientium notam. Sed minime decipient illum qui cernit acutè: prudens hic introſpicit virus latens; quantumlibet obveletur ſignis oſtendentibus compaſſionem, quam de peccato proximi fingit maledicus. Apprimè noverat iſtos D. Bernardus: *Videas*, inquit, *præmittivalta ſuſpiria: ſicque quâdam cum gravitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri.* Hujuſmodi ſtylum detrahendi ſequuntur aliqui peccatis dediti; qui tamen ſe peccatores non agnoſcunt: quod ſi recogitarent, propria ſcelera magis attenderent, quam increparent aliena. De ſingulis hominum iſtorum proferre poſſumus verba Præſulis Venetiarum, dicentis: *Nullus veram alieni cordis valet proferre ſententiam: qui enim peccatorem ſe humiliter recognoſcit, non facilè detractioni vacabit: potiùs ſua, quàm aliena accuſabit delicta*: &c. Sicut iſti ſe non agnoſcunt, ita putant, eorum nequitiam ab aliis ignorari. Quinimo credi volunt, ſe diligere multum illos, quibus velut condolentes maledicunt. Demus quod iſti malè,

S. Bernar. ſer. 24. ſuper. Cant. med.

S. Laur. Juſt. de interior. conflict. c. 2. juxta med.

malè, seu potiùs falsò, charitativi detractores ita se habeant erga proximum, qui linguas eorum dolosas non evadit, ut si malum contigerit eidem, afficiendi tristitiâ sint; & contra, si bonum acciderit ei, gaudium sint concepturi; non ideo verè diligunt ipsum, cujus facta reprehendunt. Hoc tam verum est, ut sic aliena curans, haud contentus verba factaque proximi notare quasi mala, telum detractionis infigat ejus cordi. Verbum alterius damnat: factum etiam condemnat: & adhuc linguæ jaculum in cor ejus contorquet.

40. Sequebantur tres filii majores Isai signa militaria Saülis. Ad eos missus est à patre David natu minimus, ut visitaret eosdem. Cum venisset ad locum certaminis, apparuit Goliath sese offerens ad pugnam singularem. Fugerunt Israëlitæ metu correpti. David, quamvis non sectaretur castra, doluit quòd exprobraret Gigas exercitum Domini. Percontatus est quid percutienti Philistæum illum donandum foret. Audivit loquentem frater ejus Eliab, & iram concepit adversùs eum: insuperque reprehendit, quòd oves dereliquisset. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, & ait: *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium descendisti.* 1. Reg. 17. 28. Nonne credibile, quòd Eliab gavisus est postea, cùm David Gigantem superavit? Fateor, timuisse, ne vitâ privaretur germanus in duello: sed an satis non erat (si verum est quòd jam timebat hoc) damnare Davidem quòd loqueretur de re bellica, pastoris munera tantùm sciens? & quòd venisset in aciem? ut quid jactat se scrutatorem Davidici cordis, ut illud asseveret esse nequam? *Ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui*: &c. Solutioni præmitto quæ leguntur apud Glossam. Gloss. Ordin. ex Raban. ib. *Putabat in eo tumorem propter Samuëlis unctionem, quasi ex ea audaciam sumpsisset, & timebat ne si congrederetur cum Philistæo interficeretur.* En Eliabus Davidem sic vel sic diligebat: cum esset de illius vitâ sollicitus; &, ut credibile dixi, fuerit lætatus cùm David evasit victor. Nihilominus ejusdem lingua detexit, ejus dilectionem circa germanum perfectam non fuisse: non enim solùm judicavit perperam de fratris corde; sed germani sermonem factumque damnavit; ac temerarium judicium protulit ore. Similes non pauci reperiuntur Eliabo: sub pallio dilectionis erga proximum reprobant ejus facta verbaque: necnon in cor illius mittunt detractionis lanceam.

41. *Facilius detractor agnoscit maledicentia turpitudinem, si proponatur in aliis derahentibus.* Alii sunt, qui murmurationi vacant sub tegumento zeli de bono publico. Sententias proferunt iniquas adversùs alteros; quasi gerentes curam de Reipublicæ commodo. Ingenium istud eligunt maledicendi, ne putetur, ipsos ex invidia loqui, vel ex alia passione damnabili; cum se boni communis dilectores ostentent, propterea que damnare factum alienum ei contrarium. Execrandus nimiùm detractionis modus est ille: quoniam laudari gestiunt ii maledicentiam suam ab omnibus affectuosè tractantibus ea quæ cunctos attinent. Memini S. Hieronymum sensisse, detractorem æquari serpenti: nam ad illa verba Salomonis: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Eccle. 10. 11. commentatur sic: *Simplex hic sensus est: Serpens & detractor æquales sunt.* S. Hieron. to. 7. com. in Eccle. ib. Nullam genuino sensui Textûs irrogabit injuriam qui dixerit serpentibus pejores aliquos detrahentes; illos scilicet qui detractionem suam offerunt alteri, quâ placeant ei tamquam boni publici curatores; quia serpens nulli suum venenum propinat, ut ejus erga se moveat complacentiam. Abominabile genus, inquam, obtrectationis est illud. Sed hoc nunc adnotare juvat, quòd faciliùs censemus execrabile hoc vitium, si judicamus illud in aliis; quàm si nosipsi labamur in idem. Utile quidem erit ad hoc ut maledicentem corrigas, illi proponere, non quidem peccatum suum, quod non agnoscet facilè; sed maledicentiam alienam palliatam zelo publici boni: sic non difficulter abominabitur in aliis ejusmodi nequitiam.

42. David cum sociis latitabat in antro. Dei nescius ingressus est illuc Saül, cum persequeretur eum. Superavit generosè David suos vindictam suadentes; &, quod majus est, seipsum vicit, ne manum extenderet ad ultionem. Attamen in fidei suæ testimonium præcidit oram chlamydis regiæ: pergentemque Saülem secutus clamavit ad illum. Respiciente Saüle, dixit ad eum: *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?* 1. Reg. 24. 10. Cur non potius dixit: O rex, qua de causa loqueris adversus me? nonne Saül dixit falsò, Davidem insidiari sibi? Regis verba recole: *Eò quòd suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie.* Ib. c. 22. 8. Non est parum simile verò, fuisse nota Davidi verba, quæ nunc retulimus: nam sicut ipse novit, audivisse regem quod ei dictum fuerat adversùs ipsum; sic potuit scire quæ protulit Saül contra eumdem. Igitur quare non loquitur ad regem, dicens: Qua ratione verba profers lædentia decus fidelitatis meæ? Quia detractio de Davide, tamquam esset hic Saüli perfidus, tegebatur pallio dilectionis erga bonum commune Reipublicæ; cujus interest, incolumem regem servari. Propterea fœditatem istiusmodi maledicentiæ non facilè quispiam videt in semetipso; cernet eam faciliùs, cum expenderit eam in aliis. Et ut flecteret non difficulter Saülem David, non in ipso vitiosam locutionem proposuit ei; sed in alienis labiis; quæ Saül audierat. Patrocinatur Chrysostomus: *Quam igitur, ait, ob causam, crimen transtulit in alios, dicens: Cur audis verba populi tui, dicentium: Ecce David quærit animam tuam? nisi ut illi præbeat occasionem excutiendi malitiam? Hoc nimirum & parentes sæpenumero faciunt erga filios, dum quispiam corripiens filium suum corruptum,* S. Ioann. Chrysost. to. 1 hom 2. de David & Saüle med.

ruptum, multaque operatura mala, quamvis ſibi perſuaſum habeat illum ex propria malitia ad perditos mores exorbitaſſe, frequenter tamen in alios culpam rejicit, ita loquens: Novi non fuiſſe tuum delictum, ſed alii te corruperunt ac ſeduxerunt. Illorum eſt totum hoc peccatum.

1.Reg.24.18. Non fefellit induſtria Davidem: nam falſus eſt ita Saül: *Juſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddi tibi mala.* Qui ſtudet corrigere zelatores maledicos; eis proponat hujus culpæ malum in aliis; & fortè reducet eoſdem.

43. *Zelus bonus degenerat aliquando.*

Fateor, & Zelum dari laudabilem; quo delicta proximorum feriuntur acriter. Sed identidem fallimur ſpecie recti: bonumque reputamus quod eſt omnino vituperabile. Non ſolis peccatoribus venit ex hac deceptione periculum: etiam Chriſti ſervi periclitantur in ſubjecta materia. Redeamus ad S. Laurentium ſupra datum: *Hanc charitatis regulam multi ſervorum Chriſti ſe ignorare fatentur, dum detractioni proximorum relaxant frena eò periculoſiùs, quod ſub zeli ſpecie id actitare videntur. Neceſſe prorſus eſt, ut tales delinquant frequenter.* Ut zelus contra delinquentes bonus exiſtat, plura vitanda ſunt. Primùm nequaquam ei miſcendus eſt furor: non enim laudabo quod ſcandalum fratri miniſtrat. Lege Radulphum, qui ſic habet: *Zeli ipſius fervor temperandus, ne ſcilicet mens delinquentis ad impatientiam decidat, dum ſine menſura increpationem adverſum ſe deſævire conſiderat:* &c. Secundum cautè vitandum eſt, ne ſubrepat invidia ſub nomine zeli commendabilis. Eodem nomine, *Zelus*, aliquando ſignificatur livor. Remigius Antiſſiodorenſis: *Hoc verbum quod eſt* Zelatus ſum, *vel*, Zelus, *quod vocabulum ab ipſo venit, aliquando ſignificat amorem, ut ibi*: Zelus domus tuæ comedit me. *Aliquando furorem invidiæ*, &c. Sicut eâdem voce nominantur, & hoc vitium, & illa virtus; ita periculum ſubeſt, ut zelus malus invadat eos, qui ferebantur zelo bono. Hic aliquando tam facilè tranſit in damnabilem; ut virtutis amici, de ſocietate detrahentis, obtrectationis ægritudinem contrahant; & licet priùs pro virtute zelaverint, ad murmurationem declinent, ſuadente detractore. Vigilent juſti; quoniam diſcrimen in re tam contagiosâ magnum ſubeſt.

S.Laur.Juſt. l.de interior. conflict. c.2. juxta med.

Radulph l.5 in Levit.c.1. longe ante med.

Remig.Antiſſidor.com. in Joël. c.2. poſt med.

44. Vicinus prælio paſſionis venit in Bethaniam Dei Filius. Martha ſollicita miniſtrabat: Maria pedes unxit Salvatoris. Non expers à calumnia fuit hæc pietas: diverſimodè tamen loquunrur Evangeliſtæ. Joannes calumniantem refert Judam; de reliquis diſcipulis tacet. *Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Matthæus autem & Marcus locuti ſunt pluraliter. Scribit Matthæus: *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Marcus ait: *Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? Poterat enim unguentum iſtud venundari, plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.* Nihil pro hiſtoria ponderanda quæro: nam ipſe ſcriptorum diſſenſus apparens materiam noſtræ cogitatiunculæ ſatis miniſtrat. An ſolus proditor, quia fur erat, calumniatus eſt? vel etiam alii diſcipuli; quamvis non ex illo turpi fine? Res componi valet ex Auguſtino; cujus hæc ſunt verba: *Poteſt etiam intelligi quod & alii diſcipuli aut ſenſuerint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente perſuaſum ſit, atque omnium voluntatem Matthæus & Marcus etiam verbis expreſſerint: ſed Judas propterea dixerit, quia fur erat, cæteri verò propter pauperum curam.* Sancti Doctoris verba ſonare videntur, ipſius mentem fuiſſe Judæ condiſcipulos à detractione penitus liberare? ſed oppoſitum fortè cenſebis advertens, quòd ubi nos apud Marcum legimus: *Fremebant*, habet Syriaca lectio: *Murmurabant.* Non erant adhuc Apoſtoli perfectione conſummati: nocuit eis Judæ ſocietas, & perſuaſio. Zelus bonus ardebat in ipſis erga pauperes: ſed adeo periculoſum eſt illum adulterari, cùm aliena facta judicantur; ut lapſi fuerint in detractionem zeli nomine factam. Animadvertant qui virtutis amore trahuntur ad abominanda geſta mala proximorum, zelantes pro bono contrario, periclitari ſe, ne decidant in linguæ maledicentis vitium.

S.Aug.to.4. l.2.de conſen Evange longe ante fi. l.

Lect. Syri. Marc.14.5.

45. *Calumniator aliquando peccat in eodem genere, quod in proximo damnat.*

Alii ſunt, zelum de proximorum factis oſtentantes: qui non ſolo detractionis morbo laborant; ſed in eâdem prorſus materia delinquunt; circa quam alios condemnant. Utuntur hac arte. Simulant, complecti ſe virtutem quamdam: cujus defectum notant in altero; ſed eodem peccato ſe polluunt, quod reprehendunt. Induſtrioſum eſt hoc, etſi non laudandum. Ceu morboſus eô malæ valetudinis genere, quod ipſe renuat curari; quin & abſcondere ſollicitet; condolet alteri patienti ſimilem ægritudinem, ut ſic diſſimulet ſuam; quam ſubjicere non vult medicis juſſis, valde ſibi moleſtis. Haud aliter iſti medicorum ſpiritualium pharmaca proſequuntur odio: ſimiliter ægris compati ſe perhibent; ut ita ſe probent ſanos, & vitent medicaminis moleſtiam. Accedit, quòd propriorum criminum cognitio reſiſtit murmurationi, quâ ferit criminoſus aliorum vitam. *Si vis*, inquit S. Iſidorus Hiſpalenſis, *detrahere, tua te peccata retorqueant. Non alterius peccata, ſed propria cernas, vitia tua, non aliena intende, nunquam detrahes ſi te perſpexeris.* Unde fit, ut aliquis detractor ſic peracutè diſcurrat. Qui me damnantem audiverit hoc genus delicti, non credet, meipſum in ſubjectâ materiâ commaculari: cum ſciat, hominem (ſi non perfrictæ frontis exiſtat) agnoſcentem in ſe culpam, quam cernit in aliis (imo & alteras diverſi generis) ori ſuo manum imponere. Cumque de ſceleribus proximorum confidenter me loqui plures audiant, judicabunt inculpatum. Sed non obſtante ſimulatione prædictâ, deprehendimus, reum eſſe violationis ejuſdem legis non ſemel, eum qui condemnat

S.Iſid Hiſp. l.1.ſynonym. c.9.

Ioann.12.4. 5.

Matth.26.8. 9.

Marc.14.4.5.

condemnat alium tamquam tranſgreſſorem ejuſdem. Audis calumniatorem proximi ? Rem prudenti ſcrutare judicio : non difficulter invenies ipſum delinquere contra præceptum, de cujus fractione judicat innocentem ſeverus.

46. Paralyticus ille, cui tot annorum patientia ſanitatem non attulerat, pietate Salvatoris brevi ſanatus eſt. Sed quia dixerat illi Dominus, ut ſuum tolleret grabatum, bajulabat illum. Cernentibus Judæis hoc diſplicuit, quia ſabbatum erat. Et cum noviſſent, Jeſum eſſe qui dixerat homini, quod ferret onus, damnavere Dominum tamquam fractorem
Ioann. 5. 16. præcepti de ſabbato ſervando. Quin etiam *propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato.* Cur non adinvenit eorum nequitia peccatum aliud quod falsò imponerent innocentiſſimo ? nonne cœcabat eos iniquitas, & hæc ad calumniandum propellebat? Audi Cardinalem
Cardin. Toler. com in Ioann. ib. Toletum. *Cum amare, venerari, credereque deberent, quia ſanum hominem fecerat, perſecuti ſunt, quia in ſabbato ſanum fecit : pluſque potuit temporis circumſtantia ad perſequendum, quàm tantum opus ad ſequendum Chriſtum eos inducere ſuâ iniquitate & malitia excœcatos, quæ eos ad calumniandum Salvatorem impellebat.* Ergo quare non, exemplî gratiâ, Chriſtum Dominum appellaverunt incantatorem, dicentes quòd ſanitatem contulerit verbis; cum illam reciperent alii cœlitus in piſcina? ſed judicant eum de non cuſtodito die feſto ? Quia prædicti calumniatores non erant magi ; fractores verò ſabbati maximè ; ſi attendatur ſpiritus legis præſcribentis obſervantiam ſabbati. Notandum enim eſt, ſabbati cuſtodiam ſignificaviſſe abſtinentiam à peccato. Euthymius ex Damaſceno : *Dum lex jubet, ut*
Euthym. ex Damaſc. in panopl. p. c. 32. *ſeptimo die à rebus corporeis feriati ſpiritalibus incumbamus, monet verum illum Iſraëlem, qui mente Deum cernit & contemplatur, ut omni tempore Deo vacans, ſe rebus corporeis ſuperiorem præbeat.* Adde S. Proſperum qui ſe-
S. Proſp. epigr. de ſab. quentia cecinit :

Non recto ſervat legalia ſubbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos :
Omnia conveniunt opera juſtitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus otia ſancta :
Tantùm à peccatis libera corda vacent.

Cum igitur Judæi calumniatores forent nequam, verè non obſervabant ſabbatum. Jam non miror quòd hujus fractionis reum putaverint Chriſtum Dominum. Solent calumniantes duci zelo malo : condemnant alium in eodem genere, quo delinquunt. Culpabiliter putant ex iſtis aliqui, zeli ſui viam eſſe optimam : *noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

47. Omiſſis illis, qui zeli malitioſo corripiuntur igne ; veniam ad eos, qui zelando peccant ex ignorantia culpabili. Miſeratione multâ digni ſunt iſti : nam conantur in ſublime virtutis faſtigium quoddam aſcendere ; curantes nempe de alieno ſpirituali bono ; cum terrenis alligati retineantur : ideo, dum aſpirant ad volatum, decidunt. Horum quiſque, ſi bene ſemetipſum noſſet, uſurpare ſibi valeret Abbatis Iſaiæ verba, loquentis alior-
Iſai. Abb. or. 8. in Princ. ſum : *Similis ſum paſſeri, cujus pes laqueo vinctus ſit : qui dum ſolutum ſe exiſtimans volatu extollitur, laqueo retinetur.* Avis ligatam ſe non advertens in terra, volutarit, ac dum quatiens alas erigitur, corruit. Sic aliqui putantes quidem ſe nimis expeditos à peccati ligamine, volare geſtiunt ita, quòd ſatagere nituntur de ſpirituali ſalute multorum : inde fit, ut, quia laqueo tenentur, in ſuperbiam, ſimiliaque labantur ex ignorantiâ voluntariâ. Miſerum eſt hoc : nempe quòd ignorantia, quæ plures liberat à culpa, demergat iſtos in profundum. Quòd in eodem æquore, cujus undas immunis à naufragio ſecat navis una, ſimul altera ſcopulis illiſa naufragetur, compaſſionem commovet. Hac utor ſimilitudine, ſumens occaſionem de modo loquendi S. Gregorii
D. Greg. Mag to. 2. l. 5. in Prim. Reg. 14. c. 4. longe poſt med. Papæ, qui dixit : *Magnum quippe eſt humanæ ignorantiæ pelagus.* In hoc neſcientiæ gurgite ſalvantur à naufragio peccati plures : illi ſcilicet qui neſciunt inculpabiliter ; & operantur facta de ſe mala. Proinde miſerabile dictu, plurimos alios, ignorantes voluntariè, per viam perditionis præceps ire, ductos ignorantiâ. Benignitatem Domini valde movet ejuſmodi miſeria. Peccantem ex malitia deſeret nonnunquam Deus ; delinquentem verò per ignorantiam reſpiciet miſericors.

48. Judam & Saülum componamus ad invicem : quantumlibet enim longiſſimè diſtent ; attamen prior Chriſtum Dominum tradidit in perſonâ propriâ ; poſterior verò perſecutus eſt illum in myſticis membris. Non eodem pacto ſe geſſit Redemptor cum utroque. Permiſit Judam perire ; non autem Saülum. Benigniſſime Deus ! Agnoſco, Judam atrociter deliquiſſe nimiùm : ſed an Saülus leviter peccavit in teipſum ? Imo confitetur ipſe ſcribens ad Ti-
1. ad Timoth. 1. 13. motheum : *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus* : &c. S. Anſelmus ibi Blaſphemus fui, *id eſt malè loquens de Jeſu Nazareno* : & perſecutor *ſanctorum ejus*, & contumelioſus, *id eſt contumelias multas verbis & operibus faciens Chriſtianis* ; &c. Neſcimus autem, proditorem de Chriſto Domino, fidelibuſque locutum fuiſſe malè. Præterea. Judas fuerat Filii Dei ſocius ; non ita verò Saülus. Quare diſcipulum Dominus permiſit in barathrum deſperationis proruere ? Saülo verò ſollicitus apparet, ut præcipitem detineat ? Quia Judas ex malitia nimis execrabili peccavit ; Saülus autem ex ignorantiâ. Legimus Apoſtolum proximè citato loco dicentem : *Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Idem Anſelmus ad hæc verba : Sed
1. ad Timoth. prox. ſup. S. Anſel. ſup. miſericordiam Dei, *id eſt remiſſionem peccatorum à Deo* conſecutus ſum, quia *non malignæ mentis ſtudio id feci, ſed* ignorans *id eſt neſciens me mala agere : quia zelo legis fervens perſequebar prædicatores gratiæ, & mihi putabam me Deo placere*, &c. Salvator ad miſerationem inclinatus convertit Saü-

lum quia res erat miſeranda valde, quòd cum eo tempore tot homines per ignorantiam adhuc inculpabilem excuſarentur à peccato, reſpuentes Evangelii fidem; Saülus culpabiliter neſciens peccaret opponens Eccleſiæ furorem, quem ſuadebat zelus. Exiſtimbat ille, ſe tendere rectô calle; ſed *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus* &c.

DELIBATIO V.

Adverſus eos, qui fœdantur invidia, quaſi tenerent viam æmulationis.

49. *Truculentior eſt invidens, quæſito colore virtutem æmulantis.*

NOn ſemel notabam, quantum ſollicitudinis oporteat virum perfectum adhibere circa vitanda mala culpæ quædam vicina bonis actibus. Ex illis unum eſt livor, facie tenus affinis æmulationi ſanctæ, qua juſti ſolent æmulari chariſmata meliora. Aliud eſt contendere licitis mediis pervenire feliciter ad bonum, quo potitur alter; aliud autem dolere quod ipſe fruatur eo. Claudius Epiſcopus: *Ne quis*, ait, *ſanè arbitretur hoc eſſe invidia, quod eſt æmulatio. Vicinæ enim ſunt, & propter ipſam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, æmulatio pro invidia, vel invidia pro æmulatione ponitur.* Aliquando putabam, virtutem ſaltem inter cætera bona mortalium exemptam ab alieno livore: nam invidere cernimus homines illud quod ſibi diligunt, & ab aliis poſſidetur: at, cum liventes non optent ſibi virtutem; credebam, ſagittas invidiæ nequaquam in alterius benefacta mitti. Nunc deceptionem fateor ingenuè meam. Qui non bonus eſt, ſed lividus, cupit ſpecimen rectè viventis præ ſe ferre, quin alter præcellat ipſi: quapropter invidiâ proſequitur eum, qui veraciter ſanctus eſt. D. Auguſtinus: *Iſti autem*, ait, *qui falſi juſti ſunt, videri volunt juſti cum non ſint, & neceſſe eſt ut quem viderint verum juſtum, invideant illi, & hoc cum illo agant quomodo amittat unde gloriatur. Inde veniunt omnes ſeductiones & ſupplantationes.* Imo, cum virtus inſigne bonum exiſtat; ardentiùs furit invidia contra virtutem (quis crederet!) quàm adversùs alia proximorum bona. S. Iſidorus Peluſiota: *Cum*, inquit, *in nulla alia re bona, aut boni ſpeciem habente, lenis eſt invidia, verùm acerba & truculenta: tum vero in virtute, quæ boni naturam propriè ſortita eſt, conſolationem prorſus omnem reſpuit.* Debacchatur ergo furioſiùs, cum perſonam induit æmulationis virtuoſæ contra bene geſta proximorum: quia ſic perſonatus pudorem deponit, & ab ipſo flagitio malus captat honorem. Hinc oritur, eſſe ferociorem invidiam, quæ pallio tegitur æmulationis de virtute alterius. Sævior eſt invidens, quæſito colore bonum æmulantis.

Claud. Epiſc Taurin. in Epiſt. ad Galat. c. 5. ante fi.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 139. 6.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 224.

50. Duo paria germanorum, ſed imparia, legimus apud ſacra. Primum extitit Caïn & Abel: ſecundum Jacob & Eſaü. Caïn libenti percitus iracundiâ necavit fratrem. Eſau, quamvis odio perſequeretur Jacobum differebat occiſionem illius ad tempus venturum poſt mortem genitoris. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Quare ſic immoratur Eſaü? non autem ſimiliter Caïn protelavit necem Abelis, ut illam exequeretur poſt obitum Adæ, ne doloris cauſa foret parenti ſuo? concitatur amplius furor prioris homicidæ, quàm Eſau ſectatoris ejus? Magis furiebat livor in eo, qui primus extitit mortis miniſter. Et quare? Memento motivi, quo præcipitatus eſt Caïn ad homicidium. Accipe D. Gregorium Papam. *Hinc eſt*, ait, *quod Caïn ad perpetrandum fratricidium corruit: quia deſpecto ſuo ſacrificio, prælatum ſibi infremuit, cujus Deus hoſtiam accepit, & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, ne utcumque eſſet, amputavit.* Unde conjicere poſſumus, Caïnum invidiſſe fratris virtuti. Non hac via tetendit Eſaü: cujus livor ad temporalia ferebatur. Idem Pontifex: *Hinc*, ait, *Eſaü ad perſecutionem fratris exarſit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen pro eſu lenticulæ ipſe vendiderat, minorem ſe eo, quem naſcendo præbat, ingemuit.* Non ſimulabat Eſaü, ſe virtutem fraternam æmulari: quamobrem nequaquam eſt mirum quòd invidiæ furor eumdem non traxerit, ut ad internecionem germani properaret. Caïn verò, quem ſuſpicari licet velantem æmulationis velo nequitiam ſuam, ſic invidit furenter, ut non ad longa tempora remiſerit fratricidium. Nimium crudelis eſt livor ejus, qui faciem ſumit æmulantis virtutem proximi; cum non ſit bonus æmulator; ſed vilis invidus.

Geneſ. 27. 41.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 5. mor. c. 31. in princ.

Idem ib.

51. *Humana ſuperbia cupit in ſciendo pervenire ad impoſſibile.*

Tranſeamus ad aliud invidiæ genus, etiam palliatum æmulationis laudabili nomine. Sic invident multi ſapientiam alterius: & ſe fingunt æmulatores; cum ſint omnino lividi. De ſuperbia trahit originem ſcelus iſtud. Tumentes nec circa res parvi ponderis ab aliis vellent ſuperari; nedum circa ſcientiæ celſitudinem: quæ, cum ſpectet ad præcipuam hominis facultatem, longe præcellit multa, quæ numerantur in bonis. Matrem comitatur filia: ſuperbiam ſcilicet invidia. Proficuus erit aliqualiter hic D. Petrus Chryſologus, loquens de Phariſæis. *Phariſæos*, ait, *nanque ſcientia inflabat ad ſuperbiam. Erat in eorum facie hypocriſis, erat in eorum mente invidiæ hydrops, erat in pectore ſiticuloſus fons, erat ardens unda*, &c. Paſſim concatenantur hæc omnia; nec tam ſtulta ſcelera vitat in hoc genere ſuperbus: quoniam etſi de ſapiendo ſuperbiat, mente cœcus eſt. De cœcitate non dubitas elationis; & parum foret vocare tumidum lippientem: quia defectum visûs patiens, fatetur illum, quin & inculcat, ut moveat compaſſionem audientium: nec audet plùs videre, quàm valeat. Superbus autem non ita. Quinimo turgidus ad impoſſibile ſibi tentat in ſciendo pervenire. Quandoque novit haud ſibi datum ampliùs agnoſcere; ſed præ ſuperbia cupit ſapere præter quàm par eſt.

S. Petr. Chryſol. ſer. 172. ad fi.

Primus

52. Primus Parens miſerè corruit ; optans aſſequi ſcientiam divinæ ſimilem. Hæc Ruperto mens ad illud : *Ecce Adam* &c. ubi ſic habet : *Non quomodo ipſe ſperavit, ſed ſic factum eſt iſtud, quomodo deceptor voluit. Non ſic ſcit bonum & malum, quomodo omnia proſpiciens Deus*, &c. Quis non mirabitur (vel potius quis admiratione proſequetur ſatis) Adam ejuſmodi ſpem ridiculam concepiſſe ? Arnoldus Abbas : *Non poſſum*, inquit, *ſatis mirari ad illius tentationis fallaciam, & ad verba mendacii tam citò animum hominis inclinatum.* Meritò ſic miratur, *cum eſſet ſapientiſſimus conditus Adam*, ut notat Lipomanus. An ignoravit, impoſſibile ſibi conſequi ſimilitudinem ſcientiæ divinæ ? Quis adeo ſtultum credet Protoplaſtum, ut hoc neſciret ? Sciebat utique : ſed primum ejus peccatum fuit ſuperbia ; ſic docente communi Theologorum ſententiâ cum D. Thoma 2. 2. q. 163. art. 2. Superbiens igitur non ſe per impoſſibilitatem cognitam continuit, ne ſcientiam deſideraret ampliorem eâ, qua donatus fuerat à Conditore. Tumorem Protoparentis imitantur filii plurimi : dum aliorum ſapientiam noſcentes majorem ſuâ, nituntur ad ejus culmen aſcendere ; quod attingere nequeunt. Addunt ſuperbiæ comitem invidiam excellentiæ prædictæ. *Omnis quippe ſuperbus*, inquit citatus Arnoldus : *conſequenter eſt invidus : quia propriæ excellentiæ appetitor ſemper eſt alienæ felicitatis detractor.* Livorem contegere ſatagit æmulationis pulchro vocabulo qui ſic rapitur amore proprio : putat ſæpe laudabiliter operari ; ſed aberrat à via bona.

Rupert. l. 3. in Geneſ. c. 28. ad fi.

Arnold. prox. ſup.

53. *Tentatione probatur ſapiens dum audet congrui cum illo minor eo.*

Iſti vaniſſimi ſapientiæ dilectores præſumunt inire certamen cum ſapientiſſimis: imo ſomniant ipſos longe præcellere. Durum eſt hoc verò ſapienti ; ſed ferendum. Verum enim verò tolerantia virtus eſt prudentibus familiaris : illaque ſuperat inclytè liventes : omittens contentionem, vindictamque non amans. Scitè ſcripſit ad quemdam rex Theodahadus apud Caſſiodorum. *Provectibus quidem proxima eſt indubitanter invidiâ : ſed tolerantiâ melius vincitur quæ contentione ſemper augetur. Supra cæteras enim virtutes amicam ſapientibus ama patientiam : erectus ex nobis, ſuſtinendo potiùs quàm vindicando laudaberis.* Omnis invidia mehercle tentatio dici valet ſapientis, quem livor impetit. Sed ſpecialiter probatur homo ſapiens, cum ille, quem valde ſuperat, congredi non metuit cum ipſo : tum quia ſapientiorem allicit multùm cupiditas afferendi confuſionem æmulanti ſuperbo ; conjectâ in illius faciem ignorantiâ, qua laborat æmulator : tum quia ferè perplexus hæret ſapiens, intra ſe dicens : An ſuperbior fiet, ſi me pronus ipſi prudenter humiliavero ? an exardeſcet plùs invidiâ, ſi reſiſtam, atque vincam ? Crede, probari tentatione ſapientiſſimum, ſi cum illo confligere præſumat is, quem ipſe non pauca docere prævalet.

Rex Theodaha. apud Caſſiod. l. 10. var. 11.

54. Florebat eximiâ ſapientiâ cœlitus datâ Salomon ; quæ laudabiliter apud exteras nationes perſonabat. Audiens ejus inclytum nomen regina Saba venit ejus probare ſapientiam. *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* Illud, *In nomine Domini*, premit Sanctius, & commentatur ita : *Deo inſpirante, atque auſpice ; cum tamen ipſa de Deo cogitaret nihil, longam illam peregrinationem ſuſcepiſſe.* Quomodo ſtat, veniſſe Reginam inſpirante Domino ; cum venerit Salomonem tentare ? Legimus enim apud Apoſtolum Jacobum : *Deus enim intentator malorum eſt : ipſe autem neminem tentat.* Leve dubium : ſcis enim, quòd frequenter Dominus tentat ſuos dilectos, probans illos. Auguſtinum legiſti, dicentem : *Si enim nunquam tentaris, nunquam probaris* : &c. Igitur forſan aliquis putabit, non omni veriſimilitudine deſtitutum ſecundum ſenſum litteralem addendum priori cunctis noto circa verbum *Tentare* : quaſi Textus inſinuet, Deum, ad probandam ſapientem patientiam Salomonis, uſum fuiſſe Reginâ, quæ velut contendere cum ſapientiſſimo fuit auſa. Quòd ipſa fuerit æmulata Salomonem, venari poſſumus aliqualiter ex eo, quòd cùm in terra famam ejus audiit, non adhibuerit fidem referentibus : *Non credebam narrantibus mihi*, &c. & poſtquam experientiâ comperit, Salomonicam ſapientiam famâ longè majorem, *non habebat ultra ſpiritum.* Commentatur Hugo Cardinalis : *Vel ſic : id eſt non reputabat ſe habere aliquam rem reſpectu Salomonis.* Hæc ſunt indicia cordis invidiâ non expertîs : quippe ſolitum eſt invidis alienis excellentiis minimè credere ; cumque poſt convincuntur, obſtupeſcere. Regina, prout non ſine veriſimilitudine puto, ſibi livorem iſtum velabat æmulatione ; cum tamen illam docere poſſet multa Salomon ; *Et docuit eam Salomon omnia verba quæ propoſuerat* : &c. Hæc mulieris temeritas, prudentiæ, vel tolerantiæ Salomonis tentatio vocari poteſt ; quâ probaretur ejus robur in ferendo quòd velut iniret cum eo conflictum pollens minori ſcientiâ. Maneat igitur, eos, qui liventes audent contendere cum eruditione maximâ præditis, ſuperinducunt invidiæ ſuæ velamentum commendabilis æmulationis, erroneè judicare, ſe per bonam pergere viam.

3. Reg. 10. 1. Sanct. ib ad v. 1. n. 7. Iacob. 1. 13. S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 144. 3. Reg. 10. 7. Ib. n. 5. Hug. Card. com. in 3. Reg. ib. Eccl. cap. n. 3.

55. *Prudentia non invidentis alterius famam expenditur.*

Sequitur expendendus livor alienæ famæ. Nimius eſt in aliquibus ardor famigerationis longiſſimè concrepantis : & è ſuperfluentis deſiderii flammâ fumus aſcendit obnubilans mentales illorum oculos ita, quòd proprium damnum computent nonnulli decus illud, quo per ora cunctorum audiunt alterum volitare. Excedunt plurimi mortales in odio propriæ mortis : ideo ferè putantes, evaſuros eſſe fati legem ſe per bonam exiſtimationem publicam ; plùs æquo, necnon fatuè de fama ſatagunt. S. Thomas à Villa nova : *Ex quo eis non conceditur perpetuitas vitæ, procuratur perpetuitas famæ, ut quia non poſſunt vivere in gentium præſentiâ, vivant ſaltem hominum memoriâ. O inſignem ſtoliditatem ! ô ridendam, imo potius deplorandam fatuitatem !*

S. Thom. à Vill. no ſer. de S. Ægidi. juxta med.

Verum

Verum eſt quòd vivimus aëris auxilio reſpirantes: ita probatur aërea vita noſtra. Sed quomodo fieri quibit, ut hominum linguis articulatus aër, hoc eſt illorum verba, nos eripiat à juriſdictione tandem venturæ mortis, efficiendo nos immortales? Plane ſtultus eſt qui ſic exiſtimat. Accedit huic errori comes alter. Cum ſit multorum ſuperfluus timor ignominiæ; deluſique judicent ſe vituperari, cum laudatur alius, torquetur invidus hac alienâ ſorte. S. Bernardus: *Cum*, inquit, *alium quemlibet laudari audiens, invidia contabeſcit. Mens enim dedita vanitati, & arrogantiâ tumens, laudem alterius ſuam reputat vituperationem.* Hanc invidentiæ febrim diſſimulat ægrotus, æmulari ſe proteſtatus; nequaquam invidere. Non utique ſic doleret invidus miſer, ſi prudens animadverteret in alieno capite, nonnunquam inſatiabilem affectum hominum circa famam contorqueri de laude ſuâ, quòd minor ſit quàm peroptabat. Prudens apud ſe dicet: ut quid invideam bono, quod forſan poſſidens illuſus exiſtimabo malum, ſi conſequar illud? Exemplum iſtiuſmodi prudentiæ conabor è ſacris litteris eruere.

S. Bernard. ſer. 47. ex parvis fin.

56. Calcatâ ſuperbiâ Gigantis, & præciſo capite, David regreſſus eſt in urbem regiam. Ovantis felicitatem reddidere celebrem plaudentes fœminæ. *Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saül mille, & David decem millia.* Splendoris umbra livor eſt. Et ſicut præcelſi colles obſiſtunt luci, quæ valles illuſtrare non dedignatur: ita faſtigia ſæculi tenentes reſiſtunt præ livore laudi, qua decorantur humiles. Nota ſatis eſt humilitas Davidis, & invidia Saülis; ob quam diſplicuit ei fœminilis cantus, extollens Davidem; licet laudaverit etiam Saülem, quamvis non pariter. *Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte: dixitque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum?* Neſcimus aliquem percuſſum tunc hoſtem à Saüle: quapropter abundè laudabatur à dicentibus eum percuſſiſſe mille. Tamen iram concepit, quòd paſtorem ſibi præponerent; ſed immeritò. S. Joannes Chryſoſtomus: *Debebat autem*, inquit, *eſſe ſua laude contentus, quod illi tribuiſſent mille. Cur igitur indignatus eſt, quod Davidi tribuerint decem millia?* Expendenti caſum nunc tantummodò mihi dubitandum eſt, quare, cum inviderit Saül plauſui Davidico, non ſimiliter exarſerint invidiâ proceres aliqui? Vulgò regum vitia magnates ad imitationem ducunt. Qua de cauſa regi ſuo propter livorem iràto non adulantur aliquot, invidiâ ſimiliter indignationem promente? Diſparitatem aſſigno. Saülis mens non habuit alterum, à quo tunc ſumeret experimentum doloris; quem, dum laudatur minùs, homo ſæpe concipit laudis hydropicus. At vero Dynaſtæ potuerunt in Saülis capite prudenter experiri, quantum peperit angorem ſuamet laus regi; quia parcior extitit, quàm vellet. Et forſitan credidere, fatuum eſſe proſequi nimiâ dilectione laudem humanam; ex qua mortale cor eruit aliquando mœrorem: idcirco livori clauſere ſapienter pectoris oſtium. Non omnes ita ſe muniunt ab hoc effectu peſſimo: propterea lividi torquentur alterius nomine claro, ſub æmulantis prætextu.

1. Reg. 18. 7.

n. 8.

Chryſoſt. to. 1. hom. 1. de Davi. & Saül.

57. Tandem libenter deſcendamus ad continendos intra ſphæræ propriæ metas illos, qui non paribus alis, dignitatum ſumma contingere dementes anhelant. Iſtorum ambitioni, quantumlibet pauperrimæ, ſuum non deeſt pallium, quo malè ſeipſam tegat. Nobis inculcant illi, nihil aliud hoc extare, quàm æmulationem, laude plurimâ dignam: quatenus per honorum deſiderium (inquiunt) promovetur homo in ſtudio conquirendi merita, quibus mediantibus aſcendat in altum. O ſimiam virtutis ambitionem! Ex hac naſcitur aliud monſtrum; ſcilicet invidia; qua torquentur de ſorte feliciorum culmina tenentium; & iſtam exardenter concupiſcunt ſibi. Non ita ſe gererent, ſi munerum publicorum pondus æqua lance librarent: non iſtud trutinant; ſed honorem ſolum perpendunt. Excuſabis eos, fateor, aliquatenus de cœcitate; quaſi dicens: Non mirum quod ſic decipiatur cœca paſſio. Novum tamen eſt (non recens ævo noſtro,) cæcutiendum genus, cum in eâdem re cernit orbatus viſu quod ei placet; nec videt quod ipſi diſpliceret. Perſpiciunt, inquam, hi decoroſam dignitatum pompam; non attendunt ponderoſam gravitatem earumdem: aliter non ita præpeti curſu geſtirent anheli conſcendere prærupta. S. Bernardus adeſt. *Meditantibus*, ait, *quidem honores blandiuntur; ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera.* O mendacem ſtateram humani judicii! ſic vitiatam, ut in ſubjecta materia quandoque doceatur intellectus ab oculis; etſi corporea lumina comparata menti cernant multò minùs acutè. Contingit ut invideatur aliena dignitas, cùm expenditur cogitatione ſolâ; non autem ſimiliter, dum corporeis oculis examinatur celſitudo felicis. Apprehendis phantaſiâ decus alterius; & invidia mordéris. Non ſic doleres fortè, ſi lentus conſpiceres oculis eumdem in ſublimi poſitum, vix quieſcentem.

57. *Sublimitas aliena ſi mëte cogitatur, invidetur; non ita fortè, ſi bene perſpiciatur oculis.*

S. Bernard. ep. 42. longe poſt med.

58. Non perpetuum bellum gerit cum ſanctitate mundialis fortuna: quandoque benemeritis datur eſſe fortunatos. Exemplum ſit propheta Daniel. Cum enim Darius præficeret regno ſuo centum viginti ſatrapas, & ſuper eos principes tres, Daniel ex tribus unus erat. Non tamen legimus, invidiam adversùs eum ſurrexiſſe, niſi poſtquam regi venit in mentem ipſum præponere toti regno. *Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: unde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem ut invenirent Danieli ex latere regis:* &c. Poſtea narratur qualiter per induſtrioſum livorem tandem factum eſt, ut mitteretur Daniel in lacuum leonum. Textus inſinuat,

Dan. c. 6. 4.

ſinuat, invidos occaſionem quæſiviſſe contra Danielem propterea quod intelligerent regem cogitare Vatem ſuper univerſum regnum conſtituere. S. Hieronymus ait: *Quia igitur inter duos principes, inter quos erat tertius, hunc primum facere rex cogitabat, invidiæ & inſidiarum nata occaſio eſt.* Ecce de mente S. Doctoris habuit ortum livor ex primatu, quem Danieli conferre Darius meditabatur. Unde videtur aſſerendum (cum Scriptura taceat) quòd antea nihil ullius invidia molita fuerit contra Danielem. Mirum eſt hoc: jam enim prius Propheta fruebatur proſperâ ſorte; quam regnicolæ pati non ſolitant in advenis; qualis Daniel erat. Qua de cauſa non invidetur ejus prior felicitas; maxime verò ſuperioritas illa, quam rex ei largiri cogitavit? Exiſtimo, propterea ſublimitatem illam invidiæ telis patuiſſe, quia latebat oculos adhuc; & ſic non attendebatur ad tantæ dignitatis onera: nam iſta recondebatur in mente regia. Anterior autem ſors Danielis aperta ſenſibus erat: unde quiſque prudens animadvertere facilè potuit; quàm foret oneroſa. O ſi qui præpoſitis invident maturè ponderarent quot clavis transfigantur illi, qui ſuperioritatis cruce viſuntur exaltati! Minimè livore tabeſcerent de regentium fortuna; malè tegentes invidiam æmulationis bonæ titulo. Tam iſti, quàm cæteri, de quibus egi ſupra, credunt, ſe per bonam iter facere ſemitam; ſed *eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.*

S. Hieron to. 5. com. in Danie. ib.

DELIBATIO VI.

In exitibus viarum inferni conferuntur ſupradicti perditi viatores.

59. *An avarus punitur in inferno ſeverius, quàm prodigus?*

EXitus acta probat. Ut igitur convincamus, errare cunctos illos, de quibus per delibationes præcedentes dictum eſt; conſiderandi ſunt ſinguli nunc in fine viæ ſuæ tendentes eodem: nam omnes prædicti calles ducunt ad tartarum: non enim ad infernum aperitur unica via. Clemens Alexandrinus: *Non*, inquit, *eſt ergo cogitandum ex ſententia Thelephi apud Æſchylum, ſimplicem ac unicam viam ferre ad inferos; ſunt enim viæ multæ, & multa quæ abducunt peccata.* Ut alios interim linquam; avarus uno tramite; prodigus altero pergit: ille repens humi, terram identidem complectens, & oſculans; iſte verò ſuperbo pede conterens eamdem. Cum demum venitur ad metam, pariter ambo feruntur ad oſtium gehennæ; ſed ſtatim dividuntur loco: nam cæteris paribus, qui miſerum cor avaritiæ tradidit, profundiùs detruditur apud infernalem carcerem. Conferens prodigos, & avaros, dixit Seresberienſis: *Nec tamen etſi prodigalitas videatur in culpa, locum arbitror avaritiæ relinquendum. Nullum enim vitium deterius eſt, nullum deteſtabilius.... & omnino impoſſibile eſt, ut fidelis videatur alicui, aut amore dignus qui ex merito apud graves & circumſpectos avaritiæ ſuſpicionem incurrit.* Prodigi crimen alleviatur ex eo quòd bona ſua diſpergens conciliat amicos; quod bonum valde trahit voluntatem ſic peccantis. Hoc ceſſat in avaro, quem nullus prudens amore dignum cenſebit. Accedunt voluptates plures, quas diſſipator propriarum facultatum conſequitur; quibus movetur ejus appetitus vehementer. Non ſimiliter ſe tenax gerit: qui latrone meticuloſior, & pejoris conditionis eſt; cum non utatur iis, quæ poſſidet velut aliena. Maneat igitur, quòd, ſi paria cætera ſint, ſuppliciis gehennalibus afficitur acerbiùs avaritiâ ſordidus, quàm prodigalitate delinquens.

Clem. Alex. l 4. ſtrom. longe poſt princ.

Joann. Seresber. l. 8. de nug. c. 4. in princ.

60. Per Moyſen dixit rerum Dominus: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* Pro genuino verborum ſenſu Rupertus Abbas imprimis audiendus: qui ait in commentario: *Terram, inquam, peccatricem, id eſt, populum qui ſuperbit, cum ſit terra & cinis, devorabit ignis, cum germine ſuo, id eſt, cum libidinibus, & omnibus malis operibus ſuis, & montium fundamenta, id eſt, ipſas quoque animas quæ vegetant comburet ignis, & hic ſuccenſus (ut jam dictum eſt) & in futuro ardens uſque ad inferni noviſſima.* Deinde conſule S. Brunonem Aſtenſem ſuper eumdem locum. *Ardet autem*, inquit, *hic ignis uſque ad inferni noviſſima, quoniam, ut Scriptura teſtatur, inextinguibilis eſt, Devorat autem terram cum germine ſuo, ſive hic juxta litteram, civitates & homines, ſive etiam in inferno peccatores, eorumque filios & ſequaces. Montium autem fundamenta divitiæ ſunt & honores, in quibus potentes hujus ſæculi confidunt, quibuſque elevati ſuperbiunt. Et has quidem ultimus ignis, ſimul cum ſuis poſſeſſoribus comburet.* His præmiſſis veſtigare quærebam latens myſterium in eo, quòd aliquid ſeverius videtur ſignificare verbum, *Comburet*, quàm vox *Devorabit.* Cur ignis hic acriùs ferri videtur in montium fundamenta, comburens ea, quàm in terram cum germine, quam devorat? Jam notaſti, ſermonem prædicto loco fieri de flammis tartareis. Adhuc tibi dono Magnum Gregorium, dicentem: *Quantum verò ad æternam damnationem aptè mox ſubditur: Et ardebit uſque ad inferos deorſum.* Deinde prodigi ſimilantur valde terræ luxurianti, quæ ſubſtantiam ſuam conſumit in germinando ſuperflua multa. Deinde tenaces comparari poſſunt fundamentis montium: nam ſicut in viſceribus aliquorum ex iſtis clauditur aurum; ſic in avarorum præcordiis abſconditur. Itaque minùs acriter videtur punienda terra cum germine ſuo (ſcilicet prodigi cum luxu vanitatis) quàm fundamenta montium, hoc eſt, avari. Quamobrem, fortaſſe, priores dicuntur devorandi; poſteriores autem, comburendi. Fateor, arſuros utroſque; ſed per hanc diſparitatem loquendi cenſebit aliquis indicari nobis in æqualitatem ſupplicii, ſi conferantur cum prodigis avari. Amborum noviſſima *deducunt ad mortem*; ſed non cunctis

Deuteron. 32. 22.

Rupert. l. 2. in Deuteron. c. 7.

S. Brun. Aſt. com. in Deuter. prox. ſup.

D. Gregor. Pap. to. 1. l. 18. mor. c. 13. ante fin.

morientibus in æternum aliqualiter acerbus eſt interitus perpetuus.

61. *Prælati mali carpuntur.* Dixi delibatione 2 ; à via recta deviare ſuperiores aliquot exiſtimantes procedere laudabiliter. Cum ad vitæ finem devenerint , intelligent aberraſſe. Summitates honorum diſcrimina ſalutis afferunt ; & hoc ſponte neſciunt non boni dilectores operis illius boni , quem poſſent exequi per commendabile moderamen. Utinam diligerent iſti potiùs conſcendere virtutum faſtigia : nam ſi tangeret illos hic amor , aſcenſum ad munia publica judicarent propriam ruinam. Admirare dictum Gregorii Pontificis evecti pro meritis eximiis ad apicem Eccleſiæ. *Dum* , ait , *contemplationis dulcedinem altè deſcripſiſtis , ruinæ meæ mihi gemitum renovaſtis , qui audivi quid intus perdidi , dum foris ad culmen regiminis aſcendi immeritus. ... & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis miſſus* &c. S Greg. Mag to. 2. l 1. indict. 9. c. 6. Quod immeritum S. Doctor ad ſolium Pontificatus elatum ſe putaverit , mihi non mirum: nam humilitas id credere ſuadebat. Illud verò magis admirandum , quòd ſuam promotionem computaverit ille ruinam. Quàm aliter ii , qui perperam exercent ſuperioris munus ! Iſti non incipiunt labi cùm ſumma petunt , ordinariè loquendo : nam utplurimùm jam per mores malignos ipſi jacebant : ſed poſt electionem denuo præcipitantur , nunc lacerando ſubjectos ; nunc internè ſævientes. Eumdem S. Præſulem rurſus audi. *Multi autem* , inquit , *cum regiminis jura ſuſcipiunt , ad lacerandos ſubditos inardeſcunt. Terrorem poteſtatis exhibent , & quibus prodeſſe debuerant , nocent. Et quia charitatis viſcera non habent , domini videri appetunt , patres ſe eſſe minime recognoſcunt , humilitatis locum in elationem dominationis immutant. Et ſi quando extrinſecus blandiuntur , intrinſecus ſæviunt.* Idem. ib hom. 17. in Evang. longe poſt princ. Hi ſe transfigurant in Angelos lucis : fruſtra quidem : nam quantumvis transformentur , eorum nequitia prudentibus pateſcit ; quaſi jam à bonis omnino ſegregati forent ad ſupplicium : velut ſeparati dici queunt ad ultionem.

62. Amos. 6 3. Per Amos Prophetam Deus carpebat optimates olim , dicens : *Qui ſeparati eſtis in diem malum* : &c. Lira ſuper illud ibi n. 1. *Væ* &c. ſic habet : *Myſticè vero per hoc ſignificatur malitia prælatorum Eccleſiæ malorum* &c. & infra : Qui ſeparati eſtis *in Dei præſcientia ab electis.* Et appropin. ſolio iniq. *veſtros ſubditos perversè judicando.* Non prætereundam cenſui ſeparationem iſtam ; cum adhuc mali ſint commixti rectis ; atque tunc plenè ſint palam ſeparandi , cùm in conſummatione mundi *exibunt Angeli , & ſeparabunt malos de medio juſtorum* , &c. Matth. 13. 49. Dionyſius Carthuſianus ad hunc locum : *Nunc quoque neſcitur , qui piſces ſint electi , & qui reprobi. Porro in fine ſæculi , Chriſto ad judicium deſcendente , ſagena iſta quaſi ad litus trahitur , cum omnes ante Chriſtum in valle Joſaphat ducuntur ac præſentantur , tuncque boni manifeſtè ſecernentur à malis.* Si tunc iniqui ſegregabuntur à probis ; quomodo præpoſiti nequam dicuntur apud vatem ſeparati ? proptereane Dominus ita loquitur , quia regentium improborum iniquitas in alto poſita proſpicitur facilè , quantumvis eam diſſimulare conentur ? an idcirco dicuntur in malum diem ſeparati ? Cogitet ac tremiſcat gubernator injuſtus : vellem potiùs ut ipſe reprehenderet ſemetipſum : ego quidem ſuperſedeo. Lira ib. ad n. 1. & 3. Dion. Carth. com. in Matth. art. 26.

63. *Majus diſcrimen deſperantis , quàm præſumentis.* De ſemitis non bonis eorum ; qui vel nimis confidunt in clementia Dei , vel nimiùm timent juſtitiam ejus , dicebam delibatione 3. Venientes utrique tandem ad poſtrema , conferunt ad invicem , quinam inceſſerint pejori via. Ne dubites , illos eſſe deterioris conditionis , qui præ metu non prudenti ſpem abjiciunt de miſericordia Dei. Qui deſperationis horribile malum vitare ſollicitus eſt , Antiochum legat. *Deſperationis* , inquit , *perturbatio cæteras præ ſe dictas facilè anteit , & inexplebili angore. Hominem enim rectâ præcipitat in infidelitatis barathrum , adeo inclementer , ut nihili illi* (fortè legendum : *Nihil* , vel : *Nihili ille*) *reliquum faciat ſperandæ ſalutis. Elocatum ſiquidem ac miſerrimè proditum , committit exitialium dæmonum torturæ : quo fit , ut in cihum illis jam vertatur ac deridiculam inſultationem.* S. Antioch. hom. 17. in princ. Agnoſco ſatis eorum periculum , qui de miſerationibus Altiſſimi ſuperbè præſumentes deſidiæ ſe tradunt. Attamen adhuc magis periclitatur de ſalute qui deſperat. Apud milites abiit in quaſi proverbium , ſubeſſe graviori periculo timidum valde , quàm pugnantem viribus imparem ; quaſi mors citiùs inveniret fugientem. In ſpirituali bello verum habet , quoſdam imprudenter meticuloſos plus aleæ reperire. Navi bellica nociva quidem eſt incuria vigilis , qui neglexit proſpicere , ne piratæ comprehenderent incauto. At longè plus nocebit iſtis , quòd , cum firmatur anchorâ navis , perfidus illam præſcinderet. Anchoram ſanè mentis vocare ſolemus rectam ſpem. Dedi S. Laurentium Juſtinianum noſtro to. 1. fl. 29. n. 26. Hanc ſi tollas , majori diſcrimini ſubes , quàm ſi nimis confideres. Deſperatio certè præſumptione periculoſior eſt.

64. Adoleſcens quidam percontatus eſt Redemptorem noſtrum , quid bonî congrueret operari , quò vitam conſequeretur perpetuam. Dei Filius illi dixit ut ſervaret mandata. Cumque ſe mandatorum quæ protulit Chriſtus Dominus , homo prædictus aſſereret ſemetipſum obſervantem ; Salvator addidit , quòd , ſi perfectus eſſe vellet , venderet ſua , donaretque pauperibus (theſaurum ſic habiturus in cœlo) poſt ſequeretur Magiſtrum. Hæc audiens abiit mœſtus ; quia dives erat. Occaſione ſumptâ Redemptor diſcipulis per ſimilitudinem explicuit , quàm difficilè regnum cœlorum opulentus adintraturus eſſet. Alumni Præceptoris divini mirati ſunt valde. Dominus autem dixit ad eos : *Apud homines hoc impoſſibile eſt : apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Matth 19. 26. Qua mente ſic locutus eſt ? Docebit Chryſoſtomus , dicens ita : *Sic enim pro univerſo terrarum orbe hujus ſententiæ acrimoniâ expaverunt , ut non parva eis conſolatione opus fuerit : hac de cauſa* S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 64. in Matth. ante med.

ſa inſpiciens eos prius dixit: Quæ apud homines impoſſibilia ſunt, apud Deum poſſibilia ſunt. Jucundo namque aſpectu ac manſueto, mentis horrore opportunè ſedato, & anguſtiâ diſſolutâ (quod inſpiciendi verbo Evangeliſta ſignificavit) demum verbis quoque exſuſcitat, Dei virtutem in medium adducendo, ac ut confiderent exhortando. Nihil occurrit in iſta doctrina Chryſoſtomi, quod nos hæſitare cogat. Ex ipſo tamen Textu deducam dubium, cui ſubjicienda reſponſio proximè poſitæ cogitationi lucem præbeat. Poſt prædicta Petrus interrogavit, quid ſibi, ſociiſque Salvator donaturus foret; cum reliquiſſent cuncta, ſecutique fuiſſent illum. Dominus aperuit Simoni præmium ſedis unicuique diſcipulo paratæ. Quæro modò. Quare non hoc deſiderium ſciendi compeſcuit Redemptor in Petro, dicens: Ne ſis de remuneratione ſollicitus: perſevera firmus in meî ſequela, ductus ex amore tantummodo? Nonne perfectius hoc foret in Apoſtolo? Attende, lector. Adoleſcentis occaſione Petrus duplex incurrit periculum: primum deſperationis de ſalute: dixerunt enim Apoſtoli: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* ſecundum præſumptionis de facto proprio: quia diſcrimen divitum audierat; & ipſe dives non erat; ſed omnia reliquerat Magiſter bonus obſtitit priori diſcrimini propoſito præmio, ne deſperaret: quia majus extat hoc periculum; poſterius autem prætermiſit. Clariùs dicam. Dives ille præſumptuoſus de virtute ſuâ fuit: nam dixit: *Omnia hæc cuſtodivi, à juventute mea*, &c. ubi Paſchaſius: *Hic adoleſcens ſuis convincit factis, mentitum ſe eſſe.* Periculoſum erat utique, ne per hujus fiduciæ nimiæ contagioſum exemplum Simon inquinaretur. Fortaſſis aliqualiter in confidentia de geſto ſuo videbitur exceſſiſſe Princeps Apoſtolorum: quatenus, cum audiſſet arduitatem ſalutis divitum, viſus eſt quaſi gloriari, quòd omnia dimiſerit. S. Thomas Aquinas: *Audierat*, inquit, *etiam quòd difficile eſt divites intrare in regnum cœlorum: ideo reputabat Petrus magnum feciſſe: quia omnia dimiſerat.* Non ſermonem hortatus eſt Præceptor, inquiens: Cave, ne quia reliquiſti cuncta, ſuperbias: nec ex eo præſumas, quia me ſequeris: nam & unus mihi ſodalis eſt, qui peribit in æternum. Abſtinuit nunc ab iſtâ monitione: quia minus eſt diſcrimen confidentiæ tumentis. Aliud extitit eodem loco Simonis & condiſcipulorum periculum: ſcribit enim jam relatus Matthæus: *Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit Salvus eſſe?* Ne deſperarent, dixit, omnia poſſe Deum. Munivit ipſos contra deſperationem: quia multò plùs per eam periclitatur homo. Tamen ſtat cum prædictis, quòd tam inflatè præſumentis, quàm vecorditer deſperantis via nequam eſt: *& noviſſima ejus deducunt ad mortem.*

Matth. 19. 25.

Ib. n. 20.

Paſchaſ. com. in Matth. ib.

S. Thom. cõ. in Matth. 19. 27.

Matth. 19. 25.

65. *An etiam inter gehennæ flammas hypocriſis lateat?*

Quarto loco ſuperiùs increpabam detractorem ſub honeſto zeli tegumento latentem. Ad terminum viæ perveniet; atque ſerò manifeſtum erit eidem, quàm fuerit craſsè deceptus per malitiam propriam. Sed aliquis verebitur nihilominus quòd adhuc hypocriſim non deſeret ſuam. Nitetur ita judicans in eo, quòd cœca ſit hypocriſis, oculorum hereditario morbo: nam genita fuit à cœcis parentibus. Vendicat amorem proprium patrem; ſuperbiamque genitricem. Genitor prorſus nihil videt; adeo quòd inferat voluntariè damnum dilecto; effectiveque ſit velut ejus odium. Superbiam necnon cœcutire non renues: aliter ſuperbus non pararet ſibi ruinam. Non igitur eſt cur admiremur, parentum cœcitatem transfuſam eſſe in filiam hypocriſim; vel in hac materiâ, vel in alterâ ſuas fictiones prætendat. Exinde naſcitur, hypocritas adeo cæcè præſumptuoſos eſſe, quòd poſt mortem nequaquam deſerere videantur æſtimationem propriæ virtutis; qua dum viverent, mentiebantur ſibi: quaſi tales forent coram Deo, quales putabantur ab hominibus in vita mortali. D. Gregorius Papa: *Unde*, inquit, *ſit plerumque ut ad ſupernum quoque judicium cum fiducia veniant, quia tales ſe apud internum Arbitrum credunt, quales ab hominibus foris habebantur.* Putabis quòd ſaltem in tartaro non invenietur ſimulatio virtutis; cum ibi damnati non quærant ab hominibus honorari. Non deerit qui te falli dicat: & etiam inter gehennæ flammas hypocriſim latere credat.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 8. mor. c. 27. n. 32.

66. Salomon in libro Sapientiæ proponit malos in ſupplicio perpetuo poſitos, intra ſe fatentes, quòd fuerint inſenſati. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, necnon quod exerraverint à veritatis via: *Ergo erravimus à via veritatis*, &c. Exiſtimares, damnatos de nullo cogitare, niſi de blaſphemiis contra Deum judicem, ac de rejiciendo commiſſas culpas in tres animæ hoſtes. Cur attendent ad errores proprios poſt mundi finem, & intra ſe confitebuntur eos? Forſan quia nec in erebo deſinet hypocriſis exercere munus fingendi ſaltem ſibi virtutem, qua damnati carebunt. Errati cognitio ſpectat quidem ad pœnitentiam: iſtam non veram agent in orco mali; ſed fictam; quamvis in Textu legatur: *Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes:* &c. ubi Dionyſius Carthuſianus: *Verùm juxta Ezechielis oraculum, Gement gemitibus incircumciſorum, quia non erit gemitus pœnitentiæ ſalutaris. De quo loquitur Dominus: In quacumque hora peccator ingemuerit pro peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor; ſed erit gemitus deſolationis extremæ, procedens ex ſervili dolore, & deſperante mœrore.* An ita cœcutit hypocriſis, ut iniqui pœnis infernalibus traditi, virtutem confingent adhuc ſibimetipſis? Fortè ſuſpicaberis, nec poſt viæ ſuæ terminum detractores illos, qui zelum ſimulantes honorem proximi carpunt, fore deſerturos omnino ſimulationem iſtam.

Sapient. 5. 4. 6.

Ib. n. 3.

Dion. Carth. in com Sapien. ib.

67. Expendamus tandem lividos poſtquam ſuam concluſerint malam viam, quâ tendunt. Hac finitâ reperientur invidi non minùs liventes, quàm priùs, dum vita manebat. Unum de proventibus mortis eſt imponere criminibus clauſulam. Sed

aliqua dantur ſcelera, quæ nec interitu finiuntur. Unum ex his livor eſt. In eo tamen differt invidia viventis à livore damnatorum ſpirituum; quòd hi proſpiciunt à longe bonum alterius; vivus autem illud è propinquo cernere non ferebat. Frequentiſſimè qui per invidentiam conſumitur, circa felicitates vicinorum torquetur. Hac forſan mente dixit Baſilius Magnus, loquens lividî nomine: *Invidus ſum & amarulentus, & affligunt me amici bona, & lugeo ob fratris lætitiam, & non fero aſpectum alienorum bonorum, ſed calamitatem facio vicinorum proſperitatem: hæc enim utique dixerit, ſi vera loqui velit.* S.Baſil. Mag. hom. 12. inter var.

Poſt mortem non mutat invidia naturam; ſecundùm quam priùs in vicina collimabat jacula: ſed cum anima damnata non habeat felicem prope ſe, cernit acutè fortunatos diſtantes. Nequaquam beneficium eſt invidî meliùs videre, quàm intuebatur antea; potiùs ad punitionem pertinet iſta mentalium oculorum aliqualis melioratio. S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Impii ex hoc*, ait, *duriùs in judicio puniendi ſunt, mentis dolore, ex quo viſuri ſunt juſtos gloriæ beatitudinem meruiſſe.* S.Iſid.Hiſpal. l.1.ſentent.c. 32.

Non minima pars ultionis peccatorum eſt, quòd æterno carceri jam addictus à longe videat juſtum felicem. Quòd autem ab eum intuendo non impediatur, minimè privilegium eſt; ſed pœna. Dum viveret, eumdem non audiebat, nec intuebatur; vel ſaltem audire necnon & videre contemnebat: poſthac ipſi datur ut illum cernat, quò ſic ampliùs crucietur in pœna.

68. Sortis imparitas divitis epulonis atque Lazari, per utriuſque fatum reducta fuit ad æqualitatem inæqualem. Pauper aſcendit ad felicem quietem; detruſus eſt avarus in miſeriam ſempiternam. Enim verò mirum eſt, quòd opulentus infernali cuſtodiæ mancipatus viderit Lazarum in Abrahæ ſinu quieſcentem. *Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus:* &c. Luc. 16.23. Jam non inquiro quomodo nunc viderit è longinquo mendicum ille, qui, dum viveret, ipſum vel non cernebat, vel intueri dedignabatur. Chryſologus: *In divite pietatis totus utique & viſus defecerat, & auditus: non jam perſonam, non pauperem, ſed ipſam miſericordiam deſpicit ad januam ſuam Lazaro ſic jacente.* S.Petr.Chryſol. ſer.121. poſt med. Non, inquam, demiror, epulonem poſtea jam poſitum in tormentis vidiſſe Lazarum: quia malo ſuo doctus fuerat, minimè deſpiciendum eſſe, quem ſciebat in honorabili repoſitum loco; quamvis in oſtio ſuo jacuiſſet antea deſpectus. Illud magis me movet, quòd videndo Lazaro non obſtiterit chaos, de quo dixit Patriarcha: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt:* &c. ubi legit Arabicus: *Inter nos & vos vallus firmatus eſt.* Luc.16.26. Quomodo non impedimentum præſtitit vallus iſte diviti, ne cerneret juſtum? Ne credas, hoc in favorem epulonis ei conceſſum: ſcilicet è longe cernere pauperem jam fortunatum. Non integrè puniretur malus, niſi Lazarum proſpiceret. Patrocinatur venerabilis Beda: dixit enim: *Perfecta quippe ei ultio de paupere non eſſet, ſi hunc in retributione non cognoſceret... Ut ergo peccatores amplius in ſupplicio puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempſerunt*, &c. Bed. in 16. Luc. c. 66. poſt med. Lect. Arab. ib.

Agit in vivis livor munus tortoris: hocipſum poſt funera præſtat. Invidia viventes corrodit plurimos: at malum alleviatur aliquatenus æmulationis bonæ commendabili titulo: ſub quo non ſemel *eſt via, quæ videtur homini juſta*: ſed qua ratione mitigabitur ejus anxietas, poſtquam ſceleris noviſſima *deducunt ad mortem?*

FLOS XXV.

Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.

APERITUR.

OMITTAM dogmatis hujus expoſitiones illas; quæ ſunt potiùs vel illationes deductæ libenter ab expoſitione genuinâ, quam trademus: vel adnotationes concernentes illam. Propterea nequaquam cum interpretationibus numerabo quod Hugo Cardinalis hîc notat: ſcilicet Deum læta mœſtis permiſcere; ac providere ut poſt riſum ſequatur luctus. Hug. Card. in Prover. 14. 13. Similiter dimittam id quod tertio loco legitur apud Salazar in præſenti: nempe Salomonem ſic prudenti ſuadere, quòd effuſa gaudia temperet memoratione triſtium, quia præſtò aderunt. Salaz. ib. n. 60. His præmiſſis: nunc pro germanâ parœmiæ Salomonis intelligentiâ, quæſtio prima ſit: an accipiatur de lætitia juſtorum? Cornelius Alapide ſecundo loco generaliter ſumit ſententiam de quovis gaudio propter hujus vitæ commoda, quamvis honeſta. Alap. ib. Contra facit vox illa *Riſus*; quæ non applicatur ut plurimùm juſtis. Quinimo S. Ephrem ait: *Riſus beatum animæ luctum exterminat, & quæ ædificata ſunt, diſſolvit, Spiritum ſanctum contriſtat, animæ nocet, corpus corrumpit, virtutes, velut hoſtes perſequitur. Mortis memoriam extinguit, curam ſuppliciorum tollit. Auſer à me riſum; & da mihi luctum, quem petis à me Deus meus.* S. Ephrem. ſchol. in S. Joann. Clim. grad. 26.

Doctrinam iſtam non attendunt aliqui, de ſalute curantes alioqui: nam ſub titulo comitatis urbanæ dant operam jugiter diſſoluto riſui; cupientes aliud exrremum vitare; ſcilicet ruſticitatem ſuperbam nemini benevolam. Meminerint imitatores Chriſti, nullibi narrari, quòd ipſe riſerit in Evangeliis; legi tamen quod ploraverit. S. Baſilius Magnus: *Dominus*, inquit, *ſuſceptis cæteris, quæ neceſſariò corpus ſequuntur, affectionibus, iiſque omnibus, quæcumque virtutis teſtificationem habent, veluti laſſitudinem & miſericordiam adverſus calamitoſos, riſu, quantum Evangeliorum hiſtoria cognoſci poteſt, uſus nunquam ſit.* S.Baſil. Mag. in reg. fuſ. diſp. c. 17. poſt princ. Quapropter exiſtimo, nequaquam in hac parabola Sapientem agere de gaudio juſti; ſed tantùm de voluptate peccatoris, licet

licet iſta, quantùm eſt de ſe, penitus indifferens judicetur.

3. Secunda quæſtio ſit: an prior pars ejuſmodi Salomonis effati ſit intelligenda ſolùm de doloribus; quorum pretio ſæpe gaudium comparatur? vel potiùs interpretanda veniat de cruciatibus, qui miſcentur lætitiæ, cum acceſſerit; & inſuper an extendatur ad anxietatem ſubſecutam, poſtquam deſiit exultatio? Hugo Cardinalis de lætitiâ loquens honeſtâ, dum primam expoſitionem affert, exiſtimat, iſtam gnomen verificari circa dolorem, quo bona gaudia conſtant, cum acquiruntur. Carthuſianus accipit illam tantùm de cruciatu ſecuto poſt lætitiam. Placet magis Cornelius Alapide cenſens, interpretandam eſſe de concomitanti dolore: qui ſcilicet in vita mortali gaudii ſocius eſt. Barcephas Epiſcopus: *His*, ait, *quibus jam mortales fruimur voluptatibus ſua cuique moleſtia cohæret*; &c. Moveor ad expoſitionem prædictam complectendam, ex illo verbo, *Miſcebitur*, quod ſimultatem riſus atque doloris indicat. Anxietates autem ſubſequentes lætitiam tanguntur in hemiſtichio poſteriori.

Hug. Card. in Prov. 14. 13.

Dion Carth ib.

Barceph. Epiſc. 1. de parad. p. 1. c. 26.

4. Cum dictum parœmiaſtæ, quod verſamus, acceperim de lætitia peccatoris: veniens ad illam, quæ culpabilis eſt, adnotabo, tam contentioſam frequenter eſſe pro cordibus humanis poſſidendis; ut cum dolore pugnet, modò cedens; modò ſuperans. Secatur millies; & adhuc vel permanet, vel redit. S. Maximus: *Ob irrationalem*, inquit, *voluptatem, quæ naturæ obvenit, juſta ratione proceſſit dolor, qui multis tormentis, in quibus & ex quibus mors oritur, voluptatem, quæ præter naturam eſt, aufert; non tamen penitus extinguit.* Dum animadverto, quoſdam ab illicitis voluptatem capientes, inſimul non paucis vulneribus voluntariè ſaucios, mihi cernere videor hominem avida guloſitate lambentem dulciter atque dolenter mel ſuper ſpinas repertum. Tempeſtivè ſatis Humbertus: *Voluptas*, ait, *carnis eſt quaſi mel, quod lingitur in ſpinis.* Doloroſam ſuavitatem reſpuerent iſti, ſi, licet aliud non meditarentur; attamen ad fines dulcedinis conjicerent mentis oculos. Exitus prævident cauti qui bellantur in virtutis acie. S. Nilus: *Qui igitur*, ait, *pugnat, non ciborum oblectamenta, nec libidinis ſuavitatem conſiderat, ſed fines ipſos; nempe dolorem atque moleſtiam*, &c. Nequaquam juſtus optet in tempore mortalis peregrinationis, faciem ſuam abundare lætitia: ſperet in futura vita firmus exuberantiam gaudii. De hoc piè dixit Mapheus: *Cæterum qualis ille thalamus, quale cœnaculum ſit, qualia ibi edulia, quales joci & plauſus præparentur, cum non ſit humanæ infirmitatis intelligere, talia eſſe fide docente credamus, qualia magis magnitudini poteſtatis atque excellentiæ ipſius, quàm vilitati noſtræ convenire videantur.*

S. Maxim. centur. 4. de virt. & vit. c. 35.

Fr. Humbert. in ſpec. relig. l. 1. c. 3. poſt med.

S. Nil. Abb. l. aſcet. juxta med.

Maphe. Veg. tract. de 4. noviſſi. c. 4. longe poſt med.

6. *Dolore.* Unus ex doloribus, voluptatis illicitæ ſodalibus, eſt remorſus conſcientiæ. Peccantis conſcientiam pungentem cenſeo ſimilem ægritudini, cui non adhibetur medela. Clemens Alexandrinus hæc tradidit quæ ſequuntur: *Jam verò dicit Tragœdia Oreſte: Quis te perdit morbus? Conſcientia ipſa, quoniam ſum mihi conſcius me perpetraſſe gravia.* Similitudinem humilitatis cum ſupradicto remorſu nunc in eo meditor, quòd infirmus ille, qui renuit curari, cibos ad placitum ſumit, & horum dulcedinem commiſcet angori, quem affert ægritudo. Sceleſtus haud aliter frequentiſſimè ſimul cum gaudiis patitur conſcientiæ punctiones. Iſtæ diſſimulantur: & mirum eſt, hoc incendium lætitiis mundialibus operiri: nam dolor ſimilis eſt flammæ; Bleſenſis verò dixit: *Dolor ſi quidem ſpeciem ignis gerit, quia dum plus tegitur, plus igneſcit.* Carnis autem voluptas fœnum veraciter eſt. Druthmarus ad illud, quod legitur apud Matthæum: *Diſcumbere ſupra fœnum*, ſic habet: *Abundè ſolet creſcere fœnum in his excelſis montibus in æſtate: ſicut viderunt qui in noſtris Alpibus converſati ſunt. Et quia longe erat à civitatibus & villis propterea à nullo ſecabatur. Per fœnum voluptas carnis* &c. Non poteris non mirari quòd fœno contegatur ignis; hoc eſt carnali voluptate dolor; quem remorſus conſcientiæ gignit. Videtur hæc diſſimulatio non diſſimilis illi, qua mons Veſuvius operit pulchris germinibus ignes: de quo rex Theodoricus apud Caſſiodorum: *Stupeas ſubitò uſque ad arborum cacumina dorſa intumuiſſe* (alia lectio habet: *Intimuiſſe*) *camporum, & luctuoſo ſubito calore vaſtata, quæ lætiſſima fuerant viriditate depicta.*

Clem. Alex. l. 7. ſtrom. longe ante med.

Petr. Bleſ. ep. 49. poſt pr.

Chriſtian. Druthmar. in Matth. 14. 19.

Rex Theodori. apud Caſſiod. l. 4. var. ep. 50.

Et extrema. Anxietudines, quæ ſubſequuntur vitioſas oblectationes, non tam ſunt attendendæ cogitatione præſagiente calamitates vitæ mortalis; quàm timente perpetua mala, quæ poſt obitum comprehendent flagitioſos. Fruere Mapheo Vegio. *Agite igitur*, inquit, *ſorores* (*ut dicit Gregorius*) *quia præſentia gaudia ſequuntur perpetua lamenta, vanam lætitiam fugite: ſi illic flere formidatis, temporalis lætitiæ fluxa reſtringite, carnis voluptates edomate: quicquid animo ex præſenti ſæculo arridet, ex conſideratione æterni ignis amareſcat.*

7.

Maphe. ſup. c. 3. fi.

Gaudii. Ne prætereas hujus nominis rigoroſam ſignificationem: quoniam fortaſſis ex illa deduces, hanc ſententiam non reſiſtere lætitiæ moderatæ; ſed exuberanti: nam iſtam deſignat in rigore vox, *Gaudium.* Remigius Epiſcopus: *Gaudium eſt nimia exultatio cordis & corporis, lætitia verò eſt mediocriter, & ſit ſolummodo in corde.*

Remig. Epiſc. in Epiſt. ad Gal. c. 5. poſt med.

Luctus. Nota, luctum propriè nos dicere non brevem ploratum, ſed permanentem. Nihilominus aliquando verificatur minùs lugere illum, qui fundit copioſiores lacrymas. Lege S. Joannem Climacum. *Vidi perexiguas*, inquit, *lacrymarum guttas laboriosè inſtar ſanguinis protruſas, & vidi fontes lacrymarum ſine labore profuſos, & pronuntiavi ſecundum laborantem magis, quam profuſiùs lacrymantem, nec aliter ab Deo exiſtimo judicari.* Et infra: *Cave ne de fontibus lacrymarum tuarum etiam largis tibi credas, antequam ab omnibus peccatorum ſordibus penitus repurgeris.* Notent iſta novelli pœnitentes; ne facilè propter fletûs copiam reputent,

8.

S. Joann. Clim. in ſcal. gr. 7.

tent, ſe donum lacrymarum jam conſecutos à Domino : præſertim quia nonnunquam ploratibus abundant qui non adhuc integrè mundi reperiuntur à delictis.

Occupat. Phraſis hæc videtur denotare repentinum luctûs acceſſum. Mortalium plurimi ſic in hoc exilio quieſcunt ; ac felicitatem ſuam permanſuram fore præſumunt, quòd inopinatò luctus comprehendit illos. Doctrinam capiant à Chryſoſtomo, qui ſic habet : *Hæc Eccleſia cultoribus ſuis lætitiam non promittit, nec in præſenti ſæculo ſecuritatem : quia revera omnis lætitia periculoſa eſt, omnis ſecuritas caſibus plena, omnis jucunditas laqueis impeditur.*

S. Joann. Chryſoſt. to. 1. hom. de Iephte.

DELIBATIO I.

Terrenum gaudium ſugillatur.

9. *Delectatio magna dulcis eſt in ore; fel in præcordiis.*

O Deplorandam Adamidum ſortem : quos oportet metuere quæ delectant ! Voluptuoſi credunt ſe beatos ; quaſi fruantur ſtatu bonorum omnium aggregatione perfecto. Deſipiunt ſtolidè : nam rationalis creaturæ beatitudo non contingit per ſenſus ; qui ſunt voluptatum januæ. Petrus Bleſenſis : *Reſtat*, inquit, *proſequi quòd in voluptate oculorum vel aurium, cæterorumque ſenſuum non eſt beatitudo, vel requies*, &c. Quin potius evenit, ut illicita voluptas in ore mellea ; poſtmodum amareſcat intus. Uti duplicem diſtinguimus hominem in unoquoque noſtrûm ; ſic ipſorum quiſque ſuum vendicat palatum : & ſicut idem cibus uni comedenti gratus eſt ; alteri minimè ; ſic in eodem ſubjecto perſæpe quod arridet exterioris hominis palato, diſplicet interioris guſtui. Deglutitur boni caduci nimis amara buccella, tenui melle circumlita : dulceſcit in lingua ; ſed mox reſoluto melle ſentitur interiùs amaror. Bene Seresberienſis : *Initia nanque cupidinis dulcia ſunt ſuper mel & favum. At noviſſima ejus quovis abſynthio amariora ſunt.* Serò præcordia notant amaritudinem in eodem cibo ; quem percepit lingua ſuavem. Quandiu delectatio veluti manditur, dulcorem propinat guſtui ; ſed poſt manducationem, invenitur intra viſcera ſimilis felli.

Petr. Bleſ. tract. de charit. Dei & proxi. c. 8.

Joann. Seresber. l. 6. de nug. c. 23.

10. Penſitemus verba, quæ protulit Sophar Naamathites : nam licet fuerit locutus intentione circa Jobum nequaquam laudabili ; tamen de hypocrita verè dixit : *Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.* Et infra : *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* Exiſtimabis, improriè locutum poſterioribus verbis. Cum enim dulcedo ſpectet ad ſenſum, quo guſtamus ; idem, qui mali dulcedinem accommodaverat ori ; pòſt appropriat amarorem utero. Venterne dijudicat in cibis quænam ſint amara ; quæ verò dulcia ? Moraliſſimè fatur : nam ſolitum eſt, ut delectatio temporanea peccatoris os dulcedine recreet ; ac interiora poſtea torqueat amaritudine.

Iob. 20. 12. 14.

Proficit hoc loco S. Gregorius Papa : *Quod panis in utero, hoc eſt ſatietas temporalis delectationis in mente : Satietur ergo nunc hypocrita illatâ laude, delectetur honoribus : panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecùs : quia ſatietas tranſitoriæ delectationis, in retributionis ſine ad amaritudinem vertetur, & fel aſpidum, id eſt malignorum ſpirituum perſuaſio fuiſſe cognoſcitur quod hic laus gloriæ eſſe credebatur.* Et infra : *Panis itaque iſte aliud in ore ſapit ; ſed aliud in utero : quia tranſitoriæ delectationis lætitia dulcis eſt cum hic quaſi mandendo agitur ; ſed amareſcit in utero : quia peracta lætitia deglutitur ad pœnam.* Converſio quam ſuavis delectationis in fel non ſoli contingit hypocritæ ; ſed cunctis, qui voluptatibus dant operam : nam ſaltem cum vita finitur *extrema gaudii luctus occupat.*

D. Gregor. Mag. to. 1. l. 15. mor. c. 6. poſt princ.

11. Aliis equidem citiùs advenit cognitio deceptionis ; qua putaverant verè dulcem voluptatem iniquam. Nam ſtatim poſt lapſum adminùs imperfectè ſurgentes, aliqua ratione dolent ; & ſe vulneratos lugent amarè, dicentes intra ſemetipſos : Quis crederet me percutiendum vehementer delectatione banda ? quis timeret, quòd roſam carpens laceraretur ita ut effunderet ſanguinem ? Stultè ſe protegunt ; excuſationem ſumentes à pulchritudine floris : nam ſcire debuerant, quàm ſe gerat aliter mala voluptas in re ipſa ; cum proponatur velut quid beatum. Audiant voluptuoſi Magnum Baſilium. *Ne dicas*, inquit, *Bona quidem eſt lex, ſed jucundius eſt peccatum. Voluptas hamus eſt diaboli, trahens ad pernitiem. Voluptas mater eſt peccati ; peccatum autem ſtimulus eſt mortis. Voluptas nutrix eſt æterni vermis, quæ ad tempus delinit quidem ipsâ fruentem ; verum poſtea felle amariores retributiones facit.* Cum hæc ita ſint, admirandum eſt valde, quàm ſocorditer in voluptatibus plures quieſcant. Non invenitur in iſtis vera tranquillitas. D. Gregorius Magnus : *Quid enim in hac vita laborioſius, quàm terrenis deſideriis æſtuare ? aut quid hic quietius, quàm hujus ſæculi nihil appetere ?* Non in poſſeſſis novit plenè quieſcere voluptas humana. S. Nilus : *Nunquam*, ait, *ſi quidem quieſcere aut mitigari poteſt voluptas in iis, qui ſuccubuerunt ſemel, & vinci ſe ab illa paſſi ſunt.* Suadeat homo ſibi, voluptatem ſæculi tunc requieſcere, cum finitur : illius quies advenit ſimul cum ejus interitu.

S. Basil. Mag. hom. 12. inter var.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 18. mor. c. 25.

S. Nil. ep. 2.

12. Vates Evangelicus, prænuntians mundi cladem extremam, dixit inter alia : *Ceſſavit gaudium tympanorum, quievit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Hugo Cardinalis ibi : *Id eſt, omne gaudium & ſigna gaudii, id eſt, inſtrumentorum muſicorum ſuavitas ceſſabit.* Notandum, quietem illam ad litteram ibi poſitam eſſe pro deſitione. Certè ſuperfluum crederes aſſerere Prophetam per verbum, *Quievit*, quod jam videre licet expreſſum verbo, *Ceſſavit.* Non fruſtra ſic loquitur Vates : forſan illud vocabulum, *Quievit*, additum eſt, ut modus deſignetur, quo ſolet mundanum gaudium ad quietem venire. Synonyma ferè ſunt in ſubjectâ materiâ quies

Isai. 24. 8.

Hug. Card.

&

& finis. Adverte, prædicto loco ſermonem haberi de gaudio ſub metaphora ſoni: quia ſicut cum expirat ſonus, quieſcit; ſic voluptas invenit ſimul requiem & exitum.

13. *Non ſedens videas delectabilia; ſed gradiens tranſi.*

Hinc pronum eſt cernere quantâ veſaniâ laborent illi, qui mundanas delectationes haud tranſeunter carpunt; ſed in tranſitoriis perſeverare curant. Multum diſcriminis eſt in hac morâ. Sæculi voluptates aliæ manifeſtè ſunt ſpiritûs hoſtes; aliæ verò confœderantur adverſariis perfidæ. Belli tempore civitatem noctu minimè januas claudere periculoſum eſt: at longe plùs periclitabitur urbs incauta, ſi permittat, eos qui cum hoſtibus ejus fœdera invenerunt, intra mœnia, ſub promiſſione ſecuritatis & armatos immorari diù. Dum vivimus, prælia ſpiritualia geruntur contra ſingulas urbes non valde munitas; id eſt adversùs hominem quemque, muris fictilibus fragilem; nec tenebris immunem. Præcipua civitatis oſtia ſunt oculi: res autem delectabiles multæ, quæ percipiuntur eiſdem, gerunt amicitias cum peccatis. Eſto, quod præſtitâ fide nequaquam nocendi, neutiquam lumina claudantur ipſis; attamen ad eas diutina palpebrarum applicatio cavenda; ne proditoriè percutiaris corde. S. Ambroſius: *Verum*, inquit, *eſto inciderit oculus, ſed non incendat affectus. Non enim vidiſſe crimen eſt: ſed cavendum ne origo ſit criminis. Vidit carnalis oculus, ſed premat cordis oculos mentis verecundia.* Uſum oculorum corporis abjicere non juberis: at ne ſedens videas delectabilia; ſed gradiens tranſi.

S. Ambroſ. to.4.l.1.de pœnit. c.13. juxta med.

14. Cum Salomon diſciplinam ætati floridæ præſtiterit ſaluberrimam; ſic effatur aliquando, quòd nonnemo cenſebit, illum concedere nimiùm juveni, dum ait: Eccle. 11. 9. *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Lorinus ad hunc locum: Lorin. in com. ib. *Vel eſt mitius conſilium, ſic hilarè fruatur præſentibus bonis, ut meminerit reddendæ rationis Deo.* Quòd attinet ad jucunditatem non hæreo; ſed ſtupeo, quòd intuitum oculorum juvenibus haud omnino prohibeat Sapiens; memor quàm noxius extet in ætate prædictâ ſæpius luminum corporis uſus. Apud Eccleſiaſticum legimus: Eccli. 42. 12. *Omni homini noli intendere in ſpecie*: ubi Cardinalis Hugo: Hug. Card. in com. ib. *Pauperi vel diviti, nobili vel ignobili, juveni vel ſeni, fœminæ vel mari.* Adde quomodo Salomon juveni permittit intuitum oculorum; cum ſimul hortetur de judicio divino futuro? Fortè mens illius fuit concedere viſionem pertranſeuntis. Ambulandi verbum aliter ad litteram ſumendum agnoſco; ſed moraliter pro gradiendo ſumi nullus vetat. *Ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum*: Siracides autem viſus eſt loqui de viſu moroſo: nam poſt verba citata mox addit: Eccli. prox. ſup. *Et in medio mulierum noli commorari*: &c. Non igitur obcæcari præcipimur; ſed à moris cavere, ne corrumpantur mores.

Ab oppoſitâ cautelæ prudenti negligentiâ circa viſûs cuſtodiam, trahit ortum libita cæcitas: quæ gaudii culpabilis nunc partus, nunc genitrix exiſtit. Occurrunt cæci mente paſſim; ſed rarus eſt qui miſereatur eorum: forſan quia ſponte cæcutiunt. Nihiloſeciùs miſerandi valde ſunt: quia cœcitas iſtorum obſcurior illâ, quam patiuntur corporeis oculis orbi. S. Joannes Chryſoſtomus: *Audiatis*, ait, *quales antea fuiſtis, claudi profectò & cæci animo, qui morbus vitio corporis multò deteſtabilior eſt.* Luminibus, inquam faciei privatus longe minus mali patitur; damnum gravius eſt ejus, qui cæcatur præcordiis. Ille prior, cum per injuriam, vel infortunium careat uſu palpebrarum, defectum ſuum non diligit: proindeque, ſi curari valet arte; nec impeditur pauperie, ſatagit de remediis. At verò mentaliter voluntariè non videns; cum per cæcitatem voluptatibus via paretur, amat illam, reſpuitque medelas. Ad hæc. Corporaliter cæcutientes agnoſcunt iſtum defectum ſuum: non ſuis greſſibus fidunt: ducem quærunt, ne corruant. Econtrariò corde cæcus nequaquam fatetur hoc: proindeque duci recuſat; indeque fit ut cadat identidem. Majus ergo malum eſt illius, qui ſponte cæcitate laborat. Ideo non vides quia non vis? Crede quod ex hoc ipſo gravius damnum pateris.

15. *Cæcitas voluntaria gravius malum.*

S Ioann. Chryſoſt.to. 2.hom.70.in Matth.med.

16. Præcentor Evangelicus Iſaïas videns nimiam Judæorum obſtinationem, Dominum precatur, inquiens: *Oculos ejus claude*: ubi Cardinalis Hugo: *Claude oſtio peccatorum: id eſt claudi permittes.* Ecce peccatores illi comparantur lumina claudenti. Recole quæ Dominus dixit Iſraëlitis per Moyſen: *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanſerint, erunt vobis quaſi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus*, &c. Exponit Cornelius Alapide: *Chananæi, ſi eis parcatis, pungent vos inſtar clavorum, & lancearum, belliſque vos vexabunt & dilacerabunt.* En prænuntiatur Hebræorum populo, niſi deleret Chananæos remanentes, hoſtiliter vexandum per eos. Notabis, quòd inimicorum atrocitas aſſimilatur clavis ferientibus oculos. Quærebam. Nonne malum culpæ ſuperexcedit malum pœnæ? lumina figi clavis an non acerbiſſimum quid eſt? econtra quid affert homini doloris oculorum concluſio permiſſa? cur ergo per Iſaïam Judæorum obſtinatio confertur oculis clauſis? dilaceratio verò bellica fixioni luminum comparatur à Domino? Ratio dubitandi quæſtionem ſolvit. Gravior extabat pernicies contumaciâ peccantium, quàm belli ſiniſtra fortuna: propterea prius illud malum explicatur per oculorum clauſionem; poſterius autem, quod minus erat, prædicitur ceu luminum percuſſio. Rem plùs aperiam. Clavus figitur in oculis per alterius injuriam, te viſu privare volentis; vel fortaſſis involuntario fit infelici caſu. Sed luminum clauſio voluntariè fieri ſolet ab ipſo vidente. Quapropter obſtinationis culpa, quæ majus malum eſt, æquiparari valet oculis ultrò clauſis: quia cæcitas

Iſai. 6. 10.

Hug Card. in com. ib.

Numer. 33. 55.

Alap. in com. ib.

ultronea

ultronea miſerabilior eſt. Clades autem, quam infert hoſtis, cum ſit minus malum delictis, eſt ſimilis oculorum vulneri facto per clavos transfigentes injuriosè, vel infeliciter: nam, cum ſic obcæcatus maneat homo coactè; minùs gravis eſt involuntaria cæcitas. Quotquot voluptati frena laxant ſponte cæcutiunt: & ex hocipſo miſeriori cæcitate premuntur.

17. *Quàm citò deſinat in aliquibus illuminatio per doctrinam.*

Hæc atque ſimilia clamant magiſtrorum ſpiritualium doctrinæ ſalubres: hæc audiuntur è ſuggeſtis: ingeruntur auri per confeſſarios: & in libris lectitantur. Omnia tamen ſurdis canuntur: quia non arrident appetitui. Prodeſt hîc S. Auguſtinus: *Audire*, inquit, *veritatem nihil eſt, ſi non auditionem fructus ſequatur.* Etſi doctrina ſalutaris minimè ſtatim fructificaret; non modicum ſpei futuri proventûs aliquoties remaneret, ſi memoria ſaltem retineret audita lectaque monita. Sed quid proderunt, ſi memori mente non ſervantur? *Nihil*, ait S. Ambroſius, *ergo prodeſt legiſſe vel audiſſe, niſi ea quæ aut legis aut audieris bona, memoriæ theſauro repoſueris.* Occaſio multoties hujus oblivionis eſt: quia cum objectâ luce doctrinæ videant aliqui propriæ conſcientiæ fœditatem, odio proſequuntur ſplendorem: propterea tenebras amant. Non it longe S. Laurentius Juſtinianus: *Propriam*, inquit, *erubeſcunt conſcientiam, quoties ſuperno illuſtrantur ſplendore. Propterea non valentes perſeverare in luce, denſiſſimas ſe convertunt ad tenebras, famemque patiuntur ut canes, & circumeunt civitates, ut vel ſaltem de porcorum ſiliquis ſuam poſſint auferre inediam.* Qui per docentis radios illuminati, citò redeunt ad caliginem, ſimiles perhibentur iis, qui cum ſint oculis morbidi, ſi repente lux appropinquetur, feſtinanter concludunt palpebras. Ita plurimi percipiunt equidem ſalutiferum animæ fulgorem: ſed velociter illuminatio tranſit: aliqualem parit in ipſis effectum, ſed breviſſimè deſinentem.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 66. fi.

S Ambroſ. to. 4. tr. in Symb. Apoſt. c. 16.

S. Laur. Juſt. tr. de vit. ſolit. c. 9. med.

18. Pſal. 96. 4.

Apud Regium Vatem legitur illuſtratio ſpiritualis in lege gratiæ futura. Sed vide quâ ſimilitudine proponatur ibi. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ*: &c. Commentatur S. Auguſtinus: *Miſit ergo Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos, prædicatores ſuos ſanctos velut nubes.... Sic in verbis, ſic in factis, cum miranda dicunt, & miranda faciunt: apparuerunt fulgura eius orbi terræ*: &c. Dubitabam, quâ de causâ citatis verbis apud Pſaltem non potiùs æquiparantur Apoſtoli, ſanctique prædicatores fulminibus. Quærendo nitor in eo, quòd fulgura nihil incendunt ſuper terram; fulmina verò maximè: prædicatores autem, & Apoſtoli ſpiritualiter incendium attulerunt; prout expreſſit Auguſtinus ad eadem verba: *Inflammati ſunt inimici, incenſi ſunt inimici: arſit quicquid contradicebat*, &c. Ergo quare non fulmini comburenti; ſed fulguri radianti comparatur quivis eorum, de quibus ibi ſermo factus eſt? Quia fulminis effectus perdurat; non autem ſimiliter fulguris. Hoc ſanè coruſcat; & incutit luce pavorem; ſed brevî definit metus; uti fulgur extinguitur citò. Similiter contingit in audiendâ prædicatorum doctrinâ penes multos: percipiunt ſplendorem; illuminantur utique; timorem concipiunt: ſed modico ſpatio temporis, tam pavor, quàm illucidatio mentis pertranſit; & reditur ad riſum, qui *dolore miſcebitur.*

S. Aug. to. 8. in com. ib.

Idem. ib.

DELIBATIO II

Expenditur quibus mixta doloribus aliquot gaudia ſint.

19. *Paupertas acerba valde viro nobili.*

SI non attendas tantùm vultus exultantium, ſed prudenter, quoad licet, eorum corda rimeris, deprehendes quòd rarus eſt in terris ab omni parte jucundus. Altiſſimi providentia diſpoſuit, ut iſtis, quos vides hilaritate profuſos, ut plurimùm non contingeret integrè lætari: tum ne ſuperbiâ præcipitarentur de terrenâ felicitate nimiâ; tum ne gaudentes in exilio vitam ducere quaſi beatam, patriam cœleſtem oblivioni traderent. Eapropter divitem cernes ignobilem; nobilem commiſereberis pauperem: opulentum & ſanguine clarum lugentem audies quòd ſorte conjugis careat; ex feliciter conjugatis unum aſpicies prole deſtitutum; alterum ſobolis criminibus publicis vel privatis mœſtum. Legito Boëtium. *Huic*, inquit, *cenſus exuberat, ſed eſt pudori degener ſanguis. Hunc nobilitas notum facit, ſed anguſtiâ rei familiaris incluſus, eſſe mallet ignotus. Ille utroque circumfluus vitam cœlibem deflet. Ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno cenſum nutrit heredi. Alius prole lætatus, filii, filiæve delictis mœſtus illacrymat.* Ex iſtis, quos Boëtius notat, aliquos expendam; nonnullos addam. Primò dicemus de nobili paupere: ſecundò de facultatibus abundante, qui ſucceſſorem deſiderat non extraneum: tertiò de principi ſuo benevolentiam debente periculoſam: quartò de potente, quem cruciat morbus: ultimò perpendemus amatorem dilectum; ſed alienæ dilectionis diffidentiâ ſollicitum. Ad primum. Paupertas non exiguè torquet virum ſplendore nativitatis inſignem: quia pauperies apud ſæculum veluti nævus nobilitatis eſt. Cecinit Menander:

Boët. l. 2. de conſol. Philoſ. proſ. 4.

Menand. in Crechteo.

In paupertate verò obſcuritas ineſt,
Utcumque ſapias, & ignominia vitæ.

Ita cenſuit mundi jus barbarum; quò detruditur egenus à celſitudine, quam è progenitoribus claris derivat: ſicut econtrariò nobilitate plures inſignivit uſus propter antiquas divitias tantùm de proavis ad ſtirpem deſcendentibus. Athalaricus rex apud Caſſiodorum: *Inveteratæ*, ait, *& per genus ductæ divitiæ nobiles faciunt*, &c. Quamobrem acerba nimis eſt penuria viro ſplendidî ſanguinis: amplectetur egeſtatem qui natus eſt humilis; timebit eamdem nativitate præclarus.

Rex Athalaric. apud Caſſiod. l. 8. var. ep. 19.

20. Vocavit Filius Dei Simonem: qui relictâ piſcatione, de qua victûs ejus ratio pendebat, complexus eſt in ſequela Chriſti

sti paupertatem. Nec tunc interrogavit Salvatorem undenam habiturus esset alimentum, deserto munere piscatorio. Christum Dominum haud ignorabat non esse ditem : proindeque non timuit ejus inopiam imitari. Ad Salomonem transeamus. Et audies illum precantem à Deo, ne premeretur angustiâ rerum. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi* : &c. Pro semetipso rogare nunc Sapientem judicari valet : nam licet aliter senserit Cornelius Alapide ; nihilominus ait : *Potest tamen hæc gnome accipi, ut dicta in persona Salomonis, tum quia rex potest excidere solio.... tum quia rex sæpe est pauperior privato* ; &c. Notatu dignum est, hominem sapientissimum sic pauperiem formidavisse ; cum non ignoraret ejus commoda ; Petrum verò satis ineruditum complexatum fuisse lubenter indigentiam ; quin ei timorem ingereret ullum tenuitas. Sed non est cur hæreamus in hoc. Simon humilem nascendi sortem habuit : propterea nequaquam pulsatus est illâ formidine. Salomon rex erat, & regis filius : idcirco metuebat inops fieri ; præscius torturæ, quam præberet ipsi paupertas juncta nobilitati. Multùm anxiantur corde tacito plurimi claritate natalium felices ; & obscuritate, quam gignit facultatum defectus, ignoti.

Proverb. 30. 8.

Alap. com. in Proverb. ib.

21. *Dives filiis carens quasi locuples non est.*

Non pauci reperiuntur deinde tam stemmatibus avorum, quàm opum abundantiâ fortunati ; sed ipsos torquet inveniri gnatis destitutos : præsertim quoniam progenie felicitari præmium est conjugii ; carere verò pudor est aliquibus. D. Ambrosius ait : *Liberi præmia nuptiarum sunt.* Et alibi : *Pudor est enim fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola est causa nubendi.* Statûs conjugalis molestiæ duriùs angunt carentes præmio sobolis : præcipuè si dictus pudor accedat. Possessionibus prudenter fruens vellet, ut non bona sua transirent ad alienos : exoptat sanguine junctos heredes ; in quibus, ut ipse post mortem veluti permanet ; ita sua copiarum possessio quasi continuatur ; unde cor ipsius de genitorum carentiâ transfigitur ; cujus doloris expers egenus est filios non gignens ; vel saltem parùm de gnatorum orbitate dolet. Doctor aureus : *Pauper enim*, ait : *licet pater non efficiatur, haud multum sentit dolorem : dives autem quantò magis auctam rem videt, tantò magis ex sterilitate cruciatur, propter heredis privationem, nullam sentiens voluptatem.* Cum nulla de thesauris voluptas oriatur parenti, cui minime nascitur heres juxta Chrysostomum, nobis inferre licet, perinde valere, divitem filios nequaquam sortiri, quàm si locuples non foret. Filios desiderans opulentus, ita sensu doloris comprimitur, quasi non possideret censum.

S. Ambros. to. 3. l. 10. in Luc. c. 21. & l. 2. c. 1.

S. Joann. Chrysost. to. 1. hom super. or. Annæ.

22. Genes. 15. 2.

Per visionem Dominus testatus est Abrahæ, se protectorem ipsius esse. Sed Patriarcha dixit ei : *Domine Deus, quid dabis mihi* ? Certe dictum de Abraham sic supra legimus : *Erat autem dives valde in possessione auri & argenti.* Negaretne vir perfectus, istam opulentiam fuisse munus Omnipotentis ? Quis hanc ingratitudinem credet in amico Dei ? Quomodo quærit igitur à Domino quid sit ei donaturus ; quasi nihil accepisset ab illo ? Quia licet facultatibus copiosus, prolis inopiâ laborabat. Cùm præfatam interrogationem proposuit, addidit : *Mihi autem non dedisti semen : & ecce vernaculus meus, heres meus erit.* S. Joannes Chrysostomus : *Postquam merces sibi valde copiosa promissa, exponit animæ suæ dolorem, & tristitiam propter prolis inopiam*, &c. Igitur Abram Dei promissam tunc mercedem quasi nihil valentem censuit, eo quòd filio careret, quem haberet successorem. Cardinalis Hugo commentatus Abræ verba sic habet : *Quid valet mihi quod promittis, cum non habeam heredem* ? Vides, hominem virtutibus clarum sic dolentem quòd prole careret, ut sit visus, existimare, nihil sibi datum à Domino, negatis filiis ? Quantò plùs anxiabitur loculeples ille, quem non latuerit, propterea sobolem non accipere, quia sic ejus peccata puniuntur ? Miscetur frequenter istiusmodi mœror lætitiæ, quam gazæ pariunt.

Ibid. c. 15. 3.

Chrysost. to. 1. hom 36. in Genes.

Hug. Card. com in Genes. 15. 2.

23. *Non semel magis approximatur exitio qui summâ potitur gratiâ principis ; quàm si jam indignatum paveat eumdem.*

Transi nunc ad eos, qui jucundantur ex venatâ bonis vel malis artibus gratiâ principum. Credis hos interiùs non mœstitudine cruciatos ? Nisi stolidi sint, multa sollicitudine confinguntur eorum pectora : quia felicitas hæc aleæ plurimùm exposita noscitur. Quies denegatur eis ; cum sit eorum culmen ad lapsum proclive. Bellè Seneca Tragicus :

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Senec. in Thyest.

Regis amicitia non parvi pretii foret, si firma persisteret, nec discrimen afferret. Parum est, si destituram credas : nam & rarò dilectionem privatorum invenies permanentem. Insuper agnosce quòd principum gratia per conditionem instabilem quotidie minitatur fruenti ruinam. Narrante Potitiano, scribente Augustino, dixit quidam lectione vitæ Magni Antonii permotus : *Quid quærimus ? cujus rei causa militamus ? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici imperatoris simus ? & ibi quid non fragile plenumque periculis ? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? & quandiu istud erit ? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* Sceptra possidentium dominio nihil æquè serviliter subest, atque siniſtra vel prospera sors aulicorum : ab unico regentis nutu pendet eorum læta vel adversa fortuna. Polybius : *Aulici ad nutum regis nunc beati sunt ; nunc miseri.* Regum iram patiens periclitatur utique ; sed aliquando vicinior infortunio degit ille, quem recreat blanda nimii regii favoris aura. Volvit inconstans fortuna rotam : felicitatis apici descensus proximior est, quàm infelici nociva proculcatio. Proinde non semel approximatur ampliùs exitio qui principum experitur summam gratiam ; quam si jam indignatum paveat.

Quid apud S. Augustin. to. 1. l. 8. confessio. c. 6.

Polyb. l. 5.

24. Parœmiaſtem conferamus eidemmetipſi duplici Proverbiorum loco. Primùm ait
Prov.16.14. ille: *Indignatio regis, nuntii mortis*: &c.
R. Salom. ubi Rabbi Salomon: *Regis indignatio eſt velut nuntius necem nuntians* &c. Hac metaphora Sapiens utitur, ut exponat quàm periculoſum ſit iram regis incurrere: nam ſicut ille, cui nuntiatur interitus per violentiam futurus, timet imminentem finem: ita qui regis iræ contra ſe furorem agnoſcit, mortem opperitur: quia fulmen eſt ira juncta poteſtati. Satis diverſo modo loquitur Salomon de illo, qui proſperam conſecutus eſt adeo ſortem, ut ad menſam regiam admittatur; quamvis eumdem inſinuet ſubeſſe diſcrimini.
Prov.23.1.2. *Quando ſederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo*, &c. Quem locum librabimus, accipientes illud: *Statue cultrum in gutture tuo*, juxta quamdam expoſitionem, quam ex Caïetano refert ibi Cornelius Alapide; quaſi valeat: Cogitabis & conſideratione volves, te velut poſitum ſub multitudine gladiorum imminentium gutturi tuo. Hæſitabit nonnullus, dicens: Quid menſæ cum gladiis? nonne potiùs affinis gladius eſt indignationi regali? Sanè gravis & acerba regis indignatio vindictam parit ſæpe lethalem: nec tamen Salomon aſſimilavit illum, adversùs quem rex indignationem concepit, homini poſito inter enſes. Cur igitur aſſidens menſæ principis, ut cum illo comedat, intelliget, ſe cultrum in gutture poſitum habere? Quia magis exitium pertimeſcendum eſt illi, cui ſe præſtat rex benevolum eximiè; quàm alteri, contra quem iracundiâ fervet. Poſito jam ſupra fauces cultro, mors abeſt parum; plus verò ſæpe diſtat obitus; licet moriturus acceperit mortis nuntiationem. De quodam legitur accepiſſe nuntium ſententiæ capitalis; cum eſſet regi cuidam ſanguine junctus: ea tamen interceſſit mora temporis, ut factâ populi ſeditione ferale decretum non fuerit executioni datum; quinimo plebis acclamatione rex ipſe deſtinatus coronam ſuſceperit, qui damnatus erat ultimo ſupplicio. Cum ergo denuntiata mors non ſit adeo propinqua morituro, ſicut eſt habenti jam in gutture cultrum; ad hoc ut inſinuetur quantò majori diſcrimini ſubſit regium favorem plurimum expertus, quam indignationem; is, cui rex indignatur, conferendus eſt accipienti mortis nuntium: at verò felix valde per benevolentiam regnantis, comparandus homini, cujus collo mortem vicinam comminatur ferrum. Hæc ſunt aulicorum caduca gaudia: qui regis amicitiâ turgentes elevant ſuperbiſſimam cervicem; quæ tandem præcidit gladius. Imminens infortunium ſuum ſi præviderint, eorum lætitia *dolore miſcebitur*.

25. *Quàm ſit acerbum potenti ſanitate carere.* Perge nunc ad quoſdam poteſtate validos; corpore tamen infirmos. Notum eſt, qualiter jucunditas cordis per ægritudines compreſſa deſinat. Eâ conſociantur neceſſitudine corpus & anima, quòd, licet plurima confluant gaudendi motiva, ſi tamen ægrotatione caro torquetur, animus gaudium quodvis deponat; imo nec de vitæ duratione complaceat.

Dum malè corpus habet, nec mea vita placet. B. Eugen. Epiſcop. Toletan. in opuſc. poëm. 11.

Hæc hilaritatis defectio propter morbum communis eſt potentibus & humilibus. Cum hoc tamen ſtat, corporeæ ſalutis defectu duriùs anxiari ſplendentem potentiæ viribus: tum quia ſomniant iſti, ſe malis dominari; proindeque nimiùm triſtantur quòd auſi fuerint illos aggredi morbi: tum etiam quia potens degit lentus in umbra; delicatulum eum reddit mollis aër: unde fit, vehementiùs angi cùm ægrotat. Ratio demum accedat alia; quàm ex Magno Gregorio deduco. Præpotentes inflat ſuperbia: cùm autem laborant infirmitate, velint, nolint, coguntur agnoſcere, ſe tam fragilis conditionis eſſe, quàm viles homunciones: iſtaque meditatio multum adauget ſenſum ægritudinis. Fruere Doctore morali. *Moleſtia corporalis*, inquit, *ad cognitionem ſui mentem revocat, & quam plerumque ſalus abjicit, infirmitatis memoria reformat: ut animus, qui extra ſe in elationem ducitur, cui ſit conditioni ſubditus, ex percuſſa, quam ſuſtinet, carne memoretur.* Vel propter aſſignata motiva nuper, vel ex aliis, quæ non difficulter invenies, duriſſimum eſt potenti ſanitate deſtitui: minus acerbum foret, ſi poſt amiſſam potentiam, ſalute corporeâ privaretur. D. Greg. Mag. to. 1. 3. p. Paſt. admon. 13. poſt med.

26. Mutuò conferre liceat Jobum cum Nahaman Syro. Potentiâ fruebatur uterque: ſed Job fortunæ dona perdidit; & poſtea factus eſt æger. Non ſic Nahaman: nam infectus leprâ poteſtatem ſervavit. *Nahaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, ... vir fortis & dives, ſed leproſus.* Mitiùſne providentia Dei ſe geſſit cum idololatra; quàm cum Jobo, qui juſtus probabatur ad coronam? nonne ſuſpicari poſſumus, Syrum leprâ fuiſſe percuſſum, Domino ſic eum puniente? Hoc unum certò ſcio, quòd in ſenſu morali deſignat peccatorem. Cardinalis Hugo: *Moraliter Nahaman eſt peccator.* Quare non abjicitur primùm Dynaſta; poſt autem feritur leprâ? Jobus autem patitur abjectus & æger? Fortaſſe, quia duriſſimum Jobo foret potentiâ ſimul frui, ſanitateque deſtitui. Tentabatur ad meritum: ideo congruebat non tam acerbè cruciari. Nahaman cultor idolorum ſeverius affligatur. Valde quidem fuiſſe durum judico eidem laborare leprâ, cum præpotens foret. Fortunæ ridentis jucundam faciem dum experiuntur homines hujuſmodi, valetudinem adverſam pati longe magis indoleſcunt illis, qui ſorte deprimuntur. 4. Reg. 5. Hugo Card. in com. ib.

27. *Quantùm crucietur amans dilectus metu alienæ inconſtantiæ.* Tandem ad amatores venio gaudentes eo quòd viciſſim diligantur. Exultant, quoniam præcipuum ducunt amoris præcipuum ducunt amoris præmium redamari: ſed eos pungit acriter ſcrupuloſus timor, ne priventur affectu, quò munerantur: non etenim, ſi veraciter amant,

remune

remunerari cupiunt ab alio, niſi per ipſum dilectum, amoris diviti diſpendio. Si negetur iſtud ſtipendium, deplorant, ſibi debitum non perſolvi. *Nihil quippe*, ait Cancellarius Pariſienſis, *ita debitum: nihil plus naturæ conſentaneum: nihil efficacius ad diligi, quam redames ſi amaris, & ames ut ameris.* Cum hæc ita ſint, amans multò ſollicitus metuit, ne fraudetur alterius dilectione: Præſertim quia fraudatio prædicta frequenter involvit contemptum: qui non modicè torquet amorem; hic enim conditionem vendicat, ut ita dicam, regiam. Quantumvis noſcat affectuoſus dilectum ſe verè: non ideo quieſcet ipſius formido; cum aliorum exempla ſuadeant humani pectoris inconſtantiam. Dulce canit pius Vates:

Ge.ſon.p.1. tr.an monachus &c. in princ.

Hug.l.3.pi. d.ſid.poëm. 3.

Curre per hiſtorias, quotus, heu! ſecurus amavit?
Hunc brevis, hunc fictus ludificavit amor.

Eſto firmiter credat amari ſe qui dilectioni præcordia tradidit; quis eum tutum de alienâ conſtantia reddet? Metus hic ita lancinat cor ejus, ut ampliùs torqueatur ſuſpicione diffidenti de permanentia dilecti; quàm ſi contingeret amatum non poſſidere, dummodo ſeipſum diligi ſciret. Pone, dilectorem noſſe quòd ametur; & illius quem amat poſſeſſione fraudari: dolorem fortè diſſimulabit prudens. At quantumlibet certus extet de alterius dilectione, quatitur cor ipſius formidine; metuentis, eum nequaquam permanſurum in diligendo.

28. Jacob fraternam profugiens iram venit in Labani domum. A quo mercedis optione datâ pro ſervitii labore, conjugium petiit Rachelis: quam natura ſimul & poſtpoſuit, & prætulit: venuſtatem quippe faciei contulerat; & germanâ minorem natu fecerat. Inito fœdere ſeptennii fregit Laban fidem: & furtivè tradidit Liam pro Rachele, Jacobo neſciente, poſtquam impleverat annorum ſtatuta ſpatia. Non potuit genitoris, ut credo, fraus latére recentiorem filiam; nec de ſemetipſa pactum ignorare. Sed non legimus, Rachelem tunc ſignum dediſſe doloris, eo quòd à parente fuerit fraudata conjugio, poſtpoſitaque Liæ. Poſt hebdomadam nuptialem Rachelem Jacob accepit etiam in uxorem; addito contractu de novo ſeptem annorum famulatu. Germen ex Lia ſuſcepit quartum, adhuc infœcundâ permanente Rachele. Tunc iſta

Geneſ. 30. 1. doluit, & ait viro ſuo: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Quô tam ſævè transfigitur cor ejus, ut mortem expectet? quare non invenimus dolentem, cùm antepoſita fuit eidem Lia per Laban; matrimoniumque jam debitum negatum eſt? Quia dum pater ipſam protunc noluit Jacobo tradere conjugem, hic adhuc eamdem tam ardenter ut antea diligebat: quod certò ſcire potuit Rachel; propterea quoniam credibile non eſt, ipſam neſciviſſe Jacobi querimoniam de fallaciâ Labani, quam Textus refert. Tempore verò, quo Rachel ſterilis vidit Liam partubus fertilem, timuit amorem Jacob erga ſe defeciſſe. S. Joannes Chryſoſtomus: *Fortaſſis*, inquit, *vidit viri erga illam amorem, & putabat ea de cauſa illam tot filios habuiſſe, & ſe nondum peperiſſe: unde dicit:* Da mihi &c. Conjector, etiam formidaſſe ne fœcunditas Liæ talem progigneret ejus affectum in corde Jacob, ut iſte prorſus amorem abjiceret dilectiſſimæ Rachelis. Hæc ſollicitudo pectus ipſius ita percuſſit, quòd illa, quæ prudenter ſuſtinuit priùs eripi ſibi dextram conjugalem Jacobi, Liamque genitoris aſtu nuptiis præferri; nunc (etſi gaudens noſſet amari) præ timore ne vir diligendi conſtantiam deſereret, plurimùm angeretur. Ex iſtis, quæ numeravi, lætitiis, quarum quælibet ſocia reperitur anxietatis, conjicere poteris, dato quòd reliquas perluſtres, vix ullam deprehendi poſſe, de qua verum non ſit: *Dolore miſcebitur.*

Chryſoſt.to. 1. hom. 56. in Geneſ.

DELIBATIO III.

De luctu ſalutari.

UTinam fructiferæ lacrymæ non tam occuparent *extrema gaudii*; quàm perpluerent in ipſius jucunditatis vituperabilis incremento ſumno: ſic enim voluptatis incendia ſedarent. Potentiſſimi ſunt fletus, licet ad exteriora diffluant per oculorum canales, ut ſopiant flammam, quæ voluptuariis ardet intus. *Aqua compunctionis extinguit ignem illicitæ delectationis.* Hæc Petrus Cellenſis. Proviſum eſt ab Authore naturæ, quòd unum de muneribus oculorum ſit ploratus effundere. Cum enim ſint illi damnabilium voluptatum ſubminiſtratores; eos oportuit eſſe lacrymarum fontes; ut ipſi corrigerent errata quæ docuere: non à manu vel pede quiſquam expectat planctum: quod erraverunt palpebræ videndo, flentes emmendent. Peccatis omnibus, fateor, eluendis eſt commune balneum lacrymarum; ſed præcipuè voluptatum maculis tollendis opportunum, quin & neceſſarium. Simeon Junior: *Quicumque enim, ait, homo proinde ut ego damnatus peccavit, & cœno voluptatum ſenſus animæ ſuæ obturavit, quamvis rem ſuam omnem pauperibus donaverit.... attamen, ut re quadam vitæ ſuæ neceſſariâ eget pœnitentiæ lacrymis, quibus cœnum peccatorum ſuorum abluat*, &c. Heus tu, qui jam damna, quæ tibi conciliavere voluptates, agnoſcis; interventu lacrymarum ea reſtaurare ſatage: ne ſiccis luminibus alio cures medio reparare quod appetitui ſerviens amiſiſti: lacrymandum eſt, ſi verè cupis errorem corrigere.

29. *Voluptatis errorem lacrymæ corrigunt.*

Petr. Cellen. l. de pan. c. 12.

Sime. Iun. or. 33.

Benedictionem paternam primogenito deſtinatam præoccupavit Jacob. Id tulit ægrè ſerò veniens Eſau. Qui fletu faciem rigans obtinuit à genitore tandem, ut necnon ei benediceret. *Cumque ejulatu magno fleret, motus Iſaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper* &c. Cur ita? flectere cupit animum patris? quare non adnectit rationes, proponens ita: Primogenitus, ô parens, ego ſum:

30.

Geneſ. 27. 38. 39.

non minori fratri, ſed mihi benedictio debetur, dari ſolita natu majoribus: an mihi non priùs dixeras, ut irem venatum, pulmentumque ferrem, ut mihi benediceret anima tua? quare nequaquam judicas infectum, quod errore tuo factum eſt? Saltem dilectionis erga ſe patrocinium imploret, aiens: Hæc eſt illa peculiaris amoris prælatio, qua me propoſueras germano? Nil horum deprompſit labiis: potius refugit ad planctum; ſed qua de cauſa? Prænotandum, quòd Eſau jus ad benedictionem illam tranſtulerat in fratrem. Ad illud: *Primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam.* Lir. ib. ad n. 36. Liranus ait: *Falſum dicit, quia voluntariè vendidit ea: ut patet ex prædictis, & per conſequens non ſurripuit benedictionem alienam, ſed ſibi debitam cautè accepit.* Primogenituram, cui competebat jus ad illam benedictionem, dimiſerat Eſau fratri, cùm primogenita pretio diſtraxit: ſed intendebat reſtituere ſe priſtinæ dignitati. Lipom. in caten. ad Geneſ. 25. Lipomanus: *Præferebat*, inquit, *ventrem honori, cibum virtuti, ſine gratiarum actione reficiebatur, meditabatur viâ facti retinendum quod tunc vendiderat*, &c. Unde poſtea jacturam cupiebat reparare quam incurrerat ex appetitu cibi, delinquens triplici ſpecie peccati: ſcilicet gulæ (de quo videri poteſt Geneſis 25. 30. 34.) necnon contemptus rei ſacræ, ſimoniæque; prout habet Cornelius Alapide. Alap. com. in Geneſ. 25. v. 31. n. 4. §. Verum. Recurrit ad lacrymas; optimum, quantum eſt de ſe, remedium ad reparationem damni quod affert voluptas. Sepoſitâ litterâ, memento, quamvis non pœnituerit Eſau, figuraviſſe tamen Judaïcum populum; qui tandem veraciter amplectetur pœnitentiam. S. Bruno. Aſt. in Geneſ. 27. S. Bruno Aſtenſis: *Neceſſariò*, ait, *credere debemus, quia non ex toto privabitur Eſau, id eſt populus Judaïcus benedictione patris; ſed quicumque convertentur ad Dominum ſuſcipient benedictionem Synagogæ, id eſt Patriarcharum & Prophetarum.* Recolamus etiam, Iſaacum geſſiſſe typum Chriſti Domini. Clemens Alexandrinus ait: *Ipſe eſt Iſaac (aliter enim accipere poſſumus) qui eſt typus ac figura Domini.* Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. ad fi. Peccator itaque, ſi habet in votis damna ſibi per appetituum illecebras facta reparare correctis erroribus; non tam ad pia verba, quàm ad eloquentiæ plenos, & efficaces in obtinendo planctus convertat ſemetipſum, dum convertitur. Apoſtolorum Principem tacentem notavit & plorantem. S. Eligius Epiſcopus, inquiens: *Lacrymatus eſſe dicitur Petrus; verùm quòd preces quoque ſatisfaciens fuderit non refertur. Cur hoc, niſi quòd utiliores ſunt preces lacrymarum, quàm imploratio ſermonum?* S. Elig. Epiſc. Noviom. hom. 16. ad fi.

31. *Non omnes plorare ſciunt.*

Cum ſint perutiles fletus ad ſananda crimina; caret excuſatione peccator: qui fontes oculorum aperit ut medeatur angoribus è cauſis vaniſſimis procedentibus; & animam relinquit ſiccam; non utens aquâ ſalutiferâ pro medicandis ulceribus delictorum. Si cuicumque non flenti peccata penitus occaſio nulla plorandi contingeret; minus ille reprehenſibilis foret: diceret quippe, velle ſe tranſigere vitam lacrymarum prorſus expertem: ſed, cum rarus homo ſit, cui non mille plangendi cauſæ ſuperſint; indignus eſt veniâ non plangens reatus proprios. Humbertus: *Vita præſens*, ait, *laboribus plena eſt, cum luctu agitur & cum lacrymis amittitur.* Fr. Humbert l. 1. ſpecul. relig. c. 7. Illud notandum, quod, cum tot audias lamenta, non in omnibus qui flent, invenies quòd plorare ſciant: hæc enim ſcientia plus à plangentis corde ſano petenda, quam ab humanâ doctrinâ. Proficiet nunc audire S. Joannem Climacum, dicentem: *Ratio docendi & diſputandi de lacrymis pleriſque Patrum perobſcura, & perdifficilis eſſe videtur, præſertim apud tyrones, quòd illæ ex multis & diverſis fontibus & cauſis oriri poſſint*, &c. S. Ioann. Clim. in ſcal. gr. 7. O quantâ laborant ignorantiâ plurimi deflentes. Quidam lacrymantur oculis clauſis: hoc eſt, è palpebris guttas effundunt; & adhuc peccati malum non cernunt plenè; proindeque meliora non ſapiunt. Neſcientis eſt flere per inutilem pœnitentiam; cum poſſet eligere fructuoſum luctum. Alii plorant quæ gaudenda potiùs eſſent: de quorum numero ſunt ii, quibus deſuper tolluntur occaſiones ruinæ ſpiritualis, quas diligebant: lætari quidem oportebat; ſed fatuè lugent. Aliqui circa minima pueriliter maximos edunt ejulatus: inſumentes vanè lacrymas; quas utiliter expenderent ſuorum reatuum pœnitentes. Id ſtatuamus: nempe quod non omnes plorare ſciunt: haud in cunctis reperitur plangendi ſcientia.

32. *Videri poteſt Sanct. in hunc locum. n. 38.*

Annuntiatur apud Amos à Domino luctus ad litteram futurus ob cladem Iſraëlis per Aſſyrios. *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere.* Amoſ. 5. 16. Superfluum apparebit ibi dictum, quod forent advocaturi plancturos; cum tot eſſent reperiendi plangentes, ut in omnibus plateis reſonaret planctus. Ne ſupervacaneum reputes vocari ſcientes lugere: quia non cuncti ſunt in hac re periti. Quinimo plures creduntur in lacrymando ſapientes; & non utique ſunt. Eidem loco mentem rurſus applica. *Vocabunt agricolam ad luctum*, &c. Ruſticus ad luctum iſſum vocandus erat? Fortaſſe forent putaturi quòd agricultores, eoquòd ex munere ſuo paſſim lamententur publica damna, cum vel cœlum ferreum negat pluvias, vel nimias jaculatur aquas, experientiâ magiſtrâ ſatis eſſe doctos in plorando malo Reipublicæ: ſed agricolam vocantes ad ejuſmodi luctum erant erraturi ſtultè. Satis opportunè Rupertus ad præmiſſa verba: *Quem æſtimare debemus eſſe agricolam, niſi illum qui ita ruſticus eſt, ut lugendi non habeat ſcientiam? Verè nanque ſcientia lugentes facit.* Et infra: *Stulti igitur, qui pertranſeunte Domino agricolam vocant ad luctum, & non potiùs urbanum, ſive Eccleſiaſticum in ſancta ſcientia bene exercitatum; id eſt qui temporalium tantummodo, & non ſpiritualium damna bonorum; qui tantummodo, & non potius mortuarum funera lugent animarum. Denique,* Rupert. com. in Amoſ. c. 5. l. 1. fi.

quod

quod cum dixiſſet : Et vocabunt agricolam ad luctum, *ſubjunxit* : Et ad planctum eos qui ſciunt plangere. *Non pro ſuo judicio, ſed pro vanâ illorum dixit æſtimatione.*

33. *Lacrymabilis eſt valde qui ſe flebilem ignorat.*

Et mehercle tantò lacrymabilior eſt generis humani miſeria, quantò minùs homo novit eam fletibus proſequi. Radices prudenter expendantur, à quibus provenit illa peccatoris ariditas lapidea : necnon æſtimetur æquè ſterilitas inde promanans ; & patebit quantùm ſit flebilis reus, qui lacrymari neſcit voluntariè. Flagitia ſua non deflens, habitibus peccaminoſis induratur : qui velut mala ſemina progerminant ulteriorum criminum ſpinas : & utplurimùm trahitur amore piaculi proprii miſer, quaſi catenis illigatus validè. Hæc de cauſis defectûs lacrymarum. Hujus autem notiſſimæ ſunt conſequentiæ multæ ſatis horribiles : anima quippe facta ſterilis, quia per longum tempus his non irrigatur aquis, ferarum, hoc eſt dæmonum fit habitaculum. Sanè cum recte flentibus charitas flere ſuadet ; ſed ampliùs cum iis, qui delicta commiſſa plangere nolunt. Appoſitè S. Laurentius Juſtinianus : *Mandat*, inquit, *charitatis lex gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Multò tamen amplius flere jubet eos, qui plangenda committentes aut nolunt, aut negligunt, aut fierè ſe neſciunt.* Lacrymabilis eſt valde qui ſe flebilem ignorat : hujus peculiariter miſerere.

S. Laur. Iuſt. in faſcic. amor. c. 14. juxta med.

34. Amici duplicis calamitatem non eodem ſigno dilectionis proſecutus eſt Dominus ; qui veraciter diligebat utrumque. Lazarus obiit ; & ſepultum Dei Filius ploravit benevolè. Meliorem vitam perdidit Simon cùm negavit Magiſtrum : ſcilicet ſpiritualem : Salvator attamen hunc interitum non planxit miſerabilem Petri. Dices, Apoſtolum, cum negavit, indignum fuiſſe tantâ miſeratione Domini ; quòd ejus ruina plangeretur ab eodem. Bene. Sed an perfida civitas Jeroſolyma promeruit lacrymas Redemptoris ? de quibus apud Lucam : *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam*, &c. Urbem lamentatur ingratiſſimam ? Petri verò nimis dilecti caſus non lacrymatur ? Minùs Chriſtum Dominum commovit amantiſſimi diſcipuli miſeranda ruina : quia Petrus optime ſcivit eam deflere. *Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat : Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis : & egreſſus foras Petrus flevit amarè.* Scientem lacrymari divinus Præceptor nequaquam aſſociatus eſt in plorando : ſic inſinuans, minus in eo dari motivum condolendi ſimultaneo fletu ; protunc omittendo : quia totus intentus erat Aſſertor noſter ad certamen ſuæ paſſionis, quod pro mortalibus cunctis aggreſſus erat. Jeruſalem verò cum ſe plorabilem neſciret, ex hoc ipſo miſerabilior extabat. Idcirco Dominus illam cernens haud continuit lacrymas. Tempeſtivè S. Laurentius Juſtinianus : *Mediator noſter*, inquit, *ſuper perituram civitatem lacrymatus eſt, quæ eò magis plangenda erat, quò ſe minimè flebilem agnoſcebat.* O quàm frequenter occurrent

Luc. 19. 41.

Ib. c. 22. 61. 62.

S. Laur. Iuſt. prox. ſup.

exultantes : qui pietatem recte ſentientis moveant plurimùm propterea quòd ſemetipſos eſſe lamentabiles neſciant ſponteneè !

Sunt alii, quos non latet ſua flendi multiplex cauſa : turpitudo nempe ſcelerum commiſſorum, Dei gravis offenſio, damnaque de peccatis ventura. Sed in eo tantùm errant, quòd moras trahunt, priuſquam deliberent plangere crimina. Stultum eſt hoc : nam ſicut naturalis obdormitio reddit quaſi fatuum virum alioquin prudentiſſimum (prout in ſomniorum ridiculis fabricis apparet) ſic per negligentiam de ſalute dormiens indicat ſtultitiâ laborare. Philippus Solitarius : *ſtultos*, ait, *zelus igneus expectat. Nihil mirum eſt quemquam ægrotare ; ſed morbum flocci pendere.* Et infra : *Etenim ignis eſt Deus, ignis urens, & illuminans : inſipientes urens ; prudentes autem illuſtrans. Hic appropinquat, ut de omnibus juſtam judicii ſententiam ferat : tu vero dormitas, negligentiæ ſuccumbis, dormis, & obdormiſcis*, &c. Sapiens erit qui per feſtinationem pœnitentiæ curaverit faciliùs placare læſum Dominum. Celeritas hæc valde movet clementiam Altiſſimi : nam ſi velox deteſtaris culpam, timorem offenſi Judicis profiteris humiliter, & hujuſmodi ſubmiſſa trepidatio miſerationem aſſequitur pronam. Dum cunctaris autem, præſumptione ſuperbus vindictam provocas ; & elationem tunc deponis, cum tibi placet : qui pœnitendi modus, quantumvis illum à præſumptione dividamus, non tam Deo gratus eſt. Imo pene videtur, Dominum plus moveri benignitate ſuâ, ſi videat ſceleſti pœnitentiam fictam ſed feſtinatam ; quàm ſi veram cernat alterius, & moroſam. Non equidem fictio Deo placet : attamen aliquando propria bonitas illi ſuadet, ut ſe lenem oſtendat ampliùs pœnitenti ſimulato veloci ; quàm veraci peccatorum deteſtationem retardanti.

35. *An Deus plus moveatur, ſi pœniteas fictè celeriter ; quam ſi verè, ſed moroſè.*

Philipp. Solit. in Diopt. l. 1. c. 10. ante med.

Impio regi nimis Achab ſupplicium denuntiavit Elias. Ille ſcidit veſtimenta, dolorem indicavit, cilicium aſſumpſit & jejunium. Tunc Dominus ad Vatem : *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me ? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui inferam malum domui ejus.* Expenſione dignum eſt, ſcrutantem corda Vindicem æquiſſimum adeo flecti, quidquid egerit Achab : nam iſte nequaquam veraciter pœnituit. Cardinalis Hugo ſuper hunc locum : *Simulata fuit iſta pœnitentia* &c. Non lego, ſimiliter dilatum fuiſſe Davidi ſupplicium ad tempora, quibus regnavit Salomon genitus ab eo ; ſicut Achabi pœnam tranſmiſſam præcitatis verbis audivimus ad ipſius gnati dies. Davide vivente (nec poſt longiſſimos annorum decurſus) parvulus natus ex adulterio mortuus fuit ; ſic puniente Deo Patrem. Quare non diſtulit Altiſſimus mulctam ad Salomonis annos, poſt mortem Davidis ; cum hic verè peccaviſſe doluerit ; Achab verò fictè ? quoniam David fuit in pœnitendo tardus : ait enim perilluſtris commentator

36. 3. Reg. 21. 29.

Hug. Card. in com. ib.

Sanct. in c. 12 v. 1. l 2. Reg. n. 1.

Sanctius : *Neceſſe eſt, in peccato Davidem novem ſaltem menſibus hæſiſſe.* Protelata pœnitentia minùs experta fuit mitem Omnipotentem ; quàm inveniret, ſi rex maturaret abominationem ſceleris illius utriuſque. At verò cum audiſſet Eliam Achab, non procraſtinavit in menſes multos illam ſuam qualemqualem pœnitentiam.

3. Reg. 21. 27.

Textum lege. *Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Si criminum pœnitudo non vera clementem invenit Altiſſimum ; qualiter flectet eumdem vera pœnitentia feſtina ?

Petr. Bleſ. ſer. de confeſſio. ante med.

Fruere Petro Bleſenſi : *Converſione*, ait, *Achab pœna ejus differtur in poſteros, & Jezabel impœnitens præſenti judicio condemnatur. Confeſſionem ergo ne differas : nam neſcis quid ventura pariat dies.* Lentiùs cogitatione volve quantus error ſit agnoſcentium delicti miſeriam ; & differentium luctum ſalubrem.

37. Aliter deſipiunt nonnulli, qui cum labantur voluptuoſis criminibus, expectant ad pœnitendum quòd voluptas alia via finiatur. Hi quaſi coacti deſerunt illicita gaudia : fructum ſpiritualem ab eventibus infortunatis optant colligere. Prudentiam laudo ; qua de ſiniſtris caſibus eruitur animæ felicitas : minus tamen laudabile credendum eſt per temporale naufragium ad portum ſalutis animæ deduci ; quàm aurâ ſecundâ flante vela flectere ; reverti ſcilicet ad miſericordiam implorandam, ſpretis peccatorum deliciis : nam ſic ſe gerens pugnat fortiter cum peccaminoſo gaudio ; ſuperatque blandum, ſed terribilem adverſarium. Qui poſteaquam ſe denique videt infelicem, tunc execratur proſperæ ſortis errores, non iniit cum voluptate certamen ; ſed poſtquam aufugit hoſtis, pro virtute ſe pugnantem exhibet ; quod eſt vulgare. Deducitur hinc, illum, qui tunc peccaviſſe dolet, cum voluptas mala per infortunium abiit, non tam fervosè pœnitere : quia permiſit ut in proprio corde radices validas ageret gaudium damnabile : per quas reſiſtentes abominationi præteritorum ſcelerum cor impeditur, ne deteſtetur amariſſimè quod amaverat ſuaviter. Is autem, cujus pœnitentia non pependit à ſortis adverſæ diſciplinâ ; ſed ratione ducente, tempore, quo gaudiis operam dabat, regreditur ad meliorem frugem, vehementiùs compungitur aliquando. Ferventior eſt nonnunquam in pœnitendo qui non adverſitate magiſtrâ doctus reſipuit ; ſed judicii dictamine motus abjecit durantem adhuc voluptatem.

38. Duplex pœnitentium exemplar hîc juvat componere mutuò : Magdalenam ſcilicet atque prodigum. Fœmina peccatrix coram Chriſto Domino rigavit ora lacrymis ; quin Phariſæum, in cujus domo Filius Dei tunc aderat, vel ſimul accumbentes erubeſceret ; quod vehementiſſimi doloris extitit judicium. Accedit aliud angoris ejuſdem fortiſſimum ſignum : ſcilicet quòd in conſpectu Redemptoris tacuerit, ut peccatum exaggeraret. Petrus Comeſtor : *Sed*, inquit, *ubi legitur exaggeraſſe peccatum ſuum ? Conticuit flens ſecus pedes Domini. Lacrymas ejus legi, confeſſionem non legi ; tacendo, inquam, exaggeravit, ac ſi diceret : Domine tu omnia noſti, non poſſes etiam pondus audire peccati.* Mira quidem taciturnitas ! non tamen prætereundi fletus : nam ipſa priùs quàm hoc loco ploraret, conſecuta fuit veniam criminum per amorem, ut ex Magno Gregorio colliges : qui ſuper illud : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit* &c. ſic habet : *Ac ſi aperte diceretur : Incendit plenè peccati rubiginem : quia ardet validè per amoris ignem :* Ut quid ergo flet coram diſcumbentibus ? an ſi reprimeret lacrymas, ignoraretur ejus dolor ab eo, qui ſilentium ipſius audivit ? Certe prodigum in conſpectu parentis offenſi non omnino tacentem legimus ; nec lacrymas effudiſſe novimus. Quare ? Suſpicor ita proponi minùs acerbè dolentem quòd peccaverit, converſum filium : nec recuſabis concedere, Magdalenam doluiſſe de peccatis amariùs prodigo : nam hic tunc voluptates noxias abominari cœpit, cùm experiebatur infelicia tempora. *Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.* Et poſt pauca dicitur de pœnitentia veſani : *In ſe autem reverſus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo ! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, & coram te :* &c. Cum prodigus non doluerit deliquiſſe per voluptatem, niſi poſtquam hæc deſiit & factus eſt infelix, minùs ardens fuit ejus compunctio. Graviùs autem compreſſum eſt cor Magdalenæ doloris amaritudine : quia nequaquam iſtum ab infelicitate mendicavit ; ſed tranſverberata per dilectionem, durante felicitate, pœnituit. Igitur voluptuoſo congruit minimè differre pœnitentiam ad ærumnæ tempora, cum *extrema gaudii luctus occupat.*

Petr. Comeſt. ſer. 23. de Magdale.

S. Greg. Pap. to. 2. hom. 33. in Evāg.

Luc. 15. 14. 15.

Ib. n. 17. & 18.

DELIBATIO IV.

De facie læta juſti. Nonnihil adversùs adulatores. Notandum circa dolorem abditum : & erga dormientem ſub verbere Dei. Miſcentur mœror atque lætitia.

39. *Juſti læta facies conformatur cordi.*

Riſus. Patet, vocem iſtam, quantum eſt de ſe, ſignificare ſatis notum quoddam lætitiæ ſignum : attamen hîc extendi poteſt ad interius pectoris gaudium ; quippe novum non eſt cauſam & effectum eodem vocabulo deſignari ; exterior autem jucunditas promanare ſolet ab interna. Favet hoc loco Dionyſius Carthuſianus, inquiens : *Id eſt vanam lætitiam pœna ſequitur, & dolor remordentis conſcientiæ diſſolutione riſuum ſociatur.* Enimvero, ſi naturam

Dion. Carth. com. Prov. 14. 13.

ſuram ſpectemus, tam affines dicemus unam & alteram hilaritatem; externam ſcilicet ac intus latentem; ſicut ſimilis eſt imago fideliter expreſſa per artem exemplari ſuo: nam ille geſtus ridentis exhibet formam cordis exultantis; quaſi facies animæ ſpeculum ſit. S. Nilus: *Natura, etenim*, ait, *ſpeculum animæ finxit vultum, talis in ſemet ipſo formas adumbrantem, quales intus illa movet affectus*, &c. Speculum iſtud adulteratur in aliquibus per malitiam. In commentario dixiſſe memini, præſentem parœmiam agere de riſu gaudioque malorum. Sed cum, ſicut ibi retuli, juxta Cornelium Alapide, ſententia comprehendat juſtos & iniquos; utroſque mutuo conferemus. Impius paſſim reperitur verſipellis; rectus autem candidus; ut circa multa convincimus identidem. Quod attinet ad præſens, non inſolitum eſt, vultum hominis improbi mentiri jucunditatem cum in ejus præcordiis gehennalis mœror deliteſcat. Vitiatur ſpeculum, hoc eſt, facies: & figuras refert alienas à rebus, quæ pectore verſantur illius. Non ita contingit in virtutis amico: cujus prudens, & veritati ſocia ſimplicitas faciem proponit ſimilem cordi. Juſti vultus hilaris conformatur interno gaudio; facies autem peccatoris læta multoties abſcondit cor mœrens.

S. Nil. in peri. l. c. 9. c. 2.

40. Decollato feliciter Holoferne per fragile brachium, fugit mens, & conſilium ab exercitu premente Bethuliam: terga dederunt hoſtes, & Iſraëlitæ victoriam celebrem conſecuti ſunt. Hebræorum exultationem ſacer Textus enarrans ait: *Erat autem populus jucundus ſecundùm faciem ſanctorum, & per tres menſes gaudium hujus victoriæ celebratum eſt cum Judith.* Illa verba: *Secundum faciem ſanctorum*, exponit Interlinearis: *Sicut decet ſanctos.* In hiſtoria ſermo fit de jucunditate, quæ prodibat in vultum. Bene M. Celada ex Carthuſiano & Serario: *Spirituali quadam lætitia, quæ è ſecreto cordis in faciem erumpebat.* Retrocedamus ad tempora Salomonis. Ædificato jam templo rex introduxit arcam: & per dies aliquot ſolemnitas protracta fuit; poſt quam dimiſſus eſt populus: de quo ſic legimus: *Profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes, & alacri corde* &c. Curioſiùs inquires, cur hoc loco dictum potiùs non eſt: Alacri facie? cum refertur exultatio concepta de ſupradictâ victoriâ, debellato fortiter exercitu, quem ductaverat Holofernes, refertur lætitia promanans ad faciem? verbis autem illis, quæ deſumpſimus ab hiſtoria Regum, cor Hebræorum dicitur alacre; de vultu nihil exprimitur ibidem? Reſpondeo. Poſteriori loco ſermo fiebat de multitudine, cujus non exigua pars inquinabatur delictis. Quia verò non eſt inuſitatum, faciem peccatoris gaudentem celare triſtem animum; ne putares, poſt dedicationis templi ſolemnitatem ore tenus lætatos; inſinuatur, etiam ipſos profectos fuiſſe corde lætos: *Alacri corde* &c. Nunc divertamus ad myſticum ſenſum ejus lætitiæ, quam Bethulienſes vivente Juditha, ſuperatis adverſariis experti ſunt. Gaudium iſtud juxta Gloſſam Interlinearem figuravit ſanctorum in vita præſenti jucunditatem. Ad illud: *Per tres menſes* notat Interlinearis: *Cogitationis, locutionis, operationis; vel fidei, ſpei, & charitatis: quibus gaudent ſancti in incolatu hujus mundi.* Superfluum foret expreſsè dici, gaviſos eſſe corde; cum ibi de facie jucundâ mentio facta ſit; & mos apud juſtos exiſtat non exhibere vultu ſimulatam lætitiam; ſed à corde manantem, ſi quando lætantur in exilio.

Judith. 16. 24.

Interlin. ib.

M. Celad. ib. in com. lit.

3. Reg. 8. 66.

Interlin. Judith. 16. 24.

41. Conſultò dixi, morem eſſe frequentem proborum gaudium facie præ ſe ferre concordem lætitiæ, quæ ſimul afficit interiora: quia nec omnino ſemper ſe res habet, ita ratione quandoque dictante, congruere tunc velare per jucunditatem oris animi triſtitiam. Aliud eſt quod prudentia docet bonos; aliud quod ſimulatio conſulit impiis. Hinc tamen collige, quàm facilè decipiemur prima facie circa ſceleſtorum vultus riſu mentientes; cum necnon, citra fraudem, nonnunquam judicemus ex vultu læto juſti gaudium ejus internum, eo tempore, quo triſtatur intus. Indifferenter credunt homines faciebus humanis: exiſtmantes, cunctis datum per illas rimari ſecreta cordium. Nimis grammaticaliter intelligere videntur aliqui verba Caſſiodori, dicentis: *Vultus ſi quidem noſter, qui à voluntate nominatur, ſpeculum quoddam eſt animæ ſuæ, & quod ſubſtantialiter non cernitur per ejus habitum evidentiſſimè declaratur.* Iſta legentes nonnulli præſumunt ſe ſcrutatores cordium, cenſentes arcana pectoris alieni, documento ſemper ſumpto de perſpectâ facie. Penitus obliviſcuntur iſti quod fortè legerunt curſim apud Nazianzenum. *Omnis*, inquit; *homo doloſè incedit, & propinquum ſuum ſupplantat*: &c. Prudentiâ multùm indiget judicaturus hominis animum à ſignis, quæ cernuntur in vultu: quod maximè cavendum eſt principibus; qui tam ordinariè ſubſunt adulatorum fallaciis. Congruum igitur eſt, ſapientem regem hæc meditari ſecum: Si dum intuitus fui faciem illius quem ſcio, nequaquam fallere me velle, ſum deceptus à meipſo; quomodo non abſcondetur ſub adulatoriis vultibus livor, odium, vindicta, ſuperbiaque? ſi (rurſus dicam) candidus animus aliquando celat in facie quod volvit corde; quid erit in illo, qui candore caret ejuſmodi? quare non credam, aliud in præcordiis retinere, fingentem aliud in ore?

Quâ ratione princeps moveri poſſit, ne decipiatur adulatoris fictione.

Caſſiod. l. de anim. c. 16. med.

S. Greg. Nazianz. in apolog. ad patrem.

42. Iſraëlitis in ditione ſuâ poſitis dominabatur Aſſuerus; & ſuimetipſius dominium tradiderat Amano: prout mos principibus eſt augentibus adeo monſtroſè poteſtatem adminiſtri ſupremi; quod libertatis propriæ claves ei tradere videntur; velut ſibi tantùm velint regiæ dignitatis figuram. Rex præceperat, ut genu flexo princeps hic, ſuper cæteros exaltatus, adoraretur. Mardochæus natione filius Iſraëlis, timens ad hominem transferre cultum

tum Dei recuſavit adoratione proſequi ſuperbiſſimum. Hoc ægrè tulit ille: furoremque concipiens exarſit in talem appetitum vindictæ, quod Judæos omnes diſperſos per provincias regni perdere voluerit. Obtinuit eorum cædem, & imminebat clades. Inſciam futuræ ſtragis Eſtherem patruus ejus Mardochæus, per nuntium exemplar mittens edicti, monuit, ut intraret ad regem, eum deprecatura pro miſero populo, cujus erat filia. Regina tandem gravi jam dudum ſaucia curâ, ſponſum adiit Aſſuerum. Sed occurrit notandum quod legimus: *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis, triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.* Hæccine faciei venuſtas conveniens erat interpellaturæ pro triſti miſerabilium cauſa? quin etiam vocat Aſſuerum ad convivium; & ſecundò rurſus ad epulas invitat? Convivia poſtulabant, ut Eſther adeſſet læto vultu; contra verò mœror potiùs in faciem redundans, & ipſius pulchritudinem fœdans, multæque lacrymæ congruere videbantur, ut regem ad pietatem commoveret. Memini, Joabum, cum ſatageret à Davide conſequi per Thecuitem fœminam reverſionem Abſalom à Geſſur in Jeruſalem, dixiſſe mulieri: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum*: &c. Quare non ſimiliter acceſſit Eſther ad Aſſuerum? Quoniam in Eſtheris caſu viſebatur circumſtantia, quæ ceſſabat in Thecuite. Reginam oportebat ſuadere ſponſo, quòd ſub facie zeli boni communis, & adulatoriâ blanditie, latuerit in Amano furor ultionis propriæ ſuperbiæque nimius tumor. Attende quâ prudentiâ motivum Aſſuero præſtiterit Eſther, ut crederet, ejuſmodi monſtra recondi ſub vultu ſimulato principis Aman; qui loquens ad regem non oſtendebat facie virus quod geſtabat in corde. Ingenium vide prudentis fœminæ. Condidit animum regina triſtem aſpectu grato; quò ſic Aſſuerus adverteret poſtea, quòd ſi deceptus fuit circa reginam (de qua non erat cur timeret, ſibi deceptionem parare) putans ex facie non lugubri, ſed roſea, necnon & gratis oculis, illam tunc præcordiis eſſe jucundam; longe faciliùs potuiſſe falli ſic judicantem ex adulatorio vultu cor Amani tamquam ſollicitum de bono communi; cum ipſe crudelem tractaret viſceribus ultionem ſuam. Dictis applica meditationem iſtam. Si juſti facies non mentiens, aliquoties lætitiam oſtendit mœrore ſuppreſſo; quotieſne decipiemur à malis? quorum pectora veneno plena ſunt; & os perfundit *riſus*.

Eſther. 15. 8.

2. Reg. 14. 2.

43. *Dolor abditus germinat plures in operam dante voluptatibus;*

Dolore. Proponitur dolor in ſingulari; qui miſceri ſolitat jucunditatibus iniquorum. Sed frequenter accidit, ut non unicus angor affligat illos exteriùs lætantes. O quam ſpinarum fœcundus eſt ager mundi! quali ſterilitate laborat gaudii veri! Rubos generat ſponte: quorum punctiones torquent ejus cultores improbos. Quærunt iſti lætitiis exundare; ſingulæ tamen eorum voluptates multiplicem crucia tum progerminant. O rem philoſophis inauditam! unum contrarium gignit aliud? Imo ſæpius ex uno dolore, qui pectore clauditur apud voluptuoſum, plures dimanant. Lancinat multoties acriùs anxietas præcordiis incluſa. Proficuus eſt hîc Magnus Gregorius, dicens: *Plerumque autem nimis taciti cum nonnulla injuſta patiuntur, eò in acriorem dolorem prodeunt, quò ea quæ ſuſtinent non loquuntur.* Non ſemel iſtud augmentum doloris experiuntur ii, qui geſtibus jucundis, & ſæculi tripudiis abdere ſollicitant internos cruciatus. Præditis nonnunquam evenit, ut non ſolùm dum voluptates inquirunt, dolores colligant; ſed ſinguli mœrores abſconditi ſub voluptuoſis integumentis gignant plures alios. O meſſem infauſtam! quia non tantum deſideratis fraudatur agricola mundanum colens agrum; ſed cum indefeſſo labore ſudans curat abſcondere dolores, de ſingulis prodit aliorum copia.

S. Gregor. Mag. to. 1. l. 6. mor. c. 18. n. 26.

44. Doctrinam ab Eliphaz amico Jobi ſumam; licet ejus animum non laudem; qui fortitudinis exemplar increpavit, quaſi defeciſſet à robore ſuo. Exhortans ad conſtantiam patientiſſimum non parum auſus eſt: & adjunxit: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe* &c. Ut intelligas quid ſit ſeminare dolores, ad moralem Pontificem redi. *Vel certè*, ait, *dolores ſeminant qui perverſa agunt*: &c. Nimis latam cenſebis expoſitionem iſtam: nam plures mali venandis voluptatibus toti dant operam; nec ipſis dolor venit in mentem: quomodo ſeminant iſti dolores? Perſpicuum eſt, iſtos demum anxietates demetere: ſed qua ratione dolorum ſementem faciunt ipſi? Adſtipulatur huic admirationi Pineda, cum ait: *Mirum, quòd cum peccator in unam voluptatem percipiendam operam & impenſam conferat, laborem dicatur ſeminare, & non aliam, quàm dolorum & anxietatis ſementem facere.* Dicam. Dolet iniquus, dum pro capienda voluptate laborat; & dolorem abſcondit, ſicut ſeminator in agro triticum ſepelit. Ceu germinantur ex uno frumenti grano plurimi; ſic unicus ille cruciatus pectore concluſus gignit permultos. Penditur una quæſita voluptas pluribus tormentis: & inſuper de ſingulis afflictionibus, quas velut ſemina terræ committit homo præſtolans in gaudia commutari, colligit plures, dum tacitus concludit unicam. Sic fallit eum deſiderata ſeges: melius dicerem: Sic docet eumdem; quamvis addiſcere nolentem.

Job. 4. 8. 9.

S. Gregor. Pap. ib. l. 1. c. 15. in pr.

Pineda in eum locum. n. 4.

45. *Dormire ſub verbere Dei eſt incrementum ſupplicii.*

Docet, inquam, experientia dolorum, ſevera, ſed vera magiſtra, quantis, perpetuò vexentur ærumnis voluptuoſi non pauci: nec ideo tamen expergiſcuntur; ſed in carcere delictorum jacentes dormiunt. Quinimo plurimorum frequens mos eſt inter verbera ſtertere. Periculum ingens affert iſte lethargus. Vulgò dicitur ſomnus mortis figura: ſed iſta dormitio peccatotis tam verè mors eſt, ut videatur ſolus ille quaſi mortuus eſſe lugendus,

lugendus, qui nec de minis terrorem, nec de percuſſionibus emmendationem lucratur. Opportunus hîc adeſt S. Laurentius Juſtinianus. *Soli ergo*, inquit, *illi meritò plangendi ſunt tamquam mortui, qui nec terrentur minis, neque verberibus emmendantur, de quibus per Prophetam dicit Dominus*: Percuſſi eos, & non doluerunt, &c. Non exiguum eſt calamitatis incrementum quòd flagellatus à Domino quieſcas. Novi, plurima numerari tribulationum emolumenta. S. Thomas à Villa nova: *Tribulatio corrigit devios, excitat tepidos, purgat impuros, illuminat cæcos, perficit bonos, coronat pios, firmat dubios.* Quandiu ſomnos capis in ærumnis poſitus, nec ad viam revocaris; nam ſemitam commutare vigilis eſt: nec excutis vitiorum ſordes; cum ſupinus in luto recipias verbera: neque mentalibus palpebris illuminaris; quoniam claudis eas ad quietem: denique nil proventus ab afflictione carpis. Alleviatur hæc per hoc quòd advertas percuſſionem afferre medicinam culpæ: ſi verò remedium tibi nequaquam adducit; purè ſupplicii munus agit: proptereaque gravior eſt pœna. Peccanti permiſſa dormitio ſub verberatione, Dei punientis graviſſimè ſignum extat: minùs acerbus erit ille dolor, qui te quieſcere non ſinet; imo clamare coget.

S. Laur. Juſt. l. de ſpirit. an. reſurr. longe poſt princ.

S. Thom. à Vill. no. ſer. de SS. Coſma & Dam. poſt med.

46. Iſai. 50. 11.

Per Iſaiam Dominus ad Judæos ait: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.* Maturè perpendendum venit illud, quod ait: *De manu mea factum eſt hoc vobis*, &c. eo quòd inſinuet non vulgarem indignationem Omnipotentis ad ulciſcendum. Cardinalis Hugo: *Vel loquitur more noſtro: & exprimitur per hoc magna ira ejus: multum enim iratus eſt rex quando vult aliquem propria manu ſuſpendere.* Fortaſſis tibi non videbitur ſtare cum hac irâ Dei prænuntiatio ſomni; qui ſonat requiem: *In doloribus dormietis.* Legeram priùs aliter apud eumdem Vatem. Flagellis attriti populi vocem proponit ille, dicentis: *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua Domine.* Quid eſt, quòd hoc loco populus exhibetur clamans præ dolore; dicitur autem alibi, ſomno ſe fore traditurum in doloribus? Ratio diſparitatis eſt, quia poſtremò poſitis verbis agebatur de divini timoris effectu, quem cernimus ex majori parte non cruciare nimis homines qui peccavere. Cornelius Alapide in eum locum: *Hiſce verbis deſcribit Iſaias quid in animæ noſtræ utero efficiat Dei timor*, &c. Quia vero minus acerbus eſt cruciatus, qui per vocem egeritur aliquatenus; ideo contorſio prædictorum legitur ibi ſub ſimilitudine mulieris; quæ proxima partui clamat, quieſcere non valens. At illud ſupplicium ſic durum, quòd prænuntiatur exequendum ab ipſa manu Domini, prædicitur cum illa circumſtantia, de qua dixi calamitatem increſcere: nempe ſomno peccatoris in afflictionibus conſtituti: *In doloribus dormietis.* non improbabiliter per iſtum ſomnum accipio nunc vecordiam, qua dormit iniquus, licet fortiter verberetur: nam ſicut illud: *Ambulate*, refertur congruenter ad pergendum viâ ſiniſtrâ; ſic etiam ſomnus intelligi poteſt deſidia jacentis in peccato. valde propriè dormire proferimus animam voluptatibus deditam, & in conſuetudine delinquendi permanentem. B. Callixtus Papa: *In ſomno quippe ſumus dum in carnis voluptate torpemus, & in peccandi conſuetudine manemus.* Hi ſuæ voluptuoſæ quietis permiſſione puniuntur deſuper acerrimè. Non te fallat in eorum facie *riſus*; quo diſſimulatur per deſidioſam induſtriam plurium dormientium in ſceleribus anxietudo. Ridet placidè vultus; confinguntur præcordia *dolore.*

Hug. Card. in com. ib.

Iſaï. 26. 17.

Alap. in Iſaï. prox. ſup.

B. Callixt. Pap. ſer. 1. de S. Iacobo.

47. *Commiſcentur hilaritas & mœſtitia ſic, ut unam ab altera dividere ſit arduum.*

Miſcebitur. Cum de riſu, doloreque ſermo fiat hîc impiorum; non foret abre, ſi diceret Salomon, riſum cum dolore ligari: nam illa contentio, quâ malus dolens dat operam riſui, contemnens amarum pharmacum anxietatis quod propinatur ei, vel peccatum eſt vel illius occaſio peccata vero ſimul & occaſiones criminum ligamina ſunt. Qua ratione minime dixit Parœmiaſtes: Riſus dolori colligabitur? ſed ait: *Miſcebitur?* Reſpondeo. Quæ ligantur, ordinariè loquendo facilè dividuntur; ſaltem ſi nexum abſcindas. At quæ miſcentur, ſi ad invicem hæreant valde, ſeparabis difficulter. Liquorem amarum commiſceto dulci: vel impoſſibilis erit utique diviſio; vel non omnibus facilis. Optimè Sapiens proponit hoc loco dolorem ceu rem non colligatam lætitiæ; ſed permixtam: quoniam vix dividesab exultatione cruciatum. Jam non dicam reperiri non poſſe quemquam penitus immunem à doloribus: nam hoc vulgò notum eſt, annuente Chryſoſtomo: qui fortè loquitur ſucceſſivè, dum ait: *Non eſt igitur, non eſt ſine dolore vitam hominis invenire, ſed nec voluptatis quidem omnino expertem.* Strictiùs meditanda nobis vitæ mortalis miſeria. Si verum fateri vellent illi, quos proſperitas exhilarat, ingenuè teſtarentur ſe dulcia pocula felle conſperſa potare. Opportunus eſt hîc Boëtius, dicens: *Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo reſperſa eſt! ... Liquet igitur quàm ſit mortalium rerum miſera beatitudo quæ nec apud æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat.* Qui tentaverit jucunditatem poſſidere puram prorſus ab omni mœrore difficilem rem aggreditur: commiſcentur hilaritas & mœſtitia ſic, ut unam ab altera divellere ſit arduum:

S. Ioann. Chryſoſt. to. 2. hom. 54. in Matth. longe ante fi.

Boët. l. 2. de conſolat. philoſoph. proſ. 4.

Pſalmiſtam conſule doctum experientiâ, cœlitus illuminatum. Aiebat ille ſic: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*, &c. Exponit inibi Titelmanus: *Quoniam bibendo à lacrymis non abſtinui, ſed tam eas abundanter effudi, ut ſimul cum potu, qui erat in poculo, commixtæ fuerint.* Curiosè perſcrutabitur nonnemo, quare non dixerit miſcuiſſe fletus cum cibo, ſed cum potu? Fortaſſis quoniam dum ſuper panem, vel quid ſimile, decidunt comedentis lacrymæ,

48. Pſal. 101. 10.

non est arduum illas à cibo tollere per absterſionem; ſi verò ſupra potum defluant è palpebris, vel impoſſibile, vel difficile dices fletus à liquore, qui continetur in poculo, ſegregare. Gloſſa Ordinaria hoc loco verbo: *Potum*, ex Caſſiodoro ſic interpretatur: *Temporalem jucunditatem.* Itaque, ſicut vel nunquam, vel difficulter lacrymas potui mixtas aliquis ab eo ſeparabit; haud aliter fieri nequibit, ceu difficillimum erit à temporali jucunditate ſecernere dolorem. Iſtorum nexum, quamvis oppoſita ſint, diſpoſuit Altiſſimi providentia, quò ſaltem affecti nos amaritudinis tædio, nequaquam perditè diligamus mundanam voluptatem; ſed potius refugiamus eam, timentes quòd *riſus dolore miſcebitur.*

Gloſſ Ord. ex Caſſiod. ib.

DELIBATIO V.

Gaudii brevitas; & integritatis ejus defectus. Plorantur mala ficta. Supplicium peccatoris cunctis ad illud.

49. *Etiam laudabile gaudium aliquando tunc perit, cum ſuſcepit majus incrementum.*

ET *extrema.* Servare quidem ad hunc locum potui quæſtionem litteralem: ſcilicet an intelligatur verbo, *Extrema*, finis gaudii; potiuſne ſit accipiendum pro maximo exultationis incremento? Ab hac quæſtiuncula conſultò ſuperſedeo. : quia contingit, ut hæc duo (nempe deſitio gaudii, & illius magnum augmentum) eodem tempore conjungantur. Et ſic pro multis eventibus tollitur illa quæſtio; prout conſideranti patebit: nam, ſi lætitia tunc deſierit eſſe, cum ſumma fuerit, non eſt cur dividamus jucunditatis finem ab ejus magnitudine maximâ; ut inquiramus, de quonam ex iſtis intelligendum ſit illud verbum *Extrema*; quod legitur in parabola præſenti. O quàm frequenter fortunatis occidit ſol in meridie! Oportuit à voluptatibus temperari: non enim ſolùm abeunt ad nihilum; ſed cùm ſunt immodicæ tranſeunt in mœrores. Bellè morum Philoſophus. *Vanas corpus ſuggerit voluptates, breves, pœnitendas, ac niſi magnâ moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in præcipiti eſt voluptas, ad dolorem vergit, niſi modum teneat.* Aliqui ſunt imponentes ambitioni ſerò modum: qui fortunæ culmen jam tenentes vellent ibi quieſcere; ne contendentes ultra conſcendere corruerent; alii verò meditantur aſſenſum ulteriorem. Utriſque ſanè caſus imminet. Idem Seneca: *Quid enim ad rem pertinet, an tu quieſcere velis? Fortuna tua non vult. Quid ſi illi etiam nunc permiſeris creſcere? Quantum ad ſucceſſum acceſſerit, accedet ad metum.* Non hinc vanè colligas, initia ſortis conſiſtere tuta: ſolummodo perpende, diſcrimini magis expoſita felicia ſummè. Conſulito rurſus Cordubenſem. *Nec*, ait, *ulli fortunæ minus bene, quàm optimæ creditur.* Et infra: *Omne enim quod fortuito evenit inſtabile eſt: quò altiùs ſurrexit, vergit pronius in occaſum.* Rem explico ſimilitudine. Fluvialis aqua certè fluit ubi ſumit amnis initium. Sed tunc flumen impetu majori ſe conjicit in æquor, cum ampliùs increverunt aquæ. Ne contemnas ænigma: nam præſentis vitæ curſus dum fortuna ridet fluvio ſimilatur. S. Gregorius Papa: *Aqua enim*, ait, *maris amara eſt, fluminis dulcis. Et quia hîc viventes modò quibuſdam amaritudinibus afficimur, modò autem dulcedine tranquilli ac mites invenimur, præfectis vitæ decurſus comparatione exprimitur maris & fluminis.* Doctrinam datam ad gaudia licita necnon extendo. Miſeriarum vallis nec honeſtam voluptatem patitur eſſe conſtantem: imo, prout ante dicebam, tunc interit gaudium, cùm accepit majus incrementum: non quòd aliàs haud pereat; ſed quia peculiarem affinitatem cum fine vendicant augmenta voluptatis etſi laudabilis.

Idem. l. de brevit. vit c. 17.

Idem. ep. 19.

Senec. ep. 23

D. Greg. Mag. to. 1. l. 12. mor. c. 4. fi.

Gloriæ ſuæ teſtes fides advocavit Filius Dei tres alumnos Apoſtolici collegii: coram quibus detexit ſplendorem, quem in humilitatis exercitium ſuppreſſerat hucuſque. Gravabat ſomnus Apoſtolos; ſed *evigilantes viderunt majeſtatem ejus*, &c. Timuerunt ibi diſcipuli: non quidem cùm primùm fulgorem Dominicum aſpexerunt; ſed cùm nubes operuit illos. Lege D. Lucam. *Facta eſt nubes, & obumbravit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem.* Pavoris cauſa non unica paſſim à concionatoribus aſſignatur. Eligo nunc expendere; quòd ideo metuerunt, quia nubes ipſos cooperuit. Adeſt S. Hieronymus; licet loquatur ſub diſjunctione. *Vel*, ait, *quia nubes lucida operuerat eos*: &c. Dubiolum, quod nunc reſolvam, jam inſinuavi proximè: cur ſcilicet non dicatur, Apoſtolos timuiſſe cum inceperunt cernere gloriam Salvatoris? & factâ lucidâ nube paverunt? Suppono prædictum horrorem fuiſſe talem, ut credi poſſit non improbabiliter, abſtuliſſe penitus ab Apoſtolis voluptatem, quam ex viſione ſplendentis Magiſtri conceperant. Ita colligi valet ex his, quæ ſcribit Anſelmus, exponens timorem ſupradictum relatum apud Matthæum. Verba S. Doctoris perpende: qui ait: *Toto itaque corpore & animo contremiſcentes ad terram cadunt, quia quantò quis ampliora quæſierit, tantò magis ad inferiora delabitur, ſi menſuram ſuam ignoraverit.* Ne dimittas alia verba Commentatoris ejuſdem. *Quia*, inquit, *illi jacebant, & ſurgere non poterant, ipſe clementer accedit & tangit, ut tactu membra timore debilitata ſolidentur, & verbo conſolatur* &c. His poſitis, dicam. Gaudium, quò ſunt Apoſtoli perfuſi, non tunc expiravit, cùm cœpit; ſed poſteaquam crevit adeo, quòd Petrus ibi manere cupiit. Sic etiam honeſtiſſima gaudia tunc intereunt, cùm ſuſceperunt incrementum grande. Heu miſeram conditionem vitæ mortalis: in qua nec honeſta voluptas & magna perſiſtit immobilis. Sed (quod antea breviter monui) ne putent illi, qui verſantur in exordiis gaudiorum, conſtanti ſe voluptate potiri, quandiu non augetur; meminerint; quandoque valde commendabilem exultationem in ipſo jucunditatis

Luc. 9. 32.

Ib. n. 34.

S. Hieron. to. 9. l. 3. in Matth. c. 17.

S. Anſel. com. in Matth. 17.

Idem. ib.

§. 51. *Aliquando ſpiritualis delectatio magna mox à Domino tollitur.*

tis ortu perire. Meritò quædam eximia gaudia vocavit initia mœrotum Seneca.

Senec. ep. 59. *Vulgò tamen*, ait, *Sic loquimur, ut dicamus magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu uxoris percepiſſe : quæ adeo nnn ſunt gaudia, ut ſæpe initia futuræ triſtitiæ ſint.* De gaudiis equidem, quæ ſumuntur ex rebus caducis, non timebis aſſerere nihil eſſe ferè præter modum loquendi præſertim, ſi loquamur de nocivis ; utpote quibus annectitur, ſi mente ſanus exiſtis, proximè futura pœnitudo. Parciùs loquendum circa virtuoſas animæ voluptates : nam hæ fallaces non ſunt, nec pœnitendæ ; quinimo fortunæ mobilitati minimè ſubſunt. Attamen, ut videas, nihil in terris immotum conſtare, conabor exemplo ſtatuere, gaudium lau e dignum quandoque minus durare ſi magnum fuerit ; cum econtrariò non tam brevi tranſeat aliud, quod minus erat. Ambit aliquando tyro virtutis delectationem ſpiritûs ; quam audivit provectis datam. Fortè diutiùs jucunditate minori fruetur ejus anima ; ſi verò magnam experiatur ſuavitatem, hæc ſtatim deſinet.

52. In ſororum Lazari domo Salvator dignatus eſt hoſpitari. Non tunc tranſeunter ; ſed morâ factâ voluptatem ex præſentia Domini lucrata fuit Magdalena. Scitum

S. Aug. to. 10. ſer 27. de verb. Dom. eſt illud Auguſtini : *A Martha convivium Domino parabatur ; in cujus convivio Maria jam jucundabatur.* Fateor, digniſſimam fuiſſe Mariam, ut à Filio Dei hac jucunditate donaretur. Sed nonne multum auxerat illa meriti per fortitudinem, qua ſteterat conſtans in Calvariæ monte ? per lacrymas ? quas fudit ad monumentum ? an non foret æquum, Redemptorem cum eâdem colloquia miſcere dulcia per aliquot horas tempore, quo Salvator adſtitit ei poſt illum fletum redivivus è tumulo ? Tam oppoſito modo ſe Chriſtus Dominus habuit, ut non ſolùm noluerit ab ipſa tangi ; ſed ſtatim dimiſerit illam ad Apoſtolos. *Dicit*

Ioann. 20. 17. *ei Jeſus : Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos*, &c. Inſuper nota, verba Servatoris increpationem continere Magdalenæ

S. Ambroſ. ſer. 56. factam. Ambroſium accipe, dicentem : *Noli me tangere, increpationis verbum eſt : hoc eſt noli me tangere manibus, quoniam reſurrectionem meam mentis oblivione non retines.* Hinc deduces, gaudium in corde Magdalenæ per increpantis Chriſti verba, protunc fortè ceſſaviſſe. Paulò priùs inceperat exultare præcordiis ; & jam offertur occaſio mœroris in verbis increpatoriis Domini ? in domo ſuâ jucunditas perdurat ſpiritualis convivii ? poſt reſurrectionem verò Dominicam occurrit adeo cito triſtitiæ cauſa ? Non mirum : quia longe major hilaritas fuit illa ; quæ Magdalenæ contigit, cùm Salvatorem aſpexit poſt lacrymas ; agentem de morte nobilem triumphum : quæ magnitudo gaudii ſatis & ſuper oſtenditur ex dicto S. Thomæ à Villa nova, quod videri poteſt ſupra fl. 23. n. 25. Minor extitit exultatio ; quam ex Redemptoris hoſpitio quondam experta fuit. Hæc lætitia, quæ non tam exuberans erat, permanſit ; illa verò poſterior & maxima velociter deſiit. Non ſemel accidit gaudium permanere, ſi minùs creſcat : & in mœrorem tranſire, ſi magis exundet : ſæpe cùm tetigit apicem, ventum eſt ad *extrema.*

53. *Gaudii.* Numero ſingulari Salomon utitur : etſi non in uno vel altero gaudio contingat quod Sapiens aſſerit in præſenti ſententiâ. Spiritus almus voluit, ut hîc in ſingulari gaudium legeremus, quo ſic faciliùs meminerimus, in terris non inveniri multa gaudia quæ plenè talia ſint. Jam id non meditor in jucunditatibus temporaneis : nam experientia fateri mortales cogit, mundanas exultationes adeo mutilas eſſe, quod nec una conceditur integra cuique. Honoribus lætatur alius, divitiis alter : quidam de conſortio amicorum, multi de ſenſuum voluptatibus hilareſcunt. Sed honoris gloriam imminuit cadendi periculum : opum ſplendorem punctiones curarum reddunt moleſtum : ſumptam de amicorum ſolemnitate lætitiam alienæ dilectionis incertitudo fatigat : ſenſuum voluptates ipſa fugacitas perturbat. Extra dubium eſt, neminem de ſæculi bonis conſummatè gaudere. Tranſeamus ad ſpiritualia. Fateor, virtutes veracem exultationem parere : cum hoc tamen ſtat, juſtum, dum exulat in terris, nequaquam per illarum ſuavitatem lætificari totaliter. Dulcedinem, qua fruitur, comitantur duo non parum torquentia rectum cor : nempe jugis metus, ne deperdat amicitiam Dei ; ſimul & incertitudo, ſitne dignus amore vel odio Domini. Quamobrem necnon veris animæ bonis fortunati nequaquam felices integrè ſunt. Opportunum eſt hîc audire Petrarcham : apud quem gaudio loquenti ſic : *Ego animo felix ſum*, reſpondet ratio : *Sentio quam felicitatem dicis ; aut felix igitur errore tuo es, ut ait ille : quæ felicitas (ut dixi) miſeria eſt ; aut virtute animi felix : quæ nec ipſa felicitas plena eſt ; quamvis ſit ad felicitatem via.* Quod ille de felicitate protulit in hæc verba ; tu de gaudio cogita, virtutis comite. Nec juſto datur integrum poſſidere gaudium.

Nec juſtò datur integrum poſſidere integrum.

Petrar. de remed. proſp. fort. dial. 108.

54. Triduanam facturus à diſcipulis abſentiam divinus Magiſter longum vale dulciter dixit eis, exhibito ſermone myſteriis referto. Poſtea ſublevatis oculis in cœlum fuit locutus ad patrem, poſt alia dicens : *Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.* Commentatur Euthymius : *Hæc loquor cum adhuc in mundo ſum, hæc, quænam ?* Ad te venio, *Et*, Serva eos. *Hæc ergo*, inquit, *loquor, ut habeant gaudium de me, perfectè certiores effecti, quod me non retinebit infernus, & te habebunt adjutorem.* Liquet ex iſto commentario : Chriſtum Dominum, quamvis dixerit. *Ut habeant gaudium meum*, locutum eſſe de gaudio Apoſtolorum. Nullus erit, cujus mentem non pungat iſte modus loquendi. Quare non dixit : Ut habeant gaudium ſuum impletum in ſemetipſis ? Scis hoc loco gaudium imple-

Joann. 17. 13.

Euthym. com. in Ioann. ib.

tum ſignificare gaudium plenum. Syrus & Arabicus vertunt hic: *Ut ſit gaudium meum plenum in eis.* Agebat ſummus Præceptor de gaudio diſcipulis futuro, vitâ manente. Cumque poſtularet Patrem, ut gaudium illud foret plenum; noluit iſtud appellare gaudium Apoſtolorum; ſed inquit: *Gaudium meum:* ne putarent, paſſim concedi juſtis, quòd morantes in mortali peregrinatione conſumment gaudia ſua. Tunc erunt adæquatâ felicitate perenniter exultantes, cum fuerint beatâ ſorte potiti; patriam incolentes perpetuam; nunc autem lætatur anima denegatâ conſummatione *gaudii.*

Lect. Syriac. & Arabic. ibid.

55. *Aliquando ploramus diutiùs mala ficta.*

Luctus. In commentario notavi, nos rigoroſè loquendo ſignificare luctûs vocabulo non qualeſcumque lacrymas: quæ vel perfunctoriè mittuntur ab oculis; vel accedente ſolatio terguntur breviter; ſed ploratum diutinum. Advertendum tamen tibi, ne facilè credas, aliquos ingentia mala ſuſtinere, propterea quòd cernas diù ſuum deplorare dolorem. Aliquando qui minora perpetitur; diutiùs illa deflet. Audiſti ſæpe veritatem experientiâ comprobatam: ſcilicet quòd nos plus mentita bona movent ad gaudium, quàm veracia. Sic etiam evenit in malorum lamentis. Non rarò plùs fictis commovemur dolorum cauſis, quàm veris: & idcirco frequenter audis tot ſuſpiria perpetuò lugentium: quia damna de quibus dolent, cum fictitia ſint, excedere videntur numerum. Prodeſt legere nunc S. Hieronymum. *Juxta Iſaiam*, ait, *qui dicit*: Faciens pacem, & creans malum: *non quod per ſe malum ſit, ſed quod patientibus malum eſſe videatur.* Apud humanas mentes plurimùm falſitas evalet. Unde nonnunquam longo tempore defletur id malum, quod lugens non accepit reipsâ; brevioribus autem lacrymis proſequimur damna vera. Conditionis humanæ fragilitas eſt citra culpam aliquando, flere diutinè quod per illuſionem judicii patimur; & plorare breviter quæ multo digna luctu ſunt.

S Hieron. to. 5. l. 4. in Jeremi. c. 18.

56. Iob. 10. 20.

Binum exemplar patientiæ celebre ſatis ad invicem conferemus: Jacob, & Jobum. Dixit iſte: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum:* &c. Commentatur Doctor Angelicus: *Id eſt, quem ex præcedentibus percuſſionibus concepi.* Notiſſima ſunt quæ Job paſſus eſt: quorum non proponam lectori ſeriem, ne multus videar in re cunctis aperta. Proinde miraberis, quòd non dixerit, velle ſe lacrymarum imbre prolixo lamentari dolorem ex tot ictibus ortum. An modico tempore, vel exiguo planctu cruciatui ſuo ſatisfacere tentat? *Ut plangam paululum* &c. Meminiſti, diu luxiſſe Jacobum pro dilecto ſuo Joſeph. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Si fortè noſſe cupis quandiu luxerit Patriarcha, Lipomanum adi: te docebit, inquiens: *Luxit autem filium Jacob viginti tribus annis, qui fluxerunt à decimo ſexto anno ætatis Joſeph, uſque ad patris, fratrumque introitum in Ægyptum.* Nonne plures filios perdiderat Jobus? quomodo percuſſionem iſtam ſimul cum reliquis vult plangere paululum; cum Jacob pro Joſepho luctum aſſumpſerit adeo longis temporum ſpatiis permanentem? Manifeſta certe diſparitas eſt inter utrumque. Jobi mala fuerunt in re vera, prout novimus: & aliquando minùs plangitur id quod veraciter ſuſtinemus. At vero Joſephi mors exiſtimata fuit, intercedente fictione fratrum: & hominum eſt quandoque putata damna majori lugere conatu: cauſis veritate vacuis major ſæpius reſervatur *luctus.*

S. Thom. in com. ib.

Genes. 37. 34.

Lipom. in cat. ſuper Geneſ. ib.

Occupat. Frequenter utimur occupandi verbo: ſignificare volentes, aliquem occurriſſe venienti ad illum. Sic dicimus: Ibam ad Petrum; ſed is occupavit me quærentem ipſum: hoc eſt, ad me veniens occurrit eunti mihi. Sæpiſſimè valemus aſſerere, phraſim hanc adhibentes, mala nos occupare: id eſt venire ad nos; dum ibamus ad illa. Plus dicam. Nonnunquam detrimentum, quod nunc perpetimur, antea ſtabat velut immotum; neque nos aggredi conabatur; homo verò ſic fatuus eſt, ut ad ignotam afflictionem faciat gradum. Jam non mirabor humanæ conditionis miſeriam in eo, quòd ignoret plura ſibi nociva, quò præſcius eadem fugiat; cum brutis datum ſit prænoſcere, conſequenterque vitare nocitura quædam. Notavit hoc Plinius dicens: *Apes, formicæ, conchæ, denique lacertæ, tempeſtatem præſentiunt; ſolus homo ſua mala non præſentit, neque proſpicit.* Et alibi dixerat: *Nullum eſt animal quod non intelligat ſua remedia; ſolus homo neſcit, unde vel corporis, vel animi remedia petere debeat.* Lamentabilis equidem eſt hæc Adamidum ignorantia; ſed adhuc miſerius, quòd non ſolùm neſcimus noſtras futuras calamitates venientes undique; ſed currimus ad illas feſtinanter: manifeſtum eſt enim quàm grave ſit aliquem proprii doloris extare ſibi cauſam. Proderunt Ambroſii verba, loquentis de primo fratricida. *Prolixum*, inquit, *ſpatium multo cucurrit, & infructuoſo labore, qua pœna nihil gravius, quàm ut quis ipſe ſibi majorum cauſa pœnarum ſit.* Peccator graviùs plectitur, ſi non ærumna venit ad illum; ſed potiùs ignorans ipſe currit ad exitium: ſupplicio majori feritur ille: qui non advenientem ſibi paſſus eſt infelicitatem; ſed neſcius ivit ad ipſam.

57.

Plin. l. 18. c. ult. & l. 8. c. 27.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Abel. c. 10.

58.

Poſthabitâ pietate parentibus debitâ, ſpoliare Davidem ſceptro percupivit Abſalom; corpore pulcher, animo fœdus. Initum eſt prælium inter eos qui fideliter ſubdebantur genitori; rebelleſque ſequentes perfidum. Periit inſanus audax: nam quaſi vindex arbor pro parente læſo, de crine ſuſpendit illum. Quare non potiùs in perfidiæ pœnam contigit, ut miles ipſum in certamine fortis aggrederetur, & enſe tranſverberaret? Chryſoſtomus ait: *Injuriam patris non pugnantis, non hoſtilis manus, non jaculantis ictus defendit: ſed vindicant ligna, arbor ulciſcitur, rami defendunt.* Antea peccaverat ejus frater Amnon; & aliâ ratione punitus eſt: nam

S. Joann. Chryſoſt. to. 1. hom. de Abſalom.

ſuis

2. Reg. 13. 28. ſuis præcepit Abſalom ut eum percuterent. *Obſervate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite: nolite timere: ego enim ſum qui præcipio vobis: roboramini, & eſtote viri fortes.* Cur tam diverſimodè mulctatur unus & alter germanus? Reſpondeo. Graviùs Abſalom deliquerat fratre: Amnon enim commiſerat inceſtum; Abſalomus autem armatâ manu ſurrexerat in genitorem. Rebellem fuit congruum animadverti punitione duriori. Quæres in quo poſita fuerit major acerbitas? Dicam. Qui minus peccaverat ſuſtinuit vindictam per manus aggreſſorum: calamitas venit ad eum. Abſalom verò, qui majus crimen incurrerat; cum arbor non poſſet ire pedibus ad illum, neſcius ivit ad arborem, qua ſuſpenſus eſt ut lanceis percuteretur. Audi nunc etiam Doctorem aureum: qui loco citato paulò priùs dixerat: *Paratam properè feſtinat ad arborem, cui eſt traditus, & ictu violento immiſſus, animali ſubducto, & ſubter in campos elapſo, inferitur ramis*: &c. Chryſoſt. prox. ſup. Severiùs dat pœnas qui non videtur illas venientes accipere; ſed eas ignoranter ſollicitare. Non infrequens hujuſmodi cæcitas eſt: ſtultè multoties gradientem ad malum ſuum *luctus occupat.*

Quædam ex ordine perpendenda ſequebantur in Textu noſtro: ſed, ut verbis utar Magni Baſilii, *non omnia conſequenter ex ordine à nobis ſuſcipienda ſunt*, &c. S. Baſil. Mag. hom. 25. inter var. Videri poſſunt ſententiarum indices poſtremi tum præſentis tomi, tum duorum præcedentium v. Divitiæ, Dolus, Fraus, Juſtus, Peccator, Prudens, Sapiens, Voluptas, & ſimilia.

FLOS XXVI.

Sapiens timet, & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit.

APERITUR.

1. Carth. Rodolph. Salaz. Alap. & Hugo Card. in Prov. 14. 16. QUÆRENDUM primò, de quo timore ſermo ſit in hac parœmia? Dionyſius Carthuſianus exiſtimat ſermonem eſſe de timore culpæ; Rodolphus de timore culpæ: Rodolphus, de timore Dei, vel mortis: Salazar de timore Dei & pœnæ: Cornelius Alapide, de timore ſupplicii: Hugo Cardinalis, de timore pœnæ & culpæ. Exponendum puto Salomonem de timore bono indifferenter ad culpam & pœnam: quoniam, ſi Dei metum intelligamus in primâ ſententiæ parte; cohærentiam prioris cum ſecundâ non explicabimus adeo propriè. S. Cyrian. ep. 2. Quàm ſit utilis timor ille revolve mente, legens priùs verba D. Cypriani, qui ait: *Sit tantum timor innocentiæ cuſtos, ut Dominus, qui in mentes noſtras indulgentiæ cœleſtis allapſu clementer influxit, in animi oblectantis hoſpitio juſtâ operatione teneatur; ne accepta ſecuritas indiligentiam pariat, & vetus denuo hoſtis obrepat.* O ter feilcem qui ſemper eſt pavidus; & ait ejus anima jugiter:

Nec mare, nec tellus, neque luſtra, nec antra, nec aſtra
Tuta nec illa mihi, quæ ſuper aſtra, via.

Hugo pi. de fid. l. 1. poëm. 12.

2. Quærendum ſecundò, primane parabolæ verba ſint accipienda ſolùm de formidine juſti caventis; an etiam de metu peccatoris præterita deteſtantis? De utroque timore dogma procedere cenſeo: nonenim ſolummodo ſapit juſtus: etiam is qui poſt errorum circuitus viam veritatis amplexus eſt, dici quit ſapiens. Verum quidem eſt, metum ejus, qui ſcelus admiſit, frequentiſſimè non eſſe laudabilem: nam in animi præparatione placet ei malum aliquoties, niſi crimen adduceret ſecum pertimeſcenda. Quo timendi modô longe pulsô: necnon parum laudabilis eſt alius timor non malus equidem; ſed ſerotinus. Iterum Vates idem:

Utilis ante ſcelus timor eſt, qui fræna gubernet,
Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

Idem. ib. l. 2. poëm. 4.

Nihilominus negandum non eſt reperiri plures timores commendatione dignos in aliquibus poſtquam peccata commiſerunt: qui ſumunt initium virtutis à formidine. Non inſolitum eſt ita cœpiſſe. D. Auguſtinus inquit: *Pietas timore inchoatur, charitate perficitur*, &c. S. Aug. to. 1. l. de ver. relig. c. 17. Multa ſunt, ex meditatione quorum colligere valet peccator pavorem fructuoſum: nam & metuendum flagellum venturum; & pavendum eſt habere Deum hoſtem: ac fovea culpæ timorem incutit, ne rurſus cadat qui ſemel in ea ſepultus vixit, & reſurrexit.

3. Hæc pro Salomonicæ parabolæ prioribus verbis: nunc ad ſequentia. Reprehenduntur ibi qui vanâ confidentiâ decepti pericula non fugiunt. Illud ſtultius eſt quòd præſumentes de ſecuritate quamplurimi pœnitentiam de commiſſis procraſtinant. Ansbertum dicentem audiant: Ansbert. l. 2. in Apoc. 22. *Hanc enim deceptoriam ſecuritatem vel audaciam, tunc reprobi incurrunt, cum peccantes experti non fuerint præſentis iræ vindictam, & pœnitentiam eo uſque negligunt, donec eis repentinus ſuperveniat interitus, ſicut dolor parturientis, & non effugient.* Sed heu: quam paſſim ipſi, qui priuſquam peccent audaciſſimi ſunt; poſtquam jacent, metuunt inutiliter! De iſtis verum habet quod ex Cabaſila colligitur. *Sed*, inquit, *hæc omni diligentia cavenda ſunt, nempe ante peccatum audacia, & poſt peccatum pudor ac timor, nihil enim commoditatis habent. Non enim timor iſte calcar, ſed ſtupor quidam ac torpor animabus eſt: nec erubeſcimus vulneribus, ut auxilia curationemque inveniamus, ſed ut oculos Salvatoris effugiamus*: &c. Nicola. Cabaſil. l. 6. de vit. in Chriſto longe poſt prine.

4. *Sapiens.* Nota vocem iſtam non hîc ſignificare ſapientiam nudè ſumptam: hoc eſt prout quid à virtute diviſum; ſed ſumendam eſſe pro ſapientia, quæ dicitur practica moraliter, id eſt juncta virtutum exercitio. Probat hoc ſtylus frequens regii Sapientis; ut non ſemel aliis in locis notavi. Conducit plurimùm timor ad

hoc ſapientiæ genus : hic enim ſuadet præceptorum obſervantiam ; ſine qua nullus eſt ſapiens in ſenſu prædicto. Non

Pſal 110.10. pœnitebit Euthymium legere : qui ſuper illud : *Initium ſapientiæ timor Domini*, ſic

Euthym. com. in Pſ. habet : *Eſt enim hujuſmodi timor, fons, ac radix ſapientiæ, ubi enim eſt timor, illic & munditia : ubi verò munditia, ibi etiam & ſplendor.* Laboriosè ſapientiam quærunt plures, timore ſanctò deſtituti ; cum poſſent ab iſtô nimis abundanter edoceri. Similantur eis, qui cum poſſent fontem quærere, totis lacertis aquas hauriunt è ciſternis.

5. *Timet.* Illuſus deſiderio ſitîs viator, proſpiciens aquam de longe, feſtinus it ad illam, putans eſſe fontanam : cominùs accedens reperit non fontem ; ſed parvam lacunam, atque turbidam, ex qua bibere non congruit. Timor, de qua naſcitur ſapientia, fons ejus eſt. Cave, ne deceptus venias ad timiditatem loco timoris: quia ſicut perutilis eſt ille timor, econtrariò timiditas nocet plurimùm. Diſtinxit à timiditate timorem S. Iſidorus Hiſpalenſis, inquiens : *Timidus eſt qui ſemper timet : Timens verò qui ad tempus formidat ex cauſa.* Neque dicas, timiditatem eſſe veræ humilitatis indicium certum. Quin potiùs comitari ſolet ſuperbiam, teſte S.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. diff. ſpirit. lit. T.

S. Joann. Clim. in ſcal. gr. 21. Joanne Climaco. *Anima*, inquit, *ſuperba eſt ſerva timiditatis ſibi præſidens, & ad ſomnum adeoque ipſius umbræ pavens & tremens.* Adamum & Caïn recole. Protoparens non trepidavit quandiu non lapſus eſt in ſuperbiam : Caïn ſuperbus timuit. Hæc expende, rurſuſque lege Climacum. *Omnes*, ait, *quidem timidi ſunt vanæ gloriæ obnoxii ; ſed non omnes timoris expertes ſunt humiles.*

Idem. ib.

6. *Et declinat.* Non univerſa mala ſunt æquali ratione declinanda. Quandoque ſufficit mentem aliò vertere ; ſed extant quædam peculiari diſcrimine plena : quorum damna convenit evitari per fugam. Gerardus : *Carnalia*, inquit, *enim melius vincuntur per fugam & remotionem omnis occaſionis, qua poſſit memoria circa objecta horum vitiorum generari. Spiritualia autem faciliùs vincuntur, ſi homini inter alios plures converſanti talia fiant continua exercitia, quibus ipſa ſpiritualia vitia irritata hominem inquietent, ut ita tandem homo impatiens ſuæ inquietudinis, viriliter reſiſtendo vincat.* Multoties igitur non utcumque declinandum eſt à peccato ; ſed perniciter effugiendum.

Gerard. Zutphen. l. de refor. vir. ani. c. 38.

7. *A malo.* Nullus malum qua malum vult : ſed illic ratio boni quæritur utilis vel jucundi. Et pejus eſt, quòd nonnunquam fingitur bonum quod iſto nomine dignum haud exiſtit. Fr. David de Auguſta : *Plerumque*, ait, *diſſolutio ſocialis jucunditas putatur, curioſitas ædificiorum, & librorum & aliorum, honeſtas habetur, laxa conſcientia libertas reputatur* &c. Concinit S. Baſilius Magnus : *Et in ſummam omni vitio per appoſitam virtutem blandiuntur.* Non omnis iniquus pudorem depoſuit : nec omnia tentamenta pugnant adversùs nos aperto marte. Quidam erubeſcunt etiam actualiter peccantes : &, ne color erumpens ad faciem voluptates improbas perturbet ; colorant id, quod appetunt malum, honeſto vocabulo. Aliquoties hæc fictio minimè primam trahit originem ſuam ab ipſo peccante ; ſed iniquitas, ut faciliorem inveniat aditum, perſonam induit virtutis apud quoſdam.

Fr. David. de Auguſ. in formu. novit. tr. 3. c. 22.

S. Baſil. Mag. hom. 27. in Pſ. 61.

81

Stultus. O quot vulgò dicti ſapientes latent ſub hoc nomine ! Magis adhuc ſtupendum eſt, quòd etiam ſapientia multorum non ſolum comitetur ſtultitias operum ; ſed in ſeipſa fatuitas dici valeat : nam ſemel atque dividitur ab eo (qui ſapientia veraciter & eſſentialiter eſt) humana ſcientia nullius momenti reputanda. Redeat Baſilius : *At vero quod*, inquit, *inter humana bona maximum ac conſtantiſſimum eſſe videtur, ipſa ſapientia ac prudentia, etiam hæc vanam elationem habet, & altitudinem non veram præparat, cum nullius rei reputetur, ſi ſapientia à Deo abſit.* Sæpius ignorantiam peccatoris per otium non otiosè ſugillavi : quæ præcipuè viſitur in ſuperbis : nam qua ratione verè ſapiens dicetur ille, qui ſemetipſum neſcit ? Non pigeat revocare Baſilium. *Qui propter*, ait, *conſtructionem habet dignitatem, verùm propter inhabitans in ipſo peccatum non cognoſcit ſeipſum, hic comparatus eſt jumentis.* Imo non aberraret à vero qui deteriorem quodammodo cæcitatem aſſereret homines quoſdam pati, quàm bruta : nam iſta ſphæram propriam neutiquam prætergrediuntur : nec enim bos præſumit canere tamquam luſcinia ; neque teſtudo currere velut equus ; homines autem ſibi poſitas à natura metas ridiculè tranſire geſtiunt. Somniantis eſt audere cuncta.

Idem. hom. 22. inter var.

Idem. hom. 24. in Pſal. 48.

9. *Tranſilit.* Exponit Hugo Cardinalis : *De peccato in peccatum.* Neſcio ſanè quid ſit vituperatione dignius : an ſcilicet in uno crimine perpetrando morari diù ; vel de ſcelere in ſcelus quaſi ſaltibus perpetuis divertere, ſi paria ſint reliqua. Hoc tantum novi ; ſcilicet quod cum bonum commutabile dilectum ab impio non ſatiet humanum cor ; hoc rotatur ex uno ad aliud crimen inquietudine pene continuâ. *Nunquam deſiſtimus*, ait Patriarcha Venetus, *nunc omiſſione, nunc opere, ſuperaddere peccata peccatis, & debitis debita cumulare* &c. Faſtidium ſuum indicat improbus, dum ſic varietati criminum ſtudet ſollicitus : utinam peccatum faſtidiret utiliter : poſſet utique prædictâ nauſeâ prudenter uti peccator : derelinquens nocivas eſcas ; & quærens avidè cibum ſalubrem. Sed frequentiſſimè non ita ſe gerit : potiùs ut malum novitate magis placeat, & non faſtidiatur iniquitas ; vertens in animæ damnum quod poſſet occaſionem remedii præſtare minimè difficilis, ex uno crimine faſtidioſus in aliud *tranſilit.*

Hug. Card. in Prov. 14. 16.

S. Laur. Iuſt. in faſcicu. amor. ante med.

10. *Et confidit.* Hæc ſtulta fiducia per conſuetudinem fit obduratio perſæpe. Paulò priùs notabam, iniquitates multas inſidiosè trahentes hominem ſub facie virtutis. Etiam obduratorum præſumptio nomen aliquando ſumit honeſtum : nunc enim obſtinatio vocatur fortitudo : nunc verò perfecta ſpes. Falſum eſt utrumque. Quod attinet ad primum ; non omnis du-

rities

rities fortis eſt; ut videre licet in vaſis fictilibus. Attamen in eo fatemur, illam vituperabilem conſtantiam permanere fortiter nimis nocivè, quòd flagitiorum vulneribus callus obducitur; & fit curatio difficillima. Deinceps quòd pertinet ad ſpem: nequaquam perficitur hæc nimietate confidentiæ: nam quomodo roborabitur expectatio per illam, quæ mediis ad præcipuum finem ſperandum ſuperaddit non modicam difficultatem? Claudat periodum S. Bernardus. *Vulneri vetuſto & neglecto callus obducitur: & eò inſanabile, quò inſenſibile fit.*

S. Bernard. l. 1. de conſiderat. poſt prine.

DELIBATIO I.

Timor dæmones & vitia fugat.

11. *Dæmon aliquando fugit ampliùs à timore Dei, quam ab amore.*

OPeræpretium nunc erit commoda nonnulla virtuoſi timoris memorari. Sumamus exordium à proprietate quadàm illius, ex qua ſatis diſſidet ab altero metu; qui virtus non eſt. Cùm temporalia bella geruntur, formido militum, ſi nota ſit adverſariis, ipſis adauget animos; & ad certamina vocat gaudentes. Non ſimiliter in ſpirituali conflictu: nam ſi Princeps tenebrarum agnoſcit in anima timorem ſanctum, paveſcit, & ſe dat in fugam: illumque fugientem imitantur in ſecedendo pugnatores ejuſdem; ſcilicet peccata. Tempeſtivus patrocinatur dicto S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Qui timorem*, inquit, *habet in januis, ſecurus poteſt eſſe ad bona alia progredi. Bonum enim & fidelem cuſtodem ſibi conſtituit. Timor enim eſt paventaculum ab agro animæ potenter prohibens dæmones & peccata.* Primùm de diabolo timoratos pavente verba faciam. Illius machinæ, quibus allicit ad peccandum, vento ſimillimæ ſunt, ſi reperiunt animam divino timore ſolidatam. Belle Chryſoſtomus: *Quemadmodum quercus altius demiſſis radicibus nullius venti viribus ſternitur: ita animam divino confixam timore nullus tentationum ventus evellet.* Imo ſi curioſus inquiras, Quidne refugiat ampliùs cacodæmon: amorem, quem anima dicat affectuoſa Domino? timoremve, quo pavet eumdem? Alicui placebit pro timore ſuffragium ferre. Duci videbitur ſic exiſtimans fortaſſis ex eo, quòd gehennalis hoſtis novit inconſtantiam; qua diligunt homines Creatorem: & conſequenter debilitatem, qua pugnant ex amore Dei pro virtute. Timoris autem mos eſt contra diabolum dimicare non miſſis telis; ſed clauſis januis. Cum tentator accedens intuetur oſtia firmiter occluſa, cadit animo; ſeque dat in fugam ſpe deperditâ: quoniam optabat ingreſſum concedi ſibi libenter. Hoc modo fortè diſcurret qui dixerit, malignum citiùs à timore Dei, quem cernit in homine, refugere, quàm ab amore.

S. Anton. ſer. 3. de omn. SS.

S. Ioann. Chryſoſtomus hom. 53. in Ioann.

12. Vel mediocriter peritus in Evangeliſtarum ſcriptis probè ſcit, Redemptorem curaviſſe quoſdam, quin dedignaretur eos tangere. De cæco duplici narrat D. Matthæus: *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Auriculam ſervi tempore ſuæ comprehenſionis tactu ſanavit: *Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.* Mundavit leproſum tangens eumdem. *Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo: Mundare.* Surdum & mutum Dominus tangendo linguâ necnon & auribus expedivit. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & expuens tetigit linguam ejus*: &c. Aliter ſe Redemptor habuit eruens ab oppreſſione dæmoniacum; de quo Marcus idem: *Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.* Quare non eruit iſtum ad immundo ſpiritu per impoſitionem ſacroſanctæ manûs? Quia tactus benevolentiam indicaret erga miſerum: ex qua moveretur ille forſan ad amorem ſui liberatoris. Et cum nonnunquam diabolus non tam refugiat dilectionem Dei, quam ſuſpicatur in hominibus, quàm timorem divinum eorumdem; ut citiùs dicto dæmon abiret, occaſionem timendi præbuit energumeno per imperium voce prolatum. Notavit, authoritativè locutum eſſe Filium Dei verbis proximè relatis, Euthymius, inquiens: *Chriſtus vero etiam dæmones cum poteſtate expellebat. Authoritatis nanque eſt*: Obmutesce &c. Non omnino liberè conjectatus fui, virum à diabolo poſſeſſum timuiſſe, cum audiret Chriſtum Dominum imperantem ſpiritui maligno. Conjectura nititur in eo, quòd pavore correpti ſunt ex hoc ipſo qui tunc aderant. Beda: *Unde meritò pro tam integrâ reſtitutione ſanitatis, qui aderant paventes, tametſi nondum credentes, ad invicem dicebant*: Quia in poteſtate & virtute imperat ſpiritibus immundis &c. Hinc haud leviter colligebam, dæmoniacum ad imperantis Domini vocem paviſſe timore virtuoſo; cujus vim adverſarius communis refugit. Hujus dæmonis ejectio figurat ſpirituale cordis remedium. Gloſſa Ordinaria ex Beda: *Virum à dæmonio liberatum animum ab immunda cogitatione purgatum intelligimus.* Si cupis fugare malignum, time Dominum.

Matth 9. 29.

Luc. 22. 51.

Ib. c. 5. 13.

Marc. 7. 33.

Idem c. 1. 25

Euthym. com in Marc. c. 1.

Ex Bed. Gloſ. Ord. in Marc. 1.

13. *Glorioſior eſt victoria, ſi victus confidebat ſe victurum.*

Nec exiſtimes, glorioſum non eſſe triumphum de hoſte diabolico fugiente: nam hujus fugam præcedit ejus præſumptio; qua ſuperbè confidit ſuperare timentem: & ſuperbiam confidentis adverſarii vincere glorioſum eſt. Non ignoras nimiam fiduciam de victoria, qua noſtet ille turget inimicus. *Cum diabolus*, ait Chryſoſtomus, *nunquam deſperet noſtram perniciem, ſed indeſinenter eam expectet*, &c. Experientia docet infernalem oppugnatorem hominum, ſe lucrarum fuiſſe plures per timorem pravum deſperantes: Nam Gregorius Papa dixit: *Timor quidem ſine ſpe in deſperationem præcipitat*, &c. Confidens igitur multoties tartareus coluber, timorem ab homine conceptum degeneraturum, ac propterea cauſam intentæ ruinæ fore; confidentiâ tumet, quaſi certò ſibi ſpondens prædam. Vincit nihilominus athleta ſpiritualis roboratus fortitudine timoris: & inclytum eſt ſuperare

S. Ioann. Chryſoſtomo 2. hom. 6. in Luc.

D. Greg. Mag. to 2. expoſ. in c. 12. 1. 1. Reg. c. 2.

rare fidentem ſibi nimis diabolum. Superbus, expertus in certaminibus optatam fortunam cacodæmon confunditur non modicè, cùm dare manus cogitur: & quia tantò major eſt confuſio victi, quantò fuit amplior in eo confidentia de triumpho; concludam, glorioſiorem eſſe tentati victoriam, ſi tentatorem ſubigat fiducialiter impetentem; quàm ſi reſiſtat penitus diffidenti.

14. Accedamus in deſertum: ſpectatores facti duelli celeberrimi; quod iniit cum duce tenebrarum Princeps gloriæ. Deducitur ex diaboli verbis, ipſum neſciviſſe cùm ea protulit, illum, quem aggrediebatur, eſſe Filium Dei. Sic indicat illud: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* S. Anſelmus: *Visâ infirmitate in Chriſto, eum eſſe Deum nullo modo credidit, & tamen explorat, cum dicit*: Si filius Dei es. Sat ſcio, fuiſſe congruum abſcondere diabolo Divinitatem Chriſti Domini. Sed adhuc inſtabam ſic. Nonne cognovit aliquando tandem Dæmon ante paſſionem, Chriſtum eſſe Dei genitum? Lege D. Lucam. *Exibant autem*, inquit, *dæmonia à multis, clamantia & dicentia*: *Quia tu es filius Dei*: &c. Quid obſtabat igitur, ne Deus ante prædictam diaboli tentationem, huic detegeret quis eſſet is, cum quo dimicatus fuerat? Oportebat, malignum hoc ignorare, ne diminueretur gloria victoris, dato quòd ſciens, Chriſtum extare Deum, adhuc auderet cum eo congredi. Nam, hoc poſito, non conſideret hoſtis, futurum fore, quòd ejus tentatione pulſatus caderet in peccatum. At neſciens Divinitatem Salvatoris adeo ſe deluſit per ſuperbientem confidentiam, ut intenderet ipſum inducere ad peccandum. Dedi to. 1.fl.11. delib. 1. n. 8. S. Leonem Papam: ibi vide. Nunc addo S. Thomam à Villa nova, dicentem: *Cum eſſet filius Dei & Deus verus, ſine omni labe peccati, tentari & induci ad peccatum per diabolum ſe permiſit*, &c. Et cum tentator elatus per fiduciam, poſtea ceciderit à Domino repercuſſus; ex hocipſo triumphus extitit celebrior, quòd Filius Dei confidentem diabolum de ſemetipſo protrivit. Ex hac ratione ſupra dicebam, timorati victoriam ab impugnatore communi mortalium reportatam, eò magis inſignem eſſe non ſemel, quòd intelligens diabolus, hominem timore Dei paventem vel eſſe timidum, vel forſan in deſperationis barathrum fore lapſurum, confidit eumdem evertere: quò fit ut confuſus ignominioſè recedat, fugiens eum, qui metuit Altiſſimum.

Matth. 4. 3.

Luc. 4. 41.

S. Thom. à Villa no. ſer. 2. Dominic. 1. Quadrag. in princ.

15. *Timor Dei punientis remedium eſt contra ſuperbiam.* Nunc ad ſecundam partem præfixi tituli tranſibo: qua probare ſpopondi, timorem Domini fugare crimina. Longum eſſet percurrere cuncta. Solùm tria meditabor à pavore Dei fugientia ſcelera; quæ tamen ſunt matrices delictorum: nempe ſuperbiam, invidiam & gulam. Obſtat omnibus virtutum ruinis metus majeſtatis Domini, quem peccando lædimus: at ſpeciale quid reperitur in ſuperbia, cui Dei timor obſiſtit. Ut iſtius doctrinæ fructus germinet cor hæc meditantis, irrigetur à Nilo. *Ramum*, inquit, *fructibus onuſtum palus ſuſtentat, & animum virtutibus ornatum timor Dei. Ut fructuum onus ramos dejicit, ita ſuperbiæ pondus animum opprimit virtutibus excellentem.* Oppoſitas qualitates vendicant ſibi timor bonus, atque ſuperbia: proindeque ſe mutuo pellunt. Pectoris tumor inflat; & ad menſuram ſeipſo majorem dilatat animum; econtrariò timor contrahit eum, ac intra ſe continet. Superbia ſuadet in diſcrimina ruere præcipitem; formido prudens econtra pericula cavet à longe. Non miror, duas affectiones iſtas, nempe tumorem, atque timorem, quamvis unicâ litterâ diſtent penes vocabulum, tot nominibus diſcordare, quòd valde contrarientur; utpote diverſiſſimis parentibus genitæ: nam timor habere ſolet genitricem cognitionem ſui; tumor autem ignorantiam contrariam. Timor bonus parentem vendicat judicium prudens; tumor autem ſolitat appetitum veſanum excellentiæ patrem ſequi. Quod cum ita ſit, ſtatuamus, optimum antidotum contra ſuperbiam eſſe metum Dei punientis. Ut elatio comprimatur, metue Dominum.

S. Nil. or. 2. de ſuperb.

16. Perflant Altiſſima venti. David quondam humillimus, jam ſceptra tenens Iſraëlis numerari juſſit populum. Reſtitit in faciem Joabus: rex attamen à mandato non deſtitit. Domino juſſum diſplicuit; imo necnon & ipſi Davidi pœnitenti: qui non ideo fuit immunis à pœna. Unius de flagellis tribus optio regi datur: aut per tres annos ventura fames, aut menſibus tribus ab hoſte fuga, aut triduana peſtis. David elegit peſtilentiam. Cumque vidiſſet militem cœleſtem evaginato gladio, multùm conterritus eſt: *Nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* Eumdem conſpexerunt Angelum Ornan (cujus erat area, in qua David, ut ſupremum Judicem placaret extruxit altare) & quattuor ejus filii. Verum eſt quod abſconderunt ſe: non tamen legimus in ſacro Textu, quod territi fuerint nimis. An ipſos credemus animoſiores Davide? Nequaquam. Ergo cur narratur fuiſſe nimis perterritum regem; non autem hoc aſſeritur de gnatis Ornan, atque parente ſuo? Exiſtimo, Deum, qui dum flagellat, medicinam peccatoris apponit vulneri, providiſſe remedium Davidi pro curatione ſuperbiæ; qua non infirmabatur Ornan. Patet quod nequaquam in populi numeratione Dominum areæ tetigerat elatio; maxime verò Davidem: de quo Liranus: *David enim Deo teſte laudatus, tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccavit*, &c. Et ad illa verba Davidis: *Peccavi* &c. dixit idem Lira: *Peccato ſuperbiæ*, &c. Medicus infinitè ſapiens congruentiſſimum applicuit pharmacum timoris multi, quo David frangeret animum, ne ſuperbiret iterum; ſicut effractus corpore fuit. Idem Lira: *Ex viſione Angeli fuit nimis territus, & per conſequens infrigidatus & debilitatus*, &c. Salubris eſt flagelli divini pavor, ut exulet animi tumiditas, morbus tot aliorum facilis origo.

1. Paralip. 21. 30.

Lir. ad 2. Reg. 24. 1. & 10.

Idem. com. in 1. Paral. prox. ſup.

Sequitur

17. *Timor pœna corrigit invidiam.*

Sequitur dicendum de livoris malo: quod etiam formidine pœnæ placatur. Invidiæ motivum eſt bonum alienum: quod livens odit quaſi malum proprium: ſic enim ſibi mentitur ille marceſcens alterius rebus opimis: fingens depauperari ſe facultatibus proximi, vel ejus honoribus deturpari. Non attendet ad hæc fictitia damna, qui metuerit vera flagella peccatoribus imminentia. Gerardum audi. *Secundum*, inquit, *remedium eſt, ut homo diligenter perpendat, quod etiam ſi alius illo careret bono, de quo ei invidet, attamen ipſe illud non haberet. Item timere vindictam Dei, qui homini non dimittit peccata ſua, niſi ipſe dimittat proximo ſuo.* Pavens homo perniciem propriam, vel totus cogitat qua ratione poſſit illam evadere, vel dolore conſternatus omnino jacet inermis. Et cum ad hoc ut ipſe meliùs habeat nihil proficiat quòd alter bono deſtituatur, mentem avertit à felicitatibus alienis, quas execrari ſolet invidia, quia totam cogitationem apponit adverſitati ſuæ. Propterea contingit, ut lividus ab invidendo ceſſet, ſi timore vindictæ Dei quatiatur; aliter, quamvis ab invidiâ deſiſtat, reincidet, præ defectu pavoris de ſupplicio.

Gerard. Zutphan l. 1. de ſpirit. aſcenſ. c. 60.

18. Duo ſe nobis nunc offerunt livoris exempla, Cain & Saül. Ille cernens Domino placere fratris oblationem, non autem ſuam; invidit germano. Sed non legimus, hunc primum lethi miniſtrum poſtea decurſu vitæ rurſus in ſcelus invidiæ lapſum fuiſſe. Diſſimiliter res accidit in Saüle. Contra David exarſit livore. Contigit, cum egreſſus eſſet ab antro, quo David latebat profugus; ut agnoſceret perſpicuè, potuiſſe Davidem illum vitâ privare; ſed noluiſſe. Ductus hoc inſigni facto, quod negare non potuit, invidiam depoſuit, qua cæcabatur. Colligitur hoc ex eo, quòd cæcitate liberatus videtur qui lacrymas fudit (: *Levavit Saül vocem ſuam & flevit*: &c. Non enim cæci flere ſolent. Imo diſertis verbis faſſus eſt, Davidem ſe meliorem: quod non eſt verbum invidentis. *Dixitque ad David: Juſtior tu es quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.* Crediſne, Saülem ſic dimiſiſſe livorem contra Davidem, ut non relapſus fuerit in eumdem? Falleris. En iterum benefactorem ſuum, quærit ut perdat. *Et ſurrexit Saül & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſraël, ut quæreret David in deſerto Ziph.* Qua de cauſa renaſcitur livor in Saüle; Cainum verò non invenimus reincidiſſe? Fallor, ni ſi fratricidæ remedium attulit, ne denuo liveret, formido, qua poſt crimen concutiebatur. Cornelius Alapide: Vagus & profugus, *ex mala conſcientia pavidus, & ut Septuaginta vertunt*, gemens & tremens, *ſcilicet tum animo, tum corpore, huc illucque vagaberis.* Profuit metus, ut ſibi, non autem proximorum proſperitatibus attendens, nequaquam novâ fœdaretur invidiâ.

1. Reg. 24. 17.

Ib. n. 18.

Ibid. c. 26. 2.

Alap. com. in Geneſ. c. 4. 12.

19. *Timor eſt remedium contra gulam.*

Tandem expendamus, ægritudinem gulæ timore tolli. Adverſantes mutuo conditiones gula timorque ſortiuntur. *Nihil gula perniciosius*, inquit Chryſoſtomus, *nihil ignominioſius eſt. Hæc obtuſum & craſſum ingenium, hæc carnalem animam reddit; hæc cæcat intellectum, nec ſinit ut quidquam percipiat*: &c. Ex adverſo timor ſic facultatem rationalem illuſtrat, ut Gregorius Magnus dixerit: *Quia igitur per timorem ſurgimus ad pietatem, per pietatem ad ſcientiam ducimur*, &c. Gula voluptatem ſollicitat, & allicit. Timor autem, ſi quidem ſervilis extet, adeo cruciat (& conſequenter obviat illecebris) ut ſcripſerit Auguſtinus: *Timor tormentum habet: torquet enim cor conſcientia peccatorum*; &c. Si verò de timore filiali ſermo ſit, negandum non eſt, etiam reddere pectus anxium: non enim pungit modicè juſtum ſollicitudo, ne Deum, quem diligit, amittat. Hæc ſint ſatis, ut judices, quòd contraria contrariis curantes, ad gulam reprimendam opportunè timorem adhibemus, ut perutile medicamentum. Bene Climacus: *Reſtringamus ventrem æterni ignis memoria*: &c. Certè metus peculiare medicamen eſt, ut ventris ingluvies impediatur, etiam dum totum hominem jam poſſidet: ſe continebit à præſentibus deliciis, dato quòd paveat à futuro flagello.

S. Joann. Chryſoſt. to. 3. hom. 44. in Ioann. in princ.

D. Greg. Pap. to. 2. l. 2 ſuper Ezechie. hom. 19.

S. Aug. to. 9. com. in Epiſt. 1. Ioan. tract. 9.

S. Ioann. Clim. in ſcal. gr. 14. ante med.

20. Providentia cœleſtis obſtitit ſatis diverſo modo quondam ſacrilegio Baltaſſaris; & injuſtæ ſententiæ latæ contra Suſannam. Rex jam temulentus juſſit afferri ſacra vaſa, quæ genitor ejus aſportaverat antea de templo Domini. Sacrilegè ſunt illis uſi rex, optimates, & mulieres, ad potum. Non diſtulit æquitas divina denuntiationem ſupplicii: quaſi manûs hominis digiti comparuere, ſcribentes in ſuperficie parietis fatalem ſententiam. Pavit gentilis Monarcha valde. *Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Notabam, hoc accidiſſe poſt executioni datum ſacrilegium; quòd rex commiſit in uſu profano vaſorum, quæ dicata fuerant ſacro miniſterio. Proinde cogitabam quid myſterii lateret in eo, quòd Deus non juſſerit Prophetæ ſe conferre citiùs ad conſpectum Baltaſſaris, antequam ſcilicet adducerentur ſacra vaſa; quò terribiliter comminans ei Domini vindictam, impediret executionem flagitii. Vires addebat cogitationi meminiſſe, mortem Suſannæ fuiſſe per eumdem vatem impeditam priuſquam fieret, Spiritu ſancto movente cor Danielis ad hujuſmodi nequitiam avertendam. Veſtigare diſparitatis hujus radicem peroptavi. Se libens hæc obtulit cogitanti. Quod fiebat erga Suſannam, nihil involvebat pertinens ad gulam; ventris autem luxus præerat convivio regis: & congruebat ad hoc, ut à ſacrilegio deſiſteret, gulam comprimi per opportunum remedium. Convenientiſſimum fuit ad finem iſtum, quòd ipſe conciperet pavorem pœnæ. Si Daniel præſcius iret ad Baltaſſarem atque minaretur Domini flagellum, ille minimè trepidaret: quia non ei fidem præberet, ſi non vidiſſet portentum

Dan. c. 5. 6.

tum ſcripturæ. Ad iſtud viſum Baltaſſar expavit; & ſic gula deſiit, quæ fuerat occaſio ſacrilegii. Juxta S. Hieronymum oblitus erat rex punitionis, quam paſſus S.Hier.com. in Danic.c.5. eſt Nabuchodonoſor. *Et hoc*, ait, *conſiderandum, quod ſobrius iſta non faciat, ſed temulentus, oblituſque pœnæ, quæ Nabuchodonoſor proavum illius conſecuta eſt.* Hinc ſatis claret, longe monarcham abfuiſſe priùs à timendo vindictam. Timoris defectus via fuit, qua gula præceps laxavit habenas: quapropter ut contineretur, oportuit illum timere ſcriptum in pariete durum, quamvis ignotum ſibi. Salubre medicamen eſt metus ad frenandam gulam.

DELIBATIO II

Generatim ad exercendas virtutes, Dei timor favet.

21. *Aliquando timor corriget errorem admiſſum occaſione dilectionis Dei.*

FAſtidioſum foret, ſingulas virtutes enumerando ſeriatim, oſtendere, virtuoſum timorem ad ipſarum exercitia conducere. Nonnihil dicam circa dilectionem Dei: poſthac generatim loquar, præeunte S. Doctore Luſitano, cujus hæc S.Anton. ſer. 1.de Confeſſor. ſunt verba: *Timor Domini cæteras virtutes ducit, dirigit, & cuſtodit.* Exordiamur ab amore Dei. Charitas equidem præit virtutibus reliquis: non tamen dedignatur ſequi ductum timoris Dei: ſicut princeps, licet prudens, non deſpicit dictamina fidelis adminiſtri; præſertim ſi, multum profeciſſe per illa ſit jam expertus. Prædicti pavoris cum charitate nexus eſt in comperto. S. Antiochum accipe. *Quiſquis*, S Antioch. hom.127.in P.inc. ait, *ſinceriter Deum timet non multo admodum negotio ad perfectionem provehitur divinæ charitatis; eoque efficitur Chriſti & diſcipulus & amicus. Ait enim*: Vos me amaſtis. Adeo verum eſt, nonnunquam à timore Dei dilectionem ejus duci; quòd, ſi quando juſtus amoris hujus occaſione deciderit in errorem, per metum reduci poteſt ad viam. Timor aliquoties ductorem agit, ut amans corrigat quod erravit quia dilexit.

22. De futurâ morte ſuâ nonnihil Author vitæ ſignificavit coram turba. Reſpondit Ioann.12.34. hæc: *Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exultari Filium hominis?* Nota, quàm benignum reſponſum exhibuerit Salvator Ib. n.35. iis, qui verbis ejus auſi ſunt contradicere. *Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum, lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant:* &c. Duplici de capite mirabar, hîc tam blandè reſpondiſſe Dominum: primò quia turba ſignificavit putaſſe, verba Domini reſiſtere Scripturæ propterea, quòd Redemptor indicavit qua morte moriturus eſſet: hoc autem apparenter videbatur, non ſtare cum æternitate Chriſti, quæ Pſal.109.4.& 116.2. tangitur in Pſalmis. *Tu es ſacerdos in æternum* &c. & infra: *confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in* Iſai. 40.8. *æternum.* Apud Iſaïam ſic habetur: *Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* in Ezechiele reperimus ita: *David ſervus meus princeps eorum in perpetuum.* Satis audax Ezechie.37. 25. turba fuit in credendo contradicere Chriſtum Scripturæ; vel ſaltem dubitando de veritate Dominicæ locutionis: & Filius Dei nil ſeveritatis adhibuit reſpondens eidem? Admirationis noſtræ ſecunda ratio ſit reprehenſio ſevera, qua percuſſus eſt Petrus, cùm obſtare voluit Magiſtro, ne pateretur mortem violentam: dixit quippe Simoni: *Vade poſt me ſatana,* Matth.16.23. *ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Sic Perrus objurgatur acerbè! ſic turbæ reſpondetur blandè! Averte quàm diſpari modo Petrus erraverit atque turba. manifeſtum eſt, plebem non ex amore Salvatoris (ut ſcilicet ille vitam pon perderet) offendiſſe veracitatem Domini. Scire cupis quam longe diſtarent ab amore Filii Dei? Legito Chryſoſtomum. *Sed*, ait, S.Ioann. Chryſoſt. to. 3.hom.67. in Ioann. poſt princ. *hi arbitrati ſilentium ei imponere, & non eſſe Chriſtum oſtendere, Chriſtum in æternum manere confitentur.* Quòd autem proximè dictus error Principis Apoſtolorum ex amore circa Præceptorem traxerit ortum, non dubitabis legens D. Hieronymum: *Sed*, S.Hieron to. 9 in Matth. c. 16. ait, *mihi hic error apoſtolicus & de pietatis affectu veniens, nunquam incentivuum diaboli videbitur.* Vade retro me ſatana. *Diabolo dicitur*: Vade retro. *Petrus audit*: Vade retro me: *Hoc eſt, ſequere ſententiam meam*: &c. Cum erraſſet ex dilectione Petrus, & oportuerit in viam reduci; congruum fuit ut audiret verba præ ſeveritate metum incutientia: nam ſi nonnunquam diligens aberrat, congruenter ducitur in rectum iter per timorem Dei. Metus hic fidus eſt ſocius amoris; viæ dux optimus.

23. *Timor Domini fortificat.*

Modò quoniam, ſicut præmiſi ſupra, foret operoſum nimis reliquas hominis virtutes percurrere, quò probarem, cunctis illis proficuum exiſtere timorem Domini, loquar univerſaliter, ut ejus utilitatem percipiamus breviùs. Duo ſunt inter alia, de quibus pendet virtutum permanentia: ſcilicet robur, & hilaritas. Cum ergo ſtatuerimus, timentem Deum formidine roborari, ſimulque perfundi lætitiâ, concludemus, timorem ad ſtabilitatem virtutum conducere plurimùm. A timore prudenti robur accipit anima: nam licet fortitudo ſit medium inter formidinem & audaciam; tamen utrumque participat extremum. Id colligitur ex verbis Alberti Magni deducentis definitionem fortitudinis ex Ariſtotele, atque Commentatore, ſic: *Fortitudo eſt habitus* Albert.Mag. apud Rayner.in pantheoto. 2.tit.7.c.1. poſt princ. *immediatè audaciarum & timorum, ſufferentes faciens periculorum & mortis, gratiâ boni.* Si verborum ſonum attendis, forſan judicabis, in iſta definitione fortitudinis non tantum aſſeri, mediare virtutem hanc inter audaciam ac timorem; ſed inſinuari quòd utrumque dirigat. Hoc unum ſcio, quod apud Eccleſiaſticum legitur: *Qui timet* Eccli.34.16. *Dominum nihil trepidabit, & non pavebit*: &c. Quid ampliùs requiris, ut aſſeveremus, animum timore Dei ſolidari? Sed adhuc Auguſtini verba tibi dono. *Dicat*, inquit ille, *timere, qui non vult timere*:

S.Aug.to.10. ſer.214. de temp. D.Greg.Pap. to. 1. l.5. mor. c.13.

mere: &c. Concinit Magnus Gregorius, inquiens: *Timori quippe Domini ineſſe fiducia fortitudinis dicitur: quia nimirum mens noſtra tantò valentiùs terrores rerum temporalium deſpicit, quantò ſe authori earumdem veraciùs per formidinem ſubdit.* Itaque minimè pavebit futurum ſibi malum, qui perfectè metuerit illum, qui ſummè bonus eſt: pavor hic illam formidinem exulare facit.

24. Supremus Legiſlator Moyſi decalogum propoſuit obſervandum à populo ſuo. Plebs auditis vocibus, & buccinæ ſonitu; viſis lampadibus atque monte fumante, metu concuſſa fuit. Moyſes tunc dixit ad

Exod 20.20. illos: *Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Sibi contrariari viſus eſt verbis hujuſmodi Mediator inter Iſraëlem, atque Dominum: quoniam ſimul & Hebræis animos injecit, inquiens ad illos ut non timeant; & affirmat, veniſſe Deum ad hoc, ut ipſi terrorem experirentur. Quomodo ſtant hæc duo? Facillimo negotio componuntur. Iſraëlitæ prædicto loco formidabant ne morerentur dixerunt enim: *Non loquebatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Hanc trepidationem volens ab eis avertere Dux eorum, locutus eſt de terrore Dei non fallente per mortis apprehenſionem; ſed veraci; quò populum corripi Dominus voluerat. Sic inſinuavit eis, medicinam congruentem eſſe pro fortitudine roboranda timorem Altiſſimi. Clavus clavum trudit: pavor inquam Dei configens animam, pellit ab homine formidinem, qua circa temporanea mala tremiſcebat.

Ib. n. 19.

25. *Gaudium ortum à timore Dei, peculiariter afficit cor.*

Secundum ſatis utile conſervandis virtutibus inſtrumentum eſt gaudium ſpirituale: ſicut enim mundanis exultationibus periclitatur animæ rectitudo; ſic econtra per cœleſtem lætitiam provehitur. Fr. David de Auguſta: *Affectus gaudii datus fuit homini, ut gauderet in Deo, & in ſpe æternorum bonorum, & intuitu beneficiorum Dei, & congauderet proximo in donis ejus, & delectaretur in laude Dei, & in bonis operibus, & faſtidiret omnia vana & inutilia, & jucundaretur in operibus divinis, & ex hoc efficeretur alacer, & agilis ad virtutem Dei*; &c. Vides quantùm inſerviat juſto pro vitandis nocivis, & amplectendis meritoriis, lætitia ſpiritualis. Nihilominus non deerit qui putet, non bene cohærere timorem Dei cum jucunditate. Nam in primis timor ſervilis reformidat pœnam; cujus meditatio contriſtat animum: deinde timor filialis jacturam Dei reſpicit: quæ, cum ſit maxima, videtur non poſſe non amantem contriſtare. Nihil tamen obſtantibus iſtis, objiciam in contrarium S. Auguſtinum dicentem: *Ita jucundetur cor noſtrum ut timeat nomen Domini, ne aliunde jucundetur, aliunde feriatur.* Adeo verum eſt, non opponi timorem divinum cum gaudio ſpiritûs, ut potiùs gignat iſtud. Id collige de verbis D. Bernardi loquentis in hunc modum: *Talis timor generat, nutrit, & ſervat humilitatem, ſed manſuetudinem, ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles?* Maneat itaque, ſic prorium eſſe timoris Dei lætificare ſpiritum, quòd ex illo manans exultatio, peculiari titulo lætitia cordis eſt. Gaudium, quod à pavore Domini progignitur, verè lætitia cordis extat.

Fr. David. de Auguſt. in formul. novit. c. 28.

S.Aug.to.8. com.in Pſal. 85.

S. Bernard. epiſt. 87.

26. Apud Pſalmiſtam legimus, exultationem populi de captivitate revertentis in hæc verba fatis anticipatè proponi. *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.* In hujus argumento Pſalmi Bellarminus habet: *Pſalmus hic apertiſſimè loquitur de reverſione à captivitate, & aſcenſione ad patriam*, &c. Et in commentario verborum, quæ proximè retuli, ſic interpretatur illa: *Id eſt facies noſtra hilaris, & jucunda apparuit, & lingua noſtra prorupit in verba lætitiæ, & jubilationis.* Adverte, faciei atque linguæ tribui præfatam lætitiam plebis; non autem ibi expreſſam fieri de corde. Diſparem loquendi modum reperimus cum Pſaltes de ſemetipſo dixit: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Legitur apud Euthymium: *Lætetur cor meum in timore nominis tui*, &c. Vides ecce, lætitiam appropriari cordi, præſenti Pſalmo; cum in alio citato ſuperiùs non legamus eamdem phraſim. Cur ita? Quia populus revertens à ſervitute, jucunditate perfuſus eſt orta de temporalibus motivis: quæ, cum ſit minor, emphaticè proponitur, quaſi non ingrederetur ad cor; ſed in facie linguâque tota conſiſteret. At verò gaudium, de quo poſterioribus verbis agitur, peculiari nomine dici poterat lætitia cordis: quia ſermo fit ibi de hilaritate proveniente à timore Dei. Commentatur Euthymius: *Lætetur non in mundana lætitia, ſed in tui timore. Vide, quæſo, novum genus lætitiæ: Timor, inquit, tuus ſit mihi lætitia.* O terrorem jucundum! ô metum felicem! quo ſic anima percutitur, ut non conſternatur; ſed jubilet.

Cardin. Bellar.in argu. Pſal.hujus, & ad n. 2.

Pſal.125.2.

Pſal.85.11.

Lect. apud Euthymi. ib.

Euthym. com. in Pſal. 85. 11.

27. *Primordia virtutis in timente Dominum ſunt inſtar conſummationis.*

Qui lentiùs expendere paras ea quæ diximus, juvaberis à ſimilitudine temporalium exultationum, ad hoc ut contempleris uberem extare lætitiam radicatam in timore Dei: quippe vix eſt aliquid non malum inter ea, quæ temporaliter nos lætificant, quod non meliùs inveniatur à metuente Dominum poſſideri. Jubilis exultantes multos audis. Hic ſpe ſortis; alter honore ſibi facto, nonulli principum gratia; quidam bene partis divitiis gaudent. Non dicam ſimiliter; ſed præſtantiori modo, ſervata quâdam analogiâ, cauſas illas exultandi numerare poſſumus in perfectè pavente Conditorem. Timori ſancto jungitur ſpes felicitatis æternæ: deinde, vel timor ſit filialis, vel ſervilis, timentem honorat: nam decus hominis eſt obedire Deo fideliter; nedum ejus filium ſe per amantem formidinem probare. Necnon ſummi Regis amicitia de timore Dei naſcitur, ut colligitur ex D. Antiocho dato ſupra n. 20. Denique diteſcit ſpiritualiter homo per timorem Domini: dixit enim S. Laurentius Juſtinianus: *Abundantiam virtutum ac bonorum ſpiritualium introducit ipſe timor.* Ergo quæ ſupra numeraveram, gaudendi temporaria motiva, commutata feliciter in melius, læta-

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 2. de timo.

ri faciunt exuberanter animam, quæ terrore quatitur Omnipotentis conſummato. Meritò quidem ſpiritus paveſcens apprimè Dominum delectatur ita: nam, licet initium virtutis capiatur à timore; tamen hic affectus adeo perficit hominem, ut videri poſſit, in ipſis exordiis ad metam veniſſe per metum. Primordia virtutis in timente Deum egregiè ſunt ad inſtar conſummationis.

28. Doctrinam ſalutarem Siracides moraliſſimè proponens, illam profert ſententiam, quæ reperitur ſcripta priùs apud Pſalmiſtam. *Initium ſapientiæ timor Domini*, &c. Commentatur Cornelius Alapide: *Per ſapientiam non tantum intelligit ipſum actum intellectus quo ſapit, ſive dictamen prudentiæ jam dictum, ſed etiam actum voluntatis ei obſequentem*; &c. Infertur hinc, virtutis aſſeclam à timore divino curſum exordiri. Bene. Sed quomodo ſtat Eccleſiaſticus ibi cum ſeipſo poſtea dicente: *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum*, &c. Plenitudo ſonat perfectionem numeris omnibus abſolutam; quæ non datur dum incipit homo. Igitur qua ratione verificantur hæc duo: nempe timentem Deum poſſidere plenitudinem, ac initium? Ad mores ne prohibeas ita cogitare cupientem. Quamvis juſtus timendo ponat rectitudinis tyrocinium; tamen illam delectabilem formidinem tot comitantur atque ſequuntur ſpiritualia bona, quòd ille noviter accedens ad rectum iter, jam plenè videatur viam cucurriſſe totam. Proderit rurſus audire Cornelium loco ſupra citato; qui ſic habet: *Hic igitur timor & reverentia erga Deum, cujus causâ peccatum horremus, uti eſt fundamentum & initium, ita eſt finis ac culmen vitæ Chriſtianæ*: &c. Timor, quo pavetur offenſa Dei, cum ſit germen amoris, imitatur parentem. Propterea, cum dilectio dicatur circulo ſimilis (ut ex D. Thoma à Villa nova dixi to. 2. fl. 28. n. 53) necnon ipſe timor circularem quodam modo ſortitur naturam. Si quæras in circulo quiſnam ſit ejus terminus, quodve principium? Reſpondebit quilibet, idem prorſus punctum eſſe principium atque finem circuli. Sic aliquali cum proportione loquetur qui putaverit, in re virtutis, Domini timorem dum incipit currere, totum ſtadium perfeciſſe.

Eccli. 1. 16. — Cornel. Alap. ib. §. 8 Denique. — Eccli. 10. 20. — Cornel. Alap. prox. ſup. §. Hic.

29. Tandem, ut exactiùs inſpiciamus, quanta ſit in ſancta formidine perfectio, notandum, iſtam virtutem eſſe quamdam ex illis, quæ ſunt nobis cum Angelis communes; cum reperiantur aliæ, quamvis excellentes, quas non patitur nobilitas Angelicæ naturæ, vel ſtatus beatitudinis, quo potiuntur. Non imitatur ſpiritus Angelicos ille, qui totis viſceribus anxius condolet pauperi: neque flagellis & abſtinentiâ mortificans propriam carnem: nec martyrio vitam exponens pro tuendo Creatoris honore. Nam cœleſtis aulæ cives ab omni dolore ſunt immunes: corpus mortificare nequeunt, quod non habent: mortem ſubire non poſſunt immortales. At verò metu reverentur Domini majeſtatem infinitam. Quapropter reverentialis timor Dei, cum reperiatur in cœleſti militiâ, glorioſus eſt. Patrocinetur S. Vincentius Ferrarienſis: *Timor*, inquit, *reverentialis eſt glorioſus: quia etiam Angeli iſto timore timent.* Scio quàm longe diſtemus ab aulicis illis Jeruſalem ſupremam incolentibus: nam quod nos præſtolamur, ipſi jam tenent. Sed adeo per timorem approximamur eis; ut qui ſedes beatificas non poſſidemus, adminùs videamur attigiſſe januam cœli. Non, inquam viventes habitamus Regiam ſuperñam: ſed ad illius fores poſiti videbimur per timorem Dei.

Homo pene videtur juxta januam cœli, cum Deum timet.

S. Vincent. Ferrar. ſer. 5. Dom. 2. poſt. Oct. Paſch. ad fi.

30. Tempori, tamquam prudenti medico, remittens obviare malo, quod à germano ſuo verebatur Jacob, exiit à paternis laribus in Meſopotamiam. Cum in via quieſceret vidit celeberrimam ſcalam; audivitque Dominum loquentem ſibi. Tandem viator expergefactus, ac timens prorupit in verba perpenſione digna valde. *Pavenſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte: non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & porta cœli.* Verſatus eſt poſt domo Laban: ac tandem reverſus ab illa, cum iter faceret, luctatus eſt cum Domino, vel cum Angelo vicem agente Dei. Felicior fuit Jacobus tempore luctæ, quam dum ſcalam cerneret (ut ex utriuſque loci contextu deduci valet) neque tamen lego, poſt luctam Jacob motum admiratione rei, quæ ſibi contigerat, dixiſſe tunc: Non eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta cœli. Quid minus habuit locus iſte ſecundus, ne de cœlo mentionem exhibeat Jacobus triumphator; ſicut cœli meminit alibi tranſacto ſomnio? Nota, Jacob timuiſſe Deum, cum de ipſo ſcribitur: *Pavenſque* &c. Commentatur Cornelius Alapide: *Sacro timore, horrore, & reverentiâ perfuſus.* Minimè tale quid invenimus dictum de Jacobo, cum victoriam reportavit à luctatore. Hinc liceat contemplari, animam timentem Dominum perfectè, ſic in via profeciſſe, quòd jam velut apertam ſibi videt cœli januam. Dictis aliqualiter favet S. Antonius Ulyſſiponenſis, inquiens: *In hac via* (loquitur S. Doctor de via timoris) *dormit Jacob ſuper lapidem, dum anima timorata in tribulationibus quieſcit & delectatur. Videt ſcalam erectam, dum divinam conſiderat juſtitiam: cujus imum tangit terram, dum attendit damnationem reproborum, quam timet incurrere. Summitas tangit cœlum, quando attendit gaudia beatorum, quæ timet amittere.* Et infra: *Hinc evigilans Jacob dixit: Terribilis eſt locus iſte. Non eſt hic aliud niſi porta cœli &c. quia prima eſt via redeundi ad Deum.* Via ſanè timor eſt; ſed non prolixa quidem, ut conjungamur Deo: nam cum filialis metus habeat ſocium amorem, Domino feliciter appropinquat ille, qui *ſapiens timet, & declinat à malo*: &c.

Genes. 28. 17. — Cornel. Alap. com. in Geneſ. ib. — S. Anton. Ulyſſip. ſer. 2. de omni. SS.

DELIBA

DELIBATIO III.

Superbæ confidentiæ malum expenditur.

31. *Peccator quandoque neſcit tamquam damnum ſibi venturum, quod novit ut alienum.*

NUnc ad ſequentia verba Salomonis veniam: *Stultus tranſilit* & confidit. Præſumptione cæcutientes hæc verba pungunt de ruina tamen hîc nihil dicitur: forte quia diceres hoc loco ſuperfluum exprimere præſumentis lapſum; qui certus eſt adeo. Vel ad ſiniſtram, vel in dextram præſumens tendat, prolabitur. Vel, inquam, præſumat audaciter de miſericordia Dei, quò peccet effrænis; aut de propriâ ſanctitate ſuperbiat, corruet. S. Auguſtinus: *Audiamus*, inquit, *vocem Dei dicentem nobis*: Ne declines in dexteram aut ſiniſtram: *Ne præſumas ad regnum de juſtitia tua: ne præſumas ad peccandum de miſericordia Dei. Ab utroque revocat præceptum divinum; & ab illa altitudine, & ab iſta profunditate. Illuc ſi aſcenderis præcipitaberis; hac ſi lapſus fueris, demergeris.* Non tam ſtupeo mortalium in hac re temeritatem, dum non formidant ventura ſupplicia perpetua: quia diſtant loco; nec experientiâ tanguntur. Mirabilius eſt, illos adeo phantaſiæ ſuæ fidere, quòd neque temporalia damna ſibi de peccatis ventura pavent: præſertim, cum ſe nimis diligant ſuperbi: nam elatio juxta Edmundum Archiepiſcopum, *eſt amor propriæ excellentiæ*, &c. Amor quidem ſui, licet oculatus ad aliqua ſit; ad alia tamen cæcus eſt. Hac ratione præſumptuoſa mens aliquando noſcit malum pertinens ad alterum; quod ignorat circa ſemetipſam. Viſu pollet erga damnum alienum peccator; quod ſi foret proprium, ignoraret futurum ſibi. Miſerum eſt hoc nimis: nam ignorata mala duplicia ſunt. Euſebius: *Malum enim*, ait, *eſt etiamſi ſentiamus, aut non ſentiamus. Magis autem ſentientibus ſimplex eſt, non ſentientibus autem duplex.* Vel author loquatur de malis futuris, vel de præſentibus, perſiſto dictis: & probare conabor, iniquum neſcire, quò ſibi caveat, malum idem, quod novit conſideratum ut alienum.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 31. in præfat. poſt princ.

S. Edmund. Archiep. Cantuar. in ſpec. Eccl. c. 8.

Euſeb. Pamphil. l. 8. de oper. bon. &c. ad fi.

32. Pſal. 34. 8.

Vel de Saüle, vel de alio, qui regem commovit adversùs Davidem, Pſaltes dixit: *Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.* Exponit Euthymius: *Inexpectata*, inquit *calamitas illi obveniat: illi, inquam, qui & mihi interitum abſcondit, & qui me exprobravit, ſive Saülem intelligas, ſeu quemvis alium, qui Saülem urgeret adversùs ipſum beatum David.* Videtur ex mente Prophetæ, citatis verbis idem ſignificari, dum ait: *Laqueus, quem ignorat*: & cum addit: *Et captio, quam abſcondit*, &c. Antitheſim reperiri fortè dices inter illa duo verba, *Ignorat*, &, *Abſcondit*: nam qui præparat abſconditè laqueum alteri, novit illum. Qualiter igitur huic veniret ignorata captio; ſi cognoſcebat eamdem iſte, qui Davidi paraverat eam? Res facilè componetur, dummodo, lector, advertas, iſtam locutionis varietatem reſpicere quidem eumdem laqueum, ſed reſpectu perſonarum diverſarum. Laqueus cum abſcondebatur Davidi nociturus, notus erat abſcondenti; quia norunt homines aliena mala futura, ſeu verè, ſeu falsò præmeditari. At verò periculum idem, ſi verteretur in caput molientis ipſum contra Davidem, foret ignotum ei, cui ruinam afferret: nam in hoc ſenſu, jam Davidis non foret malum, ſed ſuum: ſolent homines quippe damna propria, quæ ſibi contingere poſſunt, nequaquam præſcire; cum in detrimentis alterius callidi ſint perſpicaciter.

Euthym. com. in Pſal. ib.

33. *Quandoque imitatur homo peccatoris iniquitatem, non ante ſupplicium iſtius; ſed poſt.*

Utinam qui per prudentiam ſæculi ſapientes aliorum detrimenta priuſquam ſint ferè divinant: deinde cum adſunt, judicando rimantur; & jam præterita novis expenſionibus proſequuntur; in ruinis alienis experimentum ſumerent, quò ſibi caverent; ut non imitantes crimen proximi laberentur poſt illum. Minus veniâ dignus eſt qui poſt ruinam alterius admonentem, decidit in ſimilem. Vel de ſpirituali, vel de corporali caſu proximi loquatur Chryſoſtomus, ipſum lege. *Ruina præcedentium*, inquit, *admonitio debet eſſe ſequentium. Si autem & nos ſequentes ceciderimus in ipſam, magis veniam merentur illi, qui primi ceciderunt, quam nos qui ſecundi.* Apud multos video, plurimum poſſe duo: movet fortiter illos exemplum nequam, ut ſimiliter peccent; econtrariò verò detinetur eorum cor, ne ruant, per ſupplicium expertum in alieno capite. Fateor, quòd iniqua ducunt exemplaria mortales ad nequitiam; necnon & retrahunt eos perſæpe flagella Domini, quæ vident ſuſtinere peccantes. At potentior eſt vis exempli damnabilis, quàm ſupplicii, quod patitur alter: non enim vituperabilium exemplorum franget impulſum pernicies aliena pene multos, ne ſimiliter delinquant. Quinimo contingit, hominem, qui priùs quàm Deus ulciſceretur aliorum ſcelera, fuerat imitatus illa; poſtquam novit, eos fuiſſe punitos à Domino, ſimilia patrare. Sic humana confidentia ſuperbit, ut qui ſecutus non fuerat proximorum delictum antequam iſti mulctarentur; poſt ipſorum flagellationem, ſimiliter delinquat, quaſi præſumens tutum ſe à vindicta.

S. Joann. Chryſoſt. to. 2 hom. 34. oper. imperf. in Matth.

34. Numeror. 16. 41.

Inſurrexerunt adverſus Moyſen Core, Dathan, & Abiron; non tamen ſecuta fuit eos tota multitudo filiorum Iſraël; ſed tantùm ducenti quinquaginta proceres. Tres illos terra devoravit in audaciæ pœnam; reliquos autem necavit ultor ignis. Poſt cladem iſtam legitur in libro Numerorum ſic: *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moyſen & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.* Notabam, nunc locutos contra Moyſen illos, qui nec verbum dixere priùs, cum audaciter linguâ percuſſerunt mitiſſimum Ducem rebelles alii. Poſt horrendam verò necem tot homi-

num, tunc audent adverſus Moyſen? ante ſupplicium illud nequaquam ſe junxerunt ſeditioſis? poſt ultionem quadamtenus imitantur eoſdem? O ſtultam ſuperborum præſumptionem: quæ nonnunquam poſt expertam in alieno capite vindictam Dei, tunc erigit collum; quamvis ante ſupplicium alienum haud imitata fuerit elationem alterius! Bene Lorinus ad præfatum locum: *Adhuc*, inquit, *mirari non deſino animi pertinaciam, quæ tam recenti alieno malo non proficit.* Lucem offert aliis pœna, quam dat apertè peccator alter, ne labantur in ſimilia. Sed quid fax proderit cæco? Ductum rationis ille ſequi recuſat: ſi primùm non cecidit; cadet poſtea forſan.

Lorin.com. ib.

35. *Adoleſcentiæ anni computentur tam quam dies.*

Inter ſtultos, qui tranſiliunt & confidunt numerantur plures: qui propterea præcipites eunt inani fiduciâ ducti, quia cernunt ſe poſitos in ætatis flore; quaſi floſculo difficile ſit marceſcere. *Sed* (verba ſunt Smaragdi Abbatis) *dicit aliquis homo: Juvenis ſum, faciam quod delectat modò, & poſtea pœnitentiam agam. Hoc eſt dicere: Percutiam me crudeli gladio, & poſtmodum ad medicum vadam.* In ætate floridâ corporis vigor, experientiarum carentia, ſodalium veſanorum amicitia (hoc nomine vocatur; quo jure, neſcio) ſic mentem quorumdam circumrotat ut vix intelligere valeas quò tendant. Appoſitè Nicolaus loquens in perſona fr. Adæ ad Abbatem Cazeïenſem: *Levitas enim juventutis comes, naturæ confuſio, infuſio vitiorum, adoleſcentiæ vias tortioribus ſemitis intervolvit, ut non facilè poſſit agnoſci unde juvenis veniat, aut quò vadat.* Cumque tot ex hominibus, dum vita floret, ambulantes in circuitu degant; & non multum viæ conficere ſoleat qui pergit in gyro; ſit inde, juvenes deperdere plura ſpatia temporum; adeo quòd penè videatur, adoleſcentiam non durare per annos, diebuſque tantùm concludi. Videant errorem ſuum qui putant, longam extare floridam ætatem. Iſta dierum numero potiùs videtur computanda; quaſi minimè per annos adoleſcentia vigeret; ſed per dies.

Smaragd. Abb in diad. monach. c. 99. ad fi.

Nicol.notar. S Bernard. ep. 19.

36. Iob. 29. 4.

Rememoratus Job tempora ſuæ ſortis ridentis, optabat reſtaurari ſibi felicitatem priſtinam, ut rurſus inveniretur ſicut antea. *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ*, &c. Notabam, hîc adoleſcentiam appellari nomine dierum: & ideo plùs iſtum loquendi modum premebam, quia legeram alibi, Jobum loquentem de tota menſura vitæ, illam vocaſſe breves annos. *Ecce enim breves anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non revertar, ambulo.* Nonne ſatis exprimebatur velocitas, qua pertranſit adoleſcentia, ſi dicerentur eſſe breves illius anni? quare dierum vocabulo ſignificatur ætas iſta? Voluit Job ejus brevitatem ſtrictiùs inculcare. Solent juſti credere, ſe priùs vitam egiſſe perditam. Et quia, ſicut ante dixi, adoleſcentium peccata coarctant illorum florentia tempora; Job exiſtimans de ſeipſo fuiſſe nequam in ætate prædictâ, ſuam adoleſcentiam propoſuit utens nomine dierum.

Ib.c.16. 23.

Adſtipulatur aliquantùm doctus Pineda in commentario ejuſdem loci, dicens: *Quod*, inquit, *Vulgatus*, dies adoleſcentiæ, *alii legunt*, dies hyemis, *ſicut Tigurina*; *aut* Autumnum, *ſicut Vatablus*, *aut dies* opprobrii, *ſicut Regia*: & infra: *Non ſolum* hyemem, *ſed etiam* Autumnum, *Eodem nomine ſignificari volunt, videlicet cum ſub initium hyemis incipiunt fructus vitiari & corrumpi, & folia cadere.... vel quod ea ætas vitiis & probris, aut vitiorum exprobrationibus & increpationibus maximè obnoxia ſit.* Ecce quam vanâ fiducia deluduntur adoleſcentes; qui temporis jacturam faciunt: exiſtimantes longiſſimè permanſurum ætatis virorem: ſtultus eſt qui ductus hâc exiſtimatione *tranſilit & confidit.*

Pined.com. in Iob.ad c. 29.

37. *Qui figit pedem in ſpe vanâ, ruet.*

Aliquando naſcitur inſana confidentia prædicta de ſperum fallacia mundanarum: quæ ſic multis imponunt, quaſi firmiſſimæ forent; imò potiùs ac ſi jam expectatata poſſiderent. Adoleſcentibus familiaris eſt hæc illuſio. D. Baſilius Magnus: *An*, inquit, *non eſt hic naturalis adoleſcentium morbus ob mentis levitatem ſe habere jam putare ſperata? Cum enim aliquando otium nacti fuerint, aut quietem nocturnam fingunt ſibi ipſi imaginationes non ſuſtinentes in rerum natura, & per mentis facilitatem in omnia feruntur, ſuggerentes ſibi ſplendorem vitæ*, &c. Spes mundanæ participant naturam, quæ viſitur in rebus caducis. Bona temporalia ſunt ita fluxa, quòd omnis, qui pedem figere conatur in eiſdem, ruat. Opportunus adeſt inſignis morum Doctor. *Priùs*, ait, *itaque curandum eſt, ne quis temporalia diligat, ac deinde in eiſdem temporalibus, quæ non ad delectationem ſibi, ſed ad uſum retinet, fiduciam ponat, quoniam conjunctus decurrentibus, mox ſtatum ſuum animus perdit. Nam vitæ præſentis fluctus trahit quem levat: & valde demens eſt qui in unda volvitur, & plantam figere conatur.* Si tam fluida ſunt cum tenentur bona tranſitoria; qua ratione ſpes illorum ſtabilis erit? Quiſquis igitur in expectatione vanâ gradum firmare contendit, miſerè decidit: licet illam ſpem ſolidam putet, fragilis eſt iſta ſoliditas: in ea ſiſtere greſſum dum conatus fueris, labéris in lubrico.

D.Baſil.Mag. hom.3. inter var. med.

S.Ggegor. Mag.to.1.l. 22. mor.c. 22.

38. Sapient.16. 29.

Aſſimilat Salomon ingrati ſpem glaciei. *Ingrati enim ſpes tamquam hybernalis glacies tabeſcet*, &c. Nullus inficiabitur, in hac ſimilitudine mentem Sapientis eſſe proponere quàm vacua ſit illa ſpes. Idcirco dubitabam, quare Salomon præfatam expectationem, de qua loquitur ibi, non magis contulerit cum vapore; qui gracilior eſt, quàm glacies: ut ſic extenuaret ampliùs ejus firmitatem putatam, & mendacium illius plus detegeret? Exiſtimabam, Sapientem hoc loco propterea vaporis ænigma non aſſumere, quia vapor futiliter aſcendens nemini præſtat occaſionem lapſus. At verò ſupra glaciem ſtabilire plantas dum conantur aliqui proruunt. Sic evenit illis, qui fidunt caducæ ſpei. Tranſlucet iſta velut cryſtallus; & ſimiliter glacies. Hæc duritiem cryſtallinam videtur imitari, ſi conſulas oculos tantùm: longum abeſt à cryſtallo glacies: quia

quia non ſolùm nullius valoris eſt : ſed illam fragilem ſic experimur, ut ſole percutiente liqueſcat. Non diſſimiliter inadoleſcentiæ matutino ſpes multorum præ ſe ferunt ſodalitatem atque pretium cryſtalli : ſed poſtea fallaces atque fragillimas aperit amplior lux perfectæ prudentiæ, velut ſol meridianus : qui ſpei mendacis glaciem liquefacit. Per iſtam gradiens interea ſtultus cadit, cùm *tranſilit & confidit.*

39. *Profitemur ſpirituale bellum : ne deponamus gladium.*

Quia monita præbui juvenibus congruentia, periculum proponens ipſis peculiare ; timeo, ne doctrinam iſtam legens provectus annis confidat credens temerariè, ſe tutum à diſcrimine præ maturitate, quam vita prolixior conciliavit ei. Eapropter conſentaneum duxi prædictos ad invigilandum ſibi cohortari ; ne propè mortis littus naufragium faciant. Audiant illi S. Iſidorum Peluſiotam, dicentem : *Quæ libido tunc inſurgit atque exilit, & illam reprimentibus non facilè cedit, ſed ſæpe in juventute victa, in ſenectute pugnam redintegrando ſuperior evaſit, & clara illa de ſe trophæa erecta abolevit.* Nullus, quantumlibet multam numeret annorum ſeriem, putet, ſibi jam datum, quòd in rebus animæ pace fruatur omnimodâ. Cum ſcias, vitam hominis extare militiam, tibi ſuade, tunc ſolùm bella penitus finiri, cùm vita perit. Quandiu duraverit iſta, nemini certamen deerit ; quiſquis ille vel ætate, vel conditione ſit. Belle S. Thomas à Villa nova dixit : *Quòcumque te vertas, & quomodocumque vivas, bellum tibi paratum eſt, ſive juvenis, ſive ſenex, ſive pauper, ſive dives, ſive nobilis, ſive ruſticus fueris, non deerit tibi pugna continua.* Militamus quotquot vivimus ; & militum non eſt poſt victoriam partam incedere gladio depoſito : non relinquit penitus enſem qui profeſſionem ſectatur militarem ; quin & poſt victoriam novum addit gladium.

S. Iſid Peluſ. l. 3. ep. 144.

S. Thom. à Villa nov. ſer. de SS. Coſma & Damia. poſt pr.

40. Ab exemplo materialis pugnæ monitum ſpiritui congruum accipere juvat. Provocantem Iſraël ad ſingulare certamen David ſuperavit fortiter atque feliciter. Gladium Gigantis, quo præciderat ejus caput, repoſuit in templo Dei. Hoc intellige, quamvis legas : *Arma vero ejus poſuit in tabernaculo ſuo.* nam Liranus commentatur hæc verba ſic : *Scilicet Domini, quod patet ex hoc quod dicitur infra 21. quod gladius Goliath erat involutus poſt Ephod in templo Domini.* Et Interlinearis ibidem ſic ait : *Unde poſtea ab Abimelech ſacerdote accepit.* Conferamus Davidem cum Juda Machabæo. Apollonium vicit Judas, profligato valenter ejus exercitu : ſumpſitque Ducis enſem, & illo fuit poſt uſus in præliis. *Gladium Apollonii abſtulit Judas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.* Cùm gratitudinem recolo Davidis offerentis Domino gladium Philiſtæi ; notabam, Judam non obtuliſſe Deo, ſuperatis hoſtibus, enſem Apollonii. Machabæuſne fuit ingratus exercituum Domino ; cujus nutu victor evaſit ? Nequaquam. Cur ergo non imitatus eſt Jeſſæi bellatoris gratitudinem (quam ignoraviſſe non credam) in offe-

1. Reg. 17. 54.

Liran. ib.

Interlin. ibid.

1. Machabæ. 3. 12.

rendo Apollonii gladio, quem tamquam ſpolium ceperat, in Altiſſimi conſpectu ? Diſpar manifeſta ratio viſitur in eo, quòd Judas profitebatur militiam ; non autem David eo tempore, quo proſtravit Gigantem : nam tunc adhuc munus agebat paſtoritium. Non eſt mirum, quòd ovium cuſtos, & conſequenter armorum non profeſſor, dimiſerit gladium. Non eodem pacto congruebat ſe habere Judam, qui militiæ profitebatur exercitia, circa gladium acceptum de ſpoliis ; quamvis alio non careret, ac hoſtem illum debellaſſet. Cuique pronum eſt hæc aptare ſequentibus caſtra Dei. Licet adverſarium, non dicam ſemel vicerint, ſed millies ; arma nequaquam deponant : pugnandum quippe eſt rurſus continuo bello ; nec inaniter confidendum ſapienti, ne fiat ſicut ſtultus, qui *tranſilit & confidit.*

DELIBATIO IV.

Appellatio fatui dura multis. De timore ſerotino, & ejus qui metuit ſolùm dum tribulatur. Quidam Deum timent quaſi non timerent. Peccator dicatur mortuus.

41. *Quandoque refugiet indoctus exiſtimari, qui mortem non metuit.*

SApiens Ecce virtutis amator appellatur ſapientis nomine ; cum ſæpiſſimè reputentur fatui qui cœli viam capiunt : apud mundanos enim frequenter innocentia creditur ſtultitia ; qua diabolus per eos iter dextrum infamat, ut ad ſiniſtrum alliciat. Notum eſt illud S. Gregorii Magni : *Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat* : Velut quid puerile deſpiciendus eſt ejuſmodi contemptus. Attamen fatendum, quòd aliquæ ſunt animæ, quibus non valde facilè repræſentatur illam deſpectionem aſpernari. Seneca generatim dixit : *Non poteſt generoſus animus contumeliam pati.* Peculiariter autem pluribus eſt acerbum fatuitatis opprobrium : tangit enim rationalem partem : iſta quippe tantò dolet acriùs, quantò nobilitate prætollit. Vitam quidem exponere difficillimum eſt : ſed adhuc pluribus apparet magis arduum exiſtimationem alienam de ſapientiâ deperdere : qui valent hac ratione quadamtenus apparenter excuſari, dicentes : Vita nobis mutuò data fuit : imo nonnemo judicabit, minùs poſſideri, quam pecuniæ mutuum : nam in hoc transfertur dominium ; at mortales domini vitæ noſtræ nequaquam ſumus ; & prudenter ipſa computatur ut quid alienum. S. Gregorius Magnus ait : *Juſti in alieno quidem tempore percuſſiones ſentiunt, ſed in ſuo à percuſſione requieſcunt : Electis quippe alienum tempus eſt vita præſens*, &c. At verò ſapientia peculiari fundamento vocari poteſt noſtra : quoniam hæc mortalitati non ſubeſt. Facit huc Iſocratis dictum : *Multas*, inquit, *utiles doctrinas multis pecuniis præſtare ducito : nam hæ facilè amittuntur, illæ*

D. Gregor. Pap. to. 1. l. 5. mor. c. 16.

Senec. de ſenten. orat.

D. Greg. Pap. to. 1. l. 6. mor. c. 18. ad fi.

Iſocrat. ad Dem.

illæ nunquam deſerunt. Sola enim inter omnes poſſeſſiones ſapientia immortalis eſt. Igitur non multùm demiror quoſdam timere, ne reputentur indocti ; cum ipſi nequaquam fortitudine careant, ut aliquando mortem non reformident. Quandoque refugiet imperitus exiſtimari, qui ſcientis famam obtinuit : & ipſe vitâ privari non metuet.

42. Expiraverat in Calvariæ monte Redemptor; non tamen in diſcipulorum cordibus perierat memoria Magiſtri. Nicodemus advénit fidus, ut honore ſepulturæ proſequeretur Dominum. Notavit S. Epiphanius, illum ſine metu fortiter hoc officium Salvatori præſtitiſſe. *Hunc*, inquit, *Joſeph & Nicodemus omnis formidinis vacui ſepulturæ committunt.* Non prætereunda quidem eſt hæc animoſitas Nicodemi : ſcimus etenim referente Joanne, quòd elegerit ille tenebras noctis, ut ſe conferret ad Chriſtum. *Hic venit ad Jeſum nocte*, quod ſatis inſinuat metum Judæorum : & hunc expreſſit Euthymius, inquiens : *Timebat enim palam accedere, propter Judæorum ſuſpicionem, qui averſuri erant accedentes ad eum.* Qua de cauſa nunc meticuloſus accedit, qui poſtea Judaïcum furorem non paveſcens venit ut amicum ſepeliret? Reſpondeo. Cum Dei Filius occiſus pendebat in patibulo, vitæ diſcrimen aderat eis, qui patefacerent, ſe doctrinam ejus amplecti. Moriendi periculum deſpexit Nicodemus, Chriſti verus amator. At cùm eumdem voluit inviſere noctu, propterea latére cupivit, ne ſapientiæ ſuæ denigraretur apud homines fama : cum doctrinam acciperet ab eo quem ſciebant non didiciſſe litteras. Fert opem cogitationi Carthuſianus, quamvis loquatur disjunctivè. *Vel*, ait, *quia cum eſſet nominatus doctor, ac Magiſter in Iſraël, aliqualiter erubeſcebat publicè ſe ſubmittere informationi Jeſu, qui ſciebatur litteras non didiciſſe.* Expende qualiter prævaleat in aliquibus amor exiſtimationis bonæ de ſapientiâ dilectioni vitæ, quam eximiè mortales amant : ut ex iſtâ conſideratione movearis ad excuſandam fragilitatem quorumdam incipientium : qui fugientes nominari fatui, ſic abdunt opera virtutum, quaſi delicta forent. Monendi tamen ſunt iſti paulatim, ut ſumant animos, & ſpernant ſæculum quaſi ſtultum : nam qui ſectatur virtutem, ille verè *ſapiens.*

S. Epiphan. orat. de ſepult Chriſti.

Joan. 3. 2.

Euthym. com. in Joann. ibi.

Dion Carth. in Joan. art. 8 poſt princ.

43. *Timet.* Non qualicumque timore pavet juſtus : nam etiam plures actualiter peccantes, imo dæmones, contremiſcunt. Imprimis diſſidet aliquorum perperam degentium timor à metu viri probi, quòd iniquorum formido pluris advenit ſerotina ; rectus verò tempeſtivè trepidat. Peccatoris tardus pavor hominem retrahit à Deo poſt lapſum perſæpè ; detinetque ne ſurgat. Nicolaus Cabaſila : *Hæc enim*, ait, *communis hoſtis adverſum nos machinatio, & dolus eſt, dum ad peccatum ſollicitat, confidentiam & audaciam excitare : teterrima jam auſis, prolapſiſque, pudorem ac timorem abſurdum injicere, ut cum illo modo cadere fecerit, hoc reſurgere non ſinat : ſeu potiùs, illo à Deo abducat ; hoc ad eum reverti non permittat* ; &c. Oppoſitam conditionem ſortitur pavor, quô juſtus metuit : non enim ſolummodo nequaquam divertit hominem accedere volentem ; ſed vocat, ut appropinquet Altiſſimo. S. Bernardus ait : *Forſitan*, ait, *ergo timore vocamur, amore juſtificamur.... Audiat itaque in ſui vocatione peccator quod timeat : & ſic accedens ad Solem juſtitiæ, videat illuminatus quod diligat.* Maneat igitur, timorem ſerum peccantis hunc à Deo ſemovere ; contra verò tempeſtivum timorem adducere mortales ad eumdem : qui ſerò metuit, aufugit ; qui tempeſtivus pavet, appropriat.

Cabaſil. Archiep. l. 6. de vit. in Chriſto. longe ante med.

S. Bernard. ep. 112. ante med.

44. Adamum atque Moyſem componamus ad invicem. Peccavit Protoparens comeſtione de vetito ligno. Timore concepto fugit miſer à Domino. *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei* &c. Notavit proximè citatus Archiepiſcopus, Protoplaſtum fugiſſe medici manum. *Adam ſe abſcondit, propter vulnus manum medici fugiens (propter quod eum quærere debebat, ne peccatum de ipſo triumpharet)* &c. Ecce timor Dei primum Genitorem impulit, ut fugam à Domino caperet. Non ſimiliter accidit Moyſi. Videns ardentem rubum expavit : non ideo tamen diffugit ; imo libenter venit, ut videret rem adeo mirabilem. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Moyſis timor colligitur ex verbis Textus infra : *Abſcondit Moyſes faciem ſuam : non enim audebat aſpicere contra Deum.* Exponit Pererius : *Moyſes itaque partim ob illud prodigium igne flagrantis rubi, non tamen combuſti, partim ob Dei vocem ex ipſo rubo editam, ingenti pavore correptus, ſummâque afflatus & affectus reverentiâ præſentis numinis, continuò faciem ſuam abſcondit.* Ex iſto commentario deduco, Moyſis timorem cœpiſſe priùſquàm audiret vocem : ac proinde timuiſſe non ſerò, ſicut Adam : qui non veritus frangere præceptum Domini, tunc incepit metuere, cùm vocem audivit irati Dei : ſic enim Caïetanus accipit quod ſcribitur in Geneſi : *Et cum audiſſent vocem Domini* &c. Refert Cornelius Alapide, dicens : *Caïetanus tamen vocem intelligit non arborum, ſed loquentis & irati Dei*, &c. Morosè pavet, qui poſt manifeſtam iram Omnipotentis, exhorret. Suppono deinde, Moyſis pavorem, cum habuit pro motivo prodigium illud, non in eo tantùm ſtetiſſe portento : quoniam non eſt parum veroſimile, tunc illum formidaviſſe Deum tamquam authorem ipſius rei mirabilis. Hinc ortam fuiſſe meditabar diverſitatem ſuperiùs notatam inter Moyſen, & Adamum. Progenitor hominum, quia ſerò timuit, ex timore Deum fugiebat ; Moyſes autem, qui tempeſtivè metuit, velut occaſione pavoris pergebat in locum illum, quo Deus apparuit ei. Utiliter, non factâ morâ, timetur Conditor.

Geneſ. 3. 8.

Cabaſil. prox. ſup.

Exod. 3. 3.

Ib. n. 6.

Perer. in Exod. 3. diſp. 8. n. 34.

Geneſ. 3. 8.

Caïetan. relat. per Corn. Alap. ibi.

45. *Aliqui Deum timent ſolùm quandiu tribulatio durat.* Secunda qualitas laudabilis, quæ reperitur in timore juſtorum, eſt perſeverantia. Hæc rectum virum fortificat aprimè. Incertus, qui fertur ſub nomine S. Zenonis : *Timor*, inquit, *ſine fine ſtudet*

Incert. ſub nomi. S. Zenon. ſer. de timore.

det timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat. Frequenter mortales tremiſcunt dum tribulantur; & adverſitate ceſſante tremorem deponunt: ſimiles arboribus peſſimis; quæ tempeſtate concuſſæ moventur: & quaſi projiciunt malos fructus; cum verò procella deſiit, atque nec levi quatiuntur aurâ, ſtant immotæ, reficiuntque vires, pro novis fructibus edendis nequaquam bonis. Lege Chryſoſtomum. *Tunc*, ait, *nempe ipſa tribulationum natura vel invitos nos corripiebat, & moneſtos faciebat, & ad majorem agebat* (fortè legendum: *Cogebat*) *reverentiam: nunc autem ablato fræno, & nube præteritâ, timendum, ne ad torporem declinemus, ne ſegniores reddamur rurſum ex remiſſione*, &c.

S. Joann. Chryſoſt. to. 5. hom. 17. ad pop.

46. Iſaï. 59. 19.

Vates Evangelicus loquens de Jeroſolymorum everſione, ſic habet: *Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui ab ortu ſolis, gloriam ejus: cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Domini cogit*: &c. Commentatur Luſitanus: *Id eſt cum Deus venerit everſum Judæos iratus & omnia vaſtans veluti magnus fluvius, vehemens & violentus, procelloſo vento ingentique tempeſtate coactus.* Adnotare libet, deſtructionem Jeruſalem hoc loco non tribui Deo, quaſi percuſſori (ſi tantùm præfata verba libraverimus) evaginatum gladium vibranti; ſed tamquam flumini rapidè currenti. Non prætermittendam cenſeo ſimilitudinem. Hoſtilis enſis etiam poſtquam ceſſavit percuſſio, metuitur ab eo qui vulneratus eſt: præſertim, ſi non adhuc reconditus fuit in vagina. Moris eſt apud quoſdam pavere gladium Dei punientis, quandiu tantùm percuſſio fit. Propterea forſan Iſaïas præcitatis verbis Deum punitorem non aſſimilat homini vulneranti alterum ſtricto gladio. Timetur amnis vaſtans agros, & raptans viatores, dum turbo durat. Poſthac ſerenitate factâ, cum ſtagnat aqua, puer tranſit per vadum non timens illum: fœmina trajicit eumdem cymba non trepidans. Pavetur ab aliquibus Dominus tantùm cum tribulationis procella tonat: iſtâ deſinente, ponitur formido. Non ſic tranſeunter; ſed conſtans in metuendo vindictam Dei, *ſapiens timet.*

Fr. Hect. Pint. com in Iſaï. ib.

47. *Quidam imperfectè timorati quaſi videntur non adhuc metuere Deum; ſed velle timere.*

Et declinat. Circa materiam ſubjectam duo monet prudentia: ſcilicet Altiſſimum eſſe metuendum, & à malo fore deviandum. Primum abſque ſucundo fere nihil proficit: imo ſæpiùs verus timor Dei non eſt ille, qui non commovet hominem ut ſcelera vitet, ac ſectetur virtutes. Quomodo timere Dominum ſe probat qui ſtertit omittens virtuoſa facta ſibi juſſa; jacetque ſupinus in conſuetudinis iniquæ lecto? Veri timoris eſt non ſolùm perficere mandata; ſed ad ſupererogationis actus hominem excitare, ne virtutes conſumantur otio: nam hoc & profectum non affert; & bona ſpiritualia perdit. S. Laurentius Juſtinianus: *Timor*, ait, *quoque virtutes excitat, ne rubigine otii conſumantur: quia nihil in ſancto propoſito otio deterius, quod non ſolummodo non acquirit nova, ſed etiam acquiſita conſumit.* Sunt quidam non

S. Laur. Iuſt. in lig. vit. c. 2. de timo.

caventes omnino timore Domini; ſed adeo parum fervorosè negotium ſpirituale tractantes, ut pene valeat exiſtimari, non adhuc illos timere Deum; ſed tantùm velle metuere. Congruebat, ut profluerent lacrymis, jejuniis corpus affligerent, & oratione cœli fores pulſarent. Cum nihil horum agant experti ſupplicium Dei, videntur quaſi non metuentuentes eum; ſed formidare volentes.

48. 2. Eſdræ. 1. 11.

Nehemias pincerna regis Artaxerxis, auditâ Judæorum, qui à captivitate reſidui fuerant, afflictione, fundebat orationem Domino. Poſt alia dixit: *Sit auris tua attendens ad orationem ſervi tui, & ad orationem ſervorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum*: &c. Cur ita loquitur? an hi, de quibus agit hoc loco, timorati non erant? Sanè miſerabilis everſio, quâ fuit punita civitas Jeruſalem, quemque vel moribus perditiſſimum terrefaceret, ut nomen trepidaret ferientis Domini. Igitur quali ſtylo Nehemias non ait, iſtos metuere nomen Dei; ſed velle timere? Fortaſſis quia, licet manum formidantes Altiſſimi, non progrediebantur in timoris effectibus virtuoſis quantùm poſtulabat iſtius formidinis motivum. Nehemias verò perfectè Deum timens, proceſſit ad opera virtutis; quæ narrantur in ſacro Textu. *Cumque audiſſem verba hujuſcemodi, ſedi, & flevi, & luxi diebus multis: jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.* Non ſimilia legimus, illos egiſſe; de quibus mentio fit verbis, quæ ſuperiùs expendebam; quamvis nomen Domini verentibus aliqualiter. Igitur iſtos ex timore non valde proficientes ulteriùs, nequaquam ipſe poſt aſſeruit quòd timeat nomen Omnipotentis: tantùm affirmat, eos velle timere nomen Domini. Itaque non in exordio ſiſtendum; ſed concepto ſemel Dei timore, gradiendum eſt ad laudabilia facta. Qui timens pergit ultra, metuit ſapienter; dum quærit bonum, & cautus à ſcelere *declinat.*

Ib. n. 4.

49. Lect. Heb. apud Salaz. com. Prov. 14. 16.

A malo. Non omittenda Salazaris ad præſens dogma notatio. Dixit, ex Hebræo verti poſſe: *Declinat à veneno.* Aptum eſt nomen veneni, quò ſignificemus peccatum. Rarò contingit, ut quis toxicum bibat, deliberans occidere ſemetipſum. Sic nullus intendens ad malum operatur nequiter. Sub ratione boni deglutiunt mortales nequitiam: velut illi, quibus propinatur venenum in utili, vel jucundo poculo. Sed, ne malus exiſtimet, crimen à morte ſpirituali diſtare, ſicut potatio venenoſi liquoris ab interitu potantis; non perſequar ænigma veneni; quod tetigi. Potiùs memorabor quod alibi ſum proſecutus, nec recolere piget: nempe, quodlibet grave peccatum eſſe verè mortem immortalis animæ: quæ, licet naturæ conditione ſit immunis à funere; tamen occidente culpâ, jacet in feretro. Totâ mente librare te vellem dictum S. Ambroſii. *Quid enim*, ait, *aliud, niſi quaſi in quodam feretro, hoc eſt, ſupremi funeris inſtrumento jacemus exanimes, cum vel ignis immodicæ cupiditatis exæſtuat, vel frigi-*

Peccator vivens mortuus eſt; juſtus moriuus quaſi vivit.

S. Ambroſ. to. 3. l. 5. in Luc. c. 7.

dus humor exundat, vel pigra quadam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concretâ noſter ſpiritus labe, puræ lucis vacuus mentem alit? Vivit anima per gratiam; perit lethali crimine. Quæ ſpiritualis mors videri poteſt aliquâ ratione totum hominem interitui tradere, ſic, ut quaſi videatur, nihil reſtare morti corporeæ quod agat, cum advenerit ſceleſto. Juſtus demortuus quodammodo vivit; iniquus vivens, jam veluti pervenit ad exitum.

50. Pſal. 54. 16. De quibuſdam prædixit malis David, quamvis imprecatoriis verbis fuerit uſus dicens: *Veniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viventes: Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.* Commentatur Bellarminns: *Imprecatur, ſeu potiùs prædicit per formam imprecationis* &c. Aliquis percontabitur, quare Vates non loquitur clariùs, inquiens: Veniat mors ſuper illos: & occidat eos? Reſponderi poteſt, Prophetam ſuperfluum putaviſſe dicere de occaſione futurâ per mortem illorum, quos iniquitas interfecerat: quia jam per nequitiam quaſi vitam perdiderant. Memento quàm aliter ſermo ſit in Deuteronomio de Moyſe. Dixerat ipſi Dominus: *Ecce prope ſunt dies mortis tuæ*: &c. nihilominus addidit: *Ecce tu dormies cum patribus tuis*, &c. Somnum capere functio viventis eſt: ſed quia de juſto Deus verba faciebat, ejus mortem nominavit vocabulo dormitionis: quoniam ſanctorum obitus vix aliquid mortis habet; cum ex adverſo malorum vita mortua ſit: improbus enim paſcitur mortiferis; rectus verò *declinat à veneno*: ſeu, quod in idem recidit, *declinat à malo.*

Cardin. Bellarm in com. ib.

Deuter. 31. 14. 16.

DELIBATIO V.

Redarguitur fiducia ſui; & laudatur ſapiens diffidentia de prudentia propria. Medium omiſſum à nobis ad quoſdam fines, poſt inutiliter quæritur aliquando. Nonnihil adverſus iram. Potiùs amplectimur media mala cognita ut illicita.

51. *Quàm ſit craſſus error ortus ex eo, quòd homo ſibi fidat nimis.*

Stultus. Sæpiſſimè legimus nomine ſtultitiæ notatos eos, qui ductum rectæ rationis minimè ſequuntur: & meritò, quia more fatuorum diſcrimina gravia non cavent, ut ridicula ſectentur. Mens iſtorum patitur voluntarias tenebras; & gratiæ fulgorem quia deſpicit, non aſpicit. Patriarcha Venetus errorem notans computantis virtutem quaſi vitium, & è contra, ſic habet: *Sunt millia hujuſmodi, quorum humanum genus plenum eſt ignorantiâ. Non autem hoc magnum eſſet, ſi in ſolis talis ignorantia dominaretur peccatoribus. Nam peccatis obvoluti, & iniquitatibus referti nequaquam valent internæ gratiæ ſplendorem aſpicere.* Fatuè nimis errat homo ſæpiùs, dum temerariè credens, operari ſe bonum, *tranſilit & confidit*, ac ita delinquit. Valde craſſus error hic eſt, propterea quòd homo tunc fallat ſemetipſum, nolens mentem propriam cavere; ſed ei permittens ut regat imprudenter ſemetipſum. *Nihil gravius*, inquit Abbas Dorotheus, *nihil perniciosius, quàm ſeipſum regere.* Fateor, nos ab aliis non ſemel decipi, cùm nil tale cogitamus, nimiùm confidentes eiſdem: ſed ſtultior eſt ignorantia, quâ nonnunquam reluctantibus aliis, complecti nolumus eorum placita; noſtroque ſoli judicio fidimus: præſertim cùm exiſtimamus, vanâ fiduciâ deluſi, laudabile quidem eſſe quod malum eſt. Ampliùs mentis inops extat, qui ſibi nimiùm fidens contra judicium alienum errat; quàm in errorem lapſus ortum ab eo quòd alteri confiderit.

S. Laur. Juſt. l. de caſt. connu. c. 17. ante med.

Abb. Doroth. doctri. 5. juxta med.

52. Rex David ad aliorum cautelam prudentium permiſſus fuit errare, cùm juſſit numerari populum. Poſtquam Joab numerum deſcriptionis attulit ei, pœnituit, & ait: *Peccavi valde in hoc facto: ſed precor Domine ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis.* Alibi lego quoddam geſtum Davidis; in quo potuit ipſe fateri, necnon erraviſſe nimiùm: ſed non ita de ſe tunc locutus eſt. Egrediente contra perfidum Abſalomum exercitu, commendavit rex tribus militiæ ducibus, ut filii rebellis vitam ſervarent illæſam. *Præcepit rex Joab, & Abiſai, & Ethai, dicens Servate mihi puerum Abſalom.* Erravit utique; putans, Joabum præcepto fore fideliter obtemperaturum: ſed iſte denique pendentem Abſalom tribus lanceis confodit. Quare dum flevit hujus necem genitor, non dixit: Stultè egi nimis, qui Joabo confidi, non occiſurum fore gnatum meum? confeſſus eſt commiſiſſe nimiam ſtultitiam in jubendo quòd numeraretur populus? & non loquitur ſimiliter de ſeipſo, cum agnovit occiſum Abſalom, quem non credidiſſet interficiendum à Joabo? Video, regem non prudenter egiſſe circa filium: quia cum poſſet proponere maximum præmium ei, qui deferret ad ſe vivum Abſalom, & comminari mortem duriſſimam illi, qui necaviſſet eumdem; nullum ex iſtis mediis adhibuiſſe legimus, quò ſervaretur genitus incolumis. Hic tamen error ne dicatur ſtultus nimis: quia deceptus eſt David confidens aliis, cùm dixit: *Servate mihi puerum Abſalom.* Minùs erravit ille quem decepit in alteris poſita fiducia. Cùm verò juſſit numerari populum David ſtultè nimis egit: quia ſibi ſoli fidit contra placitum alienum: temerè credens, præcipere rem laudabilem; nempe numerationem plebis, per quam certò ſciret quantæ multitudini dominaretur; ut ſic æquè ponderatis viribus publicis, bene deliberaret ipſe de pertinentibus ad regimen. Hanc illius fuiſſe mentem ſuſpicabar, occaſione Gloſſæ, quæ ſic habet: *Tum Davidem ſubita cupido inceſſit ad metiendas imperii vires populum cenſere.* Quod autem monitus fuerit David circa peccatum numerandæ plebis, notavit Cardinalis Hugo ſic: *Quaſi dicat: Vide ne offendas Deum in hac numeratione.* Non ſolus Joab, ſed etiam principes

2. Reg 24. 10.

Ib. c. 18. 5.

Ad 2. Reg 24 Gloſſ. Ord. ex ſever. Sulp. l. 1. de ſacra hiſt.

Hug. Card. ib.

alii

aliî voluerunt avertere Davidem à numeratione populi. Scribit Sanctius ad illud :
2. Reg 24.4. *Obtinuit autem ſermo regis verba Joab, & principum exercitus* : &c. ſcribit, inquam, ſic :
Sanct in com.ib. *Ex his verbis conſtat, non unum Joab, ſed alios etiam principes conatos fuiſſe regem ab eo abducere conſilio numerandæ plebis.* Nihilominus reſtitit monitoribus David : & ſuo tantùm judicio fretus voluit executioni dari juſſionem propriam, tamquam laudabilis eſſet, quæ verè damnabilis exiſtebat. Imprudentiam iſtam David poſtea cognovit ſtultam nimis : nam craſſiùs aberrat qui ſic errorem committit, fidens tantùm ſibi.

53. *Sapiens diffidit prudentiæ ſuæ.* Cum dixerim adversùs fiduciam vituperabilem, quâ ducti plures temerariè credentes menti propriæ, labuntur in ſtultiſſimos errores ; opportunum exiſtimavi nonnihil addere circa juſtorum prudentiam contrariam penitus prædictæ ſtultitiæ. Superbia fallit præſumptuoſos, ut audeant ; juſtis autem adeſt ſapiens timor: non, inquam, ille, qui rationem obnubilat ; ſed qui fomes humilitatis eſt ; & hominem reddit ad facta virtuoſa magis aptum. Proficuus eſt hîc Seresberienſis. *Timor enim*, ait, *ſicut modeſtiæ cognatus*
Seresber. l.6. de nug.c.3. poſt princ. *eſt, ita familiaris eſt ſapienti. Non ille tamen qui mentem turbat, & quaſi turbine quodam rationis & intelligentiæ præſtringit oculum, ſed qui componit animum, & quaſi humilitatis fomes hominem reddit ad omnia virtutis officia aptiorem.* Virtus & ſapientia ſimillimæ ſunt. Solent ii, qui ſanctitate præcellunt exiſtimare, ſe virtutibus deſtitutos eſſe, cum ſint illis exornati. Sic & ſapiens reputat ſe judicio pauperem ; nec ſuæmet prudentiæ confidit : puerum parvulum ſe judicat, & ignorantem omnino quid agat; cum verè talis non ſit.

54. Appropinquabat regi Davidi ſuprema dies : & cum Salomonem ſibi jam deſignaſſet imperii ſucceſſorem, præcepit ei quædam, ut ea genitus altâ mente reponeret. Dum ageret de ſupplicio Semei, qui regem vulneraverat maledictione peſſimâ, cum fugeret Abſalomum, dixit
3 Reg. 2.9. Gnato : *Vir autem ſapiens es, ut ſcias quæ facies ei*, &c. Hæſitabam requirens quomodo ſtaret hoc genitoris dictum cum ejuſdem filii verbis capite ſequenti ſcriptis (vel fuerint ore, vel mente prolata) quando per ſomnium Dominus apparuit eidem ; & ad eum dixit, ut poſtularet
Ib.c.3.7. quod vellet. *Ego autem*, inquit Salomon, *ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum.* Hæc ultima commentatur Cornelius ita : *Eſt Hebraïca phraſis ſignificans omnes hominis actiones.* Parens appellavit illum ſapientem ; & ipſe neſcire fatetur omnes actiones humanas pertinentes ad moderamen populi. Cornelius idem aſſerit, Salomonem tunc fuiſſe annorum
Idem. ib. viginti. *Salomon enim hoc tempore erat viginti annorum*, &c. & ipſe dixit puerum ſe parvulum. Ex hoc ipſo quòd ſapiens erat, diffidebat multùm de prudentiâ ſuâ, taliter metuens de gerendis poſtea deliberare, quòd ſe parvulum & ignorantem aſſeveraverit. Sapientum diffidentia de ſemetipſis plurimùm familiaris eſt ; cum econtrariò fidat exiſtimationi ſuæ paſſim *ſtultus.*

Tranſilit. Potuit Paræmiaſtes dixiſſe, fatuum pergere confidenter. Omiſit pergendi verbum : & uſus eſt alio, quod ſignificat tranſilire. Iſto vocabulo ſolemus uti deſignantes ambulationem per ſaltum. Non fruſtraneum erit hoc advertere : quò ſic expendamus morem plurium, qui, cum poſſent ad optatum finem venire per media plana, difficultatem occurrentem vincere tentant quaſi ſaltu. Similes iſti ſunt viatori temerario : qui cum poſſet ad pontem vadere, ſaliendo vult impetuoſum torrentem ſuperare ; quod ſtultum eſt. Venerabilis Beda : *Sicut ſtulti eſt de*
Bed com.in Prov.14.16. *ſua alacritate confidere, torrentem rapidum, vel voraginem latiorem ſaltu velle tranſire, ſapientis autem ad planum vel pontem divertere : ita qui peccata, quantum valet, declinat, timens ne involvatur malis, ſapiens eſt. Stultus autem eſt ille, qui contemptim peccat*, &c. Etiam circa fines honeſtos & optatiſſimos deſipit peccator in eligenda via, qua tendat in illos. Aliquando patebat iter pervium ad votum ſuum conſequendum ; ſed rationabili medio relicto, vadit per abrupta. Cadit in culpam : cumque poſt vult erratum ſuum corrigere, contingit, ut illi ſerotina prudentia non proſit. Viam carpens neglexit adire pontem : committit ſe vado : naufragus luctatur undæ : ſique detur ad littus retrogredi fluminis, ut pontem quærat ; hunc operuerant aquæ : ſic deſiderio fruſtratur ſuo. Non diſpariter ſæpe contingit peccatori. Juſtè punitur in eo quòd ad emmendationem facti ſui tardè ſollicitet, atque fruſtraneè medium, quod omiſit antea ſaltu præcipiti.

55. *Serò quandoque peccator quærit inutiliter utile remedium omiſſum à ſe.*

56. Placuit infeliciter Dinæ pulchritudo principi Sichem : & inſano ductus amore puellam rapuit, ac oppreſſit eam. Poſt illud turpe ſcelus, ivit ad patrem ſuum ; poſtulans ut acciperet iſtam ſibi conjugem. *Adamavit eam : & rapuit, & dormivit cum* Geneſ.34.2. 4. *illa, vi opprimens virginem.* Et infra : *Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem.* Qui poſtulavit hoc à genitore ſuo poſt crimen ; cur non rogavit idem priùs, & abſtinuit à ſtupro? Quia pro Dina poſſidenda, via matrimonii poſſet à Principe judicari plana ; ſed ille noluit hoc adhibere medium ad ejus poſſeſſionem. Ad eumdem finem violentia fuit equidem iter præruptum : & non ſemel peccator ad conſequendum quod exoptat, negligit ſemitam rationabilem, & quæ cenſeri poteſt ab ipſo facilis ; atque potiùs vult obtinere ſaltu per invia quod intendit. Sed quid accidit infauſto principi? Voluit poſtea corrigere factum ſuum, ducens Dinam conjugem, ut pacificè poſſideret eam. Fruſtra jam quæſivit omiſſum priùs matrimonii medium. Cum expectaret conjugium puellæ, violenter in-
Ib.n.25. teriit ad ultionem ſceleris. *Hemor & Sichem pariter necaverunt*, &c. Ecce quod antea notaveram. Commiſſo flagitio, Sichem ad fruitionem Dinæ licitam illud quæſivit medium, quod omiſerat antea.

Non tamen hoc illi profuit, ne peccati pœnas daret, ac Dinam cum vita deperderet. Sic evenit pluribus. Ad conſequenda quæ deſiderant uti negligunt mediis ordinariis : & ſtultè quaſi tranſilientes, alia quærunt prærupta, quibus labuntur in crimina : cum verò tandem aliquando reſipiſcunt, regrediuntur ad omiſſa media : neutiquam iſta proficiunt illis ad hoc : ut evadant ſupplicium.

57. *Ordinariè non unum tantùm peccatum committit iratus.*

Adhuc tantiſper in verbo, *Tranſilit*, inſiſtam. Uſque nunc diximus de peccatore generatim ; quin ad aliquam ſpeciem culpæ deſcenderemus in particulari ; licet omnes dignæ ſint, ut ſtultitiæ titulo notentur. Aliquid nunc adversùs iram proferemus ; occaſionem præbente Vatablo qui poſteriorem partem parabolæ, quam tractamus, ita legit : *Stultus iraſcitur & confidit.* Unde non erit abs re quidquam hoc loco de ira dicere. Cardinalis Hugo premens verbum, *Tranſilit*, *addit univerſaliter loquens quod ex parte jam ſupra dedi : De peccato in peccatum velut equus exoculatus, qui nihil timet : quia nihil videt.* Hoc idem poſſumus autumare ſpecialiter de irato. Fateor, quodcumque peccatum lethale ſuâ gravitate hominem ad aliud impellere. Verè dixit Carthuſianus : *Grave eſt ſaxum, ut lapis moralis, ſeu quodcumque mortale peccatum, quod ſuo mox pondere trahit ad aliud*, &c. Tamen incongruum non erit ſpeciatim advertere, frequenter iram non in unicum prorumpere delictum. Philippus Solitarius dixit : *Iræ autem primus partus odium, alter, animus immiſericors, invidia, malevolentia, ira diuturna.* Paſſionem iracundiæ præcipitem eſſe valde, nullus dubitat. Unde facilè credes, iratum ſolere non unum tantùm committere flagitium. Labitur ira ; ſed non in uno caſu quieſcit, impedimenta ſi non adſint.

Lect. Vatabl. prov. 14. 16

Hug. Card. ib.

Dion. Carth. in Prov. 27. art. 27.

Philip Solit. in Diopt. 12 longe ante med.

58. Prov. 27. 3.

Verſemus quamdam Parœmiaſtæ ſententiam ; quæ ſic habet : *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena : ſed ira ſtulti utroque gravior.* Mirabar, quòd ira ſtulti dicatur adeo gravis ; cum aſſeratur de fatuo ſuperius apud eumdem Salomonem : *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam* : &c. Nonne levitatem inſinuat iſta facilis indicatio ? quare non æquiparatur ira ſtulti flammæ, cujus proprium eſt erumpere facillimè ſed potiùs factâ comparatione cum ſaxo & arena, magis affirmatur illis gravitare ? Non aſſimilavit hoc loco Sapiens inſipientis iram ignibus : nam hi ſurſum petunt aduſque certos limites, juxta menſuram virium & pabuli. Res vero graves (ut ſaxum, & arena) niſi detineantur per aliquid, ſemel, quòd inceperunt cadere, delabuntur ulteriùs. Ita quidem ira non ſe continet ; ſed præcipitem lapſum continuat. Adhuc inquires : Et qua de cauſa dicitur ira ſtulti ſaxum & arenam excedere gravitate ? Reſpondeo. Saxum arenaque ſemel in terram decidentia, ſiſtunt ibi : non ſic ira fatui ; quæ poſtquam inquinavit uno peccato ſtultum, proruit in alienas ruinas. Unde verè dici poteſt, quòd ſtultus cum iraſcitur, *tranſilit de peccato in peccatum.*

Ib. c. 12. 16.

Et confidit. Chaldæus vertit : *Stultus fervet in ſtultitia & confidit in ea.* Et quo motivo nititur confidentia ſtulti ? Primò fundamentum validum habere putat in judicio proprio : de quo ſatis dictum eſt. Secundò ſunt alii, qui propriæ ſortis experientiâ nixi confidunt nimis de futuris eventibus proſperis. Tertiò non pauci fiduciam ponunt inanem in falſis amicis, vel caducis opibus. Horum omnium fiduciam variis in locis alibi ſugillavimus. Nunc ſolummodò monendus eſt ille, qui pro conſequendo fine, quem intendit, utitur mediis peccaminoſis ; quod frequenter invenitur in homine malo. Cum iſte dæmoni militet, fiduciam ponit in armis diaboli ; ſcilicet in flagitiis. Quodcumque peccatum grave numerari poteſt inter arma communis adverſarii ; cum de quibuſdam S. Ambroſius aſſeruerit nominatim hocipſum : *Ira, furor, cædes, arma ſunt diaboli.* Cum peccatum, licet vergat in damnum proximi, feriat ipſum peccantem, valde mirandum, quòd ad utilitatem propriam iniquus adeo fidat ſceleratis mediis. Admirationi tamen occurritur facilè, cum adverterimus, impium quandiù volutatur in cœno vitiorum, non agnoſcere probè qualiter peccando vulneretur : aliter quâ ratione diligeret arma, quibus feritur, eligens ea tamquam inſtrumenta, per quæ feliciter adipiſcatur vota ſua. Taliter afficitur is ad media nequam pro conſecutione deſiderati finis, ut, quamvis poſſet illum obtinere medio bono, vel ſaltem quod putat licitum ; tamen potiùs tendat per viam apertè malam, ut rem concupitam nanciſcatur.

59. Lect. Chald. Prov. 14. 16. *Peccator quandoque vult potius uti medio malo ; quàm eo, quod exiſtimat ſibi licitum.*

S. Ambroſ. to 2. expoſ. in Pſal. 36.

60.

Notiſſimus eſt caſus (& à nobis pro diverſis meditationibus perſæpe verſatus) benedictionis paternæ : quæ præparata filio primogenito per voluntatem parentis ; ad minorem fratrem delata fuit cœlitus. Benedicto Jacob à genitore, venit Eſaü : qui certior factus fraternæ felicitatis indoluit clamans : conſternatus inſtitit ut ei benediceret Iſaac. Obtinuit utcumque benedictionem à patre : non illam, quæ primò natis dari ſolitum erat. Quâ receptâ, non legimus, curaviſſe contentiosè parenti ſuadere mutare propoſitum ; ac benedicere ſibi titulo primogenituræ. Putares, Eſaü dicturum : Temporis auxilium prudens implorabo, ſatagens per dierum decurſum obſequiis delinire parentem, ut factum ſuum revocet ; atque privans benedictione datâ germanum, reſtituat mihi libens quod erat jure naturali meum. Non iſtud medium quæſivit, ut obtineret concupitum. Sed quare ? Forſan quia, cum peccator eſſet, noluit uti medio, quod ipſe non exiſtimaret malum, ſi quis id conſuleret ei. Vide quid elegerit ut benedictionem recuperaret amiſſam. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Non animus fuit illi ſolius vindictæ : ſed ſtultè per necem germani recuperare deliberavit benedictionem deperditam. Opportunè Cornelius Alapide : *Quàm ſtultus fuit, qui*

Geneſ. 27. 41.

Corn. Alap in com. ib.

qui benedictionem malis mediis, imo peccata peccatis addendo recuperare tentavit, &c. Mirarer, niſi malus eligeret medium ſceleſtum, confidens illi: nam grave crimen veraciter ſtultitia dicitur: *& ſtultus fervet in ſtultitia & confidit in ea.*

FLOS XXVII.

Impatiens operabitur ſtultitiam: & vir verſutus odioſus eſt.

APERITUR.

1. Lir. in Prov. 14. 17.

IMPATIENTIÆ furor in ſtultum proſilit opus. Rationem ex Lira collige: qui commentatur in præſenti ſic: *Quia paſſio iræ abſorbet in eo rationem*: &c. Accinit S. Martinus Epiſcopus, inquiens: *Nihil intereſt inter iratum & inſanum, niſi unus dies: alter non ſemper inſanit.* Philoſophicè tantùm rem verſans Ariſtoteles iratos putavit ægros: unde protulit, vix rationi locum relinqui per iram. *Cum enim*, ait, *ira conjuncta ſit cum ægritudine, cogitationi & rationi vix locus ullus relinquitur*: &c. Advertendum tamen, his non obſtantibus, iram non ſemper vacare culpâ. Novit hoc etiam idem Ariſtoteles; cum dixerit: *Non rectè dicuntur ab invitis fieri ea quæ vel ira fiunt, vel cupiditate.* Quandone ſic ira turbet uſum rationis, ut ejus effectus vel ſit peccatum veniale, vel nullum, quamvis materia ſit gravis de ſe, non hîc expono: quia moralium Theologorum ſcripta paſſim tractant hoc. Secundam verſiculi partem non jam aperio: quia ſenſus illius pendet ex acceptione verbi, *Verſutus*, de quo infra: ibi vide.

S. Martin. Epiſc. Dumien. l. de mor. poſt med.

Ariſtot. l. 7. de Rep. c. 10.

Idem l. 1. Ethic. c. 1.

2. Nunc ad ſingula retrocedendo procedamus de more noſtro. *Impatiens.* Non præmittitur huic adjectivo ſubſtantivum nomen, *Homo*, fortè quia per impatientiam ſtulteſcens imitatur bruta. Imo non æquiparetur animantibus, quæ vocari poſſunt aliquo modo generoſa; comparetur animalibus abjectis. Opportunè Dorotheus Abbas, inquiens: *Nos vero, cum verbum ullum in nos dictum audimus, canes imitamur: hi enim, ſi quis in eos lapidem jecerit, jacente dimiſſo lapidem remordent. Ita nos Deo relicto, qui nobis tribulationes hujuſcemodi ad peccatorum noſtrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc eſt ad proximum currimus* &c. His atque ſimilibus reſpondet iracundus, excuſans furorem ſuum per hoc, quòd maximè doluerit impetitus ab altero. Sed quidquid alius egerit, à quo raptus fuerit in iram; hæc magis contrariatur homini, quàm illud. Sciſcitari valemus ab iſto, verbis utentes Lactantii Firmiani: *Quid ergo bono viro poteſt eſſe tam calamitoſum tamque contrarium, quàm iræ fræna permitttere, quæ illum non modò boni, ſed etiam hominis appellatione diſpoliet?*

Doroth. Abb. doctri. 7. fin.

Lactant. Firmian l. 6. divin. inſtit. c. 18. poſt med.

3. *Operabitur.* Non ad opera ſola, quibus vindicta ſumitur, hæc prima ſententiæ pars limitatur; ſed extenditur ad alia, prout colligitur ex Dionyſio Carthuſiano: qui ſic exponit: *Id eſt ſtultè irrationabiliter & inhoneſtè ſe habet in apparatu, verbis, ac geſtu*, &c. Ultio non ſemper eſt parata: vel occaſio non adeſt, ſeu vires non ſuppetunt, aliterve præpeditur; at impatientia crebris effectibus atque duris, ferè jugiter hominem reputat. Impatientis picturam ex Incerto collige; qui fertur ſub nomine S. Zenonis. *Impatientia enim quid eſt, niſi mens lubrica, permotionibus crebris, & rapidis ſe ſemper expugnans, animus infidelis: etiam ſibi factus improvidus, inſtabilis, cæcus, incautus, inconſtans: totus concitans in ruinam: res ſine ſubſtantia: negotium ſine perſona?* Pronum erit ſapienti ſententiam pondere gravidam per partes emedullare.

Dion. Carth. com. in Prov. 14. 17.

Incert. ſub nom. S. Zenon. ſer. de patient.

4. *Stultitiam.* Quæret aliquis, utrum nomen iſtud hoc loco ſit accipiendum grammaticè, prout ſonat: an verò conformiter ad phraſim Paræmiaſtæ, pro peccato? Janſenius accipere videtur hoc vocabulum ſimpliciter; dicens hîc in commentario: *Multa ſtultè & effutit & facit, unde ſe ridiculum facit omnibus.* Sed putarem à verbo, *Stultitiam*, in præſenti non excludenda peccata. Rationem deducam ex dicto Salazaris ad hunc locum; dum opponit impatientem ei, qui callidè ſuffert laudabiliter. *Ille enim*, ait, *ex irâ multa committit temeraria, & abſurda, hic verò multa patitur: ille infert damna, hic ſuſtinet*: &c. Qua ratione penitus excludemus ab hac ſententiâ mala facta; cum impatientia ſit genitrix delictorum, atque doctrix? Accipe, lector, non impatiens Incertum de impatientia dicentem: *Mater criminum, curioſitatis Magiſtra: acumen temeritatis: author deteſtabilium pariter ac magiſtra malorum*; &c.

Cornel. Janſen. in Prov. 14. 17.

Salaz. ib.

Incert. prox ſup.

5. *Et vir verſutus.* Dubium eſt, an verſuti nomen hîc in bonam partem ſumatur pro calliditate, laudabiliter iram cohibente, vel in malam partem, ſicut vulgò ſolemus uti prædictâ voce. Priorem partem amplectitur Salazar, nixus lectione Septuaginta, quæ ſic habet: *Vir autem prudens multa ſuffert.* Poſteriorem interpretationem eligunt Lira, Beda, Rodolphus, Hugo, Janſenius, Carthuſianus, & Cornelius Alapide. Placet acceptio iſta ſecunda: quia bene cohæret cum iis quæ ſequuntur in lectione Vulgata, ſcilicet *Odioſus eſt*, ſumptis in ſignificatione planâ.

Lect Sept. Prov. 14. 17.

Lira. Bed. Rodol. Hug. Janſen. Dionyſ Carthuſ. & Alap.

6. *Odioſus eſt.* Authores illi, qui vocem, *Verſutus*, explicant de verſuto malo, quorum placitum amplexus fui, diſſentiunt hîc in eligendo, cuinam dicatur odioſus ille, de quo ſic loquitur Salomon. Liranus ait: *Omnibus bonis*: Rodolphus inquit: *Quos odit Dominus*: Hugo Cardinalis commentatur: *Id eſt plenus odio Dei & hominum.* Salazar verò, cum ſumpſerit in bonam partem verbum, *Verſutus*, pro callido licitè; comprimente propriam iram commendabiliter; aliam refert expoſitionem; quam, neſcio quo jure, tribuit Rodolpho: quaſi diceret Sapiens, hunc taliter patientem odioſum eſſe im-

Lira. Rodol. Hug. Card. ib.

patientibus, utpote diſſimillimum ipſis: nam furentium iſtorum conſuetudo nonnunquam eſt & ingenium, ut ſervientibus iiſdem, velint, alios per furorem contradicere: fortè, ne dicatur viciſſe fragiles; vel à debilibus eſſe victum, ſi cadant in contentionis prælio. Fateor hoc unum: ſcilicet aliquos inveniri ſic pugnaces in loquendo, quòd non patiantur nequaquam ſibi reſiſtentes. Habemus exemplum in quodam Senatore; de quo ſcribit Petrarcha. *Cœlius Senator, iracundiſſimus ille mortalium, qui clienti ſuo in omnibus ſibi conſentienti, atque omnia confitenti, iraſcens exclamavit: Dic aliquid contra, ut ſimus duo. Durum caput, qualiter tuliſſet injurias qui obſequium non ferebat?*

Petrar. de reme. adver. fort. dial. 107.

DELIBATIO I.

Impatientis quædam ſtultitiæ.

7. *Suſtine injurias: ita ſe rè non percutieris per illas.*

FRagilis humana conditio, diligens nimis vanam exiſtimationem ſapientiæ, quandoque faciliùs coërcetur ab aliquibus peccatis, cum homini peccaturo proponimus, illa quidem eſſe fatua; quàm ſi malitiam eorumdem exaggeraverimus: nam vix ullus eſt qui non ægrè patiatur ſtultus reputari. Ut igitur impatientiam frænemus, errores illius aliquot ponamus ob oculos impatientis: præmittentes verba Lactantii; quibus docemur, ſapientem ab inſipienti per patientiam differre. *In quo igitur*, ait Firmianus, *ſapiens, ac bonus vir à malis, & inſipientibus differt, niſi quod habet invictam patientiam, qua ſtulti carent? niſi quod regere ſe, ac mitigare iram ſuam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrænare non poſſunt?* Primus error impatientis eſt, quòd ipſemet ſibi cauſa cenſeri poteſt mali, quod tantoperè dolet. Nunquid non fatuum diceres eum, qui ſe percuteret alienâ manu; moxque multos clamores ederet adversùs alterum? Clamanti reponeret quiſquam: Imprudens, quid clamitas? nonne tumetipſe, quamvis alterius utens brachio, te ſic vulneraſti? an non fuit in tua poteſtate poſitum non offendi? Sic inſultare poſſumus aliquibus: nam ſi contemnerent ſibi factas injurias, per eas quodammodo non offenderentur. Patronum habeo Chryſoſtomum. *Vides itaque*, ait, *& nihil ex illata injuria offendi, in noſtra eſſe, non in inferentis poteſtate, neque ſolùm nullo affici malo, ſed quod aliquando patimur noſtrî eſſe, non alieni arbitrii: quodque mirum magis videri debet, nullâ prorſus offendemur injuriâ, ſi nobis paululum advigilabimus*, &c.

Lactan. Fir. l. 6. inſtit. divinar. c. 18. poſt med.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 5 hom. de n. quit. &c. loge poſt med.

8. Moyſes ad conſiderandam promiſſionis Terram exploratores miſit: quorum plures perperam de illa fuere locuti: quod extitit occaſio murmuris populi. Contra Moyſen locuti ſunt: attamen Dominus, quaſi non fieret injuria Moyſi, ſed tantùm ſibi, dixit ad illum: *Uſquequo detrahet mihi populus iſte?* Nec verbum leges in ſacro Textu protuliſſe plebem immediatè contra Deum: quinimo ſcribitur ibi: *Murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron cuncti filii Iſraël*, &c. Qua ratione ſumma veritas inſinuat, Hebræos tunc detraxiſſe Creatori? Priuſquam dubium ſolvam, pergamus ultra. Poſt ſeditionem Core, Dominus juſſit reponi virgas in tabernaculo, ſumptas à principibus Tribuum; quò florente miraculosè Aaronis virgâ, cohiberentur querelæ. *Et cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Ecce Dominus indicavit, filios Iſraël in caſu prædicto murmuraviſſe contra Moyſen & Aaron; cum præcedenti loco Deus dixerit, ſibi detraxiſſe populum. Quæ ratio diſparitatis? Conjicio diverſum loquendi modum in eo niti, quòd Moyſes (& fortè pariter Aaron) ſe non habuit æqualiter in utroque loco. Cum ſeditio contigit Core, non legimus, Aaronem indignatum non fuiſſe: quinimo ſcriptum eſt de Moyſe, quòd, cum vocati fuiſſent ab eo per internuntium Dathan, & Abiron, ſodales in hac rebellione; renuentes venire, locuti ſunt adversùs eum verbis opprobrio plenis; & Moyſes, quamvis mitiſſimus, exarſit in iram. *Iratuſque Moyſes valde*, &c. Ex Cajetano videtur colligi, fuiſſe tunc in Moyſe imperfectionem aliquam ſpectantem ad iram: ait enim, excanduiſſe, quia homo erat. Eapropter detractio tunc obloquentium percuſſit Moyſen: qui non eam perfectè ſuſtinendo repulit. At verò Numer. 14. cum turba murmurata fuit adversùs Moyſen & Aaron; ii tam forti lenitate ſe munierunt, quòd proſtraverunt ſeipſos coram Iſraëlitis. *Quo audito Moyſes & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Iſraël.* Hæc patientia reddidit eos velut invulnerabiles: ita, quòd non dixerit eo tempore Dominus: Uſquequo plebs hæc detrahet vobis; ſed: *Uſquequo detrahet mihi populus iſte?* Sic patiens reddit ſemetipſum velut ab impetentibus immunem: ſic impatientia pectus objicit vulneri. Quin potiùs dicam: ſe lædit impatiens: errat igitur ſtultè.

Ib. c. 17. 5.

Ib. c. 16. 15. Cajetan. apud Lorin. ib.

Numer. 14. 5.

9. *Aliquando quærit homo remedium iræ propriæ, & exponit ſe damno.*

Secundus error aliquorum excandeſcentium facilè, ſolet eſſe nonnunquam exponere ſe damno, dum ſollicitant remedium iræ propriæ. Provenit hoc ex turbatione judicii, qua laborans non agnoſcit iratus homo, furore percitus, etiam quæ verſantur in oculis; imo neque ſeipſum. Proderit audire Magnum Baſilium: cujus hæc ſunt verba: *Propter iram fratres mutui amoris obliviſcuntur. Parentes autem & liberi naturam ſuam ignorant: primum enim ſeipſos non noſcunt iraſcentes, deinde etiam omnes familiares. Quemadmodum enim torrentes ad loca cava confluentes quicquid obviam venit, ſecum trahunt: ſic iraſcentium impetus violenti & effrenes per omnes procedunt.* Cum cæcutit iraſcens, ferè nil novit, niſi quo dolorem augeat ſuum: quomodo ſibi medicamen inveniet, quandiu non tolerantiam conſuluerit? Ira quidem voluntariè furens ægritudo non levis eſt: & ſicut ſolent ægroti multoties eligere velut medelam id, quod novum angorem eis affert;

D. Baſil. Mag. hom. 9. inter var.

Numer 14. 11.

affert; haud aliter accidit non ſemel iram corde foventibus: iracundiæ ſatisfacere cupientes ita deliberant, ut cum velint anxietatem pectoris lenire, potiùs econtrariò ſe mittant in diſcrimen alterius novî cruciatûs: remedium ſollicitantes incurrunt periculum damni.

10. Saraï videns prole ſe deſtitutam, dedit ancillam uxorem viro ſuo. Concepit Agar: &, cum ordinariè conditione viles felicitas extollat, ita ſuperbivit, ut propriam dominam contemneret. Quid tunc Saraï? Non hoc tulit æquanimî patientiâ; ſed Abramo dixit: *Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet, judicet Dominus inter me & te.* Quare Saraï ſic loquitur conjugi? cur non ex officio prudentis matrisfamilias punit ſervam? conjugiumne, quod inierat cum Agar Patriarcha ſuſtulerat à Saraï poteſtatem in eam? Legito Chryſoſtomum loquentem in perſona viri. *Ecce in manibus tuis eſt, utere ea ut tibi placuerit. Num quis poteſtatem tuam minuit? num dominium tuum à te ablatum eſt? Nam licet cum ea congreſſus fuerim, ſalva tamen adhuc eſt poteſtas tua, ipſa ſub manibus tuis eſt, puni, caſtiga, increpa: ut vis & tibi placuerit*, &c. Accedit, quòd verba ſupra citata, quæ dixit viro ſuo Saraï, talia fuere, quòd ſi non eſſet Abram adeo prudens, & niſi tantî faceret matronam ſibi copulatam priori matrimonio, poſſet ictus dolore iram oſtendere adversùs eam; quod ipſa conjux non parum doleret. Prodeſt regredi rurſus ad aureum Doctorem: qui poſtquam propoſuit verba quædam nomine Saraï: favet noſtræ rationi dubitandi; ſuperaddens alia necnon in ejuſdem fœminæ perſonâ. *Tu autem videns hanc inde fieri temerariam propter uteri ſarcinam & magno faſtu inflari, debebas reprimere & ulciſci ejus in me injurias: quaſi omnium priorum oblitus, me deſpicis etiam tu, me, quæ tibi tot annis cohabitavi, & ab Ægyptiâ ancillâ meâ contemnor. Judicet Deus inter me & te. Dolentis animæ verba. Et niſi tantis virtutibus præditus fuiſſet Patriarcha, & in tanta reverentia Saram habuiſſet, ægrè tuliſſet hæc verba, & ex dictorum aſperitate dolorem concepiſſet.* Ut quid ergo ſic aſperè loquitur uxor ad virum quæ potuerant ipſum ad iracundiæ ſigna provocare? Saram duxit impatientia: proindeque deſiderans minuere verbis dolorem, expoſuit ſe diſcrimini dolendi novo titulo. Sic inſipientis iræ paſſio multoties uti remedium offert iraſcenti quod affert ipſi periculum ſentiendi motivum doloris aliud. Affectui tam cæco ne fidas; vel aberrabis fatuè.

Genes. 16. 5.

S. Joann. Chryſoſt. to. 1. hom. 38. in Geneſ. longe poſt med.

Idem. ib.

11. *Quidam impatientes augent opprobrium ſuum in phantaſiâ propriâ.* Supra n. 1. me dixiſſe recordor, vix impatientem offendi, niſi tantùm à ſemetipſo. Nunc blandiùs loquar. Doles ut offenſus ab altero per opprobrium: ſi vicem talionis ei reddens, impatientiæ manus dederis, injuriam tibi factam adauges. Hunc numera tamquam tertium errorem non ferentis injurioſum virum: nam corrigere ſe credit alienam proterviam; cum ipſe magis præſtet augmentum. Exiſtimat ille ſe vincere ſic; fallitur nam econtra patiendo ſuperaret offenſorem. Accipe Cancellarium Pariſienſem: *Verberare*, inquit, *æqualem periculum eſt: majorem amiſſio: minorem verò turpe. Talis ſuam emmendare opinatur injuriam; qui injuriam augmentat. Injuria non vincitur injuriâ; ſed patientiâ. Qui patitur vincit; ſed pungitur ſpinis qui à pungentibus non abſtinet ſpinis.* Accidit impatientibus identidem quod non ſemel evenit ei, qui flabello curat calorem extinguere multum; & ſic magis accendit. Ita nonnulli peroptantes opprobrium ſuum ultione reſtinguere; per furorem ſuum illam excreſcere facit in phantaſiâ propriâ. Non enim loquor de novis contumeliis, quibus fortè repercutietur is qui vindictam exequitur prioris offenſæ. Tantùm ſiſtens in ipsâ primâ injuriâ, meditabar, hanc augeri per imaginationem ſe vindicantis. Minùs iſte fuerat læſus: & impatientiæ calore nonnunquam factum eſt, ut ſemet exiſtimet ampliùs offenſum.

Gerſ. to 4. ſer. Dom. Sexag. longe ante fi.

12. Hiſtoriam Sichem rurſus adhuc expendam. Non inhon eſta curioſitas oculorum Dinæ præſtitit incautè luminibus principis ocaſionem turpitudinis, nam hic videns eam, obcæcatus inſanâ dilectione rapuit, ex illatâ vi contaminavit. Poſtea, cum intenderet illam conjugem accipere; fratres puellæ ſub prætextu fœderis occuluere vindictam. Nec ſolum ſtupratorem interfecerunt; ſed omnes maſculos. *Arreptis, duo filii Jacob, Simeon, & Levi fratres Dinæ, gladiis ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt*, &c. Diſplicuit factum genitori Jacob: & cum locutus eſſet ad Simeon & Levi queruloſus adversùs eos, ipſi repoſuerunt patri: *Numquid ut ſcorto abuti debuere ſorore noſtra?* Quiſnam, quæſo, virgine fuit abuſus? an alius præter Sichem? Nequaquam: imo juxta Pereirum cæteri mortem ſubierunt innocentes omnino circa delictum illud. *Tertium*, ait Commentator, *peccatum fuit, quod filii Jacob non contenti tam atroci cæde Sichem, qui flagitii author fuerat, in omnes præterea Sichimitas crudeliſſimâ nece ſævierunt, homines quantum ad illud flagitium, planè inſontes & innocentes.* Qualiter igitur verum eſſe potuit quod ſupponere videntur loquentes ad Jacob: nempe ſorore ſuâ non ſolum principem, ſed alios abuſos fuiſſe? *Numquid ut ſcorto abuti debuere ſorore noſtra?* Ne tu circa menſuram injuriæ receptæ veritatem quæras ab eis, qui non illam ferunt longanimiter. A ſolo principe receperant injuriam ſtupri: ſed iſtam ſic adauxit in mente furor, quaſi fuiſſent abuſi ſorore necnon qui fuerant in hoc innocentes. Inimicitias exercet quodammodo contra metipſum non mitem iracundia: creſcit eâ ſuadente receptum opprobrium: quamvis illa moveat in ultionem, per quam injuria ſepeliatur.

Geneſ. 34. 25. 26.

Ib. n. 31.

Perer. in com ib. ad n. 25. §. quamvis. fi.

13. *Alius error iraſcentium.* Adducamus in medium tandem quartam impatientis animi ſtultitiam, ad finem properantes: difficulter enim cunctas quiremus numerare ſeriatim. Sic eſt imprudens

imprudens affectus iræ, quòd aliquando, poſtquam ſuperavit homo feliciter iracundiam circa magni momenti rem, arreptâ poſt occaſione minimâ, denuo fervens erumpit ardore maximo. Noſti, ſimilem eſſe impatientiam igni: vel facilè doceberis à Chryſoſtomo: qui ſic habet: *Ira vehemens ignis eſt*, &c. Sæpiſſimè parvæ flammæ ſubinfertur ad pabulum incongruè quoddam lignum valde magnæ molis: & illa quaſi vincitur ab iſto, non exardens in amplâ materiâ Poſtmodum ſi applicentur igniculis propemodum extinctis dumorum tenues rami ſimul cum paleis, altè flamma ſuccenditur. Similiter quidam ſuperantes iram circa negotium ponderis magni, poſthac excandeſcunt in re levi. Per hoc imprudentia manifeſtatur comes iræ. Sed aliquid forſan additur, quo detegitur clariùs fatuitas irati: nempe, quòd, cùm ſeſe obtulit motivum iraſcendi circa materiam verè maximæ notæ, compeſcit iram homo, rectam deliberationem eligens in eo quod neſcit; & econtrariò, dum occurrit poſt ratio leviſſima rurſus iraſcendi, miſerè deſipit in eo quod ſcit. Vellem quod multo ſermone propoſui repetere denuo (quod ſæpè ſoleo coactus) ut attendas inculcantem; nec interroges more tyronis logici: Quid intendis probare? Sed melius eſt ut iterum legas jam ſcripta ſtudioſus; quàm ut idem ſecundò prolixus inculcem. Exemplum adjiciam, cujus auxilio quæ dixi pateant.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3. hom. 25. in Ioann. ante fi.

14. Dominus ille qui tacentes audit, ut ſubveniat clementer; velut obdormiens excitatur ſæpe clamoribus editis à ſceleribus. In hunc modum aſcendens coram Altiſſimo nequaquam Ninivitarum provocavit ultionem. Deſtinatur à miſericordi Judice prædicator Jonas. Is renuens fugam cepit: ac dum navis, qua vehebatur, fluctuaret, miſſus eſt in æquor. Tunc orans Clementiſſimum inſinuavit (mente vel ore) ſpem exitus de ventre piſcis illæsâ vitâ. *Sublevabis de corruptione vitam meam*; *Domine Deus meus.* Commentatur S. Hieronymus verſiculum ſequentem ſic: *Ego cum deſperarem ſalutem, & carnis fragilitas in medio ventre ceti nihil me de vita ſperare permitteret: quicquid impoſſibile videbatur, Domini recordatione ſuperatum eſt: Videbam me clauſum in utero ceti, & tota ſpes mea Dominus erat.* Nota primò juxta fragilitatem humanam, concluſionem in alvo piſcis potuiſſe movere cordis impatientiam plurimam; cum fœda ſepultura prophetam vivum teneret: non tamen Jonam aliquid iræ concepiſſe de triſtiſſimâ ſorte. Nota ſecundò, ſpem vatis attigiſſe verum, quod ignorabat: ſcilicet ibi conſervandam ejus vitam; & inde feliciter ſe proditurum. Procedamus ultra. Brutum evomuit Jonam: hic monitus à Domino perrexit in urbem: denuntiavit ſupplicium venturum: pœnituerunt Ninivitæ; dataque venia fuit eis. Propheta fuit afflictus & iratus utique: ſed cum Dominus ad eum dixit: *Putaſne bene iraſceris tu?* nihil reſpondit. Poſt pauca narratur, hederam, quam Dominus ei præparaverat in umbraculum, exaruiſſe. Percuſſus à ſole Jonas exæſtuans optavit ſibi mortem: & cum dixiſſet illi Deus: *Putaſne bene iraſceris tu ſuper hedera?* reſpondit ille: *Benè iraſcor uſque ad mortem.* Notavit Hugo Cardinalis quàm parvam arripuerit occaſionem Jonas, ut doleret. *Vel*, inquit, *ad litteram: Si tu doles pro re tam modica*, &c. Nec præteriit Liranus impatientiam ejuſdem irrationabilem fuiſſe habentem pro motivo ariditatem plantæ, dicens: *Ex quo ejus impatientia irrationabilis concluditur, cum dicitur:* Putaſne bene iraſceris tu? *ſcilicet rationabiliter de arefactione ejus.* Quæro nunc primò. quid eſt, quòd Jonas impatientiam non oſtendit cùm priùs & iterum fuit miſſus ad prædicandum Ninivitis; neque dum clauſus erat in ceto; maximè verò legitur iratus, cùm exaruit hedera? Hoc eſt quod ſupra notabam. Quandoque mortales in modico furiunt irâ; cum antea ſuperaverint iracundiam in magno; vel ab illa non fuerint correpti. Planta fuit res modica; devoratio piſcis extitit majoris momenti: longeque gravius erat quod ait S. Hieronymus: *Timebat, ne per occaſionem prædicationis ſuæ illis converſis ad pœnitentiam, Iſraël penitus derelinqueretur.* Quæro ſecundo. Propheta nonne ſciebat, falli non poſſe Deum? audet contendere quòd iraſcatur bene de arefactione plantæ; cum Dominus apertè ſatis dixerit oppoſitum? Ea quod etiam ſupra dixi. Quidam circa minimum errant in eo, quod ſciunt. Contrarium accidit Jonæ, dum erat patiens in piſce: neſciebat, an foret vivus egreſſurus ab illo: ſed verum attigit, ſperans hocipſum. Nollem ultra fatigare te, lector, adhuc ampliùs explanans quod tibi vel ſufficienter jam dictum eſt, vel nunquam erit.

Ib. n. 9.

Lira ib. ad n. 8.

S. Hieron. com. in 1. Ionæ.

Ionæ. 2. 7.

S. Hieronym. to 6. com. in Ionæ. 2. 8.

Ionæ 4. 4.

15. Concludam, impatientiæ ſtultitiam adeo multis aliis eſſe graviorem, ut congruum ſit eam propelli diligentiſſimè. Timendi valde ſunt effectus ejuſdem: propterea negligentiæ locus dandus in hac re non eſt. Iracundia in ſuadendo malo ſic evalet, ut magiſterii munus agat, hominem dirigens ad peccandum: *ira enim*, ait Ambroſius *gravis eſt magiſtra peccati.* Quin etiam poſſidet ita cor, ut ipſi Deo videatur prorſus aditum concludere, ne pectus ingrediens humanum dedoceat nequitiam, ad quam iracundia ducit. Non parum favet meditationi S. Gregorius Papa, dicens: *Si ergo ira quietem mentis ſubtrahit, ſuam ſancto Spiritui habitationem claudit*, &c. Graviſſimus eſt error tam nocivus. Quod ut aperiam, iſtum componam cum ſtultitiâ reluctantis ignoranter voluntati divinæ. Hic ſecundus craſſâ fatuitate laborat: nam quid eſt homuncio miſer ut ei reſiſtere conetur, à cujus nutu pendet? Nihilominus adhuc occurrendum eſt celeriùs errori, quem admittit cor hominis in eo, quòd indignationi ſe tradat; quàm ignorantiæ prædictæ reſiſtentis arbitrio Dei. Periculoſum, fateor, eſt hoc ſecundum: ſed non ſemper indiget ſic errans doceri perfectè circa materiam ſubjectam, nullâ

Indignationi ſtatim occurrendum.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. in Pſal. 36.

D. Ggeg. Mag. to. 1. l. 5. mor. c. 3. longe poſt princ.

nullâ factâ morâ. Qui verò libens indignatur, ita judicio pauper eſt, ut oporteat ocyùs edoceri.

16. Concupierunt ſedes primas in regno Chriſti diſcipuli duo. Supplicavit mater: & repulſam accepit incongrua petitio. Decem condiſcipuli de hoc fuerunt indignatione commoti: Dominus autem ſtatim vocatis eis, doctrinæ lucem obtulit. *Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait:* &c. Commentatur Dionyſius Carthuſianus: *Non enim zelo juſtitiæ, ſed cujuſdam livoris indignati fuerunt, more ambitioſorum, qui iraſcuntur dum cernunt ſocios ſuos ſibi velle præponi. . . .* Jeſus autem *tamquam pius ſapienſque magiſter, & ſobrius reprehenſor* vocavit eos, *videlicet omnes Apoſtolos pariter ad ſe, ut vitium elationis ab eorum cordibus propulſaret, & errorem corrigeret*, &c. Audivit Simon tunc à Domino: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare*, &c. Non tamen Petrus viſus eſt edoctus manſiſſe plenè, tum circa diſciplinam humilitatis, quam præcitata verba ſonant clariſſimè; tum circa Salvatoris exemplum in ſubmittendo ſemetipſum. Nam poſtea cum Filius Dei vellet ipſius diluere pedes, reſtitit ille fortiter. Minimè tamen tunctemporis divinus Præceptor ampliùs explicuit ei propriam humilitatem, quam exercuit; ſed ait illi: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Ecce Petrus non adhuc integrè noſcebat, quòd in ſchola Domini major eſt ille qui ſubmiſſior; imo neque Servatoris demiſſionem ſummam noverat apprimè: remittitur attamen ejus inſtructio conſummata futuro tempori, quo docendus eſt à Spiritu Paraclito venturo. Rupertum Dono. *Siquidem*, ait, *adhuc non plenè cognoverant hujus magiſtri ſui diſciplinam, ſcilicet quòd in ſchola ejus ille major, qui humilior eſſet, quotque maximè ipſe Dominus omnium, in ſumma humilitatis arce regnaret.* Et infra: *Scies autem poſtea, videlicet cum venerit Spiritus veritatis, qui vos & hujus facti cauſam & omnem veritatem docebit.* Mirum eſt quòd reſiſtere Deo, licet ignoranter, ſit permiſſus Apoſtolus; & illius circa factum iſtud Chriſti diluentis pedes hominum illuminatio completa proteletur ad tempus, quo divinum flamen ſupervenit in ipſum! In priori caſu, quem ſupra retulimus ex Matthæo, mox vocatur Simon, atque docetur? circa lotionem autem plantarum neſcienti Petro quid ageret Magiſter dicitur: *Scies autem poſtea?* Reſpondeo. Quamvis Petrus erraverit in opponendo ſe voluntati Dominicæ, dum erat in cœnaculo, nihil urgebat Præceptorem, ut ſcientiam de hac re Petro non differret in adventum ſancti Spiritus. At verò cum indignatus fuit ille de duobus coapoſtolis, Joanne atque Jacobo, conveniens erat, ejus indignationem cohiberi per doctrinam de humilitate (quippe cum indignatio viſa fuerit oriri ex eo quòd ægrè tulerit duos condiſcipulos ei voluiſſe proponi, bene compeſcebatur ira per diſciplinam de propriâ diſſione) nam error indignantis hominis periculoſiſſimus eſt; & gravem *impatiens operabitur ſtultitiam*: &c.

Matth. 20. 24. 25.

Dion Carth. in Matth. art. 34.

Matth. 20. 27. 28.

Joann. 13. 7.

Rupert l. 11. in Joann. c. 13.

DELIBATIO II

Remedia contra impatientiam propriam.

17. *Convenientiſſimum eſt indignato remedium cogitatio Dominicæ paſſionis.*

OPeræpretium nunc exiſtimo non exiguum, aliquot remedia præſcribere, quibus impatientiæ detineatur ardor, ac tolerantiæ ſerenitas diligatur. Primum ſit, meditari quanta fuerit paſſus Filius Dei citra comparationem inſons, & mitis. Hinc fiet, ut quidquid, etſi duriſſimum, nobis eveniat per injuriam, placato corde, virilique fortitudine ſuſtineatur. Bene S. Iſidorus Hiſpalenſis ait: *Si paſſio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum eſt, quod non æquo animo toleretur.* Et infra: *Sed quanta ſunt in comparatione paſſionum illius, quæ patimur? Ille enim opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam, crucemque ſuſtinuit: & nos miſeri ad noſtram confuſionem uno ſermone fatigamur, uno verbo dejicimur.* Vel perſonam ſuſtinentis attendamus, vel innocentiam, longiſſimè ſuperexcedimur. Quis ergo ſic ferreus erit, ut iram non compeſcat meditatione Domini ſui patientis? Cum igitur mentem tuam ſubierit indignatio, perutile tibi recogitare ſufferentiam leniſſimam Sevatoris tui: tacentem cogita, ne prorumpas in irata verba: memento miſeratum fuiſſe lædentes; ut non contra tuos offenſores iram ſinu foveas. Convenientiſſimum eſt indignato medicamentum cogitatio Dominicæ paſſionis.

S. Iſid. Hiſp. l. de conflict. vitio. & virt. § ſi paſſio.

18. Antequam noſter Aſſertor aggrederetur poſtremum certamen pro nobis initum; voluit ingredi Samariam, nuntioſque præmiſit: ſed renuerunt illum ſuſcipere Samaritani, Judæis non coütentes. Jacobus & Joannes hoc ægrè tulerunt, adeo quòd Magiſtro dixerint: *Domine vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Tunc Præceptor piiſſimus eos increpavit, inquiens: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit perdere, ſed ſalvare.* Commentatur Incertus: *Acriter ſtatim illos increpuit, celeremque eorumdem bilem vi quadam divina compreſſit, ac, ut ad omnia adverſa patienter ſe præbeant, graviter admonuit*, &c. Quo ſuppoſito, cogitatiunculæ noſtræ præmittendum eſt, Filium Dei verbis aductis aliqualiter mentionem feciſſe de Spiritu ſancto. Dionyſius Carthuſianus: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis, *hoc eſt quo ſpiritu moveamini non penſatis, videlicet an Spiritu ſancto, vel proprio* &c. Poſt hæc notata dubitabam, quare non dixerit Chriſtus Dominus Apoſtolis duobus: Imitamini divinum Spiritum? cui manſuetudo valet appropriari; cum ſit hominum conſolator: cur oratione tranſivit ad propriam perſonam; veniſſe proferens ad ſalvandas animas? Reor, ita locutum ad hoc ut ipſis

Luc. 9. 54.

Ib. n. 55. & 56.

Incert. ſub. nom. Titi ad hunc locum.

Dion. Carth. in Luc. art. 25.

ſis veniret in mentem futura paſſio ſua : de qua dixerat antea diſcipulis : *Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & ſcribis, & occidi*, &c. Nequaquam Jacobo & Joanni lenitatem ſancti Spiritus nunc objecit expreſsè : nam tertia Perſona Trinitatis paſſionem pro nobis haud ſuſtinuit : Idcirco non illam attulit in exemplar, ut Apoſtoli duo deponerent indignationem contra Samaritanos. Voluit eis potiùs anſam offerre cogitandi quanta forer ille ſubiturus patienter ; ut iſtius meditationis remedio pacarent indignata pectora. Impatientiæ ſalubre medicamen agnoſce ; lubens utere:non enim res difficilis tibi conſulitur,per quam tuo cordi conſulas irato.

Luc. 9. 22.

19. *Deſpice teipſum : ſic non indignaberis adversùs detractorum linguas.*

Secundam iſti malo medelam præſentaneam adhibeamus, contemptum proprium. Vix erit verus contemptor ſui ; qui petitus injuriis impatienter ſe gerat ; imo non illas accipiat ſpontaneè. Medicorum in ægotis curandis methodus communiſſima noſcitur eſſe, morborum cauſis tollendis attendere principaliter : nam fruſtra contenderent ægritudinem perfectè ſanare, negligentes auferre mali radicem; qua permanente renovaretur mox infirmitas. Similiter in ægrorum ſpiritualium curatione congruit applicare medicamenta ſceleris origini contrariantia ; quibus radicitiùs evellatur delictum. Fons iracundiæ frequenter eſt ſuperbia : quapropter huic mederi convenit, ut illa ſanetur. Et cum ſuimetipſius contemptus extet opportunus inflationi propriæ tollendæ; per hunc ira comprimitur : imo vix fieri poteſt, ut aliter ſanitatem adipiſcatur iracundus. Tempeſtivè poſtquam iracundiæ meminit, dixit S. Nilus : *Fieri autem non poteſt, ut quis hujuſcemodi paſſionibus ſuperior evadat, niſi omnino eſcas, & pecunias, & gloriam deſpiciat, adhuc etiam, & proprium corpus, propter eos, qui conantur ipſum velut colaphis percutere* : &c. Itaque prudens, cum ab aliis offertur iraſcendi motivum, curet per contemptum proprium contrairre ; ne pateat in ipſius præcordia facilis aditus indignationi. Deſpice teipſum : ſic non indignaberis contra detractorum linguas.

S. Nil. tract. de vit. c. 3.

20. Exod. 16. 7. Lir. ib.

Conferre lubet nunc duplici loco Moyſen cum ſemetipſo. Murmuravit congregatio filiorum Iſraël adversùs illum & fratrem, quòd populum eduxiſſent, ut fame necarent. Repoſuerunt illi detractoribus poſt alia, ſic : *Nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos?* Exponit Liran : *Q. d. Simus tantùm ſervi ejus, denuntiantes vobis ejus voluntatem* : &c. Miror quàm humiliter de ſe loquatur hîc Moyſes : non quia non humillimus eſſet ille ; ſed quoniam legitur in Deuteronomio, Moyſen ad plebem dixiſſe, quòd fuerit mediator inter Deum & populum. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* En ſatis dignè loquitur de ſe Dux Hebræorum, quin humilitatem lædat. Cur alibi nequaquam facit eodem pacto verba? Quoniam per murmur ibi ſubortum præſtita fuit Moyſi materia concipiendi viſceribus iram. Huic ut obviam exiret fortiter, ſapiens refugit ad contemptum ſui. *Nos verò quid ſumus* &c? Cum graſſatur bellicus furor, igniti globi mittuntur ab hoſte per aëra : qui denique deſcendentes in terra ſepeliunt ſeipſos ; & poſtremò terribiliter ſuperiùs erumpunt ; ac multis eripiunt vitam ; niſi cautè ſe proſternant, ut ſic evadant ignes. Accommodabis ænigma non difficulter. Detractio quidem ignis eſt : per aërem ſæpe fertur, hoc eſt nullo fundamento nititur : terram ingreditur, id eſt ducit ad inferos ; & mortem ſollicitat, ægrè murmurationem laturo. Qui deſiderat incolumis fieri, procidat in terram humilis, & contemnat ſemetipſum.

21. *Contemplare turpem faciem irati, ut non iraſcaris.*

Ad tertium procedo remedium iræ medicandæ conſentaneum. Aliquando gravis morbus corporis non obtemperat pharmacis efficaciſſimis ; & levi facilique re, ſatis obviâ, deſinit. Sic multi, cùm ne peccent iraſcentes, monentur ab hoc abſtinere peccato, quia Deum habebunt adverſarium, & pœnas inferni ſuſtinebunt, rident ; & iram quavis datâ portâ recipiunt cordibus ; nequaquam ſanati per illa valde fortia medicamenta : qualia ſunt irati Dei cogitatio, pœnarumque tartari. Forſan iſti per appoſitionem remedii levioris curabuntur. Hoc illis offero non magnæ molis : meditentur fœdam ſpeciem externam alicujus irâ furentis : forſan horrore movebuntur, ut non ſimiliter inſaniant. Vellem tibi depingere formam hominis irati : ſed melius erit ob oculos ponere duplicem tabellam pernicillo coloratam peritiori : quibus depictum cernas illum bellè, quamvis fœdum. Prima ſit ex Magno Baſilio : *Appetentibus enim*, ait, *ultionem ſanguis quidem circum cor efferveſcit, velut per ignis vim turbatus & exæſtuans. Ad ſuperficiem verò efflореſcens, in alia forma iraſcentem commonſtrat, conſuetam & notam omnibus, velut perſonam in ſcena mutans. Oculi enim illis proprii ac conſueti non cognoſcuntur, perculſus eſt aſpectus, & ignem jam præ ſe fert, & acuit dentes more ſuùm adverſarios palam impetentium. Facies eſt livida & ſanguine ſuffuſa. Moles corporis tumida. Venæ dirumpuntur, ſpiritu ab interna tempeſtate commoto. Vox aſpera eſt & ſuperintenta. Sermo inarticulatus & temerè prolabens, non particulatim, neque ordinatè neque clarè procedens.* Si fortè lector verba dimiſit Baſilii, quia longiùs tranſcripſi, quàm vellet ; dono breviora S. Antonii, qui ſic loquitur : *In maledicto*, ait, *volubilis linguæ curru, gladio ſubintrando, igne comburendo, peccatoris animus effertur : cum ira ſuccenditur, currunt & diſcurrunt verba tamquam equites impugnantia : obediunt quinque corporis ſenſus felle iracundiæ infecti. In oculis obſcuritas, in auribus ſurditas, in manibus eſt crudelitas : & ſic de ſingulis.* Non in ſolis piorum libris iræ turpitudo legi valet ; ſed in ipſiuſmet irati vultu : quem ſi contempleris attentè,non indignaberis. Etſi motivum occurrat iracundiæ maximum, non iraſcetur qui faciem alterius irâ ferventis fuerit meditatus deformem.

S. Baſil. Mag. hom 9. inter var. longe poſt princ.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom 6. poſt Trinit. longe poſt med.

22. Licet frequentiſſimè cogitatione verſaverim

verim periculum illud Judæorum ; cui ſubvenit Eſther deprecans Aſſuerum ; tamen adhuc aliquid meditabor congruens inſtituto proximè poſito. Duco ſupervacaneum hiſtoriam repetere cunctis notam, & à nobis enarratam ſæpiùs. Id tantùm recolo, quòd, cum cædes Iſraëlitarum, ab Amani crudelitate ſuperbâ traheret originem ; reſque per eaſdem cauſas è quibus naſcitur, facilè diſſolvatur ; Dei providentia non diſpoſuerit, ut regina potiùs accederet ad Aman, quàm ad regem, ut impediret miſerorum cladem. Ratio dubitandi non levis eſt : quia nullum diſcrimen ſubiret Eſther, ſi loqueretur cum Aman ; econtrariò verò mortis periculo ſe commiſit cùm ivit ad Aſſueri conſpectum : quoniam decretum barbarè fuerat, ut interficeretur quiſquis non vocatus interius atrium regis intraret. Unde Mardochæo dixit illa : *Ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti & periculo.* Ad hæc Aman honoris ambitioſus, dato quòd cerneret, Eſtherem, cum poſſet illum vocare, non fuiſſe dedignatam ad ejus domum venire, quin & ipſum rogare pro liberatione populi, veroſimiliter credi poteſt à malitia ſua deſtitutus ; proindeque liberandam hac via plebem. Quo motivo ductus eſt Dominus, ut non ordinaret ita media, quibus eriperentur Hebræi ? Voluit Altiſſimus, ut Eſther ipſi Deo non diſpliceret per peccatum iræ ; ne ſic ejuſdem jejunia fruſtrarentur optatô fine. Periculoſum erat, reginam alloqui circa negotium iſtud Amanum : periculoſum, inquam, nam timere poſſet illa, cor ſuum præ dilectione filiorum Iſraël, exarſurum irâ contra hominem, qui tot funera paraverat eorum, quos amabat. Aman, ſi coram eo rogatura veniret Eſther, nullum præberet iracundiæ ſignum : ac proinde tunc deeſſet reginæ remedium illud, quod ſupra conſulebam iratis : nempe meditari quam fœda ſit facies iraſcentis. Hoc idem non defuit medicamentum Eſtheri pro frœnando corde proprio, ne præcipitaretur ad iram, cùm primùm acceſſit ad Aſſueri præſentiam : nam vidit ejus faciem ardentibus oculis furorem pectoris indicantem. *Cumque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit*, &c. Expoſitionem refert ex Joſippo ac Joſepho Cornelius Alapide, ſic ſcribens ad proxima verba : *Quem conceperat, ait Joſippus, æque ac Joſephus, ex eo quòd Eſther non vocata contra legem ad ſe ingreſſa eſt, putans ſe ab Eſther contemptum.* Addit infra Cornelius idem : *Accedebat quòd Darius naturâ erat cholericus & ferox*, &c. Ut igitur Eſther ab indignatione præſervaretur, opportunum fuit videre trucem regis irati faciem ; quò ſic deteſtaretur paſſionem illam ; quæ necnon exteriora fœdat. Ecce non conſulimus aliquid arduum nunc iracundo, quô medeatur ægritudini ſuæ ; ſed obvium, & facillimum proponitur in ſupradictis medicamen.

Eſther. 4. 16.

Ib. c. 15. 10.

Refert. Alap. in com. ib.

Idem. ib.

23. Non poſſum tamen periclitanti circa motus paſſionis iraſcibilis, non medicinam aliam notæ majoris in memoriam reducere : ſcilicet humiliter expendere quoties Deum læſerit graviter ; & qualiter Deus fortis & patiens toleraverit iſtas injurias ; quas intulit majeſtati divinæ qui tam delicatus eſt circa proprias. Pudeat hominem recuſare conceſſionem veniæ ; cum non obliviſcatur, ſæpe commiſiſſe quæ ſibimet indulgeri cupit. S. Laurentius Juſtinianus : *Erubeſcit*, inquit, *peccatis alienis non parcere : qui Domino vel proximo ſæpe ſe recolit parcenda perpetraſſe.* Si conferamus offenſionem creaturæ factam, cum injuriâ Dei, foret otioſum exaggerare quàm longè ſupergrediatur iſta priorem. Videbitur accepiſſe mentem fruſtra qui non agnoverit clarè, graviſſimam offenſam, quam is accepit, nihilî faciendam, ſi comparatio fiat cum eâ, quâ peccator lædit Creatorem. Quis igitur audebit iraſci læſus, non obliviſcens Deum ſuſtinuiſſe patienter ipſum crebris injuriis afficientem Dominum eumdem ? Si adhuc meditans hoc offenſus non vereris iram admittere ; contendiſque te ratione duci ; Dei prudentiam accuſas ; qui ſummum eſt exemplar patientiæ. Sed, ne doctrinæ vim ſubterfugiat iracundus, inquiens, vix fieri poſſe, quòd in ſubito caſu commotus irâ, mox peccatorum ſuorum recordetur, ut quieſcat ; aſſignabo medium, quò faciliùs complectatur quæ dicta ſunt. Iratus animadvertat ſaltem patientiam, quâ Deus fert ipſum præſens peccatum ſuum iræ. Semel quòd id meditetur, iracundiam veroſimiliter placabit. Quòd hæc ſit utilis via, quâ ſeipſum domet irâ poſſeſſus homo, deducamus ex parabola quadam Evangelica.

Ad pacandam iram propriam congruens remedium eſt meditari patientiam Dei circa eumdem iram.

S. Laur. Juſt. in lig. vi. c. 5. de patient. fi.

Meminiſti prodigum, quem vel tædium obedientiæ paternæ, vel inſana libido propulit è patris domo. Diſſipatâ jam ſubſtantiâ fames in multis induſtrioſa illum ad ſe redire fecit, & ad genitorem. Parens clementer ſuſceptum gnatum ita libenter admiſit, ut convivio celebrari juſſerit ejus adventum. Aberat frater ſenior : & cum jam epularentur, venit ex agro : propinquuſque factus domui percepit aure muſicos accentus ; quibus epuli feſtivitas reſonabat. Interrogans à ſervo quid hæc eſſent, audivit eventum rei. Tulit ægrè lividus ita celebrem fieri regreſſum junioris, qui fuerat moribus perditus. Commotum indignatione, renuentem introïre pater non juſſit vocari per ſervum ; ſed exiens foras perſuadere conatus eſt ut ingrederetur. *Indignatus eſt autem, & nolebat introïre. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.* Indignum videbatur authoritate paternâ, ſimul & gaudio parentis, quo perfundebatur de præſentiâ reſtaurati filii, quòd ad ſuadendum introitum domûs irato ſeniori, genitor exiverit ; cum poſſet illum advocare per nuntium. Quâ mente foras prodit ? Ut faciliùs convinceret eum, & iram ipſius placaret. Si mitteret ſervum, fortaſſis filius major, vel nolens ad paren-

24.

Luc. 15. 28.

tem accedere , vel adhuc non videns eumdem , putaret eſſe patrem iracundiâ plenum contra ſe propterea quòd ingredi renuiſſet. Exiens autem genitor ad prodigi fratrem , & rogans eum , ſatis oſtendit , nequaquam ſemet indignatum ob injuriam ; quam intulit parenti recuſans introïre. Multùm proficere poterat , ut indignationem deponeret germanus major , meditari patientiam paternam , qua tulit offenſam pater ſibi factam in hac indignatione metipſa. Genitor igitur occaſionem præſtans , ut ſe tolerantem videret , faciliorem ſeniori genito reddidit manſuetudinem per exemplum ſuæ. Nonnihil prodeſt hîc Euthymius , loquens nomine patrisfamilias illius ad primogenitum : *Ne ergo triſteris , nam in nullo affectus es injuria. Et ita manſuetè illum conſolatus , deinceps etiam de his reſpondet , quæ in fratrem ejus facta ſunt.* Aperi corticem parabolæ. Noſti , docente Beda , genitorem iſtum deſignare Deum. *Homo itaque* , ait , *qui duos filios habuiſſe dicitur , Deus Pater intelligitur* , &c. Meditetur indignatus vir ſuſtinentiam ; quâ Deus connivet peccatum ipſius indignationis : & utcumque Dominum imitatus furorem coërceat.

Euthym. com. in Luc. c. 57.

Beda. ib. c. 63.

25. *Ad iram cohibendam magis prodeſt memorari peccata propria , quam præmium patientis.*

Ad finem poſſemus addere tandem inſtrumentum aliud , quo ſerenetur iſta furibunda paſſio : ſcilicet recogitare præmium , quod manet eos , qui fortiter in ſtadio patientiæ ſuperant ſeipſos. Attamen non deſiſtam ab inculcando rurſus medicamento jam inſinuato , nempe memoriâ lapſuum propriorum , quibus offenditur Deus ; & nihilominus clementer ſuffert. Fateor , optimum eſſe meminiſſe patientium præmia , quò virtus hæc promoveatur. Patriarcha Venetus ait : *Nutriunt enim præmiorum exempla patientiam* , &c. Sed legens eumdem Antiſtitem recole quæ nervoſius antea loquitur ibidem , cùm præteritorum criminum conſcientiam voluntariè redarguentem proponit ut armamentum ad comprimendos impatientiæ motus : ait enim ſic : *Cumque ſe ſtudioſè mens de tranſacta vetuſtate atque præteritis peccatis redarguit : ad omnia contraria toleranda ſe ordinat , & eò in ſe valentiùs impatientiæ motus comprimit : quò ſe nequiùs ſcelera perpetraſſe cognoſcit.* Pervium eſt hinc deducere , plùs moveri hominem ad iram ponendam conſideratione ſuorum criminum , quàm expectatione præmii , quod patientiâ lucrabitur. Proficuum equidem eſt ad finem hunc memorari Dei remunerationem ; ſed magis proficit in mentem reducere delicta propria.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 6. de patient.

Idem. ib.

26. Ad Coloſſen. 3. 12. 13.

Gentium Doctor ſalutariter monens Coloſſenſes aiebat ſic : *Induite vos ergo ſicut electi Dei , ſancti , & dilecti , viſcera miſericordiæ , benignitatem , humilitatem , modeſtiam , patientiam : ſupportantes invicem , & donantes vobiſmetipſis , ſi quis adverſus aliquem habet querelam* : (nota quæ jam ſequuntur) *ſicut & Dominus donavit vobis , ita & vos.* Commentatur S. Anſelmus : *Id eſt , ſicut Dominus in baptiſmo quicquid injuriarum ei feceratis , condonavit vobis ſine ullo reſpectu alicujus vindictæ ulteriùs ſumendæ , ita & vos bono animo condonate vobis ſemper ad invicem omnia ſine reſpectu alicujus ultionis. Debetis enim conſervis non negare , quod à bono Domino gaudetis vos percepiſſe.* Dubitabam quare Paulus , ut ſuos iſtos moveret alumnos ad condonandum proximis , ultione omiſſâ , non hîc propoſuerit eis præmium , quod negotiarentur , ſi doctrinam ſuſciperent ejuſdem ? Crevit poſtea dubiolum ; cùm Apoſtolum in eodem capite legi , dicentem : *Quodcumque facitis , ex animo operamini , ſicut Domino & non hominibus : ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* S. Ambroſius ad hæc verba : *Ut promptos* , ait , *illos in obſequio & fide faciat , mercedem illos bonorum operum accepturos promittit à Deo* &c. Ecce proponit hôc poſteriore loco retributionem Paulus ; in primô verò minimè. Cur ita ? ſed potiùs mentionem exhibet de peccatis à Domino remiſſis ; ut ſuaderet condonare proximis ? Quia prioribus verbis expreſſit patientiam ; non verò ſecundis : & iſta virtus corroboratur valentiùs memoriâ peccatorum , in quæ lapſus eſt qui dura patietur , vel jam ſuſtinet ; quàm recogitatione præmii per patientiam acquirendi. His , vel ſimilibus remediis niſi fortificet homo ſemetipſum , *impatiens operabitur ſtultitiam* : &c.

Ad Coloſſen. 3. 23. 24.

S. Ambroſ. to. 3. in com. ib.

DELIBATIO III.

Remedia contra impatientiam alienam.

27. *Blandiloquentia perutile remedium eſt , ut contineatur alius à furore.*

NUnc media quædam proponenda ſunt munito patientiæ robore viro ; quò furorem alterius iraſcentis contra ſe pacare queat. Primum ſit , uti verbis lenibus ad iratum. Novum fortè dices medendi genus , quod applicetur cuidam ſanatura medicina pro alieno morbo tollendo. Unus ægrotat ; nempe qui furibundus irâ fremit ; & mollificativum conſulimus emplaſtrum alteri , contra quem furit ; monentes ut blandè loquatur ad eum. Sic oportet. Iſtud genus curandi proximum probatiſſimum eſt ; & placuit medico ſapienti morum Salomoni : dixit enim : *Reſponſio mollis frangit iram : ſermo durus ſuſcitat furorem.* Adde meditationem S. Bernardi de ſponſa Canticorum loquentis ita ſuper illud : *Nigra ſum* &c. *Hæc igitur ratio cur ſponſa filias Jeruſalem dicat eas ipſas quas malevolas ſuſtinet atque maledicas : videlicet ut in blando ſermone deliniat murmurantes : commotionem ſedet , ſanet livorem.* Irati furor imitatur conditionem fulminis : cujus eſt reſiſtens ferrum in cineres comminuere ; materiam verò blandam ſæpe non lædere. Similiter , cùm flammas evomit facultas iraſcibilis proximi tui , blandus vinces , & manſuetudine loquelæ vim deludes igneam iracundiæ alterius. Blandiloquentia perutile remedium eſt , ut contineatur alius à furore.

Prov. 15. 1.

S. Bernard. ſer. 25. in Cant. poſt princ.

28. E Meſopotamia deliberavit exire Jacob inſalutato ſocero. Tulit hoc impatienter

tienter iſte; generumque multis comitantibus inſecutus eſt. At priuſquam ei loqueretur Laban, hic vidit in ſomnis
Geneſ. 31 24. dicentem ſibi Deum: *Cave ne quidquam aſperè loquaris contra Jacob.* Ubi Chryſoſtomus
S. Ioann. Chryſoſt. to. 1 hom 57. in Geneſ. ante med. ait: *Quia enim vidit Laban cum multa indignatione perſequi juſtum, & pœnam furtivi ſeceſſus (ut ita dicam,) ſumpturum apparuit Laban nocte in ſomno.* Venit enim, *inquit*, Deus ad Laban Syrum in ſomno nocte, & dixit ei. *Vide Dei obſequelam, quomodo ob ſuam in juſtum providentiam cum Laban colloquitur: ut territâ ejus mente impetum ejus à Jacob coërceat.* Ecce potenter detinuit indignatum Labanum Deus. Qua de cauſa non pariter Dominus poſtea dixit ad Eſau, ne proferret aliquid aſperum contra germanum ſuum? Reſpondebis, jam indignationem Eſau circa fratrem fuiſſe placatam; cum non poſt multum temporis venturus eſſet in occurſum Jacobi. Verum eſt hoc: ſed forſan adhuc aliquale periculum ſuberat, ne renovaretur ira præterita, conſpecto Jacobo divite. Quare Dominus, ut ſic ampliùs oſtenderet amorem, quo perſequebatur Jacob, non monet Eſau, ne quid acerbum depromat ore contra fratrem; Quia ſupervacaneum duxit Altiſſimus tutum reddere dilectum ſuum ab irâ fraternâ (ſi reaccenderetur ignis hic in Eſaü præcordiis) quoniam Jacob locutus erat germano blandè. Lege qualiter fuerit fatus
Geneſ. 33. 5. ad ipſum. *Parvuli ſunt, quos donavit mihi*
Ib. n. 8. *Deus ſervo tuo.* Deinceps dixit ad eum: *Ut invenirem gratiam coram Domino meo.* Et in-
Ibid. n. 10. fra: *Si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius*, &c. Modus iſte loquendi multâ lenitate plenus, erat ſatis, ut non iterum iraſceretur Eſau contra Jacob. Cum autem Laban comprehendit generum recedentem, Jacob ad illum locutus eſt aliter, ægrè namque tulit, quòd ſocer ſcrutatus fuerit ſuppellectilem ejus, quaſi furti reus foret. *Tumenſque Jacob cum*
Ib. c. 31. 36. 37. *jurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſuppellectilem meam?* Ex Hebraïca lectione, vel conformiter ad illam
Ex Lect. Hebraï. ib. habetur hîc: *Et iratus eſt Jacob, & contendit cum Laban*, &c. Cum itaque ſic ſe Jacob habiturus eſſet cum ſocero, congruum fuit à Domino per nocturnam viſionem, ſicut prædixi, moneri Labanum, ne loquens aſperè feriret Jacob; ſed potiùs impatientiam contineret. Vides quàm proficua ſit lingua mitis, quò medearis proximo non prudenter iraſcenti contra te.

29. *Proximo benefac, ut iracundiam impedias ipſius.*

Ad ſecundum pergo medicamen iræ proximorum adversùs nos: haud quidem nimis facilè; ſed non ideo prætereundum hoc loco: nimirum: Benefac hoſti; & ipſo beneficio retundes iracundi jacula. Beneficia ſortiuntur naturam fontis. Hujus laticibus adverſatur calor nimius: adeo quod ſæpè redigit illum ad paupertatem conſumens ejus fluidum argentum. Sed nihilominus fons indifferenter benefaciens etiam rebus calidiſſimis, placat ſupradictum adverſarium, nempe calorem. Non eſt prorſus inepta ſimilitudo: nam, licet iracundus igneſcat contra te, ſi benefeceris ei, placabitur quandoque. Incertus, qui latet ſub nomine S. Auguſtini: *Cum enim inimico tuo piò animò frequentius bene feceris, quàmlibèt ſit impius & crudelis, barbarus & cruentus: tamen tandem aliquando erubeſcet & dolet & pœnitere incipit quod admiſit. Nam cum pœnitentiam cœperit agere, ſenſus rationalis, hoc eſt, caput ipſius incipit charitatis igne ſuccendi, & qui prius quaſi frigidus & phreneticus contra te conſueverat iracundiam retinere, ſpiritali calore de tua bonitate ſuccenſus incipit toto corde diligere.* Incert. ſub nom. S. Aug. to. 10. ſer. 168 de temp. poſt med.

Conſulendum tamen eſt ei, qui cupit hac via tranquillare proximi furorem, ut non conſultò differat ſemper munus ei præſtandum in tempus, quò jam ille concepit iram: tunc enim ſæpè continget, ut velut captus mente per phreneſim donum reſpuat; ac ſic nihil proficiat liberalitas. Congruum igitur eſt, ut priuſquam proximus admittat præcordiis iram, propines illi munus, tamquam adverſus iſtam ægritudinem præſervativum. Proximo benefac, ut iracundiam impedias ipſius.

30. Cum Joſeph in Egypto poſt Pharaonem dominaretur, venerunt ad illum ſecundò fratres ejus, ut emerent eſcas. Adhuc non detegens ipſe perſonam propriam, benignè ſuſcepit eoſdem: ac tandem juſſit ſaccos eorum adimpleri, & in ſingulorum ſummitate poni pretium: addens ut in ſacco junioris reponeretur ſcyphus argenteus ejuſdem Joſephi. Sic dimiſſi ſunt: & poſtquam aliquantum proceſſerant, miſſus eſt ab eo diſpenſator domus, ut ad illos verba faceret, ipſis non parum dura, tamquam in furti reos: imo cum veniſſent ad ſe dixit in faciem: *Cur ſic* Geneſ. 44. 15. *agere voluiſtis?* Scio, Joſephum hoc ſtratagemate voluiſſe retinere (ſi oportuiſſet) Benjamin; in cujus ore ſacci fuit ſcyphus inventus; & permittere cæteris ut abirent. Sed adhuc inquirere juvat: Quomodo ſtat eis præbere gratis frumentum (reſtitutâ ſcilicet pecuniâ,) cum eo, quòd ipſos arguerit furti? Bene cohærent hæc duo. Quinimo propterea priùs gratiosè frumentum largitus eſt ipſis, quia volebat ut arguerentur poſtea latrocinii. Meditationem explico noſtram. Fortaſſe timuit, germanos, cùm innocenter audirent ſe judicatos fures, exarſuros irâ: præmunivit eos beneficio, nimirum gratuitâ donatione frumenti; ne præberent aditum iræ contra Joſephum ignotum. Efficax extitit hoc medicamentum, & prudenter appoſitum. Textus ait: *Deponentes in terram ſaccos, aperuerunt ſinguli.* Ib. n. 11. & 12. *Quos ſcrutatus, incipiens à majore uſque ad minimum, invenit ſchyphum in ſacco Benjamin.* Si perpenderis hæc verba, conjectaberis, illos vidiſſe pecuniam repoſitam; & conſequenter intelligere potuiſſe datum ſibi gratis frumentum: ac non deerit qui cenſeat, ipſos devictos munere non admiſiſſe motus iræ contra Præfectum Ægypti.

gypti. Perutilis nimis eſt proximum liberalitate proſequi ne contra nos iracundiâ moveatur.

31. *Mitis recedens ab ira lucratur decus.*

Sed quid agendum ; cùm homines occurrunt adeo furioſæ conditionis, ut nec mitibus verbis emolliantur, neque muneribus placentur? Conſulendus tunc eſt receſſus ; ut cum ex eorum oculis fuerit ſublatus is adversùs quem indignantur, deferveſcat ipſorum æſtuans animus. Proh dolor, frequentiſſimum eſt homines obſequentius obedire luminibus, quàm rationi. Forſan ille, cui ratio ſuadere conabatur, ut attendens, vel patientiam reſpondentis leniter irato ſibi, vel beneficentiam ejuſdem erga ſe, conquieſceret, atque furorem deponeret ; ac nihilominus corde ſervat iras; nihiloſecius hic idem à furore deſiſtet perſuaſus à palpebris : nam ductus oculis, dum jam non cernit odio habitum, quaſi foret ſublatus è vivis, non ſemel inducias concedet furori ſuo. Lege Clicthoveum additum Cyrillo. *Demum*, inquit, *cum perfpectum habemus, nec mitia verba commotos animos lenire poſſe, neque beneficia pro contumeliis retributa fervorem iræ temperare valere, ſecedere ab iratis, & noſtram ſubmovere præſentiam debemus : ut ſaltem abſentiâ noſtrî, æſtuantis animi, & ebullientis paulatim reſidat indignatio.* Sed en iſti remedio ſuperba fragilitas obſiſtit aliquorum : renuentium pugnæ campum adverſo cedere ; ne putentur imbelles, & jam viribus fractos fugæ ſolius præſidium inveniſſe. Falluntur utique : nam in oppoſitum ſtat veritas ; cui diſcordat mundi lex imprudens ; prædicto modo ſuos dirigentis, ut honorem conſequantur vanum. Tantum abeſt mitem dehoneſtari, ſi declinet ab irato ; quod potius inde concilietur honos. Agnoſcens, furentem nec blanditiæ loquelæ, nec beneficio placandum, ab eo recedens accipit non vulgare decus.

Clicthoveus additus D. Cyrill. Alex. l. 6. in Ioann. c. 12.

32. Filius Dei, cum deſiderio flagraret illuminandi mente cæcos, dedignatus non eſt cum Judæis obſtinatiſſimis inire verbis quondam certamen. Attamen inde nullum collegiſſe fructum ſcimus : imo voluerunt ipſum lapidare. Præ ſe ferebant exteriùs iſti quod erat in eorum cordibus : hæc exiſtebant lapidea ; foris durities prodivit ad lapides. Adhuc magis cavendi ſunt alii ; qui tegentes pectore ſilicem, tibi manibus offerunt roſas. Chriſtus Dominus ab illorum conſpectu receſſit : inviſibilem tunc ſe reddidit eiſdem. Ioann. 8. 59. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* Theophylactus ibi : *Sua magna poteſtate inviſibilem ſe fecit inſidiatoribus, quamvis per medium illorum exiret.* Poſſet hoc loco Dominus aliter omnipotentiam ſuam notam facere : verbî gratiâ, movens eorum præcordia potenter interiùs ; ut vel metuentes, vel aliâ de causâ furorem deponerent atque ſaxa. Nonne foret hoc Omnipotenti facillimum ? Quis dubitat ? ergo cur magis voluit arenam certatoribus relinquere, ſeque de templo ſubtrahere ? Sic divinus Magiſter ſe geſſit, ut imitatores poſtea ſui, meditantes receſſum ejus à furibundis adverſantibus, expenderent, nihil dedecoris illos apud rectè ſentientem accepturos ex fuga, cùm dantes iræ locum recederent ab inimicis. Ecce vides, Redemptorem per ſupradictum receſſum aſſecutum fuiſſe non parum honoris : quod ex eo patet, quia ſic abſceſſit, ut miraculum patraverit ſuæ poteſtatis argumentum ; reddendo ſemetipſum lapidare volentibus inviſibilem. Exhinc deducito, nequaquam inhonorum extare patienti dare terga contrariis irâ correptis ; imo decoroſum ſæpius eſſe coram ſenſatis, quòd noſcens, iracundum nec blandiloquo ſermone pacandum, nec donis vincendum, ejus inſaniam vites abſcedendo.

Theophyl. in com. ib.

33. *Quorumdam ira mitigabitur tempore; non autem ratione, ſeu metu.*

Et quid eliget ille, qui pro mitigandis adverſatoribus iracundis experitur, nec ſibi prodeſſe modeſtiam verborum, nec largitatis officia, nec abſentiam? quò tendet, ut inveniat effugium ? Tempori denique rem committat : quod res naturâ ſuâ fortes comminuit. Conſtans eſt rupium conditio ; tamen viribus obediunt annorum: quidni plurimùm valeant etiam tempora pro duritie pectoris humani conterendâ ; cum ſit hominis cor inconſtantiæ patens ? Viſceribus inhærent altè ſæpius indignationis motiva ; ſed auxilio dierum vel mittuntur in oblivionem, vel à rationibus oppoſitis vincuntur, vel utilitatibus irati ducentibus in contrarium ſuperantur. Hildebertus Epiſcopus : *Cæterum*, ait ille, *tempore dediſcuntur univerſa : nihil humano pectori ſic inhæret, ut tempore non evaneſcat.* Novi, quàm ſit potens lenieniendis iracundi furoribus urgens ratio, vel magnus timor. Sed, licet utrumque jungas, & comparationem cum decurſu temporis inſtituas ; adhuc dicam, plùs quandoque poſſe moram, ut ſedet indignatum ; quàm potuiſſet ratio ſimul atque timor. Apud quoſdam fervor iraſcibilis tempori potius obſecundabit, quàm rationi validæ metuique prudenti.

Hildebert. Epiſc. ep. 31.

34. Nonnihil adhuc nobis expendendum eſt in hiſtoriâ toties repetitâ benedictionis paternæ ; quam Jacob in Eſau perſonâ ſuſcepit ab Iſaaco. Genitrix (cujus induſtriâ frater minor evaſerat felicior) cupiens ut non abſque patris beneplacito Jacobus iret in Meſopotamiam, inſinuavit marito, diſpliciturum ſibi fore valde quòd uxorem duceret Jacob aliquam de mulieribus Terræ, quam incolebant : non autem notum fecit eidem genitori, ſe propterea velle gnatum in longinquum proficiſci, quia frater ejus illum occidere decreverat. Textus habet ſic : *Dixitque Rebecca ad Iſaac : tædet me vitæ meæ propter filias Heth : ſi acceperit Jacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.* Commentatur Liranus : *Id eſt propter uxores Eſau. Non autem dixit ipſi Iſaac aliam cauſam, ſcilicet de machinatione Eſau in mortem Jacob*, &c. In hoc hærebam, quòd nec muliebris indoles perſuaſerit Rebeccæ detegere viro ſuo deliberationem Eſau de necando germano

Geneſ. 27. 46.

Lira in com ib.

mano poſt obitum patris ; nec puellus amor maternus hoc eidem reddiderit manifeſtum ; cum neque pueris, neque fœminis taciturnitas valde propria ſit. Diligebat ſanè Rebecca Jacobum. Cur marito non aperit rem totam, ut authoritativè coërceat is majorem genitum à comminato fratricidio ? an ut averteret Iſaac filii minoris necem non potuit profuiſſe denuntiato matris ; qua narrante genitor ſciret, Eſaü parare fratri crudeliter exitium ? Poſſet equidem : ſed prudentiùs operata fuit in eo, quòd non utens hoc medio, potiùs voluit rem tempori dimittere, meliorandam per ſpatia dierum, quæ fluxere, Jacobo diſcedente Meſopotamiam. Si faceret matrona certiorem ſponſum, quòd ſtatuiſſet Eſaü germanum occidere ; non dubitabis, patrem vocaturum Eſaü, & acriter increpaturum fore : quin & fortaſſis minaretur ei, ſi non deſiſteret à propoſito manifeſtè. Dato, quòd Iſaac ita ſe gereret, ratio, necnon & metus inſtarent, ſuadere conantes præcordiis Eſaü, ne perſiſteret in ira : metus, inquam, illum commoneret, ut non malediceretur à parente ſuo : necnon urgeret ſimul ratio, dictans, æquum fore voluntati genitoris morigerari. Nec metus, nec ratio ſuperaret indignationem Eſaü. Prævaluit verò mora temporis, ut iram deponeret. Prudenter igitur operata fuit mater : cujus nomine loquitur Chryſoſtomus ita : *Congruit ut iram ejus declines, ſi fortè per tempus obliviſcatur, & poſtea cum libertate poſſis hic domicilium habere.* Maneat itaque, ſæpè curari temporum longitudine quod forſan videretur inſanabile, ſi ferveſcens indignatum pectus attendas.

S. Joann. Chryſoſt. to. 1. hom 54. in Geneſ. longe ante med.

35. *Patiens quia ſi non læditur adverſario.*

Demum quia fieri valet, ut hominem reperias adeo ferocem, ut nec lenibus verbis, nec beneficiis, fugâ, vel tempore longo deſinat contra teipſum indignari ; ſcito, remedium eſſe peroptimum ad retundendas illius injurias patientiam ipſam : cujus auxilio tibi robur accedet ſingulare. Illa quidem adamantina, ſi perfecta, minimè frangetur ictibus : medicinalis eſt, ut offenſiones illatæ curentur ; & in futurum ſimiles non experiaris dolores. Dixit Humbertus appoſitè : *Patientia eſt Adamas, quo mens incommodis non frangitur. Medicina per quam ab omni læſione curatur, & clypeus, quo ne lædi valeat communitur. Ab alio certè lædi non poterimus, niſi prius contra nos ipſos intrinſecùs dimicemus.* O prævalidum cordis munimentum ! Hoc ſi non abjicias, lædenti prævalebis. Imo jam non dicam, virtute patientiæ virum fortem protegi, ne doleat. Crede, per iſtam fieri, quòd offenſa, quam adverſarius tibi voluit inferre (quin & intulit quantum erat in ſe) fuerit caſſa : crede, inquam, ſi toleraſti patienter, quòd non ipſe te læſit ; ſed offendere cogitavit. Patiens velut invulnerabilis eſt : non accipit vulnus, quod ſuſtinet.

Humbert. de vot. ſubſtant. relig. c. 42. in princ.

36. Profugo Davidi quondam in perſecutione Saülis præſtitit auxilium ſacerdos Achimelech tribuens panes & gladium. Non latuit hoc Doëg Idumæo : qui, cum audiret Saülem querulum de fidelitate ſervorum, dixit ad regem de ſacerdote : *Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei : ſed & gladium Goliath Philiſtæi dedit illi.* Patienter hoc tulit ſacerdos : ſicut enim poſt occiſionem ſacerdotum David intellexit, Doëg fuiſſe cauſam hujus cladis ; ita credibile, quòd non latuerit Achimelech, ſe fuiſſe delatum Saüli per Doëg. Hujus eventûs memor Pſalmiſta rex ait : *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua : ſicut novacula acuta feciſti dolum.* Commentatur Euthymius antea : *Sermo eſt ad Doëg, quem oportuerat potius malitiam ſuam obtegere, quam de ea gloriari.* Et infra : *Dolum hic calumniam appellat, quam adeo potentem paraverat Doëg, ut ſacerdotum civitatem inſtar novaculæ deraſerit cum Saüli detuliſſet, Achimelech ſacerdotem favere partibus David.* In modo loquendi Pſaltis hæreo : nam qui verè ſicut novacula dolum fecit, quomodo non dicitur feciſſe injuſtitiam ; ſed linguam ejus injuſtitiam cogitaſſe ? Adde pro ratione dubitandi lectionem illam, quam refert citatus Euthymius, inquiens : *Pro*, Cogitavit, *Theodotio reddidit*, Locuta eſt. Accedit, quòd, cum lingua non cogitet, videtur inſinuari Pſalmi verbis, Idumæum cogitaſſe corde. Mariana in hunc locum ſcholiat ſic : *Lingua non cogitat : ergo corde quæ cogitaſti, protuliſti linguâ.* Quo ſtylo David non dixit : Protulit os tuum ; ſed : *Cogitavit lingua tua ?* an, quia ſacerdos æquanimiter injuſtitiam toleravit illam, poteſt aſſeverari, Doëg nihil adversùs eum prorſus executum fuiſſe, quaſi corde ſolummodo cogitaverit malum ? Sic ferè meditabar. Hæc ſunt patientiæ quaſi miracula : per iſtam fruſtrantur adverſantis impetus, & injuriam, quam patitur mitis, non accipit.

1. Reg. 22. 18.

Pſal. 51. 4.

Euthym. ib. ad n. 3. & 4.

Idem. ib.

Marian. ſchol. in hunc pſal. ib.

DELIBATIO IV.

Patientiæ laudes.

UBi Vulgatus in poſteriori parte parabolæ noſtræ legit : *Et vir verſutus odioſus eſt.* verterunt Septuaginta : *Vir autem prudens multa ſuffert.* Quam verſionem cum notaret Salazar, ait : *Ad hunc ſenſum evocanda eſt tranſlatio vulgata. . . .* Et vir verſutus odioſus eſt. *Is nimirum, qui ex verſutia & calliditate laudabiliter iram cohibet, & illatas injurias, & contumelias æquo animo perfert, inviſus eſt eidem ſtulto*, &c. Horum occaſione, de injuriarum ſuſtinentiâ rurſus dicam ; ut pateat quàm glorioſum reddat illa virum animo fortem. Præmitto S. Laurentium Juſtinianum, dicentem : *Quanta eſt gloria ſponſæ aſſimilari Sponſo ? Nihil glorioſius reputat, quàm Chriſti portare opprobrium. Ipſa ædificat coronam æternam. Patienti enim ſerviunt æſtas & hyems, & omnia adverſa mundi, ſterilitas agrorum implet ejus horrea : fures & latrones, & omnia hominibus contratia mundi ſerviunt ei.* Mirâ quidem prudentiâ pollet verus patiens : de

37. *Patiens læſus abſtineat ab omni quæſtu.*

Lect. Sept. Prov. 14. 17.

Salaz. ib.

S. Laurent. Juſt. in lig. vit. c. 2. de patient. poſt med.

de quo rurſus audi Patriarcham eumdem. *Patientia*, inquit, *hominem ditat. Patiens ſapienter agit, ut debita ſua ſolvat. Nihil enim de ſuo in ſolvendo expendit : ſed facit ut hoſtes ſui pro ſe ſolvant. Illatas nanque ab eis injurias ſuſtinens ditatur abundè.* Sed priuſquam memorem aliquot patientiæ lucra, monendum eſt, oportere non ſolùm continere linguam, ne prorumpat in verba quærimoniæ ; ſed hominem totum ſic frænare ſeipſum, quòd nec ullum querelæ ſignum præbeat. Notum eſt ad patientiæ cultorem ſpectare queſtibus abſtinere.

Idem. ib.

S. Ambroſius : *Sit*, inquit, *ori tuo oſtium, ut claudatur ubi oportet : & obſeretur diligentiùs, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumeliæ.* Hæc de cuſtodia linguæ : ſed ultra procedit perfectus athleta patientiæ : non ſolùm iſte cum læditur ſilet, non proferens contumelioſa verba contra læſorem ; ſed neque more mutorum ſigna præbet quæſtuum.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offi. c. 3.

38. Inſigne patientum exemplar habemus in Davide : cujus tolerantia ſatis enituit in eo, quòd, cum declinaret à facie perduellis Abſalomi, tulit proterviam Semei maledicentis, quin irâ moveretur adversùs eum. De ſufferentiâ ſuâ dixit in Pſalmo : *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam : & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Cardinalis Bellarminus ibi : *Hæc perſpicua ſunt, & veriſſima, quod præcipuè intelligi poteſt ex l. 2. Reg. c. 16. ubi cum Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret, & regni invaſorem, David incredibili patientiâ eum ſuſtinuit*, &c. Notabam, Davidem, ad hoc ut patientiam ſuam deſcriberet, non tantùm aſſeruiſſe quòd ſe geſſerit ſicut muti : dixit enim : *Sicut mutus non aperiens os ſuum.* Putabis, illa verba ſuperfluere : *Non aperiens os ſuum.* Fortè non deerit qui putet, aliquid per hæc ultima ſignificare, cujus expreſſioni verbum illud, *Mutus*, non ſufficeret : ſcilicet quia muti, licet cum afficiuntur injuriis, nullas voces articulatas proferant, ut querantur ; attamen aperientes ora quoſdam fremitus edunt ; quibus vel egerant proprium dolorem ; vel utcumque ſatisfaciant indignationi ſuæ queruli contra lædentem. Conſummatè patientis eſt, non ſolum nequaquam injurias pro injuriis reddere verbis ; ſed nec ore mutire. Confirmatur iſtud ſuſtinentiæ documentum ex eo, quòd ſe tolerantem David æquiparaverit ſurdo. *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam* : &c. Mutus, cum percipiat verbalem contumeliam, capax eſt, ut illam vindicando rependat ſaltem voce non articulata, vel nutu, geſtuve. Non ita ſurdus : quia, cum non ſuſceperit aure convitium, ignorans illud, nullum præbet indicium proponentis ultionem, imo nec etiam querelæ. Non aliter amat inſenſatum agere coram ſæculi prudentibus ille, qui feliciter currit in ſtadio patientiæ : non tantùm obmuteſcit ; quin & etiam geſtu, ſeu nutu queri penitus recuſat.

Pſal. 37. 14.

Cardin Bellar. in com ib.

39. Jam quid patientia lucratur aperiam ex parte. Illud ſanè lucrum faciendum plurimi ; quòd lenis taciturnitas ferentis opprobria multum arridet Altiſſimo. Meritò quidem : nam contumeliis affectus, & ſilens, ne peccet maledictum retribuens pro maledicto, non modicum offert holocauſtum Deo ; cum exponat, imo ſæpius amittat, exiſtimationem bonam propriam : quatenus perperam judicantes facilè cenſent, hominem, qui petitus injurioſo ſermone prorſus nihil reſpondet, à conſcientiâ delicti præpediri, ne loquatur. Ipſe tamen hominum gloriam deſpiciens, placere ſatagit ſoli Deo. Prodeſt audire Magnum Gregorium, dicentem : *Superbia dicit in corde : Turpe eſt, ut accepta injuria taceas. Quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces, non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis. Sed unde vox iſta in corde noſtro contra patientiam naſcitur, niſi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terra gloriam quærimus, placere ei qui nos de cœlo conſpicit, non curamus?* Econtrariò tacenter perferens injurias calcat mundi gloriam, & ſtudet placere Deo. Grata nimis eſt Conditori noſtro patientia muta. Contraponamus iſtam illi tolerantiæ, quæ ſinit verba loqui dolore plena, quin deponatur manſuetudo : videbis quantùm Dominus ampliùs complaceat in eo, qui dum patitur opprobrium, penitus obmuteſcit.

Quantùm Deo placeat patientia muta.

D Greg. Pap. to. 2. hom. 18. in Evang.

40. In Rages urbe Medorum Sara filia Raguëlis tradita fuerat ſeptem viris ; quos dæmonium necaverat. Contigit, ut increpatâ per eam puellâ ſerviens parenti ſuo, reſponderit hæc vocans eam interfectricem virorum ſuorum. Oravit illa Dominum : & miſſus eſt Angelus Raphaël, ut ei ſubveniret, à dæmone liberans eamdem. *Miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël, ut curaret eos ambos*, &c. Modò tranſeamus ad Jobum. Non repetam ejus hiſtoriam vulgatiſſimam. Sat memoriâ retines quanta ſuſtinuerit patienter : nec tamen ad illum fuit miſſus Angelus de cœlo, qui ſanaret ipſum ; vel ſaltem conſolaretur. Quænam potuit eſſe diſparitatis hujus ratio ? Puto, peculiare quid in patientia repertum Saræ, quod non invenitur in Jobo, quamvis patientiſſimo. Job, inquam, ab amicis verbo læſus non obmutuit, prout eſt manifeſtum : & minus aſſequitur à ſummo Remuneratore patientia, quæ reponit injurianti reſponſum. At verò Sara, cum audiſſet ab ancilla genitoris contumeliam, nihil ei reſpondit. *Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ*, &c. Commentatur Lira : *Abſque dura reſponſione.* Hæc Saræ tolerantia muta reperit apud Altiſſimum complacentiam tam extraordinariam, ut Angelus è primoribus Curiæ miſſus fuerit in auxilium ejus. Expende quantum Deo grata ſit conſtantia ſuſtinentis ore compreſſo. Quo ferendi genere gloriam ſibi parat homo non vulgarem : etenim valde glorioſum eſt complacentiam ſupremi Regis promeruiſſe.

Tobi. 3. 25.

Ib. n. 10.

Lira. in com. ib.

Aliter judicat mundus inſipiens & vanus : qui ſuos docet, non decoroſum, ſed

41. *Venerabilior*

eſt vir ob tolerantiam ; quàm propter ſapientiam.

ſed turpe nimium eſſe ferre lædentium convicia fortiter & manſuetè. Peracutus erroris magiſter, mundus inquam, ut falſam ejuſmodi doctrinam probet, utitur hoc ſophiſmate. Ad illatas contumelias manſueti paſſim contemnuntur : ergo ſunt contemptibiles. Probat conſequentiam. Ab actu ad potentiam bona eſt omnis argumentatio affirmativè : ſed omnes prædicti deſpiciuntur : igitur illi cuncti ſunt deſpicabiles. Putat ſophiſticus in *Barbara* concludere ; barbara tamen eſt hujuſmodi philoſophia : multa quippe fiunt actu, quæ moraliter fieri nequeunt, hoc eſt, licita non ſunt. Quod phyſicè loquendo mundiales ſpernere poſſint virum exornatum patientiæ virtute, non eſt ad rem ; proindeque nihil prodeſt, ut malus ille philoſophus firmet quod inculcat. Contrarium veritas Chriſtiana tradit : nempe quòd tolerantia proficit, ut homo fiat venerabilis. Adeſt Juſtinianus : *Per patientiam*, inquit, *quoque glorioſi efficiuntur patientes. Ipſorum enim ſtrenuitas comprobatur.* Nullus inficias ibit, ſapientiam hominem reddere veneratione dignum : neminem exiſtimo negaturum eſſe rem adeo perſpicuam ; ſaltem quia formidabit, ne relegetur ad brutorum paſcua. Si tamen æquiparemus patientem cum perito, ſuſtinens dignitate ſuperat hominem doctum. Sapiens utique tenebras errorum fulgore vincit : majorem aſſequitur mitis victoriam ; cum ſuperet ſemetipſum. Concludam itaque, magis venerabilem hominem fieri per id quod ſuffert ; quàm per illud quod ſapit.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 2. de patient.

42. Ad Galat. 6. 17.

Scribens ad Galatas Paulus concludit epiſtolam dicens : *De cætero nemo mihi moleſtus ſit : ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* &c. Quod ſic expoſuit S. Anſelmus : *Et ideo nullus verba mea leviter accipiat, ſed authoritati dictorum meorum in omnibus acquieſcat.* Semel quòd Apoſtolus, ut obviaret contemptui ſacræ doctrinæ, monuit, ut ſermonum ejus authoritati acquieſcerent ; cur ad hoc, ut propriis dictis venerationem conciliaret, non autumavit hoc loco ſe valde ſapientem ? Sanè, ſi protervos excipiamus, & ignaros, virî doctiſſimî verba multî facimus. Et quidem Gentium Doctor ſapiens erat egregiè. De ipſo Chryſoſtomus ait : *At tanta certè in illo erat ſcientia, quanta in ullo unquam fuerit* &c. Ut quid proponit, ſe ſtigmata Domini portare., dum ſollicitat ſanctè, quòd reverentiam ipſi debitam, ut ex Anſelmo prædixi, nullus omittat ? Forſan exiſtimavit, venerabiliorem eſſe tolerantiam, quam peritiam. Et quamvis potuerit, ut ſuaderet, pro ſui muneris officio, ſe venerabilem, de ſapientia ſua dicere ; potiùs elegit de patientia propria loqui, dicens : *Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Commentatur S. Anſelmus, dicens : *Sic & Paulus non una tantum corporis, ſed multis & variis partibus gerebat notas & ſigna plagarum pro Chriſto perpeſſarum, per quas miles fortiſſimus ſummi Regis eſſe declarabatur.* Non fruſtra meminit Apoſtolus eorum, quæ ſuſtinuerat patiens, cùm oportuit inſinuare ſe veneratione dignum, ad hoc ut ejus verba non leviter æſtimarentur : quoniam non tam venerandum reddit hominem eruditio ; quòd haud magis colendum efficiat eum patientia.

S. Joann. Chryſoſt. to. 5. de laud. Pauli ante med.

S. Anſel. prox. ſup.

43. *Patientia tacentis convincit innocentiam ejus.*

Et, ut ampliùs hoc ſtabiliam, ſuperaddo rationem, quam jam propono. Nemini dubium eſt, vitam inculpatam illos condecorare, qui verè tales agnoſcuntur. Hæc innocentia ſic potens reperitur, ut etiam apud hoſtes impediat contemptum, dummodo fateantur eam, nec inſaniant, ſeu deſipiant. Unde, ſi mihi detur probare, patientiam omnino reticentem cogere ſpectatores, ut noverint ſilentis innocentiam ; concludere licebit, etiam hac via ſuſtinentiam honorare apud alios. Ne dubites, quandoque teſtimonium conſcientiæ propriæ vacantis crimine, quod objicit calumniator, homini manſueto ſuadere ſilentio ſepelire defenſionem propriam. De rege Davide, cum fugeret gnatum Abſalom, dixit Ambroſius : *Ibat ergo tamquam mutus & humiliatus, ibat tacens : nec movebatur, cum vir appellaretur ſanguinis, qui abundabat bonorum operum conſcientia. Itaque is qui cito injuriâ movetur, facit ſe dignum videri contumeliâ, dum vult eâ indignus probari.* Et loquens de Suſanna prædixerat : *Eſt enim magnum & negotioſum ſilentium : ut erat Suſannæ, quæ plus egit tacendo, quàm ſi eſſet locuta. Tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo : nec ullum majus indicium ſuæ caſtitatis invenit quàm ſilentium.* Ex his infer, innocentiam non melius probari ſermone, quàm tacendo leniter : quod firmatur ab oppoſito ; ſcilicet quia dum quis ab injuria facilè movetur, indicat ſe contumeliam promereri. Si preſſus ab adverſariis non taces, nequaquam fortaſſis idcirco judicaberis innocens ab eis ; cum verò calumniam pateris, & præ tolerantiâ labia claudis, aliquando continget, quòd innocentia tua ſit malis nota. Quereris immeritò, te pati coram aliis infamiam delicti per te non commiſſi : conticeſce, quò proberis innocens.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 6.

Idem. ib. c. 3. in princ.

44. Matth. 27. 74.

Mirari non deſinam, Pilatum impium agnoviſſe Chriſti Servatoris innocentiam : illam quippe diſertis verbis faſſus eſt, inquiens : *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus : vos videritis.* Hæc perpendens recordabar, poſitum in concilio Judæorum Stephanum haud fuiſſe judicatum immunem delicto ; quamvis illi viderint faciem ejus velut Angelicam. *Et intuentes eum omnes, qui videbant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.* Nonne ſatis erat hoc, ut cenſerent, eum, qui vultu præferebat Angelum, fuiſſe ductum innocenter ad tribunal ? cur ejus innocentiam hi non agnoſcunt ? Et Pilatus novit, Chriſtum exortem à crimine ? Quia Stephanus calumniam paſſus ; quamvis tulerit leniter illam, nihilominus locutus eſt plura ; prout legere licebit Actor. 7. Chriſtus Dominus autem falſis teſtimoniis oppreſſus conticuit coram Pilato. *Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia ? Et non reſ-*

Actor. 6. 15.

Matth. 27. 13. 14.

pondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer. Quidni cenſuerit Pilatus innocentem eum, qui ſilebat calumniatus ? Nolo tibi debere S. Auguſtinum. *Accuſationem*, inquit, *ſuam Dominus tacendo non firmat, ſed deſpicit non repellendo. Bene enim tacet qui defenſionem non deſperat. Ambiat defendi qui metuit ſuperari.* Et infra : *Vicit ergo cum judicatur Chriſtus, quia ſic innocens approbatur. Unde ait Pilatus*, Innocens ego ſum à ſanguine hujus juſti. *Melior eſt igitur cauſa quæ non defenditur & probatur, plenior juſtitia quæ non verbis aſtruitur, ſed veritate fulcitur. Taceat lingua neceſſe eſt, ubi ipſa veritas ſibi adeſt.* Agnoſcant veſtigia ſequentes, innocentiæ probationem non tam verbis concludi ; quàm ore concluſo declarari.

S.Aug.to.10. ſer. 118. de temp. in pr.

45. *Plùs curat juſtus non deperdere patientiam quàm famam.*

Verum quidem fateor, exiſtimandum à plurimis, illum, in quem ſcelere carentem conjiciuntur oris venenati ſagittæ, nec ſaltem verbo retundit eas, contineri per conſcientiam accuſantem : quæ convincit eumdem ſic, ut propriam cauſam tueri prohibeat ipſi. Repetam verba Magni Gregorii jam ſupra data : quibus propoſuit ſuperbiam in humano corde loquentem poſt alia ſic : *Quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces, non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis.* Sic philoſophari ſolet mundus, audens occulta divinare propterea quòd ſenex nimiùm eſt : & ſic infamat plures ; vertens argumentum innocentiæ, nempe ſilentium, in documentum favens accuſatrici calumniæ. Contemnenda fortiter eſt hæc ſæculi calliditas. Et ut iſte ſanè ſtrenuus contemptus inſideat animo, quærere libet à calumniato : Quid è duobus potiùs perdere vis ; dato quòd unius ex illis jacturam facias ? patientiamne, vel famam ? Certè perperam eliget qui maluerit amittere magis tolerantiam, quàm bonum judicium vulgi circa ſe : nam iſtud poſſidetur ab aliis (honor eſt in honorante) patientia verò cum ſit virtus, eſt internum animæ bonum. Nemo ſanus mente præferet interioris hominis poſſeſſiones, animam ditantes, adjacenti leviter auræ ; quam aliena lingua pro libito mutat. Quapropter juſtum plùs movet ſollicitudo, ne patientiam propriam deperdat ; quàm ut non ejus honor vulneretur : ſi decus illius offendas, forſan tacebit ; ſi perſuadere cures, ut impatienter agat, reſiſtet.

S.Greg.Mag. citat ſup.n. 39.

46. Tobi.2.22.

Jobum atque Tobiam ſeniorem conferamus ad invicem : quorum quilibet extitit exemplar nobile ferendi mala. Contra Tobiam conjux irata dixit : *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt.* Nec tamen quidquam ei reſpondit vir ejus. Aliter habuit ſe Jobus : nam cum dixiſſet uxor eidem : *Adhuc permanes in ſimplicitate tua ? benedic Deo & morere.* Job iſta retulit : *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus ?* An patientior Tobias erat Jobo ; propterea que, quamvis ille tacuerit, iſte conjugem increpat ? Nequaquam. Ut quid ergo reſtitit uxori Job ; non ita verò Tobias ? Quia duriùs ille tulit à conſorte curari quòd patientiam ipſe deperderet ; quàm hic ab ſponſa contumeliis impeti. Nota quàm diverſimodè locutæ fuerint ad maritos fœminæ duæ. Dixit Liranus, exponens verba, quæ protulit Anna : manifeſtè &c. Spes tua, *vitæ futuræ : quia non ſolum perdidiſti lumen corporis, ſed etiam mentis & conſcientiæ bonæ.* Et eleemoſynæ &c. *ſcilicet fictæ & vanæ tamquam ex hypocriſi factæ.* Ecce mulier imprudenter locuta virum ſuum dehoneſtabat : & is hoc pertulit nihil ipſi reſpondens. Tranſi nunc ad Jobi conjugem ; cujus verba commentatur illa : *Benedic* &c. Titelmanus : *Male-dic Deo, & loquere adverſus eum verba blaſphemiæ : ut vel ſic moriens illius ultione miſeriam iſtam evadas : quoniam quidem melius tibi magiſque optandum videtur mori, quàm in tantis miſeriis vivere.* Quapropter Job animadvertens, conſulere ſibi conjugem quòd ipſe patientiæ jacturam faceret ; fortis animo repulit ſtultæ linguæ telum. Pluris facit juſtus tolerantiam non dimittere ; quàm proprium decus tueri. Satis hæc pro patientiæ laudibus.

Liran.in Tobi. prox.ſup.

Titelman. in Job. 2. 9.

Job.2.9.10.

DELIBATIO V.

Aliqui videntur patientes ; & non ſunt. Quandoque reſiſtendo accendimus iram alienam. De quibuſdam erroribus iratorum.

47. *Quidam conſulunt alteri patientiam in re maximâ ; & ipſi multò minùs læſi ſureſcunt.*

IMpatiens. Plurimi fœdantur hoc vitio : ſic tamen aliqui tegunt iſtud animi vulnus, ut non ſolum in hac re ſani putentur ; ſed aliis eô modô laborantibus mederi ſatagant : imo fortaſſe propterea cohortantur eos ut ſint pacifici, quia videri cupiunt ita pacis amatores ; argumento ſumpto de communi proverbio ; quô vulgò dicitur : Omnes cum valemus, conſilia ſana morboſis damus. Nonnulli per impatientiam taliter infirmantur, ut ferè deſperetur eorum ſanitas ; & iſti, quaſi validi forent, multa de patientiæ præconiis eloquuntur. Iis objici queunt verba S. Bernardi : qui ſic habet : *Sunt & alii, qui ſi viderint quempiam, vel leviter ſcandalizatum : valde ſolliciti ſunt quomodo eum in pace* (fortè legendum : *In pacem*) *reducere poſſint : & viderentur pacifici, niſi quod eorum commotio, ſi fortè quicquam contra eos factum dictumve videbitur, tardius univerſis poterit, difficiliuſque ſedari.* O quàm facilè multis eſt, dum audiunt ægrè ferentem injuriam ſuam, conſulere patientiam alii ; cum videatur ipſis arduum quidvis ab alio pati ! Ex iſtis quidam ſuadent alteris ut longanimiter ſuſtineant contumeliam ponderis magni ; ſi verò tangantur in re minori, totis viſceribus exardeſcunt : in dolore maximo vellent proximos prudentiſſimè tacentes ; & iidem in cauſa propria, cum non graviſſimè lædantur, non ſolùm verba mittunt contra lædentem, ſed ignem.

S.Bernard. ſer.4.de Advent. ante fi.

Inflam

48. Inflammatus amore laſcivo compreſſit virginem Thamar veſanus Amnon. Illa vim paſſa, cinerem aſpergens capiti, ſciſſaque talari tunica dolens ibat, & clamans. Conſolatus eſt eam frater Abſalom dicens: *Nunc ſoror tace, frater tuus eſt: neque affligas cor tuum pro hac re.* Quis non putaret, Abſalomum eſſe virum corde manſuetiſſimum; & adeo deteſtatorem impatientiæ, quod, cum ſororem ſuam polluiſſet Amnon inceſtubsè, non tantùm irâ nequaquam fuerit motus ille; ſed violatæ virgini conſilium præſtiterit ut ſileret, nec pro injuriâ tantâ cor affligeret? Vide tamen quantum à manſuetudine diſtaret animus Abſalomi. Contigit poſtea, quòd ipſe miſerit ut vocaretur ad ſe Joab: quo nolente, juſſit ad ſervos, ut meſſem hordei, quam Joabus poſſidebat, igne ſuccenderent. *Miſit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum, dixit ſervis ſuis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem meſſem hordei: ite igitur, & ſuccendite eum igni.* Hic eſt Abſalom ille, qui ſorori ſuæ virgini per vim deturpatæ, clamantique conſilium præbuit ut os comprimeret, ac non afflictaretur corde? nunc tantò minùs læſus à Joabo, miſit flammas per ſervos pro vindicta? Quorumdam eſt ſibimetipſi diſpar conditio? dum alii maxima dolent, patientiam ſuadere taciturnam; ſi verò motivum iraſcendi non magnum eveniat eis, arma virumque canunt: melius dicerem, brutorum more fremunt.

2. Reg. 13. 20.

Ib. c. 14. 29. 30.

49. *Aliquando magis accendimus iram contra nos, cum volumus eam reſiſtendo extinguere.*

Operabitur. O quantum operæ nimis ac laboris inſumunt impatientes? Animo ſæpe verſant qualenam ſit pondus injuriæ; quotque titulis oportuit, cunctos ipſum venerari; quàm ſit abjectus offenſor, comparatione factâ cum offenſo. Deinceps moliuntur ſtudiosè media, quibus vindictam ſumant: ex his unum approbatur; mox diſplicet, quia vellent ultione duriori ferire quem oderunt: meditantur aliud, & intendunt illud; ſed ſtatim videtur eis arduum: aliud quærunt; & ſic perpetuò circumrotatur mens operosè, quaſi leo deambulans furioſus in cavea. S. Antiochus: *Quemadmodum*, inquit, *leo in vivario continuè movetur obliquis flexibus, ita iracundus ſecum verſat cogitationes iræ.* Irati denique procedunt ad executionem propoſiti, quod animo conceperant vindicandi ſe. Nonnunquam in hoc laborant fruſtra: nec enim ſemper offertur parata vindicta. Sed illud præcipuè notabo, quòd indignatus homo curat iram ejus, à quo recepit injuriam, ſopire violenter, & hoc modo ſuperare. Decipitur utplurimùm: doceturque per experientiam, tantum abeſſe, quòd alterius indignationem extinguat, ut eam potiùs accendat ampliùs: non ſemel facillimo negotio poſſemus indignatum proximum pacificare leni remedio; quem econtrariò magis iraſci contingit adversùm nos, cum fortiter ei reſiſtimus.

S. Antioch. hom. 24. ante fi.

50. Poſtquam Eccleſiaſticus dixit plura, ſuperaddit ſequentia verba: quæ ſunt etiam ad iram juxta Janſenium referenda. *Si ſufflaveris*, inquit Siracides, *in ſcintillam, quaſi ignis exardebit: & ſi expueris ſuper illam, extinguetur*: &c. Exponit citatus interpres: *Neceſſe ergo eſt, ut commodus ſenſus habeatur, ſubintelligere & repetere ex præcedentibus nomen, Ira, quod ſit & illorum verborum ſuppoſitum, & relativi*, Illam, *antecedens, ut ſit ſenſus: Si ſufflaveris in iram, quaſi ignis exardebit, & veluti in flammam erumpet: & ſi expueris ſuper eam, extinguetur*: &c. Non præteribo quærere nunc, lateatne pro re noſtra quid myſterii dictum firmantis in eo, quòd Eccleſiaſticus eum, qui reſtinguere vult iram alienam non aſſimilaverit hoc loco potiùs ei, qui ſufflans extinguit ignem (dum loquitur de verè cum effectu pacante iram alienam: ſed magis ipſum illi contulerit, qui ſputo ſcintillam extinguit. Proferre liceat quod exiſtimo, de præcitatis verbis erui poſſe. Sputum eſt res nullius momenti; quin & aliquando ſignum ſit contemptûs. Si contempſeris iram proximi contra te ſcintillantem, fortè nullo negotio tolles illam è medio. Si verò flans plenis buccis in ipſam, contendas fortiter, identidem ſic laborabis, ut pene deperdas reſpirationis uſum; & redderis anxius. Inſuper multoties, cum vellet homo ſufflans ore, flammam perire flatibus; eadem ſic vires aſſumpſit novas. Haud aliter evenit multis: iracundiæ contra illos inſurgentis extinctionem ſollicitant labiis crepantibus: ita non ſolùm iram adverſarii non ſopiunt; ſed multùm laborantes accendunt fortiùs. Inſtabit horum quivis in bella ruens, ne lædatur ulteriùs; ad hunc tamen finem fruſtraneum erit quidquid *operabitur*.

Eccli. 28. 14.

Cornel. Janſen. in com. ib.

51. *Majoris alii qui faciunt ſtultos haberi; quàm improbos.*

Stultitiam. Per vocabulum iſtud aptè deſignantur effectus iræ: licet enim plurimi ſint & varii; tamen omnes accommodè nominantur uno cognomine ſtulti. Nonne plures filios gignit parens; & ab iſto cognominantur omnes, pariter & nepotes? Scias, iram & indignationem ab ſtultitia genus ducere vile. S. Antiochus: *Duo*, ait, *iſti affectus, nempe ira & indignatio, nepotes utique ſunt matris unius, ejus quæ ſtultitia vocatur ſive imprudentia.* Eapropter appoſitè ſtultitia dicuntur opera, quæ progignuntur ab impatientia. Curioſus tamen, ſed non otioſus, inquires, quanam de cauſa non ſignificetur hîc ſub iniquitatis voce quod impatientia ſuadet irato; ſed maluerit Sapiens, id ſignificari ſub nomine *Stultitiam*? Conjicio, Scripturam hoc loco de peccatis agere, tamquam de re ſtulta; cum poſſet uti nequitiæ nomine. Sic abominationi delictorum præbetur occaſio: quia plùs aliqui formidant haberi ſtultos, quàm iniquos; & ideo cum legerint, ſtultitiam eſſe quod ex impatientia prodit, facilius deterrebuntur ab operibus iræ. Fateor, nec ſemper profuturum, ſi moneas peccare decernentem, ut attendat, ſtultum eſſe quòd ipſe deliberat. Cum hoc tamen ſtat, plures majoris facere quòd exiſtimentur imprudentes, quàm improbos reputari.

S. Antioch. ſup.

52. Redeamus ad caſum Thamar ; quem aliorſum verſavi ſuprà. Fictionem adinvenit luxurioſus Amnon, ut annuente Davide, ſoror non ſuſpicans dolum veniret ad eum. Remotis arbitris apprehendit illam. Ipſa fratris libidinem agnoſcens, dixit ei : *Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas eſt in Iſraël : noli facere ſtultitiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſraël* : &c. Opponamus hæc virginis verba cum illis, quibus Joſeph tueri conabatur pudicitiam ſuam cùm à Domina tentaretur ad nefas : non enim adulterium vocavit ſtultitiam ; ſed malum. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum ?* Cupiebam rationem invenire hujus diverſi modi loquendi. Quare Thamar non dixit : Noli facere malum hoc ? ſed : *Noli facere ſtultitiam hanc* ? Quia difficilius erat virgini ſemet à fratre liberam eripere ; quàm Joſepho ſemetipſum à domina ſua liberare : propterea Thamar pro ſuadendo germano quòd ſtuprum non committeret, quæſivit medium fortius ; quàm Joſephus, dum conatus eſt diſſuadere mulieri laſciviam. Thamar, inquam, non dixit ad Amnon expreſsè, factum illud fore nefarium, ſed ſtultum : quia penes multos ampliùs dolet fatuos exiſtimari, quàm improbos. Idcirco non incongruum eſt ut iracundo reducamus in memoriam, niſi ſe contineat, executurum *ſtultitiam.*

2. Reg. 13. 12. 13.

Geneſ. 39 9.

53. *Et vir verſutus.* Septuaginta legunt : *Vir autem prudens* &c. Non fruſtra quæret aliquis in præſenti, quid proportionis habeat vox, *Verſutus*, cum nomine, *Prudens* ? Dubitandi rationem ex Tullio deducam : qui verſuti vocabulum ſic accipit : *Verſutos appello, quorum celeriter mens verſatur.* Quomodo ſtat celeritas iſta cum prudentiâ : quæ reſiſtit ſæpè mutationibus animi ? Reſpondeo. Pro ſectanda conſtantia, vitanda ſunt extrema, tenendumque medium. Quoſdam reperies, qui, cum audiverint, ſapientis eſſe mutare conſilium ; ita frequenter deliberationes variant, & operandi modos, ut nihil in eis detur ſtabile. Putant iſti, cor ipſorum extare ſapientiæ pelagum ; & imitantur æquoris inconſtantiam. Occurrunt alii, quorum firmitas pectoris degenerat in pertinaciam : & cùm oportet ſententiam tranſmutare practicam juxta circumſtantiarum viciſſitudines, illi perpetuò ſedibus inhærent eiſdem. Neutrum prudentia docet. Aliud eſt virum eſſe conſtantem ; aliud verò pertinacem. Levitatem fugito ; ſed non te profitearis immobilem. Accipe S. Martinum. *Mobilis*, inquit, *eſto, non levis, conſtans, non pertinax.* Et poſtquam de virtutibus, inter quas numeratur prudentia, dixit multa, ſubdidit ſequentia : *Si quis ergo vitam ſuam ad utilitatem non tantum parium, ſed multorum inculpabiliter componere deſiderat, hanc prædictarum virtutum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, perſonarum, atque cauſarum ſequatur* : &c. Nullus exiſtimet, ſapientis eſſe velut inflexibilem gerere ſe : congruit ut penſatis omnibus ratione flectatur ſecundùm varias vices, quas occaſio tulerit. Inflexibilitas non eſt prudentis laus.

Lect. Sept. Prov. 14. 17. *Prudens nolit inflexibilem ſe præbere.*

Tull. l. 3. de nat. deor.

S. Martin. Epiſc Dum. l. de 4. virt cord c. 3. ante fi.

Idem ib. c. 8. fi.

54. Inſtruens Apoſtolos Dei Filius ad miniſterium prædicationis Evangelicæ, dixit eis : *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes*, &c. Agnoſco ſerpentis prudentiam vulgariter notam : ſed percontabitur nonnemo, qua de cauſa non potius inquit ad illos : Eſtote ergo prudentes ſicut elephantes ; mira quippe bruti hujus eſt prudentia. De illo dixit rex Theodahadus apud Caſſiodorum : *Et quod omnem intelligentiam quadrupedum ſuperat, non dubitat primo aſpectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem eſſe* : &c. & infra : *Tentando ſolum cautus ſemper incedit, retinens initio captionis ſuæ fuiſſe ſibi noxiam ruinam.* Et poſt pauca : *Deſpicit ſcurriliter ludentes : honeſtum aliquid gratanter attendit : & advertis rectè judicare, cui levia cognoveris* (aliter legitur : *Cognoſcis*) *diſplicere.* Cur elephanti dimiſſo, Dominus elegit ſerpentem in Apoſtolicæ prudentiæ ſymbolum ? Ad lévem quæſtionem ſolvendam cogitabam ſic. Elephanti corporea moles non flectitur : ubi cecidit ſemel, non ſurgit : ac læſus ultionem ſumit etiam poſt longum tempus. Prudenti congruum non eſt elephantos in iſtis imitari. De his Ambroſius ait : *Non volvendi ſe, neque recubandi uſum cum cæteris animantibus poteſt habere communem.* Et infra : *Arbor nonnunquam victa atque inflexa tanto corpore frangitur : ille verò qui ſeſe in eamdem refuderat, corruit, nec erigere atque elevare ſe poteſt*, &c. Quod ad ultionem ſpectat in hoc animali, rurſum lege penes Caſſiodorum. *Nam*, ait rex jam citatus, *etiam læſus ſervat offenſam, & longo poſt tempore reddere dicitur à quo injuriatus eſſe ſentitur.* Abſit à prudente ſimilis mala conſtantia : qua recepta ſemel offenſio maneat altâ mente locata : non ad ſimilitudinem corporis illius belluæ, animus viri deliberans in unam partem ſic permaneat, ut in alterum latus non ſe vertat, ſi ratio dictaverit. Aliter quidem ſe habet ſerpens : tum quia valde flexibilis eſt ; tum quia cor gerit proximum capiti (Anſelmus ait : *Serpens habet cor juxta caput*, &c.) quò vertitur caput, ſequitur cor. Accedit, ſerpentem juxta occaſionum opportunitatem, quandoque auditum claudere, nonnunquam applicare ſtudiosè ad melius audiendum. Non pigeat legere Paſchaſium referentem ſic : *Dicunt enim aliqui eorum, pretioſiſſimas in capite gemmas geſtare : quas cum, ut eas poſſint auferre, velint incantare, imprimunt fortiſſimo lapidi aurem, & caudâ deſuper aliam cooperiunt, ne vocem audiant incantantis. Quo ſanè facto, & quod pretioſum eſt, cuſtodiunt, & vitam non amittunt :* &c. Econtrariò ſerpens idem timens inſidiantem, quaſi lateat poſt frutices, caput erigit audiens foliorum ſtrepitum. Hæc omnia poteris aptare prudenti. Flexibilis eſt ; non tamen leviter, ſed quà ducit caput, hoc eſt ratio, cor, id eſt voluntas movetur modò in unam, poſt ad alteram partem, conformiter ad occaſionum

Matth. 10. 16.

Rex Theodahad. apud Caſſiod l. 10. var. c. 31.

S. Ambroſ. to. 1. l. 6. Hex. c. 5. ante med.

Theodahad. prox. ſup. apud Caſſiod.

S. Anſelm. in Matth 10.

Paſchaſ l. 6. in Matth. ib.

caſionum circumſtantias, atque recta dictamina. Deinde ſæpiùs arrectis auribus minima percipere curat; aliquoties autem ſurdeſcere diligit. Proinde ſerpentum prudentiam optimo jure ſuis alumnis imitandam propoſuit Salvator: *Eſtote* &c. S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 24. oper. imperfect. in Matth. Non incedit longè Chryſoſtomus ad hæc verba. *Nolo vos eſſe ſemper ſicut ſerpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, ſed ſecundùm tempus & perſonas, mutetis & mores.*

55. *Aliquando timet potens quem odit, patientiâ & prudentiâ munitum.* *Odioſus eſt.* Relege ſupra delib. 4. n. 37. quâ viâ Salazar connectat hoc loco lectionem Septuaginta cum Vulgata: dixit enim, velle Salomonem aſſerere, prudentem, qui laudabiliter iram cohibet, patienter ferens injurias, eſſe inviſum carenti patientiâ. Quidquid ſit de hoc interpretandi modo quòd attinet ad litteralem ſenſum; in eo veritas continetur, quam experientia comprobat: nempe ferentem injurias longanimiter propter hoc ipſum odioſum eſſe multoties eis, qui furentes irâ comprimunt eumdem. Hujus odii motivum ſæpiùs trahit originem ab eo, quòd iracundus metuit ipſum, quem opprimit juxta celebre dictum Xenophontis: *Neceſſe eſt qui metui multis eſt, is multos faciat inimicos.* Xenophon. l. 5. Cyri. Dei providentia, ne cunctorum criminum, quæ potentes committunt, punitio differatur in longinquum, non ſemel propriâ manu delinquentium verberat ipſos; quatenus diſponit ut iidem timeant eum, quem perſequuntur; dum cernunt illum adeo munitum fortitudine, quòd tolerat æquanimis furorem poteſtatis adverſæ. Quandoque non verebuntur iſti multitudinem; & cavebunt hominem unicum patientiâ roboratum, & prudentiâ præditum.

56. 1. Reg. 18. 8. Sanct. ib. v. 8. n. 15. Eod. cap. n. 15. Herod. l. 3. 1. Reg. 18. 5. Abſciſſum Gigantis caput ferens David triumphator excipitur plauſu publico. Fuit hic ingrato Saüli non gratus: imo dixit: *Quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?* Commentatur Sanctius: *Quare prudenter meditabatur, illud tantum in poſterum reliquum videri, ut illi à toto populo, qui cantatricum verba, triumphalemque plauſum probaſſe videbatur, regnum traderetur.* Cum hæc ita ſint, dubitabam, quare Saül, ne regno privaretur, haud curavit quærere media, quibus contineret plebem in futurum ſapienter, ut non rebellione factâ Davidem regem proclamaret, atque Saülem projiceret è ſolio? Infra legitur, Saülem cœpiſſe cavere David: *Cœpit cavere eum.* Ab uno cavet homine Saül? &. non eſt illi cura frœnare populum, ne rebellet? Reſponderem ſic. Inſolentiam popularem novimus inſipientiæ mixtam. Dixit Quidam: *Populari multitudine nihil eſt neque inſipientius, neque inſolentius.* Non erat igitur quod adeo timeret plebem. At non miror, Saülem formidaſſe David: tum quia vidit patientiâ pollentem (nec enim verbum protulit innocens, cum Saül miſit lanceam, ut configeret eum): tum etiam quia cognovit ejus prudentiam. Prælege Textum. *Vidit itaque Saül quod prudens eſſet nimis, & cœpit cavere eum.* Adjuvaberis commentario Sanctii. *Contra ſe armari putavit prudentiam illam, & robur, quæ pro ipſius, ſuique populi ſalute, ac gloria laborabant: neque minus ſibi à Davide, quàm ab infenſo Palæſtinorum agmine cavendum exiſtimavit.* Sanct. ſup. ad v. 25. n. 28. Si videas hinc vel inermem, vel armatam contra teipſum turmam; illinc autem unicum virum prudentiâ vel patientiâ præditum, non admirabor, te magis ab iſto cavere, quàm à multitudine. Ideo fortaſſis prudens & patiens impatienti *odioſus eſt.*

FLOS XXVIII.

Poſſidebunt parvuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcientiam.

APERITUR.

1. PRIMÆ partis hujus parœmiæ ſit expoſitio prima, quam ſecundo loco Dionyſius Carthuſianus offert, dicens hîc: *Et etiam de parvulis ætate, qui ante annos diſcretionis ad inania inclinantur.* Dion. Carth. in Prov. 14. 18. Deinde Hugo Cardinalis accipit illa priora verba de ſapientibus ſapientiâ mundi. Hug. Card. ib. Utraque acceptio videtur arcta. Cornelius Alapide videtur hoc extendere ad omnes inſipientes; fortè mens ipſius eſt loqui tantùm de inſipientibus malis: explicans enim vocem, *Stultitiam*, ait: *Stultitia enim hîc practica accipitur, putà malum & malitia*, &c. Idem dico de Janſenio: qui ſic habet: *Parvuli ſenſibus, ac judicio, hoc eſt ſimplices, imperiti, & fatui* &c. Sic de iſto commentatore indico, notans quod addit: *Qui enim veram ſapientiam, non aſſecuti, tantum vanis hujus mundi bonis delectantur, ut verè parvuli ſunt ſenſu, ita nihil aliud, quàm ſtultitiam poſſident* &c. Cornel. uterque ibid.

2. Venio ad expoſitionem, quam adhibet Rodolphus huic primo dogmatis hemiſtichio, dicens: *Parvuli ſive decepti, qui omni vento circumferuntur, dum omnia facilè credunt, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: poſt magnos labores & ſtudia, nihil aliud quàm ignorantiam diſcentes, & ea quæ dediſcenda ſunt, meram ſtultitiam ex laboribus, veluti hereditatem aſſequuntur: nam à vera ſapientia (qui Chriſtus eſt) aliqui, cum alioqui vel ex divitiis hujus mundi, vel honoribus plurima aſſequuntur, ſtulti habentur: relinquent enim alienis divitias, & ſepulchra illorum, domus eorum in æternum.* Rodolph. ib. Sicut non impugnavi ſupra Cornelios, ita modò Rodolphum non improbo.

3. Sed magis arriſit mihi latior expoſitio Salazaris: cujus hæc ſunt verba: *Cæterum parvuli in univerſum appellantur omnes imperiti, & fatui quotquot ſuæ addicti ſtultitiæ ea ſapere & peragere non curant, quæ ad ipſorum ſalutem ſpectant.* Salaz. ib. n. 81. Aptiſſimè vocantur parvuli, qui prædicto ſenſu hærent in ſtultitiâ ſua. Proficuus eſt hîc Anſelmus, inquiens: *Qui enim non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis levitate, mulieribus & parvulis compa-* S. Anſel. com. 1. ad Cor. 14.

1. ad Cor. 14. 20. S. Anſelm. *randi ſunt.* Et idem ad Pauli verba ibi n. 20. *Malitia parvuli eſtote*, ſic ſcribit: *Et ideo nemo niſi ut puer intrat in regnum cœlorum. Eſtote ergo parvuli malitia, id eſt, deponite omnem granditatem, quam malitia ſuperbiæ facit, ut ſitis remoti ab omni malitia ſicut pueri*, &c.

4. Dion. Carth. & Hug. Card. in Prov. 14. 18. Nunc ad poſteriorem partem ſententiæ. *Et expectabunt aſtuti ſcientiam.* Commentatur Carthuſianus: *Quia in ſcientiis ſtudent proficere.* Notat Hugo Cardinalis quod jam ejus verbis propono: *Et dicitur hoc contra illos, qui præcipitare volunt tempus doctrinæ: cum ſcientia veniat quodam ordine & quibuſdam gradibus*: &c. Janſenius interpretatur ita: *Toto deſiderio ad ſcientiam cognitionemque Dei ac cœleſtium rerum feruntur*, &c. Adde Rodolphum: *Aſtuti expectant*, inquit, *ſcientiam & cognitionem Dei, tamquam laborum præmium*: &c.

Janſen. & Rodolph. ib.

5. Salaz. ib. Magis placet, quia viſitur amplior, expoſitio Salazaris, quæ de ſequentibus verbis ejus colligi valet. *Sermo autem*, inquit, *eſt de ſapientia illa, & cognitione practica, qua mens noſtra ad bene operandum inſtruitur. Eam verò expectare ſatis accommodatè dicuntur: quia ſcientia hæc, quæ ferè in prudentia conſiſtit, non ſubitò, ſed tempore, & experimento comparatur, atque adeo expectanda eſt non prævertenda.* Favet etiam Cornelius Alapide, dum ait: *Hoc eſt, prudentes ſtudebunt ſcientiæ & virtuti, patienter expectantes ſtudii & laboris ſui fructum, ut ſcilicet ſcientiæ & virtutis perfectionem aſſequantur*, &c. Optimum tamen conſilium eſt, ut ſapientia non inquiratur ſolis mediis humanis. Lege Caſſiodorum. *Deſideremus*, ait, *nobis à patre luminum proficuam ſalutaremque ſapientiam debere concedi. Quanti enim philoſophi hæc ſolummodo lectitantes, ad fontem ſapientiæ non venerunt, & vero lumine privati, ignorantiæ cæcitate demerſi ſunt! Quoniam, ſicut à quodam dictum eſt, nunquam poteſt pleniſſimè inveſtigari, quod non per viam ſuam quæritur.*

Cornel. Alap ibid.

Caſſio l. 1. divinar. lect. c. 28. juxta med.

6. Lect. Heb. Prov. 14. 18. Singulatim percurramus gnomen ſuprapoſitam. *Poſſidebunt.* Hebræa ſic habent: *Simplices hereditate acceperunt ſtultitiam*: &c. Forſan innuitur ſic prædicta fatuitas ad modum hereditatis deveniens à parentibus ad filios & nepotes. Hoc tantum certò novi, quòd, cum ſæpiùs paterna bona continuentur in genitis; necnon in illis, quæ nequaquam numerantur inter divitum poſſeſſiones, gnatus imitatur frequenter genitores. Chryſoſtomus: *Extra regulam naturæ rarò procedit, ut diſſimilis naſcatur filius parentibus ſuis.* Ergo patres qui tam enixè ſoboli proſpiciunt, attendant ſibi; ne monſtra progignant moribus horrenda.

S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 45. op. imp. in Matth.

7. *Parvuli.* Quamvis anima ſit expers quantitativæ molis; invenitur in aliquibus mira magnitudo; ſicut in aliis puſillitas. Iſtas menſuras frequentiſſimè, dum alios judicamus, infideliter metimur: unam litteram abſtuli, nolens proferre: Mentimur. Qui deſiderat in hac re verum, quatenus datur attingere, conſulat inter alios Ambroſium: qui ſuper illud apud Lucam: *Erit enim magnus*, loquitur ſic: *Non corporis hîc, ſed animæ magnitudinem declaravit. Eſt coram Domino magnitudo animæ magnitudo virtutis. Eſt etiam pravitas animæ, & pueritia virtutis. Juxta enim animæ & corporis numeramus ætates, non pro ratione temporis, ſed pro qualitate virtutis: ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adoleſcentiæ animi maturitate non ſentiat. Puſillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuiſſe proceſſum.*

S. Ambroſ. to. 3. l. 1. in Luc. c. 1.

8. *Stultitiam.* Multa ſunt ſtultitiæ genera, quæ numerare nunc omitto. Breviter ſolummodo notabo, tamquam peculiariter fugiendam, ſtultitiam quamdam, quæ radix multarum eſt: qua laborant illi, qui ſe neſcire neſciunt. Per hanc via præcluditur ad ſcientiam: quomodo namque peroptabit homo noſſe quod jam putat ſe comprehendiſſe. Multa reſtant nobis addiſcenda: priùs tamen imperitiam noſtram oportet agnoſcere, ut periti ſimus. Dono tibi dictum Principis Apoſtolorum diſputantis cum Simone mago, quod refertur apud S. Clementem Romanum: *Si verè*, (inquit ad Magum Petrus) *vis diſcere, diſce hoc primum, quam imperitè interrogaveris*: &c.

S. Petr. Apoſt. apud S. Clem. Rom. l. 3. recognit. longe poſt princ. 9.

9. *Et expectabunt.* Spes laudabilis ad ſapientiam practicam reducitur. Hæc potuit eſſe mens philoſophi cujuſdam: ſententia cujus à Mapheo refertur ſcribente: *Chilo quoque Lacædemonius, qui cum interrogatus eſſet quo differrent periti ab imperitis; bona, inquit, ſpe.* Plures dedi ſparſim ſpei rectæ laudes. Modò non pœnitebit Apponium adjicere: qui ſuper illud Canticorum: *In cellaria ſua*: ſic habet: *In illa proculdubio cellaria*, ubi ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Et infra: *Summa ergo perfectionis, ſperare in Deum eſt: in ſpe enim conſiſtit quicquid in ſupraſcriptis cellariis congregatum eſt.* O ſpem ter felicem! quæ roborat hominem, dirigit, atque ditat.

Maphe. Veg. l. 1. de perſev. relig. c. 3 ante med.

Appon. l. 1. in Cant. c. 1.

10. *Aſtuti.* Aliorſum quondam dixiſſe memini, licet ordinariè loquendo nomen aſtuti ſumatur in malam partem; ſæpè nihilominus in bonam accipi valere. S. Auguſtinus ait: *Non ſicut noſtra loqui Scriptura conſuevit, quæ ſæpè aſtutiam in bono ponit. Unde*: Eſtote aſtuti ut ſerpentes. *Et illud*, ut innocentibus det aſtutiam: *quamquam & apud illos, Romanæ linguæ diſertiſſimus dixerit*: Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut aſtutia deerant, *aſtutiam ponens in bono: ſed apud illos rariſſimum, apud noſtros frequentiſſimum eſt.*

S. Aug. to. 2. ep. 29.

11. *Scientiam.* Nota, ſcientiam practicam non in ſolo ſiſtere intellectu; ſed ad voluntatem, & actionem rectam extendi: quin & alia ſuperaddenda ſunt, ut perfectè ſciens practicè quis dicatur. Si quæras à me quænam ſint iſta; libens ad S. Iſidorum Hiſpalenſem te remitto. Dixit ille: *Perfecta autem eſt ſcientia, multa agere bona, & de illis laudem non quærere, quæ Deus præcepit facere, & ſeſe ſervum inutilem ante Dei oculos exiſtimare.* Operæpretium igitur erit, ut noſipſos reputemus tamquam parvulos elementa diſcentes, in iis, quæ pertinent ad animam, ut ad veram ſcientiam denique pertingamus.

S. Iſid. Hiſp. l. 2. de diff. ſpirit. n. 33.

Obviæ

Obviæ ſunt litteræ, hoc eſt creaturæ: de quibus alphabetum offeram: ſumens occaſionem à dicto Cardinalis Hugonis in hunc locum. *Sapientes*, inquit, *autem hujus mundi ideo parvuli appellantur à ſanctis: quoniam quaſi pueri abecedarii & elementarii in libro univerſi pulchritudinem creaturarum, quæ ſunt litteræ hujus libri, mirantur: & intellectum & ſcientiam earum, quæ eſt Dei potentia, & ſapientia, & bonitas, omnino non capiunt.*

Hug. Card. in Prov. 14. 18.

ALPHABETUM ORBIS.

Ad ſpiritualem eruditionem, ex litteris mutis; quæ ſi perpendantur, fient vocales.

Aër, bruta, cælum, dies, eclipſis, fontes, gramina, heliotropium, ignis, lux, mare, nix, oriens, poma, quiſquiliæ, roſa, ſol, terra, valles, xylon, zodiacus.

DELIBATIO I.

Alphabeti ſpiritualis prima pars.

12. *Gratia penetrat interiora, non obſtante reſiſtentia.*

A. *Aër.* Elementariam doctrinam ſumamus imprimis ab elemento; cujus facili paſtu reficitur cor noſtrum, dum reſpiramus. Ab aëre, inquam, dolor cordis noſtri compreſſi per anxietatem ortam à criminibus, tamquam ab inſtrumento ſalutaris meditationis erigatur in ſpem, ut jam propono. Divinitatem figurat Aër. S. Anaſtaſius Sinaïta: *Eſt autem aër quoque typus ac figura Divinitatis, quæ non poteſt exinaniri.* Meditando procedamus. Conatur aliquis claudere ſe per hyemem tam exactè, ut aër non ingrediatur ad illum; ſed fruſtra: nam per minimas ille ſciſſuras pervadit ad ipſum. Sic multoties peccator, in rebus animæ totus frigeſcens, concludit oſtia ſpiritûs Deo: nihilominus per brevem rimulam datâ portâ (verbî gratiâ cum ex conſideratione morientis amici perpendit homo brevitatem vitæ) miſericordia Conditoris ingreditur pectus humanum, & conſequitur quod expectaverat illa diù. Pro miſerationis Filii Dei piâ laude manuducamur à Cardinali Goffrido. *Hujus*, ait, *piiſſimi Redemptoris noſtri eſt incomparabilis amicitia, incomprehenſibilis patientia; qui hominem, pro quo paſſus eſt mortem, quotidie peccantem patitur, diù expectat, & ut revertatur ad ipſum, non ſolum veniam, ſed mercedem pollicetur.* Admirabilis eſt gratiæ cœleſtis clementia, quæ penetrat intima, quantumvis duritie concluſa nimis: interiora permeat, quin reſiſtentiæ cedat.

S. Anaſtaſ. Sinaï. l. 1. in Hexa. longe ante med.

Cardin. Goffrid. ſer. 2.

13. Iſaï. 30. 22. 23.

Apud Vatem Evangelicum ſequentia leguntur: *Egredere, dices ei: & dabitur pluvia ſemini tuo*, &c. Juxta Liranum ad litteram pronomen, *Ei*, refertur ad idololatriam. Si verò requiras ulterius quid ſignificetur nomine pluviæ; Gloſſam Interlinearem verbo, *Pluvia*, notantem invenies ita: *Gratia Spiritus ſancti.* Liram deinde lege, dicentem: *Et recipientibus ipſum per fidem, data eſt pluvia gratiæ Dei.* Sciſcitabatur nonnullus, quare non confertur hîc gratia luci; cum lux terris aſſiſtat per totum anni circulum; non ita verò pluvia? Reſponderem: quia ſplendor non illuminat viſcera terræ; pluvialis aqua, licet illa per duritiam ſuam reſiſtat, nilominus permeat, ut riget intima, ſaltem per tenues rimas. Accommodata proinde nimiùm eſt metaphora pluviæ, quò divinæ gratiæ ſollicitudinem laudemus. Obduratur præcordiis delinquens; & adhuc via patet imbri cœlitus miſſo, permeaturo in præcordia cum effectu in occaſione congruâ, quam prævidit Omniſcius: nec prævalebit obſtinatio miſeri, ne Deus interim ad reſiſtentes fores pulſet; donec aperiat ille. Hyems peccatorum hominem infrigidans, ipſi perſuadet ut animæ januas fortiter occludat: nihilominus Dei gratia; quin & ipſe Dominus, velut benignus aër, ſe denique mittet intrò.

Interlin. ib.

Lira ibid.

B. *Bruta.* Inſipiens factus homo per peccatum poteſt à brutis in pluribus edoceri. Animantia quidem extant capacia vitæ ſolius caducæ, nec nobilitate ſublimîs. Attamen ſollicita ſunt ad ejus conſervationem; inſtinctu quandoque mirabili quærunt utilia, noxia vitant. Hoc meditantes, ne ſimus deteriores pudendè ſenſitivis animalibus, curam adhibebimus, prout par eſt, ut vitam ſpiritualem non amittamus: quæ citra comparationem ullam ſuperexcellit vivendi uſum datum irrationalibus. Fruere Magno Baſilio. *Si ſermone percurramus quanta inſit brutis his circa doctrinam & naturalis ſuper vita ſuiipſorum cura, aut ad noſtram ipſorum cuſtodiam, & ſalutis animarum providentiam commovebimur, aut amplius condemnabimur, cum inventi fuerimus etiam imitatione brutis inferiores.* Illud præcipuè notandum, quòd brutorum aliqua naturaliter præſentiunt futura quædam. Rurſus Adde Baſilium dicentem de quibuſdam brutis: *Prænotiones porro mutationis circa aërem, qualem non prudentiam rationalem occultant?* Et infra: *Quid per hæc nobis hominibus commonſtratur? Non ſolum quòd per omnia Conditoris noſtri cura permeat, ſed quòd etiam in brutis quidam futuri ſenſus ſit, ut & nos præſenti vitæ non addicti ſimus, ſed de futuro ſæculo omne ſtudium habemus.* Ecce ratione carentia non ſolùm ad præſens attendunt; ſed præveniunt ventura. Doceamur nos hinc nequaquam præſentibus inhærere; ſed futurorum ſollicitos invigilare. Congruentiſſimum eſt, ut mutam doctrinam ſuſcipere curemus, vel de minimis animalibus, ut ſic ad majora conſcendamus, & prudenter cogitemus de vitâ non periturâ; nec ſola, quæ ſunt ob oculos poſita, cogitatione verſemus.

14. *Non tantùm cogitemus præſentia, ſed futura.*

S. Baſil. Mag. hom. 3. in Hex.

Idem. ib.

Pro veritatis hujus confirmatione Salomon obvius eſt: qui variè conditum ſalutiferæ doctrinæ potum exhibens, iſta miſcet: *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam*: &c. Scio, nimis induſtrioſam eſſe formicam. Sed an induſtriâ caret vulpes non modicâ? Notæ ſunt hujus artes: quibus & commoda quærit;

15. Prov. 6. 6.

quærit; & nocturna fugit. Ergo quare Parœmiaſtes hoc loco pigrum non remittit ad vulpem, ut prudentiam addiſcat, & abſtinens à culpâ dolos ejus imitetur? quid peculiarius in formica pro magiſterio rationalis creaturæ? Puto, quòd formica non attendit ſolum præſens tempus: curat etiam de venturo; cui præparat cibum. Neſcimus hoc de vulpe; de formica verò legimus apud Salomonem: *Parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Animalculum iſtud igitur imitabile viris, quibus animæ cura. Non deſiſtam à doctrina S. Baſilii Magni. *Non*, inquit, *laborabis pro teipſo ô homo? non in præſenti ſæculo prædepones ac recondes requiem futuri ad formicæ exemplum reſpectu habito? quæ in æſtate alimentum hyemale ſibiipſi recondit* &c. Meminiſti philoſophum illum, qui peroptans addiſcere peregrinatus fuit in regiones longinquas. Non id tibi neceſſarium ad hoc, ut circa res animæ congruentes meliùs philoſopheris. Dum congregas in horrea nec ſollicitus extas de ſpiritualibus, adeſt ibi quô mentem erigas ad vitam futuram ſapienter. In agro, quo meſſem ventilas, ut purges, adverte formicarum ſibi providentium velut ingenium: & ſapientiam acquires à brutis exiguis non parvam.

Ib. n. 8.

S. Baſil. Mag. ſup.

16. *Per crucem itur ad regnum cœlorum.*

C. *Cœlum.* Heus tu, qui terrenis inhias, aliquando tandem ſaltem corporis oculos jam leva miſer ad cœleſtia; ne voluptatum floribus totus intentus putes, fructum, qui manebit in æternum, in hortis inveniendum, quos appetitus colit cæcus & vigil. Legitur ille fructus in paradiſo cœleſti; quò non itur per floridam viam; ſed regio crucis itinere. Cœlum ſuſpice: non difficulter veniet in mentem crucis figura; cujus extrema ſunt quattuor: oriens, occidens, meridies, & ſeptentrio: qua ductus imagine prudens notabis, non niſi per crucem eundum nobis ad cœleſtia. S. Ambroſius: *Cœlum*, ait, *quoque ipſum hujus ſigni figura diſpoſitum eſt. Nam cum quattuor partibus, hoc eſt oriente & occidente, meridiano & ſeptentrione diſtinguitur, quattuor quaſi crucis angulis continetur.* Sic voluit Providentia creatrix, ut hac occaſione, dum in ſupernam patriam erigimus lumina quatenus valemus, nequaquam oblivioni traderetur, crucem eſſe viam, qua tenditur in cœlum. Piè dixit inſignis aſceticæ doctrinæ Magiſter: *Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum? In cruce ſalus, in cruce vita*, &c. Noverint proinde mortales, per crucem ad regnum cœlorum iterfieri.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 52.

Thom. à Kemp. l. 2. de imit. Chriſt. c. 12.

17. Matth. 24. 30.

Loquens Dei Filius de finalis judicii die, hæc verba deprompſit ore. *Tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo*: &c. Hugo Cardinalis ibi: Signum Filii hominis in cœlo, *id eſt crux in aëre.* Cupiebam indagare motivum, cur in die formidabilis iræ publicè conſpicietur miſericordiæ ſignum? Tunc equidem crux proficua non erit malis, ut ſeverum judicem ad clementiam flectat. Ut quid igitur apparebit? Additur alia dubitandi ratio. Dies illa Redemptori noſtro glorioſa plurimùm erit: quam proportionem cum luce triumphali vendicabit crux inſtrumentum dolorum? Reſponſum ſic mens obtulit. Deſcendent cum Patris Unigenito judicaturo Sancti, qui mediante cruce, cui fuere confixi cum Chriſto, conſcenderunt ad cœleſtem Jeruſalem. Finito judicio totius univerſi, regreſſuri ſunt ad ſolia. Eſt utique juſtis *crux ſcala in cœlum deducens*, ut verbis utar Andreæ Cretenſis. Propterea crux in aëre videbitur; ne, ſi non aſpicerent eam inter cœlum ac terram Sancti, dicere poſſent (ſic liceat nobis humano more fari): En reverſuri ſumus ad Eccleſiam triumphantem: ubinam eſt illa ſolita via, per quam venitur illuc? crucem non intuemur: quà ibimus? recordamur, quòd ex mortali vita per illam ſurſum fecimus iter: quà nunc iterum pergemus in cœlum? Sic ii loqui poſſent: non ut ignari; ſed ut crucis amatores. Qui legis hæc, memori corde repone, crucem parare felicem iterfactionem ad cœli Regiam: attende proinde crucis figuram in orientem, occidentem, meridiem, ac ſeptentrionem protenſam, cum palpebras applicas ad cœlum.

Andre. Creteſſ. or. 1. in exalt. S. Cru.

18. *Cautus ambulet homo tempore proſperitatis.*

D. *Dies.* Lucis ac tenebrarum ſpatia taliter alternari voluit ſapientia Conditoris, ut ſubſequeretur diem nox: & cum Deus potuerit ſplendorem perennem terris exhibere, magis elegit vices ita mutari. Vulgatum eſt, proſperitatem diei ſymbolo deſignatam; ſicut econtra per obſcurum noctis ænigma figuratur adverſitas. D. Iſidorus Hiſpalenſis: *Nonnunquam dies proſperitatem ſignificat ſæculi: nox verò adverſitatem.* Igitur ex emblemate diei deducere poſſumus inconſtantiam ridentis fortunæ; quò diſcrimen paveamus imminens fortunatis. Imo quamvis nil de nocte cogitemus, ac fulgentiſſimâ die potiamur; adhuc occurrit motivum ſervandæ prudentis cautelæ: quod viſitur conſiderato calle terreno, quô gradimur. Periculis ille ſcatet, quæ docet experientia, ratioque monet. Sicut igitur viam carpens homo per ſalebroſum iter, etſi ſplendeat clariſſimè toto jubare ſol, attentè vadit, ne ruat; ſic viator Chriſtianus, quantumvis effulgeat ipſi lucidiſſima proſperitatis dies, non iſti fidat, quia fallax reperitur identidem. Ad illud Pſalmi: *Fallax equus ad ſalutem*, dixit ex Caſſiodoro Bruno Herbipolenſis: Equum *ponit pro felicitate humana, quæ homines ſic portat & accipit, ſicut* equus fallax. *Ille enim dum appetit campos, ſolet incautos fallere in ſe præſumentes, ideo dicitur fallax equus.* Qui vehitur equo, quamvis clarâ die, per ſtratam nimis ad lapſum periculoſam, dubiis habenis, equi paſſus metitur ſollicitus, quaſi per tenebras incederet. Non aliter progrediatur ſapiens tempore læto: viam diu faciat, quaſi carperet eam noctu.

S. Iſid. Hiſp. l. de natu. rer. c. 1.

Pſal. 32. 17.

B. Brun. Herbip. ib. ex Caſſiod.

19. Job. 29. 3.

Jobus ad priſtinam felicitatem redire cupiens, illam plura dicens enarrat. Id nobis occurrit nunc meditandum, quod ait: *Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum*,

meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Secum pugnare videntur hæc verba: nam ſi lucerna Domini ſplendebat ſuper caput Job; quomodo procedebat hic in tenebris; cum illuminaretur prædicto lumine? Pro ſolutione dubii non prætermittendi, nota quid poſſis ibi ſumere nomine lucerne. Felicitatem hic accipere ſub iſto vocabulo valebis. Utere Philippo, quem refert Pineda ſic dicentem: *Multis modis lucerna in Scripturis appellatur: hîc verò potuit Job pro gloria temporali dixiſſe, quam à Deo acceperat.* Juxta ſenſum iſtum erit proclive laudare Jobi prudentiam: qui licet olim ambularet ad lætam proſperitatis lucem, tamen ſapienti cautela pergebat, velut in tenebris poſitus; ac ſic, diſcrimina fortunam ſuam dexteram comitantia, ſuperabat. Aliqualiter favet nobis lectio Vatabli præcipitato loco: *Illius favore vincebam ſummas tribulationes, rerumque difficultates*; &c. Qui ſortis riſu non decipitur, meminit periculorum, quæ latent ſub illius jucundâ facie; quò vigilet, atque providus incedat. Non ita ſe gerunt ii; qui ſic amant volare, quòd ſuperflua gaudia ſectantes omittunt conſervationi ſuæ neceſſaria, certoque periculo ſemet exponunt. Similes utique ſunt formicis: de quibus dicitur, poſtquam naſcuntur ipſis alæ, tam veluti præſumere de volatu, quòd obliviſcuntur cibum, & moriuntur. Apologum quibuſdam felicibus applica, duce Petro Comeſtore; qui ait: *Proſperitas eſt, quæ virtutes animi enervat, viros effœminat, oculos mentis excæcat, vitalem ſpiritum ſuffocat. Hæc autem tentatio volatilis dicitur: eſt enim ſimilis formicæ volanti, quæ adeo hilaris eſt, quod oblita ciborum tabeſcit volando, & moritur.*

Philipp. apud Pined. in hunc loc.

Lect. Vata. ib.

Petr. Comeſt. ſer. 14. in Dom. 4. quadrag.

20. *Dei majus beneficium traditur facilius obli-vioni.*

E. *Eclipſis.* Ad potentum præcelſiorum utilem, quamvis non gratam, doctrinam, providit Omnipotens, ut ii tantùm, quos novimus principes inter luminaria cœli (nempe ſolem atque lunam) contingat per eclipſes obnubilari. Hoc evenit ſoli per lunam interpoſitam. Sed notandum, iſtam non niſi cum plena, radiis opponi ſolaribus. Nicetas Choniates: *Cum enim luna ſublimiore orbe circumvehitur, eo ſcilicet qui ſoli propinquior eſt, parum abeſt, quin tenebras illi offundere videatur: cum autem pleno orbe, juſtaque ſui magnitudine conſtans inferiora permeat, tunc ſcilicet oculos illa noſtros ſplendore ſuo perſtringit, & integro ſoli opponitur.* Nota primò, lunam ſic velut offendere ſolem, quando plus fulgoris, quàm priùs, accipit ab eo. Nota ſecundò, ſolem deſignare Deum, lunam verò naturam humanam. S. Theophilus Patriarcha: *Ut,* inquit, *ſol plenus ſemper conſpicitur, nec unquam diminuitur: ſic Deus perpetuò perfectus exiſtit, plenus potentia, intellectu, ſapientia, immortalitate & reliquis bonis omnibus. Luna ſingulis menſibus occumbit, ejuſque potentia emoritur, hominis conditionem oſtentans*: &c. Hinc emergere poſſumus ut execremur ingratitudinem, quam Deo rependimus ob tanta beneficia. Juvarique poteſt iſta moralis conſideratio per eclipſim lunæ; quam obſcurat umbra terræ: telluris, inquam, tot influxus utiles accipientis ab ſtellarum regina. Nicetas proximè citatus: *Itaque luna tunc nobis obſcura, deficientique ſimilis videtur, cùm in umbram telluris inciderit.* Iſtam velut offenſam non inferunt lunæ creaturæ quædam ſublunares, quibus eſt minus benefica; ſed terra, cui favet abundanter adeo. Proſequamur ænigma. Sanè mortales eò magis ingrati reperiuntur Altiſſimo, quò ſuſcipiunt plus ab eodem. Imo dicam, faciliùs oblivioni tradi donum Dei majus. Muneris tædere vitium extat ingratorum: quamobrem quò magis excellit ipſis donatum beneficium, eò ſubeſt ampliùs oblivioni. Opus beneficentiæ grandius acceptum ſepelitur ab homine faciliori negotio per oblivium.

Nicet. Choniat. l. 1. theſau. orth. fid. c. 11.

S. Theophil. Patriar. Antioch. l. 2. ad Autolycum. longe poſt med.

Egreſſi fuerant Hebræi de ſervitute Pharaonis, omnipotentiâ juvante, Moyſeque duce. Deinceps occurrentibus Amalecitis, pugnaverunt adversùs eos. Dimicabat Joſuë, Moyſes orabat, & profligatus eſt Amalec. Dixit, poſt gubernatori plebis Dominus: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Joſuë: delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo.* Commentatur Liranus: *Id eſt ad memoriam perpetuam.* Fateor, memorandam fuiſſe victoriam ejuſmodi partam ab Amalecitis hoc loco. Sed nonne memoriâ dignum fuit aquas dividi rubri maris ut populus pertranſiret? quare non jubetur ſtatim litteris mandari per Moyſen æquoris diviſio miraculoſa? Quia majus donum extitit ſupradicta victoria: propterea que periculoſius erat ut è memoriis Judæorum decideret. Majus, inquam, donum fuit Amalecitarum debellatio: quia partitio mirabilis aquarum, ſecundùm ſe conſiderata, non ſubegit Iſraëlitis hoſtes: quin etiam per iter idem ſunt inſecuti filios Iſraël. At verò auxilium Domini potentis exercituum deſtruxit adverſarios Amalecitas. Iſtud ſecundum beneficium oportuit ſcribi per Moyſen ad perpetuam rei memoriam: quia fuit excellentius; & ſunt procliviores homines, ut illud Omnipotentis donum, quod amplius fuerit, excidat è memoria. Propterea fit, ut, cum pluribus à Deo muneribus replemur, tunc magis adversùs illum audeamus: more lunæ, quæ ſolis opponitur ſplendori tunc temporis, quando per plantarum præſidem luce donatur uberiori.

21.

Exod. 17. 14.

Lir. in com. ib.

22. *Multùm Deus gloriatur in eo, quòd ad ipſum accedant parvuli.*

F. *Fontes.* Aquam ſapientiæ ſalutaris nobis propinat fons quilibet, ſi largitatem ejus attendamus, & mentes ad liberalitatem divinam ſublevemus. Fontalis unda profluenter ebulliens in agro, cunctis exhibet ſe liberalem: parvulos non repellit: proceras arbores irrigat; ſed minimos floſculos non deſerit. Spirituales oculos erigamus ad perennem totius boni fontem Deum: cui ſic loquitur Nyſſenus: *Tu enim revera Domine, purus ac perennis fons bonitatis es, qui juſtè nos averſatus, ac benignè noſtri miſertus es.* Adde S. Maximum: *Deus*, ait, *igitur dicitur fons, velut quidam parens & principium atque cauſa eorum omnium*

S. Greg. Nyſſen. orat. de S. baptiſm. ante fi.

S. Maxim. in ſchol. ad S. Dionyſ.

Areop. l. de divin. nomi. c. 22.

quæ apparuerunt, & devenerunt ad eſſentiam. Non miror, omnium Dominum cunctis adeſſe: laudare non deſinam quantum glorietur quòd ad ipſum veniant parvuli. Dignam laudem benignitatis hujus non expectes à rudi noſtro calamo: potiùs lege Chryſoſtomum: *Obliti*, ait, *diſcipuli*

S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 32. op. imperf. in Matth. longe ante fi.

puerilis innocentiæ, vetabant ad Chriſtum pueros quaſi indignos accedere, ad quorum ſimilitudinem ipſi fuerant invitati. Nam quis mereatur appropinquare Chriſto, ſi repellitur ab eo infantia ſimplex? Putabant enim ſe honorem facere Chriſto, damnum facientes gloriæ ejus. Nam quemadmodum damnum eſt medico, ſi ſubtrahantur infirmi: ſic damnum eſt Chriſto, non habere quos ſalvet. Si enim expectans Samaritanos peccatores, de quibus ipſe mandavit, quaſi de indignis, In civitates Samaritanorum ne intraveritis: *tamen ſic de adventu eorum gaudebat, ut diceret: Eſcam habeo manducare, quam vos neſcitis: putas quantò magis eſuriebat ſalutem innocentium puerorum?* Majeſtate plenum quid eſt, quòd præcelſi Dominum quærant: ſed magis ipſe gloriatur in eo, quòd inquiratur ab humilibus. Parvulos gaudet ad ſe trahere manu propriâ; cum aliquando dimittat creaturæ ducere magnos ad ſemetipſum.

23. Ad videndum Regem natum recenter in Bethlehem puerum Jeſum advocati ſunt Magi per ſtellam: quæ duxit eos, ac denique ſtetit *ſupra, ubi erat puer.* Sed loquamur conformiter ad ſenſum Theophylacti: cui placuit aſſerere, ſub figura ſideris Angelum duxiſſe viatores illos orientales. *Quando audis ſtellam, ne talem putes illam, quales videmus: ſed divinam virtutem, & Angelicam in figura ſideris apparentem.* Non reluctor; cum notum ſit, Angelum paſtoribus evangelizaſſe nativitatem Salvatoris. In illo tantùm hæſito, quòd iſte cœleſtis miles comitatus non fuerit paſtores ad præſepe; Magos autem duxerit ſpiritus Angelicus, ita ut venerit uſquedum ſtaret ſupra locum ubi manebat Puellus divinus. Cur ita? Quia Magi reges erant, ut Cyprianus docuit, inquiens: *Non ſatis eſt quod Angeli locuti ſunt paſtoribus, quod apparuit ſtella Regibus*, &c. Minus Dominus gaudebat magnos ad ſe vocare: propterea dimiſit Angelo ſub ſpecie ſideris apparenti ducere ad ſtabulum hoſpites regios. Cum verò plus gloriaretur adventu parvulorum (qui ſcilicet incumbebant gregis cuſtodiæ) non commiſit Angelo ductorem ipſorum agere; ſed per ſemetipſum deduxit eoſdem: ſcilicet movens eorum animos, ut irent ad infantem natum nuperrimè. Vide qualiter pateat cunctis, maximis & minimis, inexhauſtus bonorum fons.

Matth. 2. 9.

Theophylac. com. in Matth. 2.

S. Cyprian. de baptiſmo Chriſti. in princ.

DELIBATIO II

Secunda pars Alphabeti ſpiritualis.

G. *Gramina.* Cum ad quærendas eſcas natura brutorum arte careat, qua pollet rationalis creatura; non dedignata fuit Altiſſimi liberalitas providere cibum irrationalibus à terra progerminatum largiter, & ultroneè. Quis non, affluentiam iſtam Dei recogitans in pecora, confidet ſtabiliter divinæ providentiæ circa ſe? qui non deſeruit bruta, quomodo contemnet curare de filiis? Ad illud ſcriptum apud Matthæum: *Pater veſter cœleſtis paſcit illa*, Paſchaſius ait: *Exaggerat ergo fiduciam filiorum & confirmat; unde patrem etiam ea paſcere teſtatur quæ minima ſunt, & propter filios ſunt creata. Quod ſi bonitas largitoris ad illa ſe extendit, quantò magis ad eos, quos ſorte adeptionis ſibi computavit in filios?* His & ſimilibus motivis corroboremus fortiter ſpem noſtram. Hæc vulgò dicitur ſimilis flori dulcem fructum germinanti; licet flos inveniatur amarus, cùm ore maſticas illum. Similiter expectatio recta germen edit ſuave; quantumlibet ſperantis animus præ dilatione ſentiat amaritudinem. Nollem tamen, ut ſpes imitaretur fragilitate florem: accipiat à confidentia robur: nam dixit S. Ambroſius: *Robur enim ſpei noſtræ, & quædam ſperantis auctoritas, confidentia eſt.* Dimitto peccatoris laudabilem ſpem, ſatis communiter debilem; nec mirabor in ægroto miſerrimo ferè nihil inveniri non infirmum. Laudabo potiùs juſti ſpem, utpote quæ ſolidis undequaque radicibus firmatur. Hoc adeo verum eſt, ut ſimilis videatur illa poſſeſſioni; quaſi teneret homo rectus quod jam venturum præſtolatur.

24. *Juſti ſpes aſſimilatur poſſeſſioni.*

Matth. 6. 26.

Paſchaſ. l. 4. in Matth. ib.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 118.

25. Peracto jam conceptionis divini Verbi myſterio Deiparens aſcendit in montana; quò gravidam inviſeret cognatam. Apud iſtam Virgo manſit: & forſitan hoſpitium diſtulit ad tempus etiam poſt nativitatem Baptiſtæ. Genitor hujus obmutuerat pro incredulitatis pœna: tandemque factâ die, qua circumciſus fuit genitus; pater interrogatus qualiter vellet ipſum nominari, nomen illius Joannem ſcripſit: & illico ſolutâ linguâ miraculosè locutus eſt. Notatu digna ſunt illa verba Cantici Zachariæ: *Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*: &c. Commentatur Beda: *Viſitavit autem Dominus plebem ſuam, quaſi longa infirmitate tabeſcentem, & quaſi vindictam ſub peccato unici filii ſui ſanguine redemit.* Aliqualiter hærebis in eo quòd Zacharias loquatur de redemptione quaſi jam factâ; cum adhuc longa tempora diſtarent, ut conſummaretur. Non deſiſtemus, quin aliquid morale de prædicto modo loquendi colligamus. Expectabat grandævus, populum ab incarnato Deo redimendum; non qualicumque ſpe, ſed plenâ confidentiâ.

Luc. 1. 68.

Bed. in com. ib.

Juſtus

Luc. 1. 6. Juſtus erat is atteſtante ſacro Textu : *Erant autem juſti ambo ante Deum*, &c. Rectorum ſpes veluti fruitur bono, quod abeſt. Idcirco fortaſſis locutus eſt de redemptione populi, quaſi jam omnino peracta : nam expectatio juſti veluti poſſeſſionis privilegio potitur. Videri poſſunt quæ dixi to. 1. fl. 23. delib. 2. n. 18. pag. 481.

26. *Videtur Deum plus gaudere de tenui laude noſtrâ, quàm ſi poſſemus eum perfectiùs laudare.* S. Iſid. Hiſp. l. 28. orig. c. 9. ante med. Paſchaſ. expoſ. Pſal. 44.

H. *Heliotropium.* Flos eſt non adeo magnitudine mirus, quàm ſolis (ut ita dixerim) amore notus. Cum oritur luminare majus, aperitur quaſi plaudens Phœbo ; clauditur autem eodem occumbente, tamquam ſi doleret abſentiam ſibi favorabilis planetæ. S. Iſidorus Hiſpalenſis de ipſo pronuntiat : *Nam & ſole oriente flores ſuos aperit, item ſerò claudit, cum ſol occubuerit.* Adde Paſchaſium : *Sunt*, inquit, *& Heliotropii flores, qui profectò gaudent ad ortum ſolis, cujus colorantur intus foriſve fulgore, & ſequuntur quantum fas eſt poſt veſtigia, ita ut neſciant niſi ſolem inſpicere.* Liceat inſenſibili quæ propria ſunt rationalium arrogare. Quodammodo videbitur hæc planta laudare principem aſtrorum. Non multùm audeo ; cum David invitaverit ſenſu carentia, ut afficerent laude Conditorem. Flos ille non equidem ſolis encomia profert ; ſed quaſi laudat, ſicut valet imperfecto modo. Nos qui Deo comparati nihil ſumus, eum collaudemus, ut poſſumus ; quamvis nunquam pervenire poſſimus ad laudationem Deo perſolvendam quantùm laudabilis eſt. Humiliter & egregiè dixit S. Cyrillus Jeroſolymitanus : *Si ergo tanta cœlorum magnitudo Deum pro dignitate laudare non poteſt, quomodo tandem cinis viliſſimus & minimus, dignas laudes Deo poterit tribuere ?* Cum hoc tamen ita ſit, non ideo ſuadet humilitas vera quòd à Deo laudando penitus abſtineamus, agnoſcentes imperfectionem noſtram. Ergone, quia lumina figere nequimus in ſole velut aquilæ, propterea non audebimus ejus lucem, prout poſſumus, intueri ? Lege rurſus eumdem Cyrillum. *Nunquid igitur*, ait, *quia totum fluvium ebibere nequeo, id quod mihi commodum eſt, ſub menſura non hauriam ? nunquid cum ſolem oculis comprehendere nequeam : etiam lucis illius uſum quantum ſufficit non aſpiciam ? & ſi in hortum magnum ingreſſus fuero, & omne genus fructuum comedere non potero : viſne, ut omnino eſuriens inde exeam ? Laudo & glorifico factorem noſtrum : mandatum enim Dei eſt*, &c. Quinimo pene judico, Deum, quò noſtram humilitatem à diſcrimine quadamtenus liberet, magis gaudere quòd eum laudemus conformiter ad tenuitatem noſtram, prout ſuppetunt nobis vires ; quàm ſi longè perfectiori laude proſequeremur eum : contentus eſt laudatione minori, ne putemus, nos Dominum conſummatè laudaviſſe.

S. Cyrill. Jeroſol. cath. 6. longe poſt princ.

Idem. ib.

27. A cœnaculo, quo data ſunt executioni myſteria mortalium comprehenſionem ſuperexcedentia, veniendum erat in Montem Oliveti. Sed prius Filius Dei Patris, Apoſtolique dixerunt hymnum. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.*

Matth. 26. 30.

Commentatur Euthymius : *Gratias quidem egit ante diſtributionem, laudes autem dixerunt poſt diſtributionem : ut nos ita faciamus, gratias Deo agentes, ipſumque glorificantes, qui nos hujuſmodi bonis dignos duxit.* Exemplum divinæ laudis datum nobis agnoſco fuiſſe quidem hymnum prædictum. Sed non parùm doleo quòd ejus verba nullus Evangeliſta ſcripſerit. Quare non commendatus litteris eſt hymnus iſte ? Quia, ſicut eoquòd inveniamus in ſacro Textu Dominicam orationem, recitamus illam ; ſic uteremur hymno ſupradicto pro laudatione Dei, ſi Scriptura referret eumdem : & multi per hoc putarent, laudaviſſe Deum quantum laudabilis eſt ; cum ad id uterentur verbis adeo ſacris. Ne ſumeremus occaſionem ſuperbiæ, voluit Deus ignorari hunc hymnum ; & accipit imperfectas laudes pro poſſe noſtro tenuiter exhibitas. Imperfectè ſatis & impropriè flos heliotropii laudat ſolem : nec ideo tamen dies præterit utcumque ſine laude ; quaſi notam fugeret ingratitudinis.

Euthym. in com. ib.

I. *Ignis.* Perſpicuum ſe nobis offert nunc emblema. Pluribuſque dimiſſis, quibus poſſemus ad moralia digitum intendere, ſolummodò perpendebam flammæ propenſionem in centrum poſitum ſuperiùs juxta priſcam philoſophiam ; quamvis in terra detur ei pabulum. Volatum imitatur inclinatio prædicta. S. Dionyſius : *Ignis*, ait, *ſurſum incontinenter avolat*, &c. Doceamur ab inſenſibili creatura ; quò feramur in Deum per amorem : Surſum aſcendentes in ipſum, qui requies & locus noſter eſt. Utere S. Auguſtino, Deum alloquente. *Ibi te fruimur requies noſtra, locus noſter. Amor illuc attollit nos*, & infra : *Pondus non ad ima tantùm eſt, ſed ad locum ſuum. Ignis ſurſum tendit, deorſum lapis. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt.* Non eſt prætereundum quod cernis in flammula : tremulo conatu ſuperiora petit. Non abſimiliter anima ſimul aſcendat, pariterque tremiſcat : amorem formidini copulet. Prodeſt hìc doctrina S. Bernardi. *Sanctum*, inquit, *facit affectio ſancta, & ipſa gemina, timor Domini ſanctus, & ſanctus amor. His perfectè affecta anima, veluti quibuſdam duobus brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait :* Tenui eum ; &c. Nequaquam exiſtimes Dei timorem eſſe prorſus inermem ; & ideo malum ſodalem amoris, qui certamina diligit. Imo congruum eſt, ut pavor ſit veræ dilectionis conſors : metuat homo Deum, necnon & amore proſequatur.

28. *Timor Dei ſit conjunctus amori.*

S. Dionyſ. Areop. de hyerar. c. 15. longe ante med.

S. Aug. to. 1. l. 3. confeſſ. c. 9.

S. Bernard. l. 5 de conſider. ant. fi.

Diſceſſerat in cœleſtia triumphans orbis Conditor ; & Apoſtolos affectu non deſerens, præſentia locali reliquit. Suſpiciebant euntem : & ecce duplex Angelus adſtitit eis ; ut ipſorum lumina diverteret à proſpiciendo ſurſum. *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt : Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum ? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum*

29.

Actor. 1. 10. 11.

viſtis eum euntem in cœlum. Commentatur Chryſoſtomus : *Deinceps*, inquit, *igitur illos ab eo ſpectaculo ſevocatos, reddunt attentos ad ea quæ dicebantur*, &c. Expendebam quid ſibi voluerint Angeli, cùm illâ triumphali die mentionem egerunt adventûs Chriſti judicis ad tremendum illud & finale judicium. Quam proportionem vendicabat ſeveritas venturi cum benevolentia conſcendentis, ut ipſi retrahant oculos Apoſtolorum deorſum ad hoc, ut attenderent ipſi quæ dicta ſunt eis de formidabili judicantis regreſſu? Roboratur hoc dubium. Cùm ſepultus eſt Redemptor adfuere piæ mulieres : de quibus Marcus ait : *Maria autem Magdalena, & Maria Joſeph aſpiciebant ubi poneretur.* Certè docente necnon eodem aureo Doctore novimus, Magdalenam nihil magnum, prout oportebat, adhuc de Chriſto Domino cogitaſſe ; proindeque reſurrectionem ejus futuram neſciviſſe. *Cujus rei gratia iſtæ aſſident ? Nihil magnum, aut ſublime, ut oportebat de ipſo cogitabant. Ideo & unguenta tulerunt, & diutius morabantur, ut ſimul ac per furorem Judæorum liceret, ad ungendum ipſum accurrerent. Vides mulierum fortitudinem ? vides pium erga ipſum amorem ?* Hæc S. Joannes Chryſoſtomus. Nunc quæro. Nonne congruum foret, ut Magdalenæ tunc appareret Angelus ; qui certiorem faceret ipſam, quòd reſurrecturus erat citò Dilectus ejus ? de judicio poſtremo timorem incutientia verba proferunt amantibus diſcipulis Angeli ; quò ſemoveant ipſorum palpebras ab intuendo ſurſum ? & non ſimiliter, ut oculos averteret à ſepulchro Magdalena, comparent Angeli nuntiantes, Magiſtrum ſurrecturum ? Diſparitatem cerne. Verum eſt, Apoſtolos, Magdalenamque dilexiſſe Dominum : ſed cum iſta non tunc agnoſceret, Salvatorem eſſe verum Deum ; Apoſtoli verò maximè ; congruebat, iſtos ad illam perfectionem inſtrui tacitè, quæ viſitur in eo, quòd amor erga Filium Dei cum ejuſdem timore copuletur. Idcirco dilectione flagrantibus intulerunt Angeli ſermonem de Judicis adventu futuro ; qui non ſine formidine recogitatur : ut Apoſtoli metum jungerent affectui. Ignis eſt amor flammas in cœlum aſcendendo mittens : elevetur pariter, & contremiſcat flammeus ardor.

S. Joan. Chryſoſt. to 3. hom. 1. in Act. longe poſt med.

Marc. 15. 47.

S. Joan. Chryſoſt. to. 2. hom. 89 in Matth. longe poſt med.

30. *Filius Dei majeſtatem cum humilitate junxit.*

L. *Lux.* En ob aciem corpoream habemus creaturam ſplendidam : quæ ſuo modo videbitur ſubmiſſionem diligere ; quatenus illa quin (ut ita dicam) puret ſplendorem denigrare, non dedignatur humilia non munda loca radiis perfundere. Mentem ſuſtollamus ad majora : meditantes Deum, qui bonitate ſuâ motus, abſque majeſtatis detrimento, deſcendit in terras, etſi tenebris involutas, & cœno turpes, ut miſeriarum vallem illuſtraret. Verba Lugdunenſis Archiepiſcopi cogitatione verſabis libenter. *Illa*, inquit, *nanque humilitas, qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum in forma Dei Patris eſſet ſemetipſum exinanivit ut formam ſervi acciperet, inclinatio fuit miſerationis, non evacuatio poteſtatis* ; &c. Niſi lux corporalis deſcenderet ad nos, quid prodeſſet ut expelleretur à nobis caligo ? Non poſſemus ad ſolem in cœlo poſitum ire ; congruebat ipſius lucem ad noſipſos mitti. Deus lux inacceſſibilis eſt. Dicta, ſublatis imperfectionibus, ei pius accommoda. Sed prius lege Nazianzenum : cujus hæc ſunt verba : *Deus etenim lumen eſt ſublimiſſimum, inacceſſibile, ac ineffabile, quod neque mente comprehendi, neque ſermone exprimi poteſt, omnem naturam rationalem illuminans. Illud in intelligentia, quod ſol in ſenſu, exiſtens.* De prædictis eruere poteris admirationem ſupernaturalis providentiæ quæ ſic in Redemptore majeſtatem conſociavit ſubmiſſioni tantæ. Dei Filius ita refulſit egregiè : ſcilicet nectens humilitatem cum excellentia.

S. Agobard. Archiepiſc. Lugdun. l. contra object. &c.

S. Greg. Nazianz. or. 3. in S. Lavacr.

31.

In ſolitudine Deo loquenti de rubo, committentique libertatem populi ſui Moyſi, reſiſtebat hic timens & humilis. Denique Dominus dixit ad illum : *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Si dubitas, quænam fuerit hæc virga, conſule Cornelium Alapide, qui ſuper illa verba : *Reſpondit : Virga* ; ſic habet : *Paſtoralis, qua oves regebat.* Si verò quæras quid ſymbolicè virga deſignaverit, dabit ipſe Commentator, inquiens : *Symbolicè, hac virga ſignificabatur ducatus & ſumma poteſtas, quam Moyſi mox daturus erat Deus, qua Ægyptios percuſſit & punivit* ; &c. His prænotatis, inquirebam, qua de cauſa ſupremus Dominus potiùs non dixit ad Moyſen, ut in poteſtatis inſigne, quam exerciturus erat in Ægyptios, decerperet, illæsâ manu, rubi partem, atque ſecum deferret eam ; quam ardentem & non combuſtam conſervare poſſet Omnipotens quoad vellet ? virgane paſtoritia fuit aptior, ut Moyſes ducatum atque poteſtatem ſummam denotaret ? humile prorſus inſtrumentum, ductori gregis accommodum, qua ratione tam præcelſi muneris factum eſt ſignum ? oportuit in Chriſti Domini figurâ cum ſubmiſſione majeſtatem conjungi ſic, ut eadem virga ſimul eſſet ovium rectoris lignum vile, miniſtrique Dei ſplendidum inſigne. Quòd Moyſes typum retulerit incarnati Verbi dabit Sinaïta. *Neque*, inquit, *Iſaac ſolum typum retulerunt ſancti Patres ad Chriſtum, ſed & alios, Moyſen, inquam, & fiſcellam, in qua abjectus eſt à matre in fluvium.* Cum foret igitur Moyſes Aſſertoris imago, convenienter paſtoris humilis officii memoria, potentiæque magnæ ſignificatio, non diviſim eâdem virgâ repertæ ſunt ; occaſione datâ ſic, ut perpendamus humilitatem Salvatoris majeſtati ſummæ conjunctam. Lux eſt ille ; nonque ſplendoris radii per deſcenſum obnubilantur.

Exod. 4. 17.

Ib. n. 2.

Cornel. Alap. ib.

Idem. ib.

Anaſt. Sinaï. l. Viæ dux. c. 19.

32. *Quanto plus Deus nobis effulgeat miſerando ; quàm puniendo.*

M. *Mare.* Dum æquor tranquillum velut induit ſerenitatem, niteſcit ; cum verò quaſi furore commovetur iræ minatur exitia, nitor ejus oculis intuentium celatur. Hinc, ſi priùs omnem ſecludamus imperfectionis umbram, nobis aſcende-

re

re licebit ad meditandum quantò plùs Deus (qui perfectionum cunctarum dici poteſt mare nullis finibus concluſum) noſtris mentibus effulgeat cùm pius adeſt; quàm dum ſeverus imminet. Illius magnanimitas non adeo ſplendeſceret, niſi defectus humanos clemens præteriret; quantumlibet ſemper idem foret. De ſapientiâ divinâ loquar ſimiliter: nam, quamvis hæc non reddatur major per miſerias mortalium; nihilominus oſtenſionem ſui nobis exhibet ampliorem cùm per clementiam favet hominibus. Sapientem agnoſcis clariùs medicum (quem noveras aliàs inſignem) ſi dentur ægroti, quibus medeatur; quàm, ſi nullus foret æger, quem ad ſanitatem reduceret. Opportunè S. Irenæus: *Magnanimus*, ait, *igitur fuit Deus deficiente homine, eamque per Verbum eſſe victoriam reddendam ei, prævidens.* Et infra: *Quemadmodum medicus in his qui ægrotant, probatur; ſic & Deus in hominibus manifeſtatur. Quapropter & Paulus ait*: Concluſit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur: &c. Itaque ſtatuamus, Altiſſimum judiciis humanis haud ita fulgidum apparere ſuppliciis inflictis; quàm veniâ donatâ: ſi verberat, nobis minus elucet; ſi condonat, hominibus magis clareſcit.

S Irenæ. l. 3. adverſ hæreſ. c. 22. in princ.

33. Memoratur Sapiens tum Ægyptiorum flagellationem perantiquam; tum alia populo Dei tempore Moyſis exhibita beneficia. De Domino tamquam punitore loquens, ait: *Illos autem tamquam durus rex interrogans condemnaſti.* Lorinus exponit ſic: *Vocatur tamen Deus ſeverus, duruſque vel αυζροπαθῶς more atque judicio, ſive opinione humana, vel quando plus adhibet juſtitiæ. Iſto ſenſu Chriſtus in parabola non negavit Deum ſimilem homini auſtero, tollenti quod non poſuit, metenti quod non ſeminavit.* Non potui non hærere paululum, præfatis verbis legens, appellari Deum regem durum; cum durities in regnante defectum videatur ſanare. Pergamus ulteriùs. In eodem capite de miſeratore Deo fatur Salomon ita: *Sed miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Cardinalis Hugo commentatur: *Vel, ut quidam dicunt: quia omnipotens eſt, omnia quaſi nihil reputat; & indigna irâ ſuâ: juxta illud. Dignum te Cæſaris ira nullus honor faciet.* Quid, quæſo (ſi rationales formales attendamus tantùm, prout adhuc memini Thelogos loqui) habet miſericordia commune cum omnipotentiâ? idcirco miſeretur omnium Deus? quia cuncta poteſt? nonne majorem proportionem exhibet potentia cum ſupplicio? quare non dixit Eccleſiaſtes; Deum Ægyptios condemnaſſe, quia poteſt quæcumque vult; ſed omnium miſereri, quia valet omnia? Ex hoc diverſo loquendi modo conjice quàm fulgentiùs nobis emicet majeſtas divina miſerendo, quàm flagellando. Tam verum eſt hoc, ut aſſerere (fortaſſis hac mente) licuerit Salomoni, Dominum in percutiendis Ægyptiis habuiſſe quondam ſe tanquam regem durum; quin adderet univerſa potentem; econtrariò verò dixerit cogitationem applicans pietati divinæ, Deum miſericordiam exercere, quia nihil non prævalet. Mari ſimilatur Immenſus: quod non ſic ſplendet, cùm videmus quot fluctus volvit minaces; & quaſi putatur iras totidem ſervare ſinu: ſed tunc nitet clariùs, cùm ſtagnat aqua.

Sapient. 11. 11. Lorin. in com. ib. Sapient. 11. 24. Hug. Card. in com. ib.

DELIBATIO III.

Alphabeticæ doctrinæ tertia pars.

34. N. *Nix.* Si curioſus inveſtiges quânam ex materia formetur nix; invenies aquam vapores emittere, qui gelaſcunt; & fiunt nix. Aliquid ex emblemate nivis pronunc animus eſt ſumere; quò deſiderium incaleſcat operum bonorum. Enim verò ſimiles aquæ ſunt animæ rectæ; ſicut ex Magno Gregorio colligitur, dicente: *Per aquam quoque non ſolum fluxus decurrentium populorum, ſed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta ſequentium, deſignantur: ſicut Propheta ait*: Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Dicebam paulò priùs, nivem ex aqueo vapore gigni: quod nunc verbis Honorii firmo: *Nix*, inquit, *aquæ vapore nondum denſato in guttas, ſed gelu præripiente, formatur*, &c. Hoc ad animam, & ejus operationes laudabiles transferam. Aſcendunt, inquam, actus virtuoſi ſurſum à ſpiritu juſti velut ex unda vapores: quid enim dicam virtutes noſtras eſſe majus comparatas cum divinâ majeſtate? Si vitam hominis exiſtimavit Jacobus Apoſtolus vaporem, dicens: *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens*, &c. non incongruè ſub ænigmate vaporis noſtros actus, etſi rectos, propono. Surſum elevatur vapor ex aqua, & factus nix decidit rurſus in eam. Sic beneficta mortalium ſuperiùs feruntur aſcendentes ab anima; ſed in ejus utilitatem deſcendunt iterum: hominis quippe lucrum eſt quidquid offert ipſe Conditori. In verba Pauli ad Epheſios: quæ ſic legit Hieronymus: *Donantes vobiſmetipſis*, ſic habet S. Doctor: *Vel certè ita accipiendum, quod in eo quod ſuaves & miſericordes ſumus, & perturbationibus quæ nos inquietabant relictis, ad manſuetudinem, temperantiamque tranſivimus: ipſis nobis datum ſit & donatum, dum de malis id bonos vertimur: & hæc ipſa donamus nobis quæ Deus Pater donavit in Chriſto.* Doctrinam, quam ab Hieronymo ſuſcepiſti, ſimiliter ad alia facta virtutum extendes facilè. Proinde maneat, reverti ad hominem quidquid oblationis Deo conſecrat: non quòd ab Domino rejiciatur; ſed quia, licet actus bonus humanus ejus conſpectui præſentetur; nihilominus ad ſinum operantis regreditur quodammodo.

Bonum opus revertitur in ſinum operantis.

S. Greg. M g to. 1. l. 19. mor. c. fi.

Honor. l. 1. de imag. mund. c. 61.

Iacob. 4. 15.

S. Hieron. to. 9 com. in Epiſt. ad Epheſ. 4. 32.

35. Davidica verba libenter dabo; quò veritatem proximè dictam ſtabiliam. Dixit ille ſic: *Oratio mea in ſinu meo convertetur.* Hæc non videntur ſtare cum his, quæ leguntur alio Pſalmo: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*: &c. Etenim,

Pſal. 34. 13. Pſal. 140. 2.

ſi convenit orationi laudabiliter emiſſæ ad inſtar incenſi conſcendere : quomodo reverteretur in ſinum Davidis deprecatio ipſius ? incenſum quidem flammis donatum, quoad ſubtiliores partes levatur in ſuperiora ; non tamen iſtæ revertuntur ad locum, ex quo prodierunt : qua ratione poterit igitur verificari, preces hominum & extare ſimiles incenſo cùm emittuntur, & in ſinum orantis reverti ? Facillimo negotio res componitur. Fertur in ſublime feliciter oratio : tandemque manet, ut ita dicam, in duplici loco : nam & ſiſtit gradum in conſpectu divino per acceptationem ejuſdem ; & ad ſinum precantis recolligitur per effectus impetratos. De Priori parte ſupervacaneum eſt aliquid addere ; de poſteriori præbeo tibi legendum Euthymium : qui perpendens illa verba Pſalmi primo loco citati, dixit : *Ita enim intelligenda ſunt hæc verba, quaſi ſeipſam converſura ſit oratio ad Prophetam, qui eam emiſit. Non inanis tamen nec vana aut re infectâ, quinimo in illius ſinu inſtar pretioſiſſimi doni ſuſcipienda ſit.* Dum juſtè agimus, nihil omnium Domino tribuimus ; ut aqua nihil cœlo muneris præſtat, vapores mittens in altum ; ſed, prout iſti poſt in candidam nivem converſi revertuntur ad mittentem : ſic opera noſtra commendabilia, quamvis aſcendant in cœleſtia, regrediuntur ad nos ; qui per ea ditamur.

Euthym expoſ. Pſal. 34.

36. *A Chriſti nativitate manantem gloriam terra non capit.*

O. *Oriens.* O quàm fulgida coruſcat lux in ortu ! Rapit attentos oculos rationalium : ſuadet floribus riſum imitari : movet avicularum lætitiam ad muſicos accentus. Major equidem viſitur in meridie ; ſed nativitate matutinâ gratior. Vix eſt qui meridianam lucem contuens propterea lætetur : imo tunc multoties timetur ipſa ; quapropter homines & alites refugiunt ad umbras : flores autem, cum ſint formidinis incapaces, eo tempore aliqui marceſſentes, ingratam ſibi lucem nimiam velut fatentur mutè. Cœpitne ſol pollere luce cùm naſcitur ? donat ei ſplendorem nativitas ? Neutiquam : ſed neſcio quid venuſtatis oriendo prodit peculiare, quo micat gratiùs dum Orientem illuſtrat. Oriens, teſte S. Eucherio, deſignat mundi Salvatorem. *Oriens, quia ab illa parte lux oritur, Salvator* : &c. Non equidem Filius Dei cùm natus eſt in terris poſuit exordia lucendi. Præceſſerat æternus divini Solis hujus ortus ; & luce pluſquam meridianâ fulgebat. Nihilominus cùm in Bethleem nobis natus apparuit, peculiariſſimè reſplenduit. Petrus Cellenſis : *Quantò magis facies tua ; glorioſior ſicut ſol lucet in virtute ſuâ reſplenduit in nativitate tuâ ; qui es ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei*, &c. Terra, fateor, extitit hujus naſcentis luminaris epicyclus : tantus attamen abundavit illius orientis fulgor, ut ejus gloriam tunctemporis terra non caperet. Solum, in quo natus eſt, glorificationem inde promanantem ad cœleſtia remittat : non enim terrena loca, ſed Empyreum, tam exuberantis gloriationis extant digna ſedes.

S. Eucher. l. forma. ſpirit. c. 3. ante fin.

Petr. Cellen. ſer. 3.

37. Naſcitur in ſtabulo Bethlehemitico Deus factus infans, adhuc potentiâ Gigas. Et ut planè teſtaretur, ſe munus ovis exhibere veniſſe, primò viſus eſt ab eis, qui paſtores erant ex munere. Felix nuntium acceperunt iſti : moxque feſtivè dixerunt Angeli : *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Percontaberis forſan, de qua gloria loquantur cœlites ? Exiſtimo, de illâ fuiſſe locutos, quæ promanavit ex Verbi divini temporali nativitate. Favet Beda. *Quia verò*, inquit, *Deus & homo naſcitur, jure hominibus pax, & Deo gloria canatur.* Adde Cardinalem Toletum, dicentem : *Debet ergo referri laus hæc ad nativitatem, ut ea ſit cauſa glorificationis hujus & laudis.* Relata jam verba militum ſupernorum conferamus illis, quæ Seraphim dicebant, audiente Vate : *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Et quid magnum aſſeritur, pro explicandâ gloriâ majeſtatis divinæ, per hoc quod affirmetur, eâ plenam eſſe terram cunctam ? nonne punctum eſt univerſa terra comparatione primi cœli ? nedum Empyrei ? cur non dicebant Seraphim : Plenum eſt omne cœlum gloria ejus ? illi ſpiritus autem, qui paſtoribus adſtiterunt, minimè dixere : Gloria Deo ſit in terris ; potius aiunt : *Gloria in altiſſimis Deo* ? Sapienter locuti ſunt. Et fortaſſe nobis inculcare concupierunt, glorificationem promanantem de nativitate Salvatoris amplam adeo, quòd ipſam terra non caperet. Idcirco, licet ibi de terra ſermonem fecerint ; hanc diviſerunt à cœlo : quia digna ſedes hujus gloriæ cœlum eſt ; non ſolum. Orientis materialis ducti lumine, cùm ſol naſcitur, mentis oculos attollamus : illum Solem ſuſpicientes, qui viſitavit nos, oriens ex alto.

Luc. 2. 14.

Bed. in Luc. ib. c. 5. ad fin.

Cardin. Tolet. ibid.

Iſaï. 6. 3.

38. *Spem jungit gratiarum actioni.*

P. *Poma.* Sic à Deo diligimur uſque in delicias ; ut etiam in guſtui ſervientibus abundare nos faciat liberaliter : ut ſaporum varietas, moderatione ſervatâ, naturam fragilem temperanter delectet. Numera quot arborum ſpecies creaverit ; ex quibus dulces fructus decerpimus. Diſpoſuit attamen, ut non cujuſque generis pomum liceat à lignis colligere quovis tempore. Cum legimus temporanea, ſolemus expectare ſerotina : poſtquam fruiti ſumus ad finem uſque ſerò naſcentibus, protendimus expectationem ad ea, quæ primò naſcitura ſunt anno ſequenti. Demirare providentiam Dei : qui nos ita per largitatem beneficio replet, ut ſpe novî muneris detineat. Si donum ſuſciperemus unum, quin ſperaremus aliud ; fortaſſis ingrati prorſus traderemus oblivioni benefactum Dei. Congruum eſt homini ſpe moveri, cùm de jam acceptâ beneficentiâ gaudet ; ut ſic ſpes auxilietur gratitudini. Cogita, lector, an attenderit Bernardus ad iſtius duplicis virtutis nexum, cùm dixit : *Agamus fratres gratias factori noſtro : benefactori noſtro : redemptori noſtro, remuneratori noſtro : aut potiùs ſpei noſtræ.* Etiam juſtis prudentia conſulit, ut cum aliquam largitionem ab Omnipotente receperunt,

S. Bernard. ſer. 14. in Pſ. 90.

perunt, expectent alteram, quo ſic novum deſiderium ampliùs excitet actionem gratiarum erga jam ſuſceptum. Sic igitur agnoſce Dei munus, ut alia præſtoleris tibi donanda.

39. Timens Elias impiam Jezabelem comminantem poſtremum exitium, abiit: & obdormiſcenti ſub umbra juniperi panem & aquam attulit Angelus. Expergefactus primò, atque ſecundò, comedit bis. 3. Reg. 19. 8. Nunc animadverte quæ ſubdit ſacer Textus. *Ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.* Commentatur Liranus: *Ex hoc videtur Scriptura attribuere iter Eliæ jejunanti quadraginta diebus & quadraginta noctibus virtute cibi illius. Propter quod dicit Auguſtinus libro de mirabilibus ſacræ Scripturæ, quòd ille cibus Angelicis manibus præparatus habuit talem virtutem, quòd potuit diù ſervare naturam corporis à conſumptione calidi naturalis*, &c. Veſtigare juvat, cur Angelus certiorem facit minimè Prophetam de virtute prædicti cibi confortativâ mirabiliter? Adducebar in dubium ex eo, quòd Angelus Vati dixerit, grandem ipſi reſtare viam. 3. Reg. 19. 7. *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* Quis non putaret, poſt hæc verba fore dicendum à nuntio cœlitus miſſo: Ne tamen cadas animo, veritus, famem te paſſurum in itinere longo: nam per eſcam iſtam te roboratum experieris ita, ut plurium dierum ſerie comedere tibi non ſit opus. Nil tale protulit Angelus. Sed quare non? Ut Elias neſciens quòd poſt iterfaciens non fuerat expertus manducandi neceſſitatem; expectaret à Domino rurſus provideri ſibi viatori de cibo, quando pateretur indigentiam. Non mihi venit in mentem, Prophetam oblivioni traditurum fore donum Dei præfatum, ſi ad hujus memoriam non excitaretur per ſpem ſimilis futuri beneficii. Tamen conſultum eſt ut juſtus gratitudinem ſuam in tuto collocet. Familiare mortalibus eſt (fragilitate naturæ ſuadente) vigilantiùs debita memorari, quæ divina manus contulit, ſi manuducantur expectatione muneris alterius recipiendi. Noverat Angelus, non inutile futurum Eliæ ſperare noviter in ſubjecta materia Dei munera: ſic enim tutior maneret ab oblivione recepti beneficii. Idcirco ſpiritus Angelicus tacuit, Eliam adducto pane tam validè confortandum; ad hoc ut ſperaret, ſibi donandam alimoniam; & ſpem gratitudini jungeret. Ita per divina tempora (diſcentem alphabetum, de parvis ducemur ad conſideranda majora) leguntur ex arboribus poma: non caſu quidem; ſed ut cùm fructus colligimus quoſdam, alios, qui ſubſequuntur expectemus; & gratitudinem ejus ſpei ſociam perſolvamus.

40. Feſt. apud Calepi. v. Quiſquiliæ. *Magis lucet providentia Dei cadente peccatore*, Q. *Quiſquiliæ.* Vox iſta præter alia, ſignificat quod accepimus à Feſto, dicente: *Quicquid ex arboribus ſurculorum, foliorumque & florum minutim decidit, veluti quicquid cadit*, inquit Feſtus. Illa minuta cadentia, quæ prout experimur ſpernuntur, ad meditationem vocant nos haud contemnendam. Recolamus veritatem nobis univerſis notiſſimam: ſcilicet non cadere folium arboris abſque nutu Dei. Hinc ad hominem, & illius quotidianos caſus tranſire licebit: nam homo comparatur aptè folio. S. Eucherius, *Comparatur*, ait, *etiam homo folio, qui ab arbore cecidit in paradiſo.* S. Eudher. l. formul. ſpirit. c. 4. Aptum eſt ænigma folii, quò deſcribatur homo: nam & inconſtans eſt mutabilitate ſuâ; & velut folium vento rapitur. Mente verſemus igitur hominem ut à proſperitate cadentem: & admiremur prudentiſſimam gubernationem Dei cuncta moderantis. Aliqui ſunt, qui ſaltem reſpectu ſuî non retinent memoriâ divinam providentiam, niſi dum ipſis arridet ſors. Iſti cùm felicitate potiuntur affirmant, bona ſibi contigiſſe Deo diſponente: ſi verò fortuna terga dederit, nihil malorum, quæ patiuntur, attribuunt Moderatori ſupremo: ſed aliud hominum injuſtitiæ; alterum infortunio. Non hos imitemur: ſed quidquid ad finem perduci videmus, non id reſpectu Domini caſu lapſum fuiſſe credamus. Caſſiodorus: *Nihil enim*, ait, *ſine cauſa geritur, nec mundus fortuitis caſibus implicatur: ſed quicquid venire videmus ad terminum, divinum conſtat eſſe conſilium.* Caſſiod. l. 12. var. c. 25. in princ. Imo providentia Dei magis elucet in ruinâ cadentium, quam in terrigenarum volatu: nam ad volandum feliciter apponit homo ſollicitus induſtriam; non autem ut corruat. Unde cum labitur, recogita Dominum totius universî: non enim cadens providit media, quibus iret in præceps: Deo tribue (vel approbanti, vel permittenti) caſum. Hîc effulget peculiariùs Dei providentis diſpoſitio. Magis lucet providentia Dei cadente peccatore, quàm dum elevatur. *quàm dum elevatur.*

Adjiciens animos Apoſtolis ad meſſem Evangelicam ituris, Chriſtus Dominus dixerat ut non timerent eos, qui necantes corpus, animam interficere non valent; ſed potiùs formidarent illum, qui corpus & animam gehennæ tradere poteſt. Tunc addidit: *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?* Matth. 10. 29. Planum eſt, his verbis proponi diſcipulis providentiam Dei. Sed quæro. Paſſerne, cùm ſurſum volat, fertur in altum abſque Dei nutu? Minimè. Quare divinus Magiſter ad commendandam infinitam providentiam, non dixit: Nec unus de paſſeribus nolente Deo ſublevatur alis? quid latet in paſſeris caſu, quo peculiariter dignoſcatur Dei providentis univerſalitas? Dicam, S. Hilario duce: qui ſic ſcribit ad hunc locum: *Qui igitur duos paſſeres aſſe vendunt, ſeipſos peccato minimo vendunt* &c. S. Hilar. can. 1. in Matth. poſt med. Habes itaque paſſeribus hîc deſignari peccatores. Hi, cùm volantes per aërem proſperitatis efferuntur, non quidem tendunt in ſublime, reſiſtente Domino; ſed vel ipſe permittit hoc; vel elevat eoſdem. At, quoniam ipſi pro viribus conantur ad aſcenſum; non in eo tam clarè cernitur providentia cœleſtis. Cum verò iidem propriam nequaquam poſtea negotientur infelicitatem,

felicitatem, eorum lapſu conſiderato, meliùs agnoſces regimen Dei prudens. Ergo, cum non ſit inutilis meditatio Dei quatenus eſt univerſalis proviſor, non te pudeat ex quiſquiliis arborum ad iſtam, ſimilemve cogitationem gradum facere.

42. *Sub riſu ſæpe latet in corde mœror.*

R. *Roſa.* Flos hic ornatur indumento regio: necnon & lætitiam præ ſe fert venuſtiſſimam. Sed cum ſpinarum circumvalletur aculeis, anſam nobis miniſtrat, ut in bonis temporalibus (pariter atque roſa caducis) animadvertantur ſpinæ pungentes, voluptatis floſculo mixtæ. Spiritui congruentem lege de flore fructum D. Baſilii manu. S. Baſil. Mag. de parad. longe poſt princ. *Hic*, inquit, *roſa cum ſpina eſt occultatam habens injucunditatem, per gratiam tantum non teſtificans nobis, nempe jucunda vobis ô homines triſtibus ammiſta ſunt. Revera enim nullum humanum bonum ſincerum eſt, ſed ſtatim triſtitiæ lætitiis affixæ ſunt, nuptiis viduitates, educationi liberorum ſollicitudo, procreationi bonorum filiorum, ipſorum amiſſio, claritudinibus ignominiæ, proſperitatibus detrimenta, deliciis ſatietates, ſanitatibus ægritudines.* Heu: contraria ſic miſcentur facilè! Quin potiùs, quaſi depoſitâ pugnâ quodlibet ex his cum adverſario ſuo coït in unam ſententiam: ſcilicet ut ambo contrariantia (proſperum & adverſum nempe) nos doceant nec in triſtibus deſperare; neque lætis extolli. Aſpicis hunc honore gaudentem, alium facultatibus exultantem? Ne citò credas, unum vel alterum à ſimultaneo dolore liberum, hilaritati mixto. Faciei ridentis lætitiæ ne fidem adhibeas: nam exiſtimari valet, ſub riſu mœrorem in corde latere.

43. Job exemplar inclytum ſortis utriuſque, dum quateretur doloribus, ut anxietas illum premeret ampliùs, anteactæ felicitatis memoriam non amiſit. Memoratus exhibitam priùs illi reverentiam, ſic aiebat: Job. 29. 21. 22. *Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti jacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum.* Exhinc non liberè colligitur, iſtos auditores, de quibus agit, credidiſſe Jobo loquenti. Perge nunc; & adhuc ipſum accipe, dicentem de prædictis: Ib. n. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant*, &c. Vultui læto non præſtabant illi fidem; ori verò maximè, cùm verba dabat? an fallacior eſt hominis facies, quàm lingua? Puto quòd eapropter non credebant riſui Job ad eos, quia vel exiſtimabant, vel ſaltem verebantur, ne ſub externæ ſpeciei lætitia mœror in præcordiis deliteſceret. S. Gregorius Magnus: S. Gregor. Mag. l. 20. mor. c. 3 fi. *Cogebantur*, inquit, *ridenti non credere, cujus cor in timore Conditoris noverant, quàm continua mœſtitia tenebat.* O utinam in cordibus omnium, quorum faciem riſus gratam reddit, mœror laudabilis reperiretur, ſicut erat ille, quem S. Pontifex in Jobo meditatus eſt. Hæc mœſtitia ſimilis extat ſpinis; quæ roſam comitantur: nam iſtarum quædam feriunt illum, qui roſæ delectatus pulchritudine colligit eam; aliæ verò ſaltem penitus infructuoſæ ſunt.

DELIBATIO IV.

Alphabeti moralis quarta pars.

44. *Sapiens quaſi reputat mundialia, quæ adſunt, velut abſentia.*

S. *Sol.* Luminare majus, quod vitæ noſtræ labiles horas metitur, lucem nobis affert, ut ſpiritualiter illuminemur; quò rerum temporalium inconſtantiam proſpiciamus. Providentiæ Dei mirabile conſilium extitit, ut aſtra fixa, quin & aſtrorum princeps, ortum viderent, & occaſum: ſic invitamur, ut noſtrûm omnium, atque ſæculi mutabilitatem, præ oculis habeamus. Opportunè Salonius meditatur illud Sapientis: *Oritur ſol & occidit*, ad quæ ſic ſcribit: *Hoc ideo Salomon dicit, ut oſtenderet, quia ſol ipſe, qui hominibus in lucem diei datus eſt, ſuâ mutabilitate, id eſt, ortu ſuo & occaſu, quotidie hujus ſæculi monſtraret interitum. Per has namque mutationes temporum, & per ortum ſiderum & occaſum, docet Salomon, quod humana ætas quotidie oritur & occidit.* Quid mundanum ſtabile credere poteris homo; cum ipſiſmet palpebris inſpicias, cuncta fluere? Salon. Epiſc. dial. in Eccl. longe poſt princ. *Volvuntur tempora motu aſſiduo, fluunt ætates, labuntur anni, natio præterit, natio advenit, non hora non momentum poteſt conſiſtere; & tamquam unda undam impellit, ab alteraque impellitur, ſic dies extrudit diem, nox noctem, gens gentem inculcat.* Joann. Campan. orat. cl. neric. longe poſt med. Verba ſunt Joannis Campani: quibus non indigebas; cum experientia doceat iſta. Docet, inquam, ſine fructu plurimos: qui veritates illas funeſtas agnoſcunt: non ideo tamen deſinunt peritura diligere; quaſi putent ipſa perpetua. Hæc oportet contemnere tamquam ſeducentia mentem noſtram; ne dilectionem circumveniant illecebris, & voluptate perdant. Incertum audi, dicentem: *Qui ergo verè ſapit, qui cogitat cauſam ſuam, qui diligit animam ſuam: non ſeducatur mundi hujus illecebris, nec ſe committat in incertis, & hæc, quæ ſub hoc ſole poſita ſenſus, affectuſque noſtros ad ſe rapiunt, non ideo jucunda credat, non ideo impatientius diligat, quia citò, velut oſtenſo ſui flore, pertranſeunt, ſed ideo magis ſuſpecta, & quaſi inimica deſpiciat, quia ſectatorem ſuum ſpecie capiunt, voluptate perdunt, celeritate deſtituunt.* Incert. ſub nom. Euſeb. Gall. hom. cui titulus eſt: *Caſtigatio.* juxta med. Verus igitur ſapiens res mundiales introſpiciens, & earum variam viciſſitudinem noſcens apprimè, quæ præſentia ſunt reputat abſentia ferè: adſunt; & velut exiſtimat abeſſe.

45. Eccle. 2. 10.

Sæculi vanitatem agnoſcens Eccleſiaſtes, & ore libenti confeſſus, ait: *Et omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaveram*: &c. Explicat S. Gregorius Thaumaturgus, loquens nomine Salomonis: S. Gregor. Thaumat. metaphr. in Eccle. 2. *Nam cum omnibus oculorum illecebris, & impotentibus petulantibuſque cordis deſideriis undique incurſantibus, totas habenas permiſiſſem*, &c. Hinc ſatis patet, Salomonem proximè dato loco non de mentalibus oculis agere; ſed potiùs de corporeis. Quo poſito, dubitabam, quomodo ſtet cum

cum verâ philoſophiâ ſapientem de proprii corporis luminibus aſſerere quòd voluptuoſa deſideraverint ; cum viſus non tendat in abſentia (hoc eſt non adhuc ab eo poſſeſſa) ſed tantummodo præſentia contempletur ; deſiderium verò feratur in objectum abſens, minimeque poſſit extendi necnon ad præſentia ? Cogitabam, fortè regem ſapientiſſimum propterea ſic locutum, quia rerum ſæcularium inanitatem prudenter penetrans, & quàm fugaces noſtram dilectionem illudant rimans optimè, de præſentibus effabatur, quaſi forent abſentia : proindeque, licet palpebrarum ſphæra non egrediatur ab objectis præſentibus, loquitur ſupra, quaſi daretur locus, ut hæc eadem tamquam abſentia deſiderarentur. Sic mundana citò fugiunt, quòd etiam quæ nobis adſunt, prudens abeſſe perpendas. Quorumdam ſpiritualibus oculis quædam læta naſcuntur ; quæ dum judicantur ab aliis, exiſtimantur interire. Symbolum ſolis ne dimittas : cum nobis oritur ; occidit antipodis.

46. *Cum Deus puniverit abſque miſericordia, uteturne tunc irâ non ſuâ?*

T. *Terra.* Sumamus ab hujus elementi fœcunditate largiter occaſionem recolendi clementiam Omnipotentis. Nam etſi cùm peccavit Adamus, terræ Dominus maledixerit ; adhuc illi dat ut abundet fructibus pro mortalium commodo. Facit huc adnotatio Severiani, dicentis : *Noli naturæ animum attendere, ſed Dei gratiæ. Non dixit: Maledicta terra, ſic velut abſolutè, alioqui maneret maledicta & fructum non ferret.* Ab iſta conſideratione facilè tranſibis ad terrigenas. Hos Dominus punit clementer ; neutiquam ſpem ſuæ propitiationis auferens. Et quid mirum, quòd expectationem iſtam Deus non tollat ; qui hominem eumdem, quem punit, donis provocat, ut revertatur ad ipſum ? S. Iſidorus Hiſpalenſis : *Interdum*, inquit, *peccantibus nobis Deus ſua dona non retrahit, ut ad ſpem divinæ propitiationis mens humana conſurgat. Nam non poteſt converſum ſpernere, quia peccantem ſuis beneficiis provocat ad ſe redire.* Adeo quidem propria Clementiſſimi benignitas eſt erga delinquentes ; ut cum aliquando tandem illi pœnis addicti fuerint abſque miſericordia, quaſi judicari poterit, uti Deum irâ non ſuâ. Tempeſtivè S. Hieronymus : *Non eſt enim opus Domini perdere quos creavit, ſed facere opus alienum : quod ad crudelitatem magis, quàm ad clementiam pertinet.* Authoritate Doctoris tanti fretus dicam, benigniſſimum Dominum, cùm denique ſine pietatis conſortio peccatores affecerit ſupplicio, velut uſurum fore tunc irâ non ſuâ.

Severian. Epiſc. de creat mun. or. 6. ante fi.

S. Iſid. Hiſp. l. 2. ſentent. c 5. in princ.

S. Hieron. to. 5 l. 9. Iſai. 28. 21.

47. Dilectus diſcipulus vidit in Apocalypſi librum ſignatum ſeptem ſigillis. Quorum ſextum cum aperuiſſet Agnus, quædam Joannes agnovit ad poſtremum judicium ſpectantia. Tantùm ad examen revoco ſequentia verba : *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium : & dicunt montibus, & petris : Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipſorum* : &c. Hugo Cardinalis ita commentatur : Et omnis ſervus : *Dei.* Et liber : *à ſervitute peccati.* Abſconderunt ſe : *id eſt, abſcondent.* Et infra ad illud : *Venit dies* &c : *Hic eſt dies judicii*, & infra : Dies magnus iræ ipſorum : *id eſt reproborum* : &c. Omittendum non eſt, quòd citato loco nunc legimus iram Agni, hoc eſt, Chriſti judicis ; nunc verò iram ipſorum, id eſt, eorum, qui tradendi ſunt perpetuis ignibus. Difficile non erit hæſitationem tollere, ſi doctrinam ex Hieronymo ſupra datam non oblivi ſcamur. Enimverò judicantis Regis regum erit ira, quam experientur in illa die mali. Sed cum juſtitia Dei nunc ſoleat pietatem habere comitem ; in judicio verò poſtremo non ita futurum ſit ; ira, qua tunc uſurus eſt, non videtur ſua, ſed aliena. Metuat homo ſic ventura, quòd ſimul non tranſire permittat ſocors in vanum tempora miſericordiæ ſibi conceſſa : cujus reminiſcentiam excitare poterit videns terram ; quæ necnon poſt maledictionem permiſſa fuit abundè fructificare : clementer equidem in utilitatem eorum, qui peccantes in Adamo ſimiliter meruerunt in eodem, quòd terræ maledicerentur quondam.

Hug. Card. in com. ib. ad n. 15. & 17.

Apoc. 6. 15. 16. 17.

V. *Valles.* Inæqualem creavit Author naturæ terram : nam deprimitur in vallibus ; extollitur in montibus. At utrorumque par eſt conditio quidem in eo quòd terrena ſint. Exhinc ad homines cogitationem applicemus. Quidam ſunt humilitate valles ; alii ſuperbia montes. Quod attinet ad humilitatem, proderit legere S. Proſperum. *Non eſt autem*, ait, *inſolens, ut qui montes ſunt propter ſancti Spiritus magnitudinem, convalles ſint propter ſui ſpiritus humilitatem* : &c. De ſuperbis autem legitur apud Cluniacenſem Odonem, ad illud Job. 40. 15. *Hinc montes herbas ferunt* &c. *Quæ eſt ergo herba montium, niſi voluptas fluxa quæ ex corde gignitur ſuperborum?* Mirum eſt quòd elevati per ſuperbiam in montium ſimilitudinem, ſic animo tenebreſcant, ut ignorare videantur ſe terreos extare. Corporalis acies perturbatur ſæpe, cùm poſitus eſt aliquis in altiſſimo faſtigio : hic nullis obumbratus tenebris, ferè perdit uſum videndi, propter ſummam altitudinis eminentiam. Sic accidere videtur plurimis ; quos nimiùm ſuſtulit in altum præceps elatio cordis proprii : ſic obcæcantur, ut etiam de ſemetipſis ignorare putes quòd terreni ſint : non ſupervacuè dices ad eos, pulverem eſſe.

48. *Superbus videtur ignorare ſe terreum.*

S. Proſp ex poſ. in Pſal. 103.

S. Od. Abb. Clun. l. 33. in Job. poſt pr.

Orbis Conditor Protoparenti noſtro præceptum impoſuit ſuave ; cujus adimpletione teſtaretur obedientiam, & feliciſſimî ſtatûs innocentiæ poſſeſſionem ſervaret. Comminatus eſt illi mortem, ſi transgrederetur juſſum : nec tunc dixit ad eum Dominus, ipſum eſſe pulverem : quod forſan crederes, tunctemporis dicturum ; ad hoc ut illum contineret, ne temerario conaretur auſu ſphæram ſuam prætergredi, fieretque per peccatum omne genus humanum culpâ fœdum. Nil tale Creator Adamo dixit ante lapſum ; poſt

49.

Genes. 3. 19. hunc verò ſic protuliſſe legimus : *Quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Quæro. Neſciebatne generis humani Pater, factus peccator, quòd pulvis eſſet ? Nequaquam. Cur ergo ſic Deus loquitur ad illum poſt admiſſam tranſgreſſionem ; non autem antea ? Priuſquam reſpondeam, adverte, Protoplaſtum in ſuperbiam corruiſſe. Rupertum accipe. *Prius*, ait, Rupert l. 3. in Geneſ. c 1. *namque intus ad cor hominis per ſemetipſum locutus eſt ſpiritus diaboli ut ſuperbiret, Deumque præceptorem ferre vel mandatum ejus portare deſpectui haberet. Niſi enim intus per ſuperbiam prius tumuiſſet, foris tentatus tam facilè non cederet.* Hoc poſito quæſtiunculæ præmiſſæ ſatisfaciam. Antequam Adamus de ligno vetito guſtaret, non ceciderat in ſuperbiam ; poſt manducationem verò jam elationis crimen commiſerat ; per quod ita redditus videbatur mente cæcus, ut ignoraret, ſe pulverem eſſe ; propterea que non fruſtra dictum fuiſſe ad illum poſt ruinam : *Pulvis es.* Aliqualiter noſtræ cogitationi favere nonnullus exiſtimabit S. Brun. Aſt. in G. n. ſ. 3. S. Brunonem Aſtenſem, dum inquit : *donec revertêris in terram, de qua ſumptus es, quia non, ut putabas, Deus eris, ſed pulvis es, & in pulverem revertêris.* Ecce qualiter ſtulteſcit homo cùm ſit ſuperbiæ collis; quaſi non ejuſdem terreſtris naturæ ſorent montes & valles.

50. *Aliquoties homo fortior eſt in adverſis.* X. *Xylon.* Id eſt lignum. Præciſus ab arbore palus vitam perdit vegetativam, & fit cadaver : ſed emortuus validior eſt, quàm dum viveret : nam frondeſcens apud arborem vento movebatur ; ſiccus autem ſuſtentat pondus non modicum. Hinc ad rationales arbores meditandas via patet. S. Fulgent. ſer. de confeſſ. &c. ante med. Præeat S. Fulgentius. *Arbores*, inquit, *ſumus, fratres, in agro Dominico conſtitutæ* : &c. S. Od. Abb. Clun. l. 14. in Job. Accedat S. Odo Abbas Cluniacenſis, inquiens : *Hoc*, ait ille, *ita loco cum lignum præfertur homini, quid homo, niſi carnalis quiſque accipitur ? & quid ligni nomine niſi juſti unius cujuſque vita ſignatur ?* Igitur conferamus hominem cum viret in proſperitate ſuâ, pompis veluti frondibus exornatus, cum ſemetipſo jam per adverſitatem abjecto ; ſicut projicitur aridum lignum, atque jacet. Antea delicatus & mollis erat ; ſed temporibus duris multoties ipſe fortem exhibet ſe, ferens conſtanter ſortis adverſæ pondera. S. Gregorius Magnus : *Mentes enim*, ait, *quæ per proſpera molliter fluerent, conſtrictæ adverſitatibus durescunt* : &c. S. Gregor. Pap. to. 1. l. 29. mor. c. 15. ante fi. O quoties illemet idem, qui dum felix erat, vento flectebatur anxius ; deinceps cùm marcuere frondes ; & abſciſſus eſt ab arbore vanæ gloriæ, reſiſtit immotus ! fortunatus erat enervis ; percuſſus robore pollet.

51. Superbo Nabuchodonoſor per ſomnium ruina denuntiatur. Vidit arborem ; quæ foliis pulcherrima, fructuque nimis dives, ejus extabat ænigma. Dion. Carth. in 4. Danie art. 5. Dionyſius Carthuſianus : Folia ejus, *ſcilicet arboris hujus* pulcherrima. *Per quæ intelliguntur pretioſiſſima regis hujus ornamenta, ac multiplex apparatus, vel decus regni, verba atque edicta.* Et fructus ejus nimius, *id eſt divitiarum copiam maximam rex poſſedit.* Audivit Nabuchodonoſor vigilem cœleſtem, clamantem fortiter ſic : *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus : excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus. . . . Verumtamen germen radicum ejus in terra ſinite,* &c. Dan. 4. 11. 12. Commentatur Cornelius Alapide : *Stirpem ei relinquite ut poſſit creſcere.* Hinc videtur per germen radicum arboris accipi valere Nabuchodonoſor eumdem. Sed in hac ipsâmet expoſitione dubiolum emergere vidi. An ſatis non fuiſſet pro delineando ſuperbi regis terribili flagello, quòd ille cerneret arborem ſpoliari foliis & fructibus ? Ut quid æquiparatur Nabuchodonoſor abjectus è ſolio, non arbori, quæ permanet in terra poſt ſpoliationem fructuum & foliorum ; ſed germini radicum in terra manenti poſt arboris præciſionem ? Dicerem. Lignum ſtans, privatumque fructuum abundantiâ ; necnon & foliorum indumento, quatitur ventorum impulſu, non autem ſic movetur illis germen radicum arboris præciſæ, manens in terra. Propterea fuit accommodatiſſimum emblema germen illud Nabuchodonoſoris in adverſitate poſiti ; quò noſceremus, illum, qui priùs ridente fortunâ delicatus erat ; poſtea robur induiſſe. Hoc eſt, præter alia, ſortis adverſantis commodum ſæpiſſime : quandoque fortificatur homo, dum frangitur ; ſicut lignum cùm cæditur ex arbore, poſt fortius fit.

Cornel. Alap. in com. ib. ad n. 12.

52. *Nollet Chriſtus Dominus recipi hoſpitio per moram brevem apud ſperantes in eum.* Z. *Zodiacus.* Ita vocatur circulus, per quem ſol taliter gyrat, ut nunc per unam ejus partem, nunc per aliam, ſuum quotidianum curſum perficiat. De zodiaco ſcribit Honorius : *Zodiacus in duodecim æquales partes, per fluxum aquæ, ut refert Macrobius, diviſus eſt, quarum unaquæque dicitur ſignum, quia eis ſignamus, in qua parte cœli ſol ſit & alii planetæ, & qua exierint, & ad quam debeant pertranſire.* Notandum quòd etſi non ſemper luminum princeps perluſtret idem ſignum ; tamen à zodiaco nunquam exit. Sol eſt Chriſtus Dominus: de quo S. Thomas à Villa nova : *Sed*, inquit, *& incarnationis myſterium in ſolis curſu depictum eſt* : Ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo : exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus : &c. *Quid ſimilius verbo incarnato egreſſo de Virgine ?* Exivi à Patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Fecit circulum ſuum, & complevit triginta tribus annis, operando ſalutem* in medio terræ. Hac meditatione præmiſſa colligamus hinc aliquid moralis doctrinæ. Sicut ſol nunc in uno ſigno mortalibus coruſcat ; nunc in alio ; non tamen unquam prodit foras à zodiaco : ſic habitâ proportione Sol juſtitiæ, quamvis modò nos illuminet ad unum virtutis actum, poſt ad alterum ; nullatenus tamen eum exire dimittamus à corde noſtro. Loquens nomine ſponſæ Canticorum S. Bernardus ait : *Non dimittam nec ſi benedixeris mihi. Tenui nec dimittam.* Profequitur S. Doctor fatus in perſonâ propriâ : *Nec minus forſitan ille teneri vult*, &c. Ergo quicumque ſpem ſuam in Salvatore collocavit, ne Dominum in domum ſuam admittat velut hoſpitem poſt

S. Thom. à Villa nov. ſer. de Nat. B. V. poſt med.

S. Bernard. ſer. 79. in Cant. ante med.

breve

breve tempus dimittendum : non enim multum gaudet is, qui dominus eſt omnium, de hoſpitio accepto per moram brevem apud ſperantem in ipſum.

53. Quidam è Phariſæis rogavit Servatorem noſtrum, ut manducaret cum illo. Dominus annuit benignè; quamvis præſciret, eum dicturum intra ſe quæ dignitati Chriſti Domini congrua non erant. Luc. 7. 39. *Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique*, &c. Non ſimiliter Filius Dei ſe geſſit cum regulo. Joann. 4. 47. Hic *rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus* : &c. Iterum precatus eſt, inquiens : Ib. n. 49. *Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus.* Minimè tamen Salvator id conceſſit poſtulanti; ſed ad eum dixit : Ibid. n. 50. *Vade, filius tuus vivit.* An plus meruit Phariſæus? Neutiquam. Quare non dedignatur in hujus domum ire; recuſat autem cum regulo pergere? Hoc unum ſcio; quòd ſcilicet nihil Phariſæus expectabat à Chriſto Domino; regulus verò maximè; prout colligitur ex hujus verbis, & ex Chryſoſtomo, dicente : S. Joann. Chryſoſt. to. 3. hom. 34 in Ioann. poſt med. *Atqui & quod venerat, & quod rogabat, ejus fidei eſt argumentum.* Invitabat Redemptorem homo, qui ſpem collocaverat in eo : non ut perpetuò domum ſuam habitaret; ſed ut ingrederetur in eam tamquam hoſpes brevis : & pro noſtrâ doctrinâ clementiſſimus Aſſertor non exaudivit illum rogantem ut in ejus domum deſcenderet; ubi multam tracturus non erat moram apud ipſum, qui ſperabat in eodem. Benignitati divinæ diſcamus gerere morem : quæ pectora noſtra ſollicitat, non ut intret cordis humani domum, tamquam brevi tranſiturus inde; ſed ut illud ſit ei perpetuum habitaculum.

Alphabetum propoſui, diligenter addiſcendum iis; quos humilitas reddit parvulos elementares. Ipſis obtuli pro tenuitate noſtrâ quod poteram : hinc ad majora, Deo ducente, pergent.

DELIBATIO V.

Quidam peccata diligunt tamquam poſſeſſiones. Parvitas quorumdam magnorum apud ſæculum. Ignorantia præſumentium ſcire. Doctus addiſcere curat. Magiſterium ſine virtute non eſt quid magnum.

54. *Aliqui ſic diligunt peccata, quaſi forent ſuæ poſſeſſiones.* POſſidebunt. Nunc ſententiam Salomonis ſuprapoſitam enucleabimus verbatim; ne ſolitam dicendi rationem deſeramus. Improprium loquendi modum putaret aliquis legere, cum dicitur, parvulos poſſidere ſtultitiam; & magis propriè dicendum, ſtultitiâ laborare. Sed emphaticè dictum crede : *Poſſidebunt parvuli ſtultitiam*, &c. Emphaſim collige de commentario Janſenii hoc loco : Ianſen. com. in Prov. 14. 18. *Parvuli ſenſibus*, inquit, *ac judicio, hoc eſt, ſimplices, imperiti & fatui velut hereditatem poſſidebunt ſtultitiam, quia hanc amant eique adhærent veluti hereditario bono ac propriæ poſſeſſioni*, &c. De mente Janſenii ſuperiùs in commentario noſtro nonnihil adnotavi n. 1. Incidit nunc in mentem deplorare mortalium voluntariam infelicitatem : quæ viſitur in eo, quòd peccata ſua magnî faciant, ac ſi per ea ditarentur. Miſerum fuit equidem, quòd voluntate propriâ non utentes heredes facti fuerimus calamitatum peccatoris Adæ : ſed miſerius eſt, quòd jam arbitrio fruentes nolimus heredes fieri Chriſti : virtutis poſſeſſionem amplectentes. Utere S. Ambroſio. *Sicut*, inquit, S. Ambroſ. to. 2. expoſ. in Pſal. 118. 111. *ante heredes fuimus peccatoris, ita nunc heredes ſumus Chriſti. Illa fuit criminum, hæc eſt virtutis hereditas. Illa nos obligavit, hæc ſolvit.* Adeo cæco modo crimina diligimus, ut in bonis ea computemus. Per delicta deſtruimur; & ipſa quaſi noſtras poſſeſſiones reputamus.

55. Difficilis intellectu locus reperitur apud Pſaltem loquentem de ſignis quæ contigerunt in Ægypto, quando reſtitit Pharao voluntati Domini cupientis eruere populum ſuum de ſervitute. Verba ſunt hujuſmodi : Pſal. 77. 48. *Et tradidit grandini jumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni.* In horum ſenſu dubius contorquebit mentem quiſquis Exodi legerit hiſtoriam : non enim Textus ille refert, aliquas poſſeſſiones Ægyptiorum crematas. Rationem dubitandi reperies in Auguſtini commentario ſuper illa verba Pſalmi. *Quod verò*, inquit, *poſſeſſio eorum igne cremata ſit, omnino non legimus : quamvis voces & grandines cum igne fierent, ſicut* &c. Igitur quænam ſunt iſtæ poſſeſſiones igni traditæ? Solutionem exordiar ab eodem S. Doctore; qui dixerat ibidem : *Propter hoc quippe etiam aliqua hîc dicta ſunt, quæ omnino accidiſſe Ægyptiis non legimus, cum omnes eorum plagæ in Exodo diligentiſſimè ex ordine contexantur, ut quoniam id quod ibi non dictum eſt, non fruſtra in Pſalmo dictum certi ſumus, neque id interpretari niſi figuratè poſſumus.* Exiſtimo, poſſeſſiones vocari præfato loco peccata : nec mirum eſt hoc, eo quòd non ſit infrequens hominibus delicta quædam ſua ſic amare, velut ſi forent poſſeſſiones, quibus rederentur dites. Auguſtino ſuperaddam, quin tantum Doctorem lædam, S. Hieronymum : quem ille ſic reverebatur, ut epiſtolam quamdam ad eum direxerit, incipiens ita ſcribere : Idem. to. 2. ep. 8. *Domino dilectiſſimo & cultu ſinceriſſimo charitatis obſequendo, atque amplectendo fratri & compresbytero Hieronymo, Auguſtinus.* Hieronymus, inquam, exponens data ſuperius verba Pſalmi, ſic habet : S. Hieron. to. 8. expoſ. Pſal. 77. *Ignis quoque ad depaſcenda vitia, & illuminanda credentium corda mittitur, ſicut Dominus ait* : Ignem veni mittere in terram : &c. O cæcas mentes mortalium, & inſanas! quæ ſpiritûs detrimenta complectuntur ita, quòd vitia numerent in bonis propriis. Peccatoribus inculcabis peccati damna; ſed multoties obſtinati reluctabuntur : ſcelera deponere nequaquam deliberabunt; & ipſa quaſi theſauros *poſſidebunt.*

Parvuli. In commentario dixi, dari ſuo modo in animabus parvitatem, & magnitudinem. De Præcurſore meminiſti dictum; *Erit enim magnus coram Domino* &c. 56. *Aliqui ſæculo magni, verè parvi.* Luc. 1. 15.

Euthym. com. in Luc. ib.

ubi Euthymius: *Magnus apud Deum, quia magnus virtutibus.* A contrario ſenſu plurimos reperies equidem externâ ſpecie magnos; quos tamen verè judicabis parvos propterea, quòd ſuperbia depreſſit eos ad ima. D. Gregorius Papa: *Quiſquis*, inquit, *ergo introrſus intumeſcit, in altum ſe apud ſemetipſum ponit. Sed eò ſe graviùs in infimis deprimit, quò de ſe infima veraciter ſentire contemnit.* Multa ſunt in peccatore, quibus tam ſpectatores ejus, quàm ipſe falluntur. Sceleſtus gazis affluens ditiſſimum æſtimat ſeipſum; cum ſit præ defectu gratiæ divinæ pauperrimus: pulchrum ex eleganti formâ ſe judicat inquinatus delictis adoleſcens; & à plantâ pedis ad verticem totus fœdus, atque mille maculis extat ſordidiſſimus: hic idem pollere ſanis viribus exiſtimatur; & ægrotat graviſſimè non unico morbo: quandoque ſapientem cum vulgô judicantes proclamant; & intus ignorantiis fatuus eſt innumeris: nobilis habetur ex proavorum clarâ ſerie; quam cum degener fœdaverit, verè vilis eſt apud cordatos. Imo dicam. Etſi peccatorem cernas diademate fulgentem, crede puerum coronatum: quid enim refert eſſe dignitate magnum, ſi præ animæ pravitate parvulus eſt?

S. Greg. Mag. to. 1. l. 13. mor. c. 18. longe poſt princ.

57. Futuram Judæorum deſertionem propter peccata proponit Evangelicus vates. Cumque non modicum ſit cujuſvis Reipublicæ flagellum ſubdi non aptis dominatoribus; Iſaias ait, loquens nomine Dei: *Et dabo pueros principes eorum*, &c. Exponit Cornelius Alapide: *Per pueros hos accipi poſſunt Titus* &c. Ignorabam ſanè quomodo valuerit inter pueros numerari Titus Imperator: præſertim cum ille ſic magnus fuerit in exercendis muneribus imperatoriis, uti publicus dolor in ejus interitu ſatis abundè probavit. De quo Freculphus dixit: *Titi mors credi vix poteſt, quantum luctum urbi provinciiſque intulerit: adeo, ut eum delicias publicas (ſicut diximus) appellantes, quaſi perpetuo cuſtode orbatum terrarum orbem deflerent.* Ex hoc urbis Romanæ, provinciarumque mœrore colligere licet quantus ille majeſtatis magnitudine fuerit habitus à multitudine tam numerosâ. Quo poſito, non eſt nimis pervium exponere, qua ratione dicatur ille puer in ſacro Textu. Sed, ut hæc intelligas, oportet advertere quàm aliter Deus menſuret hominem, ac humana judicia metiantur eumdem. Sæpiùs ipſe Dynaſta, Rex, Imperator, qui tot nominibus excelſus acclamationibus extollitur; demptis in æſtimatione divinâ ſuperbis ornatibus, in mente Dei puer extat. Non eſt igitur quare miremur, apud Salomonem multos includi magnos judicio ſæculi, ſub hac voce, *Parvuli.*

Iſai. 3. 4.

Corn. Alap. in com. ib.

Freculph. to 2. Chron. l. 2. c. 3. in princ.

58. *Stultitiam.* Hugo Cardinalis hîc ita ſcripſit: *Nolentes eam commutare in ſapientiam Dei*, &c. Inter ſtultorum fatuitates multas inſignem locum tenet contumacia; qua ſic adhærent ſtultitiæ ſuæ, quòd ſe putant ſapientes. Craſſus extat hic error: ſed ſuperbiæ proprium eſt craſſitudinem internam gignere. S. Odo Abbas Cluniacenſis in illud Job 21. 24: *Viſcera ejus plena ſunt adipe*, ſic legitur: *Superbia quippe cordis, quaſi quædam pinguedo eſt craſſitudinis.* Quàm ſint illi turpiter inſipientes, qui, cum ſint ignari, putant ſe peritiſſimos, facilè convincitur, ſi fiat argumentum ab oppoſito. Notiſſimum habetur, primum ſciendi gradum eſſe cognoſcere, ſe neſcire; niſi potiùs dicere placuerit, ſatis provectum in ſciendo virum, qui proprium ſcientiæ defectum novit, & ſcit quid ſibi deſit. Fruere Guarrico. *Is*, ait, *nempe modus eſt adhuc illuminationis noſtræ, ut in lumen veritatis multum exiſtimetur profeciſſe, qui defectum ſuum potuerit noſſe, & ſcire quid deſit ſibi. Inde eſt quod & apud ſapientes hujus mundi, qui magis ſobriè diſputarunt de ſcientia, primus numeratur ſcientiæ gradus, ſcire quid neſcias.* Mens iſtorum ſapientum, quorum Guarricus meminit, videtur eſſe, primum in ſapiendo greſſum poni, cùm non latet hominem, ſe deſtitui ſcientiâ. Si per hoc ponitur exordium ſciendi, patenter infertur, illum, qui neſciens ignorat ſe prorſus ignarum, ſapientiam nec à limine ſalutaſſe. Concludam ſtatuens, aliquos ab opinione propriâ, qua ſe putant ſapientes, occaſionaliter fieri ſtultos. Exiſtimatio tumens proximè dicta ponit impedimentum, ne velint addiſcere: proinde naſcitur illorum ignorantia de præſumptione ſapientiæ propriæ.

S. Od. Abb. Clun. l. 15. in Job. longe ante fi.

Guarric. Abb. ſer. 3. de Epiphan. longe poſt princ.

59. Scribens ad Romanos Apoſtolus Ethnicos recolit, inquiens de illis: *Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Crederet aliquis, Paulum ſuperfluè dixiſſe ſtultos illos, quorum dixerat jam, cor inſipiens & obſcuratum: quod ſic explicat Ambroſius: *Nebula erroris texit cor illorum*, &c. Ut quid igitur addit: *Stulti facti ſunt?* Quia ſupervacaneum non erat iſtam illorum ignorantiæ cauſam exprimere: nempe quòd ideo contigit, ſtulteſcere ipſos, quia putaverunt ſemet ſapientes: non quòd fuerit hæc unica radix inſipientiæ, qua laboraverunt Ethnici; ſed quia negandum non eſt, infatuatos ipſos etiam fuiſſe per exiſtimationem propriam de ſapientia ſua. Chryſoſtomus adeſt in ea verba Doctoris Gentium. *Cum*, ait, *iis autem quæ dicta ſunt, & aliam erroris illorum cauſam ponit, cum ait: Cum ſe crederent eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Magnum enim quiddam de ſe imaginantes, nec ſuſtinentes ea via ingredi, qua Deus eos ingredi juſſit, amentiæ cogitationibus immmerſi ſunt.* O quot numeraremus inter ſapientes, niſi ſe putarent multùm ſapere, proindeque cor addicerent ad propriam ſtultitiam, *Nolentes eam commutare in ſapientiam Dei*, &c.

Ad Roma. 1. 21. 22.

S. Ambroſ. to. 3. in com. ib. ad n. 22.

S. Joann. Chryſoſt. to. 4. hom 3. in Epiſt. ad Roman.

Et expectabunt aſtuti. Aben Eſra apud Cornelium Alapide vertit hîc, *Sapientes.* Aliquis dicet: Quomodo vocantur ſapientes illi, qui ſcientiam expectant? Spes innuit carentiam rei expectatæ: qua ratione ſapientiæ poſſeſſores adhuc expectabunt ſcientiam? Facilis eſt hujus quæſiti reſponſio. Ignorantes non ſunt experti

60. *Sapientiſſimus curat addiſcere; fatuus ſæpe non optat ſcientiam.* Aben. Eſra apud Alap. Prov. 14. 18

Hug. Card. in Prov. 14. 18. *Aliqui propterea neſciunt, quia ſe putant ſapientes.*

ti ſcientiarum dulcedinem : idcirco plures ipſorum ſcire non exoptant. Quos aliqualiter exornat ſapientia, ſuavitatem hujus deguſtaverunt : quamobrem ſapiendi profectum deſiderare ſolent. Utere Dionyſio Carthuſiano, cùm exponit præſentem parœmiam. Expectabunt aſtuti *id eſt ſagaces* ſcientiam : *quia in ſcientiis ſtudent proficere.* Scire noſtrum ignorantiis multis admiſcetur : unde quamvis in ſapientiâ multos progreſſus numeres ; vel adhuc ampliores deſideras, vel inertiâ torpes, vel tandem nobis inſinuas, te ſomniare, quòd perveneris ad ſcientiam divinæ parem. Lactantius Firmianus : *Ubi ergo ſapientia eſt ? Ut neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt : neque omnia neſcire : quod pecudis.* Et infra : *Pars nobis data eſt ſcientiæ, pars ignorantiæ : per hunc quaſi pontem tranſire ſine cadendi periculo licet : nam illi omnes, qui ſe in alteram partem inclinaverunt ; aut dextro aut ſiniſtro verſus eciderunt ;* &c. Experientiâ compertum eſt, conari ſapientiſſimos ad ulteriùs adhuc ſapiendum ; at ſtultos ut plurimùm non cupere de ſtultitiæ ſuæ tenebris emergere : illi ſatagunt addiſcere ; hi frequenter nequaquam ſcire ſollicitant.

Dioniſ. Carthuſ. ib.

Lactant. Firm. l. 3. divin. inſtitu. in princ.

61. Conferamus regem Salomonem cum Roboam ejus filio. Salomon de ſemetipſo dixit : *Et præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Jeruſalem : & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici. Dedique cor meum ut ſcirem prudentiam atque doctrinam,* &c. Succeſſor illius, Roboamus narratur in hiſtoria Regum : non tamen legimus, curaviſſe ut acquireret ſapientiam regno moderando congruentem ; nec illam à Domino poſtulaſſe. Recogitabam plenus admiratione ſtudium Salomonis erga ſcientiam conquirendam ; cum tam exuberantem ſapientiam accepiſſet à Domino, ſicut notum eſt. Succedit ipſi Roboam : nec flagitat à Deo ſapientiam ; nec eam humanis mediis inveſtigat. Stultus erat ; Salomon autem ſapientiſſimus. Memorare quæ de Roboamo ſcribit Eccleſiaſticus : *Et dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo, gentis ſtultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam,* &c. Itaque ſcientiâ præcellentiſſimus, illius gratiſſimâ pulchritudine raptus, adhuc operam dabat ſciendo ; Roboam fatuus nil tale cogitabat. Hæc eſt ſapientiæ dulcis venuſtas : quam non plenè percipit, niſi qui penitiùs guſtat. Ignari multoties eam deſpiciunt ; quam ſolerter *expectabunt aſtuti.*

Eccle. 1. 16. 17.

Eccli. 47. 27. 28.

62. *Scientiam.* Dum aperirem dogma præſens, dixi, hoc intelligi de ſcientiâ practicâ, quæ reſpicit bonum animæ ſpirituale. Si de hac ſcientiâ loquamur, patet, illam eſſe perfectam, quæ plenè ſociatur operibus rectis. Rem aſſerui ſæpeſæpius repetitam ; ſed nunc rurſus inculcandam : ne doctis præſumptio ſubrepat ; ſimplicibuſque per ſuperbiam ſupplantari contingat. Præmitto verba S. Theophili. *Scientia*, inquit, *abſque opere, & opus ſine fide infirma ſunt & caduca : & econtrario ſcientia operi copulata perfecta virtutis indicium eſt.* Non minùs verum eſt, eſſe mutilum oculis orbatum ; & manibus expeditum ; quàm ſi careat manibus, & aquilino polleat intuitu. Vulgariter ſcitum eſt, per manus opera ſignificari ; per acumen autem viſus deſignatam ſcientiam. Nec igitur inſipiens aliquis invenitur perfectè magnus ; licet operetur bene, prout valet : nec deſtitutus operibus laude dignis eximius erit ; quamvis multâ peritiâ præditus. Ponamus, miraculo fieri, quòd ager infœcundus perpetua luce donaretur : an ideo laudares agrum tamquam plurimo pretio æſtimabilem, quia ſplendore multô clareſceret ſterilis ? Nequaquam : nam fructuum perennis inopia vilem redderet eumdem. Sic & homo ſapientiæ fulgoribus illuſtratus, & rectis operationibus deſtitutus, deſertum quoddam eſt illuminatum : non illum exiſtimes aliquid maximum. Titulus magiſterii ſine virtutis perfectione magnum quid non eſt.

S. Theophil. Epiſc. Alexand. in paſchali. ep 1. longe anteſi.

631

Gentium Apoſtolum, quamvis eſſet humilitatis inclytum exemplar, ad Timotheum lego de ſemetipſo ſcripſiſſe : *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium.* Dum iſtud Pauli dictum verſarem, occurrerunt citò verba Domini, cum quibus illud non videbitur bene cohærere. Dixit orbis Redemptor : *Nec vocemini magiſtri : quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus.* Huic doctrinæ ſummi Præceptoris reluctari putabis Gentium Doctorem, cum ſe magiſtrum appellat. Oportet iſta componamus. Et ſuppono, Chriſtum Dominum propterea præcitata verba protuliſſe, ne diſcipuli cuperent ob vanam gloriam inſigniri nomine magiſterii Paſchaſius ad eum locum : *Hoc introducere videtur, ne deſiderent diſcipuli Chriſti ob vanam gloriam, his vocari nominibus,* &c. Et adverte, Salvatorem cum fatus eſt uti diximus, præſciviſſe, cunctos Apoſtolos, præter Judam, futuros in virtute perfectos. Ergo quia magiſterii titulus additus perfectioni virtutis extat quid magnum ; Dominus voluit Apoſtolos ab illo retrahere ; ne de prædictâ magiſtri nomenclaturâ ſuperbirent. Paulus verò magiſtrum ſe vocavit : quoniam non ſeipſum reputabat in virtute perfectum ; ac proinde, cum ſine virtutis perfectione magiſtralis authoritas non ſit quid eximium, veritus non fuit Apoſtolus quòd magiſtrum ſe dicens, in gloriationem inanem laberetur. Qualiter cenſuerit Paulus de virtute ſuâ, collige de verbis ejuſdem ad Philippenſes : *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim* : &c. ubi S. Anſelmus : *Non eſt quod jam acceperim quod peto, aut jam perfectus ſim, ut nihil mihi deſit. Non dico : Sufficit quod egi : ſed ſemper aliquid addo, ſemper ambulo, ſemper proficio,* &c. Cum ita de propriâ virtute judicaret Apoſtolus, non credidit, magiſtri nomen ab illo de ſe prolatum, quid exiſtere præcelſum : quapropter citra diſcrimen ſuperbiæ, de ſemetipſo dixit, eſſe magiſtrum : exiſtimans non multum aſſerere ; cum (ſicut ipſe putabat) ſpiritu perfectus non foret.

1. ad Timoth. 1. 12.

Matth. 23. 10.

Paſchaſ. l. 10. in Matth. ib.

Ad Philipp. 3. 12.

S. Anſel. in com. ib.

FLOS XXIX.

Iacebunt mali ante bonos: & impii ante portas juſtorum.

APERITUR.

1. ADVERSÙS hoc pronuntiatum Sapientis dubitandi rationem objicit experientia, docens, homines rectos ab iniquis perſæpe comprimi; Deo ſic in dilectorum commodum permittente. S. Nilus: *Quò quis*, ait, *pluribus in bonis operibus fuerit, eò plures in ſe inſurgentes patietur: tum malos ſpiritus, tum iniquos homines. Permittit verò Deus vexari à multis juſtum, occaſiones præbens ipſi comparandæ tum æternæ in futuro: tum celebris in præſenti ſæculo vitæ*, &c. S.Nil. ep.27. Cum hæc ita ſint, non incongruè Honorius Auguſtodunenſis, Salonius, Beda, Rodolphus, Hugo Cardinalis, Interlinearis, & Lira, ſententiam referunt ad futuram vitam. In contrarium ſtat Salazar exponens hæc de vitâ præſenti. Citat Janſenium: quo jure, neſcio: nam hic ſequitur expoſitionem, quæ conjungit utramque vitam: pro qua ſententia citari poſſunt Cornelius Alapide, Dionyſiuſque Carthuſianus. Honor. Auguſtodun. Salon. Bed. Rodolph Hug. Card. Interlin. & Lir. in Prov. 14. 19. Salaz. Janſen. Corn. Alap. & Dion. Carth. ib.

2. Exiſtimo, de vita præſenti Salomonem hîc accipiendum eſſe. Moveor ex illis verbis: *Ante portas juſtorum.* Quæ habentur etiam in origine Hebræa; & referuntur ad eamdem vitam, atque verba primæ partis hujus parabolæ. Moveor, inquam, nam proximè citata non exponuntur valde rigoroſè de vita cœleſti. Reſpondebis ductus mente Lirani, dicentis hoc loco: Et impii ante portas juſtorum, *quia erunt à regno excluſi, juſtis ibidem receptis*, &c. Reſpondebis, inquam, per portas intelligi januam regni cœleſtis: & conſequenter fundamentum, ex quo prædictam interpretationem delegi, corruere. Sed contra: quoniam janua cœli non ſolet propriè vocari, portæ juſtorum. Liran. ibid.

3. Notandum primò, contingere multoties, ut vel infelicî pauperie cogente, vel quia ſuadet neceſſitas à viro probo docto poſtulare conſilium, voluntariè mali ſubmittant ſe bonis. Notandum ſecundò, non ſemel fieri, Deo providente, malum, qui priùs opprimebat juſtum, ad meliorem frugem tranſmutari; gratiaſque referre bono de mutatione propriâ. Tempeſtivè S. Iſidorus Peluſiota: *Quid*, inquit, *diſcruciaris, cum contumeliam duntaxat, ut ſcripſiſti, acceperis? Etenim ſi philoſophicum animum præſtiteris, tu quidem Socratis gloriam referes, etiamſi minus contumeliosè, quam cum Socrate tecum actum ſit: contra autem ille animi tui magnitudine tamquam telo ſauciabitur: aut etiam aliquando à peccandi ſtudioſa mente ac lingua in melius mutabitur, tibique, ut hujuſce mutationis authori, gratiam habebit.* S.Iſid. Pelu. l. 1. ep. 11. Non igitur cauſeris providentiam ſupernam, dum condoles, viros commendatione dignos ab impiis conteri. Prætermitto alteram acceptionem; quam Rodolphus obtulit, inquiens, hîc admoneri malos, ut incurvent ſe coram bonis, quos affecerunt injuriâ. Si fuit animus huic interpreti nobis proponere quid latuerit in mente Salomonis, haud renuam; ſed quod exponentes litteram quærimus præcipuè, non eſt hoc; quid Sapiens expreſſerit verbis in genuino ſenſu, veſtigamus. Rodolph. ſup.

4. *Jacebunt.* Adnotandum, alium dari jacendi modum; ſcilicet internum per culpam. Hugo Cardinalis in præſenti, quamvis loquatur de vita futura, commentatur ſic: Jacebunt mali, *quoad mores, ſurgere non valentes*: &c. Neſcio quid miſerius dicam: quòd ne ſceleſti poſt mortem non ſurgant à peccato, quia non valent; an quòd in vita mortali non erigant ſe, quia non volunt. Illud tantummodo ſcio, quòd multi ſtare ſe credunt; & jacent; quatenus in terris quieſcunt. Fruere S. Auguſtino ſuper illud Pſalmi: *Manè aſtabo* &c. *Adſtabo quid eſt niſi non jacebo? quid eſt autem aliud jacere, niſi in terra quieſcere, quod eſt in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere.* Hug. Card. ſup. S.Aug to.8. expoſ.Pſal.5.

5. *Mali.* Adverte, malos, & bonos in mundo jacere; ſed modô certè diverſiſſimo; ſicut etiam diverſimodè vocamus utroſque ſpiritualiter mortuos. Perfecti dicuntur ſæculo vita functi: proindeque jacere meditari poſſumus illos, ut viva cadavera. Sed mali defuncti vocantur aliô genere mortis: & per conſequens alter jacendi modus competit eis. Proderit nunc Ansbertum legere dicentem ſic: *Et boni ſcilicet & mali, mortuorum nomine ſunt deſignati: boni quibus dicitur*: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: *mali vero, de quibus Salvator in Evangelio cuidam dicit*: Sine mortuos ut ſepeliant mortuos ſuos. Replicabis, vix credens demortuos impios; quos vides moveri quoquoversùm, prout ſuadet voluptas. Reſpondeo, ſimiles iſtos cadaveri; quod ad tempus inhabitat ſpiritus malignus: movetur illud; ſed cum dæmon ceſſaverit in eo morari, tandem cadet, atque jacebit. Ansbert. l. 9 in Apoc. longe poſt med.

6. *Ante bonos.* Etiamſi Deo dante corruat malus ad juſti plantas, & hic evadat victor ab improbo; nihilominus adhuc eſt conſultum, ut probus triumphans caveat necnon ab illo, quem vicit: nam fieri poteſt, ut iniquus homo callidè ſimulet, ſe dare manus libenter; & eodem tempore contra metipſum juſtum paret inſidias; tegens iſtas artificiosâ dexteritate. Simulatores ingenio pollent acuto frequenter; & ſi deſtituantur ingenii vivacitate, pluries falſitatem ſuam nequibunt executioni dare. S. Odo: *Sunt enim*, ait, *nonnulla vitia quæ etiam à ſenſu tardioribus facilè perpetrantur. Elatione namque intumeſcere, avaritiæ æſtibus inhiare, luxuriæ pulſanti ſuccumbere etiam quilibet obtuſus poteſt. Simulationis* S. Od. Abb. Clun. l. 16 in Iob. c. 30. n. 13.

lationis falſitatem exequi, niſi quis ſubtilioris ingenii fuerit, non poteſt. Obiter nota, quòd tales præacuti ſibi plaudunt, quia felix ingenium ſortiti ſunt. O ſortem infelicem; quâ ſolùm ad iniquitatem utuntur! Sed novum non eſt reperiri fortunas quaſdam infortunatas.

7. *Et impii.* Notaviſſe memoror alibi ſæpe, nomen, *Impius*, aliquando ſumi prout coincidit cum vocabulo, *Peccator*; aliquando vero prout ab iſto differt per exceſſum. In hoc ſecundo ſenſu loquitur D. Baſilius Magnus, inquiens: *Impietas propriè dicitur peccatum in Deum*, &c. Incertum eſt, quænam ex prædictis acceptionibus hoc loco ſerviat. Fortaſſis mens fuit Salomonis uti præfatâ voce juxta ſenſum rigoroſiorem. Deus tam impensè juſtum diligit, ut quaſi reputare videatur, oppreſſiones, quibus vexatur homo rectus, eſſe veluti læſiones immediatas contra majeſtatem divinam; & ideo, conterentes juſtum dignos exiſtere, quòd execrabili nomine dicantur *impii*.

S. Baſil. Mag. hom. 12. in principium Pſal. 1. med.

8. *Ante portas juſtorum.* Nota, portas iſtas perſecutoribus non claudi: ſcit enim vir perfectus, oportere beneficium præſtare ſemetipſum in perſequentem, Salvatoris exemplo: de quo, dum ſanavit Malchum, dixit Chryſoſtomus: *Jeſus autem etiam hoc in loco miraculum facit, ſimul erudiens nos, quod in perſecutores noſtros beneficos nos eſſe oportet.* Quandiu non aliquo beneficio proſequeris perſecutorem tuum, laudabile multùm eſt duritiem ejus miſericorditer lacrymari. S. Diadochus Epiſcopus ait: *Multo præſtantius eſt duritiam, & ſtuporem cordis iſtorum deflere, quam eoſdem odio proſequi:* &c. Qui ſic, & ſimiliter de malorum iniquitate victoriam reportant, meritò quidem inſigniuntur venerabili nomine, *Juſtus*. De patientiæ laudibus aliqua dixi ſupra fl. 27. delib. 4. Nunc tantùm addo Bleſenſem. *omnes*, ait, *virtutes, quas in conſtructione ſcalæ cœleſtis annumeravimus, per patientiam confirmantur.*

S. Ioann. Chryſoſt. to. 3. hom. 82. in Ioann longe poſt princ.

S. Diadoch. Epiſc. in capit. de perfect. ſpirit. c. 71.

Petr. Bleſ ſer. 49. in feſt. Omni SS. in princ.

DELIBATIO I.

Mali ceciderunt ante Divum & inclytum Dei militem Sebaſtianum gloriosiſſimè.

9. DEliberavi nunc aliquot præconia ſubjicere Sanctorum: coram quibus in certamine martyrii victi procubuere tyranni. Volentem induxit Cornelius Alapide: qui ſcribit ad præſens dogma. *Trajanus infelix procumbet ante pedes S. Ignatii, Decius ante pedes S. Laurentii, Dacianus ante pedes S. Vincentii*, &c. Verum eſt, quòd hæc interpretis verba referuntur ad ævum futurum: ſed hoc non obſtat, ne ſequar ducem: nam poſt addit: *Tamen in hoc quoque ſæculo non rarò fit, ut Deus pios exaltet, impios humiliet*, &c. Meditabor igitur cadentes improbos ante victores Martyres. Exordium à D. Sebaſtiano ſumam: cujus Deus militarem profeſſionem tranſmutavit in militiam altioris notæ. Priuſquàm expendam cadentes ante Chriſti militem Imperatores, nonnihil dicam de victoria; quam Sebaſtianus reportavit à Tranquillino genitore ſanctorum martyrum Marci & Marcelliani. Aliqualiter eorum pater dici priùs potuit Sebaſtiani quidem hoſtis: denique tamen jacuit ante pedes illius. Noviſti, Marcum & Marcellianum in Chriſtianâ fortitudine profeciſſe D. Sebaſtiani hortatu. Cæcus parens avertere curavit eos, ne pro Chriſti fide mortem obirent, inquiens: *Miſeremini mei ô filii, quos genui, quos alui, quos ad hanc uſque ætatem perduxi. Cur mortem amplectimini voluntariam?* Hæc dicentem voco Tranquillinum adverſarium Sebaſtiani: quoniam omnis infidelis toti contrariatur Eccleſiæ. Vicit illum pugnator noſter: audito quippe Sebaſtiano jam fidelis poſtea dixit idem Tranquillinus: *Eram ego quoque aliquando in hac ſententia ô judex, & qui religionem ſectabantur Chriſtianam, arbitrabar decipi, & non eſſe ſanæ mentis. Poſtquam autem egregium convéni Sebaſtianum, virum inſignem, & qui eſt, ut ſcis, magno ſtudio Imperatoribus; & ab ipſo didici, quàm ſit honeſta & veneranda fides*, &c. Videſne jacentem ante Sebaſtiani pedes Tranquillinum?

Simeon. Metaphr. in vit. S. Sebaſt.

Idem. ib.

10. Notandum ſequitur modò, quàm fuerit inſignis triumphus; quem obtinuit Sebaſtianus ab iſto priùs malo. Pugnabat in eo paterna dilectio: quæ circa gnatorum vitam ſervandam propemodum inſanit: prout inferre pronum eſt è verbis Chryſoſtomi, dicentis: *Alii militias filiis ſuis providebant, alii honores, & nemo filiis ſuis providet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant, & ſalutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, triſtantur, & ſuſpirant: ſi autem viderint illos peccantes, nemo triſtatur: ut oſtendant quia corporum ſunt parentes, non animarum.* Amoris Tranquillini circa genitos inſania longe pejor erat: non enim quia peccabant non triſtabatur; ſed quoniam pro Chriſti fide vitam exponere volebant, ab hoc propoſito voluit eos retrahere. Quid exclamaret circa patris hujus veſaniam S. Laurentius Juſtinianus; qui de parentibus gnatos à relinquendo ſæculo, regularemque vitam complectendo curantibus diſſuadere, dixit: *Procreaveruntque nos ſæculo ad laborem, & (heu) ſecum nos trahere volunt ad ſempiternum interitum, tamquam illis damnatio propria non ſufficiat.* Fortiori ratione dicemus hoc de Tranquillino: qui cum propter infidelitatem viveret in ſtatu damnationis; ad eumdem trudere ſatagebat proles neſcius amator, qui timebat, ſe bis in genitis ante mortem commoriturum. Is parentum amor eſt erga ſobolem, ut in illa decedente pater agere vitam credat. Apud Petrarcham inquienti gaudio: *Habeo filios*, reſpondet ratio: *Habes unde vivus doleas, mortuus agnoſcaris. Habes & unde ſæpius mori poſſis.* Igitur pavens geminatum interitum in filiis Tranquillinus pugnabat contra fidem catholicam; pro qua ſtabat Sebaſtianus. Hic ſuperavit

Inſignis eſt victoria rationis vincentis amorem paternum.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 35. oper. imperf. in Matth.

S. Laur. Juſtin. l. de diſcipl. & perfect. monaſt. conver. c. 4. ante med.

Petrar. de remed. proſp. fort. dial. 70.

vit plura feliciter, dum converſus eſt ille, complectens Chriſtianam veritatem. Vicit, inquam, Sebaſtianus amorem patris erga natos, dolorem de filiorum abſentiâ, necnon affectum parentis ad idola. O palmam illuſtrem! Ad victoriæ decus fuerat ſatis amorem paternum ſuperaſſe: multò glorioſius tamen eſt ita viciſſe, quòd etiam ſubegerit angorem patriscir ca filiorum abſentiam, & affectum ejus ad inanes deos. Exemplo de ſacris dictum aperietur.

11. Habitavit in Meſopotamia Jacob inſerviens Labano; ſuſtinenſque fraudes ejuſdem. Deliberavit aliquando proprios repetere lares. Egreſſus eſt inſcio ſocero: qui perſecutus eſt eum; ac denique, niſi Deus prohiberet, vindictam ſumeret à genero. *Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* Hoſtilis egreſſio Labani mutata fuit in fœdus pacis: *Veni ergo & ineamus fœdus*: &c. Vides rei fortunatum exitum. Sed nonne congruentius foret, ut Jacobum dilectum Deus ita præſervaret ab omni formidine Laban, quòd iſtum non permitteret adversùs illum egredi? Memini Dominum diverſo genere defenſionis tuitum fuiſſe Jacob, poſtquam ejuſdem geniti depopulaverunt urbem in vindictam propter ſtuprum, quod paſſa Dina fuit. Texit ait: *Cumque profecti eſſent, terror Dei invaſit omnes per circuitum civitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Ubi Cornelius Alapide: *Immiſit Deus hunc ſacrum, & quaſi panicum terrorem in Chananæos, ne ex Sichem abeuntem, & quaſi fugientem Jacobum auderent invadere, & ulciſci ſtragem Sichimorum.* Quare non ſimiliter Dominus incuſſit Labano, ſuiſque formidinem, ut nequaquam auſi forent perſequi Jacob ab ejus domo diſcedentem? Puto quia voluit ingratitudinem Labani punire conceſsâ Jacobo victoriâ perilluſtri de ſocero. Si divinitus perterrefactus non exiret inſequens generum; potentia Dei, non verò Jacob Labanum ſuperaret. Quæris in quo fuit inſignis præfata victoria? Dicam. Armabat Labani pectus amor filiarum; dolorque de illarum abſentia; ſimul & affectus ad idola ſublata. Sic armatum convicit ratio tandem: nam dictorum à ſe puduit illum; ut notat Chryſoſtomus, inquiens: *Ideo Laban erubeſcens de his quæ dixerat, nunc in timore aſſiſtit, & fœdera inire vult cum juſto.* Ecce quàm gloriosè devicit ratio paternum amorem in Jacobo, doloremque de filiarum abſentia, affectum necnon idolorum: quæ omnia ipſum ad furendum incitabant. Hinc ad invictum Dei militem Sebaſtianum. Habuit olim adverſarium Tranquillinum: in cujus corde militabant adverſus bellatorem pro Domino, dilectio gnatorum, dolor de futurâ per mortem ipſorum abſentiâ, junctus affectui circa idola. Sed vicit ratio denique parentem idolatram. Euge triumphum nobiliſſimum.

Genes. 31. 29

Ib. n. 44.

Ibid. c. 35. 5.

Corn. Alap. ib.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 1. hom. 57. in Geneſ.

12. *Præcoces fructus diſcipuli honorant valde magiſtrum.* Diſcipulus factus ergo Sebaſtiani Tranquillinus brevi conſcendit ad magiſterium: nam gentilem Chromatium habuit imitatorem: iſte quippe verbis ejus commotus, *vocat Tranquillinum, & ei dicit: Video frater, eſſe magnam Chriſtianorum religionem, & non eſſe alium Deum præter eum ſolum, qui à vobis adoratur*: &c. Æquum erat ut ſalubris doctrina, quam à Sebaſtiano Tranquillinus hauſerat, fructum ederet hujuſmodi. Illa quidem aquæ ſimilis extat: & lympha ſolet è nubibus decidere ſupra montes; & inde ad valles diffluere. Similiter fontes non ſolùm vicinam glebam irrigant; ſed ad remotiorem agrum permeant. Notum eſt, prædicatores veritatis & nubibus & fontibus æquiparari. Priori ſimilitudine S. Proſper uſus eſt. *Sed*, inquit, *videndum eſt quæ ſunt illæ nubes, quibus in cœlum divinarum ſcripturarum aſcenditur. Prædicatores utique veritatis, qui corda audientium à terrenis ſenſibus erigunt, & ad ſublimitatem cœleſtis intelligentiæ ſubvehunt.* Allegoriam deinde fontium doctrinæ veræ præconibus aptat Hieronymus, inquiens: *Univerſus autem orbis qui erat deſertus & ſterilis, & aquas prædicationis dominicæ non habebat: verſus eſt in paludes aquarum: & quot doctores emiſit: tot habuit & fontes.* Nubis ingenium Sebaſtianus imitatus eſt: nam & illius converſatio in cœlis erat; & Spiritus divini fulgorem celabat. Fontis necnon conditionem ſibi vendicabat: unus etenim ex illis erat; de quibus à Domino dictum fuit ad Samaritidem: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons* &c. Igitur & ut nubes; & ut fontis poſſeſſor (qui fons etiam quadamtenus vocari poterat) Sebaſtianus in Tranquillini præcordia fudit aquam doctrinæ ſalutaris; & ex hinc poſtea Chromatii cor fuit irrigatum ſpiritaliter. O ter & ampliùs præclaram ſtrenui Ducis gloriam: qui ſic in alumno ſuo, non veterano, triumphavit! Præcoces fructus virgulti recens plantati ſpiritualem doctrinam, doctoremque decorant plurimùm.

Ex Metaphra ſup.

S. Proſp. in com. Pſal. 103.

S. Hieron. to. 6 l. 2. in Habac. c. 3.

Ioann. 4. 14.

13. Niſi lentiùs attendas, altiùſque legas Apoſtoli verba, putabis illum ſibi contrarium: dum gloriari nunc videtur de ſuo; nunc autem gloriationem hujuſmodi penitus abjicere. Si noſſe vis quantùm vitaverit Paulus gloriam ſibi ſumere de propriis, legito Chryſoſtomum: *Quoniam*, ait, *quidem ſeipſum vehementer dejecerat, rurſus ſermonem erigit, atque id illorum gratia faciens, ne contemptibilis videatur eſſe Deus. Erigendo verò ſermonem, moris ſui non oblivíſcitur, cum dicit: Habeo igitur quod glorier. Glorior, inquit, non in meipſo, neque in noſtra diligentia, ſed in gratia Dei.* Vides humilitatem Pauli? Propterea mirabar, quòd, cum ad Corinthios dixerit: *Pro me autem nihil gloriabor* &c. alibi ſcripſerit, habere ſe gloriam: *Habeo igitur gloriam* &c. ubi S. Thomas: *Igitur quia talem gratiam accepi, & diligenter executus ſum id ad quod mihi hæc gratia data eſt, habeo gloriam ſicut fidelis miniſter. 1. Corinth. 9. Melius eſt mihi mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Quomodo ſtant iſta cum humilitate Pauli? Nihil elatus gloriabatur attamen: quia noverat, diſcipulos, nequaquam in

S. Ioan. Chryſoſt. to. 4 hom. 29 in Epiſt. ad Rom.

2. ad Cor. 12. 5.

Ad Rom. 15. 17.

S. Thom. in com. ib.

in fide veteranos, jam ita profeciſſe, ut
Ib. n. 14. alios monerent. Apoſtolus ibi dixerat Romanis: *Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alter utrum monere.* Citra ſuperbiam vix continere ſe poteſt magiſter bonus, dum cernit alumnum tyronem citò factum ſibi ſocium in docendo. Sic expendebam, Sebaſtianum in Domino quondam gloriatum fuiſſe, quòd Tranquillinus, in fide valde novitius, doctrinam ſalutarem inſtillaverit Chromatio. Feliciter ita vincebat Martyr inclytus: & ante illum proſternebantur impii; ſed eò pactò quòd meliùs habebant cadentes.

14. *Sebaſtiano gloriam ceſſit Angelus, nolens in præſentiâ ejus adorari.*

Tertia Sebaſtiani victoria, præcedentibus non impar extitit converſio Tiburtii: qui filius erat Chromatii, converſi per Tranquillinum. Tiburtius, inquam, de futurâ fide ſuâ pactum obtulit: experientiam facere volens. De Sebaſtiani veritate: tunc tantùm permiſſurus, ut idolum quoddam, opus artis mirum, contereretur, cum patri ſuo Chromatio reſtitueretur ſalus corporis. Dixit enim Tiburtius: *Hoc velim ſciatis, quod hoc pulchro*
Sime. Metaph. in vit. S. Sebaſt. *contrito opere, ſi ſanitas quidem fuerit reſtituta patri meo, ſicut eſtis polliciti, ero ipſe quoque verus Chriſti diſcipulus excuſſa dubitatione:* &c. Sic res accidit: nam ſanatus eſt genitor; indeque ſalutem ſpiritualem gnatus eſt
Idem. ib. conſecutus. *Lux ſtatim circumfulſit Chromatium, & ei pulcher apparens adoleſcens, dixit ei: Beatus es qui Chriſto credidiſti, qui nunc miſit me ad te ut dem tibi liberationem à morbo quo teneris. Quæ ſimulatque dicta fuere, diſſoluta eſt membrorum mutilatio, & licebat videre eum qui prius vix ingrediebatur tamquam cervum tunc ſaltare. Propter quod fertur ſtupefactus Tiburtius protinus accurriſſe, & ſanctorum pedes tangentem Deum verum confeſſum eſſe Chriſtum,* &c. In hoc mirabili facto ſolummodo notabam quod per citata verba hiſtoriographi ſatis inſinuatur tacitè, nempe Tiburtium non vidiſſe Angelum, qui apparuit parenti ſuo. Quare non permiſſus eſt Angelicum ſpiritum cernere Tiburtius, cùm ejus converſio pendebat in futurum? Dubitandi ratio patet manifeſtè: quia ſalutis humanæ ſpiritualis curam
Vict. Antioch. in Marc. 1. habent Angeli non modicam. Victor Antiochenus: *Adminiculantur Angeli enim humanæ ſaluti* &c. Conſonat Cyrillus Jeroſolymitanus. *Sed*, inquit, *Angeli præſentes,*
S. Cyrill. Jeroſolym. catech. 14 *ubique curant ignorantias.* Ignorantiæ tenebris involutus erat adhuc Tiburtius: Cur Angelus eidem ſeipſum non patefecit, ut ſpiritualiter illuminaret eum? Exiſtimo, præſentiam ſuam Tiburtio celaviſſe: nam hic, ſi videret Angelum, potiùs ad hujus pedes procumberet, quàm Sebaſtiani. Voluit cœleſtis militiæ bellator victoriam Sebaſtiano cedere; quò non adoraretur ipſe coram Sebaſtiano; ſed ad Martyris plantas procideret ille malus mutatus in alterum virum. Angeli modeſtiam demirare; dum quæro non ineptum exemplum in caſu Gentium Doctoris notiſſimo.

15. Simile quoddam accidit Paulo: qui teneri permittebatur divinitus in carcere; quaſi ne curreret ad martyrium; cujus dilatio congruebat Eccleſiæ primitivæ. Soluta ſunt Pauli vincula ſubitò, ſociorumque per Angelum, vel plures fortè ſpiritus. Lorinus ibi dixit: *Porrò Angelicâ peculiari operâ vinculorum ſolutio accidit: nec enim cum terræ motu, quem illi etiam operati ſunt, hic effectus neceſſariam habet connexionem.* Scire cupiebam, qua de cauſa non patenter apparuit Angelus vel Angeli, cuſtodi carceris? nonne foret Apoſtolo glorioſum, quòd veniens cuſtos videret præcelſum liberatorem (vel fortè plures) Pauli? Sic factum non eſt, ne potiùs procumberet ad Angelicos pedes cuſtos carceris, quàm ad plantas Apoſtoli. Vide quid ille fecerit ibi timore correptus. *Petitoque lumine, introgreſſus eſt: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:* &c. Converſio hæc triumphus erat congruus Apoſtolo: cujus gloriam humilitas Angelica noluit eripere Paulo. Applica Sebaſtiano martyri: cum enim providentia Dei diſponat, quòd jaceant mali ante bonos, congruentiſſimum erat, ut ante militem inclytum Tiburtius procumberet; qui paulò priùs malus erat. Igitur ſpiritus Angelicus, qui Tiburtii patrem ſanavit, non apparuit manifeſtè filio; ne contingeret, genitum potiùs Angelo, quàm Sebaſtiano reverentiam exhibere: Martyri ſatis urbanè gloriam ceſſit ejuſmodi.

Lorin. in Actor. 16. 26.

Actor. 16. 29.

16. *Offenſori benefacere glorioſum eſt.*

Nunc ejuſdem converſionis Tiburtii meditabor circumſtantiam non prætereundam, in D. Sebaſtiani laudem. Chromatius patiens morbum jam dictum, audivit ſalutis promiſſionem; ſed non fuit reſtitutus ille ſanitati, niſi poſtquam audaciter dixit ægroti filius Tiburtius ad Sebaſtianum & Polycarpum: *Sin autem ejus morbus duraverit, poſtquam id interierit* (hoc eſt contritum fuerit idolum de quo ſupra) *vos huic quod videtur ſupplicio ſubjiciam tamquam deceptores.* Conditionem amplexus eſt Sebaſtianus. Sed inquirere placuit mihi nunc, cur non ante minacia verba Tiburtii pater fuit ſanatus? Hæc occurrit meditatio. Sanitas iſta beneficium erat, non tantùm exhibitum parenti; ſed etiam gnato. Conveniens erat in majus præclariſſimi Sebaſtiani decus, ut filio ſic benefaceret, poſtquam protervè loqui fuit auſus contra futurum benefactorem. Noſti jam à multis effatum; quod inculcat noviter S. Thomas à Villa nova, dicens: *Certamen enim magnum eſt inter fratris malitiam & tuam bonitatem: certa viriliter ut beneficiis vincas illum, qui te aggreditur incommodis: grandis enim tibi gloria eſt, ſi in hoc certamine victor evaſeris: & grandis eſt confuſio, ſi ſuperatus fueris.* Et infra: *O quanta gloria, coram Deo, & hominibus, & coram ipſis inimicis, videre illum confuſum, verecundantem, non audentem aſpicere, & attollere oculos ad aſpiciendum faciem tuam, dolentem & contriſtatum, quod tam bonum hominem perſecutus fuerit:* &c. Maneat igitur, offenſori beneficum ſe præbere glorioſum valde quid eſſe. Si liberalis extas in eum, qui te non læſit, nihil difficile ſuperas ma-

Ex Metaphr. ſup.

S. Thom. à Villa no. ſer. fer. 6. ante 1. Domin. quadrag. ante med.

nens intra te; ſi verò poſt injuriam acceptam vincis in bono malum, rem arduam peregiſti; ſimulque per offenſionem invictum animum demonſtraſti. Niſi ratio dictet oppoſitum; contine pauliſper munus tuum; donec offendaris ab eo, cui benefacere decreviſti: ſic enim major erit in Domino gloria tibi; cum læſus te benefacientem præſtiteris.

17. Diutiùs mente verſabam quòd, cum Chriſtus Dominus tempore ſuæ comprehenſionis auriculam ſanaverit Malchi; non contulerit ſanitatem ſpiritualem (quæ tantò corporali præſtat) illuminans in via, quæ ad Calvariæ locum ducebat, Dimam: qui cæcus pergebat juxta lucem. Sane Pilato, Pontificique Dominus locutus eſt; cum nullum expectaret in eis fructum. Quare non loquitur ad latronem, ut illuſtraret ejus mentem; & ſic ipſe meritum augeret, factus integer crucifixionis Chriſti ſocius? Vide, Malchum priuſquàm ſanitatem accepiſſet, jam læſiſſe Redemptorem; quatenus ipſius comprehenſioni cooperabatur. Non erat ergo cur filius Dei jam non ipſi donum conferret ſalutis corporeæ. Dimas in via non adhuc offenderat piiſſimum Salvatorem. Propterea Verbum incarnatum, ad hoc ut poſt offenſam benefaceret ei, referans illi paradiſum, expectavit ut blaſphemaret contra ſe. Latronis hanc blaſphemiam habemus apud Marcum. *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.* Adde S. Hilarium: *Quod autem*, inquit, *latrones ambo conditionem ei paſſionis exprobrant: univerſis etiam fidelibus ſcandalum crucis futurum ſignificat.* Continuit ſe Servatoris largitas erga Dimam; tunc benefecit latroni, cum jam ipſe læſerat eum: ſic etenim plùs illuxit clementia Chriſti. Imitator Domini Sebaſtianus Tiburtio conferre diſtulit non modicum donum ſanitatis reſtitutæ parenti, quoad ipſe filius audaciter loquens offendit eumdem: ſic enim pectoris invicti ſtrenuitas exercetur inſigniter.

Marc. 15. 32.

S. Hilar. can. 33 in Matth. juxta med.

18. *Ad victoriæ plauſum conducit quòd ex eâ timorem concepe-rit hoſtis.*

Demum poſtremam Sebaſtiani victoriam perpendamus: qua jacuerunt ante Martyrem ſanctum Imperatores peſſimi Diocletianus & Maximianus. Juſſus fuit ſagittis configi. Tot apertis oſtiis, nequaquam ſpiritus ejus, licet diſſolvi cuperet, avolavit ut potiretur Chriſto dilecto. Habetur, narrante S. Vincentio Ferrarienſi, Martyrem non interiiſſe per ſagittarum ictus. *De nocte autem*, inquit ille, *devoti Chriſtiani volentes eum ſepelire, ipſum vivum invenerunt: & ſecretè portaverunt ad quamdam domum.* Sed quare ſervatur ejus vita? Dicerem, providente Deo conſervatam, ut rurſus occurreret Imperatoribus. *Deinde*, ait idem Vincentius, *cum Diocletianus & Maximianus irent adorare idola, fuit eis obviam.* Et quid inde? Refert in ejus vita Hiſtoriographus Hiſpanus, Diocletianum, cum Sebaſtianum videret, fuiſſe turbatum, & ſuſpenſione confuſum, donec ad ſeipſum rediret. Nobilis eſt circumſtantia victoriæ, quòd adverſarius metu corripiatur: præſertim ſi de victoria Martyrum loquamur: quæ malitiam tyrannicam perſequitur. De Martyribus dixit Nazianzenus: *Cum martyres*, ait, *holocauſta ſint rationalia, ſacrificia, perfecta, oblationes acceptæ, veritatis præconia, mendacii infamatio, legis ſpiritaliter intellectæ adimpletio, erroris diſſolutio, malitiæ perſecutio*, &c. Non parum refert igitur ad victoriæ plauſum, quòd per illam tereatur inimicus. Per adverſantis metum ſubjicitur ejus cor: & maximè plaudendum eſt vincenti, qui proſtravit animos oppugnantium. Quandiu fortitudinem ſervat inimicus, & ſi per victoriam ſuperatus, non adhuc totus videtur cecidiſſe: tunc potiùs conſummato victori plaudatur, cùm per metum conſternati ſunt hoſtiles animi.

S. Vincent. Ferrar. ſer. de S. Sebaſt.

Idem. ib.

Ribadan. in vita. S. Sebaſt.

S. Gregor. Nazianz. or. 19. in Cyprian. longe poſt princ.

Lego Jacob victoriam perilluſtrem; qua ſuperior evaſit Angelo colluctanti. Sed vincentis gloriam involvére pene tenebræ: nec adfuit ſpectator, qui plauderet. Textus ait: *Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo uſque manè.* Aliter accidit ſtrenuo novelloque militi Davidi, cum aggreſſus inſolitam pugnam, ſtravit Gigantem: non tantùm cum diurna lux affulgeret, vicit iſte; ſed victoriæ reportatæ plauſerunt publicè canentes mulieres. *Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saül mille, & David decem millia.* An Goliath fortior Angelo? Minimè. Quid eſt igitur, quòd palma Davidis publicis excipitur plauſibus? at, cùm vincitur Angelus, nullus adeſt; tenebriſque certamen ferè ſepelitur? Putabam, ideo magis dignam fuiſſe plauſu victoriam Davidis; quia certum eſt, Angelum victum non ideo metuiſſe Jacobum. At, victore Davide, Philiſtæi timore correpti fugam ceperunt. *Videntes autem Philiſthiim, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.* Bellè ad rem noſtram videtur locutus D. Baſilius Seleucienſis: *Poſtquam*, ait, *enim ſpiritus hoſtium unà cum cadente Goliath ceciderunt, ſtetitque trophæum, & in fugam actus hoſtis terga telis præbuit fugæ teſtes vulnerum loca reportans, & à ſervitii metu liberatus Iſraël, ac in partem victoriæ Davidicæ venerant omnes: movit ad fauſtas acclamationes vel mulieres victoria ipſa, quæ cum jucundiſſimam victoriam carminibus intexuiſſent, ſuis vocibus animi lætitiam evulgabant.* Meritò quidem canentium choris concelebratus fuit caſus; quo procubuerunt hoſtium animi. Certiſſimum eſt ſpiritum Angelicum non timuiſſe victorem. Minus plauſibilis eſt vincendi modus, cùm fortitudo victi perſeverat ſtans immobiliter. Ut Sebaſtianus magis egregiè vinceret Imperatorem, terruit eum. O ſortem præclariſſimam, qua *jacebunt mali ante bonos.*

19.

Geneſ. 32. 24.

1. Reg. 18. 7.

Ib. c. 17. 51.

D. Baſil. Seleuc. or. 15. in David. poſt med.

DELIBATIO II

Coram Stephano cecidere mali pro ipſius triumpho.

20. *Superare mentes illuſtris eſt victoria.*

PRimam Stephani victoriam lego deſcriptam in Actibus Apoſtolorum apud Lucam, cùm, diſputante Protomartyre, reſiſtere nequibant adverſarii ſapientiæ, quæ relucebat in eo. *Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Glorioſum erexiſſe trophæum notavit optimo jure Nicetas de Martyrum Anteſignano, confundente ſic ſapientes. *Quo factum eſt*, ait, *ut cum Gentiles argueret, ac cum Judæis concertaret, & omnibus hæreſibus, quæ in eum irruebant, reſiſteret præclariſſimum adverſus omnes trophæum erexerit.* Et infra: *Omnes autem ejus oratione perſtringebantur & perturbabantur. Non poterant enim (inquit Scriptura) reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Deſcribit eruditè pugnantem Nyſſenus: *Omnes*, inquit, *in quibus eruditionis atque ſcientiæ nonnihil inerat, in ſeſe convertebat: ex iis qui cæteris præſtare videbantur, coïtione atque conſpiratione facta, veluti in phalangas quaſdam conſtipati ſic impetum Stephani ſuſtinere nitebantur. At ille omnibus pariter invictus erat, ſive cum multis ſolus, ſive cum paucis congrederetur.* Inſignis utique ſuperandi genus eſt intellectum alterius feliciter ſubjicere ſibi; præſertim quando ſapienti ſilentium imponitur; ſicut accidit Stephano: nam ſic decertans obtinet præcipuum loquendi finem. D. Gregorius Papa dixit: *Finis eſſe locutionis ſapientium ſolet, ut eouſque dicant quo adverſariis ſilentium imponant.* Non vulgarem devicit hoſtem qui ſapientem detriumphavit: nam ſapiens uno Jove minor apud ſcriptores prophanos: quin & apud Auguſtinum legitur: *Illud reſtat, ut reſpondeas, ſi potes, utrum tibi videatur rationali & ſapienti mente quicquam eſſe præſtantius? Evodius. Nihil præter Deum arbitror. Auguſtinus. Et mea iſta ſententia eſt.* Igitur magis illuſtris eſt vincendi modus, non corpora proſternere; ſed mentes.

Actor. 6. 9.

Nicet. or. narr. de S. Steph. apud Metaphr. poſt princ.

S Gregor. Nyſſe. or. de S. Steph. longe poſt princ.

S. Greg. Mag to.1.l. 13. mor. c.4. n. 9.

S. Aug. to.1. l. 1. de lib. arbitr. c.10. fi.

21.

Priùs quam Dominicæ paſſionis tempus adveniret, quidam voluerunt comprehendere Dominum; & auſi non ſunt. Coram Phariſæis & Pontificibus confeſſi ſunt admirationem, quam de verbis Chriſti Servatoris conceperunt. Reſponderunt miniſtri: *Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Cum tandem acceſſit hora poteſtaſque tenebrarum, Jeſus comprehenſoribus occurrit, & retrorſum cadere fecit eoſdem: *Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Quid eſt, quod cùm voluit comprehendi, tunc ſtravit eos; non ita cùm nolebat adhuc? Quia glorioſior erat victoria ſubigere priori loco mentes adverſariorum, quàm projicere corpora. Minorem victoriam reſervavit (projectionem ſcilicet corporalem in terram) tempori paſſionis: quod, cum totus in humilitatis exercitio tunc eſſet Chriſtus Dominus, non erat opportunum, ad hoc ut adeo glorioſè ſuperaret eos, ut mentes eorum admiratione percelleret. Antea verò, cùm ſcilicet nolebat adhuc humiliari Salvator uſque ad mortem, potentiam ſuam ſubjiciendo mentes alienas oſtendit; non autem corpora dejecit in ſolum. Tempeſtivè Chryſoſtomus: *Qui ad Chriſtum capiendum ierant, ejus admiratione capti redierunt. Neque eorum tantùm ſapientia admiranda eſt, quòd ſignis non eguerunt, ſed quod ſola doctrina crediderunt.* Nota quod fortè ſapientes erant iſti: vide an ita colligatur ex Chryſoſtomo. Voluit itaque Dominus eos ita per majeſtatem inſigniter ſuperare, quòd loquentem admirati ſiluerunt. Nequaquam diſſimiliter, quantùm eſt in eo, quòd cum ipſo diſputantes, non poterant reſiſtere, Stephanus vicit horum ſuperbiam: de qua victoria Nyſſenus iterum loquitur: *Nam falſam ſapientiam per Libertinos Cyrenenſes & Alexandrinos ſapientes adverſus ſe luctantem, per veram ſapientiam devicit*: &c.

S Ioan. Chryſoſt. to. 3 hom 51. in Ioann. poſt princ.

S Greg. Nyſſen or. de S. Stepha. ante med.

Ad ſecundam Stephani victoriam tranſeamus; quam obtinuit in concilio poſitus: nam ibi de Judæis auditoribus dicitur: *Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.* O quàm verum eſt, eos dura pati, qui moliuntur adversùs inſontem dira. Opportunè Chryſoſtomus ad hunc locum: *Sic verum eſt id quod ſemper dicebam. Malè agere eſt verè malè pati, quamvis ille nihil perperam fecerit, ſed patientiam ſuam demonſtrarit. Ita quando contumeliâ afficimur, dum non ſumus malè conſcii, nihil patimur. Itaque volebant quidem occidere; ſed hoc non faciunt, eo quod cauſam honeſtam ſuo facinori prætexere cupiebant.* Adverſarios itaque ſuos in concilio ſedentes durè cæbebat Stephanus ipſius innocentiæ ſuæ gladio. Cædebat inquam, nam illi cupiebant invenire quod in eo damnarent: & non modicâ feriebantur ultione per hoc, quòd cauſam damnationis in ipſo non deprehenderent: dixit enim S. Iſidorus Peluſiota: *Quod nulla ratione ipſos æquè ulciſci queamus, quam virtutem colendo.* Fulgebat virtus in Protomartyre: diſſecabantur inimicorum corda; cum viderent, juſtæ damnationi locum non eſſe. Vincebat ille ſic excelsè: nam ſuperbia judicis iniqui per hoc ſatis conteritur, quòd innocentiam videat in eo, quem condemnare voluit.

22.

Actor. 7. 54. *Superbia judicis iniqui proteritur, ſi agnoſcat innocentiam ejus, quem damnare voluit.*

S Ioan. Chryſoſt to. 3 hom 18. in Act. in princ.

S Iſid Peluſ. l. 3. ep. 182.

Siſtitur Dominus Jeſus coram principe ſacerdotum Caipha: nec eſt veroſimile, ipſum cognoviſſe Redemptoris innocentiam: quamvis enim prophetaverit, *quod Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Non ideo colligitur, ipſum agnoviſſe, Chriſtum eſſe reatûs inſontem. Theophylactus ait: *Gratia Spiritus, ore illius uſus eſt ad prædicendum futura, tametſi pollutum cor ejus non attigerit.* Imo an-

23.

Ioann. 11. 51. 52.

Ib. c. 18. 6.

Theophyl. in Ioann. ib

Idem. ib. tea de ipſo Pontifice prædixerat Commentator: *Pontifex autem ita erat ſanguinarius, ut & nudo (quod aiunt) capite, contra Chriſtum imprudentiſſimè ſententiam ferret.* Quis igitur credet Caïpham agnoviſſe Redemptoris innocentiam? præſertim ſcribente Matthæo: Matth. 26. 65. *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam*: &c. Cogitabam quàm aliter providentia Dei circa Pilatum diſpoſuerit: ejus menti donans agnoſcere Chriſtum penitus innocentem. Ib. c. 27. 23. 24. *Ait illis præſes: Quid enim mali fecit?* Et infra: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus*: &c. Quid amplius meruit Pilatus? Non merito bono, ſed peſſimo promeruit agnitionem innocentiæ Chriſti: nam cum iniquus eſſet atque faſtuoſus, oportuit ejus conteri ſuperbiam per hoc, quòd agnoverit innocentem quem priùs damnare voluit. Arrogantia Pilati legitur apud Joannem, dicentis ad Ioann. 19. 10. innocentiſſimum Agnum: *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Quod autem Servatori fuerit animus humiliandi Ib. n. 11. ſuperbiam ejus, colligi valet ex verbis dictis ad Præſidem: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Ubi dixit Euthymius: Euthym. in Ioann. ib. *Reſpondit faſtum objurgans, qui illi ob poteſtatem accreſcebat*, &c. Hinc deduco, providiſſe Dominum, quòd impius arbiter innocentiam noſceret ejus; quem acceperat condemnandum; & inſuper inquiſitionem fecerat: Ioan. 18. 35. *Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?* Non leviter feritur malus, cùm ab ipſa veritate cogitur innocentem fateri, quem damnare voluit. Inde colli-ge, qualiter ſedentes in concilio *diſſecabantur cordibus*, cum Stephanum optarent interficere, nec invenirent in eo mortis cauſam.

24. *Rabies reſiſtentis cedit gloriæ patientis.* In iſtorum impio furore venit conſideranda ſpecialiter circumſtantia quædam; quam narrat S. Lucas in Actibus Apoſtolorum, dicens: *Stridebant dentibus in eum.* Actor. 7. 54. De hac circumſtantia Nyſſenus: *Dentium*, S. Greg. Nyſſen. or. de S. Stephan. ait, *colliſione ſævitiam præ ſe ferentes: hic vero tamquam fratres aſpiciebat*, &c. Nemini dubium eſt, ſtridorem dentium multoties à vehementiſſimo dolore naſci. Bene dixit Lorinus ad hunc locum: Lorin. in Act. 7. 54. § Verus. *Quia qui vehementiſſimè torquentur, facere utrumque ſolent, & flere ſcilicet & dentibus ſtridere, maxima tormentorum vis à Chriſto deſignata eſt per fletum, ac ſtridorem dentium.* Hoſtilis hæc rabies cooperatur gloriæ vincentis illam: nam furioſus adverſarius vigorem deperdit, cùm ſilet patiens, inſanit ſolus alter. S. Valerianus: S. Valer. hom. 12 de bono conſ. patis. *Sic fit ut conceptus furor virtutem perdat, ſi uno tacente alter ſolus inſaniat.* Minùs foret glorioſum tibi, ſi reſiſtentem conculcares ita, quòd mutire non auderet: glorioſiùs illum ſuperas, dato quòd furiat: ipſa rabies illius procelloſa gloriam tuam perſonare facit, cùm pede teris ejus inquietudinem tempeſtuoſam.

25. Erant in remigando laborantes Apoſtoli: quatiebatur undis miſera navicula. Salvator, qui ſolitat ſuis, dum conflictantur, præſentiſſimus adeſſe, venit ad eos, ambulans potenter ſuper aquas. Antequam hoc loco meditemur quidquam, notandum eſt, fluctuum inquietudinem proximè dictam denotare ſæculi motus: nam & iſtud vento ſcietur frequenter. S. Hilarius: *Sed inter hæc diſcipuli vento ac mari differuntur, & totis ſæculi motibus immundo ſpiritu adverſante jactantur.* S. Hilar. can. 14. in Matth. longe ante fi. Et obiter adverte, Dominum, cum proculcaret aquas, mundi tempeſtates calcaviſſe. Idem Hilarius: *Non enim Domino ſæculi motus tempeſtateſque calcanti, quiſquam paſſionis eſſe particeps poterat*: &c. Idem, ib. infra. Ex hoc ad non levem dubitatiunculam exurgit mens noſtra. Lego tranquillitatem aquarum factam per ceſſationem venti, poſteaquam Chriſtus cum Petro conſcenderunt naviculam. Scribit Matthæus: *Et cum aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus.* Matth. 14. 32. Putares, quòd ſtatim ac Servator pede tangeret aquam, ſtagnaret unda, procellâ deſiſtente. Non ita contigit: ſed cur? Quoniam ſicut ex D. Hilario prænotavi, per fluctus illos à vento motos deſignabatur commotum ſæculum. Glorioſius fuit Chriſto Domino mundum furentem proterere; quàm ipſius ſedare furias: nam triumpho lucem victi furor ipſe miniſtrat. Eapropter expendebam in Stephano victore nobilem circumſtantiam: ſcilicet quòd ſuperaret ille furentes, cum *diſſecabantur cordibus* &c.

26. *Perſonet altè victoria reddentis bonum pro malo.* Tertia cæteris præclarior victoria Protomartyris extitit ea, quam de Saülo retulit: nam ejus oratione converſus, qui Stephano contrarius erat, Martyris beneficentiam expertus eſt: qui vincendi modus extat ſplendidiſſimus. De Stephano dixit S. Fulgentius: S. Fulgent. ſer. de S. Steph. *Charitatis virtute ſubnixus vicit Saülum crudeliter ſævientem: & quem habuit* (alius legit: *Habebat*) *in terra perſecutorem, in cœlo meruit habere conſortem.* Non eſt abſque notatione dimittendum, quòd, cùm Stephanus pro perſecutoribus oravit, hoc præſtitit elevatâ voce. *Clamavit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. 7. 59. Clamor iſte Saülum obtinuit à Domino. Perſonat: en victoria tam illuſtris; qualis erat, perſecutori beneficium conferre. Jure quidem optimo ſplendidam appellavit victoriam, donum ei præſtare, qui teipſum aggreditur hoſtiliter, S. Thomas à Villa nova: qui loquens de reddendo beneficia offenſoribus, ait: S. Thom. à Villa no. ſer. fer. 6. ante 1. Dom. Quadrag. ante med. *Sic ſic vindicare de inimicis tuis: ſic enim vindicatur Deus*, &c. addit poſtea: *Sufficere debuerat ad dilectionem inimicorum hæc tam ſplendida & glorioſa victoria*, &c. Igitur Deo diſponente proviſum eſt, ut non fieret oratio S. Stephani pro perſecutoribus demiſsâ voce. Cum pro ſibi contrariis charitativus precabatur, æquum erat, ut publica fieret iſta deprecatio, quantum eſt de ſe: nam qui ſe perſequentibus amans benefacit, dignus eſt glorioſiùs extolli: reſonet ejuſmodi triumphus: non quippe decet ut arcanè vincat is, cujus charitas benefica reddit offenſori donum libens pro malo.

Notiſſi

27. Notiſſimam hiſtoriam Joſephi rememoremur; quantumvis pro tam longè diſſitis cogitationibus multipliciter à nobis repetitam. Cùm ſecundò fratres venerunt in Ægyptum, dimiſſos jam revocavit piâ fraude. Tandem cunctis fratribus apertè locutus eſt: illum ſe faſſus Joſephum, quem vendiderant. Notabam, Joſeph
Geneſ. 45. 2. tunc elevaviſſe vocem. *Elevavitque vocem cum fletu*: &c. Mirabar hoc: nam paulò priùs legitur, quòd cum aſtarent multi,
Ib. n. 1. præcepit ut exirent foras. *Non ſe poterat ultra cohibere Joſeph multis coram aſtantibus: unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ.* Quomodo ſtat hujuſmodi cautela ſecreti cum
Ibid. n. 2. elevatione vocis; quæ fuit audita forinſecus? *Quam audierunt Ægyptii, omniſque domus Pharaonis.* Non eſt quòd amplius inquiras. Providentia Dei fuit, quòd elevata voce loqueretur; ut citò publica fieret victoria, quam reportavit à fratribus, qui perſecuti fuerant eumdem. Li-
Lir. ib. ranus in hunc locum: Elevavitque vocem cum fletu, *ex magno affectu pietatis* quam audierunt Ægyptii, *qui erant de domo Joſeph; licet enim excluſi à loco, non tamen ita longe receſſerant, quin illam vocem poſſent audire, & bene volebat Joſeph, quòd audirent illud quod tunc dixit: ſcilicet,* Ego ſum Joſeph, &c. Non caſu factum eſt ita; ſed Altiſſimo volente victoriam propalare, quam Joſephi pietas obtinuit, benefaciens offenſoribus propriis. Haud abſimiliter Deus providit, ut cum Stephanus perſecutori Saülo benefecit orans, clamaret voce magna: juſtum quippe fuit ut ſilentiores tanta nequaquam premeretur ampliùs.

28. *Chriſtus Dominus per beneficentiam in offenſorem quantùm claruerit.* Ea quidem eſt gloria benefacientis offenſori; quòd quamvis patiens aliis illuſtretur, iſta videatur inter cæteras eminere. Numera ſingulatim dotes egregias, & ſplendidæ famigerationis motiva, quibus condecorantur homines, & invenies nihil excelſius invicto corde: quod non tantum læſionibus haud ſternitur, ut ulciſcatur acceptas injurias à proximo; ſed potiùs eas benefaciendo rependit generosè. Fateor, apud Theologos controverti, ſitne perfectior amici dilectio, quàm
Videri poteſt Ægidius Bellanus de charit. diſp. 24. n. 134. Arr. ib. diſp. 39. ſect. 4. n. 33. hoſtis? Libens in ſententiam, quæ præfert amorem inimici, totus eo: quæ ſic videtur conformari Chriſti Domini verbis, ut comparatione factâ dilectionis utriuſque, videatur divinus Magiſter aſſerere, nullâ mercede dignum affectum amici: remque dici poſſe communem pu-
Matth. 5. 46. blicanis; proindeque nihil excellens involvere: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* Multùm elucet fulgor ſapientiæ; quò dum abſcondita rimatur homo, ſuperat inacceſſas pluribus difficultates: at cum iſtæ ſpectent ad intellectum, cujus eſt operari neceſſariò, fit inde, quòd, ſi pateat veritas, operæ pretium inſumatur in flectendâ mente, quò præbeat aſſenſum. At difficultas, quæ viſitur in hoſte diligendo per exhibitionem operis, pertinet ad voluntatem: quæ libera quidem eſt, & ad bonum rebellis. Ex quo naſcitur, illum, qui beneficio facto ſuperat inimicum, præire ſapientibus. Plurimùm etiam commendantur homines de virili fortitudine: ſed iſta, quamvis in animo ſita ſit, à corpore valde pendet, ut nomen acquirat ſtrenuum. Non ita ſe gerit illud robur cordis, quod exercet benefactor inimici: totum facinus iſtud primò perficitur ſpiritu; licet hic utatur quandoque manibus, ut præſtentur immeritis munera. Splendent mortales nobilitate progenitorum: ſed quid nobilius eo, qui per beneficium impugnatoribus collatum redditur Filius Dei, juxta Dominicum oraculum: *Benefacite his qui*
Ib. n. 44. & 45. *oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Ubi Doctor aureus: *Vidiſti, quantum homo poteſt, cui ſimilis fiat, cum non ſolum non ulciſcitur eum qui offendit, ſed & pro eo orare ſtudet? Ne igitur negligentiâ noſtrâ talibus nos fraudemus bonis, & præmiis quæ etiam rationem tranſcendunt*: &c. Imo dicam, ipſum Dei Filium, quamvis multis aliis prærogativis ditaretur; attamen, ſic per beneficentiam in adverſarium reſplenduiſſe, quaſi tunc inciperet habere gloriæ charitatem in terris.
S. Joan. Chryſoſt. to. 1. hom. 27. in Matth. ante fi.

29. Tempus aderat, quo poteſtas tenebrarum parabat extinguere lucem divinam. Aderat cum diſcipulis Præceptor; & inter eos Judas proditor. Cum hic exiiſſet à cœnaculo, tunc ſe clarificatum dixit Redemptor. *Cum ergo exiſſet, dixit Jeſus:* Ioann. 13 31. *Nunc clarificatus eſt filius hominis*: &c. Notavit Origenes verba Domini, dicens: Orig. in Ioann. ib. *Poſt evenientia ex prodigiis, necnon ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filii hominis fuit exitus Judæ à loco ubi morabatur Jeſus.* Mirum eſt, quòd poſtquam tantis fulſerat miraculis Dominus; imo poſt fulgorem ſolarem faciei, nunc ſe Redemptor affirmet clarificatum; quaſi tunc ſumeret initium temporalis claritatis. Ne mireris. Clementia, quam Salvator exhibuit offenſori Judæ, ſic eluxit, ut radios ferre non potuerit oculus mentalis traditoris. Opportunè S. Ambroſius: *Nec* S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 39. *immerito graviore telo tantæ dignationis percuſſus eſt Judas; quàm ſi eum fulmine perculiſſet. Denique patientiam Domini ferre non potuit, cujus majeſtatem prodidit, ubi tanti ſceleris reatus poſſet ablui: ſed abiit, pecuniam refudit*, &c. Quantâ Servator benignitate fuerit uſus erga Judam, beneficium conferens maximum pro perfidiæ offensâ, pervium eſt agnoſcere, ſi legeris Auguſtinum: cujus hæc ſunt verba: *Omnibus eis diſtribuerat* S. Aug. to. 9. tract. in Ioann. *Dominus ſacramentum Corporis & Sanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat* &c. Non potuit non clareſcere qui donum eximium contulit offenſori. Exhinc deducito, quam præclara fuerit victoria Stephani; dum Saülo, qui manibus aliorum lapidabat eumdem benefecit pro eo deprecans. Sic jacuit malus ante bonum Saülus, ut in Paulum erigeretur.

DELIBATIO III.

In conſpectu flammarum D. Laurentii ruentes impiorum diſparuere tenebræ.

30. *Victoria unius eſt victoria necnon diligentis illum.*

PRima S. Laurentii victoria triumphus extitit B. Xiſti ; cui tamquam diaconus inſerviebat : nam in Xiſti paſſione Laurentius amplexus eſt martyrium vitale. Ambo nexu dilectionis ita ſociabantur , ut gloria Xiſti fuerit Laurentio magnum ſplendoris incrementum. *In ſancto enim amore conſortes* (ait S. Leo Papa) *etiamſi non eiſdem utuntur gratiæ beneficiis , gaudent tamen invicem bonis ſuis : & non poteſt ab eis extraneum eſſe , quod diligunt , quia incremento diteſcunt proprio , qui profectu lætantur alieno.* Verus amor, qui mala facit eſſe communia dilectoribus mutuis ; quare non communicabit etiam bona ſingulorum ſingulis ? Mutila dilectio diceretur , ſi minimè bonorum ſocii forent amantes , ut extant ad invicem dolorum ſodales. Vincebat Xiſtus ; & in eo ſuperabat Laurentius tyrannum : patiebatur vivens , cùm Pontifex animam exhalabat : hæc enim ſunt amoris miracula. Quidni victorem dicam in Antiſtite ſummo Laurentium ; qui pugnavit in eumdem. Verax dilectio ſic duos mutuò nectit ; ut nullus ex eis vincat ſeorſum poſitus : imo cum alter ſuperat ; alius etiam victoriam conſequitur.

S. Leo. Pap. ſer. 10. Quadrag. c. 2.

31. 1. ad Cor. 15. 57.

Adi Paulum Apoſtolum : & audies dicentem ad Corinthios : *Deo autem gratias , qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Exponit S. Athanaſius : *Domini Jeſu certamen eſt , hoc ille geſſit : nobis verò collata victoria eſt* , &c. Adde Chryſoſtomum in eum locum. *Nam* , inquit , *ipſe trophæum ſtatuit , coronarum nos participes fecit* , &c. Exiſtimares , Apoſtolum dicturum potiùs hoc loco fore : Deo autem gratias , qui dedit nobis fructum victoriæ Chriſti. Non ſic fatur ; ſed ait : *Qui dedit nobis victoriam* &c. Cur ita loquitur ? Quoniam parum eſſet dilectioni fidelium erga Redemptorem , quòd participes efficerentur fructuum ; niſi necnon & ejuſdem victoriæ forent participes. Dilectio non patitur , cùm duo ſe mutuò diligunt valde ; quòd vincat unus ; & alter ſit expers victoriæ. Imo conſcendit altiùs amor Laurentii circa Xiſtum : nam eſt veroſimile , paſſionem Pontificis promeruiſſe Diacono martyrii palmam ; & victoria Xiſti facta fuit Laurentio communis. Hujus triumphus differebatur : & quaſi longa foret mora dierum trium , velut ambitioſus amor ejuſdem , quamvis non præripuerit ſeniori gloriam ; tamen adnexuit illi juniorem , ut ei foret in vincendo conſors. Dum profectu gaviſus eſt alieno , per iſtum exaltatus eſt quaſi proprio. Non dividit crudelitas , quos ligat charitas : quid enim poterit ſævitia , quod non ſuperet conſtans pectoris ardor ?

S. Athanaſ. in com. ib.

S. Ioann. Chryſoſt. to. 4. hom. 42. ib.

32. *Animarum converſio ſatis magnum prodigium eſt.* Ado Archic. Viennenſ. 4. idus Auguſti.

Gradum facio jam ad alterum Laurentii trophæum : ſcilicet Hippolyti converſionem ; qui per ipſius prodigia fuit illuminatus ad fidem. Ado Viennenſis in Martyrologio narrat ſic : *Multi cæci veniebant ad B. Laurentium , & ponebat manum ſuam ſuper oculos eorum , & illuminantur. Videns hoc Hippolitus credidit , & catechizatus atque baptizatus eſt.* Quæſtionem parvæ molis inſtituere juvat : nempe quid Laurentio magis glorioſum ; cæciſne præbere viſum ; an luce donare mentales oculos Hippoliti ? Leve dubium , facillimè ſolvendum. Longe præcelſius fuit propellere cæcitatem ſpiritûs in Hippolyto ; quàm in cæcatis corporalem. Quantùm anima corpori præſtat miſero , tantò majus eſt illuſtrare mentem veritate. Corporeus oculus verè ſervus eſt , & fallax ; mentis autem lumen principem locum obtinet in humana Republica. Cumque cæcitas principum illuminetur difficilè , præſtantius quid eſt palpebras animæ reddere viventes. A majori ad minus arguam nixus doctrinâ D. Gregorii Papæ. Præmitto quantum ſit miraculum reſurrectio mortui : per hanc ſatis oſtenditur potentia Dei. S. Irenæus dixit : *Dominus itaque cum ſit potens vivificare plaſma ſuum* , quaſi magnum quid ita de poteſtate divina proferret , aſſeverans , Deum poſſe cadaver ad vitam reſtaurare. Comparemus reſurrectionem vita functi cum ſpirituali converſione hominis , & conſulamus Pontificem Gregorium , & hinc argumentum conficiamus à majori ad minus prodigium ; ſcilicet illuminationem cæci. Ait S. Doctor : *Si verò inviſibilia penſamus , nimirum conſtat quia majus eſt miraculum prædicationis verbo , atque orationis ſolatio peccatorem convertere , quàm carne mortuum reſuſcitare. In iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura , in illo verò anima in æternum victura.* Nunc ſic argumentari licebit. Si præcellit animæ converſio reſurrectionem defuncti ; quantò magis illuminationem ſuperat oculorum ? Utar eâdem ratione Pontificis. Cùm orbato luminibus præbetur viſus , aperiuntur oculi , quos obitus ultimâ nocte cæcabit : cum autem luce ſpirituali donatur acies interna , præſtatur viſus oculis animæ , qui non claudentur , niſi velimus. Maneat igitur , non vulgariter prodigioſam eſſe converſionem animarum.

S. Irenæ. l. 5. contra hæreſes. c. 3. fi.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 3. dial. c. 17. poſt med.

33. Ioan. 10. 41.

Permoti mirabilibus Chriſti Domini venerunt plures ad illum , perpendentes quòd Præcurſor nullum patravit mirabile. *Et multi venerunt ad eum , & dicebant : Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum.* Res notatione digna, quod Joannes adultus nullum præſtiterit opus miraculoſum ; cum adhuc infantulus linguam ſui genitoris ligatam ſolverit , juxta notiſſimam doctrinam S. Ambroſii , dicentis : *Videte igitur ſancti Baptiſtæ meritum , vocem patri reddidit , ſacerdoti eloquentiam reparavit.* Sed an tu putas in eorum converſione , quos illuminavit ad bonum , parum fuiſſe miraculi ? Angelus dixit ad ejus parentem , quaſi rem certè magnam : *Et multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum :*

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 2. de Ioann.

Luc. 1. 16. 17.

&

& ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ : ut convertat corda patrum in filios , & incredulos ad prudentiam juſtorum , &c. Sanè , quamvis humillimus eſſet Joannes , tamen admiratus fuiſſe videtur converſiones , quas operabatur. Euthymium lege , qui ſic habet : *Admirabatur autem Joannes magnam ipſorum mutationem : quomodo hi Prophetas occiderant , ipſum quoque non occiderent ; ſed magis ad pœnitentiam venirent.* Euthym. com. in Matth. c. 3.

Opus igitur eſt mirandum peccatoris illuminatio. Et ut eam , quæ facta eſt per Laurentium Hippolito plùs mireris. adverte quis ille fuerit antea : tam ſcilicet adverſarius Chriſtianæ fidei , quòd Laurentius ei traditus fuit in cuſtodiam. Ado refert ſic : *Decius gaviſus fecit eum ſibi præſentari , & auditum tradidit Valeriano præfecto : qui & ipſe dedit eum in cuſtodiam cuidam Hippolyto : & Hippolytus recluſit eum cum multis.* Ado in martyrolog. ſup. Hic Laurentii cuſtos impius , factus eſt pòſt ejuſdem ſocius. O Deum in Sanctis tuis mirabilem ! qui ſic leonem per Laurentium in ovem tranſmutaſti. O clariſſimum victorem , de converſione prædictâ plurimùm exultantem ?

34. Enarrator quidam vitæ S. Hippolyti refert , quòd cum cerneret D. Laurentium pati martyrium , voluit clamoribus fateri ſe Chriſtianum , ad hoc ut in ipſo conflictu ſociaretur eidem. Detinuit eum Laurentius : monens , ut ſe reſervaret commodiori tempori , quod jamjam adventabat. Curiosè nunc inquirendum eſt , quid S. Laurentium permoverit ad conflictum Hippolyti differendum ? Proferam quod mihi veroſimiliter occurrit. Gaudia mortalis vitæ , quantumvis de licitis loquamur , ſolent miſceri triſtitiæ ; de quo ſæpe dictum eſt. Tantî fecit Laurentius lætitiam de triumpho Hippolyti , quod noluit eam doloribus mixtam recipere dum vita maneret ; ſed iſtam exultationem diſtulit ad futuram vitam ; quæ mœſtitudinis expers tota jucundatur. Diſcipulus erat Hippolytus D. Laurentii : doctus exempli magiſterio ; necnon atque verbi doctrinâ. Quod attinet ad exemplum , laudat hunc præceptorem inſignem S. Leo Papa , dicens : *In quo excellentiſſimo genere doctrinæ beatus Martyr Laurentius , cujus paſſione dies hodiernus illuſtris eſt , quàm gloriosâ polleat dignitate , etiam perſecutores ipſius ſentire potuerunt , cum illa mirabilis animi fortitudo , de Chriſti principaliter amore concepta , non ſolum ipſa non cederet , ſed etiam alios exemplo ſuæ tolerantiæ roboraret.* Cum igitur ob diſcipulatum charus valde Laurentio foret Hippolytus : cumque juxta phraſim Apoſtoli laudabiles diſcipuli ſint corona Magiſtri (dixit enim Paulus ad Philippenſes : *Gaudium meum & corona mea* &c.) voluit Laurentius in ſtatum beatitudinis differre gaudium de gloriosâ exaltatione coronæ ſuæ hujus ; hoc eſt Hippolyti nobilis alumni : recuſans iſtâ voluptate potiri , quandiu mœroris tempus aderat ; & volens illâ frui cùm erat immunis à dolendo ſimul.

Ribadan. in vit. S Hippolyti. *Tanta Chriſti gloria de Petri poſſeſſione , ut noluerit illo gaudio frui quandiu vitam agebat doloris plenam.* S. Leo Pap. ſer de S. Laurent. c. 2. Ad Philipp. 4. 1.

35. Inflammatus Apoſtolorum Princeps deſiderio ſequendi Præceptorem per viam paſſionis , dixit ad eum : *Domine , quo vadis ?* Ioan. 13. 36. Notat Hugo Cardinalis in hac interrogatione deſiderium Petri de ſequela Magiſtri : *Hoc autem dixit non tam diſcere volens quò iret , quàm ſequi concupiſcens* &c. Attende reſponſum Salvatotis. *Reſpondit* Jeſus : *Quo ego vado , non potes me modò ſequi : ſequêris autem poſtea.* Et poſt pauca legitur : *Reſpondit ei Jeſus : Animam tuam pro me pones ?* Commentatur Auguſtinus : *Reſpondit ergo Jeſus : Animam tuam pro me pones ? Itane facies pro me , quod ego nondum feci pro te ?* Contra S. Auguſtini dictum exurgit objectio non modica. Petrum noluit ſibi moriendo præire Dominus ? & quare permiſit occidi Baptiſtam priuſquam pateretur ? Reſpondebis , Joannem pro Salvatore nequaquam fuiſſe mortuum ; Petrum verò maximè. Fateor quòd , ſi rigorosè loquamur , Præcurſor minimè pro Servatore mortem ſubiit. Attamen , ſi loquendi rigorem deponas , videtur , aliquatenus proferri valere , Joannem obiiſſe pro Chriſto : quatenus propterea datus eſt neci , quia tamquam prædicator Evangelii reprehendit inceſtum. Incertus Egeſippus : *Non ſolum enim quaſi prædicator Evangelii , fraterni cubilis inceſtum reprehendebat* , &c. Omnis , qui vitam exponit propter prædicationem Evangelii , pro Chriſto moritur ipſius legiſlatore. Quadamtenus ergo Redemptor voluit , Baptiſtam pro ſe tradere ſpiritum , priùs quàm ille moreretur pro Joanne. Quare non ita voluit Simonem anteire ? Nota magnam diſparitatem inter duos illos amicos Domini. Petrus erat Chriſti diſcipulus ; non autem Joannes. De nobili triumpho alumni talis erat futura lætitia Filio Dei , quod noluerit eâ frui quandiu degebat in vita mortali mœroribus immersâ : potiùs diſtulit exultationem iſtam ad tempus , quò fruebatur in cœlis quiete ; quam nullus dolor interturbat. Applica rem imitatori Chriſti Domini Laurentio. Hippolytum properantem ad martyrium detinuit ille verbo ; nolens ejus victoriæ gaudio potiri cum angorum mixturâ ; ſed in cœleſti ſede , quam tenebræ mœroris non attingunt.

Ioan. 13. 36. Hug. Card. ib. Eodem n. 36. Ib. n. 38. S. Aug. to. 9. tract 66. in Ioann. poſt princ. Incert. l. 2. de excid Ieroſol. c. 5. med.

Tertiò meditemur vincentem Laurentium. Superavit Imperatores modeſto ludibrio Martyr. Eccleſiæ theſauros à ſacro Levita Tyranni percupiebant extorquere. Vide quid egerit , ut irrideret eos. Refert ſic Metaphraſtes : *Tunc illi comprehenſum Laurentium ad Decium & Valerianum adduxerunt. Cui ſtatim illi dixerunt : Ubinam ſunt theſauri , & vaſa Eccleſiæ , quæ apud te ſervari cognovimus ? Ad hæc Sanctiſſimus Laurentius reſpondit : Eccleſiæ theſauri multi ſunt , quos ut ferre valeam , date mihi vehicula & camelos , quibus tam multæ pecuniæ vehi poſſint. Ea re Decius & Valerianus multum gaudentes , confeſtim juſſerunt vehicula & jumenta parari , quibus theſauri portarentur. Laurentius igitur in plauſtra , camelos , & reliqua jumenta , pauperes & mutilatos homines impoſuit , illos nimirum , quibus cibaria ſuppeditare ſolitus fuerat. Quos cum obtuliſſet : En , inquit , hi ſunt Eccleſiæ theſauri à me cuſtoditi.* Non parum fortiter Laurentius ita ſuperbiam protrivit

36. *Superbo majus malum eſt irriſio , quàm ſi libertate loquendi feriretur.* Sime. Metaphr. in vit. S. Laurentii.

vit impiorum: nam dolent elati valde cùm ſubſannantur. Superbus minùs contriſtatur ſi verba contumelioſa jaciantur in eumdem; quàm dum à ſubſannante contemnitur. De contemptu dixit Guigo Carthuſianus: *Immiſcuiſti enim te aliis quaſi corporibus, opinioni hominum, admirationi, amori, honori, timori, & aliis ſimilibus: & ſicut ex corporis, ita ex horum læſione, dolore afficeris. Ipſemet ligna, quibus combureris, tibi adhibuiſti. Læditur nempe honor tuus cum contemneris:* &c. Dolet equidem inflatus duris verbis petitus: at illi majus malum eſt irriſio; quàm ſi per libertatem loquendi feriatur.

Guig Carth. in medit. c. 6. poſt med.

37. Inſigne martyrium in Scriptura ſacra narratur illorum; quos eadem fides & paſſio verè fecit eſſe germanos. Coram rege Antiocho quidam ex eis ut leges patrias abjiceret fortiſſimè tentabatur promiſſis. Et inſuper vocatæ matri ſuadebat rex, ut averteret gnatum à lege Moyſis: ipſa tamen patriâ voce filio locuta fuit oppoſitum, hortata non timere carnificem tyrannum. Poſt aliqua ſic legimus: *Tunc rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudeliùs deſævit, indignè ferens ſe deriſum.* Alter ex fratribus antea locutus audacter fuerat regi, dicens: *Tu quidem ſceleſtiſſimè in præſenti vita nos perdis:* &c. Non tamen in iſtum ſcribitur Antiochum irâ ſuccenſum fuiſſe. Quare? Quia prior vulneravit eum contumelioſis verbis: at cum alterum alloqueretur mater, quaſi diſſuaderet perſeverantiam in fide; cujus econtrariò monuit conſtantiam; genitricis irriſione rex percuſſus eſt. Superbus erat Antiochus: quapropter magis indoluit irriſione feriri; quàm verbis injurioſis peti. Præſumit homo tumidus, à contemptu ſe penitus immunem: idcirco, ſi ſpernatur, dolore corripitur non mediocri. Dura verba non adeo lancinant ejus animum: parvî nonnunquam ducit loquentes; multî verò facit aſpernantes. Ita meditabar in irriſione, quam paſſi fuerunt Imperatores, Laurentio dicente, velle ſe prodere theſauros, & pauperes offerente. Contemptus eſt hoc modo ſuperbiſſimus tyrannus uterque; neque vulgariter proculcatus.

2. Machab. 7. 39.

Ib. n. 9.

38. Tranſeamus ad aliam Laurentii victoriam: quâ ſcilicet militem nomine Romanum devicit: qui poſtea Dei martyr extitit. Hiſtoriam legamus apud martyrologium Adonis: *Tunc unus ex militibus nomine Romanus credidit Domino Jeſu Chriſto, & dixit beato Laurentio: Video ante te hominem pulcherrimum ſtantem cum linteo, & extergentem membra tua: adjuro te per Chriſtum qui tibi miſit Angelum ſuum, ne me derelinquas.* Militem ſuum Laurentium Dominus per Angelum viſitare dignatus eſt: & ſupernus ille civis in colligendo ſudore Laurentii, ſatis oſtendit, quantùm ſibi placeret Martyris labor. Prodeſt legere nunc D. Bernardum, dicentem: *Agnoſcant igitur homines quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab Angelis non merentur. Agnoſcant quam placeat ſupernis civibus labor, cujus ſpiritualis intentio eſt*: &c. Cum Romanus igitur videret, Angelum extergere ſudorem Laurentii, deliberavit miles Chriſti fieri; quaſi ſcribentem legeret S. Iſidorum Peluſiotam. *Quare*, inquit, *niſi vanus miles eſſe vis, ad ſpirituale bellum quamprimum te converte*: &c. Illuſtratâ mente cognovit quantùm præiret militia temporariæ profeſſioni militari: nam iſtam comitantur ut plurimùm damnabilia multa; ſpirituales autem pugnatores non ita. Ferrandus: *Milites*, ait, *ſæculi paſſionibus & deſideriis variis tenentur obnoxii; milites Dei carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et poſt pauca: *Illi gerunt unde falſis laudibus extollantur; iſti quærunt unde ſempiternis præmiis honorentur.* Et infra: *Milites ſæculi proſperitas extollit, adverſitas dejicit; milites autem Dei, ſive in proſperitate, ſive in adverſitate immobiles perſeverant*; &c. In his & aliis diſcriminantur nimis utrique milites. Deinde, ſi præmia conferas, facilè videbis quàm diverſimodè munerentur unus & alter bellator; Chriſti ſcilicet ac principum terrenorum. Regibus terræ militantes avaritiam illorum paſſim deplorant: de largitate verò Dei, qua ſuos pugnatores afficit præmiis, dixit S. Thomas à Villa nova: *O bone Deus, quam bene remuneras zelatores tuos! Quis unquam pro te vel tantillum zelavit, quis vel ad modicum pro honore tuo ſudavit, quis pro te adverſus impios vel unum verbum reſpondit, qui non ſupra meritum, & ultra condignum à te fuerit remuneratus?* Non ita ſolent monarchæ temporales; qui ſubterfugiunt præmia conferre bellantibus; Deus autem ejus bella gerentibus retribuit munera largiter.

S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 78.

Ferrand. diacon. in parœn. poſt princ.

S. Thom à Villa no ſer. de S. Hildephon. loage ante fi.

39. Populus Iſraël pertæſus filiorum Samuël avaritiam, & judicii perverſionem, poſtulaverunt à parente regem. Diſplicuit hoc Domino: ſed per prophetam conteſtatus eſt plebi ſuæ jus regium. Stetit immota gens Hebræa deliberatione ſuâ; dixitque: *Erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Vellem ut mente ruminares illud: *Bella noſtra.* Video Saülem diſſimiliter fuiſſe locutum Davidi. *Tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* Notabam non dixiſſe: Præliare bella mea. Hîc latere ſuſpicor aliquid fraudis; cum extiterit Saül erga Davidem ſatis duplici corde. Quid putas? Exiſtimabam, regem ſubterfugere voluiſſe fruſtra debitum remunerandi præliatorem illum pro facinoribus bellicis, quæ deinceps præſtaret: quaſi rem Saülis ipſe David non executurus foret aggrediendo prælia. Ipſi fateor promiſiſſe filiam ſuam in uxorem: ſed hoc præſtitit animo doloſo. Liranus ad illud: *Ecce filia mea major* &c. ſic exponit: *Q. d. volo te honorare dando tibi primogenitam, malitiosè cogitans, ut ad conſequendum hoc matrimonium David audacius ſe periculis exponeret, & ſic periret*, &c. Illis autem, qui ſuperiori loco regem petierunt, non incumbebat præmia donare certantibus: præſertim principi ſuo: quamvis enim perſonaliter certaminibus reges adſint, non expectant à ſibi ſubditis remunerationem. Ideo confiden-

1. Reg. 8 10.

Ib. c. 18. 17.

Liran. ib.

ter

Regum terra, Deique diſparitas in præmiando. Ado. Archie. Vienenſ. in martyrolo. 4. idus Auguſti.

S. Bernard. ſer 3. in Nativit. Domi. ante fi.

ter dixere : *Pugnabit bella noſtra* &c. David ſanè potuit aliquid reponere Saüli, per quod inſinuaret, ſe pugnando non tantùm Deo, ſed regi necnon inſerviturum ; ad hoc ut illum de retributione tacitè precaretur. Attamen cum probè ſciret largitatem divinam in remunerando ; conſultò de hoc ſiluit : quaſi dicens : Quid mihi præmio temporanei regis opus eſt ; cum certò repoſita ſit merces Dei, cujus bella geram ? Longe felicior ero, ſi tamquam Domini miles præliavero. Fortiori ratione Romanus commutavit arma, ſe conferens ad ſigna Chriſti : ſtipendium expectans ab eo felicitatem perpetuam. Ejus victoria ſuperaddita fuit Laurentii triumpho : qui ſuperavit Imperatores in Romano.

DELIBATIO IV.

Triumphus Divæ Luciæ.

40. *Magis conſtantia requiritur ut contemnas blandientem, quàm ne vincaris à feroce.*

HÆc inclyta Martyr à ſponſo delata quòd eſſet Chriſtiana, ſiſtitur judici : qui blandis verbis tentavit ejus animum virilem ad idolorum culturam trahere. Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Verum tamen in ſpernendo blanditias Conſulis claruit Luciæ conſtantia plùs, quàm in ejus poteſtate deſpiciendâ. Mortalium potentia turbo quidam eſt ; qui non dejicit validam turrim conſtantis animi. At verò doloſus amor velut aqua ſenſim cavat lapides : non vi, ſed ex inſidiis Appoſitè Bleſenſis : *Quid eſt hominum dilectio, niſi occultum Dei odium ? Latrò inſidians, coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens ungulas equi, ut cadat aſſenſor ejus retro.* Humanæ conditionis eſt, amoris, quamvis ficti, blandiloquentiam complecti : veneficium continent lenia verba : quæ ſi contemnas, robur egregium probas. Furor & gladius terrent, dum ſic ferox extorquere vult à nobis conſenſum : ſed quò magis accenditur ira, refugitur ampliùs iraſcens, ne nos in ſuam trahat ſententiam (ſi timidum cor non eſt) quò furit amplius, eò plùs irati faciem execramur. Non ita verò paſſim aufugimus, cùm blandus adeſt aſpis, & ſuaviter penetrantia venena diffundit. Concludam, requiri majorem conſtantiam, ut contemnas blandientem dum pellicit ad malum ; quàm ne vincaris ab eodem ferociente dirè.

Petr. Bleſ. ſer. 50. de un. confeſſor.

41. Obſidione preſſit exercitus Bethuliam. Roborata cœlitus Judith decrevit ad hoſtem ſe conferre, Ducem necatura, fœmineamque ſimul vincens fragilitatem. Preces fudit illa Domino ; poſt multa dicens : *Da mihi in animo conſtantiam, ut contemnam illum ; & virtutem, ut evertam illum.* Illius contemptûs expoſitionem quamdam invenies apud eruditiſſimum Antiſtitem Lazerdam ; quam dixit iſte non contemnendam. *Potuit in altero explicatu Judith ut ſuî amatorem reſpicere, qui, ut ejus conſuetudine frueretur, theſauros omne genus produceret, lautiſſima convivia pararet, de gemmis ſterneret cubile, genialemque luxum tota ardoris devotione prodigeret. Hæc in caſtæ fœminæ animo objecta, ne bene de puritate merentem, ſuam, ſed fœmineam labefactaret conſtantiam, alterius regionis, nempe cœleſtis, conſtantiam implorat, ne, antequam occumbat hoſtis, illa ſuccumbat, crudeliuſque illi periculum ſit blandus Tyranni amor, quàm dura tyrannis.* Mirabar, priùs Judith poſtulaviſſe conſtantiam ut blandum contemneret, quàm fortitudinem, ut everteret eumdem. Ad illa verba : *Et virtutem, ut evertam illum*, Commentator idem ait : *Poteſt adhuc non inſubtiliter cogitari, quòd hic expoſcat Judith virtutem Holoferni, id eſt, quod concedatur illi cubiculum ejus, ut eum tutò jugulare poſſit.* Nota quàm parum hîc Juditha poſtulet, ut jugulet fortem : precatur, ut ad ejus cubiculum detur aditus. At, quò blanditias ejuſdem contemneret, oravit ſibi conſtantiam de cœlo donari. Prudenter equidem : ſciebat enim quantùm diſcriminis plus in blanditie lenocinante, quàm in robore ferociente. Non omittam donare tibi Damianum, dicentem de hac Heroina : *Judith quippe*, ait, *continentiæ vidualis exemplum, dum deauratos, oſtroque nitentes Holofernis thalamos ſprevit, fortioribus armis in mente præcincta, etiam caput ebrium audenter, impreſſo pugione, truncavit.* Viderit Lector an illa verba : *Fortioribus armis* cadant ſupra contemptum explicatum verbo, *Sprevit*. Quod ſi judicet ita, pervius gradus fit ad S. Luciæ ſtrenuitatem perpendendam : quæ Paſchaſii blanda verba contempſit fortiter. Supernæ charitatis ardor corroboravit eam : ſic enim oportuit ad blandimenta proculcanda Tyranni. Opportunè Drogo : *Tentantur electi autem de duobus : aut enim terroribus concutiuntur, aut blandimentis ſeducuntur. Idcirco armandi ſunt contra terrores præſidiis divinæ virtutis ; contra blandimenta deſideriis ſupremæ charitatis.* His obarmata deſideriis Lucia Paſchaſium blandientem ſuperavit feliciter.

Idem prox. ſup.

S. Petr. Damian. l. 7. ep. 16. ante med.

Drog. l. de creat. &c. juxta med.

42. *In acie jam puritas coronata refulget.*

Secundam non minus claram D. Martyris meditemur victoriam. Dicenti Conſulari, ceſſatura verba Luciæ, cum ventum fuiſſet ad verbera, Virgo repoſuit, verba deeſſe non poſſe Dei : Spiritum autem ſanctum in Domini pugnatoribus loqui. Tunc ille : *In te ergo Spiritus ſanctus ?* Ad hæc Lucia reſpondit : *Quod caſtè & piè viventes templum Dei ſunt, & Spiritus ſanctus habitat in eis*, &c. Judex impius eam duci jubet ad lupanar : *quam leones nullatenus movere potuerunt, cum ſimul ex officio impellentes acceſſiſſent, nec funibus additis, aut boum paribus plurimis.* O brutale judicium, quod boves vendicabat ſibi miniſtros ! At fortitudinem donavit Martyri Chriſtus inhabitans eam : lapis angularis, quem vis non ſuperat hominum. Petrus Comeſtor : *Hunc talem* (loquitur de Chriſto Domino) *tenuit Sunamitis magna, magnæ ſcilicet virtutis Virgo Lucia & virago, mulier fortis inventa in finibus Syracuſanis procul.* Et mox : *Sellam paravit in conſtantia animi, quam etiam in corpore ipſius ſignificavit Deus, cum nullis viribus hominum vel boum trahi potuit ad lupanar.* Hæc extant fortia caſtitatis prælia : quæ

Ado. Archiep. in martyrol. ſup.

Idem. ib.

Petr. comeſt. ſer. 4. de Adv. ac de B. Lucia.

S.Laur. Juſt. in lig.vi.c. 2. de continent. ante fi.

quidem victricia ſunt. Bellè Venetiarum Patriarcha: *Gloriosè*, inquit, *triumphat continentia de ſuo certamine. Nam inter omnia Chriſtianorum certamina duriſſima ſunt prælia caſtitatis.* Certamina quidem eſſe fateor; ſed triumphalia. In acie jam puritas coronata refulget.

43. Sapient.4.1.

Caſtitatis laudes proponit Salomon, inquiens: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate*: &c. Poſt pauca dixit: *Et in perpetuum corona triumphat in coinquinatorum certaminum præmium vincens.* Hugo Cardinalis ibi: *Sic*, ait, *conſtruere. Et ipſa generatio caſta in perpetuum coronata eſt corona gloriæ, vincens omnes hoſtes ſuos: mundum, carnem, diabolum*: Triumphat, *id eſt triumphando acquirit*: &c. In iſto ſatis hærebam commentario: nam ſi de corona gloriæ Salomonem Purpuratus exponit, & hæc acquiritur non triumpho, ſed certamine: qua ratione dicitur: *Triumphando acquirit*? Fortaſſis mens Commentatoris eſt, quòd caſtorum bella triumphi pariter extent atque pugnæ. Fateor, Cardinalem interpretari verba prædicta latiùs, ita quòd non ad ſolam caſtimoniam pertineant. Hoc tamen haud obſtante, videtur, hîc attendi ſpecialiter ad caſtitatem. Hoc fortè cenſuit Dionyſius Carthuſianus: Dixit enim ad priora verba: *Id eſt congregatio continentium eſt ſplendida valde.* Et explicans poſteriora, ſcribit: *Id eſt, ipſa caſta generatio poſt hanc vitam à Deo coronata plenè triumphat, habens præmium incoinquinatorum certaminum, id eſt reſiſtentiarum virtuoſarum, quibus reſtitit tentationibus voluptatum, & carnis, atque diaboli, quas fuit vincens.* Tu cogita, lector, an Carthuſianus de ſola caſtitate ſit locutus; quamvis ad gloriæ diadema recedat. Non igitur leviter D. Luciam in virginitatis arenâ fui meditatus ovantem.

Hug Card. ib.

Ib. n. 2.

Dion.Carth in com.ib.ad n. 1.

44.

Tertia D. Luciæ Laurea ſequitur explicanda: parta ſcilicet à Magis; qui vocati fuerunt ad hoc ut veneficia diſſolverent; quibus putabatur, Virginem tantis viribus immobilem ſe præſtitiſſe. S. Athelmus Epiſcopus ait: *Paſchaſius conſul tribunitia poteſtate fretus, facti angore afficitur, eo quod Chriſti tyruncula, nec ſermonum ſeveritate caſtigata, nec leonum fallaci lenocinio tradita, à rigido virginitatis propoſito penitus inflecti valuit; quamvis reſtibus conſtrictam ad deteſtabile proſtibulum, & inviſum lupanar ſcortorum trudere niterentur ſanctam: ſed ab omni magorum machina illæſam, & haruſpicum ſuperſtitione incontaminatam Chriſti tutela protexit.* Dæmon utique jam per Luciam victus fuerat ipſius illibatâ reſiſtentiâ: ecce nunc ab eâdem ſuperatur glorioſius, dum vincitur in Magis; utpote qui diabolicâ ſapientiâ ſuperbiebant. Glorioſiùs, inquam, nam ſic diabolus honorem perdidit. O Deum: qui ſic bellantibus adſtas inſigniter. Illis in præliis, quibus Deus manum peculiariter admovet, contentus non eſt per hoc quod vires diabolicæ confringantur; ſed inſuper curat ut honor dæmonum pereat. Minus foret ſi victi conſervarent adhuc proprium decus: congruit ad majorem Dei glòriam, illos ita debellari, quòd vincantur dedecorosè.

S. Athel. Epiſc. l.de laud.virginit. c. 23.

Gedeonem Dominus elegerat, ut plebem ſuam liberaret à Madianitis oppreſſam. Tandem cum tercentis viris aggreſſus eſt certamen. Vide militarem Ducis artem. *Diviſitque tercentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, langenaſque vacuas ac lampades in medio lagenarum.* Fractis lagenis lampades apparuerunt, atque dextris perſonuere tubis. Quid tunc? Lege Textum: *Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt: & nihilominus inſiſtebant tercenti viri buccinis perſonantes. Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant*, &c. Ad victoriæ conſecutionem alterum ex his duobus tibi videbitur ſuperfluum, vel fuga, vel gladius. Ad quid, quæſo, Dominus voluit ut illi fugerent? nonne ſatis quòd mutuò ſe truncarent? Sufficiebat equidem, ut Hebræi victores evaderent; ſed non ad majorem Dei gloriam; eo quòd, cum Dominus hîc appoſuerit manum ſuam auxiliò ſpeciali; congruum fuit ut fugiendo tunc dehoneſtaretur hoſtis: erat enim ſatis turpe quòd Madianitarum ingens multitudo terga daret viris tercentis: qui manus habebant lampadibus atque tubis occupatas; & conſequenter non eduxerant enſem. Quod Madianitæ ſignificaverint ibi dæmones, habetur apud Gloſſam Ordinariam ad illa verba: *Ut locuſtarum multitudo*: nam ibi legitur: *Locuſtis enim comparatur dæmonum multitudo, quibus neque in cœlo neque in terris ſedes eſt.* Ad Martyres autem caſum accommodari difficile non eſt. Ad eamdem Gloſſam redi; quæ ſic habet ex Beda: *Confregerunt lagenas, dum ſolvenda in paſſione corpora ſua hoſtilibus gladiis opponunt, reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutionem corporis miraculis coruſcaverunt. Moxque hoſtes in fugam verſi ſunt, quia dum Martyrum corpora miraculis coruſcare conſpiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt crediderunt*, &c. His ductus meditabar, Dominum, qui de caſtorum victoriis adeo ſollicitus eſt, voluiſſe, quòd Lucia ſic vinceret in martyrio ſuo diabolum, quòd hujus honori dedecus inureret in diſcipulis magis detriumphatis.

45.

Judic.7.16.

Ib. n. 21. & 22.

Gloſſ.Ord. ex Adamant. ib. ad n. 12.

Eadem Gloſſ. ex Bed. ibid. ad n. 19. & 20.

Proſequar conflictum D. Luciæ mirabilibus inſignem, pariter atque robore clarum. Videns Præfectus, nihil vires humanas, inſuper & animalium ad Martyrem loco movendam proficere; juſſit, ignem circum eam accendi copioſum: picem & reſinam, ac fervens oleum ſuper eam jactari; quo ſic ibi periret, ubi non mobilis perſtabat. Illa tyrannum confundens, ac laborare fruſtra monens, inquit ad eum: *Ego rogavi Dominum meum Jeſum Chriſtum, ut ignis iſte non dominetur mihi, quatenus tibi inſultem plaudens in Domino*, &c. Sic obtinuit feliciter uti rogavit ſupplex: non enim flamma nivem potuit exurere. O prodigium noſtrâ majus admiratione! O confuſionem impiorum tantâ crudelitate dignam. En obſequitur ignis Conditori ſuo, quin excutiatur ab Angelo;

46. *Confuſio mortalium eſt, quòd inſenſibilia pareant Creatori; nos verò minimè.*

Apud Adon. ſup.

lo ; ſicut olim contigit Hebræis in fornace Babylonica ; pertinax autem Domino reſiſtit hominis cor iniquum, furens adversùs innocentiam. Quando ſic ab ſpiritualibus magiſtris monemur, reponimus ad hæc, nos miſeros terrenæ conditionis eſſe ; proptereaque fragiles. Optarem, ut in obediendo Conditori, terram (ad cujus fragilitatem refugimus) imitaremur : quæ quidem tunc ſpinas ptotulit, cum Deus ita voluit : nam prius illas nequaquam germinabat. Rabanus : *Ante peccatum*, inquit, *ergo hominis non eſt ſcriptum quòd terra protulerit niſi herbam pabuli & ligna fructuoſa, poſt peccatum autem videmus multa horrida & infructuoſa naſci*, &c. Aliter ſe habuit antea terra, quia diſpoſuerat aliter Omnipotens : & ipſa quaſi rationalis foret, pro modulo ſuo, nequaquam reſiſtens obſecundabat Altiſſimo. An ita ſolitum eſt apud mortales terrigenas ? Notat S. Ambroſius, inquiens : Germinet, *inquit* terra : *& ſtatim omni ſurgente germine terra completa eſt. Et homini dicitur : Dilige Dominum Deum tuum : & non eſt charitas Dei omnium infuſa viſceribus. Surdiora corda hominum ſunt, quàm dura ſaxorum. Terra indebitos fructus nobis miniſtrat, dum obſecundat auctori : nos debitum munus negamus, dum non veneramur auctorem.* Confundamur itaque, meditantes inſenſibilia nobis quadamtenus anteire : cum illa non reluctentur Factori ſuo ; nos verò maximè.

Raban. apud cat. Lipom. ad 3. Geneſ. ſuper illud, *Spinas* &c.

S. Ambroſ. to 1 l. 3 Hex. c. 17. in princ.

47. Tres Hebræi, quia recuſarunt adorare ſtatuam, in fornacem fuere miſſi. Non tetigit illos ignis : potiùs exuſſit viros, qui miſerant eos in flammam. *Porro viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Notavi, quòd, cum magis peccaverit Nabuchodonoſor, quàm prædicti viri, non ille ſimili pœnâ punitus eſt. Quare ? Putabam, quia Deus voluit illum confundere : proptereaque ſuperſtitem reliquit, ut lentiùs adverteret quaſi obedientiam ignîs : qui, jubente Domino, penitus à paſtu corporum abſtinuit. Obſtupeſcentem lege Tyrannum. *Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit*, &c. & infra : *Ecce ego video quattuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt*, &c. Stupore meritò punitur impius ; dum cernit obtemperantem Deo Hebræorum flammam inſenſibilem ; cum ipſe reſtitiſſet eidem. Ad ſuperiora verba : *Tunc* &c. Interlinearis ait : *Viſo tanto miraculo.* Et mox habet ſic : *Punitis Principibus, Rex corripitur, ut vivens glorificet Deum.* Correptionis genus fuit ſtupor ille ; forſan quia verecundiâ dignum erat ignes obedientes vidiſſe Domino : contra quem in ſervis Dei pugnaverat ipſe. Pudeat humanam ſuperbiam, nos ab inſenſatâ creaturâ quodammodo ſuperari. Puderet utique Paſchaſium de non diſpari flammarum obedientia, quæ D. Luciam comburere non ſunt auſæ ; niſi pectus illius veluti ſaxeum foret.

Danie. 3. 22.

Ib. n. 91. & 92.

Interlin. ib. n. 91.

48. Tempus adventabat jam, quo Virgo caſtiſſima felix migraret ad Sponſum. Priùs attamen, quàm viam carperet in thalamum cœleſtem, à Domino datum eſt ei quòd Paſchaſium catenis onuſtum ire cerneret vinctum. Accidit namque Sicilianos comprehendiſſe Paſchaſium ; & ut Provinciæ depopulatorem vinculis oneraſſe ; produxiſſeque conſpiciente Lucia. Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei ! Clementiſſimus eſt erga peſſimos perſæpe ; ſed nonnunquam ſuæ miſerationis tempus abbreviat, & citò durè plectit ſontes alios. D. Gregorius Papa : *Quia* inquit, *ſicut ſcriptum eſt : Dominus patiens, redditor eſt : ſæpe diù tolerat, quos in perpetuum damnat : nonnunquam verò concitè percutit, quia puſillanimitati innocentium conſolando concurrit.* In martyrii caſu, quem verſamus, neutiquam ut puſillanimem conſolaretur inſontem, ſed ut Martyris fortitudinem citius afficeret præmio, Dominus acceleravit ſupplicium Tyranni ; fortè non ea celeritate puniturus eumdem, ſi peccaret adversùs Deum immediatè. Gloriatur Dominus de patientiâ, quâ fert offenſores ; & non minorem concipit gloriam cum dilectionem erga ſuos benignus oſtendit. Aliquando patitur in ſemetipſo lædi : clemenſque differt vindictam audaciæ ; quâ mortales delictorum jacula directè collimant in eumdem. Multoties autem cum peccatur adversùs innocentem, non fert procraſtinare ſupplicia.

S. Gregor. Mag. to. 1. d. 5. mor. c. 15. poſt princ.

Ad Nabuchodonoſorem revertar iterum, ad hoc ut ejus divinam punitionem pauliſper mente perpendam. Peccavit ille per elationem : non tamen ſtatim ultione Domini percuſſus eſt. Inciderat in ſuperbiam longe antea ſic, ut illi dixerit Daniel : *Donec ſcias quod dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Dilata fuit inflationis pœna : legimus enim in ſacro Textu : *Poſt finem menſium duodecim, in aula Babylonis deambulabat.* Ubi S. Hieronymus : *Dicamus & aliter : Fecit quidem Nabuchodonoſor juxta Danielis conſilium miſericordias in pauperes : & idcirco uſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia :* &c. Non ſic actum eſt cum ſenibus illis ; quorum laſciva petulantia ſic exarſit in Suſannam, ut in ignes odii verſa fuerit, quin laſcivia deſiverit eſſe. Novum philoſophis converſionis genus, cum terminus à quo non perierit ! Sed multa ſimilitudo, quæ viſitur inter utramque flammam, hoc edidit portentum : ſcilicet ut amor laſcivus verteretur in odium crudele ; turpis autem affectus non periret. Non in longa tempora miſit Altiſſimus vindictam, quam juveneſcentes promeruere vetuſti. Die, qua Suſanna ducebatur ad mortem, Daniel adeſt movente divino Flamine : ſenes mox examinantur ab eo, & convicti neci traduntur. Deus ita ſuperbiam execratur ; & humanæ carnis fragilitati miſeretur, ut non valeam non admirari velocitatem ultionis contra procaces, collatam cum dilatione pœnæ, quâ mulctatus eſt Nabuchodonoſor ſuperbus. Quid eſt hoc, niſi quod ſuperbiens monarcha Deum in ſeipſo læſit immediatè : voluntariè non recognoſcens ipſius dominationem ſupremam ?

49.

Danie. 4. 22.

Ib. n. 26.

S. Hieronym. to. 5. com in Danie. 4.

Iſtam barbariem peſſimam contra ſe Dominus haud ſtatim punivit. Senum autem crudelitatem contra caſtiſſimam innocentem citò ſeverus talione damnavit. Æquiſſimum erat, ut Lucia candens innocentiâ, in quam Paſchaſius impulſus ab atrocitate furiit, priùs quàm lumina clauderet mortalia, contueretur Tyranni meritum ſupplicium. Sic boni malis inſultabunt : ſic jacebunt *mali ante bonos* : &c.

DELIBATIO V.

Bina Laurea D. Catharinæ, fortis & ſapientis.

50. *Superbi regis pœna eſt noſcere, egere ſuorum ſapientum conſilio.*

Sime. Metaphr. in vit. S. Cathar.

ALiquando tandem ventum eſt ad panegyrim nobilis & pulchræ litterarum patronæ. Adit illa publicè Maximinum : & quin fœmineo præpediretur pudore, Chriſtianâ libertate corripuit eum doctiſſimè loquens. Quid tunc ? *Ad hæc irâ impletur Maximinus, & cum fervens ſanguis ad cor ejus modicum affluxiſſet, vox quoque ei fuit extincta : & nec potuit quidem omnino reſpondere. Cum autem ad ſe vix tandem rediiſſet, & quæ à Martyre dicta fuerant, vidiſſet eſſe validiora, quam ut contra ea dici poſſet* : &c. Hæc Metaphraſtes. Et infra : *Cum itaque Imperatori ſuſpecta fuiſſet libertas Martyris, timeretque ne ſe undique circumſiſteret & implicaret demonſtrationibus, ipſe autem non poſſet reſpondere & reſiſtere, ſeque & ſuos deos aperto dedecore afficeret, ipſe quidem nec eam tantùm audire ſuſtinet, præ ſe ferens non decere ut cum fœmina diſſereret. Ad te autem, inquit, à me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes & propoſitiones abundè confutabunt* : &c. Superbus erat Maximinus : ideo punitus fuit in eo, quòd tacitè fateretur, indigere ſe ſapientibus, ut eos opponeret Catharinæ. Sic aliqui tumidi potentes efferuntur, ut illum imitentur : ſicut is quicumque ſit, de quo Tacitus

Cornel. Tacit. l. 5. ann.

loquitur : *Ne*, ait, *alienæ ſententiæ indigens videretur, in diverſa, ac deteriora tranſibat.* Propterea ſic nonnulli reges placita ſapientum dedignantur, quoniam, ut

Xiphilin. in Cæſar. Aug

ait Xiphilinus, *eſt mos Principum, ut nolint quemquam habere ſe potiorem.* Et infra : *Quod ſi eveniat, ut opportuna negotia aliis mundare cogantur : graviter & acerbè ferunt laudem & gloriam eorum qui ea geſſerint : neque enim vinci eos volunt, aut parum eſſe fortunatos : at verò rerum præclarè geſtarum gloriam apud alios eſſe non facilè patiuntur.* Stet ergo quod prædiximus : nempe ſuperbum principem acriter puniri per id quòd intelligat ſe neſcientem ; & auxilii ſubditorum ſapientum indigum.

51. Dan. 4. 27.

Ib. n. 28 & 30.

Deliquit Nabuchodonoſor per arrogantiam, de qua legimus : *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ* &c. Nullâ factâ morâ deſcendit in eum vindicta Dei. *Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex : Regnum tuum tranſibit à te*, &c. & infra : *Eâdem horâ ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abjectus eſt*, &c. Equidem plus videtur peccaſſe filium ejus Baltaſſarem : tum quia ſacris vaſis abutens fuit ſacrilegus ; tum etiam quia per ſupplicium genitoris non eſt factus melior ; ut improperavit ei Daniel, di- Ib. c. 5. 22. cens : *Tu quoque filius ejus Baltaſſar, non humiliaſti cor tuum, cum ſcires hæc omnia* : &c. Nihilominus non legimus quòd in eadem hora gladio Domini fuerit animadverſus ; licet ſcriptum ſit, in eâdem nocte necatum. Quare non magis in Baltaſſarem velociter venit ira Dei ? Quia non leviter punitus eſt in eo, quòd, cum neſciret intelligere litteras, quas deſcriptas vidit in pariete ; coactus fuit vocare ſapientes illi ſubditos, ut ſcripturam legerent, ac interpretarentur : tandemque vocatus Daniel adfuit à rege ſatis ignoratus, ut ignorantem doceret. Non potuit non dolere ſuperbiſſimus fateri ſe neſcientem, & indigere ſapientiâ minorum ad hoc ut illuminaretur in re tanti ponderis. Superbia regum fert ægrè quandoque confiteri, neceſſitate cogente indigentiam adjutorii, quod præſtabunt ſubjecti ſibi periti. Quamobrem penſitabam, providentiam Domini compreſſiſſe Maximinum in eo, quòd agnoſceret, ſe prorſus imparem, ut eloquenti Catharinæ reſponderet.

52. *Converſio ſapientum res magna.*

Adfuerunt oratores quinquaginta : & ampliùs quàm Imperator ſuperbiens quidam, inter eos conſpicuus, ferè dedignabatur cum fœmina de ſapientia congredi. Tumidus iſte certamen aggreditur, & bello cadit. Quod cum cæteri vidiſſent concidit cor eorum ; & pugnare cum puella non audent. *Illi autem* (refert Metaphraſtes) *ſtatim detrectant certamen, dicentes : Non poſſumus ô Imperator, aliquid opponere contra ea quæ dicit : & maximè quod eum qui eſt inter nos præſtantiſſimus, tam graviter videmus ab ea ſuperatum. Tunc Maximinus non potens ferre furorem, jubet ſtatim rogum accendi in media civitate, & in eum injici quinquaginta oratores. Illi autem hac auditâ ſententiâ, procidunt ad illius beatæ pedes, & eam vehementer obſecrant & ſupplicant ut ab illius Deo eis ignoſceretur, ſi quid ab eis peccatum ſit ignorantiâ* : &c. Illuſtriſſimam Catharina fuit conſecuta palmam, cum de ſapientibus ovavit : melius dicerem : triumphum reportavit inſignem : triumphum, inquam, propter excellentiam eorum, qui victi fuerunt ab ipſa. Notum eſt quantùm præſtent litteris exoreuti non peritis. Demades dixit : *Docti ab indoctis tantum differunt, quantum Deus ab hominibus.* Addiderim S. Hieronymum : *Quid*, inquit, *valeat apud homines ſæculi eloquentia & ſapientia ſæcularis teſtes ſunt Demoſtenes, Tullius, Plato, Xenophon, Teophraſtes, Ariſtoteles, & cæteri oratores ac philoſophi : qui velut reges habentur hominum : & præcepta eorum non ut præcepta mortalium, ſed quaſi oracula accipiunt deorum.* Videri poſſunt quæ ſupra dixi delib. 2. n. 20. De ſapientum celſitudine clareſcit victoria Martyris : inſimul ob difficultatem pertrahendi ſpontaneè doctos exerrantes ad agnitionem veritatis, pulſis erroribus, non minus inclaruit :

Sime. Metaphr. ſup.

Demad. apud Anton. in Melliſ. p. 1. ſer. 50.

D. Hieron. com. in Ionam. c. 3.

dixit

Idem. ib. dixit enim ibidem S. Hieronymus : *Quam autem difficile iſtiuſmodi homines credant in Deum, ut quotidiana exempla præteream, & ſileam de veteribus hiſtoriis Ethnicorum, ſufficit nobis Apoſtoli teſtimonium* : &c. Ex his omnibus inferto, converſionem ſapientum opus eſſe magnum, & gratiæ victoriam ſuperabundantem, plurimæ credentium turbæ, litterarum ignaræ, pluſquam æquivalentem.

53. Poſt varios peragratos populos, ingreſſus eſt Paulus Apoſtolus Athenas, urbem de ſapientiâ celeberrimam. Non tamen diù valde moratus fuit ibi, prout inſinuavit Chryſoſtomus, eo quòd Athenienſes amabant in unâ re colloquio tractandà parum perſiſtere. *Meritò in Corinthum à Spiritu ducitur, in qua manere oportebat. Athenienſes enim, quamvis novæ doctrinæ amatores eſſent, attamen non attendebant, neque enim hoc curabant, ſed ut ſemper haberent novi aliquid quod fabularentur, ſtudebant.* Notatu dignum puto, quòd feſtinus Apoſtolus reliquerit Athenas : nam ejus cor piiſſimum commotum fuit valde, cum vidiſſet illam civitatem ſubmerſam errore cæcutientis idololatriæ. Vide quid ſcribat S. Lucas : *Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem.* Igitur qua de cauſa non immoratus eſt ibi diutiùs, ut copioſam ſegetem colligat animarum ? Quia perfecit opus inclytum adeo, convertens aliquot ſapientes, ut quaſi victoriam præclariſſimam adeptus, ad alia tranſiret ; nec ibi curaret inſumere longum tempus ad convertendum imperitam multitudinem : quoniam huic longe præſtabant illi, quos illuminaverat ſapientes. Athenis crediderunt aliquot ſapientiæ fulgoribus inſigniti : de quibus unus erat S. Dionyſius Areopagita. S. Ambroſius inquit : *Si quidem etiam Dionyſius Areopagites cum Damari muliere, aliiſque multis credidit. Itaque illi doctiſſimorum & eloquentium cœtus ſimplici diſputatione victos ſe eſſe credentium exemplo manifeſtarunt.* Cum Doctor Gentium tam nobilem prædam ceperit Athenis, glorians in Domino de triumpho, receptui cecinit victor : vel, ut melius dicam, ad nova bella feſtinanter perrexit. Hinc meditare, quàm reſplenduerit Catharina tot ſapientum victrix : quos de tenebris tranſtulit ad ſedes æternæ claritatis.

Chryſoſt. to. 3. hom 39. in Act. poſt princ.

Actor. 17. 16.

S. Ambroſ. to. 5. l. 3. ep. 25. longe poſt princ.

54. Alia non minor ſubſecuta fuit victoria Martyri, cum Auguſtam Imperatoris uxorem illuminavit ad fidem. Hoc Altiſſimus voluit, ut oſtenderet, ſibi difficile non eſſe convertere Maximinum ; cum dimidium ejus, hoc eſt uxorem adduxerit ad ſe per Virginem. Lege Metaphraſtem. *Sed*, inquit, *conjux Auguſta repente apparens ex cubiculo Imperatoris, & eum ad ſe attrahens, diſſolvit conſilium : imo verò ſuſtulit inſidias. Alicundè enim venit tamquam ſpiritus. Abſolve dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum, revera enim deſipis decertans adverſus Deum vivum. Quamobrem majore ira fervens Imperator, maximè quod nec familiariſſimos haberet ſecum conſentientes : interim prætrita Martyre, univerſum furorem immittit in conjugem.* Scimus, uxorem dici poſſe dimidium viri. Rupertus ait : *Ergo dum dicit, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, conjugii copulam omnium carnalium neceſſitudinum maximam atque fortiſſimam fore pronuntiat, adeo ut ſemel copulati jam non ſint duo, ſed caro una.* Ergo dum per Catharinam ducta fuit ad fidem Imperatoris medietas, nempe conjux illius, Dominus inſinuavit, ſibi non defore modum, quò dimidietatem alteram Tyranni molliret.

Per converſionem uxoris Maximini qualiter inſinuata fuerit divinæ gratiæ potentia. Metaphr. ſup.

Rupert. l. 2. in Geneſ. c. 38. fi.

55. Cum non ignoraret Pilatus Chriſti Domini accuſatricem invidiam fuiſſe ; tamen ut ſatisfaceret Judæis, judicaturus eum ſedit pro tribunali. Tunc præſidis uxor miſit ad illum, dicens : *Nihil tibi, & juſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Somnium iſtud uxoris Pilati non extitiſſe naturale compertum eſt. Imo Theophylactus divinum fuiſſe putat, inquiens : *Providentiæ autem opus ſomnium factum, non ut abſolvatur Chriſtus, ſed ut ſervetur uxor.* Addidit Euthymius, uxorem præſidis illud vidiſſe ſomnium, ad hoc ut Judæi fidem præbentes mulieri frænarentur. *Uxor autem potiùs videt vel tamquam melior, vel tamquam apud Judæos fide dignior : ut huic quaſi non ſuſpectæ fidem habentes, refrænarentur.* Ex Euthymii dicto prodit non levis dubitatio. An ad frænandos Judæos conſultius non eſſet, ut ipſi viderent ejuſmodi ſomnium ? quid eſt quod magis phantaſiæ conſortis Pilati proponitur illud viſum ? Curavit Omnipotens ut mulier crederet in Chriſtum Dominum. Lucius dexter : *Claudia Procula uxor Pilati admonita per ſomnium in Chriſtum credit*, &c. Et quo fine ſic monetur ut credat conjux præſidis iniqui ? Forſan, ut Pilatus occaſionem nanciſceretur intelligendi, quòd, ſicut inſpirante Deo ducta fuit ad fidem pars ejus media, ſcilicet uxor ſua ; ſic reliquum Deus converteret, niſi redemptionis opus requireret oppoſitum. Per Catharinam illuſtrata fuit Imperatrix, pars una Maximini. Potuit ille, niſi mens læva fuiſſet, intelligere, facillimum fore Deo ſuperare partem reliquam in ipſo. Dominus hoc ſimul non præſtitit : quoniam Triumpho Martyris congruebat monarchæ ferocia.

Matth. 27. 19.

Theophylact. in com. ib.

Euthym. ib.

Lucius Dexter in Chron. anno Chriſti 34. n. 25.

56. Alio rurſus & forti jaculo percuſſus eſt Imperator peſſimus, ut ſic denuo jaceret ante Virginem. Porphyrius erat inſignis fortitudine militaris homo. Converſus eſt hic ad Chriſti fidem interveniente Catharina ; necnon & milites ducenti. Metaphraſtes : *Ego quoque ſum Chriſtianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoque, qui ſunt mecum, ſunt inſignis ad Deum ductus exercitus. Hoc non ſuſtinuit audire Maximinus : ſed cum ex profundo corde ejulaſſet : Perii, inquit, cum perdiderim admirabilem virum Porphyrionem.* Maſè doluit, & meritò Maximinus : malè, quia perdidiſſe computavit eum, quem lucrata fuit Catharina Chriſto : meritò verò, quia ſemel atque tamquam reum adjudicaſſet morti, jacturam temporaliter faciebat virî ſtrenui, bellorum exer-

Poſt mortem nocius regi quanti valeat homo inſignis bello.

Metaph. ſup.

citio prosequendo fortissimî: de quo scribit Historiographus idem: *Porphyrio verò erat dux exercitûs, & manu fortissimus, & in bello optimè exercitatus, & in eo primas partes obtinens.* Ea propter is Maximino charus fuit: ut colligitur ex Imperatoris verbo relato supra: *Quod nec familiarissimos haberet secum consentientes.* Justus equidem, sed ex injustitia natus erat Imperatoris dolor: nam regi non mediocris est jactura, cùm deperdit amicum; sicut contrariò ejusdem possessio magnum est imperantis emolumentum: *Nam*, ait Sinesius, *quæ ulla rege dignior possessio, quam amici consortium?* Et infra: *Hunc igitur compensare studens naturæ defectum, amicos in ejusdem naturæ communionem adscisit; itaque vim quodammodo suam multiplicem facit.* Et peculiariter ille, qui pro martialibus gestis magnus est, optimo jure plurimî ducitur à principe. Sed accidit apud aliquos regnantes, ut solùm tunc perfectè noverint quantâ sit æstimatione dignus vir eximius bellator, cum perdunt eumdem. Sunt hæc mortis privilegia: post illam rectè perpenditur quantùm valeat homo fortis in acie; fortassis antea non ita bene cognoscebat id qui regni tenet habenas.

Idem. ib.

Sinef. or. de regno.

57. Regebat domum Saülis Abner, cum regnaret filius ejus: & quia restitit iste illius appetitui lascivo, transire decrevit ad partes Davidis. Misit nuntios ad ipsum, offerens amicitias. Davidi placuit hoc: sed minoris æstimare visus est istas, quàm putares: respondit enim: *Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saül: & sic venies, & videbis me.* Denique venit Abner, & exceptus est à Davide convivio simul cum viginti viris, qui comitabantur eum. Innotuit hoc Joabo: nam fuerat altâ mente repositum quòd ejus fratrem occidit proditoriè. Mirum est quantum doloris attulerit mors ista Davidi. Textus ait: *Plangensque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.* Et infra: *Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israël?* Notasti, quod principem & maximum neutiquam dixerat eum David, cum adhuc in vivis esset? Imo tamquam vulgarem ducem non admisit eumdem ad conspectum regium nisi adhibitâ conditione. Sciebat utique David quantùm esset appretiabilis amicitia principis hujus: tamen hoc non videtur apprimè novisse; nisi adhibitâ conditione. Sciebat utique David quantùm esset appretiabilis amicitia principis hujus: tamen hoc non videtur apprimè novisse; nisi postquam ipsum per necem perdidit. O judicium Adamidum! qui præsentes viros inclytos sæpe vix magnî ducitis; & quos interitus abstulit æstimatione multâ penditis. Non parvi faciebat antea Porphyrionem Imperator: sed tunc peculiariter expendit quantî valeret homo bellorum arte pollens insigniter, cùm proximus aderat ejus obitus. Doluit, inquam, tunc acerbè, feriente Catharina ferocem.

2. Reg. 3. 13.

Ib. n. 33. & 38.

Denique Martyr invicta collocatur in machinâ rotarum, quò sic dilaniata periret. Sed fortunam invenit in rotis; quibus ei paratum fuit excidium. Lege quid cœlo favente contigerit. *Martyr enim*, ait Scriptor idem, *simul omnino soluta fuit à ferro, & rotis, & illis vinculis: quod Angelus desuper ad eam advolasset, rotæ autem sua sponte volutatæ interemerunt multos ex infidelibus, adeo ut exclamarent quidam ex circumstantibus propter inopinatum, & quod erat contra opinionem spectaculum: Magnus est Deus Christianorum. Propter hæc magnâ irâ fuit rursus accensus Maximinus, & furore qui minimè poterat cohiberi*, &c. Expectabas fortè quòd una rota necaret Maximinum. Quare non poterit nunc impius carnifex? Quoniam satis & super torquebatur audiens laudari Deum Christianorum; quem habebat odio. Cruciantur viscera mali, cùm laudes personant exosî. Proficuus erit hoc loco Magnus Basilius. *Verum*, inquit, *sermone spirituali in Ecclesia scaturiente, & corde pio ex donis spiritûs instar fontis emanante, non sustines audire cum lætitia, non grato animo suscipis utilitatem, sed pungunt te plausus audientium, & velles neque esse qui utilitatem capiat, neque qui laudet.* Odii proprium est contorqueri per illius laudem, quem execratur homo.

58. *Odii proprium torqueri hominem illius laude, quem execratur.* Metaphr. sup.

D. Basil. Mag. hom. 10. inter var. longe ante fi.

Sic ad mœrorem veniri certum est, etiam per gaudia licita; quòd Filius Dei, ut pateretur in Jerusalem descenderit ad eam triumphans. Plaudebant illi discipulorum turbæ, dicentes: *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.* Dominus in templo dixit postea multa: post quæ perditionem synagogæ clarè satis insinuavit Judæis; non tamen hoc tam ægrè tulerunt. Adi rursus D. Lucam referentem: *Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.* Intellexerunt utique tandem quòd loqueretur adversùs eos. Theophylactus ibi: *Et quod deinde animadverterint quo tendat parabola, & quod de ipsis dicta sit, ac iterum dixerint hoc quod Lucas dicit, nempe*, Absit. Quid est, quòd antea Judæi discipulorum verba duriùs acceperunt, quæ non percutiebant ipsos; modò verò Dominum audientes, cum feriret propheticè, mitiùs loquuntur? Odio Pharisæi prosequebantur Christum Dominum: propterea non patiebantur eum laudari. Theophylactus ait: *Porro Pharisæi murmurabant, quod regem eum nominaverat populus, & quod ut Deum laudaverat.* Eximius in Christi Domini laudem extitit ille triumphus de supradicto præconio: non potuit non ardentia livore simultateque pectora lancinare. Leo Augustus: *Ast ô pulcherrime infantum Theologorum cœtus, choruque.... Nam olim quidem seniorum eædem spirantium notata publicè vesania, quod pullo vectum mansuetum Regem honore coleretis dulcibus canticis vestris, siccarios, ut infensis in Deum animis essent, eumque oppugnarent, visi estis excitare; nimirum coangustatis amaro felle eorum pectoribus: nunc verò, abest omnis murmu*

59.

Luc. 38. 19. 39.

Ib. c. 20. ib.

Theophyl. in com. c. 20. ib.

Theophyl. ib. c. 19. sup.

Leo Imperat. or 5. in festo Palmar.

murmurator, nec eſt qui laudes iniquo animo ferat ; &c. Cor odio plenum, laudati, quem abominatur, præconiis exuritur. Sic erga Deum verum animatus malè Maximinus non adeo fortiter percuteretur quadam ſolutâ rotâ ; quam auditu verborum, quæ præmiſimus : Magnus eſt Deus Chriſtianorum. Sic ferientur propriis armis ; & victi *jacebunt mali ante bonos* : &c.

DELIBATIO VI.

Jacet in oculis Dei ſuperbus : juſti altitudo. Manſuetudinis vires. Boni compaſſio de perſecutore. Quàm glorioſum ut coram vivente juſto cadat hoſtis.

60. *Facet in oculis Dei qui ſuperbè levatur in ſuis.*

JAcebunt mali. Quam fallaciter nobis tam corporei, quàm ſpirituales oculi multa ſuadent ! ô quoties & jacere putamus eos qui volant ; & volare creduntur ii, qui jacent ! Aliter judicat oculus ille falli neſcius ; nempe Dei judicium infallibile. Plurimos cernit humi ſtratos in conſpectu ſuo ; quos elevat apparenter ſuperbia. D. Greg. Pap. to. 1. l. 1. dial. c. 4. *In Dei oculis*, ait Magnus Gregorius, *jacent qui apud ſuos & proximorum oculos per inanis gloriæ appetitum tument.* Minùs foret cæcus error iſte, ſi tantùm, decipiente dilectione propriâ, deſiperent ſuperbi : putantes de ſæculari gloriâ, ſe poſitos in ſummo. Plus forſan cæcitatis forſitan eſt in ſpectatoribus quibuſdam : qui minimè diligentes eum, qui ſuperbiâ tumet, non intuentur quàm viliter ipſe repat, ſerpentis more. Quid tu putas, eum ſuper aſtra locari, qui, cum ſit conditione terreſtris cœleſtia non tangit ? Non lux ille ; ſed pulvis eſt exiguus. Dices, quòd pulviſculus hic nunc elevatur vento gloriolæ ; cadetque poſthac. Bene. Sed, ſi noſſes intus eumdem ; judicares, jam de præſenti lapſum, quem cernis extolli. Jacet in oculis Dei qui ſuperbè levatur in ſuis.

61. Apud Abdiam Prophetam legitur juxta quoſdam oraculum adversùs Idumæos : qui cum eſſent quondam populus copioſus & potens, facti ſunt exigui tam numero, quàm conditione per arma Chaldæorum. Abd. c. un. n. 2. & 4. *Ecce parvulum dedi te in gentibus : contemptibilis tu es valde.* Et infra : *Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus.* Non parum favet hîc Theodoretus, Theodoret. in com. à n. 1. inquiens nomine Vatis : *Deus omnipotens, tamquam organo quodam mea lingua uſus, Idumeæ futura prædicit* : Et infra : *Tamquam quiſpiam belli imperator adverſus eos exercitum coëgit, oſtendens, ut ipſe hæc mala eos ſuſtinere efficit.* Ecce minimum dedi te in gentibus, inhonoratus es tu valde. *Et cauſam quamobrem id fiat, docet* : Superbia cordis tui elevavit te. Non duxi prætereundum iſtum loquendi modum. Prophetat in futurum, dicens : *Detraham te*, & jam de præterito loquitur appellans illum populum parvum ? de præſentique vocat contemptibilem ? *Ecce parvulum dedi te in Gentibus : contemptibilis tu es valde.* Energiam latere ſuſpicor. Extollebatur per ſuperbiam Idumæa : quidni jam in conſpectu Domini foret contemptibilis & parvula ? Notabis inſuper phraſim de nido ſumptam : *Et ſi inter ſidera poſueris nidum tuum* : &c. Superbi tumorem vix terra capit : & adeo parvus eſt, ut in aquilæ nido plures inflati recipi toti valeant. Eorum quilibet majores nido pennas extendit ; non ideo tamen adjicere quit ad ſtaturam ſuam cubitum unum.

62. *Juſtus etiam abjectus, in alto poſitus eſt.*

Oppoſitæ conditionis juſtus reperitur, ab humilitate ſuâ ductus in altum. Quantumvis projiciatur ab hominibus atque pede proculcetur, faſtigium poſſidet : nam Deus illum qui ſemetipſum deſpicit, complectitur, & ſervat in cuſtodia. S. Gregorius Papa : *Cognoſce igitur*, inquit, *Petre in quanta Dei cuſtodia ſunt, qui in hac vita ſeipſos deſpicere noverunt, cum quibus intus civibus in honore numerantur, qui deſpecti foris hominibus eſſe non erubeſcunt* : &c. O quàm diſpariter ab hominum judicio Deus æſtimat homines ; Appretiant illi nimis ea, quæ viliſſima ſunt ; Deus autem in minimo valorem rimatur maximum. Lapis adamas, non excedens unguis magnitudinem res parvî momentî judicatur à ruſtico ; princeps autem agnoſcens in modico multum deliteſcere, gemmæ pretioſitatem laudat. Ut probet illam, ponit in tenebris ; & ſic ejus clareſcit ſplendor. Haud aliter (ſemotis imperfectionibus) Deus in parvitate ſubmiſſi cordis latentem novit magnitudinem ; & quamvis eum in occulto ſinat abſcondi, non ideo contemnit ; ſed ita coruſcare cogit lapillum nobilem : qui licet projiciatur in tenebroſum atque deſpectiſſimum locum ; tamen, jam non dicam in oculis Dei ; ſed fortaſſis in conſpectibus quorumdam hominum (qui non ſectantes humilitatem, veritate quaſi coguntur) prælto ſtat ipſe loco. Juſtus, dum in imo poſitus adeſt, ſuperioritatem obtinet ſic ut etiam ſuperborum lumina videantur illam fateri. S. Greg. Mag. ſup.

63. Patientiæ columnam Deus concuti permiſit : non ut illa dejiceretur ; ſed ut probaret eam. Diabolo conceſſit plura quàm crederes. Ejus interventu maligno direpta fuit illius opulenta ſubſtantia, tum ab hominibus ; tum ab igne : mortem ſubiere gnati : denique percuſſus eſt ulcere peſſimo ; ac *teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.* Iob. 2. 8. Audierunt amici tres mala Jobi ; veneruntque conſilio communicato, quò ſolarentur eum. Textus ait : *Cumque* Ib. n. 12. *elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum*, &c. Quæro. Jobne poſitus erat in aliquo faſtigio ? an non ſterquilinium illi ſedes ? quid ergo eſt, quod oculos elevant, ut ipſum intueantur ? Alicui videri potuit, ſic ad noſtram eruditionem ſcriptum eſſe, quò notaremus, Jobum, quamvis in ſterquilinio ſatis abjectum ; tamen adhuc in alto locatum, ita quòd congruum fuerit, ut amici levarent oculos,

los, quibus eum ſuſpicerent. Video, tres illos altitudinem, qua fungebatur Job, non agnoviſſe: præſertim quia repræſentant hæreticos juxta Magnum Gregorium, dicentem: *Hæretici quoque cum ſanctæ Eccleſiæ facta conſiderant, oculos levant: quia ipſi videlicet in imo poſiti ſunt; & cum ejus opera reſpiciunt, in alto ſunt ſita quæ cernunt*, &c. Non igitur liberè dictum eſt, elevationem iſtam oculorum aliquid inſinuare de loco ſublimi, quem Jobus tenebat etiam poſitus in ſterquilinio: non quòd ipſius agnoverint celſitudinem amici; ſed ideo quia veluti coacti fateri viſi ſunt iſtam, cùm lumina levaverunt, ad hoc ut exteriùs abjectum, intus autem ſuperelevatum, contuerentur. Sic verum eſt, humiles necnon in præſenti vita multoties à Domino in ſuperiora tolli; ſicut econtrariò ſæpius etiam dum vita manet *jacebunt mali*, &c.

D.Greg.Pap. to.1.l.3.mor. c.14. poſt med.

64. *Manſuetudine proſternuntur adverſarii.*

Ante bonos. Et quibus machinis boni proſternunt malos, ut jaceant ipſi ante illos? Eos quidem cernimus inermes paſſim, qui virtutem ſectantur: non enim cum hominibus inſtituunt pugnam; ſed cum vitiis. Armatos videbis econtra peſſimos: quos galea ſuperbiæ munit, pertinaciæ ferreus thorax obarmat, & irâ pleni ſermonis ignita jacula reddit metuendos. Ex adverſo juſtus inclinatum caput, pectus nudum, & lingua mitis. Quî fieri valet, ut bonus proſternat malos; præſertim cum prælia frequentiſſimè declinent? Ipsâ manſuetudine probus dejicit inſultantes. D. Gregorius Nazianzenus: *Hic eſt perſequentium & malè afficientium paſſionis promptitudine perſecutor: nihil enim ita vincit perſecutorem, ſicut promptitudo paſſionis.* Fruſtra quærent igitur innocentes humanæ poteſtatis infirma nimîs auxilia, quâ ſuperent adverſarios. Quin & iſtâ ſollicitudine poſtulantes hominis manum in adjutorium, promptitudinem patiendi ſibi deeſſe teſtabuntur: quâ deficiente debilitatur eorum ſpirituale robur; & qui ſternere poſſet manſuetus hoſtem, vincetur ab eo facillimè. Perſiſtat patiens: & ipsâ lenitate ſuâ projiciet adverſantes.

S. Greg. Nazianz. or.22. longe poſt princ.

65. Ad Chriſti Domini comprehenſionem perfidia ferociaque convenerunt in unum. Eduxit Petrus gladium: ſed monitus eſt ut reconderet illum. Bene. Sed quomodo ſtat hæc Domini manſueta patientia cum eo, quòd fecerit comprehenſores retrorſum corruere? *Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Vel Dominus ſe præſtare vult agnum Dei, vel Juda leonem. Si leonis vires in adverſantem cohortem exerit, quare gladium Simonis detrectat? ſi conditionem oſtendit agni, qualiter corruere facit eos? Inſinuare voluit, ſibi non congruere manum ſodalis auxiliatricem vendicare ſibi; potiuſque velle mitibus verbis uti, quò manſuetudo metipſa quaſi telum dejiceret armatos. Bellè S. Leo Papa: Ego ſum, *inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit atque perculit: ut omnes illi atroces, minaces atque terribiles, retroacti corruerent.* Adhuc pungit ſcrupulus. Aliquando Redemptor in templo *cathedras vendentium columbas evertit*: & verbis uſus eſt aſperitate plenis: *Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Ergo cùm voluit in terram conjicere cohortem, quare tam leniter alloquitur? Ut cernas manſuetudinis vires. Opportunus dixit S. Cyrillus Alexandrinus: *Deinde ut etiam nihil poſſe adverſus virtutem ſuam magnas militum catervas monſtraret, hoc miti ſermone in terram illos proſtravit.* Cum evertit in templo cathedras vendentium columbas, non illi res cum armatis militibus erat: ibi ſeveritate fuit uſus. Dum verò cum armis homines venerant ad ipſum, robore manſuetudinis percuſſit proſternens eoſdem. Patiendi tempus aderat: promptus erat Salvator, ut amplecteretur libentiſſimè tormenta: promptitudine neque ſuâ, dicens: *Ego ſum*, dejecit eos. Ad exemplum Magiſtri mitîs corde, viri perfecti manſuetudinem ſectabuntur: & per illam *jacebunt mali ante bonos*: &c.

Joann.18.6.

S.Leo Pap. ſer.1.de paſſio. dom. c. 3.

Matth.21. 12.

S. Cyrill. Alex l.11.in Joann. c. 33. ad fi.

66. *Inſigniter juſtius non curat de malo proprio. ſi alter patitur quia læſit eum, flectitur pietate.*

Et impii ante portas. Putares hîc dicendum potiùs, jacere malos ante pedes juſtorum. Non exiſtimes, hunc dicendi modum emphaſi vacare. Quod teritur pedibus, ſi parvum aliquid eſt, non cernitur oculis. Mens autem Salomonis videtur fuiſſe verbis inſinuare, quòd mali jacentes ante bonos horum conſpectui patebunt. Significant enim portæ, de quibus loquitur Sapiens, juſtorum ſenſus, quibus percipiunt improbos humi ſtratos. Ad hunc locum ait Cardinalis Hugo: Ante portas juſtorum: *id eſt ante ſenſus, ſive ante viſionem juſtorum. Videbunt enim juſti malos jacentes in tormentis*; &c. Video, Purpuratum loqui de pœnis futuri ſæculi: cum hoc tamen ſtat, quòd etiam in vita mortali nonnunquam accidit, ut juſtus ob proprios oculos intueatur malum patientem quod meruit, eo quòd ſit perſecutus eumdem. Nec tamen exiſtimes ideo rectum gloriari quòd impium dare videat pœnas iniquitatis adversùs illum commiſſæ: quamvis enim licita ſit ejuſmodi gloriatio, ſi pro motivo nanciſcatur adimpletionem juſtitiæ divinæ: tamen quia periculoſum eſt hoc, rarò contingit, ut juſtus in illis glorietur. Imo tantum abeſt inde complacere, quòd econtra doleat. Et inſuper quibuſdam amicis Dei familiare quid eſt, acerbius extare cordibus eorum alienum iniqui damnum, quod iſte patitur in ultionem offenſæ factæ contra eoſdem, quàm detrimentum proprium. Non ſibi ſatisfaciunt viri perfectiſſimi complectentes doctrinam S. Ambroſii, dicentis: *Juſtus autem quaſi ſuam putat fratris ærumnam.* Inſigniter juſtus multoties ulteriùs tendit: de malo proprio parùm curat; ſi verò qui læſit eum patitur cœlitus in ſupplicium, totus pietate flectitur.

Hug.Card. Prov.14.19.

S Ambroſ. to.2. expoſ. Pſal. 40.

67. Apparuit in rubo Dominus Moyſi: legationem committit ad Pharaonem. Reſiſtit ille: rurſus inſtat miſericors Altiſſimus: jubet ut ad Seniores Iſraël bonum afferens

ferens nuntium vadat. Reponit Moyſes, filios Iſraël non credituros ei, quòd apparuerit illi Deus. Ut per ſigna vinceretur ipſius diffidentia, dixit Omnipotens ad Moyſen poſt virgæ converſionem in colubrum, colubri rurſus in virgam: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis.* Nec tamen legitur, Moyſen rogaviſſe Dominum pro ſanitate manus propriæ: cum neſciret, utrum perſeveratura foret lepra. Contigit poſtea, ſororem ejus contra Moyſen loqui; punitamque fuiſſe divinitus infectione lepræ: *Et ecce Maria apparuit candens leprâ quaſi nix.* Admirare benignitatem fratris: non enim, utcumque rogavit pro ea, ſed cum clamore: *Clamavitque Moyſes ad Dominum, dicens: Deus, obſecro, ſana eam.* Notavit Liranus clementiam; & aliquantum rem noſtram tetigit, dum commentatur ita: Clamavitque Moyſes ad Dominum, *tamquam immemor injuriæ, memor clementiæ.* Confer nunc Moyſen ſibimetipſi. De leprâ ſuâ curandâ non curat; de lepra ſororis ſatagit clamans; Ecce quod antea dicebam. Juſtus erat inſignis Moyſes: detrimentum proprium illud parvî duxit; damnum autem, quod perpetiebatur in pœnam ea quæ læſerat eumdem, acriter doluit. Non gaudii motivum perfectis viris eſt ærumna contingens offenſori ſuo, qui ſic punitur: imo condolebunt clementer, cùm vindicante Deo *jacebunt mali ante bonos: & impii ante portas* &c.

Exod. 4. 6.

Numer. 12. 10.

Ib. n. 13.

Lir. ib.

68. *Glorioſius eſt quod in vita mortali ante conſpectum juſti læſi jaceat hoſtis.*

Juſtorum. Ex eo quòd non utatur hîc Sapiens nomine ſanctorum; ſed potiùs appellentur juſti, deduci cogitabam, Salomonem loqui de bonis, dum in hac vita morantur. Ingens eorum gloria meritò dicetur, quòd vitâ manente cernant, coram ipſis malos proſterni. Poſtquam aſcendunt ad vitam immortalem, res videtur minoris momenti, ſi perſecutores intueantur ſuos in terra jacentes. Plus eſt ad ejus latus cadere mille, decemque millia: ſcilicet ipſorum præſentiâ. Facit huc non parum quod ſcribit Apponius: cujus hæc ſunt verba: *Sed fortis eſt hujuſmodi miles, cui ad vitam glorioſa victoria pugnanti repromittitur per Prophetam dicendo*, Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. *Per hanc armaturam totus mundus redemptus eſt; cum hac expugnarunt Martyres reges & principes terræ, & omnes dæmonum legiones.* Ei, qui fruitur immortalitate, non eſt quid tam glorioſum projectio inimicorum in terram: inſignius eſt hoc vitâ manente mortali. Status beatitudinis æternæ majora ſibi vendicat in triumpho: minus decoroſum eſt adverſarios proſternere mortalitatis expertem. Quandiu vitalis autem peregrinatio durat, inclytum eſt, ipſos in conſpectu læſi jacere humi.

Apponi. l. 6. in Cant. poſt med. §. Hæc ſunt.

69. Poſt Dominicæ paſſionis durum dirumque certamen, die quâ redivivus triumphum reportavit Salvator, apparuit Angelus, ut cuſtodes perterrefaceret ſepulchri. S. Anſelmus: *Cum judicio*, inquit, *divinæ diſtrictionis ipſe quoque Angelus apparuit, ut ſcilicet cuſtodes ſepulchri ejus impios terrore concuteret, & mortuorum inſtar terræ proſterneret.* Vidiſſe cuſtodes Angelum docuit expreſsè Nyſſenus, inquiens: *Atque Angelum de cœlo deſcendiſſe, cujus aſpectus quidem fulguri, ſtola vero nivi haud diſſimilis fuerit, ut ipſo terribili quidem habitu* (alia lectio habet: *Aſpectu*) *perterrefaceret cuſtodes*: &c. Notatu dignum eſt, nec ante reſurrectionem Filii Dei jam demortui, nec etiam quando prodibat è tumulo Angelum comparuiſſe: nam priùs Chriſtus Dominus reſurrexerat. S. Hieronymus: *Angelum autem*, inquit, *non putemus idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Domino reſurgenti, & revolveret lapidem: ſed poſtquam Dominus reſurrexit, hora qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt, indicaſſe quod factum eſt*: &c. Dubitabam, qua de cauſa non ſurrexit Salvator cernentibus eum cuſtodibus, ut ſplendor ipſius dejiceret eos in terram? Meminiſti, Redemptorem paulò priùs quam apprehenderetur, fulgore ſuo ſtraviſſe milites. Placuit hoc D. Hieronymo. *Sed*, ait, *abſque paſſionibus crucis univerſis pulchrior eſt Virgo de Virgine: qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt. Niſi enim habuiſſet & in vultu* (aliquis addit, quod fortè in alio codice habetur: *Oculiſque*) *quidam ſidereum, nunquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli: nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* Quid ergo eſt, quòd Angelo Dominus dimittit cuſtodes afficere terrore; noluit autem per ſemetipſum? Conjector, quòd, cum adverſantes proſternere, dum vita mortalis durat, ſit quid magis glorioſum, quàm ſi fiat per eum, qui potitur immortalitate; Dominus contulit hoc ſecundum Angelo ſuo; primum verò, quod glorioſius erat, ſibi ſumpſit in oſtenſionem potentiæ ſuæ. Similiter dicebam, quòd etſi multum juſti divinitus accipiant, jam beatitudine fruentes, in eorum abjectione, qui perſecuti fuerunt ipſos dum viverent, ſi videant eoſdem jacentes in imis: tamen longe plùs micat fulgor dilectorum Dei, cum in vitæ perituræ tempore ſæpe mali cadunt *ante portas juſtorum.*

D. Anſel. com. in Matth 28. 4.

S. Greg. Nyſſen. or. 2. de Reſurrect. poſt princ.

S. Hieron. to. 3. q. 6. ad Hedib.

Idem. ib. expoſ. Pſal. 44. ad principiam. longe ante med.

FLOS XXX.

Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit: amici vero divitum multi.

APERITUR.

1. Janſen & Salaz. in Prov. 14. 20. Ansbert. l. 2. in Apoc.

NOTAVERE Janſenius & Salazar, ſententiam iſtam eſſe perſpicuam. Unde cum Ansberto aliorſum loquente dicere poſſem: *Hæc quia aperta ſunt, expoſitione non egent, ſilentio præteriri debent.* Sed quoniam effatum hoc Salomonicum continet materiam quotidianam, &, licet intellectu faci-

lem ; tamen utilem valde , non deſinam aliquid è Patrum depromere theſauris.

S. Ambroſ. to. 3 l. 8. in Luc. c. 16.

Ambroſium accipe. *Quamquam* , ait , *inſolentia & tumor divitum indiciis competentibus exprimatur , quod ita conditionis immemores humanæ ſint , ut tamquam ſupra naturam ſiti , de miſeriis pauperum incentiva ſuarum capiant voluptatum , rideant inopem , inſultent egenti , & quorum miſereri deceat , his auferant.* Hanc divitum ſuperbiam , & inclementiam proponit optimè Baſilius Magnus de paupere loquens. *Et* , ait , *ſi quidem ad terram pronum ſe inclinaverit , ob calamitatem pudeſiens , ſimulationis artificem ipſum eſſe dicimus. Si verò confidenter , propter gravem famis ſtimulum , nos aſpiciat , impudentem rurſus appellamus ac violentum. Et ſi quidem integris veſtibus contectus fuerit , quas fortè aliquis ipſi dono dedit , velut inexplebilem repellimus , & paupertatem ipſum ſimulare juramus. Si verò putridis veletur panniculis , rurſus ut fœtentem fugamus* : &c.

S. Baſil. Mag. hom. 23. inter var. longe poſt med.

2.

Odii flammam adversùs inopes conceptam indicat elationis fumus. Ignis ille ſic exardet , ut etiam pauperis urbanitatem vertamus in offenſam noſtram. Audi Chryſoſtomum : *Quis enim* , ait , *pauper auſus eſt divitem publicè ſalutare ? Mox indignatur , quaſi injuriam paſſus.* O miſerrimam egeni ſortem ! ſi conniventibus oculis præterit opulentum , inurbanus habetur , atque ſuperbus ; cum potiùs timidus potuerit cenſeri. Si vultum declinat prætereunte dite , cujus tenuem ſtipem precibus importunis extorſit , ingratus judicatur ; cum pudore cogente faciem abſcondat miſellus. Econtrariò , ſi fortunarum pompâ turgido ſupplex offert obſequia , damnatur ut audax. Quid eliget infelix , quem paupertas exponit riſui , ſimulque tradit odio ?

S Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 36. oper. imperf ct. in Matth. poſt med.

3.

In ſecunda præſentis parabolæ parte loquitur Salomon juxta vulgarem dicendi modum ; quo vocamus amicos quotquot non dividuntur à latere noſtro. Ne tu putes veraciter amicos omnes , quos dives habet ſodales : nam licet repleantur iſti facultatibus , ſunt utplurimùm dilectione vacui , quia cupiditate pleni. Bene Seresberienſis : *Et quò divites plurimum cupiditatis , eò habent minimum charitatis. Hæc etenim invicem maximè adverſantur.* Sociis aliquibus benefacit homo ſplendidus auro : ſed non ideo qui beneficium experti fuere credantur verè grati , valde paucis exceptis. Gratitudinis faciem induit adulatio ſæpiſſimè. Ambroſius : *Divitibus itaque plerique aſſentoriè gratificantur.* Ab iſtâ fraude reddit egenos immunes privilegium ſatis onerosum paupertatis : nudos enim haud refugit nuda veritas. Idem Ambroſius : *Erga pauperem nemo aſſentator eſt. Verum eſt quidquid defertur pauperi , hujus amicitia invidia vacat. Quid amicitiâ pretioſius , quæ Angelis communis & hominibus eſt ? Unde & Dominus Jeſus dicit* : Facite vobis amicos &c. Non igitur ſibi dites plaudant , quòd plurimos habeant aſſeſſores ; quaſi nacti ſint copiam rei tam pretioſæ : ſcilicet amicos innumeros : viliſſimi ſunt iſti. Chryſoſtomus : *Nihil* , inquit , *eſt his hominibus vilius qui hinc amici fiunt , nempe à menſa , & repletione.*

Ioan. Seresber. l. 3. de nug. c. 12. ante med.

S. Ambroſ. to. 4 l. 3. de off. c. 16. poſt med.

Idem. ib.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 4. hom. 1. in Epiſt. ad Coloſſ. ante fi.

Procedamus ad ſingula. *Etiam proximo ſuo.* Dionyſius Carthuſianus extendit hoc ad cognatos inopes divitum : ait enim hoc loco : *Quidam enim ſunt* , ait , *tam elati , crudeles & impii , quod aſpernantur & odiunt pauperes , & de pauperibus ſuis cognatis verecundantur.* Utinam potiùs afficerentur pudore de malis moribus ; qui paſſim fortunas comitantur. Sed quia pluribus involvuntur iniquitatibus nonnulli , quas non gignit inopia , propterea divites hujuſmodi velut exuunt naturam , & execrantur ſanguine propinquos anguſtiâ rerum preſſos ; quos diſcernit ab eis morum diſparitas : *cum* , inquit aureus Doctor , *nulla detur in terris certa propinquitas , niſi quæ ex convenientia morum conciliatur* : &c.

4.

Dion. Carth. in Prov. 14. 20.

S Ioan. Chryſoſt. to. 5. ſer. cui titulus eſt. *Virtutibus progenitorum* &c. poſt princ.

Pauper odioſus erit. Cornelius Alapide Sapientis dictum de odio negativo accipit (id eſt minore affectu , deſpectione , faſtidio) excludendo poſitivum odium. Sed non ab omnibus opulentis excluderem : nam quidam ita ſuperbiunt , ut pauperes quaſi mundi fæcem oderint poſitivè. Rodolphus hîc videtur interpretari de poſitivâ ſimultate. *Verſiculus* , inquit , *iſte oſtendit quid ſoleat facere ingratitudo humana , nempe pauperes & pauperiem odio habere , divitias verò & divites honorare* : &c. Fateor , in quibuſdam hoc eſſe partum ingratitudinis ; ſed frequentius eſt cupiditatis proles : nam formidatur pauper quaſi fur , & habetur odio ; contra verò dum quæritur utilitas à dite , veneratione proſequimur eumdem.

5.

Alapi. in Prov. 14. 20.

Rodolph. ib.

Amici verò divitum. Carthuſianus in hæc verba commentatur ſententiam , accipiens illam de amicitia cordis. Amici verò divitum multi , *qui applaudunt divitibus , quos beatificant corde , & ab eis commodum vel honorem conſequi ſperant.* Fortè videbitur veroſimilius , ut paræmiam intelligas vel de ſolis fictis amicis ; quorum plenæ ſunt aulæ potentum ; vel ut plurimùm de iiſdem. Frequentiſſimè latet in iſtis adulatorium virus. Hi longe poſiti ſunt ab amicitiâ verâ ; quantumlibet corpore præſentiſſimi jugiter adſint. Quomodo veros amantes dicam adulatores ; cum nocere ſoleant plurimùm , ducentes ad ſcelera ? S. Bruno Aſtenſis : *Nihil eſt* , ait , *quod homines impios , & iniquos magis ad iniquitatem exercendam moveat , & incitet , quàm adulatores , qui eorum opera iniqua laudant , & extollunt. Et inde fit , ut nunquam ad pœnitentiam redeant* , &c.

6.

Dion. Carth. ibid.

S. Brun. Aſt. in Pſal. 9.

Multi. Hoc verbo firmari videtur placitum , in quod paulò priùs inclinaveram : ſcilicet hîc ſermonem fieri vel de ſolis amicis fallacibus , vel utplurimùm : non enim reperietur facilè verè diligentium pluralitas. Rarus eſt Eurialo Niſus : dum valde plures numeras ; eoſdem veros quaſi negas amicos. Curre per hiſtorias : occurrent pauca fidorum amantium paria : & putas , opum philtro corda mutari ſic , ut annumeres tibi plurimos ? Apud Petrarcham geſtienti gaudio ſic : *Mihi amicitiæ multæ ſunt* , reſpondet ratio : *Fucatæ igitur.*

7.

Petrar. de remed.

prosp. fort. dial. 50 in princ.

tur. Veræ enim amicitiæ rarum bonum, usque adeo, ut qui unam longa licet in ætate quæsierit, negotiator rerum talium sat industrius habeatur. Nota bonitatem consequentiæ. Plures amicos habere te gaudes? Ergo simulati sunt. Qua ratione credam quòd veraces omnes intellexerit Salomon: inquiens: *Amici verò divitum multi?*

DELIBATIO I.

Inopem execrantes increpantur.

8. *Divites aliqui non amoveri à se pauperem, ut illum sæpius contemnant.*

QUàm aliter à vero mens humana judicat! Exteriores pensat ornatus: personas accipit; non personam. Intuemur pauperem, & pannosum cernentes despicimus; quodque pejus est abominamur. Sensibus tantummodò nostris arridet census; egestas autem, velut indigna conspectu conculcatur. Si mentis oculus acie vigeret sanâ, perspiceres in paupere Christum denuo pannis involutum; illumque in eo suscipieres amanter, pasceresque piè. Præsul Venetiarum ait: *Non enim obhorrendi neque contemnendi sunt pauperes: quamvis sordescant vestibus, anhelitu fœteant, videantur ignobiles, jaceant infirmi, & ulceribus contabescant. In ipsis considerandus est Christus, suscipiendus, atque pascendus.* Nequaquam solo fastidio prosequuntur dites aliqui miseros: odio novercali prorsus afficiuntur adversùs eos, quos amplecti debuere tamquam filios; ita quòd semel illos contempsisse non sufficiat eis: multiplicant eorum contemptus ad explendam tyrannidem proprii cordis. Imo sibimetipsis inferunt vim: non amoventes penitus ab oculis pauperem, cujus tædet eumdem; ut quoties intuentur illum, toties ipsum contemptu feriant: non dedignantur quòd præsens adsit inops; ut sæpius ipsum temnendo proculcent.

S. Laur. Just. l. de triumph. Christi ago c. 25. longe ante si.

9. Omissam diù vel parabolam, vel historiam ditis epulonis recolamus. Jacebat Lazarus ad illius postes: & mirabar quòd non inde jusserit abigi superbus: ne cerneret ulcera; quorum pietate nihil movebatur; Nitor opulenti crudelitate, de qua S. Petrus Chrysologus ait, loquens Abrahami nomine: *Crudelis fili, quam misericordiam petis, quam tibi negando pauperi tu negasti?* Forsitan crederes, jussurum fore divitem, ut ab illius janua procul fieret is, cujus erat exosa præsentia sibi nimis. Non tamen id lego. Sed quare? Suspicor, passum fuisse ventris proprii servum, quòd pauper non longè positus jaceret, ut occasionem sumeret sæpius eumdem contemnendi: nam quoties intuebatur eum, toties aspernabatur illum. Violentiam sibimet inferre visus est epulo; cum invisum spectaculum adesse non recusavit ad fores proprias; ut repeteret invisi despectionem, & crudelitatis jaculum non semel evibraret in miserum. *Jaciebat*, ait Chrysologus, *impietatis tela dives, clypeum miserationis Lazarus opponebat*: &c. Et non semel instituebatur hoc prælium: nam, sicut notavit Incertus, *jacebat ante januam, videbat illum dives & exiens, & revertens.* O certamen durissimum! quo tentabatur justus, cui pauperas tormenti plurimum D. Gregorius Papa: *Quantas*, ait, *namque hunc egenum, & vulneribus obsessum tentationes creditis in suâ cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, & non haberet sanitatem, atque ante se divitem cerneret salutem, & delicias habere cum voluptate: se dolore & frigore affici, illum gaudere conspiceret, bysso & purpura vestiri: se deprimi vulneribus, illum affluere acceptis rebus: se egere, illum nolle largiri.* Hæc S. Pontifex de Lazaro ac epulone. Deinde notum est, voluptuosum hominem illum despexisse Lazarum. *Gratis* (loquitur Chrysologus de opulento eodem in gehenna posito) *respicit modo Lazarum sursum, qui ante deorsum Lazarum videre despexit.* Et quia per multos contemptus cupiebat sævitiæ suæ lenocinari, non curavit ut pauper ulcerosus ab epulantis ostio dimoveretur. Hæc est plurium impietas.

Incert. inter opera Chrysost. to. 2. hom. de divite.

S. Greg. Mag. to. 2. hom. 40. in Evang.

Chrysol. ser. 66. post pr.

10. *Timent aliqui, ne postuletur ab eis eleemosyna.*

Et quare putandum, odiosum esse multis pauperem? an quia velut crimen computatur egestas? apud quosdam reputari synonyma credo pauperiem atque delictum: sic enim oppugnant egenos, quasi criminosos bannitos. De his alibi. Nunc dicam, extare quosdam odio prosequentes, indignum ex eo, quod metuere videantur eum, quasi prorsus adversarium: nam consuetudo mortalium est frequens odisse quem reformidant. Tullius dixit: *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit.* Aliorsum loquitur Cicero: sed hinc transeamus ad timorem, ex odio natum, quo divites aliqui reformidant indigentes. Vanus est hic timor: sed adhuc illius motivum disquiram. Ut quid pavet inopem copiosus? Miser frigore consternatus contremiscit; ille verò potentiâ robustus viget nimiùm: quid ergo metuit ab illo, quem ita refugit? Fallor, nisi sic avaritia quorumdam coangustat animos, ut sanè timeant ab ipsis eleemosynam postulari. Igni comparari scis auxilium pauperis: de quo dixit Arnobius: *Audistis quia sicut ignis extinguitur ab aqua, ita ab eleemosyna tolluntur universa peccata.* Velut maniaci nonnulli stipis largitionem, quam flagitat mendicus, quia vocari meminerunt ignem, trepidant ut flammam exurentem; cum non homines comburat illa; sed flagitia. Fit inde, quod ab aliquibus ita formidatur pauperis rogatio remedium exigentis; quasi non leve malum immineret eis.

Cicer. l. 2. de offic.

Arnob. ex. pos. Psal. 100

Job molestos patiebatur consolatores: nam, quasi non sufficeret illi mala sua dolere, sustinuit ab ipso medicamine dolorem: hoc est ab amicis; cum inter medicinas malorum connumeretur amicorum sodalitas. Cupiens eos, moderamine servato, redarguere, dixit ad illos: *Nunc venistis: & modo videntes plagam meam timetis. Numquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?* Primâ facie non bene convenire putabuntur verba priora cum sequentibus: nam qui timorem notavit illorum, dicturus videbatur potiùs, ut,

Idem. ser. 124.

Job. 6. 21. 22.

licet ea quæ ſuſtinebat cernerent, non formidarent quòd ſimiliter ferirentur. Quid proponit eis, ne metu conſternerentur? quod nihil poſtulaverit ab iiſdem? Contextus orationis inſinuat, voluiſſe Job animos amicorum erigere, ne meticuloſi reformidarent, ſe poſtulaturum ab eis opem: quia præ avaritia pavebant, ne Jobus auxilium flagitaret ab ipſis. Accommodè Liranus ad hunc locum: Et modo videntes plagam meam timetis, *ne aliquid pro ſublevatione mea repetam à vobis.* Aliquando notabam, quodammodo pauperis eſſe bona ſuperflua, quæ putreſcunt in divitis arca. Sique de neceſſitate loquamur extremâ, non eſt hyperbole pium; ſed res in Theologia certiſſima, quòd facultates divitum ſunt verè pauperum illorum, quos indigentia comprimit extrema. Non iſti ſumunt à te, niſi rarò, quod ſuum eſt; ſed rogant, ut eis neceſſaria ſubminiſtres. Avarus & injuſtus credis à fure pulſari januam tuam, cum pauper genuflectit ad illam? metuiſque velut rebus tuis inſidiantem?

Lir. ib. ad n. 21.

12. *Apud alios quos divites infernus & paupertas habentur ſynonyma.*

Aliis oritur alterâ de causâ formido, quâ timent pauperes intueri; vultuſque oderunt ipſorum, nempe quoniam dum egentem contuentur, nolentes reducunt in memoriam naturæ conditionem, quæ neminem divitem generavit: & cogitant inviti fugacitatem fortunarum, quibus deſtitui facillimum eſt; & ſatis mœſtum eis, qui gaudent opibus. Chryſoſtomus dixit: *Quos divites eſſe juvat, ſi quando in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur*, &c. Non pauci propterea recuſant pauperibus poſtulata donare, quia cavent, ne ſic depauperentur: imo, cum ſit ingens nimis inopum cœtus, paveſcunt aliqui, ne, ſi cunctis opitulentur, decidant in pauperiem vel una die. Carnalem iſtorum prudentiam leges apud Firmianum. *Dicet*, ait, *aliquis fortaſſe: Si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim ſi magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur, ut hæc facientem, vel uno die patrimonio exui ſit neceſſe: perdamne rem familiarem, meo, aut majorum labore quæſitam, ut jam ipſe mihi aliena miſericordia vivendum ſit?* Hinc homo dives conturbatur non ſemel; cum pauperies permultis adeo magnum terrorem incutiat, quaſi foret inferno compar adveniens penuria. Utinam ſic illi tremerent gehennæ pericula. Non ſimilitudinem inſtituo, perpendens, qualiter ſit infernus timendus: hoc unum dicam, apud nonnullos copiis refertos, pauperiem tartaro comparari.

Chryſoſt. to. 5. l. 5. de ſacerdot. ante med.

Lact. n. Firmia l. 6 de divin. inſtit. c. 12. lo ge ante fi.

13. Prov. 28. 27.

Noſtrum Parœmiaſtem conſulamus. Inquit ille: *Qui dat pauperi non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Janſenius ſecundam parœmiæ partem defert ad futurum etiam ſæculum: & cum divitis epulonis utatur exemplo, patet quod necnon intelligi poſſe de miſeria damnatorum ſententiam credat. Apponam verba Commentatoris. *Alioqui*, ait, *ſententia clara eſt commendans nobis in pauperes beneficentiam, & ab inhumanitate deterrens, quòd per illam fiat divino munere, ut quis non facilè inopiam patiatur; per hanc verò fiat divino judicio, ut quis inopiam, quam in alio noluit ſublevare, patiatur in ſeipſo, idque frequenter etiam in hoc ſæculo, ſemper autem in futuro, ut patuit in divite epulone.* Liranus ejuſdem avari utens exemplo, ſolius meminit erebi, dum exponit hoc loco Salomonem. Qui deſpicit depre. fuſti. penu. *ſicut dives epulo, qui Lazaro micas panis denegavit, penuriam aquæ guttæ ſuſtinuit.* Expoſitiones iſtas non improbo. Sed quòd ad orci penuriam attinet, videbatur clariùs loquendum Sapienti. Quare non horrorem injicit æternæ pœnæ deſpicientibus pauperem deprecantem? quid energiæ reconditur in eo, quòd nomine penuriæ ſignificet parœmiaſtes hic illud, quod avarus patietur in æterno carcere? Vocabulo voluit uti ſynonymo Sapiens in æſtimatione divitum illorum, quos ipſe redarguebat: apud immiſericordes quippe ventura temporalis pauperies, & futura gehennæ miſeria, pene coincidunt. Idcirco tantum formidantes malum recuſant largitiones pauperum, timentes ad inopiam venire. Cumque metuatur inops eâ de causâ, *pauper odioſus erit* &c.

Liran. ibid.

Occaſione ſumptâ, corripiamus quorumdam cognatorum ſuperbiam, qui dividunt à ſeipſis, & quaſi neſciunt inopes, quos natura ſanguine conjunxit eiſdem. Valde propinqui ſuos ignorant plurimi: nam, quoniam vulgò pecunia ſanguini confertur, pecunioſi reputant ſe nobiliori proſapiâ creatos: obliti, quòd potentum, & invalidorum ſic idem eſt ortus, ut ſimilis interitus. Et ne vulgarem tantùm credas hunc loquendi modum, quo facultates appellantur ſanguis, nota, Scripturam favere probabiliter: etenim ad illud Sapient. 12. 5. *Devoratores ſanguinis* &c. dixit Lira: *Non invenitur in veteri teſtamento, quod Chananæi, habitatores Judææ ante filios Iſraël, comederent carnes humanas, & biberent ſanguinem: ideo videtur, quod hic ſit metaphorica locutio, ſicut de prædone vel uſurario dicitur, quod comedit homines, quia rapit ſubſtantiam eorum*, &c. Iſta phraſi nixus, notabam, alios hujuſmodi ſubſtantiam poſſidentes appretiare ſe quaſi nobiliori ſanguine concretos. Morbus iſte ſuperbiæ conſanguineis opulentis ita quotidianus eſt, ut non rarò pauper inveniat apud extraneos adjutorium; qui paſſus eſt à fratre, vel etiam à filio repulſam. Chryſoſtomus: *Etenim*, ait, *alicubi viſi ſunt amici germanius affecti, quàm fratres, etiam quam filii erga parentes, & natus quidem nihil opis attulit; alienus verò adfuit & adjuvit.* O quàm frequenter deſuefcit naturam conjunctiſſimus! Aliquando, licet rarò, fidelis invenitur amicus adeo, quòd ſodalitatis conſuetudine tranſmutetur in alteram naturam, & cognatos pietate vincat. Tam paſſim reperitur in propinquitatis vinculo junctis ille tumor, quô pauperes aſpernantur; ut magis admiremur ejuſmodi contemptum in amico dite, quam in avaro conſanguineo. Hoc eſt in cauſa, ſcilicet nam extraneo pudori non eſt habere pauperem ſocium; cognatus autem unus

14. *Aliquando magis eſt admirationi, pauperem ab extraneo contemni, quàm à conſanguineo.*

Lir. com. in Sapient. 12. 5.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 4. hom. 1. in Epiſt. ad Coloſſ. longe ante med.

Janſen. in com. ib.

unus dives concipit verecundiam ex altero paupere quaſi vili: ſæculi moribus obtemperans; juxta quos hominem paupertas vileſcere facit. Hinc ortum habet, quòd nonnunquam plùs admirandum eſt amicum ſic inflari de facultatum copiâ, quod alium ſpernat inopem; quàm ſi hoc eveniat inter eâdem ſtirpe natos.

15. Ad Eccleſiaſtem revertamur in parœmiis dicentem: *Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper & amici procul receſſerunt ab eo.* Commentatur Lira: *Fratres id eſt conſanguinei.* Adverbium illud, *Inſuper*, denotat proceſſum orationis de minori ad majus: nam quaſi dicitur ita, ſuperaddi quod ſequitur, velut aliquid expenſione dignius. Hoc ſuppoſito, putares, hîc Salomonem præmiſſurum fore derelictionem, qua pauperis amici recedunt ab eodem; & inde tranſiturum ad odium conſanguineorum adversùs eum. Quid eſt quòd priùs meminit fratrum, quaſi notaret aliquid minùs mirabile; poſtea deſertionem amicorum commemorat, tamquam admiratione digniorem? ordinatè locutus fuit Sapiens: quia, cum per egeſtatem conſanguinei videantur aliqui ſibi dehoneſtari; jam tam frequens hæc eſt ſuperbia derelinquentium pauperem ſanguine junctum, quod non ſit adeo miranda; ſicut amicorum tumor deſerentium egenum, quem priùs utcumque proſequebantur amicitiâ; cum iſtos putata vilitas inopis non tangat. Rationem, quæ me movit, Carthuſianus tetigit: nam citatum locum interpretatur ita: Fratres hominis pauperis oderunt eum: *Quia putant ſe confundi & vilipendi, eo quod habeant talem fratrem.* Inſuper & amici procul receſſerunt ab eo; *ne ex ejus præſentia incurrant gravamen.* Hæc eſt paupertatis infelicitas: cui non ſolum forenſia judicia contrariantur; ſed etiam naturalia jura franguntur: nec fraternitatis neceſſitudo; nec filialis auxiliatur amor.

Prov. 19 7.

Dion Carth in com. ib.

16. Inde fit, ut inops deſertus à ſuis quærat exteros, & aliquando fortunatè: nam contingit nonnunquam, ut inveniat pios, qui locum propinquorum occupent; & penuriâ ſuadente nectuntur illi, qui ſatis erant conditione diſpares. Hæ ſunt neceſſitatis vires: quæ, ſicut excelſum deprimit; ſic levat aliquoties humilem. S. Nilus: *Jam verò*, inquit, *neceſſitas exæquat inæqualitatem, & humile reducit ad ſublime, & excelſum demittit ad id, quod repit humi*, &c. Rarum fateor, quòd hæc pauperis induſtria non fruſtretur: quia vitari ſolent egeni quaſi contagio laborantes. Admittuntur totis brachiis opulenti; renuitur indigi contubernium. Sed cum hoc ſtat, inopem anguſtia compreſſum extraneos quærere; cupientem illos in conſanguineos tranſmutare; cum experiatur, ſuos illum tamquam alienigenam habere. Ad ignotos declinat: & quem fortè non vidit unquam, nomine genitoris inſignit amantiſſimo. Heu miſeratione multâ dignum: quem dura cogit inopia ſic apud alienos quæritare quod ipſi denegant ſui!

Cogit neceſſitas hominem, ut in extraneis quærat pietatem, de ſuis.

S. Nil. in Pariſt. c. 13.

17. Exemplum Davidis ponet ob oculos rem. Pauperie premebatur cum propriis comitibus, dum fugeret à Saüle. Neceſſitate compulſus nuntios miſit: qui poſt alia locuti ſunt ad hominem ſatis ruſticanum: *Quodcumque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David.* Fortaſſis faciem Nabalis nunquam David intuitus erat: & filium ejus vocant in perſona Davidis loquentes? O miſeram ſortem pauperis! En cogitur nobilitare David ruſticum nomine paterno. Sed quid non ageret qui ſe derelictum cernebat à ſanguine junctis? *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Verba ſunt Davidis: & quamvis agnoſcamus, hunc Pſalmum intelligendum eſſe de Chriſto Domino; tamen ſufficit nobis, quòd non ſine typo Davidis hæc dicta ſint. Janſenius: inquit, *hunc Pſalmum à Davide de Chriſto, eoque ſolo editum fuiſſe, quamvis non ſine typo ſuiipſius, in cujus paſſionibus adumbrari graviores Chriſti paſſiones prævidit.* Cum experiretur David, ſe, dum ſuſtineret inopiam, computatum eſſe velut extraneum à fratribus, compellebatur Nabalem quaſi parentem quærere. Ad iſta potens adigit penuria. Moderationem poſtulationis, & ſupplicis humilitatem notavit ex Theodoretho Gloſſa: *Poſtulatio erat moderata, & ſignificans egeſtatem rerum neceſſariarum. Da quod invenerit* &c. Quid ſermo ſupradictus à verbis differt, quibus utuntur mendici? Sed vir ferus non modò minimè dedit; ſed inurbanè reſpondit. Hoc in extraneo Nabal non demirabor: nec ſubmiſſionem Davidis, de qua Gloſſa eadem: *Quid differunt hæc verba, à verbis, quibus utuntur mendici?* Inurbanitatem Nabalis omitto: quoniam execrabilior eſt conſanguineorum impieras, propter quam etiam illis *pauper odioſus erit* &c.

1. Reg. 25. 8.

Pſal. 68. 9.

Ianſen. in argum. hujus Pſal.

Gloſſ. Ord. ex Thodoreto quæſt. 54.

DELIBATIO II.

Detegitur perſonata facies amicorum; qui divitem circumſtant.

18. CUm natura fecerit hominem animal ſociabile; ſic nos diverſa genia dividunt & ingenia, quod, uti ſupra dicebam, rarus inveniatur amicus hoc nomine dignus. Quoſdam diſcriminat morum diſſimilitudo; multos autem ſortis inæqualitas: indeque fit, ut, cum tot reperiantur ſodales, nemo, ſi prudenter cautus deliberaverit, audeat ut plurimùm amicos numerare pluraliter. Bene Seresberienſis: *In tot circulis ſæculorum, in tanto ætatum lapſu, in tanta multitudine & differentia perſonarum, vix, ut ait Lælius, tria inveniuntur, aut quattuor paria in amore.* Poëticè locutus eſt qui ridenti fortunæ dixit: Multos numerabis amicos. Infrequenter & rariſſimè fidelis unio pectorum egreditur unitatem. Amicitiæ titulo capax decorari phenicem imitatur: quem legimus unicum dari. Identidem appellamus amicos, qui veriùs dicerentur ſocii: nec tu confundas nomina ſignificatione tam diſ-

Noti multi ſunt: amici rari.

Ioann Seresber. l 3. de nug. c. 7. fi.

paria, ſicut notavit S. Iſidorus Hiſpalienſis, inquiens: *Inter amicum, & ſocium: Amicus conſtat affectu: ſocius re, quia conſortio conſtat.* Si de notis fiat ſermo, loquere, ſi placet, numero plurali; cum verò memoraveris amicos, in ſingulari verba fac.

S. Iſid. Hiſp. l. 3 different. lit. A. n. 2.

19. Experti Davidis imitandam propono phraſim. Sic ille Pſalmum quemdam abſolvit, Deum alloquens: *Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria.* Quod Pſaltes attenderit ad ſemetipſum locutus ita, docuit Lorinus in argumento Pſalmi præcitati. *Sub typo*, inquit, *graviorum infirmitatum, quas David vel à Saüle paſſus eſt, vel ab Abſalone, atque nomine deſcribit infirmitatis, niſi & hanc ſumi propriè ſimul velis, agitur de paſſione Chriſti.* Adnotabam, quod licet numerum Pſalmiſta relatis verbis variet; perſonas tamen haud mutat. *Amicum autem*, ait Euthymius, *& proximum, & notos, eoſdem intelligit.* Hoc prænotato, hærebam adhuc in grammatica Davidis. Cum de iiſdem loquatur, quid eſt, quòd notos vocat nomine plurali; amicum verò ſingulariter dixit? Magiſtram habuit experientiam Pſalmographus. Orationem conſtruxit verba rebus aptans. Aliud eſt ſortiri notos vulgariter; aliud numerare fideliter amicos. Notorum plurima ſæpe multitudo circumcingit nos; amicus vel unicus, vel nemo nobis eſt. Appoſitè ſermonem David juxta nominis diverſitatem attemperavit: nec enim dignandi ſunt amicitiæ titulo quotquot neſcimus; præſertim, cum amicorum corda nobis ignota ſint. Alienis experientiis credito, ſi propriis cares: iſtas ne deſideres: nam ſatis amarum erit experiri quòd amans haud ameris.

Pſal. 87. 19.

Lorin. ib. in argu.

Euthym. ib. n. 19.

20. *Fortunatorum amici mutant loquendi modum, cum ſors caſura nutat.*

Hæc raritas amicorum, quam dolent omnes, clariùs viſitur in divitum clientela: nam iſtam ad eos vocat neceſſitas accedentium, vel abſque dilectione gratitudo frigida. Non etenim credendum eſt, quòd omnis omnino gratus benefactorem ſuum diligat; & multò minùs dignum fide, quòd ſit verus amator is, quem tibi conjunxit utilitas propria. Bellè S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Inter veros*, ait, *amicos amicitia ex benevolentia oritur, inter fictos beneficio adjungitur.* Et poſt pauca: *Plerumque amicitia ex neceſſitate vel indigentia naſcitur: ut ſit* (fortè legendum: *Sic*) *per quem quiſque quod deſiderat, conſequatur. Ille eam veraciter quærit, qui nihil legendo eam appetit. Nam illa ex inopia brevis eſt, & fucata; iſta pura atque perpetua.* Virum copioſum turba comitatur præſtigiatorum, quos audit libenter ille, quaſi veraces; & fallitur miſerè: nam iſtos, quos adunavit eidem proſperitatis aura blandiens, diſperget adverſitatis dirus turbo. Loquuntur ad beneplacitum, venantes aliquid ab eo per blanditias, dum auro nitentem venerantur. Cum cœperit à ſorte felici decidere nutans, jam tranſmutant loquendi modum: non expectant illi caſum; ſed ante ruinam, diſcrimen advertentes corruendi, quod inſtat fortunato, ſermonem faciunt aliter.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. ſentent. c. 30.

Exaltavit Aſſuerus Aman ultra modum. Ambitioſus iſte doluit, quòd honorem publicum, quem ſibi mente deluſus præparaverat, coactus fuerit Mardochæo deferre. Odio proſequebatur hunc, renuentem coram ipſo genuflectere. Indignatus die quadam, iram diſſimulans revertitur in domum ſuam: rem aperit amicis. Expende quid ipſi dixerint. *Jube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè regi ut appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad convivium.* Audis quàm dulciter loquantur ad palati ſaporem? Scis illi placuiſſe dicta. *Placuit ei conſilium*, &c. Commentatur Lira: *Quia erat juxta ſuum deſiderium.* Ecce fantur ad voluptatem amici. Lege quæ referuntur capite ſequenti. Contigit, ut juſſus Aman tenuerit equum regium, quo vehebatur Mardochæus. Id ille plurimùm indoluit. Feſtinavit in domum, & amicis narravit eventum. Quid illi tunc? Jam non faciunt verba ſecundùm Amani vota; ſed acerba locuti ſunt. *Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio, & uxor ejus: Si de ſemine Judæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu ejus.* Hæſitabis, an hi, quos Textus vocat ſapientes, iidem ſint, quos appellaverat amicos tum iſto capite, tum præcedenti. Sic? inſinuavit M. Celada in commentario litterali, cum ait: *Scilicet præcedenti capite, quandoquidem ad Amani nutum temperavere ſuffragium, adulatione potiùs quàm ratione cenſentes; tunc quaſi ſapientiam diffiterentur, non ſapientes, ſed familiares, neceſſarii, ſeu amici perhibentur. Quando autem auſteram veritatem, etſi auditu moleſtam, & improſpera durè ominantem, dicere non verentur, abjectâ amicæ gratiæ, & ambitioſæ neceſſitudinis perſonâ, tunc, tunc quidem, jure ſuo ſapientes nuncupantur*: &c. Etant iidem; & jam non ſtylo fantur eodem? Nil mirum juxta conſuetudinem ſæculi. Habebant illi præ oculis antea quòd Aman divitiis fruebatur: *Expoſuit illis magnitudinem divitiarum ſuarum*, &c. Tunctemporis lenocinati ſunt ei loquentes placentia. Verum quidem eſt, quòd, cùm acciderunt ea, quæ de cap. 6. ſupra narrata ſunt, non adhuc amiſerat opes: nihilominus, & nihil tunc de iſtis locutus eſt; & jam cadere cœperat: *Ante quem cadere cœpiſti*, &c. Satis fuit hoc initium ruinæ, quo jam non blandirentur ei, ſed aſpera depromerent. Quid erit poſtquam rationalis arbor dejicitur in terram; ſi cum ruitura nutat, jam non perſonat auribus ejuſdem ſuſurri priſtina ſuavitas?

21.

Eſther. 5. 14.

Ib.

Lira ibid.

Eſther. 6. 13.

M. Celad. ib.

Eſther. 5. 11.

22. *Amicus fidelis non emitur pretio.*

Intelligant igitur auro gemmiſque fulgentes, quàm rarò verum ſortiantur amatorem. Venales nanciſcuntur ordinariè loquendo comites; & credant, illum, qui propriis commodis emit amicitiam, eamdem pretio diſtracturum. Venditur quod emptione comparatur: & hujuſmodi mercaturam non dedignantur potentis familiares. Optimè Baſilius Imperator: *Felicium enim*, ait, *multi ſunt amici: ſed eos amicos*

Baſil. Imperat Conſtantinop. in ex-

hort. ad filium Leonicharum. c. 26. *amicos veros judicato, qui te non lucri cauſa diligunt, ſed propter ipſam amicitiæ virtutem: alia enim amicitiæ ſpecies quæ tempori ſervit, non tam amicitia, quam negotiatio & mercatura quædam eſſe deprehenditur.* Adde Bleſenſem. *Mercalis*, inquit, *eſt hæc amicitia, quæ quantò accedentius* (fortè legendum: *Evidentius*) *conſentanea eſt cupiditati, tantò longiùs eſt ab amicitiæ palatio relegata. Licet enim amicitiæ cultoribus plurimæ commoditates ex ipſa ſoleant obvenire: vera tamen amicitia in ſeipſa fructus ſuos conſtituit, omnemque ſpem futuri obventus merâ liberalitate præcurrit.* Negotiatorum fraudes notiſſimæ ſunt. Ab illis opulentus caveat: nec amicitiam exiſtimet veram quæ venalis eſt. Totus homo, ſi diligit verè, ſe tradit amico: non pretio paratur hominis liberi poſſeſſio: nec amor patietur ſervitutem. Amicum igitur fidelem neutiquam venum iri putes.

Petr. Bleſ. tract. de amicit. Chriſtia. c. 7. poſt pr.

23. Ad Siracidem tranſeamus. Multa de veraci docuit amico. Nunc illud expendam: *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Quomodo ſtat hoc effatum cum verbis proximè ſequentibus? *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis*: &c. Medicamenta ſolitant pecuniâ comparari. Qua ratione conſiſtunt hæc duo? nempe, quod fidelis amicus medicamentum vocetur, & quòd verè dicatur, pondus auri & argenti non eſſe dignum, ad hoc ut amicæ fidei conferatur. Reſpondeo, non omnia medicamina venundari; ſed plura gratis inveniri. Mehercle verus amicus eſt medicamentum poſterioris hujus conditionis: non emitur; ſed invenitur. Nota, quòd ubi vocat Eccleſiaſticus amicum vocabulo medicamenti, fuit uſus verbo inveniendi. *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum.* Fortaſſis ita locutus eſt, ut inſinuaret, fidelem amicum non eſſe de genere medicamentorum, quæ pecuniis comparantur; ſed eorum, quæ gratiosè inveniuntur. Confirmantur prædicta per id, quod antea dicitur eodem capite: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit theſaurum.* Theſauri quidem inveniuntur; non tamen ſolent emi: ſic & amicus nullo pecuniarum conquiritur acervo. Quonam æquabitur auro medicamentum immortalitatis? Janſenius ad præfata Siracidis verba n. 16. *Hoc eſt*, inquit, *vitam imo & immortalitatem afferens, nimirum quia ſua conſolatione & ope mala incidentia vel tollit vel lenit, ita ut aliàs morituro vel defecturo vitam conferat, non hanc tantum, ſed etiam æternam.* Sibi plaudunt aliqui divites, in eo laudantes pecuniarum potentiam, quòd illarum auxilio paraverint amicos, ut adverſitatis nubilo tempore ferant adjutorium. Deſipiunt craſſè: nec unus, ſi verus eſt, paratur auri copiâ.

Eccli. 6. 15.

Ib. n. 16.

Ibid. n. 14.

Janſ. in com. Eccli. 6. 16.

24. *Adulator ſub pedibus poſitus diſcrimen af-*

Iſti, quos opulentus exiſtimat per largitiones emiſſe, non amicorum titulo digni ſunt; ſed adulatoris notâ. Caveat ſapienter ab illis: quantumvis enim confidat, ſe per nummorum poteſtatem ſubtus pedes eos conſtituiſſe; necnon ab his quæ calcamus, periculum non ſemel adeſt. Pejores prædicti ſunt, quam inferentes contumeliam: præſertim, quia non attenditur ad ſagittas adulantium. Audi Chryſoſtomum. *Deſides laude magis quàm vituperatione læduntur.* Et poſt pauca: *Si averti nonnullos decet, adulatores magis, quam contumeliantes odiſſe oportet. Major enim non attendentibus ex adulatione peſtis oriri ſolet*: &c. Potentes hujuſmodi fortitudinem propriam jactant, & infirmitatem animi detegunt: ſomniant ſe fortiſſimos, dum cernunt, ſub pedibus eorum plures mitti per aſſentationem: non hoc fortium eſt; ſed ignavorum. S. Ambroſius: *Emolliri enim adulatione, non ſolum fortitudinis non eſſe, ſed etiam ignaviæ videtur.* Enervis in prato pede terit blandè flores, quibus latet anguis; ſed cum floſculos advertat, non anguem, propriæ mollitiei dat acceptô morſu pœnas. Alter ſupra conglaciatam graditur aquam, cryſtalli mentitæ ſplendore captus; & ſubitò naufragium reperit ubi quærebat voluptatem. Non omnia, quæ ſub pedibus habemus, tuta ſunt. Qui loquitur ad gratiam tenet adulati plantas, ut liget greſſus: quò proſternat eum, ſternit ſeipſum.

fert.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 88. in Matth. poſt med.

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 42.

Apud Eccleſiaſtem in Proverbiis occurrit ſimilitudo concinna ſatis, ut ea, quæ dicta ſunt, ſtabiliam. *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus.* Exponit ibi Carthuſianus: Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, *approbando peccata illius, & ſimulando amicitiam ſecum*: rete expandit pedibus ejus, *id eſt deceptionum laqueos ei extendit*, &c. An aptiùs ænigma non foret adulatorii ſermonis tabula coloribus affabrè depicta? Sanè pulchrè loquentes, & pruritum aurium ſic excitantes, plurimùm arti pictoriæ ſimilantur; & econtra pictura peroptima quadamtenus veluti vocalis eſt. Colores miſcet aptos adulator: & econtrariò pictor egregius parùm abeſt, ut loquentes imagines penicillo peritus exprimat. Ergo cum Salomon aſſentatoriè loquentem notat, quare non uſus fuit magis exemplo nobilis picturæ? Puto quia, licet hujus artis opus inſigne multî fiat, & naturam ſic imitetur, decipiatque viventes, ac ſi vivant illa, quæ mortui repræſentant colores; non tamen detrimentum provenire deceptis aſſolet inde. Aliter contingit ſi rete pedibus incauti ſubjiciatur: hoc enim, quamvis non ſicut pictura multùm laudabilis magnî fiat, ſed potiùs plantis conculcetur, periculum affert cadendi ſi confidenter homo gradiatur ſuper illud. Sic evenit ſuperbo dicti: deſpiciens adulantes jactat, ſe pedibus ipſos proculcare; neque timet caſum. O caveat: nam illorum verba rete ſunt; quod greſſus ejuſdem facillimè circumligabit ad ruinam: nec ipſis fidat, nec ſibi. Dubium equidem eſt non leve, quinam ſit magis metuendus circumventor; an blandiens auditui dulciter; an audiens ipſemet imprudenter?

25. Prov. 29. 5. Dion Carthſ. in com. ib.

Invigi

26. *Magis ab amico ficto cave, quam ab hoſte manifeſto.*

Invigilandum igitur ſolerter eſt opulentis in hac re; quâ tantis patet via damnis. Periclitatur judicium erroribus, cum damnanda laudant: arbitrium in malè deliberando plura diſcrimina ſubit, dum pejora ſuadentur: nec memoria tuta remanet; cum blanditores hominem dementent, ut oriundum è pulvere quaſi neſciat. An hæc eidem facerent hoſtes? Neutiquam: nec enim illis confideret, ut ipſorum placita complecteretur; nec iſti facta laudarent inviſi. Quapropter, priùs quàm ad familiaritatem divitis quis admittatur, operæ pretium eſt, ut illius probetur intentio: ne contingat, quòd ambientem recipiat, quia putat amantem. Immunis eſt ab iſtiuſmodi fraudibus pauper. Fruere Bleſenſi. *Illius*, ait, *itaque quem in ſacrarium tuæ familiaritatis proponis admittere, probetur intentio, ne ſpe commodi temporalis inire tecum amicitias velit. Mercalis eſt enim intentio & non gratuita. Propterea ſolidiores inveniuntur plerumque pauperum amicitiæ quam magnatum. Divitibus ſiquidem aſſentatoriè gratificatur à multis.* Quid non timebit ille, qui formidare cogitur etiam gratias agentes? Miſeram deploremus, etſi lætam, gazis repleti conditionem: timet ab ingratis lædi; ſimul & pavet à gratabundis proditoriè circumveniri; niſi te fallit. Unum & alterum periculum eſt non modicum: ſed plùs aliquando moneo vigilandum circa fictiones amicorum fallacium, quàm erga manifeſtorum oppugnantium ſimultates. Non aſſero ditem ab inimico ſecurum; ſed majori vigilantiâ convenit uti circa deceptorias amicitias.

Petr. Bleſ. tract. de amicit. Chriſtia. c. 15.

27. Ad Siracidis rurſus doctrinam capiendam lubens revertar. *Ab inimicis tuis*, inquit ille, *ſeparare, & ab amicis tuis attende.* Syrus hîc vertit: *Ab inimico tuo elongare, & ab amico tuo eſto cautus.* Notatione dignum exiſtimo, quod Eccleſiaſticus putavit ſatis, ut homo pro ſuis adverſariis refugeret ad præſidium localis diſtantiæ: nam illud, *Separare*, Cardinalis Hugo putavit accipi valere proximè dictô ſenſu. *Vel*, inquit, *ſepara te loco* &c. Cum tamen ſermo ſit ibi de manifeſtis hoſtibus: quod expreſſit Interlinearis, dum v. *Inimicis*, ait, *Manifeſtis.* Quare non addidit vigilandum ab inimico abſente; & ab amico docet cavendum? Quia majore cautela prudens indiget erga ſubdolos amicos, quàm circa hoſtes apertos. Ab iſtis dividi loco ſatis erit ſæpe; non autem ab illis; quos dum ſpatia ſeparant, doloſa neceſſitudo connectit. Opportunè Cornelius Alapide hoc loco: *Amicis verò ne nimis confidas; tum quia multi ſunt falſi fictique amici, aut ex amicis mutantur in inimicos, uti præceſſit; tum, quia amici ſubinde ſeipſos quærunt, & nimia libertate ac licentia, amici incommodo ad ſua commoda abuntur.* Conſonat Hugo Cardinalis: Et ab amicis tuis attende. *id eſt ad cognoſcendos veros amicos diſcretionem habe: quia profundum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* Hac de cauſa vigilem oportet eſſe ditem, ne per aſſidentium blandam loquelam circumveniatur: & memoriæ potiſſimùm tradat, quòd non ſolus *etiam proximo ſuo pauper odioſus erit*: & licet plures computet amicos; quid ſecuritatis affert multitudo, ſi latet in eorum cordibus ignis odii, livoriſque fumus?

Eccli. 6. 13.

Lect. Syria. ib.

Hug. Card. in com ibid.

Interlin. ib.

Alap. in com ibid.

Hug. Card. ſup.

DELIBATIO III.

Quàm fidi ſint Angeli beati divitum ſpiritualium, hoc eſt, juſtorum amici.

28. *Amor Angelorum erga nos in abſentia magis elucet.*

NUnc ad ſanctorum Angelorum laudem rudis aptetur calamus. Cor laudationem perſolvat eis; quos habemus fidiſſimos amicos, atque ſollicitos cuſtodes: quid enim eſt amicus (ut alibi notabam) niſi animi cuſtos? Ita non ſono vocis nobis hoc exprimunt, quibus non loquuntur; ſed opere probant. A rigore litteræ modò ceſſamus: at nequaquam ſenſum ſpiritualem præſentis parabolæ prætergredimur: ductum ſequentes Hugo Cardinalis; qui myſticè dixit ad hunc locum: Amici divitum, *virtutibus*, multi: *omnes videlicet Sancti & Angeli.* Divites noviſti juſtos eſſe veris divitiis. Horum amatores Angeli ſunt, citra periculum ambitionis, cum ditiſſimi ſint felicitate ſuâ: necnon abſque ſimulationis diſcrimine: cum æterna lux, qua perfruuntur facie ad faciem, umbras abigat longiſſimè. Amicitiam cupiens Angelorum laudare, memorabar ſæpe notata circa verè diligentium qualitates. Amicus probatur in abſentia: commendatur in adverſis: & proprii commodi relegatione manifeſtatur. Hæc omnia beatis Angelis inſunt. Illos ergo dicam veros amicos juſtorum. Quod ad primum attinet, præmitto quaſi certum, teſtem amicitiæ, quamvis non ocularem, tamen probatiſſimum abſentiam eſſe. Apud Petrarcham, dolori dicenti: *Amicus abeſt meus*, reſpondet ratio: *Interdum non cognoſcitur amicus, niſi abeſſe cœperit. Sicut cunctis in rebus, ſic in amicitia; copia ingens guſtum hebetat, penuria acuit.* Indifferenter & abſentes & præſentes nos diligunt Angeli. Præſcindens ab eorum præſentia, vel abſentia, dixit Petrus Bleſenſis: *Diligunt Angeli nos propter ſe: quia de nobis ſcilicet tamquam de lapidibus rationabilibus & vivis reſtaurandum eſt ſuæ civitatis excidium, atque cœleſtium ruina murorum.* De cuſtodibus Angelis dixit Comeſtor: *Injurias quoque, quas ei quotidie inferimus, dum cuſtodiæ eorum refragamur, patienter ſuſtinent, nec læſi nos lædunt; imo mitius compatiuntur nobis*, &c. Itaque præſentes & abſentes beati Spiritus Angelici dilectionem ſuam erga nos eximiam oſtendunt. Proculdubio tamen in eo præcelſiùs amorem teſtificantur ſuum, quòd nos amplectantur abſentes. Quantumvis multus eluceat affectus illorum, qui nobis adſunt; tamen abſentium charitas magis eluceſcit.

Hug. Card. com. in Proverb. 14. 20.

Petrar. de reme. adver. fort. dial. 53.

Petr. Bleſ. ſer. 40. de S. Michaële. poſt pr.

Petr. Comeſt. ſer. 33. de omnib. SS. poſt med.

Puſillorum cauſam defendendam ſuſcipiens

piens Chriſtus Dominus olim ſuis dicebat auditoribus : *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.* Exponit Carthuſianus : Dico enim vobis, quia Angeli eorum, *id eſt, cuſtodes animarum ipſorum exiſtentes, ut in pluribus* in cœlis, *id eſt in cœlo Empyreo, quod eſt locus & manſio beatorum*, &c. Angeli certè cuſtodes non ſemper in cœlo manent ; ſed frequenter inferiora noſtra petunt, ad hoc ut opem ferant iis, qui traditi ſunt eorum cuſtodiæ. An opportunius non foret, ut Salvator, qui volebat obſtare contemptui puſillorum, diceret, attendendum, quòd iſtis adſunt in terris Angeli ? Certè Redemptoris mens erat hortari, quòd propter ſpiritus cuſtodes puſilli non deſpicerentur. Euthymius : *Quos autem ſervant Angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, ut ſemper videant Deum qui in cœlis eſt, verè hoc deſpicere non oportet : & ſi non propter illorum virtutem, at ſaltem propter cuſtodes eorum.* Nonne fortiſſimorum cuſtodum præſentia, ſi de hac mentio fieret, magis deterreret à contemptu puſillorum ? quare loquitur de illis cuſtodibus ut abſentibus in cœlis ? Quia majori conatu pro nobis Angeli pugnant cùm diſtant in cœleſti Jeroſolymâ, quàm dum nobiſcum verſantur : ſcientes, illorum erga nosipſos dilectionem plùs in abſentiâ fulgere ; proinde meliùs divinus Magiſter puſillorum contemptum arcet, admonens quòd iſti cuſtodes habent in cœleſtibus, qui, licet abſentes, eoſdem tuentur amanter ; quàm ſi moneret ut metuerent Angelorum præſentiam contemptores, cùm parvulis præſentialiter aſſiſtunt. Igitur, ſi, prout eſt notiſſimum, eorum qui loco dividuntur emicat ampliùs charitativus effectus ; hinc videre pronum eſt, quantum erga nos afficiantur Angeli beati.

Matthæ. 18. 10.

Dion. Carth. in com. ib.

Euthym. in com. ibid.

30. *Angeli magis curant nobis in adverſis adeſſe, quàm in gaudiis.*

Secundum veræ dilectionis teſtimonium deſumitur ex eo, quòd amicus adſit in adverſis. Quis dubitat, afflictionis tempore probari fidelitatem amici ; quæ fortè latebat in proſperis ? Paulò ſupra dicebam ex Eccleſiaſtico, fidum amicum eſſe medicamentum vitæ. Medelæ pretioſitas non viſitur cum vales ; experientiâ cognoſcitur cùm laboras ægritudine. Non aliter amicus nequaquam temporibus lætis extra ſimulationis periculum detegit quantô ſit pretio dignus. Tunc aperitur ejus valor, cùm afflictionibus urgetur alter ; ſi verè dicimus alterum quem nexus cordis unit ; vix patiens eſſe duos. Ex his, quæ vulgaria ſunt, Angelorum charitatem collige non vulgarem : nam cum tentationibus contribulatur anima, conſolantur eam, & reficiunt Angeli. S. Nilus ait : *Porro quando anima iſtis ſive apertis ſive occultis variarum tentationum impugnationibus premitur & humiliatur, ſolatium non parvum accipit per ſpirituales ſacerdotes, hoc eſt, Angelos ; reficientes ipſam ſtagrantiſſima dulcedine lacrymarum, tenues quoque inſpirantes ſenſus, & occultum afflantes virtutum vigorem.* Fateor, Angelos non dedignari ſuis afferre laudabilem animæ lætitiam : curant enim etiam, ut juſtus gaudio nonnunquam foveatur, ad roborandam ſic fragilitatem, quam patitur in vita mortali. Non tamen hæc ſpiritibus Angelicis præcipua cura : ſatagunt ſollicitiùs in tribulationibus adeſſe ; quàm gaudiorum, quæ ſunt honeſta, ſocii fieri. Voluptati ſodales non deerunt homines ; afflictos angit ſolitudo. Cumque velint ipſi clariùs manifeſtum reddere quantùm ſuperexcedant amicorum affectiones humanas ; aliquando remittunt hominibus quæ lætitiam attinent ; ſibique ſervant adeſſe nobis in preſſuris.

S. Nil. ep 1. longe poſt princ.

Surrexerat è tumulo Reparator generis humani. Piæ mulieres adventantes introïere monumentum ; & Angelum viderunt juvenili ſpecie : quibus ille Dominicam reſurrectionem teſtatus eſt ; & ſepulturæ locum oſtendit ; aitque : *Sed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro*, &c. Si tanta de Petro fuit Angelo ſollicitudo, quòd ipſum peculiariter nominavit ; cur non potiùs ille vadit, ut Apoſtolo nuntiet ſurrexiſſe Magiſtrum ? neſciebat, ipſas timore conſternatas nemini quidquam dicturas ? Sic Marcus habet : *Nemini quidquam dixerunt : timebant enim.* Ubi Victor Antiochenus : *Cum ab Angelo audiſſent* : Ite, & annuntiate diſcipulis ejus, & Petro, *ſtatim fugerunt, neque quicquam omnino ex iis, quæ in mandatis acceperant, cæteris patefecerunt* : &c. Deſcendamus nunc ad Petri carcerem. Potuit Angelus animos adjicere fidelibus aliquot, quò fractis Angelicâ virtute foribus, introïrent carcerem, &, adhibitis inſtrumentis, ejus vincula rumperent, ac educerent illum de cuſtodiâ. Noluit eductionem Petri committere hominibus. Cur per ſeipſum iſta perficit ? antea verò, cùm nuntianda fuerant Apoſtolorum Principi læta, vel idem, vel alter Angelus hoc fœminis mandat : quarum fragilitas muliebris nihil ſtrenuitatem præ ſe ferens pollicebatur ? Diſparitas eſt manifeſta. Cùm renuntiandum fuerat, quod exhilararet Apoſtolum ; ſi Petrum quæreret Angelus, amicum ſe præſtaret in proſperis : id minus dilectionis teſtimonium eſt. At verò dum in carcere poſitus erat Apoſtolorum Princeps, eum adire probavit clariùs amorem cœleſtis aulici. Tunc tunc adeſt ille nihil recuſans. S. Macarius : *Quando Petrum apprehenderunt, & conjecerunt in carcerem : quem clauſum ingreſſus fregit vincula ejus, & eduxit eum* : &c. Animadverte ſedulitatem, quam deſcribit Lorinus in hæc verba : *Non*, inquit, *verebatur Angelus anguſtias temporis, & moræ periculum : cohortatione ad agendi celeritatem, & deſiderium liberationis declaravit, & ſopitum expergefacere, magiſque expeditum reddere voluit.* Ecce qualitet mortalium dilectio ſanctos movet Angelos, ut rebus auxilientur adverſis.

31.

Marc. 16. 7.

Ib. n. 8.

Vict. Antiochen. in com. ib.

S. Macar. hom. 7. de clemen. chriſ. poſt med.

Lorin. in Actor. 12.

Multâ fortitudine pollent illi, qua nobis miſeris auxilio ſint. Aſt ampliùs de charitate, qua nos proſequuntur ; quàm de poteſtate ſuâ gloriantur. Non mediocris illorum affectus eſt : ſumma tenet.

32. *Major Angelis gloria quòd amorem erga nos oſten-*

dant, quàm poteſtatem in liberandis nobis.
S. Thom. à Villa no. ter. de Michaë poſt med. §. Sed jam.

Audi S. Thomam à Villa nova. *Sunt*, ait, *quippe Angeli nobis natura amiciſſimi, ardentiſſimoque deſiderio bonum noſtrum deſiderant*: &c. Hoc palam facere nobis cupiunt indiciis quotidianis: excellentiam ſuam velut obliti, de qua plura Michaël Syncellus, quæ non longus tranſcribam; ſed vel quædam tibi negare fas non eſt. *O vos*, ait, *quoque reliqui omnes Archangeli, Angelique, cœleſtis populus.... celſitas imperſcrutabilis: Magnitudo incomprehenſa; chorus incomparabilis: ſcientia imperveſtigabilis; lætitia inenarrabilis; conventus omnem admirationem vincens; turba nullis definita terminis; agilitas ventis ſimilis, ordo infinitis partibus multiplex, celeritas omni major pernicitate; ſubſtantia incircumſcripta; gloria, quam nullus cogitatu aſſequi poſſit; virtus major virtute; univerſorum Regis miniſtri*; &c. Audis quanta de SS. Angelis proferuntur encomia? Non tantî faciunt illi præcellentiam ſuam, quod non pluris æſtiment haberi terrigenarum dilectores. Probè norunt quantùm nos diligat Monarcha ſupremus: & quia mos urbanorum eſt circa illos affici, quos rex diligit; ii ſanctè morem iſtum referentes, cum ſciant, homines ardentiſſimè Deo dilectos, ut ei placeant, nos amare perhibent: nequaquam gloriam ſolùm capere volentes ab eo quòd poteſtatem ſuam faciant manifeſtam. Potentes in Adamidum bonum ſemetipſos oſtendunt: at ulteriùs optant ſe patefacere diligentes. Major Angelis eſt gloriatio quòd pateat homini quantùm diligant: minor in eorum æſtimatione decus quòd homo cernat quantûm poſſint.

Michaël. Syncell. or. de SS Angelis. longe ante fi.

33. Miſerat Nabuchodonoſor tres Hebræos in fornacem, quia ſtatuæ cultum offerre debitum Deo recuſaverint. Adfuit Angelus: *& excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem*, &c. Exiſtimaret, quis fortaſſis, Angelum ſtatim atque perfecit munus iſtud, exhinc diſceſſurum. Non ita credas. Aliud ex ipſo Textu colliges apertè: nam poſtquam Hebræi reſolverunt in Dei laudes ora ſua, multa dicentes, vidit rex adhuc Angelum in fornace moras trahentem. *Ecce ego video quattuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* S. Hieronymus: *Speciem*, inquit, *autem quarti, quem ſimilem dicit filio Dei, vel Angelum debemus accipere, ut Septuaginta tranſtulerunt: vel* &c. Interrogarem: Quid agis hîc Angele Dei, poſtquam flammam excuſſiſti? quid moraris? cur non vel in cœleſtia remeas; vel ad alia peragenda recedis? Ad prophetam Danielem venit poſthac Angelus: alleviavitque verbo ſollicitudinem viri deſideriorum: ſed adhuc loquebatur ad eum, cum jam de reverſione cogitabat. *Et ait: Numquid ſcis quare venerim ad te? & nunc revertar ut prælier adverſum principem Perſarum.* Commentatur doctiſſimus interpres Maldonatus: *Quaſi dicat, non veni huc niſi ut tibi quæ futura ſunt interpretarer, ſatis enim quod agerem apud regem Perſarum habebam, relictoque adhuc infecto maximo negotio, tua de cauſa huc veni, ac ſtatim illuc ad prælium rediturus ſum*: &c. Notaſti, qualiter feſtinabat Angelus? Vel idem fuerit ſpiritus, vel alter qui fornacem petiit, non potui non examinare cur in ea moroſus permanſerit; & poſtea Danieli de reverſione ſuâ feſtinus eloquebatur? Reſpondeo. Daniel ſecundo loco neutiquam poſitus erat in externâ tribulatione; pueri verò flammæ traditi fuerunt, quamvis haud nocuerit eis. Poteſtatem ſuam fecerat Angelus manifeſtam in eo, quòd repreſſerit potenter ignem. Non contentus eâ gloriâ, quæ de potentiæ magnitudine veniebat; voluit amorem erga pueros Iſraëlitas propalare, permanens in fornace cum eis, & in igne. Tempeſtivè Carthuſianus de Angelo dixit: *Non ita excuſſit flammam ignis de fornace, quod in fornace ignis non manſerit, cum infra in iſto dicatur capitulo*: Ecce ego video quattuor ambulantes in medio ignis: *ſed partem ignis ejecit.* En firmatur ulteriùs quod ante dixeram. Potuit Angelus totum ignem tollere: majoremque potentiam oſtentaret; elegit magis aliquem ignem ibi relinquere, quò dilectio pateret ejus: utpote qui non deſerebat juſtos; imo cum illis aderat in flamma ſimul ambulans. Ecce qualiter glorioſius Angelis eſt amorem erga nos indicare; quàm robur in eruendis nobis patefacere.

Danie. 3. 49. 50.

Ib. n. 92.

S. Hieron. to. 6. com. in Danie. 3.

Ib. c. 10. 20.

Maldon. in com. ib.

Dion Carth. com. in Danie. 3. art. 4. in princ.

Jam, ſi charitatem Angelicam conferamus humanæ; citò perſpicuum conſiderantibus erit quantùm illa præcedat. Certum eſt, amicitiam veram non dividi morte: non enim vitam agit immortalis anima, quæ ſedes amoris eſt. Lucas Tudenſis: *De hac vera amicitia, quæ adverſitate non ſcinditur, nec etiam morte dividitur, eo quod immortalis eſſe probatur, in Eccleſiaſtico dicitur*: Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: &c. Amicitias humanas (etſi feliciter inveneris unam, quæſitam Philoſophi lucernâ) non tam permanentes deprehendes, quòd perdurent ultra ſepulchrum: ſtatim atque deponitur amici cadaver in monumento, jam diſcedunt fidentiores: quod præſertim verum habet, ſi vita functus erat infimæ ſortis. Non ita diligunt Angeli; ſed poſt fata præſtant munus amicorum fideliter. S. Vincentius Ferrarienſis: *Angelus*, inquit, *divinitus miſſus præcedit exitum propter dæmones advenientes, & aſcendentem cuſtodit inter aëreas poteſtates, & tandem ſecurè introducit in cœlum.* Ecce poſt obitum fidelitas Angelorum. Nec ibi veniat in mentem, hoc ſolis præſtari magnatibus: quinimo crede, ſollicitiùs Angelos adeſſe poſt mortem iis, qui deſpecti fuerant cum vita maneret. Non ipſi judicant abjectos quos Deus amat; nec eoſdem contemnunt uſu vivendi jam deſtitutos; cum agnoſcant, eos Domino ſuo vivere. Propterea, quantumlibet ſpreti fuerint ab hominibus; non ideo beati Spiritus Angelici denegant eis amicitiæ veracis officia poſt exitum.

34. *Angeli exhibent ſollicitiùs amicorum officia iis, qui abjecti fuerant dum viverent; quam potentibus.*
Luc. Tuden. epiſc. l. 1. adverſ. Albig. err. c. 17. longe poſt med. §. De hujuſmodi.

S. Vincent. Ferrar. ſer. de S. Michële. juxta fi.

Mortuus eſt Moyſes: & illum ſepulturæ tradiderunt Angeli: Nam quamvis legamus à Domino ſepultum: *Et ſepelivit eum*

35.

Deuteron. 34. 6. *eum in valle* &c. ſic expoſuit Cornelius Alapide : *Deus ſepelivit eum miniſterio Angelorum*, &c. Aliter habuerunt ſe cum Lazaro : non illum tradiderunt ſepulchro ; ſed animam ejus detulerunt in requiem.

Cornel. Alap. in com. ib.

Luc. 16 22. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* An Moyſes Deo non acceptiſſimus erat ? Ita. Quare nequaquam ſpiritum ejus detulerunt in eamdem requiem, comites illius facti poſt fatum ? ſat ipſorum dilectioni fuit ejus corpus demortuum ſepelire ! Potentiſſimus fuerat Moyſes gubernator populi Dei : noluerunt Angeli, quòd cenſeret aliquis, propter hanc majeſtatem eos poſt vitæ clauſam periodum honorem prædictum ipſi contuliſſe. Judicavere ſatis, ut præſtarent ei quod erga defunctos operari ſolitant amici mortales, hoc eſt, cadaver mandare tumulo. Perrexeruut ultra citra Lazarum, de mendicitate coram hominibus abjectum dum viveret : amicitiæ munus præſtitere poſt obitum ; ferentes ejus animam in ſinum Patriarchæ. Vide qualis extet amor Angelorum erga juſtos à mortalibus deſpectos. Charitas hominum ex majori parte non egreditur ultra ſepulturam ; & utinam frequenter perveniſſet ad funus. Angelorum dilectio prætergreditur humanam.

36. *Non videtur homo qui lucrum ſpernit dum præſtat auxilium.*

Tandem beatorum Spirituum commendemus amorem, ex eo, quòd minimè propter ſola commoda propria nos diligant ; ſicut identidem in hominibus experimur. Angeli ſanè domini ſunt noſtri : noſque dilectione proſequuntur ; quia Creatorem habemus communem, diligentem noſipſos. Fruere D. Bernardo.

S. Bernard. ſer. 1. de S. Michaële. juxta med. *Nos*, inquit, *vero, ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis : catelli, inquam, cupientes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa dominorum noſtrorum, qui eſtis vos.* Perperam intelligentes majori ex parte mortales illud, quod ſæpius audiunt, & libenter : ſcilicet quòd charitas bene ordinata incipit à ſeipſa, non ſola ſumunt initia ſibi dilectionis : imo totam quantam charitatem in alios exercent, vertunt in ſemetipſos. Multos alieno putas affectu ferventes, qui tepidiſſimi ſunt erga proximos, & cum aliorum proventus curare cernis eos, latenter utilitatem propriam ſatagunt. Non hic purus amor proximi ; ſed philautiâ perturbatus. Qui ſic tantùm diligit amicum, ſui convincitur amicior, quàm alterius : ac denique proprius amor prævalet in ejus pectore ; totumque rapit hominem ad ſe. Frequentiſſima conſuetudo filiorum Adam hæc eſt, jam nulli mira : tam ferò cunctis inviſcerata, quod homo non videbitur eſſe qui ſe geſſerit aliter : niſi ſuam utilitatem ſectari videas, hominem haud credes. Econtrariò puritas Angelicæ naturæ manifeſtatur in eo, quòd proprias commoditates deſpiciant ; & lucra minimè quærentes, auxilium præbeant hominibus. Humanum dices, eum, qui dum tibi vult auxiliari, proventum non ſpernit : Angelum autem intelliges illum, qui nihil inde cupit elucrari.

Tobiam juniorem deſtinavit ejus parens, ut pecunias genitori debitas recuperaret. Advocatur hujus monitu Raphaël Angelus : putatus ab eis homo, qui duceret gnatum, & reduceret : Dixit pater ad ignotum cœleſtis Curiæ civem : *Cum redieris, reſtituam tibi mercedem tuam.* Rogavit ſenior, de qua domo, vel tribu foret oriundus ? Reſpondit Angelus : *Genus quæris mercenarii, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat ?* Multam admirabar Angeli prudentiam. Non dedignatur audire quòd merces ei dabitur ? & inſuper bis ore profert mercenarii nomen ? Indigna videtur iſta vox ab Angelicâ nobilitate : præſertim ſi perpendamus quod in Græcis codicibus legitur à Tobia prolatum. *Dicite mihi, quam tibi ero mercedem daturus ? Drachmam die, & neceſſaria tibi, ſicut & filio meo, & adhuc adjiciam tibi ſupra mercedem, ſi ſani reverteritis ; & bene ſenſerunt ſic.* Quare non Angelus quin ſeipſum Spiritum eſſe patefaciat obtulit gratuitum præſtare miniſterium ? Puto quia Raphaël hominis agebat perſonam : & non videretur homo, ſi cum adjutorium præbebat, lucrum deſpiceret. Firmatur cogitatio hæc ex eo, quòd poſtea, cum ſe Raphaël aperuit Angelum Dei, tunc oblata munera recuſavit, non reſpondens ad oblationem ſibi factam. *Rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occultè : Benedicite Deum cœli*, &c. Ubi M. Celada : Tunc, *id eſt, poſtquam audivit, ſe ab utroque Tobia largius muneratum.* Vidit Angelus adeſſe tempus, quô juſtis illis notum faceret, ſe non hominem ; ſed Empyrei militem extare. Quonam clariùs argumento probaret, ſe veraciter Angelum ; niſi gratuitum declarans amorem erga Tobiam ; cui tot præſtitit beneficia ? Vel unus, vel nemo reperitur inter mortales, qui gratiosè munus agat amici, ſpreto munere cuncto ; *Amici verò divitum* (hoc eſt juſtorum) *multi* ſunt Angeli Dei.

37. Tob. 5. 14. Ib. n. 17. Lect. Græc. Tobi. 12. 5. 6. M. Celad. in com. lit. c. 12. 6.

DELIBATIO IV.

Deſpectus à filiis doloroſus. Gaudium ditis de contemptu pauperis. Qui pauperem præterit, Deum orat ? Amici vocantur ad ſcelus. Non ad numerum æſtimandi ; ſed ad pondus.

ET *iam proximo ſuo.* Quamvis parabola non exprimat filios, quibus aliqui parentes de paupertate ſunt odioſi ; tamen proh dolor ! experientiâ conſtat, necnon & genitis ingratum eſſe frequenter inopem genitorem alere. Frigida nimis charitas naturam ſic obliviſcitur, ut etiam ſuos parentes, qui ardenter amant, geniti plures vix diligant. Apud Petrarcham, gaudio ſibi plaudenti ſic : *Filios genui.* reſpondet ratio poſt alia : *Diſces amare plus alium quam te, diſces ardentiſſimè diligere, tepidiſſimè diligi, duras artes.* Et inſuper,

38. *Quantùm doleat pater inops à filiis deſpici.*

Petrar. de reme. proſp. fort. dial. 70.

cum amoris defectus contemptum pauperis perſuadeat ; genitor inops, ab ipſo quem genuit, non ſemel deſpicitur. Ingratitudo quidem exoſa Deo & hominibus hæc eſt ; ſicut econversò gratiſſima Domino filialis affectio. Apud Bleſenſem Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus : *Quam grata, quam favorabilis, quam ſuavis, quam amabilis, quam Deo accepta ſit erga parentes affectio filialis ; quam verò execrabilis & damnata* (alia lectio habet : *Damnabilis*) *atque pœnalibus exterminanda ſuppliciis irreverentia in parentes, multis docemur exemplis.* Infelix paupertas ita proturbat homines, ut etiam eorum, quos procreavit, reverentiam tollat. Id egenis parentibus duriſſimum eſt. Dolent illi plurimum, ſi filios amittunt ; ſed fortiùs cruciantur, ſi paterna pietas per contemptum violatur. Filium duriùs amittit pater cum experitur irreverenter ab eo ſe tractari : nam ſic filium ſuum ipſe gnatus denegat. Rurſus idem Richardus præcitatus : *Porro mihi videtur denegare filius, cujus voluntas à paterna voluntate diſſentit.* Quid erit cum patrem debitè colere temnit ?

Apud Bleſ. Richar. Archiop. ep. 47.

Idem ib.

39. Job. 19. 17.

Tribulationum ſuarum doloroſus enarrator Job inter alia, dixit : *Orabam filios uteri mei.* Habet hic Græcus : *Advocabam autem adulando filios concubinarum mearum.* Titelmanus ad hunc locum, nixus verbis Jobi, tamquam probabilem ſolutionem ſequentem proponit, interrogationi quæ jam emergit inde : ſcilicet quomodo loquatur ita Jobus, cum dæmon occiderit ejus natos ? *Ex*, inquit, *editione Græca alia habetur ſolutio difficultatis, dicendo, per filios uteri intelligere Job filios, quos ex concubinis genuerat, quas præter unam præcipuam uxorem habuiſſe credi poteſt, juxta Patriarcharum conſuetudinem, qui ex conſenſu uxorum principalium concubinas habebant, quibus conjungebantur.* Hoc præſuppoſito dubitabam, quare non omnes Jobi filios diabolus necaverit ? Facilis eſt ſolutio. Conjectabatur malignus, aliquos à Jobo natos, cum viderint parentem redactum ad egeſtatem, reverentiam debitam ei denegaturos, ita quòd genitor miſer cogeretur, authoritate paternâ poſtpoſitâ, filios orare. Lacrymabile foret, ſi perirent etiam iſti Jobo progeniti : ſed adhuc acerbius, quod ſuperſtites manſiſſent, ut patrem contemnerent. Eximius eſt amor parentum ; & vulgò notum qualiter amantem excruciet ab amato deſpici. Quid non miſeriæ comitabitur infelicem penuriam ?

Lect. Græc. ib.

Titelman. ib

40. *Gaudent aliqui divites, cum pauper adverſatur pauperi.*

Pauper. Notabis, numero ſingulari dici pauperem ; cum ſit adeo frequens inopum turma. Fortè ſic elocutus eſt, Spiritu ſancto dictante, quò nobis inſinuaretur, necnon & pauperes quoſdam ſingulariter degere diviſos : nec enim ſunt immunes ab invidia, ſimilibuſque vitiis egeni. *Criminoſior*, ait Salvianus, *quippe eſt luxurioſa paupertas ; & majoris invidiæ, miſer nugax.* Putares à tumore prorſus expertem illum, cujus ventrem fames debilitat : ſed, cum ſuperbia vento comparetur, non mirum, quòd vacuo recondatur ſtomacho. Rem ſatis intolerabilem ! Appoſitè Cornelius Janſenius de Siracide : *Tribus*, inquit, *ſpeciebus ſibi gratis, opponit tres alias ſibi ingratas, tria ſcilicet hominum genera, quæ pugnant cum natura ſuæ conditionis, & committunt quod eis omnium minime convenit, ideoque minimè tolerari poſſunt. Quorum primum eſt, pauper ſuperbus. Non enim, ut dives, habet unde efferatur, ſed ſuæ conditionis ratione meritò ſe deprimere deberet.* Utinam hoc elationis vitium non irrepſiſſet in cœtus eorum, qui Deo jurati ſunt pauperes : quorum profeſſio, veſtiſque ſuadet humilitatem, atque pauperiem ; & forſan intus apud aliquos tumor latet. Hoc jam ſuis temporibus lamentabatur D. Bernardus, inquiens : *Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis. Væ, inquam, ſemel, & væ iterum portantibus crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum, qui nimirum cujus paſſionibus participantur, humilitatem ſectari negligunt.* His omiſſis, qui difficulter medicinam ſuſcipiunt, ad alios tranſeamus pauperes & ſuperbos : qui morem gerere cupientes diviti, contra pauperes tyranno, miſerum alterum oppugnant. Gaudet opulentus, lenocinatur inops, adverſarium ſe præbens indigenti.

Janſen. in Eccli. 25. 3 4.

S. Bernard. in apolog. longe poſt pr.

Expendere juvat quoddam Salomonis effatum notatione digniſſimum. *Vir pauper*, inquit, *calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames.* Præmittenda quædam hujus interpretatio loci : quam ex docto commentatore, ſuppreſſo nomine refert Cornelius Alapide, dicens : *Doctus interpres cenſet hâc gnome ſignificari, divites ſæpe injurios eſſe pauperibus, ideoque pauperes, ut ſe tueantur, inter ſe conſpirare debere. Si enim ſe invicem vexent, omnes res ſuas peſſundabunt, atque ad ſummam famem redigentur.* Multoties tamen inopes adeo diſtant ab eo quòd in unum conſpirent, ut potiùs lites & calumnias excitent inter ſe ; quo diviti placeat unuſquiſque ſuo, quem reveretur. Hoc poſito, quod experientia docet, hærebam in quærendâ proportione ſimilitudinis, quâ Salomon utitur prænotatis verbis. In quo ſimilem dicemus virum egenum calumniantem pauperes imbri, quo paratur fames ? Proferam quod occurrit meditanti. Dum importunus imber deſcendit frugibus nocens, pauperibus fit anguſtia, qui venturam reformidant panis inopiam ; dives autem voluptatem capit : propterea quod caritatis tempore reſerabit horrea ſua, carò venditurus frumenta : gaudet opulentus ; lugent pauperes. Haud aliter contingit ſæpe, cum per calumniam ſurgit pauper in pauperem. Exultat utrique nimiùm contrarius dives : angitur inops ; cujus quippe tam cunctis eſt pervia malis conditio, quòd *etiam proximo ſuo* ſimiliter egeno *pauper odioſus erit* : &c.

41. Prover. 28 3.

Quidam apud Alap. ib.

Salvian. Maſſilien l. 7. de guber. Dei poſt pr.

Odioſus erit. Inter illos, qui nomen Chriſtianum profitentur, ordinariè loquendo non multi ſunt, qui proſequantur odio poſitivo pauperes purè, quia ſunt indigi : timent enim etiam dediti ſæculo ſupplicium Dei, ſi miſeros oderint. Quia tamen hoc loco juxta Cornelium Alapide

42. *Qua fronte Deum roga turus qui pauperem deſpicit ?*

de citatum in commentario ſermo ſit de odio negativo, id eſt, minore dilectione, deſpectu, faſtidio, paucos exiſtimo penitus exortes ab hoc odio: cum videam, ad præſentiam pauperis, quamvis non ulceroſi, multos faciem vertere; quin & ad illum contemptibiliter loqui: necnon longè plurimos charitate circa pauperem frigeſcere. Imprudentiſſimum eſt in illo miſerorum odio ſuperbiæ genus; ne dicam impudentiſſimum: nam quotidiè ſæpius Altiſſimum precamur, ut miſereatur noſtri. Quâ fronte miſericordiam ſibi poſtulat is, qui nemini miſeretur? miſerationem parvulam denegat indigentibus; & magnam ſibi flagitat? S. Joannes Chryſoſtomus: *Quomodo verò dices: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam? cum ſecundum ejus miſericordiam ipſe non miſerearis, forte verò neque ſecundum parvam.* Impudentiam dixi, cum Dei clementiam implorat injurioſus in pauperem: quia Dominum lædit quiſquis humilem affligit. S. Odo: *Deus in afflictione humilium laceratur.* Et audes eodem vultu, quo deſpexiſti pauperem, ideoque laceraſti Factorem ejus, coram ipſo comparere, miſerationem poſtulaturus. Vix credibile, quòd inopem durus præteribit qui ſupplex accedit, ut preces fundat apud communem Dominum. Cum terga Deo ſtatim vertis, jam non admirabor, quòd aversâ facie pauperem obvium non dedigneris aſpicere, nedum ſtipe fovere: ſed cum ingrederis ad atria Domini, mirum quid erit, ſi miſero non faveas.

S. Joan. Chryſoſt to. 5. hom. 37 ad pop.

S. Odo. l 3. collat. n 26.

43. In primordiis Eccleſiæ, cum adhuc populus multum claudicaret; vir quidam, *qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.* Non fruſtra dictum putabo, potiùs ab ingredientibus poſtulaturum, quàm ab exeuntibus. An magis tempeſtivè non poſtularet opem ab illis, qui jam per orationis fervorem ad pietatem commoti prodirent? nonne confidentiùs expectare poſſet ut ipſi faverent poſt interpoſitas coram Deo preces, ad ſollicitandum hac viâ proſperum in rogatis eventum? Forſan exiſtimavit, faciliùs ab intrantibus obtenturum, quòd miſerentur ejus; ne, ſi præterirent eum ſuperbè, confidentiam deprecandi Dominum vel amitterent, vel minuerent. In exeuntibus non tantam ſpem collocabat; quia ſupplicatione factâ ceſſabat ratio prædicta. Notavit Chryſoſtomus quare ſoleant ad Eccleſiarum januas inopes adeſſe miſerrimi, noſtræ cogitatiunculæ non parùm favens. *Ad veras autem*, inquit, *Regias, Eccleſiam dico, & oratorias ædes, & martyrum templa, dæmonibus preſſi, truncati, pauperes, ſenes, cæci, membra præferentes obtorta. Quid hoc tandem? Ut tu docearis ex hoc ſpectaculo, primùm ut ſi quem faſtum extrinſecus trahens ingreſſus es, in illos reſpiciens, tumore depoſito, & contrito corde, ſic ingrediaris, & quæ dicuntur audias. Non enim poteſt cum ſuperbiâ orans audiri*: &c. Quid igitur ô deauratum fortunæ mancipium, cum ad templa Domini progrederis, ibi pede ſimul & januas, & ibi jacentem pauperem tumidus conculcas? Odiſſe te miſellum negas. Fateor quod odio poſitivo non proſequaris eum, qui nihil nocuit: negabis quod minus diligas, contemnas, & nauſeâ plenus pertranſeas? Siccine tibi frater Salvatoris *odioſus erit?*

Actor. 3. 2.

Chryſoſt. to. 1. hom. 28. ad pop.

44. *Amici vero divitum.* Superiùs notabam, non ſolitam reperiri charitatem apud cupidos: nam ſibi ſolis vivunt iſti. Sed adhuc ſolent amicorum figuras adnectere ſibi; præſertim cum volunt eos ad nocendum pauperi ſodales. O concordiam execrabilem; quæ prudens optares ut in diſcordiam verteretur. Aptè S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Concordiam malorum contrariam eſſe bonorum. Et ſicut optandum eſt ut boni pacem habeant cum invicem: ſic optandum eſt, ut mali invicem ſint diſcordes.* Dives equidem non multum divitiis debet ſuis, in eo quòd reperiat facillimè conſortes ad perpetranda ſcelera: nam proni ſunt homines, ut amico ſocientur in delictis: imo putant amicitiæ lege ſanctum, quòd amico faveas, cum ad crimina tuum poſtulat juvamen. S. Aëlredus: *Sunt namque quidam, qui contra fidem, contra honeſtatem, contra commune bonum vel privatum, favendum putant amico. Quidam ſolam fidem detrahendam judicant, cætera non cavenda.* O barbaram legem ſæculi! Nequaquam dignus eſt amici nomine, qui nocumentum infert ei, cujus fruitur conſortio. Alienum igitur à ratione recta prorſus eſt, ut amica præſtare dicatur officia quiſquis adjutorem exhibet ſe pro complendis factis iniquis. At cum oppoſitum ſancitum ſit conſuetudine mundiali; contingit ut amicos advocet opulentus, dum perperam vult operari; fortè non convocaſſet eoſdem, tempore quo daturus eſſet executioni quod juſtum.

Amicos vocant aliquà dum volunt operari malè, non vocaturi cum agunt bona.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. ſentent. c. 31.

S. Aëlred. l. 2. de ſpirit. amic. ante med.

45. Nota cunctis eſt fraus Laban, qua, debens tradere Jacobo Rachelem, ſubdolus introduxit Liam. Ut nonnihil de hiſtoria Geneſis expendam, præſupponendum eſt, celebratum fuiſſe matrimonium inter Jacob & Rachelem in principio ſervitutis annorum ſeptem. Pererius: *Nimirum*, inquit, *in principio ſeptennis ſervitutis Jacob, confectum eſt matrimonium inter Jacob & Rachelem, quantum ad ſubſtantiam; & ex eo tempore ratum matrimonium, & Rachel vera ejus uxor: & exacto ſeptennio perfectum eſt matrimonium quantum ad conſummationem ejus per copulam carnalem. Hoc enim petiit Jacob à ſocero ſuo Laban, finito ſeptennio ſervitutis, dicens*: Da mihi uxorem meam: &c. Et ſic eſt veroſimile, quod eâ tempeſtate, qua fuit initum iſtud matrimonium, Labanum feciſſe notam ſuis amicis nuptialem conventionem factam cum genero: minimè tamen tunc vocavit eos ad convivium. Tranſacto tempore, cùm fraudulentus tradidit Jacobo Liam, tunc legimus: *Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. Et veſpere Liam fi-*

Perer. ad c. 29. Geneſ. v. 22. diſp. 3. n. 20.

Geneſ. 29. 22. 23.

liam ſuam introduxit ad eum. Inſerviit Jacob amore ſuadente novum ſeptennium : tandemque potitus fuit optatis nuptiis ; non tamen legitur, ad iſtas fuiſſe convocatos animos Labani. Quid eſt hoc ? an minora gaudia meruit filia minor ? Nequaquam : ſed hominum conſuetudo vituperabilis eſt, præſertim divitibus, ut amicorum turbas adſciſcant, cum volunt iniquum aliquid exequi ; non autem dum bonum deliberant operari. Injuſtè Laban agebat cum genero, fraudulenter ei tradens Liam : cum autem demum Rachelem donavit, juſtitiæ ſatisfecit. Eo tempore congreſſum junxit amicorum, quo præſtavit quod injuſtum erat. Bene dicuntur hi tales non ſimpliciter amici ; ſed amicorum turbæ : qui, ſi, prout ſuſpicor, fraudem noverant, eam præſentiâ ſuâ celebrarunt. Ecce quàm pervium eſt opulento ſocios ad malum nanciſci.

46. *Amici non ad numerum æſtimandi ; ſed ad pondus.*

Multi. Non poſſum non rurſus multitudinem amicorum, quos vir divitiis placens enumerat cogitabundus admirari. Rei quippe tam raræ pluralitas admodum ſuſpecta ſit neceſſum eſt. A longe volantes aſpicis aves, ubi nidificant aquilæ ; ſi tamen illas turmatim volare conſpicias, non aquilas credis, quia non ſolent adeo paſſim reperiri ; ſed potiùs corvos. Tu ſimiliter ; ſi ſapis de multitudine cenſebis amicorum : nec tibi facilè confingas pene miraculo contigiſſe, quòd, cum alii vix unum ſortiantur amatorem, tu propter dotes naturæ, vel fortunæ bona tot congregaveris. Abundantiam jure mirabitur Petrarcha rei ſingulariſſimæ. *Mirum*, ait ille, *tibi uni rei hujus abundantiam eſſe, cujus quidem cunctis hominibus penuria tanta ſit, ut ex omnibus ſæculis vix pauciſſima memorentur amicorum paria.* Æſtimanda ſunt lentè quæ probant amici fidelitatem : nihil faciliùs lingua mentitur : nec in verbis radicem jacit vera charitas ; & ſi credis oppoſitum, dicam, tuas amicitias in articulato aëre vanas poſuiſſe radices : quid enim ſunt verba, niſi merus aër ad ſignificandum compoſitus ? *Amicitia enim*, ait S. Antonius, *in corde radicatur, ore revelatur, ſed opere comprobatur.* Verus amicotum appretiator non cunctos numeret amicos illos quos videt ſuis foribus aſſidentes. Amici non de multitudine cenſendi veniunt ; ſed ex valore : non ad numerum æſtimandi ſunt ; ſed ad pondus.

Petrar de reme. pro ſp. fort dial. 50. in princ.

S Anton. Ulyſſip ſer. ſ.r. 6 in capite jejunii § *Diligite* &c.

47. Eccli. 6. 15.

Denuo doctrinam à Siracide libenter auſcultemus. *Amico*, inquit, *fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Cornelius Alapide in hunc locum exponens lectionem Græcam, ſic habet : *Q. d. Non ſatis poteſt ponderari aut æſtimari pulchritudo, id eſt decus, bonitas & pretium veri amici.* Semel quòd Salomon auro & argento fidum contrapoſuit amicum, aliquam analogiam invenit in extremo comparationis utroque. Quo fundamento præjacto, notandum ; ſuppoſitâ lectione Græcâ, quæ non parum explicat hîc Vulgatam, ſermonem fieri præcitatis verbis de auro & argento redactis ad nummos. Confirmatur hoc non leviter lectione Syriacâ : *Amico fideli non eſt pretium.* Adverte, pretium, ſi propriè loquamur ſecundum tam Juriſtarum, quàm Theologorum phraſim, in pecuniis conſiſtere. Signum hujus eſt, quod ſi vas aureum quoddam pro altero æquali diſtrahatur ; contractus iſte permutatio dicitur ; non autem venditio nominatur, utpote quæ reſpicit pretium ; quod non invenitur ubi pecunia non intercedit. Hoc poſito notabam in textu prædicto, Salomonem uſum non fuiſſe nomine computationis ; ſed adhibuiſſe vocem, *Ponderatio.* Emphaſim in modo loquendi conjicio dignam ingenio Salomonis. Monetæ duplici modo ſolent æſtimari : vel numerando illarum ſummam, vel eaſdem ponderando. Non ad numerum æſtimandus eſt amicorum cumulus ; ne fraudem patiaris, illos veluti nummos appretia ſolerter ad pondus. Fallor niſi cogitatum ſuboluit Janſenius ad citatum locum : *Reſpicitur enim ad hoc, quod in ſtateræ libris unum alteri componitur, & adæquatur.* Quid intereſt multas numerare pecunias, dato quòd fortè ſint adulterinæ per imminutionem occultè factam à tonſore monetarum ? quid refert amicorum copias aggerare ; ſi ad ſtateram experientiæ nullum examinaſti ! Rari ſunt ii, quorum juſtus valor ; & cenſes quod à te poſſideanrur *multi* ?

Lect. Syria. ib.

Leſſ. l. 2. de juſt c. 21. dub. 1. §. Pretium

Janſen in Prov. 14. 20.

Sequentes verſiculos uſque ad 25. liceat omittere ; quia materia, quam ſuppeditant obviam, vel in duobus præcedentibus tomis tractatur ſatis, vel infra perpendetur. De jam expoſitis dicam cum Brunone Aſtenſi : *Superius expoſitum eſt : facilius eſt autem illuc reverti, quam iterum eadem replicare.* De dicendis verò adjiciam illud Auguſtini : *Melius eſt ſervare reliquias, quam onerare corda nimio cibo.*

S. Brun. Aſt. com. in Exod. c. 11.

S Aug. to 9. trac. 6. in 1. Joann. fi.

FLOS XXXI.

In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes.

APERITUR.

1. PRIMA pars hujus proverbii dupliciter exponi poteſt primò activè, id eſt, fortitudo, ſi vera ſit, non confidit in ſeipſa, ſed in timore Domini : ſperavi, ſe prævalere poſſe auxilio Dei, cujus offenſa cavetur. Secundò paſſivè, id eſt, per timorem confidet homo ſe fortem fore. Utrumque probabile. In ſecundum magis inclinat Janſenius ; & eumdem ſenſum videtur amplecti Cornelius Alapide. Rodolphus autem ſtat pro primo. Alii non exprimunt quem ſenſum eligant : & magis hoc tacuit Salazar : qui vult, exiguam, aut nullam diſparitatem eſſe utriuſque ſenſus. Secundus magis placet : juxta quem ſententiæ veritas deducitur ex Auguſtino, qui ait : *Ille*

Ianſen Alap. & Rodolph. in Prov. 14. 26.

Salaz. ib.

S Aug. to. 8. enarr 2. in

Pſal. 32. *Ille enim fortis eſt, qui non in ſe, ſed in Deo fortis eſt.*

2. Adnotavit Cornelius Alapide, ſub nomine timoris hîc intelligi præter alia dilectionem Dei. Cum ita ſit, facit huc S. Aug. to. 1. l. de mor. Eccle. c. 22. Auguſtinus iterum audiendus: *De fortitudine verò*, inquit, *non multa dicenda ſunt. Amor namque ille, de quo loquimur, quem tota ſanctitate inflammatum eſſe oportet in Deum, in non appetendis iſtis temperans, in amittendis fortis vocatur.* Amoris hujus, quo Deus enixè diligitur, robur adhuc ex Auguſtino commendemus. Idem ib. *Nihil eſt*, inquit ille, *tamen tam durum atque ferreum, quòd non amoris igne vincatur. Quo cum ſe anima rapiet in Deum, ſuper omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur.* Longum foret expendere ſeriatim quotquot virtutes ſub nomine timoris in præſenti comprehenduntur. Sed nollem omittere latentem de more ſuo Bed in Prov. 14. 26. humilitatem: ait enim Beda hic: *In timore enim humilitas contra præſumptionem*: &c. Fruere nunc Auguſtino. S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 92. *Omnis autem*, inquit, *fortitudo in humilitate, quia fragilis eſt omnis ſuperbia.*

3. Ad ſecundam partem venio dogmatis. Quæſtio eſt, de cujus filiis hîc ſermo ſit. Bed Lir. Hug. Card. & Alap. in Proverb. 14. 26. De filiis timoris exponunt Beda, Liranus, Hugo Cardinalis, & Cornelius Alapide, qui ait: *Q. d. Filiis timoris Domini, id eſt iis, qui ſummè timent Deum, adeo ut ex timore Domini veluti è matrice ſati, concepti & geniti videantur, erit ſpes, tutela & protectio. Sic enim valde ſapientes vocantur filii ſapientiæ*, &c. Secundò pronomen, *Ejus*, referri poteſt ad timentem Deum. Ita Janſen. ib. Janſenius: & favet Lectio Septuaginta: Lect. Sept. ibid. *Filius autem ſuis relinquet firmamentum pacis.* Tertiò Rodolphus idem pronomen, *Ejus*, refert in Deum. Hoc non improbat Carthuſianus: Et puto, ſic intelligendam Vulgatam: quia magis hic ſenſus conformari videtur eidem litteræ. Tanta ſpes ineſſe de tutela Dei filiis valet, ut S. Anton. Ulyſſip. ſer. 3. Dominic 1. Quadrag. longe ante med. Antonius Ulyſſiponenſis dicat: *Unde hæc differentia, ſecundum Chryſoſtomum, inter filios Dei & filios diaboli: quoniam filii diaboli non exeunt ad eum ut tententur, ſed potius econverſo; ſed ad filios Dei dæmon venire non poteſt: ideo contra diabolum Chriſtus ipſe proceſſit.*

4. Verba nunc Salomonica diviſim percurram. *In timore Domini.* Non putò excludendum eſſe hinc timorem pœnæ (licet gnome de filiali præſertim debeat intelligi, prout bene docuit Cornelius Alapide.) Alap. ſup. Si quidem homo non fuerit oblitus, quàm terribilis extet gehenna; quid ejus fortitudinem confringet? S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 68. longe poſt princ. Auguſtinus: *Majore timore minora contemnimus, & majori æternitatis cupiditate omnia temporalia faſtidimus. Nam & hic deliciæ temporales dulces ſunt, & tribulationes temporales amaræ ſunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignis gehennarum? & quis non contemnat dulcedinem ſæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?* Quidquid igitur crudelitas objiciat armata, cogita futuros ignes, & non pavebis utique ſævientem.

Fiducia. Non equidem falſa; cum timore Dei nitatur: aliter erit confidentia fallax: ut eſt illa, cui nitentes peccamus, præſumptuosâ ſpe deluſi. Quin etiam vix hæc fiducia vocari valet: ſed potiùs dicatur quædam lapidea durities inſenſati S. Bernardus: *Sed*, inquit, *eſt infidelis fiducia; ſolius utique maledictionis capax: cum videlicet in ſpe peccamus. Quamquam nec fiducia illa dicenda ſit: ſed inſenſibilitas quædam & diſſimulatio perniciosa. Quæ enim fiducia ei, qui periculum non attendit? aut quid ibi timoris remedium; ubi nec timor ſentitur, nec materia ipſa timoris?* Vulgò dicitur & verè: Qui diſcrimen haud agnoſcit, non vincet illud: ergo niſi timeas, fortis eſſe nequibis. S. Bernard. ſer. 3. de Annunt. longe poſt princ.

Fortitudinis. Inter plura Domini timoris emolumenta locum obtinet non vulgarem fortitudo: nam fortis animi præclara quidem eſt excellentia. Tamen eſt advertendum, requiri multa ſimul ad hoc ut homo ſit perfectè fortis. Audi S. Laurentium Juſtinianum. *Eſt*, ait, *quidem ille animo fortis, qui ſe in dolore poſitus conſolatur, qui ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur & flectitur, non adverſis perturbatur, non ſecundis extollitur, & quamvis vento quodam variarum rerum circumferatur mutatione, ſtabili tamen perſeveret amici conſtantia, qui contra Conditoris interiora exterioraque flagella novit non murmurare, non ipſius redarguere judicia, ſed æquo animo, forti propoſito, viriliter tolerare, atque ut olim beatus Job gratias agere, Deum corde voceque laudare.* Rarus erit in terris qui tali fortitudine roboretur: quis eſt hic, & venerabimur eum? S. Laur. Iuſt. l. de caſt. connu. c. 13. longe poſt med.

Et filiis ejus. Filii nomen appoſitum creaturæ minoritatem inſinuat reſpectu Dei protegentis benignitate paternâ: ſicut nomen amici ſonat æqualitatem; quamvis hæc inter Deum & creaturam nequeat inveniri. Juſtus Dei amicus eſt, & ſimul filius: ut ſe minorem profiteatur, non æqualem, divinam protectionem præſtolari videtur ampliùs titulo filiationis, quàm veluti jure amicitiæ. Filii ſumus, inquam, Altiſſimi, ſi tamquam patri obtemperamus Domino: quin imo filioli. S. Auguſtinus: *Parvuli ſumus*, ait, *ergo protegat nos Deus*, &c. Monendum hîc eſt, ne ſic dicat homo ſe parvulum, quaſi Dei protectionem poſtulet ſolùm interim, & non pro tempore, quo ſumpſerit incrementum. Rurſus Auguſtinum Idem. ib. lege ſuperaddentem: *Nemo dicat: Protegat me cum parvulus ſum, quaſi aliquando ad tantam magnitudinem poſſit pervenire, qua ſibi ſufficiat. Sine protectione Dei nihil es; ſemper ab illo protegi velimus. Tunc ſemper in illo magni eſſe poterimus, ſi ſemper ſub illo parvuli ſimus.* S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 62.

Erit ſpes. Non ſanè formidoloſa: prout illæ ſolent eſſe, quas in creaturarum ponimus umbris; ubi frequenter experimur ſub umbraculi tenebris metum. Spes, de qua loquitur Sapiens, Deo nititur, qui lux eſt: regumentum præbet obumbrans; non terrefaciens. Hoc notavimus, ut videas conſonare ſecundam partem parœmiæ cum primâ, qua fit mentio de fiducia:

cià : nam hæc ſic ſpei cognata eſt, ut ſpes confidentiam gignat. Fruere S. Ambroſio. *Quis*, inquit, *athleta ſi deſperet coronam, deſcendat in ſtadium? aut ſi eam poſtulet victor, offendat? Probatio ſpem facit, ſpes confidentiam.* Nobilis partus eſt ſpei bonæ fiducia firma. Si poteſtatem Dei contempleris, & quàm ſit in adimplendis promiſſis verax, pariter & ſpem ſolidabis, & confidentiam ſtabilies.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 118.

DELIBATIO I.

Tres hoſtes animæ timore Dei proſternuntur.

9. *Dæmon ſpecialiter vincitur timore Dei.*

QUaſi multus eſſet homo quiſque, ſic adversùs illius fragiles vires validi multiplicantur adverſarii. Oportet ſtare loco, nec deviare greſſum, quamvis illi tres fortiſſimi ſint, caro, diabolus, & mundus: omnes equidem terribiles nimis. At peculiari ratione dæmon cavendus eſt: nam quid nos tenuiſſimi ſumus, ut cum angelo, quamvis malo, congrediamur? Franconius Abbas: *Quando enim ex corruptionis ſuæ defectu invalidus homo congreditur diabolo, quid aliud dixerim, quam vermiculum pedem conferre cum Angelo? Pulcherrimum planè, pulcherrimum, & Angelis & hominibus de duello tam diſſimili ſpectaculum. Stat hoſtis antiquus frendens & indignans, ac rabido ore ſpumas contorquens, evomit minas: & quia præſente Chriſto virium nihil poſſidet, tentat vel fraude circumvenire incautum, vel terrore effugare pavidum.* Quid tunc anima juſti quærit armaturæ, qua ſe tutetur? Timorem induit primùm Altiſſimi; quo munita ridet illa dæmonis artes: nam S. Antiochus ait: *Diabolum proinde nihil timueris: Dominum enim qui timet, adversùs diabolum prævalebit*; &c. Et mox: *Timore porrò Domini munitus, quid eſt quod commenta fraudeſque veteratorias timeas diaboli?* Plura ſunt arma, quibus utitur juſtus in prælio, quod exercet adverſus cacodæmonem; ſed ſpecialiter hic ſuperatur Dei timore.

Franc. Abb. l. 8. de grat. Dei. ad fi.

S. Antioch. hom. 127. poſt princ.

10. Comitem ſe præbebat juniori Tobiæ Raphaël adhuc ignotus eidem. Suadere curavit ut à Raguele propinquo ipſius poſtularet unicam filiam in uxorem. Renuit ille: quoniam audiverat, fœminam iſtam jam fuiſſe traditam ſepties viro; cunctoſque necatos à dæmone. Inſtruxit Angelus eum, & injecit animos; ac tandem ait ei: *Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus*, &c. Quid timori Dei conſanguinitatis eſt cum conjunctione maritali? Lego, Jacobum duxiſſe quattuor uxores: nec tamen ibi quicquam ſcribitur de timore Domini; qui videbatur ibi memorandus; ut non videretur, ipſum potiùs ex libidine, quàm ex deſiderio prolis tot nupſiſſe fœminis. Quare magis in Tobiæ nuptiali copulatione mentio timoris illius facta fuit? Horratur hunc terrorem Angelus, quia vincendus à Tobia diabolus erat. Reſpondebis, non Tobiam, ſed Raphaëlem ligaviſſe dæmonem. Reſpondeo tranſeundo ad ſenſum myſticum. Diabolus alligatus adhuc tentat: cumque beatos Angelos tentatione petere non valeat, pars victoriæ reſervabatur Tobiæ, ſaltem conſiderato myſticè, quamvis dæmonem ligaverit Raphaël. Prodeſt hic Beda: *Ligavit*, inquit, *autem eum, quia à fidelium læſione retinuit: quos etſi tentare aliquoties permittitur ut probentur, ſuperare tamen prohibetur, ne à fide deficiant.* Igitur non incongruè Raphaël habiturus triumphi de diabolo ſocium Tobiam, hortatus eſt illum ad timorem Domini. Sic egregiè comprimitur Adamidum communis inimicus.

Tobi. 6. 22.

Bed. com. in Tob. 8.

11. *Quàm ſit imbellis dæmon adversùs timentes Dominum.*

Et accedit quòd infernali bellatori de timore, quo juſti ſpiritus Creatorem ſuum trepidat, oritur pavor, quo timentem reformidat. Dæmon haud ignorat quantum roboris accedat animæ per timorem Dei; cum ſatis agnoſcat malo ſuo, protegi fortiter excelſo brachio timentem Dominum. Superbit ille contra Conditorem: attamen, quamvis nihil humilitatis habeat, novit, ſibi non ſuppetere vires, ut juſtum feriat protectum ab Altiſſimo. De Jobo loquens ait S. Gregorius Magnus: *Cum ſanctum virum ſatan tentare appetit, & tamen Domino ut manum ſuam extendere debeat dixit: valde notandum eſt: quia feriendi vires me ipſe ſibi tribuit, qui contra Authorem omnium ſingulariter ſuperbit.* Obiter vellem ut perpenderes, quantùm diabolicam temeritatem ſæpius excedat humana. Diabolus agnovit ſe carere viribus, ut feriret Jobum Deoque dixit ut adversùs eum extenderet manum ſuam. Audacior eſt homo adversùs hominem. Contra hunc inſurgit iniquè fidenter; cum ſciat, ſe non juvandum à Domino in malefactis: Deus enim adjutor iniquitatis non eſt. Hæc ſufficiat nunc tetigiſſe. Revertamur ad cœptum inſtitutum. Diabolus, inquam, veritate cogitur agnoſcere, ſibi nihil virium contra timentes Dominum; cum Dei manum experiatur protegentem quicumque, prout oportet, pavet Regem regum. Vide quam induſtrius moliatur artem, ut ipſe queat cum timorato congredi.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 2. mor. c. 6. n. 9.

12. Jacobus Apoſtolus alumnos inſtruens ut fidem operibus comprobarent, ſic habet: *Tu credis quoniam unus eſt Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Valde mirabar, quòd, cum tam ſuperbus extet malus, Deum tremiſcat, præſertim dicente D. Gregorio Magno de ipſo: *Nunc*, inquit, *omnimodo non timens omnibus ſuppliciis ſubjacet, qui elementis etiam ſupereſſe poterat, ſi unum, quem debuit timere, voluiſſet. Unum profecto timeret omnia poſſidens, qui nunc unum non timens omnia patitur. Factus eſt* (forte legendum: *Factum eſt, ergo ut nullum timeret, nullum videlicet, quia nec Deum: ſed neque hoc quod paſſurus eſt, metuit.* Oportet componere Pontificem cum doctrinâ Jacobi. Facilis eſt nexus. Moralis Doctor loquitur de timore laudabili; non autem de coacto, & malitiâ pleno. Timet utcumque

Jacobi 2. 19.

S. Greg. Pap. to 1. l. 34. mor. c. 17. 14.

cumque diabolus Deum ; ſicut & credit : ac ut ejus fides commendabilis non eſt ; ita neque timor. Et cur putas, ipſum formidare Deum ? Dicam quod ſentio. Malignus invitus experitur, ſe per timentes Deum ſuperari. Quid artificiosè cogitavit ille miſer ? Ut aliquo modo pari marte pugnet cum juſtis (qui propterea ſuperant ipſum, quia metuunt Dominum) adverſarius timorem Dei ſubdolus amplexus eſt, ut ſic valeret cum timentibus præliari. Tentat fruſtraneè doloſus induſtrias : quia nequaquam Dei protectionem timore malo conſequetur. Prævalebit juſtus : cujus timor bonus ita Domini manum auxiliatricem ſortitur, ut ſit *in timore Domini fiducia fortitudinis*, &c.

13. *Deum time, ut in ſpirituali bello metuas.*

Nunc tranſeundum nobis eſt ad aliud prælium ; quod cum ſæculo juſtus aggreditur, & victor evadit. Non mihi nunc ſermo eſt de certamine, quo juſtus perſæpe temporaliter adversùs impugnantes dimicat : longe quippe durius eſt bellum, quod mundus offert ſpirituale viris perfectis : in priori namque de temporariis decertatur ; in poſteriori periculum ſubit anima, cui nihil tranſitorium comparatione dignum eſt. Aſt armatus Dei timore juſtus, nequaquam ſæculi conflictus paveſcit : *nam* (ut ait Chryſoſtomus) *tuta armatura eſt Dei timor, inexpugnabile ſcutum pia fides.* Hinc vide quàm fortia præſtet arma pugnanti Dei timor : non enim conflictui ſerviunt unico : plenus quippe certaminibus mundus eſt, juxta D. Ambroſium dicentem : *Quid eſt mundus, niſi quidam agon plenus certaminum ?* Pax ibi nulli, belligerant univerſi jugiter. Si theſauros poſſides, igneis telis oppugnaris ad cupiditatem ; ſi pauperia coarctaris, injuriis impeteris ad vindictam. Si robore præſtas, incitaris ad proximi damnum ; ſi debilis extas, offenſionibus moveris in deſperationem. Si ſapientia polles, ad ſuperbiam ſtimularis ; ſi fatuus audis, contemptu provocaris ad odium. Si potentibus places, tentaris ad ambitionem ; ſi diſplices, abjectus excitaris ad iram. En bella gerunt cuncti, militant perpetuò, multo cum diſcrimine. Divinæ quidem protectionis conſideratio maximè prodeſt, ut in temporalibus pugnis mundum ſubigas : Ut autem in ſpiritûs præliis victor evadas, congruit nimis, te Dei timore muniri. Communem Judicem formida ; ſic eos, qui tecum judicandi ſunt, in animæ decertationibus non metues.

Chryſoſt. to. 1. ſer. de Iob & Abraham. ad fi.

S. Ambroſ. to. 1. enarrat. 1. in Geneſ. poſt princ.

14. Abrahæ cor Dominus erigebat olim, exhortans ut protectionem ejus attenderet erga ſe promptam. Curabat ut metum propelleret non tamen addidit : Me potiùs time ſolum. *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens : Noli timere Abram, ego protector tuus ſum*, &c. Aliter Filius Dei locutus diſcipulis eſt. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt cõrpus, animam autem non poſſunt occidere : ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Ecce metum ſuis incutit ſupremi Judicis ; non ita verò ſcribitur ad Abraham dixiſſe. Fateor hunc amicum Dei ; *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Sed etiam diſcipuli fruebantur amicitiâ Domini. Quid ergo eſt, quòd timorem ſui Deus præcitatis verbis non incuſſit Abrahæ ; maximè verò commilitonibus ? Exiſtimo, diſparitatem in eo ſtare, quòd Abrahamo tunc fiduciam Deus ingeſſit ad vincenda temporalia : pro qua fortitudine ſumendâ, vel roborandâ nonnunquam ſatis eſt cogitare protectorem Deum, quin ejus formidine protunc quatiaris. Utere commentario doctiſſimi Cornelii. *Deus*, ait, *volens remunerari ejus pietatem, fortitudinem & virtutem, apparuit Abrahæ, eumque roboravit, dicitans, nihil ipſi ab Aſſyriis aut Chananæis eſſe metuendum : ipſum enim ſibi cordi eſſe & curæ, ſe ejus tutorem, protectorem & remuneratorem fore.* At verò cum in terris præfato loco cum ſuis agebat, ſaltem ex parte ſermonem fecit de bello ſpirituali blandientium ; prout inſinuavit Zacharias Epiſcopus ad eum locum : *Duo ſunt genera perſecutorum, unum palam ſævientium, alterum fictè blandientium, quod pertinet ad hypocriſin Phariſæorum. Utrumque præcepit Dominus non timeri, quia non habent poteſtatem in animas juſtorum. Timore mundi expulſo, ſervite Domino timore gehennæ*, &c. Opportunè monuit eos ut metuerent Arbitrum univerſi ; cùm in certamen pertinens ad animam obarmabat eos : nam ad iſtud ratione peculiari reperitur *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

Iacobi. 2. 23.

Corn. Alap. in Geneſ. 15. 1.

Zachar. Epiſc. 1. 11. in unum ex 4. c. 44. poſt med.

Denique ſequitur expendenda moleſtiſſima, quia domeſtica præliatio ; qua perenniter cum ipsâ carne, quam alit homo, contendit. Hic inteſtinus conflictus acerbiſſimus juſtis eſt ; quamvis debilis extet adverſarius ; ut ex ipſo nomine liquet. Notavit S. Doctor Luſitanus, carnem à cadendo vocari. *Caro dicta quaſi cado* : &c. Hæc tamen quæ ruinam vel ipſo nomine præfert, adeo fortiter adversùs animam pugnat, ut ſic de illa S. Doctor idem verba fecerit : *Item viſio dura de terra horribili nuntiata eſt, id eſt, carnis tentatio : quæ benè dicitur terra horribilis : quia cogitationibus variis, verbis adverſis, operibus perverſis, immunditiis, & ſpurcitiis plurimis horrida & abominabilis.* Et qua ratione credis, hanc fortem & infirmam præliatricem facilè confringi ? Timore Domini. Tartarum cogitando reſtinguemus ignibus ignes. Cæſarius Arelatenſis : *Sicut enim clavus clavum expellit ; ſic ardoris gehennæ recordatio ardorem excludit luxuriæ.* Putares, timorem numerandum inter arma tantùm defenſiva ; cum totus verſari videatur in refugiendis ictibus. Deciperis. Pavore Dei non ſolùm nos à ſagittis hujus adverſarii contutamur ; ſed necnon eumdem potenter configimus : illa formidine ſimul protegimur ; & certantem contra nos carnem ferimus : gladius eſt verſatilis, quo ſpiritualis miles utitur & ut repellat ictus, & ut infligat hoſti.

15. *Timor Dei non tantùm nos tuetur in carnis prælio ; ſed vulnerat eamdem.*

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 22 poſt Trin.

Idem. ſer. Dom. 2. Quadrag.

Cæſar. Arelat. epiſt. ad Cæſariam. poſt med.

Pſalmiſtæ modò ſunt nobis meditanda verba. Dixit ille : *Confige timore tuo carnes meas* : &c. Hærebam in proprietate verborum : caro namque tremit ; ſed non ti-

16. Pſal. 118. 120.

Eccli. 7. 31. met : metus animæ paſſio , non corporis eſt. Eccleſiaſticus ait : *In tota anima tua time Dominum* , &c. Igitur , quo locutionis genere David utitur , cùm timore Dei rogat carnes ejuſdem tranſfigi ? Nimis emphaticè : nam ſic meditaberis , prædicto Domini terrore, non tantùm animam tueri ſemetipſum ; ſed etiam carnem adverſario configere quaſi gladio. S. Bruno Aſtenſis in verba Pſaltis : *Ut tui timoris gladio vulneratæ , carnis concupiſcentiis non moveantur.* O fortiſſimum enſem : qui non utcumque vulnerat hoſtem ; ſed immotum conſiſtere facit ! O frænum aureum ; quo brutales concupiſcentiæ domantur ! Anima loquitur apud Solitarium carni ſuæ : *Similiter enim ſeris , ut equus ferox , intractabilis , habenas reſpuens , calcitro , & percuſſor, cum lupatum mordens , & per loca præcipitia currens equitem trahit , hinnit , humum ungula pulſat , ſeſſoremque quamvis firmum , & fræna tenentem , ſi furere cœperit , ſella excutit , quod peſſimum eſt , & præcipitem agit.* Hæc fera neceſſariò nobis , & adverſaria nimis , timenda valde. Forſan te reddet inopem conſilii ; cum videas oppugnari te per illam , qua pro quotidianis functionibus eges. Iterum apud eumdem Philippum loquitur anima carni : *Adjutrix mihi es , & viciſſim obluctatrix. Nunc me oppugnas , nunc adjuvas. Mirum ſanè , quomodo utcumque poſſis. Quid captem eo ſilii in hoc negotio , penitus neſcio.* Meritò dicta ſunt iſta ; cum nec fugæ præſidium ſuccurrere poſſit nobis miſeris. At meliùs dicerem , ſpiritum per timorem Dei ſumere velut alas , quò ferè diſcedat à corpore.

S. Brun. Aſt. expoſ. in Pſ. ib.

Philipp. Solitar. in Dioptr c. 1. ad med.

Idem ib.

17. Caro , munduſque , bonis temporalibus utuntur ut armis , quibus nos infeliciter debellant. Ad armaturam timoris Dei refugiat juſtus : & erit *in timore Domini fiducia fortitudinis.* Deus vetat ne temporaneis addictus , iſtis fruaris immodicè. Quidquid ultra permiſſum capis , furto rapere te crede : nam contra voluntatem veri domini re frui ſuâ furtum eſt. Time Dominatorem univerſorum ; & cavebis ejuſmodi latrocinia : præſertim attendens quantùm pro modico Dominum lædas ; & quod ejus inimicus fias. Hac meditatione ſuperabis egregiè tentamenta ; quibus caro ſæculumque temporalibus crepundiis tibi pueriliter blandiunt. Sed quid næniæ viro forti ? Nugæ. Accipe S. Thomam à Villa nova. *Non ſic* , inquit , *timor Dei fortis & rigidus , non ſic facilè ſuadetur , non ſic leviter ſuperatur. Videt namque quàm ſtultum ſit , pro modica & leviſſima voluptate , & gaudio temporali , Deum offendere : ejus gratiam & amicitiam amittere : gloriam ſempiternam perdere : gehennam interminabilem incurrere.* Metuens Dei judicia mente volutat frequenter perpetuitatem ſupplicíorum , ne per caduca delectabilia præceps ea in æterna tormenta : recogitat felicitatem ſupremam æternùm permanſuram , ne per voluptuoſa breviſſima deperdat fine carentia bona. Sic timore jacturæ munit ſemetipſum , ne mundialibus animum deſpondeat. Igitur illa formido cuſtos eſt optima , quò non complectaris mundana. Prorſus hæc rejicies , animadvertens quantum lucri poſſis negotiari deſpiciens ea. Quæres modò quiſnam plus egeat præſidio timoris Dei : ſpreturuſne bona mundi ; vel is qui vult forti vinculo carnem ſedulus coërcere ? Reſpondeo , ſuperaturum carnem ſæpe magis ad timoris auxilium refugere : nam ut bona ſæculi deſpicias , quandoque ſatis emolumenta meditari ſpiritualia , timore ſuppreſſo.

S. Thom. à Villa no. ſer. 4. de Aſſumpt. B. M. longe poſt Princ.

18. Apoſtoli duplicem locum nunc ad invicem conferre libet. Scribens ad Corinthios ait : *Caſtigo corpus meum , & in ſervitutem redigo : ne fortè cum aliis prædicaverim , ipſe reprobus efficiar.* S. Anſelmus exponit : Corpus meum *per abſtinentiam* caſtigo , *ne per laſciviam inſoleſcat* , & infra : *Ipſe malè vivendo* efficiar reprobus , *id eſt à Deo reprobatus , & à gaudiis cœleſtibus , quæ prædico , alienus.* Ecce Paulus ad timorem amittendi cæleſtia bona recurrit , ut ita carnem adhibitis afflictationibus compeſcat. Idem Apoſtolus cum ſcriberet ad Philippenſes , teſtatur quantum , & cur bona ſæculi contemnat , inquiens : *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe , propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci , & arbitror ut ſtercora , ut Chriſtum lucrifaciam* , &c. Sic illucidat hunc locum S. Joannes Chryſoſtomus : *Rejectamenta , nondum liquet , an de lege dicat. Veriſimile namque eſt eum de rebus mundanis dicere. Cum enim dixiſſet , quæ quidem lucra mihi erant , ea arbitror eſſe damnum propter Chriſtum , ſubjunxit : Quin etiam omnia damnum arbitror. Et quid dixit omnia , niſi præſentia ?* Hoc loco Paulus non affirmat , ideo ſe contemnere bona tranſitoria , ne per ea reprobus fiat ; ſed hoc agere profitetur , ut acquirat in æternis manſionibus Chriſtum. D. Anſelmus ad præcitata verba : Ut Chriſtum lucrifaciam , *id eſt in futuro Chriſtum habeam præmium* , &c. Admirari viſus eſt Auguſtinus illum timorem reprobationis , quem ad Corinthios Gentium Doctor oſtendit : *Suo* , inquit ille , *timore nos terruit Apoſtolus : quid enim faciet agnus , ubi aries timet & tremit ?* Optimo jure mirabimur eam Pauli formidinem ; cum priùs dixerit : *Ego igitur ſic curro , non quaſi in incertum* : &c. ubi S. Anſelmus : *Id eſt tam legitimè tam alacriter , tam expeditè curſum boni operis exequor , ut* non quaſi in incertum *tendam , quia certus ſum de corona. Ille enim currit in incertum , qui talia facit , ut ex quibuſdam ſperare , & ex quibuſdam poſſit deſperare. Sed ego ex omnibus quæ poſt converſionem feci , certitudinem bonæ ſpei tendens* (fortè legendum : *Tenens*) *non curro velut in incertum* , &c. Quid ergo timet , ſe reprobum fieri ? Timoris adjutorium fortaſſe requiſivit , ut carnem ſubjiceret ſpiritui : formido quippe damnationis futuræ præſentiſſimum remedium extat , ut caro dometur ab homine : quamvis etenim vix illa diſciplinæ ſit patiens ; imo nimiùm rebellis inſultet ; tamen Dei terror fortificat juſtos : nam *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

1. ad Cor. 9. 27.

S. Anſel. in com. ib.

Ad Philipp. 3. 8.

Chryſoſt. to 4. hom. 11. in Epiſt ad Philipp. longe ante med.

S. Anſel. in com. ad Philipp. 3 8.

S. Aug. relat. per S Thom. in com. 1. ad Cor 9.

1. ad Cor. 9. 26.

S. Anſel. in com. ib.

DELI

DELIBATIO II.

Timens Deum ſtrenuus eſt ad ardua, patiens in adverſis, æquanimis ad fortuita.

19. *Timor Dei præparat hominem ad aggrediendum ardua.*

PLures numerantur fortitudinis partes; quas non vacat nunc per otium expendere ſingulatim : aliquot memorabimur, exponentes qualiter in timore fundamenta jaciant. Modò tres occurrunt meditanti : nempe aggredi quæ proponuntur ardua ; pati quæ contingunt adverſa ; æquanimem exhibere ſe, quantumvis fortuna vices commutet. S. Antonius perpendens auream coronam charitatis, qua redimiuntur juſti, fabricatam ex auro, argento, & lapidibus pretioſis, collocat fortitudinem quarto loco ſub ænigmate ſmaragdi. *Smaragdus quartus lapis, qui viridis eſt coloris, eſt fortitudo. Cor enim vri fortis, eſt in ſuo virore. Hujus ſunt tres partes, aggreſſio arduorum, patientia adverſorum, æquanimitas in frequenti & ſubitâ mutatione futurorum ſeu fortuitorum.* Quod ad primum attinet : cui veniret in mentem, niſi tot fulcimentis hæc veritas comprobaretur, quòd ad aggrediendum res difficiles timor hominem roboraret ? In temporalibus multoties metus quoſdam reddidit mortis contemptores: at id, cum in deſperationem declinet, à fortitudine degenerat. Longè diverſum robur addit homini timor Dei ; de quo S. Laurentius Juſtinianus : *Hominem*, ait, *timor fortem facit. Nam in via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Sicut namque in via ſæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit, & timor fortitudinem gignit*, &c. Extra dubium eſt, audaciam, & fortitudinem, tam re, quàm ſignificatione diſtare. Audaciam nunc prætermitto ; de fortitudine dicemus. Iſtam præparat excellenter Dei timor, ut homo facta difficilia conetur.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. 2. de uno vel plur. martyr.

S. Laur. Iuſt in lig. vi. c. 2. de timo.

20. Bis donatus Apoſtolis divinus legitur Spiritus : nam poſt reſurrectionem Dominus, cum adhuc terris moraretur, diviniſſimum flamen contulit eis. *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis : Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ubi D. Cyrillus Alexandrinus : *Acceperunt igitur Spiritum ſanctum diſcipuli, quando inſufflavit, & dixit :* Accipite Spiritum ſanctum : *nunquam enim dixiſſet qui mentiri neſcit, niſi dediſſet.* Notabam, non hoc munus illis ita præſtitiſſe Dominum, quòd terrefaceret eos : cum tamen commiſſio poteſtatis ad remittenda peccata ſit res majeſtate plena ; proindeque poſtulare videretur, ut altè nimis perſonaret. Ratio hæc dubitandi nititur Ambroſii dicto. *Ergo*, inquit, *aliam inſufflavit ibi operationem, hîc aliam pollicetur. Ibi enim remittendorum gratia tributa eſt peccatorum, quod eſſe videtur auguſtius* : &c. Ergone foret inopportunum quod præmiſſo tonitru, vel præcedentibus fulgurum ſplendoribus acciperent ibi Spiritum ſanctum Apoſtoli ? Sanè die Pentecoſtes ſonus auditus eſt non vulgaris. *Et factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis*, &c. Et quamvis Lira, Interlinearis, & Lorinus ſentiant haud fuiſſe territos Apoſtolos ; fortaſſis explicari poſſunt omnes ut ipſe Lorinus explicuit ſe poſtea, dicens : *Dixi priùs, ſonum, qui auditus eſt, & fortaſſe etiam longe extra conventum diſcipulorum, diſcipulis timorem non incuſſiſſe. Accipi id debet de timore, qui perturbaret, non qui reverentiam, & amorem conciliaret.* Ut quid nunc terrentur Apoſtoli ; non antea ? Sic exiſtimo contigiſſe, quoniam oportebat, ut in die Pentecoſtes præpararentur Apoſtoli per timorem ſanctum ad arduam prædicationem Evangelii. Tunc jam tempus aderat, ut per fortitudinem armarentur ad non leve prælium. Vide qualiter Dominus de Pentecoſtes die fuerit locutus apud Lucam. *Et ego*, ait, *mitto promiſſum Patris mei in vos : vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Ubi Euthymius : *Quoadusque induamini in modum armaturæ, virtute ex alto cœlo, vel alta Divinitate per prædictam Spiritus ſancti deſcenſionem.* Cum apud Joannem legis datum Spiritum Apoſtolis, negotium iſtud pacis erat : non enim Salvator intempeſtivè dixit ibi ſemel ac iterum : *Pax vobis.* Ubi Rupertus : *Igitur cum ſemel & iterum dixiſſet : Pax vobis, ut inſinuaret, & pacem ſe feciſſe illis, & pacem per illos mittere nobis : ſicut, inquit, miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et infra : *Ergo pax iſta (ut jam dictum eſt) peccatorum remiſſio, ſancti Spiritus acceptio eſt.* Non tunc ergo ; ſed in ſolemniori adventu Paracliti, cum jamjam accingebantur ad fera prælia, terrendi fuerant Apoſtoli per ſonitum, ad hoc ut eſſet eis in timore Domini fiducia fortitudinis.

Ioann. 20. 22. 23.

S. Cyrill. Alex. l. 12. in Ioann. c. 56.

S. Ambroſ. to. 3. l. 10. in Luc. c. 24. ante fi.

Actor. 2. 2.

Lorin. ibid.

Luc. 24. 49.

Euthym. ib.

Ioan. 20. 19. 21.

Rupert l. 4. in Ioan. ib.

21. *Timor Dei expellit ab homine timiditatem.*

Curioſiùs inquires, quonam pacto robur ad ardua timor Dei præſtet ? Non longe quærenda ſolutio. Roborat, quia timiditatem ad ardua pellit à corde. Pugnator aliquando timet in acie poſitus & confligens, nullo circumſeptus muro, qui lanceis reſiſtat. Non pavebit ergo timoratus : quia per timorem non ſolùm circumcingitur forti muro ; ſed turri munitur inexpugnabili. Bellè S. Joannes Chryſoſtomus : *Timor*, inquit, *nil aliud eſt, quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis* : &c. Murus tuetur pugnantem, ne bellicis feriatur inſtrumentis : eumdem turris munit, non tantùm ad hoc ut vulneri non pateat ; ſed etiam ut in tuto poſitus oppugnet contrarium robur. Quis ita munitionibus vallatus dupliciter adhuc timiditati pectus tradet ? Facilè timidus eſſe deſinet qui timuerit Altiſſimum. Bene Scholion cujuſdam, quod habetur inter opera Climaci : *Fieri non poteſt, ut qui verè Deum timet, timiditati ſit obnoxius*, &c. Ne prætereas illud, *Verè* : nam ſicut reperitur Dei falſus amor ; ita fictus Domini timor invenitur. Qua ratione credemus, timeri Deum veraciter ab eo, qui non veretur eumdem quotidianè

Chryſoſt. to. 5. hom. 15. ad pop. longe ante med.

Habetur poſt grad. 21. n. 67. in ſcal. S. Ioan. Climac.

dianè lædere graviter? Verus divinus timor ſociatur amori, vel filiali, vel ſaltem ei, quem ſervilem dicimus, quamvis non ignobilis extet: nam etiam filiorum eſt metuere patris verbera: filiatio verò ſupremi Regis titulus eſt præſtantior cunctis mundi nomenclaturis; ut ab ipsâ majeſtate parentis infinitè maximî convincitur. Cum igitur fuerit compertum, hominem vero timore proſequi Deum, tunc omnino credam, illum timiditate carere.

22. Apparuit in flamma rubi Dominus Moyſi: committit ei legationem ad Ægyptiorum regem; quò ſinat egredi plebem ſuam; quam tyrannicè comprimebat. Recuſat ille: ſed à Domino ſocius adjungitur ei frater Aaron; cujus munus in hac re non parum difficile fateberis: nam erat locuturus ad populum Iſraël pro Moyſe. Exod.4.16. *Ipſe loquetur pro te ad populum*, &c. Dubitabam, quare non etiam Dominus verba fecerit ad Aaronem, advocans illum ad locum, ubi rubus erat exardens, & non combuſtus? Moyſi tunc loquitur ſoli. quare? Quia non legimus, Aaronem timiditatem præ ſe tuliſſe: de Moyſe ſcimus, timidum ſe præbuiſſe, dicentem: Ib.c.3.11. *Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Viſio illa magna timorem Domini quidem incuſſit ei: quo roborari congruebat, ut, ſi vellet, animi timiditatem deponeret. Confirmatur hæc meditatio per hoc, quòd cum adhuc pavens Moyſes renueret functionem exequi; rogaretque mitti potiùs alium; iratum ſe præſtiterit adversùs eum Dominus: Ib. c.4. 14. *Iratus Dominus in Moyſen, ait:* &c. An opportuna Dei contra metuentem ira? Sæpe congruit: hac enim promovetur Dei timor; & quò magis Deum timuerit, eò minùs timidus erit. Proficiet audiri Lirani commentarium ad illa verba, *Iratus* &c. Lira ib. *Nimis puſillanimis videbatur in ſuſcipiendo Dei commiſſionem*; &c. Puſillanimitatem Deus curavit ab eo tollere per timorem ſui: nam, ut ait Salomon, *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

23. *Timor Dei adjuvat juſtum ne timeat adverſa.* Ad ſecundam venio jam tituli partem; qua ſermo nobis erit nunc de perpeſſione laborum. Ad tolerantiam plurimùm fortificat ſanctus Dei timor: quia totum rapit hominem ad meditanda quæ ſupra humana ſunt; & per conſequens docet aſpernari minas hominum: mortem ſempiternam ob oculos ponit; indeque fit ut mors temporalis non paveatur. Idcirco dixit Auguſtinus: S.Aug.to.8. expoſ.Pſal. 63. *Eum enim timere debet homo, à quo factus eſt homo. Quod ſupra homines eſt time, & homines te non terrebunt. Mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis.* Verum eſt quòd huic timori dilectionem adjungi convenit, ſaltem illam, quæ fertur in præmia cœlitus repromiſſa: ſic pronum eſt nec ſponſionibus hominum corrumpi, nec minis concuti. Redi ad Auguſtinum. Idem ib. *Ama*, inquit, *ergo & time, ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus, nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo.* Nullus erit ſic ſtupidus, ut non digno ſcat quantum diſſideant humanæ promiſſiones à divinis, & quàm longe differant comminationes humanæ poteſtatis à Dei minacibus decretis. Hominum promiſſa tum defectu potentiæ fragilia; tum ex mendaci conditione prorſus inania. Deus autem nec fallere novit, nec infirmitate virium coarctatur. Similiter in minis hominem ſæpe tenet poteſtatis defectus ut exequatur eas: non ita quidem Altiſſimum; infinitâ virtute prævalentem, ut executioni det ſupplicia. Cum hæc ita ſint, plurimum auxilii præſtat juſto Dei timor, cuncta potentis, & veridici; ne metuat bonus hominem luto genitum & fallacem: ut in adverſis impavidus perſiſtat, congruit probo pavere Deum.

24. Profugus ab ira fratris carpebat Jacobus viam: & in itinere per ſomnium viſione donatus eſt; quæ non parum terruit expergefactum. Geneſ. 28. 17. *Pavenſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte? non eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta cœli.* Quid Jacob paverit, inquires. Chryſoſtomus putavit, miſericordiam Dei magnam timuiſſe. S. Ioan. Chryſoſt. to. 1. hom. 54 in Geneſ. longe poſt med. *Stupeſcens*, ait S. Doctor, *juſtus propter magnam miſericordiam Dei, timuit, inquit, & dixit: Non eſt hoc niſi domus Dei, & iſta eſt porta cœli.* Caïetanus in hunc locum exiſtimavit, Jacobum extimuiſſe divinum judicium. Caïetan. in Geneſ 28.17. *Sed*, ait, *quid timuit Jacob? Timuit videlicet divinum judicium*, &c. Obiter, ſed non feſtinanter meditare, quòd ſi Jacobum certè juſtum imiteris, & ille fortaſſis utrumque timuit (ſcilicet in bono ſenſu magnam miſericordiam Dei; ſimul & judicium divinum) cor tuum commovebitur hac meditatione; quò non ſolùm paveas Dominum judicaturum; ſed etiam tibi largiter miſerentem. Aliud viſum accidit eidem Jacobo cum reverteretur de Meſopotamia, penes interpretes Paginæ ſacræ celeberrimum: per quod non tantummodo metu conſternatus non fuit; ſed confortatus eſt valde. Sic Hugo Cardinalis accipit illa verba, quæ protulit Jacob victor: Geneſ.32.30. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Ubi Purpuratus: Hug. Card. ib. Et ſalva facta eſt anima mea, *id eſt de valde debili plurimum confortata.* Hæc eventuum diſparitas movit animum ita quòd hæſitare fecerit in eâdem. Prius terretur; poſtea confortatur amicus Dei; cur ita? Crederem, propterea terrefactum antea, quia plura fortiter paſſurus apud Laban oportuit fortificari per timorem Domini, cùm reſtabant adverſa. Tam verum eſt, juſtum pavore divinæ majeſtatis ad fortia ſufferenda roborari.

25. *Qualiter Dei timore fortificetur cor ut adverſa ferat.* Navigantibus in pelago ſæculi duplex imminet frequenter naufragium. Et afflictationum fluctibus identidem quaſſantur; & ſcelerum diſcrimini patent, ut miſerè naufragi fiant. De fluctibus cogitationum loquentis Gregorii Magni verba procellis adverſitatum, poſſunt abuſu decenti coaptari. D.Greg Pap. to.1.l.6. mor. c.17.n.27. in princ. *Anchora*, inquit S. Pontifex: *enim cordis eſt pondus timoris*, &c. Video quàm ſit proficua timoris anchora, quò per eam firmetur cor noſtrum, ne delictis

Idem ib. l. 9. c. 24. n. 34.

lictis pereamus. Iterum dabo S. Doctorem. *Sæpe ergo mens*, ait, *juſti ut magis ſecura ſit, altius trepidat: & cum flagellis cingitur, ſupremi judicii incertitudine turbetur. Pavet ne initium ſequentis damnationis ſit omne quod patitur*: &c. Nihilominus Deus non ſemel, ut avertat hominem à crimine, miſcet cum ſeveritate clementiam: providens quòd ſimul timeat, & confidat; ut vero tacitè moneat ferre patienter adverſa, tunc utitur authoritate ſolâ: curans, quòd per eam territus, ipſo timore robuſtus fiat. Dum fugere ſuadet à delicto, ſapiens providentia ſumma pluries attemperat rigorem pietate: ſic manſuetudine trahit eumdem, quem verbere cohibet. Sed aliquando nudum adhibet gladium Dominus, lenitatem abdens, dum cupit ad ſuſtinenda mala juſtum ſolidare: nec enim verus Dei timor indiget alterius virtutis conſortio; qua juvante ſtabiliatur cor noſtrum pro tolerandis tribulationum percuſſionibus duris.

26. Adnotare juvat quàm diſpariter ſe Dominus geſſerit erga duo Eccleſiæ luminaria Simonem & Paulum. Reluctabatur Apoſtolorum Princeps Magiſtro circa mortem violentam obeundam. Tunc Dominus, utens adversùs dilectum ſeveritate

Matth. 16. 23. non vulgari, redarguit eum, dicens: *Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi*: &c. Mirum eſt quòd amantiſſimum Dei Filius tam fuerit allocutus aſperè: præſertim quia Petrus ita ſe gerens non interruperat amicitiam circa Dominum; cum dicat

Euthym. ib. ad n. 22. Euthymius: *Tamquam conſulens hoc ait, ut ingenuus amicus.* Ergo dices, benigniùs fuiſſe loquendum ad Simonem. Econtrariò Redemptor humaniter ad Saülum verba fecit; quamvis inſimul acriter egerit cum illo; proſternens eum in terram. Humaniter, inquam, fatus eſt, notante

Bed. in Act. 9. Beda. Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris. *Non dixit: Ego ſum Deus, ego ſum filius Dei; ſed humilitatis, inquit, meæ infirma ſuſcipe, & tuæ ſuperbiæ ſquamas depone.* Si tam blandè loquitur, quare projecit eum potenter? Inſuper quæro. Cur nihil protunc dixit Saülo de tribulationibus, quas poſt exantlaturus erat? Petrum verò fuit hortatus hîc ut Magiſtrum ſequeretur per martyrium? Secunda quæſtio proderit ad ſolutionem primæ. Diverſa motiva, quibus Dominus, utrobique permotus eſt, ſtyli diſparitatem ſuadebant. Saülus avertendus erat à ſcelere, quod in fidelibus perſequendis committebat. Conveniens fuit, ut illi Salvator & ſeverum, & benignum ſimul præberet ſeipſum: ſeverum, inquam, nam dejecit eum; benignum verò, quoniam nequaquam ſe Deum dixit; ſed Jeſum. Clementiam auſteritate miſcuit, ut electionis vas detornaret ad rotam, trahens à perditionis via Saülum; & mutans in Paulum poſitum in ſemita ſalutis. At verò coram Petro fuit perutile totum ferè divinæ reprehenſionis evaginare gladium; cujus formidine prudenti pro ſuſtinendis poſt minis hominum armaretur. Non hîc Redemptor manſuetudinem verborum immiſcuit; quia tunc ad patiendum hortabatur Petrum. S. Hilarius:

S. Hilar. can. 16 in Matth. *Vade retro poſt me: id eſt, ut exemplo ſe paſſionis ſequatur.* Adverſarium vocat, ut animus ejus perterritus roboretur ad perferendos oppugnantes: nam *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

27. *Æquanimitas in lætis & mœſtis fortitudinem probat.*

Demum tertiæ parti delibationis hujus admoveamus manum. Ex D. Antonio dixi, timorem Dei valere, ut cor hominis æquanimè ſit pro fortuitorum varietate contingenti. Multum equidem gratia Dei reddit hominem conſtantem: ſed quodammodo videbitur, ſolam gratiam, timore deficiente, minùs eum robuſtum efficere, quò perſiſtat in fortuitis eventibus longanimis. Animos injicit fortitudo viris, ut perpetiantur acerba; ſed illud peculiariter opus & labor eſt, quòd in moleſtis & proſperis pariter immoti permaneant: nec per gaudia molleſcant; nec per triſtia concutiantur. S. Proſper:

S. Proſp. l. 3. de vit. contemplat. c. 20. in princ. *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolùm diverſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat.* Scio quas homini vires Dei gratia ſubminiſtrat. Lego Franconium Abbatem, dicentem: *Unde hæc virtus homini: unde hæc conſtantia homini; ut qui dudum folia verborum tyrannico furore agitata paveſcebat, nunc vincula & verbera, nunc carceres & cruces, ſartagines & laminas ardentes, ardente interiùs flammâ ſancti ſpiritus non pertimeſcat? Tua, ô Chriſte, tua, inquam, hæc omnia operatur gratia*: &c. Dicam tamen, ſuppoſitâ Dei gratiâ, fortiſſimum probare ſe virum, qui tam jucunda, quàm ſiniſtra fert æquanimis, timorem Dei ſervans, à quo ſervatur.

Franco Abb. l. 12. de grat. Dei longe poſt prine.

28. Ad Philipp. 4. 13. Gentium Doctor de ſemetipſo confidenter loquitur ad Philippenſes in hæc verba: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Videas quam validum ſe profiteatur; ut magis pungat mentem recordatio verborum Pauli, quæ totis quaſi viribus eſſet omnino deſtitutus, protulit ad Corinthios.

2. ad Cor. 12. 7. 8. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me*: &c. Hæccine ſtrenuitas illa, qua dixit ad Philippenſes, omnia ſe poſſe? validum ſe teſtatur adeo tunc; modò verò ſic oſtendit infirmum? quid mali patiebatur dirum? S. Thomas exponit Apoſtolum ſic: *Datus eſt, inquam, mihi*

S. Thom. ib. in com. *ſtimulus crucians corpus meum per infirmitatem corporis, ut anima ſanetur, quia ad litteram dicitur, quod fuit vehementer afflictus dolore iliaco. Vel* &c. Et pro dolore corporis unico Paulus conturbatur ita? Aquinas ibidem: *Apoſtolus ſentiens ſtimulum ſibi gravem*

Idem. ib. *eſſe, ad ſingularis medici confugit auxilium, ut eum removeat.* Annon, ut nequaquam per impatientiam peccaret, muniebatur gratia Dei nomine verba faciens: *Non eſt tibi neceſſarium quod infirmitas corporis recedat*

Idem. ibid. *à te, quia non eſt periculoſa: quia non duceris ad impatientiam, cum gratia mea confortet te*: &c. Cur ergo tam pavidum ſe præbet hîc; alibi verò valentem proponit ad cuncta? *Omnia poſſum* &c. Diſparem accipe rationem. Apoſtolus dum precatus eſt illud,

quòd ait ad Corinthios, non tam de timore Domini præ cordis anguſtia cogitabat; quàm de corporis dolore pellendo, quem timidus renuebat pati. Cum verò ſe cuncta valere ſtrenuus aſſeruit, æquanimem ſe vidit in proſperis & adverſis. Ad Philipp. 4. 12. *Scio & humiliari, ſcio & abundare; (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire; & abundare, & penuriam pati.* Et quoniam tam prompta variis æquanimitas probabat fortem; tunc ſe dixit omnia poſſe: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Fortaſſis æquanimitatis indicio ſufficienter indicata validitas fulciebatur in timore; quem Paulus in eâdem epiſtola ſuadere curaverat, inquiens: Ib. c. 2. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* De timore Dei loquitur: ſine quo nihil rectè peragi valet; prout notavit Athanaſius ad hunc locum, dicens: S. Athanaſ. in com. ib. *Nam demptâ formidine, nil rectè peragi poteſt. Verum quo pacto hic comparabitur timor? Si Chriſtum intellexerimus ubique adeſſe: exaudireque omnia, & cuncta proſpicere: nec ſolum quæ geſta ſunt vel geruntur, ſed etiam quæ mente & cogitatione concepimus.* Hoc metu fortificantur ad univerſa juſti, & confidentes in fortuitis perſtant, in adverſis pugnant, in arduis conantur: nam *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

DELIBATIO III.

Ne confidas gratiæ potentum, æqualium amicitiis, opum abundantiæ; ſed in Domino.

29. *Prudens non in principis gratiâ confidit; ſed in Domino.*

UT creaturarum vanus amor obſtat amori Dei; ſic in ipſis collocata fiducia noſtrum cor erigit in ſuperbiam; ne confidentiam in protectione Domini locemus. Ruinam convincitur velle quicumque debilibus voluntariè nititur fundamentis. Quidquid creatum eſt nutat, & fragilitate ſuâ monet hominem de lapſu. Tria ſunt potiſſimùm, quibus inniti ſolent ſæculo dediti. Quidam potentibus fidunt; opibus alii; plures in amicis conſtituunt ſpem ſuam. Hæc omnia reputabis futilia, ſi verè confideris Omnipotenti. Arnobius. Arnob. expoſ. Pſal. 56. *Si quod dicis Deo: In te confidet anima mea, non fallat, ſi verè quod in ipſo confidas, factis oſtendis. Qui enim in ipſo confidit, non confidet in alio, non in auro, non in prædio, non in aliqua virtute terrena: alioquin in aliis confidens, mentitur Deo, dicens: In te confidit anima mea.* Quot reperiuntur in hac re mendaces! Vix invenire continget inſignitum nomine Chriſtiano, quem non audias dicentem: In Deo confido quòd ad munus publicum promovebor; quòd in lite victor evadam; quòd à præſenti periculo non lædar, &c. Attamen vel unus, vel nemo non ſollicitat magnatum gratiam, ut iſta conſequatur. Imo cor ejus, cùm attendit ad protectionem Dei, friget; cùm promittit homo potens auxilium, lætatur. Reprehenſibilis eſt animus ad hunc modum ſe gerens. D. Auguſtinus: *Dicitur homini in afflictione aliqua conſtituto, Eſt quidam homo magnus, per quem poſſis liberari, arridet, gaudet, erigitur. Quòd ſi dicatur illi, Liberat* (fortè legendum: *Liberabit*) *te Deus, quaſi deſperatione frigeſcit. Promittitur auxilium mortalis, & gaudes: promittitur immortalis, & triſtis es?* Et mox: *Væ talibus cogitationibus, longe peregrinantur, verè miſera & magna mors eſt in eis.* Prudens cùm rebus providet ſuis, non in favore principis figit pedem: nam & iſte progenitus ex Adæ luto: curat ut qui pertinent ad ſe, divinæ providentiæ res proprias committant: in Domino confidendum cenſet; non in regali gratiâ, quæ tam facilè mutabilis extat. D. Auguſt. to. 8. expoſ. Pſal. 145.

30.

Joſeph in Ægypto nimis acceptus erat Pharaoni. Venerunt ejus fratres, in Terra cum genitore morari deliberantes. Cum rex accepiſſet ab eis, ipſos in patris alibi tutela poſitos egiſſe munus paſtoritium, dixit ad Joſeph: Geneſ. 47. 6 *Quòd ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.* Non tamen legimus, Joſephum Pharaonis paſtores conſtituiſſe fratres aliquot ſuos. Fateor, Philonem & Joſephum id aſſerere: nihilominus de hoc tacet Cornelius Alapide: oppoſitumque Lipomanus inſinuat: non enim dixit præfeciſſe regem armentis Joſephi germanos; tantùm ait, voluiſſe præficere. Philo. Hebræ. Ioſeph. & Alap. *Voluit igitur*, inquit, *Pharao fratres Joſeph armentis regiis præficere. Quod olim in familiis Regum magni officii loco ducebatur, cum paſtores omnium hominum utiliſſimi ſint, nobile artificium, ſicut & agricultura.* Quamvis hoc non per ſeipſum executioni dederit Pharao; carebatne poteſtate Joſeph, ut verba regis exequeretur? cui dictum eſt ab ipſo: Lipoman. in cate. ſup. Geneſ. prox. ſupra. Geneſ. 41. 40. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni ſolio te præcedam.* Certè quòd nulli fratrum Joſeph injunxerit greges Pharaonis, vel per ſe vel per alios cuſtodire, ſuadet mihi Scriptura tacens. Diceret utique, ſi hoc dediſſet executioni; ſicut illud aliud expreſſit feciſſe, quod acceperat à Pharaone. Ib. c. 47. 11. *Joſeph vero patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto in optimo terræ loco, Rameſſes, ut præceperat Pharao.* Sed quo motivo ductus Joſeph omiſit fratres aliquos conſtituere magiſtros pecorum Pharaonis? Memor, juſtum fuiſſe Joſephum, cogita maluiſſe potiùs in providentia Dei ſuos confidere, quàm in gratiâ regis: quam fortaſſe non vulgarem aſſequerentur ex officio paſtorali ritè peracto; quod tantî fiebat antiquitus. Providentem Deum circa fratres meminerat antea Joſephus, cum dixit: Ib. c. 45. 7. *Præmiſitque me Deus ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis.* Lectio Chaldaïca ſic habet: Lect Chaldaïca ib. *Miſit me Deus ante vos, ut poneret vobis reliquias in terra, & ut ſuſtentaret vos liberatione magna.* Altiſſimi curæ, non principis favori ſeſe committere voluit ſuos: idcirco non occaſionem arripuit, ut in paſtu gregum regalium Pharaoni placerent aliqui ſaltem. O virum ſapientiſſimum, & ſpiritu Dei plenum! vitream noverat benevolentiam

tiam regum, quæ flatu perit; adamantinam verò protectionem Domini, quam non movet inconſtantia.

31. *Quandoque rex qui te magis diligit minus operabitur ut te liberet.*

Experientia multorum teſtificatur quam frivola ſit ſpes innixa benevolo potenti. Jam non attendam brevitati, qua tranſit (& inſuper aliquando mutatur in odium) gratia principum. Necnon quandiu durat, fida non eſt. Aliquoties (quin & ſæpius) mentitur facies regis arridens: putant quippe monarchæ, ſe legibus amicitiæ non teneri; propterea que dilectionem ſuam ſpecialem erga ſubditos aliquot ſemper quaſi donum gratioſum collatum eiſdem rentur; non autem, ſe quemquam ex debito diligere fateri dignantur. Inde fit, ut rarò non ſit eorum affectus exteriori tantùm ſpeciæ verus. Confidit in vano qui gloriatur in eo. S. Proſper: *Qui*, ait, *in defenſione principum & hominum præſidio gloriantur, in vanitate confidunt: ſolus enim Deus, de quo ſperanda ſit ſalus*: &c. Contingit aliquando, principem, qui te magis affectione proſequitur, minùs operari, quò tibi ſit auxilio. Forſitan hoc naſcitur ex eo quòd principes quidam ſupervacaneum putent quærere teſtimonia, quibus erga dilectum ſuum probent amorem; cum cernant extare proclive multùm ſubdito credere, ſe diligi nimis à majore ſuo: nam hominibus familiare pluribus eſt cenſere feſtinanter quòd fuerint conſecuti rem ſummè concupitam ab ipſis. Credulitatem hanc notantes aliqui reges velut ſuperfluum negligunt generoſis actionibus comprobare quòd afficiantur peculiariter circa ſibi ſubjectum. Quandoque rex, qui te magis amat (dilectionem dico, non quòd vera ſit; ſed quia nomen hoc ſortitur apud homines) minus operabitur, ut oppreſſum te potens eruat.

S. Proſp. expoſ. Pſal. 145.

32. Fortunatus Daniel apud reges, fortunæ viciſſitudines fuit expertus. Cum accuſaretur neglexiſſe cuſtodire legem Darii; qua vetitum fuerat, ne quis intra dies triginta poſtularet aliquid à quocumque deo vel homine, niſi tantùm à rege; miſſus eſt in lacum leonum. Barbarum ſanè decretum? Pinto Luſitanus ad illud Danielis 6. *Quod prævaricari non licet.* addidit ſequentia: *Si juſtum fuiſſet & rectum: at cum illud ab omni juſtitia & ratione diſcreparet, non ſolum licebat illud præterire, ſed etiam non licebat illud ſervare.* Et quid impulit regem, ut quem amicum noverat utiliſſimum Reipublicæ, feris objiceret? Timor, quem de magnatibus concepit. Rurſus audi Commentatorem eumdem: *Humano ductus*, inquit, *timore, ne offenderet magnates, & legem ſuam videretur infringere, eum juſſit projici in lacum leonum, quem ſciebat eſſe amicum, innocentem, & Reipublicæ utiliſſimum.* Citò formidaſſe videtur Darius. Quare non moratur ſententiam, quouſque cernat, inſurgere magnates adversùs eum? & ſic de neceſſitate cohoneſtabit, ſaltem in hominum judicio factum. Apud librum Danielis poſt multa lego ſimilem caſum. Occiderat Propheta draconem; quem Babylonii colebant quaſi numen. Et quamvis cauſa religionis, licet erroneæ pluri-

Fr Hector. Pinto in com. Danie. 6. 12.

Idem. ib. infra

mum valeat coram ſceptra tenentibus; tunc rex tradidit adverſariis Danielem, cùm neceſſitate compulſus eſt. *Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehementer: & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem.* Sic monarcha deliberavit, quia minati ſunt ei, domuique ſuæ mortem. *Et dixerunt cum veniſſent ad regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* An credis, regem hunc ampliùs dilexiſſe Danielem; proptereaque diſtuliſſe Prophetam hoſtibus tradere, quouſque de capite proprio ſe periclitari vidit? an minus afficiebatur amore circa Danielem rex alter; qui tam præceps eum leonibus expoſuit? Non credam: quia princeps iſte, cum traditus Daniel foret, dormivit incœnatus; & manicavit alterâ die, ut iret ad lacum. *Et abiit rex in domum ſuam, & dormivit incœnatus, cibique non ſunt allati coram eo, inſuper & ſomnus receſſit ab eo. Tunc rex primo diluculo conſurgens, feſtinus ad lacum leonum perrexit*: &c. Hæc amoris indicia magni ſunt: de quo Maldonatus ibi: *Incœnatum enim tantum regem & inſomnem totam noctem ducere magni amoris ſignum fuit: primâ autem luce lacum viſere, & magni in Danielem amoris, & magnæ in Deum fidei, qua confidebat ſe eum incolumen inventurum.* Non æqualem oſtendit ſollicitudinem erga Prophetam rex alius: nec enim cœnâ ſomnoque privatus legitur; nec niſi die ſeptimo ſcribitur ad lacum acceſſiſſe. *Venit ergo rex die ſeptimo ut lugeret Danielem: & venit ad lacum*, &c. His ductus penſitabam, principem hunc, qui minùs Danielem dilexiſſe perhibetur, amplius egiſſe pro liberatione Prophetæ (cum non niſi neceſſitate compulſus odientibus tradiderit eum): alterum autem regem, qui majori dilectione proſequebatur ipſum, in eo defeciſſe, quod ad mera verba ſuorum, non ſibi comminantem, brutis innocentem donaverit. Hic eſt principum amor? huic tu prudens confides?

Danie. 14. 29.

Ib. n. 28.

Ib. c. 6. 18. 19.

Maldon. in com. ib.

Danie 14. 39.

33. *Quidam nihil proficerent adversùm te, ſi ſtatim ſe detegerent adverſarios.*

Amicitiis æqualium, velut fortibus columnis reclinatur multorum futilis confidentia. Viderint illi, qui non vident, mundialem amicitiam frequentiſſimè naſci de cupidine bonorum temporalium. Cum tam vili parente ſit progenita, mercaturamque ſectetur abjectiſſimam, quid ab illa præſtolaris, niſi fraudes? S. Aëlredus: *Amicitia mundialis*, ait, *quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, ſemper eſt plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil conſtans, nihil ſecurum, quippe quæ ſemper cum fortuna mutatur & ſequitur marſupium.* Abiit in diſſuetudinem amica fides: imo non habetur ſapiens ab aliquibus qui ſanus corde; ſed ut fatuus irridetur: unde fit, ut vix nonnullos minimè fraudum pudeat; cum tam paſſim reperiantur incedentes aperto vultu fraudulosi. *Nec proximus proximo, nec amicus amico, nec frater fratri, nec patri filius fidem ſervat*: &c. Sic D. Petrus Abbas. O ſæculum civilis belli theatrum! Minùs durum foret, ſi cuncti qui nobis adverſantur, pugnarent manifeſto marte. Sed lupina feritas latet ſub velleribus ovium. Quis non minùs metue-

S. Aëlred. l. 1. de amicit. poſt med.

S. Petr. Abb. Clun. l. 1. ep. 5.

ret,

ret, si congressurus foret cum patenter dimicantibus. *Multa* dixit Chrysostomus, *ovium vellera, innumeri ubique lupi sub his occultati, ut jam inter hostes aliquis tutiùs vixerit, quàm inter hos qui videntur amici.* Minori discrimini pateres, inquam, si gladios ad meridianam lucem evaginarent isti: nam sollicitus caveres ab iis; graviori periculo subes inter ignotos præliatores. Mehercle sunt plurimi, qui nihil proficerent adversùm te, si detegerent statim seipsos adversarios. Idcirco dolosè priùs moliuntur quod tibi noxium; & postea præliantur ense nudato.

S. Ioan. Chrysost. to. 5 hom. 14. de avarit. longe post princ.

34. Vulgaris est historia Sichem: cujus lascivus amor movit eumdem ut appetereret nuptias filiæ parentis advenæ, certè non apud eum splendidi. Et quid mirum; si dedignatus non fuit stuprum committens fœdare semetipsum? Ægerrimè tulerunt Dinæ fratres contumeliam. Sed haud mox aggressi fuere vindictam: dissimulantes iram, quâ sæviebant, proposuerunt adolescenti regio (dum offert subire cum violatâ conjugium) quòd Sichem, ac omne masculinum circumciderentur. Simulationem specie tenus patientem admirabar; cum hoc dixerint sævientes. *Responderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis*: &c. Solummodo dicam de Simeon & Levi: quia de solis duobus istis apud Chrysostomum lego simulationem, quâ principi Sichem obtulerunt pactum circumcisionis. An cum istud proponerent ii, non jam cædem cunctorum corde meditabantur? Asseruit Chrysostomus. *Hæc quidem Simeon & Levi cædem omnium secum meditantes proposuerunt.* Injuria quidem fuerat maxima, quam à luxurioso potenter sustinuerant: & se continent, ne damnum honoris mox ulciscantur? Viderunt, se, nisi per dolum haud prævalituros, ut homines duo masculos omnes urbis interficerent. Ad fraudem confugiunt: cupientes, ut cum per circumcisionem sauciatos invenirent, vi dicta minùs difficilis pararetur. Chrysostomus proximè datus: *Magnam*, inquit, *eis securitatem præstitit quod omnes illi saucii jacerent.... Hoc illos securos reddidit, & duos fortiores multis fecit.* Ecce quod antea de multorum experientiâ prænotabam, nunc è sacris firmatur validè. Non pauci, quò tibi noceant, aliquando nihil nisi per dolos evalebunt amicitiam prætendentes.

Genes. 34. 13.

S. Ioan. Chrysost. to. 1. hom. 59. in Genes. med.

Idem. ib. infra.

35. *De eptus in re minori homo adhuc ad maxima fidem exspectat ab eodem fraudulento corde.*

Deploramus omnes fraudulentorum frequentiam: nec tamen cuncti docemur ad cautelam. Prodesset utique, si saperent universi, sic toties experiri: præsertimque congruum foret parvis detrimentis edoctos minoribus obviare. Apud Petrarcham ingemiscenti dolori sic: *Proditus sum*: respondet ratio: *Proderit forsan, ne jam facilè iterum prodi possis. Multi sæpe parvis damnis admoniti, magnis occurrere didicerunt.* Ingenium probat qui propria mala vertit in auxilium suî: Dexteritas navarchi non agnoscitur cum ad puppim Euro flante vela turgent; sed cum flatu contrario navis impellitur, quò nautæ pergere decreverunt: ipsa tamen carbasa sic invertit, ut fortiter adversantia flamina serviant conatibus oppositis. Valde stupidus est ratis gubernator, qui semel naufragium faciens, non vitat eosdem scopulos, cùm illàc rursus enavigat: quin & bruta solent instinctu naturæ cavere quæ deceperunt semel ipsa nocivè. Miser homo conditione suâ, miseriorque sponte, posteaquam expertus est in uno corde fraudem sub amoris facie circa rem non adeo magnam; denuo confidit imprudens eidem in eo, quod momenti majoris est: negligit per minora prudenter ad ea, quæ majora sunt, illuminari: circumventus in uno, quod satis doluit; apud idem cor perfidum se putat inventurum in maximo fidem.

Petrar. de reme. adver. fort. dial. 80.

36. Samson Philistinorum terror cessit amori sic, ut in hostium filia dilectionem suam fortunatam fore credens, nuptias cum quaam ex illis celebraverit. Cum venisset ad uxorem ducendam, reperivit mellis favum in ore leonis, quem necaverat antea. Sodalibus Philistæis proposuit ænigma, præmium solutionis assignans. Sed quamvis illud fuerit è melle sumptum, amaricavit in ejus corde postea. Problema quidem erat explicatu difficile; sed illi solutionem indicarunt Samsoni: promissumque solventibus lucrati sunt auxilio fraudis, quam fecit eidem uxor ejus, lacrymis & verbis utens proditoriè, quò maritus aperiret illi significationem ænigmatis; quam intendebat ea civibus exponere suis. Samson importunitate mulieris coactus exposuit rem: & factum est ut ab sponsione caderet solvens pretium contractûs prædicti. Vidit Samson id contigisse proditione fœminæ; concepitque non modicam impatiens iram. Dixit ad victores: *Si non arrasetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Et infra: *Iratusque nimis ascendit in domum patris sui*: &c. Omitto Samsonis imprudentem iracundiam: ac tantùm insipientiæ reprehenderem, quòd abiens in paternam domum non secum detulerit uxorem; cum pro solvendo supradicto præmio triginta sindones atque tunicas totidem abstulerit à triginta Philisthæis percussis: quod odium generare potuit apud socerum, ita quòd in vindictam alteri traderet conjugem Samsonis. An credidit, Philistæam non consensuram quod alii jungeretur? Fortassis ita putavit. Expertus fuerat certè proditionem fœmineam circa problema: sed adhuc in re longe majori, scilicet in fide tori sibi servanda, fidelem eamdem futuram existimavit. Decipi meruit ita spontaneè desipiens, ut neglexerit experimenti doctrinam, confidens humano cordi, quod invenerat semel non fidum. Nequaquam sunt experientiæ documenta segniter oblivioni tradenda: nec in amico pectore (sic loquimur de non veraci) fiducia collocanda.

Judicum. 14. 18. 19.

37. *Deus nollet ut in bonis temporalibus confidentiam locaremus;*

Denique dedocendum hominibus est in opibns confidentiam statuere. Multa dixi variis in locis ad præsens institutum concernentia: sed is est hominibus erga facultates amor, ut nihil superfluum reputent,

ſed in ejus providentia.

tem, dum earum nimios affectus diſſuadeo. Pecuniæ, cum ipſis obediant omnia, multa ſpondent; quæ tamen ſæpius opere non complentur. Imo, licet, propterea quòd non ſeipſas moveant, polliceantur poſſeſſori, ſe non derelicturas illum, dummodo cautus cuſtodiat eas, perſæpe mentiuntur: imponentes amatori ſuo; nam lubrica poſſeſſio nimis eſt omnium, quæ ſub nomine divitiarum veniunt. Paſchaſius: *Aliud*, inquit, *itaque agunt & aliud pollicentur; lubrica eſt earum poſſeſſio.* Quod ventus affert unus, vento facilè rapitur altero. Sors proſpera, vel adverſa, ventus eſt utique, ſeu dexter, aut ſiniſter. Quod igitur proſperitas aggeravit, adverſitas fortè citò diſperget. Accedit alia ratio: nempe quod, cum ſæpiſſimè divites avaritiæ ſerviant; ipſi magis tenentur à bonis temporalibus, quàm tenent ipſa miſeri. Cumque gazæ poſſideant ſuos dilectores, quidni dimittant eos? Conditionem ſæcularium rerum Deus non immutat: etiamſi non injuſtè quæſita ſint quæ congregaſti, ſed peculiari munere Dei donata, nollet Altiſſimus ut in temporariis facultatibus confideres; magis vult quòd in ipſius providentia ſpem figas.

Paſch. ſ. l. 7. in Matth. longe poſt princ.

38. Non unicum ſolet à manu Domini venire beneficium. Libertate donavit plebem ſuam ſub tyrannide Pharaonis poſitam; adhibitis adversùs infidelîs monarchæ reſiſtentiam omnipotentiæ machinis. Inſimul Ægyptiorum bona plura dono contulit eis. *Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua, vaſa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis.* Et infra: *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios.* Hoc prænotato, dubitabam, quo fine Deus noluerit populum ſuum ducere per Philiſtinorum terram vicinam; ſed per ſolitudinem? *Igitur cum emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtiim quæ vicina eſt: reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & reverteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deſerti*, &c. Dubio proximè propoſito plures aſſignari reſponſiones queunt. Cum cæteris illam dimitto, quam in textu legis: ne ſcilicet Hebræi mallent in Ægyptum remeare (quò ſi regrederentur, nulli dubium, denuo ſervitute comprimendos) quam ad promiſſionis terram progredi; qua manerent feliciſſimi. Sic eſt homo ſibimet adverſarius; ut induſtriâ nonnunquam Deus utatur, ad hoc ut munus ipſius non reſpuat ille. Hac meditatione dimiſsâ, dabo rurſus aliam præfixo themati non incongruam. Educti fuerant Iſraëlitæ cum argento & auro: ſi per à Philiſtæis inhabitata loca pergerent; conſiderent quòd neceſſaria facillimè ſibi pararent, aurum & argentum vendentes aut permutantes. Protector ſummus cupiebat, ut non in temporalibus iſtis confiſi pergerent; ſed in providentia Domini. Favet aliqualiter Hugo Cardinalis ad Exodi verba poſtremò citata: *Sed circumduxit per viam deſerti*, &c. Notat enim Commentator, inquiens: *Sed cum non habet homo quid facere poſſit, tunc debet ſe committere totaliter Deo.* Divitiæ, quas ferebant Hebræi, non poterant in deſerto, deficiente hominum frequentiâ diſtrahi; quò ſibi proviserent Iſraëlis filii. Propterea ſupremus Dominus per deſertum circumduxit eos: ut ſpem ſuam ſtatuerent in Altiſſimi ſollicitudine piâ; non in auri & argenti poſſeſſione fluxâ. Maneat igitur, nec in theſauris, nec in amicis, nec in gratia potentis fidendum. Time Deum: ac tua ſit *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

Exod. 11. 2. 3.

Ib. c. 12. 36.

Ibid. c. 13. 17. 18.

Hug. Card. ib. ad n. 18.

DELIBATIO IV.

Timor ſtimulus amoris. Magis Deo placet robore. Confidendum Domino flagellanti. Comparantur timens Deum & metuens temporalia mala. Fortitudini miſceatur timor.

IN timore. Non unicè muro cingitur martia civitas: circumvallat eam pariter murus & antemurale: ille prælatus eſt; hoc verò non æquat illum altitudine. Murum ſupra dixi timorem Dei: quod potiſſimùm convenit filiali; cum ſit altior: ſervilem autem dixerim antemurale; quia non tam in ſuperius elevatur. In præſenti locum Salomonis accipiendum eſſe maximè de timore filiali, credidit Cornelius Alapide. *Timor Domini*, ait, *hîc maximè filialis intelligitur, qui non eſt aliud, quam reverentia, cultus & amor Dei.* Multus eſt nexus timoris Domini cum ejuſdem affectu: adeo, quòd etiam ſervilis timor, ſi perfectus eſt, amorem divinum involvat: nam qui perfectè metuit pœnas tartari, formidat privari viſione Dei, quem proſequitur (ut loquuntur Scholaſtici) amore concupiſcentiæ. Fortè mens hæc Incerto, cum dixit: *Nobis autem timor Domini omnis in amore eſt*, &c. Cum hæc verum habeant, monendi ſunt quotquot apicem perfectionis ardent attingere, complecti Dei timorem: à quo ſumant initia, deducant progreſſus, & perducantur ad culmen. Ne præſumant à majoribus incipere; quin timor Dei præeat. S. Laurentius Juſtinianus ait: *Quicumque ergo juſtificari cupit, quicumque deſiderat ſapientia & ſcientia repleri, & qui ſalutari ſpiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat, quam à timore Domini.* Scio quidem, animam, quæ novit infinitè pulchram Dei bonitatem, contendere cupientem exardere charitatis igne: ſed ordinatim procedere congruit: à timore venitur ad charitatem. Idem Antiſtes: *Introducit quoque ipſe timor charitatem*, &c. Si verò jam Deum perfectè diligis, non ideo putes, à timore ceſſandum: quin potiùs, ne charitas frigeſcat, oportet à Dei formidine ſtimulos accipere.

39. *Timor Dei ſtimulos addit amori.*

Alap. in Proverb. 14. 26.

Vel S. Zeno; vel S. Hilar. in Pſal. 127.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 1. de timore.

Idem prox. ſup. c. 2. juxta med.

40. Sponſa Canticorum jacebat in lecto: Sponſus adfuit ad januam: petiit ingreſſum; &, illâ recuſante fores aperire, miſit manum ſuam: ex quo factum eſt ut ipſa tremiſceret. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.* Sanctius ibi: *Senſus ergo eſt, ſponſam ſubito quodam pavore horruiſſe, cum videret dilecti ſui amorem eouſque progreſſum*, &c. & infra exponens lectionem Hebraïcam (quæ ubi nos legimus: *Ad tactum ejus*, habet: *Super eum*) addit Commentator egregius: *Ipſius gratia, vel propter ipſum, qui ſic tetigiſſet fores antea pulſando, & ad extremum manus per rimas inferendo.* Non leviter pupugit mentem hoc Sponſi factum. Quare dilectam ſic terrefecit? nonne paulo poſt roboravit, ut noctu prodiret è domo, quærens ipſum per urbem? Sanè non quid modicum fuit is exitus; cum inventa fuerit à cuſtodibus, & percuſſa: quod percuſſiones infidelium paſſas ab Eccleſia primitiva deſignat, ſecundùm Angelomum, dicentem: *Poſſunt & per cuſtodes civitatis ſæculi hujus intelligi poteſtates, qui rem publicam velut quamdam civitatem regere noſcuntur. Hi enim electam Eccleſiam in primordiis Chriſto credentem comprehendentes, plagis & ſuppliciis illam devaſtaverunt*, &c. Ergo qui talem præſtitit fortitudinem, ut in tenebris egrederetur domo, quo motivo ductus eidem timorem incuſſit jacenti? Quia ſic oportuit erigi dilectionem ejus per formidinem, tempore, quo non multum fervebat affectus; ut excuſationes frivolæ teſtantur; quibus uſa fuit, ut non aperiret oſtium Dilecto. Stimulus extitit ille pavor, ut lectum defereret amor; ne totaliter elangueſceret piger. Utere rurſus Angelomo. *Et venter*, ait, *in tactu illius contremiſcit, quia infirmitas noſtra per hoc quod cœleſtis gaudii intellectu tangitur, ipſa ſua exultatione turbatur, & fit in mente pavor in lætitia, quia jam ſentit quod de cœleſti gaudio diligat, & adhuc metuit ne non percipiat quod vix tenuiter ſentit.* O formidinem gaudentem! & meritò; cum timor expergiſci faciat affectum erga Deum: cujus tanta ſuavitas eſt, ut expertus fateretur, quilibet juſtus, niſi vetaret humilitas. Robuſtus de ſe quidem eſt amor Dei: ſed multoties invenit fortitudinem *in timore.*

Cant 5.4. Sanct. in com. ib. Lect. Heb. ib. Angelom. ſtrom. in Cant. 5. Idem. ib. ſup.

41. *Aliquando magis Deo placet timor juſti, quàm robur ejus.* Nec in mentem cuique veniat, amantem Dei minùs ipſi placere propterea quòd formidoloſus paveat. Quamvis enim cupiat eum accingi fortiter ad aſſidua prælia; nihilominus multum complacet in eodem, cùm totus metu conſternatur cuncta potentis; imo proprias virtutes reformidat. S. Gregorius Papa loquens de Jobo dixit: *Quid eſt ergo quod mira opera faciens, hæc ipſa etiam veretur pavens, cum dicit*: Verebar omnia opera mea: *niſi quod in ſancti viri actibus verbiſque colligimus, ut ſi placere Deo veraciter cupimus, poſtquam perverſa ſubigimus, ipſa in nobis etiam bene geſta timeamus?* Parvulum reddit hominem timor: fortaſſis qui per metum coangustatur, indignus ob parvitatem ſuam videbitur, ut in eo Dominus, cujus majeſtas toto cœlo non capitur, dignetur inhabitare. Deciperis humano ſenſu loquens de divinis. Imo potiùs parvulos trementes verbum Dei tanti facit ille, quòd in ipſis, ut in templis commoratur. Lege S. Hieronymum. *Habitator igitur*, inquit, *cœli, imo creator omnium, qui in terris templum habere ſe denegat: humilem & quietum, & trementem ſermones ſuos hominem libenter aſſumit in templum.* Agnoſco, Deum complacere plurimùm in amore juſti, cùm hic generosè fortem ſe præbet, ut ardua vincat; præſertim pro ipſius Domini pugnans honore. Sed fortaſſe magis placitum Altiſſimo credes aliquando cernere militem ſuum trementem, quàm præliantem. Arridet animoſitas equidem juſti: nonnunquam tamen acceptior eſt ejus formido; quàm illius robur.

D Greg. Mag. to 1. l. 9 mor. c. 17. n. 26. S. Hieron to. 5. l. 18 in Iſai. c. 66. 2.

42. Cum ad comprehendendum Filium Dei veniſſet poteſtas tenebrarum, Petrus aderat: & non ferens inſultum, eduxit gladium, percuſſit quemdam. Objurgatus eſt à Magiſtro: dixit enim ad Simonem: *Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Decuitne ſic amantem diſcipulum increpari per Filium Dei cujus defenſionem percupivit opere complere dilectionis fervore plenus? Quantus hoc loco fuerit ejus amor, ſcribit aureus Doctor: *Petrus*, ait, *qui gladio uſus comminatione & quidem vehementi reprehenditur. Ultus enim ſervum magno ardore animi eſt, quod non ad ſui, ſed ad Magiſtri fecit defenſionem*: & infra: *Tu vero diſcipuli quoque & amorem pium, & humilitatem conſidera: alterum enim ex diligendi fervore, alterum ex obedientia fecerat.* Inopportuna videbatur comminatio, quò reprimeretur ardor Apoſtoli. Nonne gratus amor ejus Domino ſuo? Quis dubitat? Sed quia Salvatori gratius erat Simonem cernere timentem, quàm præliantem, perterruit eum Præceptor: magis enim quandoque placet huic formido juſti contremiſcens; quàm ſtrenuitas arma bellaque gerens: delectatur in ipſius amanti robore; ſed ampliùs nonnunquam *in timore.*

Matth. 26. 52. 53. S. Joan. Chryſoſt. to. 2. hom. 84. in Matth. longe poſt princ.

43. *Etiam quia nos flagellat, confidamus in Domino.* *Domini.* Domino ſuas committunt ſpes virtutem ſectantes; non tantùm dum ille patrocinatur benignè; ſed etiam cùm flagellat acerbè. Paterna flagellatio gnati non perturbat geniti confidentiam circa parentem: quia non minus amatur ſub verbere filius, quàm in amplexibus. Uritur juſtus verbis doctiſſimi Bleſenſis. *Si flagellaveris*, inquit, *ſi combuſſeris, ſi ſecueris, ſi occideris me, ſperabo in te Domine: dummodo adjuves me & doceas facere voluntatem tuam, fac tantùm Domine ſignum in bonum, ut quæram te, & ſperem in te.* Mihi non eſt ſolummodò mens aſſerere, fidendum in Deo quia nos diligit etiam cùm verberat. Ulteriùs pergam. Ipſa verberatio motivum confidentiæ præſtat rectè perpendenti: nam ex ea cogitare valemus, eum, qui ſic nos flagellis coërcet, idcirco (præter alia motiva) nobiſcum ita ſe gerere, quia nos agnoſcit verè ſuos. Inter homines contingit,

Petr. Bleſſer. 53.

parentem

parentem videre filium proprium luſibus illicitis vacantem cum vicinis pueris nimiùm procacibus. Amovet inde gnatum, & flagris animadvertit; extraneos autem inſanire dimittit. Quid eſt hoc; niſi quia novit hunc ſuum; cæteros alienos? Demptis imperfectionibus, apologum apta: nam plus Deo ſumus dilecti, quàm genitori genitus: & proinde recogita, dum vapulas, Domini dilectionem erga te (prout vita mortalis patitur) hac via tibi ſe notam facere: nec enim Deus patietur, ut amorem ſuum penitus ignores paternum extare. Proficuus eſt hîc Salvianus.

Salvian. l. 4. de gubernat. Dei med. *A nobis* inquit, *patris in ſe affectum voluit agnoſci.* Et mox: *Plus amat nos Deus, quam filium pater.* Genitor itaque divinus, temporali parente longè certior, nos per flagella confirmat; ne diffidamus, cùm ſub diſciplina gemiſcimus: imo fiducialiter magis erigamur in ſpem: piè meditantes, Deum nobiſcum quaſi cum ſuis agere, dum punit; &, licet nos contendamus peccantes ab ipſo prorſus alienari, computare nos inter ſua.

44. In libro Sapientiæ loquitur Eccleſiaſtes in perſona fidelium, commendans Altiſſimi ſuavitatem & miſericordiam. Addit:

Sapient. 15. 2. *Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: & ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati.* Pervium eſt intelligere partem ſecundam verborum iſtiuſmodi: ſcilicet quod mortales Deus computet, ſi non delinquant: nam per gratiam tunc filii ſunt; & quis erit genitor, qui natos non computet ſollicitè? Difficilè tamen eſt inveſtigare, qua ratione Deo nominemur ſui, quamvis peccemus. An ipſi nos per culpam non ſequeſtramus à Domino? Nullus inficiabitur. Lege Dionyſium Areopagitam, ſcribentem Diſcipulo Chriſti dilecto. *Neque*

Dion. Areop. ep 10. ad S. Ioan. Evang. *enim*, ait, *in ſæculis venturis author erit Deus juſtarum à ſe ſeparationum, ſed illi ipſi qui ſe à Deo prius ſequeſtrarunt*; &c. Qui ſic ſponte neè ſe Domino ſuo reddiderunt alieni; quo titulo ſe dicent adhuc ſuos, cùm Deum alloquuntur? Nota, non ſolius gratiæ munere nos eſſe Deo ſuos: non minus verum eſt quòd ſui ſumus creationis titulo; quinimo ſervi. Suitatem filiationis abjicere, quæ per gratiam habetur, liberum nobis eſt; non autem illam, quam ex creationis jure vendicamus. Itaque, licet fœdatos criminibus Deus nos intueatur; adhuc reſpicit ille tamquam ſuos. Eapropter confidamus quòd quaſi tales curat flagellationibus ad ſanitatem revocare: non per diffidentiam langueamus iterum; ſed fortiter mala de manu Domini medentis accipiamus. *Quoniam* (inquit Auguſtinus ad proximè citata verba Sa-

S. Aug. to 4. l. de fid & operib. c. 22. pientiæ) *ſcilicet bonum & magnum Deum habemus, qui velit atque poſſit pœnitentium peccata ſanare, non qui minimè audeat permanentes in malignitate diſperdere.* Diſperderet utique necnon ſæpiſſimè dolentes de peccato, ſi linqueret eos impunitos: hoc pacto quippe multùm proclivis eſſet regreſſus ad vomitum. Quis hæc expendens non confidet; quantumvis afflictus experiatur cor ſuum paveſcens *in timore Domini?*

45. *Timens temporalia damna quandoque de protectione Dei diffidet; timens Deum loquitur confidenter.* Guartic. Abb ſer. 2. de Sancto Bendi ante med. ad illud Iſaiæ 32. 18. *In tabernaculis fiducia.*

Fiducia. Malè penes viros perfectos audit animi ſecuritas; cui plura diſcrimina tribuuntur non immeritò. At illi de præſumptuosâ ſecuritate loquuntur; nos autem de prudenti, quæ nititur in protectione Domini. Non iſta reprehenſibilis eſt; imo de pulchritudine, ſtabilitateque laudabilis. Optimè Guarricus Abbas: *Omnino pulchra pax & ſecuritas ſempiterna, habitare in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorari.* Et mox: *Hæc ſunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Iſraël habitat confidenter, paſcit & cubat, & non eſt qui exterreat: & ſicut ſapientia promittit, requieſcens abſque terrore abundantia perfruitur, Et bene timore malorum ſublato, non timore Domini, ne fiducia iſta & ſecuritate, quam commendamus, negligentiam putes generari,* &c. Quam diſſimiles gignunt effectus damnorum temporalium formido, timorque Dei! Metuens illa detrimenta ſæpius negligit implorare divinam devotus opem: atque toto mentis conatu quærit invenire creaturarum auxilia; diligenterque molitur artes per induſtriam propriam, quibus evadat afflictationes, quas patitur. Huic negligentiæ contrariatur timor Dei: nam ipſum perfectè metuens, totam in ejus protectione ſollicitudinem deponit. Multum diſtat, quin & opponitur metus mali temporanei pavori Dei. Superaddam evenire quòd formidans non protunc Deum, ſed temporariam adverſitatem, diffidit imprudens aliquoties de protectione divinâ: qui verò formidine Domini quatitur, loquitur confidenter: primus terror deſperationem aliquando ſuadet; ſecundus alit fiduciam.

46. Conferre lubet Apoſtolos cum Jona. Timuerunt illi naufragium; fecerat verò Propheta. Diſſimiles animo diſcipuli ſe præbuerunt, Jonæ comparati: nam ipſos legimus, dormientem Dominum ſuſcitaviſſe. Perditionem navis inſtare dicunt; quaſi ſomnum capiens Magiſter neſciret. Diffidentiam de protectione Salvatoris præ ſe ferre viſa ſunt illa verba: *Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* Et Marc. 4. 38. firmatur hoc ex dicto Præceptoris ad ipſos: *Necdum habetis fidem?* Vide quàm aliter habuerit ſe Jonas in ventre ceti. *Et ego dixi: abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.* Commentatur S. Hieronymus: *Ex Jonæ verò perſona vel optantis, vel confidentis affectu: liquido intelligi poteſt: quod deſideraverit in profundo maris poſitus videre templum Domini: & ſpiritu prophetali alibi ſit: & alibi contempletur.* Mirabilis equidem confidentia Prophetæ; cum in bruto carceratus eo quòd obedire Domino recuſaverit, optet, vel confidat intueri templum Dei! Diſcipuli non ante procellam ſimiliter offenderant Magiſtrum; & nequaquam de protectione ſua, licet tradiderit lumina ſopori, confidunt? Adverte quid ſignificet ibi tempeſtas ex Paſchaſio. *Uſque ad finem,* Paſchaſ. l. 5. in Matth. c. 8. inquit, *ſæculi contra Chriſtum, ſuoſque, acrior damonum tempeſtas ſævit, totius mundi*

Ib. n. 40.

Ionæ. 2. 5.

S Hieron. com. in Ionam ib.

ſævit rabies, regum ſpumant viciſſim fluctus; populi gurgites rotantur, perfidia credentibus ſemper parat naufragia. His præmiſſis, inquirebam cur Apoſtoli, prout dictum ſupra, diffiderint, ſe protegendos à Chriſto Domino dormiente; cum Jonas aquarum ſub gurgitibus poſitus confiderit in Deo, viſurum ſe templum? Reſpondeo. Diſcipuli prædicto loco non tam divinum timorem curabant, quàm formidine mali temporalis (quod aliarum tribulationum figura fuit) premebantur. Jonas autem punitus acriter à ſummâ juſtitiâ vindice timebat actualiter Judicem ſupremum, qui carceri tradiderat eumdem. Ideo Propheta fortificatus à timore confidebat in Domino; contra verò diſcipuli diffidentiâ quadam pulſati ſunt. Statuamus, quòd quamvis preſſurarum formido nonnunquam ſuadeat homini deſpondere prorſus animum; contrà metus, quo pavemus univerſorum Arbitrum, robur ad confidendum præſtat cordibus noſtris. Vide quàm verum ſit: *In timore Domini fiducia* &c.

47. *Fortitudini timor commiſceatur.*

Fortitudinis. Poſſet enim verò Salomon ita magis proloqui nunc: In timore Domini fiducia prudentiæ. Fortitudinem potiùs hîc expreſſit: quo datur intelligi, fortitudinem, ad hoc ut ſit virtuoſa, requirere quod aliquid immixtum habeat formidinis. Compertum eſt, virtutes illas, quæ fugiunt à duobus extremis damnabilibus, medium inter ambo tenere. Ab utroque recedunt; & ad utrumque (ſed laudabiliter) accedere perhibentur, declinantes ab oppoſito. Fortitudo certè de virtutibus iſtis eſt: media conſiſtens inter puſillanimitatem animi, temerariumque furorem. Proinde non poterit à temeritate deviare, quin ad formidinem pergat: & quomodo tendet in illam, niſi participans eam? Patrocinatur Ariſtoteles, inquiens: *Fortitudo eſt mediocritas in metu & confidentia.* De magnanimitate dixit S. Martinus Epiſcopus: *Menſura ergo magnanimitatis eſt, nec timidum eſſe hominem, nec audacem.* Magnanimitati quidem non ſolùm tribuitur adverſa ferre; ſed etiam beneficia magna tribuere: dixit enim Ariſtoteles: *Magnanimitas eſt virtus magnorum beneficiorum effectiva, cujus contrarium eſt puſillanimitas.* Attamen aliquando ſumitur prout coincidit cum fortitudine. Sic illam accepit loco citato S. Præſul: nam dixerat initio capitis 2: *Magnanimitas verò, quæ & fortitudo dicitur*, &c. Quamobrem, cum fortitudo menſuram ſuam vendicet refugiens à deſcenſu ad puſillanimitatem, & elevatione ad audaciam; neceſſarium eſt, ut fortis aliquid timoris admittat. Fortitudinis munus eſt protegere fortem: & quomodo proteget hominem cui nil metuat? Reſpondebit ſciolus aliquis, perfectiſſimam in Deo reperiri fortitudinem; cum tamen ipſe nihil timeat. Reſpondendum eſt primò. Fortaſſis ad hoc ut in Deo reperiretur fortitudo ſecundùm rationem proximè notatam, factus eſt homo. Sic in eo locum timor habuit, & fortitudo timori commixta, ſublatis imperfectionibus. Sed omittamus hoc: & meditemur Deum quatenus Deus eſt, fortitudine pollentem, & metûs expertem. An tu velles eâ fortitudine prævalere, quæ divinam exæquet? Præſumptuoſum foret hoc nimis. Fortitudinem haud velis divinam; ſed tuam, quæ timoris non reſpuit conſortium.

Ariſtot. 3. Eth.

S. Martin. Epiſc. Dumien. in form. honeſt. vit. c. 4.

Ariſtot. l. 2. rhetor.

S. Martin. prox. ſup. c. 2.

48. Madianitarum hoſtilitatem expertus eſt Iſraël temporibus Gedeonis. Ad hunc venit Angelus, & generoſo titulo donavit eum, dicens: *Dominus tecum, virorum fortiſſimè.* Gedeon repoſuit; quomodo ſtaret cum prædictâ malorum perpeſſione quod eſſet cum Iſraëlitis Dominus? Tunc dictum eſt ei: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quod miſerim te.* Penſitabam, quare non potiùs dicitur ei: Vade in fortitudine mea: quia te mitto liberare populum? Accedit, illam fortitudinem, qua Gedeon debellavit hoſtes, innatam non fuiſſe Gedeoni totaliter. Nota commentarium Lirani. Vade in hac fortitudine tua, *quam habebis per aſſiſtentiam meam.* Et liberabis Iſraël, *non per teipſum, ſed per me.* Putares, Gedeonem tunc auditurum, ſibi divinam fortitudinem repromitti. Non ſic audivit; ſed: *Vade in hac fortitudine tua*, &c. Cur ita? Ne Gedeon præſumeret, communicandam ſibi fortitudinem tam ſimilem divinæ, quòd omnem timorem propelleret. Potiùs metui commiſcenda fuerat ſtrenuitas. Robur naturale Gedeonis eo tempore ſocium habebat metum: legimus enim quòd parabat fugam cùm Angelus apparuit ei. *Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait:* &c. Divina providentia non optavit eum penitus reddere metûs exortem; ſed voluit Omnipotens, ut ex parte metuens fortiter ageret: ſic enim fortitudini creatæ mos eſt. Hæc ratione fortiori verificantur de terrore Dei, qui virtus eſt fortium: nam, cum robuſtos efficiat ille pavor, verè quidem *in timore Domini fiducia fortitudinis.*

Judic. 6. 12.

Ib. n. 14.

Lira in com. ib.

Iudic. 6. 11. 12.

DELIBATIO V.

Timor magiſter. Largius remuneratur pater in filiis. Deus flectitur nomine patris. Sperans in Domino vigilet. Conſervatio beneficii quantam poſtulet operam.

49. ET *filiis ejus.* Juxta priorem expoſitionem, quam in commentario ſecutus non ſum, dicam aliquid, ut hæc verba rurſus illuſtremus. Conformiter ad illam filii timoris dicuntur ii, qui Deum ſummè timent. Equidem timor in hominis mente quaſi pater, vel materfamilias eſt: qui dum adeſt, præſentiâ ſuâ compeſcit tumultum cogitationum; cum abeſt, locus datur ut inſanientes imitentur. Non parum Juſtinianus opitulatur dictis: ait enim: *Nam ſi ad momentum à domo mentis diſcedat*

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 2. de timo.

diſcedat timor, quaſi abſente domina, cogitationum ſe clamor, velut ancillarum garrula turba multiplicat, & affectionum carnalium ignis accenditur. Ut verò ad mentem timor redierit, mox confuſio tumultuoſa compeſcitur, & more ancillarum ſe ad injunctum opus mens ipſa tacitè reprimit, & tunc cogitationes affectioneſque protinus ſe cauſis propriis ad utilitatem ſubdunt. Multam progignit ſeriem ſtirpis ille nobilis parens; timor, inquam, Dei.

Id. m ibi. Lege denuo Præſulem Venetiarum. *De timore autem*, ait, *Domini compunctio naſcitur ſalutaris, de compunctione cordis nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur*, &c. Cernis quàm generoſa progenies ortum ducat ex timore Domini? Adhuc alios producere potuiſſem, quos ipſe producit. Hanc totam familiam timor pater continet, alit, atque gubernat. Scio nihilominus advocari magiſtrum ſpiritualem, qui velut alter genitor documenta præbeat filiis timoris. Sed in præceptoris defectu, non dubitarem aſſerere, timorem ſupplere poſſe locum viri ſpiritualia docentis. Necnon ipſe metus magiſterio corrigit errata, dirigit ad recta.

50. Magiſter Gentium alumnos piâ ſollicitudine proſequens Philippenſes, hortabatur eos, ut cum timore curarent de ſalute propria, dum abeſſet ille. *Itaque chariſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Commentatur ibi Remigius Epiſcopus: *Id eſt, vitam æternam vobis præparate.* An conveniens valde non foret diſcipulis, quos per litteras monebat, ut in abſentiâ poſitus Paulus delegaret alicui viro jam in rebus attinentibus animam doctiori, curam agere Philippenſium tempore, quo diſtabat Apoſtolus? Exiſtimo, putaviſſe, non eos indigere tunc præſenti magiſtro, qui de ſpiritualibus hortaretur, ſi præſtarent illi quod ipſe monuit verbis præcitatis. Iterum perpende quid ſcribat ſollicitus Præceptor. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Timorem Dei ſubſtituebat præſentiæ ſuæ Doctor inclytus: à formidine quippe corrigerentur Philippenſes, dato quòd peccarent; non minùs fructuosè, quàm ab Apoſtolo dum aderat corripi valebant. Rumina Primaſii verba ſuper eum locum: *Quia*, inquit, *ſi quid me præſente liberiùs agebatis, corrigi poteratis.* Ergo dum aberat Paulus, à timore fuerant corrigendi, ſi liberiùs agerent. Inſuper dixerim, timorem Dei mortales efficaciùs continere, ne declinent ab itinere ſalubri, quam docentis verba: nam hæc exteriùs perſonant; ille verò cor pulſat intus. Non vanè quaſi patrem juſti dicemus timorem: quia filii bene morati magis hortatui parentis obediunt, quam præſcripto magiſtri. Proinde (non obſtantibus quæ dicta ſunt in hujus parœmiæ commentario) ſi placet, puta, filios timoris appellari ſummè timentes Deum, cum dicitur apud Salomonem in dogmate noſtro: *& filius ejus* &c.

Ad Philipp. 2. 12.

Remig. Epiſc. in com. ib.

Primaſ. in com. ib.

Modò nonnihil ſubjiciam, verſans expoſitionem ſecundam verborum Parœmiaſtæ: quam præterivimus aperientes litteram: juxta quam interpretationem, pars iſta ſententiæ valet q. d. Filiis timentis Deum erit ſpes. Accipe Janſenium ad hanc parabolam. *Significatur*, inquit, *ergo non tantum timenti Dominum bene eſſe, qui per timorem Domini bonam habet fiduciam fortitudinis, ſed & fortitudinis ejus, propter patris merita, bonam eſſe ſpem apud Deum, quod ab eo protegentur & beneficiis afficientur*, &c. Novum non eſt à Deo remunerari patrem per exhibita dona genitis. Et non incongruè ſic afficit parentes præmio largitor munerum prudentiſſimus: filius quippe veluti genitoris pars eſt; & quod parti prodeſt commoditas frequenter totius eſt. Accedit quod paterna dilectio gignentem quaſi transformat in ſobolem. S. Laurentius Juſtinianus: *Quicquid proſperitatis arriſerit, quicquid acciderit gaudii, quicquid felicitatis ſucceſſus inopinatè, ſive ex induſtria venerit, tamquam ſibi totum communicat filio: quatenus delectatione quadam filii ſe transformet in filium. Hoc natura docet: hoc diuturnitatis appetitus ſuggerit: hoc charitatis jura miniſtrant.* Cum igitur parens & gnatus amore mutuò ferè transformentur, non parcè ſtipendio donatur à Domino genitor, cum filius accipit pro ejus merito præmium. Quin etiam, dum eximium parentum erga ſtirpem ſuam perpendis affectum, tibi mirum non erit, ſi dicamus, plus muneris à Deo præmiante genitoribus donari, cùm remunerantur in filiis; quàm dum ſibimetipſis accipiunt meriti proprii mercedem. Is gignentium eſt in liberos fervidus amor, ut ampliùs recipere credatur, ſi filius ob paternas virtutes felicitate donetur.

51. *Largius remuneratur pater inſiliis.*

Ianſen. in Prov. 14. 26.

S. Laur. Iuſt. in faſc. amor. c. 6. longe poſt med.

Verſiculos quoſdam ex hoc Salomonis capite nuper dimiſi. Nunc ſcrupulo pungente, ad unum ex omiſſis regrediar. ait Paræmiaſtes: *Qui autem miſeretur pauperis, beatus erit.* Ubi lectio Hebraïca. *Beatitudines illius.* Quam lectionem premens Rodolphus addit: *Supple: Sunt multæ.* Divertamus hinc ad eumdem Sapientem alibi. *Juſtus*, ait, *qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet.* Vatablus ex Hebræo vertit: *Ambulantis in probitate ſua juſti felices ſunt filii poſt ipſum.* Probitas equidem abſolutè dicta non unicum ſignificat virtutis opus; imo plurima comprehendit. Adeſt Cornelius Alapide: qui notans Liranum quod illud, *In ſimplicitate*, commentatus fuerit arctè, ſic habet: *Pleniùs dixiſſet: Sine iniquitatis vel peccati plicâ:* His præmiſſis utrumque locum ſic mutuò conferebam. Prioribus verbis repromittitur propter ſolam pietatem erga indigum beatitudo multiplex, juxta litteram originariam? *Beatitudines illius*: & in pretium tot actionum laudabilium, quot probitas dicta ſimpliciter complectitur, unicè ſpondetur beatitudo gnatorum? *Beatos poſt ſe filios derelinquet.* Neu mirandum. Tam propenſus eſt in genitorum commoda pater, quod cùm remuneratur ob unicam virtutem eleemoſynæ (cui

52. Prov. 14. 21.

Lect. Heb. ib.

Rodolph. in com. ibid.

Prov. 20. 7.

Vatabl. ex Heb. ib.

Cornel. Alap. in com. ibid.

retributio reſpondet minor, quàm puritati penitus à peccato mundæ) dicatur afficiendus præmio, loco citato, non in propriis filiis equidem ; ſed in ſemetipſo. Cum verò cap. 20. Salomon agit de viro prorſus inculpato (qui ſanè dignus eſt præmio cumulatiſſimo) dixit in filiis remunerandum : quoniam genitores hunc divinæ remunerationis modum faciunt multi. Sapientiſſima ſupremi Gubernatoris manus juſtos multoties in ſobole mercedibus replet ; ſciens, parentes in hoc præmiandi genere plurimùm complacere. Quapropter id optimè noſcens Eccleſiaſtes, fortaſſis ut genitores ad timorem Dei vel amplectendum, vel conſervandum commoveat, inſinuavit quod timens Deum negotiatur ſpem filiis propriis. *Et filiis ejus* &c.

53. *Valde movetur Deus ad pietatem, ſi vocemus eum nomine parentis.*

Tandem hæc ipſa verba nunc examinabo juxta ſenſum, quem prætuli, dum hærerem in ejus litteræ cortice. Secundùm illam, *Filiis ejus*, idem valet atque, Filiis Dei. Spes noſtra plurimum roboris accipit ex nobili radice ; ratione cujus filii Dei nominamur, & ſumus. S. Antoninus : *Multum*, ait, *habet movere hominem ad ſperandum : hoc conſiderando quod Deus eſt pater noſter.* Ut ſpe non cadamus, cùm ſupplicationes ad conſpectum deferimus Altiſſimi ; cogitemus quantum ipſe gaudeat parens dici noſtrûm. Hujus complacentiæ ſignum eſt apertum quòd, cum inter homines qui filios adoptat, eo quòd ſobole careat ; ſi poſtea naſcatur ipſi proles, jam non tantâ ſollicitudine proſequitur adoptivos. Deus autem, quamvis ex æternitate filium habeat naturalem ; adhuc adoptivos ita cupit noſipſos, quòd naturalem pius miſit in terras, ut nos eſſemus adoptivè. Tempeſtivè S. Auguſtinus : *Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant ſibi, & voluntate faciunt quod natura non potuerunt : hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, qui ſolus omnia poſſeſſurus eſt, & non habebit qui cum eo dividat hereditatem, ut pauperior remaneat. Non ſic Deus, unicum ipſum quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, miſit in hunc mundum, ut non eſſet unicus, ſed fratres haberet adoptatos.* Cum ergo Deus ita nobis manifeſtum exhibuerit quantùm complaceat in eo quòd pater à nobis appelletur, non multum audeo, ſi dicam, videri poſſe, quòd aliquando moveat ampliùs Deum ab hominibus vocari patrem, quàm multa recta opera perficere, vel oblationes afferre coram Domino. Flagellum arripit, ut caſtiget : quædam operaris bona, vel offers donaria : non ſemel haud ille placatur iſtis. Voca patrem ; forſitan deponet flagrum.

S. Antonin. p. 4. tit. 7. c. 2. §. 4. poſt pr.

S. Auguſt. to. 9. tract. 2. in Ioann. longe poſt med.

54. Ieremi. 2. 22.

Averſatus Dominus plebem ſuam propter culpæ fœditatem, dixit ad illam per Jeremiam : *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Ubi Carthuſianus : *Id eſt quantumcumque per exteriora quædam opera ex ſuo genere bona, vel per ſacrificia te purgare ſtudueris, nihil tibi proderit, quandiu ab impietatis amore ſeu inordinato affectu intus non emundaveris.* Audis quam ſeverè loquatur per Prophetam ! Apud eumdem ſequenti capite Deus inſinuat, flagellum, quo manum contra ſynagogam armaverat, depoſuiſſe ; quaſi per ſynagogam ipſam fuerit flagrum è manu velut extortum. *Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti.* Cornelius in hunc locum : *Q. d. mox ut hæc, quæ dixi, locuta fueris, & oraveris, quamvis multa mala feceris ; potuiſti, id eſt poteris, id eſt prævalebis contra me, vinces & flectes me, ac flagellum quod tibi intento, è manu mea extorquebis, meque in priſtinum tui amorem rapies.* Bone Deus ! Quid tibi ſynagoga dictura fuerat, quô ſic pervaleret, atque flecteret iratum ? Deus ipſe docebat eam fari ſic, ut ſponte vinceretur ab eâdem ejus ira : *Ergo ſaltem amodò voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es : numquid iraſcêris in perpetuum, aut perſeverabis in finem ?* Tam Domino placet hominis verbo dici pater ; ut cum per ſacrificia, vel alia opera quædam exteriora de ſe recta, ſe non placandum Iſraëli priùs inſinuaverit apud Jeremiam ; poſtea legamus commovendum ad pietatem, ſi nomine parentis à peccatoribus illis appellaretur. Meritò igitur, cùm Deum invocat Juſtus genitorem, *filiis ejus erit ſpes.*

Ieremi. 3. 5.

Cornel. Alap. in com. ib.

Ieremi. 3. 4. 5.

55. *Prudens ita ſperat in Domino, quòd vigilat.*

Poſtquam diximus, firmandam ſpem noſtram in Deo, ſicut filii ſolent in parente ; notandum eſt, ſimilitudinem iſtam non in omnibus tenere circumſtantiis. Duplicem diverſitatem afferre nunc operæ pretium eſt inter expectationem genitorum poſitam in ſuo terreno patre ; præſtolationemque juſtorum commiſſam Altiſſimo. Prima ſit quòd filii temporales ut plurimùm, cùm expectant pinguem hereditatem à genitoribus relinquendam, indulgent ſomno, totam ſui curam projicientes in amorem paternum. Non ſic pii, non ſic ; ſed quamvis de ſollicitudine ſummi Parentis, qui donabit eos hereditate locupleti, ſanctè præſumant ; jugiter invigilant, ne pauperes fiant. Secunda ſit quòd filius hominis expectabit ab eo quidem bona hereditaria ; non autem præſtolabitur à genitore conſervationem illorum : quomodo enim poterit iſte defunctus ab invaſoribus eum tueri ? Deus autem ſuis dona tribuere, ſervareque potentiſſimus eſt. Ad primam diſparitatem ſuperiùs notatam perpendendam accedo. Navigant fideles in Eccleſiæ navi, cujus (more noſtro loquimur) Deus nauclerus eſt. Putant aliqui, ſibi non perpetuò vigilandum ; cum ipſi non gubernent curſum navigii ; ſed nautæ ſint. Hæc ſomnolentia redarguitur facillimè : cum enim procella furit, non ſolus excubat ratîs ductor ; ſed cuncti navitæ. Timent omnes : quis non imprudens tunc ſtertet ? In enavigatione vitæ detonat continuè tempeſtas : ut quid gubernatori totam vigiliam relinquens homo ſpem in illo ponens dormiet ? Stultum erit hoc : nam ſic ſe gerens indicat, ſpem timore deſtitutam fovere. Notum rectè ſentientibus eſt quod expreſſit Cardinalis Goffridus, inquiens :

Dion. Carth. in com. ib.

Spes

Card. Goffr. ſer. 9 de B. Magd. longe poſt princ. *Spes ſine timore, ſtulta præſumptio.* Aderit Salvator ſollicitudine paternâ; ſed vigilantibus erit præſto; non ſupinè jacentibus. D. Ambroſius inquit: *Non ſic amittitur Chriſtus, ut non reperiatur, ſi tamen requiratur: ſed vigilantibus regreditur, & exurgentibus præſtò eſt, imo omnibus adeſt, quia ubique ſemper eſt, qui complet omnia. Nulli enim deficit, nos deficimus.* Prudens ergo ſic ſperet in Domino, quod vigilet.

S Ambroſ. to 3. l. 3. in Luc. fi.

56. Mutuò conferam duplicem regem pium: animadvertens quàm diverſimodè loquantur circa ſpem nixam Domino. Ezechias, cum ageret Creatori gratias (vel per ſe, vel per Iſaiam) pro ſanitate reſtitutâ, dixit: *Sperabam uſque ad mane*, &c. Meditare modò qualiter David hortetur Iſraëlem in Conditore ſperare. *A cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet Iſraël in Domino.* Non eſt parum veroſimile quòd in Pſalmiſtæ verbis illud, *Uſque ad*, ſumatur excluſivè, ſcilicet excludendo noctem. Forſan hæc mens Hilarii, dum Pſalmum illuſtrat eumdem. *Recordemur*, inquit, *Evangelicæ comparationis tenorem, & meminerimus quoſdam operarios vineæ omnem in labore diem tranſigere. A cuſtodia matutina uſque in noctem propheta ſperat: nullum tempus habet vacuum, totius diei indefeſſus operarius eſt.* Et infra: *Hora undecima eſt, concluſa diei ſunt tempora: curramus omnes, feſtinemus ne nox adſit, ne hora prætereat.* Duos illos reges ad invicem collatos, in modo loquendi, mente ponderabam: requirens cur ita diſſideant: alter nempe monens Iſraël, ut ſperet in Domino diurno tempore; alter verò confeſſus, noctu ſperaviſſe uſque ad mane. Deliberavi, cum David foret in rebus animam concernentibus doctior, ſapientiùs elocutum; quippe qui diurnum tempus appropriavit ſpei ponendæ in Deo: homines enim vigilant in die; noctu dormiunt. Sic per os Davidis inſinuavit Spiritus almus, invigilandum eſſe ſperantibus in Domino. Non abeſt S. Bernardus; quantumvis aliorſum loquatur. *Stultus* ait, *ego qui tantum ſperabam uſque ad mane: cum David dicat*: A cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet Iſraël in domino. *Et quoniam puſillus in ſpe: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea: robur omne videlicet de quo adhuc ſub tutela gratiæ futurorum improvidus confidebam.* Non omnia curæ paternæ Domini tradenda ſunt eo modo, quo filii plures humanis parentibus quæ pertinent ad ſe derelinquunt omnino.

Iſaï. 38. 13.

Pſal. 129 6.

S. Hilar. com. in eum Pſal. prox.

D Bernard. ſer. de Cant. Ezech. ante med.

57. *Munus eſt ſpecialem poſtulans operam, conſervare beneficium ſemel factum.* Sequitur explananda poſtremo diſparitas illa ſecunda, quam inter filios hominum, ac genitos Dei notabam intercedere. Temporalis pater gnato providet uberem domum poſtea poſſidendam: non tamen potens erit eam, cùm à prole demum poſſidetur, ab invadentibus contutari. Fatuus nimis eſſet filius, qui ſperaret, ſe, quando jam patri ſuccederet in bonis, fore tuendum ab illo, ne ſuæ diriperentur fortunæ. Imo quamvis adhuc viveret parens, & jam ceſſiſſet bonis, ut, vitâ ſuâ manente, gnatus prædilectus frueretur eis; multories vix poſſet prædictas poſſeſſiones filii ſervare; cum plurimi prodeant è rectis patribus filii mali, ſubſtantiæque diſſipatores. Vel prudentes aliquando credunt, ſibi ſimiles futuros eſſe genitos. O quoties deſiderio non reſpondet eventus. Aurelius: *Prudentiſſimus*, ait, *quiſque filium ſimilem fore ſuî credit, quod longe ſecus evenit, quaſi naturæ lege quæ crebrò tamquam ex induſtria malos è bonis, agreſtes è doctoribus, & cæteros hujuſcemodi ſeu contrà gignit, quo demum exemplo, ſapientium plures caruiſſe liberis utilius duxere.* Non ſemel genitor prudenter parcus generat filium prodigalitate præcipitem: ac proinde, licet eo tempore, quo filio traditæ ſunt paternæ facultates, parens adhuc ſuperviveret, difficulter poſſet earum conſervationem contra filium defendere. Multò minùs expectari quit, ut hoc ipſum valeat mortuus, vel natum à direptoribus protegere. Deinceps accedit bonorum temporalium fugacitas: de qua Conſtantius: *Nihil*, inquit, *eſt in vita durabile: non opes, non imperium, non potentia.* Stultiſſimè putabit filius, in parentis poteſtate poſitum eſſe, poſſeſſionem bonorum, quibus fruetur, ſtabilire conſtanter. Aliter contingit in ſpe Deo nixa: non enim eſt minus potens ut conſervet, quàm ut largiatur. Imo quandoque Dominus omnipotentiæ vires fortiùs adhibet, ut ſuis temporaneam felicitatem ſervet; quàm appoſuerat priùs cum tribueret. Munus eſt ſpecialem poſtulans operam conſervare beneficium ſemel collatum.

Aurel. Vict. de Cæſar.

Conſtant. Manaſſ. in annal.

58. De Pharaonis dirâ ſervitute plebem ſuam potenter Deus eduxit, & per invia protexit euntem. De priori beneficio, priuſquam fieret, ſic loquebatur Dominus ad Moyſen: *Ego ſcio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, niſi per manum validam.* De protectione verò, qua populum fuit proſecutus amicè Moyſes idem ſic habet: *Aſſumpſit eum; atque portavit in humeris ſuis.* Obvium lectoribus eſt advertere quantùm phraſis utriuſque loci diſcordet. Priori denotatur, populum fuiſſe liberandum interpoſitâ Dei manu; poſteriori verò ſignificatur, Dominum (humano more loquimur) appoſuiſſe humeros, ut portaret Iſraël; & in tutô poneret felicique domicilio. Quod humeros poſtulat res valde magni ponderis eſt; quod autem peragit manus, quantumlibet valida, minus extare comperimus. Certè liberatio Jacobitarum de poteſtate regis Ægypti negotium fuit non modicum. Igitur, quare Deus non dixit in Exodo, ſe plebem erepturum appoſitis humeris ad factum, quod tantam vendicabat indaginem? cum verò ſermo fit de protectione populi per viam, hoc inſinuatur fuiſſe geſtum, quaſi Deus portaret Hebræos corporalibus humeris? Conjector, hîc inſinuari quantò majus exiſtat opus omnipotentiæ felicitatem jam donatam conſervare; quàm eamdem primò conferre. Dominus redimens Iſraëlitas, reddidit eos felices: hoc non tantæ molis erat, ut fortioribus terminis, loquente Deo, proponeretur. At verò fortunam iſtam ſemel conceſſam providentiâ

Exod. 3. 19.

Deuter. 32. 11.

videntiâ protegente ſervari fuit Omnipotentis operatio maxima. Quod ut Spiritus ſanctus per os Moyſis inſinuaret, cum ſufficeret aſſerere, Deum per itineris longi ſpatia manuduxiſſe filios Iſraël ; dictum eſt : *Portavit in humeris ſuis.* En quantò majus quid aſſeverari queat beneficii conſervatio, quàm largitio. Protector filiorum Deus utramque paternali curat affectu : proindeque tam de ſuſcipiendis, quàm de ſervandis ab eo donis *filius ejus erit ſpes.*

FLOS XXXII.

Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.

APERITUR.

1. BREVITER hîc expediunt à ſe commentatores : breviſſimus Rodolphus hoc loco exorbitat à littera, ſicut facilè quiſque cernet : exponit enim ſic : *Propter timorem ſuum Dominus erit timentibus ſe quaſi fons vitæ, hoc eſt perpetuum refugium*, &c. Interlinearis habet : *Ducit ad eum qui eſt fons vitæ.* Expoſitiones iſtas amplecti non deliberavi (dato quòd à ſuis authoribus tamquam litterales offerantur) quia nec in Vulgata, nec in Origine quidquam occurrit conſideranti, quod ipſis faveat : nec etiam eſt cur ad Hebraïſmum recurramus ; quo Dei timor in illo idiomate ſumitur aliquando pro Deo, qui timetur. Aben Eſra dixit, ſubintelligendam eſſe hujus initio ſententiæ particulam, *Propter*. Non probat quod aſſerit : quid mirum ſi nos hoc non probemus ?

Rodolph. in Prov. 14. 27.

Interlin. ib.

2. Accipienda igitur prima pars proverbii planè, prout Vulgata ſonat. Ita placuit Hugoni Cardinali & Salazari : qui commentatur verba Salomonis de timore, quo Deus timetur. Et bene : quia, prout notavit Mapheus, *timor fundamentum ſalutis eſt*, &c. Minùs aptè Cornelius Alapide ſumit vocem, *Timor*, pro obſervatione præceptorum Dei. Non placet : quia fundamentum non adducit, ut nunc ſumamus illud nomen in ſignificatione tam latâ. Nunc examinandum eſt, de qua vita ſermo ſit, cùm aſſeveratur, Domini timorem eſſe fontem vitæ. Cornelius idem accipit de vita gratiæ, virtutum, & gloriæ. Melius Dionyſius Carthuſianus explicuit de ſola vita gratiæ : cujus fontis rivos dicit actiones meritorias. Gratiæ congruit optimè nomen fontis. Lege Radulphum. *Si igitur ſpiritualis gratia aqua viva eſt, eademque ex Domini verbis hauritur*, &c.

Maphe. Veg. de perſever. relig. l. 3. c. 1.

Cornel. Alap. in Proverb. 14. 27.

Idem, & Carthuſ. ib.

Radulph. l. 1. 10. in Levit. c. 1. longe poſt princ.

3. Circa poſteriora verba parabolæ ſeſe objicit inquirendum, de qua ruina mortis interpretanda ſint. Certum judico, nequaquam fuiſſe mentem Sapientis agere de temporali morte : quamvis enim, quia juſtorum exitus vocari poteſt vitalis, ideo meditari liceat, rectos per timorem Domini declinare mortis ruinam ; nihilominus, ſi bene libretur proverbium, altiorem doctrinam continere judicabitur. Igitur omiſſâ morte naturæ, deliberandum reſtat, an ibi ſignificetur infernus, an peccatum ; cum agnoſcamus, utrumque venire poſſe nomine mortis. Unum & alterum Carthuſianus & Lira conjunxerunt in eâdem voce : ſed magis arridet exponere cum Beda de ſolo peccato. Satis atque ſuper noxa lethalis affert ruinæ : Dei timor multum ſatagit hanc vitare. S. Laurentius Juſtinianus : *Nihil*, inquit, *profectò in hac vita ſic metuendum eſt, quemadmodum peccatum* : &c.

Dion. Carth. Lira & Beda in Prov. 14. 27.

4. Verbatim revocemus dogma nunc ad conſiderationis trutinam. *Timor Domini.* Vigiliam ſuadet metus ; ſicut econtrà ſecuritas vana conſulit ſomnos. Non qualicumque formidine, ſed tremore dignum eſt peccati diſcrimen. S. Cæſarius : *Sapiens ergo ſemper in compunctione, & ſemper in metu eſt : & ut de præteritis* (alia lectio habet : *Præſentibus*) *ſuſpirat malis, ita de futuris periculis pervigili ſollicitudine contremiſcit.*

S. Cæſar. Epiſc. Arelat. hom. 29. longe à princ.

Domini. Quamvis hoc titulo Deum timere congruat ; necnon metuendus eſt ut pater : ne ſcilicet à nobis aliquid agatur, quod amantiſſimi parentis oculos offendat. Salonius : *Quia*, inquit, *ſicut bonus filius timet, ne vel in modico offendat oculos amantiſſimi patris ; ſic & qui perfecti ſunt in Eccleſia, timent, ne peccando offendant oculos Dei.*

Salon. in Prov. 1.

5. *Fons.* Inter aquam timoremque Dei ſimilitudines aliquas notavit acutè Bernardus, inquiens : *Timor Domini aqua eſt, quæ jacula inimici ignita poſſit extinguere. Nam nec illud diſſonat, quod aqua ſemper ima petit : & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur : atque loca horrenda pavidâ mente colluſtrat*, &c. Aliæ poſſunt analogiæ ſuperaddi timoris & aquæ : nam etiam ille perutilis eſt, ut laventur ſordida, molliantur dura ; necnon quò homo per cognitionem propriam faciem ſuam cernat ſpiritualem ; ſicuti corpoream videre ſolemus in aquarum cryſtallo.

S. Bernard. ſer. 1. Dom. 1. poſt Oct. Epiph.

Vitæ. Vitam gratiæ ſignificari dixi per hoc vocabulum. Et quidem à gratia fit, ut ferè nihil in juſto ſit non vitale. S. Thomas à Villa nova : *Omne enim quod in viro ſancto eſt, ſalutiferum eſt, vita, converſatio, verbum, veſtitus, inceſſus, cibus, motus, geſtus, opus, omnia ad ſanitatem gentium, quicquid facit, quicquid loquitur, quicquid oſtendit videntium populorum ſalus & vita eſt.* Fateor attamen Salomonem hîc non loqui de vita gratiæ, prout eſt utilis aliis : nam ſententia tota clauditur intra timentes Dominum.

S. Thom. à Vill. no. ſer. de S. Nicol. longe poſt med.

6. *Ut declinent.* Non dictum aſt : Ut ſint expertes periculi ruinæ ſpiritualis ; ne putares, timentibus Deum contingere ſecuritatem de prædicto diſcrimine, dum vita manet. Mente reponamus verba D. Cæſarii. *Quis in acie poſitus ante finem certaminis, aut ante victoriæ ſecuritatem arma deponat ? Nemo ergo ſecurum debere ſe eſſe judicet, antequam ad finem felici conſummatione perveniat.* Sed alibi latius de hoc dictum eſt.

S. Cæſar. prox. ſup.

7. *A ruina.* Ædificium intra noſmetipſos erigimus, dantes operam virtutibus. Hoc ipſum ruere facimus, cum delinquimus. Unum peccatum æquat ſolo domum: quæ non uno conſtruitur lapide; ſed pluribus conſtat. S. Gregorius Papa: *Solidum mentis noſtræ ædificium, prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia ſuſtinet.* Solidam, inquam, ædificationem de multo lapide ſpirituali facit exurgere gratia: ſed non adeo ſtabilem, quod non tentatione concutiatur, & fiat ita caſui proxima, quòd in aliquo ſenſu jam dici queat obrui domum, cum tentatur mens fortiter. Idem Pontifex: *Ventus*, ait: *ergo vehemens quattuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quattuor virtutes quatit: & quaſi quaſſatis angulis domus obruitur, dum pulſatis virtutibus conſcientia turbatur.*

D Gregor. Mag to. 1. l. 1 mor. c. 26. n. 36. in pr.

Idem. ib.

8. *Mortis.* Tam frequenter expendebam locis aliis quàm verè peccatum grave mors dicatur, ut nunc ab iſtâ doctrina ſupersedendum eſſe deliberaverim. Sed cur non donabo tibi, lector, verba Luſitani Doctoris, quæ gratis accepi? De filio viduæ, quem Dominus apud Lucam ſuſcitavit, dixit ille: *Defunctus, qui coram multis extra portam effertur, ſignificat criminaliter peccantem, & peccatum non cubiculo cordis tegentem, ſed indicio corporis, vel locutionis quaſi per oſtia aliis ſuæ civitatis propalantem.* Hoc adnotabo tamen, ſcilicet quòd peccator indicans proprium crimen aliis, differt à vita functo qui defertur ad tumulum in eo, quòd iſte honoratur, cum deducitur ad monumentum; ille verò per crimen quodcumque dedecoratur apud rectè ſentientes. Ergo qui Deum non paves; metu ſaltem dedecoris cave delictum.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 16. Poſt Trinit.

DELIBATIO I.

Analogia virtutis & fontis aliquot ſimilitudinibus fulcitur.

9. *An Salvator magis decoravit hominem faciens eum ſuæ humilitatis participem, quàm gloriâ conſortem?*

NOn mihi moris eſt probabiles interpretum expoſitiones ita dimittere, quòd videar aſpernari. Dum litteram aperirem, diſplicuit Cornelius Alapide volens, accipiendam nomine timoris Domini totam obſervationem præceptorum Dei. Nunc ad ipſum regredior Commentatorem: & numerabo ſimilitudines aliquas inter virtutem ſimpliciter & abſolutè dictam (quæ licet appelletur nomine timoris adeo multa complectitur) & fontem aquæ. Paritas prima ſit. Non in præaltis nubibus naſcuntur fontes: oriuntur in terra; ſæpeque vallibus pro natali ſolo contentæ ſunt: & quamvis argenti plurimum quaſi poſſidentes diteſcant, non de more divitum quorumdam obliviſcuntur obſcura natalitia. Sic & virtus, quantumlibet ſpirituali theſauro copioſa fiat, non turget ſuperbiâ. Salvatorem imitatur: qui fons extat, & venit in terras, ut humilitatem doceret mortales. Utere S. Ambroſio. *Fons*, inquit, *eſt omnium vitæ Chriſtus*, &c. & alibi: *Humiliavit ſe ut diſceres quid ſit humilitas.* O quantum nobis reſtat addiſcendum, ad hoc ut humilitatis conditionem rectè calleamus! Dum externam humilitatis faciem dijudicamus, virtutem iſtam cenſemus abjectiſſimam, ſi proſpiciamus intrò, præcelſam agnoſcemus illam. Contemplare quàm ſublime ſit homini gloriæ Filii Dei conſortem fieri: adhuc aliquis putabit, Servatorem plùs hominem decoraviſſe per hoc, quòd ſuæ dimiſſionis participem fecerit eum, quam in efficiendo gloriæ ſuæ contubernalem. Videri poterit, amabiliorem ſe præſtitiſſe Chriſtum Dominum in efficiendâ creaturâ ſodali ſuæ humilitatis, quàm in donando majeſtatis conſortio.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Iſaac & anima c. 8. juxta fi. & to 1. exp. poſt Pſal. 43.

10. Auditis Magis necem intentavit Herodes nato recens puello ſubdolus: injungens, ut cum inveniſſent illum, renuntiarent ipſi. Sic ei perſuaſit amittendi regni metus. Sæpius impietas nemine perſequente paveſcit. Illuſerunt iniquo regi Sapientes: & illuſus ipſe, vento ſuperbiæ furens, tenellas plantas barbarè tulit è medio. Quod priuſquam executioni daretur, *Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum & eſto ibi uſque dum dicam tibi.* Hærebit quivis in eo quòd Filius Dei voluerit, ſecum deferri Virginem ad Ægyptum; cum proclive ſit intueri Deiparæ laborem & verecundiam in hoc itinere: de quo S. Petrus Chryſologus: *Sic res*, inquit, *urget, ſic non vacat intueri, verecundiam virginis, laborem matris, ſexus pudorem*, &c. Similiter hæſitabam, cum cernerem, voluiſſe Redemptorem, quòd ſacra Puerpera ſimul cum Filio templo ſiſteretur; cum forent à lege penitus immunes ambo. Diligebat utique Salvator Mariæ ſodalitium. Sed cur, quæſo, non detulit eam ad montem, ubi transfiguratus eſt gloriosè? Exiſtimabam Aſſertorem noſtrum plus decoris viſum fuiſſe conferre dilectiſſimæ Parenti cùm die purificationis, ac in via, qua fugiebat Ægyptum, comitem habuit; quàm afficeret honore, ſi cum tribus diſcipulis illa cerneret claritatem vultûs ejuſdem. Quid mons, in quo ſplenduit Sol juſtitiæ ſignificaverit, non te latet. Cœleſtem beatitudinem ibi figuratam, videtur eſſe de mente S. Antonii. *Confiditis*, inquit, *vos poſſe aſcendere per aliam viam ad montem Thabor, ad requiem luminis, ad gloriam cœleſtis beatitudinis, niſi per ſcalam humilitatis, paupertatis, Dominicæ paſſionis?* Deinde non dubitas, Dominum exercituum incarnatum, cum declinaret ſævitiam irati regis, humilitatem exercuiſſe. Rupertus aderit. *Ergo*, ait, *quia debuit filius iſte unigenitus per omnia fratribus aſſimilari, excepta dumtaxat participatione peccati, oportuit illum fugere, & in illa Ægypto peregrinari*, &c. Non ignoras etiam voluntariam demiſſionem Principis gloriæ, cùm eumdem in templo die purificationis contemplaris: de quo S. Thomas à Villa nova: *In die circumciſionis*, ait, *homo peccator apparuit, cauterio peccatoris aduſtus: hodie ho-*

Matth. 2. 13.

Chryſol. ſer. 151. poſt princ.

S Anton ſer. ſabb. ante Dom 2 Quadrag.

Rupert. l. 2. in Matth. longe ante med.

S. Thom à Villa no ſer. de Purificat. poſt med.

mo peccator, ſervus apparet venumdatus ad altare: &c. Quodammodo penè judicabis, plus honoris datum eſſe Virgini, dum prædictarum humiliationum Filii ſui comes facta fuit; quàm ſi transfigurationis (in qua cœleſtis beatitudo præſignabatur) conſors extaret. Sic humilitas placuit Altiſſimo: proindeque vellet, juſtum fontis ad inſtar per vallem ſubmiſſionis demitti.

11. *Indignus promoveri curat; dignus non ita.*

Secundam ſimilitudinem inter aquam fontanam, & virtutem ſubjiciam: quæ necnon ad humilitatem ſpectat. Lympha deſcendit ſpontaneè; violenter verò ſurgit in altum: nihil inſumit hortulanus operæ, quò (ſemel datâ viâ) deſcendere faciat latices: cum verò ſurſum evocat aquas, vel brachii certantis labore, vel artificio, vim affert iiſdem. Sic juſti, quibus familiare nimis eſt latibula diligere, conſcendunt in præfecturas per violentiam. Timent diſplicere Domino: ſcienteſque dignitatum pericula, cùm vocantur ab hominibus ad eas, identidem refugiunt. S. Gregorius Papa ſcribit: *Quia ergo electi viri diſplicere Deo nolunt, prælationis officium ſuſcipere vocati refugiunt.* Metuunt humiles rationem de ſingulis, quibus præficiuntur, exactè reddendam: meminere mortalium proclivitatem, ut juſſis rationabilibus reluctentur, & inſultent adversùs eum, qui fræno cohibet eorum appetitiones illicitas: prævident anxietates quotidianas, quibus in præpoſituræ ſede, veluti clavîs in cruce figentur: ob oculos habent quàm ſit arduum opere complere præcepta illius, quæ meritò dicitur ars artium (ſic enim dicenda quæ docet hominem regere) cum præfecto ſit intellectus unicus; in ſubditis verò tot extent, quot capita: hæc, inquam, omnia mente verſat qui dignus eſt aſſumi pro tenendo regimine. Non ſic indignus cogitat iſta: nam is poſt terga mittit judicium Dei rationem poſtulaturi de commiſſis ovibus: oblivioni tradit ſubditorum reſiſtentiam; præſertim cum proponat iniquis morigerari. Fit inde, quòd ad ſceptra currit ultrò non dignus; qui verò meritis expectatiſſimus eſt, non ita.

D Gregor. Mag. to. 2. expoſ. in 1. Reg. to 1 4. c. 4 longe ante fin.

12. Cauſam ſuam circa dominationem populi ſibi negatam defendens publicè Joatham, propoſuit Sichimitis parabolam lignorum eligentium regem, pluribus myſteriis refertam. Imperium dixit oblatum ficui, olivæ, necnon & rhamno. Cenſeo notatione digna verba, quibus fingitur, ligna reſpondiſſe, cum ad imperandum vocarentur. Dixit oliva: *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Nota, olivam uſam fuiſſe verbo veniendi (*Venire ut inter ligna promovear?*) inſinuantem, quòd, ſi regnatura foret, ſibi veniendum eſſet à loco ubi erat: quod præſtare non poſſet, niſi radicitus evulſa. Similis notationis occaſio præſtò eſt in dicto ficûs: licet enim haud ibi legas: Venire; tamen in eundi verbo ſimiliter, ſi placet, hærebis. *Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire ut inter cætera ligna promovear?* Audi nunc quid rhamnus dixerit. *Si verè me regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Non prætereundum, nullam fieri mentionem verbis ultimò relatis, quòd ventura rhamnus foret, ut regimen exerceret. Priuſquam inveſtigem aliquid ſerviens inſtituto noſtro, ſupponendum eſt, per olivam & ficum ſignificari recuſantes dignitatem regendi; ecòntrariò viros indignos rhamno deſignari. Lira: *Præmittitur*, inquit, *parabola de oliva, ficu, & vinea, recuſantibus ſuper alias arbores promoveri: & per hoc ſignificantur tria genera hominum dignitatem refugientium.* Et infra: *Per rhamnum qui eſt arbor parva; & primo mollis eſt ſicut herba, poſtea vero ſpinas habet, ſignificantur homines indigni promotione*: &c. Itaque digni cum præficiuntur, accedunt velut radicibus avulſis, quod indicat violentiam; non ita ſi promoveatur indignus: hic enim, quia non recuſat, imo percupit coronari, nullam tunc vim patitur; ſicut non violentatur arbor, dum accedimus ad ejus umbram. Juſtus equidem, ſi cogitur apprehendere ſceptrum, violenter aſcendit; ſicut aqua patiens vim ſurſum levatur. Meritò virtus accipit nomen fontis.

Judic. 9. 9.

Ib. n. 11.

Ibid. n. 15.

Lira ib. ad n. 5.

Idem ib. ad n. 14.

13. *Aliquando de levi peccato pœnitet hominem citò; non ita de graviſſimo.*

Tertiò fonti ſimilis eſt virtus in eo, quòd, ſicut ille ſiccatus omnino, ſerò renaſcitur utplurimùm; ſic & virtus, dato quòd eveniat ut prorſus declinet ad vitia qui juſtus erat; nequaquam regredietur feſtinanter ad meliorem frugem. Naturalium experientia docet, optimum, ſi corrumpatur, fieri peſſimum; quaſi foret facilior tranſitus ab extremo in extremum, quàm ad medium. Necnon de levibus & gravibus, dum cadunt, ſumi poteſt ænigma. Decidit papyrus parva; ſed flante vento, facilè ſurſum evolat: ruit lapis graviſſimus, non eâ facilitate revocabitur in altum; & inſuper eò major eſt ejus ruina, quò decidit ex magis præruptо loco. Hæc ad caſum ſpiritualem accommoda. Labitur homo virtutibus tyro; reſurgit ocyus non ſemel: præcipitem ſe dedit jam provectus in ſpiritualibus: accidit ut iſte difficillimè ſurgat: Proderit legere S. Anſelmum. *Sicque fit*, ait, *ut ad pœnitentiam redire non valeant. Non quia mutari homines dum in hoc ſæculo ſunt, in melius non poſſint, ſed quia dum ex intimo corde vitia diligunt & virtutes negligunt, nec divinitus adjuvantur, ſed ab antiquo deceptore premuntur, converti nullo modo poſſunt. Tales ſunt, qui prius ad ſumma virtutum profecere, & poſt ad ima vitiorum prolapſi ſunt, id eſt, prorſus lapſi, vel procul lapſi, vel longe lapſi à priore ſtatu, ita ut longo tempore jaceant in ipſis vitiis ad quæ lapſi ſunt.* Jam non inſtituam comparationem inter incipientis ruinam, & virtute veterani; ſed eumdem tantùm hominem unicum expendo ſibi diſſimilem in exurgendo de duplici lapſu, altero levi, altero gravi. Nonnunquam evenit, ut leviter delinquentem pœniteat velociſſimè; non ita cum graviſſimè.

S. Anſel. in illud ad Hebræ. 6. 4. *Impoſſibile* &c.

Neceſſitas

14. Neceſſitas naturæ coëgit Saülem ingredi ſpeluncam, in qua David profugus, ipſo neſciente, latitabat. Potuit Jeſſæus Heros conſulere ſibimetipſi per hoſtis necem; & noluit. Suos verbis compeſcere curavit, ſuadere conantes ut è medio tolleret adverſarium: &, quod magis arduum, ſeipſum detriumphavit, abſtinens ab ultione. Præſcidit in ſuæ fidei teſtimonium oram Chlamidis regiæ. An peccavit in hoc David graviter? Non credam: quia, ſi lethaliter in eo peccaviſſet, non ibi meditaretur Gregorius Pontifex levem illorum culpam, qui præpoſitorum mala quædam tenuiter feriunt. Expende S. Doctoris moralem doctrinam.

S. Greg. Mag. 3. p. Paſtora. admonit. 50. ſi. *Qui & ſi quando pro infirmitate ſeſe abſtinere vix poſſunt, ut extrema quædam atque exteriora præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram chlamidis ſilenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati ſaltem innoxiè & latenter derogant, quaſi regis ſuperpoſiti veſtem ſecant* (alibi legitur: *Fœdant*) *ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeque vehementiſſimè vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt.* Ecce jam aperitur dubitandi ratio. Non longe diſtulit pœnitere David pro levi noxâ; qualis extitit præſciſſio chlamidis regiæ.

1. Reg 24. 5. 6. *Præcidit oram chlamidis Saül ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eo quod abſcidiſſet oram chlamidis Saül.* Laudo quidem feſtinationem Davidis in pœnitendo nunc. Sed vellem, ut cum graviſſimè deliquit, adulterium committens, & adulteræ maritum necari faciens, citius pœnituiſſet eumdem. Non extitiſſe velocem de tantis criminibus pœnitudinem: colligitur ex ipſo Textu: quatenus pœnitentiæ nullum ſignum refert in Davide, niſi cum propheta Nathan locutus eſt ad eum, ſupplicium denuntians: quo tempore non pauci fluxerant ab adulterio dies: cum jam natus eſſet puellus adulterinus; quem Vates moriturum denuntiavit in pœnam genitoris.

Sancti. com. in 2. Reg 12. 1. Accipe Sanctium, dicentem: *Multi jam fuerant exacti dies, neque tamen mens Davidi antiqua redierat, quam immoderatus carnis effectus eripuerat. Jam enim natus erat puer furtivâ venere*, &c. Quis non mirabitur, Davidem, qui priùs in re modicâ tam ſollicitus de pœnitentia fuit, nunc ſic obdormiſſe, quòd non niſi poſt ſpatia temporum, & Prophetam audiens reſipuerit? Sed admirationem ſilere cogamus: non inſolitum eſt, homines pœnitere citò de levibus, & morari cùm grave crimen admittunt. Non ſemel hoc juſtis aliquibus contingit; ad inſtar fontium: qui, ſi penitus exſiccantur, vel ſerò, vel nunquam oriuntur iterum.

15. *Adverſitatis tempore juſtus crescit.* Quartò comparari poſſunt fons & virtus in eo, quòd, ſicut ille tempore hyemis abundat aquis: & vere fit ut plurimùm pauper; ſic virtus aſſolet, dum temporalia proſperè ſuccedunt imminui; cum autem hybernus adverſitatis horror advenit, ſumit augmenta. De tribulationum commoditatibus alibi multa ſparſim dixi: nunc addo Bleſenſem.

Petr. Bleſ. tract. de util. tribul. §. Quarta. ante ſi. *Suſtine*, inquit, *ô anima Chriſtiana, per tribulationes te revocari ad te & ad Deum, quem proſperitas mundana elongaverat ab utroque; & maximè quia tribulationes ligant & conſtri gunte Creatori tuo, quem mala mundi libertas ſolverat, & fecerat per inſolentias evolare.* Cum procella tonat, ſuos quærunt piratæ portus, in quibus deliteſcunt; ſerenitate redeunte, maria rurſus infeſtant; & navigantium bona deprædantur. Sic dæmones in adverſitatis conflictu ſæpe non accedunt, ad hoc ut ſpirituales divitias rapiant; cum autem data fuerit quies, prodeunt ad latrocinia. Non ſolùm dicam, virtutes per afflictionum patientiam cuſtodiri: minus foret hoc niſi creſcerent. Parum eſſet largitati divinæ, quòd in tolerantiæ remunerationem, per labores purificaretur virtus: inſuper crementa capeſſit adverſitatis munere juſtus.

16. Prænuntiatum eſt olim Danieli ſic: *Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi*: &c. Scriprurarum Scholiaſtes doctiſſimus, aliud ibi legere mallet, quod Vulgata non ſonat: ait quippe: *Mallem quaſi igne, aut ſic, quaſi ignis ardore probabuntur multi*, &c. Ego quidem verbis adhærens Vulgatæ, ſicut jacent; ex illis aliquid pro infelicium ſolatio venari tentabo. De juſtis agitur in fine mundi contribulandis. Hugo Cardinalis: Eligentur *in illa ultima perſecutione, id eſt electi, vel eligibiles fient.* Et dealbabuntur *in ſanguine ſuo.* Et quaſi ignis probabuntur multi: *id eſt ſicut ignis probat metallum: ita ipſi probati fient in tribulatione.* Adde Carthuſianum. Dealbabuntur, *id eſt penitus mundabuntur in camino adverſitatis.* & quaſi ignis probabuntur, *id eſt per furorem tribulationis examinabuntur, an verè diligant Deum,* multi *prædeſtinati ad vitam*, &c. Cogor, ut rigidiùs inſiſtam Vulgato, diſcedere a commentatoribus iſtis: inquirens, quô myſterio non legimus eo loco, igne probandos juſtos quaſi metalla pretioſa? an non igni ſimilis tribulatio? Scitum eſt hoc vulgariter. Ex Auguſtino Sedulius ait: *Auguſtinus autem aliter exponit: Eſt quidem ignis tentatio tribulationis*, &c. Quid eſt, quòd inſinuatur, ignem probandum per ignem: aptando juſtis ignîs emblema; non autem auri vel argenti? Dicam. Metallum pretioſum flammæ commiſſum amittit ſcoriam; ſed non augetur. At ignis igni traditus fit major. Ut intelligamus, juſtos in poſtremâ periodo mundi per tribulationes augendos fore ſanctitate, nominantur ipſi penes Danielem vocabulo ignîs; cùm tribulationis camino ſunt committendi. Sic verum eſt, afflictionum tempore juſtum ampliùs in ſpiritualibus abundare: ſicut accidit fontibus; qui ſolent hybernis temporibus (infelicitatis umbrâ) copiis aquarum diteſcere.

Dan. 11. 10. Marian. ib. Hug Card. in com. ibid. Dion Carth. in com. ib. Sedul. in 1. ad Cor. c. 3. ex Aug.

17. *Virtus oppugnata ſurſum tendit.* Adhuc ad finem, pro tribulationis eâdem utilitate, juvat quidquam ſuperaddere; novam ſimilitudinem fontis ac virtutis animadvertens. Si manu, vel aliter detineatur à ſuo curſu fons, ex hocipſo fit, ut prorumpat fortiùs. Ita virtus cum adverſantia patitur, exurgit in altum. Altiſſimus, ut ſanctitatem peculiariùs honoret, diſponit quòd non ſo-

lùm ſuperet contraria : ſed iſta ſerviant illi ad ſplendorem. Eapropter adverſa militant ei ; nolentiaque negotiantur ipſi lucra. Roſa divellitur ab ſpinarum cunabulo, tenetur palmis ; & mox marceſcit. Si verò ponatur inter urticarum pungentium folia, virorem ſuum conſervat. Species aromaticæ dum ſervantur in ſcrinio, odorem efflant aperienti ſoli ; ſi projiciantur in ignem, totam domum replent ſuavitate. Virtutes contrario carentes vel aliquando pereunt, vel fortè parum proficiunt ; inter adverſariorum ſpinas virent atque perdurant : in adverſitatis flammâ plus odoris exhalant. Sic fortitudinem, ſuam exerit impugnata virtus. Adſit Chryſoſtomus. *Tantam enim*, ait, *fortitudinem habet virtus, ut clarior fiat cum infeſtetur : Nihil enim ea fortius, nihil validius* : &c. Perfecti viri robur agnoſco necnon cum haud impetitur : ſed quis eſt in bellis temporalibus adeo pugnatrici pollens animo, qui non experiatur, magis accendi fortitudinem ſuam cùm hoſtis adeſt, ac digladiatur ? Haud aliter probitatis amator ſtrenuè quidem ſe gerit in pace : non tamen adeo tendere tunc ſolitat in ſubilime : contentus forſan eò quod ſufficit ad præceptum Dei ſervandum. Cum autem preſſuræ tempus adeſt, & inimicus urget, perfectiùs operatur ; addens id quod ad legem cuſtodiendam non requiritur.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 1. hom. 61. in Geneſ. ad fi.

18. Joſephum & Suſannam, caſtitatis fortiſſimos vindices, in medium afferamus ; ut quod nuperrimè dixi pateſcat apertè Ægyptia laſcivè moleſtéque pudicum tentavit adoleſcentem ad rem nefariam ; quâ maritalis fidei jura frangeret, libidinique ſuæ ſatisfaceret. Expendebam, Joſeph, ut reſiſteret maleſuadæ fœminæ, oſtendiſſe verbo, ſe mente retinere quantùm eſſet obſtrictus domino ſuo. *Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam : Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua : nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum ?* S. Ambroſius : *Tamquam*, ait, *beneficii herilis & innocentiæ ſuæ debitor fugit crimen ingrati, peccatique labem, & culpæ contagium quaſi juſtùs horreſcit.* Non erat valde nobile motivum illud, quod ad non peccandum elegit caſtus Joſeph : ſcilicet ne læderet adulterio dominum ſuum ; qui tradiderat illi cuncta, ſubindicans æſtimare ſe multî ſervum illum. Vide quàm aliter Suſanna, cum à procacibus tentaretur ad luxuriam ; comminantibus niſi conſentiret, falsò teſtaturos adversùs eam, quòd fuerit cum ipsâ juvenis libidinosè. Ad hæc *ingemuit Suſanna, & ait : Anguſtiæ ſunt mihi undique : ſi enim hoc egero, mors mihi eſt : ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Ubi S. Hieronymus : *Peccatum mortem vocat.* O præcelſam Suſannæ caſtimoniam ! Nos in lege gratiæ tot ſplendoribus illuſtrati vix appellamus ex coto corde peccatum nomine mortis : & Suſanna degens inter umbras legis veteris, ne caderet in turpitudinem, ſatis non putavit, Quòd infamis apud homines mulier eſt haud cuſtodiens tori fidem ; ſed crimen illud exhorruit ut mortem animæ, quod perfectius eſt ! Suſannæ puritas evolavit altiùs caſtitate Joſephi : nam tunc adoleſcentis virtus haud patiebatur preſſuram ; ſed audiebat precantem. Virtus dum non per adverſa laceſſitur, ſæpe non adeo ſurgit in altiora. Suſannam aggreſſi fuere ſenes intentatî falsî teſtimonii machinâ. Per hanc pulſata fortîs Heroinæ pudicitia conſcendit altiùs ; & ita, quòd peccatum illud comparavit mortem : quod non parum Chriſtianè docti minimè capiunt. Neutiquam liberè dixi, virtutem in eo ſimilem fonti, quòd hic & illa, ſi comprimantur, magis validè prorumpant.

Geneſ. 39. 8. 9.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Joſeph. c. 5. poſt princ.

Danie. 13. 22.

S. Hieron. to. 5. com. in Danie. ib.

DELIBATIO II.

Diſſimilitudines aliquot inter virtutem & fontem.

19. *Virtutes aliquot accommodandæ temporum opportunitati.*

CUm inter analoga nunquam tanta reperiatur proportio, quòd ejuſdem rationis extent ; miſcentur in eis diſparitates : quæ non omnino tollunt ſimilitudinem, ſed ex parte minuunt. Quod cum philoſophia patiatur, patere tu, lector in reprehendendo peracutus ; ut non cenſoriè damnes, me dixiſſe virtutem ſimilem fonti ; nunc autem diſſimilem dicere. Proponam conditiones aliquas, quibus virtutes & fontes longè diſtant. Primò conſiderandum fluenta quædam temporum qualitati contraponi : nam fervente ſole frigeſcunt valde ; cum frigida bacchatur hyems, incaleſcunt. Econtrariò multoties virtutibus accidit aliquibus ; quamvis non omnibus. Nonnullæ ſunt, quarum intereſt accommodari temporibus diverſis : quia non omne fert omnia tempus. Ex Beda Zacharias Epiſcopus : *Sunt*, inquit, *& aliæ virtutes pro tempore locoque mutandæ, ut fames, ſitis, vigiliæ, orationes, labor operandi & docendi. Quas ſi quis ſemper exequendas putaverit, non modò ſe earum fructu privabit ſed & notam incurret ſtultitiæ.* Non dedignatur ex his virtutibus aliqua cedere tempori. Lypſius dixit : *Honeſtè cedit qui tempori cedit.* Fallitur quiſque putans, virtutis honori diſconveniens eſſe quod præſcribit prudentia : quæ quidem aliarum virtutum exercitia regit. Hæc jubet, ut locis, temporibus, & perſonis aptentur quarumdam virtutum opera. Nec ideo malè audiet prudens, tamquam ſit inconſtans, atque ſibimetipſi diſſimilis : hoc enim potiùs eſt aptare ſe, quàm tranſmutare : permanet idem homo, variatis, prout occaſio poſtulat, actionibus : velut manus, quæ prorſus eſt eadem, ſeu extendatur in palmam, vel conſtringatur in pugnum. Nolo tibi debere Senecam ; nec iſti ſuffurari quod ſuum. *Si prudentiam*, inquit, *amplecteris, ubique idem eris, & prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec*

Ex Beda Zachar. Epiſc. l. 4. in unum ex 4. c. 138.

Lvpſi. contra Dial.

Senec. l. de 4. virt.

nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes: ſicut manus, quæ eadem eſt, cum in palmam extenditur, & cum in pugnum aſtringitur.

20. Poſt inſtitutionem Euchariſticam, & Petri ſponſionem aſſerentis, quod paratus eſſet in mortem ire cum Domino, dixit Præceptor Apoſtolis: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Hoc Magiſtri dictum difficulter ſtare videtur cum eo, quod apud Matthæum legitur: ubi Salvator alumnos dirigens ait ut nolint virgam deferre cum viam fecerint, neque peram. *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: &c. Magis adhuc obſtare videbitur emptioni gladii juſſio Redemptoris monentis Apoſtolorum Principem, ut enſem reduceret in vaginam. *Mitte gladium tuum in vaginam.* Ad quod munus gladius inſerviet, ſi non fuerit evaginandus? Reſpondeo. Libranda ſunt diverſa tempora dictis accommoda. Cum Petrus eduxit gladium, tempus erat ſuſtinendi tenebrarum poteſtatis inſultum; cum verò dictum eſt, ut emeretur enſis, oportebat ſic diſcipulos inſtrui ſpiritualiter pro bellis gerendis. Theophylactus: *Nunc autem*, inquit, *contraria præcipit non contrarius ſibiipſi: ſed oſtendens eis quod uſque ad hoc tempus tamquam parvulos geſtarit, & non fecerit eos de quoquam ſollicitos: nunc autem opus eſt eis, ut curent ea quæ virorum ſunt, & provideant ſibiipſis.* Et infra: *Et gladium emite, quod eſt, ſic providete vobisipſis, tamquam hi qui in bella & prælia multa incident.* Neſcivit Apoſtolus æſtimare tempus, quo Dominus comprehenſoribus occurrit ſuis: illud erat patientiæ opportunum; ipſe verò putavit ultioni proportionatum. Idem Theophylactus: *Exiſtimavit quod tunc eſſet tempus vindictæ, extractoque gladio percuſſit ſervum.* Ex dictis poterit ſolvi dubium aliud, quod inſinuavi priùs. Cum ſine virga miſit eos, voluit ultionis inſtrumenta tollere. S. Ambroſius: *Miſit eos*, inquit, *ſine auro, ſine argento, ſine pecunia, ſine virga, id eſt, ut & incentiva litis, & inſtrumenta eriperet ultionis.* Poſthac autem, licet non eis vindictam ſuaſerit; tamen inſinuavit adeſſe tempus, quo ſibi providerent. Sic juſti vices alternant, qnin mutabilitatis inconſtantis incurrant vitium: tempori ſeipſos optant prudenter.

Luc. 22 36.

Matth. 10. 10.

Joan. 18. 11.

Theophyl. in Luc. 22. 36.

Idem com. in Joan. 18.

S. Ambroſ. to. 1. l. de Ioſeph c 13. ante fi.

21. *Juſto congruit adhuc de peccato præterito.* Oportet cavere, ne, cum audis, juſtum accommodare ſe tempori, tibi ſuadeas, quòd, quia propter indicia nonnulla te piè judicas in amicitia Dei modo conſtitutum, præſumptuosè dicas in corde tuo: Priùs, cùm cœpi mentis aperire lumina circa res animæ, tempus erat optimum dolendi de peccatis præteritis. Nunc verò, cùm jam (prout exiſtimare, licet non infallibiliter, fas eſt) ſanatus per gatiam Dei ſum, tranſiit opportunitas ingemiſcendi pro delictis anteactis. Abſit iſta cogitatio. Medicamenta quædam ſunt: quæ non tantùm ſanant ægros pellendo morbum; ſed etiam præſervant à ſimilibus. Iſta medicamina congruit ſumi, non ſolis ab ægrotis, quò ſalutem reſtaurent; ſed etiam à ſanis, ut non infirmentur. Dolor de peccatis eſt de genere medicamentorum ejuſmodi: non enim tantùm præterita retractat: inſuper futuris obſtat. Ergo, licet judices te ſanum; deteſtationem criminum, quia ptæſervativa novî lapsûs eſt, non recuſes iterare. Amicum te factum Dei gaudes? Utinam ita ſit. An amicitiæ munus non eſt offenſas dolere factas olim dilecto? Stare te credis? Timor ne cadat congruit ſtanti: nam jacentis eſt ulteriorem prolapſum non metuere. Sique novam formidas ruinam, deteſtare quòd cecideris quondam: & qui fortè retro vertis oculos ad ea, quæ penitus oblivioni tradere conveniens erat, converte lumina dolens ad noxas ante juſtificationem commiſſas, ut pœniteas iteratò. Audi S. Aëlredum: qui ſic habet: *Sed quando, inquis, me* (alia lectio ſcribit: *Me iniquis*) *dignè & ſufficienter pœnituiſſe præſumam? Nunquam omnino.* Peccatori congruum eſt recordari dolenter de crimine ſuo poſtquam ad gratiam ſummi Regis fuit reſtitutus feliciter.

S Aëlred. in c. 13. Iſaï. ſer. 5. §. Et additur.

Cuſtodiæ traditus Joſeph interpretatus fuerat ſapienter duplicis vincti ſomnium: & interpretis veracitatem probavit eventus. Accidit poſtea, Pharaonem per noctem duplex viſum accepiſſe præſagum futurorum. Miſit ad conjectores Ægypti, cunctoſque ſapientes; nec erat qui ſciret exponere. Magiſter pincernarum (qui fuerat unus ex vinctis, de quibus proximè) tunc annuntiavit regi quid ſibi cum Hebræo contigiſſet in cuſtodia: cœpitque verba facere ſumens exordium à confeſſione delicti, propter quod miſſus fuerat in carcerem. *Ait: Confiteor peccatum meum: Iratus rex ſervis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi juſſit in carcerem* &c. & poſtea certiorem fecit de illo, qui veraciter ſomnia fuerat interpretatus. *Erat ibi puer Hebræus, ejuſdém ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia, audivimus quidquid poſtea rei probavit eventus.* Hæc ſanè faciebant ad rem: ſed confeſſio prædicta peccati videbitur ſuperflua, cùm jam gratiæ Pharaonis reſtitutus erat. Quid intendebat magiſter pincernarum? notumne facere principi ſuo ſomniorum ſapientem conjectorem? Ad hoc ſatis dixiſſe foret: Hebræum novi, qui ſomnia tua prudens aperiet. Ut quid mentionem coram rege facere non renuit offenſæ priùs in eum à ſe commiſſæ? Myſterium attende. Pharao Dei ſymbolum eſt: qui donat quibuſdam remiſſionem peccatorum; punit alios. Rupertus: *Omnes rei & omnes ſunt vincti, an non habet poteſtatem Deus, contra quem reatus admiſſus eſt, ſaltem æquè ut Pharao, uni donare, ab alio pœnam exigere?* Et alibi: *Per Chriiſti paſſionem Gentilis populus in gratiam recipitur, & Judaicus in iram miſſus eſt.* Itaque nemo poſtquam dimiſſis criminibus regreſſus fuit ad benevolentiam Dei, putet ſupervacaneum eſſe confiteri peccatum jam remiſſum, conſequenterque de illo rurſus dolere.

22.

Genes. 41. 9. 10.

Ib. 12 & 13.

Rupert. l. 8. in Geneſ c 37.

Idem ib. c. 38.

Secundò notandum, fontem ac virtu-

23.

Initio virtutis non festinandum nimis.

tem in hoc multùm diſſidere, quòd ille mox atque naſcitur, currere feſtinat, ſi via patet: & fortè non minus in ortu, quàm poſtea quando jam ſumpſit plus virium. Non ita virtus, quæ regulas prudentiæ ſervat, in exordio præſumit curſum ad inſtar perfectorum velocem: Initiis aptat ſe rectus prudenter: pedetentim graditur, ne ceſpitet. Sicut virtus quoddam genus eſt vitæ; ſic etiam ſuas vendicat ætates. Primùm velut infantiæ cunabulis tenella: deinde pueritiæ tempus annumerat: poſthac adoleſcit: ac tandem virilem conſequitur fortitudinem. De ſenectute nihil dicam: eſt enim hæc ætas debilis, frigida, timidaque nimis: nihil horum virtuti congruit. Ætatum prædictarum functionibus ordo non eſt invertendus: & ut in rebus materialibus ridiculum eſt pueros imitari velle grandia munera virorum; ſic vix riſum continebis, intuens, quoſdam aggredi tenere virtutum apices, cum adhuc longè minoribus debuerint explere tyrocinium. Generoſos cupere videtur aquila filios: eos quippe ſuſpendit ab ungue, noſſe volens, an in ſplendore ſolis oculos figant imperturbatos: non tamen eos ad volandum provocat, niſi cùm ſufficientes ad volatum ſuppetunt ſoboli vires. Timendum nimis præcocibus, ne contingat illis quod evenit corvorum filiis: qui primùm candeſcunt niveis plumis; poſtea nigri fiunt. Senſim oportet in via ſalutis incipientes progredi. Nullus fit ſubitò maximus. Lege Magnum Gregorium. *Nemo enim*, ait, *repente fit ſummus, ſed in bona converſatione à minimis quiſque inchoat, ut ad magna perveniat.* Imo poſt pauca S. Doctor addit: *Nec mirum ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando unaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus agitur, & ſic per incrementa meritorum ad ſumma perducitur. Aliud namque ſunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.* Supremus vitæ ſpiritualis magiſter Chriſtus Dominus vellet ſuos alumnos, quos ad culmen perfectionis deducere decrevit, non ad ſumma ſtatim initio properare; ſed priùs minoribus exerceri, poſtea venturos ad ſumma.

S. Greg. Pap. to. 2. l. 11. in Ezechiel. hom. 15.

24. Matthæum ſedentem in telonio, jacentem in cupiditate, vidit ille, qui ſupinos in peccatis erigit; & ſedentes vocat, ut ſtare faciat. Dixit ei: *Sequere me.* Non tamen illum tunc hortatus eſt, ut ſua mox donaret pauperibus omnia: quin potiùs tacitè permiſit, ut facultatibus uteretur; convivium exhibens. *Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus.* Ubi ſic Euthymius: *Ille autem tantum aſſecutus bonum, liberalior efficitur: & ſicut ait Lucas, fecit ei convivium magnum in domo ſua, id eſt officioſum epulum.* Liberalitatem D. Matthæi laudo: ſed non illa tunc aſcendit ad faſtigium: quia, licet in ejus domo convivarentur qui propter nos factus eſt egenus, atque diſcipuli, qui necnon pauperes erant; attamen, cum eodem convivio fuerint excepti publicani, qui paupertatem non ſectaban-

Matth. 9. 9.

Ibn. 10.

Euthym. com. in Matth. 9. c. 14. longe poſt princ.

tur; largitas iſta noc extitit adeo nobilis, ut Apoſtolica perfectio requirebat. Valde notandum judicavi ſinentem Dominum quòd Matthæus convivio daret operam, cùm jam ad Apoſtoli munus vocatus erat. Memini, cuidam quærenti quid ſibi faciendum, ut vitam æternam perciperet, ac aſſerenti, ſe præceptorum obſervatorem, quibus præſcriptum non adulterari, non occidere, non furari, non falſum teſtimonium dicere, non fraudem facere, parentes honorare, dixiſſe divinum Magiſtrum: *Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, &* Marc. 10. 21. *habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.* Cur non ita locutus eſt ad Matthæum cùm ávocavit ipſum à telonio? Quia conſcenſurus fuerat Matthæus ad perfectionis montem, utpote qui deſtinatus erat Apoſtolico muneri; non ſic adoleſcens ille, *qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat* Ib. n. 22. *enim habens multas poſſeſſiones.* Igitur Matthæum paulatim Chriſtus deducebat; ne fortè deſiſteret aliter à cœptis. Millies docuit experientia, fructus virtutum citò nimis ortos decidere. Nequaquam, ordinariè loquendo, convenit, in exordiis valde celſa tenere: non ſtatim præcurrendum in ortu: datur hoc utplurimùm fontibus; juſtis autem frequenter utile non eſt.

25. *Vilis ſit probitas iuſti, cùm prædicat impius eam.*

Tertiò ſubjiciendum eſt aliud fontis diſcrimen cum virtutibus collati. Splendeſcit ad cryſtalli ſimilitudinem aqua fontana: caret quidem fulgore proprio; ſed extrinſecùs acceptâ luce micat inter plantas. Aliter ſæpe virtutibus accidit. Omitto quòd virtus non indiget mutuatis à laude radiis ut effulgeat; propriis rutilat fulgoribus. Uti non ex eo vilior es quia vituperaris; ita nequaquam idcirco melior es quoniam afficeris præconiis ab hominibus. Apertè verum eſt hoc: ſed nunc advertendum, probos homines haud ſemel occaſionaliter per laudationem denigrari. Scio, virtutem laudatam creſcere ſæpiſſime: ſed ne ſumas hinc anſam, ut ad vanam dilectionem humanæ gloriæ declines: nam laudi ſimilitudo quædam eſt cum igne conflatorii, quo probatur argentum. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis.* Et quis te certum reddidit infallibiliter, virtutem tuam aurum vel argentum imitari; non autem Stannum argento ſimile? Stannea virtus in conflatorio laudationis poſita perfacilè gloriolæ malo colliqueſcet, aque peribit. Accipe S. Nilum. *Quod autem*, inquit, *ipſius boni cauſa proponitur, ſuperveniente cogitatione gloriæ cupidâ, neutiquam præſumptum ſcopum aſſequitur, diſſecatur verò à contrario, & in illum univerſim tranſit.* Nollem quòd nimiùm diligens illa media virtutibus augendis accommodata, quæ periculoſa fuerint ne per fragilitatem utentis damnoſa fiant, detrimentum incurreres. Unum ex his eſt hominum laus: (dixit enim S. Marcus Eremita: *Turpis concupiſcentiæ radix eſt laus humana*: &c.) & præcipuè ſi mali ſunt præcones hominis recti. Ne credas,

Prov. 27. 21.

S Nil. in Peniſtet. tract. de volunt. paupert. c. 5. juxta fi.

S Marc. Eremi. in capit. de para. & lege ſpirit. n. 97.

tè

te per improbum laude ſic affici, quòd inde verum lucreris Deus; tua virtus ita vileſcet. Vilis fit probitas juſti, cùm prædicat impius eam.

26. Eunte Paulo quondam ad orationem, ſubſequebatur eum puella dæmoniaca: quæ *clamabat dicens: Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt*, &c. Tandem ejus miſeriæ condolens Apoſtolus malignum ſpiritum pepulit ab ea. Ceſſavit puellæ dominis lucrum, quod illis ipſa divinando præſtabat. Ii contriſtati, quia ſpes quæſtus eorum perierat, apprehenderunt Paulum & Silam, duxeruntque ad magiſtratus, locutique ſunt in eorum damnum ſic: *Hi homines conturbant civitatem noſtram, cum ſint Judæi: & annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani.* Mehercle per expulſionem plus dæmon perdiderat, quàm domini puellæ: nam iſtis perierat expectatio pretii; diabolus autem jacturam paſſus erat honoris, quem accipiebat ex mulieris divinatione, per quam loquebatur. Ergo quare non diabolus, priuſquam expelleretur, contumelias injecit in Paulum, timens per eum fore domicilio privandum atque decore? domini verò fœminæ detraxerunt apud judices eidem? Reſpondeo. Detrahentes iſti præcipuè ferebantur avaritiâ. Chryſoſtomus: *Vide*, inquit, *illos neque dæmoni auſcultantes, ſed unam avaritiam ſollicet ſpectantes.* Proinde, ſi non quæſtum amiſiſſent, parum curarent quod virtus Pauli vileſceret, vel non; caderet, vel ſtaret. Dæmon autem dolebat cernere Pauli ſanctitatem hominibus eſſe notam: cupiebat ut vileſceret, atque decideret. Ad iſtos fines conſequendos laudavit eumdem per energumenam. Lorinus ad locum ſupra, tres proponit disjunctivè rationes, ob quas dæmon per puellam locutus eſt ita. Secunda ſic habet: *Aut ſperavit ergaſtulum ſuum retinere, nec inde pelli, ſi iidem illi ſibi placerent, de adeo ſpecioſa laude*: &c. Habes ecce periculum complacentiæ vanæ, cùm bonus laudatur ab iniquo. Regredere nunc ad aureum Doctorem. *Quoniam*, ait, *vidit clareſcere, etiam hoc loco ſimulat. Hac ratione expectabat ſe relinqui in corpore, quod hæc prædicaret. Si autem de homine dictum, quòd non eſt pulchra laus in ore peccatorum, multò magis de dæmone.* Hinc ſuſpicor, animum fuiſſe diabolo vilem reddere virtutem Pauli per laudem; quæ tam turpem habens authorem, non tantùm erat minimè pulchra, ſed fœda. Vide quantùm ſæpius abſit ab honoranda virtute commendatio. Nec ſemper ab encomiis, velut alieno ſplendore, virtus rutilat; ut mos eſt fontibus ad ſolis radios clareſcere.

Actor. 16. 17.

Ib. n. 20. & 21.

S. Joan. Chryſoſt. to. 35. in Act.

Lorin. com. in Actor. 16. 17.

S. Joan Chryſoſt. prox. ſup.

27. Ultimò venit meditandum, non parum differre fontes à juſtis in eo, quod contingit utriſque circa venena quædam extrinſecùs venientia. Contingit, inquam, animal venenoſum ad fontem accedere quò bibat: inficit ejus virus fluentum: ſed à lympha ſumit bibens, quo ſitim extinguat; atque nutritur. Diſpari modò ſolet evenire, dum ſe conſortem jungit impius homini virtutem ſectanti: nam & inficitur peſſimo toxico juſtus; & malus nihil proficit per vicinitatem cum pio. Quòd improbi ſocietas noxia ſoleat eſſe viro tenenti ſalutis iter, adeo tritum quid eſt, atque lacrymabilibus experientiis compertum, quòd nullus ibit inficias. Adhuc attamen offeram verba Magni Gregorii: quibus etiam comprobabitur, iniquos ut plurimùm per ſodalitium cum juſtis non meliorari. *Ne cum*, ait, *à ſua malitia non mutantur, eos qui ſibi conjunctos fuerint, pervertant.* Novimus quantùm ſit rationis validum robur: ſed iſtius vires objicies frequenter homini malo: non placabis illum; quin accendetur ejus iniquitas ampliùs: velut flamma, ſi novam injeceris materiam ſurgit altiùs. Iterum dabo Chryſoſtomum. *Non poteſt*, inquit, *fieri, ut rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quantò ampliùs ligna ſuſceperit, in majorem flammam erigitur: ſic animus malus quantò magis veritatem audierit, eò ampliùs in malitiam excitatur.* Jam non dicam, hæc omnia contingere, cùm impius à juſto recipitur in contubernium: nam quandoque ſat eſt, quòd ad viri ſancti fores veniat malus, ut juſtus peccet: iniquus autem per hoc non melioratur.

S. Greg. Mag. to. 2. hom. 10 in Ezech. longe poſt med.

Chryſoſt. to. 2. hom. 42. oper. imperf. in Matth. poſt princ.

Sub humanâ ſpecie ſuſcepit Angelos duos Lot. Viri peſſimi Sodomam habitantes vallaverunt domum ejus: & vocato Lot, dixerunt ei ut viros educeret foras, ad operandam turpiſſimam luxuriam. Quid tunc Paterfamilias? Occluſo poſt tergum oſtio, dixit infamibus: *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos & abutimini eis ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei.* Nihil hac viâ profecit Lot. *At illi dixerunt: Recede illuc*: & infra: *Te ergo ipſum magis quàm hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementiſſimè*: &c. Non equidem admiror, Sodomitas non acquieviſſe dicenti: furor namque libidinis infandæ gehennali prope ſimilis eſt incendio. Lotum potiùs admirabor, cum juſtus eſſet, obtuliſſe filias duas ad abuſum libidinoſum. Juſtum fuiſſe Lot habes apud Apoſtolorum Principem, dicentem: *Et juſtum Lot* &c. Et mox: *Aſpectu enim, & auditu juſtus erat*: &c. Peccaſſe Lot exponendo filias, ex Auguſtino capiet aliquis. *Aliena quippe*, ait, *ille vir juſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum.* Fateor, dubiam hâc eſſe mentem Auguſtini: volueritne, Lotum ita fuiſſe perturbatum, quòd ex inadvertentia omnimoda penitus non peccaverit in hoc; an tantùm quòd minùs deliquerit, causâ perturbationis. Igitur addo Liranum: qui non ex toto patrem excuſat. *Exoneratus fuit à tanto, & ſi non à toto, tum ratione perturbationis mentis in qua erat; tum quia vitio peſſimo in ſuis concivibus, & violentiæ in ſuis hoſpitibus occurrere intendebat.* Quomodo vir probatæ virtutis in hac re cecidit utcumque? Nil aliud quæras, cum

28.

Geneſ. 19. 8.

Ib. n. 9.

2. Petr. 2. 7. 8.

S. Aug. to 4. l. contra mendac. c. 9.

Lira in Geneſ. 19. 8.

Quandoque ſatis quòd ad juſti fores accedat malus, ad hoc ut bonus peccet: iniquus non ideo melior abitur.

cum videas ad ejus fores positos homines malos. Isti nihil per ipsius præsentiam verbaque dissuasoria profecerunt ad continendum ardorem præposteræ veneris; justus autem illorum occasione peccavit. Sic malus vicinus justo noxius est eidem: pejor animali venenoso; qui licet fontem inficiat, aliquid tamen ex ea sumit sibi proficuum.

DELIBATIO III.

Fons lacrymarum

29. *Lacrymarum spiritualis dulcedo.*

EX timore Domini (vel servilis extet, vel filialis) in illorum oculis, quibus hoc à Domino donatum est, prodit ubertas lacrymarum: quæ licet faciem solam humectent absterſæ festinanter; tamen in agro pectoris utilissimos fructus nutriunt. Quidquid in materialium fontium laudes, & utilitatis eorum commendationem audeant poëtæ, ridiculum est, si conferatur proventui fontis lacrymarum. Bellè Chrysostomus: *Neque enim*, ait, *perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere.* Unicum lacrymarum effectum his verbis docuit Chrysostomus: alios adjiciam; quos eligam de multis notatis à Petro Cellensi: cujus hæc sunt verba, pluribus omissis: *Lacryma humectat arida, sterilia fœcundat, sordida lavat, decorat fœda*, &c. Sanè, præter munus humectandi, multoties accidit, ut cætera non præstet aqua fontalis: nam videmus, aliquando nasci fontes in terra tam infelici, quòd nullum prorsus germen edit, quoniam ferè tota lapidea. Deinde latices non semel profluunt per cœnum: & hoc non ideo minus remanet sordidum, & indecorè fœdum. At si ploret, ut oportet, homo, cunctos illos experietur effectus lacrymarum: quos ex dato Cellensi nuperrimè propositi conjunctim; & nunc meditabor per singulos. Primùm illud expendam. *Humectat arida.* Ariditas animi quandoque significat desolationem ejus mœrore conflictati. Fortè Cellensi mens fuit asserere, lacrymas proprias consolari desolatos aliquoties. Faciliùs id credes de lacrymis; quas elicit amor divinus in corde puro; prodeuntes à desiderio cœlestis gloriæ, vel alio quodam affectu simili. Parum foret ut stabilire conaremur hoc. Etiam compunctionis fletus aliquando tristem solantur: nam & hi dulcedinem sæpè vendicant; quamvis tristitiam non excludant. Mirum est hoc; sed verum. Admirabatur S. Joannes Climacus, inquiens: *Ego porro cum compunctionis naturam considero, obstupesco quomodo luctus & tristitia gaudium & latitiam tamquam favo mellis inclusam contineant.* Credas igitur, lacrymis inesse spiritualem dulcedinem. Non id reperitur, si temporalis mali periculum deploretur. At verò cum ex amore Dei, compunctioneque de peccato justus flet, suavitas lacrymantem replet abundè.

S Ioan. Chrysost to. 1. hom. de Anna & Sam. educ. post princ.

Petr. Cellen. l. de pan. c. 12. non parum à princ.

S. Ioan Clim. in scal gr. 7.

Cum novum non sit in Scriptura sacra duplici loco rei mentionem unicæ fieri sic, ut in uno legamus quod tacetur in altero; non est mirum, quòd licet in Genesi scriptum non fuerit, Jacobum illâ nocte celebris luctæ flevisse, hoc habeamus apud Oseam. Dicitur ibi de Jacob: *Et invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum*: &c. Hæ lacrymæ non leguntur in libro Geneseos: quinimo stare non videntur cum verbis ejusdem Jacobi, quæ protulit post conflictum: *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Magis tempestivè diceres flere Jacobum, si ploraret cùm Dominum rogavit, ut ab Esau, quem formidabat, eriperet eum: præsertim quia non sibi soli metuebat, sed iis etiam quos amabat: precatus est enim sic: *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Hîc non lacrimatur? alibi verò maximè? Ante solutionem præmittendum, lacrymas istas Jacobi fletum compunctionis designasse. Non latuit hoc Hugonem Cardinalem, dum interpretatur mysticè Prophetam: dixit enim: *Dominus Judam, id est, fideles corripit & visitat: & beneficia data commemorat: quando, inquit, nascentem te in fide parturiret Ecclesia supplantasti fratrem tuum Judæum vel Gentilem: vicisti malignos spiritus: roboratus benedictione Dei, invaluisti ad Angelum precibus, faciens eum tibi adjutorem: flevisti pro peccatis tuis*: &c. Hoc fundamento præjacto, solvam dubiolum, quod ante proposueram. Cum Deum Jacob pro liberatione sua deprecatus fuit, ut supra, timebat utique temporale damnum: quem timorem non comitatur dulcedo. Nulla fiat ibi mentio de lacrymis: ne putares, per eas indicari fletum compunctionis; qui sæpe spirituali suavitati sociatur. At verò cum Jacob dulcem colluctationem expertus est, opportunè flentem legimus; & cordis compuncti ploratus ibi meditamur: ut videas aquas istas dulcescere. Delectabilitatem colluctationis in anima rimatus est Rupertus expendens luctam Jacob. *Itaque brachiis quasi ad luctandum protentis, quæcumque talis anima dicit: Dilecte mi apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis. Econtra ille more reluctantis, pene obversus, Averte, inquit, oculos tuos, quoniam ipsi me avolare fecerunt. Dulcis colluctatio, & omni pace jucundior.* Dulcedinem colluctationis animæ cum Deo sequuntur prædulces compunctionis lacrymæ. Cumque suaves istæ sint justo, non mirabor quòd solentur cor aridum, ex afflictione redditum: sicut aqua solet arida humectare.

30.

Osee. 12. 4.

Genes. 32. 30.

Ib. n. 11.

Hug. Card. in Osee 12. 4.

Rupert. l. 8. in Genes. c. 9.

Sterilia fœcundat. Prosequar supra notata per Cellensem. Ut Author naturæ pro fœcundandâ terrâ providit aquas; ita Deus idem prout author gratiæ lacrymarum venam donavit homini, per quam ejus cor ubertim germinaret virtutum nobiles plantas. Ingenium summi laudemus artificis: qui de sceleribus ipsis, quæ quidem spinæ sunt, profluere facit fructiferas aquas: ita de peccato peccatum destruit, & justitiam alit. Revertar ad Cellensem.

31. *In ipso peccati loco virtutem germinare facient lacryma.*

Petr Cellen. l. de pan. c. 12.

lenſem. *Mirum tamen*, ait, *in hoc artificis Dei ingenium, ut lacryma de venis erumpens peccatorum, profuſa humiliter, abſorberet omne peccatum. Planè ſic de peccato damnatur peccatum*, &c. Gaudet omnipotens uti mediis primò videri contrariis intento fini; ſicut jam frequentiſſimè notavi. Sat ſcio quantùm contrarietur virtuti locus ipſe, quo peccator deliquit: nam ibi delicti memoria novi criminis eſt incentivum. Sed Altiſſimus prædilectis donat ut ibidem de ſcelere ſuo triumphent; ubi ceciderunt prælio. Glorioſum eſt in bellis temporalibus hoſtem proſternere campo certaminis eôdem, quô victus fueras priùs. Longè magis inclytum eſt hoc ſpirituali bellatori: ſcilicet ignitis lacrymarum globulis adverſarium percutere locometipſo, quô percuſſus fueras per crimen; & illum reddere fertilem ſpiritûs floribus, quos aptes ad coronam. Nonne ſtupeſceret quiſquam, cernens rigatam aquis flammam, & remanentem cinerem germinare per irrigationem floſculos amœnos, fructuſque ſalubres? Hoc præſtat lacryma potens. Ignem verè teſtamur eſſe peccatum: hoc extinguitur undâ lacrymoſa: reſtat ibidem cinis ubi peccaveras: ſed ex iſto pulvere, quem genuit incendium, fœcundato per aquas illas pullulant ſpirituales flores & ſalutiferi fructus. O mira lacrymarum virtus: quæ ſic peccatorum domicilia fœcunda reddunt ad ſalutem! Hîc peccaſti miſer? hîc plora felix.

32. Pœnitentium lege magiſtrum nobilem, Davidem inquam. Audi quid ipſe dicat in Pſalmis: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Tripliciter dictum Pſalmiſtæ verſabimus: primò quaſi planè ſicuti ſonat, fuerit locutus de lecto & ſtrato materiali: commentario Janſenii ſuppoſito: qui ſic exponit: *Lectum meum lacrymis meis abundè madefaciam, ne tempore quidem quietis requieſcens.* An conſultius non foret lectum deſerere, ſuper genuaque procumbentem ora madidare? Peccaverat in lecto David: cupiit ut rigatus lacrymis lectus ipſe fœcundaretur ad germina producenda perutilia ſpiritui compuncto. S. Anaſtaſius Sinaita ſuper ea verba Davidis ait: *Nimirum certò ſciens, fore, ut qui aquæ ſtillam ab oculis in terra ſeminant, cœlorum herbam in exultatione metant.* Nihil ſterile, ſi prout convenit rigetur fluentis oculorum. Secundò verſandus eſt locus ille Pſalmi, ſumendo verba non ut ſuadet merus eorum ſonus. Ducemur ab Hugone Cardinali, dicente: *Vel ſic: lectus voluptas peccati*: ſtratum *cumulus peccatorum.* Difficultatem non ingerunt iſta mihi; ſed quæ ad verba Pſaltis: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, ſcribit poſt idem Purpuratus: *Id eſt cumulum peccatorum per imbrem lacrymarum: ut inde creſcat nova meſſis virtutum.* Quomodo conſiſtere poſſunt hæc duo: ſcilicet per ſtratum ſignificari cumulum peccatorum, & hoc per lacrymas fœcundandum? Igni dixi nuper ſimilari peccatum; elementum iſtud ſterile novimus: quî fieri poteſt ut piacula fertilia reddantur per lacrymas; cum igneam conditionem ſibi vendicent? Hoc mirabile præſtat fletus pœnitentis: ex ipſo peccatorum cumulo progigni facit fructus uberrimos. Quidni locus etiam quo deliquiſti, lacrymatione fiat fœcundus? Tertiò nomine lecti corpus accipiamus ex Odone Aſtenſi: qui ad illa verba: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, ſcribit: *Lectus animæ corpus eſt*; &c. Et videtur eſſe ejuſdem Odonis mens quòd etiam ſtrati vocabulo ſignificetur corpus: ſumit enim ſequentia verba Pſalmographi tamquam repetitionem prædictorum. *Repetitio*: Lacrymis meis ſtratum meum &c. Quo poſito meditabar ſic. Vox illa, *Rigabo*, poſtulare videbatur, ut corpus nominaretur agrî nomine; non autem ſtratî. Scripſit Eccleſiaſticus de matris Eccleſiæ rigatione: *Rigabo hortum meum plantationum*, &c. ubi Carthuſianus: Hortum plantationum *id eſt Eccleſiam.... Quem hortum ſapientia irrigavit ſuis doctrinis & gratiis* &c. Ita ſcriptum eſt, ut accommodè texerentur verba: nam, cum præcedat, *Rigabo* proportionatum eſt vocabulum horti. Quare non ſimiliter David præcitata, concinnavit, horti nomine donans corpus? Reſpondeo. Eccleſia fertilis eſt abundanter: bene ſignificatur horti voce: hortus quippe non ſolet eſſe ſterilis. Forſitan, ut inſinuaretur, corpus, quantumvis, de ſe ſterilitate notatum, fœcundari per lacrymas pœnitentiæ, dixit Pſaltes: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Lacrymis meis ſtratum id eſt corpus pœnitentia afflictum, rigabo ut germinet herbam virentem & facientem fructum.* Habes qualiter lacryma ſterilia fœcundat.

Odo aſten. ibid.

Idem ib.

Eccli. 24. 42. Dion. Carth. in com. ib.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 22. poſt Trinit.

Sordida lavat. Aquarum vulgare munus eſt poſt ſomnum ſurgentis diluere ſordes. Et hoc officium lacrymis pœnitentium congruit. Expergiſcuntur à ſomno, quo jacebant pigri: lectum occaſionis derelinquunt, & ab animæ facie maculas tollunt peccatorum. S. Ambroſius: *Bonæ*, inquit, *lacrymæ, quæ non ſolum noſtrum poſſunt lavare delictum, ſed* &c. Adnotandum tamen eſt, nullum, qui ſit mente ſanus, aquis uti ſordidis, ut ſe mundum faciat. Cave ne fruſtra coneris acquirere munditiem per lacrymas, quæ ſordidæ ſint; quamvis aliqualem dolorem peccatorum comitentur. Et quomodo poterit contingere (jam iniquis) lacrymas iſtas non eſſe mundas? Dicam. Immundæ ſunt lacrymæ, ſi plorans adhuc peccare non deſiſtit. Zacharias Epiſcopus: *Qui verò lacrymas*, inquit, *indeſinenter fundit, & tamen peccare non deſinit: hic lamentum habet, ſed mundationem non habet: quia dum ipſam quam flendo impetrare potuit, veniam contemnit, fletibus ſuis munditiam ſubtrahit, & ante Dei oculos ſordidas etiam ipſas lacrymas facit.* Oportet, lacrymas eæ conditionis eſſe, quòd non ſolùm avertant hominem ab opere malo, ſed etiam impuras cogitationes propellant, de quibus loquitur Mapheus, inquiens: *Lacrymæ ſordidas cogitationes expellunt, nec proximare eas permittunt animæ compunctionem cordis habenti.*

33. *Pœnitentia illius, qui adhuc actu peccat graviter, non mundat eumdem.* S. Ambroſ. to 3, l. 6. in Luc. c. 7. med.

Zachar. Ep. l. 3. in unum ex 4. c. 199.

Maphe. Veg. l. 5 de perſever. relig. c. 4.

Pſal. 6. 7.

Corn. Janſen. in paraphra. Pſal. ib.

S. Anaſtaſ. Sinai. ad eum locum.

Hug. Card. in com. ib.

ii. Peccatorum pondere preſſa nonnunquam anima luminibus emittit lacrymas, ita quod ejuſdem oneris gravitate ſimul feratur ad nova flagitia : non verus dolor de peccatis elicit illas ; anxietas hoc præſtat animi tædentis de vitiorum tyrannico dominatu. Etſi copiosè fleas, dato quòd adhuc actualiter pecces, imo ſi cogitationes iniquas non projicias, nequaquam fluminibus iſtis mundaberis.

34. Jeremi. 2. 22. Ad populum ſuum per Jeremiam aiebat olim Deus quaſi ad meretricem : *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me*, &c. Non eſt improbabile, hîc agi de lavacro pœnitentiæ : præſertim quia S. Hieronymus ad hæc verba ſic habet : *Nitrum autem noſtrum & herba fullonis pœnitentia eſt.* Quantumcumque fuerint Hebræorum peccata gravia, nonne poterant pœnitentiâ mundari ? Multum peccaverat Jeruſalem : & legimus apud eumdem vatem infra : *Lava à malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva ſias : uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ* ? Quæ verba ſic de pœnitentia ſunt intelligenda manifeſtè, quòd occaſionem accepit facilè Carthuſianus, ut exponeret illa tropologicè de ſacramento confeſſionis, dicens : *Qui igitur cupit purgari, ad confeſſionis ſacramentum, tamquam ad optimum lavacrum, ac ſecundam poſt naufragium tabulam, ſemper feſtinet.* Igitur quid cauſæ, ſi bene rem libramus, eſt, ut meretrici prædictæ, ſcilicet Hebraïcæ plebi dicatur, remanſuram fore maculatam, licet pœnitendo laverit ſe ? Exiſtimo ſic dictum, quia pœnitentia Hebræorum priori loco ſupponebatur futura (ſi pœniterent) non ut oportet ; ſed potiùs commiſcendam culpæ. Sic inſinuatur ſequentibus verbis : *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui : nullus avertet eam* : &c. ubi Carthuſianus : nullus avertet eam *id eſt plebem talem à ſua malitia. Qui enim ex habitu vitioſo & complacentia mali peccat, difficulter corrigitur*, &c. Hæc ille ſpirituali ſenſu : ſecundùm quem videtur loqui de Chriſtianis impiis. Ad litteram verò dixerat antea : Nullus avertet eam *ab idololatria ſua ante Babylonicam captivitatem. Nullus enim prophetarum potuit eos ab hac impietate retrahere, propter eorum indurationem.* Pœnitentia comitem habens gravem culpam non mundat peccantem. Aſt Jeremiæ 4. ita ſermo fit de lavacro pœnitentiæ non habentis conſortium ſceleris, quòd etiam cogitationes noxiæ pelli monentur à Jeruſalem : *Uſque quo morabuntur in te cogitationes noxiæ* ? Itaque concludam. Si terra miſcetur aquæ, qua ratione ſordidum reddet immaculatum ? Si terrenæ labes non modicæ ſociantur fletui dolentis de præterito crimine, quâ fiet arte mundus hoc modo præteritum ſcelus execrans ?

S. Hieron. to. 5. in com. ib.

Ib. c. 4. 14.

Dion. Carth. com. in Jerem 4. 14. art. 10.

Jeremi. 2. 24.

Dion. Carth. in com ib. art. 5.

Idem. ib. art. 4.

35. *Animæ pulchritudo à lacrymis quanta.* *Decorat fœda.* Dari necnon pulchritudinem animæ dubitare noli. Clementem Alexand. & Gregorium Nyſſen. lege, quos dedi ſupra fl. 20. n. 37. & 38. Imò geminam exiſtima formoſitatem ſpiritûs : alteram ſcilicet in humilitate conſiſtentem ; aliam, quæ relucet per innocentiam juſti. S. Bernardus ait : *Quæramus geminam animæ pulchritudinem.... At ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit : nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem* ? Pulchritudo corporum, quæ ſic trahit corda, quaſi dementet, conſtat proportione partium, & grato colore. Cogita partes animæ quàm aptè ſibi reſpondeant in juſto. Lumina nec nimis grandia ſunt quaſi conetur plus intelligere quàm liceat ; nec nimis parva, veluti facillima claudi, ne cernant quod oportet agnoſcere. Muniuntur illa ſuperciliorum arcubus : nec ſic erectis ut ſuperbiam denotent ; nec ſimiles trabibus, ut indicetur, proprias non videre trabes, & feſtucam ab oculo proximi tollere conari. Maxillæ ſpirituales non turgent per iram ; neque macie comprimuntur per bonorum temporalium famem. Os animæ haud nimis patet, ut ſilenda loquatur ; nec ad punctum reducitur, loquenda tacens. Collum non torquetur ad latus per hypocriſim ; nec extenditur nimis arrogantiâ. Manus nequaquam oblongæ nimiùm ; abeſt enim prodigalitas ; nec parvulæ ſunt ; nam odit avaritiam. Color animæ faciem venuſtat candidus & rubicundus : candet puritate vitæ ; rubet pudore de commiſſis etiam levibus. An ſpecioſa non eſt anima juſti, quam delineavi malus pictor ? Et quomodo pulchreſcit illa, quæ priùs per delictum enormis erat ? Multùm conducunt ad iſtam ſpecioſitatem acquirendam lacrymæ : nam & munditiam negotiantur innocentiæ ſimilem ; & ſunt humilitatis exercitium ; quas animæ geminam pulchritudinem dixit Bernardus. Addam nunc quòd ſublatis lacrymis videtur anima carere totâ venuſtate ; reſtaurare verò, ſi fleat.

S. Bernard. ſer. 45. in Cant.

36. Cant. 7. 4. Sponſus Canticorum formam ſponſæ per partes collaudans ait : *Oculi tui ſicut piſcinæ* &c. Improportionatam judicabit aliquis hanc ſimilitudinem : & fortè, niſi loquentis vetaret authoritas, ruſticam cenſeret, inquiens : Quid laudis oculo tribuitur in eo, quòd piſcinæ conferatur ? an aptiùs non æquiparentur oculi ſponſæ duobus aſtris ? Cogita, Sponſum loqui de luminibus animæ quatenus flentis : mox hæſitationi libens recurram. Interim lege Rupertum. *Irriguum ſuperius*, inquit, *accipit anima, cum ſe in lacrymis cœleſtis regni deſiderio affligit : irriguum verò inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Igitur in his verbis*, Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. *Hic ſenſus eſt myſticus, ac ſi diceretur : Oculi tui præ amore vel deſiderio dilecti, quo langues, & compungeris, fluunt lacrymis, & iſtæ lacrymæ piſcinæ ſunt* &c. Nunc facere ſatis conabor notationi ſuprapoſitæ. Dubitabas quare nequaquam ſtellis aſſimilentur ſponſæ lumina ; ſed piſcinis ? Dicerem. Noctu pulcherrimum eſt cœlum ſtellarum ornamento : dies advenit : quaſi tolluntur ſtellæ claritate ſolis ; nec tamen ideo cœlum fœdatur. At ſi piſcina vacuetur aquis, fœda remanet lu-

Rupert. in com. Cant. ib.

ti ſordibus. Ab oculis animæ juſtæ lacrymas penitus abſterge ; decorem, quaſi dicemus, oculi perdiderunt : & ſi fœda ſunt lumina, tota faciei ſpecies abire ſolet. Rurſus impleantur lymphâ piſcinæ (rurſus, inquam, ploret anima) pulchritudinem priſtinam recuperare videbitur. Accipe quantùm proportionetur fletus aquæ fontanæ ; quæ paſſim decorat quæ fœda ſunt.

37. *Quantum Eccleſia conſequatur à Domino per lacrymas.*

Hinc ultrò corollarium deducitur, nullâ ratione prætereundum : ſcilicet quòd cum Eccleſia per lacrymas pulchreſcat, plus à Deo viſa ſit aſſequi propterea quia plorat ; quàm ex eo tantùm quoniam eſt Altiſſimo ſponſo ſuo dilecta. Amor Sponſi liberalitatem erga charam ſuadet ipſi : lacrymæ verò ſeu de juſtitia, ſeu quaſi, potentes exigere ſunt quod à Domino promerentur : nam cum illæ ſint velut nummi, quibus emit anima quæ flens poſtulat ; Deus venditor plurimùm attendit eas, ut plorantibus poſtulata donet. Multâ clementiâ ſuâ Deus flectitur : ſed hæc ſpeciatim exoratur, cùm divinæ majeſtatis fores à lacrymante pulſantur. S. Antiochus : *Ubi enim*, ait, *lacrymæ, ibi exorabilis Dei clementia.* Satis agnoſco, verborum preces multum poſſe, cùm ſimul cor Deum orat : nam per eas offertur Domino cultus, & humilitatis holocauſtum. Sed neſcio quid amatorium Domino loquuntur ploratus, quod iſtîs meliùs quàm verbis proponitur, dum lacrymatur ſupplicamus. Goffridus Abb. *Satis*, ait, *utique meliores lacrymarum preces quàm verborum.* Eccleſiæ ſuæ Deus utique favet, quia multum diligit eamdem ; & ſimul quoniam diligitur ab ea. Primus amor, ſi ſolus eſſet, minori fortaſſis largitate contentus foret. Accedit primò ſecundus ; quò ſcilicet Eccleſia proſequitur Dilectum ſuum : nolenſque divina magnificentia quòd titulis duobus reſpondeat munus idem, dona largiter auget in dilectionis utriuſque teſtimonium. Lacrymas Eccleſiæ ſignum affectûs eſſe non renues : nam etſi quaſdam extorqueat dura nimis tribulationis anxietudo ; tamen etiam has dirigit affectio : plorat Eccleſia quippe tunc veluti dicens : Quando veniam & apparebo ante faciem Sponſi mei ; cum ibi manere dabitur, ubi jam nemo deſpiciat me, nemo percutiat ; ſed amplexibus Dilecti fruar tutiſſimè ? Quoniam ita plorat, conſequitur à Sponſo ſuo plus interventu lacrymarum, quàm ſi Deum ſolus ad favendum perſuaderet amor.

S. Antioch. hom. 107. longe à pr.

Goffrid. Abb. ſer. 9. de S. Mar. Magdale.

38. Impatiens Amani tumor quòd ipſi non genuflecteret Mardochæus deliberavit Hebræos perdere commorantes in Aſſueri ditione. Cum regis arbitrii foret arbiter, aſſecutus eſt ut Hebræi perirent. Innotuit eorum diſcrimen Eſtheri : quæ tunc regis, & regni conſors erat ei dilecta valde. Cladi cupiens obviare miſerabili ſuorum, adiit ſponſum : & quamvis illius amorem noſſet, non ſtatim petiit quod peroptabat ; ſed alterâ die dixit ad eum : *Si inveni gratiam in oculis tuis ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro.* Quid obtinuit protunc reginæ ſupplicatio ? reſponditne ſtatim rex : Annuo petitioni tuæ, populique ſalutis cuſtos ero ? Nequaquam. Tantùm lego, dixiſſe : *Quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere* ? Conjugis auditâ reſponſione, reliquit eam : nam *iratus ſurrexit, & de loco convivii intravit in hortum arboribus conſitum.* Poſtea ſcribitur capite ſequenti, ſceptri protenſione, quod erat ſignum clementiæ regalis, annuiſſe rogatui conſortis. *At ille ex more ſceptrum aureum protendit manu, quo ſignum clementiæ monſtrabatur* : &c. & infra : *Scribite ergo Judæis, ſicut vobis placet, regis nomine, ſignantes litteras annulo meo.* Quid interceſſit poſtquam petitionem ſuam de liberatione populi præſcitatis verbis aperuit Eſther, ut Aſſuerus qui primò reſpondit ei tantummodo quærens quis eſſet, qualiſque potentiæ rei hujus author, jam expreſsè concederet quod illa petierat ? Intervenerunt rogantis lacrymæ. *Nec his contenta procidit ad pedes regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ & machinationes ejus peſſimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri.* Potuerunt lacrymæ obtinere plenè quod adhuc non explicitè donaverat amor Aſſueri. Extitit quidem Eſther Eccleſiæ figura. Hugo Cardinalis : *Eſther ſignificavit Eccleſiam* &c. Et Aſſuerus de mente Commentatoris ejuſdem figurat Chriſtum : ait enim : *Aſſuerus regnavit ab India, uſque ad Æthiopiam : & Chriſtus à mari uſque ad mare : à flumine, uſque ad terminos orbis terrarum.* Eccleſia multum obtinet à Sponſo, quia diligitur ab eodem : ſed non tam copioſè benefaceret ſolus amor : interveniunt ejus lacrymæ ; pulſant, flectunt, exorant.

Eſth. 7. 3.

Ib. n. 5. & 7.

Ib. c. 8 4. 8.

Ib. n. 3.

Hug. Card. in 1. Eſth. in princ.

DELIBATIO IV.

Multiplex vita ſpiritûs per virtutem.

39. *Cibat ſpiritum ſuum vir perfectus opere bono.*

NAturam non dedignatur imitari gratia : præſertim quoniam utriuſque Dominus idem author eſt. Sic & animæ ſanctæ meditamur velut humana membra : necnon & ſenſus ad ſimilitudinem externorum perpendimus habere ſuos. Pariter licet, cum de juſti vitâ ſpirituali, quam virtus præſtat, incidit ſermo nunc, expendere, quòd, ſicut hominum temporalis vita dicitur à philoſophis triplex ; ſic præfata vita juſti multiplex invenitur. Aliqualiter favet Originaria lectio : habet enim hîc : *Fons vitarum.* Potitur homo vitâ vegetativâ, ſenſitivâ, & rationali. Suo modo vita, quæ de virtutibus naſcitur, vegetat animam : quodammodo ſentire facit atque ratiocinari. Ad primum. Ut patris munus Deus agit in generatione ſpirituali juſti ; ſic perficit idem, providens ei ſollicitus alimenta congrua. Sic appellare fas eſt virtutes : utpote quibus anima ſumit vires : ac veluti nutritione

Lect. Hebr. Prov. 14. 27.

creſcit, & conſervatur. Sedatur per illas animæ fames: atque ſit ut præ fragilitate non corruat. Quibus putas alimentis hominem victitaturum fore, ſi perduraret innocentiæ ſtatus feliciſſimus? Oleribus, & arborum fructibus: nam eſus carnium poſt diluvium hominibus datus eſt. Origenes: *Hiſtoriæ quidem hujus ſententia manifeſtè indicat, uſum ciborum primitus à Deo ex herbis, id eſt oleribus, & arborum fructibus eſſe permiſſum. Poſtremò verò cum ad Noë poſt diluvium fieret teſtamentum, facultas veſcendarum carnium hominibus datur.* Origen. apud Lipoma. in cat. ad Geneſ. 1.

Per arborum poma ſignificari virtutes, habemus ex Anſberto, dum ait: *Cum autem*, inquit, *ſoleant in pomis arborum virtutes ſanctorum ſignari*, &c. Aptè, ſi foret innocens homo, nutriretur lignorum fructibus; quæ virtutum ſunt ænigmata: verè quippe dicemus virtuoſa facta juſtorum alimenta, quibus anima vegetatur. Ansbert. l. 8. in Apoc. c. 17. n. 14.

40. Cibat ſpiritum ſuum vir perfectus opere bono. Sol juſtitiæ jam vergens in mortis occaſum, pro ſuorum eruditione minimè dedignabatur abſcondi. Diſcipuli cupientes ut apud hominum æſtimationem clareſceret, dixerunt ad illum, cum feſtum Scenopegiæ jam appropinquaret, verba, quibus ei ſuadere conati ſunt ire Judæam: addentes, neminem in occulto quid operari, ſimulque palam fieri quærere. D. Cyrillus Alexandrinus notat hîc, eos ad inanem gloriam hortatos fuiſſe Magiſtrum. *Miracula*, inquit, *verò videntes occultius ab eo in Galilæa fieri, ad inanem gloriam hortantur*: &c. S Cyrill. Alex. l. 4. in Joann. c. 32.

Dubitabam, quare non ad iſta Dominus reſponderit: Mea gloria eſt perficere voluntatem Patris mei? Recolo, quòd cum poſt collocutionem ad Samaritidem dixerunt diſcipuli Domino: *Rabbi, manduca.* Filius Dei repoſuit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Et cum non ipſi dictum percepiſſent, Dominus inquit ad illos: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Joann. 4 31. 32. Ib. n. 34.

Quare non ſimiliter locutus eſt, cùm diſcipuli cupierunt ut mundi gloriam acciperet? Quoniam non alitur hominis vita per humanam gloriam; ſed per cibum. Ut igitur inſinuaret, hominem virtute nutriri, cibi vocabulo fuit uſus, cùm de voluntate Patris agenda (quod virtutis munus eſt) verba fecit. Ergo, cum pater & geniti cibis eiſdem veſcantur; ſic intelliges, juſtos (qui verè dici queunt à Chriſto parente nati) ſpiritualiter ali virtutum ferculis: quæ quidem ſapidiſſima ſunt palato ſano.

41. *Non eſt ſimul cum virtute ſumendus culpæ cibus.* Animadvertendum autem eſt in hoc ænigmate, non in omnibus tenere ſimilitudinem; qua virtutes animæ cibum inculcamus. Corporis dapibus proficuis utimur; & alquando miſcemus nociva: non tamen ideo non alunt nos ea, quæ ſunt ſalutaria: quinimo nutrimur per ipſa noxia. Non ſic exiſtimes accidere, cùm bonis operibus anima cibatur. Si laudabilium factorum alimento ſalubri miſceas aliquid ſaluti contrarium; per eſcam ſalutiferam tuus nequaquam ſpiritus vegetabitur: & potiùs dicam, ita fieri quòd remaneas, quaſi non comediſſes quod ſanum eſt: nam virtute jejunus dici valet qui vitium ſaltem ex parte mandit. Gregorius Papa: *Quiſquis*, ait, *virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitiis ex aliqua parte non ſubjacet.* S. Greg. Mag. to. 1. l. 22. mor. c. 1. in princ. Quicumque delinquit ſervum perhibet ſe peccati: nam licet mundanos audias dicentes, hunc tantùm liberum eſſe, cui pro ratione voluntas; mendaciſſimum eſt hoc. Crede Petro; cujus hæc ſunt verba: *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* 2. Petr. 2. 19. Econtrariò juſtus nobiliter ſubditur ſervituti juſtitiæ. Lege Paulum ad Romanos. *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Ad Rom. 6. 18. Nemo poteſt ſervire duplici domino, quin alterum lædat. Quid ergo tu præſumis, iniquitatis, & rectitudinis famulatui ſimul operam dare? De hoc alibi multa dixi. Scio, prudentiam valere ſic actus hominis regere, quòd amicitiam duorum conſervet, qui ſunt ad invicem hoſtes, & offendere neutrum: at erga duplicem dominum, ſi mutuò ſint inimici quî fieri poteſt ut fidem ſerves? Ad hæc. Servitus virtutis vera libertas eſt; illa verò, ſub qua tenetur peccator, captivitas extat. Nullus eſt ex parte liber; & ex parte ſervus: nemo ſomniet ſe juſtum quia virtutes aliquot exercet; ſi culpæ ſe tradit inſimul. Animam qui cibat alimentis operum bonorum, ne ſimul nutrire velit voluptuoſis flagitiorum alimoniis: mors enim paratur in iſtis.

42. Princeps Apoſtolorum ſcribebat alumnis doctrinæ ſuæ ſic: *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem.* 1. Petr. 2. 2. Illuſtrat hoc D. Petri dictum Beda ſic: *Præcepto concupiſcendi lac verbi tangit eos qui ad audiendas lectiones ſacras inviti & faſtidioſi adveniunt, ignari illius ſitis & eſuriei de qua Dominus ait*: Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. *Ideoque tardius ad perfectum ſalutis crementum pervenientes, quo poſſint ſolido verbi cibo refici, id eſt arcana cognoſcere divina, vel majora facere bona.* Bed. in com. ib. Poſtrema Venerabilis Commentatoris verba conferens prioribus, cogitabam, ipſum, ſaltem disjunctivè loquentem, per cibum ſolidum accipere virtutis opera, quæ majora ſunt: minora verò ſignificare nomine lactis. Hac doctrinâ præſuppoſitâ percupiebam noſſe quid proportionis inſit lacti cum nonnullis laudabilibus geſtis. Dicerem. Infantulus, dum pendet ab ubere materno recens natus lac ſugit, non tamen illi propinantur obſonia de convivio, quod fortè celebratur in patris domo: nam forent ipſi noxia; quamvis ea ſimul cum lacte ſumeret. Non abſimiliter juſtus, velut infans modò genitus, unicum virtutis alimentum ſumat, ut per illud creſcat. Incongruum eſt ut alio pariter paſcatur: quo non tantùm neutiquam nutrietur; ſed videbit interitum. Sic ille virtutis paſtu vitam ſervabit; vires aſſumet. Satis hæc de vita ſpirituali vegetativâ.

43. *Quantum ſit* Nunc ad moralem ſenſitivam tranſeo. Noſti, quemcumque hominem in duplicem

opus Dei reducere quoſdam peccatores.

cem dividi : alius eſt exterior ; alter interior vir. Sicut homini ſunt exteriori quinque ſenſus externi ; ſic interior ſuos vendicat ſenſus ad ſimilitudinem exteriorum ; quibus diverſas exercet functiones. Patrocinatur S. Ambroſius. *Quinque ſpiritalibus*, ait, *ſenſibus ille abſconditus cordis homo noſter conſummatur interior*, &c. Præter alia, multùm diſtant hi ſenſus interioris hominis ab aliis in eo, quòd dicitur homo carere viſu corporali cùm viſibilia non ſentit : & ſic de aliis potentiis cognoſcitivis externis. Internus autem homo tunc perfectè ſuis potitur ſenſibus, cum eis ad temporaria non utitur. Bona quidem eſt hæc inſenſibilitas. Ad aliam tranſeo ; quæ de peccato multoties naſcitur, & per virtutem aufertur. De iſta loquitur S. Dorotheus Abbas. *Bonum eſt etiam humanarum afflictionum reminiſci, ſic enim dura & inſenſibilis anima emolleſcet, & ad ſenſum perveniet proprii ſtatus & malitiæ ſuæ.* Miſerabile, miſerumque ſimul eſt quanta poſſit in anima peccatum ; cum juxta bonam Theologorum ſententiam ſit ejus malitia merum nihil. Admiramur quod vulgò fertur, aquam dari, cui miſſa ligna vertuntur in lapides. Cum lignum Alapide longe minùs diſtet, quàm homo; multò magis admirandum eſt, hominem per vitia fieri quaſi lapideum. Sic accidit multis : non enim quidquam fructus generant, neque ſupplicio percuſſi crimina dolent, nec facilè moventur ſurſum. Sed præpotens Dei gratia valet iſta ſaxa convertere rurſus in homines. Viluit apud nos prodigium iſtud, quia quotidianum ; ad alia ſtupeſcimus omnipotentiæ facta, quia rara ſunt. Equidem conſideranti maturè ſpiritûs renovationem de ſtatu peccatornm revocati pronum erit æſtimare quantum ſit divinæ poteſtatis opus iſtud. Exaggerant meritò philoſophi creationem rigoroſè dictam (qua ſcilicet anima rationalis ab Omnipotente prorſus ex nihilo fit) & ſtatuunt, ita potentiſſimæ Conditoris manûs eſſe propriam, ut impoſſibilis omnino dicatur ſecundùm commune placitum creatura, quæ propriis viribus aliquid evaleat ex nihilo facere. Conferamus productionem de nihilo cum peccatoris reſurrectione ſpiritali : forſitan dices, hanc illi præferendam, cùm ad inſenſibilitatem iniquus redactus eſt.

S. Ambroſ. to 1 expoſ. Pſal. 40.

S. Dorotheus Abb. doct. 20.

44. Juſti ſanctitas alioquin patientiæ ſocia, patitur ægrè fictionem ; qua plures mentiuntur virtutem, quam non geſtant animo. Quamobrem Baptiſta ſacer videns multos Phariſæorum & Sadducæorum, venientes ad baptiſma ſuum, locutus aſperè fuit ad eos. Monuit attamen ut fructum dignum pœnitentiæ facerent, & ne gloriarentur de filiatione Abrahæ. Tunc addidit iſta : *Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Forſitan cum hæc diceret Joannes, manu deſignavit lapides qui aderant ibi. Paſchaſius : *Jeſus filius Nun duodecim lapides de medio Jordanis in terram tranſportari juſſerat, atque alios ex terra in eodem alveo reſtituerat.* Nihilominus addit Author idem;

Matth. 3. 9.

Paſchaſ. l 2. in Matth. 1b.

Gentiles lapides appellantur: quia juxta naturam boni & incontaminati ſunt creati ; at verò ſeipſos corrumpendo per varias rerum efficientias, facti ſunt ut non eſſent, & ideo non incongruè lapides vocantur. De quibus nimirum lapidibus potens eſt Deus non dico reſuſcitare filios Abrahæ quaſi ex aliquo, ſed omnino ſuſcitare velut ex nihilo. His poſitis interrogarem Præcurſorem, quare non ad oſtenſionem omnipotentiæ magis dixit : Potens Deus eſt omnino de nihilo ſuſcitare filios Abrahæ ? Quia, licet inter nihilum & eſſe reperiatur infinita diſtantia, proindeque requiratur illimitata potentia Dei, quò vocetur aliquid ad eſſe de nihilo ; nihilominus tantæ molis eſt hominem, qui per peccatum factus eſt lapidi ſimilis, convertere per gratiam, ut mirabilior videri queat hæc mutatio ; quàm de nihilo productio. Crebræ tamen ſunt ejuſmodi metamorphoſes, vivificante gratiâ lapideos, ita ut acutè ſentiant ii, quos putares antea ſenſu caruiſſe. Uſque modò vitam ſpiritualem ſenſitivam conſideratione donavimus, virtutum comitem.

45. *Rationaliter vivit ſpirituali vitâ qui temporaneam contemnit.*

Demum accedamus ad vitam rationalem juſtî moraliter explicandam. Non conſentiunt homines in judicando quid ſit illud, in quo ſita verè dicatur illa ratio vivendi, quam vitam vocamus moralem. Ut olim diſceptatio multa fuit inter ſapientes, in quonam beatitudo conſiſteret hominis ; ita nunc apud nomine Chriſtiano gaudentes indiciorum diverſitas eſt dum cenſent quid ſit moraliter loquendo vivere. Quidam exiſtimant, illos tantùm vitâ fungi, qui divitiis affluunt : cum experientia doceat, pauperes velut mortuos ferè cunctis fœtere. Redarguuntur : nam aurum & argentum vitâ carent: quomodo credemus, in illis conſiſtere vitam ? Legant S. Gregor. Thaumat. *Vita enim hominis, non ex caducarum & fragilium opum collectione & poſſeſſione : verùm ex ſapientia provenit.* Vel ibi ſumatur ſapientia pro virtute, vel pro ſapiendo in ordine ad virtutem, longè propellitur prædictorum inſania : quæ ſic invaluit, ut idioma ſciam, quo ſolitum eſt dici vulgò : Hic homo vitam ſuam lucratur ; ut iſto modo loquendi ſignificetur, illum acquirere lucra temporalia. Miſſa facio aliorum diverſa placita, quia rejiciuntur æquè facilè. Quibus relegatis, maneat inconcuſſum, vivere moraliter vitâ rationali virum, qui per virtutum ſemitam graditur. Notare tamen non deſinam, ei qui diligit vitâ ſpirituali frui congruere quòd temporalem parvî faciat. Nobis non licet iſtam extinguere : ſed adveniens illa vita ſpiritûs à noſtris oculis mentalibus tollit per contemptum vitam aliam inferiorem, quam nobis dedit nativitas ; ad inſtar lucis minoris, cujus fulgor abſorbetur à majori luce ; quamvis non extinguatur ab ea. Tempeſtivè Archiepiſcopus Cabaſilas: *Sicut enim*, ait, *in domo quapiam, illapſo ſolis radio lucerna cernentium oculos ad ſe amplius non advertit, verùm claritas radii eam longe vincens dominatur ; conſimiliter in hac vita per myſteria futuræ vitæ ſplendor immiſſus,*

S. Gregor. Thaumat. metaphr. in Eccle. 7.

Nicol. Cabaſil. l 1. de vit. in Chriſt ante med. §. Sicut enim.

& animas inhabitans, vitam quæ in carne degitur, vincit, &c. Is ergo qui vitâ ſpirituali vivit, contemnit propriam temporaneam: is, inquam, rationalis vivendi modus eſt.

46. Apud Pſaltem duplici loco, ſed eodem Pſalmo, legimus quæ difficilè judicabis ad invicem cohærere. Nam quiſquis ille ſit qui loquitur ibi, priùs ait, ſe veteranos intelligendo ſuperaviſſe: *Super ſenes intellexi*: &c. Poſt adjicit: *Intellectum da mihi, & vivam.* Pugnare videbitur hæc ſupplicatio cum aſſertione præcedenti: nam qui ſenes intelligentiâ viciſſe credebat, ut quid à Deo poſtulabat intellectum? Petebat, ut ſibi daretur intelligere quàm ſit contemnendum quod hoſtes auferre valent: cujus generis eſt vita mortalis. Hac intelligentiâ ſuſceptâ confidebat, ſe victurum vitâ rationali, contemptâ caducâ. Dictis adeſt Auguſtinus ad citata ſecundo loco Pſalmi verba. *Intellectum*, ait, *poſcit iſte junior, quem ſi non haberet, non ſuper ſeniores intelligeret, ſed eum poſcit in tribulatione & neceſſitate, quo intelligat quam ſit contemnendum quod ei poſſunt auferre perſequentes inimici, à quibus ſe dicit eſſe contemptum. Ideo dixit*: Et vivam, *quia ſi eo uſque tribulatio neceſſitaſque pervenerit, ut per inimicorum perſequentium manus vita iſta finiatur, vivet in æternum qui temporalibus præponit juſtitiam, quæ manet in æternum*, &c. Hinc pervium eſt concludere, conſentaneum eſſe peroptanti degere ſpirituali vitâ intellectivâ, vitam corporis aſpernari. Naturales philoſophi ſciunt, duplicem formam ſubſtantialem viventem non vivificare ſimul idem individuum; cum tamen haud opponantur inter ſe. Vita carnis nequaquam opponitur alteri, de qua nunc ſermo nobis eſt: attamen convenit illam inferiorem contemnendo velut abjicere, ut per ſuperiorem vivificeris.

Pſal. 118. 100. Ib. n. 144. S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 118. 144.

47. *Sapientia peccatoris genus eſt ignorantiæ.* Tam peculiare juſtorum eſt intelligere (quod philoſophico more nominamus vitam rationalem in actu ſecundo) ut ipſis tantùm videatur conceſſum. Peccatorum ſapientias examina: deprehendes illas erroribus mille ſcatentes. Academiam ſuam ſapientibus ornatam jactat ſæculum: quos laureis donat illuſtribus. Percurre ſingulas facultates; & nullam invenies, quæ non exerret craſsè. Philoſophi neſcio quô argumentandi genere concludunt, hominem ſæcularibus repletum bonis eſſe verè felicem. Conſequentiam deducunt ex præmiſſis, quæ ſunt apprehenſiones meræ. Turpis error eſt in philoſophia credere quòd ex apprehenſionibus judicium colligatur. Figuram in arguendo noſco; ſed vanam. Mathematici mundani quidam rem ſibi ſtatuunt inauditam: ſcilicet moveri cœlum Empyreum ad eorum nutum: quatenus præſumunt quòd viventes ut placet, cœleſtia percipient ut placuerit. Sæculares medici quemdam ſupponunt aphoriſmum nimis barbarum: nempe nihil inſuave fore proficuum. Mundi juriſtæ, cum legibus terga vertant, imaginantur inveniſſe, Deum eis eſſe debitorem gratiæ, qua tandem commoveantur ad capeſſendam ſalutis viam Theologis mundialibus in ſidet falſitas impia: ſcilicet quòd, cum Deus velit, homines cunctos fieri ſalvos, perire non poterunt ii, qui fidem orthodoxam tenuerint illibatam. Ecce quàm ſtulta mundialis academia. Ubi verum ſapientem quæremus? Non apud ſectatores vanitatum nam ſapientia, quæ veraciter digna ſit iſto nomine condecorari, non in ſola cognitione ſiſtit; ſed operationem rectam involvit. S. Maximus ait: *Qui vero utramvis ab altera ſejunxerit, aut cognitionem non ſubſiſtentem parit, nempe imaginationem: aut operationem conſtruit expertem animæ, videlicet idolum. Cognitio namque non incumbens operi, nihil differt ab imaginatione, carens actione qua conſolidet eam. Operatio item non munita ratione, idem cum idolo molitur, cum ipſum vegetante careat cognitione.* Hæc non eſt perfecta ſcientia: nam cum jungitur eruditioni grave crimen, ſapientia viri genus eſt ignorantiæ. S. Maxim. de virt. & vit. cent. 4. c. 88.

48. Hæſi penitus, cum Salomonem legi dicentem de ſemetipſo: *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum.* Quis non cogitabundus obſtupeſceret audiens iſta? Regum hiſtoria dicto Sapientis opponi videtur manifeſtè: nam ibi narratur ſic dixiſſe Dominum eidem per ſomnium: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Et alibi legitur: *Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt ei*: &c. Imo necnon & ipſe curavit acquirere ſcientiam: dixit enim: *Dedique cor meum ut ſcirem prudentiam atque doctrinam*, &c. Qualiter poterit conſiſtere cum iſtis quod Salomon affirmat de ſeipſo? videlicet ſtultiſſimum ſe virorum. Memento, Salomonem peccaviſſe graviter poſtquam accepit ab Omnipotente ſapientiam; poſtea pœnituiſſe. Cum ſe ſtultiſſimum dixit, ſemetipſum vocat filium Vomentis: quod pœnitentiam ejus inſinuat. *Verba Congregantis filii Vomentis.* Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Filius verò vomentis dicitur, id eſt filius confeſſionis: qua vomuntur peccata ſalubri vomitu: De quo dicitur Eccli. 31. C.* Si coactus fueris in edendo multum: ſurge è medio & evome & refrigerabit te: *In quo notatur pœnitentia Salomonis.* Ergo qui ſapiens erat, inter ſtultiſſimos computabat ſe, cùm agnoverat lapſum. Perfecta ſapientia de ſanctitate venit, adeo quòd iſta videatur hominem ex bruto rationalem conſtituere. Ea donat juſtum quemque triplici ſpirituali vitâ: ſcilicet vegetativâ, ſenſitivâ, rationalique. Meritò dicitur eſſe timor Domini *Fons vitarum.*

3 Reg. 3. 12. & c. 5. 12. Eccle. 1. 17. Prov. 30. 1. Hug. Card. in com. ib.

DELIBATIO V.

Lacrymarum vis. Timoris illuminatio. Justus redit ad actum virtutis, quo sanatus est. Peccator meditetur se proximum gehennæ. Minùs morte timetur infernus.

49. *Lacrymæ Deum ex leone reddunt agnum.*

Timor Domini. Mihi certum est, Sapientem non tantùm loqui de timore filiali, sed etiam de servili: nam ab utroque manat spiritualis fertilitas, ut possit utervis dici *fons vitæ*: necnon unus & alter utilissimus est, ut homines declinent à ruinâ mortis, hoc est peccati. Dimitto nunc timorem filialem: nam hujus emolumenta notiora sunt; & aliquid notabo pro laude timoris alterius: quia, cum appelletur non multùm generoso nomine dum servilis vocatur, operæ pretium est illius excellentiam & utilitatem notas verbis facere; quò proni sint peccatores ad exercitium virtutis hujus non difficile: quid enim arduum est inferni pœnas à summo Judice metuere? De hoc, inquam, timore notandum, quòd beneficio lacrymarum pelletur foras timor ille servilis: succedet enim fletibus amor Dei motus à bonitate divina, quæ Domino suadet benignè respicere lacrymantem. A Petro Cellensi potentiam lacrymarum accipies. Ait ille: *Lacryma vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum, portusque naufragatorum; Filium Dei ad nos inclinat* &c. Supremum Dominum ignem dici legimus in Scriptura sacra: proinde quantumlibet ab eo timeantur incendia, placabuntur aquis oculorum. Cum Dei justitiam toto mentis tremore pavescimus, leonem vocamus eumdem: attamen hic auditum inclinans ejulatui miserorum, facilè mansuescit. De leone fertur, deponere feritatem, cùm cernit catellum verberatum, & audit præbentem signa doloris. Mapheus Vegius: *Leone autem quid animo generosius? quid corpore fortius? nonne illum tamen, quem nec minis, nec vi ulla potest, catello verberato ad idque datâ operâ parato doctus magister exterret?* Metum secludamus, & omnem imperfectionis umbram, ut aptemus apologum. Juxta Bernardum, quem dedi supra fl. 30. n. 36. catelli sumus Domini. Nos flagellat Providentia; novæque verberationis timorem incutit, quo perculsi gemitus edimus, & lacrymas effundimus. Dolentes intuens Deus agnum se perhibet, etiam cùm leonis nomine vocari dignus fuerat.

Petr. Cellen. l. de pan. c. 12.

Maph. Veg. l. 1. de educ. liber. c. 17. prope fin.

50. Aquilino vidit obtutu Joannes majestatis divinæ thronum iride circumcingente decorum, & assidentibus viginti quattuor senioribus condecoratum. Ex istis unus dixit ad Evangelistam: *Ecce vicit leo de tribu* &c. Joannes tamen eumdem, quem leonem audierat, vidit agnum. *Et vidi: & ecce in medio throni & quattuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tamquam occisum*, &c. Rupertus ad n. 5. *Leonem nominat ei: qui protinus agnum visurus erat*, Suppono, Dominum hîc dici leonem propter justitiæ severitatem: nam Hugo Card. asserit, per seniores designari Sanctos post universalem resurrectionem. *Describit*, ait, *quales erunt isti assertores & socii Domini: quia* Circumamicti stolis albis. *Ecce gloria corporis.* Deinde ad caput 5. Scribit: *Item leo erit in judicio.* Nunc examinare vellem, cur Discipulus charus viderit agnum, quem senior nominavit leonem? Multorum solutiones varias audivisti: patere nostram. Senior minimè flebat; Joannes autem lacrymas fudit: *Et ego flebam multum*, &c. Quidni videret agnum, quem senior appellavit leonem? Scrupulosus replicabis, ploratum Joannis hunc nequaquam habuisse pro motivo dolorem de peccatis; de quo nobis hîc sermo est. Id video: sed istas lacrymas proportionem aliquam habere cum planctu pœnitentium, non inficiaberis legens Primasium, qui sic habet: *Nam & particulariter quisque fidelium cum sua studet flere peccata, & promissæ redemptionis meminit per consolationem Scripturarum* (hîc deesse videtur aliquid), *æternæ salutis habere cognoscitur, ab uno seniorum simili, ut ita dicam, responso firmatur.* Non incongruè notamus igitur, Domini justitiam fletibus nostris mansuescere, quos prudens advocat in auxilium *timor Domini.*

Rupert. l. 4. in Apoc. c. 5. n. 5.

Hug. Card. com. in Apoc. 4.

Idem ad c. 5.

Apoc. 5. 4.

Primas. Episc. in Apoc. lib. 1

51. *Timor sanctus homini præstat noscere peccati sui magnitudinem.*

Fons. In pellucidâ fluentî crystallo viator postquam somnum excussit, dum proluit ora fluidam adhibens, intuetur faciei maculam, quam hesternâ die cadens acceperat à luto: fœditatem ipsius noscit apprimè. Fons verè timor est. In isto, velut in speculo, reus agnoscit præteriti criminis gravitatem. Fontem dicimus vulgariter speculum: sed indiget externâ luce, cujus illustratione juvatur, ut agat munus istud. Meliùs exhibet speculi vices timor: non, inquam eget extrinsecùs veniente splendore; cum ipsemet lucerna sit. Abbatis Jacob hæc verba refert Smaragdus: *Quia sicut lucerna obscurum cubiculum illuminat: ita timor Domini, si venerit in cor hominis, illuminat eum*, &c. Timor itaque Dei proponit homini quàm fuerit magni ponderis offensa, quæ Mansuetissimum provocavit ad iras. Urgentem velut à tergo verberantem respicit homo: simulque dum vertit oculos ad illum, obvia sceleris occurrit imago turpis; quàm ipse miserat post dorsum. Accedit, quòd metus idem tollit amorem boni commutabilis, ratione cujus lapsus eras: & avertens ab eo lumina, divertis ad intuitionem culpæ, quam incurristi: fitque sic ut probè cernas quale præcipitium dilexeras peccando. Insuper, si prius te cæcaverat superba præsumptio; curatur ista per timorem. Cæcitate pulsâ perspicit metuens Deum, quàm sit ingens noxa, qua permotus amicus ille, cui nullus est suppar, dissolvit amicitiam, si justus lethaliter delinquit. Concludam. Timor sanctus hominis præstat ut peccati sui noverit magnitudinem.

Smaragd. Abb. in diadem. monachor. c. 6. juxta fi.

Apoc. 5. 5.

Ib. n. 6.

Peccavit protoparens per esum de ligno

no vetito: & adeo graviter, ut inſtituant quæſtionem Theologi, quænam fuerit culpa gravior: principumne Judæorum procurantium occiſionem Filii Dei, vel Protoplaſti, quo perdidit univerſum genus humanum? Et quamvis præferendum ſit crimen prius ob infinitatem perſonæ Chriſti Domini; tamen ſufficit quòd locus quæſtioni detur, ut intelligas quantum extiterit Adæ ſcelus. Inſuper hujus magnitudinem probat damnum ex eo proveniens orbi toto. Nihilominus, cùm Deus ad judicium vocavit Adamum, non legimus hunc protuliſſe vel unicum verbum, quo ſignificaret, agnoſcere ſe gravitatem proprii criminis. Hoc intendebat benignus Dominus, prout colligitur ex dicto Ruperti: *Hoc enim*, ait, *benignitas quærentis intendebat, ut is qui quærebatur, ſe-ipſum inveniret, & ſciret quid perdidiſſet, quid commeruiſſet.* Ille tamen circa gravitatem delicti ſui nihil dixit. Peccavit etiam David, cum juſſit numerari populum: ſed poſt agnovit, offenſam commiſiſſe gravem. *Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus eſt populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: ſed precor Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis.* Citra comparationem graviùs peccavit Adamus Davide. Quid eſt, quòd rex offenſæ magnitudinem intelligit; Adamus autem nequaquam ſuæ tranſgreſſionis enormitatem cognoſcere ſe depromit? Caruit Adam tunc virtuoſo timore: cujus eſt hominem excitare, quò turpitudinem præteriti flagitii prudenter æſtimet. Pavit, fateor, generis noſtri Parens; non tamen timore bono. Rupertum audias denuo. *Non ergo*, inquit, *factum ſuum, ſed facturam Dei in ſemetipſo reprehendit. Et quam perverſus hic timor eſt, qui non facti ſui genere pœnitudinem, ſed ſolam pœnæ ſuæ ſe fatetur habere confuſionem.* At verò David timore ſancto correptus eſt: non enim excuſationem prætendit facto: nec Ambroſius inſinuaret, Davidem hîc occurriſſe indignationi divinæ, ſi non timor iſte bonus extitiſſet. *Ergo*, ait S. Doctor, *qui pœnitentiam agit, offerre ſe debet ad pœnam, ut hîc puniatur à Domino, non ad ſupplicia æterna ſervetur: nec expectare tempus, ſed occurrere divinæ indignationi. Vide facta David ejus precibus convenire. Offenderat Dominum, quia numerari juſſerat populum. Confeſſione prævenit Dei nuntium, peccaſſe ſe valde, & nimis ſtultè feciſſe commemorans*: &c. Hoc loco Davidem timuiſſe pœnam crede: nam rogat ut Deus transferat illam; quæ deſignatur ibi nomine, *Iniquitatem*, juxta Sanctium, dicentem: *Iniquitas pro ſupplicio aliquando ſumitur, quo expiari ſolet. Quod ſi ita capias hoc loco, ut profectò videtur eſſe ſumenda, orat Propheta, quod modo putabamus, nempe ne durum ſubeat vulnus, quod ſuo capiti intentum eſſe videt.* Peculiariter illuminatus à timore David agnovit ſui commiſſi pondus. Proventus hic naſcitur à pavore peccantibus illis, quibus terror Domini pro maculis propriis intuendis præbet officium ſpeculi; ſicut carpenti viam præſtat aliquando *fons*.

52. Rupert. l. 3. in Geneſ. c. 14.

2. Reg. 24. 10.

Rupert. prox. ſup.

S. Ambroſ. expoſ. Pſal. 37. poſt pr.

Sanct. in 2. Reg. ſup.

Vitæ. Sumamus nunc hoc vocabulum inadæquatè ſecundùm expoſitionē quamdam in commentario dimiſſam: quæ comprehendit alia; nobis autem licebit agere pronunc de ſolâ vitâ virtutum. Quæro. An Sapiens non accommodatiùs appellaret virtutes nomine remedii, quàm *vitæ*? Certè, cum peccata ſint ægritudines, & in hoc genere medicinæ contraria contrariis curentur; valde propriè virtutes dici queunt medelæ. Angelomus. *Qui verò*, inquit, *acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed (ut ita dixerim) medicamento vulneratur.* Ergo qua de cauſa vocat hîc Salomon potiùs vitam commendabilia geſta; non autem remedium ad vitam conſequendam? Quoniam qui ſanatur ab infirmitate corporali non deponit vitam; relinquit autem protunc medicamentum; auxilio cujus evaſit mortem. Non pariter agendum eſt illi, qui per virtutis actus à culpa ſanatus eſt. Congruit, ut quotidie ſumat idem pharmacum, per quod à morbo convaluit. S. Ambroſius: *Et quia*, inquit, *non deſunt quotidiana peccata, non deſint quotidiana remedia.* Imprudens erit qui ſemel reſtitutus ad animæ ſanitatem, nolit ejuſdem virtutis facta, quibus reſtauravit ſalutem peccato deperditam, rurſus exercere; cum non ſolùm ipſa vim habeant ſedandæ famis; ſed etiam conſervandæ vitæ. Ridiculus foret qui, poſtquam fructibus arboris optimis extinxit eſuriem, diceret nimis delicatulus: Tædet me fructuum iſtorum, quia jam non ut antea fameſco. Denuo comedit, ut vitam nurriat. A virtutis arboribus fructum comediſti famelicus? Iterum ſume poſt extinctam famem: nam virtutes arbores quædam ſunt. Paſchaſius: *Sunt igitur*, ait, *& bonæ operationes arbores, quæ fidei fervore calentes, plurimum fructum, & omni bonitate condulcoratum ferunt.* Non igitur dedigneris, quaſi dicas: Non me jam reſtitutum ad amicitiam divinam decent iſta, quibus uſus fui pœnitens, ut mundarer à ſcelere. Rurſus eiſdem actionibus incumbe, quibus munditiem conſecutus es.

53. *Non tædet juſtum regredi ad eũdem actum virtutis, quo ſanatus fuit à peccatis.*

Angelom. ſtrom. in l. 2. Reg. c. 12.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 17. de S. Laur.

Paſchaſ. l. 3. in Matth. c. 3. 10.

54. Magdalenam intueamur, Domino præſtantem obſequium in Simonis domo. Fudit ſuper caput ipſius unguentum: pedes unxit, & capillis exterſit. *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Hæc Matthæus Evangeliſta: Joannes autem ſcribit: *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis*: &c. Si verum eſt (quod alteri placuit, & infra tangam fl. 36. delib. 4. n. 49.) Simonis expenſis factum fuiſſe convivium iſtud, ad illum pertinuiſſe videtur hæc unctio, tamquam epuli circumſtantia de more Judaico: quia Maldonatus ait: *Conſuetudinem autem inter Judæos, & Orientales nationes fuiſſe, ut in conviviis celebrioribus, qui invitati erant, ungerentur capi. 6. 17. adnotavimus*, &c. Ut quid Salvatorem non Simon unxit vel per ſe, vel per alium; ſed Magdalena? Deinde, cum Filius Dei vocaverit

Matth. 26. 7.

Joann. 12. 3.

Maldon. in Matth. 26. n. 7. ad fi.

caverit unctionem iſtam officium ſepulturæ ſuæ, putabis improprium, quod permiſſum fuerit Magdalenæ, pedes Aſſertoris unguento delibutos capillis extergere. Quid myſterii latet in hac exterſione? Priuſquam aperiam quid cogitem, adjiciam duplex dubiolum; & omnia ſimul diſſolvam. Quæro primò. Quare non obtulit Magdalena linteum, quo Domini ſacroſanctum cadaver involveretur? Habemus narrante Marco: *Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone*, &c. Quæro ſecundò. Joannes audiens à Magdalena quod fuerit corpus Magiſtri ſublatum à monumento, nequaquam plorat? illa verò poſtea maximè? Opportunum fuit, ut fœmina jam fruens amicitia Dei daret operam unctioni pedum Redemptoris, exterſionique factæ capillis; non autem ſindonem efferret ejuſdem Corpori ſanctiſſimo: quia cum primùm acceſſit coram Domino, peccataque remiſſa fuerunt ei clementer ab eo; non linteo, ſed unguento, lacrymis, & capillis id obtinuit. Ergo cœlitus inſtruatur jam ſana repetere virtutis actus, quos præſtaverat pœnitens: ut intelligas, non debere juſtum dedignari noviter offerre Deo laudabilia facta, quibus ab illo criminum indulgentiam conſecutus antea fuit. De Magdalena Rupertus ait: *Pœnitendo quippe lavit lacrymis maculas criminis, & dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unguentum, de quo Matthæus, quid ſignificet, S. Hilarius docebit, inquiens: *Unguentum boni operis eſt fructus*, &c. Igitur exemplo Magdalenæ minimè ſunt oblivioni tradenda, ſed iteranda quæ, cum pœniteres, doloroſus exhibueras.

Marc. 15. 46.

Rupert. in Joann l. 14.

S. Hilar. can. 19 in Matth. poſt princ.

55. *Peccans, quamvis non ſit depravatiſſimus, cogitet ſe jam inferno vicinum.*

Ut declinent à ruina. Hæc verba libremus in eo ſenſu, quò, ſecundùm aliquos relatos antea, ſignificant ruinam inferni. Dubitabam, quo myſterio dictum non fuerit: Ut declinent à ruina; cum declinandi verbum valde proprium ſit ejus, qui poſitus in bivio non vult tendere viâ malâ; ſed alteram eligit? Dicerem, nos per hæc moneri, congruere peccatoribus ut non tantùm ſe poſitos in via gehennæ meditentur; ſed jam tartarum ingredientes. Abſit nociva nimis deſperatio: ſed perutilis eſt apprehenſio, quâ teipſum in peccato jacentem putes erebo proximum. Crede, quodlibet grave crimen orci januam. Paſchaſium accipe. *Novimus quia portæ inferorum vitia ſunt & peccata: nam unumquodque peccatum per quod deſcenditur ad inferos, porta eſt inferorum*, &c. Quid à carcerato diſtat reus ad carcerem tendens, & ad illius oſtium poſitus? Multoties, cum aliquid animæ nocivum cupis vehementer, jam te fingis illo potiri: quæ cogitatio damnum affert non modicum. Igitur nequaquam recuſes, te cum in ſcelere manes, inferno cogitare vicinum: quod erit utiliſſimum tibi. Nec exiſtimes, hæc ſolùm conſulenda viris depravatiſſimis; qui properò curſu viam faciunt ad flammas perennes: cuicumque vel ſemel peccanti graviter aptam dedimus doctrinam: nam, licet iſte ſic remiſsè delinquat, ut unum tantùm videatur movere pedem ad barathrum; prudens erit, ſi jam ſe perpendat approximatum gehennalibus incendiis.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. c. 16. ad illud *Porta* &c.

In perſona piorum Pſaltes gratiæ Dei memor, ait: *Niſi quia Dominus adjuvit me: paulominùs habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam: motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine adjuvabat me.* Cardinalis Bellarminus commentatur: *Induit autem Propheta perſonam omnium piorum, & ait*: Niſi quia Dominus adjuvit me, *id eſt niſi Dominus adjuviſſet me*, paulominus habitaſſet in inferno anima mea, *id eſt parum abfuiſſem à morte ſempiterna*: &c. dicet aliquis, pios ore Davidis loquentes, nimis per imaginationis vim feſtinaviſſe, putantes, quod, niſi juvarentur à Domino, paulominùs quàm in antro damnatorum jam habitaſſent. Qui ſic objiceret exiſtimaret, ſe juvari per illa verba: *Motus eſt pes meus*: illa namque referuntur ad præcedentia juxta proximè citatum Commentatorem: qui ſic habet: *Explicat in quo conſiſtat auxilium illud, ſine quo in inferno habitaſſet anima ejus.* Propterea ſic urgebit arguens: Qui ſupponunt, moviſſe pedem unicum ſolummodo, qua veritate fatentur, habitaturos in orco, niſi juvarentur à Domino? cur non magis inquiunt, ſe, niſi cœleſte ſuccurreret auxilium, progreſſuros uſquedum pervenirent ad pœnalem foveam perpetuam. Prudenter, ſtatim atque pedem unum illi moverunt, ſe putant adeo proximos tartareis ignibus, ut paulominùs quàm eis traditi ſibi videantur. Proficiet Auguſtinus ad hunc Pſalmum dicens: *Prope rueram in illam foſſam quæ paratur peccatoribus, hoc eſt, paulominùs habitaverat in inferno anima mea: quia jam nutabat, jam prope conſentiebat*, &c. & infra: *Imò ſi jam cœpiſti moveri, ſi jam cœpiſti fluctuare, confitere motum ne plangas ruinam, ut adjuvet te ille, ne in inferno ſit anima tua.* Piorum eſt ita perpetuam damnationem pertimeſcere, quòd ſi ſemel graviter offendunt, jam ſe quaſi miſſos exiſtimant in ſtagnum ignis, qui non extinguetur.

56. Pſal. 93. 17. 18.

Bellar. Card. in com. ib. ad n. 17.

Idem ib. ad n. 18.

S. Aug. to. 8. expoſ. Pſal. 93.

Mortis. Juxta proximè dictam expoſitionem proponitur æterna condemnatio voce, qua ſignificare ſolemus vitæ corporalis interitum. Scio longiſſimè diſtare mortem perennaturam ab illa, qua diviuntur corpus & anima: ſed prudentiſſimè Salomon gehennam vocat mortem, ut ſic occaſionem accipiamus timendi plurimùm cruciatus damnatorum. Mortem, qua ſolvitur anima de carcere luteo nimiùm pavemus: non parum conducet audire mortis nomen, cùm averni mentio fit, ut perterreamur. Sed, proh dolor! emittere formidamus animam; non amittere. S. Julianus: *Mortem carnis*, inquit, *omnis homo timet: & mortem animæ pauci.* Et quamvis loquatur de morte ſpiritûs per peccatum lethale, non inopportuna ſunt ejus verba: præſertim quia ſequenti capite loquitur ita: *Quid ergo agit homo fugiens, timens, occultans ſe, ne inveniatur ab inimico? numquid agit ut non moriatur? Non;*

57. *Minus paveſcunt aliqui tartarum, quàm exitum vitæ.*

S. Julian. Archiep. Toletan. l. 1. prognoſt. c. 15. in princ.

Idem ib. c. 12. ante fi.

ſed ut ſerius paulò moriatur : non accipit debiti ſecuritatem, ſed præſtolationem. Quantumlibet diu differatur, veniet tamen quod differtur. Illam mortem timeamus ſecundam, quæ iſtam carnis excipit primam.

Herman Hug. pi. deſid. l. 1. poë. 14.

Proh pudor! uſque adeo eſt homini mens cæca futuri,
Ut niſi quæ videat, nulla pericla putet?

Ita piorum gemitum Vates. Et poſtquam horrorem judicii divini revocavit in mentem lectoribus, iterum triſte canit ſuaviter :

Idem ib.

Sed nondum hoc tanti clauduntur fine dolores;
Altera adhuc reſtant, vitaque, morſque ſuper;
Vitâ perennanti quæ ſæcula protrahet ævo,
Mors longa extremum non habitura diem.
Ah quibus, ah quantis laniabitur hæc tormentis!
O quibus, ô quantis affluet illa bonis!
Illa ſuis paſcit divino nectare mentes;
Hæc miſcet liquida pocula plena pice.

Cum pro concione peccatoribus inculcamus iſta, ſurdo canimus, quaſi fabula narraretur. Si graſſantur ægritudines periculoſæ, tunc tremiſcimus. Minus paveſcunt alii tartarum, quàm exitum vitæ.

58. Duplicem divitem in medium afferre vellem; ut unius verbis, & ſilentio alterius propoſitum confirmem. Dives epulo levans oculos ad Abrahæ ſinum, à Patriarcha rogavit quòd mitteret Lazarum ad avari germanos, ad hoc ut illos moneret ſalubriter; ne fieret ut etiam illi ſepelirentur in gehennâ. *Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Fratres iſti (loquor juxta multos, qui docent, hanc non eſſe parabolam, ſed hiſtoriam) vitam ſectabantur voluptuariam. Euthymius : *Repulſam*, inquit, *paſſus in eo quod pro ſe orabat, pro fratribus ſupplicat inſinuans, quòd ſicut ipſe ante mortem : ita & illi pro fabulis ducant minas, quæ in Scripturis habentur de futuri ſæculi ſuppliciis : & propterea ſolam voluptuoſam vitam inſequuntur.* Supplicatio ditis non obtinuit quod orabat. Rurſus inſtat : *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Tunc Abraham ad illum : *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerint, credent.* Abrahamum interrogarem, quare divitis fratres judicet non credituros? nonne credidit ille dives alter, cum denuntiaretur ei citò ventura mors in parabola quam narrat Lucas? Sic videtur indicari, dum non legimus ipſum quicquam repoſuiſſe; quaſi terrore perculſus obriguerit. Quare non etiam crederent Epulonis fratres, dato quò juſtus aliquis redivivus hortaretur eos; ac trepidarent inferno tradi? Quia diviti cujus ager ferax ſollicitum reddidit, mors corporalis annuntiata fuit. *Dixit autem illi Deus : Stultè hac nocte animam tuam repetunt à te :* &c. Cumque hominibus, terrori ſit mors temporalis, formidine quaſſatus obſtupuiſſe viſus eſt. At verò, ſi reſurgeret mortuus, ac loqueretur ad Epulonis fratres infernum comminatus, cum non ſoleant homines ejuſmodi trepidare de gehennâ, minimè teſtanti fidem adhiberent. Aliquid ampliùs adjiciam concernens idem inſtitutum. Non dubito, quòd illis verbis, quæ Lucæ 12. ſcribuntur, & retuli ſupra, tacitè fuerit inſinuata mors perpetua divitis illius. Cardinalis Toletus ait : *Imminentem indicat mortem, ſtultitiam improperat, judicium minatur, ut hoc medio tempore comperta ſtultitia, & timore ille compulſus, ad Deum convertatur, & ſalvetur; quod cum ille non fecit, majus quidem judicium ſibi conciliavit :* &c. Inquiro tamen quare non dicatur iſti diviti fuiſſe dictum expreſsè, quod eâdem nocte detruderetur ad inferos? Suſpicor hoc dubium in mentem veniſſe Maldonati; reſponſumque ſequentibus verbis inſinuare. *Cæterum*, inquit, *loquitur accommodatè ad ejus, quocum loquitur, opinionem atque ſollicitudinem : nunquam fuerat ille ſollicitus, quid ſibi poſt mortem futurum eſſet*, &c. Ad ſummum hominibus, quos & quibus fortuna ridet, aliquando contingit metuere mortem, qua finitur vita; non autem damnationem duraturam ſine fine. Mors corporis nuntiatur; perpetua non exprimitur : quia terrentur homines proſperitate fruentes obitus naturalis memoriâ; nihil verò curant de ſuppliciis non finiendis.

Luc. 16. 27. 28.

Euthym. in com. ib.

Luc. 16. 30.

Ib. v. 31.

Ibid c. 12. 20.

Cardin. Toletus in com. ib.

Maldon. com. in Luc. ibid.

FLOS XXXIII.

In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.

APERITUR.

1. CLARA eſt ſententia; ſed latet in ea nonnihil, quod tamquam ſecundam expoſitionem affert Rodolphus in hunc locum : at melius Cornelius Janſenius dixit eſſe quid ſubindicatum per litteralem exteriorem ſignificationem parabolæ. Igitur exterior ſignificatio hæc eſt, quam propoſuit Janſenius ita : *Docere enim vult Sapiens, gloriam regum non in magnis opibus, aut caſtellis & propugnaculis conſiſtere, ſed in multitudine ſubditorum, qui lubenter illorum pareant imperio*, &c. & ſtatim : *Et contra illorum defectum diminutionem, ignominiam ei & formidinem allaturum*, &c. Jam quæris quid ſub iſta doctrina lateat? Ex eodem Janſenio dicam. *Proinde*, ait, *ſubindicat regibus & principibus præcipuam operam dandam, ut comitate, clementiâ, & juſtitiâ tales ſe exhibeant, ut & ſui lubenter eis pareant*, &c.

Rodolph. com. in Prov. 14. 28 & Janſen. ib.

Idem ib.

2. O quam glorioſus internos (qui præcipui ſunt) vincit hoſtes monarcha ſubditorum corda poſſidens! Aliter, quantumlibet ſtipetur ſatellitibus, potiùs ſimilis reo ſollicitè cuſtodito. Plato, cum vidiſſet Dionyſium tyrannum à pluribus cuſtodibus

dibus accuratè circumcingi, dixit ad illum : *Quod tantum malum feciſti ut à tam multis neceſſe habeas cuſtodiri ?* Philoſophî dictum refert Seresberienſis, & addit : *Hoc utique principem non oportet, qui officiis ita ſibi omnium vincit affectus, ut quiſque ſubditus pro eo periculis imminentibus caput opponat.* In quonam ſita ſit gloria regum novit optimè Theodoricus, inquiens : *Laus excolentis eſt ſi agreſtè ſolum dulciſſimis fructibus amœnetur. Sic quies ſuaviſſima populi & tranquilla diſpoſitio regionum, præconium probatur eſſe regnantium.* Non dedignentur principes æquiparationem cum agricolis : qui de fructuum copiâ gloriantur ; non ſuperbiunt gemmis, non domos amplas diligunt.

Plato apud Seresber. l. 4 de nug. c. 4. ante fi Seresber ib.

Theodoric. rex apud Caſſiod. l. 5. var. ep. 39.

3. Media, quibus regnantes adipiſcuntur prudentem gloriam, ſunt, aliis omiſſis, liberalitas, æquitas, & amor. Largitas, inquam : nam hæc ipſiſmet ſuperaddit quod ſceptra tenentes impertiuntur. Idem Theodoricus : *Beneficia ſiquidem ſunt, quæ regna ſublimant : & libertatis Dominus jugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubjectos ſtudeat ampliare.* Deinde juſtitiam eſſe regnorum ſuſtentaculum non dubitabis : non minùs neceſſarium fulcrum eſt illa, quàm poteſtas, ne corruant. Engelbertus Abbas : *Super illud*, inquit, *fundamentum ſunt omnia regna conſtituta & erecta, mediantibus duabus columnis, ſcilicet juſtitia & potentia.* Et antea dixerat : *Manifeſtum eſt igitur ex prædictis omnibus, quòd juſtitia per ſe operatur ad felicitatem regum & regnorum : magnitudo verò potentiæ & regni, ſecundùm dilatationem & amplitudinem ipſius, cooperatur ad felicitatem, non per ſe, ſed per accidens ; ſcilicet mediante amore & diligentia juſtitiæ in regnante.* Tandem quod attinet ad amorem erga ſubditos, facilè comprobari poſſet exemplis quantùm pro gloria principis evaleat, non ſolum ut ſervet hereditaria ; ſed ut amplificet. Sufficiat legere quæ refert è Suetonio Gerſon. *De Julio*, inquit, *prædeceſſore ſuo dicit quidam hiſtoriographus Suëtonius Tanquillus lib. de 12. Cæſaribus, nihil eum ad majorem partem mundi conquirendam plus juviſſe, quàm amorem, quem erga ſuos habuit milites, & milites erga eum.*

Idem ib. l. 3. var. ep. 11.

Engelbert. Abb. de ortu & fine Rom. imp. c. 21. juxta med. & c. 13 ante fi.

Suëton. apud Gerſon ſer. de Epiphan.

4. *In multitudine.* Notavit Salazar hoc loco, per multitudinem intelligi non ſolum numerum, ſed omnia, quæ populum augent, amplificant, roborant, fortunatumque reddunt, atque tranquillum. Placet adnotatio : quia filiorum commoda, patris bona ſunt : princeps autem rectè moderamina tenens, genitor populi ſui dicendus eſt. Xenophon ait : *Sæpenumero etiam aliàs cogitavi, bonum principem nihilo differre à bono patre.* Felicitas parentis non in eo ſiſtit quòd plures numeret filios (imo ſæpe nimia filiorum pluralitas loco ſupplicii computatur) ſed in eo viſitur quòd genitos habeat benè moratos, & competentibus fortunis abundantes. Principis excellentia non in ſolâ ſtat plurium numeratione populorum ; ſed in hoc ſplendet quòd ii legibus & æquis magiſtratibus contineantur à vitiis ; & illis abundè ſuppetant ea, quæ conſervandis poſſeſſionibus, & arcendis hoſtibus opportuna ſunt. Plutarchus : *Principis*, ait, *partes ſunt, ut præſertim ipſam Reipublicæ formam conſervet : quod non minus in eo poſitum eſt, ut ea ab omnibus ei non convenientibus rebus abſtineatur, quàm ut omnia ad eam ſpectantia ei affatim adſint.*

Xenoph. in Cyro l. 8.

Plutar. in compar. Theſ. & Romuli.

5. *Populi.* Vox iſta, quamvis & infimos, & medios, & ſupremos in præſenti complectatur ; tamen præbet anſam, ut princeps meminerit, gloriam ſuam necnon in eo conſiſtere, quòd etiam abjectum vulgi monſtrum felici ſtatu potiatur pro ſuæ conditionis menſurâ. Corporis humani ſatis ignobiles partes à corde ſuſcipiunt ſpiritus vitales : qui ſi deficiant iis, & partes illæ morbidæ fiant, dicetur æger totus homo. Sic in Rei publicæ corpore myſtico, ſi vulgus dolet, quia princeps de ipſo non curat, infirmari dicendum eſt Rempublicam totam. Similitudine cordis uſus fui : nam regni cor eſt qui ſceptro fulget. Verè dixit quidam : *Quod cor eſt in corpore animantis, id eſt princeps in Republica ; ſi cor ſincerum eſt, quoniam ſanguis ſpirituum fons eſt, vitam impartit univerſo corpori : ſin vitiatum fuerit, exitium adfert membris omnibus.* Ne plebem ſuam, quamvis fortunâ poſtremam, rex aſpernetur & conterat : non enim ſolius Reipublicæ detrimentum hoc erit ; ſed regio capiti paratur diſcrimen : eſt enim turba popularis efferata bellua : quæ nonnunquam adverſus tyrannum plus valet inermis, quàm ad hujus cuſtodiam armatæ phalanges. Non eſſet infelix Bardanus rex Perſarum, ſi, prout ſtuduit ab adverſariis timeri, ſatageret à popularibus diligi : de quo Princeps politicorum : *Claritudine paucos inter ſenum regum, ſi perinde amorem inter populares, quam metum apud hoſtes quæſiviſſet.*

Incert.

Cornel. Tacit. l. 11. annal.

6. *Dignitas regis.* Dignitas hoc loco non ſumitur pro regio munere ; ſed pro authoritate, gloriaque regis. In ſimili ſenſu definitur dignitas à Tullio. *Eſt autem*, ait, *dignitas alicujus honeſta, & cultu, & honore & verecundia digna authoritas.* Gloriam regis intellige, non pompam vanam ; ſed ſtabilem celſitudinem : non trucem atque terrificam ſuperbiam, ſed magnitudinem poſitam in eo (præter alia) quòd ſubditi noſcant illum protectorem ſuum. *Illius principis*, ait Marſilius, *magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt ; cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur. Quo procedente, non tamquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt, ſed tamquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant, objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi*, &c. Princeps hujuſmodi, ſi contingant adverſa, non metuat naufragari : nec enim ſubeſt naufragio, cum procella tonat, anchora ſecuram navim reddens. De hoc Alciatus :

Tull. in Rhetor.

Marſil. Ficin. in diſſert. ex Senec.

Hanc pius erga homines delphin complectitur, imis
Tutius ut poſſit figies illa vadis.
Quam decet hæc memores geſtare inſignia reges,

Alciat. Emblem. 114.

7. *Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo.* *Et in paucitate plebis.* Specialiter verum eſt, imminui populos per ſævitiam regnantis: ad inſtar bellorum; quibus urbes & regna minorari conſueverunt: nam ut Stoicus ait, *principum ſævitia bellum eſt.* Inſipiens erit moderator, qui magnitudinem ſuam creſcere ſollicitaverit crudelitatis artibus; imò ſic ipſa decreſcit: nam ſpoliatus populus difficilè reddet quod exigitur. Suidas: *Urbes*, ait, *ſpoliatas eò redigit, ut conſtituta tributa haud facilè pendere poſſint.* Notandum, vocem, *Paucitate*, recipere ſimilem extenſionem, ſed contrariam illi, quam diximus propè ſupra verbo *Multitudine.* Unde non ſolùm intelligas paucitatem numeri; ſed omnium, quæ populi vires felicitatemque componunt.

Senec. l. 1. de clement. c. 5.

Suidas in Leone.

8. Quòd attinet ad vires; non tam perpende materiales munitiones, hoc eſt muros, propugnacula, ſimiliaque: magis animos attende civium; qui per atrocitatem principis enervantur. Dixit inſignis politicæ Magiſter: *Vecordes & ignavi fiunt cives, qui tyranni ſævitiam ſemper formidant.* Neu præſumat imperans ferociter, quòd ſic tutum ſe reddet à rebellibus: nam adverſus tyrannidem non ſemel prævalent pauci. *Unius* (ait Quidam) *viri dominatus, ſi fuerit crudelis & inſolens, & tyrannica ſtudia inſectari cœperit, à paucis iiſque bonis viris evertitur*: &c. Quomodo rex præſtabit cuncta quæ Reipublicæ congruunt, ſi nulli fidat? an omnia per ſeipſum exequetur? Confidens autem aliquibus tyrannus metuit eoſdem: quod miſerrimum eſt. Petrarcha: *Hoc peſſimum habet tyrannorum vita: ut quibus fidendum eſt, metuant ſemper; fidantque quibus fidei nihil eſt*, &c. Cum itaque ſæviendo metum incurrant, quî fieri poterit ut crudelitas amplificet principem?

Franciſc. Patric. l. 2. c. 1. de regis inſtit.

Dionyſ. Halic. l. 7.

Petrar. de remed. proſp. fort. dial. 95.

9. *Ignominia principis.* Etiam in brutis reperimus aliqua nullius pretii ferocientia; contra verò generoſa parcentia debilibus inveniuntur. Doctè ſcribit Seneca: *Elephantes, leoneſque tranſeunt quæ impulerunt: ignobilis beſtiæ pertinacia eſt. Non decet regem ſæva, & inexorabilis ira: non multum enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat*: &c. Rex indomitas pectore gerens iras, ideoque populos opprimens, & cædes parans, non ſolùm degenerat à nobilitate, quam dedit nativitas; ſed aliam deperdit, quam bonis actibus acquirere potuiſſet: quæ quidem tam ſplendet, ut illius comparatione, videatur non appellanda titulo nobilitatis ea, quæ venit à progenitoribus eidem. Bene Salonius Epiſcopus, nobilem eſſe regem ſub quibuſdam conditionibus, & non aliter, tacitus inſinuat, ita loquens: *Si rex nobilis eſt, hoc eſt, decorus ſapientiâ, ſplendidus juſtitia, ornatus bonis moribus & actibus; verè beata eſt terra cui præeſt, quia regit eam in judicio & æquitate, & exaltat juſtitia.*

Senec. l. 1. de clement. c. 3.

Salon. Epiſc. dial. ad Veran.

DELIBATIO I.

Partes boni principis ex parte notantur.

10. PRinceps iniquus regnandi voluntariè neſcit artem: doceri non ſinit: putans indignum celſitudine præceptis illius parere; cum leges condere valeat. Non ita rex, qui nominis hujus cognatam rectitudinem diligit, quin ob oculos jugiter verſari curat ſibi regulas, à quibus non deviet in tractandis habenis imperii. Meminit primùm, non proprio, ſed ſubditorum commodo ſollicitudinem regalem adhibendam. De Theodoro fratre loquens Imperator dixit: *Qui hoc quoque perſpicuè noſſet, ut magiſtratuum principumque utilitas, in ſubditorum viciſſim commodis poſita ſit.* Unde meliùs dicerem, non regem utilitati ſuæ quærendæ ſolùm valedicere; ſed ipſam in ſuorum bono veſtigare. Poteſtas, qua fruitur, à ſubditis aſcendit, ut iterum deſcendat ſingulis & omnibus proficua. Inter eos, qui principi ſubſunt, curæ plures dividuntur, atque munia; regis autem eſt univerſitatis totius invigilare proventibus. Aptè Seresberienſis: *Cum ſinguli teneantur ad ſingula, principi onera imminent univerſa. Unde meritò in eum omnium ſubditorum poteſtas confertur, ut in utilitate ſingulorum & omnium exquirenda & facienda ſibi ipſe ſufficiat*, &c. Multæ ſunt equidem regnantis egregii notæ: ſed inter alias hanc accipe. Principatu dignus oſtenditur qui proprias poſſeſſiones contemnit, ut communi bono conſulat.

Principatu dignus oſtenditur, qui proprias poſſeſſiones contemnit, ut communi bono conſulat.

Palæolog. Imp. in orat. funeb.

Ioan. Seresb. l. 2. de nug. c. 1. in princ.

11. Poſtulavit Hebræus populus regem: cupiens aliis in hoc ſimilari; cum foret illi congruentius in eo differre, quòd ſolum Deum regnatorem agnoſceret. Deſiderio ſuo fraudati non ſunt: donatus eis à Domino fuit Saül: ſed quidam ex ipſis aſpernati ſunt eumdem. *Filii verò Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera*: &c. Certè Saülis aſpectus intuenti cuilibet ſuadere poſſet, ipſum dignum eſſe, qui populo præficeretur: nam *ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* Proinde miror hominum illorum audaciam. Progrediamur ultra. Veniens ab agro Saül ſequens boves, cum jam inauguratus eſſet rex, audivit populum plorantem: quæſivit cauſam. Et ſciens, ideo flere, quia Naas Ammonites minaciter atque ſuperbè reſpondit ad viros Jabes, ab iſtis oblatum fœdus reſpuens; concidit in fruſta boves; dixitque per nuntios Iſraëlitis, ut ſequerentur eum atque Samuëlem: deliberaverat enim hoſtium ſuperbiam compeſcere. An legitur, aliquos tunc deſpexiſſe mandatum Saülis? Nequaquam. Imo ſcribitur ſic: *Invaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt quaſi vir unus. Et recenſuit eos in Beſech: fueruntque filiorum Iſraël trecenta millia; virorum autem Juda*

1. Reg. 10. 27.

Ib. n 24.

1. Reg. 11. 7. 8.

Juda triginta millia. Cum jamjam tempus adeſt conſerendi manus cum adverſariis, neminem reperimus contradicentem Saüli; quid tunc in eo conſpexerunt adeo regium, quòd auſi non ſunt aſſerere, Saülem indignum obedientiæ præſtandæ juſſui ſuo pro ineundo prælio? Factum illud occidendi proprios boves; quorum partes per Iſraëlem fuere diſperſæ, multùm conduxit, ut Saül crederetur benè regnaturus. Prodeſt aliqualiter uti commentario Sanctii: *Cum enim* ait, *omnes partes illas per Iſraëlem totum diſſipatas ex regiis bobus eſſe didiciſſent, neque mitius cum ſuis futurum eſſe judicium, niſi quamprimùm ad regium ſignum advolarent; omnes nihil cunctandum eſſe rati, arma undecumque conquirunt, ea videlicet, quæ ſors, aut neceſſitas obtuliſſet:* &c. Viſi ſunt Hebræorum aliqui fortaſſe tunc temporis mente cogitaviſſe, virum, qui ſua, prout ſupra, diſſipavit, ut Reipublicæ negotium ageret, dignum eſſe quòd imperaret. Nil tale Saül egerat cùm priùs à quibuſdam contemptus eſt. Firmatur hocipſum breviter: Quæro. Cur non potius boves illos obtulit Saül in holocauſtum Domino pro belli ſucceſſu proſpero? Quia pius homo non ſolet offerre Deo deſpecta ſibi: at verò illa ſiſſio bovium deſignavit, Saülem contemptorem proprii, ſi congrueret bono publico. Fortaſſis idipſum inſinuare voluit plebi; ne quiſquam recuſaret obedire vocanti regi; tamquam indigno qui moderaretur Hebræorum populum.

Sanct. in con. 10. n. 12.

12. *Quiſquis præficitur Reipublicæ, ſervus eſt.*

Si curioſus inquiras: Et quo fundamento dicemus, regium eſſe contemnere propria, quò proficiat univerſitati ſubditæ? Potiùs dictis addam nonnihil, quàm ſatisfaciam inani quæſito. Rex, ut ita dicam, propriis caret bonis: nam ſervi dominio frui non ſolent: princeps autem ſervus eſt ſplendidus Reipublicæ. Petrarcha: *Bonus enim rex ſervus eſt publicus.* Conſonat Seresberienſis. *Publicæ*, inquit, *ergo utilitatis miniſter, & æquitatis ſervus eſt princeps*, &c. Servis dominos deſerere non licet: princeps regno ſuo debet adeſſe præſens jugiter, quaſi non ſuus. Mancipium fugitivum, non certè quandiu minimè comparet, ſed poſtquam revocatur, cæditur flagro: rex autem, & abſens, & poſt regreſſus percutitur flagello detrahentis linguæ. Servo non permittitur inſumere facultates ad libitum, quæ domini ſui ſunt: principi licitum non eſt prodigere bona publica. Servi frequenter dominorum pondera ferunt: principantes portant onera populorum: hoc eſt, delicta ſubditi redundant in ipſum. Zelo plenus ad quemdam regem Angliæ ſcribebat olim Bleſenſis: *Hæc vos, juſtiſſime Princeps, oportet diligenter inquirere, & inquiſita corrigere, ne minorum exceſſus de veſtris manibus à Domino requirantur. Frequenter enim culpa populi redundat in principem, quaſi de majorum negligentia obveniant errata minorum.* Cernis quot ſimilitudinibus æquiparari ſevo princeps queat? Forſitan compenſatur ſic inæqualitas fortunæ. Cunctos natura progeneravit æquales: non inſidet intrinſecùs humanæ conditioni ſervitus; extrinſecùs acceſſit quod redegit in captivitatem quoſdam; alios autem dominos conſtituit. Quid induſtriæ rex appoſuit, ut multitudinis tantæ dominator gigneretur? Sors dedit. Sed eadem eſt in causâ, quòd ſervitute nobili prematur idem: nam verè quiſquis præficitur Reipublicæ, ſervus eſt.

Petrar. de rem. proſp. fort dial. 96. poſt princ. Ioan. Seresb. l. 2. de nug. c. 2.

Petr. Bleſ. ep. 95. longe poſt med.

13. Liceat mihi teſtem afferre Joſephum, qui rex non erat, cùm de regibus ago: nam, quoniam in orbis theatro ſimilantur principes comœdis perſonam regiam gerentibus, dum præterit figura hujus mundi; non inopportunum eſt, vice regis alicujus adducere Joſeph, non Ægypti monarcham, ſed proregem. Imo Lipomanus ait: *Officio, cura, & beneficentia rex conſtituitur, ſolio tantum & faſtu regio caritaturus Joſeph ſanctus.* Non ſemel incidit in mentem notare, nequaquam hiſtoriam Geneſis narraviſſe, Pharaonem, utentem poteſtate ſupremâ, verbis expreſſis manumiſiſſe Joſephum, ad hoc ut præfecturæ daret operam. Non audeo, fateor, aſſerere, quòd factus præpoſitus Ægypti manſerit in ſervitute Putipharis. Hoc unum ſcio quod ait Rupertus (mentem illius tu, lector, examina): *Præterea* (Commentatorem audis loquentem) *quia in ſervum venumdatus eſt Joſeph, jure quoque & ex lege humana illorum ſe agnoſcebat proprium, quibus venumdatus eſt. Rectè itaque & cum laude digna fide, ſicut in domo, ſicut in carcere, ſic & in curru Pharaonis tam humiliter ſervivit, quam fideliter, illud ſemper attendentes, quia ſervus emptitius eſt, non illud, quia per prudentiam pater Pharaonis effectus eſt.* Erga Joſephum benevolus Ægypti monarcha quare non dixit ad illum: Te libertate dono. Si verum eſt quod ante dicebam, nempe Joſeph gubernatorem effectum, in ſervitute Putipharis permanſiſſe; magis me movet quòd id Altiſſimus permiſerit, qui diligebat eumdem. Dominus equidem plebis Hebrææ motus amore diſpoſuit ut nullus omnino ſervus emptitius ultra ſeptem annos domino ſuo ſervire cogeretur. Imo, prout notat Cornelius Alapide, *qui ſexto anno hujus ſeptennii vendebatur, ille ſequenti anno, utpote ſeptimo, exibat liber*: &c. Hoc Deus præſtitit ex dilectione populi Judaïci; quem filium dixerat olim. An Joſephum non diligebat Arbiter univerſi? Quis dubitat? Igitur quare non providit ut manifeſto decreto Pharaonis Joſeph libertate donaretur? Quia perſonam regis acturus erat: & divina ſapientia cupiit, ut regnantes altâ mente verſarent (ſi verum eſt quod ſupra de ſervitute Joſephi jam præpoſiti fui ſuſpicatus) ſe poſitos in ſervitute, quamvis præclarâ. Qui recogitaverit iſta, nihil tamquam proprium computabit: ſpernet facilè quæ ſua dicunt alii: tantùm publicis incumbet.

Lipoman. ad Geneſ. 41. 40.

Rupert. l. 8. in Geneſ. c. 40.

Corn. Alap. com. in Exod. 21. 2.

Servis æquavi principes: neque nimius extiti pro boni regiminis exponendo munere. Quin & parcè me locutum dicet qui regis officia rectè callet. Captivis utique ſunt longe deteriores qui dominan-

tur imperiis. Mancipium, ſi fideliter, & induſtriè ſervit hero ſuo, nonnunquam diligitur ab eodem; princeps accuratè ſerviens Reipublicæ, ſæpius experitur illius odium, multâ ſaltem ex parte: nam cum is contineat exleges, qui numero ſolent ut plurimùm excedere, conciliat ſimultates plurium rex, qui ſuæ ſervitutis munia perficit apprimè. Servo deinde multoties contingit mutare dominum ferocem, vel aliter diſconvenientem, in pacificum & benevolum: cui vel hereditario jure, vel pretio traditus eſt. Hac ſpe melioris fortunæ carent principes: nec enim Rempublicam, quæ dominatur ipſis, pro alterâ commutare ſolitant. Deinceps pluries evenit ut captivus amanti domino ſic morem gerat, ut ab eo ſperet libertatem conſequi. Nequaquam hac expectatione lenitur ſervitus principalis: quia, ſi Reſpublica regem à ſe dimiſſura fuerit, non hoc ſpei materia, ſed timoris eſt. Denique ſervile jugum patiens Æthiops per aliquot horas quotidie quieſcit: bonis verò regibus vix ulla quies. Hanc poſtremam rationem, præcedentibus omiſſis, perſequar. Ordinariè loquendo requies non acquiritur per aſcenſum: frequentius eſt, ut qui requieſcere parat, deſcendat. Hoc veluti natura docet: nam laborum cupientes levamen, vel ſedere curamus, vel jacere: deſcenſus eſt ſitus uterque. Lepidè Petrarcha: *Et in lectulum & in ſedile deſcenditur; & ſæpius in imo quies habitat.* Negatur iſta poſſidentibus faſtigia ſumma. Sed non in otii ſui blanditie principes gloriam deſiderent: illa namque poſita veraciter eſt in quiete populi, concordia magiſtratuum, honeſtis Reipublicæ moribus, & ſimilibus aliis. Prudentiſſimè Theodoricus: *Quid eſt* (ait apud Caſſiodorum) *enim quod nos melius prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, totaque Reſpublica morum noſtrorum honeſtate veſtita?* Concludamus, principis gloriam ſplendeſcere cùm throni ſedem jungit irrequietæ curæ.

Petrar. de remed. proſp. fort. dial 96.

Theodoric. rex apud Caſſiod. l. 1. var. ep. 23.

15. Aſpexit Propheta Daniel æterni Parentis imaginem. Sic interpretatur ex Theodoreto Gloſſa: *Antiquùs dierum: Pater ſcilicet* &c. Sedentem, inquam, vidit in throno, cui rotæ igneæ adhærebant. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: . . . : rotæ ejus ignis accenſus.* Ubi Maldonatus: *Non ſolum thronus, ſed ipſæ quoque throni rotæ igneæ erant, eamdem majeſtatem ſignificabant.* Res mira! quid proportionis eſt rotis cum throno. Suppono, quod notavit Maldonatus, hîc exponi, tum gloriam Dei, tum providentiam ipſius. *Malo*, inquit Commentator egregius, *exiſtimare, ea re tum ejus gloriam, tum ejus providentiam declarari, quæ quaſi curru vecta per omnia diſcurrit*, &c. Aptantur igitur optimè divino rotæ ſolio; quo ſic intelligas, principem decere perpetuò providere ſuis, ac ſi regnantis ſollicitudo rotas imitetur gyrantes, junctas quieti, quam præ ſe ferre videntur imperantium throni. Per illam providentiæ curam explicatur appoſitè gloria Dei: nam rex non tam ex eo glorioſus eſt quia ſedet pacificè, quàm quoniam ſuis huc & illuc mente diſcurrens providet. Ex aliquibus refert (quamvis de hoc dubitet) Maldonatus ita: *Nonnulli dicunt, ideo throno rotas tribui, quod olim regum ſolia verſatilia eſſent, & ſuppoſitis rotis huc illuc vectarentur*, &c. Si verum eſt hoc, ſapiens antiquitas per id inſinuabat, regem non tam ſedere throno, ut inſideat, quàm ut ſuorum bono ſedulus invigilans cuncta percurrat. Servo propterea dixi deteriorem; cum detur mancipiis per plures horas, ordinariè loquendo, feriari.

Ex Theodo. re. gloſſ. Ord ad Danie. 7. 9 Danic. 7 9

Maldon. in com. ib.

Idem prox. ſup.

Idem ib.

16. Cum igitur gloria principis nequaquam deliciis conſtet; perpendendum eſt quantum valeat, ut glorificetur monarcha, rerum publicarum augere magnitudinem. Scitum eſt, diademata regum eò plùs fulgere, quò ſi miora ſunt. Firmitatis uſurpo vocabulum in re caducâ nimis, ut modum loquendi communem ſequar: agnoſcens, nihil in rebus hujuſmodi ſtabiliter conſiſtere. Si novit rex diſcrimina multa, quibus patet, contremiſcens infelicitatur ipſo timore: propter hoc dixi, majeſtatis fulgorem clariùs micare, ſi ſtabili throno ſedeat princeps. Et quo ſtabilitur hic? an proclamationibus eorum, qui parent eidem? Non iſtis credendum ferè cunctis: plurimorum quippe voces non à corde promanant; ſed aura ſunt adulatoria verſatilis in oppoſito: quem hodie plebs acclamationibus perſonat; cras opprobriis infamat; proditoriéque facit approximare ruinæ. An putanda regnorum firmitas ex eo tantùm naſci, quòd nuſquam fuerint minuta? Sic exiſtimaſſe videtur Athalaricus rex. *Sic*, inquit, *regnum jure dicitur integerrimum, ſi nuſquam fuerit imminutum.* Parum eſt hoc juxta vulgare proloquium politicorum aſſerentium, imperia non tantùm ſervando ſervari; ſed augendo. Melius dixit rex alter ad Imperatorem: *Laudibus veſtris jure proficit, quando videtur creſcere, quod ad noſtræ Reipublicæ poteſt gloriam pertinere.* Proinde ſibimetipſis negotiari ſecuritatem ſolii credant reges, dum ampliare ſtudent Rempublicam: tunc diadema firmum exiſtiment, cùm regno præſtant incrementum.

Tunc rex firmari ſolium credat, cùm amplificat Rempubli. cam.

Rex Athalaricus apud Caſſiod. l. 9. var. c. 2.

Theodaha. rex apud eumdem ib. l. 10. c. 9.

17. Conſulto Domino David deſcendit in Hebron. Ibi regium accepit nomen ſuper Tribum Juda. Poſtea ſupra totum Iſraël fuit rex inunctus idem. Poſt hæc legimus: *Et cognovit David quoniam confirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſraël, & quoniam exaltaſſet regnum ejus ſuper populum ſuum Iſraël.* Non hæc leguntur antea de rege piiſſimo cùm venerunt ad eum ſeniores Iſraël, *& percuſſit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem ſuper Iſraël.* Equidem non ſolis animis inſederat ſeniorum obtemperare Davidi tamquam regi; ſed eadem populo mens fuit. Sanctius: *Hic popularium clamor, & commune votum. Nec defuerunt ſeniores & principes Iſraël, ad quos de ſumma* (forſan addendum: *Re*) *deliberatio pertinebat, quibus eadem fuit, quæ populo mens.* Nonne ſatis erat fœdus illud, ad

2. Reg. 5. 12.

Ib. n. 3.

Sanct. in com. ib. ad v. 3. n. 2.

ad hoc ut intelligeret David, Dominum ſe confirmaſſe regem; quare non ſtatim, ſed poſt id cognoviſſe narratur? Quoniam poſthac regnum amplificaverat ipſe: nam poſt unctionem poſtremam, bello cepit ſuperiorem partem Jeruſalem ſitam in vertice montis, & ædificia conſtruxit. *Cepit autem David arcem Sion*, & infra: *Et ædificavit per gyrum à Mello & intrinſecus.* Ubi Commentator nuper citatus: *David civitatem in Iſraëlitarum redactam poteſtatem amplificare ſic voluit, ut merito dici potuerit civitas à Davide conſtructa.* Et poſt pauca: *Illud hîc non omittendum, intra illud ſpatium, quod à Mello circumſcriptum eſt muro: ædificatas eſſe domos, & eò coactos eſſe cives, qui vacuum antea locum illum complerent.* Cum primùm David ſcribitur augens regnum; tunc dicitur cognoviſſe firmatum ſe regem. Jam ſuper Juda regnabat, cum verba protulit animi ſecuritatem nequaquam indicantia: *Ego autem adhuc delicatus, & unctus rex*: &c. Non ita loquitur poſtquam cepit arcem, ac domos extruxit. Regalîs thronî firmitas amplificatione regni fulcitur.

Reg. 5. 9. 2. 9

Sanct ib. ad v. 9. n. 40.

2. Reg 3. 39.

18. *Sæpe majus nomen aſſequitur amplificans urbem quàm debellans hoſtes.*

Putant reges aliqui exercitiis martialibus nimis dediti, totum eorum decus in armis poſitum. Novi quantùm præliaris munitio regnantes decoret; atque palmæ bello partæ pulcherrimè palatia monarcharum exornent. Sed non hoc præcipuum ad principis gloriam: nam prudens moderator ſceptri minimè pro libito caſtra movet; ſed frequentiùs neceſſitate compulſus. Multum diſtant miles atque princeps. Scimus, *proprium eſſe militis decus in caſtris.* Dicendumne ſimiliter de rege? Magis eum laudarem propter ædificatas urbes, quas inhabitent ſubditi, quàm ob civitates hoſtiles armorum vi depopulatas. *Multò* (ait Quidam) *regalius eſt condere urbes, quàm demoliri.* Quomodo præcipuum regis honorem gladium eſſe proferemus; cum varius adeo ſit eventus belli; tamque facilè victoriis antecedentibus partum nomen, vel unius hominis militarîs negligentia, vel caſu fortuito dehoneſtetur? Scitè dixit Salluſtius: *Si regum atque Imperatorum animi virtus in pace, ut in bello valeret, æquabiliùs, atque conſtantiùs res humanæ ſe haberent.* Dum claſſicum ſonat, haud agitur de conſtruendis novis urbibus, & antiquis reædificandis: magis contingit ut ex parte deſtruantur, quò per gyrum longiorem circumcingantur caſtella murîs. Non tunc agitur de cellariis publicis implendis ad alimoniam pauperum, ſi famîs tempus ingruerit; quin evacuantur cuſtodita, pro ſumptibus exercituum. Neutiquam ergo tota gloria regnantis in galea, ſcuto, lanceiſque ponenda. Non ſemel aſſequitur majus nomen curans amplificare ſubditos, quàm gladio perdens hoſtes.

Cornel. Tacit. l. 3. hiſt.

Incert.

Salluſt. in Catil.

19. Siracides priſcorum Hebrææ gentis heroum conſtruens panegyricum, venit ad Joſuë fortiſſimum populi ducem. De hoc ſcribit: *Qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum*, &c. Quid oportuit per nomen ipſi proprium ejus magnitudinem exponere; cum potuerit alio perilluſtri vocabulo Duces excellentiam propoſuiſſe? cur non ipſum appellavit ſolem; qui Dei plebis adverſarios, velut Phœbus tenebras, profligavit? Ulteriùs progrediens devenit ad Simonem pontificem: & non ſoli tantùm æquiparavit eum; ſed necnon ſtellæ matutinæ, lunæ plenæ, arcui, flori roſarum, igni, thuri, aureo vaſi, olivæ pullulanti, elatæ cypreſſo. Textum lege: nam ſi tranſcriberem cuncta, paginam nimis onerarem. Cur Eccleſiaſticus tam copioſus in titulis apponendis præſuli Simoni; magnitudinem verò Joſuë deduxit ex ipſius nomine; quod non donaverat ei ſcriptor illius libri? Puto quia, licet Joſuë bellicum tractaverit munus excellenter; non tamen ſcimus, urbem aliquam ſtruxiſſe, vel amplificaſſe. De Simone verò dicitur: *Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus eſt gloriam in converſatione gentis: & ingreſſum domus & atrii amplificavit.* Dionyſius Carthuſianus ibi: Qui prævaluit amplificare civitatem, *id eſt urbem Jeruſalem augere habitatoribus, & neceſſariorum proviſionibus, ac ſtructuris, quia in ſpiritualibus ac temporalibus quæſivit bonum commune.* Et infra: Et ingreſſum domus & atrii, *veſtibulum templi ac atria miniſtrorum ejus, ac populum*, amplificavit, *id eſt auxit ſeu reparavit.* Multo nomine decorandus erat qui ſic amplitudinem Reipublicæ præ oculis habuit. Erudiantur qui poteſtate præfulgent: memores, majeſtatem ipſorum non tam in ſplendore veſtium, comitatuque numeroſo, vel in ſimilibus; quàm in publicis augmentis prudenti conſideratione cerni: nam *in multitudine populi dignitas regis*: &c.

Eccli. 46. 1.

Eccli. 50. 5.

Dion. Carth. ib. art. 51.

DELIBATIO II.

Iniqui principis aliquot mali fructus, & radices iſtorum.

20. *Ordinariè non congruit regno extraneus princeps.*

Licet cunctorum principum ſit altiorem tenere locum, quàm ſubditis denotatum eſt; non tamen omnes eamdem ſectantur gubernandi normam. Malus portatur ab inferioribus (& ô quàm plumbeum gravitat onus iſtud) Bonus autem ſub plebe ſua conſtitutus, humeris vehit illam. S. Gregorius Magnus: *Ipſe ſuper ſe populum ſuſtinet, qui motus illius, poteſtatis pondere fixus regit. Quò enim ſubjectorum ſuorum onera tolerat, eò quaſi ſuperpoſitam columnam baſis portat.* Accommodè rex à S. Pontifice dicitur baſis; populus autem columna: primò quia leges architecturæ jubent ut baſis non ſit minor, quàm poſtulat columnæ magnitudo; ſed huic proportionetur. Sic & principatum obtinens amplum, debet animo, prudentiâ cæteriſque neceſſariis ad regimen pollere magnis: minores dotes ei ſufficiunt, qui parvulæ Reipublicæ præponitur. Secundò, quoniam, ſi baſis non ſuſtentat columnam, & iſta corruit; quamvis adhuc ſtet baſis, jam illius ratio non habetur ut antea: cuncta dicimus ruinas. Sic princeps

D. Greg. Pap. to. 1. l. 9. mor. c. 10. n. 13.

ceps magnî fit, ſi ſuſtinet humero ſubjectorum pondus; aliter opprobrio ſibilabitur. Vide quid Syneſius dixerit. *Ut*, inquit, *uno verbo dicam, qui gregem non ſaginare, ſed à grege ſaginari vult; eum inter pecora coquum appello; eum tyrannum eſſe cenſeo, ſi idipſum cui præeſt populus ſit ratione præditus.* Perperam gubernandi mos execrabilis de pluribus oriri poteſt radicibus: unam vel alteram tantùm evellamus. Primò ſolitum eſt irrationabiliter moderari regem, ſi fortaſſis eſt advena. Demus quod bene munus agat ſuum: adhuc unum deerit, ut perfectè fungatur illo; nempe benevolentia. Quidam ait: *Etiamſi princeps externus bene rem gerat, & commodè gubernet, tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiam, ac ſi eſſet indigena, faciles oriuntur occaſiones diſſenſionis.* Et infra: *Qui externæ alicujus gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia ſit præditus dexteritate: multis haud dubiè & longe graviſſimis implicabitur difficultatibus.* Notum eſt, unionem ſubditorum cum regnante valde proficere, quò rex feliciter juxta rationis leges exequatur ſibi commiſſam poteſtatem. Rarò continget, bene cohærere cum eis, quibus præeſt, principem alienigenam. Proinde congruum non eſt ut plurimùm, extraneum aſſumi.

Syneſ. orat. de reg longe poſt princ.

Ph. Comin. l. 8.

21. Regrediamur ad celebrem parabolam, quam Joatham propoſuit de comitiis arborum pro ſui regis electione; relatam in libro Judicum. Lignum voluerunt habere principem. Et quid bonî præſtaret ſubditis arboribus lignum imperans? Congruentius videretur ut regnum ſuper illas præpoſitus acciperet ſol; cujus benevolam conditionem fuerant expertæ, necnon beneficentiam haud mediocrem. Eligant igitur ad imperandum ſibi luminare majus: utpote cujus majeſtas adeo ſplendida conciliatura crederetur obedientiam ſubditorum. Tributis ille minimè comprimeret ſubjectas arbores: non enim eis indiget; imò benignitate ſuâ traheret, ut ita dicam, eas ultrò ſequentes; prout ſilens teſtabitur achantus Ut quid igitur voluere, quòd arbor imperaret eis? qua de cauſa non magis imperium ſuî libenter obtulere diurno ſideri? qui præeſt aſtris, nonne dignus erat præfici lignis? Aliquis diceret, ſic à divino Spiritu Scripturarum authore nobis inſinuari, ſubditos aliquando nolle præfectum, qui nimis illos excedat naturæ vel artis fulgoribus. Non ſplendent ligna: quomodo regem eligerent coruſcantem? Hoc omiſſo, quæſtionem ſuperiùs expoſitam ſolvemus ad rem noſtram. Incongruum foret arboribus ut ſol regnaret ſuper eas: nam ipſæ longiſſimè poſitum principem ſuum (fas ita ſit loqui) dolerent: ſi verò poſtularent ab eo quòd accederet ad illas, etiamſi poſſet, itaque fieret, penitus ejus ardore concremarentur. Non diſſimiliter accidit cùm natus extera regione princeps gubernat: nam ſi jugiter abeſt, multa patitur populus, traditus miniſtris non metuentibus oculos regis abſentis. Demus quòd adſit: ecce, quia ſubjectis rex non ſuus eſt, exurit omnia quaſi non ſua.

Judic. 9.

22. *Aliquando rex indigena regno damnum affert; quod non intuliſſet advena.* Dixi, noxios ut plurimùm eſſe reges advenas bono publico. Si conſulamus experientias, teſtabuntur illæ ruinas, quæ ſæpius iſtâ de radice manarunt. Exempla referrem innumera, ſi vel hiſtoriographum, vel humanæ politicæ profeſſor eſſem; non autem Salomonis interpres. O quàm citò luit plebs novitatis amica pœnas deſiderii, quo nonnunquam peroptat principem alienigenam propterea, quòd is qui dominatur ei, licet contribulis exiſtat, non eſt ab omni parte perfectus! Externo traditur. Ecce primùm exultat levis turba: poſt pauca gravatur exactionibus: & ſic exhauritur, ut Reipublicæ ferè tota ſubſtantia ſenſim per induſtrias regiæ cupiditatis ad exteros transferatur. Regnicolæ tunc deſiderium ſuum fruſtra penitus accuſant; obortiſque lacrymis inaniter deplorant. Imo contingit quod excuſſo jam tyrannico jugo, poſt decurſam plurium annorum ſeriem, oculos non adhuc prorſus abſterſerint à fletu miſerabili. Quamvis hæc vera ſint, evenit ut aliquando rex indigena regnum ſuum peſſundet; quod ſi princeps alienus obtinuiſſet, illæſum conſervaret. Accidit hoc ex una de duabus cauſis, ut alias taceam. Moderator extraneæ nationis filius frequenter metuit, ne ſi populos oppreſſerit avarus, ipſe præ libertatis amore contra ſe rebellionem paret; ac onus projiciat, vires augente deſperatione lacrymabili. Qui verò gentis ejuſdem ſanguine progenitus premit eamdem iniquo regimine, vel nihil, vel minùs timet quòd ab ipſo deficiant populi; quorum dilectionem expertus fuerat antea priùs, quàm thronum conſcenderet, atque juventutis tempore ſpem optimam cernentibus promittebat Idcirco nonnunquam alienigena ſe quadamtenus continet; indigena verò depopulatur omnia. Quandoque ſuperaccedit radix alia mali: ſcilicet quòd exterus monarcha multo belli ſumptu, laboreque conſecutus eſt coronam; alter non ita, ſed hereditario jure gratis dante: novumque non eſt hereditaria bona diſſipari. Nequaquam itaque tyrannidis ægritudinem reperiri credas in ſolis advenis regibus. Ægritudinem vocavi, memor eorum, quæ ſcripſit Syneſius. *Alium*, ait, *itaque nullum, præterquam regiæ virtutis morbum tyrannidem reformides*, &c. Exemplo de ſacris litteris firmabo, regem ex eâdem gente prognatum aliquoties regno damnum afferre; quod non ſuſtineret, ſi regnaret extraneus.

Syneſ. orat. de regn.

23. In miſeram captivitatem ſunt redacti quondam tempore Joachin Jeroſolomitæ, cùm Nabuchodonoſor Babylonis venit oppugnaturus urbem. Poſtquam ad tyranni poſſeſſionem tranſlatum eſt univerſum robur habitatorum civitatis, ipſe loco principis captivi ſuffecit in regem patruum illius Matthaniam. *Et conſtituit Matthaniam patruum ejus pro eo: impoſuitque nomen ei Sedeciam.* Non ſatis admirabar, ſcire cupiens quid impulerit Nabuchodonoſor,

4 Reg. 24. 17

noſor, ut confideret Hebræo, tradens ei regnum, quod occupaverat. Deficiebantne Babylonici magnates; è quibus eligeret unum, committens illi ſceptrum? an idem fuit Matthaniæ tranſmutare nomen, ac mutaſſe cor ejus, ut fidelis eſſet hoſti? Experienria probavit oppoſitum: nam Matthanias iſte rebellavit contra Nabuchodonoſor. *Receſſitque Sedecias à rege Babylonis.* Quid eſt, quod non in criminum pœnam Dominus permiſit, ut acciperent è Nabuchodonoſore Judæi non Matthaniam, qui Judæus erat; ſed Babylonium aliquem, ſub cujus poteſtate magis ingemiſcerent? Imo propter idipſum providentiâ Dei permittente factum eſt, ut regnaret Matthanias; eo quòd iram Domini meruerat populus multam. *Iraſcebatur enim contra Jeruſalem & contra Judam, donec projiceret eos à facie ſua*: &c. Melius Hebræis foret ut ſervus Nabuchodonoſoris imperaret eiſdem, quàm Sedecias: nam Babylonicus nequaquam rebellaret adversùs Nabuchodonoſorem; Sedecias autem rebellionem auſus eſt: unde natum fuit quòd vaſtata civitas eſt. *Et ſuccendit domum Domini, & domum regis: & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſit igni. Et muros Jeruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum*, &c. Ecce quod peperit imprudentia moderaminis; quamvis rex ille fuerit è Judæâ gente progenitus. Non id contingeret, ſi regno præficeretur alienigena Babylonius. Nonne dicebam, principem indigenam plùs aliquoties nocivum populo? Exceptio tamen firmat regulam in contrarium.

Ib. n. 10.

Ibid.

Ib. c. 25. 9. 10.

24. *Magis diſſipatur regnum ſi ſtultus princeps imperat; quàm per furorem bellicum.*

Altera malè regendi radix eſt duplici de parte compoſita: ſcilicet ex ignaviâ, ſtultitiâque regis: prior eſt cordis languor; poſterior autem judicii morbus. Ignoro certè quid magis nocivum: ægrotarene mentalibus oculis regem? an languere corde? Lippitudo luminum multa parit incommoda regio muneri prudenter præſtando: nam ægritudinem iſtam patiens quædam cernit, quæ non ſunt; alia quæ dantur ignorat penitus. Et fortè pejus operatur regnator falsò videns, quam vera non intuens: quippe qui dum perſpicere putat, & fallitur: præſumit nimis de mente propriâ: quæ ſuperbia propellit illum in præceps. Ignaviam pectoris agnoſco necnon regnantibus valde nòxiam: quid enim refert, vel præ mentis acumine dignoſcere quid agendum, quid vitandum; vel accipere conſilia ſana; ſi minimè deliberans nihil exequitur moderator ignavus? Itaque ſeu rex ambabus prædictis infirmitatibus laboret (nempe cordis ignaviâ, mentiſque ſtultitiâ) vel alterutrâ ſit æger, miſer eſt populus, cui dominus contigit ægrotus animo. Jam, ſi principis ignari perpendamus lentè moderamen infauſtum, condolebimus plebi, quæ regem ſortita fuit interiùs exoculatum. Vix poſſunt adæquatè verbis explanari damna regni miſerrimi, qui ſtulto ſubeſt. O cladem lamentabilem; qua vix ulla durior! Verè dixit quidam *Nulla majori clade populum Deus affligere poteſt, quàm ſi principem ei præficiat ſtolidum & imperitum: neque enim dici poteſt quàm multa hinc oriantur incommoda.* Sæpe Deus bella permittens regna flagellat; ſed bellico furore pejor eſt ignorantia regalis: nam varii martis eventus nunc proſperitatem adducunt, nunc exitium; at rex ignarus nunquam felicia tempora donabit imperio ſuo: ſiniſtrè pene cuncta ſuccedunt, ſi laborat imprudentiâ ſupremus dux. Clades bellica minus eſt ſupplicium, quò regnum diſſipetur; magis diſcerpitur cùm ſtultus conſcendit ſolium.

Ph. Comin. l. 5.

25. Corruit in idololatriam Salomon, depravatus per amorem fœminarum; ne de ſapientibus aliquis præſumat, ſe diſcriminis expertem. In delictorum pœnam Dominus permiſit adversùs ipſum inſurgere Jeroboam; quamvis nullum detrimentum intulerit Salomone ſuperſtite. *Jeroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, ſervus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua: levavit manum contra regem.* Ubi Sanctius ait: *Qui licet nullum attulerit Salomone vivente damnum rei Iſraëliticæ, aſt ſollicitum habuit Salomonem, & illius turbavit pacem, cum cavendum ſibi putaret ab hoſte domeſtico, qui omnia noverat Regis conſilia, cuique gravia aliquando negotia commendaverat.* Mortuo Salomone regnavit ab eo genitus Roboam: atque tunc legimus: *Fuitque bellum inter Roboam & Jeroboam cunctis diebus.* An Dominus iratus contra Salomonem non fuerat? Comminatus eſt ei, dicens: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo.* Sic factum eſt poſt obitum Salomonis. Et inquirebam cur non illo vivente? quare Deus non permiſit, Jeroboam educere gladium adversùs regem idololatram; & convocatis auxiliaribus copiis majorem regni partem ſibi ſumere? Quia ſciſſio regni Salomonici denuntiata fuit à Domino. Regnum quidem gladio Jeroboami, dum viveret Salomon (ſi Deus ita puniret iſtum) durè ſcinderetur. Attamen regno durius fuit accipere ſtultum principem; qualis extitit Roboam: de quo dicitur: *Porro Roboam erat rudis, & corde pavido, nec potuit reſiſtere eis.* Propter peccata regis populi cæduntur. Majus erat ſupplicium quòd acciperent Hebræi regem ſtolidum; quam citiùs arma Jeroboam experiri. Identidem ab imperito moderatore regnum patitur: & ſimul ex ignari regis exerrante gubernatione dedecorat ipſe per damna, quæ ſubditi ferunt: nam *in paucitate plebis ignominia principis.*

25.

3. Reg. 11. 26.

Sanct ib. ad v. 26. n. 30.

3. Reg. 14. 30.

Ib. c. 11. 11.

2. Paralip. 13. 7.

26. *Amplius rex dehoneſtatur per malum regimen, quàm per ſubditorum irreverentiam.*

Verum quidem eſt, dari duplex ignominiæ genus: alterum, quod regi non prudenter moderanti venit ab opprobriis, quibus ulciſcuntur ſubditi facta ſuperioris diſcoli, poſtpoſitâ reverentiâ majeſtatis: aliud verò (nullo ſubjectorum audente contra principem iniquum, facto ſeu verbo, quidquam) involvitur in ipſis geſtis indignis monarchâ. Non diffiteor, duriſſimum eſſe fungenti ſupremâ poteſtate convitiis feriri ſuorum; ſed negandum non

eſt, dicendum turpe regnanti ſic ipſos regere, quòd eos odiſſe perhibeatur, & ab illis habeatur odio. Archytas : *Oportet verum principem non rectè tantum imperare ſcire ac poſſe, ſed etiam humaniter. Turpe enim fuerit paſtorem oves odiſſe, & peccoribus ſuis infenſum eſſe.* Inſtitui poſſet quæſtio : quid ignominioſius regnanti ſit, an à populo ſuo contemni, vel non bene regni gubernacula tractare? Mihi videtur hoc ſecundum contumelioſius : nam, ut alibi monui, facta nobis injuria nequaquam, rigorosè loquendo, nos vulnerat, niſi velimus : mittitur velut jaculum contemptus ; non tamen attingit prudentem. Dono tibi Chryſoſtomum. *Nemo eſt*, ait, *in anima injuriam patiens, niſi noſipſos in anima injuriâ afficiamus.* Hoc prudentiæ dictamen faciliùs executioni dabit regni ſapiens gubernator à ſubdito deſpectus, quam æqualis dum contemnitur ab æquali : nam regi non eſt arduum aſpernari temeritatem illius, quem facillimè valet è medio tollere : proinde non eſt ſumma regnantis ignominia temni per ſubjectos. Alteri contumeliæ ſubſunt mali principes : quam non dolent ; ideoque non refugiunt eam. Quam putas? Illa metipſa turpitudo, quæ viſitur in regimine pravo. Plus dehoneſtatur imperans quia non bene regit ; quàm ex eo quòd ſubditi non revereantur eumdem.

Archyct. Pithagor. de lege & juſtitia.

S. Joan. Chryſoſt. to. 5. hom. 21 ad pop.

27. Nec regibus parcit avaritiæ ſordida lues : cujus ardore fit, ut plurima poſſidentes cupiant minora viliter. Erat vicina palatio regis Achab vinea Naboth. Ad iſtum locutus eſt ut ſecum vineam illam pro meliori commutaret, vel digno pretio venderet. Reſtitit Naboth : rex autem indignatus frenduit : in lectulum ſe projecit (bene : quia : prout nuperrimè dixi per avaritiam ægrotabat) & renuit manducare. Regina venit ad illum : & certior facta de motivo regii mœroris, dixit ad eum : *Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſraël.* Ubi Sanctius : *Cum faſtidio locuta eſt, & ſub amaro riſu*, &c. Notum eſt Jezabelem hîc per Ironiam fuiſſe locutam. Cardinalis Hugo : Grandis auctoritatis. *Ironicè loquitur.* Iſta quidem ironia non videtur adhibita propriè ; quatenus improperavit regina marito quòd non bene regeret : nam in commutandâ vel emendâ vineâ non ſe haberet Achab tamquam exerceret munus regale ; ſed ac ſi foret privatus homo. Propriùs illa videretur, loqui, dicens : Bellè te ſubditi, quibus imperas, reverentur, nequaquam audentes contemnere verba tua. Qua de cauſa Jezabel non protulit iſta? Quoniam irriſoriè ſermonem fecit ad Achab : & ampliùs ipſum verbo feriebat, conjiciens in faciem, illum non bene regere ; quàm à ſubjectis contemni. Satis opprobrii, licet voluntariè, ſuſtinet rex in eo quòd malè gubernet.

3. Reg 21. 7.

Sanct. in com. ib. v. 7. n. 9.

Card Hug. in com. ib.

28. Dices, hæc omnia rectè verificari de principe tyrannidem exercente : qui munus carnificis agit ; non autem imperantis : hoſtem imitatur debacchantem ; haud verò patrem de filiis providentem. Verum eſt, potiſſimùm tyrannos per injuſtum gubernandi modum apud cordatos dedecorari : quoniam ſic ſe gerentes inſerviunt abjectè pluribus viliſſimis paſſionibus ; & ſub purpuræ, gemmarumque ſplendoribus abſcondunt catenas, quibus ligantur à dominantibus vitiis. Nihilominus haud ſolis tyrannis proprium eſt nomine principis indignos exhibere ſe. Necnon & ille rex, qui ſtultè moderatur, juſtè regio titulo privandus judicio ſapientum. Regale decus amittit quicumque regnator juſtitiam non exercens. Quid refert quòd non ſit intruſus more tyrannico ; ſi per non bonum regimen tyranno ſimilis extet? Intruſi ſolent populorum ſervitutem ſatagere : hoc etiam reperitur in multis, qui jure ſuo ſunt adepti coronam. De cunctis malis principibus videtur loqui S. Ambroſius, inquiens : *Hoc intereſt inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, ſervitutem improbi.* De non exercentibus juſtitiam Seresberienſis dixit, illos auferre ſibimetipſis regalem penitus honorem. *Officio namque ejus juſtitia in judicium vertitur, eâ quidem neceſſitate, ut vacare non liceat, quin ſeipſum ſibi collato deſtituat honore.* Quomodo non amittet apud bene ſentientes regium ſplendorem, ſi non tantùm deficiat in judicando ; ſed in reliquis omnibus errores committat paſſim, quibus regnum diſperdat? Adhuc aliquid ulteriùs audebo. Si vel in unicâ re moderator inſipienter agat ita, quòd exinde regni ſequatur pernicies ; hoc ſatis, ut ille peroptimo jure vocabulo principis non appelletur. Huic minùs convenit regis nomen, quàm intruſo tyranno.

S. Ambroſ. to. 5. l. 2 ep. 17. poſt pr.

Joan. Seresb. l. 4. de nug. c. 8. longe ante fi.

29. Sapientiæ divinæ laudes perſonat Salomon. Et ſcribens de Protoparente noſtro, ſic habet : *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit*, &c. Commentatur Lorinus : *Rectè Adam ſic vocatur. Nam ab illo proceſſerunt omnes, etiam Heva, & princeps conſtitutus eſt cunctorum hominum*, &c. Dubitabam, quare non in præſenti Sapiens nomine principis vocaverit Protoplaſtum? an aliquis Imperatorum eò majorem ditionem habuit ſub poteſtate ſuâ? Totius orbis terrarum dominus effectus eſt. Audi quid loquatur de ipſo Chryſoſtomus. *Vidiſti principatus magnitudinem? Vidiſti condita omnia ſub hujus poteſtatem redacta? Ne poſthac parum de rationali hoc animante imagineris, ſed cogita honoris magnitudinem*, &c. Quo myſterio, quæſo, dum Adæ meminit Salomon, tacet hoc loco regis vocem? Roboratur interrogationis hujus vis ex eo, quòd apud Apoſtolum dæmones lego nominatos vocabulo principum. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem ; ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.* Ubi S. Anſelmus : *Principes dicuntur illi ſpiritus, qui principantur in vitiis ſuis, quæ ſpecialiter ſuggerere ſoliti ſunt* : &c. An diabolus Adamo plùs meruit ho orari? quid eſt quòd Paulus communes adverſarios principes vocat ; Salomon verò de

Sapient 10. 1.

Lorin. in com. ib.

S. Joan. Chryſoſt. to. 1. hom. 10. in Geneſ. longe poſt med.

Ad Epheſ. 6. 12.

S. Anſel. in com. ib.

Adamo

Adamo loquens regium nomen ſilet? Fortè quia minùs aptatur principis nomen ei, qui vel per ſtultitiamunicam attulit exitium regno ſuo; quàm uſurpans imperium, quod illi non de jure competebat. Tyrannidem, qua ſe maligni ſpiritus intruſerunt olim, ut hominibus dominarentur, invenies apud Abbatem Dorotheum: *Non*, inquit, *enim uſque adeo tyrannidem exercet hoſtis ut antea, neque nos ſub ea, qua primùm ſervitute habet.* Concinit S. Anſelmus, dicens: *Spoliavit itaque Chriſtus his principatus & poteſtates, eripiens illis homines, quibus dominabantur*, &c. Eſto quod peſſimis dominatoribus, qui regnum poſſident alienum, nempe dæmonibus nomen principum dominetur cum de illis fit ſermo. Ne tamen rex vocetur Adamus: quoniam, licet verus princeps fuerit, tamen ſtultitiam quamdam admiſit (nam ſatis fuit ſtultum perdere tanta per comeſtionem de unico ligno vetito, habens tot ſibi permiſſa) per quam regno ſuo perniciem attulit. Erudiantur à progenitoris communis inſcitia boni principes: & quaſi decoris proprii detrimentum fugiant nociva populo ſuo: nam *in paucitate plebis ignominia principis.*

S. Doroth. Abb doct. 11. ad fi.

S. Anſel. com. in Epiſt. ad Coloſſen c. 2. 15 ad illud, *Expolians* &c.

DELIBATIO III.

Ex multitudine populi, quam traxit ad ſe levatus in cruce Redemptor, gloria Principis ejuſdem.

30. *Quam gratus Chriſto Domino crucis fructus extiterit homines ad ſe traxiſſe.*

IN parœmia, quam dilucidare propoſui, Salomon ad litteram loquitur de principe terreno: ſed haud inopportunum erit nunc agere de gloria Regis regum in crucis throno poſiti: nam & ipſe tunc ſollicitus amplificare curavit populum ſuum; & inde ſplendorem plurimum lucratus eſt ſibi. Sicut Salvatori crux thronus extitit; ſic econtrariò regibus temporaneis verè ſunt eorum ſolia cruces. At in quadamtenus aſſimilantur Principi ſummo (præter alia) reges terreni; quòd iſti dum ſedentes in culmine majeſtatis, plebis amplitudinem ſollicitant, gloriam ſuam negotiantur: atque nenon Redemptor multam gloriationem promeruit ex eo, quòd in cruce poſitus auxerit ſubditos felicitate; quos peccatum reduxerat in miſeriam. Credes quòd per hanc meditationem à Textu noſtro non excurram liberè, ſi legeris Hugonem Purpuratum hoc loco. *Myſticè*: In multitudine populi, *Deo fideliter ſervientis*: dignitas, *id eſt honor, ſive gloria*: regis, *id eſt Chriſti regentis Eccleſiam.* Regnabat utique Filius Dei priuſquam deſcenderet in terras: Angelorum innumera pene multitudo ſubdebatur ei: ſed non tantam hominum dilectorum copiam tunc numerabat, qui veraciter colerent eumdem. Is eſt in filios humani generis amor Dei, ut quaſi non propriè regnare dicatur, niſi cum ei ſunt homines voluntariè ſubditi. Primaſium audi. *Regnum*, inquit, *Dei naturaliter quidem per omnia eſt, quæ ipſe conſtituit; ſed tunc propriè regnare dicitur Deus, cum illi fuerint homines voluntaee ſubjecti*: &c. Ex regno mortis ad ſuum tranſtulit mortales Unigenitus Patris: quo factum eſt ut multitudinem copioſiſſimam adderet imperio ſuo Dominus. Et ubinam id præſtitit? In cruce. Patrocinatur Cellenſis: *Qui autem*, inquit, *venerat in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reverti, regnum mortis deſtruxit, & de regno mortis ad regnum claritatis ſuæ nos tranſtulit, qui eramus naturâ filii iræ, filii alieni, filii tenebrarum. Conſociavit regno cœleſti, regnum mundi, & compaginavit umbilico terræ in bivio cœli & terræ, id eſt, cruce, ubi Angeli tamquam cœleſtes milites aſſiſtunt, certamen Regis ſui aſpicientes*, &c. Multum equidem gloriæ ſibi Deus per incarnationem acquiſivit: ſed illam Chriſtus Dominus gloriam requirebat in eo conſiſtentem, quòd intra ſuum regnum ſpirituale poſſideat homines plurimos animæ bonis divites & incolumes: hic fructus crucis valde gratus extitit Salvatori.

Hug Card. in Prov. 14. 28.

Primaſ. Epiſc com. in Epiſt. 1. ad Cor.

Petr. Cellen. ſer. 1. de Reſurrect. longe poſt med.

In Canticis habemus, Redemptorem 31.
Eccleſiæ ſponſum dixiſſe: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*: &c. Cant. 7. 8.
Hæc palma crux eſt Dominica, notante Petro Bleſenſi. *Chriſtus*, ait, *de cœlo deſcendens aſcendit in crucem. Et hoc eſt quod in Canticis ſponſæ quandoque prædixerat*: Aſcendam in palmam, &c. Novi, Salvatorem ſibi de cruce tandem collegiſſe fructus optimos: quos tamen haud ſtatim crucifixus apprehendit: non enim ſurrexit in Calvariæ monte gloriosè: non ibi ſuper omnia conſtitutus eſt &c. Iſta, quæ tetigimus, Chriſti lucra videbantur eſſe vocanda tumuli flores; non verò crucis fructus: nam ex monumento prodivit glorioſus: & in reſurrectione fuit exaltatus ab æterno Parente. Remigius Epiſcopus ait: Deus *Pater* exaltavit illum *hominem aſſumptum à Verbo, tertia die à mortuis ſuſcitando, & quadrageſimo die ad cœlos ſublevando, vel ſuper omnia conſtituendo.* Non impropriè Sponſus affirmaret, ſe collecturum flores è mortis domicilio: nam ejuſdem ſepulchrum ſparſum floribus veraciter dicitur à ſponſa. Angelomus: *Lectum*, inquit, *namque floridum, id eſt ſparſum floribus, ubi ejus pulchritudinem, decoremque in omnibus membris agnovit, ſepulchrum Domini per ænigmata ab Eccleſia intelligitur dictum, ubi quod aſſumpſerat corpus Verbum Patris, recubaſſe probatur.* Quid myſterii latet in eo, quòd non aſſerat Sponſus, collecturum ſe flores de ſepulchro; ſed apprehenſurum eſſe ligni vitalis fructus! E re noſtrâ nonnihil ſe nunc offert, quod jam ſubjicio. Nequaquam reſurrectionis gloriam Servator ambiebat, quam invenit in tumulo; nec alias, quas mediante ſurrectione conſecutus eſt. Illam cupiebat exaltationem apprehendere; quam in hoc accepit, quòd homines ad ſe traheret. Hoc per crucem fuit aſſecutus. Chryſoſtomus: Et ego ſi exaltatus fuero, omnes traham ad meipſum (ſic ipſe legit) *Hoc eſt, etiam Gentiles.* Homines utique Filius Dei non addidit regno ſuo, niſi vi-

Petr. Bleſ. ſer. 17. de paſſio.

Remig. Epiſc. in c. 2. Epiſt. ad Philipp.

Angelom. ſtrom. in c. 1. Cant.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3. hom. 66. in Joan. longe poſt med.

vens in carne mortali : non enim auxit meritum in monumento ; maximè verò levatus in ſtipite ſacro. Glorioſum fuit hoc Principi ſupremo.

32. *Glorioſius Chriſto Domino ingratos vincere per crucem, quàm per miracula.*

Ut intelligas quàm fuerit gloriabundus Mediator Dei & hominum per amplificationem regni factam in cruce ; recole circumſtantiam quamdam hujus ampliationis minimè prætereundam. Hæc ex duplici parte componitur : prima quòd homines in regno diaboli poſitos abſtulit, & aggregavit ſuo. Splendidum ſatis eſt regi, de ſubditis adverſario principi tollere plurimos ; quorum copiâ proprium dilatet imperium. Secunda pars eſt, Filium Dei homines iſtos, quamvis malos, empſiſſe pretio magno. Nec privati, nedum reges, emunt ſervos, quos agnoſcunt peſſimos. Solent principes, ut amplitudinem regni bello conſequantur, à populis exigere ſumptus expeditionum militarium. Non ita Chriſtus Dominus : qui pretium effudit ex proprio ; ſic emens ingrata mancipia. Tempeſtivè Chryſoſtomus: *Et nos*, ait, *quidem improbiſſimos ſervos non eligeremus emere. Quod ſi quando elegerimus, voluntate mala emeremus, & tale pretium erogaremus. Chriſtus autem ingratos emens ſervos & iniquos, optimi ſervi pretium erogavit : imò verò multò majus*, &c. Ingratitudinem hominum tetigit ibi S. Doctor ; cujus occaſione Chriſti principis homines ad regnum ſpirituale ſuum vocantis gloria non parùm eluceſcit : inclytum eſt enim alienam ingratitudinem beneficio ſuperare. Dominus in cruce non qualicumque dono proſecutus eſt ingratos, patibulum aſcendens ad eorum ſalutem ; cui muneri ſciebat reſtiturum fore utrumque populum, ſcilicet Judaïcum & Gentilem *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum : Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*, &c. Exponit S. Anſelmus : *Judæi enim turbantur & indignantur atque iraſcuntur, dum audiunt Dei filium prædicari eum, quem ipſi crucifixerunt. Gentiles verò ſtultitiam putant, immortalem potuiſſe mori, & eum qui in poteſtate habebat perſecutores una voce proſternere, pertuliſſe ab illis ſe flagellari, conſpui, teneri, ſpinis coronari, crucifigi.* Plurimis equidem largitionibus Deus humanam detriumphavit ingratitudinem: quibus tamen homines haud reluctati ſunt. Minùs excellens utque indicabitur hic vincendi modus, cum ſuperantur ingrati. Longe plus eſt hos reſiſtentes ipſi beneficio vincere. Hoc Aſſertor noſter in cruce præſtitit : ut ex proximè dictis liquet. Non adeo ſplendet Chriſtus Dominus miraculis in commodum peractis ingratorum ; quàm ipsâ cruce benefaciens ; quæ ſanè miraculum non eſt.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 5. hom. 21. ad pop.

1. ad cor. 1. 23.

S. Anſel. in com. ib.

33. Saülem arripuit ſpiritus malus : David autem citharam percutiens remedium afferebat, quòd rex ingratus non meruerat. *Non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat David à die illa, & deinceps. Poſt diem autem alteram, invaſit ſpiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus ſuæ : David autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies.* An citharæ virtute compeſcebatur ſpiritus malignus ? Minimè. Sic me docuit S. Iſidorus Hiſpalenſis. *Iſte* (de Davide loquitur) *adhuc puer in cithara ſuaviter, imo fortiter canens, malignum ſpiritum qui operabatur in Saüle compeſcuit ; non quod citharæ illius tanta virtus erat*, &c. Supervacaneum ergo dices, quòd Saüli ſubventurus David citharam pulſaret. Effetne difficilè Deo conferre Davidi miraculorum poteſtatem, ut propelleret à rege dæmonem ? quare non ita factum ? Ad myſticum ſenſum pergamus. David Chriſtum Dominum figuravit. Rurſus Hiſpalenſis : *Videamus unde David prophetiè Chriſtum ſignificaverit. David enim interpretatur, Manu fortis. ſive deſiderabilis. Et quid fortius leone illo de tribu Juda*, &c ? Cithara crucem Dominicam expreſſit. Eumdem perlege S. Doctorem ſupra datum. *Non quod* (inquiebat ille) *citharæ illius tanta virtus erat, ſed figura crucis Chriſti, quæ de ligno & extenſione nervorum myſticè gerebatur, ipſaque paſſio cantabatur, jam tunc ſpiritum dæmonis opprimebat.* Glorioſum Chriſto Domino vincere hominis ingratitudinem operando mirabilia ; ſed glorioſius illam ſuperare per crucem. Saül ingratus erat : David Chriſti figura : per citharam, quæ crucis extitit umbra, beneficiô factô ſuperari congruum extitit ingratitudinem.

S. Iſid. Hiſp. com. in 1. Reg. c. 9.

Idem in allegor. ad 1. Reg. 9.

Idem com. in 1. Reg. c. 9.

1. Reg. 18. 9. 10.

Non ſolùm veritas eſt inconcuſſa Principem pacis gloriam conquiſiviſſe multam ex eo, quòd in throno crucis adauxerit imperio ſuo populos : inſuper in eadem cruce proprium regnum ſtabilivit in perpetuum. Hæc emphaſis forſan ineſt verbis D. Laurentii Juſtiniani. *Tunc*, inquit, *verè æterni Regis vexillum erectum eſt, cum procurantibus Hebræorum pontificibus in crucis ſtipite confixus eſt Chriſtus*, &c. Crucem extitiſſe Regis noſtri ſolium, in ſuperioribus memini ſuppoſuiſſe : nunc hocipſum ex eodem Patriarcha donabo : cujus hæc ſunt verba : *In cruce tamquam rex in ſolio, ſtabat dominus Jeſus : ſingulis ea, quæ habebat, ſingula dividens.* Temporalium regum throni firmantur utcumque tribus, aliis omiſſis : nempe, juſtitiâ, clementiâ, liberalitateque Salvator crucifixus exercuit hæc tria : nam Dimæ pretium contulit ; Geſtam detruſit ad ſupplicium : clemens fuit in rogando pro crucifixoribus (*Pater dimitte illis : non enim ſciunt quid faciunt.*) liberalitatem exhibuit, ut ex Juſtiniano verbis poſtremò citatis obtuli. Solium, quo præſtavit iſta, firmum eſt : & quid mirum quòd radicetur, ſi crux arbor extat ? S. Anaſtaſius Sinaïta : *Crux*, ait, *Chriſti eſt lignum vitæ, in quo in altum ſublatus fuit botrus maturus, & vita noſtra ante nos viſa eſt ſuſpenſa*, &c. Huic Regi deinde colla ſubmittentes homines, per eamdem crucem regenerati ſunt ad immortalem vitam : illius Imperatoris hoſtes dæmones ita fuere profligati, quòd non audebunt ultra bellum indicere contra Dominum exercituum. Quid ergo reſtat, ne dicamus, Filium Dei firmaviſſe regnum ſuum in perpetuum, cùm in Calvariæ monte fixus eſt ?

34. *Chriſtus Dominus in cruce firmavit regnum ſuum in æternum.*

S. Laur. Iuſt. de triumpho. Chriſti agon. c 17. longe poſt princ.

Idem ib. c. 18. poſt med.

Luc. 23. 34.

S. Anaſt. Sinaï l. 7. in Hex. poſt med.

De Meſſia Salvatore noſtro prophetatum

35.

Ierem 23. 5. tum eſt per Jeremiam : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : & ſuſcitabo David germen juſtum : & regnabit rex*, &c. De Chriſto Domino ſermonem fieri per hæc, non dubites. Audi S. Hieronymum ad eum locum. *Inducitur*, ait, *paſtor paſtorum, & Princeps principum, & Rex regum, & Dominus dominantium, Chriſtus videlicet Salvator noſter* : &c. Notabam, non ibi dictum fuiſſe : Regnabit rex in perpetuum ; ſed tantum : *Regnabit rex*, &c. Notationi præſtitit anſam quod legitur apud Iſaiam de Servatore mundi : *Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit : ut confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitia, amodo & uſque in ſempiternum* : &c. Hîc exprimitur æternitas regni Salvatoris ? apud Jeremiam verò nequaquam ? Non immeritò lamentationum Vates præfato loco de regni ſupradicti ſiluit æternitate ; cum nihil eo loco de cruce vivificâ dictum ſit. At Iſaias explicuit perpetuitatem, propterea quòd ibi ſermonem fecerit Evangelicus Præco de cruce Domini. *Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus* : ubi S. Hieronymus : *Tamen nunc dicit factum illius principatum ſuper humerum ejus : vel quòd crucem ſuam ipſe portaverit : vel* &c. Æternum fore Chriſti Meſſiæ regnum ſupponit, aliis omiſſis, ejus principatum ſtabilitum fuiſſe robore crucis in monte ; ad quem vocata fuit multitudo populorum in augmentum imperii perennaturi. Sic etiam Filio Dei proficuum extitit regnum amplificare ſuum, ut eſſet *in multitudine populi dignitas regis.*

S. Hieron. to. 5. l. 4 in Jeremi. ib.

Iſaï. 9. 7.

Ib. n. 6.

S Hier. prox ſup l. 3 in Iſai. c 9.

36. *Chriſtus Dominus videtur exponere periculo decus propriæ bonitatis in diligendo peccatores.*

Objectiunculam ſolvere vellem, quæ fortaſſis occurret adverſus prædicta minùs, quàm par eſt, rem conſideranti. Dixi, glorioſum extitiſſe Reparatori totius orbis, amplitudinem regni proprii curare ; trahentem ad ſe numeroſam hominum copiam. Huic gloriæ videbitur obſtare, quod iniquos vocavit, ut abjicientes delicta ſequerentur ſe. Nonne reges temporanei notam ſibimetipſis inurunt, ſi malos ad regalis umbræ participationem admittant ? Gaudebat ſanè David quòd non ita ſe geſſerit : dixit enim : *Oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Quid eſt ergo quòd Rex regum ad ſe trahere ſtuduit homines vitiis maculatos ; & oſtendit eos dilectione proſequi ? Chriſti paternus amor hominum dignitatem ſupplet ; ut afficiantur peſſimi tanto beneficio non incongruè. Novum non eſt, parentes in amorem gnatorum ſic ferri, quamvis exiſtant mali. Reperitur hoc in genitricibus præſertim : quarum pectus blandum genitos impios complectitur. Certum eſt, amorem Dei præire materno. S. Laurentius Juſtinianus : *Præcellit namque omnem maternum ac filialem affectum Verbi Dei immenſa charitas : neque humano valet explicari eloquio, quo circa unumquemque moveatur amore. Juſtos injuſtoſque æqua diligit lance charitatis, quamvis inæqualia illis conferat dilectionis encœnia* &c. Prout vales perpende qualiter Salvator diligat peccatores ; & ceſſabit ſcrupulus, quò movebaris prius, ut objiceres, inquiens : Quomodo fuit glorioſum Domino quidem optimo per crucem ad ſe trahere peſſimos ? Age tamen : demus quòd per hoc ipſum in hominum æſtimatione divina bonitas aliqualiter decus amittat. Libenter Salvator hanc dehoneſtationem ſuſtinebit. An in aliis non expoſuit pro ſceleratis honorem ? quid ergo miraris dum aſſevero, Chriſtum Dominum parvifacturum fore nomen boni, præ dilectione peccatoris ?

Pſal. 100. 6 7.

S. Laur Iuſt. de triumph. Chriſti ago c. 5 in princ.

37. Quæſivit à Magiſtro ſupremo quidam, inquiens : *Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam* : Reſpondit ei Dominus : *Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, niſi unus Deus.* Ubi S. Hilarius : *Nomine bonitatis abſtinuit, ſoli hoc nomen Deo Patri reſervans* &c. Ex humilitate credes ita locutum Salvatorem. Sed urgebit aliquis : Et cur non ob animi ſubmiſſionem recuſavit ab Apoſtolis accipere nomen Domini, relinquens iſtud Patri ſoli, cum dixit : *Vos vocatis me Magiſter, & Domine : & bene dicitis : ſum etenim ?* Aliam huic dubio ſolutionem præſtiti fl. 13. n. 47. Nunc ad præſens. Reſpondeo. Nihil de ſuo dominio deperdit ullus per hoc, quòd ſervo dominetur improbo. At verò, ſi quis amore proſequatur mancipium vitiis deditum, ſuſpicioni locum permittit, quòd ſibi placeant ejus flagitia, ſaltem ex parte ; conſequenterque putabitur Dominus haud bonus. Ergo Redemptor noſter citato loco non ſibi ſumens nomen boni, ſed renuens ab interrogante vocari ſic, videtur fatus, quaſi diceret : Si fortè quis expendens quantum erga peccatores afficiar, me non bonum judicaverit malè ; fundamentum ipſi præſtare vellem, quo ductus exiſtimet, mihi non eſſe curæ ne perdam exiſtimationem bonitatis apud mortales, dum eos diligo, quamvis malos. Non abs re conjector, hanc fuiſſe mentem Salvatori noſtro cùm ea, quæ ſupra dedimus, ore deprompſit : nam hîc habemus, eum dilexiſſe percontantem iſtum ; qui certè malus erat. Lege D. Marcum paulo poſt. *Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum*, &c. Commentatur Euthymius : *Dilexit autem eum quaſi vehementer ſalutem appetentem : quamquam avaritiæ tyrannide præpediebatur.* Superbiâ necnon inquinatum fuiſſe poſſumus addere citra ſcrupulum : nam Hieronymus ait : *Iſte qui interrogat quomodo vitam conſequatur æternam, & adoleſcens & dives eſt & ſuperbus : & juxta alium Evangeliſtam, non voto diſcentis, ſed tentantis interrogat.* Ecce vides, avarum, ſuperbum, ac tentantem Dominum ab eo fuiſſe dilectum. Non hinc equidem ſequitur aliquid contra bonitatem Filii Dei : ſed, ſi fortè cuiquam hoc venerit in mentem, ſuadebat ſibi, Dominum hanc exiſtimationem parvipendere ; magis cupientem quòd agnoſcatur, ſe peccatores diligere.

Marc. 10. 17. 18.

S Hilar. can. 19. in Matth.

Ioan. 13. 13.

Marc. 10 21.

Euthym. com. in Matth. 19. c. 41.

S. Hieron. to. 9 com. in Matth. l. 3. c. 19.

38. *Sic ſe Deus gerit, quaſi* Tantum abeſt ut majeſtas Chriſti Domini deprimatur tractione malorum ad ſemetipſum ; quòd non parum exinde cla-

non habendus foret bonus, ſi nos ſimus mali.

reſcat. Non ſicut reges terræ, ſic regum Dominus. Illi cum participes efficiunt familiaris benevolentiæ ſuæ viros malos, reddunt ipſos pejores: nam poſtquam ex amicitiâ principis potentes facti ſunt, iniquitati laxant habenas. At Salvator malos vocat, & illos tranſmutat in bonos per gratiam ſanctificantem. Hoc divinæ potentiæ magnum opus eſt. S. Laurentius Juſtinianus: *Præcipuè tamen*, inquit, *in juſtificatione hominum cœleſtis operationis ſupereminentia patet, eorum videlicet, qui vel generis carent nobilitate, vel delictorum ſunt ſarcinâ prægravati.* Honoratur Deus cùm ædificantur ei magnifica templa. Quis inficiabitur, peccatores, qui priùs erant dæmonum fana, quibus turpes colebantur imagines, fieri per gratiæ ſanctificationem domos Dei? Magnificentiam ædificantis Domini cernimus in ipſis: nam ſcimus quantos fecerit ſumptus, ut ædificationes iſtæ conſtruerentur. Comprobatur intentum aliâ ratione. Genitores in humanis honorat ſortiri filios laudabiles: à parentibus quippe deſcendiſſe præſumitur quidquid in eis commendabile viſitur. Quare non Deus etiam gloriabitur, illos, qui filii dicebantur iræ, poſt in filios Domini regeneratione converti? Verum quidem eſt, patres multos egere quòd filii ſint benè morati; Deus autem nullius indiget: quod eſt in comperto; ſed adhuc S. Iræneum accipe. *Quoniam*, ait, *non indiget Deus oblatione hominum, ſed propter ipſum qui offerat hominem, manifeſtè Dominus docuit*, &c. Hôc tamen haud obſtante Deus ipſe non egens hominum, de munditiâ mentium noſtrarum gaudet. Clemens Alexandrinus: *Solus*, inquit, *autem Deus nulla re omnino indiget, & maximè quidem gaudet, quando videt mentes noſtras ornatu mundas*, &c. Id adeo verum eſt, ut aliquando ſe gerat Altiſſimus, quaſi penderet ipſius honos à noſtrorum bonitate morum. Scio, Dominum æqualiter optimum; vel nos bene, vel malè minùs operemur. Tamen is eſt illius erga mortales affectus, de virtute ſatagens illorum, quaſi bonus ipſe non foret, ſemel quòd nos mali ſimus.

S. Laur. Iuſt. ſer de SS. Petro & Paulo in princ.

S. Irenæ. l. 4. contra hæreſ. c. 32. in princ.

Clem. Alex. l. 3 Pœdag. c. 1. in princ.

39. Amanter in cœnaculo Filius Dei, cum jam inſtaret paſſionis hora, concionem habuit ad ſuos. Inter multa dixit eis: *Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Ex ipſis Domini verbis manifeſtè conſtat, non ſolummodò juſtos eſſe palmites adhærentes huic viti, nempe Chriſto Domino; ſed etiam peccatores: aliter divinus Magiſter non aſſereret, agricolam, ſcilicet æternum Parentem, ablaturum ex iſtâ vite quotquot palmites fructum non ferrent. Adde S. Cyrillum Alexandrinum. *Qui*, ait, *ergo per fidem Chriſto ſolummodo conjunguntur ſola illi confeſſione inhærentes, nec charitatis vimine ſe colligantes: palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi.* Ex his habes, inſinuari verbis Domini, malos etiam ortos ex ipſo. Rem certè miram! Quomodo blandæ vitis germen eſt iracundus, quem potius diceres rubi ſpinoſi ramum? Luxurioſus; qui magis crederetur graveolens herba, quam vitis palmes iſtius? Agnoſce dilectionem Salvatoris erga nos miſeros. Dixerat ipſe jam, referente Matthæo, fieri non poſſe quòd arbor bona malos ederet fructus. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.* Præſciebat, palmites plurimos, ab agricola Patre ſuo præcidendos, edituros ante quam ſcinderentur fructus malos: & quamvis ex fructibus æſtimetur arbor, non timuit putari ſe hominum judiciis malam vitem, dato quòd ſic judicarent ex eo, quòd palmites quidam adhærentes ei proferrent fructus pravos. Idcirco necnon & illos, hoc eſt, peccatores per fidem inhærentes Chriſto, Dominus indicavit eſſe palmites ejuſdem: inſinuans obiter, ſe velle commendari per fructus aliorum bonos, qui palmites hujus vitis eſſent generoſi. Colliges hinc, quòd cum Redemptor noſter effecerit per merita ſuæ paſſionis, ut ipſi non tantùm fide, ſed moribus adhæreret innumerabilis ferè copia fructuoſorum palmitum; quanta ſupremi fuerit *in multitudine populi dignitas regis.*

Ioan. 15. 1. 2.

S. Cyrill. Alex. l. 10 in Ioan. c. 14.

Matth. 7. 17. 18.

DELIBATIO IV.

In multitudine populi Chriſtiani gloria Principis Apoſtolorum.

40. *An major gloria Petri, quàm Salvatoris in amplificandâ Eccleſiâ?*

A Chriſto Domino Rege regum totius orbis, ad ejus Proregem ſeu Vicarium facilî deſcenſu divertamus. Huic Deus tradidit Eccleſiæ Rempublicam, ſanguine ſuo recens fundatam, ut ſub ipſius prudenti ſollicitoque ductu nanciſceretur augmenta. Præſtitit hoc Petrus inſigniter: & in multitudine fidelium, quam Reipublicæ commiſſæ prudens aggregavit, gloriam plurimam conſecutus eſt. Dogma præſens ad prælatos defert Hugo Cardinalis, inquiens: *Vel*, Regis: *id eſt prælati ſe & ſubditos bene regentis.* Eligo verba facere de primo pontifice: ipſe namque cæterorum ſpeculum in ſuî, necnon ſubditorum rectâ gubernatione dici valet. Incertus ait: *Ideo enim ſoli illi dicta ſunt, ut omnes alii ſe in illo quaſi in ſpeculo videant, ſic vivendo, ſic agendo, ſic ligando, ſic volvendo* &c. Adde S. Leonem Papam. *Petro enim*, ait, *ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus, Petri forma proponitur.* Quis ignorat ejus indefeſſam curam in augendo fidelium primitivorum numero? De ipſo jam in cœlis regnante videtur loqui S. Petrus Chryſologus: cum ait: *Ipſe eſt piſcator electus, qui ad ſe turbas errorum fluctibus merſas hamo ſanctitatis invitat, & doctrinæ ſuæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem copioſam.* Sic de Petro quit aſſeverari, cum abeſt incolens regna cœlorum. Quid putas præſtitiſſe dum adeſſet in terris? Sic effulſit in hoc ſupremus ille Paſtor, ut hyperbolicè diceret

Hug. Card. com. in Prov. 14. 28

Incert. ſub nomine Euſeb. Epiſc. Gallica. ſer. de S. Petr. ad illud Matth. 16. 19. *Quodcumque ligaveris &c.*

S. Leo Pap. ſer. 2. in nat. SS. Pet. & Pau. c. 2.

D. Petr. Chryſol. ſer. 107.

diceret aliquis, majorem ipſi conceſſam fuiſſe gloriam in amplificandâ Eccleſiâ; quàm Chriſtus Dominus habuerit, ejuſdem fundator.

41. Magnum vidit Joannes in Apocalypſi committi bellum inter Angelos atque diabolum. Projectus eſt draco victus; & Apoſtolus vocem audivit: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus*: &c. Commentatur Hugo Cardinalis: Et poteſtas: *quam prius habebat diabolus ſuper genus humanum permiſſione Dei, nunc facta eſt.* Chriſti, *ſcilicet filii.* Ejus: *id eſt Dei Patris: quia Chriſtus omnia trahit ad ſeipſum*: *Joann.* 12. *E.* Ego ſi exaltatus fuero à terra &c. Nota, non eſſe dictum: Suprema poteſtas; ſed abſolutè: *Poteſtas Chriſti ejus*: cum tamen eximiam poteſtatem probavetit Filius Dei trahens homines ad ſe; non auro gemmiſque fulgens, non majeſtate ſublimis; potiùs nudus, & opprobriis petitus. Aliter ſcriptum eſt cùm in eodem Apocalypſi legimus Petrum viſum à diſcipulo dilecto ſub Angeli figura. *Vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria ejus.* Ubi perdoctus Alcazar: *Hunc Angelum eſſe Petrum Apoſtolum, ſatis jam ex ſuperioribus conſtat*, &c. Obvia jam eſt cuique lectorum duplicis præcedentis loci diſparitas. Virtus incarnati Verbi, per quam exaltatus in cruce traxit ad ſe mortales, non dicitur in Apocalypſi magna poteſtas? Petri verò vocatur poteſtas magna? Spiritus ſanctus loquens per Joannem, permiſit occaſionem hyperboli; quâ fas eſt meditari, glorioſiorem videri poteſtatem Principis Apoſtolorum; quàm fuerit ea, quàm Salvator exercuit in trahendis hominibus ad ſe. Apocalypſis loco proximè citato gloria Petri, per quam terra fuit illuminata, defertur optimè (nedum haud violenter) ad confeſſionem Divinitatis Chriſti, quam Simon expreſſerat olim: cujus fulgore ſunt illuminati cæteri fideles, ut Chriſtum Deum agnoſcerent. Rurſus Alcazar: *Id quod de B. Petro in præſenti dicitur, nempe terram illuminatam eſſe à gloria ejus, aptiſſimè referri ad luculentam illam confeſſionem*: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.... *Hæc autem Petri confeſſio illuminavit terram, & facem prætulit cæterorum fidelium fidei circa Chriſti divinitatem.* En cernis quantam Petro gloriationem attulerit multiplicatio populorum; quos pauciſſimis verbis traxit, ut Reipublicæ noſtri Salvatoris adderentur.

Apoc. 12. 10.

Hug. Card. in com. ib.

Apoc. 18 1.

Alcaz. in com. ib.

Idem ib.

42. *Cum Petrus de Eccleſia curaret, Chriſtus Dominus quieſcere poterat.* Conſtitutus igitur in Pontificiæ dignitatis apice Petrus multâ ſollicitudine pro fidelium turmis incrementandis excubavit: ſibi non parcens, ne pro animarum copiâ lucrifaciendâ Chriſto parcus eſſet. Ejus exemplo boni prælati gregem ſuum cuſtodientes, vigiles agunt excubias: at præcipuè Petrus: nam ipſe verè dicitur oculus Eccleſiæ: oculorum autem valde proprium eſt invigilare. Proderit audire Nicetam; quamvis de Petro Pauloque loquatur ſimul. *Velut enim*, ait, *duo lucidiſſimi ac blandiſſimi Dominici corporis proſtatis oculi, quibus totum ejus corpus illuſtretur: per quos Dominus extantes toto orbe Eccleſias inſpectans ædificet perficiatque.* Oculorum eſt cavere ne pedes à viâ rectâ declinent; ipſis incumbit cernere quid operis manus perficiant: necnon adhibere medicamentum vulneri corporis. Hæc omnia munera Petrus exequebatur apprimè: ſatagens, ne minores ab itinere ſalutis deviarent; perſpiciens quid operarentur, ut corrigeret errata citra culpam, & inſtrueret ad laudabiles actiones; vulneribus peccatorum medelam imponens, ne corrumperetur pars læſa miſerabiliter, ſed reſtitueretur citò ſanitati. Vigilabat utique ſimul è cœlo Sponſus Eccleſiæ Chriſtus: tamen etſi non vigilaſſet (dummodo gratia non deforet) nihil obeſſet abſentia Sponſi: quia Petrus ejus vices agebat in terris. Noverat Simonis vigilantem zelum Dominus omnium: propterea Petrum conſtituit in Eccleſiæ ſupremâ ſpeculâ, multùm fidens ejus inſomni curæ. Poterat Filius Dei, vigilante Petro circa bonum Eccleſiæ, ſecurè quieſcere.

Nicet. Paphlago or. encom. 1. poſt med.

43. Dimiſsâ turbâ, quam doctrinâ paverat Magiſter optimus, aſſumunt eum in navim diſcipuli. Factâ procellâ jactabantur fluctibus: Dominus autem in puppi non agebat nauclerum; ſed myſterio plenum capiebat ſomnum. *Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens*: &c. Diſcrimen aderat ſuis, niſi faveret omnipotentia: dormiebatque Præceptor amantiſſimus! Alibi lego Chriſtum vigilantem, cum periculum non urgeret Apoſtolos. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Hîc Dominus excubat; alibi dat membra quieti? Vide priùs, Eccleſiam ſignificatam proximè dictâ navi. Chryſoſtomus: *Et*, inquit, *non dubium eſt, navim iſtam Eccleſiam figuraſſe*, &c. Petrus aderat ibi: ſollicitus anxiabatur de navi Eccleſiæ matris umbrâ. S. Ambroſius: *Metuentibus igitur diſcipulis, anxiante Petro dormiebat Dominus.* Et valebat quieſcere Salvator; cum pro Eccleſiæ ſuæ bono Petrus vigilaret. Apud Lucam Dominus in monte pernoctabat quando non adhuc elegerat Petrum ad munus Apoſtolicum: neque tunc aliquid legimus, quod ſollicitudinem nobis inſinuet Simonis. Hoc pacto Dei Filius indicare viſus eſt quantùm Petro fideret. Principis Apoſtolorum fidem fundaſſe naviculam, dixit Ambroſius: *Quamvis Petri fides fundaret naviculam*, &c. Transferamus hoc ad Eccleſiæ navim: & compertum habebimus, illam plurimum debere Chriſti Vicario; qui de commodis egit ipſius vigilanter.

Marc 4 38.

Luc. 6. 12.

S. Joan. Chryſoſt. to. 2. hom 23. oper. imperfect. in Matth. ante med.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 62

Idem ib.

44. *Sponte ſe mundus pedibus Petri ſubmiſit.* Et quibus mediis Apoſtolorum princeps utilitates imperii ſibi traditi quæſivit? Plura numerare poſſemus: tria tamen exprimam: nempe ſuavitatem regiminis, protectionem validam, doctrinam ſapientem. Præditum ſapientiâ, potentem atque blandum vis audire Petrum ex Bernardo? Lege; quamvis de Paulo necnon loquatur. *Tales decebat humano generi paſtores & doctores conſtitui: qui & dulces eſſent & potentes, & nihilominus ſapientes. Dulces, ut*

S. Bernard. ſer. 1. de SS. Petr. & Pau.

me

me blandè & miſericorditer ſuſciperent, potentes ut fortiter protegerent : ſapientes ut ad viam & per vitam ducerent, quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad ſe omnes convocat peccatores...? Quid illo potentius, cui & terra obedivit : cum mortuos reddidit; & mare ſub pedibus ejus ſe calcabile præbuit...? Et mox poſt pauca S. Doctor addit : *Quid autem illo ſapientius, cui non caro & ſanguis revelavit?* Haud vacat hæc omnia perſequi : de dulcedine tantùm dicam nonnulla; qua nimirum uſus eſt Chriſti Vicarius incola terrarum, dum coleret Eccleſiam. Nonne ſatis dulciter agere velle cum fidelibus indicavit, qui diſcipulos cupiebat ſimiles infantibus? *Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite*; ſcripſit ille. Lenitate prædictâ factum eſt, ut ſub ejus plantis mitteret ſeſe mundus libenter. De Petro ſimul & Paulo dixit Juſtinianus : *Totam Eccleſiæ terram ſuis irrigaverunt doctrinis, decoraverunt exemplis, ampliaverunt miraculis, & virtutibus perfecerunt.* Campos irrigantibus videmus agrum ſub eorum pedibus mitti. Bene dicitur de Petro, terram Eccleſiæ rigaviſſe : nam ſub Apoſtoli veſtigiis videre licuit ſponte poſitos latè longéque populos. Procelloſi quidem ſunt mundi fluctus : nullâ tamen violentiâ factâ, ſe ſpecioſis pedibus Principis Apoſtolorum evangelizantis pacem ſubmiſerunt ultrò.

1.Petr.2.2.

S. Laur. Iuſt. ſer de SS. Petr. & Pau.

45. Abiit populus, quem paverat in deſerto Dominus : tunc in montem Filius Dei ſolus aſcendit orare. Poſtea cum jam quarta vigilia noctis advenerat, diſcipuli, qui naviculam conſcenderant, jactabantur undis. Venit Sol juſtitiæ, quò ſuis opitularetur præſens. At priùs amore Simon ductus inquit : *Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas.* Salvator annuit clementer ejus voto. *At ipſe ait : Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam ut veniret ad Jeſum.* Timuit Apoſtolus vento flante valido; cœpitque mergi. Rogarem, ſi liceret, Aſſertorem noſtrum : An Domine ſapientiſſimè non præſciebas quid eventurum foret Simoni? quare non id evitare curaſti, dividens aquas; & faciens ut ad te veniret per ſiccum? nonne ſic factum eſt in mari rubro, quò populus Hebraicus pertranſiret? Antequam dubium deponam, reminiſci libet, quid fluctus ab Apoſtolorum Principe calcati, quid mare rubrum deſignent. Utrobique mundus figuratur. Loquens de Chriſto Domino Beda Venerabilis ambulante ſuper aquas, ait : *Ad eos ergo, qui implent legem venit Jeſus : & venit quo modo fluctus calcans omnes tumores mundi ſub pedibus habens, omnes celſitudines ſæculi premens*: &c. In commentario verò Pſalmi, quo litteraliter de præfato caſu rubri maris agitur in hæc verba : *Quid eſt tibi mare quod fugiſti* &c? S. Proſper dixit : *Quid eſt inquit ô ſæculum quod tua impedimenta ceſſerunt?* Adde Bedam. *Urgent*, ait, *quidem Ægyptii, inſtant peccata, ſed uſque ad aquam latus dextrum populi contra Ægyptios, contra mare ſiniſtrum erat, id eſt, populus Chriſtianorum in Eccleſia, quæ eſt inter mundum & regnum cœlorum* : &c. His poſitis, ab interrogatione meâ ſuperſedeo : nam ut per urbem incedant alii favente Domino, congruum ſæpius eſt ſeu vim, ſeu quaſi violentiam ſæculo divinitus fieri. Quò verò Simon pede tereret mundum, ſuperflua foret cœlitus facta vis, quâ ſubigeretur : nam ipſe mundus mittebat ſe libenter ſub greſſibus ejus. Non audenter nimis dixi, nequaquam factam fuiſſe violentiam aquæ, dum ſuper eam Petrus inceſſit; duplici ratione. Prima, quia miraculum iſtud fieri potuit, vel hujus corpori negato concurſu, ne gravitaret ſuper fluidam tendens deorſum; vel datâ poteſtate Petro tacitâ, ſed ipſi notâ conceſſione, quâ Simon contineret ſeipſum. Nullo ex his modis (quorum neutrum eligo) vim dices aquam pati. Adde ſecundam rationem : quam inſtituo memorans, Chryſoſtomum dixiſſe de Filio Dei : *Moyſi Auſtro tunc ſpirante paruit aqua, & aridam præbuit tranſeuntibus, Jeſum nihil à ſuâ naturâ motum mare, ut Dominum admirabiliùs pertulit*, &c. Igitur etiam pertuliſſe meditemur aliquâ ratione Petri plantas; utpote vices in terris acti Creatoris. Inde collige quàm lubenter homines, fluctibus deſignati, colla ſubmiſerint Apoſtoli pedibus; illius illecti ſuavitate multâ.

Matt.14.28. 29.

Bed.com.in Ioan.6.

Pſal.113. 5. S.Proſp. in com. ib.

Bed.com in Exod. c 14.

S Ioan. Chryſoſt to. 3.hom.42.in Ioan. juxta med.

46. *Petri zelus de ſalute animarum nunquam ſibi faciebat ſatis.*

Expertus Apoſtolus quàm ſibi facilis & fortunata contingeret meſſis; ambitione quadam ſanctâ ductus, labori parcere neſcius, diſcurrebat pro metendâ ſegete maxima; quin obſiſteret fervori ſuo diſtantia plurima locorum; quæ Petri pietatem ſiſtere non valuit. S. Petrus Damianus : *Hæc miſericordia facit, Petrum ab Jeruſalem in Antiochiam currere, ab Antiochia venire Romam, prædicare verbum Dei, ſubvenire peccatoribus, peccatis parcere, miſericordiam ſuperexaltare judicio.* Quomodo non ſuperſtes paſceret oves Chriſti laborans in hoc jugiter ille, qui nunc abſens in cœleſti Regiâ curam agit Eccleſiæ militantis? Imitatorem ejus audi S. Leonem. *Ter dixit* : Paſce oves meas : *quod & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non ceſſans, ut nulla tentatione ſuperemur.* Hinc æſtimare valebis quàm fervorosè munus paſtoritium obierit cum adhuc viveret is, qui fruens æternæ quietis manſione, minimè penitus erga nos depoſuit ſollicitudinem. Petri zelum circa paſtum Dominici gregis noſſe cupis dum vitâ mortali potiretur? Ejus hiſtoriographo Summo Pontifici crede narranti, Petrum in cruce jam poſitum concionatum ad populum fuiſſe. *Adorſus eſt*, inquit S. Linus Papa, *Petrus flentem populum de cruce conſolari, & alloqui myſterialiter*, &c. & infra : *Aperuit Deus oculos eorum, qui lugebant, & lacrymas fundebant in paſſione Petri, & viderunt Angelos ſtantes cum coronis de floribus roſarum & liliorum, & in vertice crucis erectæ ſtantem Petrum, & librum à Chriſto accipientem, & ea verba quæ loquebatur, inde legentem.* O cordis ardorem charitate fervidi! In patibulo, cum tempus aderat ut

S.Petr.Dami. ſer.2. de SS. Petr. & Pau. juxta med.

S.Leo Pap. ſer.2.de SS. Petr. & Pau. ad fi.

S.Lin.Pap.de paſſio. SS. Petr. & Pau. l. 1. longe poſt med.

pergeret

pergeret ad prædilectum ſibi Magiſtrum, prædicatoris munus agit? Mihi ſuadeo, per hæc induci nos, ut credamus, ignitum Principis Apoſtolorum cor pro mortalium ſalute nunquam ſibi ſatis omnino feciſſe. Multum egerat; ſed ex hoc ipſo lucrandorum fidelium ſitis augebatur.

47. Actor. 10. 10. D. Lucas in actibus Apoſtolorum refert eſuriviſſe Petrum. *Et cum eſuriret, voluit guſtare.* S. Ambroſius hæc verba defert ad Petri deſiderium de ſalute hominum: quoniam ſcilicet famem experiebatur acquirendi plures fidem ſuſcipientes. *Puto*, inquit, *Petrum poſt orationem non cibum eſuriſſe hominum, ſed ſalutem, nec inediâ vexatum eſſe corporis, ſed inopiâ credentium laboraſſe.* Hoc poſito nonnullus exiſtimaret, iſtud Apoſtoli votum accommodatiùs potuiſſe nominari ſitim, quàm eſuriem: nam homines (quorum ampliorem copiam ſibi jungere cupiebat Petrus) æquiparantur aquis, conformiter ad illud Thecuitis ad regem David, dum in Abſalomi favorem loqueretur: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*: & qui cupit aquas ad viſcera tranſmittere, dicitur ſitire; non autem fameſcere. Quid eſt ergo quod apud Lucam non aſſeritur, potum, ſed cibum concupiviſſe Petrum; qui ſanè plures optabat credentes? Eadem ratio, quæ dubitandi præbuit motivum, ſolvet illud. Cum aquis homines aſſimilentur; ſi diceretur, Petrum laboraviſſe tunc ſiti, crederes, iſtam aliquando tandem explendam per numerum fidelium adauctum; quos in præcordia charitas ejus mittebat. Non ſolebat placari Principis Apoſtolorum cupiditas de Chriſtianorum augendâ multitudine. Propterea nominatur iſta vocabulo famis: nam ſicut famelicus quò magis potat aquas, majorem experitur famem; ſic Petrus quò numeroſiorem Chriſtianorum copiam viſceribus charitatis immittebat, ardentiùs anxiabatur fame. En Vicegerentis Altiſſimi zelus in multiplicandâ pluralitate Chriſtiani populi.

S. Ambroſ. ad eum locum. ſer. 1. de SS. P. tr. & Pau.

2. Reg. 14. 14.

48. *Chriſto Domino non vulgarem glorificationem attulit Eccleſia deſponſari.*

Undenam hic ortum habuit ardor plurimus? Manifeſtum eſt, immediatam hujuſmodi zeli cauſam extitiſſe perfectiſſimum erga proximos affectum. Paternus erat: & non ordinario modo parentum dilectionem imitabatur naturalem: vix enim vel unus invenietur, vel alter genitor, qui ſit animo paratus pro filio vitam profundere; maximè verò Petrus pro ſubditis: non enim ſunt mentiti fideles, qui cernentes, nolle Petrum acquieſcere dicentibus ut in perſecutione caperet fugæ præſidium; hæc in faciem verba protulerunt, S. Lino referente: *O pater veraciſſime, ubi ſunt verba, quibus dicebas, quoniam pro vita noſtra morti paratus eſſes ſuccumbere*, &c. Probatur etiam primi ſupremi Pontificis eximius amor in ſuos ex eo, quòd tribulatorum fletus nunquam ſiccis oculis intuebatur. Idem S. Linus: *Petrus ultra modum miſericors lacrymas afflictorum nunquam ſine lacrymis præterire poterat*, &c. Tandem ſtabilitur Apoſtolum dilexiſſe plurimùm Eccleſiam: quia ſolent conjuges virtutibus imbuti multùm affici erga conſortes eorum amantes, & bene moratas. Equidem Petrus, quatenus Eccleſiæ prælatus, verè ſponſus ejus eſt: nam hic titulus congruit cuicumque de ſuperioribus erga propriam eccleſiam. Humbertus ait: *Inter prælatum enim, & eccleſiam eſt matrimonium ſpirituale.* Qualis extitit gloria Principis Apoſtolorum ſponſam habere prorſus eamdem, quæ Regis regum ſponſalitio fruitur? Præcelſa quidem: nam & Chriſto Domino minimè vulgarem glorificationem attulit Eccleſiæ deſponſari.

S. Lin. ſup. longe poſt princ.

Idem ib.

Humbert. l. 1. de mo. promp. cuden. ſer. c. 74.

Apud Salomonem in Canticis legitur: *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius*, &c. Scis, Regem hunc illum eſſe, qui ſemetipſum dixit pluſquam Salomonem; nempe Verbum Patris incarnatum. Quid ergo mirum erat, Chriſtum Dominum, qui Rex regum eſt coronari? Memini Joannem in Apocalypſi Chriſti Salvatoris imaginem eſſe intuitum, portantem in capite coronas plures. *Et in capite ejus diademata multa*, &c. S. Bruno Aſtenſis: *Et in capite ejus diademata multa: Quoties enim ſancti vincunt, toties Chriſtus coronatur, quia omnis illorum victoria ad Chriſtum refertur, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis.* Mirandum quidem erat, Servatorem coronis tot ſimul coronari, potiùs quam unicam in deſponſationis feſtivâ die ſolemnitatis geſtare. Ut quid ergo ſponſa monet Sion filias, ut intueantur Sponſi diadema; nullaque vox auditur, quâ ſpectatores convocentur ad hoc ut ſimul cum Joanne cernant Filium Dei multiplici coronâ redimitum? Glorioſius equidem Redemptori fuit in deſponſatione coronari. Diademata, de quibus Joannes, majeſtatem inſinuant; corona verò Canticorum non ita; ſed ſponſalitius ornatus eſt. Quòd non majeſtatem indicet iſta corona cenſuit Bernardus. *Egredimini proinde filiæ Sion: & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua: in corona paupertatis: in corona miſeriæ.* Coronari verò quondam ſolitos fuiſſe ſponſos in die ſolemnium nuptiarum, ſupponit Chryſoſtomus, inquiens: *Idcirco quippe coronæ imponuntur capite, ut victoriæ ſigna ſint: quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur: quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt.* Igitur quia noverat ſponſa, dilectum ſuum ſpecialiter gloriari quòd ſponſus Eccleſiæ ſit, coronam ſponſalitiam vellet à pluribus conſpici. Petro confidit ſponſam iſtam Dominus; & ita, quòd ratione muneris paſtoralis verè dicatur Apoſtolorum Princeps Eccleſiæ deſponſatus. Unde ſimili quâdamtenus condecoratur diademate. Sed illud in Petro clarius; quòd nempe, cum diſcipuli rectè doctrinam præceptoris tenentes (conformiter ad phraſim Pauli) dici valeant corona Magiſtri; amplificatio, quam acquiſivit Eccleſiæ Petrus, probat qualiſnam ſit hujus *in multitudine populi dignitas regis.*

49. Cant. 3. 11.

Apoc. 19. 12.

S. Brun. Aſten. l. 6. in Apoc. poſt princ. ib.

S. Bernard. ſer. 2. de Epiph.

S. Joan. Chryſoſt. to. 4 hom 9. in 1. ad Timoth. longe poſt med.

Ad Philipp. 4. 1.

DELIBATIO V.

Rex fidat protectioni divinæ : attendat negotia pauperum. Quis rex indignus regio nomine ? De malorum congregatione ; regisque nobilitate decrescente.

50. *Rex felicitatem suam non in solâ multitudine populi ponat ; sed protectioni divinæ fidat.*

DIximus delib. 1. præcelsum regale nomen, & potissimam regnantis excellentiam exinde censendam, quòd totus ampliandæ Reipublicæ diligenter incumbat. Nunc exhortandi sunt principes, ut non unicè felicitatem suam in eo ponant, quòd longè latéque diffundantur eorum imperia. Stabilis felicitas non est nixa caducis. Fide carentibus olim regibus neu velint assimilari Christiani monarchæ : nam ethnici principes felices quondam extitere nimiùm temporaneis : ad majora vocantur qui vertice crucem Domini gestant, utpote pretiosiorem suî diadematis gemmam. Audiant Augustinum, qui sic habet : *Neque enim nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversùs se insurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc & alia vitæ hujus ærumnosæ, vel munera vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum meruerunt*, &c. Et post multa numerata, de quibus exurgit perfectus princeps, addit S. Doctor : *Si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse felices : interim spe, postea re ipsâ futuros, cum id quod exposcimus advenerit.* Agnosco, felicitatem potissimam illam esse futuram in æternâ beatitudine ; quam reges Deo pro suî statûs conditione fideliter servientes nunc expectant firmi, tandem obtinebunt, in melius coronam temporalem commutantes. Descendamus tamen ad temporaria ; ne mihi succenseas, quasi velim suadere principibus, ut in solio vitam degant monasticam. Loquar igitur de felicitate, quâ temporaliter apud homines terrena majestas effulget. Rex in protectione divinâ constituat spem ; de illaque se felicem judicet ; non autem de copiosâ multitudine populi. Esto quòd in hoc delinquat, cum proportione ad statum suum, ille qui non imperat ; fortunam propriam constituens in eo quòd regem habeat sibi propitium ; forsan haud graviter punietur : maximè verò princeps in subjectâ materiâ superbiens prout prædixi.

S. Aug. to 5. l. 5. de civit. Dei. c. 24.

Idem ib. fi.

51. Iratus omnium Dominus contra plebem Israëliticam, permisit ut peccaret David ; jubens illam numerari, quò sciret quanta subderetur sibi multitudo. Novum non est in peccantis populi supplicium permitti, quòd rex deviet à recto, mereaturque flagellum, quò postea mulctabuntur subditi. Contra Davidem satis Dominus ostendit indignationem suam ; cum de tribus flagris non levibus unum deligendum annuntiaverit per Prophetam. *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur : aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera*, &c. An Joab, cui recensio populi commissa fuit, non in istâ deliquit ? Sic existimo : nam agnovit, propter hocipsum multos fore perituros. Hugo Cardinalis : *Unde Joab bene intellexit quod propter peccatum elationis David populus moreretur.* Ergo propheta mittatur pariter ad illum, severè denuntians flagellationem Domini peculiarem iidem. Nequaquam sic factum est : nam Joabus rex non erat : obtemperavit principi suo malè jubenti ; ne, si nollet exequi mandatum regis, incurreret ipsius iram. Vituperabile quidem hoc est in subdito ; sed connivere multoties videtur Deus istiusmodi culpam. David autem imperabat : superbè præcipiens ut numeraretur populus, indicium nobis præstitit, quòd protunc felicitatem suam posuit in magnâ copiâ subditorum sibi ; non autem in protectione Dei. Providentiæ suæ non pertulit injuriam istam regnorum summus Arbiter ; sed gravi percussione fuit ultus. Hæc intelligite reges : erudimini qui judicatis terram ; nec spes collocetis *in multitudine.*

2. Reg 24. 13.

Hug. Card. com. in 1. Paralip. 21. 3.

52. *Gloria regis est agnosci, quòd pariter attendit ad negotia pauperum, atque potentum.*

Populi. Aliquando populum vocamus idem quod rigorosè significatur nomine plebis. At verò populus, dum strictè loquimur, differt à plebe, quòd in eo continetur omnis pars regni, vel civitatis, omnesque hominum ordines : cum autem dicimus plebem, non comprehenduntur nobiliores & patricii. Secundùm Angelicum Doctorem populus est multitudo hominum juris consensu, & concordi communione sociata. In eo sensu vox, *Populi*, sumatur in præsenti, quô sic est ampla, sicut populum descripsit Franciscus Patricius, inquiens : *Populos cives universos, patricios & senatores quoque significat* : &c. Hinc eruamus principis documentum salubre : nempe quòd non solum attendat magnatum, atque nobilium incolumitatem, & commoda ; sed etiam curet de vulgi bono. Solitum non est, ut medici nobilibus atque dynastis medeantur solis : & viduas pauperculas, & nosocomiis jacentes mendicos invisunt ; ac satagunt ut sanitatem consequantur. Princeps utique suorum medicus est. Idem Politicus ait : *Sicut medicus languentis utilitati, non suæ, & gubernator eorum quos vehit consulere debet ; sic rex eorum quibus imperat.* Non ergo princeps imitetur illum, qui, cum sit horti viridarius equidem sollicitus, nobiles plantas rigare curat ; viles autem herbas præterit. Non tu prætereas nomen gubernatoris, qui rate vehit plures, & assimilatur principi. Velut nauclerus nullum excludit, ut non etiam illius insimul cum reliquis agat curam ; sic & regi de plebe curandum. Accedit quòd templa non solis potentibus patent ; sed etiam homuncionibus referantur eorum fores :

S. Thom. 1. p. q. 31. art. 1.

Francisc. Patric. de regno l. 1. c. 3.

Idem l. 2. de reg. inst.

fores:ita monarchæ benefica ſollicitudo viliſſimos etiam reſpiciat : nam palatia quodammodò vocavit Marſilius templa Dei, dicens : *Principis domus eſſe debet Dei templum.... pauperum menſa, bonorum ſpes, refugium innocentium, præſidium miſerorum.* Non modica gloria regis eſt, ut notum ſit, illum pariter attendere quæ pauperes attinent; quàm quæ divitum ſunt, atque potentum.

Marſil. Fic. in ep. l. 5.

53. Ob fratris cædem profugus Abſalom revocatur ad curiam per induſtriam Joabi. Sed ingratus ille parenti conciliare ſtuduit populi favorem animo perfido. Quâ putas arte ? Mane conſurgens, poſitus ad urbis portam, cunctos ad judicium pro negotio venientes interrogabat de quanam eſſent urbe : audiebat eos, dicebatque : *Videntur mihi ſermones tui boni & juſti. Sed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege. dicebatque Abſalom : Quis me conſtituat judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & juſtè judicem ?* Quæro. Quid intendit parricida ? Quis neſcit, fuiſſe mentem illius proprii genitoris uſurpare ſceptrum ? Dices, illum non elegiſſe medium congruum ad hujuſmodi finem : nam iſta cordium venatio poterat à pluribus notari; proindeque fieri valuit ut notum eſſet quid intenderet, ac deferretur protinus ad ejus patrem. Putabis, convenientius deſiderio ſuo fore, ſi liberalibus promiſſis munerum, explendis cum regnum poſſideret, corrumpere procuraret Joabum, & alios regni proceres; ut, eis juvantibus, Davidem à ſolio deturbaret, ac intruderet ſeipſum. Ut quid igitur maluit per ſollicitationem prædicto modo factam corda virorum Iſraël aucupari ? O quantum acuminis ineſt mentibus prudentum ſæculi ! Operatus eſt q. d. Vellem, ut cum regale faſtigium conſcendero, credat Iſraël, ſe regem habere, cujus inſit animo non minùs curare de pauperis negotio, quàm potentis atque ditis : hoc enim tunc erit mihi ſummopere glorioſum. Quapropter nunc id inſinuo : cunctos audio circa res judiciarias, quibus moti veniunt ad urbem; ad hoc ut Iſraëlitæ non dubitent, me de pauperibus, ac de cæteris æque ſollicitum. Sapienter equidem cenſuit : quoniam boni regis indicium eſt non ſolos curare magnos diligenter; ſed totius agere curatorem *populi.*

2. Reg. 15. 3. 4.

54. *Indignus eſt regis nomine malè gubernans populum, qui titulo peculiari dicitur Dei.*

Dignitas regis. Dignitas aliquando ſumitur pro gloria vel honore. Sic in præſenti. Aliquando verò ſolet accipi, quò ſignificemus officium cum juriſdictione ſimul & adminiſtratione. Poſſet utique Scriptura dignitatis hîc uti nomine, prout ſignificat officium juriſdictionem & adminiſtrationem complectens; ut ſic inſinuaret, regis munere principes illos carere, qui de ampliando populo ſolliciti non ſunt : nam rex equidem vocandus eſt qui pro ſuis diſcrimen ſubire non recuſat, ut ſecuri, paciſque proventibus fruentes vivant; & jugiter curarum requiem ſibi denegant, ut ſubditis bene ſit. Syneſius : *Qui*, ait, *pro illis periclitatur, ut in pace, & ſecuritate degant; quique vigilare, & in maximo concurſu ſollicitudinum verſari ſuſtinet, ut noctu, & interdiu iidem illi malis omnibus vacent; hic in genere quidem ovium paſtor, in hominum vero rex eſt habendus* : &c. Ratio ſupradicti pronuntiati ſatis eſt obvia : nam qui ſe gerunt aliter, hi voluptatibus obtemperant, milleque vitiis aliis inſerviunt : & ſic patet quòd ſuiipſorum boni reges non ſunt; & proinde carent prædicato ſummè regio. Syneſius idem : *Iſtud profectò primarium, ac ſummè regium eſt, ſuiipſius eſſe regem; mentemque domeſticæ feræ, quaſi moderatricem, præficere*, &c. Cum itaque regnantes illi, de quibus dictum eſt ſupra, reipublicæ parvulæ proprii pectoris non rectè dominentur, ſed potiùs peccato ſerviant, indigni ſunt regis nomine.

Syneſ. or. de reg. longe poſt princ. Idem ib. infra.

55. Doctrina proximè data præſertim verificatur circa principes dominantes eis, qui verî Numinis cultum profitentur : iſtis enim regibus ratione peculiari Rector univerſi ſceptrum commiſit (utpote populî per fidem ſpecialiter ſuî) ut juxta leges imperia moderarentur. Unde longe majori titulo regali nomine privabitur ille rex malus, iniquè gubernans regnum, quod ratione peculiari Deus poſſidet uti ſuum. De Jechonia Dominus apud Vatem ait : *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur* : &c. Iſta repetitio nominis, *Virum*, myſterium ſubindicat. Et fortè judicares, aptiùs vocandum fuiſſe regem, quam virum, cùm prædicebatur fore ſterilem : ſenſus quippe non eſt, illum futurum eſſe prole deſtitutum, cum ex libro primo Paralipomenon habeamus oppoſitum; ſed quod non eſſet habiturus filium, qui regnaret. Dionyſius Carthuſianus : *Sterilis appellatur, quia non habuit filium ſibi in regno ſuccedentem.* Hæc infelicitas eum tangebat magis quia rex erat; quàm ſi tantùm conſideretur quatenus homo. Dicatur ergo : Scribe regem iſtum ſterilem. Facilè reſpondebis, fuiſſe verbis præcitatis ablatum ei nomen regium, quia malus extitit : nam Sanctius, cum interpretaretur hiſtoriam Regum, de illo dixit : *A patre didicit crudelitatem, & avaritiam, neque magis & religionem coluit, & Deum timuit quam pater, qui diaboli in ſuo corpore ſtigmata geſtaverat* : &c. Bene. Sed huic ſolutioni quiſquam objiciet, Nabuchodonoſorem iniquum extitiſſe; nihilominus apud eumdem Jeremiam regem appellari paulò priùs à Domino; qui poſtea Jechoniam dixit virum: *Et in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis*, &c. Ecce rex impius nequaquam hoc loco privatur nomine regali; maximè verò Jechonias. Rationem quæris. Dicerem. Nabuchodonoſor dominabatur infidelibus eo tempore, quo prænuntiata fuit ruina, quam paſſus eſt Jechonias in eo, quòd traditus fuerit à Deo Nabuchodonoſori. Jechonias autem fuit rex Juda; qui populus jure ſpecialiori pertinuit ad rerum cunctarum Dominum, quàm Babylonicus. Meritò Jechonias improbus non eo loco rex dicitur; ſed vir, quaſi rex non

Jerem. 22. 30.

1. Paralip. 3. 17. 18.

Dion. Carth. com in Jeremi. prox. ſup.

Sanct. com. in 4. Reg. 24. v. 9. n. 17.

Jerem. 22. 25.

eſſet. Quid ergo dicemus de nitentibus diademate, nec gubernantibus ut par eſt populum Chriſtianum Altiſſimo prædilectum ?

56. *Malorum numeroſa congregatio computetur quaſi pauci forent.*

Et in paucitate plebis. O quàm plures inveniuntur ; qui, cum ſint verè ſubſtituti Patris luminum in terris, non ſolùm degunt in tenebris culparum non attinentium ad regimen ; ſed minimè paternos imitantur affectus : nec enim patrem agit qui Rempublicam vel ex parte deſtruit : cum genitores non ſolitent odiſſe filios ; illi verò Rempublicam proſequantur odio. Quin auſus eſt aſſerere Guicciardus : *Reſpublicas odio principes ſemper proſequuntur.* Nimis dixit ille : novimus reges etenim ſuorum amantiſſimos. Qui vel hoſtis eorum eſt, vel regit quaſi foret inimicus, hic parum diſtat à tyranno. Tyrannidis proprium eſt legibus reſiſtere, populumque ſervilibus flagellis comprimere : niſi ſe gerat ſic tyrannus, nihil actum exiſtimat. Seresberienſis : *Princeps pugnat pro legibus & populi libertate : tyrannus nihil actum putat, niſi leges evacuet, & populum devocet in ſervitutem.* Non uno tramite pergunt quotquot per viam ſiniſtram flectunt habenas imperii ſui : non una mens illorum eſt ; etſi multi conveniant in eo, quòd viis iniquis optent aggregare ſibi de ſubditis plures, qui ſubdantur ipſorum voluntati ſponte. Quidam permittunt illis mores peſſimos : cupiunt enim ſic ab eis diligi propter ſimilitudinem vitiorum, quibus princeps ipſe paret ; cum inter ſimiles dilectio multoties non difficilè concilietur. Alii ſævè prementes populum, peroptant hac via quòd metu coactus major numerus eorum, quibus dominatur, eis colla ſubjiciat. Priores omitto. De poſterioribus dicam falli, dum ſic multitudinem hominum nequam aggregare cupiunt ſibi : nam improborum copia paucitas eſt. Quantumvis excedant numero mali ; ſi bene cenſeas quantùm per iniquitatem coram rectè ſentientibus attenuentur, in bono ſenſu veraciter paucos appellabis illos.

Fr. Guicciar. l. 4. hiſt.

Joan. Sereſb. l. 8 de nug. c. 17.

57. Pſal. 106. 39.

S. Proſp. in com. ib.

Pſaltes regius, cum beneficia præſtita quondam à Domino plebi recoleret, addidit : *Et pauci facti ſunt :* &c. Inquires quinam ſint hi pauci ? S. Proſper de reprobis hoc exponit, inquiens : *Qui ergo in hanc ſoliditatem æternæ multitudinis, aut non introïerunt, aut cum viderentur introïſſe, ab eâdem receſſerunt, ipſi pauci facti ſunt : quia ab illa, quæ permanet, multiplici unitate diviſi ſunt. Nunquam enim multi ſunt, qui ad non eſſe tendunt. Et quid tam obnoxium paucitati, quàm quod eſt debitum perditioni ?* De cuncta damnandorum turbâ Commentator agere videtur. Et non eſt prætereundum, quòd, cum infinitus propemodum ſit cumulus tradendus ignibus æternis, apud Pſalmiſtam dicantur pauci. Sed cum illos non ad numerum, ſed ad libram examinaveris, multitudinem hominum iniquorum computabis quaſi paucitatem. O quàm ſæpe, dum ex principis culpâ ſubditi ruunt in vitia, proptereaque prædicto ſenſu pauci fiunt, viſitur *in paucitate plebis ignominia principis !* Huc fortaſſis accommodare vellet aliquis verba, quæ ſequuntur in eodem Pſalmo : *Effuſa eſt contemptio ſuper principes : & errare fecit eos in invio, & non in via.* Commentatur Bellarminus : *Gravis hæc pœna eſt, tum populis, tum principibus, & magni criminis præcedentis indiciam, quando Deus effundit contemptionem in principes, id eſt providentia ſua facit, ut principes ſive Eccleſiaſtici, ſive ſæculares, ſint valde contemptibiles.* Et poſt pauca : *Hæc eſt cauſa contemptus, quia principes ob ſua, & populi peccata deſerti lumine ſapientiæ, & gratia per devia incedunt & non per vias rectas, id eſt, vitiosè vivunt, exemplo malo populum ſcandalizant, vel etiam leges iniquas conſtituunt, favent malis, vexant bonos.* Ecce quàm ſit ignominioſum regi factis iniquis præire populo, hujuſque ſceleribus impunitatem concedere. Forſitan princeps iſtiuſmodi putavit ſic ad ſe vocare plurimos vitioſæ libertatis amatores. Decipitur : econtrariò namque dicemus, monarcham ita ſe gerentem regnare tantùm *in paucitate plebis.*

Pſal. 106. 40.

Cardin. Bellarm com in Pſal. ib.

58. *In eâ menſurâ decreſcit regis nobilitas, in quâ regnum deterioratur.*

Ignominia principis. Quàm aliter vulgò judicant humanæ mentes de principum excellentiâ quod ratio prudentibus dictat. Vulgus honorem regium conſtituit in toga, quæ bellè rubet oſtro, gravitat auro, radiatque gemmis : in armati ſatellitii ſtipante catervâ, magnificiſque palatiis ; quibus extruendis ars deſudat, æraria profligantur. Non ex iſtis conſurgit regum ſolida majeſtas ; ſed ex eo, quòd æquitatem prudens teneat, cupiditates proprias moderetur, aliaque decentia prudentem gubernatorem exhibeat. Agathocles : *Non ex purpura, ſeu quovis amiculo, & extrinſecùs quæ viſuntur aliis ornamentis, regium nomen eſt cuiquam tribuendum, ſed ei qui æquitatem exerceat, nec decentia aſpernetur, & cupiditates his ſolùm rebus emetiatur, quæ animi ſtabiliunt ſapientiam.* Inter iſta quæ regium nomen componunt, locum tenet haud poſtremum quòd ſtatum Reipublicæ conſervet revera felicem. Et quiſnam credetur fortunæ plenus Reipublicæ ſtatus ? Duæ ſunt hujus felicitatis radices ; quas oportet colere principem : ſcilicet leges, atque mores. Audi Polybium. *Ego*, inquit, *cujuſvis Reipublicæ duo arbitror eſſe principia, propter quæ tam potentiam quam ſtatum illius aut optabilem, aut deteſtabilem fieri contingat. Hæc autem ſunt mores ac leges. Optabilis ac ſelectus Reipublicæ ſtatus eſt quo & privata mortalium vita ſancta & integra, & publici civitatis mores placidi ac juſti redduntur. Deteſtabilis verò ac fugiendus, quo contrarium perficitur.* Non ſic reputant vana mortalium judicia : ſed quid illa verum attingunt ? Econtra circa regis ignominiam erratur vulgariter. Si bello ceciderit : ſi minùs decorosè tractetur ab alio rege princeps, infamiam vulgus dolet ; non autem curat utrum ex eo quòd morem gerat popularibus delictis, dehoneſtetur. Dimittamus confuſæ plebeculæ dicta : inſiſtamus in ſuadendo regibus, qua ratione potiſſimùm diminuatur majeſtas ipſorum. Multa ſunt, ex quibus

Agath. l. 4. hiſt.

Polyb. l. 6. hiſt.

veram

veram patitur contumeliam. Nunc omitto majora : tantummodò moneo, regalem celſitudinem ab amplitudine regni pendere taliter, quòd in ea menſura rex nobilitate decreſcat, qua deterioratur imperium.

59. Vidit Nabuchodonoſor metallis variegatam ſtatuam in ſomnis. Quid portenderet, ignoravit prorſus, donec à Daniele doctus eſt. Aureum ſtatuæ caput erat, pectus & brachia de argento ; ærea fuerunt venter & femora, ferreæ tibiæ, pedes partim fictiles, & ex parte ferrei. Cum Vates capitis aurei ſignificationem propoſuit, dixit ad Nabuchodonoſor : Daniel.2.38. *Tu es ergo caput aureum.* Commentatur Dionyſius Carthuſianus : Dion. Carth. in com. ib. *Id eſt : Tu ô rex, & regnum tuum Babylonium, deſignatur per aureum caput ſtatuæ, quam vidiſti, qui cæteros reges nunc excedis, ſicut aurum reliqua metalla, & propter divitias, quas in tuo imperio congregaſti.* Vides auro deſignatum & regnum, & regem Babylonis. Expectares, Propheram, cum aliarum ſtatuæ partium ænigma reſeravit, expreſſurum fore propriis nominibus reges illos, qui ſequentia regna poſt Babylonicum fuere moderati ; dicturumque, principes iſtos gradatim futuros eſſe minores, quàm Nabuchodonoſor. Nulla de regibus iſtis mentio facta fuit à Daniele ; ſed ait circa regna : Daniel.2.39. 40. 42. *Et poſt te conſurget regnum aliud minus te argenteum : & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum.* Et infra : *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles : ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum.* Scis, in argento fuiſſe Darium & Cyrum aliquatenus inſinuatos. Liranus : Lir. com. in Danie. ib. *In uno regno regnabat Darius & in alio Cyrus, ideo ſignificata ſunt per duo brachia. Verumtamen quia fuerunt conjuncta ſimul tempore Cyri, mortuo Dario ejus avunculo.... & tempore Darii, cui in honore ſucceſſit Cyrus.... ideo illa brachia erant juncta in pectore uno*, &c. Deinde regno æneo, ſcilicet Macedonico, S. Hieron. to. 5. com. in Danie. ib. regnavit Alexander. S. Hieronymus : *Alexandrum ſignificat & regnum Macedonum ſucceſſorumque Alexandri. Quod rectè æneum dicitur* &c. In ferri teſtæque diſcordiâ Julium Cæſarem, & Pompeïum vidit Pinto Luſitanus : ait enim : Fr. Hector. Pinto ibid. *Meo quidem judicio præcipuè hîc loquitur Daniel de diſcordia inter Julium Cæſarem, & magnum Pompeïum.* Qua de cauſa Daniel nequaquam principes regnorum, quos prædixi, nominavit omnes ; prænuntians, poſt Nabuchodonoſorem diminuendam eſſe majeſtatem, qua potituri fuerant, ſicut inſinuavit, regna fore minora ? Quia ſuperfluum videretur de regum diminutione, qui regnaverunt poſt Nabuchodonoſorem, agere : nam ſemel quod indicavit, in deterius velut per gradus itura regna ; quiſque prudens conjiceret, ſimiliter de regibus eventurum : nam ſicut regni magnitudo dignitas regis eſt ; ſic regnorum decrementa ſunt imminutio regnantis & *ignominia principis.*

FLOS XXXIV.

Qui patiens eſt, multâ gubernatur prudentiâ : qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.

APERITUR.

REJICIENDA primùm, ut vana, 1.
quorumdam (inter quos numera Rodolphum) ſuſpicio, non diſplicens Salazari : coarctans hanc ſententiam ad principes informandos. Si commentatores iſti moti ſunt ex eo, quòd in dogmate præcedenti ſermo fiat de principibus, leve fundamentum eſt hoc : nec enim verba proverbii præteriti, nec ea quæ præ manibus habemus, nos obligant ad iſtum nexum quærendum inter unam & aliam gnomen. Rejicitur ſecundò Janſenius, quatenus dixit, intelligi poſſe præfixum effatum, q. d. Salomon, quòd patiens, cum ſit mente pacatus, facilè percipit, & conſequitur multam prudentiam & intelligentiam ; non ſic impatiens. Rejicitur, inquam : nam diſſidet à Vulgata ; & in originaria littera nec verbum inveni, quòd ei faveat expoſitioni. Rodolph. & Salaz. in Prov. 14. 29. Janſen. ib.

Rejicitur tertiò Rodolphus extendens hanc parabolam ad alias animi paſſiones præter iram, quam patientia coërcet. Non eſt ad litteram : nec virtutes confundendæ ſic, ut quidquid prudentia gubernat, patientiæ tribuatur. In muſica, licet conſonent voces ; non tamen confunduntur in unam. Virtutum quidem harmonia concors eſt (Paſchaſius quippe dixit : *Niſi conſenſum habuerit chorus virtutum, & convenientiam charitatis, non delectatur Deus, nec audit voces eorum.*) ſed non ita miſceat eas conſideratio noſtra, ut cuilibet attribuat quod per multas diſtribuitur : aliter fortitudini vel temperantiæ, verbî gratiâ, tribuemus eâdem libertate quidquid juſtus operatur dum abſtinet à vitiis. Rodolphi prox. ſup. Paſchaſ. in Matth.

Igitur pro germanâ Sapientis expoſitione, primùm adverte, antitheſim hoc loco formari, non inter oſtenſionem prudentiæ, & exaltationem ſtultitiæ, ut videtur ſentire Janſenius ; ſed inter patientem & impatientem : quorum prior multâ prudentiâ gubernatur ; ſecundus autem verbis & factis propalat ſtultitiam. Itaque ſenſus eſt. Multâ prudentiâ pollet patiens ; impatiens verò publicam facit ſtultitiam ſuam. Prior pars eſt manifeſta : nam rectæ rationis dictamen docet, incongruum eſſe homini velle tollere de medio adverſarium, vel aliter ulciſci ; quod citra detrimentum animæ fieri nequit ; & inſuper aliquando periculum adducit temporale ; contra verò conveniens eſſe finire certamen inter offendentem atque te ; quod multoties fit per patientiam 2. Janſen. ſup.

Lactant. Firm. l. 6. divinar inſt. c. 18. ad fin.

pacis mediatricem. Lactantius Firmianus: *Eſt ſapientis atque optimi viri, non adverſarium velle tollere, quod fieri ſine ſcelere, ac periculo non poteſt, ſed certamen ipſum, quod fieri & utiliter, & juſtè poteſt. Summa igitur virtus habenda patientia eſt*; &c.

3. Quòd attinet ad ſecundam parabolæ partem: ex impatientiâ plura fiunt, quæ ſtultitiæ notam conciliant impatienti. Nec mirum: quia paſſio hæc menti cæcitatem adducit. Humbertus: *Multa mala impatientia operatur. Rationis etenim oculum cæcat*, &c. Quò meliùs id perſpicias, exteriorem ſpeciem irati conſidera, quam deſcribit Humbertus idem ſic: *Quid de ira dicam? Per ipſam etenim cor incenſum palpitat, os clamorem format, ſenſus quid loquatur ignorat, excæcantur oculi, non cognoſcuntur noti, facies igneſcit, lingua præpeditur, corpus tremit.* Huic monſtro penitus oppoſitam pulchritudinem invenies in patiente. Sed advertendum, ne ficta ſit patientia (ſicut fœminæ ſpecioſitas arte compoſita) multis enim hæc virtus dilecta ſolùm eſt quandiu per aliquem non provocantur ad iram. Redeat Humbertus. *Quidam*, inquit, *volunt eſſe tunc ſolummodo patientes cum non fuerint ab aliis irritati.*

Humbert. de vot. relig. ſubſt. c. 44.

Idem ib. infra.

Idem ib. c. 45.

4. Singulatim percurramus hoc proloquium. *Qui patiens eſt.* Hebraïcè: *Longus naribus*: hoc eſt longus animo, ſeu longanimis, qui non citò irritatur ad iram. Sumitur ſignum pro ſignificato: nam ex Ariſtotele dicunt Phyſiognomi, naſum extremum acutum habentes difficulter iraſci ſolere. Hebraïſmus eſt ſumi naſum pro ira. Accedit proportio narium cum prudentia. De illis ait S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Nares idcirco nominantur, quia per eas vel odor vel ſpiritus nare non deſinit. Quia nos odore admonent, ut norimus aliquid & ſciamus: unde econtra inſcii ac rudes ignari dicuntur. Olfeciſſe enim, veteres ſciſſe dicebant.* Nares itaque percipiunt bonum & malum odorem. Fama nonnunquam vocatur odor. Rurſus Humbertus: *Notandum quòd in Scriptura ſancta bona fama dicitur odor multis de cauſis*, &c. Igitur prudentia percipit, non ſolum proximi dicta, quæ provocant ad iram, quia ſunt circa malum odorem, id eſt malam famam propriam; ſed etiam attendit quod alii de viro eodem bene loquuntur, ut indignatio hæc vel non incipiat, vel feſtinanter placetur.

Lect. Heb. Prov. 14. 29.

S. Iſid. Hiſp. l. 11. orig. c. 1. §. Nares.

Humbert. in expoſ. reg. S. Auguſt.

5. Duplicem tamen diverſitatem inter nares & prudentiam adverte. De naribus dixit Ambroſius, extare tenaces perſæpe, ſervantes diù quod ſemel ſenſerunt. *Diutius*, inquit, *odor fragrat acceptus, quam ſermo reſonat, aut viſus apparet. Plerumque quod momento brevi fueris odoratus, toto die tibi ſpirat in naribus.* Non ita prudentia ſe gerit circa lædentia verba: ſed illa percipit quandiu ſermo ſonat, & ſtatim dimittit. Secunda narium & prudentiæ diverſitas eſt, quòd nares notificant cerebro non gratum odorem, quem agnoverunt; quin illud reſiſtat; in prudente verò cerebrum (hoc eſt, ſapientia) prohibet ſenſui quædam ſentire, quæ ſint impatientiæ motivum, & jubet iſta neſciri. Narium curiosè mentionem intulit Ambroſius, inquiens: *De naribus autem quid loquar, quæ bivio & procero foramine, antrum quoddam recipiendis odoribus præſtant, ut non perfunctoriè odor tranſeat, ſed diutius inhæreat naribus, & earum ductu cerebrum ſenſuſque depaſcat?* Non parum diſſidet à naribus prudentia: ſed neceſſarium non eſt ut ſimilitudo teneat in omnibus.

S. Ambroſ. to. 1. l. 6. Hex. c. 9. juxta med.

Idem ib.

6. *Multa.* Plurima ſunt prudentiæ multæ commoda: ſed in hoc aliquando per exceſſum erratur; & nimis urgens in ſectandâ prudentiâ notatur de fatuitate.

Virtus eſt medium vitiorum & utrinque reductum.

Horat. l. 1. ep. 18.

Prudentia virtus eſt, quæ verſatur inter extrema vitioſa: medium teneat, ne declinet ad vituperabile. Quomodo prudentia bene gubernabit, ſi non ſe contineat ipſa? Lege S. Martinum. *Si prudentia*, inquit, *terminos ſuos excedat, callida & pavidu commiſeris, inveſtigator latentium, & ſcrutator qualiumcunque noxarum oſtenderis: notaberis timidus, ſpecioſus* (fortè legendum: *ſuſpicioſus*) *attentus: ſemper aliquid quærens, ſemper aliquid timens, ſemper aliquid dubitans*, &c. Utrumque fugiendum eſt, & credere cunctis, & nulli.

S. Martin. Epiſc. Dumien. l. de 4. virt. cardinal. c. 5.

Gubernatur. Huc faciunt non omittenda Smaragdi Abbatis. *Prudentia*, inquit, *cuſtos eſt oris, gubernatio actionis, temperantia cordis, moderatio linguæ, omniumque ſtatera verborum, & ponderatio rerum.*

7. *Prudentia.* Mirum eſt, quòd, cum vera prudentia tot exerceat munia, ſitque tam pretioſa virtus apud cordatos, adeo frequenter occurrant qui ſe putent prudentes. Non hoc tibimetipſi facilè ſuadeas temerarius: nam inde fiet, ut contemnas rem perutilem, & identidem neceſſariam; nempe conſilium à ſapientibus poſtulare. Vix invenietur aliquis, cujus mentalis acies ita ſit artis & naturæ dotibus dives, ut pro regimine propriarum actionum auxilio non indigeat alieni judicii, quo ducatur. Ad illud Salomonis: *Salus autem, ubi multa conſilia.* Dorotheus Abbas dixit: *Cavere nos admonet, ne noſmetipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim nobis eſt auxilio prater Deum, opus coadjutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nil quod citiùs expugnari queat his, qui nullos habent duces* &c.

Prov. 11. 14.

Dorothe. Abb. doct. 5. in princ.

8. *Qui autem impatiens eſt.* Non addidit Parœmiaſtes: Et linguoſus: quia ſupervacaneum foret hoc adjicere; propterea quod frequentiſſimè linguam non continet qui ſubeſt impatientiæ. Humbertus: *Impatientia*, inquit, *draconi comparatur, quia ſicut ille ignem vomit, ſic importunus homo impatientiæ verba fundit.* Facilè jungitur ignis igni proximo. Impatiens accendit, & alit corde flammam. Habemus in ſacris, linguam ignem eſſe. Contingit ergo ſæpiſſimè quòd accenſus ignis corde flammam ſic mittit in ſuperius, ut perveniens ad linguam fiat major, & erumpat in iracunda verba. Quandoque radix hujus fatuitatis

Humbert. de vot. ſubſtant. relig. c. 44.

tuitatis eſt animi debilitas : nam ſolent invalidi proclives ad nimia loquendum eſſe ; non autem dubitas, per impatientiam probari quòd ſis fragilis animo. Quidni, cum ira ſit febris, te debilitet ? Redi breviter ad Humbertum. *Ira etiam*, inquit, *febri ſimilis eſt, quia non ſolum animus, ſed & corpus per eam inordinatis motibus commovetur.*

Idem ib.

9. *Exaltat.* Vitia quædam ſunt apud ſuos amatores fortunata : nam, cum abſcondere curent alia minora, non ſatagunt, ut illa prima lateant ; imo ſponte palam faciunt ea. Rarus eſt qui dum per impatientiam feritur, vulnus tegat : imo libenter detegunt iſtud multi viris non medicamen appoſituris ; imo qui dolorem exacerbant. Incertum audi. *Cum*, ait, *impatientiæ natura ſit talis, ut nunquam moretur in propriis, ſed in publicum tota diffuſa ſit : diffamationibus vigeat, huc, atque illuc æſtuans variè cæca prorumpat*, &c. Vento necnon ſimilari poſſet impatientia : flatus autem fortiter ſpirans non clauditur domo ; ventus validus in aperto perflat. Vento ſimilem impatientiam dixi, nec inopportunè, cum cieat procellas. Lactantius Firmianus : *Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ, contentioneſque naſcuntur, niſi quòd improbitati oppoſita impatientia, magnas ſæpe concitat tempeſtates ?*

Incert. ſub nom. S. Zenon. ſer. de patien.

Lactant. Firm. l. 6. divinar. inſtit. c. 18. juxta med.

10. *Stultitiam ſuam.* Utplurimum qui declinare voluerit errores, attendat hominum ſæcularium judicia : deviet ab iſtis, & collimabit ad ſcopum veritatis feliciter. Paſſim reputatur ſtultus qui læſus ab altero nec verbum reponit ; nedum vindictam non parat. Oppoſitum dictamen verum habet : nam econtrariò fatuus eſt qui voluntariè per iram incenditur ; ſapientiâ verò fulget qui maturè motus iracundiæ compeſcit atque propulſat. Abbas Joſeph ad illud Proverb : *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus* &c. ait : *Id eſt, ſtultus quidem ad ultionem ſui, iræ perturbatione ſuccenditur, ſapiens autem paulatim eam maturitate conſilii ac moderationis extenuat & expellit.* Prudens advertat, eſſe congruum prævenire motus iracundiæ, priuſquam exurgant : nam poſtquam cœperint moveri, non tam facilè tranquillantur, ut antea quandoque valuerant impediri. Inſaniam ſi futuram prægnoſcit medicus, non difficulter ab ea præſervat hominem. Si verò conſulitur amentiæ poſtquam jam perturbat notabiliter mentem, non tam facilè pellitur hoc malum. Similitudinem aptare pervium eſt : nam ut ex Ennio refert & approbat Cicero, vir correptus irâ incipit inſanire. *Ira, ut inquit Ennius, eſt initium inſaniæ.*

Abb. Joſeph. apud Caſſian. coll. 16. c. 27. in pr.

Cicer. l. 4. Tuſcul.

DELIBATIO I.

Tractantur in ſenatu, cui prudentia præeſt, aſſidentibus humilitate, cognitione propriâ, memoriâ peccati, charitateque, dubia quædam pro recta gubernatione cordis manſueti.

TOlerantem gubernari per prudentiam, poſtulantemque regulas audiens hæc virtus, & ſatagens de regimine cordis pacifici, conſiliarios advocavit quattuor : ſcilicet humilitatem, cognitionem propriam, charitatem, ac præteriti peccati memoriam. De primis tribus eligendis non diu deliberandum fuit : nam ex ipſis terminis patet, charitatem erga proximum offendentem obſtare vindictæ ; demiſſionem animi ſuadere patienti quòd humiliari diligat ; cognitionemque propriam illum admonere, ut nequaquam reputet, eſſe quid maximum lædi ſe. Quapropter non erat cur dubitaretur, vocandos iſtos aſſertores tres ad tribunal, ubi tractandæ fuerant res ad patientiam ſpectantes. Tantùm reſtabat examinare, congruereine quòd ibidem ſuffragium ferret memoria peccati proprii. Prudentia conſuluit S. Gregorium Magnum ; atque decrevit admittere proprii memoriam criminis ad ſenatum, audito Pontificis effato. *Tunc enim*, ait, *illata convicia bene toleramus, cum in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.* Igitur ſederunt pro tribunali judices prædicti quattuor, præſidente prudentiâ. Propoſuit hæc primùm rem non leviter dubiam : ſcilicet an homini congruum eſſet occaſiones quærere tolerandi proximorum offenſas ? Reſpondit primò cognitio propria negativè. Rationem obtulit : quia non eſt fragilitas humana patientis exponenda periculis impatientiæ ſponte. Roboravit authoritate Chryſoſtomi dictum ſuum. *Agnoſcamus*, inquit, *præcipitia, nec appropinquemus. Hoc maximè ſecuritatis vobis erit occaſio, non tantùm peccata fugere, verum & quæ videntur media quidem eſſe, ad peccata verò nos ſupplantant* : &c. In ſuffragando circa dubium illud, concors fuit cognitioni propriæ charitas : monens, aliter poſſe fieri, quòd proximus occaſionem ſumat inde lædendi quærentem quid ſufferat. Adduxit in medium verba Gregorii Papæ : *In*, ait, *noſtro bono opere aliquando cavendum eſt ſcandalum proximi*, &c. In contrarium ſuffragata fuit humilitas, citra ſcandalum proximi, cùm non eſt permittendum. Nitebatur in eo, quòd ampliùs homo ſe demittit, quærens materiam, qua malè utens alius lædet eumdem : & patientia ſolet eſſe nobis ad humilitatis menſuram. Joannes Abbas : *Secundùm*, inquit, *menſuram humilitatis, datur patientia in tribulationibus & tentationibus*, &c. Annuit humilitatis deliberationi memoria proprii ſceleris ; ob fructum, qui de patientia colligitur

11. *Corroboratur patientia, cùm te ſubmittit.*

D. Greg. Papa to. 1. l. 30. mor. c. 9. n. 17.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 5. hom. 15. ad pop.

S. Greg. Mag. to. 2. hom. 7. in Ezechie. longe poſt pr.

Joan Abb. apud ſchol. in Climacum gr. 27. c. 9. ad fi.

colligitur ad purgationem peccatorum. Addidit verba Climaci : qui poſtquam conſuluit ut objurgationes ac irriſiones biberentur non aliter, quàm aqua vitæ, cùm à quovis homine propinantur, ait : *Potare enim te quærit ſalubri potione, & per quam omnis animi laſcivia & luxuria purgetur.* Aſſenſit prudentia duobus iſtis ſuffragantibus : & ſtatutum eſt, quærendum eſſe quid patiaris dummodo vitandum proximi ſcandalum ex præcepto deſit. Minime ſic periculum amat patiens : non exponit patientiam diſcrimini ; quinimo corroborat eam per illud, quo ſeipſum demittit.

S. Ioan. Clim. in ſcal. parad. gr. 4. longe poſt med.

12. Conſtituerat propheta Samuël ſuper Iſraël regem Saül ; annuens imprudenti petitioni plebis. Poſtea ſic fatus eſt ad populum : *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum : ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi : & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis.* Mirabar, Samuëlem ſponte ſeipſum obtuliſſe quò judicaretur coram Saüle ! Nitor in eo, quòd legerim Paulum dicentem : *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* Commentatur D. Anſelmus : *Omnia mea mihi ſunt ad repetendum licita, ſed tamen non repetam ea judicio....* ſed ego *cum ſim liber*, ſub nullius redigar poteſtate, *id eſt, nolo redigi ſub poteſtate judicis vel teſtium, ſupplicando eis ut mihi magis faveant.* Ut quid igitur Samuël judicari non recuſabat apud Saülem ? Scis, notante Cypriano, Samuëlem fuiſſe contemptum à populo propter ſenectam. *Cum Samuël* (ait Cyprianus ad quemdam Epiſcopum) *ſacerdos à Judæorum populo ob ſenectutem, ſicut tu modo, contemneretur*, &c. Forſan timuit impatientiam admittere propter hanc injuriam. Remedium ſibi quæſivit : humilitatem nempe ; qua ſemetipſum expoſuit offenſæ, dato quòd Saül perperam judicaſſet contra Samuëlem. Igitur (ait prudentia) quandoque multùm convenit hac arte roborare tolerantiam : ſcilicet humiliando ſe taliter, ut quæratur occaſio ſuſtinendi novam injuriam.

1. Reg 12. 3.

1 ad Cor. 6 12.

S Anſel in com, ib.

S. Cyprian. ep. 65. ante med.

13. *Quàm Deo placeat com paſſiva dilectio circa peccantem.* Secundò prudentia tractatum habuit cum ſenatoribus, quibus præerat, circa ſequentem dubitationem. Quid (inquit illa) magis acceptum Deo, cæteris paribus : patine delictis proximorum Deum lædi, quoniam patiens meditatur qualis miſericordia Domini ſit, & quam lutea fragilitas exiſtat peccantis ; an virum ſanctitatis amatorem, zelo ductum, aliena peccata vindicare, dato quòd juſtè poſſit ? Pro zelo ſtetit charitas : nec miror ; cum dixerit S. Ambroſius loquens aliorſum : *Zelus ergo charitas eſt.* Accedit, quod zelus, de quo agitur in præſenti dubio, vocari poteſt amor proximi : nam vir juſtus ultione prædictâ benefacit ei, ne damnetur ; quamvis ipſe punitus vocari poſſit omnium hoſtis aliquo modo, ſemel quòd peccat : *Nemo enim*, ait Ambroſius ibidem, *gravior hoſtis omnium, quàm qui omnium lædit authorem.* Similiter in deliberando ſe habuit erga quæſitum illud memoria proprii peccati : nam ex hac ſæpe fit, ut metuat homo peccare denuo : nonnunquam autem peccatum eſt injurias Creatoris non ulciſci. Examinata ſunt pro ſtabiliendis illis, quæ dixerat criminis proprii memoria, verba quædam Gregorii Pontificis, dicentis : *Ultionis tempore inde doctor à damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum cuſtodiæ cordis frixuram patitur. Nullum quippe omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.... Quantum verò frixura cordis quæ ſpiritali zelo agitur, omnipotentem Dominum Deum placat, apertè oſtenditur, cum* &c. His non obſtantibus, uno penitus ore contrarium cenſuerunt humilitas & cognitio propria, ſimul cum prudentia. Fundamentum extitit hujus decreti quòd homo propriam fragilitatem cognoſcens, & ſemetipſum demittens, excellentius operatur cùm circa proximorum ſcelera miſericordiam quadamtenus imitatur offenſi Dei ; charitate ductus ipſius Domini, cujus amore proximo compatitur. Proderit aliqualiter (ait humilitas) penſare verba Magni Gregorii. *Atque*, ait, *à delectatione vitiorum diſtrictionis vigore conſtringat animam. Quod cum à doctore agitur, ſemper neceſſe eſt ut dulcedo & humilitas in corde teneatur, quatenus & multum amet, & nunquam contra eum per elationem ſuperbiat, cui tamen amorem ſuum & humilitatem pro utilitate ejus prodere recuſat.* Inſtabant in oppoſitum charitas & memoria peccati. Sed tandem prudentia modificans decretum ſuperius, dixit : Statui nequit univerſalis regula pro caſibus cunctis : at fatendum eſt, aliquando magis eſſe placitam Domino compaſſivam dilectionem circa peccantem, quam zelum juſtitiæ, quo punitur iſte.

D. Greg. Pap. to. 2. l. 1. in Ezechie. hom. 12. longe ante fi.

Idem ib. ad fi.

14. Cum declinaſſet Elias furorem Jezabelis impiæ pergens in deſertum ; poſitus in antro, Domini ſermonem audivit, inquirentis quid ageret ibi. Reſpondit : *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*, &c. Rurſus cum ſimiliter quæreretur ab eo quid ageret, iterum dixit : *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum* &c. Ecce Propheta ſemel & iterum proponit ſub his verbis quòd occiderit pſeudoprophetas Baal. Non lego, Moyſen, cùm poſt idololatriam aurei vituli, congregatis ad eum filiis Levi, quaſi viginti tria millia hominum occidit in ultionem offenſæ Dei dixiſſe Domino, dum poſt hæc locutus eſt ad eum : Zelo zelatus fui pro te Domine, morteque punivi delinquentes. Potiùs de venia conſequenda benignus egit. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Quæ diſparitatis hujus cauſa ? Dicam. Neſcimus, Deum ſe propter idololatriam Baal iratum exhibuiſſe temporibus Eliæ ; legimus autem, dictum à Domino Moyſi : *Dimit teme, ut iraſcatur furor meus contra eos*, &c. Oportuit, Moyſen ita precari Deum, quòd placeret ei valde ; quò ſic placaret eumdem. Cenſuit, ſe tunc magis placiturum fore Domino propter charitatem compa

3. Reg. 19. 10. 14.

Exod. 32. 31. 32.

Ib. n. 10.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. in Pſal. 118. oct. 18.

Idem ib.

compatientem, qua rogavit pro plebe; quàm ob zelum, quo necavit idololatras. Idcirco de ſupplicio peracto non loquitur; ſed compaſſione motus erat. S. Hieronymus: *Moyſes compaſſionis loquebatur affectu: Si dimittis populo huic dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo: Vult perire cum pereuntibus, nec propria ſalute contentus eſt.* Aliquoties magis Deus complacet in miſerante proximos, qui deliquerunt; quàm in eorum plectente delicta.

S Hieron.to. 1.ep.ad Gaudent. ad fi.

15. *Excellentius tolerat attendens ad bona, quæ recepit à Domino.*

Tertiò fuit examini commiſſum in eodem tribunali, quodnam remedium de duobus extet efficacius ad roborandam patientiam: perpenderene bona quæ recepimus antea de manu Dei? (quo dicamus fortiter: Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala quare non ſuſtineamus?) an recolere præmium, quod per tolerantiam obtinebimus? Elegit ſecundum cognitio propria, dicens: Homo de ſe fragillimus eſt: proinde multum congruit, ut ſpe retributionis erigat animos: de qua Seresbe-

Joan.Seresb. l.7.de nug c. 15.in princ.

rienſis ait: *Ad ſummum non eſt iter niſi per ardua. In ſpe tamen proficiendi omnia manſuescunt, & dum labris penſatur utilitas, mens ad omnia roboratur.* Simile judicium tulit memoria peccati: nam hæc deſperationem timet; atque conſolatur agnoſcens laborum fructus. S. Nilus: *Animæ, quæ deliquerit, conſolatio labores ſunt, qui deſperationem cogitationum diſſipant, & pœnitentiæ fiduciam ſuperſeminant, & miſericordias Chriſti publicant*, &c. In contrarium tamen ſtetit in judicando charitas, inquiens: Dubium non eſt patientiæ congruere meos imitari

S.Nil.tract. 1.ad Eulog. c. 32. poſt princ.

mores: nam S. Bernardus inquit: *Et is qui timore coërcetur & patiens eſt, & qui ratione ſpei ducitur & benevolus eſt, niſi etiam fuerit fervens ſpiritu facilè labi poteſt. Porro quæ ſpiritum* (fortè legendum: *Quæ per Spiritum*) *diffunditur charitas & patiens & benigna eſt, & quod eſt amplius, nunquam excidit.* Non igitur (ait charitas) patiar quòd mea conſors patientia per hoc præcipuè ſolidetur, quòd lucrum expectet in retributionem laborum: ego namque lucrifactionis deſiderio non moveor. Sciebat hoc expertus Bernardus; cujus hæc ſunt ver-

S. Bernard. ſer.1.de S. Andr.ante fi.

Idem ib.juxta fi.

ba: *Dicit patientia: Sic oportet fieri, quia timore urgetur. Dicit voluntas bona: Sic expedit & ſic agendum eſt, quia ſpei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à ſpiritu, neque ſic oportet dicit, neque ſic expedit: ſed ſic volo, inquit, ſic cupio, ſic deſidero vehementer.* Æquum eſt (addit charitas) ut patientia mihi morem gerat: non præſertim attendens quid lucratura ſit; magis animadvertat quanta receperit ab Altiſſimo, ne mala proſequatur odio, ſed amet: quia ſaltem permiſſivè deſcendunt ab eâdem Domini manu, quæ donavit bona. Similiter in hac re mentem ſuam explicuit humilitas: allegans ut fulciret iſtud placitum ſuum D. Gregorium Papam: qui ſic habet: *Magna quippe conſolatio tribulationis eſt, ſi cum adverſa patimur, Authoris noſtri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, ſi menti citius hoc quod ex munere ſublevat, occurrat.* Placuit prudentiæ quod humilitas & charitas decre-

S Greg Mag.to.1.l. 3 mor.c.7. ante fi.

verunt, dixitque ſic: Excellentiùs perhibet ſe patientem qui mentis oculos vertit ad beneficia, quæ ſuſcepit à Domino; quàm attendens ad tolerantiæ præmium.

16. Cùm fortuna terga vertit, etiam experiuntur principes quàm facilè ſit adverſùs infelicem audere. Profugus David faciem Abſalomi declinabat: auſus eſt Semei maledicere coram & publicè ſatis anxio regi. Diſſimulavit ille protunc patienter: aſt priuſquam tributum perſolveret mortalitati, commendavit Salomoni quòd necem afferret eidem; dicens de ipſo: *Tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir autem ſapiens es, ut ſcias quæ facies ei, deduceſque canos ejus cum ſanguine ad inferos.* Excutioni ſic datum eſt: nam licet Semei mortem incurrerit ob tranſgreſſionem præcepti Salomonici cujuſdam; cum hoc tamen ſtat quòd ille ſimul pœnas dedit pro maledictione ſupradictâ. Hugo Cardinalis: *Non ſolum maledictio David, ſed tranſgreſſio præcepti Salomonis fuit cauſa mortis Semei.* Judicabis, valde ſeverum extitiſſe Davidem: nam videbatur maledictionem prædictam ſufficienter mulctari per exilium perpetuum cum amiſſione bonorum. Quid eſt quòd vir alioqui mitis David interitu punivit maledictionem præteritam? Memini Jobum, non tantùm haud curaviſſe de vindictâ contra moleſtos illos amicos; qui dum pateretur injurioſi fuerant iidem; ſed inſuper oraviſſe pro eis. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Job cum oraret ille pro amicis ſuis.* Indagare cupiebam, cur ita diſcordent Jobus atque David. Hæc mentem pulſavit cogitatio. David, ut ſponte pateretur maledictionem Semei, tempore quo hic audaciter linguâ petiit illum, patientiam ſuam ſtuduit ſolidare per expectationem præmii: dixit enim: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Patientia Davidis per illam ſpem fortificata duravit ad tempus. Job autem munivit propriam tolerantiam recordatione bonorum, quæ ſuſceperat priùs à Domino: dixit enim ad uxorem: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Hoc remedio fulcita columna patientiæ ſtetit validiſſimè prout prædictum eſt: nequaquam poſtulavit ultionem à Domino. Propterea concludamus, bene placuiſſe prudentiæ, medium efficaciſſimum pro duplicando robore patientiæ, cum tolerat, eſſe, quòd ſuſtinentes ardua revocemus in mentem beneficia Dei, quæ nobis olim donata fuere.

3.Reg 2.9.

Hug.Card. ad 3.Reg.2.

Job.42.10.

2. Reg 16. 11. 12.

Job. 2. 10.

17. *Celſior patientiæ gradus eſt patì cum gaudio.*

Quartò demùm fuit in concilio, de quo ſupra, quæſitum, eſſetne modus excellentior patiendi gaudere malis propriis; an iſtomet gaudio carere ferentem dura? Pro gaudentibus in tribulatione pugnavit cognitio propria & peccati memoria; propterea quòd ambæ valde curent de non iterum peccando; gaudium verò de tribulationibus armet hominem, ut non peccet Martinus de Lauduno: *An*, inquit,

Martin. de Laudun in ep. ſacr. c. 13.

non erimus capientes eos qui nos ceperant, gladio eorum intrante in corda ipſorum; ſi abominationes Ægyptiorum immolaverimus Deo noſtro, omne gaudium exiſtimantes cum in tentationes varias inciderimus: ſcientes quod in hoc ipſum poſiti ſumus? Certabant pro contraria parte charitas & humilitas: charitas, inquam, ex eo quòd ſponte nolit in tolerando levamen experiri; notumque ſit, per voluptatem de tribulatione conceptam pondus adverſitatis alleviari: humilitas autem ideo pariter exiſtimabat, non eſſe perfectiſſimum contribulati gaudium, quia non judicat humilis lætitiam ſuam ſanctam eſſe. Ambæ, nempe charitas ac humilitas, patrocinari ſibi crediderunt Antiſtitem Valentianum; apud quem legimus hæc: *Propter ſuavitatem* (videtur loqui nomine ſponſæ Canticorum) *propter dulcedinem, propter unctionem adoleſcentulæ dilexerunt te, ego autem inter cruces, inter labores, inter medias mortes novi diligere te.* His, quæ ſupra dicta ſunt, ad rationis libram expenſis, prudentia pronuntiavit ſic: Excelſior patientiæ gradus eſt ita pati, quòd homo de tribulationibus exultet.

S. Thom. à Villa no. expoſ. in Cant. c. 1.

18. Regiam crucis viam Salvator oſtendit exemplo: quis enim de Chriſti nomine inſignitis hàc tenderet, niſi præiviſſet ille. Ducem fortiſſimum ſecuta ſunt copioſa militum ſacrorum agmina: ſed non in omnibus omnes imitati ſunt Chriſtum patientem. De Martyribus eligamus Protomartyrem, ut eum conferamus Martyrum capiti. Crucifixus Dei Filius omnia prorſus, quæ poterant eum ſolari, ſponte avertit ab animo. Novum non extitit hoc: nam Suarius Granatenſis dixit: *Interdum, ut ſummæ triſtitiæ locum daret, ab iis omnibus, quæ conſolationem afferre poterant animum avertebat. Loquor extra viſionem beatam: quæ ita ſuperiorem partem perficiebat, ut in inferiorem nullo modo redundaret.* Ubine ratione fortiori verificatur hoc in Redemptore noſtro, quàm dum ſuſpendebatur in patibulo? Audiamus nunc S. Ambroſium, qualiter inſinuet gaudentem fuiſſe D. Stephanum, dum turbine lapidum quateretur: ait enim: *Lapidabatur Stephanus, & videbat cœlos apertos, & Jeſum ad dexteram Dei ſtantem: & ideo lapidum ictus non ſentiebat, corporis non conſiderabat vulnera, ſed oculis erat Chriſto affixus, illi adhærebat.* Et quis non videt, maximo gaudio perfuſum Stephanum accipientem lapidum ictus, cum intueretur Salvatorem? Hoc præmiſſo, dubitabam, qua ratione divinitus proviſum fuerit, ut in ejuſmodi circumſtantia diſcordaret Martyr primus à principe Martyrum: nempe, quòd iſte ſummæ triſtitiæ ſubjacens tradiderit ſpiritum; ille verò viſione delectatus obdormiverit in Domino? Solutio proclivis eſt ad thema ſuprapoſitum firmandum. Non Stephanus equidem, ſed Chriſtus Dominus erat exemplar ſummum tolerantium. S. Laurentius Juſtinianus: *Propterea qui tentantur, qui aliquo dolore cruciantur, proponant ſibi exemplum ſponſi, & in ſpeculo paſſionis ejus, quanta indignè ab indignis dignus eſt pati, conſiderare non deſinant.* Bene quidem eſt quòd Stephanus fuerit ſuæ paſſionis tempore gaviſus: non ita mori voluit Redemptor, norma patientum: non enim congruebat omnibus afflictis exemplum proponere tam arduum; quale ſcilicet eſt gaudere dum pateris. Itaque prudentia judicium ſuum accommodans datis à cognitione propriâ, memoriaque peccati, ſuffragiis, maturè ſtatuit, inſigniorem tolerandi modum exiſtere pati gaudenter. Hæc aliaque prudentiſſimè ſtatuta ſunt in ſupradicto jam conſiſtorio: quibus obſervatis oſtenditur patiens prudentiſſimus: nam *qui patiens eſt multâ gubernatur prudentiâ*: &c.

Suar. Granat. to. 2 in 3 p. q. 45. art. 2. diſp. 33. ſect. 2. §. Sed objici.

S. Ambroſ. to 5 l. 4 ep. 30. ad fi.

S. Laur. Juſt. de caſt. connub. ver. & anim. c. 6. longe ante med.

DELIBATIO II.

Sub ænigmate medici præſcribit prudentia medicamina; quibus ab injuriis icta patientia ſanetur.

19. *Injuriâ læſus, tacens nonnunquam experietur offendentes in melius mutari.*

ÆGritudinis tempore dirigit medicus actiones ægroti: præſcribens ei quid agere congruat; quid vitare conveniat. O quàm obedienter (niſi vel ſit phreneticus, vel inſipiens) æger obtemperat juſſis illius! Sitis urget, ſed abſtinet à frigidâ: pungit appetitus, ut comedat cibos tantùm ſanis opportunos; & non audet eos tangere. Licet abhorreat à potione medicâ, pellendæ morbi cauſæ perutili; tamen haud recuſat, quantumvis amareſcat. Hinc ad tolerantiam tranſeamus. Infirmatur vir incautus, qui locum præbuit vulneribus inflictis verbo, ſeu facto bilem provocante. Medicus adeſt prudentia: cujus mandatis obſecundans vulneratus perfectam ſanitatem conſequetur; ſi verò renuat, ibit in deterius. Remedium primum eſt ſilentium. Audi S. Joannem Climacum de manſuetudine loquentem. *Primum*, inquit, *virtutis hujus & iræ vincendæ tyrocinium eſt intra labia continere verborum impetum, quantumvis cor tumultuetur.* Novum remedii genus eſt hoc: ſanat quippe duos, & applicatur uni; quamvis fatear, non ſemper ita contingere, ſed aliquando. Rem explico. Injuriam faciens laborat etiam ægrotatione ſuâ: offenſus necnon ac impatienter dolens, vulneratus infirmitatem patitur. Evenit aliquoties ut offenſor ſalutem aſſequatur, dum tacentem penſitat læſum. Proficuus eſt hîc Doctor aureus. *Qui autem*, inquit, *magno animo tulit injuriam, hic profecto & quidem cum laude ſuperavit. Ille nanque nec ſuam quidem ægritudinem compreſſit, hic etiam alienam extinxit: & ille ſuo morbo ſuperatus eſt, hic etiam alienam extinxit: & ille ſuo morbo ſuperatus eſt, hic etiam alienum curavit: nec ſolum ipſe inflammatus non eſt, verumetiam ingentem alterius flammam extinxit.* Cur nonnunquam læſor ab injuriando tacentem deſiſtat, cauſam aſſigno deductam ex Dorotheo: quia ſcilicet admirabilis eſt vir ad injurias longanimis: & admiratione correptus protervus, obſtupeſcens

S. Joan. Clim. in ſcal. parad gr. 8. poſt princ.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom 85 in Matth. longe poſt med.

peſcens gradum ſiſtit, ſilentem ejus patientiam contemplans. *Cum ſcilicet* ait Abbas, *quis contemnit & ſpernit eum qui ſeſe turbare voluerit, dedignaturque in illum tamquam in viliſſimum omnium intueri, aut verbum illi reſpondere, aut de ipſis injuriis & maledictis cum aliquo mentionem facere, hujuſcemodi fateor, admiratione ſummâ dignus eſt.* Hac de cauſa non ſemel accidit, ut ſi verbis læſus taceas, denique mutentur qui læſerant; ac tuas partes agant.

Doroth. Abb. doctr. 7. poſt princ.

20. Cum regrederetur percuſſo Gigante David, mulieres brevem, ſed egregiam, cecinere victori panegyrim: ex qua Saül motus eſt irâ: nemo tamen tunc fuit, qui morem geret ei, dicens, fœminarum cantum impudentem extitiſſe contra majeſtatem regiam dignumque ſupplicio. Memini, quondam, cum non longè poſt unctionem Saülis in regem victoriam fuiſſet ille conſecutus adversùs Ammonitas, populum ſe oſtendiſſe promptum ad vindicandum Saülem de contemptoribus ejus, qui deſpexerunt eum die, qua proclamatus fuit rex. *Et ait populus ad Samuëlem: Quis eſt iſte qui dixit: Saül num regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos.* Notatu dignum hoc judicavi: nam inſinuat Gloſſa ex Joſepho, eoſdem, qui priùs contempſerant illum, nunc eumdem, prout jam dictum eſt, honore fuiſſe proſecutos. Lege Gloſſam. *Qui primitus eum ſpreverant, converſi ſunt ut eum honorarent, & dignum principatu judicarent.* Alibi cum legitur Saül iratus, quòd publicis vocibus David ei fuiſſet antepoſitus, nemo reperitur, qui morigeretur ei? prius verò tot expertus eſt honorantes; qui antea fuerant ipſum aſpernati? Nequaquam eſt cur hæreas. In caſu triumphi Davidici tacere neſcivit Saül, injuriâ, prout ipſe putavit, ſibi factâ. *Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte: dixitque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum?* Evomens ignem iracundiæ quid mirum neminem ad ſe traheret? At verò priori loco Saül audiens contemni ſe, tacuit omnino. *Filii verò Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò diſſimulabat ſe audire.* Hoc prudenti ſilentio factus eſt ita ſubſannatoribus admirabilis, ut eoſdem habuerit poſtea defenſores. Ecce qualis activitas prædicti remedii; nempe ſilentii, cùm injuriam pateris: non enim tantùm compeſcis animum proprium, ne fureſcat; ſed ipſum qui te læſit aliquando commutas in melius.

1. Reg. 11, 12.

Gloſſ. Ord. ex Joſeph. de antiquit. l. b. c. 5.

1. Reg. 18. 8.

Ib. c. 10. 27.

21. *Ut patienter feras injuriam, ad orationem confuge; ut eripiaris à morte quandoque ſufficit auxilium humanum.* Remedium ſecundum conſulit prudentia viro, quem læſit contumelioſum procacis dictum, vel injurioſum temerarii factum: ſcilicet ut protinus ad orationis præſidium confugiat: ſuppliciter à Domino flagitans auxilium ad vincendum hoſtem domeſticum: iram dico, tunc plùs metuendam, cum latet ſub honeſtis nominibus, Appellatur frequenter affectus honoris; cum ſit amor vindictæ: remedium vocatur, ne lædaris ulteriùs; cum non illa te ſanum reddat; ſed potiùs mentis expertem efficiat. Aliqui ſunt qui læſi precantur Dominum, ut ſibi factam injuriam ulciſcatur. Diſplicent valde Clementiſſimo preces iſtæ. Operæ pretium erat, ut adjutorium Dei peterent ad ferendum onus proximi, quo gravantur. Utiliſſimum eſſet contemplari quæ cœleſtia ſunt: & ſic non difficulter convicia ſuſtinentur. Patrocinetur Dorotheus Abbas. *In oratione enim*, ait, *aut contemplatione repertus facile conviciantem fratrem fert, & immobilis perſtat.* Oratio, præſertim contemplationi mixta, ſolet oranti præſtare quod ejus converſatio ſit in cœlis. Hoc pacto conſtitues te penitus extra teli jactum; cum orationi deditus videaris deſeruiſſe tellurem. Quomodo facti, ſeu verbi jaculo valebis feriri; cum adeo longè poſitus reperiaris orationis arte? Rarò mortales utuntur hoc remedio. Si de corporali vitâ periclitentur, humiles precationes adhibent; quibus pulſent feliciter cœli fores, & avertant vitæ diſcrimen. Non iſtam ſupplicationem vitupero: ſed magis indiges orare, ne per injuriæ dolorem labaris graviter in iram. Ut evadas mortis periculum, quandoque ſat eſt ut homines auxilientur; ſed ut patienter feras injuriam, ad orationem confuge.

Doroth. Abb. doct. 7. poſt princ.

22. Tobias vir ſanctitate conſpicuus ita peccatum formidabat, ut, cum audiſſet vocem domi balantis hædi, monuerit attendi ne furtivus eſſet. Uxor iram exinde conceptam non diſſimulans prorupit in verba contemptu plena. Quid ille tunc? *Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis*, &c. In eâdem ſacra hiſtoria narratur, quòd, cum Sennacherib fugiens à Judæa plagam, iratus multos occideret Iſraëlitas, Tobias eorum cadavera ſepulturæ commendavit. Nuntiatum fuit hoc impio regi: præcepit illum interfici, facultateſque cunctas ipſius vendicavit ſibi. *Tobias ſepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum eſt regi, juſſit eum occidi, & tulit omnem ſubſtantiam ejus.* Non legimus cum decretum atrox innotuit viro juſto, confugiſſe ſtatim ad fundendas preces Domino, quò vitam ejus incolumen ſervaret: nec eſt veroſimile, tunc mox oraviſſe: non enim hoc Scriptura taceret; quæ non ſiluit circumſtantiam, quam poſſet abſque defectu narrationis omittere; ſcilicet eum aufugiſſe nudum. *Tobias verò cum filio ſuo & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.* Erantne gravius malum fœminæ verba, quàm ſententia feralis iniqui regis? non ſtatim atque certior factus eſt iſtius, fundit orationem ut liberetur? & quia conjux exprobravit ei, flens orat? Prudens ad orationis remedium recurrit, ne contingeret ut iraſceretur exprobranti. Mortis diſcrimen ut evaderet, ſatis erat auxilium hominum: *quia multi diligebant eum.* At ut iram vitaret (quam fugere non poterat greſſibus corporis) oratione munivit ſemetipſum. Præſentiſſimum eſt hoc iracundiæ medicamen.

Tobiæ. 3. 1.

Ib. c. 1. 21. 22.

Ib. n. 23.

Tertium iræ medicamentum eſt injuria- 23.

Deus peculiari curâ ſervat hominem, cum non recordatur iræ motivum.

rum oblivio : quâ, ſi jam adeſt motus iraſcibilis compeſcatur ; ſin autem, non exurgat. Humanæ memoriæ velut inimica nobis eſt conditio : mortalibus offert quotidianè rerum illarum imagines, quarum viſione torquemur ; ſi volueris ut exerceat munus idem circa proficua, forſan rebellis erit. Hæc jugis eſt in ore dantium litteris operam querimonia. Bonum hominibus eſſet, ſi non in rebus altioris notæ memoria noſtra labilis foret : in iis nempe, quæ pertinent ad animæ ſpirituale bonum. Aliter ſe gerit hæc facultas erga mala noſtra : immânis tortor eſt, ut nobis objiciens incutientia dolorem, ſingulis horis corda tranſverberet : ac utinam hocipſum non præſtaret in conſcientiæ damnum. Exemplum frequens accidit in his, quæ movent ad iraſcendum : vix enim dum ſomnos capimus dantur oblivioni. Periculoſiſſimum eſt injuriæ, quam fuiſti paſſus, reminiſci. Hæc recordatio tam proximè nectitur iræ, quòd ira poteſt ipſa vocari. S. Joannes Climacus : *Ira eſt occulti odii recordatio, ſive memoria injuriarum.* Vel hic ſpiritualis magiſter applicet cauſæ nomen effectûs, hoc eſt memoriæ injuriarum nomen iræ, vel alio ſenſu loquatur ; non modicam affert dictis opem. Quam exitialis extet injuriarum reminiſcentia, tu cogita legens Nili verba. *Quid enim*, ait, *injuriarum memoriâ exitioſius ?* Divino judicio non leviter quidem ream ſe credat anima tenax circa præteritas acceptas injurias. Euſebius Epiſcopus : *Magno eſt rea judicio anima ea, quæ injuriarum eſt memor :* &c. Sed quia nollem, timore ſolo pœnæ duci nos veluti ſervos, curabo malum iſtud avertere, deſiderium ingerens protectionis divinæ, quæ pacificis adeſt. Dicam igitur. Deus peculiari curâ ſervat hominem, cum hic non recordatur iræ motivum.

S. Ioan Clim. in ſcal. gr. 8. poſt princ.

S. Nil. ep. 4.

Euſeb. Epiſc. or. de commentor. SS.

24.

Prædilectus erat Altiſſimo Jacob antequam prodiret ad vitæ lucem, vel aliquid ageret, quo dilectionem divinam promereretur. Ad annos diſcretionis pervenit : tandemque deſeruit ex conſilio matris domum paternam. Nuſquam tamen invenies, dixiſſe Deum ad Jacob : Ero cuſtos tuus ; niſi poſtquam ventum eſt ad locum, ubi vidit ſcalam, quâ ſæpius utimur ut noſtra mens ad myſteria veſtiganda conſcendat. *Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris*, &c. Cur iſta providentia, cujus operâ Deus cuſtoditurum fore Jacobum dixit, non illi multò priùs notificata fuit ab amante Domino, ſic ut nimis antea diceret ei : Multum in te complaceo : cuſtodiam te ſollicitus ? in ſomnis pollicetur cuſtodiam ſuam. Scio, Jacobum animi fuiſſe manſueti. S. Ambroſius : *Profectus eſt Jacob & in itinere dormivit (quod eſt quieti animi indicium)* &c. Quapropter non illum aſſeram fuiſſe culpabiliter memorem, dum vigilaret, comminationis Eſau ; quæ poterat illum ad iracundiam præcipitare. Nihilominus pro noſtrûm inſtructione morali dixerim, Dominum ei pollicitum fuiſſe cuſtodiam ſuam cum dormiret : quia tunc, uſu libertatis impedito per quietem, longius aberat ab eo quòd voluntariè recordaretur injuriæ, quam intulit ei frater in comminando mortem. Sic & nos Deum protectorem experiemur, ſi mens noſtra pro non recolendis offenſionibus, quas à proximo paſſi fuimus, veluti dormiat. Difficilè credes hoc etiam de pluribus virtute patientiæ præditis : at qui tolerantia pollet ad hoc ut offenſus, non vindictæ manum, ſed ori digitum apponat ; ulterius aſcendat : nam excellentius eſt injuriarum ſpontaneè obliviſci. S. Antiochus : *Neque enim*, ait, *tantî eſt in ipſo incandeſcentis iræ articulo frænare os, nec ullum depromere verbum concepti furoris index, quantî eſt expurgare cor ab omni acceptæ injuriæ inamœna & inſuavi memoria, ut ne tecum adversùs fratres quidpiam malignæ cogitationis tacitâ mente obverſes.*

Genes. 28. 15.

S. Ambroſ. to. 1. l. 2. de Iacob & vit. bea. c. 4.

S. Antioch. hom. 53. poſt princ.

25.

Qui memor eſt beneficii, poſt terga mittit injuriam.

Replicabit aliquis. Optimum ſane remedium eſt offenſas poſt dorſum projicere : ſed unde quæremus artem illam obliviſcendi, quam Themiſtocles optavit ; cum poëta Simonides memorandi promitteret artificium ? Breviter induſtriam aſſigno, qua penitus deleantur imagines offenſarum, quas dolor inſculpſit lapidibus : de quibus videtur conſtructa memoriæ domus ; præ duritie, qua ſervat mens res præteritas, longiùs abjiciendas. Duo conſulam inſtrumenta, quibus imagines prædictæ, ſi velis obliterentur. Primum eſt recordari bonî, quod forſan tibi quondam fuit ab injuriante collatum. Secundum erit meminiſſe quot, & quales afflictiones tu fortaſſis excogitaſti, quibus proximos ferires. Non mihi ſoli debes iſta conſilia ; ſed magis Chryſoſtomo : qui ſic hortatur : *Si autem*, inquit, *inflammari te dices, cum in mentem tibi contumeliarum veniat, repete potius ſi quid boni tibi ab injuriato collatum eſt, & quot tu afflictiones aliis intuliſti.* Hæc verba S. Doctoris inveni ſic ut modo legiſti ; depravata forſan, & mutila : tu, lector, deliberabis feliciùs, & nos docebis clariùs an ita legenda ſint. Quod attinet ad prius oblivionis illius inſtrumentum (ſcilicet ut rememoreris beneficium tibi factum ab eo, qui nunc adverſatur & lædit) ſolùm dicam : Qui memor eſt beneficii, poſt terga mittit injuriam.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 80. in Matth longe ante fi.

26.

Honoraverat David filium Jonathæ, cui nomen erat Miphiboſeth : ſed iſte calumniam paſſus eſt apud regem à Siba ſervo ſuo : qui falsò detulit Davidi, loquens de filio Jonathæ : *Remanſit in Jeruſalem, dicens : Hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum patris mei.* Accuſatio mendax talem invenit aditum in regis auribus, ut mox illam complexus fuerit corde ; ſimulque puniverit innocentem inauditum, dicens ad accuſatorem falſarium : *Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth.* Injuſtè judicavit nunc David. Lege Gloſſam. *Quod David immemor fœderis & juramenti quod fecerat cum Jonatha tam injuſtum protulit judicium ; ideo Roboam & Jeroboam diviſerunt regnum ejus.* Notabam non fuiſſe Miphiboſeth queſtum de prædictâ Davidis

2. Reg. 16. 3.

Ib. n. 4.

Gloſſ Ord. (ex Incert.) ad 2. Reg. 19. 29.

dis injuſtitiâ; quinimo dixiſſe regi: *Etiam*
2 Reg 19.30. *cuncta accipiat poſtquam reverſus eſt dominus meus rex pacificè in domum ſuam.* Modò recolamus Abſalom. Hic propter cædem fratris aufugit; ac tandem annuente Davide revocatus eſt, eâ lege ut faciem parentis non videret. Non ille clementiam promerebatur iſtam: ſed audi querulum.
Ib.c.14 32. *Miſi ad te* (dixit Abſalom ad Joab) *obſecrans ut venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe: obſecro ergo ut videam faciem regis: quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ; interficiat me.* Queritur Abſalom fratricida, quòd non admittatur ad conſpectum paternum; non emittit querelam punitus inſons Miphiboſeth. Vide Abſalom, quem ingratum noviſti, poſt dorſum projecit beneficium, quod acceperat à genitore, cùm indulſit ut reverteretur à Geſſur. Ideo putatam injuriam Davidis erga ſe memorabatur. Adversùs Davidem eumdem nec verbum protulit Miphiboſeth, aut oblitus, aut velut immemor injuriæ, quam paſſus erat à rege. Sed quare? Quoniam beneficum ſibi recordabatur Davidem:
Ib.c.19.28. dixit quippe: *Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia domino meo regi: tu autem poſuiſti me ſervum tuum inter convivas menſæ tuæ*: &c. Ut ſunt hominum corda mutabilia perſæpe qui te beneficio devinxerat, fit adverſarius, & injurias infert: recole beneficium; obliviſcêris injuriarum.

27. *Qui alium læſit, non iraſcatur læſus.*

Nunc procedamus ad ſecundum illud Chryſoſtomi conſilium: nempe quòd recogitemus quoties aliis fuimus afflictionum cauſa. Sic mehercle vel repercutitur ira, vel prævenitur, ne ſurgat. Cum hæc paſſio ſit appetitus vindictæ; qui læſus à proximis excandeſcit adversùs illos, arrogat ſibi judicis munus; ut puniat eos ultione, tamquam ſupplicio delicti priùs in ſe commiſſi. Notum eſt, judicem, dum accedit ad ferendam ſententiam criminis, cujus necnon & ipſe novit ſe reum, quaſi præpediri, ne ſuo fungatur officio. Ergo tu, qui ſeverus in cauſa propria judicem agere cupis; utique ſeveritatem depones, memor, te reatum ſimilem incurriſſe non ſemel, cùm aliorum ſuſtinentiam verbo, ſeu factis exacerbaviſti.
S. Ioan. Chryſoſt. ſup. Chryſoſtomus ait: *Detraxit tibi, & oblocutus de te eſt, expende ſi quid ſimile aliis tu unquam feciſti*: &c. Verum eſt equidem, ordinariè loquendo, mortales in ſtatera doloſa librantes facta ſua, ſermonemve, quibus alios ad iracundiam concitaverunt, credere nullius ferè momenti fuiſſe quod ab eis paſſus eſt alter: cum autem ponderant quid ab offenſoribus acceptum ipſi doleant, uti bilance rectiſſimâ; perpendentes quantùm gravitet offenſa. Quinimo fortaſſis, ut jactent, æquali ſe judicare lance tam læſiones proprias illatas ab adverſantibus; quàm alienas, quas intulerunt ipſi; reſumunt ſtateram eamdem, quam dixi doloſam: ac mutantes ponderibus locum, veritatem falſificant; & fuiſſe graviſſimam decernunt offenſionem illatam ſibi, quæ verè non magnî facienda fuerat. Sed ad iſtos falſificatores nequaquam ſermonem facimus: nam cum præſcribimus iræ remedia, non loquimur ad illum, qui temerarius audet medicamenta, conſilio prudentiæ ſumenda miſcere nocivis. Res cum eo nobis eſt, qui proximè dicto medico, præ dilectione ſanitatis, obedit ad unguem. Itaque, ſi vis fieri ſanus, Chryſoſtomi conſilium ſupra datum accipe. Tunc experientia docebit quàm ſit utile medicamentum illud. Prius tamen agnoſce, prudentis eſſe non adversùs offenſorem iraſci te, qui non parum alium læſiſti.

In ſtadio patientiæ ſedens currebat Job ad coronam. Suſtulit amicorum dicta: quibus ipſius cor durè transfixum fortiter indoluit. Non tamen totaliter omiſit inſultantibus loqui pro ſemetipſo. Ceſſaverunt illi tandem: ſed Eliu, quamvis ætate junior, iratus eſt vehementer in tres amicos Job; & adeo liberè locutus eſt ad Job 32.12. ipſos, ut in faciem dixerit illis: *Donec putabam vos aliquid dicere, conſiderabam: ſed, ut video, non eſt qui poſſit arguere Job & reſpondere ex vobis ſermonibus ejus.* Non tres amici Jobi contra ſic audentem leguntur irati; quamvis arduum ſit, ut annis antiquior ſilentio patiente prætereat audaciam junioris. Quid eſt hoc? an tres nuper dicti majori tolerantiâ pollebant, quàm Jobus? Quis credat? Unde factum eſt igitur ut non excanduerint ii propter factam per Eliu tunc injuriam ſibi; ſed penitus reticuerint? Job autem non taciturnitate fuerit uſus, cùm à tribus amiſſis læſus eſt? Dicerem Job neminem ad indignationem provocaverat: quidni citra culpam iræ multa locutus fuerit adverſus amicos? At illi tres denique noverant ipſum juſtum eſſe: *Omiſerunt autem tres viri iſti reſpondere Job, eo quod juſtus ſibi videretur.* Conſequenter agnoverunt ipſi Ib. n. 11. tandem, ſe juſtum fuiſſe calumniatos, percutientes amarè cor ejus. Quomodo prudenter auderent contra juniorem Eliu verba proferre tunc indignatione plena, qui meminerant, & ipſos læſiſſe Jobum? Sapiens igitur erit qui dum habuerit obvia furoris motiva, cogitaverit quantam aliis dederit priùs ipſe dolendi materiam.

28.

29. *Præveni exercitia patientiæ, antequam veniat extrinſecùs occaſio.*

Quartò demum affert prudentia pharmacum præſervativum iracundiæ morbo: ſcilicet ut antequam occaſio detur provocans indignationem, præparetur, & exerceatur voluntariis afflictionibus, patientia. Plurimùm conducit ad cautionem iſtam exempla meditari Sanctorum, quorum vita crux extitit quotidiana. Alterius naturæ minimè fuerint illi; ſed ex eodem Adæ luto progeniti: nequaquam pene facti ſunt inſenſibiles per Stoïcam ſuperbiam; ſed pati dolores non recuſaverunt: ſcientes quòd in patientia ſua poſſeſſuri forent animas. Adjuvabit etiam ad hoc ut offenſas toleremus, expendere præmium patientibus repoſitum: ſpes enim retributionis animos fortificat. Necnon ad idem inſtitutum proficit caſtigatione vo-

luntariâ corpus terere; ſimul & animam cogere, quo diſplicentia ſibi dura complectatur: ſic enim ſunt minùs amara poſtea quæ veniunt ab extrinſeco. Præſtantur hæc omnia tranquillè nimis priuſquàm cum lædente deſcendatur in arenam. Miles non tunc temporis emere gladium quærit, & ſcutum, quando jam claſſico vocatur ad prælium: longè priùs arma parat, & à rubigine purgat. Sic tu patientiam ſedulus exerce, ne poſtea majori periculo ſubſis. S. Nilus: *Patientiam*, inquit, *etiam antequam neceſſe eſt, exerce, ut ipſius armaturam paratam invenias, etiam in neceſſitate.* Optimum ſanè medici prudentis conſilium hoc agnoſce libenter: & manicet induſtria tua, per quam exerceas te vigil, ut ad tolerandum roboreris.

S. Nil. paræm. 113.

30. Pſal. 72. 14. Pſalmiſta rex, loquens in aliorum perſona, dixit: *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Illud, *Flagellatus*, intelligi poteſt de flagellis extrinſecùs ab alio venientibus. Ita refert Lorinus interpretari Baſilium ac Theodoretum, dicens: *Illata extrinſecus ab alio flagella Baſilius ac Theodoretus interpretantur, cum juſtitiæ ſtuderet, & malitiæ conſortium fugeret*: &c. Illud autem, *Caſtigatio mea*, poteſt accipi de caſtigatione, qua ſeipſum affligit homo. Non reprobat hoc idem Lorinus, inquiens: *Si placet caſtigationem in matutinis intelligere, cum quis tali tempore expendit rationes conſcientiæ ſuæ, ſeque ipſum caſtigat*; &c. Adde Hugonem Cardinalem. *Vel*, inquit, in matutinis *laudibus: ubi de nocte ſurgentes & vigilantes viri ſancti caſtigant corpus ſuum.* Notandum etiam eſt, illud, *Tota die*, ſic accipi valere, quaſi dictum ſit, quotidianè. Lorinus citatus: *Idem eſt* Tota, *quod omni die*, & Tota *ſeu omni* die, *quod quotidie*: &c. Juxta quam expoſitionem ſermo non eſt ita de flagellis extrinſecis (loquor juxta ſuperiorem interpretationem Baſilii atque Theodoreti) ut pronuntietur, duraviſſe per diem integram. Quibus poſitis inquiro. Nonne convenientius foret ſcribi ſic: Fui flagellatus externis flagris quotidie; ſed exurgebam diluculo, quò poſtularem auxilium à Domino? Reſpondeo. Bonum quidem eſt & ſalubre preces fundere coram Deo, ne per venturas ab extrinſeco nobis afflictiones dejiciamur. Attamen etiam ſalutiferum erit exercere patientiam caſtigationibus propriis, ut virtus hæc ſic armetur ad ſuſtinendas percuſſiones, quæ poſt infligentur alienâ manu. Cumque neſcias, qua diei hora percutiêris ab alio, præveni citò ſurgens exercitium patientiæ, priuſquàm iſta feriatur alterius gladio. Hæc ſunt medicamina, quibus prudentia frequentiùs medetur iræ: medicinam vir prudens non abhorrebit.

Lorin. in com. Pſal. ib.

Idem ib.

Hug Card. ibid.

Lorin. prox. ſup.

DELIBATIO III.

Gubernantur à prudentia patientis oculi, aures, lingua, manus.

31. *In hoſte vide quod te contineat ab ultione; præteri quod provocet ad illam.*

INter multa corporis noſtri membra, non loco tantùm ſupereminent oculi: necnon & munere præcellunt. Hi dirigunt ad utilia quærenda; monent ut vitentur nociva: de dubiis certiorem faciunt intellectum; & inſuper ab eo tollunt errores, quibus illum circumvenit phantaſia: ſimiliter quando ſenſus alter fallit nos, oculorum auxilio ſæpe verum deprehendimus. Tempeſtivè Nyſſenus: *Quid enim inter membra noſtra præſtantius eſt oculis? per quos nimirum lucis ſit perceptio, quibus & amica & hoſtilia agnoſcimus*, &c. Meritò laudamus lucem, creaturam pulcherrimam: quæ ſi non crearetur ab Opifice maximo, multa deperderemus commoda, plurima pateremur detrimenta, prout eſt ipsâ luce clarius. At quid nobis prodeſſet lux, niſi polleremus externo viſu? Cæci dicent. Nihilominus tot malorum cauſæ ſunt nobis oculi, quòd neſciam penitus an illos vituperio proſequar, an laude commendem. Omitto libidinis incentiva; quæ dum percipiunt lumina, propinant animæ venena. Tacebo nunc quantas ipſi fallacias offerant cordi noſtro; quotque lenocinis nos miſerè ſeducant, ut complaceamus in vanis & noxiis mundi pompis. Non egrediar materiam ſubjectam; quæ tantùm continet ad iram ſpectantia. Frequenter oculi, veluti cupientes ut credamus, eos ſervos eſſe fideles, notificant nobis aliorum inurbana, vel audacia facta, quibus irritamur ad iraſcendum. Prudentia conſulit ut ad iſta motiva cæci non cernamus illud, quod anſam vindictæ præbet; ſed quod nos ab ultione contineat. Vide, ſi ſapis, quod iram coërceat; non attendas quod ultionem promoveat.

S. Greg. Nyſſen. or. 7. in Cant. longè ante med.

32. Perſequebatur Saül Davidem: & quamvis non illum necare voluerit, ferè coëgit ſepeliri: nam defuncti more latuit in ſpelunca. Viris, qui comitabantur eum, David, reſtitit, inquientibus, traditum à Domino ſibi Saülem in illa die: nec auſus eſt mittere manus in perſecutorem. Quin potiùs, cum egreſſus fuiſſet ex eodem antro Saül (qui neceſſitate naturæ compulſus illuc intraverat, neſciens ibi Davidem abſcondi) David juſtificare cupiens apud illum fidelitatem ſuam, dixit ad ipſum: *Cogitavi ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt.* Impropriè locutum judicabis: nam ille dicitur parcere vindictæ, qui potuit eamdem exequi. Si David interficeret Saülem: non hoc præſtaret oculis utique, ſed manu. Cur ergo non dixit ille: Pepercit manus mea tibi? Quoniam parum tribuendum eſt oculis Davidicis quòd ille continuerit ſe, nec

1. Reg. 24. 11.

ultionem

ultionem ſumens, nec admittens iram. Et quomodo juvarunt oculi Davidem, cum videret hoſtem? Hoc modo: ſcilicet non attendentes ad manum ingrati, qua vibraverat olim haſtam contra benefactorem; non ad gladium, quo cingebatur ut occideret eumdem; ſed tantùm aſpicientes ad caput, quo fuerat unctus in regem per Samuëlem: nam iſtâ unctione totum corpus omnino Saülis factum eſt Davidi ſacroſanctum; & propterea non eſt auſus illud percutere. *Quia corpus*, ait Sanctius, *illud, quod gladius confoderet, ſacroſanctum eſt ab unctione ſacrâ; ſacra verò violare religio vetat.* Ecce qua ratione prudentia gubernat oculos in attinentibus ad iram: facit illos non intueri quod provocet ad ulciſcendum; ſed quod vindictam prohibeat, ſi forſan utrumque reperitur in adverſario.

Sanct. ib. ver. 7. n. 15.

33. Dixi de regimine luminum quantum attinet ad intuendi functionem. Dicam nunc aliquid circa munus plorandi, quod exercent oculi. Iram nominamus ignem, prout ſupra tetigi. Non difficulter extinguitur, vel impeditur hoc incendium ſalutaribus lacrymis. Non deerunt cuique rationabilia motiva flendi ſalubriter: & ſic mollitum cor ejus flectetur ad patientiam: vel, ſi jam tolerantia præditum eſt, non ipſam deponet. Aliqui ſunt, qui tantum lacrymantur afflictionis tempore. Fateor, hoc ita fieri poſſe, quòd per fletus, ut nuperrimè dicebam, cicuretur vir ad tolerandum. Sed ulteriùs pergam. Etſi dum patiebaris ploratum emitteres; adhuc poſtquam afflictio prædicta deſiit, plora denuo, ne cùm jam proſperitate potiris, patientiæ valedicas. Neſcis proſperitatis diſcrimina? *Periculoſior eſt res proſpera animo, quàm adverſa corpori*, ait Remigius. Sileo nunc alia fortunæ ridentis pericula: ſolummodo conſulo timeas, ne tu, qui dum infortunatus eras, & ab altero lædebaris, tolerabas fortiter; meliorem adeptus fortunam, & memor offenſæ, tunc indigneris adverſus eum. Nutriebas patientiam lacrymis, cùm poſitus eras in adverſis? Eodem fletuum alimento ciba temetipſum poſtea tempore, quo te proſperum experiris. An ignoras, ploratum panibus aſſimilari? Lege S. Nilum. *Qui enim*, ait, *non fruſtra & inutiliter lacrymatur, ſed ex diligenti & Deum amante propoſito indulget fletui, ille propriis lacrymis alitur vice panis. Non tantum in lætis proſperis & jucundis rebus, quas diem vocat homo ſanctus, ſed & in adverſis & triſtibus, quas noctem ſymbolicè nominat idem ſanctus.* Non ſolius afflictionis tempore deflendum; ſed etiam cum tribulationis hyems abiit & receſſit.

Remig. in Pſ. 50.

S. Nil. ep. 124. ad Pſ. 41. 4.

34. Conſulamus Jobum, nobilem patientiæ magiſtrum. Deum alloquens dicebat ille: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum*: &c. Adhuc non ſatiatur Job potu lacrymarum? Poſtea lego dixiſſe: *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt.* Qui ſic profluviis abundè lacrymarum rigavit ora, deſiderat adhuc plorare paululum dolorem præteritum, poſtquam iſte deſierit? Is viſus eſt animus fuiſſe Jobo, ſi libremus prædicta verba conformiter ad expoſitionem Titelmani: qui ſic loquitur illius nomine: *Dimitte, inquam, ut vel paululum poſſim reſpirare, & in quiete deflere priſtinum dolorem meum, illum recogitando jam quaſi præteritum: nunquam enim oblivi ſci potero tam gravis doloris, etiamſi actu ab eo abſolvar.* Quid? poſt finem dolorum adhuc plorare decernebat Jobus? Demirare prudentiam. Noverat ille, ſe multum per patientiam lucrari: nollet ut poſtea cum ceſſaſſent afflictiones, ea virtus per defectum exercitii debilitaretur. Fortaſſis timuit, ne jam expers adverſitatum iraſceretur interiùs eis, qui quondam læſerunt ipſum. Quamobrem erat mens illi poſt calamitates finitas adhuc flere; quò ſic patientiam ſibi perutilem non amitteret per iram. Proſunt lacrymæ roborandis cordibus, ne per iracundiam decidant. Sic prudentia monet viros in utraque ſorte conſtantes: dirigens eorum oculos in ambobus officiis; videndi ſcilicet atque plorandi.

Titelman. in Job. 10. 20.

Job. 10. 20.

Ib. c. 16. 17.

Aures deinceps in ſuo ſervitutis miniſterio prudentia regit. Auditus eſt oſtiarius animæ: deferens ad illam quod percipitur. Cautus janitor non omnia domino ſuo nuntiat: quædam tacenda ſunt. Quædam, inquam, non audienda tibi, ne pectore lædaris per injurioſa verba. Suppono doctrinam Chryſoſtomi dicentis, contumelias ab illis minimè jaci, qui te verbo vulnerant; ſed à tua fragilitate formari; qui ſi fortis eſſes, fores invulnerabilis. *Non*, ait Chryſoſtomus: *à contumeliantium inſania, ſed à patientium contumelias imbecillitate, injuriæ & injuriarum contumeliæ conſtituuntur. . . . Ille injuriam intulit, non ſenſiſti nec doluiſti? Non es injuriam paſſus*, &c. Quid in prælio refert, adverſus militem valido lacerto contorqueri lanceam, ſi non pervenerit ad eumdem? Adverſarius tuus miſit adversùm te verbi procacis jaculum: ſi non ad te pervenit, nequaquam feriris; ut autem non perveniat, multum res pendet ab auditu. Do S. Valerianum. *Si non*, inquit, *vis injuriam pati, religa plectrum oris tui, & obtura aures tuas, ne ad te iraſcentis fratris verba perveniant: aut certè ſi pervenerint ſilentio deputentur.* Quod ad linguam pertinet, poſtmodùm illuſtrabimus: nunc de clauſura tantùm dicemus aurium. Hanc oportet eſſe munitam adeo, quòd haud facilè ſit offendenti cogere, quem lædit, ut auditum præbeat injuriæ. Congruit ad hoc ut in iram præceps non movearis, ita reſiſtere vehementer, aditu negato verbis offenſoris, ut iſta non valeant ad interiora tua penetrare.

35. *Verbis offendentis aures claude ſic ut non valeant ad cor tuum pervenire.*

S. Joan. Chryſoſt. to. 5 hom. 2. ad pop. longe ante fi.

S. Valerian. hom. 12. poſt med.

Pſalmographus memor illius infelicis prælii, quo, ſicut in ſacris annalibus Regum ſcribitur, arca Dei capta fuit; Deum ſupponit, more noſtro loquens, veluti dormientem: nam poſtea locuturus de vindicta Domini, ſic habet: *Excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora; opprobrium ſempiternum dedit illis.*

36.

Pſal. 77. 65. 66.

Igitur

Igitur quaſi dormiebat quandiu patienter ſuſtinuit opprobrium ſibi factum in arcæ captura. Cardinalis Bellarminus. *Dicitur*, inquit, *dormire ut crapulatus à vino, quando patienter agit erga graviſſimos peccatores, ac ſi ita altè dormiat, ut non advertat injurias maximas contra ſe fieri, qualis injuria fuit captivitas arcæ.* Vidiſti patientiam Domini. Lege nunc illam, quam exercuit læſus David, cum vulneraretur gladio linguæ. Sic ille: *Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Ego autem tamquam ſurdus non audiebam*: &c. Nonne ſatis Davidi foret quòd imitaretur manſuetudinem divinam in eo, quòd ſe haberet ad non audiendum verba offenſiva ſicut ſomnum capiens; eo modo quo perpendit olim offenſum Deum ſe geſſiſſe? ſurdo ſemetipſum confert in verbis adverſariorum non percipiendis aure? Dicerem. Deus longius abeſt à peccando per iram, cum ſit eſſentialiter impeccabilis: homo verò diſcrimini ſubeſt delinquendi per indignationem. Quamobrem David intellexit, ad animæ ſuæ ſecuritatem augendam congruere ſibi, non habere ſe tantùm veluti dormientem, ſed ut ſurdum, cum feriretur labiorum ſagittis. Et quare? Qui dormit valet à loquentibus utplurimùm excitari: ſic efficient ut eorum verba percipiat. Surdum verò penitus quiſnam clamor coget, ut voces audiat? Optans igitur David ampliùs præcordia ſua munire, ne contra perperam loquentes efferveſceret per iracundiam ſe habuit quaſi per ſurditatem privatus eſſet uſu aurium, ad excludendam à ſe vocem loquentis. Adeſt Ambroſius. *Conſidera*, inquit, *vim ſermonis. Non dixit, quia ſimulabam non me audire quæ dicerent, ſed*: Non audiebam, *dixit*: *quòd intentione mentis vocem, loquentis excluderet*, &c. En qualis erat aurium occluſio conſulitur à prudentia patientis animi gubernatrice.

Cardin. Bellar. ib. ad n. 65.

Pſal. 37. 13. 14.

S. Ambr. to. 2. expoſ. Pſal. 37. ib.

37. *Innocens quandoque defenſionem ſuam hominibus non proponit; ſed potiùs Deo.*

Continet etiam prudentia linguam; ne per externam impatientiam præcipiteris, & internam accendas. Notiſſimum eſt, & à nobis inculcatum ſæpius, quàm neceſſaria ſit oris cuſtodia, ne cor ſpirituale damnum patiatur. Parum proderit ſcrinium eſſe clauſum, dato quòd fores domus, in qua poſitum eſt, pateant pertranſeuntibus. Sic diligentia circa ſervandum cor non proficiet, ſi linguæ janua pervia ſit. D. Laurentius Juſtinianus. *Quid prodeſt*, ait, *ſi omni diligentia ſerves cor tuum, ſciens quoniam ab ipſo mors & vita procedunt, & linguæ oſtium abſque ullo temperantiæ obſtaculo viatoribus patere permittas?* Ab hac univerſali doctrinâ deſcendamus ad præſens inſtitutum. Jam non loquar adversùs eos, qui ſi verbalibus offenſis petantur, mox oblocutores repercutiunt ſimilibus armis, & forſan ictu graviore. Majorem prudentia diligit ſufferentiam, quàm ſit non reddere malum pro malo. Veniam ad eos, qui tacere neſciunt propriam defenſionem, cùm evaginatur adversùs eos enſis linguæ. Non hoc docet prudens dictamen; ſed magis iram alterius, omiſsâ defenſione propriâ, cedendo vincere. Ad illud Pauli: *Non vosmetipſos defendentes* &c. ſcribit Primaſius Epiſcopus: *Id eſt non partes veſtras verbis defendentes, contentiones, odia præparetis: ſed magis furentis iracundiam cedendo vincatis.* Agnoſco, ſatis arduum eſſe, cùm injuria gravis extitit, ut homo neutiquam ſemetipſum tueatur, quatenus ipſi jus naturale concedit. ſed adhuc ignoras, quantùm naturalibus valedicat is, qui ſupernaturalia ferventi dilectione proſequitur? Ut proximè dictam ſuperet difficultatem, vide quid molitur. Ea verba, quæ poſſet in ſui defenſionem proferre mortalibus, vertit ſic, ut per hocipſum loquatur Deo. Hoc pacto juſtus aliquando propriæ fragilitati condeſcendens, nec omnino tacet, nec defenſionem ſuam proponit homini; ſed potiùs Altiſſimo.

Primaſ. Epiſc. expoſ. in Epiſt. ad Rom. c. 12. 19.

Ætate ſimul & nequitiâ provecti, ſerò laſcivi, pudicitiam caſtiſſimæ Suſannæ ad libidinem pertrahere non valentes, traxerunt ad judicium; ubi falsò damnata fuit ad mortem. Quid tunc innocens fœmina? Dixit ne populo, ſe prorſus inſontem; vel ſaltem eidem propoſuit innocentiam ſuam, cum cœlitus motus Daniel ipſius egit cauſam? Nequaquam. Haud quidem tacuit: nam duriſſimum foret hoc innoxiæ capitali ſententiâ damnatæ. Non hominibus tamen locuta fuit; ſed Omnipotenti, dicens: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ iſti malitiosè compoſuerunt adverſum me.* Notat S. Maximus, eam nihil Danieli dixiſſe, quo ſe tueretur ipſam. *Non enim*, ait, *apud Danielem judicem verborum ſe ratione defendit*, &c. Plus meditatur Euſebius. *Nullum*, inquit, *hominem reſpexit, neminem ex mortalibus allocuta...: innocentiam enim ſolum propoſuit Deo.* Nunc inſurgebit quæſtio. Deo nota ſunt omnia; populus neſciebat ſenum falſitatem. Ut quid igitur aſſerit iſtam, Deo loquens; non autem eam proponit inſciis? Induſtria patientiæ fuit cedere taliter defenſioni propriæ, quòd nec illam reticeret penitus; neque perderet ſilentii patientis meritum. Propterea non hominibus aſſeveravit puritatem ſuam, quò ſe tueretur: convertit verba, ſermonem faciens ad omniſcium Dominum; quod minimè dici propriè valet, Suſannam in judicio ſe defendiſſe. Hoc modo prudentia gubernat linguam tolerantis, ut incrementet meritum; nec inſenſibilitatem ſuperbam profiteri videatur.

38.

Danic. 13. 42. 43.

S. Maxim. hom. 1. de accuſa. & judica Domi. juxta med. Euſeb. l. 8. ſtrom. c. 15.

Manus etiam regit prudentia tolerantis. Nec ad manſuetudinem putes, nihil omnino conducere manum. Oppoſitum deducere poteris ex ipsâ nominis hujus, *Manſuetus*, etymologia: nam idem valet atque, *Manu ſuetus*. Ne tibi novum ſit vocem iſtam ſic accipere. Patronum habeo Brunonem Herbipolenſem ex Caſſiodoro ſcribentem: *Manſuetos autem appellamus manu conſuetos, id eſt patientes & mites.* Forſitan hujus etymologiæ radix eſt, inter alia,

39. *Gaudium benefacientis off nſori quantum extet.*

B. Brun. Herbip. ex Caſſiod. ad Pſal. 36. 11.

alia, quod prædicti patientiâ perfectâ manum adhibent ad benefaciendum offenſoribus. Et ô quàm inclytum eſt charitatis opus adverſariis indigentibus opem ferre!

S. Valerian. hom. 12. ante med. S. Valerianus: *Glorioſum eſt quidem indigentem fratrem paſcere: ſed fortius eſt inimico in neceſſitate poſito ſubvenire.* Adverſario ſuccurrens nequaquam ad operandum rectè juvatur accipientis futurâ gratitudine: minimè trahitur ad hoc egregium opus lenocinio ſuavi beneficiorum, quæ ſuſcepit; ſed purè movetur ex beneficentiæ laudabilitate; vel, quod perfectius eſt, à bonitate Dei, cui placere ſollicitat. S Iſidorus Peluſiota tres gradus benefaciendi proponit: ſcilicet primò ſubvenire dilectis; ſecundò cunctis egentibus, non accipiendo perſonas, opitulari; tertiò beneficum inimicis exhibere ſe. Incipiens à primo diſtantiam inter gradus iſtos metitur, inquiens: *Iſtud enim & publicani, & gentes faciunt; illud etiam, qui Dei legem ſervant; hoc denique, qui cœlo dignam ducunt vitam. Quantum igitur Angelici ſpiritus hominibus ex lege viventibus præſtant, tantum & hi publicanis antecellunt. Tanto enim his ſuperiores exiſtunt, quanto ab Angelis ſuperantur.* A dicto S. Doctoris occaſione deſumptâ, poterit excellentia benefacientis hoſtibus æſtimari. Dicam. Offendenti donum conferens parum abeſt ut jam in cœleſtibus habitet: nam ejus charitas eo perfunditur gaudio de bono, quod lædenti contulit, ut videatur excedere limites gaudiorum, quorum capax eſt mortalis vita: quoniam voluptates iſtæ conſummatæ non ſunt, ſed mutilæ; necnon amaritudinibus reſperſæ; gaudium autem illud, quod ſuſcipit charitativus de collato munere liberaliter ei, qui benefacientem offendit, perfectum eſt adeo, quòd omnem videatur excludere mœrorem, cœleſtibuſque deliciis æquiparari.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 137.

40. Reliquias Judaïci furoris collegit Stephanus; & lapides illos pertulit, quos in manibus Judæorum acceptos fruſtraneè Dominus reliquit, cum ſe abdidit, & exivit è templo. Conſentiebat ejus lapidationi Saülus, ſervans lapidantium veſtimenta. Obſequium præſtabat iniquis; mercedem tamen accepit à juſto, quaſi rem illius ageret utiliter ſponte: quia Protomartyr pro ſuis adverſariis orans, promeruit illius converſionem, quin fraudaretur præmio: præter alia nanque lucratus eſt gaudium illud, quo potitur nunc in cœlis de gratâ ſatis amicitiâ, jam non Saüli perſecutoris impii, ſed Pauli conſortis excelſi. De Stephano loquens dixit S. Fulgentius: *His dictis emiſit ſpiritum, aſcendit in cœlum, veniam meruit inimicis. Gaudere meruit in cœlis de amicitiis B. Pauli ſubſequentis*, &c. Inquirere placet, qua de cauſa Dominus agnoſcens, gaviſurum fore Stephanum de converſione Saüli, non maturavit hujus illuminationem ſic, ut adhuc Martyre vivente fidem complecteretur ille? an Deo quidquam difficile? nonne poterat vitam ſui prorogare militis, & reductionem perſecutoris exequi citiùs; ut ambo viventes in terris per tempus aliquod conſociarentur amicè? in electorum civitate frueretur Stephanus gaudio reſurrectionis Pauli per æternitatem; ſuper terram verò nec per diem? Equidem optimo jure cœlitus ita diſpoſitum eſt: voluptas quippe bellatoris eximii de beneficio magno, quod huic offenſori contulit, magis proportionatum erat ſtatui conſummatæ felicitatis, cujus delectationes perfectæ ſunt; quàm exilio terreſtri; cujus gaudia, quamvis licita, reperiuntur obtruncata. Eapropter, ut patiens accipiat ſolamen ab exultatione, quam diximus; ei prudentia conſulit quòd beneficum ſe præbeat offendenti. Sic illa dirigit manum viri tolerantis ad beneficia; linguam cuſtodit ad ſilentium; aures claudit ad ignorantiam; oculos erudit quæ ploranda ſunt, quæ videnda. Ecce *qui patiens eſt, multâ gubernatur prudentiâ.*

S. Fulgent. hom. 3. in nat. S. Steph.

DELIBATIO IV.

Impatientis ſtultitiæ quædam.

HOmo deſtitutus prudentiâ navis eſt ſine gubernaculo: quomodo non impinget in mille ſcopulos errorum? Navigio contingit aliquoties in portum fortuitò deferri vi fluctuum, licet clavum amiſerit, quo regendum foret. Non ſic accidit homini, quem prudentia non moderatur. Multa ſunt, in quibus exerrat ille: ſed nunc ſermo nobis eſt de fatuitatibus ad impatientiam ſpectantibus. Impatientem, qui prudens non eſt ut iracundiæ motus reprimat, jam non dixerim navem ſine temone; ſed potius aquam ventorum pulſibus commotam: & non impropriè; nam ſicut hæc ſpumat, ſic & ille. Tempeſtivè S. Nilus: *Aqua ventorum impetu commovetur, & iracundus imprudentibus cogitationibus perturbatur.* O quàm horrida tempeſtas furit in irati præcordiis! Procella noctu conſurgens terribilior eſt: & in homine, cujus memoria pertinax ad recordationem injuriæ provocat iram, lux rationis tenebreſcit. Idem Nilus: *Solis*, inquit, *radios nubes intercipit, & hominis rationem memoria impedit injuriarum.* Numeremus aliquot inſcitias impatientum. Prima frequenter eſt iraſcibili paſſioni conſenſum præſtare, ne timidus habearis. Tantum aberras à vero, quòd potiùs aliquando qui metuit, ſe corripi ſinit irâ; non ita verò qui non formidat. Ineſt verâ patientiâ pollenti fortitudo cordis. Incertus ait: *Vir autem patiens, qui præſentia non timet, & futura cogitat, neſcit trepidare, ubi non eſt timor.* Noli decipi. Crede, quòd non ſemel invenies, iracundum excandeſcere propterea quòd timet.

41. *Ira quandoque ſociatur moris.*

S. Nil. lib. 4. contra vitia.

Idem ib. infra.

Incert. Egeſip. l. 4. de excid. urbis Ieroſol. c. 17. ante med.

Aliquid adhuc meditabor circa Saülis iram conceptam ex eo quòd poſt reportatam à Gigante Philiſtæo victoriam, fœminæ plaudentes Davidem prætulere Saüli. Textus ait: *Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte: dixitque:*

42.

1 Reg. 18 8.

Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum? Ut eſt frequens livorem certiùs in propinquis reperiri, quàm in extraneis, judicabam, necnon indignandum fore Davidis fratrem natu majorem, eo quòd germanus plauſui mulierum non reſtiterit. Nitebar hac ratione. Cum Eliab audiſſet, Davidem, qui juſſu patris ad caſtra venerat ut fratres viſitaret; loquentem cum aliis circa præmium tribuendum viro, qui
b.c.17 28. percuteret Goliath, *iratus eſt contra David, & ait: Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto? ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium deſcendiſti.* De tam irrationabiliter locuto credebam, necnon etiam poſt victoriam inſurrexiſſe plenum iracundiâ contra fratrem; atque dixiſſe: Heus tu ſuperbe, quid publicos plauſus accipis? quid tibi cum triumphalibus pompis? ad mapalia redi, qui poſt fœtantes incedere conſueviſti. Nihil horum legimus: imo nec aliquod iræ ſignum dediſſe; quamvis videatur credibile, non ignoraſſe plauſum fœminarum. Iraſcitur Saül; Eliab verò minimè! Neu mirandum: non enim tunc temporis Eliab timebat ſibi damnum; Saül maximè: *Quid*
Liran. ad 1. Reg 18 8. *ei ſupereſt, niſi ſolum regnum?* Liranus: *Ex tunc enim timere cœpit, ne David perveniret ad regnum quia ſciebat ſe reprobatum*, &c. Ecce timoris ira ſocia. Quid ergo cenſent aliqui, ſe non probari fortes, niſi perſonent iracundi;

43. *Per iram perdes poſſeſſum; per manſuetudinem acquires deſideratum.* Impatientium eſt ſecunda ſtultitia, furorem ſic animum hominis turbare, ſic invertere cuncta, quod virum bonis pluribus privet: non ſolùm avertens quæ poſſet aſſequi; ſed etiam diſperdens quæ jam fuerat conſecutus; & præſentia commoda reſpergens amaritudinibus. *Impa-*
Ficin. l. 1. epiſt. *tientia*, dixit quidam, *turbat animum, præterita bona delet, præſentia inficit, futura impedit* &c. Quid non peſſundabit inſanus? Dimittamus iracundiæ temporalia detrimenta. Si præſertim attenderent cœleſtia mortales; damna ſpiritûs, quæ parturit ira metuerent valde. Nam omiſſo quòd ex illa dimanant peccata plura, perpendendum etiam eſt, ipſam virtutibus ita contrariam, ut necnon irati preces exe-
S. Nil. or. 4. de ira. crabiles reddat. Accipe S. Nilum. *Iracundi precatio thus fœtidum ac deteſtabile, & pſalmorum decantatio ab iracundo proveniens inviſa atque execrabilis.* De cæteris virtutum actibus nunc taceo. Pro cunctis unum dicam: nempe Spiritum ſanctum inhabitare cor mite; recedere verò prorſus ab ira-
Idem ib. to. Hauri rurſus de torrente Nili. *Vir*, ait, *manſuetus in pretio eſt apud Deum, & animus ab iracundia alienus templum eſt Spiritus ſancti.* Adde quæ dicta ſunt ad Her-
Hermaſ diſcip. Apoſt. Pauli l. 2. Paſtoral mandato 5. mam diſcipulum Apoſtoli Pauli: *Quod ſi patiens fueris, Spiritus ſanctus qui habitat in te, mundus erit, & non obſcurabitur ab aliquo nequiſſimo ſpiritu; ſed gaudens dilatabitur* (alia lectio habet: *Lætitia exultabit*) *& epulabitur in vaſe in quo inhabitat; & apparebit Domino hilaris in pace magna. Quòd ſi iracundia aliqua ſupervenerit; continuò Spiritus ſanctus qui in te eſt, anguſtiabitur, & quæret diſcedere.* Hæc de ſpirituali damno per iracundiam veniente. Sed quoniam adeo non prudens electio mortalium reperitur, quod animarum lucris temporaria præponunt; ad temporalia, quæ dimiſeram, revertar: oſtendens, & exemplo confirmans, per iram deperdi non ſemel quod jam poſſidebas; econtra verò, ſi non iraſceris, permanere ſpem boni futuri. Conciliat, inquam, æquanimitas fruitionem ejus boni, quod expectabas; econtrariò, ſi moveris irâ, poſſeſſionem amittis ejus, quod poſſidebas.

Samſon duxit uxorem Thamnathæam, quamvis eſſet iſta filia Philiſtinorum: non tamen eventum proſperum habuit matrimonium iſtud: nam dolens, conjugem detexiſſe quoddam arcanum, quod ei propter mulieris importunitatem tradiderat ipſe, deſeruit eam; & fuit alteri viro tradita. Infelicem hunc exitum connubii notabam: nam iſtud voluntate Domini, diſpenſantis in prohibitione contrahendi matrimonia cum fœminis Gentilibus, fuit initium: qui flagellationem Philiſtinorum hac viâ parabat: legimus quippe de Samſonis parentibus, qui deſiderio geniti de nuptiis ejuſmodi reſiſtebant: *Parentes autem ejus neſciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthiim.* Ubi Lira: *Videtur quod Samſon cognoverit per revelationem voluntatem Domini circa hoc: aliter enim peccaſſet ſi mulierem alienigenam accepiſſet uxorem: niſi ſciret Domini voluntatem, qui poterat in præcepto diſpenſare.* Notatione dignum cenſui, quod illæ nuptiæ contractæ diſponente ſic Domino, denique fauſtæ non extiterint. Tranſeamus ad Jacob, & illum Samſoni conferam. Deceptus à Labano recepit in conjugium Liam, quam putabat Rachelem. Quis non timeret, ex hoc multa mala proditura? Jacobumque relicturum fore Labani domum, nec accepturum dilectiſſimam ſibi Rachelem? Non ſic evenit: nam & iſtam ſuſcepit in uxorem, hebdomadâ tranſactâ. Cupienti rationem diſparem unius & alterius casûs invenire, mens obtulit iſtam. Samſon iræ locum præſtitit; quâ ductus reliquit uxorem. *Iratuſque nimis aſcendit in domum patris ſui: uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis* &c. Ecce qualiter per iracundiam deperduntur poſſeſſa. At verò Jacob expertus fraudem ſoceri nequaquam excanduit; propterea tandem voti compos factus eſt. Incertus ait: *Libens excipit Jacob: prolixa tempora obſervat: omnia ſoceri libens tolerat imperata: qui ſi eſſet impatiens, aſtu circumſcriptus pro Rachel poſtmodum tempore nunquam reparato ſerviret.* Vides quomodo manſuetus non fraudatur omnino deſiderio ſuo; prudenter avertente patientiâ damnum. Stultum eſt igitur per iram temporaliter etiam nocere ſibi.

44. Iudic. 14. 4. Liran. ib. Iudic. 14 19. 20. Incert. inter opera S. Zenonis ſer. de patient. longe ante fi.

Proſequar annumerans tertiam iracundi ſtultitiam. Sævit ille fremens: & (velut noctu pugnantibus omni luce deſtitutis contingit) cunctos vulnerat, ignorans etiam præſentes; imo ſemetipſum neſciens

45. *Iratus aliquando loquitur acerbius contra benefactorem*

ad

quàm adversùs opprimentem.

ad inſtar ebrii. Dum modo furorem expleat, nihil omittit bellicum, ſi valet: ne dicam ebriò factum deterioris conditionis: nam iſtum delectat ſuavitas vini; ſed iræ nulla dulcedo. Lege nunc opportunè Magnum Baſilium. *Singulæ*, inquit, *affectiones mentem evomentes, meritò ebrietatis nomine appellantur. Conſidera mihi hominem iratum, quomodo affectione ebrius eſt, & non eſt ipſe ſuiipſius dominus, ignorat ſeipſum, ignorat præſentes, velut in nocturna pugna omnes attingit, omnes offendit, omnibus inſultat*, &c. Gravis & moleſtiſſima fatuitas iratorum eſt. Paſſim videmus quoſdam fatuos à natura, qui ſaltem reverentur homines, quos de ſignis exterioribus agnoſcunt ſanctitate conſpicuos: apud ſenes tacent: ſanguine propinquos non offendunt verbo: ſique benefacias eis, reverentiam conciliabis illorum. Non ita ſolent iracundi: nec enim probatæ virtutis hominibus parcunt: non proprios conſanguineos excipiunt ab iræ furentis gladio: non donorum, quæ ſuſceperunt à beneficio recordantur: neque penitus ullâ dignitate continentur alienâ; ſed in omnes, nullius habitâ ratione debacchantur. Revertamur ad Baſilium. *Non canities*, inquit, *apud iratos venerabilis eſt, non virtus vitæ: non propinquitas generis, non prægreſſa beneficia, non alia aliqua dignitas. Inſania quædam brevis eſt ira.* Illud inter cætera me magis movebat, quòd iratus adversùs benefactorem inſurgat: non quòd novum ſit in homine vitium ingratitudo; ſed quia, cum ſpes commoditatis propriæ ſuadeat multa, putabam, iracundos per illam continendos, ut non læderent benefacientem, ne læſus nolit ſecundò benefacere. Nec hoc motivo ductus abſtinet iracundus ab illius offenſione, qui beneficium ſibi contulit: imo continget ut acerbiùs loquatur contra benefactorem, quàm adversùs opprimentem.

D. Baſil. Mag hom. 9. inter var. longe ante fi.

Idem hom. 17. inter var. longe poſt princ.

46. Legationem Altiſſimi propoſuere Pharaoni Moyſes & Aaraon, ut populum Hebræorum dimitteret ad ſacrificandum in deſerto. Rex impius non ſolùm renuit, ſed plebis onus adauxit: quod cum perficere non poſſent, illi qui præerant operibus duris flagellati ſunt. Iſti venerunt ad Pharaonem, dixeruntque: *Cur ita agis contra ſervos tuos? Paleæ non dantur nobis & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injuſtè agitur contra populum tuum.* Exiſtimares, illos proponentes regi querelam dicturos multa, dolore ſuadente, adverſus exactores Pharaonis, à quibus vapulaverant. Leniter equidem locuti ſunt. Poſtea, cum iidem occurriſſent Moyſi fratrique, durè verba fecerunt ad ipſos. *Et dixerunt ad eos: Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos.* Commentatur Cornelius Alapide: *Hebr. additur:* ſuper vos, *id eſt vindictam ſumat de vobis.* Inveſtigare peroptabam, cur diverſo modo fantur ad Moyſen & Aaronem, quàm verba dederant coram tyranno. Dicerem. Iſraëlitæ nihil acceperant ab exactoribus Pharaonis, per quod manerent ipſorum corda gratitudinis lege devincta; ſuſceperant autem beneficium à fratribus duobus, qui ſollicitaverant egreſſum eorum ex Ægypto. Moyſes & Aaron ipſos non læſerant; exactores afflixerant eos verberibus. Adversùs iſtos nequaquam locuti ſunt ſic ut in Moyſen & Aaron. Nonnunquam iratus haud furit labiis in opprimentem, ſed in benefactorem.

Exod. 5. 15. 16.

Ib. n. 21.

Alap. ib. in com.

47. Quartò ſuperaddam errorem alium ſatis frequentem in iracundis. Multoties ipſorum cogitabunda phantaſia decipit illos; inveniens iraſcendi motiva. Quaſi parum foret id quod verè patimur, noſtris fictionibus incrementamus quæ dolorem augeant ſuper dolorem noſtrum. Nobis ipſis inimicis perhibemur: non leviter nos vulneramus in exceſſu, quo de veris offenſionibus iraſcimur nimis: & inſuper fingimus inania commenta; cauſas excogitamus iracundiæ. Petrarcha: *Quæruntur cauſæ, finguntur offenſæ, inque his ipſis quæ veræ ſunt cauſæ, iræ modus exceditur.* Ubi lateat neſcio voluptas emittendi querelas de fictis vulneribus. Sic aliqui ſunt in iſtis frequentes, quaſi quæſtum invenirent in ipſo queſtu. Fortaſſis illimet ignorant quidnam ſit hoc, per quod moventur ad querimonias: attamen ipſi ſunt & æger, & morbus ægroti: judices alienarum actionum contra ſemetipſos; cum rarum ſit ut arbiter in cauſa propria judicium ferat ſibi damnoſum. Fabricant iſti, velut in ſomnis ridiculam judicii figuram: nam ſimul ſunt accuſatores, judices, teſtes, atque terrores. Accuſant proximum apud ſe, quòd ipſis contumelioſam fecerit, quam ille non cogitavit: ſic teſtantur, & ita judicant: deinde, licet non torqueant eum quem accuſavere, ſemetipſos contorquent. Incertus dixit: *Jam nonnullos etiam novimus, qui quibus de rebus proximorum, propter quos animi eis ægritudo accidit, commoveantur, neſciunt: ſeipſos autem adedunt, atque dolore affligunt.* Sic potens eſt apud iratos fatuum imaginationis conſilium, ut ſibi ſuadeant offenſionem factam eſſe per alium, cui nullatenus hæc venit in mentem. Fortè quis aliquid aget, quo multi dicerent hominem potentem fuiſſe læſum: ipſe tamen, quia tunc nequaquam iram conceperat contra ſic operantem, non offenſum exiſtimat ſemetipſum. Cum autem irâ quatitur adversùs alium, illam ſe læſionem putat accepiſſe, quæ nequaquam incidit in animum ejus, contra quem iraſcitur.

Petrar. de rem. med. adverſ. fort. dial. 107.

Incert. ſub nom. Juſtin. Mart. ep. ad Zenam & Serenum. poſt princ.

48. Tulit barbaram legem rex Aſſuerus quòd ſub pœna capitali nullus haud vocatus intraret atrium interius regale. Quin vocaretur Eſther adiit monarcham, deſiderio mota favendi populo ſuo. Plurimi, ſi tunc rogarentur, an regina commiſerit in hoc offenſam adversùs proprium ſponſum, affirmarent: præſertim illi, quorum flexibilis mens adulationis vitio pareret. Aſſuerus autem nequaquam ſe læſum credidit: imo dixit, illam non com-

Eſth. 15. 13. prehendi lege prædictâ. *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Poſtea, cum intellexiſſet Aſſuerus crudelitatem Amani contra Judæorum populum intentam, hic ſibi conſulere ſollicitus, & intelligens diſcrimen ſuum, ſurrexit ut reginam pro ſe rogaret. At optatum finem conſequi deſiderans corruit ſuper lectulum, in quo jacebat illa. Vidit hoc Aſſuerus: audi quid aſſeveraverit, honori

Ib. c. 7. 8. proprio non conſentaneum. *Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea.* An venerat hoc in mentem Aman? Certum eſt quòd minimè. Ut quid ergo tam facilè credit, Amanum aliquid turpe velle cum regina; cum ipſa paulò priùs accuſaverit eum apud regem, illo audiente, ut ex Textu conſtat? non Aſſuerus exiſtimavit ſe læſum ab Eſthere propterea quòd, non obſtante lege, nequaquam vocata ſe contulerit ad conſpectum ejuſdem? Amanum verò turpiter & audaciter ipſum reputat offendere? Inſipientia fuit iraſcentis animi regis adversùs Aman.

Ib. n. 7. *Rex autem iratus ſurrexit*, &c. Irati mens figmenta fabricat: inveniens offenſas proprias, ubi non ſunt. At cum Eſther citra vocationem regis ivit ad illum, quamvis Aſſuerus pacato non eſſet animo, neutiquam in reginam iraſcebatur: idcirco tam diverſo modo ſe habuit. Vides quàm ſit ſuimetipſius adverſarius qui paret iraſcibili paſſioni: quod alter non excogitaverat, ut offenderet ipſum, fingit ille. Rem ſanè fatuam.

49. *Iratus volens conſulere ſibi, ladit ſe.* Poſtremò, ſed non ultimam, iraſcentis inſipientiam quamdam ſubjiciam frequentiſſimam in vulgaribus viris. Non tantùm offenſoribus damna curant inferre: quibus impediunt pacis bonum, quod tempus & oblivio forſitan adducerent ei. Etiam ſibimet detrimentum afferunt inſanientes iſti: quaſi noſſent iræ ſuæ delictum apprimè, nolentes puniunt illud. Metire quantum diſtet manſuetus ab iracundo. Jacitur in mitem ſagitta contumelioſi verbi, vel injurioſi facti lanceam projicit manus. Ipſe nequaquam vulnus intus excipit; quia validè fuerat obarmatus defenſivis armis. Qui verò cedit iræ furori, ſimilis eſt homini, qui ſagittam arripiens, quam hoſtis arcu miſit, & percuſſit manum, figit illam vi multâ demens in corde proprio. Appoſitè Dorotheus Abbas: *Subjiciam vobis ſimilitudinem, cui potiſſimum ſimilis ſit qui paſſionem exercet & ulciſcitur. Homini puto ſimilem ſagittâ ab hoſte percuſſo: qui ſagittam ſuis manibus arripiens, cordi proprio infigit. Qui verò paſſionem comprimit, ſimilis eſt percuſſo quidem ſagittâ ab hoſte, ſed nuſquam vulnerato ob thoracem quem indutus eſt*: &c. Jam non loquar de percuſſione cordis, quæ fit per ipſum furorem iræ: nam iſtud vulnus neque ſentit homo tunc dum veſania durat, nec poſtea mulroties cùm jam pertranſiit; eo quòd fœditatem, quam ira præcordiis reliquit, non cernamus corporeis oculis. Faciliùs viſitur quàm ſit ira noxia, ſi conſiderentur effectus externi, quos illud monſtrum generat. Mente veluti captus iraſcens, cùm ſibi conſulere vult, ſemetipſum lædit.

Doroth. Abb doct. 10. ad fin.

Componamus ad invicem reges duos: 50. quemdam pium; impium alterum: Davidem ſcilicet ac Herodem. David coactus ad inſuetum belli genus, armatum populum, diviſum in tres partes dimiſit, ut cum filio rebelli committerent prælium. Tribus præcipuis ducibus commendavit gnati perfidi vitam, dicens: *Servate mihi puerum Abſalom.* Quàm aliter ſe geſſit Herodes erga tres filios, accipe. Videns quòd Magi non ſunt ad illum reverſi, juſſit necari pueros à bimatu & infra. Non evaſerunt ferale decretum tres ipſius Herodis geniti: nam & iſti fuerunt interfecti. David filio ſonti parcit? Herodes innocentem ſobolem vitâ privat? Eſt in promptu ratio diſpar. David nequaquam adversùs parricidam natum iraſcebatur; imo clementiâ totus miteſcebat. Chryſoſtomus. *Hinc*, ait, *David, ut parcant filio, abeuntes duces exorat. Parcite, inquit, filio meo Abſalom. Inde dementia contra genitorem exurgit: hinc clementia, ut parricidæ parcatur, expoſcit.* At Herodes agnoſcens Magorum illuſionem, concepit iram non levem. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros*, &c. Neu mireris, quòd propriam ſtirpem juſſit interfici, quod erat ei nocivum: ſic ille ſibimetipſi dedit pœnas. Idem S. Doctor: *Poſt hæc autem dignam pœnam Herodes ſuſcepit. Nam filios ſuos tres interfecit*, &c. Aliquando ſolet iratus à ſemetipſo vindictam ſumere. Prudentiſſimum eſt divinæ providentiæ munus illum ſic flagellare; ſed homo prædictâ ratione, citra meritum ſe percutiens, equidem ſtultiſſimus eſt.

2. Reg. 18. 5.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 1. hom de Abſal.

Matth 2. 16.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 2. oper. imperf. in Matth. longe ante fi.

DELIBATIO V.

Alleviatur malum parato. Patiens vincit ſine pugna. Impatiens quandoque timet. Aliqui non ſe vindicantes dicunt potuiſſe ulciſci, putantes contumelioſum ſibi hoc tacere. Redarguitur vindicta citra culpam.

51. *Alleviatur malum, ſi priuſquam contingeret, paratus eras ad illum ſuſtinendum.* *Qui patiens eſt.* De præſenti loquitur Salomon: cum hoc tamen ſtat, patientiam non ad ſola præſentia tempora coarctari: necnon ad futura mala protenditur in cordis præparatione. Vigil ratio gubernator, antequam procella ſurgat, & concutiat navim, providet utilia neceſſariaque tempeſtati: nam timet, ne poſtea reſiſtere non valeat, & ſuperare fluctuum ſuperbiam. Haud aliter prudentia vigilans præmunit patientum corda, quò ſe promptos antecedenter exhibeant; ut cum ſeſe poſt obtulerit iraſcendi motivum, nequaquam naufragentur. Agnoſco, non omnes qui ſunt mites ad hunc patientiæ gradum pertingere; nec ideo non laudandos eſſe. Quidam in hoc tantùm ſunt patientes, quòd malum non

reddunt

reddunt pro malo. Deinceps alios, quamvis raros, invenies, bonum pro malo referentes. Altiùs evolant aliqui ſuſcipientes injurias cum gaudio; ad majora ſuſtinenda parati. Humbertus: *Ad perfectam igitur patientiam venire cupientes gradibus his utamur, ut videlicet malum pro malo nunquam reddamus, malo reſiſtamus, mala toleremus, injuriantem placemus, bonum pro malo rependamus, gaudenter injuriam ſuſcipiamus, ad plus ſuſtinendum parati ſimus.* Hoc ultimum præcellentem valde locum obtinet inter patientiæ gradus. Ut minuatur arduitas iſtius tolerantiæ tam ſtrenuæ, quæ ſcilicet ad ventura mala ſit anticipatè jam æquanimis; perpendamus, ea non parùm levigari, ſi paratus animo ſis ad illa ferenda.

Humbert. tract. de vot. ſubſt. relig. c. 43. fi.

52. Cum David periculum declinaret, quod à filio perduelli timuit, auſus eſt ipſi maledicere Semei. Sed heros ita longanimiter ſuſcepit verba contumelioſa maledicentis, ut dolorem quaſi non ſenſerit: imo dixit in Pſalmo; *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Exponit Euthymius: *Revera quidem audiebam, ſed audire non videbar, quia tacebam, & non conturbabar. Ipſo enim Semei conviciis ſeſe infectante atque maledicente & pleriſque aliis etiam idem facientibus, tacebat beatus David, quaſi prorſus non audiens.* Inſinuat non doluiſſe cum verbis feriretur illis? Dices, ideo prædicto modo ſe habuiſſe, quia cognoſcebat, injurioſa verba fore ſibi ſpiritualiter utilia. Bene. Sed an quod à propheta Nathan audivit circa delicta commiſſa non erat ejus animæ perutile? Cur id audire doluit adeo, quod aſſerere poſſumus, æſtimaviſſe verba Vatis tamquam ſagittas? In eodem Pſalmo dicentem audies: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*: &c. Ubi Cardinalis Bellarminus: *Fortaſſe etiam ſagittas vocat verba illa increpatoria & comminatoria, quæ à Nathan Dei nuntio audivit*, &c. Quid eſt ergo, quòd Semei verba nequaquam ſentire rex viſus eſt? Vide. Cum David non præſciviſſet, venturum ad ſe Nathan, & acerba locuturum, paratus non erat ut ea ferret; maximè autem poſthac, ut propter peccata flagellaretur percutiente linguâ. Quid infra dixerit Pſaltes attende. *Quoniam ego in flagella paratus ſum*: &c. Idem Bellarminus ad hæc verba: *Addit tertiam rationem, cur voluerit obſurdeſcere, & obmuteſcere coram adverſariis*, Quoniam, *inquit*, ego *propter peccata mea*, paratus ſum *flagellari, non ſolum flagellis verborum, & detractionum, ſed etiam flagellis verberum, & plagarum.* Cum Semei maledictio Davidem invenerit animo præparatum ad ſuſtinendum, videbatur illam non dolere, quaſi jaceretur in ſurdum. Non igitur ad quærendum patientiæ præſidium expectes initia certaminis: manſuetudinem præveni, vel non ſenties ictus, vel feres leviùs.

Pſal. 37. 14. Euthym. in com. ib. Pſal. 37. 3. Bellarm. in com ib. Pſal. 37. n. 18. Bellarm. ib.

53. *Multâ gubernatur prudentiâ.* Cum patiens non cedat vulneribus, aliquis exiſtimaret, majori cum proprietate dicturum Salomonem: Qui patiens eſt, multâ viget fortitudine: nam hæc virtus magis determinatur ad patientiam, cum inter fortitudinis partes patientia numeretur. S. Julianus: *Fortitudo*, inquit, *ut ait Cicero in Rhetoricis, rerum magnarum, & excelſarum appetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione, eſt perpeſſio. Ejus verò partes ſunt quattuor. Magnificentia, fiducia, patientia, perſeverantia.* Quo miſterio Sapiens hoc loco de fortitudine tacuit? Dicerem, quia virtus hæc eſt pugnatrix: nam & actionibus præeſt militaribus. S. Ambroſius: *Fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelſi animi magnitudine, & domi eminet, corporiſque præſtat viribus*: &c. Cum ita ſit, noluit Parœmiaſtes, ut cuiquam veniret in mentem, patientiam pugnando ſuperare. Nihil ei cum præliis commune: pacem diligit; quamvis generis alterius non careat certaminibus. Haud illa cum offendente dimicat: dat manus hoſti; non conſerit cum illo manum: imo ad bellum non exiſſe, viciſſe fuit; coronam recipis cum non colluctaris: Chryſoſtomus: *Non enim*, ait, *luctari te, aut laborare oportet, Deus eas tibi vires conceſſit, ut non conſertione manuum, ſed patientiâ vincas, Non exeas igitur in prælium, & viciſti: non collucteris, & coronatus es*, &c. Patientiæ proprium eſt victoriam aſſequi citra pugnam.

S. Julian. Archiep. Toletan. com. in Nahum. c. 1. n. 3. S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 24. fi. S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom 85. in Matth. ante fi.

Patientia proprium eſt victoriam aſſequi citra pugnam.

54. Romanos exhortans Apoſtolus Paulus ad charitativè ſuſtinendos adverſarios, ita ſcribit: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Commentatur Epiſcopus Remigius: *Vince in bono malum, in patientia ſumma inimicum, & adverſarium tuum præbendo ei cibum, & potum, veſtimentum, & calceamentum.* Diverſam phraſim reperies in Epiſtola prima Gentium Doctoris ad Timotheum. *Certa*, inquit, *bonum certamen fidei*, &c. Quodnam ſit hujuſmodi certamen, de quo loquitur in præſenti, dabit Anſelmus: cujus hæc ſunt verba: *Vel certamen fidei, id eſt, quod fides exigit, certa ut vel in martyrio, vel in agone juſtitiæ, vel contra hoſtes fidei, vel contra quælibet vitia pugnes aſſiduè.* Quare non prioribus verbis miſſis ad Romanos uſus eſt verbo certandi Magiſter Gentilis populi? Ut ita dubitem ex eo movebar, quòd reddere bonum pro malo (de quo ſcripſit ibi) non eſt corona; ſed meritum illius. Dicat igitur: Noli vinci à malo; ſed in bono, quod inimico præbes, cum illo certa, quò vincas malum. Qua de cauſa non hoc modo fatus eſt? Timuit ſcribere certandi verbum ibi: loquebatur enim ad viros adhuc minùs inſtructos in rebus animæ, quàm Timotheus erat. De pugnâ ſiluit, ut ipſos doceret conditionem illam patientiæ; nempe quòd cum adverſario non præliatur; ſed vincit abſque pugnâ. Diſertè Salomon in hac parœmiâ nihil dixit de fortitudine patientis; ſed meminit prudentiæ ſolius, ut indigitaret, eſſe congruum patientibus tradere pugnas oblivioni. Propterea dixit omittens fortitudinem: *Qui patiens eſt, multâ gubernatur prudentiâ.*

Ad Rom. 12. 21. Remig Epiſc. in com. ib. 1. ad Timoth. 6. 12. S. Anſel. in com. ib.

Qui autem impatiens eſt. Eò propenſio mortalium ad vitia tranſiens in mores invaluit, ut quamplurimis non ſit ſatis,

55. *Impatiens oſtendit ſæpe*

ſe timentem, quamvis non timeat.

quò peccata fugiant, eis proponere laudabilitatem virtutum oppoſitarum; ſed oporteat mentalibus ipſorum oculis ingerere fœditatem criminum, quò abhorrent illa. Commendaverat Eccleſiaſtes prudentiam ejus, qui voluntariè patitur: nunc meminit ſtultitiæ, per quam ſit vituperabilis ille, qui ſubeſt impatientiæ. Hoc omitto nunc: hærens in illa voce, *Impatiens*, cujus loco habetur in Septuaginta interpretum lectione alia quidem, ſi rem penitiùs meditemur, ei non parum affinis. Verterunt illi ſic: *Puſillanimis autem valde imprudens.* Ecce puſillanimitas ac impatientia veluti ſynonymæ ſunt. Et ô quàm diſpariter ſentiunt homines, etſi rebus multis inſignes, animo tamen vulgares! Ut credantur fortes impatientiam ſectantur. Potiùs vitium hoc eſt puerile; ſicut econtrariò patientia fortitudinem probat. Rident hæc illi, qui dictamina ſæculi didicerunt, atque diligunt: ſed hi ſunt magiſtrî peſſimî diſcipuli mali. Sto doctrinæ ſapientiſſimî, ſanctîque Doctoris aurei: qui dixit: *Sicut enim pueri & adversùs inanimata ſolent iraſci, & niſi mater pulſet pavimentum, iram non ſedant, ita ſcilicet & hi eos, qui injuriam intulerunt, volunt ulciſci. Igitur ipſi riſu ſunt digni. Ab ira namque teneri puerilis eſt ſententiæ; at vincere fortitudinis eſt.* Ergo ſtatue tecum, multoties hominem, cum impatientiæ locum ſponte præbet, oſtendere ſe timentem; quamvis non timeat.

Lect. Septuag. hîc.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 5. hom. ad pop. longe ante fi.

56. Induſtriosè monitus David à Jonatha, fugæ præſidium ſumens, ad ſacerdotem ſe contulit Achimelech: & ex Textu colligitur, iviſſe nullo comitante. Sacerdos dixit ad eum: *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* Hugo Cardinalis ex Joſepho refert ſic: *Joſephus dicit nec amicum nec famulum ſecum habens.* Et Sanctius ait: *Quod autem nemo cum Davide profectus fuerit, ingreſſuſque tabernaculum, ut ſupra oſtendimus, neque ullus dubitare poteſt, niſi textui, ac ſibi ipſi vim afferre velit.* Deſcendamus hinc ad caſum, qui Davidi contigit erga Nabal. Ab iſto per nuntios flagitavit opem, neceſſitate cogente. Renuntiaverunt hi Nabalis inurbanam repulſam. Tunc David ait: *Accingatur unuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt & David enſe ſuo: & ſecuti ſunt David quaſi quadringenti viri*: &c. Ut quid tot armatos defert adversùs unum hominem, & eos qui, cum forent ex ejus domo, vellent illum defendere? Sanctius dixit: *Succenſebat itaque uni Nabal, quia illum tantum habuit injurium, quem, ut opinor, ſuſtuliſſet è medio, & eos, qui ſe pro domini ſui defenſione oppoſuiſſent, ſi qui forent*; &c. Quanam de cauſa David ſolus exit, cum fugeret Saülis furorem; ad ultionem verò contra Nabal armatam deducit manum? Reſpondeo. David priori loco non ſe geſſit impatienter; maximè verò die, quâ voluit percutere Nabalem. Nec levis fuit culpa Davidis. Apud Sanctium legimus: *Eſt communis aliorum opinio, in hoc conſilio, atque conatu peccaſſe non leviter Davidem.* Non ergo formides credere, gravem hîc extitiſſe Davidis iram. Cùm nequaquam iratus erat, auſus eſt egredi ſolus; quamvis haberet adverſarium regem armis potentem. Quando verò contra Nabal iratus eſt, non utique formidavit; ſed ad modum timentis habuit ſe, volens adverſus illum ire deferens tot comites. Infer quantum aberrent à vero qui putant probare ſe fortiſſimos exhibendo ſemet iracundos. Illum credito puſillanimem, qui *impatiens eſt.*

1. Reg. 21. 1.

Hug. Card. ib.

Sanct. ad c. 21. v. 4. n. 13.

1. Reg. 25. 13.

Sanct. ib. ad c. 25. v. 22. n. 20. fi.

Idem ib. ad v. 35. n. 48.

57. *Exaltat.* Sic ſunt homines, qui ſæculo ſerviunt, honoris vani dilectores, ut multò minor eſſet peccatorum cumulus quidem, ſi mundus barbarè non ſtatueret, eſſe quædam honorabilia ſcelera; vel mortales in hoc ei non adhiberent fidem: experimur enim, plurimos vitare crimina, quibus annectitur infamia, propter hoc ſolùm quòd peccantibus dedecus afferunt. Unum ex delictis, quæ laureâ donat mundus, eſt vindicta germen iræ. Propterea ſolemus, cum indignamur, iracundiam aperire; iſtam exaltantes, hoc eſt, in ſublimi ponentes, ut multis nota ſit. Rodolphus hoc loco: *Hic* exaltat ſtultitiam, *ſive elevat ſtultitiam, quæ prius occulta fuerat, in propatulo ponit. Aliter: ſtultitiam præponit ſapientiæ.* O miſeri, qui rem Deo diſplicentem valde reputamus honorificam: ad unguem obſervamus quod vulgus docet; non quod ratione præditum decet: aliorum irriſionem fatuam vitare cupimus; & per hoc irrideri dignos reddimus noſipſos. Non mihi pronum exhibeas auditum, ſed Chryſoſtomo, dicenti: *Non quid dicant, ſed quid nos decet, conſideremus. Ne me derideant, inquit, & inſultent aliqui. O dementiam. Nullus mihi, inquit, injuriam faciens me deriſit, hoc eſt evaſi. Et ex hoc quidem derideri debes. Unde hæc verba, quæ pudoris ſunt & mortis, irrepſerunt, vitæ converſationiſque noſtræ ſubverſio?* Hæc legimus: hæc audimus: & non ab omnibus creduntur. Imo necnon omittentes aliqui vindictam, non adeo ſemetipſos domant, ut nequaquam in faciem conjiciant ei, cui nocere valuerunt, quòd potuerint ultionem ſumere: quoniam exiſtimant honoris diſpendium eſſe non ita loqui.

Jactamus poſſe nos ulciſci, licet vindicta parcamus.

Rodol. in Prov. 14. 29.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 5. hom. ad pop. 30. ante fi.

58. Deliberavit Jacob exire de domo Laban: qui poſtea comprehendit abeuntem; & ad generum dixit: *Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Et poſt pauca: *Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* Quiſquam notabit facilè, ſibi contrarium ſtultè fuiſſe Labanum: quippe qui ſimul & inſinuavit, paraviſſe vindictam de Jacob ſumere; cum abſtinuerit ab illâ propter verbum Dei ſibi factum; & amorem indicavit, aſſeverans, proſecuturum cum gaudio fuiſſe diſcedentem, ſi notum ipſi faceret exitum ſuum. Mendacio fatuitatem junxiſſe Rupertus advertit, inquiens: *Hæc dicens cavit quidem juxta comminationem Dei, ne loqueretur quicquam durius contra Jacob, ſed ipſam cautelam ſuam*

Geneſ. 31. 27.

Ib. n. 29.

Rupert. l. 7. in Geneſ. juxta fi. capitis 43. ad c. 31. n. 27.

quam mendacio infatuavit, ita ut manifeſtè ex ore ſuo, redarguendus ſit. Si enim hæc illum cura tangebat, quod non fuiſſet paſſus Jacob, ut proſequeretur ſe cum gaudio, & canticis & tympanis, & citharis, quare illum (ſicut ipſe fatetur) corripuit Deus, ne durius quicquam loqueretur? Non eſt quòd ſtultitiam demiremur illius, qui venerat impatiens contra Jacob. Id tantùm non præteribo; quòd, cum abſtinuerit ab ultione, tamen veluti putans hoc dicto ſervare proprium honorem illæſum, dixit ad generum, ipſi valere ſe nocumentum afferre. Sic multi, ſeipſos continentes ab ulciſcendo, jactant poſſe vindicare ſe, quaſi tacentes idipſum, incurrerent aliquam veram inhonorationem. Hoc pacto ſuam fatuitatem quivis eorum *exaltat.*

59. *Iratus aliquando videtur ignorare pietatem Dei.*

Stultitiam ſuam. Quam ſtultum ſit impatientiæ ſervire, plura ſimul comprobant. Impatiens bonum pacis internæ voluntariè deperdit: iram alterius contra ſe provocat: dolorem ſuum auget, corroborans offenſæ memoriam: patientiæ meritum contemnit: damna corporis & ſpiritûs, quæ proveniunt ab iracundia, complectitur. Et quid non ſtultitiæ reperies in eo, qui mente ſuſcepit affectum, qui ſic rationem interturbat. Tullius ait: *An quiſquam poteſt ſine perturbatione mentis iraſci?* Adde Patricium. *Quanta ſit iracundiæ culpa penſare poſſumus, per quam patientia perditur, ut quid, quove ordine ſit agendum omnino neſciatur; quia nimirum intelligentiæ lucem ira ſubtrahit, cum mentem promovendo confundit.* Nonnullos audies rabie turgentes; & ſimul jactabundos, non ita ſe hujuſmodi paſſioni cæco modo ſubdere, quòd intellectûs acies minuatur: cum expendant acutiſſimè motiva, quibus feruntur adversùm proximos; & pariter inveſtigent media, quibus intentum eis malum proſequantur & perficiant. Necnon & iſtud inſani proprium eſt; non credere ſe dementem. Nihil addam circa ſtultitiam delinquentium per iram. Veniam ad alios iraſcentes: qui, licet irati, nihilominus propter aliquam excuſationem rationabilem, in hocipſo non delinquunt. Etiam iſtis ineſt ignorantia ſua. Vis aperiam qualiter neſciant? Ipſam Dei pietatem ignorare videntur, quæ ſole clarior.

Tulli. l. 4. Tuſcul. Franc. Patric. l. 4. de reg.

60. Luc. 9. 54.

Narratur apud Lucam, Salvatorem miſiſſe nuntios ad civitatem Samaritanorum: qui renuerunt eum recipere. Quid tunc filii tonitrui? *Cum vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Ubi Hugo Cardinalis: *Hoc dixerunt non ex amore correctionis, ſed ex livore vindictæ*: &c. Dixit ad illos Clementiſſimus: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Commentatur Maldonatus ibi: *Quod Chriſtus ait*, Neſcitis cujus ſpiritus eſtis, *non mihi videtur propriè de toto Evangelio, ſed de ſolo Chriſto dictum eſſe, qui etſi poterat, & homines maximè digni erant, ut ab eo punirentur, non venerat tamen, ut ſtatim dicit*, animas perdere, ſed ſalvare. Hinc libenter deducitur, ſenſum eſſe verborum

Card Hug. in com. ib.

Luc. 9. 55. 56.

Maldon. ib.

Chriſti Domini, quòd illi diſcipuli neſcirent adhuc plenè pietatem Redemptoris. Memini, diſcipulos apud Matthæum quædam verba dixiſſe Magiſtro; quæ meruiſſe crederes à Domino reſponderi quòd ignorarent aliquo modo benignitatem Servatoris: non tamen hoc ibi lego. Clamavit Chananæa, poſtulans miſericordiam Chriſti pro liberanda filia, quæ vexabatur à diabolo. Dominus ei nihil reſpondit. Tunc inquit Evangeliſta: *Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat poſt nos.* Paſchaſius hujus dicti primam rationem offert, inquiens: *Fortè quia adhuc myſteria Salvatoris minus intelligebant. Ideo eis durum viſum eſt, quòd ad tam deprecatorias voces longe jam diu nullum reſponſum daret*, &c. Si dura viſa fuit eis taciturnitas Præceptoris ad ſupplicationem Chananææ; quare non reſpondit ipſis: Neſcitis cujus ſpiritûs eſtis; hoc eſt pietatem meam non adhuc exactè ſcitis; ut ſupra vidimus increpavit illos duos, qui Samaritanos igne de cœlo conſumere cupierunt; non verò diſcipulos, cùm putavere, Dominum agere durè cum fœmina, cui petenti miſericordiam nec præbebat reſponſum? Meritò quidem apud Lucam notati ſunt fratres de neſcientia: quia, licet culpâ vacaverint, tamen vindictam ſumere de injuria Magiſtri, deſideraverunt. Affectus ad ultionem (inculpabilis etiam) ſic perturbat mentem, ut aliquando neſciat homo Dei pietatem, quamvis notiſſimam. Quantò plùs hoc verum erit in eo, qui gravis iracundiæ reus obcæcatur infeliciùs per *ſtultitiam ſuam?*

Matth. 15. 23.

Paſchaſ. l. 7. in Matth. ib.

FLOS XXXV.

Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium invidia.

APERITUR.

1. OCCURRIT ſtatim quæſtio, ſententiane præſens intelligatur de carnibus materialibus & oſſibus; an de virtutibus & motibus animi. Sto pro ſenſu primo cum Rodolpho, Janſenio, Salazar, & Cornelio Alapide. Significat igitur dogma, cor, id eſt animum, liberum à malis paſſionibus, præſertim livore, facere corpus vividum & ſanum; paſſiones autem illas, maximè invidiam, corpus exedere ac labefactare. Omiſſis pronunc aliis paſſionibus damnabilibus (de quibus aliquid mox generatim loquar) à Gentili Vate collige nunc aliquos effectus corporales invidiæ; quos ille, fabulam componens, depinxit.

Rodolph. Ianſen. Lazar. & Alap. in Prov. 14. 30.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.

Ovid. met. l. 2. Fab. 15.

Nec

Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis :
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur unà.

Fictionem pangit Poëta ; ſed multa vera latent ſub hoc mendacio. Saltem crede S. Antiocho. S. Antioch. hom 55 poſt princ. *Invidia*, inquit, *enim quaſi vermis in ligno, & in veſtimento tinea, ita cor denique & faciem ejus conficit ac macerat hebeti pallore, qui ſemel in ipſius manus incidit. Contra ; is cui invidetur, in hominum proſpectu miris modis promovetur ac proficit, à Domino protectus.*

2. Sed quoniam Salomonicæ parabolæ prior pars, ut inſinuavi ſupra, latiùs patet, quàm poſterior ; generaliter loquentes notabimus, corpus etiam in hac vita ſuum quodammodo lucrari ſtipendium, propter miniſterium, quod exhibet animæ circa virtutum quarumdam exercitia: nam veluti vegetatur à ſpirituali fortitudine. S. Paulinus : S. Paulin. ep ad Sever. 1. longe ante fi. *Atque ideo voluntatem noſtram Chriſto auctore directam caro juſſa comitatur, trahitque corpus ab animi fortitudine firmitatem :* Et infra : *Miſericordia ejus & gratia præibunt faciem tuam : & ſi infirmus domo prodeas, robur acquires eundo. Sperantes enim in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ. Si ergo habeas cor ardens in via, renovabitur ſicut aquilæ juventus tua. Curres & non laſſaberis :* &c. Utinam corporis amor (frequenter noxius) aliquoties cooperaretur nobis in bonum : & ſaltem cupientes, ad ſerviendum Altiſſimo fervorosè, frui robore corporali, ſtuderemus animum, virtutibus nutrire ; quò ſic ſtrenuitas animi redundaret in carnem. Scio, deſpici corpus à viris perfectis : attamen aliquid in hac re fragilitati concedi poteſt cautè : præcipuè cum ſit corpus gazophylacium, quo reconduntur opes animæ juſtæ. Guarricus Abbas : Guarric. Abb ſer. 1. de Epiph. ante med. *O quanti theſauri bonorum operum, quantæ divitiæ piorum fructuum abſconditi latent in agro humano corporis*, &c. Adde, non parùm nobilitari juſtorum corpora per hoc, quòd ſint divini Spiritus habitacula. Clemens Alexandrinus : Clem. Alex. l. 4. ſtrom. longe ante fi. *Suſcipit hoc habitaculum animam Deo pretioſiſſimam & Spiritu ſancto dignum cenſetur per animæ & corporis ſanctificationem, ut quod perfectione Servatoris perficiatur.*

3. Lentiùs nunc, ſicut ſoleo. *Vita carnium.* Bene ſic appellatur vita noſtra : nam caro fragilis eſt ; vitaque fragillima. Vivunt & oſſa : quia tamen vita noſtra firma non eſt, forſan ideo non vocatur hîc oſſium vita ; *ſed carnium.* Juvat offerre tibi S. Ambroſium. S. Ambroſ. to. 1. l. 3 in Hex c. 7. juxta med. *Vivete enim*, ait, *gloria hominis in carne quaſi fœnum : & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt, præmatura ut flos, caduca quaſi fœnum : .... Quæ enim firmitudo in carne, quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna?* Rurſus eumdem audi. Idem. to. 3. expoſ. in Epiſt. 1. ad Timoth. c. 6 *Vera*, inquit, *vita illa eſt quam ſperamus futuram, quæ non occaſu, non temporibus terminatur. Æterna eſt enim, & ideo meritò vera appellatur. Hæc enim præſens imago vitæ eſt, non veritas.*

4. *Sanitas cordis.* Jam ſciſcitaris quid ſit cordis, moraliter loquendo, ſanitas ? Dabit hoc Fr. David de Auguſta. Fr. David. de Auguſt. in form. novit. c. 9 ante med. *Sanitas*, ait, *cordis in tribus conſiſtit : In voluntatis rectitudine, in affectionis ſanctitate, & cogitationis ſtabili puritate.* Conſonat Salvianus. Salvian. in op. qui inſcribitur Timotheus. l. 1. poſt med. *Quid eſt enim*, ait, *perfecta ſanitas? quid, niſi in vita hac bene agere?* Et mox : *Quid eſt enim perfecta ſanitas? quid, niſi rebus à Deo traditis bene uti?*

5. *Putredo oſſium.* Chaldæus habet ſic : L. & Chaldaï hîc. *Et ſicut putredo in ligno fortis eſt : ſic & in oſſibus invidia.* Septuaginta verterunt : *Tinea autem oſſium cor ſenſitivum.* Vermi, quod Verſ. Sept. ib. naſcitur in ligno, poteſt invidia quidem aptè conferri : nam ſicut vermiculus ille valde nocet ligno, de quo natus eſt ; non autem aliis : ita livor corrodit invidum ; cum verò non lædit, quem invideri contingit. Gregorius Præsbiter : Greg. Præſbit. in vit. S. Greg. Nazianz. *Talis enim eſt invidiæ natura, ut parum aut nihil offendat eos quibus invidet : verùm eos, qui illam parturiunt, ingenti afficit detrimento.* Lividi vultum intuere : fortè ſigna dabit angoris, quo laborat miſer. S. Baſilius Magnus : S. Baſil. Mag. ſer. de liv. & invid. longe poſt med. *Sed ipſo*, ait, *quoque interdum vultu non minus invidi declarantur : abſtruſior namque his oculus, obſcuriores genæ : demiſſum, & triſte ſupercilium : animaque ipſa paſſione dejecta, & penitus incurvata, nuſquam veritatis judicium in negotiis ſervat.*

6. *Invidia.* Fortaſſe vocabulum iſtud ſumit etymologiam à non videndo. De cæcitate livoris multa poſſemus aggerare ; quæ dimitto libens : quia commentarii brevitas id non patitur. Sufficiat nunc Titi Livii teſtimonium, dicentis : *Cæca invidia eſt*, &c. Quidni mentis oculos obnubilet iſta paſſio ; quæ fumo ſimillima perhibetur? Plutarchus : Tit. Livi. decad. 4. l. 8. *Res*, ait, *egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria invidiæ fumum diſcutiat : nam fumus gloriæ invidia eſt.* Plutar. in mor. Delicatulus eſt ille, qui fumum execratur, quaſi maximum damnum inferat. Invident alii tibi? remedium noſti perutile pro livore tollendo : ſed multùm dubito, veliſne per iſtud invidiam declinare. Remedium eſt hujuſmodi. Proſperitatem depone. Deſines invideri. Rurſum Plutarchus : *Ubi nullum lumen, ibi nulla umbra : ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia.* Idem ib.

DELIBATIO I.

Optimus prælatus deſcribitur ænigmate cordis.

7. *Prælatus inculpatam agens vitam ſubditos reddit ſibi ſimiles.*

MYſtici corporis ænigma tritum eſt corpus humanum. Sicut in hoc pro variis functionibus reperiuntur diverſa membra, ſed unum habemus cor, veluti principem, à quo pendent cætera ; ſimiliter in corpore morali, quod monarchico regimine gubernatur, ſuperior gerit cordis officium ; ſubditi reliqua membra ſunt. Vidi citatum alicubi (neſcio quo jure) Cardinalem Hugonem, quaſi dixerit, ſymbolicè per cor hoc loco denotari prælatum ; quoniam tunc ab ipſo

ſpiritus

ſpiritus vitæ fluit in alios velut in membra, cùm ſanus animo viget ille. Purpuratus equidem vocat hîc eccleſiaſticos reſpectu ſalutarium, cor: nihil autem apud eum in commentario paræmiæ præſentis invenire potui, quod ſpecialiter de prælato circa ſubditos ageret. An Cardinalis dixerit illudipſum alibi, vel citans hoc Salomonis effatum, vel non, viderit qui retulit eum. Nihilominus loquamur pauliſper juxta ſenſum iſtum ſymbolicum; quemcumque patronum habeat. Cordi bene confertur ſuperior: nam ſicut ſpiritus vitales non ſani defluunt ab infecto corde; ſalubres autem diſtribuuntur à corde ſanitatem poſſidente; non aliter, ſi moderator haud ſanus eſt, vitia ſubditi participant; ſi verò bonus, ab ipſo derivantur virtutes in ſubditos, mediantibus exemplis, tamquam inſtrumentis vitalium ſpirituum à corde myſtico manantium. Si contingat, hunc, vel alium librum multis erroribus inquinari; continget rarò, non etiam in tranſcriptis eadem errata reperiri, quoties typis mandatum fuerit. Appoſitè Humbertus: *Prælatus eſt ſicut exemplar à quo alii libri tranſcribuntur; & ideo ſicut omnes libri ſcripti ad malum exemplar ſunt corrupti: ita exemplum prælati, niſi ſit bonum, eſt cauſa corruptionis in omnibus ſubjectis.* Hinc patet à contrario ſenſu, quàm ſit proficuus ille ſuperior, qui virtutibus ornatur. Nam cum notum ſit quod ſcripſit Nyſſenus: *Cor membra ſingula ſpirituum calore fovet*, cumque præfectus calor ſit Reipublicæ, magnæ, vel parvæ, cui præeſt; quivis hæc rectè perpendens inferet, probitatem regentis ut plurimùm efficere quod recti ſubditi ſint. *Quoniam*, ait Magnus Gregorius, *præpoſitorum bonitas, ſubjectorum ſalubris eſt regula*, &c. Prælatus inculpatam agens vitam, ſubditos reddit ſibi ſimiles.

Humbert. in expoſ. reg. S. Aug. p. 10. §. Circa primum.

S. Greg. Nyſſen de homi. opif. n. 62.

D. Greg. Pap. to. 2. l. 5. epiſt. c. 156.

8.

Magiſter Gentium ſcribens ad Titum exhortabatur illum in hæc verba: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Scis quiſnam ſit ille, qui dicitur ex adverſo eſſe. Juxta Chryſoſtomum, dæmon eſt, & omnis malorum cætus: ſic enim commentatur. *Quid ait ex adverſo? Significare diabolum voluit, omnemque illi obſequentem.* Advertendum etiam eſt, illud, *De nobis*, extendi necnon ad ſubditos. Ita D. Thomas in commentario ſcribens: *Q. d. Si omnes bene ſe habeant, ſcilicet prælati & ſubditi, adverſarii non poſſunt vobis nocere.* Nunc eſt examinandus contextus verborum Pauli, quæ proximè dedimus: non enim prior illorum pars aptè connecti videtur cum poſteriori. Dixerat ut ſe Titus præberet exemplum operum bonorum. Videbatur adjecturus: Ut is qui ex adverſo eſt nihil habeat malum dicere de te. Non ita loquitur Apoſtolus. Dixit potiùs: *Ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Cumque, prout ante dixi, protendantur ad ſubditos hæc ultima verba; dubitabam, intellexeritne Paulus, fore ſubditos irreprehenſibiles à diabolo, ſemel quòd Titus perfectè bonus eſſet? Depoſui partem deliberans: memor quòd hæc Epiſtola ſcripta fuit ad Titum jam factum Epiſcopum, Anſelmo teſtante ſic: *Titum apud Cretenſes Epiſcopum reliquerat Apoſtolus, ut univerſam Cretam regeret & doceret, ideo nunc per epiſtolam inſtruit eum quales Epiſcopos debeat ordinare*, &c. Crede, tam efficax eſſe prælatorum exemplum; quòd, ſi rectè ſe gerunt in omnibus, conſequens eſt, ut inferiores degant ſimiliter: nam ab illo deſcendunt quaſi ſpiritus vitales optimi; quibus membra corporis myſtici vegetantur ad ſuas functiones exercendas apprimè: quia ſanitatem eis communicat ſuperioris probitas, velut *ſanitas cordis.*

S. Anſel. in præfat. ad hanc Epiſt.

S. Joan. Chryſoſt. to. 4. in com. Epiſt. ad Tit. ib.

S. Thom. in com ibid. lect. 2.

9.

Prælatus doleat de malis ſubditorum.

Habemus ex prædictis primam ſimilitudinem; quæ nunc inter cor & prælatum occurrit cogitanti. Sequitur expendenda ſecunda. Læditur graviter pes, vel manus: cor illis compatitur ſic, ut dolor ipſum pervadat; quin id attigerit illud inſtrumentum, quo prædicta membra læſa fuere. Sic & ſuperior doleat illa quæ ſubditi patiuntur. Imo non tantùm condoleat, quaſi caſualiter certior factus de ſubjectorum dolore: ſed inquirat ſollicitus quid mali contriſtet ſuos. Audiat S. Laurentium Juſtinianum. *Cum*, inquit, *ad bene regendum oporteat, illum qui præſidet, uniuſcujuſque ſcire mores, affectiones & vitam, quibus tentationibus exagitetur, quibuſque paſſionibus ſuperetur, quatenus valeat nedum congruentem languentibus ſpiritalem præbere medicinam, verumetiam infirmantium afflictionibus compati. Debet quidem prælatus gaudere cum gaudentibus, & idipſum ſentiendo flere cum flentibus*, &c. O quantum virum eligi decet ad prælaturam! qui ſcilicet in congregatione ſibi creditâ reſideat in ſingulis partibus totus; ut anima rationalis eſt in qualibet parte corporis. Magis mirum eſt hoc ſanè, quia rarum: nam præfecturæ munus cogit altiora tenentem, ut in ſingulis minimis inhabitet; quò doleat anxietates eorum. Cor hominis habet in medio pectore ſedem: novimus autem, aliquantùm ad lævam declinare; non in dexteram. Per dextrum ſolemus intelligere proſpera; per ſiniſtrum adverſa. Gubernator in medio locatus, hoc eſt æquitatem in moderando ſervans, potiùs ad lævam, id eſt, ad mala ſubditorum inclinet benignè; quàm ad ipſorum gaudia. Non inficior, ipſi gaudendum cum gaudentibus gaudio non puerili, ſeu ridiculo: magis tamen per fletus inferiorum tangatur; quàm per ipſorum lætitias.

S. Laur. Juſt. de inſtit. & reg. prælat. c. 1. longe ante fi.

10.

Ingratus Hebræorum populus, cum frueretur pane cœleſti, deſideravit Ægypti cibos; dolens uſque ad lacrymas. Intolerandum viſum fuit hoc Moyſi: dixitque Domino: *Cur afflixiſti ſervum tuum? quare non invenio gratiam coram te: & cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum*, &c?

Numer. 11. 11. 12.

In ſacro Textu, non legitur, Deum dixiſſe Moyſi, quòd more nutricis deferentis infantulum portaret plebem. Nihilominus Cornelius Alapide commentatur hoc loco: *Unde patet Deum dixiſſe Moyſi: Eſto populo huic ut nutrix & mater*, Cum grave ſatis foret onus populi, potiùs à Domino dicendum videbatur Moyſi: Eſto populo huic & currus & auriga: ſicut poſtea dixit Eliſeus ad Eliam diſcedentem: *Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus.* Et adhuc magis moveor ad hæſitandum, cum videam pondus infantuli, quem portat nutrix, graviſſimum non eſſe. Quam ergo proportionem nutrix habebat in puerulo portando, cum portatione plebis Hebrææ commendata Moyſi? Dicam. Nutrix lætatur equidem cùm cernit infantem gaudio profuſum; ſed multò magis commovetur, ſi puer grave patiatur malum. Sic Deus volebat ut ſe gereret Moyſes cum populo ſuo: condolens afflictionibus ejus; cum eſſet ei præpoſitus. Elias autem non legitur Iſraëlitas rexiſſe: propterea non illum vocavit Eliſeus nutricem Iſraël. Oportet igitur, ſuperiorem de ſubditorum ærumnis dolorem concipere, quia cordis munus exequitur: cujus eſt anxiari, cùm aliquod è cæteris membris graviter ægrotat.

Alap. in com. ib. ad n. 12.

4. Reg. 2. 12.

11. *Requieſcere datur ſubditis; prælato verò minimè.*

Tertiam analogiam ſubjiciam, quæ viſitur inter cor & prælatum. Ferè nulla conceditur bono ſuperiori quies: non tantùm illa, quam dicimus otium, & vituperabilis exiſtit in quocumque; ſed nec ea, quæ damnabilis non eſt; imo conſulitur, ut reficiantur vires. Jam internâ ſollicitudine torquetur; jam exterioribus gravatur; & veluti ſervus ad rotam perpetuâ fatigatione movetur. In hoc etiam æquiparatur cordi: quod nullo tempore quieſcit. Vigilant oculi; ſed tandem dormiunt aliquando: laborant manus opere: carpunt itinera pedes; at ambo ceſſant, cum ad horas quieti conceſſas ventum eſt. Non ita contingit cordi: diu, noctuque motum non interrumpit. De illo ſcribit Nyſſenus: *Pulmonis in parte media cor continetur, quod ipſum quoque ſine intermiſſione movetur, inque hoc ignis nunquam non mobilis naturam imitatur.* Haud aliter accidit ſollicitè regentibus. Diurnâ vel nocturnâ requie nequaquam potiuntur, ſimiles animalibus myſticis: de quibus in Apocalypſi dicitur: *Requiem non habebant die ac nocte*, &c. Ad quæ S. Gregorius Magnus alludens ait: *Admonendi ſunt itaque qui præſunt, ut per circumſpectionis ſtudium oculos pervigiles intus & in circuitu habeant, & cœli animalia fieri contendant. Oſtenſa quippe cœli animalia in circuitu & intus oculis plena habentur, & ſic deſcribuntur.* Quod monuit S. Doctor, opere perfecit in ſummi Pontificatus apice conſtitutus: idcirco ſanctâ quiete frui non valebat. Scripſit ille quondam in epiſtola quadam: *Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, aſcendiſſe exterius video.* Suadeant ſibimetipſis qui ſedes aſcendunt, oportere quòd in continuo motu ſint. Requieſcere datur ſubditis; prælato verò minimè.

S Greg. Nyſſen. l. de hom. opif c. 30. n. 60. fi.

Apoc. 4. 8.

D. Greg. Pap. to. 1. 3. p. Paſt. admon. 5. poſt med.

Idem to 2. l. 1 epiſt. c. 5. poſt princ.

Dilectus Apoſtolus exul in Pathmos plura vidit mira. Primam nunc haud egrediar viſionem: nec illam integram proponere delibero; ſed ea verba tantùm Joannis expendam: *Et converſus vidi ſeptem candelabra aurea:* &c. Quid iſta candelabra ſignificent, dabit S. Bruno Aſtenſis, obiter docens, impoſitas candelabris lucernas accenſas; vel potiùs id ſupponens, & lucernarum ſignificationem adjiciens. *Septem autem*, inquit, *candelabra aurea, ſicut in ſequentibus demonſtratur, ſeptem ſunt eccleſiæ, quas ſæpius memoravit. Et meritò candelabris eccleſiæ comparantur, ſuper quas, ut cæteris lumen præbeant, quaſi lucernæ Epiſcopi conſtituuntur*, &c. Non parum figura diſtare videtur à figurato: non enim accenditur lucerna, quò lucem præbeat candelabro, ſupra quod locatur: Epiſcopus autem prælucet eccleſiæ ſuæ. Igitur quomodo poſſumus eccleſias iſtas intelligere per dicta candelabra; per lucernas autem Epiſcopos? Ne ſimilitudinis proprietatem quæras in cunctis. Verè candelabrum eſt congregatio fidelium, cui præficitur Antiſtes, tamquam lucerna ſuperimpoſita, in qua ignis ardet. Flamma lucernæ jugiter movetur: candelabrum quieſcit. Non aliter; quamvis detur ſubditis quies; Epiſcopali negatur ſollicitudini. Superiores hi (ſicut & cæteri) vix ullâ requie fruuntur: ſunt enim propriæ Reipublicæ corda, de quibus pendent influxus in myſtica membra: cordis autem proprium eſt moveri motu continuo.

12

Apoc. 1. 12.

S. Brun. Aſt. com. in Apoc. ib.

13

Adjicio quartam rationem: quæ ſatis oſtendit quàm proportionatè ſuperior cordis appellatione veniat. Cor aëre veluti paſcitur, quem reſpiratione ſumimus: ex quo ſibi tantum vendicat, quantum indiget; reliquam partem dimittit, quæ per expirationem ejicitur. Conſervationem caloris naturalis hac viâ ſatagit natura: moderationem veluti docens. Prodeſt moderatus aër cordi; ſed oportet effundi ſuperfluum, ad hoc ut ſimul emittatur illius fuligo. Nemeſius Epiſcopus: *Verum*, inquit, *conſervatio quidem caloris naturalis, ducendo & emittendo ſpiritu conſtat, quòd ductus refrigeret, & moderatè calorem excutet: emiſſio fuliginem cordis effundat.* Cordis imitator ſit optimus Præſul. Aëri ſimilia ſunt bona temporalia, quibus pro munere ſuo complendo fungitur: ipſorum parte quidem eget in congruam ſuſtentationem: iſtam ſumat ex eccleſiaſticis redditibus; reliquum non theſaurizet; ſed effluere piè ſinat. Summo Paſtori diſplicent ii, qui nequaquam ejus benignitatem imitari curantes erga miſerorum auxilium, vel theſauros replent; vel in ſuperfluitates prodigunt egenorum patrimonia. De tenacibus in egentes ait Juſtinianus: *Hinc ſummopere animadvertendum eſt, quàm ſit odibile Deo, fraternæque dilectioni contrarium, necnon præſulibus perniciosum temporales redditus habere opulentos, & ipſos clauſis viſceribus pietatis tenaciter poſſidere*, &c. Poſt hæc inſignis ille Patriarcha, nobile ſuperiorum exemplar, ſalutari verbo moderatè, quaſi tacens, caſtigat eos, qui, cum

Nemeſ. Epiſc. tract. de nat. hom. c. 28. ante med.

S. Laur. Juſt. de inſtit. & reg prælat. c. 4. ante fi.

cum ſint eccleſiarum præpoſiti, ſæculi majeſtatem diligunt; & in hujus ornatu proventus eccleſiaſticos inſumunt. *Taceo de illis*, ait, *qui bona pauperum in pompis ſuperfluis, in vanitatibus ſæculi, in phaleris equorum, in vaſis argenteis & deauratis, in veſtibus pretioſis, in conviviis opulentis, & his ſimilibus* (hîc videtur deeſſe aliquid) *quæ moderatè tamen congruunt regibus ac principibus ſæcularibus.* Non ſic optimis Dominici gregis paſtoribus mos eſt: noverunt quippe, ſe diſpenſatores poſſeſſionum ſibi creditarum. Noverat hoc proximè citatus Antiſtes; cujus hæc addo verba: *Nam*, inquit, *ovium Chriſti paſtores terrenarum utique ſunt diſpenſatores facultatum, quas vivi tribuunt cum pietate, defuncti autem reliquerunt pauperibus erogandas*, &c. Congruum eſt aſcenſuro Pontificatus culmen, animadvertere, rationi conſentaneum eſſe de temporalibus non accipere pluſquam indiguerit.

Idem ib.

Idem ſup.

14. Filius Dei ſciens quid exactores dixerint ad Petrum circa non ſolutum didrachma; quò ſcandalum vitaretur, ait Apoſtolo: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.* Parcè videbitur operatum fuiſſe rerum Dominum in hujus patratione miraculi. Unicum ſtaterem voluit invenire Petrum: quare non multos? Memini, duplici convivio Chriſtum Dominum paviſſe turbam largiter: plura ſuperfuerunt, quod notum cunctis eſt. Cur non & hîc pecuniarum copiam accipit Simon, ut reliquæ cedant in uſus pauperum? Confirmatur hoc dubium ex eo, quòd tunc temporis Apoſtolici Collegii loculi fuerant in eleemoſynas exhauſti, Divo Thoma teſtante: qui ſic habet ad locum præcitatum: *Poteſt quis objicere: Nonne loculos habebat? Verum eſt: ſed omnia data erant in uſus pauperum. Rapinam arbitrabatur quod erat ad uſus pauperum in alios uſus expendere.* Notentur Aquinatis poſtrema verba pondere gravitantia: *Rapinam* &c. nos enim dubii propoſiti ſolutionem tantummodò quærimus. Dubitabam, qua de cauſa non diſpoſuerit Omnipotens, ut monetas plures piſcis ad Apoſtolum deferret? Pontificatum jam promiſerat illi Dominus. Noluit, ut ſub eleemoſynarum prætextu, præcordiis illius irreperet ſuperfluarum dilectio pecuniarum: quæ minimè congruebat eccleſiaſticam dignitatem poſſeſſuro. Quinimo ſic docuit eumdem, è temporalibus neceſſaria tantùm ſumeret; ſuperabundantia non amaret. Ita ſe gerentes aſſimilantur inculpati præſides cordi: quod ex aëreo quaſi paſtu ſumit juxta menſuram indigentiæ ſuæ; nil ampliùs.

Matth. 17. 26.

S. Thom in com. ib.

15. Demum, aliis omiſſis, ultimò ſubdam aliud cordis proprium; & moderatorum ſapientum prudenti gubernationi conveniens. Accenditur præternaturaliter ſæpe calor hominis. Quid tunc providet cor? Feſtinat anhelitum; quò ſic refrigerium afferat partibus læſis. Redeat Nyſſenus. *Eam*, inquit, *ob cauſam etiam uſu venit, ut cum intenſus præter naturam calor accrevit (quod in iis qui febre laborant videmus) anhelatio quoque crebrior ſit, corde quaſi feſtinante internum æſtum recenti aëre extinguere.* Cor ecce, cùm nocivo calore membra feriuntur, eorum bonum feſtinanter ſatagit. Sic & ſuperior, ſi damna patiantur ſubditi, moras non trahat. Fateor, oportere ſæpius etiam nullatenus differre criminum ſupplicia. Cùm tamen caſus accidunt, in quibus prudentia non dictat, velocem punitionem adhibendam; ſuperior non properet: velut invitus exequatur ultionem delicti. De principe loquens ait Seresberienſis: *Sed quis ſine dolore proprii corporis membra valuit amputare? Dolet ergo cum exigentibus culpis vindicta expoſcitur, eam tamen peragit invita dextra. Siniſtram namque non habet princeps?* &c. Non ita retardet manum gubernans, cùm de bono ſuorum agit. Ad arripiendum flagellum quaſi coactus accedat; non ita verò, cùm benefacit, cunctetur. Idem Seresberienſis, referens Ethicum poëtam ſcribit: *Ait Ethicus:*

S. Gregor. Nyſſen l. de opif. hom. c. 30. n. 61. ante fi.

Joan. Seresb. l. 4. de nug. c. 8. poſt pr.

Eſt piger ad pœnas princeps, ad præmia velox
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Idem ib. infra.

Superior, niſi ratio cogat, ſit velox ad remedia; non ad ſupplicia.

Alterum namque juſtitiæ, alterum pietatis eſt, quæ adeo principi neceſſariæ ſunt, ut quiſque ſine illis, non modò principatum, ſed quemlibet magiſtratum vendicat fruſtra, ſeipſum irrideat, ſed & aliorum in ſe provocet riſum, contemptum, & odium. Ad ſubditis præſtanda remedia maturat qui bene præeſt eiſdem; non ſic ad ulciſcendum crimen, cùm ratio non cogit ad feſtinandum.

16. In monte verſabatur cum Domino Moyſes: populus autem ad idololatriam. Duci neſcienti detexit Altiſſimus rem: non tamen ille propterea ſtatim deſcendit è monte, puniturus idololatras: adhuc manſit per aliquod ſpatium temporis ibidem. Nota quàm ſe geſſit aliter Moyſes in ſeditione Core, Dathan, Abiron, & ſequacium. Poſt horrendam ſeditioſorum punitionem, populus murmuravit contra Moyſen & Aaron, atque tumultus increſcebat. Deleturum ſe fore plebem dixit Judex æquiſſimus. Tunc Moyſes ait ad fratrem: *Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum ut roges pro eis: jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit.* Audis quàm ſollicitus? *Pergens cito* &c. Qua de cauſa non ad idololatriam vindicandam citius & ipſe deſcendit? Quia neceſſarium non erat: mitiſſimus autem rector populi Dei minimè feſtinare curabat in exitium ſuorum; Aaronem verò fecit ad remedium plebis uti velocitate. Prælatorum Eccleſiæ figura nonnunquam eſt Aaron; prout habes jam datum ſupra fl. 9. n. 24. Eruditantur eccleſiaſtici judices, ut agnoſcant quantò majori dexteritate ſæpius oporteat remediis uti pro minuendis tollendiſve ſubditorum detrimentis; quàm pro flagitiis eorum poteſtatis gladio feriendis. Corda ſunt Reipublicæ: cùm iſta patitur anhelent ejus levamen ſollicitudine multâ.

Numer. 16. 46.

DELIBATIO II.

Sanitas cordis ex quattuor qualitatum ſymmetriâ morali conſideratione libratur.

17. *An Deus magis detestatur in virtute remissum quàm omnino malum?*

CUique pervium eſt, ſæpe nomen cordis accipi ſic ut ſignificet hominem totum. Exhinc pronum eſt expendere ſanitatem ſpiritualem hominis. Ut igitur corporea ſalus conſiſtit in convenienti proportione quattuor qualitatum; nempe caloris, frigoris, humiditatis, atque ſiccitatis; ita morum ſanitas ex veluti ſimili temperamento conſurgere videtur: ſcilicet ex calido, frigido, humido, ſiccoque. Liceat ita naturalibus ad mores allegoricè nunc abuti. Calorem voco ferviditatem in virtutibus exercendis; frigus moram in conſiderando: humidum eſt pronitas ad lacrymas; ſiccitas auſteritas adversùs mala. Quod attinet ad primum. Patet, fervorem ſpiritualem prodeſſe multùm pergentibus itinere dextro: nam eo juvante deponunt onera paſſionum, & jugum Domini deprehendunt eſſe leve. S. Aëlredus. *Si fervens ſpiritu, ſi diligens ac ſollicitus, ſi diſcretionis virtute fundatus, aſſumptis ſpiritalium exercitiorum inſtrumentis, vitiorum genimina ab agro ſui cordis potenter evellat, in auras conſcientiæ purioris citius reſpirabit, ac jugo cupiditatis excuſſo, ac onere depoſito paſſionum, inveniet quia jugum Domini ſuave eſt, & onus ejus leve.* Econtrariò tepiditas in rebus animæ nociva non dubitatur: detinet enim ſpiritum, faciens ut ſeriùs proficiat in ſerenitatem conſcientiæ. Non recedam ab eodem Aëlredo, qui priùs dixerat: *Sic nimirum abrenuntians quis mundo, ſi tardus, ſi tepidus, ſi ſuæ purgationis minùs fuerit curioſus, quamquam in ſæculo minus extitit inquinatus, tardius in conſcientiæ ſerenitatem, ac charitatis proficiet libertatem*; &c. Meritò Doctor mellifluus conſulebat noxium abjicere teporem, inquiens: *Exurgamus obſecro quicumque ejuſmodi ſumus: reſarciamus animas: ſpiritum recolligamus, abjiciamus perniciosam tepiditatem, & ſi non quia periculoſa eſt, & Deo ſolet, ut interdum miſerabiliter plangimus, etiam vomitum provocare: certè quia moleſtiſſima plena miſeriæ & doloris: & inferno planè proxima: umbra mortis jure cenſetur.* Ex his Bernardi verbis deducito, multum Deo diſplicere tepidos in ſpiritualibus viros. Ignoro quidem, an aſſeverare poſſimus, Dominum plùs deteſtari remiſſos in virtute, quàm valde malos. Qui ſic aſſeruerit niti poteſt hoc fundamento. Homo, qui nunquam in ſemita recta greſſum poſuit, nunquam expertus eſt ſuavitatem vitæ laudabilis. At verò tepidus, cum experientiam rerum ſpiritualium habeat; ipſo tepore videtur indicare, virtutem eſſe prorſus inſuavem; proptereaque nequaquam ipſius amore tangi. Dedecus iſtud virtutis execratur Deus: eapropter videtur ampliùs abominari quòd in operibus virtuoſis tepeas; quàm ſi non adhuc incepiſſes.

S. Aëlred. in ſpecul. charit. l. 2. c. 21. fi.

Idemib ante fi.

S Bernard. ſer. 5. de Aſcenſ. ante med.

Dei monitu Joannes in Apocalypſi ſcripſit ad quemdam in perſona Domini: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Exponit S. Gregorius Papa: *Calidus quippe eſt qui bona ſtudia, & arripit, & conſummat. Frigidus verò eſt, qui conſummanda nec inchoat.* Si frigidus eſt ille qui vitutem nec à limine ſalutat, quî fieri poteſt, ut frigidum optet eum, ad quem ſcribebat per Joannem? *Utinam frigidus eſſes* &c. Reſpondeo. Non cœpiſſe quemdam ſectari virtutem, nequaquam eſt, ſi conſideretur in ſe, deſiderabile Deo ſummè bono: comparatione tamen factâ cum remiſſione multorum inchoantium operari bonum, & minimè cum fervore progredientium, videtur quid optabile Domino, quaſi minus malum, quòd nunquam virtutem incepiſſes; quam ſic dehoneſtas laxitate tuâ. Tempeſtivè Daniel Abbas, apud Caſſianum, expendens poſteriora verba de citatis nuper ex Apocalypſi: *Nec immeritò eos Dominus, quos jam in viſceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam convulſione pectoris ſui evomendos eſſe pronuntiat; qui cum ſalutarem quodammodo ei potuiſſent præbere ſubſtantiam, avelli ab ejus viſceribus maluerunt, tantò deteriores effecti illis, qui nunquam ori Dominico illati ſunt, cibis, quanto id quod nauſeâ compellente projicimus, odibilius deteſtamur.* Maneat igitur, exoſam eſſe Domino tepiditatem, per quam homo remiſſus in virtutis exercitio videtur falsò teſtari, nequaquam dulcem extare Dominum: quaſi diceret, ita ſe per experientiam deprehendiſſe. A contrario ſenſu proclive relinquitur inferre, valde placitum eidem exiſtere fervorem; quo vir bonus conatur in virtuoſo tramite pergendo ſiſtere. Hic eſt ille calor, qui ſanitatem interioris hominis fovet, atque componit.

18. Apoc. 3. 15. 16.

D. Gregor. Mag. to. 1. p. 3. Paſt. admon. 35. ante fin.

Abb. Daniel apud Caſſian. collat. 4. c. 19. ante med.

Adhuc urgere vellem quæ dixi contra tepidos iſtos: quia multum diſcrimen eſt in hujuſmodi tepore. Nam, cum homo ſe videat aliqualiter operari bona, ſollicitudinem ferè dimittit, qua debuit à ſceleribus cuſtodire ſemetipſum, & valde graviter labitur. Chryſoſtomus poſtquam dixit, eos, qui piè vivunt, perſecutionem pati, quamvis non ab hominibus, à diabolis abdidit: *An parvam credis perſecutionem in remiſſione verſari? Hoc eſt omnium graviſſimum, hoc & perſecutione pejus: tamquam enim fluentum influens remiſſio animam emollit. Et quod æſtas eſt & hyems, hoc eſt perſecutio & remiſſio. Ut autem vobis oſtendam, quod hæc eſt pejor perſecutio, audi: Somnum enim infundit animæ, multum hiatum & torporem, undique vitia ſuſcitat*, &c. Quid non mali ſecum deferet animi tepiditas in ſpirituali viâ; cum tepor hic à quibuſdam propellat metum gehennæ. De nonnullis auditoribus verbi ſui dicebat olim Bernardus: *Alii autem non ſic; ſed corde arido & affectione recalcitrante vix trahuntur ad hæc: vix gehennæ timore compelluntur.* Cum timor inferni valde continere ſoleat homines à peccatis;

19. *Tepidus in virtute, ſi graviter ſemel peccet, corruet ſecundò.*

S. Joan. Chryſoſt. hom. 40 ad pop. poſt princ.

S. Bernard. ſer. 3. de Aſcenſ. poſt med.

peccatis; hoc deficiente, miſerè labuntur multi charitate refrigeſcentes in graviſſima piacula. Illud nunc eſt notandum, quod jam propono, frequenterque prædictis contingit. Vir in operando rectè ſegnis, leviter delinquit; & facilè corrigit erratum ſuum: dans executioni virtutis actum contrarium culpæ modicæ: quia tentatio ſuadens commiſſum exiguum, dato quòd adhuc inſtet poſt primum lapſum venialem, non graviter urget utplurimùm. Haud eôdem pactô ſolliciti ſunt hi de tranſgreſſionibus graviſſimis: imo qui corde tepeſcit, poſtquam admiſit unum ſcelus mortem inferens animæ, decidet rurſus in aliud ſimile.

20. Cùm ab injuſtitiæ miniſtris comprehenſus eſt orbis Redemptor, Magiſtro dimiſſo, fugerunt Apoſtoli: nec remanſit unus Petrus; licet gladium eduxerit, & ſervum pontificis vulneraverit. Quærunt interpretes, an Apoſtolus (& ſimiliter de aliis) deliquerint in iſta fuga? Placet mihi doctrina, quam tenuit inſignis commentator Silveira Luſitanus: affirmans peccaſſe venialiter. Errorem iſtum ſuum correxit Petrus: nam qui tempore comprehenſionis Domini, fugæ præſidium ceperat, abiens à Præceptoris conſortio; poſt ſecutus fuit ejuſdem veſtigia. *Petrus vero ſequebatur à longe.* Emmendavit amor quod timor erraverat. Poſt hæc Simon lapſus eſt miſerabiliter in primâ tentatione; Magiſtrum prædilectum negans. An mox iſti delicto ſucceſſit emmendatio? Minimè: quin potiùs ad ſecundam tentationem denuo corruit; & ad tertiam rurſum prolapſus eſt. Quid eſt hoc, ô baſis Eccleſiæ totius! noxam levem retractas opere citò; ſequens Dominum tibi dilectum: quem deſeruerас! & adeo graviter delinquens in Præceptore negando primùm, non tantùm haud ſtatim ſurgis à crimine, teque diſcipulum Chriſti confiteris, ſed adhuc ſecundò, tertióque negas! Non eſt cur ſic accidiſſe Petro miremur: erat enim tunc ſpiritualiter ille tepidus. S. Ambroſius: *Acceſſit Petrus, ut calefaceret ſe; quia clauſo Domino calor mentis etiam in ipſo refrixerat.* Antea cœperat aliquatenus frigeſcere Simon, cùm locum præbuit metui. Commiſit veniale peccatum, fugiens: Hoc tamen ſic inſigniter corrigere ſtuduit, ut nobis admirationi ſit. Beda: *Verùm*, inquit, *in hoc maximâ nobis eſt admiratione venerandus, quod Dominum non reliquit etiam cum timeret. Quod enim timet, naturæ eſt, quod ſequitur, devotionis*, &c. At verò cùm primâ negatione ruit, adjecit ſecundam, atque tertiam. Sic multi corde tepentes pulverem excutiunt ſolliciti: curant, inquam, non iterare defectus quoſdam leves; at cum præceps eunt in crimen grave, ſecundò pòſt cadunt, & ampliùs. Carentia fervoris eos reddit infirmos: forent ſani, ſi calor mentis vividus eſſet. Hæc de calore.

21. *Ab indiſcreto fervore non ſemel tranſitur ad crimen grave.* Nunc ſequitur expendendum frigus moraliter ſumptum: ſic enim voco moram in ponderando quid agendum, quid vitandum ſit; junctam cum prudenti moderatione fervoris, quem uſquemodò ſuadebam. Cavendum eſt, ne mediocritatem excedas; in qua virtus conſiſtit. *Nam*, ait S. Iſidorus Peluſiota, *ſi extremitates, ut quidam ſapientes viri pronuntiarunt, in vitium degenerant (cupiens enim quiſpiam probus rei familiaris diſpenſator eſſe, in tenacitatem & avaritiam labitur: cupiens liberalis eſſe, in prodigalitatem cadit. Unde etiam virtutes mediocritates eſſe definierunt. Inter pietatem enim & impietatem medium locum pietas obtinet) haud abs re Sapiens quoque monuit*, Noli eſſe juſtus multùm. Putant aliqui, dum in aliquibus virtutum operibus ſumma tenere deſiderant, ſe Spiritu divino moveri. Vereor, ne ducantur ſpiritu maligno. Satagit iſte peculiari ſtudio ſæpe, quòd homo conetur ad illa, quibus eſt viribus impar. S. Antiochus: *Impuris enim iſtis ſpiritibus hoc ineſt peculiare ſtudium: fervore indiſcreto accendunt ſemper hominem, ea ut moliatur, quibus perficiendis neutiquam par ſit.* Adeo magnum infert homini detrimentum communis adverſarius cum ſuggerit iſta, quòd aliquando contigerit, diabolum petiiſſe veniam à monarcho, poſtquam ſuaſerat ei jejunium nimis auſterum. Refert ex Caſſiano Mapheus in hæc verba: *In quo manifeſtè illuſum Abbatem quemdam Joannem ſcribit Caſſianus, qui cum exhauſto corpore ac defecto, perceptionem cibi biduano jejunio diſtuliſſet, accederetque die proſtero ad refectionem, veniſſe ad eum (ait) diabolum in figura Æthiopis tetri, ad ejuſque genua provolutum dixiſſe: Indulge mihi quia ego tibi hunc laborem indixi.* Quod circa jejunium faſſus hîc eſt hoſtis noſter (vel cogente Deo, pro ſuperbiſſimi confuſione; vel ſpontaneus, ut abſtinentiam irrideret) hoc in variarum virtutum actibus efficit: perſuadere ſcilicet piis aliquibus nimia. Perſæpe non abſque fructu concupito (peccato gravi nempe) diabolus indiſcretum fervorem conſulit: nam ex iſto pertranſitur ad lethale crimen haud ſemel.

Silvei. to. 5. l. 7. c. 3. q. 26. n. 209.

Luc. 22. 54.

S. Ambroſ. to. 3. l. 10. in Luc. c. 22.

Bed. l. 6. in Luc. c. 92.

S. Antioch. hom. 86. antè fi.

Maphe. Veg. l. 5. de perſever. relig. c. 1. longe ante fin.

22.

Verſavimus alibi locum illum Evangeliſtæ Lucæ; quo narratur Samaritanorum inurbanitas erga Chriſtum Dominum; cùm noluerunt illum in urbem recipere. Jacobus & Joannes concupierunt eos igne de cœlo perdere. Si quæras utrum in hoc peccaverint? Reſpondeo negativè, patrocinante S. Ambroſio. *Nec*, ait, *diſcipuli peccant, qui legem ſequuntur.* De duobus proximè dictis loquitur: de quibus etiam Cardinalis Toletus: *Religionem*, inquit, *præ ſe ferunt, dum putant ſe obſequium præſtare Deo.* Gradum faciamus nunc ad locum illum, quo fuit comprehenſus, Author libertatis noſtræ: cernemus ibi Petrum evaginato gladio ferientem. Inquires, an Apoſtolus in eo graviter deliquerit? Sic videtur exiſtimare D. Auguſtinus; aliter non diceret: *Nam utique Dominus juſſerat, ut ferrum diſcipuli ejus ferrent, ſed non juſſerat ut ferirent. Quid ergo incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt paſtor Eccleſiæ*, &c? Qua ratione factum eſt, ut exitus adeo diverſos habuerit zelus germanorum, de quibus nuper memi-

S. Ambroſ. to. 3. l. 6. in Luc. c. 9.

Cardin. Tolet. com. in Luc. ib.

S. Aug. to. 6. l. 22. contra Fauſtum c. 70.

ni, dilectioque Simonis, qua proſequebatur Salvatorem? Petrus deliquit? illi duo verò minimè? Non mirum: quia nimius extitit hoc loco fervor Petri. Non diffiteor, Jacobum & Joannem deſideraſſe conſumere Samaritanos igne: ſed continuerunt ſe; quatenus expectaverunt ſcire, velletne Dominus hoc ipſum: nam ideo percontati ſunt, inquientes: *Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Non ita ſe geſſit Petrus. Diſcipuli ſciſcitati ſunt à Præceptore: *Domine, ſi percutimus in gladio?* Non expectato reſponſo, percuſſit Petrus: nam mox immediatè ſequitur: *Et percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.* Cardinalis Toletus: *Oportebat*, ait, *priùs à Domino voluntatem ejus intelligere, & in quos eſſet uſus gladius ille cognoſcere, quàm non requiſita Domini voluntate percutere*, &c. Propterea Simonis degeneravit ardor in peccatum. Novum non eſt hoc: caveant inexperti. Calor animi temperandus eſt aliquali frigiditate: morâ nempe convenienti; maturâque meditatione gerendorum. Hæc de frigore.

Luc. 9. 54.

Ib. c. 22. 49.

Ib. n. 50.

Cardin. Toler. in Joan. n. 18. 11.

23. *Non multum Deus curaret, ſi putaſſes, lacrymas ſanare, Salvatore excluſo.*

Ex humido conſtruitur etiam temperamentum corpori ſalubre. Proſequamur allegoriam: & meditemur quàm ſit animæ ſalutifera velut humiditas (liceat ita loqui rudi modo: forſan ita claritatem dicendi fateberis, ut carpas) id eſt pronitas ad fletum. Non pauca diximus alibi pro lacrymarum ſalubritate: nonnihil addam. Oculorum latices tergunt immunda; ſanitatique reſtituunt vulnerata. S. Joannes Chryſoſtomus ad illud Pſalmi 55. *Deus vitam meam* &c. ait: *Tamquam ſi diceret: Suſcipe Domine lacrymas meas, quoniam lacrymæ ſunt quæ radunt rudera, & ſanant vulnera*: &c. & infra: *Lacrymæ ſunt quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & ſanant languores ejus.* Generoſum valde medicamentum eſt illud, quod non ſolùm parti donat ægrotanti ſanitatem; ſed iſtam permanere facit. Utraque virtus ineſt lacrymis pro virtutibus: nam & eas advocant; & proſunt ad hoc ut perſeverent ipſæ diù. Petrus Cellenſis: *Nunquam virtutes aut veniunt aut diù vivunt ſine cordis irrigatione. Nam ſi in corde viridi quotidie irrepunt tentationes*, in arido quid fiet? *Si etiam poſt lacrymam, vermis corruptionis mentem corrodit, quæ conſumptio ariditatis illius, ubi nunquam Dominus pluit?* Neceſſitas iſta ploratuum, & utiles earum effectus, oriuntur ex eo, quòd benigniſſimo Domino placeant. Et quis erit, cui non arrideat fluentum, quo ſuus rigatur hortus, ne pereant plantæ? Hortus deliciarum eſt anima juſti: nam paradiſo figuratam putaverunt aliqui, referente Barcepha Epiſcopo. *Rurſum alii putant, myſticum Paradiſum eſſe animæ typum, arboreſque in illo ſatas, animæ facinora per virtutem facta ſignificare*: &c. Rigatur animæ Dominicus hortus lacrymarum fonte: quapropter hic valde gratus eſt horti Domino. Sic verum eſt hoc, ut aliquid nunc ſit nobis audendum. Libenter confiteor, ſanitatis reſtitutionem, quam accipit anima languens, tribuendam eſſe Chriſto Domino, tamquam Salvatori noſtro. Adeo tamen ipſe complacet in lacrymis, ut ſi quis forſan iſtis attribueret ſanationem hujuſmodi, Chriſtum excludens, non multùm curaret hoc Servator. Attende quanti ducat lacrymas hominum!

Chryſoſt. to. 5. ſer. 1. de pœnit.

Petr. Cellen. l. de pan. c. 12. ante med.

Moyſ. Barceph. Epiſc. l. de parad. p. 2. c. 1. poſt princ.

Ad piſcinam, de qua Joannes, Angelus deſcendebat ſecundùm tempus; & movebatur aqua: poſt motionem languidus, qui prior deſcendiſſet ad eam, ſanabatur. Duo quærenda ſunt. Primum, utrum Angelus deſcenderit inviſibiliter? ita docet Beda. *Angelus, qui inviſibiliter deſcendens in piſcinam, & ſuggerens vim ſanandi, movebat aquam.* Secundum eſt, an habuerint aquæ de ſe vim ſanativam? Negativa reſolutio colligitur ex Beda nuperrimè citato: cui Chryſoſtomum adde. *Et*, inquit, *deſcendens Angelus, motæ aquæ ſanandi virtutem largiebatur*, &c. His poſitis, recolebam, Angelum Raphaëlem veniſſe viſibiliter, ut curaret cæcitatem Tobiæ. Dixit ille: *Miſit me Dominus ut curarem te*, &c. Rationem diſparitatis inquirebam, cum habeatur ex ipſo Textu, Tobiam curatum per linitionem felle factam; de quo dixit Liranus, habuiſſe virtutem naturalem ad hoc munus. Ad illa verba Raphaëlis: *Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Commentator ait: *Non enim eſt inconveniens quod una res corporalis habeat effectum ſuper aliam corporalem, ſicut ſenſibiliter videmus.* Quæro nunc. Ad aquas virtute curativâ carentes non deſcendebat ſub viſibili ſpecie ſpiritus beatus, ut languidi cognoſcerent apertè, beneficium ſalutis non à lympha venire, ſed à Deo, qui mittebat Angelum? Tobiæ verò ſanitati, cum fel naturâ ſuâ poſſet illam tribuere, deſtinatur Angelus apparens viſibiliter? Priuſquam reſpondeam, advertendum primò, per Angelum venientem ad probaticam piſcinam Chriſtum Dominum ſignificari, qui de cœlo deſcendit. S. Antonius Ulyſſip: *Angelus movens eſt Chriſtus de cœlo deſcendens*: &c. Advertendum ſecundò, undam piſcinæ deſignare lacrymas ex Hugone Cardinali. *Et nota*, inquit, *quod piſcina aquam non habet à ſe ſed à pluvia: & ut cadat pluvia, homo non poteſt facere, ſed tantùm à Domino impetrare.... Sic pœnitens à ſe non habet aquam lacrymarum: ſed precibus poteſt impetrare.* Nunc dubium ſolvam. Scio, non defuturum forſitan illis temporibus aliquem (cum nemo videret Angelum) exiſtimantem, prædictas aquas naturaliter habere vim pro ſanandis ægrotis. Non magnî Dominus faceret hunc errorem. Similiter, dato quòd aliquis putaret, fletibus indictam vim ſanandi ſpiritus ægros independenter à Chriſto Domino; cum exiſtimatio deceptionis hujus in commendationem cederet lacrymarum, Deus errorem iſtum parvi faceret utique. Cerne quàm bene placiti ſint Clementiſſimo Domino mortalium ſalutares planctus. Ne tu cogites illos abſtergere: quin & eos dilige: valde namque pendet à ploratu *ſanitas cordis.*

24.

Bed. com. in Joann. 5.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3. hom. 35. in Joann. ante med.

Tobi. 12. 14.

Ib. c. 6. 9.

Lir. ib.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. fer. 6. hebdom. 1. Quadrag.

Hug. Card. com. in Joann. 5.

Reſtat

25. *Etiam virtutibus ſanima florens habet in ſe quid amputet.*

Reſtat examinare tandem ultimam qualitatem de quattuor, ex quibus dixi, conflari temperamentum ſpirituale; cujus vigor efficit ſanitatem cordis: ſiccitatem, inquam, hoc eſt, auſteritatem contra vitia. Sunt hæc, aliquibus exceptis, perfidè blanda: niſi rigidus illis obſiſtas, nec expelles ea, quæ præcordiis admiſiſti; neque vitabis alia, quæ ſollicitant aditum in corde tuo. Virtus eſt militia quædam: opus eſt, ut non tantùm fugâ turpi non declines bellum, pavore concepto; ſed ut enſem arripias, galeam, & ſcutum; ac ſic armatus prodeas in aciem, ſollicitus perſequi paſſiones malas, ut eas profliges feliciter. Gerardus: *Sic*, inquit, *deinde ſeverus, ut cum jam pugnam contra vitia arripueris, & eorum fortitudinem in te per experientiam ſentis, quam aliter vix ſentire potes, noli cedere, noli fugam arripere, ſed inceptum viriliter proſequere, ſeveriſſimè concupiſcentias inſequere, uſque ad internecionem, uſque dum deficiant.* Nullus ita ſuperbiat, ut putet, ſe taliter jam ſemetipſum viciſſe, quòd novo prælio non ſit opus. Ferro ſemel reſecaſti nociva: rurſus indiges ferro, ne tenaſcantur: non illa jam interfeciſti mala tua; ſed compreſſiſti. Optimè S. Bernardus: *Quis enim ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt. Imo ſi fieri poſſit ſemper, quia ſemper quod putari oporteat (ſi non diſſimulas) invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa.* Non deerit qui dicat, auſteritatem iſtam, qua veluti ferro præciduntur mala germina, convenire tantùm homini culparum vinculis alligato, cùm exoptat à catenis eruere ſe: nam hic non expediet ſemetipſum blandâ manu; validi requiruntur ictus, ut confringantur fortes nexus. Credet loquens ita, ſuperfluam ejuſmodi ſeveritatem eſſe contra flagitia propria, cùm homo jam virtutibus efflorescit. Fallitur qui ſic dirigit ſe, vel alios. Etiamſi jam anima floſculis pulchreſcat virtutum, adhuc invenire poterit in ſe quod amputet. Non igitur ferrum deponat, quo fuerat uſus antea fortis athleta.

Gerard. Zutphan. l. de ſpirit. aſcenſ. c. 50.

S. Bernard. ſer. 58. in Cant. longe ante fi.

26. Cant. 1. 12. 13.

Ad ſponſam Canticorum Dilectus aiebat: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Putationem hoc loco dictam intellige illam, quæ fit in unoquoque fideli per compunctionem & abſciſſionem ſarmentorum nequitiæ. Apponius: *Putatur etiam unuſquiſque Eccleſiæ filius divina pietate, per compunctionem ſanctam in intima* (fortè legendùm: *Intimo*) *mentis, & arefacta malæ voluntatis de eo ſarmenta abſcinduntur, ut poſſit jam putatus fructifer bonæ voluntatis palmes, fructus germinare juſtitiæ*: &c. Noſti deinceps quid ſignificet vineas florere, docente S. Brunone ad hunc locum. *Poſtquam vox turturis audita eſt, poſtquam protulit ficus groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum, quia multitudo Eccleſiarum per latitudinem orbis diffuſa eſt, quæ flores virtutum, & odorem bonæ operationis latè de ſeſe ſpargerent.* Si verborum corticem non aperueris, judicabis à Sponſo confundi tempora: nam duo dicuntur, quæ non ſolent inveniri ſimul: nempe tempus adveniſſe putandis vineis opportunum; & vineas floruiſſe. Nonne priùs vinea putatur, & poſtea floret? qua ratione poſtquam floruerant vineæ, tempus eſſe putationis aſſeritur? Jam dixi quænam ſit illa putatio; qui verò flores. Sponſa juxta Bernardum ad vineas putandas vocatur: ait enim: *Et tunc demum ſponſa ad vineas invitatur, non quidem ad plantandum, ſed ad putandum quod plantatum jam erat.* De aliâ putatione fateor loqui S. Doctorem: nos utamur Scripturæ loco præcitato pro illâ putatione, quam unumquemque convenit exequi ſolerter in animæ propriæ vinea. Ex illo deduc, juxta notata, quamvis floribus virtutum ſit ſpiritus amœnus, adhuc in illo reſtare quid amputetur ex veteri converſatione. Non libenter Bernardum relinquam. *Demus*, inquit, *operam putationi. Putetur cupiditas, ut virtus roboretur. Nobis fratres putationis ſemper eſt tempus; ſicut ſemper eſt opus.* Fidem adhibe perito ſpiritualium vinearum operario. Licet credas, te non parùm profeciſſe, rurſus auſteritatem pro vitiis abſcindendis junge ſollicitudini. Auſteritas iſta velut ſiccitas eſt reſiſtens humoribus noxiis peccatorum: ex qua, ſimul & humiditate morali, quæ germinat lacrymas, & frigore, ſcilicet moderatione temperante fervorem indiſcretum; necnon ex calore, hoc eſt, ardore mentis, velut ex quattuor qualitatibus componentibus, temperamentum ſalubre, promanat ſanitas animæ: quæ dici valet *ſanitas cordis.*

S. Brun. Aſt. expoſ. in Cant. ib.

S. Bernard. ſup.

Idem ib. longe ante fi.

DELIBATIO III.

Hominem internum corrumpit invidia totum.

27. *Craſſè lividus errat.*

OBjectum in quo tendit voluntas cùm operatur iniquè, philoſophi docent eſſe bonum aliquod. Unde fertur apud eos in proverbio: Nemo intendens ad malum operatur. Sed cum peccatum livoris ad conſiderationis trutinam revocamus, difficulter inveniendum credo bonum, quod intendit invidus. De invidia dixit S. Thomas à Villa nova: *Hoc peccatum diabolicum eſt, & purum malum: nam alia vitia & peccata aliquod bonum prætendunt, licet inordinatè. . . . ſed invidia pura malitia eſt, nihil habens commodi, ſed tormenti plena: nihil ſolatii nihil voluptatis. Nihil habet bonum invidia, niſi quòd meritò torquet habentem.* Suimet ſupplicium livor eſt: non inflictum à lege; ſed in ipſo reo latens, dato quòd abſcondatur. Oritur in præcordiis invidi, quaſi vermis in ligno putri; conſumitque

S. Thom. à Villa no ſer. fer. 4. poſt Domin. Paſſio.

ſumitque generantem. Audi S. Joannem Chryſoſtomum: *Ita enim*, ait, *ſe habere ſolet hujus affectionis malitia, primùm corrumpit eum à quo generatur. Sicut enim vermis, qui à ligno producitur, lignum primò conſumit: ita & invidia illam primò animam corrumpit à qua nata eſt*, &c. Cum hæc ita ſint, recole textum Salomonis: *Putredo oſſium invidia.* Hoc equidem optimè concinit proximè dictis. Parœmiaſtæ proloquium commentatur Beda ſic: *Invidia enim totum hominem interiorem putreſcere & tabeſcere facit: ſicut febris ethica.* Conformiter ad expoſitionem iſtam, oſtendere deliberavi, per invidiam corrumpi totum virum internum. Sumamus initium de principaliori parte, nempe judicio. Mentis oculus eſt intellectus: hic in livido vitiatur cæcitate multâ: nam S. Joannes Chryſoſtomus ait: *Magnas profectò ad cæcandas hominum mentes invidia poſſidet vires.* Craſſos errores invidus facilè ſuadet ſibi.

Chryſoſt. to. 1. hom. 46 in Geneſ longe ante fi.

Bed. com. in Proverb. 14. 30.

Chryſoſt. to. 2. hom 27. in Matth. longe ante med.

28. Duo primi fratres obtulere munera Domino, cum adhuc mundus eſſet in cunabulis. At ſacrificium Abelis acceptum extitit Conditori; non autem oblatio Caïni. Germanus iniquus, ac ſi per hoc læſus graviter fuiſſet ab alio, tollere de medio decrevit eumdem; & opere perfecit impietatem. Dominus nolens inauditum punire, dixit ad homicidam: *Ubi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio. Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Protervum preme reſponſum: inſinuat quippe, putaviſſe Caïn, Deum ignorare, quòd interfecerit fratrem ſuum. Incertus inter opera S. Eucherii, ſcripſit: *Cui Caïn ad cumulum peccati ſui, fallaciter ac ſuperbè reſpondit, putans Deum latere quæ geſſerat.* Neſcio. Num cuſtos &c? Miram ſtoliditatem! Non in animum inducam, Protoparentes noſtros in educatione gnati hujus extitiſſe negligentes adeo, quod non docuerint illum, Deum omnia noſſe. Ad hæc. Exiſtimavitne Caïn dum ſacrificium obtulit, Deum hoc ignorare? Patet quòd minimè ſic tunc deliravit. Quid eſt ergo quòd poſtea credit Omniſcium latere, ſe necaviſſe germanum? Eravit in hoc modò craſſè: quia jam mens ejus excæcabatur invidia; qua contra fratrem exarſerat. Non antea ſimiliter locum præbuit errori: quia cùm deliberavit oblationem Altiſſimo dicare, non adhuc invidebat Abeli. Stupidum reddit hominem livor. Dicet aliquis, impium fratricidam, non ex mentis deceptione, ſed præ metu reſponſum illud adhibuiſſe Domino percontanti. Sed adversùs hoc ſtat, Adamum timuiſſe poſt peccatum: non tamen ideo negaviſſe tranſgreſſionem. Sed parens non deliquit ex livore; maximè verò genitus; de quo S. Proſper: *Effectus contemptor divini mandati, ſuperbiæ caput, author invidiæ, princeps illatæ mortis, & primus in hominibus parricida.* Stulteſcit invidens corruptâ mente.

Geneſ 4. 9.

Incert. ſub nom. S. Eucher. l. 1. in Geneſ. c. 32.

S Proſp. l. de promiſſio. & prædict. Dei p. 1. c. 6.

29. Judicii corruptionem comitatur memoriæ vitium. Per non uſum deficere ſolent hominis aliquæ potentiæ valde. Conſueverunt invidi non attendere præterita, ſed præſentia. Quis erit adeo lividus, ut contorqueatur felicitate proximi tranſactâ; quam iſte jam non poſſidet? præſertim, cum proſperitati ſuccedere contingat miſeriam: cujus adventu vel ceſſat, vel minuitur liventis dolor. Quandiu ſors alteri favet, invidentiâ laborans eam reſpicit malignis oculis quantumvis lippientibus. Propterea dixi, conſuetum ægrotis invidiâ non eſſe quæ præterierunt memorari; ſed quæ adſunt intueri. Quo fit, ut quoniam facultas memorativa fertur ad anteacta ſola, paſſione morbidus iſtâ, per diſſuetudinem, ferè perdat uſum reminiſcendi. Viſitur hoc frequenter in oblivione beneficiorum, quæ familiaris eſt invidioſo. Jungitur ingratitudo ſodalis invidiæ: fitque per hanc ſodalitatem livor ampliùs ferox: nam alios mitigabis hoſtes, benefaciens eiſdem; ſi verò te beneficium exhibueris invido, non placabitur; imo contra te fortiùs exardebit. S. Baſilius Magnus: *His, qui ex aliis occaſionibus inimici ſunt, alter fortè aggrediatur alterum beneficiis vincere, continuò ferocitas mitigatur. In invidum autem ſi beneficia conferantur, multò ampliùs inflammatur: & quantò plura fuerit conſecutus, tantò majoribus incendiis conflagrabit: magis enim iraſcitur, & dolet, quod ab eo boni aliquid conſequitur, quem nolit quicquam boni vel habere, vel poſſe præſtare.* Putaſne, liventem in eum ſolum reperiri non gratum, quem proſequitur invidia? Immitior adhuc eſt hæc ſæviens bellua. Necnon adversùs illum cui non invidet, ingratum liventem invenies: & ſic, ut immemor extet beneficii; memor autem ſit motivi, quo ducitur ad querelam.

Invidus obli vioſus eſt ad gratitudi nem; memor

ad querimoniam.

S. Baſil. Mag. qui habetur ſub nomine S. Zeno. ſer. de livor. & invid. longe med.

Aliquid adhuc in parabola Prodigi nobis eſt brevi nunc expenſione donandum. Adoleſcentior dimiſsâ paternâ domo, ſumens de manu genitoris quod ex illius facultatibus ad ipſum pertinebat, abiit poſt voluntatem ſuam. Tandem egeſtatis doctrinâ melior factus, poſtquam reverſus eſt in ſemetipſum, regreditur ad parentem: à quo tum amplexu paterno; tum epulo ſuſceptus eſt feſtivo. Frater illius major aberat: & cum rediens audiſſet cantum, & accepiſſet lætitiæ cauſam, nolebat indignatus introgredi. Prodivit ad illum pater; & patiens rogavit eum. Quid tunc ſuperbus? *Dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hædum ut cum amicis meis epularer*: &c. Sugillat filius hic de tenacitate parentem? nonne beneficium ab illo ſuſceperat non vulgare, cùm patris vitâ manente recepit ſuam hereditatis portionem? Recole Textum. *Diviſit illis ſubſtantiam.* Qua fronte notavit avaritiæ genitorem ſic liberalem, ut vivens ei tradiderit quod, ſi foret avarus; non ſponte (prout ſolent aliqui) dimitteret ipſi poſſidendum poſt mortem ſuam? Perpendendam judicavi quidem impudentiam gnati; ſed non idcirco mirandam cenſui: nam tangebatur invidiâ: propterea prædictæ paternæ largitatis immemor; hoc memoriâ retinebat, quòd nunquam accepiſſet hædum, quem comederet

30.

Luc. 15. 29.

lb. n. 12.

S.Petr.Chryſolog.ſer.4. med.

mederet adhibitis amicis. Opportunè Chryſologus: *Fratri invidus animus gratus eſſe non poteſt patri: & paternæ largitatis memor non eſt, qui eſt fraternæ immemor charitatis. Hædum ſibi datum negat, qui ſubſtantiæ partem totam tempore diviſionis accepit.* Connectuntur livor & ingratitudo; non tantùm, ut ejuſdem hominis prætereantur antiqua beneficia, qui nunc invidetur: minus eſſet hoc; nam ex invidiæ furore contra benefactorem exardens, quomodo ſe fateretur debitorem illius? Ultra pergit invidus: etiam doni, quod tertius alter contulit in ipſum, obliviſcitur: livor defectuoſam reddidit invidentis memoriam.

31. *Invidia malum eſt cordis.*

Ex tot morborum copia, quos in corpore patitur humana mortalitas, illi ſunt periculoſiores, qui pervadunt ad cor: cum enim ſit hoc erga membra cætera veluti princeps; non poteſt non diſcrimini ſubeſſe totus homo, cùm principalior corporis pars, quaſi reliquas gubernans, malè habet. Invidiam medici ſpirituales computant inter ægritudines periculoſiſſimas: quidni dicamus, languorem iſtum afficere cor hominis interni? Adeamus rurſum de invidia dicentem Chryſologum: *Omnia quidem*, ait, *vitia ad ſuorum ſemper intendunt & proſiliunt læſionem, ſed ſuos ſemper amplius invidia conſumit: invidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit, extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit.* Quàm bene concinit Salomoni Chryſologus, dicenti: *Putredo oſſium invidia!* Si fieri poſſet, ut livor exureret alias hominis partes, & cor intactum relinqueret, minus foret certè malum: ſed qua ratione contingere potuiſſet, quod ignis invidiæ ſuccenderetur in cordibus invidorum, & ea non combureret? Spinoſus iſte rhamnus ibi præcipuè lancinando pungit, ubi naſcitur: & quis invidiam dubitat oriri corde? Vide quiſnam ſit ejus radix; & invenies ubi malum hoc germen exoriatur. Invidiæ radicem D. Antonius dixit privatam dilectionem. *Amor*, inquit, *privatus, qui ferè communi præponitur, eſt radix invidiæ*, &c. Ibi plantam reperies, ubi radix ejus figitur. Sedes amoris cor eſt: ibi moratur privata dilectio, per quam homo boni ſui nimis cupidus oſor ſit alieni; doletque felicitatem proximi. Quapropter nullus ibit inficias, invidiæ malum in humano corde locum tenere.

D. Petr. Chryſol. ſer. 172. poſt princ.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. ſer 2. hebd. 3. Quadrag. longe poſt princ.

32. Pſal. 104. 25.

Regius olim Pſaltes in Pſalmo quodam memoratur ingreſſum Iſraëlis in Ægyptum, & quale ſumpſerit augmentum, donante domino. Tunc addidit hoſtium plebis odium contra ſic adauctos Iſraëlitas conceptum, inquiens: *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus: & dolum facerent in ſervos ejus.* Exponit S. Proſper: *Cor*, inquit, *Ægyptiorum non Deus depravavit à recto, ſed cum ſponte mali eſſent, & tales ut poſſent invidere felicibus, in odium illos Hebræorum convertit beneficentiâ ſuâ, quâ populum ſuum multiplicabat: benefaciendo autem ſuis, Ægyptios ad eorum inimicitias incitavit: non ipſos malos faciendo, ſed iſtis bona, quæ malos urerent, largiendo.* Perlegamus in eodem Pſalmo Davidem poſt pauca. *Lætata*, inquit, *eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.* Commentatur idem S. Proſper: *Intelligendum, quod hoc tunc factum ſit, quando oppreſſo aquis Pharaone cum exercitu ſuo, reſidui Ægyptiorum timere potuerunt, ne ad delendos eoſdem, Hebræi reverterentur: quibus profectis in longinquiora, cauſas habuerunt lætandi.* Expoſitionibus ej ſmodi ſuppoſitis, venit examinanda phraſis Davidicæ diverſitas. Qua de cauſa non dixit, Omnipotentem Ægyptiorum corda in timorem convertiſſe; prout priùs in explicato ſenſu dixerat: *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus?* Nonne, ſicut affirmari valet, rerum Arbitrum, in benefaciendo ſuis, convertiſſe ad odium Iſraël incolarum Ægypti corda; ſic pari modo poſſet aſſeverari, Deum præbendo victoriam, qua profligatus fuit exercitus hoſtilis, indidiſſe timorem Ægyptiis remanentibus? Ita ſanè. Sed, quoniam priori loco tangitur aliquatenus invidia, nomine ſuppreſſo (comes odii, quo proſequebantur filios, Iſraël validè multiplicatos) cordis mentionem exhibuit Vates ibi; non autem cùm poſthac de timore verba facit: quod ſufficienter nobis anſam præbet, ut meditemur, invidiæ malum corde reſidere. Cumque ſit illa venenum, deducitur lubenter, cor per livorem corrumpi. Non id jam dicam de materiali corde: quia propriè per livorem non corrumpitur; ſed torquetur Hominis interni cor, id eſt voluntatem verè ſpiritualiter corruptam deploremus per invidendi culpam.

S Proſper in com. ib.

Pſal. 104. 38.

S. Proſp. in com. ib.

33.

Corruptionem iſtam voluntatis, quam parit invidia, comprobant effectus varii, quos in homine livido generat, ei ſpiritûs afferentes damnum. Vitiis pene cunctis dat manus qui livori præſtitit ingreſſum ad præcordia: nam hôc exedente verme, ſic intus attenuatur homo, quòd vix reſiſtat ulli tentationi. Debilitatur: quia per invidiam fortitudo corrumpitur interna; quod ſignificare videtur Sapiens in parœmia, quam nunc ruminamus. Hujus poſteriorem partem ſic interpretatur D. Gregorius, dicens: *Unde bene per Salomonem dicitur*: Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium invidia. *Quid enim per vitam carnis, niſi infirma quædam ac tenera, & quid per oſſa, niſi fortia acta ſignantur?* Et infra: *Et rectè ſubditur*: Putredo oſſium invidia: *quia per livoris vitium, ante Dei oculos pereunt, etiam fortia acta virtutum. Oſſa quippe per invidiam putreſcere, eſt quædam etiam robuſta deperire.* Cogitabam, in homine livente facta virtutum de ſe ſtrenua, intus eſſe debilia, quia per invidiam computruit eorum fortitudo. Robore fortitudinis ergo deſtitutus invidioſus à quo non ſuperabitur? Externi prævalent hoſtes in illum; ſed priùs à propriis affectionibus hoſtiliter conſumitur. Appoſitè S. Joannes Chryſoſtomus. *Qui autem invidet, gratiâ ſpoliatur, & facilè vincitur ab omnibus: & antea à ſuis affectionibus, quàm externis hoſtibus infeſtatus quaſi conſumitur, & quaſi*

S Greg Mag. to. 1. l. 5 mor. c. 31. med.

Chryſoſt to. 1 hom 46. in Geneſ.

occultis mox illis devoratur, & abſumptus (ut ita dicam) ſubmergitur. Cum livor prodit extra, producitque ſatis horribilia monſtra, cenſes, hominem fortia conantem ſtrenuiſſimum. Falleris. Non fortitudo, ſed furor eſt. Crede putreſcentem oſſibus invidum fragilem extare: quamvis audeat, non ideo fortis eſt, ſed infirmo valde compar.

34. Jacob moriturus benedixit filiis diſcurrens per ſingulos. Veniens ad Joſephum ait: *Filius accreſcens & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Sed exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt, inviderunt que illi habentes jacula.* Per filias, quamvis numero plurali ſermonem fecerit, intelligitur unica domina Joſeph; quæ turpiter oculos injecit in eum. *Dicendo* (inquit Rupertus ibi) *filiæ diſcurrerunt, pluralem pro ſingulari poſuit, quod frequens & uſitatum eſt in Scripturis, ut plus enuncietur ob amplificationem rei, qui tropus dicitur ſynecdoche. Una namque, ſcilicet domina ipſius, filia magis dicenda, quàm materfamilias, injeciſſe in eum legitur oculos ſuos*, &c. Apertius eſt illud, *Habentes jacula*, verificari de fratribus Joſephi. Sed quâ veritate? Hiſtoriam Geneſis accuratè volve: non invenies, germanos contra Joſeph miſiſſe lanceam. Quid ergo ſunt iſta jacula? Verba quidem. Idem Rupertus: *Habentes itaque*, ait, *jacula, ſcilicet in ore ſuo. Dentes quippe eorum arma fuerunt & ſagittæ, dicentium: Venite occidamus, venite venundemus eum, inviderunt & invidiam ſuam opere compleverunt.* Hæc fuerunt arma, quibus adversùm fratrem uſi ſunt? Invidiam conceperant: quidni tamquam animo debiles, more fœmineo verbis pugnarent, impugnantes exoſum? De quibuſdam enervibus dictitamus ore digladiari: cumque lividus careat ſtrenuitate, linguâ dimicat. Ecce corrumpitur per invidiam illa fortitudo, quæ virtus non eſt: quantò facilius, & infeliciùs robur virtuoſum per livoris culpam deperdetur? Verè *putredo oſſium*, ſpiritum corroborantium *invidia.*

Geneſ. 49. 22, 23.

Ruper. l. 9. in Geneſ. c. 36. poſt princ.

Idem ib non parum ante fi.

35. *Invidus efficit quandoque cum peccato quod erat naturâ ſuâ bonum.*

Quod nuperrimè de fortitudine laudabili pronuntiavi, poſſem, diſcurrendo ferè ſingulas per virtutes, oſtendere: vix enim aliquæ ſunt, quæ per invidiæ febrim non tabeſcant. Sed operoſum nimis foret exhibere lectoribus quid tam diverſa geſta virtutum patiantur ab invidiæ peſte. Dabo tamen Incertum, dicentem: *Invidia eſt illa peſſima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, ærugo, quæ theſaurum ſapientiæ deprædatur, bruchus, qui terrarum virentia comburit, quia quicquid boni operis vireſcit in homine, pene peſtis invidiæ perdit.* Candet in anima fides, floret ſpes, purpuraſcit charitas. Si fueris invidus, fides tua quaſi nutat: haud enim credere videris, proximum, de cujus felicitate doles, etiam providentiam Dei non effugere; quam de te ſolo curare velles. Defecit ſpes tua: nam cernens Deum propitium tuo fratri, quaſi deſperas, tibi fore beneficum: charitas refriguit, cum alienum bonum tibi vertatur in tormentum. Deinde non in te viſitur humilitas: nam ſuperbus es, cupiens uni tibi dona Dei; neque gratis videns oculis, alium ab ejus manu ſuſcipere munus. Deinceps virtutes illas, quæ reddunt hominem à voluptatibus abſtinentem illicitis, in te vigere non credam cùm livori ſervis: nam quomodo vitabit peccata delectabilia qui non fugit ab invidendi ſcelere; quod nihil delectationis homini præſtat? Liberalem te liventem non fatebor: etenim quid expectandum eſt ut largiaris tua qui necnon aliena tibi cupis? Vix ullas inveniemus in livido virtutes non deficientes. Quinimo ſuperaddam, aliquoties conſitas in horto virtutis plantas degenerare ſic, ut quod alioquin ab eodem fieri poſſet virtuosè, fiat culpabiliter. Ab infectâ gravi morbo genitrice, quantumvis pater perfectè ſanus extet, prodit ſæpe filius monſtroſus. Voluntas infecta livoris ægritudine, quantumvis pater perfectè ſanus extet, prodit ſæpe filius monſtroſus. Voluntas infecta livoris ægritudine, quamvis à ſpirituali magiſtro per doctrinam fœcundetur, parturit monſtra peccatorum: efficiens quòd peccaminoſum ſit quod erat naturâ ſuâ bonum.

Incert. ſub nom. S. Aug. to. 10. ſer. 18. ad frat. in ere. poſt med.

36. Mediatrice matre diſcipuli duo poſtularunt ſedes primas in regno Chriſti. Dominus reprehenſione caſtigavit eos, inquiens: *Neſcitis quid petatis.* Ita colligitur ex iis, quibus ad illa verba loquitur ipſis in perſona Redemptoris Paſchaſius. *Idcirco vos vocavi de ſiniſtris ad dextram, ut ſemper in dextris permaneatis. Et quid eſt quod vos veſtro conſilio rurſus recurrere vultis ad ſiniſtram? Fortè diabolus per mulierem ad conſueta recurrit arma, ut per muliebres affectus, locum inveniat error.* Quæritur apud interpretes, an prædicti diſcipuli tunc ſpiritualia concupierint loca; vel potiùs temporanea? Procedam nunc ad intentum ſcopum, adhærens docentibus, illos cathedras in cœleſtibus deſideraviſſe. Video pro contrariâ parte citari Paſchaſium. Hoc unum ſcio, quòd ſequentia verba fideliter ex eo tranſcripſi; quibus inſinuat, germanos eo loco petiiſſe per parentem cœleſtîs gloriæ ſedes. Ad illud Chriſti Domini, *Quid vis?* ait: *Nequaquam ideo interrogat quaſi neſciens, ut audiat quid velit; ſed ut illa petente, manifeſtam faceret irrationabilem petitionem eorum qui petebant, quaſi religioſi & cœleſtis gloriæ amatores, tamen non quaſi ſcientiam habentes.* Poſito quòd in cœlis optaverint ſedere, difficile manet, quomodo verum ſit quod ex Paſchaſio, quamvis dubitante, ſuperiùs retulimus; nempe dæmonis inventum hoc extitiſſe. Similiter perceptu facillimum non eſt quid in eis Magiſter hîc reprehenderit. An malum eſt gloriam deſiderare? Bonum eſt hoc deſiderium naturâ ſuâ; ſed in Apoſtolis duobus iſtis fuit peccaminoſum: quia morbo livoris tunc temporis erant infecti. D. Joannes Chryſoſtomus indicat, illos invidiſſe Petro: dixit enim: *Præponi quidem ſe cæteris præterquam Petro ſciebant, quem formidantes dicere auſi ſunt.* Dic ut unus à dextris &c. Adde S. Thomam Aquinatem. *Et ſciendum*, ait, *quod Jacobus & Joannes magis honora*

Matth. 20. 22.

Paſchaſ. l. 9. in Matth. ib.

Idem ib. ad 21.

Chryſoſt. to. 2. hom. 66. in Matth.

S. Thom. com. in Matth. 20.

honorabantur à Christo post Petrum: ideo Petrum voluerunt excludere. Cum eo tempore duo fratres aditum præbuissent invidiæ, contigit eis, ut gloriæ desiderium, de se bonum, hîc extiterit reprehensibile; postulatioque sedium ab eo manans diabolica tentatio credi possit. Ne sanctorum Apostolorum religione tactus ad scrupulum declinet pius lector: quo si moveatur, arrogabo mihi verba S. Joannis Chrysostomi, dicentis: *Nec turbetur quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse: Nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa.* Hæc sunt, multis omissis, invidiæ spiritualia damna: quæ si perpendamus, notum nobis erit, quàm verè dici possit pro detrimentis, quæ patitur ab illo vitio spiritus: *Putredo ossium invidia.*

Chrysost. prox. sup.

DELIBATIO IV.

Quietis ab exterioribus utilitas. Necat animas qui non illuminat, cum debeat. Delictum sacerdotis est scandalosum. Labimur facilè; surgimus difficilè. Rarò virtute carens illam facit magnî.

37. *Quies ab exterioribus prodest, ut interiùs ascendas.*

VIta. Cum gnomen istam, quæ nunc præ manibus est, commentario dilucidarem, placuit asserere, sermonem esse prioribus illius verbis de sanitate, quam præstat corpori spiritus liber à malis passionibus: qui velut prudens, ac bene moratus hospes, domui, quam inhabitat, gravis non est. Dictis insisto, dans insuper Hugonem Cardinalem, qui de hominis infirmitate locutus exteriori dixit hoc loco: *Q. d. puritas conscientiæ & rectitudo intentionis roborat & vivificat infirmitatem hominis.* Eidem expositioni cohæret quod legitur apud Carthusianum hîc. *Interdum*, ait, *verò, imo & sæpius sumitur cor pro intellectu vel voluntate, cujus sanitas est virtutum integritas ac gaudium spirituale, ex quibus caro ad exercendum opera meritoria vegetatur.* Nihilominus ex istis, quæ spectant ad nutritionem corporalem ascendamus ad spiritualem: nam aliquam servant inter se analogiam. Prætermissis aliis proportionibus, hanc meditari liceat. Corporis nutritio juvatur somno, quo cessamus à sensuum functionibus, & perceptione rerum visibilium. Igitur & moraliter nutrienda sic est anima. Quiescendum circa externa; ut magis interioribus proficias. Rationem ex doctrina Bernardi collige. *Fuge quippe silentium*, inquit, *& ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari.* Sensus exteriores ad longe diversa munera nobis donata sunt; spiritalia percipere nequeunt: hæc hominis interni sensibus reservantur. S. Laurentius Justinianus: *Spirituales quoque habet homo sensus, ut spiritualia discernat. Non enim veritas, bonitas, charitas corporis oculo inspici potest, sed mentis. Spiritualia dona, internæ aspirationes, substantiæ cœlestes, & amoris sancti præludia interioribus animæ sensibus patent, non corporalibus.* Imo non tantùm hoc est manifestum, sed fatendum, multos, qui nimis utuntur potentiis externis, impediri, ne percipiant insensibilia. S. Nilus: *Ut intelligamus eos, qui rebus sensibilibus cedunt, in sensus, tamquam in puteos & barathra compelli, ut nihil aliud quam sensibilia percipiant propterea quod defixâ in rebus terrenis cupiditate, eas cœlestibus anteponant.* Igitur ab exterioribus quies ingenium est ascendendi quoad interna.

Hug. Card in Prov. 14. 30.

Dion. Carth. ib.

S Bernard. ep. 78. longe ante med.

S. Laur. Just. l. de cast. connu. ver. & anim. c. 9. post princ.

S. N. l. l. ascet. ti. longe post med.

Vox est filiarum Jerusalem de sponsa Canticorum dicentium: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Qui festinanter legerit ista, non perspiciet quomodo bene stent cum antecedentibus immediatè verbis, quæ circa sponsam eamdem ibi Dilectus protulit. *Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Ecce Sponsus animam sanctam dormientem supponit. Quo modo filiæ Jerusalem eamdem asserunt ascendere? Vide quid per ascensum, quid per somnum designetur. S. Bruno ibi: *Ascendit, inquit, ad montes virtutum*, &c. Idem antea dixerat: *Dormit videlicet à desideriis terrenis ab actibus sæculi* &c. & infra: *Somnus autem meritò amor appellatur, quia sicut à visibilibus dormiens oculos claudit, & invisibilia contemplatur, ita is, qui divinæ contemplationi insistit, quasi alienus est, & dormit exterioribus, sola spiritualia, & cœlestia videt.* Itaque non adversantur animarum bona quies, & felix ascensus: quin potius virtutibus ascendit spiritus, cùm veluti dormiens, ab exterioribus abstrahit se penitus. Nec tibi subrepat scrupulosa trepidatio, proponens apprehensioni tuæ requiem istam, seu dormitionem discordare penitus à vigili curâ, qua de rebus animæ nos congruit satagere. Non otium est istud; sed negotium: dormitio hæc laudabilis est; sicut econtrariò reperitur in mundanis vigilia mala. Remigius Antissiodorensis: *Hæc enim dormitio bona est, ut istam contemnamus in qua sumus hereditatem, & aliam certam teneamus iam in spe, licet nondum in re. Ab illo autem abest somnus, qui hanc terrenam hereditatem ardenter & cupidè assumit.*

38. Cant. 3. 6.

Ib. n. 5.

S Brun. Ast. com in Cant. c 3. 6.

Idem ib. ad n. 5.

Remig. Antissiodor. exposit. Psal. 67. longe ante med.

Dixi, augmentationem in spiritualibus æquiparari nutritioni corporis in eo quòd per quietem in istâ non parum proficiatur; quoniam tunc anima non est operibus externis intenta: sic in profectu spiritûs, hunc valde promoveri, si quiescere solitus à visibilibus, totum se dedat cœlestibus. Nunc addo circumstantiam prædictæ vegetationis corporeæ, quam in viribus animæ nutriendis, à justo servari proficuum extat. Scimus, intra nos dari facultatem nutritivam, qua partes amissæ restaurantur, & acquiruntur novæ: nullus autem videt qualiter hæc fiant. Arcanum istud naturæ virtus imitetur: alere spirituali cibo mentem cura: sed hoc (nisi ratio prudens aliter cogat) in secreto perfice. Incertus virginem quamdam

39. *Virtus abscondita.*

Incert. inter oper. S. Athanaſ. l. de virginit. longe ante med.

ſic monebat: *Tu verò virgo ne quis cognoſcat exercitationem tuam, ne ex propriis quidem tuis cognatis, ſed ſi quid facis, in occulto facito, & Pater tuus cœleſtis, qui videt in occulto, reddet tibi in aperto: quod ſi manifeſtaveris vitam tuam, naſcitur tibi vana gloria, damnoque adficit. Quod ſi quam inveneris animam concordem laborantem Deo, quemadmodum & tu facis, huic ſoli patefacito ſecretum.* Non de ſolis eleemoſynis verum eſt, operanti convenire, quòd neſciat ſiniſtra quid operetur dextera: nec enim ſola miſericordia circa pauperem ſubeſt gloriolæ diſcrimini. Lege S. Hieronymum ad illud Iſaiæ 26. 20. *Intra in cubicula tua* &c. ſcribentem ſic: *Sunt autem cellaria quæ claudenda ſunt & abſcondenda ab his qui divites facti ſunt in operibus atque ſermonibus, prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia, ut neſciat ſiniſtra quid faciat dextera, ut legis & prophetarum & Evangelii opibus perfruamur.* Neque facilè tibi credas, inquiens: Ego non pro mundanâ gloriâ captandâ palam exerceo virtutis opera. Nonnunquam accidit, ut quamvis ad lumen poſitus fulgeas operatione ſanctâ pro gloria Dei, ſtatim degeneres, & vanum ſplendorem diligas. Animam in abſcondito fac habitare: ſæpius enim tibi non congruit ſplendeſcere.

S. Hieron. to. 5. l. 8. in Iſaï. c. 26.

40. Levit. 24. 2. 3.

Dixit olim Dominus ad Moyſen: *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum teſtimonii in tabernaculo fœderis.* Ex his verbis colligitur, lucernas in tabernaculo refulſiſſe, non immediatè juxta fœderis arcam; ſed extra velum, quod expandebatur ante illam. Alibi dixit Cornelius Alapide, dum expenderet illud Exodi: *Ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio* &c. dixit, inquam, ea, quæ jam offero. *Qua de cauſa etiam in Sancto ſanctorum poſitum non erat candelabrum, ſed omnia ibi erant obſcura. ut Deum ibi loquentem tegerent*, &c. Quæro. Nonne ſacratior erat locus ille, quo recondebatur arca teſtamenti; quàm alter extra velum? Certum videtur hoc: nam intra velum loquebatur Altiſſimus; & exiſtebant ibi legis tabulæ. Videbatur ergo conſtituendum candelabrum prope arcam intra velum; ne maneret iſta noctu in obſcuro; ſed potius fulgor majeſtatem loci commendaret. Myſterium attende: memor, arcam ſignificaſſe mentem juſti. Angelomus: *Quid eſt namque mens juſti, niſi arca teſtamenti?* Fac ut intelligas, etiamſi quis tibi conſulat, ut lucernam accendas coram te, quò ſic pro Dei gloria luceas, hoc ſæpiſſimè tibi non congruere. Frequenter conveniens erit ut ſit in obſcuris aurum arcæ, hoc eſt, animæ tuæ nitor; & non quòd accenſis lucernis, & juxta poſitis reſplendens, earum fuligine denigretur, id eſt, humanam ſollicitans gloriam deperdas meritum. Spiritum nutri virtutibus arcanè: ſic naturam imitatus; quæ nutritionem peragit in occulto.

Exod. 27. 20 21.

Alan. ib. §. In Sancto.

Angelom. in 1. Reg. c 6.

41. Hug. Card. in

Carnium. Hugo Cardinalis: Vita carnium, *id eſt laicorum vel ſæcularium eſt ſanitas cordis: id eſt clericorum vel clauſtralium: quia ab ipſis debet procedere ſpiritus vitæ in illos. Sed non eſt ſic: imo ſpiritus mortis procedit ex eis.* Illi, quibus incumbit animas ad viam ſalutis dirigere, frequenter non tantùm vita plebis non ſunt; ſed has in morte peccati conſervant; cum debuerint illas à ſomno, quo dormiunt, excitare per doctrinam. S. Joannes Chryſoſtomus: *Cum de vigilante & non vigilante ſuper domum ſuam Dominus loqueretur, ſciens quoniam plerumque obdormire faciunt in peccatis: boni autem excitant à negligentiæ ſomno, & faciunt vigilare in operibus bonis*, &c. Animarum cuſtodibus non ſufficit in aliis propriis factis conſcientia bona: nam velut earum occiſor eſt; quæ propter non monentis inſcitiam culpabilem, ſegnitiem, vel aſſentationem diſpereunt. Gildas Præſbiter: *Nec ſibi quiſquam ſacerdotum de corporis mundi ſolùm conſcientia ſupplaudat. Cum eorum quibus præeſt, ſi propter ejus imperitiam, ſeu deſidiam, ſeu adulationem perierint, in die judicii de ejuſdem manibus veluti interfectoris animæ exquirantur.* Apud morales Theologos compertum eſt, illum habendum tamquam homicidam, qui cum ex officio teneatur ad impediendam alicujus mortem, id omittit, merè negativè ſe gerens. Hæc indubitata doctrina ſpontè ſervit cogitatui noſtro, quò meditamur, interfectorem dicendum eſſe, qui, cum debeat pro ratione muneris illuminare mentes aliorum, labori parcit, & illas interire ſinit.

Prov. 14. 30. *Occidit qui non illuminat animas; cum deberet ex munere.*

Chryſoſt. to. 2. hom. 51. oper imperf. in Matth. ante med.

Gildas, opere cui titulus eſt: *Caſtigatio* juxta fin.

42. Actor. 10. 26.

Apud Miletum Paulus erat: cum Majoribus natu Epheſiorum Eccleſiæ vocatis ita locutus eſt: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium.* Supervacaneam eſſe nonnemo putabit conteſtationem iſtam. Invenireturne quis inter fideles adeo mentis inops, ut vel ſuſpicaretur, Apoſtolum, negotiatorem indefeſſum animarum, quemquam ſpiritualiter necaviſſe? Multum audent humana judicia: ſed non credo, fore, qui tam barbarus eſſet, ut hoc exiſtimaret. An ſatis non cenſuit Paulus ad Epheſinos dicere: Scitis, me de veſtra ſalute ſollicitum curaviſſe? ut quid conteſtans aſſeverat, ſe minime quemquam ex Epheſiis vitâ ſpirituali privaſſe? Quia ſic opportuit iſtos, quos vocaverat, commonere, mortis animæ reum eſſe quemvis, dum per omiſſionem delinquit circa munus oſtendendi viam ſalutis eis; quorum directio ſibi commiſſa fuit: nam illi, quos Apoſtolus vocaverat, extabant Eccleſiaſtici miniſtri. Liranus: *Paulus mandavit ibi convenire miniſtros eccleſiæ de tota Epheſina diœceſi, exhortans eos ad bonum regimen eccleſiæ Dei.* Lege Chryſoſtomum in præadducta Gentium Doctoris verba: *Igitur qui non dicit, reus eſt ſanguinis, hoc eſt cædis. Nihil hoc terribilius.* Concinit S. Gregorius Magnus, vigilantiæ paſtoralis exemplar inclytum, dicens: *Vobis & nobis parcimus, quando hoc quod diſplicet, non tacemus.* Et infra premens illud Apoſtoli dictum, ait: *In qua voce nos convenimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui ſacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala*

Liran. ib. ad n. 17.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3. hom. 44. in Act. ante med.

D. Greg. Pap. to. 1. hom. 11. ſup. Ezechie. longe ante med.

mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. O deplorandam ſortem illorum, qui nihil operis agentes, id eſt, omiſſione ſolâ, reatum graviorem incurrunt, quam alii plurima damna proximis in temporalibus afferentes!

43. *Delictum ſacerdotis, etiam pœnitentiâ deletum, facilè trahit populos ad peccandum.*

De omiſſionibus dictum eſt, quibus nocent populo plures; quorum negligentia perdit oves Chriſti. Nunc admoveamus calamum deſcribendo majori malo: ſcilicet adversùs illos ordinis Eccleſiaſtici viros, qui peccando corrumpunt ſæculares per exempla mala. Horum authoriras apud quoſdam veluti nobilitat peccata: pudorem avertens, quo fortè detinebantur, ne delinquerent. Sæculi vitam agens, licet millies coram ſacerdotibus in crimina labatur; non ideo ſtatim eos pertrahit ad ſimilia. Viceverſa, cùm ſacerdos publicè ruit, mundani ſequuntur ut plurimùm libenter; verecundiâ depoſitâ: cum cernant, ſtatûs altioris homines in ſcelus corruiſſe. Hujus exempli damnabilis vim explicat apologo duplici Chryſoſtomus. *Si ſtomachus*, inquit, *ſanus fuerit, totum corpus validum eſt: ſi autem diſſipatus fuerit, totum corpus infirmum eſt. Ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret, ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida eſt.* Laborat pes, vel manus ægritudine; ſed non idcirco ſtomachus ægrotat. Econtrariò vitiatô ſtomachô, cum fiat alimenti decoctio non recta, deſcendit ad membra cætera damnum. Sic peccante plebe, non mox propterea ſacerdos inficitur: econtra, delinquente ſacerdote, populus frequenter inquinatur. Aliam ſimilitudinem Doctor ſubjicit aureus, inquiens ibidem: *Quemadmodum cum videris arborem pallentibus folius, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cùm videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia ſacerdotium ejus non eſt ſanum.* Exuruntur æſtu rami; manet illæſa ligni radix: cum autem radix areſcit, tota fit arbor arida. Non diſſimiliter, quamvis flagitia populorum ducant rarò ſacerdotes ad nequitiam; tamen horum vita nequam vulgo præbet offendiculum: parum abeſt, ut errore culpabili putent licere ſibi quidquid malî committit eccleſiaſticus. Adeo periculoſum eſt in hac re ſacerdotis piaculum, quòd etiam poſt emmendationem ille timere queat, ne ſæculares delictum ejus præteritum recolentes, patiantur ſcandalum, & ipſius imitatione proruant.

S. Joan. Chryſoſt to. 2. hom 38. op. imperf. in Matth. poſt princ.

Idem ib. infra.

44. Mirabar, in Epiſtolis Apoſtolorum Principis nullibi me legiſſe Petrum loquentem de lapſibus, qui contigerunt eidem, cùm tempore Dominicæ paſſionis negavit Magiſtrum. Equidem pœnitentibus humilitate ſolidâ præditis eſt familiare ſcelus anteactum identidem fateri. Humillimum extitiſſe Petrum, quis dubitat? quare de negationibus tacet? Scio, Paulum ſcribentem non ſemel mentionem exhibuiſſe, quòd perſecutor extiterit Corinthiis ait: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus,* 1. ad Cor. 15. 9. *quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Iterum ad Galatas: *Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam*, &c. Rurſus ad Philippenſes: *Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei*, &c. Inſuper ſcribit ad Timotheum: *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus*: &c. En toties Apoſtolus peccatum ſuum ſcribere non recuſat. Qua de cauſa non eodem pacto ſe Petrus gerit? Reſpondeo. Paulus equidem ſacerdos non erat; Petrus verò, cùm lapſus eſt jam ſacerdotio fungebatur: quàm dignitatem diſcumbens ad menſam Euchariſticam priùs acceperat. Fortaſſis metuit, ne loquens de propriis criminibus, licet pœnitudine deletis, reduceret in memoriam fidelium aliquid, ex quo ſumerent anſam peccandi. Silere de caſibus iſtis docuit Author gratiæ: quia diſpoſuerat in excellentiam Petri, quòd ejus culpa cæteris hominibus minimè noceret; pœnitentia verò prodeſſet. O quantum ille felicior Adamo: qui plurimùm detrimenti nobis intulit peccato ſuo; pœnitendo verò nihil attulit commodi! Non ita Petrus: de quo S. Maximus ait: *Ecce nihil nobis Apoſtolus nocuit, quod negavit; & plurimum profuit, quod emmendavit.* De ſacerdotum erratis occaſionem vulgus arripiet, ut illorum veſtigia mala ſectetur Populi cor ſacerdos eſt. S. Joannes Chryſoſtomus: *Cor autem & ſtomachus ſacerdotes intelliguntur, quia in rebus ſpiritualibus per eos totus populus gubernatur.* Febricitante corde, totum corpus febrem patitur. Sic per febrem peccati, languente ſacerdote, corpus myſticum fit ægrum; valetudinem verò poſſidet, cùm viget ſacerdotis virtus, velut *ſanitas cordis.*

Ad Galat. 1. 13.

Ad Philipp. 3. 6.

1. ad Timoth 1. 13.

S. Maxim. hom æſtiva 2. de pœnit. Petr prope fi.

Chryſoſt. ſup.

Sanitas cordis. Dionyſius Carthuſianus hoc videtur exponere de virtutum integritate. Relege Commentatoris verba citata ſupra n. 37. Plures hîc annumerari poſſent paritates; ob quas virtus & corporea ſalus aſſimilantur. Unam dabo: poſt quam etiam diſſimilitudinem quamdam ſubjiciam inter eas. Affines in hoc ſunt corporea ſanitas & ſpiritualis; quod temporaria valetudo facilè deperditur; & ſæpe reſtauratur difficulter. Pariter ſalus animæ, gratia nempe ſanctificans perſæpe difficilè recuperatur ab homine; ſed ipſius jacturam facere pronum eſt frequentiſſimè. Et ut omittam quæ nobis à carne ſint atque mundo labendi pericula; dæmonum æſtus ubi non experieris? S. Laurentius Juſtinianus: *Ubique dæmones ad capiendas animas retiacula tendunt. In divitiis, & paupertate: in ſublimitate honoris, & in mundi contemptu: in voluptatibus carnis, & auſteritate pœnitentiæ: in crapula, & ſobrietate: in rerum affluentia, & parcitate victus: in loquacitate, & ſilentio: in nitore, & ſordibus: in lætitia, & fletu: in adminiſtratione temporalium, & remotione quieta: in libertate, & ſubjectione: in labore & otio: in occulto, & publico: in ſolitudinibus, & civitate: in debilitate, & corporis ſoſpitate: in vigiliis, & torpore: in gloria, & ignobilitate: in infamia, & favoribus hominum.* Jam, ſi tantùm externô peccaremus opere, minor eſſet in delinquendo

45. *Quam labimur facilè! quam ſurgimus difficulter!*

S. Laur. Juſt. l. de contemp mun. c. 18. in princ.

frequentia, propter obſtans impedimentum aliquod; ſed ut mente labamur, ô quanta facilitas! S. Baſilius Magnus: *Propter quod corporis, ait, quidem actus poſſunt nonnullis obſtaculis intervenientibus impediri: ubi autem mente delinquetur, quam facile eſt puncto cogitationibus* (alibi legitur: *Cogitationis*) *evagari, tam pernix adhærebit noxa delicti.* Vidiſti lapſuum facilitatem; attende modò quantî conſtet è gravi delicto ſurgere. Ibidem poſt multa Baſilius: *Grande alicui peccatum, & grave commiſſum eſt: grandi ſine dubio confeſſione indiget, pœnitentiæ multis & amaris lacrymis intentis, pernoctatis vigiliis, jugibus continuatiſque jejuniis.* Nemo præſumat ſuperbus, inquiens: Nunc labar, & ſtatim facillimè ſurgam: facilis deſcenſus averni; laborioſum eſt multoties revocare gradum.

S. Baſil Mag. inter oper. S. Zenon. ſer. de præcept: *Attende tibi.* longe poſt princ.

Idem ib. ante med.

46. Eliphaz perperam Jobum notans, attamen ſic verba quædam fecit, ut ex illis confirmationem veritatis hujus eruere poſſimus. *Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* Intelligere cupiebam quid ſimilitudinis interſit crimini cum aqua? Mehercle, ſi primum conſiderationis aſpectum conſulas, penitus diſſimilari cenſebis: nam unda refrigerat, humectat, atque lavat; contra verò nequitia peccantem urit; areſcere facit, & maculat. Quid ergo proportionis adeſt inter potum aquæ, & commiſſionem iniquitatis unquam? Dicam. Lympha potatur facillimè; ſed ut plurimùm difficulter evomitur. Ita peccatum ſæpius facilè patratur; ac difficultatem non modicam experitur malus inſurgendo. Noſtræ cogitationi favet haud parum Doctor Angelicus, ad præcitata verba dicens: *In hoc ergo ipſum notat, quod de facili ad iniquitatem declinaret, ſicut aliquis de facili & in promptu habet quod aquam bibat.* Sceleratus æſtu fervens appetituum, ſæpiſſimè plurimâ cum ſuavitate, parvo, ſeu nullo ſumptu ſcelus epotat, quaſi frigidam. Nocuit valdè potus inſalubris: operæ pretium eſt evomi per confeſſionem, ut ſanitas animi recuperetur: dolore quidem opus eſt, ut medeatur ſibi. Quin & inſuper ipſe fingit laborem in præcepto confitendi crimen: duriſſimum reputans, quòd homini miſero detecturus accedat propriam turpitudinem; quam nullo teſte commiſit. In hoc paria ſæpè ſunt ſalutem corporis, ægritudine pulsâ, reſtaurare; ſpirituàlemque ſanitatem poſt piaculum recipere.

Job. 15. 16.

S. Thom. com. in Iob. 15. lect. 2. poſt princ.

47. Modò circa ſecundum, quod ſum polliceitus, promiſſionis fidem liberabo. Dixi, ſanitatem utramque, ſcilicet corporis & animæ, non in omnibus convenire. Multa ſunt, in quibus differunt: unum tantummodò notabimus. Ordinariè loquendo non ſolet homo, dum ſanus eſt, bene perpendere quàm pretioſa, vel potiùs nullo coæquanda pretio ſit ſalus. Ægrotus autem hujus pretioſitatem æſtimat apprimè. Propterea fit ut magis de ſanitate redditâ gaudeat; quàm priùs quandiu non amiſerat illam. Apud Petrarcham, gaudio dicenti: *Longa ægritudine liberatus gaudeo.* reſpondet ratio: *Gratiorem fateor ſanitatem redditam, quam retentam. Ingratiſſimi mortales bona veſtra vix aliter quam perdendo cognoſcitis: & perdita ergo vos cruciant, & recuperata lætificant.* Contingit morbidis appretiare rectè valetudinem perditam: quoniam hac abeunte ſuccedunt anxietates, dolores, & aliæ, quæ morbos comitantur, miſeriæ: quibus veluti verberibus excitatur humana mens ad excogitandum quale ſit bonum ſanitas; quod antea non exactè noverat ingratus. Oppoſitum paſſim accidit in animæ ſalute. Corde ſanus, hoc eſt, juſtus agnoſcit quanta ſit felicitas inter amicos Dei numerari, virtutemque colere; peccatis autem ægrotantes plurimi non attendunt quantâ ſit æſtimatione digna virtus, & juſtorum excellentia. Ad illud, quod Jobus de ſapientia dixit: *Neſcit homo pretium ejus*, &c. Commentatur Beda: *Hæc dicendo, inæſtimabilem eſſe ſapientiam timoris Dei ſignificavit, eò quòd tam magna ſit, tamque pretioſa, ut quantum ſit ejus meritum, homo penitus ignoret.* Nil mirandum quod iſta neſciant ii, qui peccato cæcutiunt, ſi tantùm libremus bona, quæ cogitatione prætereunt; at ſtupendum nimis id eſt, ſi vertamus oculos ad laborioſa quæ diligunt. Exclamat Juſtinianus piè: *Stupeat cœlum, clamet terra: & omnis creatura miretur, cum hominem plus alliciat labor, quam requies, mors quam vita, creatura, quam omnium Conditor. Non abſque cordis cæcitate fieri poteſt hoc. Ignorantur quippe, quanta ſint cœleſtia gaudia, ignoratur quoque quid ſit virtutis bonum.* Heu: rarus eſt qui virtute carens illam faciat magnî.

Petrar. de reme. proſp. fort. dial. 4. in princ.

Iob. 28. 13.

Bed. in com. ib.

S. Laur. Iuſt. l. de caſt. connub. ver. & ani. c. 6. longe poſt pr.

Rarus eſt qui virtute carens, illam faciat magni.

48. Siracides cupiens à peccato deterrere per licitam dilectionem honoris proprii, ſequentibus verbis inſinuavit, hominem exhonorari per delictum. *Quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* Exponit Carthuſianus: *Id eſt, honore indignus eſt, qui animam ſuam peccando facit inhonorabilem.* Examinare volui, quare non magis inopiæ ſpontaneæ prodigentis bona ſua comparaverit Eccleſiaſticus peccantem, dicens: Quis divitem reddet illum, qui depauperat animam ſuam? Non ita loquitur; imo tacitè virtutem vocavit honorem à contrario ſenſu. Cur non illam potiùs hîc appellavit nomine divitiarum? Quia peculiarem Spiritus ſanctus invenit energiam in hoc modo loquendi. Honori temporali non parùm ſimilis virtus eſt. Nam quamvis divitias non poſſideat homo fortis infimæ; tamen optimè ſcit, aurum & argentum eſſe metalla pretioſa; gemmas & fundos multî valere. At verò qui ſponte ſuâ perdidit honorem, rarò continget ut vel illius infamiæ malum benè cogitatione libret, vel honoris amiſſi bonum ritè perpendat. Similiter accidit frequentiſſimè circa virtutem. Si rectum vigilanter operaris, perſpicis virtutis valorem pretioſum; & iſtius jacturam facere formidas; ac ſi facis iter per ſemitam perditionis, de virtutis acquirendo bono minmè curas, quaſi de re nullius momenti. Non in hoc ſanitas corporis, & ſalus animæ cohærent

Eccli. 10. 32.

Dion Carth. in com. ib.

rent ſimilitudine ; prout ſupra notavi : memor, ægros corpoream valetudinem, quâ deſtituuntur, facere multi ; cum ſani plures eam contemnere videantur. Nihilominus adhuc ex ratione datâ ſuperiùs unâ vel alterâ n. 37. & 39. ac 45. parificantur una ſalus & altera ſic, ut bene dicatur integritas virtutum *ſanitas cordis.*

DELIBATIO V.

Sugillatur invidia.

49. *Invidiæ permiſſio ſupplicium videtur morte majus.*

Putredo. Nunc loquar juxta ſenſum, quem in expoſitione litteræ prætuli : ſententiæ poſteriorem partem intelligens de oſſibus materialibus. Et ecce legimus, hominis oſſa per livorem putreſcere. Mirum eſt hoc ſanè ; cum lividus adhuc temporaliter vivat. Mors tandem veniens, hominemque deſtruens, non affert oſſibus putredinem : illa tabeſcunt in ſepulchro, nec ſtatim, nec ſemper. An invidia morte dirior adversùs invidioſum ? Ita credes facilè, ſi duplicem rationem expenderis, quam ſubjicio. Primò, quia mors vitæ malis terminum præſcribit ; livor non ſic : de quo dixit Chryſologus : *Hanc qui recepit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia : quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem.* Habet invidia mortis malum ; & caret mortis bono. Mortis, inquam, reperitur in ea ſpiritualiter malum, cum vitâ privet hominem internum ; non tamen invenitur in eâ mortis bonum : quia dolorum, quos viventes patimur, finis non eſt. Secunda ratio, quâ moveor ad aſſerendum, invidiam duriùs afficere liventem, quam interitus, habet ſic. Mors juſtis proficit (præter alia) collocans in tuto virtutem illorum. Econtra, ſi virtutibus pollebas, & per invidiam cecidiſti, peſſundatur quidquid virtutum lucratus eras. *Nam*, ait S. Gregorius Magnus, *invidia cum mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene geſta conſumit.* Supplicium invidentis ipſam invidiam exiſtere, legiſti ſæpè : nunc addo, ferè dici poſſe, graviùs hominem invidentiæ permiſſione puniri, quàm per mortem.

S. Petr. Chryſol. ſer. l. 72. poſt princ.

50. Neceſſitudinis fraternæ vel contemptor, vel immemor Aaron auſus eſt contra Moyſen loqui. Flagellatuſne propterea fuit à Domino ſtatim ? Nequaquam : ſed mox deſcendens in columna nubis laudavit coram Aarone Moyſen. *At*, inquit, *non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt : ore enim ad os loquor ei : & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Notavit ex Origene Gloſſa Ordinaria, quàm inſigniter hoc loco fuerit à Deo laudatus Moyſes. *Numquam enim invenimus Dominum tantùm laudaſſe Moyſen, quantùm nunc cum detrahitur ei.* Poſt hæc ſurrexit Core contra Moyſen, quaſi ſuper populum Domini levaretur ſuperbè. Non tamen lego, Deum tunc laudaviſſe Moyſen, audiente Core ; ſicut laudaverat in conſpectu Aaronis contra Moyſen fuiſſe gravius, propter circumſtantiam duplicem perſonæ peccantis : quia ſcilicet Pontifex erat, & germanus Moyſis : unde fuerat æquum graviore pœnâ mulctari. Scio, Core punitum horrendâ morte. Quomodo majori flagello percuſſus eſt Aaron ? Punitionem ſubiit invidiæ : qua lancinatum fuiſſe cùm excellenti laude proſecutus Dominus eſt Moyſen, cui detraxerat ille, non eſt parùm veroſimile. Livoris torſio mortis angore durior videtur. Mors utique non corrumpit oſſa morientis : ampliùs hominem conterit invida paſſio ; quæ putredinem oſſibus infert.

Numer. 12. 7. 8.

Ex Orig. Gloſſ. Ord. ib. ad n. 6.

51. *Invidus execrabilis cunctis hominibus.*

Accommodè profertur, invidentiam putrefacere : nam ſicut in putrefactione viſibili nos experimur, ex ea progerminari fætorem, quem refugimus : ita lividum prudentes declinant. Et meritò : nam invidia bellua ferox eſt. Andronicus Conſtantinopolitanus : *Etenim verè immaniſſima fera eſt invidia, ac multò etiam plus.* Optimo jure ſic loquitur : nam feræ corpora laniant ; livor corpus & animam exedit : belluæ manſueſcunt per induſtriam hominum vulgarium ; invidus nec arte prudentiſſimi cicurabitur ita, quòd ab eo tutus remaneas, niſi miſer fias. Quis non ſerpentem ejuſmodi vitabit fugâ ? Accedit ſecunda ratio declinandi liventem : ſcilicet quoniam invidia vocari poteſt intemperies diabolica : mirum non eſt ergo quòd illam fugiant homines. Accipe S. Antiochum. *Jam*, inquit, *invidia quàm vehemens ſit animi affectio, veriùs diabolica intemperies, vixque ullam admittens medelam ; quis referat ?* Tertiò nunc adjiciam, cur invidus deteſtandus. Malum iſtud contagioſum eſt : propterea non injuſtè foret à Chriſtianorum congregatione diſpungendus quiſquis invidiæ ſubeſt. S. Joannes Chryſoſtomus : *Sed facillimum eſt invidos accuſare, difficillimum autem talem ægrotationem omnino evitare. Quomodo igitur ne veneno ſuo nos inficiat faciemus ? Si dabimus operam, ut quemadmodum fornicatori nefas eſt eccleſiam ingredi, ſic invido quoque : imo verò multò magis invidus, quàm fornicator à cœtu fidelium exterminandus eſt.* Concludam ſtatuens, invidum cunctis hominibus execrabilem.

Andron. Conſtantinop. dial. contra Judæ. c. 25.

S. Antioch. hom. 55. in princ.

Chryſoſt. to. 2 hom. 41. in Matth. longe poſt med.

52. Fraternâ cæde ſe maculavit in mundi primordiis Caïn. Pia mater fratris utriuſque terra ſuſcepit occiſi ſanguinem ; ſed hunc non potuit continere ne clamaret adversùs occiſorem. Impœnitentem Deus condemnavit malèdicens, atque puniens in eo, quòd ex labore, quo terram operaretur, fructus non reciperet ; ſuperque terram profugus eſſet. Deſperans ille veniam ait : *Ecce ejicis me hodie à facie terræ*, &c. Hugo Cardinalis ibi : *Et dicitur ejici, quia gravis & oneroſus factus eſt omnibus*, &c. Æquo ſanè judicio punitus eſt. Sed cur oneroſus fit ? an quia primum commiſit homicidium ? Verè prior Caino fuit Adamus homicida, non unius hominis quidem, ſed omnium : quoniam totam poſteritatem ſuam effecit mortalem. S. Proſper : *Hinc eſt, quod idem primus homo ſuperbi ſpiritus elatione corruptus, omnem poſteritatem ſuam, quæ in illo radicaliter fuit, neceſſitati corruptionis ac mortalitatis addixit* : &c. Igitur quare

Geneſ. 4. 14.

Hug. Card. ib.

S. Proſp. l. 3. de vit. contempl. c. 2. ante med.

quare non magis Adam gravis & oneroſus factus eſt ſuis omnibus poſteris, quibus tantum adduxit malum? Specialis ratio dabatur in Caïno, quam in Protoparente non invenies, ut execrandus foret. Invidus extitit Caïn; Protoplaſtus non peccavit per invidiam. S. Nilus enumerans aliqua mala, quibus liber erat ſtatus innocentiæ, quo degebat ante delictum primus parens, ait: *Non enim erat materies concupiſcentiam ad occupationem proritans; non invidia; non vanæ gloriæ appetitus, non odium, non dolus, cum nullus eſſet, adverſus quem commoveretur; uti confeſtim in Caïn cœperunt hæ paſſiones geſtire* &c. Non igitur Adam, qui tam nocivus extitit univerſo, deteſtabilis illi factus eſt; ſed Caïn: quia livor peſtis exiſtit, à qua recedunt homines cautè; necnon & illi, quibus invidus nocere nequaquam parat. Vitatur invidia ſaltem ob fœtorem, ſicut *putredo.*

S. Nil. in Periſt. c. 3. poſt princ.

53. *Invidia quandoque latens difficiliùs agnoſcitur quàm dæmon.*

Oſſium. Non in ſummâ cute ſuum patitur ulcus homo livens: intus corroditur; & velut in oſſibus latet malum. Convenientiſſimum foret humano generi, quod omnes invidi voluntariam ægritudinem iſtam exhiberent oculis cunctorum, quamvis nolentes, veluti lepram: nam ſic faciliùs evitarentur. Sed æquiſſimum eſt, ut interno carnifice torqueantur abſconditè: ſic enim fit ut nullus miſereatur eorum. Dices: Nonne livor ignis eſt? Anſbertus loquens de igne illo, de quo ſermo fit Apoc. 16. 8. ait: *Quis verò alius eſt vel ignis, vel æſtus, quo pars beſtiæ æſtuari dicitur, niſi invidiæ, niſi livoris, niſi iræ, niſi zeli, niſi æmulationis, niſi animoſitatis?* Quî fieri poteſt ut abſcondatur flamma? Meretur hoc ipſa livoris culpa: quod ſcilicet per illam ſic affligatur invidus, ut abdito vulneri nullus etiam valdè peritus medicus animarum valeat mederi facilè, niſi fateatur ipſe morbum ſuum. S. Proſper: *Si quidem invidioſum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati: nec ei ab homine poteſt remedium adhiberi, cujus eſt vulnus occultum.* Cum hoc tamen ſtat, invidum induſtriâ magnâ pollere, qua livorem conatur abſcondere. Nunquam audivi fatentem, invidiâ ſe laborare; cum alia longe majora ſolitent homines jactare peccata. Noverunt, lividum apud ſapientes notari de puſillanimitate: vix autem eſt qui nolit magnanimus haberi. Quamobrem hoc infecti veneno, vel ex proximè datâ ratione, vel ne fiant cunctis odibiles, miris induſtriis diſſimulant virus: facies aſſumunt perſonatas, diſpares valde cordibus. Diabolus, quamvis extet inviſibilis, tamen quando torquet humanum corpus, & hoc non eſt manifeſtum; à prudentibus agnoſcitur ex quibuſdam ſignis. At multoties evenit, invidiam ſic deliteſcere corde, quòd non deprehendatur facile.

Anſbert. l. 7. in Apoc. ad c. 16. 8.

S. Proſp l. 3. de vit. contempl. c. 5.

54. Adeo verum eſt, ſtatum non dari medium inter felicitatem eorum, qui diriguntur à Domino tamquam ſui peculiariter; & infortunium ſpontaneum illorum, quos Dominus quaſi dimittit, & à diabolo poſſidentur; ut ſpiritu Dominico recedente, propter inobedientiam contra Deum, à Saüle, corpus ejus ingreſſus dæmon fuerit. Hôc agitari cognoverunt illi, de quibus in Regum hiſtoria ſcribitur: *Dixeruntque ſervi Saül ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.* Certè cognoverunt rem, quæ multoties non eſt cognitu facilis: nam videmus, in hac re conſuli peritos, & adhuc iſtos dubitare, commoveatur homone aliquâ paſſione naturali, vel inhabitetur ab hoſte maligno. In In Saüle circa hoc non una mens omnium eſt. Quidam putavere, paſſum fuiſſe morbum ex atrâ bili natum; qui ſolet à mente commovere ſic affectos. Exiſtimant alii, cruciatum eſſe per ſpiritum bonum, tamquam divinæ juſtitiæ miniſtrum. Licetque nunc Patrum ſententia communis teneat, extitiſſe à dæmone obſeſſum; adhuc eſt valde notandum, hocipſum non latuiſſe tunc eos, qui præcitata verba protulerunt. In eâdem Regum hiſtoriâ procedamus ultra. Sæpe memorabar dicentem Jonatham ad Patrem, cum pro Davide ſibi dilecto loqueretur: *Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſtæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraëli: vidiſti, & lætatus es.* An Jonathas, homo prudens, eâ die, qua David ſuperavit Gigantem, diſplicentiam parentis ignoravit circa plauſum triumphatoris? Fortaſſis invidiam Patris non tunc intellexit: quia fieri potuit, ut ſub læta Saülis facie deliteſceret. En fortè difficilius extitit livorem Saülis mox agnoſcere, quàm diabolum. Sic frequentiſſimè reconditur præcordiis peſtilens iſtud ſcelus; ac veluti ſepelitur in medullis oſſium.

Videri poteſt de hoc Sanct ib. v. 14. n. 22. & ſeq.

1. Reg. 16. 15.

1. Reg. 19. 5.

55. *Aliquando prudenti viro non venit in mentem, quanta futura ſit crudelitas invidiæ ſibi notæ.*

De malignitate febris illius, quam invidentiam nominamus, & in aliorum viſceribus latentem neſcimus haud ſemel, dictum eſt. Modò ſubjiciam aliquid circa morbum eumdem, cùm jam ad extra prodivit. Adhuc poſt invidiæ ſigna data, nonnunquam prudens neſcit exactè, quàm ſit livor futurus pernicioſus adversùs alterum. Non eſt cur admiratione plurimâ tangamur, cernentes, hominem prudentiâ præditum in ſubjectâ materiâ decipi. Nam lividi ſolent eſſe mente duplices atque linguâ: diſcordat in iſtis cor à labiis, prætendunt ore ſerenitatem; parant intus naufragia proximis improviſa. S. Baſilius Magnus: *Nam bilinguem eſſe hominem & duplici mente non aliunde, quàm de invidia naſcitur: in profundo namque cordis odium tegit: in labiorum verò ſuperficie coloratam dulcedinem profert, ſecundùm obtectos marinis fluctibus ſcopulos, qui exiguæ aquæ reſperſione cooperti ignorantibus & incautis improviſa naufragia moliuntur.* Laudo S. Doctoris apologum; ſed aliquid addendum cenſeo. Scopuli, quos tegit aqua non fallunt ſollicitum nauclerum, & multâ pollentem artis nauticæ peritiâ; ſed negligentem, vel inſcium. At livor ita ſubdolus eſt, ut etiam callidus aliquando non induat in mentem, quàm ſæva futura ſit quorumdam invidia.

S. Baſil. Mag. inter oper. D. Zenon. ſer. de livor. & invidia prope fi.

Speciali dilectione proſecutus eſt Jacob duplicem filium; Benjaminum ſcilicet atque Joſephum. Cum dimitteret gnatos alios 56.

alios in Ægyptum ad emenda victui neceſſaria, noluit ut iret cum illis Benjamin.

Geneſ.42.4. *Benjamin domi retento à Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali:* &c. Audis quàm providus amor avertere curaverit à genito malum, quod ei contingere valuiſſet? Retrocedamus non parum: notantes, haud ſimiliter viſum fuiſſe Jacob ſe gerere circa Joſeph. Miſit eum ad fratres in Sichem, dicens: *Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint*

Ib.c.37.14. *erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur.* An ignorabat pater invidiam fratrum adversùs Joſephum? Nequaquam: nam livor odium germinavit: ex quo verba contra illum non pacifica prodiverunt: non potuitque genitor ea neſcire cuncta germanorum dicta. Quinimo Lipomanus de Jacob increpante Joſephum occaſione ſomnii narrati, dixit: *Et ſi igitur in aperto Puerum propter fratrum invidiam increparet, cogitabat tamen ſecum prudens &*

Lipoma.in Cat.ad Geneſ.37. 11. *ſapiens jam ſecundo idem revelatum non eſſe*

Geneſ.37.3. *contemnendum*, &c. Nonne dilectio Jacobi præpoſuerat cæteris filiis Joſephum? *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos*, &c. Cur ergo prudens & ſapiens, qui poſtea Benjaminum domi retinuit, ne quid mali contingeret ei, jubet ut Joſephus ad fratres vadat à patre diſtantes; quos noverat ipſum invidere? Nullus dubitabit, in mentem illi non veniſſe, chariſſimum filium ad mortis periculum, per fratres ob livorem intentatæ perventurum; nec fuiſſe vendendum ab invidis. Etiam qui novit aliorum invidentiam fortaſſis ignorat qualia pariturum ſit hoc monſtrum, necnon poſteaquam illud flammas evomuit. Quantò magis erit hoc verum quandiu tegitur livor clauſus in abditis *oſſium*?

57. *Invidus acutè cernit in miſero ſplendorem, ſi relucet in eo.*

Invidia. Alibi dicebam, forſitan hoc vocabulum deductum à non videndo. Mentalium oculorum aciem valde turbat morbus iſte; quin & lumina videtur eruere livido. Dictis olim nunc adde Leonem Auguſtum de Judæis loquentem; quibus gratus non fuit plauſus infantium, cùm paſſioni proximus ingreſſus eſt Jeſus triumphator Jeroſolymam. *Infantes quidem,*

Leo Auguſt. or.5.in feſt. Palmar. longe poſt pr. ait, *nullo doctore Regem agnoſcunt, ac honore proſequuntur: ſeniores autem, quique meditandis Prophetarum oraculis ætatem totam inſumpſiſſent, eumdem ignorant*, &c. & infra: *O te miſerum, qui oculos tibi ac rationem ipſe ademiſti, cur ſigna, aliaque admiranda leviter adeo præteris?* Cum iſto visûs interni defectu miſerabili; quo ſponte laborant invidi, bene ſtat quòd felicitates eorum, qui proſperantur, præacutâ cernunt acie: quod ita verum eſt, ut ſupra dixerim,

Petr.Bleſ.ep. 40. & nunc ſtem dicto; ſcilicet quòd *ſolos miſeros ignorat invidia*: &c. Verba ſunt Bleſenſis. Adnotandum tamen eſt circa miſeriâ ſuâ ſepultos ita ut lateant invidentem, huic non abſcondi ſplendorem patientis ærumnas, dato quòd aliquid in eo fulgeat. Dolore compellente proſpicit invidus in homine miſerando claritatem delitescentem; non ut admiretur, ſed ut ipſam ſtudeat extinguere.

Inter prodigia, quæ die mortis Chriſti Servatoris acciderunt illuſtrantur ab interpretibus tenebræ: quas paſſus eſt orbis eo quòd magis homines tenebras dilexerint, quàm lucem. Controvertitur inter commentatores, quales hujuſmodi tenebræ fuerint. Multi, cum quibus numeratur Cornelius Alapide, tenent, adeo fuiſſe denſas, ut illæ, quæ contigerunt Ægyptiis quondam: quibus durantibus iſti non ſe videbant mutuò. Dicitur in Exodo: *Et factæ ſunt tenebræ horribiles in* Exod.10.22. *univerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vi-* 23. *dit fratrem ſuum*, &c. Si verum eſt, Chriſto Domino crucifixo, ſimiles fuiſſe tenebras oppanſas univerſo, dubitabit quiſpiam, quomodo fieri potuerit ut crucis Dominicæ titulum plures legerent. Joannes ait: *Hunc ergo titulum multi Judæorum lege-* Joan. 19. 20. *runt*: &c. Non ſemetipſos ad invicem intuebantur? & litteras tituli diſcernere valuerunt? Acumen livoris mutuavit oculis perſpicacitatem. Ærumnis plenus erat Aſſertor hominum; ſed nihilominus ejus excellentiam, quæ titulo fulgebat, non ignorarunt invidentes. Judæorum invidia circa titulum viſitur per id quod poſtea dixere Pilato Pontifices Judæorum: *Noli* Ib.n.21. *ſcribere Rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum.* D. Cyrillus Alexandrinus ibi: *Non poſſunt*, inquit, *ferre hu-* S.Cyrill. *juſmodi titulum principes Judæorum, ſed acri* Alex.l.12. in *turbati invidiâ, regnum pernegant Chriſti.* Joan. c.31. *Numquam enim, inquiunt, rex iſte fuit, quem nos in regem numquam ſuſcepimus: ſed ipſe hujuſmodi verbis uſus eſt.* Impoſitus fuerat ille titulus ad contumeliam: ſed tum regis nomen eſt honorabile de ſe; tum diſpoſitione divinâ, ſcriptum verſum eſt in honorationem Domini crucifixi. S. Thomas: *Eſt attendendum quòd illud, quod* S. Thom. com.in *ad ignominiam fecerunt, ex ordinatione ceſſit* Matth.27. *ad honorem ejus.* Inviderunt vocabulo regio Judæi, cum ſit honorificum: & multò plùs exarderent, ſi myſterium ordinationis divinæ cognoſcerent. Quidni multùm viderent acutè, qui livoris flammâ perperam illuminabantur? Cave, ne liventis oculos tamquam cæcos negligas; quantumvis dicamus, quòd à non videndo ſumat etymologiam *invidia.*

FLOS XXXVI.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.

APERITUR.

1. VERA primæ partis dogmatis hujus intelligentia pendet à ſenſu vocum iſtarum, *Calumniatur*, &, *Exprobrat.* Utrumque verbum non eſt hîc accipiendum rigorosè. Non, inquam, ſumas calumniam pro vexatione per injuſtas lites; nec exiſtimes quòd exprobrare ſignificet

ficet hoc loco in faciem conjicere quid injurioſum, vel auditu moleſtum; ſed, *calumniari*, ſumendum eſt pro, *opprimere*, generatim: nam verbum Hebraïcum etiam valet, opprimere. Janſenius hîc:

Janſen. in Prov. 14. 31. *Pro*, Calumniatur, *dictio Hebraïca non tantum ſignificat, falſis aliquem criminibus impetere, quod propriè Latinis eſt calumniari, ſed generaliter ſignificat opprimere aliquem ac quavis injuriâ ſive verbis ſive factis illatâ quempiam afficere.* Significationem vocis, *Exprobrat*, ab eodem accipe. *Non enim*, ait, *ſignificatur calumniatorem pauperis quidpiam improperare Deo. Sed ſignificat dictio Hebræa, probro afficere & dedecore, quæ ſignificatio ſenſui optimè congruit.* Confirmatur expoſitio: quia parum refert, ne vocetur calumnia, quòd honoris privatio per vim non fiat. Proderunt hîc Iſychii verba, dicentis aliorſum:

Idem ib.

Iſychi. l. 6. in Levit. c. 19. *Quæ enim differentia eſt apud eum, qui rebus ſuis caret, ſive vi, armis forſitan, aut potentia qualibet, vel per circumventionem judiciorum, aut fraude, vel quolibet alio ſimili modo his careat?*

2. Poſitâ duplicis illius verbi ſignificatione planam invenies gnomen iſtam. Per illam pronuntiatur primùm, pauperum oppreſſores injuriam inferre Deo. Stupendam benignitatem Altiſſimi circa miſeros horreant ii, qui comprimunt eos. S. Odo Cluniacenſis:

S. Odo Clun. l. 3. collat. n. 26. *Raptores vero cogitent quia dum pauperes lædunt, uſque ad Dei ipſius læſionem manus extendunt. Vox enim ipſius eſt*, Quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. *Cum ergo affligunt pauperes, utique Deum affligunt*, &c. Econtrariò miſericors in pauperem, Creatorem ipſius honore proſequitur. Si conferantur, cæteris paribus, templorum ornator largiſſimus; & liberalis in egenos; hic illi præferendus erit. Ex Chryſoſtomo Anaſtaſius Sinaïta:

Ex Chryſoſt. Anaſtaſ. Si. naï q. 14. poſt princ. *Domum ergo ornans, ne deſpicias fratrem, qui affligitur: is enim eſt magis propriè templum, quam illud.* Adde Strabonem.

Strabo l. de rebus eccleſ. c. 14. poſt pr. *Hæc autem dicimus, non quo ædificantium & ornantium loca ſancta devotionem culpemus, ſed quo doceamus, eleemoſynam in pauperes huic præferendam. Quia*, *ut beatus Hieronymus ait* Superſtitioſum eſt, parietes auro fulgere, Chriſtumque ante januas fame & nuditate torqueri.

3. *Qui calumniatur.* Proteritur indigus nonnunquam ex odio divitis in ipſum; quod frequenter comitatur reliquas inopum anxietudines, ita quòd Seresberienſis aſſeveret:

Joan. Seresb. l. 5. de nug. c. 17. poſt med. *Nec amari poteſt ab aliquo, quem mala fortuna premit, eo quòd*

Nulla fides unquam miſeros elegit amicos.

& juſtè creditur quiſque mala ferre, quæ ſuſtinet. Minus foret non amari pauperem; dirum eſt odio haberi. Neglectores inopum quoſdam appellavit Chryſoſtomus atroces atque crudeles.

S. Joan. Chryſoſt. to. 2 hom. 50. in Matth. longe ante fi. *Atrox enim*, ait, *atque crudelis, qui hac de cauſa pauperes negligit.* Quid ergo dicemus de illis, qui non ſolum negligunt indigentem; ſed verbis, & opere comprimunt?

4. *Egentem.* Non incurioſus rogares hoc loco Salomonem, quare ſimpliciter nominer egentis vocabulo pauperem; cùm ſic ipſum extollit, ut indicet, oppreſſionem ejus probrum extare Domini; miſericordiam autem in eumdem honorem eſſe Dei? cur non aliquo donavit in præſenti decoroſo titulo miſerandum? Satis clarus eſt apud cordatos paupertatis ipſe titulus. Audi qualiter Chryſoſtomus evehat pauperiem.

Idem to 4. hom. 2. in Epiſt. ad Hebræ. longe ante fi. *Sanè verò*, inquit, *ſi oportet altum ſapere, in pauperie hoc oportet, non in divitiis facere. Quare? Quia ſi potes in paucis vitam tuam bene diſponere, eo, qui hoc non poteſt, multò major, multóque melior haberis.* Reponunt ad iſta pauperes ingemiſcentes: Hoc verum credo, ne doctiſſimis id autumantibus reſiſtam: ſed experior me contemni propter anguſtiam rerum; & non poſſum non id ex intimo dolere. Reſpondeo. Contemni dignus ob egeſtatem non eras; at quia contemptum iſtum doles contemptibilis factus es. Idem Chryſoſtomus aliquantò pòſt:

Idem ib. infra. *Propterea digni ſumus qui contemnamur ob id, quòd non magis eos viciſſim contemnimus & miſeros æſtimamus, qui nos paupertatis gratiâ contemnunt.*

Exprobrat. Id eſt, contumeliam jacit in Conditorem. 5. Rationes cur ita ſit legi poſſunt apud expoſitores hujus loci. Cæteris omiſſis, eligo quamdam. Videtur dicere quivis immiſericors: Deus, qui paſcitur in pauperibus, quare permittit eos indigere? *Dicis: Chriſtus Dei filius, qui in pauperibus paſcitur; cur non magis ipſe opulentat inopes, exaltat humiles, erigit indigentes; cum ipſe ſit omnium proviſor & largitor?* Injurius eſt providentiæ divinæ qui ſic intus, vel exteriùs loquitur. Deus utique dilector pauperum eſt. Petrus Bleſenſis:

S. Laur. Novar. hom. 2. de eleemoſ. med.

Petr. Bleſ. ſer. 43. de omni SS. *Diligit enim pauperes Dominus: pro quibus ſeipſum pauperum* (fortè legendum: *Pauperem*) *fecit, & ſe quodammodo de regno ſuo, & regia majeſtate depoſuit, ut pauperes faceret ſui regni dominos & heredes.* Eoſdem ita multi facit, ut colligitur ex iis, quæ de Redemptore mundi notavit S. Thomas à Villa nova, dicens:

S. Thom à Villa nova ſer. 3. de Adven. ante med. *Toto vitæ ſuæ tempore cum pauperibus, & non cum divitibus converſatus eſt: cum eis loquebatur: cum eis edebat: cum eis ambulabat: inter eos nutritus & educatus eſt.* Qui pauperem conculcat, videtur exiſtimare, Deum inſipienter egiſſe cùm delegit in amicos, & multi duxit homines, quos mundus putat viles. Hæc exiſtimatio ſuperba injurioſa multùm eſt omnium Domino.

6. *Factori ſuo.* Nota, Deum non tantùm eſſe factorem naturæ; ſed ipſius pauperiei.

1. Reg. 2. 7. *Dominus pauperem facit & ditat*, &c. Rationem quare Deus providerit ut Eccleſia conſtaret opulentis, & inopibus, ut aſſignat S. Leo Papa:

S. Leo Pap. ſer. 4. de jejun. 7 menſ. c. 6. *Mirabiliter autem providentia divina diſpoſuit, ut eſſent in Eccleſia & ſancti pauperes & divites boni: qui invicem ſibi ex ipſa diverſitate prodeſſent*, &c. Adde Cæſarium Arelatenſem, qui ait:

Cæſar. Arelat. hom. 1. in Quadrag. poſt med. *Ego autem puto chariſſimi, quia ita Deus noſter pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, ut in pauperibus divitum fidem probaret: vel in pauperum miſericordia divitibus miſereretur, ut abundantibus boni operis ac redemptionis ſuæ occaſio non deeſſet, ut benevolum locupletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quiſque ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico ſummoque commercio, dum inopi miſericordia temporali*

largitate

largitate confertur, inde æternus thesaurus compensetur.

7. Salvian. l. 3. Timothei. post princ. *Honorat autem eum.* Bene Salvianus distributionem opum in egenos appellavit officium religionis, inquiens : *Primum ac saluberrimum religionis officium esse dico, ut Christianus dives, dum in hac vita est, divitias mundi hujus pro Dei nomine atque honore consumat.* Forsitan eâ mente locutus est, ut intellexerit, ad cultum Dei pertinere largitiones in miseros; & has per consequens esse virtutis religionis excellens munus. Quis dubitabit, eum, qui Salvatoris pedes osculatur, ipsum colere? Lege proinde quid S. Gregorius Papa dixerit de studiosè pauperes amantibus. S. Doctor Magdalenam contemplans, osculantem Dominicos pedes, ait : *Osculatur mulier pedes quos tergit. Quod nos quoque plenè agimus, si studiosè diligimus quos ex largitate continemus, ne gravis nobis sit necessitas proximi, ne ipsa nobis ejus indigentia quæ sustentatur, fiat onerosa : & cum manus necessaria tribuit, animus à dilectione torpescat.*

D Greg. Mag. to 2. hom 33. in Evang med.

8. *Qui miseretur.* Non per hanc misericordiam accipias donationem solam stipis : aliter miserendi pauperibus incapax foret qui premitur inopiâ. Necnon compatiens hic egenti, largitur opem. S. Laurentius Justinianus : *Et quoniam voluntas, ubi deest possibilitas. pro facto reputatur, æquè divitibus & pauperibus constat velle facere eleemosynam. Concluditur quòd non minus erogat qui compatitur egenti, qui orat pro afflicto, qui hortatur, consulit, & hujusmodi operatur spiritualiter, non habens quod tribuat corporaliter, quam qui solum corporalia peragit, quoniam quanto anima corpore melior, tanto spiritualis exercitatio superexcedit corporalem, per quam & perfectius virtutes perficiuntur.* Vide quot generibus nummorum justo plena sit cordis arca; licet in materiali domo nudus habitet vacuâ. Non pigeat adhuc legere S. Marcum Eremitam : *Sed*, inquit, *fortè dices, Careo pecuniis : quo pacto miserebor pauperis? Non habes pecunias, at habes voluntatem : abrenuntia illi & in ea fac quod bonum est. Non potes benefacere manu corporeâ; benefac dexterâ voluntate.* Cum peccaverit in te frater tuus, dimitte ei, *juxta verbum Domini : & erit tibi eleemosyna magna.*

S. Laur. Just. in lig. vi. c. 3. de paupert. ante med.

S. Marc Eremi. de pœnit. ante med.

9. *Pauperis.* Hoc præsertim verum est de pauperibus inculpatæ vitæ; quibus accommodari queat illud, quod ad verba Psalmi : *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis* : scribit Euthymius : *Pauperem vero eum dicit, qui temporalibus quidem divitiis est pauper, sed virtutum opibus sit dives.* Cum ejusmodi pauperes amicitiâ Dei perfruantur, patet, honorari Deum per hoc, quòd ipsis propter ejus amorem opitulemur. Non tamen inducas in animum credere, te non obsequi Deo per indigentis auxilium, nisi justus iste sit. Esto fide careat, in Christi nomine dona : frustraneum tibi non erit. Doctor aureus : *Quod si Christianus non Christianum, sed infidelem in nomine Christi suscipit, nihilominus habet statutam mercedem : quia quantum ad se non Christianum suscipit, sed quasi Christianum.* Advertendum quòd, nisi ratio prudens cogat, examinanda non est vita pauperis, ut ei subsidium eroge; ne contingat, ut falsò reputetur indignus, & ideo prætereatur. Ad illud Christi Domini : *Omni autem petenti te, tribue* : &c. audiendus est S. Valerianus : *Sciebat necessario aliquoties inter malos etiam bonos latere : atque ideo bonos, malosque commiscuit, ne cum indignos erogatio nimium cauta præteriret, etiam dignus misericordia indonatus abscederet. Nulla est discretio postulantis; nec est necessitas exploranda pauperis : dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non interest cui petenti eroges, non enim requirit Dominus, utrum mereatur ille qui postulat : sed quærit quantum præstet qui donat.*

Pſal. 9. 19.

Euthym. in com. ib.

S. Ioan. Chryſoſt to. 2. hom. 26. oper. imperf. in Matth. longe ante fi.

Luc. 6 30.

S Valerian. hom. 8. de miſericord. ante med.

DELIBATIO I.

Adversùs oppressores pauperum.

10. *Oppressor pauperum injurius Deo est.*

CUm certant mutuò divites, & utervis alium conterere sollicitat, ne superior sibi fiat; superbiam noscimus utriusque, dum neuter alteri cedere vult; & excellentiæ propriæ ductus amore studet, ne præcellat fortunarum viribus alter. At verò quoties potens insurgit in pauperem, prorsus ignoro quid illum ad crudelitatem propellat. Non invidia suadet, non majoritatis odium : quid ergo miserum comprimit? Dignus est naturæ velut hostis haberi, & eapropter invadi. Scribebat olim Cassiodorus : *Nullus opprimat indigentem : invadite pervasores : insequimini persequentes.* Velut hostis, dixi; Quin & hoste pejor. Eumdem Cassiodorum lege scribentem aliorsum; circa pauperes nempe tributis non gravandos. *Cave ergo, ne gravior fias hostibus, si adhuc nudare velis exutos* : &c. Putat immisericors, in hominem tantùm peccare. Fallitur. Ambrosium audiat. *Nemo ergo*, inquit, *irrideat pauperem quiâ exacerbat illum qui fecit eum. Nemo tentet invalidum, ne Angelos lædat. Nemo præcipitet infirmum, ne solvat beneficium Redemptoris.* Stet igitur Salomonis dictum; scilicet opprimentem indigum opprobrio Creatorem afficere : non enim rationem disparem mihi dabis, cur Filius Dei recipiat in paupere (sicut judicii die finalis indicaturus est) eleemosynam; & non recipiat in egeno vulnus, quod infligit ei superbia divitum. S. Odo : *Sicut enim in suis gravatur, ita & in ipsis refovetur.* Ratio desumitur ex eodem ibidem infra, præter ea, quæ dicta sunt. *Nunc enim*, ait, *dum quisque violentus quod voluerit opprimit, dum omne quod nequiter concupiscit exercere permittitur, fit sæpe ut in majore cordis cæcitate prosiliat, & quia non statim percutitur, quia pœna ejus in posterum differtur, nequitiam suam aut à Deo videri non putet, aut hanc & non displicere credat.* An parum Deus inhonoratur per eum, qui sic audet? Concludamus igitur, pauperum compressores injuriosos esse Domino.

Cassiod. l. 12. var. ep 5.

Idem ib. ep. 7.

S. Ambros. to 3. l. 8. in Luc. c. 18.

S. Odo l. 3. collat. n 26. post princ.

Post multa, quæ variis in locis exami-

navimus ad themata diverſa comprobanda; Dominus injunxit Moyſi quæ loquenda fuerant Pharaoni. *Diceſque ad eum: Hæc*
Exod.4 22. 23. *dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſraël. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut ſerviat mihi*; &c. En ſemel & iterum Judaicus populus appellatur hoc loco filius Dei. Procedamus ulteriùs. Tranſierat plebs miraculo diviſum æquor, & ſubmerſo Pharaone non parum viæ confecerant inſuper; cum Dominus jam non ut pater, ſed ut judex, atque dominator egit cum iiſdem: legimus enim: *Ibi conſtituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris*, &c. Quid eſt quod ſtylum ſic mutat immutabilis? ad Ægypti regem de populo Judæorum mittit verba loquens tamquam de filio; poſtea verò judicem agit, atque dominum. Vide. Cum agebatur de filiorum Iſraël egreſſione, pauperes erant illi. Tunc multi Deus faciebat eos; & ita, quod Iſraëlem filium ſuum primogenitum nominaverit. At verò poſtea multa poſſidebat populus; quæ rerum arbiter ab Ægyptiis abſtulit, atque donavit eis. *Feceruntque filii Iſraël ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commendarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios.* Cum jam abierat egeſtas, æſtimabantur minoris ab Æquiſſimo. Qui filium opprimit, dedecorat ejus parentem. Deus autem, qui geniti nomine donavit Iſraëlem dum pauper foret, ac oppreſſus inſinuavit ſic, in ſe committi dedecus, dum comprimitur inops.

Ib.c.15.25. 26.

Ib.c.12.35. 36.

12. *Deus aliquando videtur ægriùs ferre pauperum oppreſſionem; quàm peccata quædam, quibus ipſe læditur immediatè.* Salvian.l.2. de guber. Dei. longe ante fi. Chryſoſt.to. 1.hom.26. in Geneſ. lon gè poſt pr.

Et quàm deteſtabilis eſt injuria ſummo Regi, quam irrogat ipſi dirus proculcator indigorum! Deus equidem capax doloris non eſt; cum exiſtat perpetuò felix infinities. Si tamen divina pateretur natura, doleret acerbiùs, quàm pauper ipſe tolerans injuſta. Salvianus: *Ut oſtenderet*, inquit, *ſcilicet Deus, graviorem ſibi eſſe injuriam injuſta tolerantium, quam tolerantibus ſuam.* Verum habet hoc: ſed adhuc poſſumus aliquid ampliùs meditari, ducente S. Joanne Chryſoſtomo: qui loquens erga Cain, protulit ſequentia: *Vides*, ait, *quomodo Deus, quando in ipſum peccavit, peccatumque non vulgare, dimiſit: Quando autem in fratrem armavit dextram, maledictum intulit & increpavit.* Et infra: *Sæpe enim mos eſt Deo, ut dimittat quæ in ſe peccata fuerint: verùm quæ in proximum, ea cum magna ſeveritate exquirat.* Id præcipuè verificatur, cum læduntur illi, quos ipſe ſpecialiter computat ſuos. Cumque preſſos indigentiâ Deus titulo peculiari ſuos computet, inde fit, ut aliquando ſit viſus ægriùs ferre pauperum oppreſſionem, quàm certas quaſdam offenſas, quibus immediatè divina majeſtas offenditur.

13. Iſaï.1.24.

Adversùs principes Judæorum comminatio terrifica Domini proponitur apud Iſaïam. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Interjectio dolentis eſt illud, *Heu*. Commentatur ibi Rupertus: *Non leve eſt, quod Dominus exercituum dicit, Heu, non parvi ponderis eſt, quod fortis Iſraël dicit, Heu. Grandis cauſa eſt. magnus dolor eſt, quo afflictus iſte fortis, iſte Dominus exercituum dicit, Heu, nec aliter conſolationem recipit, niſi vindicetur, niſi hoſtes ejus devoret gladius.* Et qua de cauſa ſic noſtro more loquens omnium Conditor ſe perhibuit anxium? Multùm quidem læſus erat variis criminibus Hebræorum: ſed immediatè priùs ante præcitata verba facta fuerat mentio de pupillorum & viduarum oppreſſione; quibus ut plurimùm adeſt paupertas infelix. *Pupillo non judicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Idem Rupertus: *Nunc autem ſequuntur retributiones, id eſt accipiunt à violento certante contra pupillum, & contra viduam, & pro accepto, judicium pupilli ſubvertunt, & cauſam viduæ clauſis foribus ſuis excludunt.* Antea Dominus ſe dixerat ſpretum ab Iſraële; non tamen idcirco locutus eſt ibi tamquam ingemiſcens de contemptu: non protulit, Heu; ſed ait: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.* Quid igitur eſt quòd infra quaſi dolens verba profert? Forſan quia ſuaſit amor, quò Deus proſequitur invalidos, oſtendere quòd magis ægrè ſuſtineret eos conteri, quos miſerabilis deprimit egeſtas; quam infinitam ipſius Domini majeſtatem contemni. Quapropter egenorum protritione velut afflictatus (more noſtro loquimur) gemitum edit. *Heu, conſolabor* &c.

Rupert.l.1 in Iſaï.c 7.ſi.

Iſaï.1.23.

Rupert. prox. ſup.

Iſaï. 1. 2.

14. *Indignus eſt quòd tempore ſupplicii condoleas ei, qui pauperem opprimit, & amicum dicit.*

Ecce quàm ſit execrabilis illorum culpa, qui voluntariè non attendentes, infirmorum eamdem eſſe naturam, ſed reſpicientes infimam ſortem conculcant miſeros. Tam deteſtabile delictum eſt eorum, qui circa pauperes inhumani ſunt; ut quoſdam efferatos adversùs inopes audiamus, qui negant, ſe pauperibus infeſtos: quaſi pudeat id ſcelus fateri. Chriſtianiſſimè loquuntur, inquientes: Agnoſco, mendicos eſſe Dei nuntios: totis viſceribus commoveor, cùm illorum contemplor miſeriam: quâ multi ſunt indigni, quia vitam agunt à voluptatibus, & pluribus aliis illicitis liberam. Bellè Chriſtianî perſonam induunt ita loquentes. Demus quòd occaſio proterendi pauperem occurrat; iſtimet, qui de pauperibus verba fecerant humaniter adeo, ſub veſtigio pedum non verentur eos mittere, fortaſſis amicitiæ ſervato colore. Dilectio ſtudioſa ſervatur in rebus aliis erga prorſus inutilia; pauperes aſpernamur, atque transfigimus. Verè dixit S. Joannes Chryſoſtomus: *Factus es brutis longe immanior. Præſertim cum ea, quæ planè inutilia ſunt, & nullius momenti, magno videris ſtudio infectari: eos autem qui Dei ſunt templum, fame & nuditate conſumptos, non ſolum aſpernaris & negligis, ſed malis plerumque plurimis obvolvis.* Adhuc inhumanitatem iſtam præterirem tacens, niſi cernerem, quoſdam ita ſubdolos in crudelitate ſuâ, quòd amici nomine pauperem donantes, opprimunt eumdem. Hi feroces hypocritæ ſic extant

Chryſoſt.to. 5. hom.de malis &c. poſt med.

tant abominabiles, ut supplicii tempore non promereantur hominum compassionem. Et, qui pauperi non condoluit, quem dicebat amicum, vix est qui dum punitur, compatiatur.

15. Vaticinium reperitur apud Jeremiam circa Joakim regem Juda; quod scilicet planctus futurus non esset de illius obitu. Ierem.22,18. *Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Judæ: Non plangent eum: Væ frater & væ soror: non concrepabunt ei: Væ Domine, & væ inclyte.* Cornelius Alapide: Corn.Alap. in com. ib. *Justa pœna superbi tyranni, puta Joakimi, fuit, ut mortuus & sepulturâ careret & planctu*, &c. Transeamus nunc ad Amos prophetam vaticinantem circa Israëlem puniendum. Amos.5.16 17. *Propterea*, inquit, *hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertransibo in medio tui*, dicit Dominus: Exponit Sanct. Sanct.ib.in com.v.16. n. 38. fi. tius: *Is enim erit dolor ex repentino casu, ea animorum consternatio, ut plangentes cives, qui aut angustè obsidentur, aut bonis, ac vita spoliantur ab Assyriis, advocent ad lacrymas, & planctum non solum lamentatrices, & præficas, quæ venales habent lacrymas, sed etiam agricolas, & genus hominum indoctum, & rusticum*, &c. Inquiro nunc. Adeo pauca fuerant Israëlis crimina, quòd Judex integerrimus mitiùs agens cum eo, quàm cum Joakimo, sic istum punivit, ut nullus plangeret eum; Israëlem autem ita flagellavit, ut permitteret complanctum fieri de malis ejusdem? Lege prophetam, Amos.5.12. & invenies qualiter peccaverit Israël. *Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra*: &c. Quid ergo causæ fuit, quòd sic interiit miserè Joakim, ut nequaquam plangeretur; de Israële verò non dicitur apud Amos, futurum similiter? Unum invenio relatum apud Jeremiam: propter quod merebatur Joakim specialiter quòd siccis oculis præteriretur ejus mors. Ibi dicitur de illo: Jerem.22,13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei.* Interpretatur Dionysius Dion.Carth in com. ib. Carthusianus: *Istud secundùm Hieronymum dicitur contra Joakim, quem rex Ægypti constituit regem, qui Joakim erat crudelis, cupidus & superbus: unde ædificia sumptuosa construxit, idque de bonis injustè adeptis, & violenter à populo suo extortis.* & cœnacula sua *ædificat* non in judicio, *id est absque discretione, curiosè ac vitiosè.* amicum suum opprimet frustra, *id est amicos suos & subditos irrationabiliter aggravavit, exigendo multa ab eis.* & mercedem ejus non reddet ei. *Id est sibi servientibus ac operantibus mercedem non dedit*, &c. Neutiquam divites fuisse judicabis eos, qui operabantur in regiis ædificiis ex mercede. Cum isti dicantur amici ejus, & per illum fuerint oppressi, dignus erat in morte non plangi; quasi mortuum fuisset brutum quoddam. Indignum compassivis lacrymis est supplicium hominis tantâ ferocientis immanitate fraudulentâ, quòd inopem simul & amicum vocat, & comprimit hostiliter.

16. *Aliquando Deus aliquid ad gloriam suam spectans noluit, ne pauperes opprimerentur.*

Exhinc licebit inferre, quàm sit res ingrata Deo, cum accidit, ut homo sub Christi vexillo militans, & proinde pietatem ore saltem exercens, dum pauperi loquitur, dicens: Amice quò tendis? unde venis? quo laboras malo? non tantùm minimè fert opem illi; sed elationis tumore suadente nocet eidem. Notabam supra dilectionem divinam erga pauperes. Nunc addo S. Antonium Ulyssiponensem aliorsum loquentem sic: *Quos mundus despectos deserit, ipse in amorem suum convertit*: &c. S. Anton. Ulyssip.ser. Dom.2. post Trinit. Amat inopes Dominus, ut confundat sæculum. Credit hujus vanissima superbia, solos eos honorabiles, qui degunt juxta nobilitatis leges, ab eodem non sapienter promulgatas. Cumque pressus angustiâ facultatum nequeat indigus illis mandatis obsequi; fit inde quòd abjectissimus habeatur, & tamquam res vilissima calcetur plantis. Et utinam solùm despiceretur: insuper à potentibus oppressiones patitur. Hoc valde Creatori displicet inopis amanti: quis enim alicujus amator non ægre fert, ut malum perpetiatur is, quem diligit? Unum, & non vulgare signum dominicæ dilectionis esto circa pauperem, quòd aliquando non parum de gloria sua dimisit Altissimus, ne paterentur inopes oppressionem; quamvis non gravissimam, nec atrociter illatam.

17. Orto Salvatore notificatur pastoribus ejusdem nativitas: ac transeuntes usque Bethlehem viderunt recens natum infantem; & aliis retulerunt quod viderant. D. Lucas ait: Luc.2 18. *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Investigare cupiebam, quare Dei sapiens providentia non disposuerit, ut quod circa divinum puellum dixerant pastores, ad Herodem sensim famâ deferente perveniret antequam ad Curiam accederent Magi? Ratio dubitandi sese nobis offerebat hæc. Quod pastores dixerunt cedebat in Dei laudem: & magnî facere solet Omnipotens præconium suum ex ore pusillorum promanans; ut colligere pervium est de Chrysostomi doctrina. S. Doctor ad illud Christi Domini: *Numquam legistis: Quia ex ore infantium & lactantium* Matth. 21. 16. *perfecisti laudem?* sic habet: *Nam ne ambigerent Apostoli, quoniam rudes homines tantam rem potuerint prædicare, hoc infantium exemplo universa hujusmodi mentis angustia sedari potuit, cùm dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui parvulos fecerat eloquentes. Ad hæc naturæ quoque dominum atque creatorem, miraculum demonstrabat.* S. Ioan. Chrysost. to. 2 hom 68. in Matth. post princ. Hoc posito, dubitabam, qua de causa non disponente Deo factum sit ut audiret quæ dicta sunt à pastoribus rex impius? nonne per hoc glorificaretur Dominus? Ita. Sed noluit ut ipsi vocarentur ab Herode, quò susciperet ab eis coram quæ viderant: nam rusticis hominibus ad conspectum regis trahi gregibus dimissis, & insperatè cogi ad loquendum ibidem, oppressio quædam foret, quamvis nec maxima, neque crudelis. Ut non sic opprimerentur pasto-

res, Dominus omiſit ſponte gloriam acquirere, quam lucraretur, ſi narrarent illi Herodi viſa; præſertim ſi ſuperaderent Angelico miniſterio ſibi dicta. Vide quantùm Deus execretur aliqualiter opprimi pauperes; & cave ne lædas in eis juſtiſſimum Punitorem.

18. *Inter omnes oppreſſiones pauperum videtur præcipua percutere linguâ miſerabilem.*

Non hæc expendunt homines vulgò; ſed pauperrimos inſectantur immaniter. Sicut multifariam benefieri poteſt pauperi, ſic econtrariò multimodè patitur ab inhumanis. Omitto reliqua: penſitabo quod pertinet ad inhonorationem ſolummodò. Sors adverſa valuit indigum privare gazis; necnon & neceſſario victu, ſpeque melioris fortunæ; minimè tamen ita perſequens abſtulit ejus honorem: nec enim paupertas crimen eſt. Damnum, quod miſeris non intulit infelicitas, afferunt homines, aggravantes egeſtatis onus. Opprobriis petunt illum quaſi criminoſum. Eſto quòd non ſine crimine vivat; forſan immiſericordia negantium auxilium opportunum fuit in cauſa, quòd ex neceſſitate, conſilio, maleſuadæ famis delinqueret. In ejuſmodi viros avaros, & pauperum accuſatores, verti poſſet quod aliorſum ſcribit Salvianus. *Vocamus*, ait, *rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos.* At, ſi pauper innocens in eâ re fortaſſis eſt, in qua miſerabilem calumniaris; ô quàm te ſævum eſſe dixerim! Vulneri vulnus addis; paupertati nempe contumeliam. Bellè Chryſoſtomus: *Si quis lapide percuſſus, cæteris omnibus neglectis ad genua tua ſanguinolentus refugerit, aliône tu iterum lapide caput ejus percuteres, & vulnus vulneri adderes? Nequaquam certè id faceres, ſed priori etiam vulneri mederi conareris. Cur igitur in paupere oppoſitum facis?* Ex eodem S. Doctore aliam interrogationem ſubjicio. Habemus ex doctrina Salvatoris, eleemoſynam præſtandam in abſcondito; cum tamen iſta digna ſit laude. Ut quid igitur palam inopi conviciaris? an ex hoc gloriam captas? *Cumque*, ait Chryſoſtomus: *Deus jubeat occultè, atque in abdito præbere: audes tu publicè pauperem afficere opprobriis, qui à te miſericordiâ eſſet ſublevandus.* Durum eſt hoc, & parum abeſt, ut affirmem, inter omnes oppreſſiones pauperum hanc eſſe præcipuam; nempe linguâ percutere miſerandum.

Salvian. l. 5. de gubernat. Dei ante med.

S. Joan. Chryſoſt. to. 2. hom. 36. in Matth. longe ante fi.

Idem ib. poſt med.

19. Pſal. 30. 16. Euthym. in com. ib. Pſal. 30. 19. Euthym. ib.

Deum ſic alloquebatur Pſaltes regius: *Eripe me de manu inimicorum meorum*, &c. Exponit Euthymius: *Novi quod tu non vis mortem meam, & quod à tanto facinore abhorres, ut occidar à filio.* Poſt pauca Pſalmiſta ſubjicit: *Muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem, in ſuperbia, & in abuſione.* Commentatur Interpres idem: *Jactabat Achitophel nocte illa ſeſe impetum facturos atque interempturos David, ut habetur in libris Regum. In deſpectione ſimiliter, quia opprobrio ac contumelia eum afficerat.* Animadvertere juvat, jam datis verbis Davidem priùs de manu locutum hoſtili, quàm de linguâ: nec obliviſcor, nos ea memorari ſolere citiùs, quæ magis cor noſtrum lancinant. Unde nonnemo colliget, Davidem plùs curaviſſe quòd eriperetur à labiis doloſis, quàm à perſequentis manu. Siſte gradum; donec evolvens librum Job meditanda nunc offero verba, quæ protulit Eliphaz, de Domino dicens: *Porro ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Iob. 5. 15. Ecce collatus Eliphaz Davidi contrario loquitur ordine. David enim priùs de manu mentionem intulit loco citato; poſthac verò de lingua; Eliphaz autem econtrariò. Cur ita? Scimus, in ſermone præmitti nonnunquam id quod majus eſt. David verba fecit illa de ſemetipſo cùm potens erat; quamvis perſecutionem patiens (ut ex commentariis Euthymii ſuperiùs poſitis deducitur) & non mirum quòd potentiâ regali fruens magis foret ſollicitus de genere mortis acerbiſſimo; quale ſcilicet foret à filio ſuo necari; quàm de dictis hominis adverſarii; qui nempe ſequebatur partes Abſalomi. At verò planum eſt, in libro Job loco præfato ſermonem fieri de paupere. Mirandum non eſt ibi priùs agi de linguâ percutiente miſerum, quàm de violentâ manu: quoniam ab ore venit honoris opprobrium, quod homines dolere ſolitant plùs, quàm violentiam opere factam: præſertim, ſi quos egeſtas fecit ridiculos ingenui ſunt. Ex his habes, cum Deus pauperes honoraverit, injurium eſſe Domino ſuperbum, qui dehoneſtat indigos. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus*: &c.

DELIBATIO II.

De eleemoſyna.

20. *Videtur amplius honorare Deum in paupere, cui benefacis, quàm in ſeipſo.*

ARcanâ Dei ſapientiâ factum eſt, ut pauperes eſſent ex hominibus quidam, in eorum atque divitum ſpirituale commodum. Plures, niſi continerentur inopiâ, deflecterent ad illicita multa, quæ pecuniarum ſumptu patrantur. Alii, ſi divitiis abundarent, pauperes non forent ſpiritu, meritumque deperderent. Utilitas etiam animæ ditibus offertur egentium occaſione paſſim: & non parùm Deo glorioſum eſt, quòd è rerum copiis quæ perdidere plurimos, lucrentur aliqui ſpirituales proventus: hoc enim pacto roborantur animæ per ipſamet arma, quibus utitur adverſarius earum, nempe mundus: qui per opes debellavit multitudinem numeroſam. Hanc ſapientem diſpoſitionem Altiſſimi tacitè ſaltem fatetur qui beneficus eſt inopibus: & inſuper quodammodo ſic facit miſericors ut non putetur, vel Dominum haud potuiſſe cunctos homines ditare; ſeu quoſdam, quòd attinet ad naturam, ſecluſis moribus, odio proſequi. Quamobrem verum eſt, ab illis, qui miſericordiam exhibent in pauperie conflictatos Deum honore affici. *Honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.* Excellentiam hujus honorationis agnovit apprimè S. Joannes Chryſoſtomus, inquiens: *Ait enim*: Date eleemoſynam & omnia vobis erunt munda. *Hoc ſacrificio majus*

Chryſoſt. to. 5. hom. 60. ad pop.

majus est. Et quare majus? Quia per sacrificium colitur Deus in semetipso; per eleemosynam autem, in paupere. Multâ reverentiâ dignum fatemur eum, quem in servo suo veneramur. Si nobis occurrit servus dilectus regis, urbanitate supplici prosequimur illum; non autem sic, dum loquimur ad famulum hominis vulgariter nobilis; quem tantùm in se veneratione prosequimur: quoniam ita confitemur multò majorem esse regiam celsitudinem, ut pote quæ relucet necnon in servo. Benignus in pauperem, in ipso Deum reveretur: qui cultus videtur esse præcelsior. Altiùs dices, nos honorare Dominum in pauperibus, eleemosynas largiendo, quàm eumdem in semetipso colere.

21. Peccavit olim David jubens numerari populum suum. Factâ cœlitus optione supplicii puniebatur: & ecce venit ad illum propheta Gad: utque Dominus placaretur, regem monuit offerre sacrificium. 2.Reg.24.18. *Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi.* Nequaquam similiter dixit postea Daniel, cùm regi Nabuchodonosor prænuntiavit horrendam ultionem Domini, quæ manebat eumdem; sed, ut veniam assequeretur, consuluit eleemosynas distribuere. Danie 4. 24. *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Aliquis existimaret, potiùs propheram Gad fore dicturum Davidi, quòd pro Deo placando, subsidia largiretur mendicis; Danielem autem fuisse magis consulturum Babylonio monarchæ sacrificium dicare vero Deo. Rationem appono dubitandi sic. Deliquerat sanè David in eo, quòd census non fuit persolutus Domino, cum populus numeratus est. Hugo Cardinalis: Hug.Card. com.in 2. Reg.24. *Et quia censum non solvit de populo numerato, sicut præceptum fuit in lege.* Ergo quod in pecuniis fuerat erratum, emendetur eleemosynis. At Nabuchodonosor errabat circa divinæ majestatis cognitionem: nam Danie.4. 22. dictum est ei Danielis ore: *Septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Cumque per sacrificia temporis illius homines Dei majestatem recognoscerent; consentaneum diceres, ut Nabuchodonosor errorem corrigeret sacrificans Altissimo. Quiescat mens: accommodè locuti sunt utrique regi prædicti prophetæ. Honorem Dei peculiariter læserat Nabuchodonosor; non ita David. Oportebat igitur, ut majori Deum prosequeretur honore Babylonicus moderator, quam rex Israëlis. Ergo non sacrificium litet Nabuchodonosor; sed inopibus iste subveniat: nam quodammodo videbatur honos amplior offerri Deo cùm per largitiones honoraretur in egentibus; quàm si per holocaustum coleretur in se.

22. *Dona pauperi de propriis.* Agnoscant illi, quibus incumbit ex officio sublevare miseriam infelicium, quantum sit eis commissum charitatis munus; quo scilicet honoratur Deus insigniter adeo. Sed vellem ut recordarentur, ipsos non esse tantùm dispensatores bonorum, quæ vocamus patrimonia pauperum; sed etiam aliorum, quæ nequaquam sunt addicta subsidiis indigentium. Hæc secundi generis bona rigorosiùs habentur à suis possessoribus: donent igitur etiam ex illis in sustentationem famelici. Facillimum est ingenuo viro alia distribuere, quæ sunt communes pauperum facultates, ipsius administrationi commissæ: nam ad hoc satis est, ut furtum abhorreat, & amet cuique tribuere quod suum. Opus misericordiæ majus est ut largiaris quod ex præcepto justitiæ non debueras. Abuti mihi liceat iis, quæ leguntur aliorsum apud Isaac Syrum. *Ego*, inquit, *verò dico, quod nisi fiat misericors supra justitiam, non est misericors*, & infra: *Cum autem justitiam per eleemosynam vicit, coronatur non coronis quæ sunt in lege justorum: sed coronis quæ sunt in Evangelio perfectorum.* Jactant aliqui se valde misericordes propterea quòd turbam plurimam paverint ex penu communi sibi tradito, pauperibus alendis assignato: longe gloriosius est illis benefacere de bonis quæ possides, quin pauperi debeantur. Purus administer subveniens indigenti, vix asseverare potest quòd illi donet quidquam. Isaac.Syr.l. de contempt. mun. longe post princ.

23. Feram adorabant quondam Babylonii. Stupendam barbariem! Ut errorem illorum confunderet propheta Daniel occidit bestiam felicem. Commoventur idololatræ, factâque seditione contra regem insurgunt: qui Danieli potestatem fecerat, ut necaret cultum draconem. Comminantur, interfecturos illum atque domum regiam, nisi traderetur ipsis occisor. Compellente metu traditus est eis Daniel; ac impietate cultoribus idoli suadente, missus est ab eis in lacum leonum. Ibi detinebatur securus inter bruta, qui vitæ periculum invenerat apud homines. Erat in Judæa tunc temporis Habacuc. Angelus apparuit ei: qui dixit ut in Babylonem ferret quod messoribus præparaverat; ut exinde pasceretur Daniel in lacu leonum positus. Cumque vates ille, se Babylonem, atque Danielem nescire dixisset, apprehensum portavit Angelus, & posuit supra lacum. Notabam, quòd in Babylone, cum Angelus adesset, non dixit Danieli: Propheta Domini, sume tibi quam Deus clementissimè donat escam. Potiùs Habacuc audio loquentem Danieli, cum belluis detento. *Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Quare non magis hæc protulit Angelus? Quoniam purus extitit in istâ pietate minister: nam Dei jussu de Danielis alimoniâ curavit. *Danieli*, ait S. Cyprianus, *in leonum lacu jussu regis incluso, prandium divinitus procuratur*, &c. Habacuc autem egenti donavit quod suum erat. Angelus taceat; quamvis auxiliatus fuerit indigo. Difficile non erit exemplum aptare. Misericordem te jactas, nihil ex propriis tribuens; Magis ille miseratorem se perhibet, qui largitur è suis. Danie.14.36. S.Cyprian. tract in orat. Dom.

24. *Cibo pauperum* Nunc aliquas adnotabo circumstantias; quibus ornetur pulchrè benevolus in sustinentes

rem, oſtendens quòd illum non patiùm appretias.

nentes inopiam. Prima ſit. Non auxilieris inopi contemnens eumdem: nam, ſi deſpicis eum, ſimulque ſubvenis, una manu levas eum; deprimis alterâ. Quinimo cùm auxilium fers miſerrimo, pariter oſtende quòd eum æſtimas multî. S. Iſidorum Peluſiotam audi. *Cum autem*, inquit, *etiam perexigua ſunt, atque cum contumelia præbentur, intolerandam quamdam egentium animis tempeſtatem pariunt. Nam de iis qui non modò nihil largiuntur, ſed etiam pauperes conviciis & maledictis inceſſunt ne mentionem quidem facere opus eſt. Omnem quippe feritatis & crudelitatis immanitatem exceſſerunt.* Dimittamus, velut animantia prorſus indomita, contemptibiliter loquentes ad mendicos, quin eis vel minima tribuant. Ad alios nobis nunc ſermo ſit: qui per munus datum pauperibus quaſi putant emere facultatem, ut eos afficiant opprobriis. Non tantùm dicam, eſſe conjungendam verborum lenitatem donationi ſtipis, utens ejuſdem S. Iſidori dicto: *Pauperibus leniter & placidè reſpondere oportet, ac pro viribus præbere*, &c. ſed adjiciam, ut ea tibi ſit in pauperes humanitas, quòd indigentis veneratio dici valeat. Patrocinetur D. Gregorius Papa. *Dilectio*, inquit, *namque noſtra ſemper exhibenda eſt, & veneratione ſermonis, & miniſterio largitatis.* Et infra: *Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio penſare debemus: quia patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur.* Igitur paſce tameſcentium turbas non cum deſpectu; ſed cum indigentium appretiatione tuâ non modicâ.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 214.

Idem ib.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 21. mor. c. 14. n. 13 fi & n. 14. poſt pr.

25. Ex omnipotentiæ theſauris largitas incarnati Verbi pavit abundè quondam turbas. At priùs quàm miraculosè diſtribueretur ipſis alimonia, dixit Apoſtolis: *Facite homines diſcumbere.* Commentatur S. Thomas: *Id eſt, ſedere ad comedendum.* Cum ſediſſent, Dominus acceptos quinque panes benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis; illi verò turbis. Diſtributio hæc fieri non potuit ſedentibus Apoſtolis, ut eſt manifeſtum: oportebat enim, hos diſcurrere per convivia quinquagenorum, ut ponerent coram omnibus panes atque piſces. Nonne foret authoritati diſcipulorum congruentius quòd ſederent iſti; turbæ verò ſenſim accederent ad ipſos, ut acciperent ſinguli portionem? Exiſtimo, voluiſſe Magiſtrum prudentiſſimum tacitè docere ſuos, ut haberent in honore pauperes, etiam dum illis opem ferrent. Indigebant homines prædicti: ſublevabatur indigentia per Apoſtolos tamquam Dei miniſtros: & ut quâ veneratione proſequendus ab eleemoſynario ſit famem patiens, intelligas; indigi ſedentes erant; Apoſtoli ſtantes miniſtrabant eis. O utinam ſaltem ſine contemptu divites molliter de ſede ſuâ non aſſurgentes, genuflexo pauperi libenter opitularentur. Qui perfectionem ambis miſericordiæ, non tantùm vitare ſtude contemptum pauperis: ultra progredere; miſerum honora: ſic in ipſo Deum revereberis. *Honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.*

Joan 6. 10.

S. Thom. com. in Ioan. ib. lect 1. longe ante fi.

Eſto ſecunda circumſtantia liberalitatis in afflictos penuriâ, donare non truci facie; ſed læto vultu. Speculum cordis extat ſæpiſſimè facies. Dum pauper in ore cernit hilaritatem ſibi ſuccurrentis, fraternam in corde conjectatur dilectionem; & qui tot expertus eſt adverſantes; erigitur animo, cùm incidit in fratrem. Conſulebat Iſaac Syrus, inquiens: *Cum autem dederis, cum magnanimitate da, & vultûs hilaritate plus quàm ille petierit præbe.* Concinit Remigius Epiſcopus, dicens: *Cum gaudio etenim mentis eleemoſyna danda eſt, & miſericordia præſtanda: ſecurus de mercede, qui huic operi inſiſtit, quia parva tribuit, atque temporalia, & recepturus eſt maxima præmia æterna.* Qui mœſtus benefacit, videtur putare quòd in tribuendo perdit: & ſic non modicum præſtat indicium, ſe non credere, Deum ſoluturum eſſe quod elargimur pauperibus; vel pluris valere panem famelico datum, quàm æternam refectionem, per quam in cœlis eleemoſyna munerabitur. Econtrario læta beneficii charitas inſinuat, illum non obliviſci veritates oppoſitas; quas nemo Chriſtianus ignorat. Præſcindamus à Chriſtianiſmi charitate: attendamuſque ſolam compaſſionem, quam natura ſuadet erga neceſſitatem ſufferentes. Adhuc ratio dictat, ut non triſti vultu fiat indigenti beneficium.

26. *Non triſti vultu fiat indigenti beneficium.*

Iſaac. Syr. l. de contempt. mun. c. 8. juxta med.

Remig Epiſc. expoſ. Epiſt. ad Rom. c. 12. ante med.

In hiſtoria Joſephi meditandum adhuc aliquid eſt. Poſt expoſita ſapienter ſomnia Pharaonis, ab iſto delectus fuit in præfecturam, ut venturæ fami cellaria præparans, occurreret poſtea diro malo. Sæpiſſimè notavimus, ad illum ignotum bis veniſſe germanos, ut parenti, ſibique victum pecuniâ reciperent, atque deferrent. Id modò tantùm examinabam, quidne fuerit in cauſa, cur non Joſephus, quin fratres venirent in Ægyptum, poſtulaverit à Pharaone ſervos, quos mitteret ad genitorem frumenta portantes; dicens eis: Ite veloces in terram Chanaan: ibi quærite Jacob patrem meum: & notum facientes ei quali poteſtate fruar in Ægypto, nomine meo gratis alimentum offerte? nonne placitum hoc eſſet Pharaoni? Joſephumne latebat, parentem ſuum tempore famis indigere? quid cauſæ fuit, ut ita non ageret ille, qui benignè donavit fratribus quod portaturi venerant? Suſpicor, Joſephum credidiſſe, nequaquam valiturum, niſi cum plurimâ cordis atque vultûs mœſtitiâ proferre dicta verba: Ite, quærite Jacob patrem meum: cum enim parentem diligeret enixè, vereor quòd non potuiſſet illius nomen ore depromere ſiccis oculis: noluitque mœſtus largiri neceſſitatem patientibus dilectis. Cum autem vidit ſuos, deſiderium ortum de patris abſentiâ dedit inducias præcordiis illius: & ſic in hilaritate præbuit indigentibus opem. Ex lætitia pulchrior fit liberalitas.

27.

Tertiam numeremus eleemoſynæ conditionem, in ſuperioribus tactam. Cum benefaciendum eſt proximo tuo, non agis illius judicem: fratris munus obis; Igitur,

28. *Ne pauperem roganem examines, an dig-*

nus auxilio ſit.

tur, niſi ratio prudens oppoſitum dictet, non, ut obolum tenuem dones, examinandum tibi credas, an ille dignus extet, cui benefacias. Redeat ſupra citatus Iſaac Syrus: *Ne diſcernas*, inquit, *pauperem à divite, nolique ſcire dignum ab indigno. Sed ſint apud te omnes homines æquales ad bonum. Hoc modo poteris indignos trahere ad bonum, quia citò trahitur anima per temporalia in Dei timorem.* Non dubites, eleemoſynam ita candidè collatam obtinere plurimum apud Remuneratorem certiſſimum. S. Antiochus: *Bonum igitur fuerit, quæſita etiam propriis laboribus quæ tibi ſuppeditavit Deus, in uſus inopum, candido ac ſimplici animo diſpertiri, neutram in partem vacillando, cui dare debeas, cui item non*: & infra: *Hoc enim munus obſequii in pauperem collati cum animi candore confectum, plurimum obtinet apud Deum gloriæ.* Nequaquam diſcutias vitam poſtulantis, indigentiâ cogente, donum tuum: ſit ille dignus, vel non, qui flagitat, annue petitioni: munus haud amittis.

Iſaac, Syr. ſup.

S. Antioch. hom 98. ante fi.

29. Jonathas intelligens, definitum à patre Saül interficere Davidem, hunc monuit ut abiret. Diſcedens iſte pervenit ad Nobe, ubi tunc poſitum erat fœderis tabernaculum. Allocutus Achimelech ſacerdotem, petiit ab eo ſuſtentationi cibum, ſi quid haberet ad manum. Reſpondit ſacerdos, habere ſe tantùm panem ſacrum: quem fore donaturum inſinuavit, ſi eſſent mundi ſocii. *Non habeo laïcos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?* Cogitatione verſabam, quonam ex motivo nequaquam dixit illi ſacerdos: Tune mundus es? de cæterorum curat munditie; non autem Davidis? Ita verborum ſonus indicat; quibus Davidem non expreſſit. Eccur? Fortaſſis quia cenſuit, poſitâ ſupplicatione Davidis, qui neceſſitate coangustabatur, non eſſe quòd examinaret, utrum ipſe dignus foret comedere panem illum, vel non. De ſequentibus Davidem judicavit inquirendum: nam iſti non petebant pro ſedandâ fame panem. Cùm à te rogat mendicus eleemoſynam, quidquid ſit de illius dignitate vel indignitate, ſolam ejus indigentiam conſidera: humiles ejuſdem preces quaſi reddunt ipſum dignum adjutorio. Carò vendis miſero fruſtum panis, cùm ad hoc ut id accipiat, cogis eum ſubire de vita & moribus examen: quia reus coram te ſiſtitur forſan innocens: reus, inquam, nam rarò contingit, ut inſontem pronunties quem cernis inopem. Aliæ quædam eleemoſynæ liberaliter & Chriſtianè donandæ conditiones hîc fuerant numerandæ: ſed has commodiùs delibationi ſequenti remitto.

1. Reg. 21, 4.

DELIBATIO III.

Eleemoſynæ qualitates quædam.

30. *Citius alienæ ſuccurrendum neceſſitati, quàm propriæ?*

EXpendendæ modò ſunt aliæ nonnullæ circumſtantiæ comites præfatæ beneficentiæ, quæ verſatur circa pauperes; quas ferè cunctas ipſa liberalitatis natura ſuadet. Primò ſit eleemoſyna velox: ſecundò, larga: tertiò, de ſelectioribus: quartò non ex alieno: quintò, diſcreta, hoc eſt, fiat egentibus. Deinceps ad ſingula. De velocitate loquitur ita S. Antonius Ulyſſiponenſis. *Quinque thecæ digitorum ſunt quinque quæ in eleemoſyna exiguntur: ſcilicet quod ſit prompta & velox. Eccli.* 4. Cor inopis ne afflixeris: & ne protrahas datum &c. De reliquis Doctorem Luſitanum leges inferiùs: nunc de ſolâ promptitudine dicam. Dicitur eleemoſyna meritò jejunii ala. Severianus Epiſc: *Quemadmodum enim*, ait, *avicula, niſi alarum ope fulciatur, volare non poteſt; ſic & jejunium duplicem alam habet, orationem & eleemoſynam, ſine quarum præſidio currere non poteſt.* Ala non ad ſegnitiem inſervit; ſed ad volatum; Cumque corpus ſiat ocyus per alas, fortiori ratione pernix eſſe debet alametipſa. Necnon aliam eleemoſynæ reperio conducentem nuncupationem ad idem inſtitutum. Appellatio ſagittæ congruit illi. Rationem ex D. Vincentio Ferrarienſi collige: cujus hæc ſunt verba: *Nam quodlibet opus miſericordiæ eſt ſagitta venenata, qua vulneratur hoſtis crudelis.* Sagittandi munus non aget ſpiculum, niſi veluti volet. Et ô quàm pigrè multi vocati miſerorum clamoribus trahuntur! Si premat ipſos neceſſitas propria, rumpunt moras diligenter, ut auxilium quærant; cum autem proximo ſubveniendum eſt, morosè nimis cunctantur. Oppoſitum docet excellens charitas: nempe citiùs alienæ ſuccurrendum neceſſitati, quàm propriæ.

S Anton. Ulyſſip. ſer. 2. de omnib. SS. poſt pr.

Sever Epiſc. orat 4. de mundi oratione longè ante fi.

S Vincent. Ferrar. ſer. 2. Dom. 3. jejunia med.

31. Noſtrum Parœmiaſtem conſulamus. Sic ille ſuum inſtruit alumnum: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Locum illuſtrant aliqui ſuppreſſo nomine relati per Janſenium. *Per primam*, inquit, *enim ſententiam*, Bibe aquam de ciſterna tua &c. *intelligunt ſignificari metaphoricè, bonis propriis utendum, aliena non appetenda, ſed ex ſuis quod neceſſitati ſatis eſt, ſumendum eſſe. Per ſecundam*, Deriventur fontes tui foras &c. *intelligunt ſignificari ex propriis bonis, unde quis ſibi neceſſaria ſumit, communicandum eſſe pauperibus & egenis, qui in plateis vagantur*, &c. Hac expoſitione poſitâ, non parum probabili, notatione digniſſimum judicavi quòd cum hortatur, ut homo de ſuis neceſſaria ſumat, confert ea bona cum aqua ciſternæ: poſtea monens ut ſit egentibus proficuus, æquiparat bona temporalia lymphæ de fontibus mananti. Quo myſterio tranſmutat ſtylum? Conjicio, ſic indigitare voluiſſe quàm diſpari greſſu vir charitate fervens, nunc ſuis, nunc aliorum neceſſitatibus provideat, ut perfectius operetur. De ciſterna ſolet aqua per funem extrahi, factâ morâ: non enim ſolent è ciſterna libenter aquæ decurrere. Fontes autem ſemel quòd abundè ſcaturiunt, velociter effluunt. Sic amator proximi pro miſeriis aliorum ſublevandis ocyùs accedat; & imitetur fontes ejus opulentia. Pro ſuis indigentiis ve-

Prov. 5, 15, 16.

Janſen. com. in Prov. ib.

rò non ita feſtinet : ſint ei, quas poſſidet, opes velut unda, quam ciſterna claudit : hoc eſt, non ſtudio ſatagat nimio de ſemetipſo : alacritatem vertat in pauperum commoda ; perniciùs eis, quàm ſibi ſuccurrat.

32. *Menſura doni ſit voluntas egentis.*

Ad ſecundum. Largam oportet eſſe beneficentiam, ſuppoſitis facultatibus opportunis : nam contracta manus dat more negantis ; aperta verò liberalitatem cordis probat. Cordis, inquam, non enim eſt cur de largitate labiorum, qua plures utuntur, verba faciamus : ex præcordiorum affectu, juncto ſimul opere, ſi vales, perfecta liberalitas conſurgit. Eleemoſyna vera (ſuppoſitis facultatibus) ita requirit in donando copiam, ut hac deficiente nomen ſuum deperdat, juxta Chryſoſtomum dicentem : *Sed quid hæc loquor pene delirans, ad homines loquens, qui necdum pecunias contemnere patiuntur, ſed veluti immortales ita cuſtodiunt, & ſi parva ex pluribus dederint, integrum opus ſe exiſtimant perfeciſſe ? ſed non eſt hæc eleemoſyna : eleemoſyna enim illa eſt, qualis fuit illius viduæ, quæ totam vitam ſuam evacuavit.* Loquitur S. Doctor de vidua, de qua mentio fit Marc. 12. à n. 42. Utinam haud ſolerent opulenti diſtare tam longe nimis ab Antiſtitis piiſſimi doctrinâ ; quod non ſolùm nequaquam totum ſuperfluum expendunt in pauperum ſublevationem ; ſed cum importunitate coacti cuiquam donant, eligunt abjectiſſima ; velut expuentes quod faſtidiunt in os inopis. S. Ambroſium audiant. *Non*, ait, *ergo quid faſtidio expuas, ſed quantum devotione conferas, æſtimandum eſt.* Vellem ut illi crederent, bona, quæ deliciis inſumunt, eſſe pauperum alimoniam, ut putantes reſtitutionem quod eleemoſynam dicimus, minimè ſtuderent donari vilia, cum debeant pauperi bona ſua. *Quis enim tam injuſtus*, ait S. Ambroſius, *tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, ſuum non uſum, ſed abundantiam & delicias facit ? Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines : nudorum indumentum eſt quod tu recludis : miſerorum redemptio eſt & abſolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tot te ergo ſcias invadere bona, quot poſſis præſtare & nolis.* Conſultum eſt igitur, ut ſicut quando ſolvis debitum, ſolutio menſuratur, non ex mero debitoris arbitrio, ſed ex juſtâ creditoris voluntate, ſic & cum pauperi ſubvenis, menſura doni ſit voluntas egentis.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 4. expoſ. in Ep. ad Hebræ. hom. 28. longe ante med.

S. Ambroſ. to. 4. l de vidu. longe poſt princ.

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 64. ante fi.

33. Duplex divinæ largitatis miraculum componamus ad invicem : alterum, quo Deus olim populum Hebræorum de theſauris pavit ſuis lautiſſimè, panem cœli donans ; aliud, quo jam factus propter nos egenus, adhuc in turbas liberalitatem exercuit in deſerto. Meminiſti, manna ſic datum, quòd vetitum fuit (niſi cum inſtaret proximè ſabbatum, ſcilicet feriâ ſextâ) ita colligi per Judæos, ut plus quàm ad ſingulos tantùm dies victum pararent, ac in ſequentem reſervaretur. *Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies :* & infra : *Nullus relinquat ex eo in manè.* Non ſic in quinque panum convivio : nam apud Joannem legis : *Diſtribuit diſcumbentibus : ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* & infra : *Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant.* Plus acceperunt aliqui de manna, quàm indigebant ; ſed fruſtra. *Nec qui plus collegerat, habuit amplius* : &c. Quænam eſt hæc diſparitas ? an unum & alterum epulum non exhibuit eadem omnipotentia ? de pane cœleſti qui plus congregaverat non ideo majorem invenit copiam ? *ſed ſinguli juxta id quod edere poterant, congregaverunt.* At verò ſinguli de turba quantum volebant accipiunt ? Scis illud Pauli : *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* : &c. Quo poſito, dicam. Tempore ſcriptæ legis adhuc opportunitas non aderat hortandi mortales ad perfectiora. Hebræi, qui Deum imitarentur, donatione pabuli quotidiani tacitè moniti fuerunt elargiri pauperibus ad menſuram donantis ; non autem docti ſunt ipſis dare pro voluntate capientis. Chriſtus verò Dominus duxit homines ad ſublimiora. Donatum eſt ſingulis de populo quantum volebant. Cyrillus Alexandrinus ait : *Liberalitas enim nobis hoc miraculo commendatur*, &c. Cum Evangelii temporibus majora docenda forent hominibus, hoc modo nobis inſinuatum eſt, ut non tam ex voluntate largitoris, quàm ex indigentis electione metiremur donum. Sit ergo tam effuſa manus, ut norma donationis extet ipſa voluntas inopis. Bene S. Antonius Ulyſſiponenſis exigit circa eleemoſynam *ſecundò quòd larga.*

Exod. 16. 4, 19.

Ioan. 6. 11. 13.

Exod. 16. 18.

Ib.

Ad Hebræ. 7. 19.

S Cyril. Alex. l. 3 in Joan. c. 18. poſt princ.

S Anton. Ulyſſip ſer. 2. de om. SS. poſt princ.

Ad tertium. Dicebam ſupra, ex electioribus donandum indigenti proximo. Jam n. 32. aliquid huc faciens tetigi. Nunc unam vel alteram rationem addam, ut ex melioribus impertiendum ſit indigo. Memor imprimis eorum, quæ dixi to. 1. fl. 6. delib. 6. n. 29. ſcilicet auxiliantem inopiæ donare ſibimetipſi, primam rationem præſentis dicti ſic efformo. Soles eligere, ſi vales, tibi meliora. Cùm eleemoſynam tribuis egeno, tibi donum confers : ergo de ſelectioribus largire. Secunda ratio ſit. Conferens adjutorium egeſtati, Deo ſacrificas : nam D. Cyprianus ait : *Qui dat minimis, Deo donat, ſpiritaliter Deo ſuavitatis odorem ſacrificat.* Scis, irreligioſum eſſe, quòd multa poſſidens eligas ea, quæ jam habentur pro derelicto, quia viliſſima ſunt, ad oblationem divinæ majeſtati ſacrandam. Concludam proinde, reprehenſione dignos opulentos, qui vix in mendicos erogant quæ pedibus terunt. Scribit Leontius Epiſcopus, eleemoſynam apparuiſſe in imagine quadam S. Joanni eleemoſynario, veſtitam habitu reginæ, geſtantem in capite coronam de ramis olivæ ; dixiſſeque ad S. Archiepiſcopum : *Ego ſum prima filiarum regis.* Qua fronte, dives avare, tuam eleemoſynam induis pannis rejectitiis ? Tertiam rationem ſuperaddo. Miſericors in pauperes imitatur ſeminatorem agri. S. Auguſti-

34. *Eleemoſyna danda ex electioribus.*

S. Cyprian. trac. de orat. Dom. longe ante fi.

Leont. Epiſc. in vit. S. Ioan Eleemoſ.

nus :

S. Ang. to. 8. expos. Psal. 124. longe post med.

nus : *Quid enim feminas ? Misericordiam.* Agricola de præterita messe reservat optimum triticum, quod terræ committat : ergo tu non seponas in usus egenorum quod pejus. Imo generosus da necessitatem patienti de selectioribus.

35. Tobias in captivitate positus, cum esset animo liber, gestis animi testabatur ingenuitatem. Hujus exemplum sit, quòd festo die quodam invitavit aliquos sibi

Tobi. 2. n. 2. contribules, ut epularentur secum. *Dixit filio suo : Vade, & adhuc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.* Hoc ille præstitit animo pietatis in pau-

Lect. Sept. ib. peres de tribu sua. Septuaginta legunt : *Vade, & quemcumque inveneris fratrum nostrorum egentem, qui meminerit Domini*, &c. Reversus nuntiavit ei genitus, Hebræum quemdam jugulatum in platea jacere. Reliquit prandium, & portavit occultè ca-

Eod. c. n. 5. daver in domum. Tunc legitur : *Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu & tremore*, &c. Ex divinæ Scripturæ silentio fortè colliget aliquis, invitatos non fuisse qui vocandi fuerant ; eo quod Tobiæ filius antequam perficeret jussum patris, regressus fuerit in domum, pietate commotus erga corpus inhumatum. Si

Ibid. n. 3. quis arguat contra, dicens, in Textu haberi : *Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus* : &c. Unde videtur colligi quod cum reliquit mensam, jam invitati venerant ; & accumbebat cum illis. Si quis, inquam, argumentetur ita ; non deerit qui respondeat, hoc non obstare : quoniam non exprimitur ibi quod jam accumberet cum vocatis inopibus : & asserat, accubuisse Tobiam seniorem priùs absque illis ; cum expectaret pauperes minimè superbos, & per consequens non ægrè laturos quòd ante ipsorum adventum accubuisset mensæ. Utrum hæc solutio rectum discurrendi modum teneat, judicet alter. Si verum est, egenos illos non fuisse cum effectu vocatos antequam nuntiaretur ei de cadavere, locus datur ut inquiramus, quare non legitur, eos per gnatum rursus euntem adductos fuisse, post introductum domî corpus mortuum. Forsitan respondebis, quod antea cibare pauperes Tobias volebat cibis electis juxta suæ fortunæ

Ibid. n. 1. conditionem : nam in historia dicitur : *Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ*, &c. & post conceptum dolorem de reperto cadavere, comedisse vel panem tantùm, vel cum obsonio non selecto (*Manducavit panem cum luctu & tremore*) quod nolebat offerre pauperibus cùm habebat meliora : nonque putavisse congruum comedere seorsim à contribulibus admissis in domum suam. Si placent hæc, ô lector candide, judica dixeritne secum Tobias : Mœror non patitur ut cum pauperibus comedam cibos electos ; quos paraveram : eis vilia largiri nolo : quapropter alteri diei reservo de melioribus eleemosynam contribuere : nam hæc danda non est ex abjectis, cùm suppetunt alia. Optimè S. Antonius prosequi-

S. Anton. Ulyssip. ser. tur qualitates eleemosynæ ; dicens ; *Tertiò quod de melioribus & electioribus : non sicut Cain, qui deteriora obtulit.*

Ad quartum. Ipsa cujusque doni ratio postulat, ut ex propriis fiat. (Excipe cum per eleemosynas facienda restitutio alieni : vel cum erogantur bona de tacito vel expresso consensu Domini) Nisi munus pauperi sic exhibeatur, eleemosyna non erit. S. Joannes Chrysostomus : *Nam si propterea rapis ut miserearis, nihil hac pejus eleemosyna. Cum enim ex rapina nascatur, hoc eleemosyna non est : sævitia quædam est, & crudelitas, hoc est in Deum contumelia.* Consonat Magnus Gregorius, dum ait : *Neque enim eleemosyna reputanda est si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur* (alibi legitur : *Acquiritur*) : *quia qui hac intentione malè accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quàm juvatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur.* Notum sit eis, quorum conscientiæ debitis onerantur, eos nequaquam per æs alienum, fraudato creditore, pauperibus distributum, Deo placituros.

2. de omn. SS. longe post princ.

36. *Eleemosyna non de alieno.*

S Joan. Chrysost tom. 5 hom. 6 ad pop longe post med.

S Greg. Pap. to. 2 l. 7 epist. indict. 1. c 110. ante med.

Adolescenti cuidam dixit quondam Filius Dei ; quamvis nosset, eum non fore secuturum ipsius vestigia : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & de pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo : & veni, sequere me.* Matthæum Dominus vocaverat sanè divitem. *Vidit hominem sedentem in telono, Matthæum nomine. Et ait illi : Sequere me. Et surgens, secutus est eum.* Non illi Salvatorem dixisse legimus ut quæ possidebat impertiretur pauperibus ; cum tamen cœlitus destinatus foret ad Apostolatum : cui muneri congruebat bonorum temporalium dimissio. *Nec istum ideo* (dixit Paschasius) *divitem vocat ut permaneat dives ; sed ut relictis omnibus, beatam amet paupertatem, & exemplum sequatur Præceptoris, si quidem non solum incessu pedum, verùm imitatione perfectæ vitæ.* Moneat ergo Christus Dominus Matthæum inquiens : Omnia tua pauperibus distribue ; tunc veni, sequere me. Non ita fatur, ne donaret Matthæus eleemosynas ex alieno : nam ipse restitutionibus obnoxius erat : pro ut colligitur ex eodem Paschasio ; qui supra dixerat : *Sedebat enim ut magister rapinæ juxta fornacem avaritiæ, & æstuabat concupiscentiarum caloribus. Nec stans ut vinceret, nec abiens ut evaderet, sed sedens ut princeps rapinæ ministrorum prædam diriperet.* Multum Domino displicuisset, si qui defraudaverat aliena, quidquid posslideret pauperibus erogasset, quin resarcirentur damna. Quare, licet ad paupertatem Evangelicam vocaverit Salvator Matthæum, nihil tamen circa donanda sua cuncta pauperibus est adhortatus ipsum. Quomodo poterit exerceri misericordia, si per istam justitia deferatur ? Non erit pietas beneplacita Deo, si nudetur proximus unus, ut vestiatur alter. Prudenter dixit S. Antonius Ulyssiponensis, eleemosynam esse oportere puram, id est, non maculatam per injustitiam. *Quartò* ait, *quòd pura, id est de justè acquisito.*

37. Matth. 19. n. 21.

Ib. c. 9. n. 9.

Paschas. l. 5. in Matth. c. 9. ib.

Idem ib.

S. Anton. sup.

38. *Magno supplicio dignus qui largus in amicos, avarus est in pauperes.*

Ad ultimum. Discretio reperiri debet in eleemosyna ; hoc est , quod indigentibus donetur. Arrogant sibi nonnunquam prodigi liberalitatis nomen ; cum ab hac virtute longè latéque distent. Si motiva , quibus feruntur, expendas, vitiosa sunt: si modum æstimes, nullum invenies prudentem. Quænam affinitas istis est cum virtute liberalitatis? Imo quamvis & servetur modus, & ratio motiva donandi non sit iniqua , nequaquam statim donatio numeranda venit inter eleemosynas. *Nam* , inquit S. Thomas à Villa nova , *quæ amicis amicitiæ causâ , quæ famulis servitutis gratiâ , quæ cognatis , sanguinis & cognationis respectu donantur in vita , vel in morte testamento relinquuntur , non continuò censenda sunt ad misericordiam & charitatem pertinere. Hæc enim in judicio vacua apparebunt , quando Dei amore non fiunt. Quod si hæc ex charitate feceris , justitiæ & pietatis præmium feres* : &c. Si Deus justissimus retributor non computat ea , quæ tribuuntur amicis & consanguineis , nullâ virtutis habitâ ratione ; quomodo placebunt illi munera , quæ fugunt à potentibus adulatores, & similes divitum sanguisugæ ? Non timent illi depauperari per iniquas largitiones ; si verò pulsetur à pauperibus eorum janua , verentur, ne si tot mendicis opem tulerint , etiam ipsi postea mendicent. S. Joannes Chrysostomus : *Nam illi quidem* , ait , *corpus scortorum auro multo vestiunt , tu autem neque tenui veste Christi carnem , eamque nudam videns : quali hoc venia dignum , quantum hoc non meretur supplicium ? . . . Ubi autem paupertatem juvare oportet , omnibus es pauperior. Et parasitos quidem pascens , & adulatores quasi ex largis fontibus fovens gaudes : si autem pauperem alicubi videas , tunc tibi paupertatis metus incidit.* Esto quod homo possessionibus abundans , non ad malum finem insumat bona sua ; sed cum amicis liberales faciat sumptus ; pauperibus favere detrectans , non vulgari supplicio dignus est. Minor foret ejus culpa , si præ tenacitate nihil ulli donans , comederet solus quæ fortuna projecit in eum.

S Thom à Villa no ser. 2. de S. Mart. longe post med.

Chrysost. to. 4. hom 19. in 2. ad Cor. longe post med.

39. Job , quò de calumniâ se tueretur amicorum , Deum innocentiæ suæ testem invocans, proprias virtutes enarravit. Beneficentiam in pauperes asseverat , utens imprecatione contra semet , nisi beneficus extitisset antea prosperitatis temporibus in patientes pauperiem. Dixerat : *Si negavi , quod volebant , pauperibus , & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus , & non comedit pupillus ex ea* : postea subdit pœnam , quam imprecatoriâ locutione conjicit in seipsum , propter inclementiam , quam negat commisisse : *Humerus meus à junctura sua cadat , & brachium meum cum suis ossibus confringatur.* Versemus hæc posteriora verba secundùm spiritualem intelligentiam , ad lucem D. Gregorii Papæ. *Sed* , inquit , *sancti viri humerus à junctura sua non cadit : quia videlicet ejus dilectio à socialis vitæ concordia per impatientiam non recedit. Ejusque brachium minimè frangitur : quia omnis ejus operatio in conjunctione humeri , id est , in charitatis connexione custoditur.* Non multùm gravem censebis pœnam istam , quam sibi precabatur Jobus , ut se purgaret à peccato non succurrendi miseris : nam juxta sensum prædictum tota consistit in animæ damno , quod parum curaret Job , si foret avarus amator bonorum temporalium : nec dicimus gravem pœnam , quam non dolet is , qui per illam punitur. Memini , fuisse Nabal , Deo sic vindicante Davidem , vitâ privatum , eoquòd illius indigentiæ præbere noluerit auxilium : dixit enim David , cum audisset Nabal mortuum : *Benedictus Dominus , qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal , & servum suum custodivit à malo , & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus.* Illud opprobrium & malitia quidem involverunt inhumanitatem Nabalis in denegandâ , quam David petierat , eleemosynâ : quia Commentator egregius ait : *Ego in opprobrio utrumque cognosco , & irrogatam ignominiam Davidi , ac sociis , & negatum esse , quod petebatur , alimentum ; repulsam enim pati opprobrium quoddam est.* Et infra : *Malitia Nabal fuit ingratitudo , inclementia , verborum libertas , & linguæ immoderata procacitas ; quæ luit homo ille rusticus , & barbarus capitali pœna.* Modò componamus nequitiam Nabalis , cum peccato , quo delinqueret Job , si pauperes & pupillum non refoveret fortunâ ridente. Cur Nabal morte dedit pœnas ? & Job non similiter insinuat , occidendum à Domino se ? Quia Job loquitur de semetipso, dato quòd sic esset ex avaritiâ parcus , ut ad mensam propriam nullum admitteret vel amicum. Id satis indicant illa verba : *Si comedi buccellam meam solus* , &c. Eorum qui suas facultates impendunt in solos usus proprios , videtur non esse tantum piaculum, dum negant opem famescentibus. Acerbiori castigatione dignos judicabis illos , qui tenaces in rogantem ut ejus succurrant inopiæ , multa dissipant cum amicis non indigentibus. Hujus conditionis videtur fuisse Nabal : quem , cum Davidi negasset quod petierat , invenit uxor epulantem. *Venit autem Abigail ad Nabal : & ecce erat ei convivium in domo ejus , quasi convivium regis* , ubi Sanctius : *Quem invenit hilarem , & multitudine convivarum , & splendore genialis convivii.* Dives erat Nabal ; & nequaquam egenorum se perhibuit amantem : unde patet, esse verosimile , quòd non semel in opulentos largus erat. Meritò morte plectitur qui benefacere contemnens pressis angustiâ rerum , sua profundebat in amicos. Charitatem putas donationes ejusmodi ? Vera pietas non est sic indiscreta. Claudat excursum D. Antonius , à quo sumpsimus exordium. Ait ille de eleemosyna : *Quintò quòd discreta. Debet enim fieri tantùm indigentibus.*

1. Reg. 25. 39.

Sanct. in com. lib. n. 62.

1 Reg. 25. 36.

Sanct. in com. lib. n. 57.

Iob. 31. 16. 17.

Ib. n. 22.

S. Anton. Ulyssip. ser. 2. de omnib. SS. longe post princ.

S Greg. Mag. to. 1. l. 21. mor. c. 16. fi.

DELI

DELIBATIO IV.

Flagitium divitis violenti pauperibus: & quid ſi egeat illis. Qualiter æſtimet Chriſtus Dominus pauperem. De hujus calumnia. Contemnens pauperem, Deum ſpernit.

40. *Qui calumniatur.* Lectio Tigurina ſic habet: *Vim faciens tenui* &c. Notandum, culpam iſtam non ſolis divitibus eſſe propriam: nam etiam pauper inſurgit in pauperem ſæpiſſimè: caret viribus ut ſemetipſum defendat; validus eſt, ut proſternat conſortem adverſæ fortunæ: ſeu, quò meliùs dicam, ut in miſeria proſtratum pedibus conculcet. Appoſitè S. Joannes Chryſoſtomus: *Non enim*, ait, *ad divites dumtaxat hîc loquor, ſed & ad pauperes. Nam & ipſi pauperiores ſe ſpoliant, & artifices opulentiores, & validiores, egentiores & pauperiores vendendo perdunt, & inſtitor inſtitorem, & quotquot foro utuntur.* Cum hoc tamen bene ſtat, frequentiùs in opulentis reperiri ſcelus hoc vim faciendi pauperibus. Cum vulgò dicamus, æquor eſſe mundum accommodè ſimiles aſſeruntur homines piſcibus. Rationem ſimilitudinis, ad id quod nunc tractamus, ex eo ſumam, quod piſces majores deglutiunt piſciculos. Haud aliter contingit infelicibus: qui paſſim per divitiis magnos afflictati, quaſi devorantur ab eis. D. Baſilius: *Plurimi autem*, inquit, *piſcium ſe mutuò vorant, & minor apud illos pabulum eſt majoris, & ſi quando contigerit ut eum qui minorem ſuperavit alius inſequatur, ſub unam poſtremi alvuum feruntur. Quid igitur nos homines facimus in potentatibus ſuper inferiores conſtituti? quid à poſtremo piſce differt is qui præ ingluviosâ divitiarum cupiditate, in inexplebilibus avaritiæ ſuæ ſinibus debiles abſcondit?* Parvî ducunt auro copioſi nonnullis delictum iſtud injuriæ factæ miſello: dicentes, illam valde minui per circumſtantiam vilis perſonæ læſæ. Credant, magnum eſſe flagitium, à divite violentiam inferri pauperi; quamvis in re non maxima.

Lect. Tigur. hîc. *Magnum ſtagitium divitis inferentis vim pauperi.*

Chryſoſt. to. 4. hom. 10. in Epiſt. 1. ad Theſſal. ante ſi.

S. Baſil. Mag. hom 7. Hex. juxta med.

41. Aberat profugus Abſalom propter cædem fratris inceſtuoſi. Per induſtriam Joab, cupientis revocari clementer Abſalomum, ſapiens mulier locuta fuit ad regem Davidem; fingens habere ſe miſerabilem cauſam; quam ipſi proponebat: nempe, filium ſuum alterum occidiſſe germanum; & à cognatione ad mortem poſtulari. Simulans dolorem ortum ex eo quòd quæreretur interitus unici gnati, benignum reſponſum accepit à Davide. Tandem, verba per figuram perſonata deponens, apertè locuta fuit ad eumdem in Abſalomi commodum: *Quare cogitaſti hujuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt rex verbum iſtud, ut peccet, & non reducat ejectum ſuum?* Deſiderabis noſſe, de quo peccato locuta fuerit prudens fœmina, dum ait: *Ut peccet?* Non una mens interpretum de hoc, ut videre licet apud ipſos. Haud parùm veroſimilis eſt dicendi modus, qui deducitur ex quadam expoſitione, quam habes primo loco poſitam apud Cornelium Alapide ſic: *Conſule populo tuo, ut ſcilicet ei idoneum heredem tuum & ſucceſſorem conſerves, qualis eſt Abſalom: alioqui peccabis in te & in populum tuum, quod eum tanto principe, quantus eſt Abſalom, privaris.* Non examino, peccaveritne David in hoc, quod iſta verba ſonant, vel non: nobis enim ſatis eſt nunc, quod Thecuitis judicaverit, peccaminoſum eſſe Davidi, non indulgere fratricidæ filio, facto exuli voluntario. Tantùm id meditabar, quòd mulier, quandiu ſub ænigmate prædicto locuta fuit ad regem, videtur æquiparâviſſe Davidis indignationem, cum alia (quam fictè propoſuit) eorum, qui volebant authoritate propriâ necare filium ſuum, qui fratrem occiderat. Expende verba mulieris, quæ Textus refert; & hoc erit manifeſtum. Hærebis, inquiens: Adeo graviter exiſtimavit peccaviſſe Davidem in eo quòd non clemens non regredi ſineret Abſalom, ut ejuſmodi peccatum proportionem haberet cum delicto volentium authoritate propriâ pœnam ſumere ab homicida? Scimus, Nathan prophetam, cum parabolicè loqueretur de Davide adultero & homicida, comparaviſſe hunc diviti, qui tulit ovem inopis; cum hoc non eſſet maximum ſcelus; adulterium autem & homicidium graviſſima ſint. *Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem, parcens ille ſumere de ovibus & de bobus ſuis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis*, Et infra: *Tu es ille vir:* &c. Tam grandia piacula, quæ David commiſerat, aſſimilantur unius ovis furto? Aptè locutus fuit Vates: quia vim ſupponebat factam à divite pauperi. Tam grave flagitium eſt injuriam violenter irrogari miſeris ab opulento, quòd unius ovis furtum non ineptè confertur adulterio. Paveant igitur divites; & oppreſſiones infortunatorum, quas horrere debuerant, non jactent.

Cornel. Alap. in comm. ib.

2. Reg. 12. 4. 7.

Adhuc injuſtitiam perſequar abundantium theſauris, quorum crudelitas conterit indigentes. Rationem quamdam ſuperaddemus, qua pateat, quàm ſit irrationabilis illa lævitia. Inficiari nequeunt hi miſerorum compreſſores, rarò, vel nunquam inveniendum eſſe divitem, qui non egeat pauperibus ad miniſteria: nam dificiente paupertate deeſſent artifices; & ſi cuncti divites forent, omnes otioſè degerent. S. Joannes Chryſoſtomus: *Paupertate ſublatâ vitæ totius conſtitutio tolleretur, & omnis vivendi ratio perturbaretur: quia neque nauta erit, neque gubernator, neque agricola, non textor, non ſutor, non pictor, nec alius ullus opifex*: & infra: *Quòd ſi omnes eſſent divites, omnes etiam in otio viverent; atque ita omnia corrumperentur*, &c. Hinc pervium eſt intelligere, quàm barbarus ille ſit, qui cum indigeat hominibus tenuis fortunæ, vim affert iiſdem. Feræ ducuntur utilitate propriâ: brutis autem ferocior exiſtimandus qui non ſolum nequaquam rationi paret; ſed neque ſuâ com-

42. *Execrandum ſcelus eſt opprimere pauperem, cum ſis dives, & indigeas illo.*

Chryſoſt. relatus apud Cornel. Alap. in Prover. 14. 31.

2. Reg. 14. 13.

moditate flectitur ad vitandam iniquitatem. Poſſeſſionibus repleris; & ut iſtarum proventus colligas, indiges operâ miſerabilium: & adhuc iſtos opprimis? O crimen deteſtabile nimis!

43. Aliquid nunc ex doctrina Jacobi ſcribentis eruendum eſt, ut quæ proximè dicta ſunt, ſtabiliamus. Invehitur Apoſtolus in copioſos, & poſt alia dicit: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Commentatur Beda: *Quanta ſuperborum iniquitas, qui cum divitias ſufficientes habeant, non ſolum pauperes paſſim venientes ſuſcipere ac reficere ſpernunt, ſed ipſis quoque mercenariis vel famulis ſuis debitam laboris ſui mercedem reddere nolunt.* Iniquitatis illius gravitas, quæ per eos committitur fraudatores mercedis, indicatur apertè per clamorem illum, de quo Jacobus: non enim de peccatis omnibus dicimus, in cœlum clamare. S. Thomas ad eumdem locum: Clamat, *id eſt, facit clamare pauperes, & conqueri. Vel quia eſt materia clamoris ſive accuſationis: in quo magnitudo peccati notatur.* Apoſtoli verba juxta priorem interpretationem Aquinatis expenſa, videntur contrariari dicto Siracidis, apud quem ſic habetur: *Dives injuſtè egit, & fremet: pauper autem læſus tacebit.* Quid ampliùs reperitur in eo, quòd meſſoris non perſolvatur à divite merces, ut eâ non ſolutâ creditor inclamet? Sic inſinuatur quàm ſit irrationabilis dives ita ſe gerens: nam, ut frumenta congreget, meſſoribus, qui ſolent eſſe pauperes, opus eſt ei. Miſeris, quorum indiget labore, vim prædictam inferre, tam durum eſt, ut injuriam ſuſtinentes ad clamorem cogat. Exhorreſcit futuram ſummi Vindicis ultionem, qui ſic humanitatem exuerunt; induentes bona terrena (quæ ſunt corporis indumenta) quòd pro libito quivis indigum *calumniatur.*

Jacobi 5 4. S.Thom. ib. Eccli. 13. 4.

44. *Videtur, Filium Dei pluris egenum facere quia pauper eſt, quàm quia juſtus.* *Egentem.* Sperabas, hîc Salomonem fore dicturum, injuriam peculiarem irrogare Deo virum, qui calumniatur indigentem exornatum virtutibus. Non ita loquitur; ſed abſolutè dixit: *Egentem*, ut etiam peccator inops ibi claudatur. Novi, majorem perpetrari culpam, cùm opprimitur homo, cujus vivendi ratio probata noſcitur: nam dignitas offenſi peccatum aggravat. Nihilominus etiam pauper malus refovendus eſt quatenus homo. Times, ingratum fore tibi, qui Dei beneficiis gratus non eſt? Memento, Deum, ob cujus amorem benefacis ei, tibi gratum fore. Quin & opem ferens inopi nequam, virtutem geminas: nam & homini præbes alimentum, & ejus nequitiam ſuperas. Patronum habeo S. Thomam à Villa nova. Ait ille: *Noli valde diſcutere cui agas, nam etſi pauper malus & ingratus, Deus propter quem eleemoſynam facis, optimus & gratiſſimus eſt. Malo bene agere bonum eſt, imo pauperis malitiam in bono vincere inſigne virtutis eſt, duplex ibi bonum & geminata virtus, & quod hominem alis, & quod malitiam vincis.* Ne timeas, quòd ſceleſtum paſcens, hujus iniquitatis fautor ſis: audi Magnum Gregorium. *Qui verò*, ait, *indigenti etiam peccatori panem ſuum non quia peccator, ſed quia homo eſt tribuit, nimirum non peccatorem, ſed juſtum pauperem nutrit: quia in illo non culpam, ſed naturam diligit.* Virtuosî dignitatem inopis agnoſco: ſed an exiſtimas, honorabilem non eſſe titulum paupertatis, quô moveris ad benefaciendum? Reminiſcor, id me non ſemel notaviſſe. Nunc dicam, fere videri, Filium Dei pluris egenum facere quoniam pauper eſt, quàm propterea quòd juſtus exiſtat.

S.Thom. à Villa no ſer. 2 de S.Matt. longe poſt med. S.Greg Pap. to.1 p.3.Paſt. admon.21. med.

45. Judicaturus orbem adveniet Chriſtus Dominus in fine ſæculi triumphator. Sententiam proferet, qua decernetur præmium bonis ex eo, quòd in pauperibus Redemptori famelico ſitientique cibum donaverint atque potum. Addet: *Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* En Dominus aſſeruit, vocaturum ſe pauperes fore ſuos fratres; cum tamen ad congregationem electorum prolaturum non aſſeveraverit: Venite fratres mei; ſed: *Venite benedicti Patris mei*, &c. Cur non ſpopondit, juſtos omnes honoraturum finali die nomine fraterno; cum ſit eâ nomenclaturâ decoraturus inopes? Fortaſſis voluit ſic indicare, ſe quaſi pluris ducere pauperem, quia pauper eſt; quàm juſtum, quoniam bonus extat: & ideo non dixit, electos vocandos ad regnum ſub nomine fratrum (quod benevolam æſtimationem præ ſe fert multam) ſed indigentes eo vocabulo fore nominandos. Ecce præbetur ex dictis occaſio; quam arripiens mediteris, eſſe dilectione dignum pauperem, quia miſer; etiamſi cuncta cætera removeas. Itaque, vel bonus ille ſit, vel malus, noli comprimere quem cernis egentem.

Matth. 25. 40. Ib. n. 34.

46. *Calumnia pauperis in faciem gravius aliquando tormentum pluribus malis.* *Exprobrat.* Prima pars dogmatis, quod illuſtrare cupimus, rigoroſiùs verificatur cùm egenus opprimitur injuriâ verbali: cùm, inquam, aliquod, non factum, ſed verbum injurioſum jacitur in eumdem: nam ſicut in paupere Dominus benignè ſuſcipitur; ſic in eodem feritur linguâ. Multa variis in locis contra linguæ petulantiam dixiſſe memor; nunc aliquid addere ſuadeor à ſignificatione verbi, *Exprobrare*, de qua dixit ex Caſſiodoro B. Bruno: *Exprobrare eſt in faciem maledicere.* S. Iſidorus Hiſpalenſis ait: *Inter* Exprobrare, *&*, Opprobrare, *hoc intereſt quod exprobrat qui proprium objectat vitium, opprobrat qui maledictum infert.* His poſitis, operæ pretium duxi veneno plena linguarum ſpicula doctrinæ ſalutaris viribus retundere. Parcè locutus fui contra loquaces, cùm ferro venenoque linguas eorum ſimiles inſinuavi. Veriùs dicerem, illorum verba ſuperexcedere veneni ferrique violentiam. Tempeſtivè S. Valerianus adeſt, inquiens: *Falluntur profectò qui putant, nihil eſſe ferro fortius, nihil veneno violentius; quamvis autem iſta in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim eſt tam noxium, aut malitioſum, quod non viribus ſuis minus ſit,*

Ex Caſſiod. Brun. Herbip. expoſ. Pſal. 43. S.Iſid Hiſp. l.1.differen. n. 92. S.Valerian. hom.5.poſt princ.

ſit, ſi ſe incitata ſemel lingua commoverit. Etiam abſentes lædens lingua, ſatis acerbè vulnerat: quid erit cùm in faciem jaciuntur contra miſerabilem affligentia verba? Multis gravibuſque doloribus calumnia comparetur in os inopis conjecta: forſan iſta gravior illis tormentum erit.

47. De ſenſibili dæmonis bello contra ſemet inito per injurioſa verba conquerebatur Job, dicens: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.* Exponit Beda ſic: *Dicentes illud, quod poſtea Tobias audivit, Ubi ſunt juſtitiæ tuæ? ecce quæ pateris. quod potuit diabolus ad conturbandum ſervum Dei vel in viſu, vel in qualibet imagine corporali facere, ſe cum ſuis perſpicuè demonſtrando: quorumque crudeliſſimam mentem ſanctus Job dicit eorum opprobriis ſuiſque pœnis ac doloribus ſatiatam.* Tam exardens noſcimus eſſe dæmonum odium in genus humanum, præſertim adverſus juſtos, ut nequeam non mirari, diabolum ſatiatum fuiſſe cruciatibus Jobi. *Satiati ſunt pœnis meis.* Notavit Salomon ignis voracitatem nunquam expletam. *Ignis verò numquam dicit: Sufficit.* Igni ſimilis diabolus eſt. Remigius Archiepiſcopus: *Per ignem autem, diabolus* &c. Qualiter factum eſt, ut ignis hic ſatietatem repererit, nempe dæmones, Jobi pœnis fuerint ſaturati? Fortaſſis minimè ſatiarentur, ſi non ad ullam verbalem injuriam ventum eſſet. Sed cum in faciem exprobraverint Jobo (*Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam*) ſic ex his dictis proveniens dolor multos exceſſit, ut hoſtes infeſtiſſimi ſatisfecerint odio, quo proſequebantur Job: nam pauperi (qualis tunc erat Jobus) in faciem exprobrantis amara verba graviter valde percutiunt eumdem. Inde collige, cum offendatur in egeno Deus, qualiter exprobator pauperis Conditori protervus *exprobrat.*

Job. 16. 11.

Bed. in com. ib.

Prov. 30. 16.

Remig Archiep. Rhemenſ. expoſ. in Joël. c. 1. juxta fi.

48. *Contemnens Pauperem, Deum ſpernit.*

Factori ejus. Non dedignatur Altiſſimus vocari factor pauperis: præcipuè quia prout ſupra notabam, indigus habetur in pretio multò nimis apud Creatorem: & proprium eſt artificîs gloriari quòd opus effecerit non ſolùm ſibi, ſed peritis pretioſum. Opificem afficit injuriâ qui, cum ſit artis ignarus, aſpernatur illud artefactum velut rem deſpicabilem. Sæculo dediti, pro hac re judicandâ, periti non ſunt: tamen audent contemnere miſerum, qui Dei cuncta potentis opificium eſt. Temeritas iſtorum cavenda prudentibus. S. Iſidorus Peluſiota: *Cave pauperes ut viles faſtidias*, &c. Quid refert pauperis externa vilitas, ne culpam iſtam abhorreas multùm, ſi latet in eo divina majeſtas? Omitto jam rationem, quam propoſui nuper, ut ſecundam exhibeam. Solitum eſt regibus terræ non leviter indignari, cùm legatus offenditur ab eis miſſus ad aliquem. Quomodo non exiſtimabimus irâ Domini dignum illum, qui ſeu facto, ſeu verbo petit injurioſus inopem; cum ſit iſte nuntius Dei miſſus ad nos. S. Joannes Chryſoſtomus: *Deus enim eſt*, ait, *qui ad nos pauperes mittit, nec noſtra, ſed Dei damus, ſi quicquam dederimus: quod ſi non dederimus, verumetiam injuriâ laceſſitos repulerimus, ipſe tecum animo volve, quibus ſuppliciis, quo fulmine rem dignam egerimus.* Rurſus ergo dixerim, eum qui ſpernit inopem, contemnere Deum.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 513.

Chryſoſt. to. 2. hom 36. in Matth.

49. Deſignatis à Domino ſeptuaginta duobus diſcipulis, inſtruxit eos divinus Magiſter ad munus prædicationis Evangelicæ. Poſt addidit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Procedamus ad poſtremam unctionem, quam præſtitit obſequioſè Redemptori Magdalena. Cum Judas iſtud fuerit calumniatus diſpendium, Dominus cauſam tuendam ſuſcepit mulieris. *Sinite eam, quid illi moleſti eſtis?* Inquirere placet, qua ratione ductus, non magis dixit: Quid moleſti eſtis mihi? Duplex offertur dubitandi ratio. Prima tangit præcedentem locum D. Lucæ. Dei Filius, quoniam diſcipulos amore proſequebatur, proprium reputabat contemptum, qui diſcipulis inferretur. Nonne diligebat Magdalenam? Utique. Moleſtiam igitur ei tunc illatam dicat ſuam. Altera dubitandi ratio colligitur ex eo, quòd verba Judæ calumniantis piiſſimam fœminam, Chriſtum percutiebant: nam D. Baſilius Seleucienſis videtur ſupponere diſcipulum perfidum, cùm de unguenti ſumptu detraxit; honori, quem Salvator per ſepulturam accepit adverſatum fuiſſe. *Tantum*, inquit, *non hæc ad Judam effatus: Ne mihi ritus ſepulchrales invideas, licet vita ſpoliaveris. Nam mulier hoc ſepulchrali ritu mortem, cujus tu mihi author, prævertit. Honorem puta ſepulturæ meæ hoc eſſe. & ſi cædem apparas, tumulum ſaltem concede.* Crederes ergo, Chriſtum Dominum dicturum: Ne ſis mihi moleſtus. Non ita loquitur. Omiſſo nunc poſteriore motivo præindicati dubii, priori lubens occurram. Diſcipuli vitam pauperem erant acturi: dixerat enim ibidem ad illos: *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta*, &c. Magdalena verò neutiquam anguſtabatur inopiâ; prout colligitur ex unguenti pretioſitate, de qua Joannes: *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu*, &c. Necnon deducitur hoc idem ex eo, quod ſcribit S. Thomas à Villa nova, dicens ad Magdalenam: *Nunquid non tu inſignis illa peccatrix & delicioſa, quæ mundi hujus inanes pompas, longo apparatu ſuperfluoque faſtu ducebas? ubi, obſecro, tam multæ divitiæ?* Deducitur, inquam, nam fundamento caremus ad aſſerendum, eam unctionis illius tempore jam dimiſiſſe penitus opes: imo ſe ditem oſtendit ibi, cœnâ factâ ſumptibus ejus atque ſororis (quidquid nonnemo dicat in contrarium) juxta doctrinam Euthymii; cujus hæc ſunt verba: *Sorores verò cœnam ei paraverunt*, &c. Adde Theophylactum, dicentem de ſororibus eiſdem: *Lautius epulantur, & initia feſtivitatis illo die faciunt. Ideo Jeſus ſimul cœnavit* &c. Calumniam propriam Dominus haud appellavit illam, quæ Magdalenæ diviti facta fuit; maximè verò computavit ut abjectionem ſuimetipſius contemptum,

Luc. 10. 16.

Marc. 14. 6.

S. Baſil. Seleuc. or. 31. ante fi.

Luc. 10. 4.

Joan. 12. 3.

S. Thom. à Villa no. ſer. de Magd. longe ante fi.

Euthym. com in Joann. 12.

Theophylact. ibid. poſt princ.

temptum, quem paterentur discipuli pauperes. In pauperiem sustinente læditur Deus. Unde verè Salomon ait: *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus*: &c.

DELIBATIO V.

Gloria Dei ex auxilio pauperis. Misericors plus accipit, quàm donat. Discrimen vanæ gloriæ in occulto. Quàm appretiet Christus Dominus pauperem. Eleemosynarius attendat in sola cœlestia.

50. *Major gloria Dei videtur indigenti misereri per manum tuam, quàm efficere miraculum.*

Honorat autem: Vix intelligunt mundo servientes, & bonorum, quæ transeunt, acervatores, quo pacto Deus honoretur per misericordiam, quæ favet inopibus. Etiam alioquin ad cultum Dei non tenaces, qui nequaquam refugiunt expensas alias, quibus religiosè Dominum atque Sanctos venerantur; ipsi cùm vilem pecuniolam pauperi largiuntur, minimè sibi persuadent, honorem Altissimo per istam donationem offerre. Istorum quosdam possumus instruere sumptis à Chrysostomo verbis. *Vis*, ait ille, *domum Dei ædificare? Da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis.* An opulenti, de quibus agimus, dubitabunt, se Deum honore prosequi, dum Sanctis Martyribus consecrant oblationes? Igitur cur inficiabuntur, in paupere voluntario Deum coli; cum hic veluti martyrium ferat? Ex Apponio Lucas Abbas: *Quomodo cuncti qui propter amorem Dei & spem futuræ lætitiæ, voluntate potius quam necessitate se in pauperum numerum aggregaverunt: quorum famam similem pronuntiat Spiritus sanctus eorum qui sacrificium Dei efficiuntur, id est, Martyrum*, &c. Ad hæc. Quisne templa Dei vel rarò frequentans ignorabit, eum honorari per oblationem thuris? Infertur inde, cultum sacrari Domino per misericordiam: nam hæc incensum appellatur à Chrysologo, dicente: *Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis, sed sine misericordia incenso ad divinum non potest conspectum in odorem suavitatis ascendere.* His omnibus omissis, ex alio capite deducam honorationem non vulgarem Deo promanantem ex eo, quòd pauperibus miserearis. Fatemur, Clementissimum gloriari plurimùm quòd misericordiam exerceat ipse. Cùm tu misericors existis in egenum, Dominus utens manu tuâ miseretur pauperi. Glorioſum hoc est summo Regi: major illi gloria cedere videtur ex hocipso; quàm de patratione miraculi.

S Joan. Chrysost. to. 2. hom. 31. oper. imperf. in Matth. longe post princ.

Luc. Abb. in summariol. ex Appon. in Cant. longe post princ.

S Petr. Chrysol. ser. 41. longe post med.

51. Interfecto per Danielem illo dracone, quem brutâ mente colebant Babylonii, commoti sunt idololatræ: coëgeruntque regem, ut eis traderetur Vates. Aliorsum expendebam supra, quomodo cœlitus fuerit pastus Daniel, quem belluæ cultores miserant in lacum leonum. Nunc ad rem præsentem aliâ meditatione locum dilucidemus. Habacuc, qui delatus ab Angelo portaverat prandium Prophetæ, dixit ad istum: *Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Ecce munus hoc Deo tribuit Habacuc. Similiter locutus est Daniel, inquiens: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligens te.* Utrumque prophetam sic loquentem laudo: nam prior humilitatem exercuit, nequaquam sibi, sed potius Deo, donum illud attribuens; posterior autem gratitudinem exhibuit providentiæ divinæ curanti de se bestiis tradito. Miror attamen, ibi nec verbum legi, quo Daniel extolleret Altissimum propter id prodigium, quod omnipotentia patravit in continendis leonibus, ne læderent illum. Quid est hoc? rem tacet adeo mirabilem? & loquitur de provisione cibi divina? Vereor, ne quis existimet, Danielem judicasse, glorioſius fuisse divinæ potentiæ per Habacuc opus illud exercere miserationis, in egente Daniele pascendo; quàm in efficiendo rem adeo mirabilem, qualis extitit frænare leonum sævitiam. Favere cogitationi credes Carthusianum, dicentem: *Cur Angelus per seipsum ista aut alia alimenta non attulit, nisi ad declarandam Dei potentiam, & ad consolationem non tam Danielis quàm Habacuc?* Honorificum reputa Domino quòd ejus pietatem, velut ipsius minister, quadamtenus imiteris: & manifestè noſces, quod miserator indigi Deum *honorat*.

Danie. 14. 36.

Ib. n. 37.

Dion Carth. in com. ib. ad n. 36.

52. *Eum.* Lectio Chaldaïca sic habet: *Et qui miseretur injuriam patientis, honorat se.* Hæc legenti statim offertur non aspernanda meditatio: nempe misericordes in pauperem benefacere sibimetipsis: quod alibi meditabar. Sed nunc lege Chrysologum. *Homo*, ait, *dando pauperi das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis.* Addo S. Leonem Papam. *Certum*, inquit, *est enim, unumquemque nostrûm animæ suæ benefacere, quoties misericordiâ suâ inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis dilectissimi apud eos largitas esse debet: si credimus sibi unumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cœlo, qui Christum pascit in paupere.* Video quidem, hæc atque similia, quibus magistri spirituales intendunt eleemosynam suadere, trahentes hominum cor ad illam per amorem utilitatis propriæ: video, inquam, sic intelligenda, quòd respiciant futuram in beatitudine retributionem; quam sibi parant eleemosynarii: proindeque dicuntur sibi donare quod pauperi tribuunt, eo quod ponant causam (hoc est eleemosynam) accipiendi spirituales in cœlis divitias. Condescendamus humanæ fragilitati: pensemus temporale misericordiæ commodum, quod suscipit compatiens pauperi. Longe plus accipit à semetipso misericors, ut ita dicam, sibi donans, quàm largitur: dat panem, & accipit aurum.

Lect. Chaldaï. hîc. *Misericors plus accipit; quàm donat pauperi.* S Petr. Chrysol. ser. 41. fi. S. Leo Pap. ser. 1. de collect.

53. Ecclesiastes noster de operibus misericordiæ sic habet: *Misericordia & veritas te non deserant*, &c. De operibus misericordiæ corporalibus etiam hîc agi crede Carthusiano

Prov. 3. 3.

thuſiano ſcribenti pro citati loci commentario: *Id eſt, indeſinenter habe in te miſericordiam atque juſtitiam, ita ut opera miſericordiæ tam ſpiritualia quam corporalia pro poſſe exerceas, & juſtitiam non omittas*: &c. Nota quod ſubdit Salomon: *Circumda eas gutturi tuo*, &c. Quivis hærebit, ſcire deſiderans quali ſenſu dictum ſit ut eleemoſyna circumdetur gutturi dantis; cum potiùs in guttur hiantis egeni, qui paſcitur atque depoſcit, illa mitti videatur? Miſericordiâ motus tribuis fame laboranti panem: an eumdem panem circumdas gutturi tuo? Non hoc dicam; ſed potiùs aſſeverabo: Panem das: & ſic auream torquem circumdas collo tuo. Libra quid fueris impertitus per miſericordiam; & quid receperis ita. Dediſti miſero panem; ſed aurum appoſuiſti collo tuo. De auro dicens patronum habeo Doctorem aureum: qui poſtquam expendit prædicta Salomonis verba, dixit: *Hunc ornatum circumdemus collo, hanc torquem auream paremus animæ. Videlicet eleemoſynam quandiu ſumus in hoc mundo.* Violentiam dictis Chryſoſtomi nullatenus inferre volo: fateor, ipſum loqui de ſpirituali torquê; ſed hoc non tollit veroſimilitudinem nonnullam, qua locus aptari valet utilitati miſericordis temporali. Sic intellige, compatientem pauperibus, etiam temporaliter proficuum ſibi.

Dion. Carth. in com. ib.

Prov. 3. 3.

S Ioan. Chryſoſt. to. 4. in agm. ad Ep. ad Phi ipp. longe ante med.

54. *Aliquando majus eſt periculum vanæ gloriæ, cùm pauperi donas in occulto.*

Qui miſeretur. Litteram Salomonicam illuſtrans aſſerui, non de ſolis eleemoſynis accipiendum eſſe verbum iſtud. Nihilominus patet, hoc loco laudari donationem externam opis, qua pauperi ſuccurritur. Quo myſterio ſignificatur hîc iſta largitio per miſerendi verbum? Quia miſericordia, prout eſt condolentia, per quam indigenti compateris, eſt actus internus, liber à vana gloria: nam quantum eſt de ſe neſcitur ab hominibus. Ergo vocabulo miſerendi, per quod nominamus actum interiorem, de ſe non expoſitum vanis hominum laudibus, nominatur hîc opus externum: & ita datur occaſio quò faſtum caveas in opitulando miſeris; atque dones plauſum deſpiciens, & ſecretum amans; quaſi non manu donaretur ſtipes indigenti; ſed præcordiis, in quibus compaſſio deliteſcit. Miſericordem non dicas eum, qui vulgat miſeriam indigentis, ut altè perſonet ejus liberalitas.

S Iſid. Peluſ. l. 4. ep. 41.

S. Iſidorus Peluſiota: *Ille propriè maximéque eſt miſericors, qui beneficentiam quidem exercet; non tamen divulgat eorum, quibus benefit calamitates ac miſerias.* Tantum abeſt ut miſericordia conſocianda ſit elationi, quòd ſit congruum, ſuperbiam neſcire quid agas, cum eleemoſynam tribuis. Ad illud Chriſti Domini: *Neſciat ſiniſtra tua* &c. Paſchaſius commentatur: *Quod eſt apertè dicere, Neſciat vitium elationis aut ſuperbiæ vel vanæ gloriæ, ſeu quodcumque ex illa parte eſt, quid agat virtutum dextera. Quia ſicut tenebræ lucem neſciunt: ſic oportet vitia virtutes neſciant.* Quid tu virtutem ſimul atque vitium diligis? Lucem ac tenebras amas. Vigilent attamen eleemoſynarii, ne cum arcanè conferunt eleemoſynas, vana gloria ſubrepat: non enim iſtud malum graſſatur in ſolo foro. Hoc notare videtur forſitan ipſe Paſchaſius; cùm ibidem ait infra: *Præterea ſunt plurimi, qui quamvis ſecretè videantur bona agere, tamen ſcit ſiniſtra illorum quid dextra geratur, quoniam permiſcent lucem tenebris, & ita confundunt bona quæ agunt, ut omnia obſcurentur tenebris, & priventur luce.* Oppoſitorum, prout fertur in proverbio philoſophico, eadem eſt ratio. Multi dantur bona gerentes in propatulo, qui tamen gloriola non tanguntur, publicè faventes inopi. Ne mireris, quòd econtrariò plures occultè dantes, non minus efferantur ſuperbiâ, quàm ſi tubâ canerent ante ſe. Euthymius: *Contingit enim & coram hominibus tribuentem, non ad oſtentationem præbere, quando quis ſolâ motus compaſſione præbet; & non tribuentem coram hominibus, ad oſtentationem tribuere, quando non inductus compaſſione præbet, ſed ut pro compaſſivo prædicetur.* Miſerum eſt quod à vana gloria, virtutes hoſtiliter inſequente, nec ſit in arce tutus homo; quam præfert ſono vocis, *Arcanum!* Imo quandoque majus eſt periculum diligendi gloriationem propriam inanem, cùm oſtio clauſo refoves miſeriam alterius; quàm ſi donares publicè.

Idem ib. infra.

Euthym. com. in Matth 6. 1.

55.

Ad viduam Sarephtanam deſtinatur Elias famis tempore, ut paſceretur ab ea. Poſtulavit à muliere buccellam panis: & cum ipſa reſpondiſſet proponens tenuitatem ſuam, animos injecit ei Vates, dicens tandem: *Hæc autem dicit Dominus Deus Iſraël: Hydria farinæ non deficiet, nec lacytus olei minuetur, uſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Non dubitas quod ſic Elias miſericordiam exercuit in fœminam: S. Joannes Chryſoſtomus introducit Prophetam ita loquentem, vel cogitantem: *Ad hanc tandem vocem affici aliquo modo cœpit Elias. Et in majori anguſtia eſt hæc, inquit, quàm ego ſum. Ego ſolus eſurio, illa cum puero fame laborat, non ſim hoſpiti mortis author.* Parcus in miſeratione, quam exhibuit circa viduam, timeo ne judicetur Elias: non enim Textus ait, hydriam farinæ fuiſſe repletam ſubitò per miraculum; ſed legitur: *Hydria farinæ non deficiet*, &c. Aliud eſt non deficere, cum farinam contineret modicam; aliud verò repleri. Quare non repentè per miraculum impletur hydria? Quinimo putabam, dicturum Prophetam fœminæ, quòd hydrias vacuas poſtularet multas à vicinis mutuatas; & impletis omnibus, abundare facturum pauperculam. Cur non ſic egit Elias? Fortaſſe timuit extolli per vanam gloriam: idcirco maluit velut inſenſibiliter donare: nam, cum exigua farina foret, ſumebat inde vidua, nec deficiebat, quin augeretur ad cumulos. Replicabis, Eliſeum panes delatos ad ſe multiplicaſſe per viſibilem additionem; quin vereretur efferri per inanem gloriam. *Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & ſupererit. Poſuit itaque coram eis: qui comederunt, & ſuperfuit* &c. ubi Liranus: *Quia illi panes fuerunt miraculosè multiplicati propter meritum Eliſei. Talis autem*

3. Reg 17. 14

Chryſoſt to 1. ſer. 1. de Elia.

4. Reg. 4. 43. 44.

Lira ib.

tem multiplicatio poteſt fieri à Deo dupliciter. Uno modo per additionem alterius materiæ. Alio modo ſine tali additione : quia ſicut Deus de nihilo produxit materiam ita de modica materia vel pauca poteſt facere magnam & multam, &c. Hinc argumentum confici valet adverſus id quod prædixi. Cavit Elias, ne per ſuperbiam inaneſceret, cum loqueretur ad viduam ; non timuit Eliſeus gloriam vanam in caſu narrato. Diſparitatem adverte. Solus cum ſolâ faciebat Elias verba, pro dono conferendo tantùm arcanè viduæ : timuit in occulto ſubdolum gloriationis propriæ malum. At Eliſeus palam dedit populo panes ; ideo veritus non eſt elationis periculum : nam hujus diſcrimen aliquando majus eſt in occultâ donatione. Motivuum offero dicti mei, ne tamquam liberè loquentem damnes liberrimè. Nonnunquam vir pius in ſecreto bonum agens, cautelam omittit, videns quòd ſpectatores non habeat ; & vigiliæ defectu cadit in complacentiam propriam. Si verò bonum exequitur publicè, ſollicitus eſt ne ruat plauſum diligens vanum. Vel in arcano tamen, vel manifeſtè virtutem exercens miſericordiæ ſatagat ne meritum deperdens fiat miſerabilis, cum egeno *miſeretur*.

56. Salaz. in Prov. 14 31. *Cæteris paribus pluris fit à Chriſto Dominopauper, quàm dives.*

Notandum adhuc eſt cum Salazar hoc loco, non tantùm honorari Deum donis, quibus afficitur indigus, cui compatimur; ſed etiam honore facto pauperi. *Eorumdem*, ait Commentator, *obſequio, honore, & beneficiis colitur, & obſervatur*, &c. Itaque pauperem honora, ne videaris parcus in honorando Conditore. Contrarium veluti lege ſancivit conſuetudo ſæculi : ſcilicet ut ſubſannetur egens. Mos hic eſt eorum, qui pene ratione carent ; non autem illorum, qui digni ſunt hominis vocabulo. S. Joannes Chryſoſtomus : *Sed ridiculus eſt pauper, etiam ſi virtute præditus ſit : non apud homines, ſed carentes ratione. Neque enim ſi aſini in nos irrudant, & inclangant graculi, ſapientes autem laudent, horum dimiſſo conſenſu, ſtultorum clamores nos moveant.* Præceptores reveremur ingenuè. Hoc titulo magiſterii veneranda paupertas erit : illa quippe magiſtra ſapientiæ. Redeat S. Doctor idem. *Neque malum*, inquit, *paupertatem exiſtimemus, quippe quæ & continentiæ, & fortitudinis, & omnis ſapientiæ magiſtra eſt.* Hoc, & aliis prætermiſſis, de quibus redditur apud ſenſatos pauperies venerabilis ; id ſatis comprobatur ex eo quòd ipſa coram ſummo Principe habeatur in æſtimatione maximâ. Adulandi ſtudio paſſim appretiant homines illud quod regibus eſt in deliciis, quin aliud attendant, niſi regis arbitrio morigerari. Quod aſſentatio perperam agit ; devotio non exequetur meritoriè ; non, inquam, venerabimur inopem, cujus paupertas apud gloriæ Principem reperitur pretioſa ? Si de hac pretioſitate dubitas, lege Bleſenſem. *Quid profuit*, ait ille, *tibi miſer fictitiæ nobilitatis magnificare jactantiam, & pauperi amico notam quaſi criminoſæ paupertatis objicere ? Certè apud pauperem Chriſtum pretioſius eſt titulus paupertatis.* Compone, cæteris paribus, divitem atque pauperem ; & invenies, inopem à Salvatore pluris fieri.

Chryſoſt. to. 3. hom. 75. in Ioan. poſt med.

Idem ib. ante fi.

Petr. Bleſ. ep 4. longe poſt princ.

Hæc veritas, quam nunc ultimò pronuntiavi, modò latet plurimos : aliquando tandem patebit apertè ; cum ſcilicet venerit judicii finalis dies ; & electorum cohors audiverit ab æquiſſimo Judice : *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Si perconteris, quare, cum pauper eſuriat, & accipiat à miſericorde cibum, Dominus dicturus in judicio poſtremo ſit : *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* : &c. Dicam, id ex unitate fidelium cum Chriſto, cujus membra ſunt, provenire. Tempeſtivè Paſchaſius : *Magna igitur unitas in hoc loco commendatur Chriſti & Eccleſiæ*, &c. Quæro. Nonne juſti divites membra Chriſti ſunt ? cur ſe Dominus haud affirmavit ex hac ipsâ ratione dediſſe munus in donantibus ? Reſpondeo. Si prolaturus eſſet Judex utrumque : ſcilicet in largientibus donaviſſe per manus eorum, necnon in egentibus recepiſſe datum ; crederetur, æſtimatione pari Dominum proſequi divitem dantem, & pauperem ſuſcipientem. Propterea Salvator propoſuit, ſe fore dicturum in ultimâ die, ſibi fuiſſe factum pietatis munus, quô pauperi ſubventum eſt ; de copioſis verò donantibus eleemoſynas non pronuntiavit ſimilia : quò ſic intelligas, eum, cæteris paribus, pluris facere pauperem, quàm divitem. Cum igitur Dominus ita clemens afficiat honore pauperem ; imitatur piè Deum qui miſerum honorans, illi *miſeretur*.

57. Matth. 25. 40. Ib. n 35. Paſchaſ. l. 11. in Matth. c. 25.

58. *Fleemoſynam prabens attendat ſolùm cœleſtia.*

Pauperis. An diviti non poſſunt exhiberi quædam opera miſericordiæ ? Quis dubitat ? De iſtis, quæ valent opulentis offerri, nihil habemus hoc loco ? ſolaque fit mentio miſerationis in pauperem ? nonne dives etiam proximus noſter eſt ? de hoc juvando tacetur hîc penitus ? Prudenter equidem : ne miſericors inclinetur ad compaſſionem divitibus opere præſtandam ſpe lucri de manu ditis accipiendi. Miſericordiæ vir expectationis oculos in cœleſtia dirigat ; qui theſaurum congregat in cœlo. Per hoc non eſt animus ei ſuadere, fructuoſam eleemoſynam non eſſe fœnore bonorum temporalium. Supra latiùs dixi de hoc aliquid. Nunc donabo S. Antonium Ulyſſiponenſem. *Eleemoſyna enim*, ait, *non ſolum animæ confert medicinam, verumetiam temporale lucrum procurat.* Non pigeat audire Magnum Baſilium. *Et*, inquit, *ſi ſic dixeris ac feceris, panis quem ex anguſtia dediſti, ſemen agriculturæ evadit, multiplicem fructum de ſe gignit, arrhabo eſt alimenti, miſericordiæ conciliator.* Explicamus hoc exemplo lymphæ putealis ; cujus augmento prodeſt inde ſæpius aquam haurire. Non defero Baſilium. Addit ille : *Nam in fidelibus beneficentia Dei puteos liberaliter imitatur, qui ſemper vacuantur, & non exhauriuntur, duplum rurſus introducens.* Vera ſunt hæc omnia : ſed non minùs verum, haud congruere miſericordi, quòd cum pietatis exercet opera, præmium tranſitorium expectet ſimul cum ſpirituali.

S. Anton. Ulyſſipon. ſer. fer. 6. poſt cinet.

S. Baſil. Mag. hom. 11. inter var. longe poſt med.

Idem ib.

li. Potiùs deponat amorem terreſtrium, & æternorum cupiditate permotus exhibeat miſericordiam proximo.

59. Matth. 6. 3. Supra recolui verba Salvatoris apud Matthæum: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*: &c. Nunc rurſus iſta revocemus ad conſiderationis examen. Sodali manui ſiniſtræ munus, quod pauperi dextera porrigit, hæc abſcondet. an congruentius non foret, ſiniſtram noſſe quod operatur benefica dextra circa miſerabiles, ut illius imitatione donet necnon & ipſa penuriam experienti? Deus equidem complacet in profuſa largitate, qua beneficentiam exercemus in coarctatos inopiâ. Moneat igitur ut ambabus manibus egeno ſubveniatur; non autem doceat ſiniſtram neſcire liberalitatem dextræ ſapientiſſimè doctrinam præbuit Magiſter optimus. Animadverte myſterium. Scito quid ſignificet ibi dextera; quid ſiniſtra. Conſulatur Anſelmus. *Dextra*, inquit, *eſt amor cœleſtium bonorum. Siniſtra verò eſt amor temporalium bonorum, laudis ſcilicet & cæterorum: non ergo conſocientur iſti amores*, &c. Seponamus amatores laudis humanæ; & loquamur de cupientibus pariter lucrari ſpiritualia per eleemoſynas; ac ſimul acquirere temporales proventus. Imperfecti ſunt iſti miſericordes: ne conjungas in benefaciendo pauperibus amorem rerum caducarum, cum affectu perennium. Poſt terga rejice deſiderium lucrandi per miſericordiam bona, quæ pereunt; atque totus induſtriam applica nobiliori negotio; nempe lucrandis præmiis ad animam ſpectantibus. Quandoque circa ditem executioni datur opus ad humanitatem pertinens: quod per illius opulenti grati manus Dominus temporaliter ſolvit. Non de hoc miſerendi genere Salomon verba facit nunc: ſed inopum compatientis mentionem intulit; qui non habent unde retribuant. De illo tantùm loquitur, *qui miſeretur pauperis.*

S. Anſel. in com. ib. poſt princ.

FLOS XXXVII.

In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem juſtus in morte ſua.

APERITUR.

1. DUPLICEM hujus paraboLæ donabimus expoſitionem. Prior eſt, quam ſequuntur Carthuſianus, Hugo Cardinalis, Liranus, & alii ſic interpretantes: Ob malitiam ſuam deturbatur malus à ſpe ſalutis; at juſtus in morte ſpem alit; & hac erectus, jucundè moritur. Acerbum, ſed meritum ſupplicium eſt iniqui, permiſſio Dei ſinentis à diabolo miſerum in deſperationem detrudi; ſed non ſemel hoc peccatori contigit. S. Fulgentius: *Etenim*, ait, *nonnunquam aut ſpem pœnitenti homini diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam tollit.* Aliquoties à præſumptionis vertice ruit peccator in deſperationem. Quæ vento levantur in altum ejus occaſione ruunt in profundum. Confidentia de ſemetipſo ventus eſt. Mapheus Vegius: *Cujus tanti mali cauſa eſt ſui æſtimatio & confidentia, quam rectè à quodam ſanctorum patrum Ephrem refert appellatam eſſe* ventum corrumpentem monachi fructus. Hæc Mapheus. Idcirco non ſemel is, qui ſui nimiùm confidens evectus eſt per vanam ſpem in ſublime, labitur in deſperationis barathrum.

Dion. Carth. Hug. Card. & Lir in Prov. 14. 32.

S. Fulgent. ep. 7. ad Venantiam. c. 7.

Ma. he. Veg. l. 2. de perſev. relig. c. 4. juxta med.

2. Quod attinet ad juſtum, de quo dicitur: *Sperat autem juſtus in morte ſua*, verba ruminanda lectori donamus Areopagitæ. *Sed*, inquit, *ſicut diverſa eſt utrorumque vitæ forma, ſic dum ad mortem pergunt hi quidem qui ſanctam vitam traduxerunt, ad veras Dei promiſſiones intuentes, quarum veritatem quodam modo in reſurrectione jam conſpexerunt, cum firmâ & vera ſpe, gaudioque divino ad mortis terminum, tamquam ad finem certaminum, perficiuntur; quòd certò ſciant, ſua omnia, propter futuram ſuam reſurrectionem, in tuto fore in illa perfecta æternaque vita & beatitudine.* Non in omnibus verum putes, unumquemque ſic mori, prout vivit. Impius timore vacuus degit; poſtea formidine conſternatus præſtolatur mortem: juſtus cum tremore vitæ curſum agit; ſed in morte confidenter expectat, inquiens:

S. Dion. Areop. de hierarch. c. 7. in princ.

Eia age, pande fores inamœnaque clauſtra reſolve.
Et ſine ſidereas Ætheris ire vias.

Hug. l. 3. pi. deſid. poem. 10.

§. Poſterior expoſitio, quam hæc parœmia patitur, hæc eſt; pro qua ſtat Salazar: E vita malus ejicietur vi maximâ, compelleturque mori. Sic accipi valet prima pars; in ſecunda vero coincidit Salazar cum interpretatione priori. Nequaquam juſtus putat, vim ſibi fieri, cùm deponit ſarcinam corporis: potiùs ejus obitus dormitio quidem eſt. Incertus ſub nomine S. Zenonis: *Mortem ſanctorum Deus frequentiſſimè ſomnum nuncupat*: &c. At verò cum ſceleſtus emoritur, violentia fit eidem: non enim novum eſt quòd reus vi mittatur in carcerem: & uſum vivendi finienti peccatore, carceratur corpus in ſepulchro, ſpiritus in gehenna. S. Aſterius de peccatore loquens: *Similem pecudibus mortem obit. Mam & corpus, ſepulchrum; & animam infernus habet: ne* (fortè legendum: *Et*, vel, *Næ*) *quaſi tenebroſi duo carceres, pœnam ſceleſti ac ultionem partiuntur.*

§. 3. Salaz. in Prov. 14. 32. n. 142. ad fi.

Vel S. Zeno, vel S. Hilar. in Pſal. 126.

S. Aſter hom. de divite & Laz longe ante fi.

§. Iſta violentia, quâ peccatores à mundo prodeunt quaſi propulſi, naſcitur ex amore nimio ſæculi: quem redarguere poſſumus verbis D. Cypriani. *Cum*, inquit, *ergo Chriſtum videre gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum niſi cum viderimus Chriſtum; quæ cæcitas animi, quæ dementia eſt, amare preſſuras & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod nunquam poſſit auferri?* At juſtus alacriter ſolvit mortalitatis vectigal: cum enim ſæculum non diligat, haud cupit ibi diutiùs permanere. Cypria nus idem:

§. 4. S. Cypria. tract. de mortalit. longe poſt princ.

Idem ib lon. ge ante fi.

Ejus eſt, ait, *in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſæculum blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat.* Sed infra de hoc lentiori calamo.

5.

In malitia ſua. Scifcitaberis qualiter ſint hæc verba ſumenda : tamquamne ſi diceretur in ipſo flagranti delicto ? vel hoc eſt, propter malitiam ſuam ? Secundum exiſtimo litterale ; quamvis primum fatear verum. Sed cur Dei clementia fert ut aliqui moriantur cùm actualiter peccant ? Nihil ad iſtam interrogationem repono : ſunt enim noſtris mentibus inſcrutabilia judicia Dei. Andreas Cæſarienſis : *Siquidem*, ait, *ob divinorum judiciorum abyſſum ſit, ut alii quidem ſcelerati eveſtigiò puniantur, alii verò ad converſionem & pœnitentiam diu multumque expectentur.* Inſiſtens litterali ſenſui primo, de quo ſupra n. 1. ; ſecundùm quem prior dogmatis hujus pars accipitur de propulſione peccatoris à ſpe ſalutis æternæ, dicam breviter : Mirum eſt, quòd ad mortem uſque perduraverit figmentum ; ſcilicet præſumptuoſa mali ſpes. Agnoſcere cupis, quænam ſit ſpes vera ? Lege S. Laurentium Juſtinianum. *Tunc*, ait, *nanque veram eſſe hominis ſpem poteſt comprobari, ſi adſit meritum. Integra enim conſolatio eſt, cum non ſolum quid ſibi ſit ſperandum, ſed unde ſit præſumendum noverit quiſque* &c.

Andre. Cæſar. com in Apoc. c. 23.

S. Laur. Juſt. in lig. vi c. 3. de ſpe ad fi

6.

Nunc eadem verba rurſus examino, quatenus probabiliter ſignificant (quæ poſterior erat expoſitio, de qua ſupra n. 3.) peccatorem tollendum è medio per mortem. O quàm frequenter id contingit in ſupplicium, nobis non attendentibus ! Cum audimus, abſolviſſe quemquam vitæ curriculum, quærimus ejus mortis cauſam naturalem, ſeu violentam ; & non memoramur, in pluribus interitûs radicem fuiſſe peccatum. D. Macarius ait : *Peccatum igitur in cauſa eſt quod quidam paralyſi laborant, mutilati ſunt, febricitant, & ægrotant : illud enim eſt radix omnium malorum*, &c. Oblivionis voluntariæ noſtræ circa rem hanc origo forſitan eſt metus, quo mortem propriam formidamus : & cum ſimul clamitet conſcientia, nos eſſe gravi ſupplicio dignos, recuſamus fateri, peccatorem illum, qui defunctus fuit heſternâ die, propter ſcelus aliquod à Deo necatum ; ne nobis veniat in mentem, poſſe nobis contingere ſimiliter. Sed quid obſtabit irrefragabili decreto noſtræ conſiderationis omiſſio ?

S Macar. hom. 16. ante m.d.

7.

Expelletur impius. Notat hîc Janſenius : *Dictio Hebraïca magis ſignificat, impelletur, aut propelletur.* Vulgatus non caſu poſuit ; *Expelletur* ; forſan ut meditationi ſequenti præberet anſam. Verba, *Propello*, &, *Impello* magis indigitant terminum ad quem tendit iniquus à vita pulſus : verbum autem, *Expelletur*, reſpicit expreſſiùs terminum à quo, ſcilicet vitam. Peccatori ſollicitudiuem ampliorem ingerit vita, quam dimittet ; quàm infernus ad quem tendit. Pudet quòd ferè neceſſarium ſit in mentem hominum reducere, gehennam eſſe majus morte malum. Ratio viſitur apertiſſima : ſed Euſebium Pamphilum donabo. *Major*, inquit, *enim timor eſt gehennæ, quàm mortis. Cur major ? Quia duplex eſt perditio, animæ & corporis : ſimplex autem & corporalis, quæ in morte habetur.* Imo, ſi bona mortis penſites, dices cum Tito Boſtrenſi : *Utilis eſt utriſque mors, juſto, & injuſto : illi quidem quietem à laboribus affert : huic verò peccatorum finem.*

Janſen. in Prov. 14 32.

Euſeb. Pamphil. in opuſc. l. 7. longe poſt princ.

Tit. Boſtren. l. 2. contra Manich. longe ante med.

Sperat autem juſtus. Cornelius Alapide hoc loco : *Sperat ergo & confidit in morte ſua, id eſt confidenter moritur*, &c. Optimo jure vir probus, cum appropinquat ſtatus ei vivendi terminus, alit confidentiam : nam vitam fragilem pro meliori commutabit. Theofridus Abbas : *Poſt mortem*, inquit, *ergo carnis ſancti Dei melius vivunt, quorum hic oſſa in tot miraculis vivunt.* Mors equidem virtutum ſectatoribus optima. Sed alii, quia tranſitoriis alligantur perditè, dum vel ſemel expendunt iſta, conflictantur multùm ; & per faciem, neque ſic elevatam in cœleſtia, lacrymæ volvuntur inanes. Aliter ſe geſſit vir ſanctiſſimus Proſper Aquitanicus : Meditabatur quippe mortem juſtorum, cùm cecinit :

8.

Alap. in Prov. 14. 32.

Theofrid. Abb ſer de ſanctis reliquiis longe ante fi.

Cuncta bonis proſunt, quos & mors ipſa beatos
Efficit ut ſumant præmia principium.

S. Proſp. epigra. 50.

In morte ſua. An ſenſus eſt : Sperat in tempore mortis ? Nequaquam ; ſed (ut ſecunda pars aptiùs reſpondeat primæ) ſic accipienda ſunt hæc ultima verba, q. d. Salomon : Sperat autem juſtus quòd per mortem afflictiones finientur, & delectationes incipient nunquam viſuræ finem. O mirabilem Authoris gratiæ potentiam : qua ſic ſupergreſſus fuit naturam, ut mortem efficeret medium ad vivendum perenniter ! S. Julianus Archiepiſcopus : *Tantam*, inquit, *Deus fidei præſtitit gratiam, ut mors, quam conſtat eſſe vitæ contrariam, inſtrumentum fieret per quod tranſiretur ad vitam.*

9.

S. Iulian. Archiepiſ. Toler. l. 1. Prognoſt. c. 8.

DELIBATIO I.

Rationes aliquot, propter quas multi nimis diligunt vitam : refelluntur.

10.

Mala voluptas, vel poſſideatur, vel deſideretur, nocebit.

IN illuſtratione litteræ ſuperiùs notabam, ideo viros nequam è vita mortali ſic exire ferè ſemper quaſi propellantur ab ea ; quia nimiùm afficiuntur ad ipſam : quamvis tot anxietatibus inquietam, variiſque malis oneratam. Sed illorum varia ſunt motiva, quibus ducti vitam proſequuntur amore. Quædam notabo, deceptas mentes illuminare curans. Primò quibuſdam chara multùm eſt vita, quia vellent frui diutiùs voluptatibus illicitis. Confundi cupiebam iſtos ex doctrina S. Maximi, dicentis : *Enim mortis quidem mater eſt voluptas*, &c. Ex quo ſic arguebam : Voluptas, cum ſit mortis mater, non poteſt non adverſari vitæ : quomodo ſic amant vitam, qui pernicioſam

S. Maxim. centur. 2. de virt. & vit. c. 55.

pernicioſam ei diligunt voluptatem? neſciunt, morbos atque dolores voluptatibus affines. Hoc adeo verum eſt, ut S. Nilus dicat: *Didicimus enim à multis religioſiſſimis viris experientiâ edoctis, ſocietatem intercedere quamdam armorum, dæmonibus præſidibus voluptatis, cum iis quibus morbi doloreſque commendati ſunt à diabolo*, &c. Adnotandum, tam vitæ noxias eſſe voluptates; ut advenientes noceant voluptuoſo, quia venerunt; ſi verò non conſequatur eas, nocumentum experiatur ille, quia non aſſequitur eaſdem. Aliæ malorum cauſæ detrimentum afferunt vitæ cùm adſunt; non antea. Voluptas mala tamen, vel adhuc eam deſideres, vel jam poſſideas, vitæ nocebit.

S.Nil. ep.23.

11. Inceſtuoſæ dilectioni cor tradidit Amnon filius David; & urebat illum virus arcanum. Amicus ipſius de more ſæculi Jonadab, cernens eum ægrotantem, quæſivit ab eodem, quare ſic attenuaretur macie. Cum ille dolorem aperuiſſet; quaſi remedium conſuleret, majus malum attulit: nam induſtriam docuit, qua ſororem violaret: unde poſt factum eſt, ut hoc ægrè ferens Abſalom, fecerit occidi. Celebris eſt amor Jacob erga Rachelem; & quamvis per ſeptennium expectaverit conjugium ejus, paſtoritiis laboribus attritus; & finito ſeptem annorum ſpatio, fraudem Labani tradentis Liam pro Rachele, fuerit expertus; non tamen languit amore, doloreque vulneratus. Quænam hujus rei cauſa diſpar? Amor Jacobi licitus erat: dilectio, quâ flagravit Amnon ad voluptatem laſcivam tetendit. Jacob non eſt paſſus diſpendium ſanitatis ex amore. Sed Amnon imprimis cùm inhoneſtum delicium cupiebat, ægritudine laboravit; cumque tandem potitus eſt optato bono (ſeu potiùs malo) periculum incurrit vitæ; denique luit morte pœnas. Vides quàm ſit activum toxicum voluptatis nefariæ: ſi conſequeris hanc, periclitaris; ſi negatam deſideras, ex eo pateris. Cum igitur gaudia damnabilia ſic inſidientur vitæ; quî fieri poteſt, niſi veſanus es, ut ideo vitam nimis diligas, quia diutiùs vivendo, majus datur ſpatium ad capiendas delicias? execraris mortem, quia velles incrementari tibi mortis cauſas?

12. *Anxietates vitæ quandoque juſtus exiſtimat acerbiores doloribus mortis.*

Secundò quidam vitæ ſunt amatores nimii, quoniam terrentur imaginatione cruciatuum, qui morientes affligunt. Eſtne vita, quam ſic deſideras anxietatibus immunis? Vel fateberis mille torſionibus obnoxiam; vel non vivis. Innumeris pene mortibus pates durante vitâ: ſic tamen iſtius amor cœcus eſt, ut mortem ultimam & unicam valde trepides; non recuſes autem plurimas, quas vita ſecum defert. S. Odo Abbas: *Et cum interim quotidianis caſibus innumerabiles ei mortes imminent, vult tamen ſub timore tot mortium diu magis vivere, quàm ſemel moriendo nullam deinceps timere.* Diſcurre per ſingulas ætates, & vix numerabis ærumnas, quibus vitæ decurſus conflictatur. Infantia rationis defectum patitur: dolores, quibus torquetur, per non modicum tempus verbis exprimere nequit, ut imminuat. Pueritia rationis uſum accipit: ſed quamvis operari malum noverit, atque jam quod patitur intelligat, remedium quærere perfectè neſcit. Adoleſcentia præcipitia, caſuſque ſæpe triſtiſſimos identidem ſollicitat. Virilis ætas laboribus & curis gravatur. Senectus denique trahit moleſtiarum congeriem. Verè dixit Mapheus: *Si verò cujuſque ætatis labores, dolores, anguſtias, neceſſitates, & pericula cogitemus: applaudat quantum velit, ac demulceat, videbitur certè mundi hujus facies peſtilenti atque lubricior atque nocentior.* Et infra: *Sunt vero tanta tamque gravia, ſi generatim velimus cuncta quæ mortales torquent mala memorare, ut horrori ſit ea cogitare, nedum experiri.* His omnibus eripieris morte, quam times; & quandiu vivis, expers ipſorum penitus non es. Dicam igitur verba ſumens D. Columbani: *Quare ergo tu ibi mortalis vita habitaris, diligeris, vindicaris? Diligeris, vindicaris à ſtultis & à perditis, contemneris à ſenſatis, caveris à ſalvandis. Timenda itaque es humana vita, & multum cavenda*, &c. His, & ſimilibus inſtructus viæ rectæ ſectator aliquando cenſet, acerbiores vitæ quàm mortis dolores.

Maphe. Veg. l.6. de pertever. relig. c.1. poſt princ.

S. Columb. inſtruct. 5. juxta med.

13. Ut enarraret à Domino ſuſcepta beneficia, David recolit Pſalmo quodam, ſe conſtitutum in vitæ diſcrimine, cum Saül perſequeretur eum. Hoc ita deſcribit: *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me*: &c. Commentatur Cardinalis Bellarminus: *Dicit, ſe quondam fuiſſe in apertiſſimo periculo vitæ, quando videlicet Saül eum quærebat, ut interficeret.* Notaſti, Pſalmiſtam vocaviſſe mortis & inferni dolores illas, quas paſſus tunc temporis eſt anxietudines? Tranſi modò mecum ad ejuſdem regis vitæ periodum: & audi quomodo loquatur ipſe. Dixit ad Salomonem: *Ego ingredior viam univerſæ terræ*: &c. Componamus Davidem cum ſeipſo. Quantumvis placidam expectaret ille mortem; non poterat non ſolitos morientium cruciatus experiri cùm ſpiritum efflaret. Se morti proximum ſic proponit, quaſi nihil aliud ſit ei mori, quàm facere viam? dum autem recordaretur calamitatum vitæ præteritæ, vocavit eas mortis & inferni dolores? Juſtus erat. Qui virtutes amplectitur aliquando putat, vitam eſſe morte duriorem; cum per obitum ſit exiturus è tot gravaminibus peracerbis, quæ ſuſtinet vivus.

Pſal. 17. §. 6.

Cardin. Bellar. in com. ib.

3. Reg 2. 2.

14. *Inſtante morte bonus recogitat, ire ſe ad alterius vitæ charos.*

Tertiò dantur alii vitæ dilectores contentioſi: quos cum interrogaveris quare tam enixè cupiant frui longioribus annis; reſpondebunt, cum ſuis amicabiliter degere; quapropter à charis dividi ſe nolle. Non iſtos vellem dicere fatuos: ſed minimè reticebo quid apud Magnum Baſilium legerim. *Verùm*, ait, *lamentari ob ſeparationem, & diutinam converſationem, penitus abſurdum eſt*, &c. Fateor, hominem eſſe animal ſociabile, conſortiumque diligere; præſertim illorum, quos vel ſanguinis, vel alterius neceſſitudinis co-

S. Odo Abb. l.1. collat. n. 7. ante fi.

S. Baſil. Mag. hom. 4. inter var.

pulavit ſibi nexus. Attamen, ſi mente verſamus, prout par eſt, patriam noſtram, nempe cœlum, de nobis verificatur illud S. Cypriani: *Quoad uſque iſthic in mundo ſumus; cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, ſpiritu ſeparamur.* Si tuum ſeparavit ſpiritum à tuis ille, qui non pacem venit mittere, ſed gladium; quid times ab illis in morte ſeparari te? Præterea, quantumvis multùm debitor exiſtas per temporalia beneficia morantibus in hoc exilio; potiùs æquum erat ut optares conſociari Sanctis; utpote quibus longè plùs debitor es: de quibus aiebat S. Thomas à Villa nova: *In vita ſua ſicut columnæ, nunc autem ſicut angulares lapides (qui vocari ſolent claves) ex alto totius eccleſiaſtici ædificii molem humeris ſuis portant, Deo pro nobis incurvantes ſeipſos, ſicut ſcriptum eſt,* ſub quo curvantur qui portant orbem. *O quomodo pro nobis zelant? quomodo in preſſuris & tribulationibus ſollicitantur de nobis? quis eorum pietatem & charitatem valeat explicare?* Ad iſtos igitur ire ne pigriteris. Virtute conſpicuus, cùm ponit ob oculos mortem propriam, verſat mente quòd viam ad alterius vitæ dilectos ita faciet; malus autem, inſtante morte, ſolùm conſiderat quòd per eam ſeparatur à viventibus.

S Cyprian. tract. de mortalit. longe ante med.

S. Thom. à Villa no. ſer. de S. Ægid. longe ante med.

15. Prætergreſſus mandatum Domini Saül pepercit Amalecitarum regi. Fuit adductus hic ad Samuëlem: & ſuam intelligens appropinquare mortem, dixit: *Siccine ſeparat amara mors?* Exponit Hugo Cardinalis: *Id eſt, ſic me ſeparat amara mors; q. d. mors, quæ ſeparaverat à me meos, : amariſſimè ſeparat me ab omnibus modò*: &c. Nota, regem iſtum non habuiſſe tunc præ oculis quòd moriens iret ad ſuos, quos jam demortuos expoſitio proximè data ſupponit; ſed quòd avelleretur à vivis. Quàm aliter Jacob. Moriturus dixit ad genitos: *Ego congregor ad populum meum*: &c. Diſparem loquendi modum audiſti: ratio diſſimilitudinis te non fugit. Rectus erat Jacob; rex ille verò malus. Improborum eſt, cùm jam properat mors eorum, cogitare quos relinquunt; juſtorum autem mos eſt attendere tunc ad quos vadant amantiſſimos. Non igitur longiſſimas peroptemus vitæ moras: agnoſcentes, per mortem (ſi tam felix extiterit, ut expectamus (nos iterfacturos ad peramantes noſtrûm cœleſtis curiæ cives. *Feſtinemus*, inquit Bernardus, *obſecro dilectiſſimi feſtinemus: tota nos multitudo cœleſtis curiæ expectat. Exultare Angelos fecimus quando converſi ſumus ad pœnitentiam: proficiamus, & feſtinemus complere de nobis eorum lætitiam.*

1. Reg. 15. 32.

Hug. Card. in com. ib.

Geneſ. 49. 29

S. Bernard. ſer. 2 in vigi Nat. Dom. longe poſt med.

16. Quartò nonnulli reperiuntur propterea percupientes longiſſimè vivere, quia felicem invenere ſortem, quâ lentiùs potiri vellent, citra voluptates illicitas, ut ſupponimus, ne regrediar ad ea quæ dicta ſunt à n. 10. Eo pertingit iſta dementia, quòd proſperitatis amore deluſi, veluti ſibi pollicentur vitam protelandam. De divite illo, cujus fructuum copia magis reddidit eum ſollicitum, quàm foret alter anxius propter inopiam, ſcribit Incertus: *Longam ſibi vitam promittebat: quaſi illa quoque, tamquam reliqua humi naſcentia, è terra decerperetur*, &c. Qui ſtultum imitantur, iſtum deſipiunt craſsè nimis. *Vitæ menſura non extenditur cum opibus: ita nimirum, ut vita tamdiu perſtet, quandiu opes durant.* Sic Incertus idem. Fœni flos eſt hominis ænigma. S. Baſilius Magnus: *Cum videris herbam fœni & florem, ad meditationem venias de humana natura, in memoriam revocans imaginem ſapientis Iſaiæ. Quòd omnis caro ut fœnum, & omnis gloria hominis velut flos fœni. Brevitas enim vitæ, & in modico tempore gaudium, ac hilaritas humanæ proſperitatis aptiſſimam apud prophetam imaginem adepta eſt. Hodie floridus corpore, carnulentus præ deliciis, florulentum habens colorem, præ ætatis vigore validus, & concitatus, & præ impetu non conſiſtens & intolerabilis, eras idem hic miſerabilis, aut tempore marcidus, aut morbo diſſolutus.* Notabam proportionem quamdam inter fœnum & hominem. Fœnum poſtquam floret, breviùs marceſcit; antea verò majóri dierum ſpatio perdurabat. Sic & homo nonnunquam faciliùs interit, ſi proſperitate fruitur.

Incert. ſub nom. Tit in c. 12. Luc.

Idem ib.

S Baſil. Mag. hom. 5. Hex. longe poſt princ.

17. Diſplicuit regnorum Arbitro Saül inobediens ipſius mandato. Abjectus à Domino, morte dignus erat: in prælio vulneratur à ſagittariis, & non idcirco vitam finivit: ad armigerum dixit, ut occideret ſe; nec obtinuit: ac tandem impatiens moræ ſemetipſum interfecit. Vides quàm lenta mors tulerit è medio Saülem fulmine dignum? Expende nunc Antiochi deceſſum. Narratur hic 2. Mechabæorum 9. ſed Angelum audi loquentem ad prophetam Danielem de impio eodem rege: *Sine manu conteretur.* Nequaquam opus manu fuit, ut contereretur Antiochus? Saül autem non exhalat ſpiritum ſtatim ad ſagittariorum ictus; & quærens armigeri gladium, haud invenit; ac tandem alienæ manûs defectu mortem oppetit enſe proprio. Vide. Saül jam infelix erat: minùs facilis extabat obitus ejuſdem. Antiochi facilior erat nex: qui proſperabatur ita, quòd *ſuperbè locutus eſt ſe venturum Jeroſolymam, & congeriem ſepulchri Judæorum eam facturum.* Quid opus erat manibus, ut caderet flos fœni? *Sine manu conteretur.* Liranus ibi: *Quia Antiochus rediens de Perſide percuſſus à Deo morbo inteſtino mortuus eſt, prout habetur 2. Mechab. 9.* Itaque ne propterea diuturniorem vitam percupias, ut longius rebus proſperis fruaris: nam proſperitas ipſa mortem ſæpe quadamtenus accelerat.

17.

Danie. 8. 25.

2. Mechabæor. 9. 4.

Lir. com. in Danie. prox. ſup.

18. Multi demum in ætatis primo vere poſiti mortem oderunt: velut injuriam ſibi faciendam reputantes, dato quòd emoriantur, dum ſic vigent anni. Adversùs iſtos doctrina ſtat Gregorii: quæ probat apertè, necnon & juvenes mori ſenſim, tendentes in ſepulchrum paſſibus ipſis, quibus vitam incrementant. *Nam*, ait S. Doctor, *quia ex Adamo originem ducimus, ejus curſum naſcendo ſortimur, ut eo ipſo quotidiano momento quo vivimus, inceſſanter à vita tranſeamus, & vivendi nobis ſpatium unde creſcere creditur, inde decreſcat.* In contrarium

Homo nonnunquam facilius interit, ſi proſperitate fruitur.

Nemo putet, certum eſſe, mortem ſuam longe diſtare; nec triſtetur, ſi venerit ocyùs, quàm putaverat.

D. Greg. Mag. to. 1. l. 25 mor. c. 2. juxta fi.

rium veritatis hujus multùm præsumit juventus amens. Viribus nititur detinere ventum, & aërea jactat. Apud Petrarcham gaudium ait: *Ætas florida est, multum supereſt vitæ.* Respondet ratio: *En prima mortalium vana spes, quæ multa hominum millia & fefellit & fallet.* Instat gaudium, dicens: *Florida est ætas.* Occurrit gestienti ratio. *Inane gaudium est breve; flos iste dum loquimur arescit.* Rursus inquienti gaudio: *Est enim juvenum vita serior, & à senectute remotior & à morte.* Ratio reponit: *Falleris. Et si nil tutum homini, illa tamen periculosior vitæ pars, quam securitas nimia reddit incautam.* Minimè sibi persuadeat adolescens, quòd certum sit, ejus mortem longè distare; neque tristetur, si fortè veniat ocyùs, quàm putaverat.

Petrar. de rem. med. prosp. fort. dial. 1.

19. Sapientiæ plena sunt verba Salomonis; quamvis per ea fateatur sibi quædam intellectu difficilia, necnon & aliud ignorare penitus. *Tria sunt*, inquit, *difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Pro verò Ecclesiastæ sensu requirendò proponit expositiones octo Salazar: amplector attamen pronunc nonam, quam subjicit ille. *Quasi dicat*, ait, *Aquila per aëris levissimam regionem velocissimè fertur, serpens per terram lenissimè labitur, navis per aquas maris mollissimè simul, atque ocyssimè ruit: sed tamen longè velocius, ac leniùs vir ex adolescentia ad alias ætates fertur, labitur, ruit.* Omitto comparationes illas duas; nempe aquilæ, colubrique cum adolescentia; meditabor navem. Quid huic ætati cum navigatione? quare Salomon potiùs non contulit adolescentiæ velocitatem cursui solis; qui sanè longè velocior est, quàm via navis? Et insuper videtur, magnam reperiri disparitatem inter navigantes & adolescentes. Quotquot enavigant æquor, ad portum cupiunt appellere; non sic adolescentes solent: portus namque mors est; ad quam serò pervenire vellent. Quid ergo confert Parœmiastes viæ navis virum in adolescentia? & non potiùs astrorum principi pernicitate plurimâ curriculum suum perficienti? Cogitabam, ideo solem omisisse, quia certam vendicat horam occasus ejusdem. Paulo post ortum certò scimus, quòd non statim sepelietur in undis. At verò, semel quòd ratis vela tradidit vento, certum non est, an citiùs, quàm nautæ putant, ad portum sit perventura. Deinde, si Phœbus miraculosè die quadam occidisset ante meridiem, foret hoc mœroris occasio. Contra: si navis multò velociùs, quàm existimabatur, pervenit, lætantur navitæ. Habes ecce patenter illa duo, quæ dixeram: primum, neminem sibi rationabiliter suadere tamquam certum, distare valde mortem propriam: secundum, non esse cur cœlestia cogitans contristetur, si mortis ad portum perveniat in suæ navigationis tempore florenti; cùm vitæ plurimum restare sibi credebat.

Prov. 30. 18. 19.

Salaz. in com. ib. n. 187.

DELIBATIO II.

Mortis utilitates.

HOminis conditio necnon & in hoc est misera satis, quòd nec mala nec bona sua norunt mortales apprimè. Plura numerant inter bona sua quæ verè mala sunt; & econtra non pauca dicunt mala propria, quæ bonis annumerare suis non absque rationis momento valerent. Fit inde, quòd, cum sint pluries errore suo felices; simul patiantur multoties damna fallente phantasiâ. Inter ea mala, quæ perhorrescimus, obtinet supremum locum opinione nostrâ mors. Eam quidem agnosco malum esse pœnæ: sed cum id, quod tantùm secundùm quid malum est admittat, vel semper, vel aliquando secum rationem boni: mors tot commoditatibus emollitur, ut vix aliquid mali retineat præter nomen. Imo Solitarius autumavit, morti corporis non congruere mortis nomen; cum potiùs remedium extet. *Mors autem non est mors* (ait Philippus Solitarius) *tametsi quædam pœna est: sed remedium quoddam benignum, quo ad conducibile nobis transimus:* &c. Et certè juxta placitum S. Ambrosii, mors illa, quæ spiritui nequaquam nocet, eo quòd illum ad gaudia transmittat æterna, malum non est, & consequenter bonum dici quit. *Mors* (inquit S. Doctor) *si animæ noceat malum videri potest: si nihil autem efficiat animæ, ne malum quidem. Quod autem malum non est, id etiam bonum:* &c. Rationem ex eodem Ambrosio desume primam: qui loco citato paulo post meditari videtur, exitum cujusque nostrûm absolvere à vinculis eumdem. *Mors*, ait, *cum absolvat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est vitium, sed nostræ infirmitatis*, &c. Alteram rationem boni, summam ab extrinseco: scilicet ab eo quòd immunis ab invidiæ telis vita functus frequenter est. *Viventes invidia exercet; mortuis autem benevolentia sine obtrectatione præstatur.* Quinimo, licet absit erga benemeritum livor; nescio cur ingratum sit hominibus, dum vita manet illius, de ipso bona loqui; si fato concedat, jam labia resolvuntur sæpius in ejus laudes. Hanc priorem computabis inter utilitates à morte promanantes. Illemetipse qui, dum viveret homo commendabilis, nec unico verbo commendavit eumdem; post mortem sic ipsum laudat, ut ei tribuat honorabilia facta non sua. Cum in vivis ageret, veritas reticebatur in illius honorem cedens; de mortuo verò proferetur commendatio nequaquam defuncto debita.

20. *De benemerito vivente laus vera tacetur; de mortuo profertur falsa.*

Philipp. Solit. in Diopt. c. 6. med.

S. Ambros. to. 1. l. de bon. mort. c. 1.

Idem ib. c. 2.

Theucid. l. 2.

Præcursor Filii Dei nulla patravit in vitâ sua mirabilia. *Joannes quidem signum fecit nullum.* Igitur unde venit in mentem. Herodi nequissimo, quòd ipse resurrexisset à mortuis, & illa tunc operaretur prodigia, quæ Redemptor effecit, & ad regis notitiam devenere? *Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu; & ait pueris suis: Hic est Joannes*

21. Ioan. 10 41.

Matth. 14. 1. 2.

nes Baptiſta : ipſe ſurrexit à mortuis , & ideo virtutes operantur in eo. Quid tuam impulit mentem , ô vulpes , ut judicares , hæc miranda perpetrare Baptiſtam ? quoniam ſanctum agnoſcebas , ideone miraculorum operatorem exiſtimaſti ? Scio quid ſcribat Marcus. *Herodes enim metuebat Joannem , ſciens virum juſtum & ſanctum :* &c. Marc. 6. 20. Secundò quæro : Cur petenti ſaltatrici caput Joannis haud repoſuiſti : Non occidam virum juſtum & ſanctum ? Nec verbum protulit rex impius in Joannis laudem , eo vivente. Poſtquam guſtavit mortem , Baptiſtæ præco factus eſt Herodes. Hæc ſunt , inter alia , mortis bona germina : laudatur poſt illam demortuus ab eo , qui tacebat cum viveret ipſe.

22. *Qui deſiderat è vinculis egredi coporis, dici poteſt inter mortales liber.* S Ambroſ. c 3. poſt princ.

Ad aliud propero mortis emolumentum , quod jam ſupra tetigi : nunc iterum repetam , regrediens ad Ambroſium citatum ſuperiùs. *Mors* , inquit , *abſolutio eſt animæ & corporis , & quædam hominis ſeparatio. Solvimur enim hoc nexu animæ & corporis , cum recedimus.* Cum interit homo , ſolvitur vinctus ; dimittente Principe ſummo , vincula rumpuntur. Bene Petrarcha : *Rex te tuus carcere liberat , jam vincula franguntur , quæ feciſſe mortalia primum patrem libuit.* Videmus aliquos cuſtodiæ traditos ex benevolentia cuſtodis in carcere liberos ambulare. Non ſic vel amiciſſimis conceditur à Domino. Dilectiſſimus erat Apoſtolus ; attamen de ſeipſo dixit : *Ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu* , ubi S. Hyeronimus : *Vel certè quia in pluribus locis lectum eſt , vinculum animæ corpus hoc dici : quo quaſi clauſa teneatur in carcere :* &c. In eo tamen diſtat is , qui mortem ſponte præſtolatur , à proſequentibus odio vel inutili timore mortalitatem , quod ille dicendus eſt inter alios liber. Ut ita loquamur de juſto , ſatis erit quòd ipſe cupiat à corporeis vinculis egredi.

Petrar de reme. adver fort. dial. 118.

Ad Epheſ. 3. 1. S. Hieron. in com ib. l. 2.

23. Pſal. 87. 5. 6.

Pſalmiſtam audi , ſic de ſeipſo loquentem ; quamvis non ſine typo Salvatoris. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum : factus ſum ſicut homo ſine adjutorio , inter mortuos liber* , &c. Expoſitionem amplectior Janſenii : qui ſic habet in argumento Pſalmi hujus : *Apparet autem ex conſonantia cum aliis multis Pſalmis editus eſſe ad litteram de Davide , occaſione eorum malorum , quæ paſſus eſt , ſive à Saüle , ſive ab Abſalone. Secundùm ſpiritum verò de Chriſto per Davidem adumbrato intelligendus eſt* , &c. Jam pungit cogitantem ſcrupulus. Novimus , illud , *Inter mortuos* , idem valere quaſi diceretur : inter mortales ; ut ſtatim ex Bellarmino leges. At quî fieri poteſt , ut cum Filius Dei propterea dicatur liber inter mortales , quia voluntariè poſuit animam ſuam ; David in præfato libertatis titulo fymbolum eſſe potuerit Authoris vitæ ; cum non ille , ſed hic mortuus fuerit , ſicut habens in poteſtate vitam ? Crede , ſuam quadamtenus vendicaſſe Davidem analogiam cum Salvatore circa materiam ſubjectam. Sed quare ? Sanè de Chriſto Domino dixit ad hunc locum citatus Cardinalis : Inter mortuos liber , *Id eſt , ego qui inter morti addictos , & poteſtati ejus ſubjectos ſolus liber ſum , ut nemo me ad mortem cogere poſſit , & qui* poteſtatem habeo ponendi animam meam , & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam , &c. Quomodo , quæſo , David in hoc potuit eſſe typus Chriſti ? Scis , non oportere , quòd ſimilitudines urgeamus nimis. Non parum eſt , ut concordet ſufficienter figura prototypo (David nempe) Servatori noſtro) quòd rex pius ita de patria cœleſti viſendâ ſollicitus eſſet , ut vitam corporalem dimittere concupivit: dixit enim : *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me expectant juſti , donec retribuas mihi.* Idem Bellarminus ad hæc verba : *Fortaſſe David , ut vir ſanctus , & à Deo mirificè illuſtratus altius aſpirabat , & de mortali corpore , tamquam de cuſtodia educi deſiderans , cum Apoſtolo dicebat* : Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? &c. Adhuc adversùs cogitationem prædictam ſic urges. Libertas aliquando ſupponit præcedentem ſervitutem. An David ſervus fuerat ? Dicat , bonis avibus , Job , loquens de ſervo mortuo : *Parvus & magnus ibi ſunt , & ſervus liber à Domino ſuo.* David autem quare ſe liberum dixit ? Quia , prout voluit Bellarminus , illa verba : *Inter mortuos liber* , valent q. d. *Jam mortuus ex opinione hominum* : &c. licet de Chriſto Domino loquatur Interpres. Igitur David , ut aſſereret , ſe reputatum fuiſſe tamquam defunctum , dixit , ſe factum eſſe tamquam mortuum liberum : quia ſolvitur à carcere qui mortem cupiens agit vitam. Non mediocris eſt utilitas iſta mortis.

Card. Bellar. ad hunc Pſal. n. 6.

Pſal. 141. 8.

Bellarm. in com ib.

Job 3. 19.

Bellarm. com. in Pſal. 87. 6.

24. *Formido mortis quandoque morte durior.*

Tertium accipe mortis proventum. Per hanc tandem aliquando quieſcit in homine moriendi timor : qui certè ſic exagitat mortales , ut omnem ferè vitæ curſum amareſcere faciat vitæ dilectoribus eximiis ; dato quòd identidem recordentur exitûs. Apud Petrarcham ingemiſcenti dolori , ſæpiuſque geminanti verbum illud , *Morior* , ſic ratio reſpondet : *Ad extrema perventum eſt. Jam nec mortem metues , nec optabis* , &c. Equidem pertimeſcentibus vitæ finem , hujus clauſulæ metus graviſſimus tortor eſt : & ita ut ſi huic formidini conferatur mors ipſa , levis quodam modo pœna reputari queat. Forſan hoc deduces ab ipsâ duratione mali. Cum obitus duret (ut alibi dicebam) per inſtans unicum ; timor verò mortis non unicum occupet punctum ; ſed , ſi cogitas æterna , pene vitæ comes tortius ſit ; quare non dicemus cum Ambroſio ? *Certè iis quibus gravis eſt timor mortis , non eſt grave mori , ſed grave eſt vivere ſub metu mortis. Non ergo mors gravis , ſed metus mortis.* Videbis , illum , qui perfert dura conſtanter , cùm vitam finire pertimeſcit , mortem optare , qua formidinem pellat moriendi : quaſi metus hic ſit morte durior.

Petrar. de remed. adverſ. for. dial. 118.

S. Ambroſ. to. 1. l. de bon. mor. c. 8. poſt princ.

25. 1. Reg. 15. 23.

Læſit Saül inobediens majeſtatem Altiſſimi. Projectus eſt à ſolio Samuëlis ore , dicentis : *Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermonem Domini* ,

Domini, abjecit te Dominus ne ſis rex. Quantumlibet grave ſupplicium fuerit à throno proturbari; non tamen legimus, adeo doluiſſe regnô privari Saülem, ut in deſperationem ruens mortem appeteret; ne ſicut privatus homo viveret (prout credidiſſe potuit) ille, qui primùm regio titulo claruerat. Tendamus ulteriùs. Philiſthiim pugnaverunt adversùs Iſraël, & ab eorum facie profugit populus; ac ita fortiter cæſus eſt, ut etiam Saül fuerit vehementer ictus à ſagittariis. Quid ille tunc? Mortem poſtulavit ab armigero: quod cum non obtinuiſſet, gladio tradidit ſemetipſum. *Dixitque Saül ad armigerum ſuum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum.* Is amor gloriæ cordibus inſitus eſt eorum, qui mundo famulantur, ut dicamus, & verè, durius ipſis videri deſcendentes è culmine privatam agere vitam, quàm emori. Quid eſt ergo quòd Saül, cùm denuntiatur ei privatio ſceptri, non vitam odiſſe perhibuit; maximè verò mortem oppetiit cùm percuſſus ab hoſtibus eſt? Hoc ſecundo loco timebat ille necari: *Ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me,* &c. Sic illum torquebant mortis metus, ut videri ſuo de duobus malis minus elegerit, ſe neci tradens; & ut obitûs formidinem fugeret, interitum voluerit; quô ceſſat mortis utique timor. Ergo trepidantibus interire mors proficit: utpote quæ moriendi pavorem finit; efficiens ut ſemel cadat qui pendere continuò vivens execratur.

Ib. c. 31 4.

26. *In luce degit miſer; proſper autem vivit in umbra.*

Quartùm adjicio mortis fructum, non mehercle parvî faciendum. Initio delibationis hujus lamentabar hominis miſeriam; cujus pars eſt haud modica putare bonum quod vel malum, vel nihil eſt. Cæcitas iſta contingit pluribus quandiu vita fluit. Cùm venitur ad mortem, plurimorum ſpirituales reſerantur oculi; patetque vanitas mundialium bonorum, quæ viventibus arridebant. Id exemplo ſomniantium ſe divites oſtendit in opibus Chryſoſtomus bellè, dicens: *Item & qui per quietem ſomniando diteſcunt, ubi dies illuxit, inanes & divitiis vacui arguuntur: captos verò dum vivitur, inerti ſomno plerumque, necdum luce oborta, falli poſſe compertum eſt, & ita ut brevi eorum inſomnia evaneſcant.* Et quia longum foret per cætera bona ſæculi vagari ſeriatim; quod ex aureo Doctore de gazis diximus, habe dictum de reliquis bonis fallacibus. Et rurſus adi Pontificem; à quo non libenter audies, omnia, quæ vulgariter mundanis placent, evaneſcere velut ſomnia, cùm lumina corporis clauduntur; eoquòd tunc acies intellectûs multis referetur. *Itemque radiante ſole tolluntur inſomnia, eodem pacto cùm finis tam cujuſque unius, quàm communis omnium venerit, reſoluta cuncta evaneſcunt.* &c. Illud, in gratiam eorum qui tribulationibus afflictantur, fatendum eſt; ſcilicet quòd quamvis ut plurimùm ſæcularium bonorum mendaces illecebras eſſe non cernat is qui proſperatur; attamen ſi decidat in miſeriam, jam eaſdem frequenter novit apertè. Grande quidem priùs patiebatur homo detrimentum, cùm voluntariè cæcutiebat anima. Viſum corporis tolli dolemus; & acumen oculorum intellectualium auferri ſponte patimur non dolentes? Facit huc Remigii dictum. *Si tibi*, ait, *auferat Deus oculum corporis, iratum credas. Cum tibi oculum claudit animæ ut illum non conſpicias, cum fert in peccando proſperitas inquinatas cogitationes & conſilia, non iratum putas?* Igitur gratulare tribulatis: quibus intellectum dante vexatione patent lumina cordis; quæ, vento felicitatis flante vehementer, claudunt quamplurimi. *Dat vexatio ſola intellectum*, ait Juſtinianus, *præbet infirmitas ſenſum, oculos aperit illata adverſitas, quos obtectos ignorantiæ caligine terrena proſperitas poſſidebat.* In luce degit miſer; proſper autem vivit in umbra.

Remig. Antiſſiod. exp. Pſal. 9. poſt med.

S. Laur. Juſt. l. de humilit. c. 3. poſt med.

Mirabar valde, nec fruſtra, Job ſatis expertum vitæ calamitates mœſtiſſimas, non ipſam compellaviſſe noctis imaginem; ſed potiùs lucem, cùm dixit: *Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt?* Idem accipe nomine vitæ ac lucis in hujuſcemodi quæſito; ſic notante Hugone Cardinali ad hæc verba: *Primum igitur agit de peccatore: qui miſer eſt: cujus vitam vocat lucem: cum aliquid intelligentiæ accipit: ſed nihil amoris.* Longe diverſimodè loquitur de vita ſua Pſaltes regius. *Dies*, inquit, *mei ſicut umbra declinaverunt:* &c. Quæ luci tum tenebris eſſe poteſt ſocietas, ut nunc dicatur umbra; nunc verò lux eadem vita mortalis? Neuter aberravit à verô. Cape ſenſum utriuſque; myſterium carpes. Jobus loquebatur de miſeris. Liranus: *Hic conſequenter Job lamentatur vita ſuæ continuationem, & primò facit hoc generaliter reſpectu omnium miſerorum*, &c. David autem verba facit de vitæ ſuæ temporibus elapſis fortunâ ridente. Lorinus in præcitatum Pſalmi locum: *Significat, cum Deus ipſum in ſublimiorem dignitatis, ac poteſtatis locum, & gradum evexiſſet*, &c. Sic interpres ad immediatè præcedentia verba Davidis: *Elevans alliſiſti me.* Itaque, ſi loquamur de fungentibus ſæculi ſorte, vita, quâ potiuntur, umbra dici valet ut plurimùm: quia non ſolent in multis niſi cernere falſa. Cum verò de vitâ miſerabilium ſermo fuerit; hanc, licet fugientem, dicito lucem: nam aperta ſunt illis plurima, quæ tegit fortunatis voluntaria caligo. Scio, necnon plures ad iſtam adverſitatis lucem labi; ſed non hoc vitium lucis extat; ſed labentis infirmitas. Tandem adveniet mors; quæ perfectè mentis aperiet oculos. An parum putas in hoc prodeſſe mortem?

S. Laur. Juſt. l. de humilit. c. 3. poſt med.

Job 3. 20.

Hug. Card. in com. ib.

Pſal. 101. 12.

Lir. com. in Job prox. ſup.

Lorin in com. ib. ad n. 11.

Pſal. 101. 11.

Ultimò quintam, ſed non poſtremam nunc mortis aperiemus utilitatem. Noſti, militiam ſuper terram eſſe hominis vitam: undique præliis urgemur. Deſcenditur ad tumulum: & ſi bene dimicaſti, placidâ tranquillitate requieſcis; arma deponis, & quietem reperiſti. Moraliſſimè Petrar-

28. *Juſto non niſi per mortem pugna finitur.*

S. Joan. Chryſoſt. to. 5. ſer. cui titulus eſt, *Carnis* &c. longe poſt princ.

Idem ib. ſer. de vanit. ante med.

Petrar.de reme adver. fort dial. 118

cha : *Vitam qui claudi dolet, is ferias reſpuit malorum, & quietem odit, quam qui appetit, laborioſæ finem vitæ cupiat neceſſe eſt. Quando nullus alius eſt, vel malorum finis, quid fles gitur ? Dies adeſt, qui ſi traheretur votis, erat optandus*, &c. Inter viventium labores jure numeratur, quòd, velint nolint, pugnandum ipſis eſt quandiu vivitur. Conſule Patriarcham Venetum. *Indicta nobis eſt*, inquit, *pugnandi neceſſitas. Nam etſi viſibiles perſecutores deſint ; inviſibiles tamen longè non ſunt.* Quantumvis juſtus in virtutis calle progreſſus faciat multos, nunquam exiſtimet reliquiſſe conflictûs arenam : tunc dimittit pugnæ campum, cum venit interitus afferens pacem. Militat antea jugiter ; cum deſierit vivere, tunc pace fruetur.

S.Laur.Juſt. ſer.de S. Stephan.ante fi.

29. De juſti funere præmiſerat Evangelicus Præcentor Iſaïas : *Juſtus perit, & non eſt qui cogitet in corde ſuo* : &c. Tunc addit poſt pauca : *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulavit in directione ſua.* Ut locum Vatis enucleemus, juvat audire prius Hugonem Cardinalem, ſic exponentem : Veniat pax, *q. d. Propheta, Sic juſti occiduntur, & quandiu vivunt premuntur : ſed veniat pax eis in morte, id eſt, quies ab hujuſmodi tribulationibus.* Requieſcat in cubili ſuo, *id eſt in loco quietis.* Qui ambulavit in directione ſua, *id eſt qui curſum hujus vitæ recto tramite peregit.* Contextus Iſaïæ poſtulare videbatur, ut aliter eloqueretur de juſto pacem reperiente cùm agit animam. Nam introduxerat ipſum ambulantem Vates, hoc eſt, viventem : & proinde videbatur dicturus, ipſum venturum ad pacem ; ſed potius inquit : *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua ?* Voluit Spiritus almus, ut non deciperentur juſti, putantes, relinquere certamen ante mortem ; quaſi dividerentur à loco pugnæ priùs quàm accederent ad cubile requiei. Qui procedit ad aliquem locum, priùs relinquit alium à quo prodit ; quàm perveniat in illum, ad quem tendit. Nemo credat, ſic accedere juſtis in acquirendâ pace, quaſi priùs deſerant ſtationem prælii, quàm perveniant ad ſtatum pacificum. Totus progreſſus dimicatio probis eſt : propterea nequaquam dicatur hîc, juſtos ad pacem venire ; ne credatur, ipſos aciem deſerere dum vivunt. Mors eſt, quæ dat illis ingreſſum quietum ad pacem ; ita, quòd poſt ultimum inſtans belli ſequatur primum pacis. Meritò cum tot ſint benè morientis commoda, quamvis *in malitia ſua expelletur impius* coactè, non ſic accidit viro bono ; de quo Salomon : *Sperat autem juſtus in morte ſua.*

Iſaï 57 1 2.

Hug.Card in com.ib.n.2.

DELIBATIO III.

Exempla Sanctorum quorumdam morientium confidenter, & cum gaudio.

UT ſupra notabam, commutantur vitæ mortiſque ſortes probis, & improbis. Hi ſolent confidenter vivendi tempus tranſigere : pericula deſpicientes animæ ; quin & provocantes ; cum verò venitur ad exitum, rarus eſt qui non paveat ; quamvis multoties inutiliter. Oppoſito modò ſe gerit commendabilis homo : paveſcit continuò quandiu vivit ; ad mortem properans confidit gaudenter. Exempla Sanctorum libet aliquot ſubjicere ; quibus ob oculos ponam pretioſæ mortis gaudia. Præmittam Eremitarum protoparentem Paulum : qui, referente D. Hieronymo, grandævus talia dixit ad Magnum hoſpitem ſuum, cum adventaret illi mors : *Sed quia jam dormitionis tempus advenit, & quod ſemper cupiebam, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, peracto curſu ſupereſt mihi corona juſtitiæ* : &c. Miraris fiduciam ? Demirare potiùs quod ſuſpicor : nempe, verba præfata ſenem cum gaudio protuliſſe. Quamvis in ſolitudine degens, urbanus erat ; & ideo non proferret ad hoſpitem propriæ mortis adventum, niſi res foret ſibi læta : ruſticum enim quid eſt hoſpites anxietudinibus propriis excipere, quos tunc primò vides. Noviter admiratione tangeris, quòd Paulus ita confidenter de coronâ ſuâ futurâ ſit locutus : nam humilis erat valde, ſicut inſinuant ea quæ protulit ad Antonium : *Tu miſſus es à Domino, qui humo corpuſculum meum tegas, imo terræ terram reddas.* Quallter, inquis, humillimus ita confidit, ſe coronandum ? Animadverte, confidentiam promanantem ex dilectione Dei, quamvis aliquando primâ facie præſumptuoſa videatur humilitatem claudere, deſideriumque gloriæ divinæ : quaſi deſideret ita confidens gloriam, non tam ſuam, quàm ipſius Dei. Faveat Bernardus de ſponſa Canticorum loquens. *Quid iſta non audeat apud tam ambitioſum amatorem ? . . . Aliàs verò (ut aſſolet) propterea magis præſumit, quoniam proſpiciens in futurum non ignorat quoniam Dominus ſe opus habet. Quæris ad quid ? Ad videndum in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur cum hereditate ſua.* Et infra de anima dixit : *Si voluerit gloriari, non erit inſipiens, tantùm ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Concludam igitur, fiduciam, prodeuntem ex amore Dei, ſubmiſſionem operire quandoque præſumptionis apparenti quadam umbrâ : citra ſuperbiam : quoniam juſtus ambit ſanctè gloriam ſuam, non ſibi, ſed quò glorificetur Deus.

30. *Fiducia manans ex amore Dei, humilitatem conſtegit aliquando ſub apparenti præſumptionis umbrâ.*

S.Hieron to. 1.in vi. S. Pauli.

Idem ib.

S.Bernard. ſer. 68. in Cant. ante med.

Idem ſer. 69. in Cant. poſt princ.

Accinctus jam Dei Filius ad ſuæ paſſionis conflictum. Patri locutus eſt in hæc verba : *Pater venit hora, clarifica filium tuum,* 31. Ioan.17.1.

ut

ut filius tuus clarificet te : &c. Non bene cohærere videntur ista cum iis quæ protulerat priùs Redemptor ad Judæos : *Ego autem non quæro gloriam meam* : &c. Quod sic exponit Clichtoveus : *Non quæro gloriam meam, gloriam scilicet hujus mundi, & laudem humanam* : &c. Nonne cum dixit : *Clarifica filium tuum*, de gloria locutus fuit, quam apud homines per fidem nactus est ? Audi Cyrillum Alexandrinum ad hunc locum. *Propterea*, inquit, *mortem & diaboli tyrannidem depositurus, quia universus terrarum orbis Spiritûs doctrinâ illuminatus, secundùm naturam, & verum Deum esse Christum erat cogniturus : idcirco ait : Pater clarifica filium tuum*, &c. Quo ingenio componemus hæc : scilicet petere claritatem apud homines à Patre ; nec tamen quærere gloriam suam ? Ita componò. Gloriam certè, dum prædicta fatus est ad Patrem, quæsivit Unigenitus ab eodem, non tam ut propriam, quam ut paternam. *Clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te* : &c. Euthymius : Ut filius tuus glorificet te. *Per suam gloriam* : *nam credentibus in me gentibus, & tu glorificaberis. Siquidem credent in te & glorificabunt te, qui proprio Filio tuo pro eis non peperceris : meaque gloria erit tua.* Ecce videbatur ambire sibi Dominus gloriam ; sed potiùs Patri quærebat eam. Speciem elationis præ se ferebant ejus verba : sub hac tamen umbrâ latebat humilitas, quæ non ignota fuit citato Commentatori. *Quærere autem*, inquit, *glorificari, ac dicere*, Dedisti, *& similia, demittendo se dicit ac dispensatoriè*, &c. Habes ecce quòd supra dicebam : confidentiam scilicet amoris filiam sub apparenti superbientis umbrâ quandoque tegere demissionem ; ac dum videtur, sibi gloriam concupiscere, totum in Dei glorificationem referre lubenter. Ita cogita de Pauli parentis eremitarum fiduciâ, coronam jamjam arripientis, ut eam sisteret humiliter coram Dei throno pro gloria Dei.

Ib.c.8. 50.

Clichtove. additus Cyrillo Alex.l. 6.in Joan.c. 9. ante fi.

D. Cyrill. Alex.l.11. in Ioan.c.14.ad fi.

Euthym. in Ioan.17. 1.

Idem ib. ad n. 2.

32. *Gaudens in tribulatione videtur idem cum Filio Dei.*

Secundum exemplum gaudentis fiducialiter tempore propriæ mortis, præstet D. Andreas Apostolus : de quo narratur, quòd ad crucifixionem ductus, visâ cruce, loquens ad illam dixit inter alia : *Securus ergo & gaudens venio ad te*, &c. Notabam, non dixisse B. Apostolum : Securus & gaudens venio ad Christum, qui priùs in te pependit ; sed : *Venio ad te* ; hoc est, ad crucem. Cur ita loquitur ? Quia Dei Filius futurus erat præmium discipuli ; crux verò tormentum ejusdem. Perfectè diligentium est plùs ad patiendum ferri, quàm ad retributiones aspirare. Gaudent isti quòd acerba sustineant ; scientes per gaudium istud se fortiores reddi, creduntque tantò plus recepturos, quantò magis robore vigent. Opportunè S. Ambrosius : *Ideoque in tribulationibus*, ait, *gloriandum est quia tanto plus accepturum se credit, quanto in tribulatione se viderit fortiorem.* Et quidem justî contribulati gaudium nequaquam vanum est : nam per hoc quòd eum Dominus affligi sinat, indicium præstat eidem, ipsum inter filios Dei numerari : solet enim providus Pater flagellis exercere genitos charissimos. Tempestivè S. Petrus Damian : *Non igitur*, inquit, *immeritò gaudet, qui in sanctæ conversationis itinere constitutus, dum se flagellis considerat ultoribus cingi, in sortem filiorum Dei se non ambigit adoptari.* Hac meditatione sic roboratur justus, ut gaudeat in adversitate positus ; quod maximi roboris opus est. Et adeo strenuum se perhibet, ut quodammodo (si fas est ita loqui per hyperbolem) videatur excedere Christum Dominum : qui dum pateretur, summè tristatus est. Loquor extra gaudium, delectationemque beatificam ; quam retinuit semper (de quo videri potest citans alios Lugo Cardinalis) sed gaudium atque delectatio proximè dicta non habebant pro motivo passionem ; ut cuique vel mediocri Theologo notum est. Sed ut apparentem illum excessum justî gaudentis cùm patitur omittam ; potiùs dixerim, dilectorem Dei gaudentem in tribulatione suâ pati velut æquivocationem cum Christo Domino, veluti si forent idem prorsus ambo.

S. Petr. Damian. l 8. ep. 14. post pr.

Lug. Card. de incarnat. disp. 22. n. 22.

33. Doctor Gentium scribens ad Colossenses habet sic : *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia* : &c. Mirabile dictum Pauli stupeo, multis ductus. An passioni Christi Servatoris defuit quidquam ? Superabundans extitit. Ad hæc. Profundissimum Christi patientis mœrorem novimus. Quomodo Pauli gaudentis in tribulatione dolores cohærebant passioni Filii Dei ; quò facientes cum illa unum quid, additamentum forent ejusdem ? Respondeo. Cum lætabatur Apostolus patiens, amor eum affecerat velut unum cum Redemptore. Proinde factum est, ut Pauli dolores, non tam Apostoli, quàm ipsius Christi viderentur esse mala. Quapropter Dominus quodam modo sustinebat acerbitates in Paulo de istis lætante : consequenterque proportionem sibi vendicarunt anxietudines illæ Magistri Gentium, ad hoc ut additæ passioni Salvatoris, dicerentur adimplere quæ Dominicæ passioni defuerant. Chrysostomi doctrinâ fruamur. *Et suppleo, inquit, quod deerat afflictionum Christi in carne mea. Videtur quidem magnum esse quod dixit. At non est ex arrogantia, absit : sed ex magno amore erga Christum. Non enim vult suas esse afflictiones, sed Christi*, &c. Vix capio S. Doctoris acumen ; cum Apostolus dixerit, in carne sua sustinere mala, de quibus incidit mentio. Sed cum vehementissimè Christum Dominum diligeret Paulus, atque dura ferret gaudenter, via nobis aperitur, ut quasi foret idem cum incarnato Verbo, passiones proprias reputaret velut ipsius esse ; propterea que Domini passionibus anteactis valere supernumerari. Colliges inde quantum peregerit S. Andreas in eo quòd venerit ad crucem cum gaudio.

Ad Colossen. 1. 24.

S. Ioan. Chrysost. to. 4. hom. 4. in Epist ad Colost. longe post princ.

Tertium desumere juvat exemplum animæ Dei flagrantis amore, lætanterque

34. *Justus mor-*

S. Ambros. to.3.com.in Epist.ad Roma. c.5.

tem formidans, exhibet ſe hominem carne conſtantem, ſi reputet illam donum Dei, videtur eſſe ſpiritus integrè.

patientis, ex D. Barbaræ celebri martyrio. Ducebatur ad ſupplicium, quò vitam, quam donaverat ipſi gentilis pater, manibus impiis tradidit ejuſdem genitoris. Narrat in ejus vita Quidam, Virginem invictam paulò priùs quàm efflaret animam gratias egiſſe Domino, quòd ipſam deduxerit ad exponendam vitam pro fide. Satis apertum ſignum eſt hæc actio gratiarum lætitiæ, qua perfundebatur cor ejus in conflictu. Grates equidem perſolvit meritò pro munere quiſquis morte ſuâ fidem teſtaturum ſe videt. Optimè S. Cyprianus : *Gratulari magis oportet*, inquit, *& temporis munus amplecti, quod dum noſtram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ ejus & fidei ipſo judicante capiamus.* Jamjam poſiturus animam vocatur juſtus ad Chriſtum : quare non exultabit ſecurus, atque gratulabitur ? Proderit audire Julianum Archiepiſcopum. *Si juſtus es*, inquit, *& ex fide vivis, ſi verè in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum vocaris amplecteris, & quod diabolo careas gratularis* ? Fatebor infirmitati noſtræ mortis pavorem conſentaneum; quia terreni ſumus. Attamen ex hoc ipſo gradum faciam, ut mediter, juſtum, cùm formidat mori, ſemetipſum exhibere quidem hominem ; ac proinde ſpiritu carneque terreâ compoſitum. At verò, ſi mortem ſuam reputat beneficium Dei, videtur totus eſſe ſpiritus ; quaſi nihil de pulveris conditione mixtum reperiretur in eo.

Ribadan. in vit. S. Barbaræ.

S. Cyprian l. de mort. ante med.

S. Iulian Archiep. Toler. l. 1. Prognoſt. c. 13.

35. Non duxi prætereundam ſtyli diſparitatem, qua de ſeipſo locutus eſt Elias duplici loco. Jezabelem declinans perrexit in deſertum, ibique *petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait : Sufficit mihi Domine, tolle animam meam* : &c. Commentatur Sanctius docens, illis verbis, *Animæ ſuæ*, totum intelligi Prophetam. *Petere porro*, inquit, *animæ ſuæ, nihil eſt aliud, quam ſibi petere. Animal enim ex uſu Scripturæ per illius animam circumſcribitur. Quare idem eſt*, anima mea, *atque*, ego : &c & infra : *Hac oratione ſibi à Deo diem efflagitat extremum Elias.* Vides, Prophetam de ſemetipſo fari, quaſi totus eſſet anima, carneoque pondere vacuus. Progrediamur ultra. Indignatus eſt rex Ochozias adversùs eumdem vatem, juſſit illum ad ſe deferri. Non ſemel Elias tunc de ſe locutus fuit ut homine. *Si homo Dei ſum*, &c. & infra : *Si homo Dei ego ſum*, &c. Homo ſanè conſtat ſpiritu corporeque. Sed quare nunc id videtur meminiſſe Prophetam ; qui priùs de ſe verba fecerat quaſi totus eſſet anima ? Adverte, modò timuiſſe mortem ; proptereaque vocaviſſe de cœlis ignem, quia noluit ad regem ire cum primo, nec ſecundo principe quinquagenario. Sat Angelus nobis aperuit ejus metum, cùm poſt miſſionem quinquagenarii tertii dixit ad Eliam : *Deſcende cum eo, ne timeas.* Quando timuit Propheta mortem operatus eſt velut homo ; proindeque gravatus corpore. Cùm verò proprium exitum poſtulavit à Domino quaſi beneficium ; tunc, inſpirante Deo, quaſi carnis expers, de ſe loquatur ; ac ſi nihil foret Elias præter animam. Sic mortalem conditionem videtur exuiſſe Barbara virgo, dum gratias agens computavit martyrium quaſi donum Dei.

3. Reg. 19. 4.

Sanct. in com. ib.

4. Reg. 1. 10. 12.

Ib. n. 15.

36. Succedat Virgini Martyri ſolitarius Magnus Antonius : de quo ſcimus, vitæ finem cum gaudio ſuſcepiſſe. Cum hoſte communi pugnans, victoriis promeruit in morte ſecuritatem exultantem. De illo refert ſic Athanaſius Epiſcopus : *Mortem lætus aſpexit, ita ut ex hilaritate vultûs ejus Angelorum ſanctorum, qui ad perferendam animam ejus deſcenderant, præſentia noſceretur. Hos intuens tamquam amicos videret, animam exhalavit*, &c. Notare minimè prætermittam, nos in hac narratione non legere, diſcipulos, qui morti præceptoris aderant, lætatos ex Angelorum præſentiâ fuiſſe. Gaudentem ſolum comperimus Antonium. Sed non eſt cur id miremur : non enim diſcipuli moriebantur ; ſed Antonius. Is peculiare lætitiæ motivum in eo-met vidit, quod nos contriſtat : ſcilicet in ſolutione de vinculis carnis, cujus tempus jam inſtabat. Hoc eſt privilegium amatorum Dei : nempe quòd ea ſunt ipſis læta, quæ cæteris triſtia. Bellè S. Baſilius Magnus : *Anima*, inquit, *quæ ſemel deſiderio Conditoris illigata eſt, & pulchritudine ea quæ illic eſt exhilarari aſſueta, gaudium ac lætitiam ſuam, præ varietate caſuum ac mutationum carnalium affectionum, non tranſmutabit. Sed quæ aliis triſtia ſunt additamentum lætitiæ faciet.* Utque nequaquam exiſtimes, hoc tantum verificari de mæſtis accidentibus priùs quàm mortis tempus adſit ; lego Baſilium eumdem, ut agnoſcas quàm ſit pretioſus obitus juſtorum, & perconſequens gaudio dignus. *Verum*, ait, *exitus & hinc deceſſus pretioſus eſt & illuſtris, non omnium hominum, ſed eorum qui ſanctè & juſtè vitam hanc tranſegerunt. Pretioſa igitur eſt mors, non pretioſa hominum nativitas. Seminatur, enim, inquit, in ignominia, ſurgit in gloria, ſeminatur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate.* Nec vulgaris juſti laus eſt, nec omnibus data, quòd in tempore mortis gaudeant. Hac exultatione vir perfectus indicat, ſe Spiritu ſancto plenum, ſi cùm propinquus eſt morti, faciem præ ſe tulerit hilarem.

Plenum ſe Spiritu ſancto juſtus indicat, ſi propinquus morti faciem præ ſe fert hilarem.

S. Athanaſ. Epiſ. Alex. in vit. S. Anton. M. ante fi.

S. Baſil. Mag. hom. 4. inter var.

Idem hom. 29. in Pſal. 115. longe ante fi.

37. Protomartyr Stephanus raptus quaſi reus ad concilium, dixit egregia multa : tandemque Judaici populi reprehendit ſcelera. Stridebant auditores dentibus in eum, quaſi leones inhiantes ad laniationem prædæ. Tunc enarrat S. Lucas ita : *Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei.* Curioſiùs inveſtigabis, quare non dicitur, vidiſſe necnon Spiritum ſanctum ? Fortaſſis, ut etiam (humano more loquimur ; ſed patentes immenſitatem divini Spiritûs) in hoc agnoſceres, Anteſignanum pro Chriſto morientium, plenum Spiritu ſancto fuiſſe tunc temporis. Et quamvis hoc non haberemus ex ipſo Textu ſacro ; poſſet id

Act. 7. 55.

colligi

colligi non leviter ex ipsâ facie Stephani: quæ tam hilaris fuit ibi, cum appropinquaret Martyris mors. *Viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.* S. Hilarius Arelatenſis: *Abundantia cordis*, ait, *tranſiit in decus corporis: in exterioris gloria, candor interioris exundat: & abſcondita pectoris ornamenta, ſpeculum frontis irradiant: habens intra ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtat Angelicum. Nimirum tali eum vultu internus habitator induerat, qualem regni in templo* (fortè legendum: *Regis in templo*) *templi indicat pulchritudo: & ideo ineffabili repletus exultatione teſtatur*: Ecce video &c. Quidni faciem exhiberet lætiſſimam propinquus morti juſtus, qui plenus erat Spiritu divino? Prædicta lætitia ſignum eſt inhabitantis Paracliti. Templum ejus erat Antonius: non eſt cur admiremur in morte lætum.

Ib. c. 6. 15.

S. Hilar. Arelat. hom. de S. Steph. quæ circumfertur ſub nomine Euſeb. Gallic. juxta med.

38. *Juſtus non de morte, ſed de mortis dilatione conflictatur.*

Nunc ad inclytum pertranſeo Martyrem Vincentium; quem ſepulturâ decoravit felix Ulyſſipo. Notiſſimum eſt, quàm inſignem pertulerit agonem, cum ſævitie pugnans conſtanter. Debacchata fuit in eum crudelitas; ſed prævaluit amor, ita quòd ipſo patiente, dum placidâ tranquillitate perſtabat in acie miles invictiſſimus, alius videretur ejus loco pati. Notandum eſt ad rem noſtram ex Auguſtino quod ipſe de S. Vincentio protulit. *Quo Dei Martyr duriori urgebatur pœna, eò ampliori confeſſionis exultabat conſtantia.* Memini, referente nobis eodem Auguſtino, quòd in carcere poſitum recreaverunt Angeli, cœleſtem pangentes harmoniam. *Fovebat laceros artus medica Dei manus & venuſtiori priſtinæ ſanitatis augmento, foſſi lateris damna ſupplebat. Inſolita igitur hujus luminis claritate perculſi, obſtupuere cuſtodes, quin & vocem, Angelis hymnum Deo concinentibus, mens pallidi janitoris expavit.* Dubitabam, quare non Angeli cecinere potiùs, cum ingrederetur Vincentius Jeruſalem triumphantem? nonne lærati ſunt ad ejus ingreſſum? Doceat Auguſtinus. *Ad cujus*, ait, *ingreſſum Angelici lætantur ſpiritus*, &c. Qua de cauſa vincto, ſed invicto concinunt in carcere; non autem ſic dum cœlos ingreditur? Puto, voluiſſe mœſtum de mortis dilatione conſolari muſicis accentibus. Amator Salvatoris nequaquam de morte ſuâ mœret; ſed potiùs quòd obitus differatur eidem. S. Ambroſium non omittam: ex cujus doctrina rationem dicti deduces. *Si vita oneri, mors abſolutioni: ſi vita ſupplicio, mors remedio*: & infra: *Non igitur nomen te mortis offendat, ſed boni tranſitûs beneficia delectent.* An vitam loco ſupplicii non computas, & oneris? Ad Ambroſium redi, quò doceris qui cæcus ad experientias connives. *Nulla poteſt eſſe jucunditas inter has vitæ noſtræ amaritudines aut dolores, quæ vel ex corporis ipſius infirmitate, vel extrinſecùs accidentium incommoditate generantur.* Hinc fit ut anima cupiat ergaſtulum corporis dimittere, ſi non capitur illecebris miſerabiliter. Adhuc in audiendo Præſule Mediolanenſi perſiſtam. *Quantò magis anima noſtra corporeum iſtud evadere geſtit ergaſtulum, quæ motu aëreo libera, neſcimus quò vadat, aut unde veniat? Scimus tamen quod corpori ſupervivat, & ea, jam depoſitis proprii ſenſus repagulis expedita, libero cernat obtutu, quæ ante ſita in corpore non videbat.* Ex his, & aliis deducitur quare ſit verum quod pronuntiaveram: nempe, juſtum non affligi de propriæ mortis adventu; ſed potiùs de illius protelatione conflictari.

Ib. c. 6. 15.

S. Ambroſ. to. 1. l. de bon. mort. c. 4.

Idem to. 4. l. de fi. reſurrec. longe poſt princ.

Idem ib. infra.

Ore Davidico Salvator quondam locutus eſt antelucanè de morte ſuâ, dicens per os Davidis: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum* &c. Commentatur Bellarminus ibi: *Sed longè ſignificantiùs hæc omnia Chriſto conveniunt*, & infra: Soporatus ſum, *id eſt, ſomno mortis verè conſopitus ſum*, &c. Alio Pſalmo Redemptor etiam per Davidem fatur, non de morte; ſed potiùs de vita ſua, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: &c. Bellarminus idem: *Totus hic Pſalmus convenit quidem omnibus electis, ſed præcipuè capiti electorum Chriſto, quatenus viator erat, ſecundum carnis paſſibilis conditionem.* Et infra: *Veriſſimè dicere potuit*, Incolatus meus prolongatus eſt; *cum in Evangelio dixerit*, Generatio adultera, & incredula, quandiu apud vos ero, quandiu vos patiar? Hucuſque Bellarminus. Quid eſt hoc? de vitæ duratione gemiſcit Chriſtus Dominus? mortem verò ſomnum appellat? Nihil mirum; cum ſummâ dilectione Patrem proſequeretur; ad quem iturus erat per interitum. Hunc igitur computabat quaſi requietionem dormientis; at vitam, quia per eam differtur mors, gemitu dignam exiſtimavit. Sic imitatores Chriſti, quamvis à longe veſtigiis ejus inſiſtentes, non de morte dolent; ſed potiùs ingemiſcunt, ſi differatur. Mœſtum expendo Vincentium, dum non feſtinabat mors in carcere: tunc oportuit recreari muſicis Angelorum concinentium vocibus; non verò tempore, quo jamjam vitam claudebat: nam tunc exultabat; quia finis aderat laborum. Anxiatur in vita; *ſperat autem juſtus in morte ſua* lætabundus.

39. Pſal. 3. 6.

Bellarm. in com. ib.

Pſal. 119. 5.

Bellarm. ib. ante fi.

DELIBATIO IV.

Proſequor tituli præcedentis materiam.

LEvitæ Martyri ſubjiciemus Epiſcopum; Vincentio Blaſium: nec de prælatione lis erit. O quam fiducialiter ac lætanter excepit milites præſidis: qui cum veniſſent eum ad tyrannum delaturi, velut nuntii mortis erant. Lege Metaphraſtem. *Euntes autem*, inquit, *in montem qui miſſi fuerant milites, & ingreſſi ſpeluncam, invenerunt ſolum Sanctum orantem, & laudantem Dominum; & dixerunt ei: Egredere, vocat te præſes. Cum eos verò vidiſſet ſanctus Blaſius, valde lætatus eſt, & dixit: Adeſte, eamus ſimul ô filii, meî enim recordatus eſt Dominus. In hac enim nocte ter mihi apparuit, dicens: Surge, offer mihi ſacrificia pro more tui ſacerdotii. Nunc ergo filii mei, bene veniſtis.* Sciebat Antiſtes præclarus, in cœle-

40. *Amor juſti perfectus remuneratur certitudine futuri martyrii.*

Sime. Metaphraſ. in vi. S. Blaſ.

ſtibus caſtris militare ſe : propterea venturus ad prælium poſtremum , nequaquam trepidabat ; cum ſic illi forent commutanda caduca pro perpetuis ; & aperienda via , qua tenderet ad Chriſtum regnaturus : Appoſitè S. Cyprianus ait : *Agnoſtere enim ſe debet fratres dilectiſſimi , qui Deo militat , qui poſitus in cœleſtibus caſtris divina jam ſperat , ut ad procellas & turbines mundi trepidatio nulla ſit in nobis , nulla cunctatio ; quando hæc ventura prædixerit Dominus* , &c. & infra : *Jam terrenis cœleſtia , & magna parvis , & caducis æterna ſuccedunt. Quis hic anxietudinis & ſollicitudinis locus eſt ? Quis inter hæc trepidus & mœſtus eſt , niſi cui ſpes & fides deeſt ? Ejus eſt enim mortem timere , qui ad Chriſtum nolit ire : ejus eſt ad Chriſtum nolle ire , qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare.* Vigebant ſpes atque fides in Blaſio : quid metueret ? Imo crediderim , ejus dilectionem ſuſcepiſſe non vulgare præmium , dum certior factus eſt , quòd mortem foret pro Chriſto ſubiturus. Cum perfectus exhibetur amor eximius , tunc remuneratur non modicè per certitudinem futuri martyrii.

S. Cyprian. l. de mortalit. poſt pr.

41. Sæpius mente verſabam , quid cauſæ fuerit , cur Dei Filius non prædixerit Petro mortem violentam cùm Apoſtolus obſtare deliberavit Magiſtro , ne mortem ſubiret , manibus hominum inferendam , dicens : *Abſit à te , Domine : non erit tibi hoc.* An divinus Præceptor non conſentaneè tunc reſpondiſſet Petro : Mortem diſſuadere conaris mihi , pati volenti ? Sic ego cor tuum commutabo , quòd pro me tu mortem ſubibis ? Quare non ſic ad Simonem tunc locutus eſt ? Quia Principis Apoſtolorum dilectio tunc temporis perfecta non extitit : ac proinde minimè digna protunc erat quòd afficeretur adeo nobili præmio ; quale fuiſſet martyrii futuri certitudo. Simonis exerravit amor ibi , ſic ut adverſatus fuerit voluntati dilecti ſui. Ad illud : *Scandalum es mihi* : quod aliter legit Euthymius , habet ſequentia Commentator : Obſtaculo mihi es. *Impedimento mihi es , adverſarius meæ voluntati.* Cum eâ tempeſtate dilectio Petri non exhibuerit ſe perfectam , non promerebatur adeo grande præmium : nempe certiorem fieri , quòd futurus eſſet martyr ; imo gravi feritur increpatione Domini juxta Maldonatum , dicentem : *Sed hoc loco dubium non eſt , quin oratio ſit faceſſere jubentis , quemadmodum Satanæ idem Chriſtus dixit cap. 4. 10.* Vade &c. Poſt negationem lapſus fortior exurgens amor Petri perfectum ſe deprompſit in dilectionis confeſſione trinâ. Tunc Dominus retribuit ei per amoris eximii ſignum : nempe certificans ipſum de martyrio , quod perpeſſurus erat , inquiens : *Cum eſſes junior , cingebas te , & ambulabas ubi volebas : cum autem ſenueris , extendes manus tuas , & alius te cinget , & ducet , quò tu non vis.* Ad quæ verba S. Joannes Chryſoſtomus ait : *Et cum dicat quantum eum diligat , prædicit & martyrium , quod paſſurus erat : oſtendens quod non ob ejus diſſidentiam id diceret , ſed quod maximè crederet , volens amoris in eum ſignum demonſtrare : & erudiens nos , quonam pacto amandus ſit , quare inquit* : Cum eſſes &c. Voluit Salvator afficere præmio Simonis affectum præclarum : ſatis largus remuneravit eumdem , cùm de martyrio certioravit eum. Hoc Blaſius agnoſcens , jure lætatus eſt.

Matth 16. 22.

Euthym. com. in Matth. 16. 23.

Maldon. ib.

Ioan. 21. 18.

Chryſoſt. to. 3. hom. 87. in Ioan. poſt princ.

42. *Juſtus in morte lætus meditetur oportet mortem Chriſti Domini.*

Ab Epiſcopo tranſeamus ad Minoritarum Abbatiſſam perilluſtrem Claram : quæ , licet non fuerit percuſſa tortoris gladio , tamen & mortem præſtolata fuit confidenter ; ſciens , per illam ſe feliciter ad Sponſum fore migraturam. Adventabat ei fatalis hora : quam oderunt plures ; & ferè cuncti formidant. Quid ipſa tunc animæ ſuæ dixit ? *Anima mea perge ſecura : nam ducem optimum habes in hoc itinere.* Tam extraordinaria ſecuritas in pectore Virginis conſiſtebat ; ut oportuerit cavere ſibi , ne decideret in præſumptionem , adhibito remedio præſentiſſimo , quo præmuniretur à ſuperbia. Hac mente forſan curavit ut Chriſti Domini paſſio legeretur in ipſius conſpectu , cum veſtibula mortis jamjam pede tereret victrici Noverat adeſſe periculum cadendi quandiu vitæ durat : dixit enim Bernardus : *Omnis enim , qui adhuc in adjutorio habitat , non in regno : & frequenter opus habet fugere & interdum cadit.* Meminerat , fiduciam juſtorum niti meritis Dominicæ paſſionis : hanc voluit auribus ejus inſonare , ne fiduciâ degenerante miſerabiliter in elationem , arrogaret ſibi quod Sponſo debuit. Congruit juſto præ oculis habere mortem Salvatoris ; ut non in præſumptionem ruat , cùm lætatur moriens. Valde lætus animus non minùs aliquando turbatur plurimùm gaudens ; quàm perturbaretur nimio mœrore. Quapropter exitum feliciter expectans , ne deſpiciat præſumens , lætitiâ multâ ſuadente ; meditetur oportet morientem Chriſtum ; quò ſic non obliviſcatur , confidentiam ſuam reponendam in Aſſertoris interitu : qui nobis attulit ſecuritatem iſtam , & gaudium promeruit.

Apud Ribad. in vi. S. Claræ.

S. Bernard. ſer. 2. in Pſal. *Qui habitat* &c. in princ.

43. Agnovit cœlitus Dimas illuminatus Chriſtum regem , atque dominum ; quantumlibet viderit eum ſupplicii ſui conſortem. Rogavit eumdem , ut ipſius meminerit cum veniſſet ad regnum. Supplicatio Latronis obtinuit fortunatè plus , quàm poſtulaverat : Dominus enim dixit ad illum : *Hodie mecum eris in paradiſo.* Non examino quid nomine paradiſi veniat hoc loco. Quidquid illud ſit , exurgit eadem dubitatio. Socium Redemptoris in paradiſo Dimam futurum , Dominus repromiſit. Colligimus tamen ex Evangeliſta Joanne , Filium Dei priùs mortuum , quàm latronem : narrat quippe ſacer Hiſtoriographus , veniſſe milites , ac fregiſſe crura latronum : & poſt ait , vidiſſe Jeſum jam emortuum : qui modus loquendi ſatis inſinuat , Salvatorem priùs tradidiſſe ſpiritum , quàm Dimam. *Venerunt ergo milites : & primi quidem fregerunt crura , & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent , ut viderunt eum jam mortuum , non fregerunt ejus crura* : &c. Hoc videtur non oblitum fuiſſe Cardinalem Toletum

Luc. 23. 43.

Ioan 19. 31. 33.

Cardin. Tolet. ib. in com.

Toletum cùm dixit : *Veniunt ergo milites juſſa Pilati executuri, invenerunt*que *duos latrones cum Chriſto crucifixos vivere : idcirco eorum crura fregerunt : non enim frangebantur, niſi ut citiùs morerentur*, &c. En Salvator, qui dixerat, Latronem cum eo futurum in paradiſo, moriens abit ; & relinquit eum viventem in Calvariæ monte. Cur ita ? Credo, motivum fuiſſe, quòd magnam concipiendæ lætitiæ rationem Dimas habuit, ſimulque fiduciæ de pretioſa morte ſua. Congruentiſſimum extitit ut vivus morientem Chriſtum Dominum cerneret : ne de ſe præſumeret ; ſed potius felicitati ſuæ præire conſpiceret mortem Filii Dei, tamquam effectui cauſam : ſeu, quò dicam apertiùs, congruebat quòd Latro videret, Chriſtum præcedere morientem, ut ſibi locum requiei libens aperiret. Diſcrimen ſuperbiæ dum vivimus adeſt. Hoc non latebat virginem Claram. Quamobrem, cum ſecura tranſitum expectaret, voluit Salvatoris paſſionem (cui nituntur ſpes noſtræ) in memoriam revocare, ne cæcutiret præſumens ; imo potius totum referret cor ejus in Sponſi paſſionis merita.

44. *Juſtus eligit ut melius vitæ finem, quàm augmenta meritorum cum diſcrimine.* Alap. in Prover. 14. 32.

Meditanda nunc venit fortitudo, licet penè morientis Hieronymi, necnon & ingemiſcentis ; at quamvis corde gemeret, gaudebat, quaſi cervus, cum ſitit, atque tendit ad aquas. Obitui proximus dixit Doctor maximus apud Cornelium. *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Optimè noverat ille quanto bono privaretur dum vita maneret : quidni mortalitatem deponere ſitiret ? Bellè Præſul Valentianus : *Quis inquam vitam ſuam patienter & æquo animo ſuſtineret, ſi quanto bono privatur, diſtinctè cognoſceret ? O carnis meæ ingratiſſimum velum, quantâ lætitiâ me privas ? quid me detinet, quòd meis te manibus non dirumpo, ut Deum meum videam, & ipſo fruar, & in ipſo requieſcam ?* Inexplebilis eſt animæ ſitis quandiu moratur in terris. Etſi plurimum potaverit de fontibus Salvatoris, adhuc amplius ardet ebibere ; donec torrente voluptatis potetur, & potiatur in cœlis.

S. Thom. à Villa no. ſer. 2. Dom. 17. poſt Penteco. longe ante med.

S Greg Nyſſen. or 4. in Cant poſt med.

Audi Nyſſenum, cujus hæc ſunt verba : *Quàm multa conſecuta eſt anima hactenus, & adhuc ſitit : imo tanta ſitis eſt vehementia, ut crater ei ſapientiæ non ſufficiat, neque ſatis eſſe ad ſitim extinguendam exiſtimet, craterem totum in os infundi : ſed ipſam in domum vini cupiat introduci, & ſub torcularibus ipſis os adhibere, quæ abundanter vinum illud ſuave effundant, ac videre botrum, qui in torcularibus prematur : vitem, quæ racemum talem protulerit* : &c. Verum quidem eſt, perfectos viros, dato quòd in hujus vitæ peregrinatione detinerentur diutiùs, acquiſituros eſſe majores meritorum cumulos. At noverunt diſcrimini ſubeſſe totam copiam, ne per unicum peccatum grave deperdant facultates omnes, atque depauperentur. Vellent igitur potiùs in tuto collocare quod lucrati ſunt ; quàm ulteriùs negotiari cum formidine jacturæ cunctarum poſſeſſionum : propterea mortem læti præſtolantur. S. Dionyſius Areopagita : *Illi ſancti*, ait, *qui ſe totos Chriſtiformem ſortem percepturos cognoverunt, ubi ad hujus vitæ finem acceſſerint, viam ſuam ad incorruptionem, quaſi jam propinquiorem factam, intuentes, ſummi Dei munera collaudant, divinaque voluptate adimplentur, non jam amplius perverti metuentes, ſe probè cognoſcentes, ſe bona parta firmiter perpetuóque poſſeſſuros.* Cum hæc ita ſint, familiare juſtis eſt, ut ſibi melius, eligere vitæ curſum claudere ; quàm illam producere, quò ditentur meritis amplioribus.

S Dion. Areop. l. de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 7 §. 2. med.

Scribens ad Philippenſes Paulus aiebat : *Coarctor autem è duobus : deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius* : &c. Commentatur D. Anſelmus : Coarctor *enim, id eſt, confringor, & compellor* è duobus *iſtis, id eſt, ex morte & vita, quia delectabiliter morerer, & patienter vivo*.... & eſſe cum Chriſto *præſentialiter in cœleſti patria*, multò magis melius *quantum ad me, quàm in præſenti ſæculo vivere* : &c. Conſonat S. Joannes Chryſoſtomus in eorumdem verborum commentario, ſic : *Hoc itaque quod nos expaveſcimus, ille exoptabat etiam & ad hoc ſummopere anhelabat, diſſolvi dicens longe eſſe melius.* Mirari non deſinam hoc Apoſtoli deſiderium. Nonne, cum Dei adjutorio, confidebat ille, ſe virtuoſis operibus aggregaturum fore plura merita, ſi diutiùs permaneret in carne ? quomodo ſibi putavit melius fore coronidem imponere vitæ ? Ratiocinabitur negotiator optimus prudenter q. d. Uſquemodò ſum lucratus animæ bona, quia non fuit in me vacua gratia Dei. Si diu ſupervixero, confido lucraturum amplius fore Sed quis me reddidit expertem diſcriminis peccati lethalis, quo tam inops fiam, ut acquiſita cuncta perdam ? nonne melius erit mihi ponere jam quæ poſſideo penitus extra omnem aleam ; quàm ſub ſpe majora conquirendi vivere naufragii periculo expoſitum ? an utilius non eſt ſecuritatem in conſpectu Chriſti conſequi ? Prudentiſſimum negotiatorem laudemus : & ſolertem imitatorem adjungamus Hieronymum : qui, cum per Dei gratiam valeret aggerare de novo theſauros, ad cœleſtia ſuſpirabat ; ubi diſcriminibus cariturum eſſe noverat.

45. Ad Philipp. 1. 23.

S Anſel in com. ib.

Chryſoſt. to. 4. hom. in Epiſt ad Philipp in pr.

Melliflui Bernardi fiduciam, qua mortem ſibi cupiebat, expendamus conjunctam prudenti formidini. Confidentiam prorſus timore deſtitutam ſciebat ille, non difficulter in præſumptionem tranſmutari : propterea ſimul confidens rogabat, obitum ſibi poſtulari tamquam donum Dei ; formidabatque de carnis fragilitate, ſe peccatorem vocans humiliter. Alamanus ex epiſtola quadam S. Doctoris refert ipſum ſcribentem ſic : *Spiritus promptus eſt in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempeſtivum jam exitum non differat ; ſed cuſtodiat.* Preces alienas implorabat, ut per eas à Domino conſequeretur ne mors differretur ultra : quippe non ignorabat ipſam Dei dilectoribus inter lucra fore computandam.

46. *Juſtus gloriam præſtolatur, miſcens fiduciam timori.*

Alaman. in vit. S Bernar. longe ante fi.

tandam. Id potuit ex Ambroſii doctrina didiciſſe, qui ſic habet: *Quid enim ſi mors illata fuerit? nonne lucrum eſt maximum, occaſionem invenire, qua citius eatur in regnum promiſſum?* Attamen ſecuritatem fiducialem, quam & inſinuato deſiderio funeris, & aſſertâ ſpiritûs promptitudine Bernardus teſtatus eſt, cauto pavori miſcuit, ſe peccatorem non obliviſcens reputare. Ita quidem oportuit ſpem timori ſociam adhibere: nam D. Antonius Ulyſſiponenſis ait: *Et ne ſpes præſumptione corrumpatur, debet timor conjungi* &c. Et alibi loquens de timore, atque ſpe: *Unus igitur illorum ſine altero ſolus, cadit in via: nec per ſe nec ab alio ſublevari poterit, ſed amplius profundatur. Similiter ſi ſpes ruat, nunquam elevatur niſi per timorem* &c. Sperat equidem juſtus felicitatem æternam; ſed ita quòd timorem jungat confidentiæ: fiduciæ non valedicit; nihilominus motivum quærit formidandi.

S. Ambroſ. to. 3. com. in Epiſt. ad Rom. c. 8. ad fi.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. infra oct. Epiph. longe poſt princ. Idem ſer. Dom. Palmar. longe poſt med.

47. Duplicem Apoſtoli componamus locum, primâ facie mutuò repugnantem. In Epiſtola poſteriori ad Timotheum ſalutem æternam propriam depoſitum appellavit: *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Commentatur S. Ambroſius: *Quid autem illi commendat, niſi ſalutem ſuam? ut hic pro illo patiens, ſalutem inveniat penes illum cum cœperit judicare: ut puniens infideles, iſtum dignum æternâ vitâ pronuntiet.* Jam inſinuat nobis Ambroſius rationem dubitandi: ſed vellem ipſam ex eodem calamo Pauli mutuari. Epiſtolâ citatâ ſcribit poſtea ſic: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex*: &c. Equidem in judicio perſonæ ſunt diverſæ judex, ac depoſitarius. Quid ergo ſcribit Apoſtolus? Deum nominat quaſi cuſtodientem depoſitum, id eſt, cœleſte bravium; & poſthac Dominum appellat judicem redditu um idem præmium? Sapienter utiqu,. Qui depoſuit rem ſuam apud fidelem confidit recepturum eamdem quotiesv oluerit. Ecce fiducia Pauli: *Depoſitum meum* &c. Qui verò meminit judicis potentis rem auferre puniendo, trepidat. En timor Apoſtoli. Simul ſperabat confidens, quod *ſalutem inveniat penes illum*, qui veluti depoſitarius erat ipſius; formidabatque Dominum; quem non obliviſcebatur puniturum finali die mundi. Nec ideo tamen juſtus quia timet, ſperare deſinit confidenter, mortem exoptans, ut in exemplo Bernardi ſatis claret.

2. ad Timoth. 1. 12.

D. Ambroſ. in com. ib.

Ad Timoth. 2. c. 4. 8.

48. *Juſtus ita lætus mortem aſpicit, ut huic lætitiæ non miſceatur amaritudo.*

Claudat Sanctorum agmen iſtud Minorum Patris optimus filius D. Petrus de Alcantara; viva Parentis imago Matriſque ſuæ decus veluti primitivum. Hunc ſcimus, animo gaudenti expectaſſe finem, quem pavemus omnes, atque lætitiam cordis pronuntiaſſe verbo, dicentem apud Cornelium Alapide: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus.* O tranquillum viri fortis animum! ô ſpei robur, quæ mortalibus mœſta lætificat! quomodo non lætus è bello veniat miles ad pacem? Proficit audire S. Dionyſium Areopagitam. *Hinc fit*, ait, *ut ſanctorum obdormitio ſit in lætitia certiſque ſpebus, dum ad certaminum divinorum finem venit.* Et infra: *Quoniam autem in ſanctorum obdormitionibus nihil horum accidit, is qui properat ad finem certaminum ſuorum ſanctâ quadam lætitiâ completur, magnaque cum jucunditate ſacræ regenerationis iter ingreditur.* Fateor, juſtum non ſemel in vita mortali, beneficio Creatoris providentis, exultatione perfundi: ſed hilaritates hujuſmodi ſuas patiuntur mixtas amaritudines: præſertim, quia gaudium illud non eſt immune curâ ſollicitâ nimis. Cum verò tandem venitur ad vitæ pretioſum exitum, datur ei generis alterius lætitia; ſcilicet non amarori commixta, ſed pura. Statuamus, juſtum ſic aſpicere mortem amanter, ut gaudio ſuo nihil triſte commmiſceatur: totum quippe mœrorem videtur abſorbere dilectionis illius dulcedo maxima.

S. Dionyſ. Areop. l. de Eccleſiaſt. Hierar. c. 7. §. 1. ſi & §. 3.

Jobum conſulamus, in triſtibus, atque lætis expertum. Ut ille ſignificaret, ſe mortem non horreſcere; cum degeret anxietatibus innumeris undique petitus, aiebat: *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Quæ putredini vermibuſque dicta ſunt (cum iſtorum cauſa mors extet, effectuſque pro cauſa ſæpe ſumantur) accipe quaſi morti dicta fuerint. Videtur hoc manifeſtum: ſed non ideo tacebo commentarium Pinedæ dicentis de Job: *Ut oſtendat mortem ſibi in votis eſſe, cunctis illam amicitiæ, & neceſſitudinis nominibus compellat; illis præſertim, quæ pietatis cultum, & reverentiam afferunt, qualia ſunt parentum, quos chariſſimos nobis natura dedit; ut ſignificet ſe non ſolum amare mortem, verùm etiam venerari, & colere, & velut rem ſacram exorare, & advocare in ſuum patrocinium.* Præbet anſam Commentator, dum ait, Jobum cunctis amicitiæ neceſſitudiniſque nominibus compellare mortem, ut inquiramus, qua de cauſa non fuerit uſus nomine filiali, mortem ſcilicet appellans filiam? Fallor niſi propterea nomen filiæ tacuit, quia patris gaudium, cum filiam intuetur, ſuos patitur ſecum, & non modicos mœrores, coquòd fœmina propter ſummam fragilitatem, quò magis exhilarat pulchritudine parentem, eò plùs angit honoris præmeditato periculo. Hæc ratio ceſſat cum filius lætatur de conſpectu parentum (& etiam in ſorore non urget valde, ſi genitores vivunt, quibus incumbit de illâ curare) quapropter exultatio visô patre, genitriceve, dulcedinem ſibi vendicat non felli mixtam. Job ergo, quò denotaret, ſperare ſe ſic aſpicere mortem lætanter, quòd ejuſmodi gaudium nullâ mœſtitudine turbaretur; nomen filiæ tacuit (cum alia tribueret morti) quod parentes reddit ſollicitos identidem. Impius quidem funeſtam experietur vitæ clauſulam; *ſperat autem juſtus in morte ſua* lætanter.

Iob. 17. 14.

49.

Piñed. in com. ib.

Apud Corn. Alap. in prov. 14. 32.

DELI

DELIBATIO V.

Miſerum eſt puniri pro ſubditorum culpis. Increpantur mittentes radices in caducis. Spes in Deo locata vicem gerit poſſeſſionis. Deo placet juſti ſpes de morte.

50. *Miſerabile dictu quòd pro culpis eorum puniaris, qui tuæ curæ ſunt commiſſi.*

IN *malitia ſua.* Meminerint illi, quibus aliorum cura committitur ex munere, quòd ſi præſtaverint iſtud impiè, de vita forſan ideo pellentur, & non ob malitiam tantùm ſuam; ſed etiam propter alienam. Miſerum eſt hoc. Sed cur non punietur propter aliorum peccata gubernator improbus; cum ſubditorum ſcelera computentur ipſi tamquam propria? Legito Seresberienſem. *Princeps enim*, ait, *tenetur de omnibus, & omnium author eſſe videtur, quia cum omnia poſſit corrigere, eorum meritò particeps eſt, quæ noluit emmendare.* Et infra: *Nec diu ſubſiſtit incolumitas capitis, ubi languor membrorum invaleſcit.* Inter caput & membra nexus eſt multus in corpore myſtico. Non tantùm ſi caput dolet, omnia membra dolent; ſed econtrariò languentibus membris, caput non eſt ſanum. O quàm pertimeſcendum eſt prælati grave onus! Trepidat quivis noſtrûm, cùm venit in mentem, ſe de factis propriis rationem redditurum: quis non totus contremiſcet in faſtigio poſitus, dum cogitatione revolvit, non ſolùm de propriis geſtis examinandum; ſed etiam de ſibi commiſſorum vitâ? Accipe S. Laurentium Juſtinianum. *Unuſquiſque*, ait, *namque pro ſe redditurus eſt rationem: prælati verò pro ſeipſis, & pro commiſſis reſpondere cogentur. Si autem pro ſe vix reperitur qui ſatisfacere valeat: quomodo qui præſunt, pro ſe, & pro multis?* Res miſerabilis eſt, ut is, cujus curæ ſubeſt alter malus, pro culpis ejuſdem ſupplicium ferat.

Ioan. Seresber. l. 4. de nug c. 12. ad fin.

S. Laur. Iuſt. l. de diſcip & perfect. monaſ. conver. c. 9. longe ante med.

51. Heli ſacerdos filios fuit ſortitus malos: nec, ut oportuit, ſeverè nimis correxit eos. Denuntiatum eſt patri ſupplicium à Domino per virum Dei. *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in univerſis proſperis Iſraël*: &c. Per Samuëlem necnon Dominus ei comminatus eſt: nam Samuël audivit: *In die illa ſuſcitabo adverſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum ejus: incipiam, & complebo.* Et infra dicitur: *Indicavit itaque ei Samuël univerſos ſermones*, &c. Adnotabam, quòd cum peccaverint geniti, punitique fuerint morte, nequaquam Dominus hoc prædixerit eis. An Deus non intendebat etiam emmendationem filiorum Heli? Salianum audi. *Denuntiat*, ait, *cladem imminentem familiæ Heli: quod mox per Samuëlem quoque Deus facturus eſt; ut ſæpius, atque à pluribus admoniti & pater & filii corrigantur*, &c. Cur, quæſo, non ad ipſos filios perſonaliter denuntiatio pœnæ facta fuit; ad patrem verò maximè ſemel ac iterum? Exiſtimo, tactum fuiſſe Dominum peculiari miſeratione de parente: quia miſerum ſatis erat, ipſum pro gnatorum criminibus puniri. Memento Bleſenſem, qui ſcribit ſic: *Heli pro peccato filiorum ſuorum punitus eſt.* Miſerandum nimis eſt infortunium voluntarium eorum, qui ſic munera gerunt, ut pro ſibi commiſſorum delictis dent pœnas. Nullus iſtorum putet, ſolùm de peccatis propriis imminere flagellum; quamvis audiant Salomonem dicentem: *In malitia ſua.*

1. Reg. 2. 31. 32.

Ib. c. 3. 12. 18.

Salian. apud Cordub. in Cat. ad 1. Reg. 2. 31. n. 19.

Petr. Bleſ. ep. 25. longe ante fi.

Expelletur impius. Vertit Author catenæ Græcorum hoc loco: *Impius propter malitiam ſuam expelletur, & proſcribetur.* Idque ſic exponit: *Impius, inquit, ob ſuam malitiam expelletur, & eradicabitur è terra*, &c. Decipitur inſipienter quiſquis exiſtimat, ſe radices figere validas in temporalibus: fluxa vanaque ſunt cuncta; quæ nos exultare faciunt mundo morem gerentes. Moraliſſimè S. Gregorius Papa: *Quidquid enim*, ait, *in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, aut proſperum cernitur, vanum profectò eſt: quia difficilè habetur, & citò amittitur.* De cunctis mundi bonis aſſeri valet id, quod paſſim de divitiis proferimus, & habemus apud S. Ambroſium inquientem: *Fluenta ſunt quæ miraris: quomodo veniunt, ſic tranſeunt, & recedunt.* Non ſolis hoc facultatibus convenit: & cætera, quæ de manu ſæculi ſuſcipimus læti, penitus extant evanida: quia necnon inſtabilitate laborant. Fruere S. Petro Damiano. *Quis*, ait, *eſt enim cui ſe fortuna non transferat: & modò de adverſis in proſpera, modò de proſperis in adverſa, ſenicâ ſe varietate convertat?* Hæc dictat ratio, clamant experientiæ. Nihilominus mortales ita confidunt ſuperficiei rerum terrenarum, quòd exiſtiment, ſe valere fortes in ipſis mittere fibras; cum lateat inconſtantia ſub apparenter ſolidâ terræ ſuperficie: quâ tutum non eſt radicem committere; velut ſi poneretur in aquis. Cuncta mundialia fluunt; & imitantur aquarum ingenium: proindeque nihil ibi radicare conabitur non inſanus. Ipſi tamen ſectatores mundi fatuè contendunt firmare ſtabiles radices in eo, quod ſtare neſcit.

52. Author cat. Græ. Prov. 14. 32. *Homines contendunt mittere radices in caducis.*

D. Greg. Mag. to. 2 l. 5. in c. 12. l. 1. Reg c. 2. longe poſt med.

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 61.

S. Petr. Damian. l. 7. ep. 5. longe ante fi.

Apud Ezechielem ſub emblemate plantationis deſcribitur elevatio Matthaniæ facta per Nabuchodonoſor, ut regnaret in Jeruſalem. *Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine, ut firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud.* Exponit S. Hieronymus: *Qui protulit de ſemente ejuſdem terræ, id eſt de ſtirpe regiâ, Matthaniam patruum Jechoniæ: cujus vertit nomen, & vocavit eum Sedechiam: & poſuit regem in Jeruſalem, multiſque præfecit populis. Et tamen in ſuperficie poſuit illum: nec poteſtatem ejus alta imperii radice firmavit.* Contradicere ſibimetipſi videbitur Ezechiel: nam ſimul ait, regem hunc plantatum ſuper terram: *Poſuit illud in terra* &c. & voluiſſe quòd firmaret ſuper aquas radicem: *Ut firmaret radicem ſuper aquas multas*: &c. Arduum non erit iſta duo nectere, de quibus ratio dubitandi conſurrexit. Superficies, inquam, terræ præ ſe fert ſo-

53. Ezechie. 17. 5.

D Hieron. to 5. l. 5. in Ezechie. ib.

liditatem ; quamvis inconſtantia velut aquarum ſubter eam lateat. In illa ſuperficie jacit homo ſemen, cupiens ut ibi radices agat ; ſed latens, ut ita dicam, aqua facit, ut ſit inconſtans quod plantatur ibidem. Nec obſtat quòd apud Prophetam legamus : *Ut firmaret radicem* &c. Quia poſſumus hoc interpretari quaſi conatum ; non autem velut effectum integro firmum robore. Proderit legere commentarium Cardinalis Hugonis. *Nec eſt contrarium*, ait, *quod dicit eum firmatum, & in ſuperficie poſitum. Firmatus enim, id eſt, ſuper aquas, id eſt, ſuper populos ignobiles & mobiles :* & infra : *Sic ergo voluit eum firmare ſuper populum, ut eſſet contra ſe infirmus. Et hoc nota etiam per metaphoram. Arbor enim plantata ſuper aquas multas, quia citò venit ad humorem, non ita radicatur in profundum ſicut illa, quæ ſuper ſolidam terram plantatur* : &c. Adde quòd radix illa noſter affectus eſt ; quem nemo dubitat inconſtantem. Myſticè Purpuratus idem : *In aquis enim, id eſt, affectionem & ſollicitudinem.* Hæc eſt mentecaptorum agricultura ; quâ plantas lætiſſimas in aquarum gurgitibus radicare conantur : fidentes vanè ſuperficiei terrenæ ; quæ ſoliditatem prætendit, & mutabilitatem abſcondit.

Hug. Card. in com. Ezechiel. 17. 5.

Idem ib.

Cum ſit hoc nimis verum, dicam, docente S. Petro Damiano : *Cum ergo fallax hujus mundi felicitas tot mundi calamitatibus ſit obnoxia, cum potentia temporalis tot caſibus varianda ſubjaceat, & rerum ordo ſeſe velut ſcenicæ vertiginis alternitate confundat, quis ſanæ mentis à rebus tam frivolis, tamque fugacibus animum non vertat ?* Non reluctabimur iſta proculcare, ſi maturè perpendamus quantùm Domino diſpliceant illi, qui tranſitoria perditè diligunt. Lucas Abbas ait : *Guttur Domini illi mihi videntur, qui ab omni negotio mundi alieni, melliſluenta eloquia Domini meditantur, & relictis urbibus deſerta petentes, nihil in ſe triſte, ſed totum quod plenum ſit gaudio Deo & Angelis continentes. Nulla ergo amaros homines cauſa efficit ; niſi lata poſſeſſio mundi.* Hunc amarorem fortè poſſumus accipere pro diſplicentia ; qua Deus proſequitur eos, quorum veſana contentio ſolidare tranſitoria vult. Hoc ingratum eſſe Moderatori ſummo ſtabiliam ratione duplici. Priorem colligam ex Antiocho, dicente : *Anima enim quæ nondum ſe extricavit mundi iſtius perplexis curis, & liberam reddidit : Deum germanè ſuum ac ſinceriter non poteſt diligere ; ſed neque diabolum prout meretur, odiſſe & execrari* ; &c. Qua ratione Deo gratus erit is, qui præpeditur amore terreſtrium, ut Benefactorem ſummum, prout par eſt, amore proſequatur, ac dæmonem juratum Dei hoſtem, uti ratio poſtulat, execretur ? Secundam ejuſdem pronuntiati rationem deducam ex Guigone Carthuſiano ; cujus hæc ſunt verba : *Ita conantur homines facere veram voluptatem ſive beatitudinem, quaſi aut nulla ſit, aut fieri poſſit ; cum ipſa ſolâ ſit, fieri verò nullo modo poſſit. Id autem eſt facere ſibi beatitudinem, & Deum ; & putare non eſſe beatitudinem, & non eſſe Deum.* Audis quam execranda ſub

S. Petr. Damian. prox. ſup. *Quàm Deo diſpliceat quòd firmare nitamur in tranſitoriis radices.*

Luc. Abb. in ſummariol. ex Appon. ad Cant. §. 16.

Antioch. hom. 15. non parum à pr.

Guig. Carth in medit. c 3. med.

amore nimio temporalium deliteſcant ? quid mirum ingratiſſimi Deo ſint hi vanitatis amatores contentioſi ? Odit Altiſſimus plùs conatus eorum, qui vanè ſtabilire temporaria contendunt ; quàm inſatiabilem ambitionem cupientium occupare terram veluti cunctam. Minùs eſt execrabile Domino, quòd multa poſſidere deſideremus ; quàm quòd firma radicataque velimus.

55. Audiamus Oſeam. *Percuſſus eſt*, inquit, *Ephraim, radix eorum exſiccata eſt : fructum nequaquam facient.* Scholiaſtes Mariana ibi : Percuſſus eſt Ephraim, *pro percutitur.* Radix eorum exſiccata eſt, *aruit. Radice exſiccata, ut arbor, fructum non ferent.* Adde S. Hieronymum : *Metaphoram ſumit ab arbore : cujus ſi radices aruerint, fructum afferre non poterit : & ſi paululum fecerit, ſtatim in ipſo flore ſiccabitur.* Loquitur ibi Dominus de regno decem Tribuum. Theodoretus ad hunc locum : *Radicem*, ait, *vocavit regnum, quod radicitus Salmanaſar evertit, cum vaſtitatem intulit Samariæ. Poſt hujus obſeſſionem non amplius habuerunt regnum decem Tribus.* Premere libet ænigma ; quò pateat myſterium ſub cortice latens. Quæro. Arbor iſta, quæ metaphoricè regnum deſignat, an ramos non habuit ſatis expanſos ? cur non prædicitur, hos prædicendos, ut areſcant ? de ſolâ ſiccandâ radice curaturus erat Vindex æquiſſimus ? Vide. Non adeo Deus abominatur mortalium ambitionem quaſi ramos extendentem ut plus poſſideat ; quàm eorumdem inſaniam, qui ſtultè radices annituntur mittere ſuper terram, prout ſolent arbores. Idcirco de ſolâ radice prædicto loco fatur exſiccandâ ; tacetque ramos : ut videas qualiter ſupremo rerum Arbitro diſpliceant qui radicari ſe putant in tranſeuntibus. Unde bene Salomon juxta præfatam verſionem commonet impium, dicens : *Impius ob ſuam malitiam expelletur, & eradicabitur è terra*, &c.

Oſe. 9. 16.

Marian. in ſchol. ib.

S. Hieron. to. 6. l. 3. in Oſe. ib.

Theodoret. in com. ibid.

56. *Sperat autem juſtus.* Rodolphus exponit : *Hoc eſt antequam moriatur, compos voti & ſpei ſuæ erit.* Quilibet hæſitabit in hac expoſitione, perpendens lectionem Vulgatam : hæc enim exprimit actualem ſpem ; ſenſus autem oblatus ab Interprete ſonat poſſeſſionem. Iſta duo circa porſus idem non compatiuntur ſimul : nam ſpes reſpicit bonum abſens ; poſſeſſio verò præſentiam rei. Quid eſt ergo quòd nobis Commentator adimpletionem voti ſub vocabulo ſperandi latere prædictis inſinuat ? Fortaſſis ejus mens fuit occaſionem præbere, quò meditemur, ſpem juſti, eum ſit in Domino collocata, vicem poſſeſſionis obtinere. Tendit per viam compendii ſpes cùm à Deo bona requirit : ipſe quippe compendium bonorum eſt ſine termino. Quamobrem ſpe tendentes in Deum, nihil in eo quærimus abſens, quod bonum ſit : nam adſunt ibi meliùs cuncta bona creata. Deus à quo ſuſcipere concupita deſideramus, æternus eſt : & quiſque mediocriter doctus novit, æternitatem omnia tempora complecti. Nihil futurum eſt bonum, quod in Deo præſentiâ

Rodolph. in Prov. 14. 32. *Spes in Deo locata vicem agit poſſeſſionis.*

ſentiâ non fruatur, ſublatis imperfectionibus. Unde fit, ut licet ſpes feratur in ventura, ſimul poſſeſſionem imitetur: quoniam præſentiſſimam reperit in ſummo bono rem creatam, quam percupit. Maneat igitur, ſpem, quæ locatur in Altiſſimo, vendicare poſſeſſionis ingenium. Velut æquivocationem patitur ſpes iſta cum poſſeſſione.

57. Unus ex amicis Jobi, quamvis non in omnibus rectè ſit locutus, hæc verba protulit, myſterii pondere gravida. De Creatore ſic loquitur Eliphaz: *Porro ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. & erit egeno ſpes*, &c. Dilucidat Titelmanus locum ſic: *Pauperes autem & humiles ſpiritu, qui nec in potentia, nec in ſapientia ſua confidunt, ſed de ſeipſis penitus deſperantes totam fiduciam ſuam habent in Domino, cui commendant in benefactis animas ſuas, hos ſalvos faciet Dominus à gladio oris illorum.... eoſdem eruet de poteſtate illorum qui ſunt potentes in hoc ſæculo, ac per potentiam violenter opprimunt alios, ſic ut nihil ab illis patiantur incommodi, quod ad animarum ſalutem ſpectat.* Nunc exurgit breve dubiolum. Qua ratione dicitur futuram egeno ſpem; cum Dominus ipſi conferat quod expectat? an ſpe indiget? cur non potiùs dixit: Et poſſidebit egenus quod ſperat? Non hæreas in verbis: veluti ſynonyma ſunt ſpes, & poſſeſſio cùm de ſpe juſti loquimur. Nequaquam Rodolphum cauſeris ergo, quoniam verbum illud lectionis Vulgatæ, *Sperat*, ſic expoſuerit: *Hoc eſt antequàm moriatur, compos voti & ſpei ſuæ erit.*

Iob 5.15.16.

Titelman. in com. ib. n. 25.

58. *In morte ſua.* Chaldæus ita convertit: *Et qui ſperat quòd ſit moriturus, juſtus eſt.* Ecce quædam juſti nota peculiaris: nempe quòd, cum peccatores mortem, ſi non obliviſcuntur, formident; pius illam expectet, atque cupiat. Mortis utilitates aliquot numeravi ſupra delib. 2. Ibi motiva reperies: quibus ductus mortem numeres inter bona. Non timetur niſi quod ſaltem putativè malum eſt: non expectatur, niſi quod apparenter ſeu verè bonum exiſtit. Nihil boni cogitat impius in morte reperiri: propterea pertimeſcit eamdem. Econtrariò probus utilem noſcens optat, & ſperat. Præter illa, quæ loco citato dedi, nunc offero Plinium, dum vocat mortem bonum optimum. *Hoc*, ait, *primum quiſque in remediis animi ſui habeat, ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum eſſe melius tempeſtivâ morte.* S. Ambroſium addo. *Ergo mors*, inquit, *non ſolum malum non eſt, ſed etiam bonum.* Ecce veritas, cui reſiſtis mente cordeque, tam ſacros, quàm profanos habet patronos: & adhuc amore ductus vitæ dubitas de bono, mortis; vel diſcredis? Ita Deo placet, quòd juſtus mortem propriam tamquam bonum ſuum expectet; ut non multum curet, ſi, dum ſpe fertur in eam, fuerit oblitus judicii particularis, quod mortem ſtatim ſubſequitur, ne timeat illam. Non eſt animus diſſuadere judicii timorem: hoc tantùm oſtendere vellem; nempe Deum ſic in ſpe juſti de morte complacere, quòd illam promoveat, prætermittens aliquando motivum timoris de judicio particulari proponere ſimul.

Lect. Chalda. Prov. 14. 32. *Quantùm Deo placeat ſpes juſti de morte ſua.*

Plin. l. 8. c. 27.

S. Ambroſ. to. 4. l. de fid. reſurrect. poſt princ.

Salvator priuſquàm aggrederetur ſuæ paſſionis conflictum, jam proximus huic multa dixit ad Apoſtolos. Inter cætera ſic fatus eſt: *Et ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum*, &c. Interpretatur Dionyſius Carthuſianus: Iterum venio, *id eſt, in morte cujuſlibet veſtrum redibo ad vos ſaltem inviſibiliter, ſeu per effectum, & per Angelos quos mittam, ut animas veſtras adducant ad meum tribunal*, &c. Scire cupiebam, qua de cauſa, cum venturi forent prædicto modo Salvator & Angeli tempore mortis Apoſtolorum; quò diſcipulos clariùs inſtrueret, non ibi fit expreſſa mentio de venturis Angelis? exprimitur autem ſatis futurus adventus Magiſtri? Rationem offero, dum aliam non inveneris. Angeli miniſtri ſunt judicis Dei. Poſſet utique formidinem incutere, ſi de illis loqueretur expreſsè tamquam de juſtitiæ divinæ miniſtrantibus, delaturis animas Apoſtolorum ad tribunal rectiſſimum. Dominus eapropter ibi tacuit quod excitare poſſet pavorem. At vetò Præceptoris adventus non erat actus judicialis: imo videbatur officium amici quærentis charos, ut ſecum habitarent. Hoc ſpei motivum præſtabat: voluitque Dominus, ut ſpe potiùs quàm timore proſequerentur Apoſtoli mortem ſuam. Peccator, ſi meminit illius, tremiſcit eam. *Sperat autem juſtus in morte ſua.* 59.

Joan. 14. 3.

Dion. Carth. in com. ib.

FLOS XXXVIII.

In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet.

APERITUR.

PRIOREM partem ſententiæ ſic exponit Liranus: *Quia habituatur in ea*: &c. Non multùm hæc expoſitio placet: quia non eſt hoc peculiare prudentum: quoniam aliqui ſunt in rebus humanis neſcientes quid agendum ſit; & ſapientes circa divina. Prudentia, ſapientiaque, rigoroſè ſumptæ multum differunt. Id ex Remigio percipies. *Nam*, inquit, *ſapientia eſt, ut quidam dicunt, cognitio divinarum, humanarumque rerum, viſibilium, & inviſibilium, mortalium, & immortalium. Prudentia verò tantùm viſibilium, & humanarum, atque tranſitoriarum*, &c. Eamdem partem ſententiæ Rodolphus, & Hugo Cardinalis accipiunt de ſapientia pertinente ad animam. Sed contra hoc ſtat, quòd poſterior pars dogmatis hujus pertinet generaliter ad eruditionem quorumcumque indoctorum: ergo priora verba limitanda non ſunt ad ſapientiam ſolùm, quæ ſpiritum attinet. 1.

Lir. in Prov. 14. 33.

Remig. Epiſc. in Epiſt. ad Epheſi. c. 1. poſt med.

Rodolph. & Hug. Card. in Prov. 14. 33.

2. Ex his videtur accipienda ſapientia nunc in tota ſua latitudine. Sic interpretari viſus eſt Janſenius, inquiens: *Quod noſter interpres intellexit ſignificatum, ſapientiam requieſcentem in corde prudentis, cognoſcendam tamen inter ſtultos, per eruditionem & doctrinam prudentis, cujus eſt theſaurum, quem habet, non abſcondere, ſed indoctis & imprudentibus communicare*, &c. Cornelius Alapide dixit in hunc locum, ſapientiam in corde prudenti & probo conquieſcere velut in thalamo, & throno. Illud, quod ait de thalamo, magis probo: nam inter ſapientes, & ſapientiam notus eſt amor. Fruere Joanne Cypariſſiota. *Non omnes*, inquit, *ſapientiæ participes ſunt, ſed qui amatores ſapientiæ fuerunt, vel propter ſtudium divinitus incenſum, aut propter ſinceram diſciplinam, aut propter utrumque.* Vide S. Laurentium Juſtinianum; quem referemus infra n. 10.

Janſen. ib.

Cornel. Alap ibid.

Ioan Cypar. dec. 5. c. 7. ad fi.

Circa poſteriorem proverbii partem ſolùm nobis occurrit breviter adnotandum, quàm ſapientia ſit diffuſiva ſuî. Liberalitas hæc eſt mixta lucro: nam ſi nimiùm claudis quod ſapis, elabetur. Epiſcopus Hildebertus: *Scientia quoque*, inquit, *diſtributa ſuſcipit incrementum: & avarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur.*

Hildeber. Epiſt. ep. 1. fi

3. *In corde.* Cum inter membra noſtra cor principatum habeat, & principibus congruat pollere judicio, mens optimâ ratione ſolet appropriari cordi. S. Gregorius Nyſſenus: *Cor mentis quædam ſedes eſt,*

S. Gregor. Nyſſen or. 1. de Reſurrec. Chriſ. longe ante med.

Prudentis. Quantumvis, ut ſupra notavi, prudentia, ſapientiaque, differant; attamen, ſi perfecta ſapientia fuerit, prudentiæ cum ſubordinatione connectitur. Aliqua notabo, quæ prudentia præſcribit ſapientiæ. Primùm vetat nimietatem. Bene S. Petrus Damianus: *Admonendi ſunt itaque fratres noſtri, ne nimis juſti, nimis ſint ſapientes. De quorum primo Salomon, Noli, inquit, eſſe nimium juſtus: de ſecundo dicit Apoſtolus, Noli plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Deinde prudentia moderatur ſapientis loquelam. Audi prudenter loquentem Juſtianum, ſapientiæ theſaurum. *Regula igitur*, ait, *bene loquendi eſt, ut prius diſcat quiſque tacere, quam loqui. Nunquam ſciet fari quod expedit, qui tacere ignorat.*

D. Petr Damia. l. 8. ep. 11. longe ante fi.

S Laur. Iuſt in faſcic. amor. c. 11. longe poſt princ.

4. *Requieſcit.* Vera ſapientia requie potitur in anima tamquam in ſede. Paſchaſius: *Anima enim juſti ſedes eſt ſapientiæ* &c. Econtrariò ſapientia malorum requiem ignorat. Rurſus ad Juſtinianum redi. *Sunt*, ait, *qui aſtutiis & humanis inſerviunt fallaciis: vigilant qualiter fraude circumveniant juſtum, innocentiſque pedibus decipulas parent. Nova quotidie argumenta componunt, deceptiones fingunt* &c.

Paſchaſ. l. 6. in Matth. c. 10.

S. Laur. Iuſt. l. de caſt. connub. c. 15. med.

5. *Sapientia.* Meritò locatur in corde; quod tam nobilis locus eſt: nam ſapientia præcellit adeo plura bona, quòd legamus apud Humbertum: *Sicut anima pretioſior eſt corpore, quod habet regere, & potentia videndi eſt nobilior organo ſuo; ſic ſapientia pretioſior cunctis rebus terrenis; de quibus habet diſponere.* Plures tamen reperiuntur putantes ita leviter & facilè ſe conſecutos perfectam ſapientiam; ut ſatis aperiant, ignorare ſe pretioſitatem ſapientiæ: non enim appretiatur multî quod tam parvo labore creditur inveniri. Tempeſtivè S. Gregorius Nazianzenus. *Sapientiam verò*, ait, *quæ omnium & princeps eſt, & inventrix, & in ſemetipſa habet omnia & continet, cujus nomine etiam Deus vocari magis quam cæteris, quibus humanum ſermonem uti fas eſt, appellationibus gaudet, ita levem, & ita nullius momenti æſtimabimus, ut putemus voluiſſe quempiam tantum & ſtatim eſſe ſapientem?* Viderint qui ſic judicant: ſed quid videbunt qui ſe non cernunt ipſos?

Humbert. in ſpec. religioſ. c. 18. fi.

S Greg Naz. in apolog. juxta med.

6. *Et indoctos quoſque.* Fateor, ſapientiam poſitam in corde prudentis, quibuſvis addiſcere cupientibus eruditionem offerre libenter. Attamen hoc erudiendi munus haud penitus abſque delectu diſcipulorum exhibendum eſt. Lege Honorium. *Ut*, inquit, *doceatur verò talis eligendus eſt, qui non ſit doctrinæ obſtrepens, nec ſuperbus, ne videatur aliquid eſſe, cum nihil ſit.* Necnon opportunam diſciplinæ congruit ætatem in alumno ſapientiæ numerari. Idem Honorius: *Nec*, ait, *nimis tenera ætas, nec nimis dura conveniens eſt doctrinæ.*

Honor. Auguſtod l. 4. de philoſoph. mundi c. 38.

Idem ib. c. 40

7. *Erudiet.* Magiſter optimus intendat ignarum luce donare: non gloriolam vanus ambiat; nec avarus lucris inhiet. Honorius iterum: *Talis*, ait, *igitur quærendus eſt, qui doceat: qui neque cauſa laudis, nec ſpe temporalis emolumenti, ſed ſolo amore ſapientiæ doceat.* Et infra: *Si amore ſcientiæ ad docendum acceſſerit, nec propter invidiam doctrinam ſubtrahet: nec ut aliquid extorqueat, veritatem cognitam fugiet, nec ſi deficiet multitudo ſociorum, deſinet, ſed ad inſtructionem ſui & aliorum, vigil & diligens erit.* Præceptor, qui tam honorabilem ſuſcipit provinciam, per ipſam diſcentis eruditionem coronatur inclytè. Ennodius Epiſcopus: *Genus eſt*, inquit, *ſingulare laudis in doctoribus, diſcipuli eruditio.* Sed, age, demus, quòd ſic infeliciter doceat, ut nullum reddat eruditum: an ideo carebit honore? Caſſiodorum accipe. *Reverendum*, ait, *honorem ſumit, quiſquis magiſtri nomen acceperit, quia hoc vocabulum ſemper de peritia venit, & in nomine cognoſcitur quid ſit de moribus æſtimandum.*

Idem ib. c. 37.

Ennod. Epiſc. diction. 8. ante fi.

DELIBATIO I.

In corde Apoſtoli Pauli ſapientia requievit, & indoctos erudivit.

8. NOn potuit non in Magiſtro Gentium reperiri quod Sapiens aſſerit de longè minùs doctis. Nequaquam eſt quem fugiat quantùm ſapientiâ claruerit Apoſtolus Paulus: cujus mens illuminata cœlitus, tot facibus, quot verbis, tot radiis, quot litteris, enituit ad eruditionem inſipientium. Sapientiam hujus Doctoris indicavit Apoſtolorum Princeps, aiens: *Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm*

Inſcium te reputa; doceberis à Domino.

2. Petr. 3. 15. 16.

dùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut, & in omnibus epiſtolis, &c. Quidni ſapientiſſimus evaderet ille, quem Sapientia Patris edocuit ſingulari modo? de quo S. Joannes Chryſoſtomus: *Quoniam enim*, ait, *videbat malè, benè eum excœcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum. Simul enim & documentum ei virtutis ſuæ præbuit, & in paſſione ejus figuravit futura, & modum ejus prædicationis edocuit, quod ſcilicet oporteret eum priora ſtudia penitus excludere, & quaſi conniventem oculis ſemetipſum undique coercere: propter quod ipſe idem iſtud ſignificans, clamat: Si quis videtur inter vos ſapiens, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Pugnant ſapientia carnalis, atque de cœlo delabens alia: priorem convenit excludi, quò poſterior acquiratur. Sed quo modo poterit homo ſapientiam projicere; cum intellectus noſter libertate careat? Fatendum eſt, fore dediſcenda quædam: de cæteris verò, ſi nequiveris judicium deponere; congruit ſaltem æſtimatione tuâ ſtulteſcere, quò ſapientiam ſuſcipias altiorem. Inſcium te reputa; doceberis à Domino.

Chryſoſt. to. 3. hom 4. de laud Pau. in princ.

9. Jeremias nunc Moyſi conferendus eſt. Lacrymarum Vates cum audiſſet à Deo, ſe conſtitutum prophetam; repoſuit, ſe loqui neſcire. *Ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Non tamen ideo Dominus Jeremiæ ſemet exhibuit iratum. Reſtitit nec non Moyſes, dicens: *Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Et cum obſecratus Dominum fuiſſet, ut alium loco ſui mitteret, *Iratus Dominus in Moyſen, ait*: &c. Quare tam diverſimodè cum uno, & altero ſe geſſit Omnipotens; cum ferè pariter locutus fuerit uterque, renuens munus injunctum? Dubitationi ſatis adſtipulatur Hieronymus, dicens de Jeremia: *Dereſtatur officium quod pro ætate non poteſt ſuſtinere, eâdem verecundia, qua & Moyſes tenuis & gracilis vocis eſſe ſe dicit.* Cur ergo non iraſcitur Deus in Jeremiam; ſed adversùs Moyſen? Quoniam Jeremias ignorare ſe faſſus eſt: quæ neſcientiæ confeſſio forſan tibi videbitur conducens, ut ſapientiam cœleſtem acciperet: ex eo quòd quamvis Deus illi dixerit: *Noli dicere: Puer ſum*: nequaquam dixiſſe legamus: Noli dicere: Neſcio loqui. Moyſes autem nunquam abſolutè confeſſus eſt ſe neſcientem; quantumlibet eloquentiâ deſtitutum dixerit paucis abhinc diebus. Docendus erat Moyſes à Domino: *Doceboque te quid loquaris.* Et ut à Domino doctrinam ſuſciperet, Deus cupiebat, ut ſtultum ſe profiteretur. Hoc non perfecit Moyſes; & forſan etiam hoc motivo ſe Dominus exhibuit iratum. Non hanc prudentem ſtultitiam erubuit Apoſtolus: ſciebat quippe, congruere volenti ſapientiâ cœlitus imbui, ſtultum fieri. De Doctore Gentium dixit S. Gregorius Papa: *Unde idem prædicator egregius hos, quos carnaliter ſapientes invenerat, ut ſapientiam veram perciperent, prius fieri ſtultos quærebat*, &c. Id, quod ſcripto docuit, expreſſit in ſemetipſo Magiſter eximius, humiliter ſe ſtultum reputans.

Ieſem. 1. 6.

Exod. 4. 10.

Ib. n. 14.

S. Hieron. to. 5. l. 1. in Ierem. c. 1.

Ierem. 1. 7.

Exod. 4. 12.

D. Greg. Mag. to. 1. l. 13. mor. c. 14 ad fi.

Multùm conduxit humilitas Pauli, quò requiem inveniret in ejus corde ſapientia. Non in elationis aëre ſedem conſtituere diligit illa. Stabilis eſt; non ventos inhabitat. Circuit quærens ubi moretur: & cum à ſuperbiæ flatibus propellatur, in convallibus humilitatis manſionem facit. Opportunè Guarricus Abbas: *Sapientia*, inquit, *in omnibus requiem quæſivit; ſed in ſolis humilibus invenit*: &c. Cohæret S. Laurentius Juſtinianus, inquiens: *Si ſine humilitate ſapientiam te poſſe tenere credideris, prorſus deſipies, & evectus in altum ignorantiæ reliquêris in tenebris.* Et infra: *Super ſoliditatem igitur humilitatis ſpiritualem domum ſapientia in te ædificare non deſinat, in qua nuptialem valeat conſtruere thalamum.* Hæc apprimè ſciens Apoſtolus humiliabat ſemetipſum, non utcumque, vel generatim ſeſe dimittens ad ima; ſed ignorare teſtatus; cum ſapientiſſimus eſſet. De ipſo dixit ejus Encomiaſtes devotiſſimus: *Neque tamen ſe extulit, qui ſe in hoc ipſo humiliat, ac dejicit dicens: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & : Non me arbitror comprehendiſſe, & : Si quis exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum eum oportet ſcire.* Igitur humilitas eſt prævia diſpoſitio, quâ poſitâ ſedeat permanenter in corde ſapientia. Niſi præcedat ſe demittentis humiliatio, fortaſſe non perdurabit ſapientia; præcedente verò ſubmiſſione perſeverabit.

10. *Quantum conducat humiliatio, ut ſapientia perduret.*

Guarric. Ab. ſer. 3. de Aſſumpt. B. M. juxta med.

S. Laur. Iuſt. l. de vit. ſolit. c. 14. ante fi.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 3. hom. 5. de laud. Paul. poſt med.

Adamum condidit Omnipotens: & indidit ei ſapientiæ plurimam lucem; quin eam priùs flagitaret à Creatore. Aliter ſe Deus habuit cum Salomone. Suppliçatio præceſſit à Domino ſapientiam poſtulantis: atque tunc benignè reſpondit: *Quia poſtulaſti verbum hoc.... ſapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens*, &c. An minor erat liberalitas Dei tempore Salomonis, quàm in exordio mundi? Haud utique. Sed petitio ſubmiſſionis actus eſt; quem operæ pretium erat in Salomone præcedere. Quinimo ſic humiliavit ſemetipſum rex, ut de ſe per ſomnium dixerit: *Ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum.* Sapientia ſedem erat in Salomone conſtitutura perſeveranter: *Sapientia quoque perſeveravit mecum.* Legitur apud Olympiodorum: *Sapientia quoque ſtabilis mihi fuit.* Non præceſſit humiliatio ſimilis donatam Protoplaſto ſapientiam: quod extitit velut indicium, eam à ſua perfectione degeneraturam ſic, ut illi conveniat optimè quod legitur apud Pſaltem: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus*, &c. ubi Cardinalis Hugo: *Super prædicto verſu dicit beatus Bernardus: Ecce quo modo de grege facta eſt egregia creatura. Puto dicerent jumenta, ſi loqui fas eſſet: Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis.* Addit mox idem Purpuratus: *Væ miſero, quòd jam tunc non fuit qui diceret: Quid ſuperbis terra & cinis? Hinc beſtiali ſimilitudine ſimilitudo Dei mutata eſt.* Ubi ſtabilis futura non erat ſapientiæ ſedes, humiliationis prædictæ defectus id quaſi præ-

11.

3. Reg. 3. 11. 12.

Ib. n. 7.

Eccle. 2. 9.

Olympiod. ib.

Pſal. 48. 23.

S. Bernard. ſer. 35. in Cant. relatus ab Hug. Card. in Pſal. prox. ſup. n. 13.

nuntiavit; ubi verò conſtanter manſit, illi requies per humilitatem parata fuit. Paulus Apoſtolus ſe Dominoſubmittens, divinæ ſapientiæ parricipatæ locum præſtitit, in ejus corde manſuræ.

12. *Mutatio conſilii juxta placitum alienum, ſapientis laus eſt.*

Nunc de Gentium Doctoris humilitate dicam in uſu ſapientiæmetipſius. Non vulgaris eſt animi ſubmiſſio prudentis in eo, quòd judicium proprium alieno ſubjiciat: nam qui maturè deliberat, quò moroſiùs quid ſit agendum judicat, eò difficiliùs revocat ex alieno placito quod altâ mente repoſuerat. Nihilominus Magiſter Gentium, quamvis prudentiſſimus eſſet, non ſemel propoſitum commutavit, ſe conformem exhibens aliorum judicio. Redeamus ad Apoſtoli panegyriſtam Chryſoſtomum: ait enim: *Fervenți tunc, vel potius furenti præceperunt, ut iret Tarſum atque Cæſaream, nec tamen renuit. Dixerunt, quia eum per murum deponi oporteret, & paſſus eſt. Dederunt conſilium pro implenda purificatione, non reſiſtit. Suaſerunt ne in theatrum ingrederetur, & ceſſit.* Nequaquam putes, prudentiam commendari per nimiam conſtantiam: imo ſæpe verum eſt illud Gellii: *Malum eſt conſilium quod mutari non poteſt.* Notandum, mutationem conſilii non difficilem eſſe cùm fit ex arbitrio proprio; ſi verò fiat ex alieno ductu, difficultatem præ ſe ferre non modicam. Rationem ex Ambroſio collige, dicente: *Nemo enim patitur ſe vinci, licet ſciat vera quæ audit.... Collatio ergo inter Dei ſervos eſſe debet, non altercatio.* Cum tamen per humilitatem deponitur ſtudium vincendi, difficultas illa ſuperatur. Idem Ambroſius alibi: *Collatio enim poteſt prodeſſe. Eſt enim excitans mentem, ſi tamen vincendi ſtudium contemnatur. hoc eſt enim quod parit litem.* Scio, non eſſe prudentis ad quemcumque flatum cujuſvis obſtantis placito ſuo vertere ſe tamquam leve folium & oppoſitum eligere. Si tamen præmittatur ponderatio momentorum in contrarium ducentium; tantum abeſt à levitate mutatio propoſiti, quòd potius magnæ ſapientiæ teſtis eſt.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3 hom. 7. de laud Paul. med.

Aul. Gell. l. 17. noct. Attic.

S. Ambroſ. to. 3 capoſ. Epiſt. 2. ad Timoth. c. 2.

Idem ib. in Epiſt. ad Rom. c 14. ante fi.

13. Tulit è medio fratrem inceſtuoſum Abſalom; & fugit ad regem Geſſur. Paternus amor poſtea cor Davidis vertit ad occiſorem. Joab intelligens hoc, vocavit mulierem ſapientem, & ſuaſit, ut monarcham Judæorum adiret, quaſi proponens cauſam propriam; cum totum ænigma compoſitum fuiſſet in Abſalomi gratiam. Poſt verò, quàm fœmina perſonam detraxit, dixit illa Davidi: *Tu autem domine mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram.* Ut quid nunc laudat mulier ſapientiam Davidis? quare non potiùs illum de clementia commendavit, ut ex iſtâ revocari pateretur fratricidam? Imo non deerit qui putet, ſapientiam Davidicam fuiſſe tunc dehoneſtatam per hoc quòd ſecutus fuerit muliebre monitum. Non ita judices. Thecuitis de ſapientia regis tunc verba fecit, ut ſic David adverteret, ſapientis eſſe mutare conſilium, quod ante ſtatuerat non revocandi fratris necatorem. Ille quidem non dedignatus eſt audire monentem: imo ſtatim atque ſapientiam ſuam interponi vidit in hoc negotio; ſapientis opus eſſe credens tranſmutationem conſilii, dixit ad Joab: *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalom.* Videas hinc, prudentiæ munus eſſe nonnunquam libenter audire proprio judicio reluctantem; & librată ratione, qua nititur ille, reſcindere quod ſcripſeras in corde tuo. Sic Apoſtolus Paulus non ſemel ſapientem ſe præſtitit; aliorum placita contra ſuum lubentiſſimè complectens.

2. Reg. 14. 20.

Ib. n. 21.

14. *Sapiens reprehendit leniter, ne deneret in ſuperbiam.*

Modò ſequitur laudanda ſapientia, quam probavit Apoſtolus in reprehendendo modeſtè. Multoties quò præceptoris acumen excellentius eſt, eò docet iracundiùs: execratur enim ruditatem diſcipuli; quia fortè putat, eam doctrinam, quam illi propinat, ſicut ipſi magiſtro non eſt ad intelligendum ardua, ſic non fore diſcenti, niſi præpediretur ſegnitie. Conſequenter alumnum reprehendit interdum vehementer nimis, cùm cernit eum non proficere. Hic in ſapiente defectus eſt per exceſſum: quoniam prudentia docet quod præſcribit S. Ambroſius, inquiens: *Diſceptatio ſine ira, ſuavitas ſine amaritudine ſit, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione.* Reponunt ii, quibus acrimonia verborum juſtò citiùs adeſt, iſtam non egredi verba: nam, inquiunt, licet ea dura ſint, abſconditur in corde blandus amor. Hunc laudo; ſed nequaquam ſufficere fatebor. Proficuus eſt hîc Radulphus. *Lenitas*, ait, *quippe manſuetudinis non ſolum in corde eſſe; verum etiam in corripientis verbis foris apparere debet: ut videlicet ille qui corripitur, tantò libentiùs diligentis vulnera ſuſcipiat, quantò ob utilitatem ſuam omnia fieri non ignorat.* Pluvia decidens blandè terræ viſceribus imbibitur; ſi verò fortiter ſpirante vento projicitur, aliquando non recipitur altè; ſed profluit in torrentem. Doctrina reprehendentis pluviæ ſimilis eſt: ſi furore comite correptio præſtetur, ordinariè loquendo minùs inviſcerabitur; imo pluries in ſolâ ſuperficie ſuſcipietur. Propterea Paulus modeſtiam adhibebat in reprehenſione; quam notavit S. Joannes Chryſoſtomus, dicens: *Vis autem probare, quàm modeſtè etiam & cum illis loquatur, qui in peccata corruerunt? Audi quid Corinthiis dixerit. Timeo, inquit, ne cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam* &c. O ſapientiam fortiter & ſuaviter alumnos curantem. Apoſtolus humillimus erat: noveratque, diſcrimen eſſe quòd in corrigendo non manſuetus in ſuperbiam ruat elatus. Temperandus eſt blandiloquentiâ zelus. Ad illud Pauli: *Hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* ſcribit S. Anſelmus: *Videlicet cum diſplicet ex aliena infirmitate quod conſpicis, penſa quod es, ut increpationis zelo* (videtur legendum: *Zelus*) *ſe ſpiritu temperet, dum ſibi quoque quod increpat, timet. Cuncti quippe quouſque in hac mortali carne ſubſiſtimus,*

S. Ambroſ. to. 4. l. 1. de offic. c. 22.

Radul. l. 1 in Levit. c. 6. med.

Chryſoſt. to. 3. hom. 3. de lau. pau juxta med.

Ad Galat. 6. 1.

S. Anſel. in com. ib.

ſiſtimus, corruptionis noſtræ infirmitatibus ſubjacemus. Ex ſe ergo debet quiſque colligere, qualiter alienæ imbecillitati oporteat miſereri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem ferventiùs rapitur, oblitus ſui eſſe videatur. Caveat ſuperbiendi periculum qui licet agat officium doctoris, ſe novit non à lapſu tutum.

15. Cum Nabuchodonoſor ſemetipſum dormiens videret ſub arboris figurâ ſuccidendæ, clamantem audivit Angelum. *Et ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit. Clamavit fortiter, & ſic ait : Succidite arborem, & præcidite ramos ejus* : &c. Confer nunc Angelo Prophetam. Non clamore valido, vel amaris verbis uſus eſt ad Nabuchodonoſor ; ſed leni ſermone dixit : *Rex conſilium meum placeat tibi*, &c. Exponit Pinto Luſitanus : *Hoc eſt, ſit tibi gratum monitum meum, utere meo conſilio.* Difficultatem ingerit huic modo loquendi manſueto mens ipſa Vatis : nam, cùm perſuadere conatus eſt monarchæ largitionem eleemoſynarum, ſugillavit crudelitatem ipſius in ſubjectos, quam redimi conſulebat eleemoſynis. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum* : &c. Gloſſa Ordinaria ibi ex Theodoreto : *His inexplebilem illius crudelitatem declarat, quam in ſibi ſubjectis exercuerat. Vis, inquit, clementiæ fructum percipere? Hanc eamdem erga eos oſtendito, qui unam tecum ſortiti ſunt naturam.* Cum Daniel crudelitatem Nabuchodonoſoris ibi corriperet, cur non adhibuit ſeveritatem loquelæ ? Angelus verò locutus eſt cum clamore valido contra Nabuchodonoſor in ænigmate ligni frondoſi ? Vide. Quoniam beatitudine fruebatur Angelus, diſcriminis exors erat ſuperbiendi ; Daniel autem, cum foret mortalis, huic periculo ſubierat. Non ergo mirum, quod Angelus loquatur ſeverè ; non ita Propheta. Sapiens erat hic : humilitatem in corripiendo ſectatus eſt, ad regem loquens ; ne cum alieno malo remedium offerebat, proprium in corde pateretur ſuperbiendo. Non oblitus eſt hanc zeli temperiem Paulus : quod in eximiam cedit ſapientiæ laudem, in ejus corde requieſcentis.

Dan. 4. 10. 11.

Ib. n. 14.

Fr. Hect. Pint in Dan. ib.

Dan. 4. 24.

Ex Theodoreto, Gloſſ. Ord. ib.

16. *Juſtus aliquando non contentus plurium inſtructione ſucceſſivâ, curat multos ducere ſimul ad rectum.*

In illo verbo Textûs, *Requieſcit*, obiter notandum eſt, in eo, cui ſuadet charitas proximorum ſpirituali bono conſulere, quietem iſtam dici valere quadamtenus irrequietam. Non parcit laboribus ille : quinimo, velut ſi non unicus foret homo, plurificatur in multorum auxilium. Simul hunc docet, alterum corripit, cuidam præcipit, alii conſulit ; univerſis proficuus, atque ſingulis totus beneficus. De Paulo quid aſſerat Chryſoſtomus legito. *Quaſi enim*, ait, *univerſum mundum genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic currebat, ſic omnes in regnum Dei feſtinabat inducere docendo, pollicendo, meditando, tum orando pro ipſis, tum etiam ipſis ſupplicando, & terrendo, & dæmones corruptores animarum fugando, aliquando epiſtolis, aliquando præſentia, nunc ſermone, nunc rebus per diſcipulos* : &c. & infra : *Unus omnium officiorum perſonas, & exercitium ubique cuſtodiens.* Sicut aliqua vitia ſunt veluti ſimiæ virtutum ; ita non dedignatur aliquando virtus exhibere ſe crimini ſimilem : ambitioni ſcilicet cujus proprium eſt negare quietem ambienti ; pariter & hunc in ſtudia ſcindere diverſa ; quorum ſingula poſtulant hominem totum. Viderint aulici verumne loquar : vel non deerit qui dicat, ſe videre quod aſſerui. Necnon & virtus quaſi ferveſcens ambitione piâ circa proximorum emolumenta ſpiritum concernentia, non facit in juſto ſibi facilè ſatis. Nequaquam contenta charitas quòd multos in viâ ſalutis ducat ſucceſſivè ; ſimultaneè ſæpe de plurium ſatagit utilitate.

S. Joan. Chryſoſt. to. 3. hom 3 de laud. Pau. poſt med.

17. Dominus ad Evangelicum vatem dixit olim : *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum*, &c. ubi Cardinalis Hugo : *Dicitur prædicatio eſſe tuba* &c. Simlitudinem tubæ cum prædicatione fateor : & præter alias viſitur in eo, quòd accendit animos ; non autem quaſi molli dulcedine plectri demulcet audientes. At erit fortè qui putet, congruentiùs prædicationem Iſaiæ conferendam hîc fuiſſe lucernæ : Judaicus enim populus per culpæ cæcitatem ut in picea nocte degebat : quod fortaſſis innuitur, cùm legimus eodem capite poſt aliquas monitiones de melioratione vitæ : *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum*, quod ſic exponit in ſpiritali ſenſu Cornelius Alapide : Tunc erumpet, *id eſt, tunc è cœlo infundetur tibi gratia, per quam juſtificaberis atque illuminaberis in intellectu ; ut ſcias quid bonum, quid malum ; quæ via ad ſalutem ducat* ; &c. Quo myſterio non dictum eſt ad Iſaiam hoc loco : Illumina, ne ceſſes, quaſi lucerna diſperge ſplendorem ? Nota quidem charitas eſt Prophetæ, quippequi ſemetipſum obtulit ad prædicandum : *Ecce ego, mitte me.* Tantæ dilectioni circa proximos magis proportionatum videtur judicaviſſe Dominus agere munus tubæ, quàm lucernæ. Rem aperio. Lucerna ſuper candelabrum illuminat unicam domum ; non ſimul plures : cum optamus, ut alteri luceat, extrahimus illam foras : & cùm poſteriori domui ſplendet, manet prior in tenebris. Non ſic perſonans tuba ; quæ dum eâ clangitur in foro civitatis, diſperſis in multis domibus eodem tempore ſonat. Ita vellet charitate plenus Apoſtolicus prædicator ſimul pluribus prodeſſe. Cumque ſic Paulum ſe gerere ſuaſiſſet amor proximi, jure quidem optimo dicitur apud S. Proclum ejus lingua tuba Salvatoris. Apoſtoli quaſdam conjungit laudes ipſe dicens : *Epiſtolæ, ſalutis ſunt retia : fudaria, morborum falces : lingua Crucifixi tuba* : &c. Cum cerneres, Paulum de tot negotiis animarum ſimul cogitantem, demiratus inquireres : Quomodo *in corde prudentis requieſcit ſapientia ?*

Iſaï. 58. 1.

Hug. Card. ib.

Iſaï. 58. 8.

Alap. ib.

Iſaï. 6. 8.

S. Proclus or. 18. in laud. S. Paul. ante med.

DELI

DELIBATIO II.

In pectore S. Thomæ Aquinatis requievit ſapientiæ ſol.

18. *A Virgine doceri magnum quid eſt.*

PHœbus anni decurſu duodecim luſtrat ſigna Zodiaci: prodigium foret, ſi quieſceret in uno jugiter. Hujuſmodi ferè miraculum notabis in D. Thoma; dum in ejus pectore ſolem quieſcentem vides: neſcio quidem an dicam potiùs habitantem in Aquario, vel in Leone. Sol eſt ejus fulgentiſſima ſapientia: quæ multam imbrium copiam demiſit in terras; ideoque ſimilis eſt Angelicus Doctor Aquario. Non minùs tamen Leoni compar extat: & quia mundo præſtitit calorem ſanctitatis, qui refrigerat; & quoniam adversùs hæreticos infremuit adeo fortiter, quòd ſibilans quidam ferus inter multos coluber, ſed metuens, blaterare fuerit auſus: *Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam.* Ut inſignem eximii Magiſtri ſapientiam collaudemus, ab incunabulis exordium ſumam. Primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei Matre? Hanc habuit præceptricem Thomas. Lege ſecurus filium peramantem; ſed veritati nihil addentem. *Quando fuit*, inquit S. Vincentius Ferrarienſis, *natus, & unius eſſet anni ætatis ſuæ, & nutrix ſecundùm morem vellet ipſum abluere, & denudaſſet eum; in manu ſua invenit chartam Angelicam ſalutationem ſolùm continentem; & nunquam fuit ſcitum unde illam chartam habuit: intellexit ejus mater, quæ multum erat ſpiritualis, quòd ſibi fuit miſſa à Virgine Maria. Magnum ſignum fuit ſcientiæ ſuæ*, &c. Meritò ſic loquitur Vincentius. Et quidem vires admirationis humanæ dices devotus prætergredi, ſapientiæ Patris Genitricem hunc docuiſſe diſcipulum; quaſi ponentem (vulgò ſic loquimur) primam chartam in ejus manu. Magiſtram ſortiri Deiparam quid adeo magnum eſt, ut Apoſtolis id contigerit, poſtquam per adventum Spiritus Paracliti conſummata fuit illorum ſapientia. Ricardus à D. Laurentio: *Maria Apoſtolorum*, inquit, *magiſtra facta eſt, qui noſtri poſtea magiſtri facti ſunt, & aſcendente Domino docuit novum teſtamentum*, &c. Adde Flavium Dextrum, dicentem: *Sacra Virgo conſilio, luce, doctrinâ & mirabili vitæ exemplo præſidet collegio Apoſtolico; nihilque grave gerunt illi, quod non ejus conſilio, ductuque gerant*: &c. Æquum erat, ut à parente Dei ſanctiſſimâ docerentur futuri magiſtri: non enim diſcipulatus iſte conceditur, niſi magiſterium ſubituris.

S. Vincent. Ferrar ſer. de S. Thom. longe ante med.

Ricard. à D. Laurenti. l. 2. de laud. Mar.

Flavi. Dext anno Chriſti 34.

19. Anxius penſitabat S. Joſeph, dum gravidam cerneret alvum Sponſæ caſtiſſimæ. Succurit Angelus; & munus doctoris agens myſterium incarnationis docuit. Quare non potiùs Maria Sponſum inſtruxit, ut anxietatem pelleret ab eo, quem diligebat caſtè? Poſtea ſcimus perrexiſſe Deiparentem in montana; quò ſenem cognatam alloqueretur de ipſomet incarnationis myſterio. Qua de cauſa non ſimiliter magiſterium Sponſo præſtitit? Nota quòd B. Virgo ſimul ivit, ut puerum Baptiſtam inſtrueret. Abbatem Guarricum accipe. *Vox*, inquit, *Mariæ, dum auribus Elizabeth inſonat, ad cor Joannis penetrat: qui abſtruſus intra materna latebat viſcera, ſpiritum ejus animat, gaudioque ſalutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam*, &c. Spectabatne Joannes ampliùs ad Virginem, quàm Joſephus titulo ſponſi? Nequaquam: ſed Joſeph non erat ſubiturus officium doctoris; maximè verò Joannes: qui Dominum præivit *ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus*, &c. Conveniebat homini, quò, teſtante Veritate, *non ſurrexit inter natos mulierum major*, doctricem habere Mariam. Hinc excellentia D. Thomæ clareſcit: de cujus eruditione puerili Virgo Mater curare viſa fuit, cum puer adhuc anniculus eſſet.

Guartic Ab. ſer. 1. de nat. Joan. longe poſt princ.

Luc. 1. 77.

Matth. 11. 11.

20. *Gloriam docendi Thomam de Filii Divinitate Salvator attribuit æterno Patri.*

Nec tantùm cum foret infantulus Thomas, Deipara curare ſe demonſtravit de ſapientiâ, quæ reluxit in eo. Jam factus vir incidit in dubium quoddam, cujus difficultate premebatur: & priùs quàm nodi ſolutionem inveniret, apparuit illi Sedes incarnatæ Sapientiæ, Verbum in throno brachiorum geſtans; & poſtulavit à Gnato quòd Thomæ dubium illucidaret. Narrat Vincentius idem. *Semel*, inquit, *apparuit ſibi Virgo Maria cum Filio in brachiis, quæ ait Filio: Fili declaretis ſibi hoc dubium* &c. Mirari non deſinam quòd ipſa Virgo non præſtiterit hanc enodationem Thomæ dilecto; ſed rogaverit Unigenitum quòd ipſum doceret. Forſan ita ſe geſſit piiſſima Parens, quia gloriam docendi Thomam voluit Genito dimittere tamquam non vulgarem. Scis qualiter exultent magiſtri, ſi diſcipulum nobilis ingenii nanciſcantur. Habes apud S. Hieronymum: *Si enim beatus eſt qui in aures loquitur audientis, & auris auditoris deſiderium ſapientis eſt: lætitiaque dicentis, auditor intelligens*: &c. Hanc igitur, quam præceptores non modicam reputant felicitatem, Virgo Maria Filio ſuo cedere voluit, poſtulans ut erudiret circa præſens dubium diſcipulum ſuum inſignem Thomam. Qualiter exultet lætanter Mater alma de magiſterii munere, vel ex Aaronicæ virgæ ſymbolo deducere pronum eſt: illa namque ſimul & Virginis atque doctrinæ refert imaginem. S. Bonaventura: *Virga de radice Jeſſe*, inquit, *ſurrexiſti & floruiſti, virga Aaron fronduiſti & peperiſti.* Junge Liram de Aaronis virgâ dicentem: *Per virgam intelligitur doctrina... Germinat autem multiplicando diſcipulos, floret verò faciendo eos verbo & exemplo bonos & honeſtos, ſed facit fructum faciendo eos doctos & ad docendum aptos.* Virgo Mater, ſub Aaronis virgæ latens umbrâ floruit lætiſſimè peculiariter cùm diſcipulos erudivit. Iſtam gloriam tribuere voluit Gnato peroptans ut ille Thomam doceret: ad inſtar Filii dilectiſſimi; qui Parenti ſuo ceſſit non ſemel id, quod ſpecialem præ ſe ferebat gloriationem. Hoc in ſubjectâ materiâ non difficulter invenies.

S. Vincent. Ferrar. ſup. longe ante ſi.

S. Hieron. to. 6. l. 2. in Mich. c. 7. longe poſt princ.

S. Bonavent. in ſpec. Virg. c. 10.

Lira in Numer. 17. 5.

Quæſivit

21. Quæſivit ab Apoſtolis D. Magiſter, quem ſe dicerent. Protulit eorum Princeps Divinitatis Chriſti confeſſionem celeberrimam. Beatum vocavit Petrum Dominus in hæc verba : *Beatus es Simon Bar-Jona : quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt.* Ecce Dominus revelationem iſtam attribuit æterno Parenti ; cum ſint communia Filio quæcumque fiunt ad extra. Dices, Redemptorem ex humilitate ſic locutum ; ne quis putaret, mereri qualem qualem elationis notam, quod Petro ſuam Divinitatem ipſe detexiſſet. Adhuc urgeo. Quare Dei Filius igitur appropriavit Eccleſiæ ſibimet ædificationem : nihil ibi de Patre dicens ; vocanſque ſuam ; cum ſimul eſſet Patris domus ? *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. Ad verba Domini ſupra Druthmarus ait : *Hoc eſt vivens homo, qui de carne & ſanguine conſtat, ſed Pater meus, ille ipſe, quem tu confeſſus es. Pater vivens incomparabiliter, Pater meus, qui in cœlis eſt, & ego etiam cum ipſo, & Spiritus ſanctus, cujus filius ſpiritalis es.* Sed ex hoc ipſo magis apparet ratio dubitandi cur ædificationem Eccleſiæ noluit attribuere Parenti ſummo Salvator ; eruditionem verò Petri de ſuâ Divinitate, maximè ? Reponam. Cum Verbum incarnatum gloriam Parentis impensè curaret, appropriavit illi rem ſibi glorioſiſſimam ; nempe Simoni datam doctrinam. Ædificatio quidem Eccleſiæ, majeſtatis opus eſt : ſed illam peregit amor communis in omnes homines : nam quoſdam recepit jam ; cæteris apertum offert oſtium. At verò prædicta diſciplina Petri prodivit ex dilectione peculiari Salvatoris in eum ; proindeque res erat ſpecialioris gaudii : propterea Dominus illam ſponte remiſit Parenti ; cujus majorem gloriam habebat in votis. Servatâ proportione Virgo Maria deſiderans, Filium ſuum ſpecialiter glorificari ; cum Thomæ foret magiſtra, non illum docuit qua ratione dubium, de quo ſupra ſolvendum eſſet ; ſed oravit Unigenitum quòd eum edoceret.

Matth. 16, 17.

Ib. n. 18.

Druthmar. com. in Matth. 16, 17.

22. *Multum prodeſt humilitas quò ſapientia conquiratur.*

Expendenda ſequitur circumſtantia ſapientiæ D. Thomæ, quæ, præter alias rationes, cognomen huic donavit Angelicum. Teſtatur S. Vincentius Ferrarienſis, quoties diſceptare, ſcribere, vel dictare volebat S. Doctor, præviam operationem adhibuiſſe. Necnon cum occurrebant ſibi dubia, vel ab Angelo, vel ab Apoſtolis Petro Pauloque viſibiliter apparentibus accepiſſe doctrinam. *Cum volebat*, inquit, *diſputare, ſcribere, vel dictare, recurrebat ad orationem. Item quando ſibi dubia occurrebant : & ſtatim vel ab Angelo, vel Apoſtolis Petro & Paulo ei viſibiliter apparentibus, de dubiis certificabatur.* Ita D. Thomas auxilium expectabat à Domino, quòd ſtudiorum labori non parceret. O prudentiam ter inclytam ! Sic in cœleſtia levandus eſt animus per orationem ad quærendam lucem ; ut non ſegniter inſiſtamus lectioni. Bene Caſſiodorus : *Oremus ut nobis aperiantur illa quæ clauſa ſunt, & à ſtudio legendi nullatenus abſcedamus.* Conſonat Simeon Junior : *Sunt ergo duo*, ait, *oratio & lectio, quorum hæc qua via ad Deum perveniamus, docet, facitque hominem divinum : illa Deum flectit, ut mentem legentis illuminet, quò lecta & intelligat, & obſervet.* Et infra : *Qui calori ſolis illius, quem intelligentiâ percipimus, ſeſe per orationis præſtantiam non ſubjecit, nunquam fructum maturum per lectionem edere poterit* : &c. Proximè dictis duobus Thomas inſiſtebat ; orationi ſcilicet aque lectioni : propriis laboribus utens ita, quòd illos docenti ſupernè ſubjiceret humiliter. Multùm prodeſt animi demiſſio, quò ſapientia conquiratur.

Caſſiod. de divin. lect. in præfat. longe ante fi.

Sime. Jun. or. 15. poſt prine.

Benedicens Moyſes ante mortem Iſraëlitico populo, de Deo locutus eſt ſic : *Omnes ſancti in manu illius ſunt : & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Gloſſa Ordinaria ibi : *Vel illi appropinquant pedibus ejus ad capiendam doctrinam, qui ſpirituali deſiderio flagrantes Evangelicis & Apoſtolicis ſcripturis die noctuque invigilant.* Myſterio vacare non credam, quòd ſancti doctrinam à Domino capturi, dicantur appropinquare pedibus illius : præſertim quia legimus apud Salomonem, prudentiam atque ſcientiam ab ore Domini prodire. *Quia Dominus dat ſapientiam : & ex ore ejus prudentia, & ſcientia.* Rodolphus commentatur : *In contextu tria nomina ponuntur : ſapientia, quæ ad cœleſtia refertur : ſcientia, ad cognitionem rerum in hac vita neceſſariarum : intelligentia ſive prudentia, ad mores & integritatem converſationis inter homines : quarum unamquamque tamquam ex ore Dei inſtructi & edocti, habent quotquot his virtutibus ſunt præditi.* Quid ergo quærent in Dei pedibus quod ab ore promanat ? Humilitatis exercitium eſt ad pedes Domini demittere ſe. Hugo Cardinalis ad præfata verba Deuteronomii : Appropinquant *ut diſcant humiles.... vel qui ſe humiliant ei, colendo ipſum* &c. Valde proficua ſubmiſſio cordis exiſtit ad ſapientiam cœlitus acquirendam. Doctor Angelicus dupliciter humilitatem ſuam exercebat in prædictis orando ſcilicet ac ſtudendo : nam cum rogaret poſtulans adjutorium cœleſte, ſe proteſtabatur imparem tanto muneri : dum autem ſtudiis incumbebat, viam ſciendi tenens haud miraculoſam, fatebatur indignum ſe quòd inſtrueretur de cœlo.

23. Deuteron. 33. 3.

Gloſſ. Ord. ib.

Prov. 2. 6.

Rodolph. ib.

Hug. Card. in Deut. prox. ſup.

Hinc ortum habuit quòd Aquinatis excelluerit adeo ſapientia. Similis hæc eſt aquæ necnon in eo, quòd, ſicut aqua tantò ſublimiùs erumpit, quantò profundiùs deſcendit priùs, ita ſapientia Doctoris Angelici, quò magis ad inferiora defluebat per humiliationem propriam ; eò plùs exurgebat in altum. Duo veniebant hîc meditanda ſimul intanti Magiſtri ſapientia : ſcilicet extenſio, quâ tot veritates amplexa fuit ; & intenſio ; nempe celſitudo. Intenſionem lubens omitto : poſtulat enim aciem aquilinam ſolare jubar. Extenſionem ſolam nunc admirabor : nam vix eſt aliqua ſcientiarum, in qua non exhibuerit magiſterium. Sed quomodo non ſic amplificaretur ejus

24. *Sapientia de cœlis venient non unico deſervit fini.*

mens, de quo S. Vincentius Ferrarienſis enarrat? *Legitur quod quando debebat ſe ponere ad ſtudendum, primò orabat, dicens: Declinate à me maligni & ſcrutabor mandata Dei mei. Verſ. Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ. Oratio. Deus qui corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere &c. Unde cum ſemel diſputaret multum acutè & curialiter, & quidam devotus religioſus ipſum audiret, contemplando ipſum & admirans de tanta ſapientia in puero tam parvo, ſubito vidit radios ſplendoris ab ejus facie procedere, & totum mundum illuminare oſtendens in hoc Deus quid intendebat de eo facere.* Qui dum non erat ætate provectus reſplenduit; poſtea ſcientiæ fulgorem diffudit ſic, ut vix aliquis non illuminetur ab eo. Sapientia de cœlis veniens non unico deſervit fini: perutilis eſt ad plura.

S. Vincent. Ferrar. ſer de S. Thom. ante med.

25. Parœmiaſtes de ſapientia ſic habet: *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam*: &c. ubi Janſenius: *Significat etiam opere & ſtudio magno ambiendam ſapientiam.... unde dicit*: Si quæſieris eam quaſi pecuniam, *hoc eſt, tanto ſtudio & labore, quanto ſolent homines divitias quærere.* Et ſicut theſauros &c. *hoc eſt, diligenter ſcrutatus eam fueris*, &c. Similitudo pecuniæ videtur in multis improportionata ſapientiæ: Nummi diripiuntur à fure; ſapientia latrocinio non ſubeſt. Si pecuniam donas, amittis; at ſapientiam communicans non deperdis. Pecunias hereditant multi; ſapientia non tranſit ad hæredem. Monetæ ſubſunt impoſitioni regis: dato quòd ille velit, contractibus emptionis erunt inutiles; non ita ſubditur imperantis voluntati ſapientia: velint nolint principes illiterati ſapientiæ pretium ſtabile manet. Quid ergo ſimilitudinis reliquum eſt, ut ſapientia pecuniæ conferatur? Dicam. Pecuniæ deſerviunt ad multa: ſic & ſapientia de cœlis veniens, ad plurimos fines utilis eſt. De illa Salomon loquebatur, quæ tribuitur divinitus: ait enim: *Tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies: quia Dominus dat ſapientiam*: &c. Sancti Doctores oculi ſunt dicendi. Angelomus. *Oculi ergo duces*, inquit, *totius corporis eſſe probantur, ſine quibus aut non poteſt incedere corpus, aut vix offendendo incedit. In quibus ſancti doctores intelliguntur ſpirituali viſu cœleſtia contemplantes*, &c. Niſi luminibus cares, equidem experiris, quàm varia præſtent oculi munera. Te dirigunt in via; monent ut offendicula vites: læta proponunt; mœſta deflent; animi ſenſa depromunt. D. Thomas, velut Eccleſiæ matris oculus, per ſapientiam ſuam diverſa nimis obivit munia.

25. Prov. 2. 4.

Janſen. ib.

Prov. 2. 5. 6.

Angelom. ſtrom. in Cant. c. 1. longe ante fi.

Quantum ſuſcepiſſe præmium ſtudioſi laboris Aquinatem putas? Amantiſſimè ſupremus omnium bonorum Largitor muneravit eumdem. Duplicem propono caſum, quo S. Doctoris calamus donatus eſt remuneratione ſpeciali; cum ſcilicet de ſacramento altaris verba feciſſet. Ad Vincentium Ferrarienſem legendum rurſus accede. *Item*, inquit, *cum ſcripſiſſet ſuper materia accidentium Sacramenti altaris, quæ eſt materia valde ſubtilis, in quo illa accidentia exiſtunt ſubjectivè, poſuit ſe in extremis altaris, orans* &c. *Dixit ſibi Crucifixus: Bene ſcripſiſti de me Thoma.... quam ergo recipies pro tuo labore mercedem?* Contingit aliud etiam non minùs expenſione dignum; quod apud eumdem Ferrarienſem reperies. Ait ille: *Idem de officio Corporis Chriſti, quod de mandato Domini Papæ ordinavit. Quo completo librum ſuper altare poſuit: & ipſo orante Chriſtus in forma pueri ſuper librum ſe poſuit*, &c. Modò controvertamus quodnam ex his amplius beneficium extiterit? Mihi videtur, hoc ſecundum largius extitiſſe donum: cum etenim de præmio verba fecit Redemptor, uti Dominus locutus eſt ad illum; quod majeſtatis eſt. Cum autem ſemet oſtendit puerum, dilectionem accendit Aquinatis piiſſimi: quoniam Dei pro nobis infantis facti meditatio ſtimulos addit amori. Dicebat olim S. Bernardus: *Devotè*, ait, *ſuſcipimus tenerum propter nos.... Devotè adoramus cum Magis: devotè amplectimur cum Simeone infantiam Salvatoris*: &c. Ipſa pueri Jeſu teneritudo cor emollit humanum ac liquefacit. Fruere S. Laurentio Juſtiniano, dicente: *Taliter quippe menti tuæ compoſitæ jugiter in te Dominum Jeſum ſenties natum. Illum tunc adora, illi famulare, panniculis involve & faſcia, interdum etiam, ſi tibi amoris præſtatur fiducia, illum amplectere, & charitatis brachiis aſtrictum tene.* Poſſet addidiſſe quidem: Et ſi dilectionem tuam tepeſcere credis, ad Jeſu puelli, qui mittere venit in terras ignem, ſedulus appropinqua, totus igneſces ejus munere mirabili: non enim Dei mediocre donum eſt affectum accendere tuum; cum ſit pretioſiſſima res amor. Novit hujus pretium S. Præſul Valentianus: qui dixit: *Horum autem omnium bonorum culmen tenet amor: nihil enim in tota domo Dei amore ſuo pretioſius, nihil præſtantius. Hoc omnium donoruum Dei maximum eſt donum ſuper omne donum*, &c. & infra: *Beatus namque ille eſt, quem tu ditaveris Domine, & de amore tuo locupletaveris eum.* Cum igitur Deus homini ſpecialiter ſe munificum præbere vult, amorem illius erga Dominum vel auget, vel excitat, occaſione datâ.

longe ante fi.

Idem ib.

S Bernard. ſer. 5. in Nat. Dom. poſt princ.

S Laur. Juſt. ſer. in Nat. Dom. ad fi.

S. Thom. à Villa no. ſer. 1. Dom. 17. poſt Pentecoſ. longe poſt med.

26. *Donum Dei eſt quòd ipſius amorem excitet in homine.*

S Vincent. Ferrar. ſup.

27. Sciſcitatus eſt à Filio Dei Simon, quam accepturi forent ipſe condiſcipulique mercedem ex eo, quòd omnia deſeruerint pro ſequela Redemptoris: & accepit reſponſum accommodum largitati Domini. *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Ventum eſt ad illam diem, qua bonus Paſtor oves commiſit Petro: nihil ei doni tunc largitas eſt. Solent principes terræ, facultate per Eccleſiam conceſsâ deſignantes virum pauperem ad Epiſcopatus infulas, eum proſequi muneribus haud exiguis. Quid ergo tunc temporis Rex regum Petro donat quando non tantùm deſignat eum, ſed eligit atque conſtituit Pontificem ſupremum; cum foret inops?

Matth. 19. 28.

Haud

Haud parcè munificentiâ ſuâ Dominus fuit uſus in Apoſtolorum Principem, dum ejus amorem excitavit interrogatione ternâ. *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me?* Joan. 21. 17. Ubi Caïetanus : *Nulla merces, nulla mercedis ratio, nulla Petri utilitas proponitur ; ſed ſolus Chriſti amor exigitur, & affertur ratio paſcendi agnos Chriſti.* Caïet. ib. Contrarius menti noſtræ viſitur Purpuratus : aliquid tamen ab eo deſumant lectores, quod prædicto ſcopo non parum proderit : nempe, nihil mercedis Vicario Chriſti propoſitum cùm fuit ei tradita Pontificia poteſtas. Itaque dicam. Donum illi præſtavit optimum in eo, quòd ipſius amorem cira ſe Dominus excitaverit : nec enim fruſtra non ſemel percontatus eſt ab eodem quod ſciebat. Cum igitur dilectioni Thomæ Aquinatis addiderit motivum Salvator, apparens ipſimet in formâ pueri, liberalier muneravit eum pro labore piiſſimo ; quo divini Sacramenti compoſuit officium ab Eccleſia Matre devotè recitandum. Ita fructuosè laborat is ; cujus in *corde prudentis requieſcit ſapientia*, &c.

DELIBATIO III.

In melliſluo corde ſancti Bernardi prædulciter ſapientia manens promanavit ab ipſo.

28. *Dulcedinem forti grandi loquentiæ connectere pluſquàm humanæ ſapientiæ proprium videtur.*

ANte primordialem vitæ lucem divina Providentia ſic aliquibus dilectis favere teſtata fuit ; ut eorum curam ſpecialem gerere, dum in utero laterent profeſſa non obſcurè ſit. D. Bernardi futura doctrina, fidelibus utiliſſima, deſignata legitur gravidæ matri ſomnianti. Refert Alamanus Epiſcopus rem admiratione dignam. *Hæc*, inquit, *cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, ſomnium vidit præſagium futurorum : catellum ſcilicet totum candidum, in dorſo ſubrufum, & latrantem in utero ſe habere.* Alaman. in vit. S. Bernar. Conſuluit religioſum quemdam virum, qui dixit ad eam : *Optimi catuli mater eris, qui domûs Dei cuſtos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus eſt latratus. Erit enim egregius prædicator, & tamquam bonus canis, gratiâ linguæ medicinalis, in multis morbos curaturus eſt animarum.* Apud eumdem ib. Jam hîc hæreo myſterium quærens, cur non Bernardus in apis emblemate potiùs prænuntiatus eſt, quàm in catello ? nonne melliſluo congruebat opportunè mellis artifex ? an ejus caſtitas & ſapientia non poterant exprimi congruenter in apis figura ? Sanè de hac dixit S. Eucherius : *Apis forma virginitatis, ſive ſapientiæ.* S. Eucher. l. formul. ſpirit. c. 5. ante med. Sed meliùs in albo catulo delineabatur præco Dei Bernardus extiturus. Apis etenim ſuſurrum edit inutilem ; carnis verò necnon forti latratu prodeſt ; cum tamen ejus lingua, quâ ſonum dat, blanda ſit ad ulcera lingenda. De illo ſic loquitur Petrus Comeſtor : *Quattuor verò*, inquit, *in cane commendantur : latratus utilis, lingua medecinalis, ſagacitas mirabilis : & fidelitas commendabilis*, &c. Petr. Comeſt. ſer. de S. Aug. Apologum ex Remigio meditare. *Canes ſummâ ſagacitate & velocitate, lupos & latrones à præſepibus arcent ſuis latratibus : ita fideles de gentibus, de quibus hic agitur, facti prædicatores, ut Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus & alii multi, & infideles, hæreticos, falſos Chriſtianos ab Eccleſia repellunt.* Remig. Antiſſiod. in Pſ. 58. Arduum fateor dulcedinem cum forti grandiloquentiâ connectere, prout S. Bernardus aſſolebat. Hoc metas egredi videtur humanæ ſapientiæ.

29. Collocutus eſt Samaritidi Salvator : & quamvis ei ſatis oſtenderit arcana ſibi patere, non ſtatim fœmina Deum eſſe credidit : nam vocavit ſolummodò prophetam : *Domine, video quia Propheta es tu.* Joan. 4. 19. Licet dum verba protulit hæc, jam correctionem ac eruditionem accepiſſet à Domino, non adhuc ipſius Deitatem agnoſcebat. Hugo Cardinalis : Dicit ei mulier, *correcta & humiliata & erudita* : Hug. Card. ib. &c. Perge nunc mecum ad Joannis caput 7. Ibi narrat Evangeliſta, miſſos fuiſſe miniſtros, ut apprehenderent Jeſum : ipſi verò reverſi fuerunt, quin mandatum perficerent, admiratione correpti. *Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi : Quare non adduxiſtis illum ? Reſponderunt miniſtri : Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Joan. 7. 45. 46. Exponit miniſtrorum verba Purpuratus idem : *Q. d. Aliquid habet ultra hominem.* Hug. ib. ad n. 46. Adde Venerabilem Bedam ibidem. *Nam*, inquit, *& teſtimonium perhibuerunt divinæ doctrinæ ejus, cum dicerent ii, à quibus miſſi erant : Quare non adduxiſtis eum ? Reſponderunt enim, numquam ſe audiſſe hominem ſic locutum. Non enim quiſquam ſic loquitur homo : ille autem ſic locutus eſt, quia Deus erat & homo* : Bed. ibid. &c. Conſonat Lira : *Quaſi dicant : Ita bene loquitur quod non videtur homo purus, ſed plus*, Lir. ibid. &c. Quænam admirationis tantæ ratio ? Fortaſſe, quoniam fortiter & ſuaviter locutus eſt. Nam Hugo præcitatus illud, *Numquam ſic*, interpretatur ita : Numquam ſic, *id eſt ita ſuaviter.* Hug. Card. ſup. Et in Textu legimus : *In noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens : Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. 7. 37. Ubi Theophylactus : *Clamavit autem Jeſus, partim ut libertatem ſuam in dicendo manifeſtaret, & quod nullum aſpernaretur.* Theophyl. ib. Adeo magnum quid eſt loquendi robur cum ſuavitate miſceri ; quòd in admirationem raptis miniſtris per hoc Salvatoris Divinitas innotuerit. Egredi viſus eſt Bernardus humanæ conditionis terminos, linguæ melleam dulcedinem jungens vigoroſæ locutioni : terrens & leniens pariter auditores : meritò ſignatus in catulo ; cujus linguæ blanditiis non tollit utique latratum.

30. *Sapiens dum loquitur ad peritos fortiter frequenter exitum felicem.*

Excelluit etiam inſignis Bernardi ſapientia per utilitatem diſtributivè cunctis & ſingulis accommodam : quod in prædicante rarum eſt. Uno regitur intellectu ; loquitur verò mentibus totidem quot ſunt arbitria, ſic in judicando ſpontaneis, inquam, auditoribus (& quaſi voluntate cenſerent expertes judicii) quòd nihil eis pateat, niſi placuerit. De melliſluo Doctore ſcribit Alamanus Epiſcopus : *Ut*

Alaman. in vit. S. Bernar.

dum prædicaret verbum Dei quicquid afferebat in medium, ſi patens & placens efficiebat, & circa id unde agebatur efficax ad monendum, ut mirarentur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. O virum cunctis mirabilem ! ô quaſi cum alieni placiti dominio loquentem ! Difficultatem ſic dicendi deduc ex verbis Nazianzeni. *Sciendumque illud*, ait, *in primis eſt, quod perdifficile negotium eſt in multitudine permixta atque diverſa, ubi & ætas, & inſtitutio varia, de talibus diſputantem, & velut multarum chordarum quamdam citharam ferientem, invenire & proferre aptum ad omnes prædicationis verbum: & ita velut plectrum ſingulis admovere, ut nuſquam ſonus offendat auditum.* O quoties profertur ſermo diſertus & utilis in pluribus tamen ſuſcipitur aliter atque prodivit à loquente : quem idcirco fugillant ; & ejus verba pereunt ! S. Hieronymus : *Loquitur enim vir ſapiens verba ſcientiæ, verba gratiæ, quæ utilitatem poſſunt præbere audientibus, & aures ſtulti, non ita ſuſcipiunt quæ dicuntur, ut dicta ſunt, ſed econtrariò virum prudentem ſupplantare conantur, & ſui ſimilem facere. Et revera præcipitatur vir ſapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, & verba ejus in profundo (ut ita dicam) gurgite pereunt. Unde beatus ille eſt, qui in aurem loquitur ſapientium.* Non omnibus contingit hæc felicitas : nempe quòd eruditos nanciſcantur auditores. Et quidem ferè ſemper ſapiens cum ſapientibus loquens felicem ſortitur exitum ; at ſi loquatur cum imperitis, non ſic.

D. Greg Nazianz. in Apolog. longe ante med.

S. Hieron. to. 6. com. in Eccle. 10. longe ante fi.

31. Jeſus duodennis in Jeroſolymitano templo ſedens in medio doctorum fuit inventus à peramanti genitrice. Narrat autem D. Lucas, obſtupuiſſe de reſponſis ejus auditores. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Hæc admiratio, licet non de ſolis doctoribus, in quorum ſedebat medio, verificetur. attamen ipſis contigit. Cardinalis Toletus hîc : *Efficacia, & potentia verbi Chriſti ſtupere fecit doctores, & omnes qui eum audiebant* : &c. Novum eſt quòd ſapientiâ turgentes in ſtuporem rapiantur per ea, quæ per duodecim annorum proferebat. Alibi legitur, dixiſſe Dominum in ſynagoga : ſubditque ſacer Hiſtoriographus idem : *Et omnes teſtimonium illi dabant : & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant : Nonne hic eſt filius Joſeph ?* Unde Salvator ipſe : *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.* Quin & vide quid acciderit. *Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitateam : & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Quærunt interpretes, an iidem, qui mirati ſunt in verbis Domini ; poſtea contempſerint illum ? ſic ex Carthuſiano tenendum eſt inquiente : *Quæritur, cum ſtatim prædictum ſit*, Omnes teſtimonium illi dabant, *quo modo de eiſdem mox ſubditur* : Nonne hic eſt filius Joſeph ? *Qui enim teſtimonium ei dabant, eum reverebantur, hi vero eum ſpernebant. Ad hoc dupliciter reſpondetur. Primò quòd Scriptura loquitur de eiſdem, videlicet habitatoribus Nazareth, & quod primò honoraverunt eum propter cauſas prætactas ; ſed poſt paululum ex aliis conſiderationibus, ſcilicet ex attentione paupertatis matris ejus, patriſque putativi ad contemptum ejus, invidiaque commoti ſunt.* Addam Incertum ſub nomine Titi : *Hæc*, ait, *illi audientes ; deque verbis gratiæ, quæ de ore illius procedebant admirantes, adhuc abjectè de illo ſentire, & loqui non deſinunt, aiunt enim* : Nonne hic eſt filius Joſeph ? *Quamobrem jure illud in eos deprompſeris : En populus hic ſtultus, & excors, oculos habet, & non videt, aures & non audit.* Confer nunc utroſque : ſcilicet eos, qui duodennem Chriſtum audierunt Jeroſolymis, cum illis, qui verba mirati ſunt ipſius in urbe Nazareth. Priores obſtupeſcentes commendaverunt ſapientiam Domini : poſteriores admirationem commutaverunt in opprobrium. Quid cauſæ ? Nazarenos iſtos non lego ſapientes : & ex majori ſaltem parte docti non erant. Apud eos eventum habuit infelicem Concionator optimus. At verò ſapientiâ prædíti demirati ſunt puerum in Jeruſalem ; quin propter ætatis conditionem aſpernarentur eumdem. Contingit ſapienti feliciùs ad peritos loqui. Non ſemper evenit quod Bernardo : cujus in corde ſapientia requieſcens *indoctos quoſque* erudiebat.

Luc. 2. 47.

Cardin. Tolet. ib.

Luc. 4. 22.

Ib. n. 24.

Ibid. n. 29.

Dion. Carth. in Luc. 4. 22.

Incert ſub nom. Titi ib.

Laudatur etiam Doctor inclytus ex eo, quòd cum in Scripturis peritiſſimus foret, non tamen omittebat alienas expoſitiones amplecti ; ſed illotum placitis mentem propriam ſubjiciens ipſorum veſtigia premebat. Superbè nonnulli putant, ſe pro Scripturarum intelligentia magiſtro non indigere. Ridiculum eſt hoc : vento fertur iſtorum ſcientia. Non ſic exiſtimat illa, quæ *in corde prudentis requieſcit ſapientia* ſolidè. De S. Bernardo ſic loquitur Epiſcopus Alamanus : *Sanctos tamen & orthodoxos Scripturarum expoſitores humiliter legens, nequaquam ſenſibus eorum ſuos ſenſus æquabat, ſed ſubjiciebat formandos : & veſtigiis eorum fideliter inhærens, ſæpe de fonte unde illi hauſerant, & ipſe bibebat.* Non id ignorantiæ ſacrarum litterarum tribuas : præſertim cum legamus apud alterum ejuſdem vitæ ſcriptorem : *Nam & confeſſus eſt aliquando, ſibi oranti ſacram omnem, velut ſub ſe poſitam apparuiſſe Scripturam.* Sciebat ille quod habemus ex Magno Gregorio, dicente : *Quia eaſdem Scripturas veteres intelligere ſine præceptore non poſſumus*, &c. Oppoſitum tenere tramitem, ſuperbiæ plenum eſt. De periculo monet S. Auguſtinus, inquiens : *Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas, magiſque cogitemus, & ipſum Apoſtolum Paulum, licet divinâ & cœleſti voce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe, ut ſacramenta perciperet & copularetur Eccleſiæ* : &c. Nullus, quamvis peritus valde, ſibi ſuadeat amittere ſe ſplendorem, dum lucem, quam ab alio recepit, communicat, diſſimulans propriam. Imo, cum, ſplendore ſuo prudenter ſuppreſſo, diſperſit fulgorem ab alio ſibi donatum, plenè coruſcat.

32. *Sapiens non dedignetur diſpergere ſplendorem ſuſceptu ab alio, diſſimulando proprium.*

Alaman. in vi. S. Bernar.

Ganfrid. monach l. 3. vit. D. Bernar. c. 3.

D. Greg. Pap. to 2. l. 1. ex. poſ. in c. 1. l. 1. Reg.

Aug. to 3. l. 1. de doctr. Chriſtia. in prolog. med.

Siracidem audiamus de ſemetipſo loquentem.

33.

quentem. *Adhuc conſiliabor*, inquit, *ut enarrem: ut furore enim repletus ſum.* Poſtrema verba lectio Figurina ſic vertit: *Quoniam inſtar lunæ plenæ refertus ſum.* Syriacus habet ita: *Intelligite & dicam doctrinam meam ſicut luna in die quartodecimo* &c. Seipſum videtur dedecorare vir ſapientiſſimus, dum ſub comparatione lunæ de ſe verba facit: quoniam apud eumdem legimus: *Stultus ſicut luna mutatur.* Quid ergo lunæ cum ſapiente? Dicam. Luminare minus haud omni luce caret ſibi propriâ; quamvis ampliorem à ſole mutuetur. Sic inſinuare videtur S. Ambroſius. *Lumen*, ait, *quod luna mutuatur à ſole.... orbis enim lunæ integer manet, & ſi non ſimiliter totus, ut pars ejus effulgeat.* Vel in tenebris tamen eſt manifeſtum, lunam viatores noctu non illuminare ſecundùm illam partem, in qua luce ſplendet ſuâ; ſed per aliam, quâ rutilat ipſa fulgore, quem participat à Phœbo. Dicet aliquis, dedecus eſſe quòd aſtrorum regina mutuatô ſplendore nobis illuceſcat; non autem nos illuminet ſuo? Cuncti fatebuntur, excellentiùs micare lunam alienâ luce. Sic & ſapiens, cum divina tractat, non obnubilatur, imo clariùs coruſcat, ſumens ab aliis radios, quibus dirigat indoctos. Apprimè noſcebat hoc humilitas D. Bernardi: idcirco, dum *in corde prudentis requieſcit ſapientia* viri, ſectatus aliena placita peritus erudiebat *indoctos quoſque*, ſuperbiam declinans.

Eâ dicendi felicitate concionabatur perillustris verbi Dei præco Bernardus, ut etiam apud ſaxea corda fructificaret: vix quandoque fuit infructuoſum ſemen prædicationis, quod in populos diſpergebat. Saliebat in eo fons aquæ vivæ; qua rigadat ſemina ſua, ne laboraret inaniter ſeminator; de quo Gaufridus in ejus vita: *Dum*, inquit, *etiam auditorum corda emollivit, & vix aliquando vacuus domum rediit.* Refert attamen Cardinalis Hugo, S. Bernardum, quoties concionem abſolvebat, ſolitum fuiſſe flagellis affligere proprium corpus. *Sic*, inquit, *beatus Bernardus, ut dicitur, ſemper poſt prædicationem diſciplinabat ſe.* Quid culpæ commiſerat innocens? Verebatur omnia opera ſua: verberabatque ſeipſum quaſi timens, ne ſi fructum non feciſſet ex illa concione, contigiſſet hoc ex defectu tanti concionatoris. Nulli dubium eſt, locutionem operæ vacuam prorſus inanem extare. S. Iſidorus Peluſiota. *Conſulendum*, inquit, *eſt dicturo, ut non verbis tantùm, ſed reapſe perſuadeat auditoribus. Omnis enim oratio opere deſtituta non tantùm inane quid, & evanidum eſt, ſed etiam opprobrium adfert, potiſſimum dicenti, à quo profertur.* Scimus etiam qualiter viri perfecti ſe defectuoſos exiſtiment; quin eò ſe plùs impuros credant, quo magis ad perfectionis culmen appropinquant. Abbatem lege Theonam. *Quantò enim*, ait, *magis profecerit mens humana, & ad ſinceriorem contemplationis pervenerit puritatem, tantò ſe immundiorem quaſi per ſpeculum ſua puritatis inſpiciet*, &c. & infra: *Paritque ſibi majorem reprehenſionis dolorem irrepre-*

Eccli. 39. 16.

Lect. Figur. ib.

Lect. Syriac. ibid.

Eccli. 27. 12.

S. Ambroſ. to. 1. l. 4. Hexæm. c. 2. fi.

34. *Juſtus veretur ne ſolo doceat verbo, non exemplo.*

Ganfrid. Monach. l. 1. vit. S. Bernar. c. 13.

Hug. Card. in Marc. 8.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 265.

Abb. Theonaſ. apud Caſſian. collat. 23. c. 20

henſibilis vita, & multiplicat gemitus atque ſuſpiria emmendatio morum, & æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo in quo profecerit gradu poteſt eſſe contentus, & quantò quis fuerit mente purgatior, tantò ſe ſordiorem videns magis humilitatis quam elationis invenit cauſas, &c. Eapropter juſtus ardens charitate proximi, formidat ubi non fuiſſe videtur quod timeret; atque trepidat, ne ſolo doceat verbo, non exemplo. Idem ib. c. 21. in princ.

Teſtem advoco Paulum Apoſtolum: qui de ſe ſcribens ad Corinthios, ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne ſorte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Timorem Pauli meditatur Anſelmus, inquiens: *Certè jam de hoc Apoſtolo voce Dominicâ dictum fuerat, quoniam vas electionis mihi eſt, & tamen adhuc ipſe caſtigans corpus ſuum, metuit ne reprobetur, licet ſuprà dixerit, ſic curro, non quaſi in incertum. Ita enim certus eſt de præmio, ut timeat illud amittere: & ita metuit amittere, ut certus ſit de eo.* Prudentem & humilem agnoſco formidinem Pauli. Sed quid proportionis habet ſpecialiter cum prædicatione timor ille? ut quid loquens de caſtigatione prædicta corporis, meminit concionatorii muneris! *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Ad rem noſtram non parùm aptè Primaſius Epiſcopus in eum locum: *Reprobus*, inquit, *ipſe efficitur, qui tantùm verbo docet, non exemplo.* Memor igitur Apoſtolus, quòd ſubiret munus prædicatoris, formidabat, ne propterea fructum in aliquibus non feciſſet, quia nequaquam exemplo, ſed ſolo verbo docuiſſet. Juſtus erat: ideo caſtigabat corpus, quaſi defectus ejus vitæ forent in cauſa ſterilitatis in quorumdam cordibus. Ad prædicta verba Cornelius Alapide refert ſic: *Hinc nonnulli cenſent, Paulum corpori ſuo plagas & verbera influxiſſe.* Sectator Pauli Bernardus caſtigabat corpus habitâ concione; quaſi veritus, ne propter concionantis culpam contigiſſet, fructu vacuum in quibuſdam fieri verbum Dei.

Demum venit admiranda Bernardi ſapientiæ veluti pluralitas, qua ſe cooptabat ſingulis, juxta diverſa nimis genia ſingulorum, & ingenia: quod ingentis prudentiæ munus eſt. Negotiator argumentoſus indefeſsè quærebat Domino ſuo lucra: nullum non movens lapidem, ut ſedulus multiplicaret ſibi tradita, dante Deo, talenta. Redire libet ad hiſtoriographum Alamanum. *Litteratus*, inquit, *apud eruditos, apud ſimplices ſimplex, apud ſpirituales viros, perfectionis & ſapientiæ affluens documentis, omnibus ſe coaptabat, omnes cupiens, lucrifacere Chriſto*, &c. Nec tibi veniet in mentem, prudentiſſimum virum, & egregiè ſanctum ex levitate varias induiſſe formas. Et id prudentia docet: non eſt hoc inconſtans mutatio; ſed aptatio ſui ſapiens. Opportunè Patriarcha Venetus: *Prudentia inſuper*, ait, *mutabilitatem cavere facit, ſi autem prudentiam amplecteris ô homo, ubique idem eris. Et prout rerum aut temporis varietas exigit, ita te accommodabis tempori, ut non te in aliquibus*

1. Ad cor. 9. 27.

S. Anſel. ib.

Primaſ. Epiſc. ibid.

Alap. ib.

36. *Juſtum Dominus cupit eſſe profi cuum indifferenter ad plura in genere ſuo.*

Alaman. Epiſc. in vit. S. Bernar.

S. Laur. Juſt. in lig. vit. c. 4. de prud.

mutes, ſed aptes. Spiritualis vir, prudentiâ magiſtrâ, ſubit citra varietatem viciſſitudines varias: non ſeipſum ad unicum negotium coarctat: non ſeipſum ad unicum negotium coarctat: ſcit enim, placere Domino quòd indifferentem ſe præbeat pluribus muniis. Genus eſt inſufficientiæ quadamtenus, ita ſe virum addicere penitus unicæ rei, quòd ad alias intra menſuram ſuam non ſufficiat. Illum, quem replevit Spiritus Domini, cupit Altiſſimus ut ſe gerat indifferenter ad plura.

37. Corruit Saülus; & mox mutatus eſt in alterum virum. Locutus eſt in viſu Dominus ad Ananiam ut Saülum quæreret. Repoſuit ille, ſe de illo per multos audiviſſe noxium fidelibus in Jeruſalem. Cui Actor. 9. 15. Dominus ait: *Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte* &c. Commentatur Lira: *Id eſt, ſpecialiter vas electum gratiæ & ſcientiæ contentivum.* Liran. ib. Scis, apud Hebræos nomen vaſis latiſſimam pati ſignificationem. Lorinus ibi: *Vas autem*, inquit, *apud Hebræos ponitur pro omni inſtrumento, ut* vaſa mortis *ſunt ſagittæ*: vaſa iniquitatis bellantia, *inſtrumenta bellica, ſeu arma iniquè adhibita*, &c. Lorin. ibid. & infra: *Vaſa item Pſalmi ſunt muſica inſtrumenta*: &c. Ecce nomen illud, *Vas*, quod attribuitur Paulo, videtur ſub dubiâ ſignificatione legi. Quare non aliquid huic vocabulo fuit ſuperadditum, ex quo dignoſceremus apertius de quo genere vaſis ibi fieret ſermo? Fortè, quia Dominus optabat, quòd Apoſtolus ſe gereret ut indifferens inſtrumentum Dei pro muneribus multis. Hoc divinum deſiderium Gentium Doctor opere complevit, ſic ut verè dixerit: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* 1. ad Cor. 9. 22. Excellebat in hoc magiſtro prudentia: cujus eſt veluti plurificare ſapientem. S. Ambroſius ad proximè data verba Pauli: *Hoc fuit viri prudentis & ſpiritalis, ut omnibus omnia factus, propoſitum tamen religionis non excederet*: &c. S. Ambroſ. to 3. in com. ib. Sic Apoſtolus aptabat ſemet ſingulis, quaſi multis foret. Si Bernardum videres & audires, forſan adhuc extenſionem Pauli meditareris in eo, dicens: Ecce qualiter *in corde prudentis requieſcit ſapientia*, & varias exhibens abſque fictione perſonas, *indoctos quoſque erudiet.*

DELIBATIO IV.

Sapientia cœleſtis requieſcens in area teſtamenti, hoc eſt, in D. Antonio Luſitano.

38. *Prædicatores Deus cupit humilitatis exerci-ia non obliviſci.*

UT Lyſſiponenſi Doctori meo libens nunc perſolvam qualiſcumque devotionis officium: expendens breviter maximam ſapientiam illius; quem tantâ copiâ dicendi replevit Omnipotens, ut concionantem audiens aliquando Summus Pontifex illum appellaverit arcam teſtamenti. Poſſet utique, verbis abutens, quæ protulit de Paulo Chryſoſtomus, eum arce Noë præferre, dicens: *Et hinc quoque illam vicit arcam, quia illa quidem corvum recipiens, corvum rurſus emiſit, & includens lupum, feritatem ejus mutare non potuit: hæc verò accipitres milvoſque ſuſcipiens, fecit columbas*, &c. S. Chryſoſt. to. 3. hom. 1. de laud. Pau. longe ante med. Antonius equidem velut arca, propriis viſceribus concludens peccatores; quorum alii corvos, alii lupos referebant, in columbinam conditionem tranſmutavit prædicationis officiô. Sapientiam ejus inſignem enarrent populi; Dominique laudem concinant; à quo donum cunctum optimum. Habitu mutato ſe contulit Antonius in Minoritarum familiam; ubi ſe dedidit humilibus exercitiis. Hæc humilitas illum præſtitit aptiſſimum, quo cœlitus repleretur abundè ſapientiæ ſalutaris imbribus: nec enim recipit infundenda, niſi qui per humilitatem ſit vacuus. Eumdem Antonium lege. *Soli pauperes*, Ait Paduanus, *id eſt humiles evangelizantur. Quia concavitas eſt receptiva infuſorum, ſed tumor repellit infuſa.* S. Anton. Ulyſſip ſer. Dom 2 Advén. poſt med. Addam ejuſdem Sancti verba quædam, in humilitatis præconium tempeſtiva. *Per fratrem* (de Benjamin loquitur Antonius) *minimum intelligitur humilitas, ſine qua infructuosè egreditur prædicator, nec ejus à Deo probantur ſermones. Et econtrariò qui Benjamin ſecum habet multum fructum affert.* Idem ſer. 4. de Apoſt. longe ante med. Exponere non ſufficio quænam ſit illa venuſtas animi demiſſi; quam Deus peculiariter ſibi placere demonſtrat in eis, quos elegit, ut lucem doctrinæ diſpergerent: hos vellet humilitatis exercitia non oblivíſci.

39. Non mihi ſanè mirum eſt, quòd Filius Dei vocaverit piſcatores in Apoſtolatum: infirma quippe mundi ſapientia Dei gaudet eligere, quò fortia confundat. Hoc tamen admirari juvat, quòd poſt Magiſtri ſurrectionem, piſcationem repetierint aliquot Apoſtoli. *Dicit eis*, ait Joannes, *Mittite in dexteram navigii rete; & invenietis.* Ioan. 21. 6. *Miſerunt ergo: & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Cum nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, ſit aptus regno Dei; quomodo qui retia dereliquerat Petrus iterum piſcatur? Reſpondeo. Inſtructi jam erant doctrinâ Domini; necnon & exercuerant prædicandi munus: voluit Magiſter optimus, ut non dedignaretur Simon artem piſcatoriam exercere; quæ quidem humilis eſt adeo, quòd Toletus premens illa verba Salvatoris: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* dixerit: *Hoc autem loco pueros vocat, quia officium quaſi ſervorum exercebant*: &c. Ib. n. 5. Cardin. Toler. in Joann. ib. Servile munus excitabat in Apoſtolis humilitatem: quæ præparatio fuit congruens, ut ab Spiritu Paraclito docerentur. En quantî Deus facit animi ſubmiſſionem. Sed replicabis: Cur ergo voluit progigni de ſanguine regum qui tantî duxit humiles? Quoniam reges illi non erant Evangelium prædicaturi; ſed Apoſtoli maximè. Specialiter in concionatoribus Evangelicis Deus amat humilitatem. Idcirco voluit ut Antonius in ſerviendi munere factus minimus, virtutem iſtam foveret; quò ſic in ſapientia major evaderet, atque maximus.

Ignotus

40. *Obedientia mentem illuminat.*

Ignotus in Ordine Minorum deliteſcebat Antonius: ac tunc lucerna poſita fuit ſuper candelabrum, cùm jubente prælato ſubito concionari, quamvis humilis reſtiterit; humiliter obedivit. Obedientiâ ſuâdente congruum fuit ut egregius Prædicator initia poneret hujus muneris: etenim Doctor ipſemet ad illa verba Domini: *Poſui vos ut eatis* &c. ait ſic: *Bene ergo dicitur*: Poſui vos ut eatis &c. *Quod eſt contra eos, qui ad officium prædicationis ſe congerunt & imponunt, nec expectant ut à Deo & prælatis imponantur.* Multum prodeſt obedientia pro mentis illuminatione. Dixit ſapienter Humbertus: *Obedientia in hujus mundi tenebris vicem ſupplet diſcretionis.* Et infra: *Vir ſimplex per obedientiam aſcendit ad ſapientiam*, &c. Perfectus obediens non ſolùm voluntatem dirigi ſinit à ſuperiore; ſed mentem ei tradit illuminandam, qui face præit; proindeque lucem illum experitur, atque dueem. Aliter offunduntur elationis tenebræ ſubdito; quibus præpeditur, & à tramite recto. devius oberrat. S. Joannes Climacus: *Ex obedientia*, inquit, *uti jam ſupra diximus, exiſtit humilitas: ex humilitate religioſa prudentia (quam religioſi ſcriptores diſcretionem vocant) .... Ex diſcretione, diſpiciendi gratia, ex hac prævidendi facultas redundat.* Ecce vides, mentis fulgorem ex obedientiâ deſcendere. Quapropter obtemperantis eruditur intellectus, ut aptè loquatur: juſſio doctrinæ munus agit.

Joan. 15. 16. S. Anton. Ulyſſip. ſer. 4. de Apoſt. med.

Humber. l. 2. ſpec. relig. c. 1. poſt med.

S. Joan. Clim. in ſcal. gr. 4. longe ante med.

41. Jeremias, cum Dominus ipſi denuntiaret, eum conſtitutum prophetam, dixit ad illum: *Ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Tunc Deus ad eumdem: *Noli dicere: Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & univerſa, quæcumque mandavero tibi, loquêris.* Verbum illud, *Mandavero*, juſſionem futuram importat. Hugo Cardinalis: Quæcumque mandavero tibi, *jubendo: tu voluntatem adhibe: & ego adhibebo poteſtatem.* Videtur impropportionatum divinum reſponſum dicto Prophetæ. Hic fuerat confeſſus ignorantiam: *Neſcio loqui*, &c. Expectabas, Deum fore dicturum ad Jeremiam: Quæcumque docuero te loquêris. Non ita dixit. Urgeo. Quid ſonant verba Vatis? Inſcitiam ætatis puerilis comitem. Cornelius Alapide: *Q. d. Præ pueritia neſcio loqui res tantas*, &c. An mirabile parùm foret ſubitò divinitus hunc edoceri; de quo refert ex aliis idem Cornelius, quattuordecim, aut quindecim numeraviſſe tunc annos cùm propheticum cœpit exercere munus? *Videtur ergo Jeremias, ait à Caſtro, & Antonius Fernandius viſione 11. tunc cùm cœpit prophetare, fuiſſe 14. aut 15. annorum: talis enim eſt puer.* Quare potius exprimit, ſe juſſurum; quàm præbiturum fore doctrinam? Forſitan quoniam per obedientiam peculiari ſplendore fuerat illuſtranda mens Jeremiæ. Munus eſt obedientiæ mentem luce donare. Quidni primam concionem habuerit ex obedientia, præco verbi Dei futurus inclytus, Antonius? Filium obedientia mater ſapiens ad prædicationis munus piè manuduxit.

Jerem. 1. 6.

Ib. n. 7.

Hug Card. ib.

Alap. in Jerem. 1. 6.

Idem ib. ad n. 7.

Erat arca ſapientiæ; ſed clavis ejus poſita fuerat in ſuperioris poteſtate.

42. *Bonus prædicator loquitur ſine perſonarum acceptione quæ feriunt eaſdem ſanctè.*

Inter multas eccleſiaſtæ præclari dotes eminet ſancta libertas dicendi; qua longè diſſitus à perſonarum acceptione dat monita ſalutis, & magnis, & parvis. In hoc emicuit Antonius: ita, quòd etiam extra ſacrum ſuggeſtum liberrimè ſit locutus ad Encolinum tyrannum; cui feritas vix aliquid humanum præter nomen hominis reliquerat: iſti comminatus eſt iram divini rectiſſimique Vindicis, & ignes æternos. Profuit ſevera correctio: nam ferus homo zonam ſibi detrahens impoſuit collo: proruit ad Antonii pedes, & emmendationem ſpopondit. Quamvis promiſſum non impleverit, attamen in acceptandâ correptione viri Dei plures alioquin pios exceſſit principes, qui ſuos prædicatores volunt canes mutos; quaſi regium ſit veritatem proferre volentibus ora claudere. Audiant S. Ambroſium: qui ſic habet: *Neque imperiale eſt libertatem dicendi denegare, neque ſacerdotale quod ſentiat non dicere.* Non ideo quia timent, excuſantur concionantes, qui veritatem ſupprimunt. S. Hieronymus ad illud, quod legitur apud Jeremiam: *Ne formides* &c. ſcribit: *Hoc autem ſignificat, quod ſemper amanda ſit veritas: nec timenda hominum multitudo: qui increpati correptionem non ſuſtinent, ſed inſidias tendunt ei à quo corripiuntur.* In laudem cedit concionatoris robur ſtrenuum, quo minas poteſtatem ſæculi contemnit. D. Gregorius Papa: *Prædicator egregius deſpectis poteſtatibus ſæculi, nullos minarum ſonitus pertimeſcit.* Cantoris, non autem prædicantis eſt quibuſdam perſonare læta, quibuſdam triſtia, prout occaſio tulerit, & audientium voluntas direxerit. Officium prædicatoris eſt ea, quæ diſplicent auditoribus ita proponere, quòd æqualiter feriant aures aſſuetas adulationi, quàm cæteras: non pro variis deſideriorum generibus, in quæ dividitur adſtantium diverſa multitudo, modulatur voces. Quod ingratum fore novit, eodem prorſus modò proponit maximis, & minimis.

Ribad in v. S. Anton. Ulyſſip.

S. Ambroſ. to. 5. ep. 17. poſt princ.

Ierem. 1. 17.

S. Hieron. to. 5. l. 1. in Ierem. ib.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 31. mor. c. 15. longe ante fi.

43. Dominus ad Oſeam dixit quondam: *In gutture tuo ſit tuba* &c. Commentatur D. Hieronymus: *Præcipitur Prophetæ, & dicitur ad eum*: In gutture tuo ſit tuba: *hoc eſt, ſic exalta vocem tuam, ut tubæ ſimilis ſit: ut plurimi audiant, quia plurimi peccaverunt.* Nota, quod non Vati jubetur (quantùm exprimit ſonus verborum) ut in ore tubam habeat, ſed in gutture. Huic loco mutuam accipe lucem à Sanctio, non ibi, ſed ſuper Iſaïæ locum: *Quaſi tuba exalta vocem tuam*, &c. Commentator ait: *Hoc proprium eſt* clamare, *tubarum inſtar vocem fundere acrem quidem & ſonantem, informem tamen, & immoderatè profuſam*, &c. Veniamus nunc ad Oſeam. Vox in gutture quidem informis eſt: in ore dearticulatur; & ibi fit verborum varietas completè. Jam articulata varietatem habet, quâ ſonat quibuſdam his verbis; quibuſdam autem, aliis. Non ſic dum vox eſt in gutture loquentis; nam ibi ſonus eſt idem, quam-

Oſe. 8. 1.

S. Hieron. to. 6. l. 2. in Oſe. ib.

Iſaï. 58. 1.

Sanct. ib. v. 1. n. 8.

vis ingratus cunctis pariter. Sic oportet inſonent verba concionatoris increpantis: more nempe tubæ; cujus clangor auditum æquè ferit unius & alterius, æqualiterque ſonat coram audientibus. Ita Paduanus, veritatis diſſeminator, tubâ clangebat acriter: nunc ad arma vocans capeſſenda ſpiritualia pœnitentiæ; nunc timorem Dei ſuadens; omnibus & ſingulis fortia medicamenta propinans.

44. Ribad. ſup. *Spiritus ſanctus doctoribus peculiariter ſublimibus præbet ſe velut inſtrumentum, quò ſicut libuerit utantur.*

Accidit, Antonium ad populum non unius idiomatis unicâ linguâ prædicantem, intellectum fuiſſe per ſingulos, ac ſi loqueretur omnium ſimul oratione maternâ. Meditabar ſcire cupiens, quid fuerit in cauſa, cur non potiùs Deus voluerit ut Antonius pluribus linguis loqueretur. Hæc diſparitas eſt inter loquentem variis linguis, & concionantem unâ tantùm, ſed intelligente populo variæ nationis. Cùm priori modo ſe gerit qui potitur dono linguarum, docetur à Spiritu ſancto ſic loqui. Docendi munus authoritatem denotat: & ſpecialiter dilectis ita favet Paraclitus aliquoties dulciter, ut majeſtatem deponere videatur. At verò ſi, dum prædicator uno ſolùm idiomate loquitur, percipitur à plurium linguarum hominibus miraculosè, divinum Flamen velut interpretatur ſermonem ipſis. Munus interpretis, ordinariè, minoritatem involvit reſpectu loquentis: eſt enim ſaltem quaſi miniſter ejus, cui præſtatur hoc officium. Adeo tenerè dilexit Antonium Spiritus almus, quòd illi ſervire viſus eſt ad arbitrium. Non dedecet Perſonam tertiam Trinitatis hic voluntarius quaſi famulatus; cum ſic diligat mortales, ut S. Aëlredus aſſeverare non fuerit veritus: *Porro nutritium noſtrum nihil lubentius dixerim, quàm Spiritum ſanctum*: &c. Non dedignatur amor celare majeſtatem. Quid mirum, quòd Spiritus divinus, qui totus amor eſt, ſponte ſe veluti dimittat in obſequium juſti? Magnam ejus dilectionem erga ſanctos ipſius teſtatur in eos liberalitas. Quot illos donis afficiat, ex D. Baſilio cape. *Sic*, ait, *Spiritum ferentes animæ à Spiritu illuſtratæ, tum ipſæ ſpirituales efficiuntur, tum in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præſcientia, myſteriorum intelligentia, occultorum comprehenſio, donorum diſtributiones, cœleſtis converſatio, cum Angelis tripudium, indefinens lætitia, in Deo perſeverantia ad Deum ſimilitudo, & quod omnium verum appetibilium ſummum eſt, ut deus fias.* Fateor, Spiritum ſanctum erga juſtos munus exequi docentis. Idem Baſilius dixit: *Scriba igitur eſt Spiritus ſanctus, quia ſapiens eſt & doctor omnium. Velociter verò ſcribit, quia velox eſt mentis motus. Sententias autem inſcribit nobis Spiritus, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis.* At circa ſanctos inſignes (licet eorum ſit verus magiſter) perhibet ſe velut aquæ torrentem; quam flectit hortulanus quò vult ad irrigandum. Aquarum ſimilitudo non eſt inopportuna pro divino Spiritu, quamvis ignis dicatur. Remigius Antiſſiodorenſis inquit: *Spiritus ſanctus aqua dicitur*: &c. Itaque pro doctoribus peculiariter ſublimibus, divinum Flamen videtur præbere ſemetipſum velut inſtrumentum, quò ſicut voluerint, utantur.

S. Aëlred. hom. de Ieſu pue. longe ante fi.

S. Baſil Mag. l. de Spirit S. c. 9. juxta fi.

Idem hom. 22. in Pſal. longe ante med.

Remig. Antiſſiod. expoſ. Pſal. 1.

Vidit Ezechiel volumen, cùm fuit creatus à Domino Propheta. *Comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſraël. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo*: &c. Notavit Cornelius Alapide libri ceremoniam. *Sicut*, inquit, *ergo doctores creantur, tradendo librum: ſic hic Ezechiel creatur propheta, accipiendo volumen prophetiarum à Deo.* Equidem Apoſtoli die Pentecoſtes ordinati fuerunt mundi magiſtri: non tamen ſuper eorum capita libri comparuere diſpertiti; ſed potiùs igneæ linguæ. Cur ita? Nota, quòd linguis ejuſmodi ſedit ſuper eos Paraclitus. D. Cyrillus Jeroſolymitanus: *In ſpecie autem linguarum ignearum ſedit ſuper illos, ut novæ coronæ ſpiritales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Adde Bedam, inquientem: *Qui enim diſcipulos & zelo ſuccenſos, & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas oſtendit.* His præmiſſis, inquiramus nunc motivum, cur Ezechiel inſignitur libro; non ſic Apoſtoli; ſed linguis? Fortè: quia libri ſunt veluti magiſtri: non eis omnino pro libito poteris uti, ne ſenſum adulteres. At verò lingua nobis inſtrumentum eſt, quod flectamus ad placitum noſtrum. Non ignoras quantùm ſanctitate præiverint Apoſtoli Vatem, atque ſapientiâ. Quamobrem Ezechiel conſtituitur propheta ſub ſigno libri: quia Spiritus Dei ſe magiſtrum offerebat eidem; quo non ad placitum proprium totaliter uteretur. Apoſtoli verò linguis donantur divinum Spiritum deſignantibus: cum enim ſublimiorem ſanctitatis locum vendicarent; ac ſpecialiter ſublimes orbis doctores futuri eſſent; Paraclitus dedignatus non fuit ſe velut illis inſtrumentum præſtare; quo pro libito ſuo valerent uti. Non legimus accepiſſe D. Antonium donum linguarum, quò poſſet variis nationibus loqui: ſed meditamur Spiritum ſanctum in ore ejus poſitum quaſi linguam, quam videbatur adhibere ſicut inſtrumentum, ut ſimul à diverſorum idiomatum auditoribus intelligeretur.

longe poſt med.

45. Ezech. c. 3. 1. 2.

Alap. in com. ib. ad n. 1.

S. Cyrill. Jeroſol. catech. 17. ante med.

Bed com. in Act c. 2. longe poſt pr.

Poſtremò conſiderandum, quod non ſemel contigit Antonio miraculum. Quater in duplici loco ſimul viſus eſt. Sed notandum venit modò, quòd, cum Feria quinta in cœna Domini debuerit lectionem in choro decantare; manens tacitus ubi ſermonem habebat, apparuit apud fratres, ut lectionis officium perſolveret. Similis alter narratur caſus. Utrumque miremur percontantes, ad quid in ſuggeſto manſit Antonius; cum tunc temporis ille ſileret? Quia necnon tacens loquebatur mirabilia Dei: quin & ampliùs tacendo loquebatur. Appoſitè S. Ambroſius: *Fidus myſteriorum*, ait, *interpres tacendo plus prædicat.* O Filii Dei clariſſimum imitatorem! de quo, dum non adhuc mortalibus publicè prædicaret, protulit alloquens Dominum eumdem S. Bernardus hæc: *Diu tacuiſti & valde diu*: & infra: *Tacebat ore, ſed inſtruebat opere*: &c. Sub ſilentio

46. Ribaden. ſup. *Sapientia non vulgaris eſt docere tacendo.*

S. Ambroſ. to. 2. expoſ. Pſal. 118. octon. 4. longe poſt med.

S. Bernard. ſer. 1. de Epiphan. ante fi.

ſilentio permanens Antonius, velut arca teſtamenti claudebat ſapientiam, & egregiè concionabatur: nam & obedientiam eſſe majoribus præbendam indicabat; & palam faciebat omnipotentiam Domini, qui prodigium iſtud patravit; licet auditores hæc non perciperent. Quinimo tacentis Antonii ſapientia fulſit in eo, quòd ſilens docuiſſe videatur; cum fieri potuerit ut vocem mitteret in utroque loco. Sapientiæ non vulgaris eſt docere tacendo.

47. Quamvis apud Matthæum habeamus, fuiſſe Magos ductos per ſtellam dum quærerent ortum Regem; tamen opinatur Cæſarius frater Gregorii Nazianzeni, ductorem iſtum Angelum extitiſſe. *Quia Samaritani & Sadducæi Angelos non recipiebant, meritò ſtellam Angelum Divus Evangeliſta vocat. Sed & cultum aſtris impenſum ad Chriſtum trahens, à multorum deorum errore mortales reducendo, velut ſtellam ponit Angelum viæ adorationis ducem.* Sequentes hoc Cæſarii placitum notabamus, Angelum nec unicum verbum feciſſe, quò Magos inſtrueret: non de Rege nato quidquam protulit eis: non viam ſermone docuit. Angelus equidem locutus eſt ad paſtores de nativitate Domini: Solis hujus Orientem indicavit. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David.* Ad ruſticos loquitur Intelligentia cœleſtis? ad ſapientes nihil fatur Angelus? Ex hoc ipſo quòd ſapientes erant, ipſos direxit cœleſtis Ductor ſine loquela. Congruum fuit, ut coram peritis Angelus demonſtraret ſemet ſapientiorem illis. Et cum ſapientiæ non vulgaris indicium ſit edocere tacendo, muto ſtylo Magos inſtruxit. Prædicta ratio ceſſabat pro ruſticanis. Scientiam habet vocis Paraclitus: attamen ſemel apparuit in forma columbæ (quod mutum animal eſt) ut inſtrueret Baptiſtam: rurſus in igne venit, qui vocem non edit, ad Apoſtolos docendos. Et ſilentium datur vocale. Sic meditor Antonium in ſuggeſto ſacro tacentem, ſimul atque tacitè loquentem, ut prædicebam. Dum reticet, non ejus labia proferunt eloquentiam: ſed adhuc *in corde prudentis requieſcit ſapientia*, velut ſi clauderetur in arca, *& indoctos quoſque erudiet.*

Cæſar. frater Nazianz. dial. 2. longe poſt princ.

Luc. 2. 10. 11.

DELIBATIO V.

Abſcondens virtutem ſuam laudatur: congruit illam juſtum neſcire. Cave nimium amorem ſapiendi. Solitudo in frequentia. Quò plùs ſapis, amplius deſideras.

48. IN *corde prudentis.* Dato, quòd moraliter ſumamus hoc loco ſapientiam pro virtute; non intempeſtivè reducemus in memoriam quantùm diligat virtutis humilitas latere. Quamvis luceat in opere; nihilominus affectu ſaltem abſconditur in corde. Societatem quadamtenus inire videntur hîc lux ac tenebræ: virtus enim, quæ lux eſt, affectat umbram. Anima juſti lunæ ſimilis eſt: quæ ſplendore diurno tegitur; in mediis verò tenebris coruſcat. Proficuus eſt hîc Angelomus: *Quia menſis*, inquit, *plenitudine dierum lunaris circuli perficitur, rectè per illum plenitudo virtutis cujuſque ſpiritalis oſtenditur, in qua mens fidelium à Domino quotidianâ illuſtratione, quaſi luna à ſole reſpicitur.* Non amat qui dilectione fertur in Deum placere mortalibus. Rationes de verbis collige. S. Leonis Papæ: *Diligenti Deum*, inquit, *ſufficit ei placere quem diligit: quia nulla major expetenda eſt remuneratio, quam ipſa dilectio.* Humanæ laudationis gloriolam venari, cùm bona gerimus, indevotæ mentis eſt. S. Chromatius Epiſcopus: *Non eſt*, ait, *devotæ mentis idcirco in Dei rebus aliquid operari, ut gloriam humanæ laudis expectet.* Quin, ſi maturè res perpendatur, nequaquam reddit commendabilem Chriſti ſervum vulgi plauſus. Optimè S. Laurentius Juſtinianus: *Non*, inquit, *verborum pompa, non vulgi favor, non propria æſtimatio, ſed animi vigor, magnanimitas cordis, diffidentia ſui, Chriſti militem commendabilem reddit.* Imo potiùs dicam, oſtendere ſe pluſquàm hominem juſtum, qui ſuæ virtutis actus abſcondit voluntariè. Cùm, licet humilitati det operam, tamen operatur publicè, credetur adhuc homo; cùm verò ſpontaneus eligit abdi, reputabitur Deus.

Angelom. ſtrom. in 3. Reg. c. 5.

S. Leo Pap. ſer. 7. de jej. jun. ſept. menti. c. 3.

S. Chromat. Epiſc. de 8. beatitud. concion. 1. longe poſt med.

S. Laur. Juſt. l. de caſt. connub. c. 6. poſt princ.

Ad Joannem Baptiſtam Dei Filius venit, ut baptizaretur ab eodem. Sed quia baptiſmum ſuſcipere peccatoris eſt, ut innocentiæ Salvatoris innueretur, vox Patris inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Forſan vocem iſtam diabolus audivit: non tamen ideo cognovit, illum filium eſſe naturalem Dei. S. Anſelmus de diabolo dixit: *Audierat forſitan de cœlo vocem Patris, ſed putavit eum vocari filium adoptivum, ſicut & alios ſanctos.* A flumine venit Aſſertor ad illam ſolitudinem, in qua bellum iniit cum hoſte communi. Dæmon Dominum tentans, hæc verba deprompſit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Ecce jam in magnam ſuſpicionem devenit malignus, quòd ille, quem videbat hominem, Deus eſſet. Paſchaſius: *Contuendum itaque*, ait, *quod tandem priùs interrogatione uſus ſit inimicus, ſi poſſet explorare quod formidabat valde ſuſpectans. Cogitabat enim eum eſſe Filium Dei*, &c. Nunc ſuſpicatur Divinitatem Servatoris; in Jordane cur non ita? Puto quia patuit in amne ſatis illud humiliationis exercitium, quod præſtitit ibi Redemptor: nam vox inſonuit auribus multorum, ipſum à Deo genitum eſſe; conſequenter eximium virtutis actum perfeciſſe, dum baptiſmum ſuſcepit, ac ſi foret peccator. *Venit Spiritus ſanctus*, ait Chryſoſtomus, *in ſpecie columbæ & vocem traxit ad Filium, cunctiſque fecit eſſe perſpicuum quia iſtud quod ait*, Hic eſt filius meus dilectus, *non de Joanne Baptiſta, ſed de Fi-*

49.

Matth. 3. 17

S. Anſel. com. in Matth. c. 4.

Matth. 4. 3.

Paſchaſ. l. 3. in Matth. ib.

S. Ioan. Chryſoſt. to. 2. hom. 13. in Matth. longe ante med.

lio baptizato deberet intelligi. Opus inſigne virtuoſum in propatulo perpetratum non induxit in ſuſpicionem Deitatis latentis in homine. Jejunium autem & oratio, quam ibi credibile Chriſtum exercuiſſe, cum fuerint deſerti latebris abſcondita ſponteneè, diabolum coëgerunt ad hoc, ut hunc, quem cernebat mortalem, ſuſpicaretur Deum. Exhinc deducitur quàm excellentiùs reſplendeat virtus, quæ ſaltem per affectum latet *in corde prudentis.*

50. *Convenit juſto noſcere quid operetur.*

Hoc adeo verum eſt, ut ſi fieri poſſit, congruentiſſimum extet, quòd tua virtus oculis propriis abſcondatur. Sed quo modo juſtus ignorabit quod eligit operari? Nemo ſine crimine vivit: ob oculos pone culpas, quas admiſiſti: ſic te latebit quod in temetipſo virtutis eſt. S. Petrus Damianus: *Pavo videt*, ait, *in pedibus ruſticum aliquid, quod deſpiciat; ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat: in promptu eſt, unde ſe debeat in humilitate depromere; poſt tergum gerit unde valeat, quaſi præ cæteris avibus ſuperbire. Te quoque quodammodò quod in te virtutis eſt, lateat; ſi quid verò vitioſum, & correctionis eſt dignum, ab aſpectu tui judicio non recedat.* Multi ſunt virtutis actus, quos intus habemus; & non certò ſcimus (prout exploratum vulgò Theologis): noſtri ſunt; & ignoramus à nobis poſſeſſos. Providit hoc omnium Conditor: quia prodeſt hæc ignorare. Laudator econtrariò nobis ponit in conſpectu nocivus quod & ipſe neſcit: curans ut proprios defectus nequaquam cernamus. Accommodè S. Joannes Climacus: *Bonus Deus*, inquit, *ſubinde virtutes quas poſſidemus, abſcondit à nobis. Laudator verò, imo deceptor, dum nos laudat, oculos aperit. His porro apertis, theſaurus virtutum omnium evaneſcit.* Et infra: *Quando laudatores, aut potiùs deceptores, nos laudare cœperint, tum innumeram peccatorum noſtrorum multitudinem nobis ob oculos proponemus, & nos prorſus indignos iis quæ de nobis dicuntur aut fiunt, reperiemus.* Convenit igitur virtutem ſectanti noſcere quid operetur mali; neſcire quid agat boni.

S. Petr. Damian. l. 2. ep. 11. ante med.

S. Ioan. Clim. in ſcal. gra. 22. longe poſt princ. & ante fi.

51. Matth. 6. 3.

Coram diſcipulis monita quondam ſalutaria dabat Magiſter divinus. Inter alia dixit ſequentia verba: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*: &c. Suſpicor, hanc doctrinam non ad ſolam eleemoſynæ largitionem eſſe coarctandam, ſi mentem divini Præceptoris attendamus. Hoc unum ſcio, quòd Hugo Cardinalis hoc loco ſuper illa verba, *Neſciat ſiniſtra* &c. ſic habet: *Id eſt prava intentio, vel appetitus temporalium.* Et infra: *Dextera eſt bonum opus.* Ne prætereas hoc indefinitè dictum per Commentatorem. Nunc quæro. Cur ignorantia ſuadetur ſiniſtræ manus de factis dextræ; non autem injungitur dexteræ manui neſcientia geſtorum per ſiniſtram? nonne ſociæ ſunt ambæ? ſi nec manuum noſtrarum talis eſt ſocietas, ut valeat ſiniſtra dextra confidere facta ſua: quare non dicitur univerſa, quòd ſiniſtræ facta neſciat ſimiliter dextra? Reſpondeo. Cardinali citato docente, ſcimus per ſiniſtram intelligi pravam intentionem; vel appetitum temporalium. Conveniens equidem eſt, ut ambitio laudis (quam numerari non renues inter pravas intentiones hominum) neſciat opera dextra, hoc eſt, commendabilia; ne ſiniſtro faſcinentur oculo. Sed econtrariò quæ tibi ſiniſtra ſunt, id eſt, vituperabilia dextera cernat, ut emmendet. Meritò dicebam opportunum fore, quòd ſi fieri queat, oculos corporales fugiat opus tuum bonum: ſic tutiùs virtus requieſcet *in corde prudentis.*

Hug Card. ib.

52. *Cavendum, ne ſit nimius amor ſapiendi.*

Requieſcit ſapientia. Non cujuſque ſapientiæ propria requies hæc eſt: nam ea quæ ſuperbiæ jungitur, ſtare neſcit; geſtiens tranſilire terminos poſitos à Creatore. Noxium homini valde crede multorum (velut hereditariam à Protogenitrice noſtrâ) cupiditatem ſciendi nimis. Doctrinam ſuſcipiant iſti S. Ambroſii. Ait ille: *Non tibi licet ſcire ô homo alta ſapientiæ: ideo tibi ſcriptum eſt*: Noli altum ſapere, ſed time. *Quid curiosè quæris inveſtigare quod tibi non expedit ſcire, nec cognoſcere datur? Paulus audivit aliqua ſecreta ſapientiæ, quæ prohibitus eſt aliis intimare, ... Si quæ audivit homo, non licuit ei loqui, quemadmodum quod non audivit inquirit?* Non tantum ſtultum eſt hoc; ſed noxium. Ambroſius idem: *Eſt autem menſura ſapientiæ: quæ ſi ſupra menſuram ſit, nocet*, &c. Infantis apologo bellè D. Anſelmus hoc explicat, dicens: *Si enim pro viribus ſuis alatur infans, fiet ut creſcendo plus capiat. Si autem vires capacitatis ſuæ excedat, deficiet antequam creſcat.* Puello congruit lac; non autem incipit nutriri ſolido cibo: poſtmodum nequaquam fortî dape, ſed tenuî nutrix alimentat eumdem. Si fiat aliter, nocumentum accipiet in alimento. Haud abſimiliter circa panem intellectus cavendum eſt, ne per nimietatem noceat amor ſapiendi.

S. Ambroſ. to. 2. l. 1. de interpell. Iob. c. 9. poſt princ.

Idem to. 1. annot. in Exod. 31. poſt princ. S. Anſel. com. in Epiſt. ad Rom. c. 12. longe poſt princ.

53. Eccle. 10. 10.

Eccleſiaſtes cupiens abominationem otii ſuadere, ſtudiique fructum, prudenter utitur ſimilitudine ferri, quod uſus conſervat, & nimia quies peſſundat. *Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.* Commentatur Hugo Cardinalis: *Sicut enim*, ait, *otioſitas ferrum obtundit, denigrat, rubiginat, & conſumit: & econverſo, uſus exacuit, dealbat, elimat, & à corroſione rubiginis conſervat: ſic humanam mentem otium obtundit, & denigrat, & rubiginat, & conſumit. Exercitatio vero ſtudii ſalutaris exacuit: perſpicacitate dealbat*: &c. Quamvis hujuſmodi ſimilitudinis ferri cum hominis mente pateſcat analogia; juvat aliquid ad rem noſtram hic reperiſſe; quò magis proportio metaphoræ roboretur. Notare non te pœniteat, quòd, ſi nimius fueris in exacuendo ferro, paulatim illum imminues, & quod, ſi fieret attemperatè, prodeſſet; per nimietatem, ferri damnum eſt. Sic humana mens adhibitâ moderatione ſtudiis incumbens, proficit, & à quaſi rubigine præſervatur; at ſi plus curaveris, quàm oportet, ſapere, tibi noxium hoc

Hug Card. ib.

erit:

erit: nam vel fatuus fies; vel, quod pejus eſt, ſuperbiam augebis. Igitur ſatage quod tuum ſciendi ſtudium non ſit inquietum ad multa ſphæram prætergredientia propriam: ille ſapit feliciter, in cujus *corde prudentis requieſcit ſapientia.*

54. *Poteris in turbarum frequentia ſolitarius quieſcere.*

Adhuc dono verbum illud, *Requieſcit*, ad ponderationis trutinam revocandum eſt. Ut iſtam requiem ſapientiæ conſequaris, perutile nimis eſt animo quieſcere: non enim illa quietum domicilium conſtituit in viro; cujus præcordia carnalibus fluctuant. Optimè D. Gregorius Papa dixit: *In his itaque inquietudinum fluctibus habitare ſapientiam non poſſe cognoſcens, ait:* Et mare loquitur, Non eſt mecum. *Nullus quippe eam plenè recipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Unde & aliàs dicitur:* Sapientiam ſcribe in tempore otii, & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam. *Et rurſum:* Vacate, & videte, &c. Ut iſtam conſequaris abſtractionem commoda valde noſcitur ſolitudo. Quantùm in iſtius quiete Magnus Baſilius complacuerit, infer ex eo quòd migraturus ad quemdam locum ſolitarium ſcribit Gregorio Theologo. *Florum*, inquit, *aut canorarum volucrium multitudinem, alius quiſpiam fortaſſis admiretur. Mihi verò non vacat his animum advertere. At verò quod maximum de hoc loco dicere poſſum, hoc eſt, quod ad omnem fructuum fertilitatem idoneus exiſtens, propter ſitus opportunitatem: jucundiſſimam mihi omnium fructuum quietem ipſam nutrit. Non ſolum ob id quod ab urbium tumultibus liber ac ſemotus eſt, ſed quod neque viatorem aliquem tranſmittit, exceptis his qui in venatione nobis commiſcentur.* Non tamen putes impoſſibile, quietem hanc in frequentia populorum inveniri, ſi cordis tui cuſtodiam ſervaveris. Audi rurſus eumdem Baſilium. *Verùm*, ait, *ſeceſſus à mundo, non eſt corporaliter extra ipſum eſſe, ſed animam à conſenſu ad corpus avellere, & eſſe extorrem, ſine domo, ſine re privata, ſine amicorum ſodalitate, inopem, vitæ negligentem, à negotiis alienum, ab omnibus vitæ commerciis ſeparatum, humanarum doctrinarum indoctum, paratum ad ſuſpiciendas in corde formas, quæ ex divina doctrina imprimuntur.* Igitur & poteris in turbarum frequentia ſolitarius quieſcere.

S. Greg. Mag. to. 1. l. 18. mor. c. 25. n. 28.

S. Baſil Mag. ep. 17 ad fi.

Idem ep. 1. longe poſt princ.

55. Cum à prædicationis exercitio veniſſent Apoſtoli, Magiſtroque denuntiaſſent quæ docuerant, ac egerant, Dominus *ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant.* Non propter ſolos Apoſtolos hoc dictum eſt. Crede Victori Antiocheno, dicenti: *Per hoc Chriſtus Dominus Eccleſiæ doctores & paſtores monet, ne externis turbis perpetuò ſe dedant, ſed privatim ſæpe ſecretoque agentes animum colligant, eumdemque à publicis negotiis & occupationibus, quantum res patitur, identidem ſevocent.* Vide tamen quid acciderit non ſine Dei nutu. *Viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc: & prævenerunt eos.* Myſterio vacare non credam, quòd, cum diſcipulos ad requieſcendum vocaverit Præceptor amantiſſimus; permiſerit, ut priùs ad illum deſertum locum, ubi quieſcendum ipſis erat, venientes turbæ perveniſſent. Quod & exprimitur in Textu; necnon & Cardinalis Toletus addit, multos in eodem loco fuiſſe jam, cum Dominus è navi deſcendit. *Cum enim*, ait, *multa turba præveniſſet eum, eſſetque in loco, ubi è navi deſcendit, & adhuc multi confluerent:* &c. Apoſtoli ſanè comitabantur Magiſtrum: ergo cum deſcenderunt è navi, jam invenerunt in eodem loco turbam. Quomodo vocavit eos in deſertum locum, ad hoc ut à multitudine ſegregati quieſcerent? Innuere fortaſſe voluit eis, inveniri poſſe quietem ſolitariam in populi frequentia: nec enim nobiſcum homines erunt ad integram ſocietatem, niſi fuerimus nos animo cum eis. Velis, & poteris utique ſolus eſſe; quamvis adſint multi. Mentem rebus divinis applica, nil curans de ſtrepitu mundi: nam etiam perſtrepente ſæculo *requieſcit ſapientia.*

Marc. 6. 31.

Vict. Antioche in Marc. ib.

Marc. 6. 33.

Cardin. Toletus in Joan. 6.

56. *Et indoctos quoſque erudiet.* Quamvis indoctorum ſolummodò meminerit hoc loco Salomon; doctos non excludit ab ampliori ſcientiâ capeſſendâ. Nullus ita ſcientem ſe præſumat; quaſi nihil ei reſtet agnoſcendum: licet multùm profecerit, adhuc ignorat multa. Lege S. Auguſtinum. *Quantum enim cumque*, ait, *ſciendo profecerit, infra illas litteras ſe inveniet, quas Deus tamquam firmamentum ſupra omnia humana corda conſtituit.* Imo demirare S. Doctorem de ſemetipſo loquentem ſic: *En aſſum ſenex à juvene Coepiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à collega nedum anniculo paratus ſum diſcere*, &c. O quantum diſtant ab Auguſtini ſubmiſſione ſcioli, qui nec mediocrem ſapientiam attingentes, facti ſunt elatione maximi! Auguſtinus aquilino pollens ingenio, humanis litteris inſtructus apprimè, diviniſque peritiſſimus, non adhuc ſe totum comprehendiſſe putabat; ut à minori doceretur paratiſſimus erat. Illi verò, qui nec humaniorum litterarum peritiâ fulgent; nec ingreſſi ſunt ad ſapientiæ ſacræ theſauros, eò modò turgent, ut in prorſus nullo ſinant ab alio moneri. Familiare ſapientibus eſt ab ipſamet ſapientiâ ſuſcipere deſiderium ſapiendi plus intra menſuram ſibi donatam. Accede ſoleis ad hominem doctum: ſapientiam accipies, & ſimul ampliora ſciendi cupiditatem.

Sapiens, dum acquirit ſapientiam, reperit ampliora ſciendi cupiditatem.

S. Aug. to. 6. l. ad Oroſ. contra Priſcill. & Origeniſt. ante fi.

Idem to. 2. ep. 75. longe ante fi.

57. Eccleſiaſtici monitum ſedulus rumina, quo dirigêris ad aliqua. *Si videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.* Verſio Tigurina verba poſtrema ſic legit, ut nobis dubitandi rationem offerat. Ubi Vulgatus habet: *Et concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.* Tigurina vertit: *Et quam deſideras, ſapientia tibi dabitur.* Aliquis dicet, nimis diſſidere: *Concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.* quod habetur in Vulgato, & *Sapientia*

Eccli. 6. 36. 37.

Lect. Tigur. ib.

tibi dabitur. quod legitur apud Tigurinam. Sed arduum non erit rem totam componere; ſi cogitabundus adverteris, quantò magis proficitur in acquiſitione ſcientiæ, tantò plùs augeri ſciendi cupidinem laudabilem, ſervato moderamine. Adeſt hoc loco Dionyſius Carthuſianus, inquiens: *Nempe quantò quis plùs proficit in ſapientia atque virtutibus: tantò plùs ac ferventiùs cupit in eis proficere.* Qui pedem non ſolvit è littore, non cupit appellere portum: poſtquam urbes terræque recedunt naviganti, quò plus navigationis confecit, eò magis ad portum deſiderat pervenire. Sic inſipientes multi velut excipiuntur ab Ariſtotelis effato, quo dixit: Omnis homo naturaliter deſiderat ſcire: quia penitus ignorant quanto pretio digni ſint ſapientiæ fructus. Qui verò jam inſtructi ſunt aſpirant ad majora. Non ergo putes, unquam verum ſapientem otio ſe traditurum. Quamvis legas apud Salomonem: *In corde prudentis requieſcit ſapientia*, &c.

Dion Carth in com. ib. art. 6. fi.

FLOS XXXIX.

Juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.

APERITUR.

1. CIRCA priorem verſiculi partem, quæſtio ſit, an accipienda veniat pro juſtitia generaliter ſumpta, hoc eſt pro bonis moribus; an de virtute ſpeciali juſtitiæ, quæ reddit cuique ſuum? Mihi primum verſimilius eſt. Ita Salazar. Confirmatur hoc ex poſteriori parte parœmiæ; ubi Septuaginta pro, *Peccatum*, legunt, *Peccata*, quod eſt univerſale. Reſpondere priora verba poſterioribus aptè patebit, ſi generaliter juſtitia ſumatur. Benè S. Iſidorus Peluſiota: *Imperiorum robur ac firmitas, Dei amicitia eſt. Ex quo ſequitur, eum qui robuſtè imperium gerit, Dei amicum eſſe.* Non tamen iimitandam puto ſententiam ad bonos mores principis: ad civium rectam vivendi rationem extendi credo: nam generaliter videtur loqui Sapiens. Imo regnum, quo vivitur perperam, potiùs confuſio, quàm regnum dici valet quodammodò. S. Joannes Chryſoſtomus: *Ne mihi dixeris eſſe regnum, ubi eſt legum tranſgreſſio.* Quàm ſit morum puritas Reipublicæ ſtabile fundamentum, dabit Cornelius Tacitus, ita breviter loquens: *Virtute, quàm pecuniâ Reſpublica melius ſtat.*

Salaz in Prov. 14. 34

Lect Sept. ib.

S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 291.

Chryſoſt. to. 2. hom. 4. de verb. Iſai. longe poſt med.

Cornel. Tacit. l. 2. annal.

2. Salomonici dogmatis hujus poſterior pars ex priori manifeſtè patet. Secundùm interpretationem, quam ſequimur, tribuitur miſeria populorum ſceleribus, tum regum, tum obtemperantium eiſdem; ſicut felicitas publica naſcitur ex utrorumque probis moribus. Accipe Dionyſium Halic. *Bonis*, inquit, *legibus & honeſtorum ſtudiorum æmulatione, pia, temperans, juſta, & re bellicâ præſtans Reſpublica redditur.* Infelicitati ſæpe tribuuntur publica mala; cum potiùs tribuenda forent criminibus. Juſtus Lipſius ait: *Deus eſt, qui publicas has clades immittit, qui alit, fovet; & tum finiet, cum nos earum cauſas. Ea autem peccata ſunt.* Ex prædictis rejiciuntur Rodolphus & Hugo Cardinalis, curtè nimis interpretantes primam parabolæ partem: quatenus ille per juſtitiam intelligit eleemoſynam; hic verò per eamdem accipit humilitatem.

Dion. Halic. l. 2.

Juſt. Lipſ. cent. 2. ep. 6.

Rodol. & Hug. Card. Prov. 14. 34.

3. *Juſtitia.* Novum non eſt, hoc vocabulum ſumi pro ſanctitate morum univerſaliter dictâ. Dono tibi, quamvis Incertum, dicentem: *Unde nunc ad veram juſtitiam veniamus, omnium fontem, matremque virtutum quæ præter cæteras tota ſe ad alienas utilitates colligit, atque explicat, ſciens, quid Deo principaliter debeatur*, &c. & infra: *Planè cauta, ne quam declinet in partem: ne in aliquo ſe ipſa reprehendat: ne opere cœpto unquam deficiat.* Juſtitia Prædicta peragit multa. Non otioſum erit legere Theodorum Edeſſ. *Juſtitia verò his omnibus aptè aſperſa eſt, efficitque ut convenienter agant, & per prudentiam quidem cum adverſariis poteſtatibus pugnat, ac pro virtutibus propugnat: per temperantiam res ſine vitioſo affectu intuetur; per charitatem omnes mortales ut ſeipſam* (fortè legendum: *Seipſum*) *diligi ſuadet: per continentiam omnem voluptatem amputat: per fortitudinem & patientiam adverſus inadſpectabiles hoſtes ſe obarmat.*

Incert. ſub nom. S. Zenon. ſer. de juſt juxta med.

Theodor. Edeſſ. qui habetur apud ſcholia. in S. Ioann. Climac. in ſcal. gra. 26.

4. *Elevat.* Notandum eſt primò circa verbum iſtud, non parvifaciendam gloriam gentis, quæ fructus eſt juſtitiæ. Cornelius ad hunc locum: *Porro juſtitia exaltat reges & populos, tum opibus, celebritate & gloria; tum dilatando eorum regna*, &c. Multis de cauſis gentes elevantur per juſtitiam. Specialiter in regno bella gerente, provenit hoc ex fama; quæ necnon juſtitiæ partus eſt. Novimus quantùm bellicis rebus fama profit. Curtius: *Fama maximum in bello momentum.* Et alibi: *Famâ bella conſtant, & ſæpe etiam quod creditum eſt, veri vicem obtinuit.* De Romanorum imperio Tacitum ſcribentem deinde lege. *Erat*, inquit, *grande momentum in nomine Urbis, & prætextu Senatus.* Timendum tamen eſt famam deperdi: cujus inconſtantia ſatis nota, præſertim, ſi firmo virtutum careat fundamento. Tacitus idem: *Nihil*, inquit, *rerum mortalium tam inſtabile, ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ, non ſuâ vi nixa.* Notandum ſecundò, non in præſenti verſiculo exprimi quidquam de conſervatione felicitatis Reipublicæ: fortaſſis quia conſervatur illa per elevationem: hoc eſt, niſi creſcat, imminuitur. Proficit audire Lipſium. *Magna*, inquit, *imperia limites ſuos habent, quò cum venerunt, ſiſtunt, retroeunt, ruunt.*

Cornel. Alap. in Prov. 14. 34.

Quint. Curt. l. 5.

Idem. l. 8.

Cornel. Tacit. l. 1. annal.

Idem l. 13. annal.

Juſt. Lipſ. cent. 3. ep. 30.

5. *Gentem.* Non agitur hîc de bono ſingulorum; ſed tantùm de publico. Nihilominus à publica proſperitate pendent commoda particularium; ſicut à totius incolumitate ſanitas membrorum. Hac fortè

Polyæn.l.de re milit. fortè mente dixit Polyænus: *Civitas enim proſperè agens, felicitas eſt maxima. In hac inſunt omnia: hac ſalvâ cuncta ſervantur: hac pereunte, nihil non peſſum it.* Notabis inſuper, non fruſtra potiùs hîc legi, *Elevat gentem*; quàm: Elevat regnum: Fortaſſis ideo, ne reges attendant ad gloriam ſuam tantùm, ſeu elevationem ſceptri. Qui bonum contemnentes publicum, ſolius majeſtatis curam habent, nomine principum digni certè non extant. Pachymera: *Cur*, inquit, *princeps hoc nomine gaudet, ſi his, quorum curam gerere debet, non conſulit ac proſpicit?* Concinit Herodotus. *Non*, ait, *unius tantùm hominis peculiaris poſſeſſio principatus eſt: ſed communis totius populi. Principibus viris autem hujus diſpenſatio atque adminiſtratio demandata eſt.*

Pachym.l.4. hiſt.

6. *Miſeros autem.* Non vulgaris miſeria mali populi, quòd ab iniquo principe regatur. Tempeſtivè S. Ambroſius: *Deinde illud*, inquit, *advertimus, quod regum lapſus pœna populorum ſit. Sicut enim eorum virtute ſervamur, ita etiam errore periclitamur.* Aliquis inquiret, loquens de miſeriâ culpæ, quænam ſit major; iniquitaſne principis, an ſubditorum? Reſpondeo S. Joannis Climaci verbis abutens. *Miſerabilis*, inquit, *eſt qui cadit, ſed miſerabilior ille qui etiam alios ad caſum provocat:* &c. Vix aliquando contingit, ut publicè rex labatur in ſcelus; & populus non ſectetur ejus veſtigia: quaſi promittat impunitatem ſibi ſubditus; qui, cum habeat principem legis fractorem, cenſet illum pudore ligandum, ne puniat in privato quod non corrigit in ſemetipſo. Bonum regis exemplum ſæpe deſtituitur ſectatoribus, at ſi vixerit exlex, plurimos ducit ad interitum.

S.Ambroſ. to.1.apolog. poſter. David c.11. longe poſt princ.

S. Joan. Climac. in ſcal. gr.15.

7. *Facit.* Ex peccatis naſcens calamitas verè tribuitur criminibus: haud ideo tamen tribuenda non eſt æquiſſimo rerum Arbitro. Incertus: *Et ideo*, inquit, *ſicut verè peccatum, quod contrarium eſt juſtitiæ Dei, non eſt à Deo, ita verè pœna peccati, id eſt, mors, & omnis illa calamitas, & miſeria, quæ conſecuta eſt, quia juſto indicio Dei competunt, & juſta ejus ultione inferuntur, à Deo eſſe Scriptura atteſtante rectè intelliguntur.*

Incert. nomine Eccleſiæ Lugdunenſis adverſus quemdam. c. 3. longe ante fi.

8. *Populos.* Nec tamen omnino ſemper populi detrimenta ſua culpabili vitæ principis tribuant. An iſti cenſores, qui nihil de regiis factis non reprehendunt, inculpabiliter vivunt? Legant S. Joannem Chryſoſtomum. *Verum*, inquit, *haud rectè ſe habent, inquiunt, Reipublicæ negotia, de his plerumque loquimur. Ingens periculum. Quid autem in cauſa? Eorum, inquiunt, qui principatum gerunt incogitantia. Non eſt principum incogitantia, ſed noſtra injuſtitia, pœna eſt pro noſtris ſceleribus exacta. Illa cuncta ſurſum deorſum miſcuerunt, illa quicquid eſt calamitatum invexerunt, illa armarunt hoſtes, illa fecerunt ut victi diſcederemus, non aliunde nobis malorum examen inundavit, quàm ex hac cauſa.*

Chryſoſt.to. 1.hom.1. de verb. Iſaï. longe poſt med.

9. *Peccatum.* Hæc vox indifferenter poſita præbet anſam, ut meditemur communes clades à delicto promanantes non unam ſibi vendicare radicem: nunc enim ſunt reges mali ſupplicium, quod ſubit cum illo plebs inſons; modò verò contrà per eas puniuntur ſubditorum delicta; cum quibus & princeps inculpatus coronæ patitur damnum. Aliquando tamen & rex & populus peccaverunt; calamitateque publicâ flagellantur ambo. Commentarium claudat Petrus Bleſenſis. *Legimus*, ait, *ſæpe populos, ſæpe reges, nunc pro aliis, nunc pro ſe, divinæ animadverſionis ſententiam incurriſſe.*

Petr.Bleſ.ep. 106.poſt pr.

DELIBATIO I.

De pietate principum in Deum.

10. NOn ritè per poteſtatem diriget ſubditos ad viam rectam princeps, qui tetenderit obliquâ: quomodo bene ducet ad partem dextram, viam faciens per ſiniſtram? Nec dedignabitur rex, quem non dementavit corona, virtutum gemmis exornari diadema ſuum. *Regium*, inquit Syneſius, *Sanè quidem ornamentum virtutum omnium concurſus eſt*; &c. Sic exornatus princeps rapit ſuorum oculos atque greſſus, plùs quàm ex eo quòd auro, purpurâ margaritiſque nitens incedat. Idem Syneſius: *Quo circa veriſimile, vel potius veriſimili certius, omninoque neceſſarium eſt, ſi eo modo affectum regem civitates ſequantur, vetuſtiſſimam illam, auream inquam, ac celeberrimam vitam inſtituturas, & ut nullum in malis ſtudium poſituras eſſe, ita in bonis, potiſſimumque pietate, operam collocaturas: ad quam dux ipſe rex erit, cujuſcumque ſive majoris, ſeu minoris operis auſpicium à Deo ſupplex poſtulans. Nimirum nihil videri, aut audiri poteſt honeſtius eo rege, qui in populo manus attollens communem ſui ipſius populique Principem adorat.* Pietas in Deum ſic neceſſaria principibus eſt: ut ſi deſit, majeſtatis vires vertantur ad nihilum. Sozomenus: *Qua*, inquit, *in re mihi vel maximè declaraſſe videtur Deus, ſolam pietatem regibus ad ſalutem ſufficere: abſque illa verò nihil eſſe vel exercitum, vel imperatoris fortitudinem, vel apparatum reliquum.* Fateor, non à regibus expectandum quòd monaſticam vitam gerant. Ingratum Deo foret, principem, neglectis omnino publicis cauſis, omni tempore penitus orationi vacare. Sed rex, qui pius eſt in Deum, ſpem nobis offert, quòd ſuum rectè munus adimplebit.

Expectari poteſt quòd rex in Deum pius præſtabit rectè munus regendi.

Syneſ.orat. de regn longe poſt pr.

Idem ib. longe ante ante fi.

Sozomen. l. 9 hiſtor. eccleſ.c.1.in princ.

11. Amicus Davidis fuerat rex Hiram Tyri dominator. Et cum audiſſet, Salomonem pro Davide poſitum in ſolio, miſit ſervos ad illum. Salomon renuntiavit ei, dicens: *Cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei*, &c. & commendavit ei ligna pro domus Dei fabricâ. Ad hæc rex Hiram *lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.* Commentatur Sanctius: *Gratias*, ait, *egit Deo, quod pro parente Davide jam mortuo ſuffectus eſſet in regno filius, de cujus ſapientia nihil poſſet aut timeri abſurdum, aut*

3 Reg.5. 5.

Ib.n.7.

Sanct.ib.

ſperari vulgare. Quare omnia ad Salomonis vota prolixè pollicetur. Et quo fundamento nixus Hiram tantam concepit ſpem de bono regimine Salomonis? Animadverterat ejus pietatem in Deum; qua motus cogitabat ædificare templum: & intulit ex hujus pietate regis, illum in eis quæ ad gubernationem ſpectarent non exerraturum. Ita quidem regis mentem dirigit pietas in Altiſſimum, ut eâ præditus offerat indicium, quòd regnum adminiſtrabit excellenter. Quamvis igitur verum ſit, principis munus haud in ſolo cultu divino conſiſtere; tamen hujus amantem regem Deus illuminat, ut in cæteris operetur quod rectum eſt.

12. *Deus vellet ut princeps regni protectionem attribuat ſanctis.*

Attamen oportet meminiſſe reges, ne virtutis occaſione ſuæ declinent in ſuperbiam. Elationis diſcrimini multo patent illi, qui ſceptra moderantur: & arduum ſatis eſt quòd non turgeſcant. Sic igitur Deum colant, ut ſervos illius agnoſcant ſemetipſos; non autem Dei ſe præſumant amicos ad inſtar fœderis, quod inire ſolent cum poteſtatibus terrenis. Verè ſcribit Seresberienſis: *Humilitas nunquam ſatis videtur commendata principibus, & difficillimum eſt, ut gradus honoris tumorem non pariat in animo imprudentis.* Et infra: *Prudenter humilitatem cum diſcretione & charitate indicit principibus: quia ſine iſtis omnino ſubſiſtere non poteſt principatus.* Ne prætereamus quod idem Seresberienſis antea dixerat. *Timeat,* inquit, *ergo princeps Dominum, & ſe promptâ humilitate mentis, & piâ exhibitione operis, ſervum profiteatur.* Itaque rex virtutum incumbat operibus ita, quod nequaquam propriæ ſanctitati regni felicitatem attribuat, vel polliceatur. Sanctorum interceſſionibus quærat auſpicari, promovere, conſummareque facta ſua; non tamen deſiſtens à ſanctis exercitiis. Etiam ad principes attinet doctrina S. Joannis Chryſoſtomi, dicentis: *Bonum eſt ſanctorum precibus frui: ſed quando & ipſi ſeduli & vigiles fuerimus.* Et infra: *Etiam ſi Paulo ſimilis eſſes, opus tamen haberes aliorum precationibus. Non extollas teipſum, ne humilieris. Sed quemadmodum dixi, ſi nos ipſi in virtutis ſtudio ſeduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis.* Rex regum vellet, ut principes haud expectent à Domino regnum protegendum ob propriæ virtutis meritum; ſed propter Sanctorum pretioſa Domino facta.

Ioan. Seresber. l. 4 de nug. c. 7. med.

Idem ib. poſt princ.

Chryſoſt. to. 4. hom. 1. in Epiſt. 1. ad Theſſal poſt med.

Anxius Ezechias propter ſuperbiam hoſtis Dominum oravit: à quo poſt alia dictum eſt illi per Vatem Evangelicum: *Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Rurſus per Iſaiam cum rex ægrotaret, dictum eſt eidem à Domino: *De manu regis Aſſyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem iſtam propter me, & propter David ſervum meum.* Quare non dicitur Ezechiæ: Protegam urbem propter te? nonne pius erat? Imo potius ob idipſum Dominus ita locutus eſt, ne ſuperbiret virtuti ſuæ tribuens illam protectionem; ſed agnoſceret, ſe eam fore conſecuturum ex merito ſancti regis Davidis; licèt jam

13.

4. Reg. 19. 34.

Ib c. 20 6.

demortui. Opportunè Glycas apud Gloſſam: *Hæc verba;* Protegam urbem hanc, &c. *Ita divinitus prolata ſunt, ne putaret Ezechias, orationem ſuam juſtitiæ causâ, qua præditus erat, exauditam eſſe. Præterea licet hinc intelligere, juſtos homines etiam vita functos viventium patronos agere.* Taliter igitur regia pietas feratur in Deum, quòd nequaquam ſuperbiens credat obtenturam in præmium quidquid publicæ felicitati congruum eſt: adhibeat precatores, tum eos, qui cœleſti curiâ morantur conregnantes Principi ſummo; tum etiam probos viros, quos Deus numerat amicos in hoc exilio.

Glyc. apud Gloſſ. Ord. in 4. Reg. 19.34.

Regiæ pietatis non exigua pars eſt odiſſe peccata populorum, quibus lædituſ Dominus. In iſtis puniendis præbere ſe remiſſum principem, genus impietatis eſt: nam rex, qui negligit in ſuis correctionem criminum, Deum quodam modo relinquit. Sumat ſibi monarcha verba regis Athalarici, quæ leguntur apud Caſſiodorum. *Impium*, inquit, *eſt nos illis eſſe remiſſos, quos cœleſtis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas eſt, Creatorem vitæ relinquere, & ſequi potius mortis auctorem?* Accedit, regem, qui ſubditorum correctionem omittit, agere veluti complicem circa ſuorum ſcelera; proindeque non parum à pietate deviare, ſi juſtitiam vindicativam obliviſcatur, qua delicta corriguntur. Aptè ſcripſit Præſul ad Comitem quemdam: *Qui enim malum, cum poſſit, non corrigit; quia malefactori conſors eſt in culpa, conſors erit & in pœna.* Quod Antiſtes de pœna loquitur, forſan altiùs in corda regum deſcendet. Sunt & ipſi mortales homines: non minus flagello Dei ſuppoſiti, quàm cæteri. Quin & aliquando citiùs, atque fortiùs verberantur: nam circumſtantia regiæ perſonæ peccantis multùm gravitat. Metuant reges adeo Dominum offenſum per malegeſta ſuorum; quòd, licet ipſi principantes nihil prorſus culpæ commiſerint, ex qua tribui valeat eis piaculum ſubditi; nihilominus adhuc trepident meditantes indignatum Deum propter flagitia privatorum.

14. *Timeat rex offenſum Deum per peccata ſuorum; licet commiſſio non ei valeat imputari.*

Rex Athlari. apud Caſſiod. l. 9. var. c. 18.

Hildebert. Epiſc. ep. 59. fi.

Poſt mortem Oza, conſcendit ad regnum Joſias filius ejus, cum octo numeraret annos: & regimen ejus laudatur in ſacro Textu. *Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris ſui: non declinavit ad dexteram, ſive ad ſiniſtram.* Helcias pontifex inventum librum Legis Domini ſcribæ tradidit: qui legit eum coram rege: cujus verba cum Joſias audiſſet, *ſcidit veſtimenta ſua.* Necnon præcepit Helciæ, aliiſque, dicens: *Ite & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo, & ſuper omni Juda, de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt: magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos: quia non audierunt patres noſtri verba Libri hujus, ut facerent omne quod ſcriptum eſt nobis.* Hugo Cardinalis ad verba ſupra citata: Scidit veſtimenta *præ timore.* Bene quidem eſt quod Joſias timeat populo ſuo flagellum: nam piè regnantium eſt ſollicitos exiſtere

15.

4. Reg. 22. 2.

Ib n. 11.

Ibid. n. 13.

Hug. Card. ib. ad n. 11.

de

de futuro malo ſubditorum. Sed miror quòd timuerit ſibi, prout indicat illud : *Conſulite Dominum ſuper me*, &c. Quid peccaverat Joſias in eo, quòd priores legem Domini violaverint ? *Quia non audierunt patres noſtri verba Libri hujus, ut facerent omne quod ſcriptum eſt nobis.* Ipſe tunc non imperabat : quomodo potuit imputari ſibi quòd ante quàm principatum ejus initium ſumeret, adversùs legem Domini factum, vel omiſſum eſt ? Joſias rex pius erat : quamobrem ſic execrabatur offenſas Dei ; quod etiam de illis, circa quæ non poterat reprehendi, pertimuerit iram Domini. Perutilis & valde laudabilis eſt in regibus timor iſte.

16. *Rex pius non tam cor apponit amplificando ſceptro, quàm Deo colendo.*

Omnibus quidem timor Dei congruit, ac in Deum devotio ; ſed longe principibus ampliùs hæc ſervanda ſunt : quia multò magis ipſi divinis adjutoriis indigent, quàm privati. Negotiorum pluralitas, & arduitas cœleſte brachium poſtulat in auxilium : quod, ſi Deum timeant, atque devoti requirant, erit præſtò. S. Thomas à Villa nova : *Oportet*, ait, *principem eſſe devotiſſimum, & timentem, quantò plus indiget Deo, quam cæteri, propter ardua negotia & frequentia.* Dixit alibi Præſul idem : *Omitto nunc religionem, & devotionem, & fidem, quæ regibus maximè neceſſaria eſt, tantò magis, quantò magis indigent Deo quam alii : unde tantò timidiores, tantò devotiores, tantò humiliores, tantò Deo conjunctiores quàm alii. Sunt enim in maximo faſtigio, & magnum poſſunt habere præcipitium : ille enim deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.* Aliquibus evectis ad ſolium curæ tantùm eſt amplificare diadema ſuum ; parùm, vel nihil de pietate curant erga Dominum. Non ita regibus Deum perfectè diligentibus mos eſt : de poteſtatis amplificatione ſuæ non ſunt nimis anxii ; ſed econtrariò circa Dei cultum vigilant plurimùm. Periodum claudat rurſus loquens Antiſtes Valentianus. *Quid autem*, inquit, *de bello ? Oportet eſſe animoſum & bellicoſum : ſed in quo ? Attendite.* Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum regis, *in infideles, in inimicos fidei, ſemper zelans ampliare non regnum, non ſtatum, ſed fidem & nomen Domini ſui :* &c. Rex pius non tam cor apponit amplificando ſceptro, quàm Deo colendo.

S. Thom. à Villa no. ſer. fer. 6. poſt Domin. Paſſio.

Idem ſer. Dom. 19 poſt Pent.

Idem ib. longe poſt med.

17. Abner, qui ſequebatur partes Isboſeth filii Saül, iratus adversùs eum, decrevit ad obſequium David tranſire. Venit ; & exhibuit rex convivium ei, necnon & viris, qui venerant cum eo. Sed Joab memor ſanguinis fraterni, perfidus necavit Abner in dolo. Novit homicidium David à Joabo patratum : neque tamen vel unico verbo reprehendit eumdem. Accidit poſtea, vidiſſe Michol Davidem ſaltantem coram arca Domini, cum duceretur in civitatem gaudenter. Illa dixit marito verba, quibus hoc factum ſugillavit : & nequaquam diſſimulatione rem connivere paſſus eſt ipſe. *Dixitque David ad Michol : Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum ejus, & præcepit mihi ut eſſem dux ſuper populum Domini in Iſraël, & ludam, & vilior fiam plus quàm factus ſum :* &c. Ad uxorem ſic loquitur circa dictum iſtius non magni momenti ; ad Joab de homicidio, cum factum fuit, nec verbum profert ; cur ita ? Vide. Mors Abner nocuit haud parum Davidi circa regiæ poteſtatis amplificationem : Abner enim cum venit ad regem, dixit ei : *ut congregam ad te Dominum meum regem omnem Iſraël, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua.* Profectus eſt, & occiſus. Per ejus mortem plurimum perdidit ſanè David, pro conſequenda ſcilicet amplitudine prædictâ coronæ. Sed quia non præcipuè cor apponebat augendo ſolio, diſſimulans nihil dixit ad Joab interfectorem Abner. At uxoris verba tangebant cultum Dei ſupradictum, de quo Michol diſplicuit. Erga Dominum devotio ſic erat dilecta Davidi, quòd non ſiluit ; ſed repoſuit ingratum conjungit ſermonem. Sectentur hujus principem reges pii : non in primis votis habeant extenſionem diadematis : magis eorum cordibus inſideat amor Dei.

2. Reg. 6. 21. 22.

Ib. 3. 21.

18. *Rex cùm honore proſequitur Deum, honorat ſe.*

Ad inſtar Davidis catholicus monarcha nihil putet indignum ſeipſo, quòd inſerviat Altiſſimo colendo : credat, honorificari ſe quoties Deum honorat. Caput regis ornatur auro : corpus rutilat purpurâ, fulget ſceptro manus : hæc tamen omnia caduca ſunt : honor autem, quem Deo perſolvit, coronat ipſum ſtabiliter. Ad imperatorem quemdam Agapetus ait : *Honore quolibet ſublimiorem cum habeas dignitatem, ô Imperator, honora ſupra omnes, qui hoc te dignatus eſt, Deum :* &c. & infra : *Super omnia præclara, quæ regnum habet, pietatis cultuſque divini corona regem exornat ; divitiæ namque evaneſcunt*, &c. Cum reliquæ majeſtatis pompa non minus evanidis rebus conſtet, quàm theſauri ; nequaquam in eis firmari credat rex honorem proprium : ut ſeipſum honoret ſolidè, per honorationem Dei ſe condecorare ſtudeat. Populi quidem Domino perſolvunt honorem ex aliis motivis ; & multoties timore moventur, Rex autem non ſolùm quia timet, incumbat pius honori Dominico : nam Regem regum cultu proſequens honorat ſemetipſum.

Agapet. in capit. paren. ad Juſtin. n. 1. & 15.

19. Apud regium Pſaltem ſic legimus : *Confiteantur nomini tuo magno : quoniam terribile, & ſanctum eſt : & honor regis judicium diligit.* Hæc poſteriora verba legenda ſunt per modum parentheſis. Favet Lorinus in eum locum, dicens : *Inſertis paucis verbis velut per parentheſim, abrumpit ſermonem, quem habebat ad Deum, moxque repetit, nempe quod ſpectet ad cujuſvis regis honorem, judicium diligere*, &c. Mihi verba citata penſitanti ſolùm occurrit inquirendum, quâ mente David, cum de glorificatione Dei verba faceret, abrupto ſermone ; digreſſus fuerit ad regium honorem ? Niſi fallor, myſterium digreſſionis hoc eſt. Solent ut plurimùm regis plùs honoris proprii dilectione, quàm timore divino ferri. Pſalmiſta voluit illos ad glorificandum Conditorem hac viâ ducere : ſignificans,

Pſal. 98. 3. 4.

Lorin ib. ad n. 4.

ficans, ipſis honori futurum quòd Regem, gloriæ laudent. Prioribus verbis, *Confiteantur* &c. monitum dederat populis ut celebrarent nomen Domini laudibus ex timore : *Quoniam terribile* &c. ubi Cardinalis Bellarminus : *Hortatur Propheta populos, ut non ſolum non iraſcantur adverſus Dominum, ſed potius ad illum converſi laudibus celebrent nomen ejus, quoniam terribile & ſanctum eſt.* Digreſſus David ad reges, opportunum duxit ipſis proponere peculiare motivum ; quo permoti de gloria divina curarent, quam Deus accipit ab eorum præconiis. Hanc elegit rationem : ſcilicet quòd regis honor, ut augeatur amat cum judicio laudare Dominum. Quamvis Hugo purpuratus ad eum Pſalmi locum, nomine, *Regis*, accipiat Chriſtum Dominum ; tamen illius commentario poſſum uti, quò per *Judicium*, credamus aliquid ſignificari pertinens ad laudationem Dei. Judicium diligit, *id eſt*, ait Commentator, *diſcretionem, ut diſcretè laudemus eum. Diſcretè autem eum laudat qui quantum poteſt eum laudat, & cogitat quòd ſufficienter laudare non poteſt.* Ecce medium optimum ad hoc ut rex augeat honorem ſuum. Dum honorat eum, cujus locum tenet, honorificatur princeps. Et cum gentis honos creſcat ex eo, quòd magis decoris rex ejus poſſideat ; hæc regia pietas, hæc *juſtitia elevat gentem* : &c.

Card. Bellar. com. in Pſal. 98. 3.

Hug. Card. ib. ad. n. 4.

DELIBATIO II.

Regnorum infelicitas aliquando prodivit ab injuſtitia erga eccleſiaſticos.

20. *Damnum regis eſt pallii partem ab eccleſiaſtico patiente vim tollere.*

NOn pius erit in Deum rex integrè, ſi non in illos, qui Domino ſerviunt ex munere, pietatem ſervaverit. Inter proceres conſuetudo viget, ut ſi quidam ſervientem alteri lædat, hujus herus computet læſionem tamquam ſibi perſonaliter factam. Eccleſiaſtici famulantur ex officio Domino regum : qui tangit illos, quantâlibet ſæculari poteſtate fulgeat, impius perhibetur in eum ; ſi verò ſe cum ipſis gerat ut ſuadet ratio, Deum experietur propitium. Audi regem Theodoricum. *Quamvis*, ait, *nullos velimus gravamen aliquod ſuſtinere, quos videtur pietas noſtra protegere (quia regnantis eſt gloria, ſubjectorum otioſa tranquillitas) tamen ſpecialiter Eccleſias ab omni injuria reddi cupimus alienas : quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia Divinitatis acquiritur.* Hæc non pro ſolis parietibus eccleſiarum dicta ſunt : non enim exiſtimandum, eſſe templa materialia ſacratiora, quàm perſonas eccleſiaſticas viva templa Dei. Pro concione dicebat olim Ambroſius pro non tradendis eccleſiis ad implendam voluntatem imperatoris cujuſdam : animadvertere tamen operæ pretium eſt rationem quam adhibet : quia non minus verificatur de perſonis eccleſiarum. Aiebat ille : *Eccleſia Dei eſt, Cæſari utique non debet addici : quia jus Cæſaris eſſe non poteſt Dei templum.* Et infra : *Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. Bonus enim imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat.* Nonne ſimiliter ſæcularis majeſtas juriſdictione caret in eccleſiaſticas perſonas ? quis orthodoxus dubitat ? Scio, non ſemel eccleſiaſticos, vi ſibi factâ, partem dimittere pallii ſui : necnon & hoc cedit in derrimentum regis : tum quia non valentem reſiſtere coëgit ille ; tum quia pertinet ad patrimonium Chriſti pars ea, quam patiens coactus auferri permiſit.

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 2. var. c. 29.

S. Ambroſ. to. 5 ſer. 1. ex var. ad fi.

Ex ore Domini Samuël ad Saülem locutus eſt ſeverè : quia non perfecerat opere quod ſibi juſſum fuerat circa perditionem Amalec. Saül petiit à Vate, quòd ſecum reverteretur : ille verò nolens terga dedit : apprehendit rex Prophetæ ſummum pallium, & ſciſſum fuit. *Et converſus eſt Samuël ut abiret : ille autem apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt.* Quid tunc Vates ? *Et ait ad eum Samuël : Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Tranſeamus ad tempora Salomonis. Depravatum eſt cor ejus per mulieres : declinavit in idololatriam : Dominus autem per Ahiam, prophetam denuntiavit Jereboamo, ſcindendum regnum, & ipſi tradendas in poteſtatem decem tribus. Ut hoc prænuntiaret Vates, uſus eſt emblemate pallii ſui ; de quo Textus : *Apprehendenſque Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem ſciſſuras : hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël : Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis & dabo tibi decem tribus.* Conferam utrumque locum. Ad Saülem non eſt locutus propheta de ſciſſione regni tamquam futurâ ; ſed quaſi facta foret illametipsâ die : *Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie*, &c. ad Jeroboam verò prophetavit Ahias de ſcindendo regno Salomonis in futurum : *Scindam regnum* &c. Cur ſic ? Reſpondebis, idcirco Dominum de futuro locutum per Ahiam, quia poſt hæc adhuc Salomon remanſit in poſſeſſione ſceptri ad tempus, abſque diviſione coronæ. Sed contra ſtat, quòd etiam Saül poſt illa verba Samuëlis, per non modicum ſpatium temporis regno potitus eſt. Aliam ergo rationem quæramus, ut ſuprapoſitum dubium diſſolvatur. Suppono, Samuëlem ſacerdotem extitiſſe. S. Auguſtinus : *Sicut Samuël ſummo ſacerdoti Heli ſucceſſit, cum ſacerdotis filius ipſe non eſſet, ſed tamen ex filiis, id eſt, ex poſteris eſſet Aaron.* Addere non vereor Angelomum : *Quod*, ait, *ter Dominus Samuëlem vocavit, præfigurabatur quòd ipſe puer futurus erat propheta, dux & ſacerdos.* Prænotandum etiam (quod ex ipsâ Scripturâ liquet) Ahiam non fuiſſe paſſum violentiam in diviſione pallii ſui ; Samuëlem autem, cum, apprehendente Saüle, ſciſſum eſt ejus pallium, vim tuliſſe ; quâ factum eſt ut pallii fruſtum acceperit Saülis manus. Sanctius : *Quare*, inquit, *pallium abeuntis arripuit Saül ita violenter, ut magnum*

21.

1. Reg. 15. 27.

Ib. n. 28.

3. Reg. 11. 30. 31.

S. Aug. to. 1. l. 2. retract. c. 55. ad fi.

Angelom. in 1. Reg. 3. longe ante fi.

Sanct. in com. ad 1. Reg. 15. 27.

magnum ex eo fruſtum abſtulerit. Moraliter componamus rem totam. Eccleſiaſticus erat Samuël: à rege paſſus vim, dimiſit in ejus manu proprii pallii partem. Id in regis damnum ita ceſſit, ut jam ipsâ die ſciſſum dici valeat regnum Saülis. Ahiæ caſus diſpar eſt: nam citra vim ipſemet ſcidit pallium ſuum. Agnoſcant principes, noxiam ſibi rem audere, cum eccleſiaſticorum bona vel ex parte per vim auferre non timent.

22. *Deus amicè proſperabit regem non retinentem eccleſiaſtica bona.*

Non parum rex proficiet, regnique felicitas proſperabitur, ſi pietate monente formident eccleſiaſtica bona ſibi ſumere. Plura numerantur in eis donaria prædeceſſorum: pium non eſt, ut quod rex abavus eccleſiæ largitus fuit ſucceſſor auferat. Appoſitè S. Agobardus: *Legimus in libris Regum, quòd non modò laudabiles, verùm etiam reprehenſibiles reges, ea, quæ patres illorum voverant, nec reddiderant, ipſi intulerint in domum Domini, & in theſauros ejus. Si ergo laudatur pietas filiorum paterna vota reddentium; è contrario omni eſt execratione digniſſimum, ſi patris votum filius ſubtrahat, quodque ille contulit, hic auferre non metuat.* Et inferiùs ad illud, quod legimus apud Aggæum: *Et ſuſcitavit Dominus* &c. ſubdit: *Ut ex hoc perſpicuè intelligatur, obſequentem quemlibet & amatorem templi Dei, domum eſſe Spiritus ſancti; cum manifeſtè appareat, non ſolum fidelium ſpiritum ſuſcitaſſe tunc Deum, ut cum omni lætitia omnique alacritate domum Dei cuperent inſtaurare, ſed & infidelium Regum, Cyri videlicet, ac Darii, & Artaxerxis: qui non tantum licentiam ædificandi dederunt, verùm & adjutorium præbuerunt* &c. Pudeat principes, qui defenſoris Eccleſiæ titulo gloriantur, infidelium regum laudabili factô reprehendi. Formidabunt ſanè præ pudore committere direptiones bonorum, quæ prædixi, ſi rurſus legant Agobardum, inquientem: *De Dominicis, id eſt eccleſiaſticis theſauris fraudare aliquid (quod apud nos ſpecialiter ſacrilegii nomine cenſetur) adeo immane ſcelus eſſe manifeſtum eſt, ut qui iſtud committant, in ſortem Judæ deputandi minimè dubitentur.* Sed quoniam rarò terror & verecundia proficiunt apud reges, dum poteſtas eorum exilit ultra metas; eos per ſpem retributionis conabor ſuadere. Sciant, Dominum eis familiarem ſe perhibiturum, & illi curæ futuram ipſorum proſperitatem, ſi non retinuerint eccleſiaſtica bona: felicitabit eos Deus amicabiliter, ſi reſtituerint ablata.

S. Agobard. Archiep. Lugdun. l. de diſpenſat. eccleſiaſt. rerum n. 13.

Aggæ. 1. 14.

S. Agobard. prox. ſup. n. 17.

Idem ib. n. 18. fi.

23. Iſaï. 45. 1.

Mirum eſt quàm humaniter Altiſſimus per Iſaiam loquatur ad Cyrum, cum rex eſſet Gentilis, de venturis felicitatibus ejuſdem. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo januas, portæ non claudentur.* Sanctius ad hunc locum: *Fuit Deus*, ait, *ut hic apertè Propheta, Cyro prædagogus; cui & viam oſtendit ad victoriam, & ita deduxit continenti prope victoriarum curſu, ut ad excidium uſque Babylonicum nuſquam offenderit. Illam autem Dei ſedulam, & familiarem curam optimè declarat apprehenſio dexteræ.* Non vanè mirabar familiarem loquendi modum ad hominem infidelem: delem: de quo legimus poſt pauca dicentem Dominum: *Aſſimilavi te, & non cognoviſti me. Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognoviſti me*: &c. Si dicas, ideo ſub adeo benignâ locutionis formulâ ſermonem à Deo fieri de Cyro, quia multam præſtitit operam ad inſtaurationem Dominici templi; non deerit qui ſic urgeat: Etiam Darius ejuſdem ſucceſſor non parum in hac re fuit operatus: & nihilominus haud legimus dictum ſimiliter à Domino, dextram ejus apprehendiſſe. Quid peculiare fuit in Cyro, quo Deus permotus pædagogum egit illius? Memento quod apud Eſdram legiſti. *Rex quoque Cyrus protulit vaſa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Jeruſalem, & poſuerat ea in templo Dei ſui. Protulit autem ea Cyrus rex Perſarum per manum Mithridatis filii Gazabar, & annumeravit ea Saſſabaſar principi Juda.* Quomodo non amicabiliter agens cum eo Deus regem proſperaret, qui retinere noluit eccleſiaſtica bona? Darius autem, cum evectus eſt ad thronum pro Cyro, jam factam invenit reſtitutionem proximè dictam. Peculiariter Deus tractat amicè, deque proſperitate curat augendâ principis, qui bonorum Eccleſiæ retentionem odit: regnum ejus amplificat: ſic iſta *juſtitia elevat gentem*: &c.

Iſaï 45. 4 5.

1. Eſdr. 1. 7. 8.

24. *Eccleſiaſticum ad reſpondendum cogi coram poteſtate ſæculari, vix tolerabile.*

Nunc aliquid pro ſervandâ perſonis eccleſiaſticis immunitate dicam: non veritus principibus diſplicere; cum fortiamur piiſſimos. Non tacebo, quòd minimè tantùm ex oppoſito, ſacrilegio miſeria ſæpe venit populorum; ſed etiam princeps libertatem eccleſiaſticam invadens, vel in ſe, vel in ſobole quandoque punitur. Seresberienſis: *Proculdubio*, ait, *quiſquis eccleſiaſticam deprimit libertatem, aut punitur in ſe, aut punitur in ſobole.* Sæculârîs & eccleſiaſticæ juriſdictionis termini dividuntur ad invicem; velut in fulgendo luminare minus, & majus. Inverteretur ordo naturæ, ſi luna diei præeſſet; ſol verò nocti. Sic poteſtas regum ſæculi veluti naturam confundit, quando mittit manum ad eccleſiaſticorum directionem. Tempeſtivè S. Aëlredus: *Luminare majus*, inquit, *ſacerdotium, ut præſit diei, id eſt ſpiritualibus, luminare minus regnum, ut præſit nocti, id eſt ſæcularibus. Contra naturam proinde eſt ſi ſol nocti, ſi præſit luna diei*; &c. O, ſi cunctos, qui moderantur imperia, contuerer imitatores imperatoris Conſtantini: cujus narrat egregium factum D. Gregorius Papa, ſcribens ad imperatorem Mauritium: *Cum piæ memoriæ Conſtantino principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem qui accuſati fuerant Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos dii eſtis à vero Deo conſtituti. Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt ut nos judicemus deos.* Contingit aliquando, perſonam ſacram ad tribunal iniqui judicis eccleſiaſtici, juriſdictione carentis in

Joïn. Seresber. l. 7. de nug. c. 20 fi.

S. Aëlred. in c. 13. Iſaï. ſer. 10. ante med.

S. Greg. Mag. to. 2. l. 4. c. 75. quod eſt ep. 31. poſt med.

eam deferri: sed minus est hoc. Quòd autem ad potestatem sæcularem ecclesiasticus trahatur, & illum coram eo de causa sua dicere cogat impietas, durissimum quid est.

25. Exemplar patientiæ Christus Dominus innocentissimè per calumniam factus reus, coram Caïpha sistitur. Adjuratus est ab illo, ut ore depromeret eis, an esset Christus filius Dei. Dominus non dedignatus est respondere. *Dicit illi Jesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Postea ductus est Dominus ad Herodem: & quamvis hic multis interrogasset eum sermonibus, nihil respondit. *Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.* In commentario videtur Beda Redemptoris taciturnitatem ad prædictas accusationes protendere, quasi noluerit Salvator ad eas coram Herode respondere. *Herodem verò*, inquit, *cæterosque Judæorum optimates, quia contra legis suæ decreta innoxium condemnabant, indignos per omnia suo sermone duceret.* Sed quare nihil dixit apud Herodem qui locutus est ad Caïpham? Quoniam Caïphas, etsi jurisdictione carebat in Salvatorem, ecclesiasticus erat; non sic Herodes. Sustulit utique Dominus respondere, personam agens rei positus in conspectu judicis ecclesiastici mali; necnon & in ipsum potestate destituti. Sed quia durissimum erat, Christum Dominum summum sacerdotem coram principe sæculari causam tueri, nec ad finem redemptionis hoc erat necessarium, tacuit: nolens tolerantiæ suæ tam acerbum vulnus infligi. Viderint sæculi potestates quàm dirè torqueant aliquando quos revereri profitentur, uti Dei ministros.

Matth 26. 64.

Luc. 23. 9. 10.

Bed. ib.

26. *Quàm divisa sint sæcularis & ecclesiastica potestas.* Prætextus quidam pluries objicitur, quò tegatur impietas regum aliquorum, rebus in ecclesiasticis immiscentium potentiam suam. Dicunt, se non per modum jurisdictionis rem tractare; sed ut cupientes disruptam pacem inter ecclesiasticos restaurari. Pacis amor de se quidem optimus est, depuratus à circumstantiis damnabilibus. Attamen quærerem. An pauca princeps muneri suo tradita novit circa facta sæculiarium; quòd sibi congruere putet illa forsan omittere, quærentem quæ non sua sunt, & incumbentem quæ non sua sunt, & incumbentem ecclesiasticorum paci? Legant S. Isidorum Pelusiotam. *Oportet*, ait, *non erga eos, qui in gratiam redire nolunt, implacabilem esse, sed potius, quantum quidem in nobis est situm, etiam cum implacabilibus fœdus facere, si modò nullum inde pietati detrimentum inferetur.* Quomodo sciet sæculi princeps, an ei paci, quam Deus vult, congruat id bellum agere, quod ipse putat iniquum; ac de quo mundiales homines, in superficie judicantes, pharisaïcè scandalizantur? *De vita & virtutibus Theologicis* (inquit Bertrandus Cardinalis) *ad eam dirigentibus, nihil novit ratio naturalis, nec potestas sæcularis super eam fundata.* Ad summum noverunt regii consiliarii tractare mundi pacem. Accipe quantùm ista discordet à pace domus Dei. Potho Præsbiter loquens aliorsum de mundiali pace legendus hîc est: forsan aliquâ viâ proderit. *Pax*, inquit, *enim mundi cum domo Dei perpetuum gerit bellum. Ergo pax mundi nostrum bellum est. Pax autem domus Dei est ordinata imperandi & obediendi concordia cohabitantium.* Si violatur in domo Dei pax; non ad principem sæcularem pertinet amicitias (abutendo potestate) jungere: forsan ita bellum exasperabit.

S. Isid. Pelus. l. 4. ep. 37.

Cardin. Bertran. tr. de orig. & usu jurisdict. q. 2. fi.

Potho Præsbit. l. 1. de stat. domus Dei. longe post princ.

27. Scribens Paulus ad Romanos, & loquens de sæculari potestate, videtur insinuare, gladium esse hujus insigne. *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* Cornelius Alapide: *Sæculares enim magistratus hîc intelligere Apostolum patet, quia his solvuntur tributa & vectigalia, quæ hisce potestatibus solvi jubet ipse v.* 7. Adde S. Thomam ad locum præcitatum, dicentem: *Loquitur autem secundùm consuetudinem principum, qui quasi in figura suæ potestatis deferebant instrumenta puniendi, putà fasces virgarum ad verberandum, & secures vel gladios ad occidendum.* Quæro. Cur non potiùs Apostolus insinuavit, esse claves horum potestatis insigne; quasi potentium carcerare, ut reos debitis pœnis afficiant? Quia claves jurisdictionis Ecclesiæ symbolum extant, ut est manifestum. Igitur, ne jurisdictiones confundantur, per gladium symbolizatur magistratuum sæcularium potestas. Et nota primò, quòd vel malè, vel nunquam ageret ensis munus clavium: proinde sæculi jurisdictio in rebus ecclesiasticis nec est apta claudendo, nec reserando. Nota secundò, quòd cum sæcularis magistratus immittit gladium ad secandas controversiias inter sacras personas, contingit sæpius velut in vulgaribus rixis; in quibus non semel accidit, ut qui pro discordiâ sedandâ fortis evaginavit gladium, augeat magis illam, quàm tollat.

Ad Rom 13. 4.

Cornel. Alap. ib. ad n. 1.

S. Thom. ib. ad n. 4.

28. *Delicta personæ sacræ non sunt ad regem deferenda.* Alius necnon rejiciendus est prætextus, quo nonnulli principes utuntur, ut in ecclesiasticorum causis intromittant semetipsos. Dicunt (ipsi viderint an verè) hunc, vel illum ecclesiasticum delinquentem non fuisse punitum à prælato suo. Sed primùm quæram. Timetne rex ut in die judicii postremi reddat rationem hujus omissionis? Deinceps addo, pietati regiæ potiùs congruere defectus ecclesiasticorum tegere. Admirentur dictum imperatoris Constantini, quod narrat Papa Nicolaus. *In scripturis*, ait, *narratur Constantinus Imperator dixisse: Verè si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamidem meam expoliarem, & cooperirem eum ne ab aliquo videretur.* Quantùm distat à cooperiendo sacerdotum vituperabilia facta qui voce tenus profitens nolle se judicare de ipsis; tamen edicto decreto punit haud subditos! Genus impietatis hoc est. Legatur Gregorius. *Quis dubitet*, ait, *sacerdotes Christi, regum & principum,*

Nicol. Pap. relatus in c. *In Scripturis*, dist. 96.

Greg. ad Harman.

Epiſc. relatus in c. *Quis.* eodem tit.

principum, omniumque fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubjicere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe & ſolvi? Scio de Pontificibus hæc eſſe dicta: ſed etiam pro tuenda ſacerdotum immunitate meditanda. Eſto quòd publicum ſit eccleſiaſtici delictum; quid illi cum poteſtate regia? Etiam querulus de malefacto perſonæ Deo ſacræ, ſi rectâ ratione ducitur, non id ad regem defert.

29. Senuerat Samuël; & ejus filii faciebant quod licitum non eſt. Majores natu populi detulerunt hoc ad parentem. *Dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis:* &c. Non legimus, Prophetam illos affeciſſe tali ſupplicio, quòd publica ſatisfactio foret querulosis. Demirabar hominum prudentiam: requirens quid fuerit in cauſa, cur non obtulerint Saüli regi poſt inaugurationem ipſius querelam contra Samuëlis filios? Manifeſta patet ratio. Vatis geniti erant in ſtatu Levitarum conſtituti; qui tropologicè ſignabant clericos Legis novæ, juxta Cornelium Alapide. *Tropologicè*, inquit, *Levitæ ſignabant ſtatum eccleſiaſticum clericorum Legis novæ: unde excubabant inter tabernaculum & caſtra; quia eccleſiaſtici ex officio medii ſunt inter Deum & populum.* Igitur non ſunt auſi movere criminalem cauſam contra Samuëlis filios ii, qui Prophetæ dixerunt, gnatos ejus non rectè vivere; quamvis ipſi judicium perverterint. *Acceperuntque munera, & perverterunt judicium.* Genitori Samuëli propoſuerunt querimoniam: quia ſimul erat judex & eccleſiaſticus. Quantumvis rex prudentiſſimus extet atque piiſſimus; huic minimè convenit ſacratos Deo viros ad ſæcularia cogere tribunalia: nam & in hac re *juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.*

1. Reg. 8. 5.

Alap. com. in Numer. 3. 6. §. *Tropologicè.*

1. Reg. 8. 3.

DELIBATIO III.

Increpantur quædam exactiones tributorum.

30. *De pœnis infernalibus regis gravantis populos tributis gauderent, ſi daretur, habitatores gehennæ.*

UT ſolent concatenari vitia, ſæpe regum ſuperbia comitem habet prodigalitatem, ſimul & avaritiam: ſumptus quippe nimios facientes; cum non ſatis ad iſtorum vaniſſimam ſuperfluitatem ſint coronæ redditus, pariter & prodigè donant adulatoribus; & à populis exigunt avarè tributa, ſub neceſſitatis velamento. Monitum ſuſcipiant D. Thomæ à Villa nova, dicentis: *Non ſpoliet iſtum ut donet alteri, ſed de ſuis redditibus quantum redditus ſufficiunt. Domus regis unam portam debet habere, per quam intret pecunia, & aliam per quam exeat: ſed illa per quam exit, debet eſſe minor, ut in ſtagnis aquarum ampliori carnali & orificio debet influere aqua, quam effluere; alioqui ſtagnum exſiccabitur.* O quoties hæc ſtagna deſiccant aulici; quæ rurſus implentur lacrymis populorum! Non iſtæ remanebunt inultæ: veniet aliquando tyrannorum ejuſmodi ſupplicium horrendum. Loquens D. Joannes Chryſoſtomus de pœna ſcelerum generaliter ſumptorum, quæ reges improbi committunt in gubernatione damnabili, ſic habet: *Sin autem malum & importunum vixiſſe conſtiterit, ac multis malis orbem repleviſſe: quis tandem enarrare poſſit calamitates eas, quas ſuſtinere eum videbis, igni exuſtum, flagellatum, cruciatum, denique ea patientem, quæ neque verbo exprimi, neque re ipſâ tolerari poſſunt?* Deſcendamus ad principes gravantes populos tributis. Hi ſunt abominabiles adeo, quòd, ſi locus gaudio daretur apud inferos; ibi morantes gauderent, cum cernunt, regem nimis exactorem ad inferni pœnas detrudi.

S. Thom. à Villa no. ſer. Domi. 19 poſt Pentecoſt. longe poſt med.

Chryſoſt. to. 5. libell. de comparat. reg. & mona. ad fi.

31. Iſaïas loquens de rege Chaldæorum, ait: *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſolliis ſuis, omnes principes nationum. Univerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es.* Cornelius Alapide ibi: *Vult ſignificare Propheta, quod infernus, id eſt incolæ inferni, præſertim principes olim & tyranni, admirati ſint caſum regis Chaldæorum, eumque irriſerint & ſubſannarint.* Quid in iſtius regis damnatione riſu dignum invenitur? Lege Vatem: intelliges, hunc gravaſſe populos. *Sumes parabolam iſtam contra regsm Babylonis, & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum?* Ubi Cornelius idem: *Reges Chaldæi alias gentes duris tributis & oneribus gravabant & exhauriebant.* Meritò de punitione regis in ſubjectâ materiâ crudelis, gauderent habitantes in erebo, ſi concederetur gaudium condemnatis ad maximam orci miſeriam. Sic illi ſunt execrabiles hominum peſtes, qui tyrannicè munus agunt hoſtium, comprimentes per exactiones illos, qui ſubſunt eorum peſſimo dominuatui. Sanguiſugas appellarem, ſi mederentur ſimul & ferirent; at illi non ſic: ſanguinem plebis perutilem ſugunt; ſed non ægritudinem curant.

Iſaï. 14. 9. 10.

Alap. ib.

Iſaï. 14. 4.

Alap. ib.

32. *Tributum non voluptate regis menſuretur; ſed neceſſitate.*

Attendendum regibus eſt, quòd tunc in exigendo tributo ſervabunt æquitatem, cum illud menſuraverint juxta ſuæ neceſſitatis regulam: non amplius à ſubditis deſumentes, quàm indigentia poſtulat. Fruere verbis Theodorici de fiſco loquentis regio. *A nobis*, ait, *qui fiſci utilitatem ſtabili volumus diuturnitate conſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas. Ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatque magis deeſſe, quia immaniter viſa eſt accreviſſe.* Parvulorum ſuſtentationi rex præſtare ſollicitudinem congruit ex officio; ſed heu! ordine rerum tranſmutato, plebs alit invalida principum libidines, apparatuumque ſuperbam congeriem. Opportunè Thriverus: *Venter & hepar privatis particulis alimentum ſuppeditant: eſt malè igitur cum plebecula, quando è contrario ipſa debet primatûm alere libidinem aut fauſtum.* Caveant principantes, ne per multas exac-

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 4. var. ep. 38.

Thriver. in apoph. 88.

tiones redigant populum ad eam paupertatem; in qua positus regem contemnat, quasi dicens: Jam totum nobis abstulit rex tyrannus: amplius ab illo non timemus. Vide quid referat Plutarchus. *Dionysius senior*, ait, *exegerat pecunias à Syracusanis, deinde cum videret illos lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere quod darent, indixit alteram exactionem, idque iterum ac tertiò fecit. At postquam, ubi majorem summam imperasset, audiret illos in foro ambulantes ridere, & scommata in regem jacere, jussit præfectos ab exigendo quiescere. Jam enim, inquit, nihil habent, quandoquidem nos contemnunt.* Non ergo cupiditas donaria populorum tribuenda regi mensuret; sed necessitas: accipiat quod sufficit; non quod superabundet.

Plutar. in Apoph.

33. Samuël inunxit Saülem, ut regnaret in populo Dei. Nonnulla præstitit ei futura signa; de quibus intelligeret se constitutum à Deo regem. Unum fuit, quòd inveniendus foret à tribus viris, acceptu-rumque ab eis duos panes. *Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* Et infra: *Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Rupertus ad hæc ultima verba sic scribit: *Ac si diceret: His signis nosse poteris, quia Deus te regem facere voluit*, &c. Ex Textu constat, quod homines isti deferebant plus, quàm dedere novello regi. Quid ergo proportionis erat in hoc signo cum principatu Saülis? Fortè divina providentia disposuit, ut acciperet ab eis, qui jam facti fuerant ejusdem subditi, duos panes, & non aliquid pretiosius. Panis alimentum est necessitati potiùs quàm voluptati serviens. Insuper Abulensis ait ad priora verba: *Fortè isti viri cognoscebant Saülem; ideo dederunt ei duos panes, videntes quod iter ageret, & egebat eis.* Authoritati regiæ videbatur indecens duplicem recipere panem de manu subditorum: sed oportuit, illum doceri tacitè ne de suorum substantiâ quicquid sumeret præter necessaria. Necessitas igitur, quamvis dicatur carere lege, sit regibus lex tributa mensurans; non autem voluptas legum contemptrix.

1. Reg. 10. 4. 7.

Rupert. in 1. Reg. l. 1. c. 19.

Abulens. ib. ad n. 4. q. 4.

34. *Tributum cessat, cum necessitas abierit.* Addenda nunc doctrina pro tributorum exactione justâ satis opportuna. Cœpit regium tributum necessitate suadente principis: quievit bellum; non adhuc populus à tributo sublevatur. O tyrannidem! Si proponatur à rege præmium pugnantibus; transacto bello cessat largitio? si postuletur à plebe subsidium bellicum, regi præstandum; adveniente pace, victori persolvitur idem fortéque plus? Legatur Abulensis. *Et illa quidem*, ait, *exiget rex, quandiu fuerit in necessitate illa constitutus. Cum verò cessaverit causa, non licet sibi exigere, nisi fortè subditi novum consensum adhiberent.* Gratitudinem quodammodo princeps videtur exercere cum tributa relaxat, quando non eget. Imo sic alteri fortassis inopiæ venturæ consulit: quia non resistent populi rursus exigenti, cum noviter indiguerit; experti quod solâ paupertate cogente detondet eorum substantiam. Rex Theodoricus: *Per indictionem* (alibi legitur, *Per indictam*) *quartam fiscalia tributa nostra relaxat humanitas: ita ut futuro tempore ad solitam redeant functionem: Quatenus & nos bene meritis vicissitudinem reddidisse videamur, & ab illis, cum res popposcerit, solita devotio non negetur. Satientur in libertate, qui pro nobis in angustiis esurire maluerunt.* Quamobrem curent principes, ut populum tunc solum exactione tributi prosequantur cum opus est; & non ultra.

Abulens. in 1. Reg. q. 237.

Rex Theodoric. apud Cassiod. l. 3. var. ep. 32.

Notatu dignum judico modum loquendi sacræ Scripturæ circa tributum impositum à Davide Philisthæis. *Percussit David Philisthiim, & humiliavit eos, & tulit David Frenum tributi de manu Philisthiim.* Hugo Cardinalis ibi: *Vel*, Tulit frenum tributi de manu Philisthiim, *id est sumpsit tributum à Philisthæis, id est coëgit eos dare tributum: & sic refrænavit eos.* Adde Liram ad hunc locum: *Frenum id est, quo tenetur equus sub sessore. Et eodem modo, tributum est id quo tenetur populus subjectus sub dominatore.* Metaphora pupugit mentem cogitantis. Etiam catenâ tenetur equus dum quiescit in præsepi. Quare non hoc loco tributum comparatur catenæ; sed freno? Quia frenum in os mittimus bruti, cum opus habemus eôdem ad equitandum: statim autem atque finitur via, tollimus illud ab equo. Non ita catenam auferimus: quia ligamus ipsum eâ cum requiescit. Itaque tributa sint velut frenum; quo subigatur plebs quandiu rex indiget: cessanteque necessitate, frenum tributi mox tollatur. Sessoris prudentis officium reges peragant: vel equos pessundabunt, & equitantes. Necessitatis titulo, quæ pertransiit, nequaquam putent honestari tyrannidem, qua temporibus prosperis urgent populos, ut eadem conferant jam triumphatori, quæ, dum stabat in acie, præstiterunt libenter.

35.

2. Reg. 8 1.

Hug. Card. ib.

Lir. ibid.

36. *Tributum solvatur sponte.* Insuper adjiciendum, tamquam principi congruentissimum, sic imponere tributa meminerit, quòd arte prudentiæ fiat, ut subditus illud voluntariè solvat; non coactè. Compulsio miseros lancinat subjectos; & eorum dilectionem circa regnantem vel tollit, vel minuit: quod est imperantibus noxium valde. Legito Cassiodorum. *Quia illa magis debent eligi, quæ sine suspicione damni libenti animo probantur offerri. Grata enim nobis est sine instantiâ compulsoris exactio, & hoc devotum facere, quod vix poterat coactus implere.* Hujus, quam prædiximus, doctrinæ ratio desumi valet ex eo, quòd tributa sint veluti mercedes gubernationis. Theodolus Præsbiter ad verba Pauli dicentis: *Ideo enim & tributa præstatis*: &c. scribit sic: *Tantis*, inquit, *beneficiis vos perfundit magistratus, ut & tributum ei pendatis: mercedem nimirum gubernationis, præsidatusque ejus*, &c. An ratio non dictat, mercedem solvendam sponte? Debetur utique tributum veluti merces: minimè per coactionem extorqueatur; sed à solvente tributatur sponta-

Cassiod. l. 12. var. c. 8. ad fi.

Theodul. Præsb. in Epist. ad Rom. 13 6.

neè,

neè. Pulchrum eſt & ingenuum viris ultrò donare tributa : nam oppoſitum ſervile quid extat.

37. Quantumlibet immunis eſſet à ſolvendo tributo Cæſari Dei Filius (utpote qui Rex regum erat) ; tamen legimus apud Matthæum , illud perſolviſſe. Non eſt prætereundum quo modo res acciderit. Acceſſerunt ad Petrum qui recipiebant didrachma : quod pendebatur Imperatori ; prout ſentit Paſchaſius : qui ait : *Ex quo patet , quia non ſicut quidam volunt , de cenſu templi Dei , & altaris , accipiendum eſt , ſed de cenſu Cæſaris , qui eis pro capite impoſitus erat.* Interrogaverunt Simonem , dicentes : *Magiſter veſter non ſolvit didrachma ?* Non expectavit divinus Magiſter quòd Petrus annuntiaret ei quæ ſibi dixerant collectores tributi ; ſed ait Matthæus Evangeliſta : *Prævenit eum Jeſus , dicens : Quid tibi videtur Simon ? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum ?* &c. Tandemque ſolutionem tributi commiſit ei : *Da eis pro me , & te.* Alibi lego , Dominum , quamvis omnia ſciret , expectaſſe quæ nuntiaverunt ei diſcipuli : nam & ſcribit Matthæus idem : *Tunc accedentes diſcipuli ejus , dixerunt ei : Scis quia Phariſæi audito verbo hoc , ſcandalizati ſunt ?* & apud Marcum legimus : *Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum , renuntiaverunt ei omnia , quæ egerant , & docuerant.* Cur ad redditionem tributi non moratus eſt uſque dum Petrus illi referret quod circa materiam ſubjectam dixerant exactores ; potiuſque prævenit eumdem , ac injunxit Apoſtolo tributum ſolvere , priùs quàm ipſe de hac re quidquam loqueretur ? Ne putaret quis , ipſum coactum ad præſtationem fuiſſe per officialium verba. Prodeſt audire loquentem aliorſum Druthmarum : *Oſtendit , inquit , Dominus noſter quia ſpontaneâ voluntate cenſum tribueret , quia ſi nollet non daret ,* &c. Indirectè formam regibus præſcripſit accipiendi tributa ; velut ſi doceret , non eſſe cogendos populos , tamquam ſervos , trahente vi miniſtrorum ad tributum præſtandum ; ſed ultroneè tribuendum.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. c. 17.

Matth. 17. 23.

Ib. n. 24.

Ibid. n. 26.

Matth. 15. 12.

Marc. 6. 30.

Druthmar. in 17. Matth. c. 38.

38. Non deſinam ad finem aliquid notare circa perſonarum eccleſiaſticarum exemptionem à tributis pendendis mundi principibus. Noverunt immunitatem ipſi : neſcio qua tamen ſpecie tenebrarum obſcuretur mens eorum , qui tributis onerant immunes. Duas agnoſco radices hujus audaciæ : quarum quælibet indigna ſatis animo regio. Prima ſæpius eſt odium Laicorum in eccleſiaſticos ; quaſi forent homines alterius naturæ. *Clericis* , ait Papa Bonifacius , *laïcos infeſtos oppidò tradit antiquitas* : &c. Accedit odio livor in poteſtatem gerente ; quaſi damnum foret ipſius quod eſt miniſtrorum Dei privilegium. Alexander Papa : *Quia nonnulli habentes temporale dominium , vel poteſtatis gerentes officium ſæcularis , libertatem & immunitatem eccleſiaſticam lædere ac minuere tamquam honoris & privilegii Eccleſiarum invidi moliuntur* , &c. Certè nec poteſtas regia minuitur ex eo , quòd non extendatur ad ſacras perſonas ; nec parum honorificat principem conſultor , qui vellet ea ſervari , per quæ non infringitur ejus excellentia ; ſed potiùs dominium ipſius diligitur. In faciem cujuſdam Regis Francorum dixit olim publicè Cardinalis Bertrandus : *Et videtur mihi quòd ille de facto , & realiter , & virtuosè honorificat regem , qui vult ei ſervare illa per quæ ejus dominium diligitur & ejus poteſtas & excellentia non diminuitur* , &c. In mehercle nullo minuitur regia majeſtas , per hoc quòd ſervet eorum qui Deo famulantur exemptiones : imo per idipſum dominatus principis conciliat amorem. Idem Bertrandus : *Modo certum eſt , quod prædeceſſores veſtri Carolus magnus , ſanctus Ludovicus , Philippus & filii ejus , & plures alii iſtam Eccleſiæ libertatem confirmaverunt : modo ergo conſulere vel requirere , quòd vos tollatis aliquid Eccleſiæ , eſt conſulere quod vos tollaris , ſeu quod tollatur à vobis aliquid propter quod dominium veſtrum diligitur.* Audio quorumdam principum religionem ; & qualiter de catholico nomine glorientur. Ideo tamen amplius admiror , quòd fidem ſuam in hac re quadamtenus dedecorent. Quòd infidelis libertatem eccleſiaſticam tributo comprimat , minus eſt ; ſed quòd vel privatus homo , per fidem illuſtratus , putet eccleſiaſticum jure tributo ſubdi , videtur intolerabile.

Cardin. Bertrand. in opuſcul. act. 1. pro Eccleſiæ libert.

Idem ib.

Videtur intolerabile quòd homo fidelis exiſtimet , virum eccleſiaſticum jure ſubdi tributo regio.

Bonifaci. Pap. 8. c. *Cleericis.* de immun. eccleſiar. in 6.

Alex. Pap. 4. c. *Quia* eod. tit.

39. Regrediamur ad tributum Cæſaris præſtatum à Salvatore : nam , præter dicta , nobis adjicienda nunc meditatio ſpernenda nequaquam. Dominus dixit ad Petrum : *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum ? à filiis ſuis , an ab alienis ? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jeſus : Ergo liberi ſunt filii.* Paſchaſius ibi : *Ac ſi diceret : Ego ſecundùm carnem filius David regis , & ſecundùm Divinitatem , filius Dei vivi , liber ſum ab omni cenſu , juxta leges humanas* : &c. Hanc immunitatem videbatur Dominus aſſerturus apud exactores didrachmatis , per Simonem ; quàm ad Petrum. Quare ſuam teſtatur exemptionem coram diſcipulo ; non autem illam notificari curavit accepturis tributum ? Quoniam iſti non credebant in Chriſtum Dominum ; Petrus verò maximè. Quòd infideles perſuaderent ſibi , Chriſtum (qui eccleſiaſticus erat equidem) ad ſolvendum tributum teneri , cæcus error extabat ; ſed aliquâ ratione tolerabilis. Petrus , quamvis luce fidei ſatis imbutus , non adhuc perfectè conſummatus erat. Potuit contingere , quòd inculpabiliter exiſtimaret , Magiſtrum ſuum verè tributo ſubjici , cùm foret veraciter homo poſitus in terris , quibus dominabatur Cæſar. Velut intolerabilis Chriſto Domino foret iſta Simonis ignorantia , dato quòd eveniret. Eapropter Filius Dei prævenit remedium : certiorem faciens diſcipulum , quòd Præceptor ſuus immunis eſſet à cenſu perſolvendo : nam durum extaret Salvatori , virum fidelem oppoſitum credere ; quamvis permiſerit , infideles immunitatem ſuam non agnoſcere. Hæc dicta vellem non tam adversùs principes eccleſiaſticæ libertatis contemptores ; quàm in gratiam eorum ,

Matth. 17. 24. 25.

Paſchaſ. l. 8. in Matth. ib. ad n. 25.

rum, qui propugnant eamdem; ſcientes quantùm pendeat exaltatio regnorum à juſtitia; populorum verò miſeria nectatur contrario ſceleri. *Juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.*

DELIBATIO IV.

Sugillantur iniqui judices.

40. *Qualiter Deus exaltet regem bene judicantem.*

UNum ex præcipuis mediis ad exaltationem regnorum numeratur adminiſtratio recta judicii; ſicut econtrariò publicæ calamitates frequenter veniunt ab injuriis, quibus iniqui judices perperam jura torquent. Publicum ſcelus magiſtratuum ſæpe clade publicâ plectitur; & econtra rectitudo jus dicentium felicitati viam parat imperii. S. Ambroſius: *Claret*, inquit, *ergo quoniam & æquitas imperia confirmet, & injuſtitia diſſolvat. Nam quomodo poteſt malitia regnum poſſidere, quæ ne unam quidem privatam poteſt regere familiam? Summâ igitur benignitate opus eſt, ut non ſolum publica gubernacula, ſed etiam privata jura tueamur.* Ferè ſunt innumerabilia commoda, quæ juſtitiæ rectitudo parit; ſi reges incumbunt illi ſervandæ. Per ipſam populi pacem, atque munimen conſequuntur, terra fœcunditatem, ſolatium pauperes. Hæc debeo S. Laurentio Patriarchæ Venetorum, ejuſque verba tibi. *Regis juſtitia eſt pax populorum, tu tamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, fœcunditas terræ, ſolatium pauperum, hereditas filiorum, & ſibimetipſi futuræ hæreditatis.* Vides quot fructus hoc fonte rigentur? Adjiciam, exaltationem regni ſic annecti bono principis in judicando regimini; quòd gloria divitiæque regis videantur ex hoc ipſi debita; quinimo jam veluti poſſeſſa.

S Ambroſ. to. 4. l. 2. de offic. c. 19.

S Laur. Juſt. in lig vi. c. 4. de juſtit. ad fi.

41. Ceſſit è vivis denique David, & confirmatum eſt regnum genito Salomoni. Cui nocte quieſcenti, cum eſſet amabilis Domino, benevolus hic apparuit per ſomnium: & ita largè benignitate ſuâ proſecutus eſt eumdem, ut optionem commiſerit ejus doni, quod vellet ſibi conferri, Poſtulavit ille ſapientiam ad judicium diſcernendum. Deus conceſſit poſtulatum libenter. Notabis illa verba Domini: *Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedit tibi: divitias ſcilicet & gloriam*, &c. Notaſti modum loquendi; De præterito ſermo factus eſt: *Dedit tibi*: &c. Scio, de futuro ſcriptum in libro Paralipomenon: *Divitias autem & ſubſtantiam & gloriam dabo tibi*, &c. Nihilominus adhuc Sanctius in ſupra citatis verbis libri Regum premit illam vocem, *Dedi*, ſic exponens: *Idem eſt, dedi divitias, atque dabo ita fideliter, ac certò, ut quæ promiſſa ſunt, pro conceſſis jam verè exiſtimari poſſint.* Urgetur hæc adnotatio per id quod legitur circa vitam Salomoni de futuro præſtandam: nam hujus dilatio non ibi repromittitur abſolutè, ſicut divitiæ gloriaque promiſſa fuerant; ſed ſub conditione, ſic: *Si autem ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Quare ſtylus ita diſpar adhibetur, quòd vitæ promiſſio fit quaſi muneris futuri ſub conditione; divitiarum autem & gloriæ donatio, ſi loquendi modum tantùm attendas, exhibetur veluti jam facta: *Dedi tibi*: &c. Reſpondeo. Locutus ante Dominus de ſapientia fuerat; quam petivit Salomon ad judicandum: *Poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium*: Et ſuſpicor, Deum permotum amore juſtitiæ, quem cernebat in pio rege; per ſupradictum loquendi modum inſinuaſſe, quòd veluti debita foret exaltatio prædicta principi cupienti rectè judicare: proptereaque verba feciſſe Conditorem de divitiis & gloria, tamquam forent à Salomone jam poſſeſſa. Non quod Deus teneatur homini conſervare quod ſemel contulit; ſed quia creatura jus non habet ad tollenda pro mero libito quæ poſſident homines, & ipſis dominis debita ſunt, ſi reſpectivè loquamur ad vim facere volentem. Cum verò mentio facta fuit producendæ vitæ Salomonicæ ſponſioni conditio fuit addita: quoniam vitæ longitudo non includebatur in exaltatione prædictâ. Noverint igitur dominatores terræ, quàm verum ſit quòd *juſtitia elevat gentem*, & regem.

3. Reg 3. 14.

Ib. n. 11.

42. *Arduum eſt inſonti pati, ſi plebs puniatur ob judicum injuſtam ſententiam.*

Nunc ad judices deſcendamus; quorum iniquitates luit ſæpe miſer populus. Non eſt quòd naturales cauſas inquiramus, cum advenit calamitas publica, ſi notum ſit, legum rigorem jus dicentes adulterare; defenſionibus reorum penitus aures concludere, ſententiaſque fulminare contra ſui muneris præſcriptum. Effectus, inquit vulgus, hi ſunt cometæ præteriti. Quid tu quæris terribiliorem cometam, quàm injuſtum adminiſtratorem juſtitiæ magiſtratum? Agellius Epiſcopus: *Ex iniquitate judicii ſequitur, ut omnes clades in terram expetant, Deo terram ipſam & ejus habitatores immiſſis calamitatibus ſubruente: inde enim & peſtes, & bella, & fructuum, proventuumque penuria, & diluvia inundationeſque, & terræ motus & ignium impetus exiſtunt*, &c. Contrariorum eadem eſt, ut aiunt Philoſophi, diſciplina. Sicut myſtico Reipublicæ corpori perſæpe multùm prodeſt paucorum ſanctitas: ita multoties ob nonnullorum delictum dat pœnas tota communitas. Juſtus Lipſius: *Sicut*, ait, *in homine cum manus furto, penis libidine, venter ingluvie peccavit, totum corpus id luit: ſic in communi aliquo cœtu paucorum delictum expetere ſæpe in omnes, præſertim ſi ii qui peccant velut digniora quædam membra ſunt, ut reges, principes, magiſtratus.* Hoc frequenter viſitur in juris iniquâ moderatione: cujus peſſimos partus experitur dolorosè nimis plebs infelix. In eâ multi reperiuntur inſontes: & ſaltem circa judicum ſententias quaſdam, in quibus proceditur ex officio (adversùs officium, hoc eſt, injuſtè) vel pars actrix in judicio putavit inculpabiliter, ſe proſequi ſic jus proprium, teſteſque bonâ fide

Agel. Epiſc. in Pſal 81.

Juſt Lipſi de conſt. c. 15.

de quod verum putabant depoſuerunt; cum ſolus judex peccaverit iniquè deliberans, innocentes flagellantur à Deo poſt, in illius prætoris, & ſimilium pœnam. Arduum eſt culpâ carenti, ſubire vindictam propter judicum ſententiam injuſtè latam.

43. Notiſſima ferè cunctis eſt hiſtoria Suſannæ caſtitatis exempli. Exarſerunt in ejus pulchritudine grandævi duo: quorum libidini cum reſtitiſſet pudica matrona, tamquam adulterii rea, per calumniam delata fuit in judicium, atque damnata capitis. Ad mortem ducebatur: & ecce clamavit Daniel: *Mundus ego ſum à ſanguine hujus.* Intempeſtivè putabit aliquis, Danielem innocentiam ſuam proteſtari: de qua Dionyſius Carthuſianus ad ea verba: *Id eſt, injuſtè eam dico damnatam, nec innocenti ejus occiſioni conſentio: cui ſi conſentirem, homicidii reus eſſem*, &c. Laudabile fuit obſtitiſſe Vatem executioni mortis nefariæ; profitentem, ſe nullatenus iniquitati præbere tantæ conſenſum. Poſtea legitur, Prophetam honoratum ſuper omnes amicos Cyri regis fuiſſe. Erat idolum apud Babylonios; cui præbebat cultum quotidianum princeps. *Rex quoque colebat eum, & ibat per ſingulos dies adorare eum*: &c. Quare Daniel quandiu non aperuit, falſum eſſe numen illud, non à ſe propulit ſuſpicionem, quam fortaſſis haberent nonnulli, quòd, cum foret acceptus regi, taceretque, ſilendo conſentiret adorationi Bel? Qua de cauſa non dixit publicè: Mundus ego ſum à regis idololatria? Quid in Suſannæ caſu potiùs invenit, ut clamans innocentiam ſuam proteſtaretur? Forſan pertimuit, omnes habitatores urbis illius à Domino verberandos propter crimen eorum, qui Suſannam judicaverunt injuſtè. Potuit vereri, ne ſimul innocens ipſemet involveretur communi ſupplicio. Sic acerbum eſt inſonti ſuſtinere flagellum propter injuſtitiam judicantium; ut fortaſſis hoc impulerit eumdem ad innocentiam propriam cum clamore proteſtandam. Viderint judices improbi quàm ſit lamentabile malum, ſi miſeros fecerit populos eorum ſcelus.

Daniel 13. 46.

Dion. Carth. ib.

Danic. 14. 3.

44. *Cur aliquando in judice timenda non ſit irriſio propriæ ſententiæ.*

Alibi dixiſſe memini adversùs miniſtros, juſtitiæ ſtateram iniquè librantes, aliqua. Nunc liceat quædam ſuperaddere; quò rectam dictionem juris perſuadeam. Alius judices moneret, ut in hac re conſulerent honori proprio: nam injuſta judicantes frequenter vel culpabilis ignorantiæ damnantur, vel acceptionis munerum, alteriuſve criminis apud populum. Hac viâ non tendam: tum quoniam judex muneri ſuo deficiens, nonnunquam pudorem depoſuit omnino: tum etiam quia plebs ſæpius improbat ſententiam laudabilem. Ob oculos conſtituat judex indagationem veritatis exactam. In rebus dubiis non ſibi nimiùm fidat: humana quippe fallitur identidem exiſtimatio. Bene S. Petrus Damianus ad illud Geneſis, *Deſcendam & videbo*, ſic habet: *Quod profecto ad nil aliud dictum videtur, niſi ut humana doceatur ignorantia ſine experimentis audita non credere, incognita non leviter adjudicare, nec ante ſententiam promere, quàm rem dubiam teſtimoniis approbarit.* Non omne jus exploratum eſt in judiciali foro: nam hinc ipſa juridicæ quæſtionis incertæ reſolutiones: illinc reorum cavillatio: ac teſtium barbarus dicendi modus: imo quandoque manuum falſitas in ſcriba publico, veritatem ſic obnubilant, ut ancipitem reddant juſtitiæ libram. Optimè dixit S. Gregorius Papa: *In rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe judicium*, &c. Si verò judicans dubiam cauſam ſolùm applicet animum ad hoc ne ſubſanetur ab aſſeſſoribus judicium ejus, aliquoties parti non tribuet quod ſuum eſt. Econtrariò deponens metum irriſionis, ad verum & juſtum collimat: quin & contingit, ut qui priùs decretum ejus irriſerunt, idipſum cum admiratione laudent.

(Geneſ. 18. 21. S. Petr. Damian. l. 1. ep. 4.

D. Greg. Mag. to. 2. l. 2. c. 83.

45. Celebre judicium Salomonis in cauſa fœminæ duplicis, expenſum perſæpe rurſus meditemur. Contendebant mulieres: ambæque poſtulabant ſibi decerni filium quemdam: aſſerebant ſingulæ ſuum; nec teſtes producebant. Res erat ambigua nimis. Quid tunc Salomon? Sententiam protulit ejuſdem ſapientiæ conformem. Juſſit infantem dividi gladio, ſinguliſque partem cadaveris tribui; quò ſic verè maternum eviſceraret amorem ejus, quæ non acquieſceret ejuſmodi juſſo. Quæro. Nonne prudentiùs videretur deliberare monarcha, ſi diceret: Cauſam nolo tam dubiam judicare, quin ſiſtantur in conſpectu meo teſtes; quibus unaquæque fœmina probet jus, quod ſibi fieri poſtulat? Equidem ſi decerneret ita, nulli credo, audendum fore diſplicentiam ſignificare de ſententia Salomonica. Fateor, Textum non referre, decretum regis, quod tulit, ſubſannatum fuiſſe per aſſeſſores illius; imo ibi legi quòd admirationi fuerit cuncto Iſraël. *Audivit itaque omnis Iſraël judicium quod judicaſſet rex, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.* Sed licuit Hugoni Cardinali, dum præcitata verba commentaretur, hæc aſſerere: *Admirati ſunt aſſeſſores ejus: qui prius ſententiam ejus quaſi pueri deridebant.* Quid eſt quod Salomon haud veritus fuit ſubſannationem iſtam? Non ipſum fugiebat quàm facilè mutentur hominum placita paſſim. Nec venabatur eorum laudem; nec timebat riſum: ſciens, contemptum forſan in admirationem convertendum: ſolam inveſtigationem veritatis attendebat; & ſic invenit quod rectum erat. Procedant igitur judices cautè cùm res fuerit ambiguitate latens.

3. Reg. 3. 28.

Hug. Card. ib.

46. *Si fas eſt, crimen priùs oculis appareat, quàm reus damnetur.*

Specialiter admonendi ſunt judices erga cenſendas cauſas criminales. Minimè citò feſtinent in plectendo reo. Difficilis probationis multa ſunt flagitia: quæ vel pudor occuluit; vel, quamvis infamia non ſint, reus verſipellis per induſtrioſam celavit artem. Non ergo proclivis facilitate judex amplectatur probationes quaſcumque. Potiùs, dato quòd permittat juſtitia, præſtoletur ut malefactum velut oculis pateat. Abſit judicium ferre, non

adhibito

adhibito priùs examine ſufficienti partis accuſantis. Breviter normam judicandi criminoſos. præſcribit S. Iſidorus Peluſiota, dicens : *Omnis controverſia judicio dirimatur : judicium verò accuſatores examinet ; examen æquum definiat, ejuſque ſententia ſcribatur. Scripta verò confirmetur, confirmata reipſa ſtabiliatur.* Judex munus luminis agit : non eum tenebræ comprehendent, ſi meminerit officium exercere lucis pro factis obſcuris aperiendis. De quibuſdam quærimur, qui potiùs umbræ ſunt ad velanda ſcelera, malefactoreſque protegendos ; de aliis verò quòd oppoſitam extremè teneant ſemitam ; divinatoriè judicia ferentes, & mera ſectantes indicia, velut umbras delictorum ; quin apparere cogant veritatem, labori parcentes. Non hoc luminis eſt ; quo titulo rex olim præpoſitum quemdam inſignivit apud Caſſiodorum. *Non*, inquit, *liceat quemquam gloriari furtis aut præjudiciis ſuis. Lumen te immiſimus rebus celatis : quando nec prudentiæ tuæ quiſquam poterit illudere, nec* &c. Ut ſecuriùs judicium feratur, crimen, ſi fas eſt, priùs occulis appareat, quàm reus damnetur.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. ep. 204.

Athalari rex apud Caſſiod. l. 9. var. c. 24. ad fi.

47. Dominus jufſerat, ne de ſpoliis urbis Jericho quidpiam quis contingeret. Mandatum prævaricatus eſt Achan, ſibi tollens pallium coccineum, ducentos argenti ſiclos, & auream regulam. Inſcius delicti Joſuë miſit pugnatores contra civitatem Hai : qui terga vertentes fuere percuſſi. Infelicem doluit exitum dux prudentiſſimus alloquens Dominum : qui revelavit ei, factum eſſe furtum de anathemate : juſſitque per ſortes detegi reum. Hunc deprehenſum fecit Joſuë quòd proprium ſcelus fateretur. *Reſponditque Achan Joſuë, & dixit ei : Verè ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci.* Vides quàm fuerit manifeſta culpa labiis ejuſdem criminoſi ? Nota, non ideo ſtatim illum ad mortem eſſe damnatum. Priùs fuere miſſi qui repererunt abſcondita quæ tulerat Achan. *Auferenteſque de tentorio tulerunt ea ad Joſuë, & ad omnes filios Iſraël, projeceruntque ante Dominum.* Hoc peracto ductus eſt ad Vallem Achor delinquens : & ibi lapidibus obrutus eſt. Cur, quæſo, proceſſit adeo lento gradu Joſuë circa rem jam apertam ? Voluit clariùs condemnatoriam ſententiam juſtificare : faciens ut furtum, quod terra tegebat (*abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui.*) pateret omnium conſpectui : *Tulerunt ea ad Joſuë, & ad omnes filios Iſraël*, &c. Sic longiſſimè pepulit à ſe Joſuë ſuſpicionem injuſtitiæ, cum è latebris abductum viderit furtum Iſraël, nec de crimine dubitare potuerit, an illud falsò faſſus fuerit Achan præ conturbatione ; quam intulit multis in aliis caſibus aliquando ſimilis occaſio. Ergo, dum leges permittunt, crimen quod patet manifeſtè, manifeſtiùs adhuc pateſcat.

Joſuë. 7. 20.

Ib. n. 23.

Ibid. n. 21.

48. *Quàm ſit maturè judicibus procedendum in damnatione reî.* Advertendum poſtremò reſtat, ut quamvis cernat judex, factum reî ſufficienti probatione convictum, procedat ipſe maturè, perpendens an caſus ille forſan ob excuſationem aliquam excipiatur à lege pœnali. Senſim ſtatera juſtitiæ libranda, prout agimus in materiali pondere, cùm res valde pretioſa libratur ; non autem præcipitî manu. Prudenter ad quemdam Epiſcopum ſcribebat olim D. Gregorius Papa : *Frequenter me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis.* O quoties in graviſſimis cauſis patuit erratum ſerò, quia judices tulerunt ſententiam citò ! Honor innocenter damnati periit, raróque reſtitutio fiet ; niſi cùm in die judicii coram univerſis hominibus reducentur ad æqualitatem quæ nunc humana juſtitia cenſet inæqualiter. Difficilem rem tractant judicantes ; & quæ ſæpe fugit non exactam adhibentes attentionem. Dixit ad Juſtinianum Imperatorem. Agapetus : *Intenta mente auſcultare debent rerum judices : difficilis namque captu eſt juſti intentio, faciléque effugere ſolet non admodum attendentes*, &c. Quidam reperiuntur jus dicentes ; quibus cum ſit commiſſum pariter abſolvere, necnon atque damnare, nobis inſinuant, credere ſe quòd niſi condemnent, judicis munus nequaquam exequantur. Hinc oritur quòd furiunt ruentes in præceps. Non hoc prudentia dictat. Suſpendatur nonnunquam deliberatio : nam licet factum probetur, adhuc fortè neſcitur an reus aliqualiter excuſatione muniatur.

S. Greg. Mag. to. 2. l. 11. ep. 16.

Agapet. in capit. parœn. ad Juſtinia. Cæſ. n. 42.

49. Cum eſſent Iſraëlitæ in ſolitudine, vir inventus eſt colligens in die ſabbati ligna, quod lex antiqua vetabat. An ſtatim fuit iſti pœna legis inflicta ? Nequaquam. Lege Textum. *Obtulerunt eum Moyſi & Aaron & univerſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent.* Mirum eſt hoc. An omnes quid lex diſponeret in ejuſmodi caſu neſciebant ? Quis credet ? Apertè legitur in Exodo Moyſi dictum à Domino, quod ipſe prolaturus erat Hebræis : *In die ſabbatum eſt, requies ſancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.* Igitur quomodò Scriptura narrat, hominem illum fuiſſe poſitum in cuſtodia, quoniam quid ei faciendum neſciebant ? Placet quod ex aliquibus refert Lira, dicens : *Aliqui expoſitores*, ait, *catholici dicunt, quod recluſerunt eum, quia neſciebant ſi feciſſet ſcienter in ſabbato, donec ſuper hoc eſſent certificati per divinam revelationem.* O ſi caſus occurreret ſimilis coram ſeveriſſimis quibuſdam præfectis ; quos damnatores potius dixerim, quàm judices : quam feſtinante calamo ſcriberent ſententiam damnationis ! Reus ille nihil in defenſionem ſuam adducebat : nihilominus placuit mitiſſimo viro Moyſi ſuſpendere ſententiam quoadusque certior fieret, an per ignorantiam poſſet abſolvi. Clementiam itaque judices amentur caventes periculum, ne juſtitia degeneret in crudelitatem ; quam poſtea, vindicante Domino, luat miſerè plebs : quippe *juſtitia elevat gentem : miſeros autem facit populos peccatum.*

Numer. 15. 33. 34.

Exod. 31. 15

Lir. in Num. prox. ſup.

DELIBATIO V.

Virtutem recuſant aliqui, ſi reſpergatur amaritudine. De peccatore laudante virtutem. Superbiâ regna marcent. Dolor de adverſitate poſt magnam ſortem. Regni ſupplicium ob peccatum regis.

50. *Quidam virtutem recuſant, ſi reſpergatur amaritudine; quamvis utilem cognoſcant.*

JUſtitia. Modò ruminemus hoc vocabulum in eo ſenſu, quo ſumi poteſt pro virtutum aggregato. Quare nomine juſtitiæ ſæpe veniant adeo multæ virtutes collectim ſumptæ, memini dixiſſe me quondam non paucis. Præter ibi dicta ſuperaddam nonnulla. Prima ratio, quæ nunc occurrit, ut virtus abſolutè dicta nominetur juſtitia, poteſt hæc aſſignari; deſumpta per ſimilitudinem quamdam inter juſtitiam generaliter acceptam, & ſpecialiter nominatam. Juſtitiæ illius executio (quæ peculiaris virtus eſt, & habet pro munere reddere cuique ſuum) hominibus arridet frequentiſſimè, cùm fit in re, quæ vel utilitatem, vel gaudium affert iiſdem. Sic multis grata virtus ob voluptatem commodi temporalis, ad quod ſciunt, ſæpe cum effectu conducere: complacent in ea, diligentes læta ſolummodò; laborem execrantes. Plurimùm voluptas evalet apud quoſdam. S. Ambroſius: *Vis igitur*, ait, *menti affertur humanæ, quæ diverſis illecebris delinita laborem fugit, voluptatem expetit, cum vel metu ſupplicii coërcita, vel præmio provocata vincere ipſa ſe nititur*, &c. Inde fit, ut ſinceritatem virtutis adulterent quidam admiſcentes & voluptatis intentionem. Proficuus eſt hîc Epiſcopus Hildebertus, inquiens: *Virtuti nihil æquè noxium eſt, quàm voluptatis admixtio in conceſſis.* Egregius miles equidem non eſt qui ſolo tempore pacis arma tractat; & ſi bellum ingruerit, alget imbellis, non minùs ad ſudores, quàm ad nives. Diſertè Juſtinianus: *Omnes pacis tempore victores ſunt, cum non ſit qui repugnet: cum autem tubæ inſonuerit vox, cum dimicandi ſupervenerit hora, & armorum fragor ingruerit, qualis quiſque maneat apud ſe, notum fiet.* Plurimi ſunt, qui virtutem, quamvis utilem agnoſcant, recuſant, ſi reſpergatur amaritudine: ſemper illam vellent ſuo palato ſuavem.

S. Ambroſ. to. 3. l. 5. in Luc. c. 7.

Hildeber. Epiſc ep. 31. longe ante med.

S. Laur. Juſt. l. de caſt. connub. c. poſt princ.

51. Apud Eccleſiaſticum lego, virtutem comparari cibo: ſcribit enim ſic: *Ante obitum tuum operare juſtitiam: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum.* De meritoriis operibus loquitur Siracides; quibus poſt fata locus non datur ultra. Dionyſius Carthuſianus ad eum locum: *Id eſt, poſt mortem nemo amplius poteſt ſe meritoriè operando reficere.* Dubitabam, qua mente Syracides hîc elegerit ſimilitudinem operis meritorii cum cibo; non autem analogiam illius cum pecunia? an gloria quodammodò non emitur meritis, quaſi nummis? Aptiſſima foret metaphora monetæ, quâ ſignificarentur ibi facta, quibus negotiatur homo beatitudinem. Sed non ineptè fuit uſus Eccleſiaſticus nomine cibi; quò deſignat geſta promerentia coram Deo. Diſcrimen inter pecuniam atque cibum notandum eſt. Quod nobis offertur comedendum, ſi propter amarorem diſpliceat guſtui, quantumvis illud agnoſcamus utile ſaluti, ſæpe deteſtamur, odimus, rejicimus; non autem ſic pecuniam, ſemel quòd agnoſcimus, eſſe probati valoris. Solitant acceptari dapes, quia ſuaves; non autem circa nummos inſuavitas reperiri. Bene præfatis verbis delegit Siracides non pecuniæ, ſed cibi clarum ænigma: quia frequentiſſimum eſt apud homines tunc in virtute complacere, cùm affert eis voluptatem; ſi deſit hæc, non tantum faſtidiunt illam; ſed abominantur.

Eccli. 14. 17.

Dion. Carth. ib.

52. *Aliquando plùs miratur in alio virtutem qui non ſectatur eam.*

Secunda ratio, primæ non parùm affinis, eſt, quia juſtitia quæ numeratur inter peculiares virtutes, cùm executioni datur, plurimis placet in aliena domo ſolâ; non autem in propriâ. Sic aliquibus gratiſſima virtus, quam cernunt in aliis; nec tamen in domo proprii cordis admittunt ipſam. Neſcio quo genere dominii virtus in hoſtes prævaleat ſuos: & multò plùs in eos, qui nec adverſarii ſunt ejuſdem, nec amatores. Hi ſecundi, licet non operentur bonum, quod in altero laudant; tamen commendatione proſequuntur illud. Ita deſipiunt quidam circa materiam ſubjectam; ut ſe probos imaginentur ex eo, quòd probitatem laudibus afficiant. Picturata ſanctitas hæc eſt; imo ſomnium. Non in meris verbis conſiſtit pietas: operibus eſt comprobanda. Fruere S. Joanne Chryſoſtomo. *Et*, inquit, *virtutem licet ipſam non obeamus, commendamus, ſicut viciſſim vitium, licet operemur, odimus.* Vide an poſſit huc illud trahi Nazianzeni: *Si quidem*, ait, *longe mihi præſtabilior eſt formæ pulchritudo, quæ conſpici poteſt, quam quæ ſermonis pingitur induſtriâ necnon divitiæ quæ manibus continentur, quàm quæ effinguntur ſomnio ac ſapientia quæ non ſermonibus ſplendet, ſed operibus collucet. Intellectus enim bonus omnibus facientibus eam, Scriptura inquit, & non qui prædicant illam.* Nihilominus effuſiores audies in laudem virtutis alicujus nonnunquam eos qui non amplectuntur eam; quàm ſectatores ejuſdem. Priores admirantur ipſam in alio; poſteriores fortaſſe tacebunt.

Chryſoſt. to. 5. hom. 13. ad pop. poſt med.

S. Greg. Nazianz. or. 13. longe poſt princ.

53. Auditâ famâ Salomonis, venit ad illum regina Saba. Multa vidit: quibus commota, ſapientiâque regis cognitâ, ſic in admirationem rapta fuit, ut Scriptura dicat: *Non habebat ultra ſpiritum.* De motivis admirationis ejus unum ſeligo meditandum: nempe ſacrificia, quæ Salomon Domino dicabat: *Et holocauſta quæ offerebat in domo Domini*: &c. Non legimus, optimates regni Salomonici, vel populum ei ſubditum, demiratos fuiſſe prædicta Salomonis holocauſta; mirabilia tamen iſta fuiſſe reginæ conperimus. Quid? Nonne Gentilitatis obvolvebatur ipſa tenebris? Gentilem veniſſe novimus

3. Reg. 10. 5.

Ib.

Chrysost.to. 2.hom.30. oper imperf. in Matth.ad illud c. 12. 42. *Regina austri* &c.

ex D. Joanne Chrysostomo: non autem de conversione constat. *Quæ cum esset Gentilis* (ait S. Doctor) *& mulier, tantam longitudinem itineris conficere propter infirmitatem sexus non est impedita.* Quomodo fideles non admirantur sacrificia regis? & regina gravi permovetur admiratione de sacris oblatis verò Deo, quem non colebat? Insinuata manet jam dubii solutio. Quandoque virtus aliena laudem consequitur facilius apud exteros. Qui subdebantur Salomoni tenebant fidem veri Dei, quem rex adorabat; non ita regina Gentilis. Hæc igitur stupore correpta fuit cùm vidisset oblata per Salomonem holocausta Domino; non ita qui religionem sectabantur eamdem. Non semel penes alienos à virtute quadam, hæc ab aliis executioni data, commendationem nanciscitur; & haud sic laudes accipit ab eis, qui complectuntur eam. In hoc similatur virtus generaliter accepta (prout supra dicebam) peculiari virtuti, quæ reddit cuique suum, & appellatur *justitia.*

54. *Per superbiam regna marcent; per humilitatem crescunt.*

Elevat gentem. Sed oportet, ut post elevationem, superbia procul absit. Si regum auctâ gloriâ superbierint illi (sicut non semel accidit) noverint, flagellum aliquando venturum, saltem in sobole. Seresberiensis: *Et quo reges fuerint clariores, eò citiùs, si adversùs Deum intumuerint, conculcatur semen eorum.* Principibus familiaris est ægritudo tumere: nec inducunt in animos libenter cedere minoribus; cum hæc humilitas ipsis non sit modicè proficua. Notum sit illis, tumorem istum pondus esse, quo gravati decidunt à culmine. Idem Seresberiensis: *Quisquis ergo gradum propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum minoribus diligentissimè teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis suæ fastigio, tumoris pondere cadit.* Historia conservat exempla multorum, quos detrusit à solio superbia. Iterum Seresberiensis: *Regem Romanorum novissimum Tarquinium fecit esse superbia, & ei ab humilitate magis necessarios substituit magistratus. Denique quem superborum legisti regnare diutiùs? Eorum namque qui per superbiam ceciderunt, historia copiosa est.* Multoties evenit, ut absque manu hostili marcescat regnum, cui superbia præest: & elationem principis deflent populi cum eo puniti. Humilitas auget imperium, turgefactio perdit sic, ut per semetipsam tota malceat pompa.

Joan. Seresb. l 4. de nug. c. 12. post pr.

Idem ib. c. 7.

Idem ib.

55. Eccli. 10. 18.

Ad Ecclesiasticum regrediar. Ait ille: *Radices gentium superbarum arefacit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.* Commentatur Jansenius: *Dixit de principibus, nunc dicit de integris gentibus, quarum ob superbiam dicit Deum radices arefecisse*, &c. Primâ facie versiculus iste videbitur alicui tam in unâ, quàm in alterâ parte diminutus. Nam in priori crederes dicendum: Radices arefecit, dispersit fructus, excussit folia, præcidit ramos. In posteriori verò dicturum putares: Plantavit humiles, irrigavit affluenter; fovit benignè. Superfluum duxit Siracides ita loqui: nam propter superbiam gentes illæ punitæ sunt: & regnum, quod ex elatione ruit, non tantam postulat operam ad exitium. Sicut arboris arefactâ radice, non opus est manu, quò volent deficcata folia, putrescant omnino fructus, & fiant inutiles rami: sic imperiò per superbiam labente, pompa tota per seipsam emarcet. Quod attinet ad posteriorem ejusdem versûs partem: licet fatear, à protectione divinâ fovente, riganteque augmenta regnorum pendere; cum tamen loquatur Ecclesiasticus ibi de plantatis humilibus, occasionem obtulit, ut eum locum ponderatione suprapositâ donantes, humilitati sortem prosperam tribueremus imperii. Cavendum igitur est principibus à superbia, cùm felicitas *elevat gentem.*

Jansen. ib.

56. *Adversitatem dolet plùs qui prius tenuit felicitatis culmen.*

Miseros autem facit populos. Ipse modus loquendi satis indicat, populos hîc supponi prius felices; & postea fieri miseros. Non exigua circumstantia miseriæ putetur quòd præcesserit calamitatem felicitas. Obvii sunt pauperes de locupletibus redditi, volvente fortunâ rotam: quorum lacrymæ testantur qualiter eorum corda transverberet memoria fortunarum; quibus potiti fuere quondam. Alios exultantes audies in foro, licet pauperrimos: qui scilicet à nativitate colligati vixerunt funibus paupertatis. Quod circa pauperiem dictum est, necnon cæteris infortuniis commune cernitur. Magis gaudentes, vel minus tristes intueberis quosdam, qui nunquam lætam diem viderunt; quàm alios, qui de luce prosperî temporis ad nubila venerunt miserè, terga dante forte. Bene Philosophus Cordubensis: *Lætiores videbis*, ait, *quos nunquam fortuna respexit, quàm quos deseruit.* In hoc duplici nomine, *Delicatus*, atque, *Deliciæ*, vocum proportio sat est, ut meminerimus, delicias hominem reddere delicatum: cumque soleant illis abundare felicissimi, sic emolliuntur, ut per insolitam adversitatem, quamvis minimam, dolentes multùm prosternantur. Opportunè Boëtius: *Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur*: &c. Aliam hujusce doloris rationem subjicio, deductam ex verbis Theucydidis, qui ait: *Frangunt animos res subitæ, & inexpectatæ, & quæ præter opinionem accidunt.* Qui tenent prosperitatum apices oblivisCuntur ut plurimum ruinæ, quæ manet eosdem: quapropter veniens repentina calamitas magis eorum corda transfigit. Ampliùs dolet qui cecidit ex prælto sortis culmine, cùm adversitas adest; quàm alter, qui nunquam celsitudine fruitus est.

Senec. l. de tranquillit. ani. c. 8.

Boëti. l. 2. de consolat. philosoph. pros. 4.

Theucyd. l. 2.

57. Psal. 101. 10. 11. 12.

Mirabar Davidem, cum vir fortis esset, adeo lamentabilia verba protulisse, cùm persecutionem passus est: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans allisisti me. Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.* Non legi, similibus verbis locutum fuisse Cain, cùm ob fratricidium damnatus

tus eſt, ut fructus non perciperet ex terra, quam coleret, & profugus degeret. An patientior Davide fratris occiſor? Minimè: præſertim cum fuerit in deſperationem lapſus. Cur ergo non tam triſtia loquitur Cain? David autem fatur ut antea dixi? Ex Euthymio ſupponendum, Davidem hujuſmodi Pſalmum compoſuiſſe tempore, quo perſecutionem ſuſtinuit. Inquit Commentator: *Tametſi ex primo propoſito pro ſeipſo Propheta hunc Pſalmum conſcripſerit. Eo nimirum tempore, quo perſecutionem paſſus eſt*, &c. Quo poſito non eſt prætereundum illud: *Elevans alluiſti me.* Quod ſic exponit Interpres idem: *Olim me in altum elevaſti, cum mea omnia bene ſe haberent; ſed poſtea confregiſti me, à priſtino me ſtatu decidere permittens.* Cum David experiretur tribulationem poſt felicitatem, doluit acriùs. Cain autem ſtatum agricolæ non fuerat egreſſus, cùm in anxietatem devenit. *Et Cain agricola.* Propterea minùs anxiè tulit malum ſuum. Ut gratior eſt poſt adverſa felicitas; ita mœſtior poſt fortunam contriſtatio. Proinde videre licet quanta ſit miſeria populorum: qui propter injuſtitiam fiunt miſeri.

Euthym. expoſ. Pſal. 101. in argum.

Idem. ib. ad n. 11.

Geneſ. 4. 2.

58. *Aliquando propter unum crimen principis imperium longè protenſum patitur multa.*

Peccatum. Notabis, in ſingulari legi: deſumereque poteris occaſionem perpendendi, quandoque ſufficere crimen unicum, ad hoc ut univerſa communitas mulctetur ſupplicio. Petrus Bleſenſis: *Univerſitas enim plerumque affligitur ob unius, paucorumve delictum: nam peccante Achan, populus Anathema incurrit.* Hoc ſpeciatim verum habet, ſi piaculum illud à principe fuerit commiſſum: provocatur enim Dei gladius valde per ſcelus regnantis: qui velut ſpeculum eſt, in quod ſubditi conſpicientes, imitantur ejus erratum, ſicut exemplar, & normam; prout alibi me dixiſſe memini. Aliorſum loquens Præſul Valentianus ait: *Quantò, eminentior dignitate, tantò debet eſſe ſublimior virtute ſuper homines, & quodammodo pluſquam homo eſſe debet qui præeſt hominibus, qui poſitus eſt in regno quaſi ſpeculum, in quod omnes aſpiciant, quaſi in exemplar quod omnes imitentur, & quaſi forma quam omnes ſequantur. Unus nævus vitii in principe plus videtur, & plus nocet, quam magnum vitium in alio quocumque.* Exhinc ortum habet, quòd aliquando propter unicum principantis delictum patitur multa regnum longè latéque protenſum.

Petr. Bleſ ep. 106. poſt pr.

S. Thom. à Villa no. ſer. Dom. 19. poſt Pente coſ. longe ante med.

59. In ipſis cunabulis totus periit orbis. Et qua de cauſa? Propter Adami peccatum. An interitus iſte contigit ob multa Protoparentis crimina? Minimè certè; ſed ex tranſgreſſione ſolâ, quam Parens communis auſus eſt, manducans de ligno vetito. Rupertus: *Patre noſtro*, inquit, *peccante, omnes cum illo in lutum recidimus, & mortales facti ſumus.* Poſtea Dominus univerſum punivit cataclyſmo. Factane fuit hæc everſio ſtatim atque depravari cœpit mundus? Nequaquam: & nullius venit in mentem, hoc tam horrendum ſupplicium inflictum fuiſſe propter unius hominis unum ſcelus; cum habeamus in ſacro Textu: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram* &c. Quæro. Minùs clemens eratne Deus, cùm deliquit Adam, quam poſt? Abſit. Ergo quare gladium detinuit punitionis diluvii, quouſque tot ſcelera patrarentur? & unicum Protoplaſti delictum plectit mortis damnatione factâ, non tantùm Adæ, ſed poſterorum? Memento, Adamum extitiſſe principem. S. Joannes Chryſoſtomus adeſt. *Die*, ait, *quo, inquit, fecit Adam, ſecundum imaginem Dei fecit illum: hoc eſt principem illum conſtituit omnium viſibilium. Hoc enim eſt, ſecundum imaginem, ſecundum rationem dominii & principatus. Nam ſicut omnium Deus principatum habet, ſuper omnia tam viſibilia, quam inviſibilia, omniumque conditor & opifex eſt: ſic & cum formavit rationale hoc animal, voluit omnium viſibilium præfecturâ inſigne eſſe.* Non ergo clementiam accuſes Domini: multùm læditur ipſe peccatô vel unicô regis. En omnes periere principis unô delictô. Subditos inſinuavi primo Genitori cunctos ejus poſteros: non quod omnes actu poſiti fuerint ſub ejus poteſtate; ſed (ut ita loquar) velut in potentia. Filii ſunt Adami, velint nolint, reges terræ: ſimilantur ei necnon in eo, quòd nonnunquam unô ſuô tantùm ſcelere peſſundant imperium; ſubjicientes illud flagello: nam principis *juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.*

Geneſ. 6. 12.

Chryſoſt. to. 1. hom. 21. in Geneſ. longe poſt princ.

FLOS XL.

Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit.

APERITUR.

PRO verſiculi poſtremi capitis hujus explanatione, rejiciam primò Janſenium: qui videtur coarctare ſententiam Salomonis ad ſapientiam tantùm, prout à prudentia dividitur. Contra ſtat, quòd prudentia ſapientiaque veræ ſic annectuntur, ut una ſine altera nequeat inveniri. S. Proſper: *Ita ſibi hæ duæ virtutes implicatæ ſunt & unitæ, ut una quælibet earum ſine altera non poſſit eſſe: ut nec imprudens ſapientia, nec inſipiens poſſit dici prudentia.* Alia lectio habet: *Ut nec imprudens ſapiens, nec inſipiens poſſit dici prudens.* Rejicitur ſecundò, ſi loquatur in ſenſu litterali, Rodolphus, dicens: *Non niſi intelligens & prudens ſervus Chriſto regi placere poteſt*: &c. Idem dico de Beda.

1. Janſen. in Prov. 14. 35.

S Proſp. l. 3. de vit contemplat. c. 29. poſt pr.

Rodolph. in Prov. 14. 35. Bed. ib.

Placet Hugonis Cardinalis expoſitio: qui commentatur verbum, *Intelligens*, ita breviter: *Id eſt, prudens ad litteram.* Sed non excludo ſapientiam. Illam conjungit hoc loco prudentiæ Cornelius à Lapide, deſcribens miniſtrum intelligentem in hæc verba: *Qui in conſiliis eſt prudens, in inveniendo ſolers, in converſando verſatilis, in tractando dexter, in exequendo efficax, in maturando*

2. Hug Card. ibid.

Corn. Alap. ib.

maturando celer, denique in omni actione sapiens & fortis, &c. Id tamen (cum bona pace tanti Commentatoris) amplecti nollem, quod addit: *Æquè ac fidus & probus*; hoc enim exorbitat à textu, si mens Interpretis est hæc omnia claudere in expositione vocis, Intelligens. At non diffiteor, intelligentiam cum probitate compositam requiri pro consummato regis ministro. Campanus: *Platonis adhibenda est diligentia; qui eos solos censuit admittendos Reipublicæ muneribus, qui essent idonei, cæteros autem repellendos, quorum vel ingenii tarditas, vel naturæ malignitas rem communem afferre* (alibi legitur *Ferre*) *non posset. Quosdam enim tulit natura ipsa paulo hebetiores & tardos ad deliberandum; alios verò acutos illos quidem, & ad consultandum acres & industrios, tamen parum moderatos, præcipites ad iram, ad inimicitiam & odium pertinaces*, &c.

Idem ib.

Campan. l. de gerend. magistra. longe post princ.

3. Quantùm autem sit attendenda sapientia, dum promovetur minister, collige de verbis Theodorici ad quemdam quem promovebat olim ad Quæsturam: *Honorem fratris adipiscèris, quia sapientia quoque germanus es.* Et alibi: *Certum est P. C. prudentibus viris vestrum florere consilium. Sed & hoc probatur egregium, quod* (alia lectio habet, *Quia*) *vobis permiscetur dignitas litterarum.* Et post pauca: *Dignitas* (de Quæsturæ dignitate loquitur Theodoricus) *quæ nec divitiis, nec solis natalibus invenitur: sed tantum eam doctrina cum conjuncta* (alibi legitur: *Cuncta*) *potest impetrare prudentia. Nam licet in honoribus aliis beneficia conferamus, hinc semper accipimus. Est nimirum curarum nostrarum felix portio: januam nostræ cogitationis ingreditur: pectus, quo generales curæ volvuntur, agnoscit.*

Rex Theoric. apud Cassiod. l. 5. var. c. 3. in princ. Idem ib. c. 4.

4. Ex dictis manifestum est, quare minister inutilis sustineat iracundiam regis; quod asseritur in effati Salomonici posteriori parte. Ratio, inquam, est: quoniam veluti membra regis ministri sunt: quorum quilibet si extet inutilis, indecorum reddit principem, & idcirco subest illius iræ. Prodest argumentum à contrario sensu desumere, Seresberiensem audiendo; cujus appono verba: *Quot autem in administratione principatus extant officia, tot sunt principalis corporis quasi membra. Dum autem singulorum officia in integritate virtutis, & suavitate opinionis conservat, quamdam quasi membris sanitatem procurat & decorem.* Fœdus principatus est igitur, si per magistratus non sanos administratur. Et cum sæpiùs ægrotent isti citra culpam regis; hic deprehendens illorum languentes mores, iracundiâ fertur in ipsos.

Joan. Seresber. l. 4 de nug. c 11. fi.

5. *Acceptus est.* Hebræa sic: *Benevolentia regis ad servum intelligentem*, &c. Meritò benevolum se præstat rex ministro, quem supra descripsimus intelligentiâ pollentem: nam beatum quid est Rempublicam à sapientibus regi. Vel de magistratibus locutus fuerit Plato, vel de principibus; ejus pronuntiatum suscipiamus ex ore Boetii: qui loquens ad Philosophiam, scripsit hæc: *In hanc sententiam Platonis ore sanxisti, Beatas fore Respubicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.*

Lect. Heb. Prov. 14. 35.

Boët. l. 1. de consolat. prof. 4.

Regi. Benevolentiam istam aucupantur quidam prætores, acceptantes personam regis, ut ei sint accepti. Non ista venatio decet ministri rectitudinem. Petrus Blesensis: *Talis debet esse minister juris, ut in ejus manu nullius authoritate personæ titubet aut vacillet libra justitiæ. Magni quidem Alexandri causa in castrensi judicio à commilitonibus ejus abjecto terrore damnata est.*

Petr. Blef. ep. 95. ante fi.

Minister. Habet Hebræa Lectio, *Servum.* Servilem (si prout sonat sumatur) vocem ne prætereas. Et istos acceptos regi sua comitatur servitudo.

6. Lect Heb. supra.

Vana Palatinos, quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Alciat. emblem. 86.

Diogenes, cum audiret quemdam appellantem Callistenem, aulicum Alexandri, beatum, dixit: *At infelix est, qui tum prandet ac cœnat, cum Alexandro videtur.* Fortunatum potiùs vocarem illum, qui brevî tempore moratus in aula, donum accipiens abundè regium, pacificè, tempestiveque valediceret curiæ. Æneas Sylvius refert sic: *Eos sibi aulicos plurimùm sapere videri dicere solebat, qui accepto aliquo beneficio, vel mediocri, curiæ valedicerent.*

Diog. apud Bruf. l. 1. c. 5.

Æne. Sylvi. l. 1. de reb. Alphon.

Intelligens. Ad felicitatem regalem non parùm conducit uti ministris intelligentibus: nam, cum non valeat omnia per semetipsum tractare negotia, confidit eis, qui sunt ejusmodi: sic princeps aliqualem requiem capit. Dixit Incertus: *Felices illi principes, quibus electio & judicium est hominum, quibus fidant & credant.* Unus istiusmodi vir multifariam regi prodest. Aliqua possunt erui nunc ex dicto Synesii, loquentis de principum familiaribus consiliariis: *Quis*, inquit, *in adversis fortunæ casibus tolerandis stabilior? quis in laudando sincerior? quis in acriter objurgando minus molestus?* Et ibidem infrà: *Habeat rex quàm fieri potest justissimos, atque optimos rectores, in quos imperium dividat: paucos enim facilius, quàm multos cognoscet, eosdemque facilius rectè secusve administrantes sentiet.* Et paulo post: *Magistratus verò præ divite multò magis is eligendus est, qui regendorum hominum peritiâ valet*; &c:

7. Incert.

Synes. or. de regno. ante med.

Iracundiam ejus. Quamvis iræ, necnon & iracundiæ vocabulis in malam partem frequenter utamur; iram dari justam quis, dubitet? Apud Strobeum legis: *Nunc irasci convenit justitiæ causa.* Euthymium superadde. *Qui vero*, inquit, *tantùm irascitur, ut alterum corrigat, irascitur quidem, sed non peccat: quemadmodum nec peccat pater, qui non obtemperanti filio irascitur.*

8. Apud Stobe. ser. 20. Euthym. in Psal. 4. 5.

Inutilis sustinebit. Alii legunt apud Salazar: *Et indignatio ejus erga pudendum.* Optimo jure notat Commentator, ministrum, quem stultitia deturpat, pudefacere principem suum. *Ego vero*, ait, *per servum inutilem, aut confundentem, stultum intelligo, & imperitum, qui commissa sibi mandata ineptè, & imprudenter peragens, confusionem, atque pudorem principi suo sæpius adducit*: &c. Adjice: Necnon Reipublicæ

9. Apud Salaz. in Prov. 14. 35. Idem ib.

publicæ verecundiam conciliat. Unum & alterum pudorem (principis , inquam, atque Reipublicæ de miniſtro malo) præveniebat impedire monitione rex Theodoricus ad quemdam ſcribens , cui donabat conſulatum : *Reſpice te ſupra omnium humeros , atque ora volitare : talemque te præbe , ut dignus genere , dignus urbe , dignus noſtro judicio , dignus trabeis æſtimeris.* Rurſus alibi rex idem : *Delectat* , inquit , *peregrini germinis viros gremio libertatis inſerere. Ut variis frondeſcat* (alia lectio habet: *Floreſcat*) *ſenatus aulæ virtutibus. Ornat enim talis multitudo conventum , & lætam reddit faciem publicam honorata frequentia.*

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 2. var. c. 11. fi.

Idem ib. l. 3. c. 6. in princ.

DELIBATIO I.

Benevolentiâ princeps complectatur miniſtros peritiâ , cæteriſque dotibus præditos.

10. *Ætatis maturitas aliquando principalior eſt pro judicando, quàm ſcientia multa.*

NOn vacat per ſingulas illuſtrare dotes , quæ junctæ conſtituunt miniſtrum omnibus numeris abſolutum ; proindeque benevolentiâ principis digniſſimum. Tantummodò pauca loquar de qualitate ſenectutis ; utpote quæ ſecum deferre ſolet conditiones aliquas ad celſiorum dignitatum rectam adminiſtrationem opportunas : quippe mentis vires in ætate provectâ ſæpius exeruntur. Seresberienſis : *Quis* , ait , *enim nobilius eſt cœtu ſenum , qui emeriti à vulgaribus officiis , ad conſilii & regiminis officium tranſeunt , & in marcido corpore exerunt mentis vires eo* (alibi legitur : *Eſto*) *ſapientiæ magis apti negotiis, quo in exercitiis corporis minus poſſunt.* Notiſſimum eſt Ariſtotelicum theorema : *Potentia autem eſt in junioribus , prudentia in ſenioribus.* Imperii Romani fulcitur exemplo veritas hæc : de quo Valerius Maximus : *Validior* , inquit , *enim ætas imperium Romanum rexit , & duplicavit. Senectus excellentiſſimis juvamentis decorata , in altiſſimo majeſtatis faſtigio fulſit.* Video , quoſdam veteranos , licet prudentiâ præditos , non æquare juvenes aliquot in ſcientia juris. Attamen aliquando magis attendendum ad annorum gravitatem , quàm ab ſubtilitatum juridicarum copiam in adoleſcente repertam. Ætatis maturitas nonnunquam principalior eſt pro judicando , quàm ſcientia.

Joan. Seresb. l. 5 de nug. c. 9 poſt pr.

Ariſtot. l. 7. polit.

Valer. Maxi. l. 4.

11. Regrediar ad hiſtoriam caſtæ Suſannæ. Cum Daniel innocentiam fœminæ teſtatus eſſet , ac rurſus cauſa foret in judicio diſcutienda , *dixerunt ei ſenes : Veni , & ſede in medio noſtrûm ; & indica nobis : quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* Non conveniunt expoſitores hujus loci , qui fuerint ſenes , ita loquentes Danieli. Placet ex Maldonato ſtatuere , quod hæc verba fecerint illimet , qui falſum teſtimonium dedere. *Hæc aut per ironiam Danielem contemnentes dicunt juvenem ſenes , aut per adulationem , volentes eum honore exhibito conciliare , ne eorum ſcelus proderet.* Similiter Cornelius Alapide : *Dicunt hæc ſenes Danieli vel per ſarcaſmum , vel per adulationem , ut eum ſibi concilient , ne ſcelus eorum prodat.* Hoc poſito , quæram. Vel ironiâ fuerint uſi , vel aſſentatione ; quare non potiùs dixerunt ad Vatem : Quia tibi Deus donavit ſcientiam judicandi ? Quoniam in re graviſſimâ videbatur potior grandævitas dierum , quàm juris peritia. Non otioſum erit audire rurſus ad eadem verba Cornelium : qui ſic habet : Honorem ſenectutis *ſenile munus & dignitatem judicandi : ſenum eſt judicare.* Quid refert , in apicibus juriſprudentiæ verſatum eſſe juvenem diligentiſſimè ; ſi maturitate careat , ut factum , atque depoſitiones teſtium prudens examinet , ac juris regulas applicet accommodè caſui , qui præ manibus eſt ? Curet igitur princeps non immaturos judices eligere pro majoris notæ muneribus ; & præter alia requiſita , numeret annos.

Danie. 13. 50.

Maldon ib.

Alap. ibid.

Idem ib.

12. *Ad munia quædam ſenes eligantur : diligat iſtos princeps , velut partes animæ ſuæ.*

Semel atque regis electio ſortita fuerit miniſtrum & ſenili gravitate venerandum, & reliquis dotibus præclarum , ſit illi tantus vir benevolenter acceptus. Credat per judices optimos imperium exornari , cum diliguntur à principe magiſtratus digni functione ſuâ. Rex Athalaricus ad Senatum : *Vos ergo dilexiſſe judicium eſt , unde libertatis augmentum & noſtri Imperii creſcit ornatus.* Per ejuſmodi præpoſitos relevatur ſollicitudo regia , prout faſſus eſt rex idem. *Ad relevandam* , inquit , *florentiſſimæ noſtræ ætatis ſollicitudinem , viſum eſt te virum prudentiſſimum convenienter adhibere , quem conſtat etiam domini avi noſtri tractatibus jugiter & laudabiliter adhæſiſſe , Quod ſi dignum fuit , hoc illum talem tantumque facere , quanto magis nobis convenit ſolatium quærere , &c ?* Amet princeps moderatores , in quibus requieſcit , veluti cor proprium. Quamvis de corde Reipublicæ loquatur Seresberienſis , huc aptari valet : nam & caput quodammodò perhibetur diligere cor : languidè quippe flectitur , ſi cor anxiatur. *Cordis* , ait Seresberienſis , *locum , authore Plutarcho Senatus obtinet. Senatus verò , ſicut majoribus placuit , officii nomen eſt , & habet ætatis notam. Si quidem ſic dicitur à ſenectute.* Itaque judicum electo non potiſſimùm attendat plurimam jurium ſapientiam ; ſed ætatem provectam. Et ſic electos amet quaſi partes animæ ſuæ.

Rex Athalaric. apud Caſſiod. l. 9. var. c. 23 poſt princ.

Idem ib. l. 8. c. 9. in pr.

Joan. Seresb. l. 5 de nug. c. 9. in princ.

13. Onus grave regiminis populi Judaïci ferre non poſſe fatebatur Moyſes Dominum alloquens : & hic benignè reſpondit , ut congregatos de ſenibus Iſraël ſeptuaginta viros duceret ad oſtium tabernaculi fœderis : & addidit : *Auferam de ſpiritu tuo , tradamque eis , ut ſuſtentent tecum onus populi , & non tu ſolus graveris.* De quo ſpiritu loquatur hoc loco Dominus , inquires. Auguſtinum accipe. *Putari enim poteſt* , ait , *de ſpiritu ipſius hominis dictum , quo humana natura completur corpore adjuncto , quæ conſtat ex corpore & ſpiritu , quem etiam animam dicunt.* Difficile dices intellectu quòd accepturi forent illi judices de ſpiritu quô Moyſes animabatur ! an diſſecanda fuerat in partes anima vivificans Moyſen ; ac ſingulis tradenda portio

Numer. 11. 17.

S. Aug. to. 4. l. 4. qq. q. 18. ſuper Numer.

quædam? Patet indiviſibilitas animæ rationalis. Ut quid ergo ſic locutus eſt Dominus? Conjector, quòd, cum forent ad judicandi munus eligendi viri grandævi, ſapienteſque: *Quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri*: Omnipotens, ut eos ita diligeret Moyſes, quaſi partem cerneret in eis animæ propriæ. Hac benevolentiâ principes proſequantur miniſtros inclytos: nam ſicut in ipſos dividunt ſollicitudinis: ita velut animam ſuam partiri credant.

Num. 11. 16.

14.

Et ſpecialiori motivo rex impendat amorem conſiliario, quem experitur litterarum ſplendore fulgentem; ſuppoſito quòd moribus etiam ſplendeat probatis. Agnovit quantus litteris honos deferendus rex Theodoricus apud Caſſiodorum. *Glorioſa eſt*, inquit, *denique ſcientia litterarum: quia, quod primum eſt in homine, mores purgat: quod ſecundum, verborum gratiam ſubminiſtrat: ita utroque beneficio mirabiliter* (alibi legitur: *Mirabilis*) *ornat & tacitos & loquentes.* Fateor, ſæculi magiſtratus non paſſim mores componere ſuos ad eruditionis regulas, quas ex libris colligunt. In aliquarum gentium nationibus rarum eſt hoc; ſed ideo magis charum. Si virum, prout prædiximus, egregium princeps deperdat, ſæpe contingit ut meritò ſubſtituendum non inveniat, niſi poſt longiſſimî temporis decurſum. Profligantur ab hoſte legiones: regium aperiatur ærarium, & citò redintegrabitur exercitus. Publica ruunt ædificia: niſi parcatur ſumptibus, alia conſurgent ad nutum. At verò, mortuô conſiliariô præſtantiſſimô, vacat aliquando locus per annos plurimos; vel ſufficitur inæqualis. Propterea, dum fruitur optimô conſulente rex litterarum ornamentis conſpicuô, ducat maximî virum, quaſi neceſſarium ad hoc ut optimè ſit regnanti. Seresberienſis: *Si tamen*, ait, *ex diſpenſatione ob egregiæ virtutis meritum, principem contingat eſſe illiteratum, eumdem agi litteratorum conſiliis, ut ei res rectè procedat, neceſſe eſt.* Supra legiſti quàm felix illa Reſpublica ſit, cui principatur ſapiens. Audiendo ſanè doctos rex non erit expers omnino ſapientiæ. Idem Seresberienſis: *Nec expers omnino lectionis eſt, qui etſi ipſe non legit, quæ leguntur ab aliis, fideliter audii. Qui verò neutrum facit, quomodo in contemptu præcepti quod præcipitur fideliter adimplebit? Concurſus namque deſiderabilium omnium ſapientiæ acceſſio eſt.* Sapientem ergo conſultorem ita magnî faciat rex, quòd eum velut adoratione colat, ſi dici fas eſt.

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 3. var. c. 33.

Ioan. Seresb l. 4. de nug. c. 6. med.

Idem ib.

15. Statuam Nabuchodonoſor vidit in ſomnis materiâ variegatam; ſomniumque penitus oblitus eſt. Tamen adductus eſt Daniel, ſomnium retulit, & interpretationem propoſuit; quæ nequaquam regi prænuntiavit quid lætum. Nihilominus interpretem Nabuchodonoſor proſecutus eſt honore magno. *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit, & hoſtias & incenſum præcepit, ut ſacrificarent ei.* Regem in hoc erraviſſe, libens agnoſco. Sed cupiebam inveſtigare, cur non ſimiliter adoraverit illos tres, quos miſit in fornacem, & ibi vidit illæſos? Equidem rex ita compellavit eos: *Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſervi Dei excelſi, egredimini, & venite.* Quare non adoravit excelſi Dei ſervos, qui proſequi dedignatus non fuit adoratione Danielem? Quoniam expertus fuerat in expoſitione ſomnii ſapientem. Liranus ad priora verba: *Nec eſt mirandum, regem prius ſuperbum hoc facere ex admiratione divinæ ſapientiæ, quam in eo percepit.* Parum abeſt, ut adorationis cultu ſit elevandus à rege ſapiens conſultor: nam ſapientia Deitatis participatio quædam nobilis eſt, regalem præcellens majeſtatem; utpote quæ non ſubeſt hoſtium furori, proditorum inſidiis, & ſimilibus; quibus immunia ſceptra minimè ſunt.

Dan. 3. 93.

Lir. in Dan. 2. 46.

Hinc licet inferre primò, principem requieſcere poſſe, cum laudabiles invenit miniſtros: etenim ſunt hi curarum levamen eximium. Accipe rurſum verba formulæ penes Caſſiodorum pro magiſteriâ dignitate. *Cauſarum*, inquit, *præterea maximum pondus in ejus audientiæ finibus optima ſecuritate reponimus. Ut ejus curis fidelibus ſublevati, utilitatibus publicis vivacius occupemur.* Adde Theodoricum loquentem apud eumdem circa Quæſtorem vita functum quemdam: *Sub genii*, ait, *noſtri luce intrepidus quidem, ſed reverenter aſtabat opportunè tacitus, neceſſariè copioſus, curarum noſtrarum eximium levamen*: &c. Nequaquam regi, vel Reipublicæ congruum eſt, ut rex omnino tradat miniſtris regale ſceptrum; quantumvis hujus aurum nimis ponderoſum ſit: illud teneat ſolus princeps fortî manu. Datur ei tamen onus reclinare, tamquam ſuper ſolii brachia, dum quieſcit in miniſtris optimis. Ut inveniat iſtam requiem, vigilet, diſcurrat, laboret princeps, quoadusque nanciſcatur ille tales aſſeſſores; ſuper quorum ſollicitudinem quiete frui valeat. Cum verò feliciter aſſecutus fuerit quos requirebat, jam ſedeat, quaſi ſecuritatem nactus, & curarum anxietate diminutâ quietus.

16. *Rex tunc aliquatenus quieſcat, cùm invenerit miniſtros optimos.*

Caſſiod. l. 6. var. c. 6. poſt princ.

Rex Theodoric. apud eumdem. l. 5. var. c. 3.

Davidis verba ſunt enucleanda modò, cùm ait: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Et infra: *Oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Præſupponendum eſt, Davidem loqui de ſemetipſo. Sic refert ex aliis Lorinus. *Hebræi, quos Lira, Treverus, Caïetanus, Hebraïzantes ſequuntur, exiſtimant Davidem de ſe ipſo agere, atque de conſtituto jam regno poſt perſecutiones, de ratione illud juſtè adminiſtrandi, ſecundùm cultum divinum, ſeipſum, domum, familiamque, ſubditos alios tum bonos tum malos*, &c. Hoc poſito, conferamus utrumque locum. Prioribus verbis perambulantem ſe propoſuit rex: quod ſollicitudinem ſonat; prout colligitur ex eodem Lorino ſic exponente: *Curavi etiam; & curabo, ut tamquam in medio filiorum pater, paſtor in medio ovium, in medio ſervorum Dominus, magiſter in medio diſcipulorum ſingulis prodeſſem, atque proſpicerem, ſeu proſim proſpiciamque exemplo, verbo,*

17. Pſal. 100 v. 2. 6.

Lorin in argum ejus Pſal.

Idem ib. ad n. 2.

bo, auxilio; &c. Vides irrequietum perambulatione Davidem? Nota modò ſedentem: *Oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum*: ubi Lorinus idem: *Aſſerit ſe perveſtigaſſe, quos maximè fideles ac virtuti deditos in omni ditione ſua, extraque illam etiam, adjungere ſibi poſſet, atque veluti aſſeſſores habere, & adjutores, ſeu adminiſtros rei tum domeſticæ, tum publicæ.* Ecce cur David poſterioribus verbis meminerit ſeſſionis. Antequam verba faceret Pſaltes de commendabilibus miniſtris, perambulantem ſe dixit, quaſi cogitabundum præ ſollicitudine; cum bonis autem, quos elegerat, more quieſcentium ille ſedebat. Quietem aſſequitur rex non modicam per dignos laude miniſtros.

Idem ib. ad in. 6.

18. *Triſtius eſt regi perdere virum non timentem dicere verum, quod non ipſi placet; quàm regnum amittere.*

Inferre liceat ſecundò, quantùm regem deceat lamentari jacturam, quam tulit is, dum tollitur è vivis homo ſibi miniſtrans præclarus. Non vulgare detrimentum ſubeſt ea Reipublicæ pars, quam ſolers, dum viveret adminiſtrabat: & cum principi ſit in votis regni ſui felix incolumitas; contriſtatur non leviter amiſſione viri, cui partem regiæ curæ demandaverat. De ſupradicto Quæſtore mortuo dixit rex Theodoricus: *Triſtes quærimus, quem nos amiſiſſe dolemus.* Illum, cujus mortem deflendam ſuperiùs dixi, ſuppono veritatis amatorem ſic in conſulendo fuiſſe, quòd non attenderet ad placendum regi, ſed ad rectum conſilium præbendum. Ejuſmodi conſultor acceptabilis eſt prudenti moderatori; non autem aſſentator. Ad Juſtinianum Cæſarem dixit quondam Agapetus: *Accepta eos qui bonorum te conſiliorum admonitum volunt; noneos, qui adulari ſæpenumero ſtudent: illi enim quod revera expedit perſpiciunt: hi vero ad ea quæ placent potentibus, reſpiciunt: corporumque umbras imitantes, ſingulis eorum dictis applaudunt.* Non vetatur principibus amicos eligere, quibus cor aperiant: ſed faciliùs regnantes in electione falluntur: & amicorum pulchro, lucroſoque nomine fruuntur adulatores. Ut amicitiâ dignos princeps dignoſcat, audiat iterum Agapetum: *Exiſtima* (inquit ad Juſtinianum) *veriſſimos amicos, non qui laudent omnia, quæ dicantur abs te; ſed qui nihil non integro judicio facere contendunt, ſic ut gratulentur tibi, ſi bene; triſtentur, ſi contra, ſi perperam dixeris feceriſve: hi enim revera ab omni fraude abhorrentis amicitiæ præ ſe ferunt inſignia.* Acceptet veridicos rex: & aliquot inveniet non verentes in faciem ſibi reſiſtere, pro verò pugnantes: nam etſi veritates à filiis hominum ſint imminutæ; non tamen extinctæ penitus. Imitetur Imperatorem illum; quem dicentem legimus apud Caſſiodorum: *Nam pro æquitate ſervanda & (alibi legitur: Etiam) nobis patimur contradici, cui etiam oportet obediri.* Cum igitur ſit æquum fieri tantî conſiliarium regi loquentem quod verum eſt, quamvis ingratum regiis auribus; hunc heroem perdidiſſe mœſtius eſt principi, quàm regni jactura.

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 5. var. c. 3.

Agapet. ad Juſtinian. Cæſar. in capit. paren. n. 22.

Idem prox. ſupr. n. 32.

Apud Caſſiod. l. 6. var. c. 5. ante fi.

19. Dum ſcriberetur ſententia fatalis in aulæ regiæ pariete, contremuerunt artus impii monarchæ Baltaſſaris. Introducti ſunt ſapientes: & cum nec ſcripturam legere, nec interpretari poſſent; vocatus Daniel ei denuntiavit amiſſionem regni. Ad hæc quid putas egiſſe principem? Textus ait: *Tunc jubente rege indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo ejus: & prædicatum eſt de eo quòd haberet poteſtatem tertius in regno ſuo.* Commentatur S. Hieronymus: *Nec mirum ſi Baltaſſar audiens triſtia, ſolverit præmium quod pollicitus eſt. Aut enim longo poſt tempore credidit ventura quæ dixerat: aut dum Dei prophetam honorat, ſperat ſe veniam conſecuturum.* Et quare, tam gravi cognito motivo ductus, rex non protulit ſigna doloris? Lego, Darium ſucceſſorem, cum veniſſet ad lacum leonum, voce lacrymabili clamantem locutum fuiſſe Danieli. *Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus eſt eum: Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putaſne valuit te liberare à leonibus?* Inſinuat interrogatio, quòd Darius dubitaverit ſaltem, an ille mortuus eſſet, cum diceret hæc. Favet Maldonatus, inquiens: *Itaque magis mirari convenit, quod ſtatim de potentia Dei, quem viventem appellavit, dubitare videatur, quam quod viventem appellet.* Igitur exiſtimo, principem doluiſſe adminus quia dubitans veritus eſt, ne perdidiſſet Danielem. Et quare? Quoniam Daniel adminiſtrationi regni ſapiens incumbebat; & adhuc ad ampliorem dignitatem rex illum cogitabat evehere. *Principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut ſatrapæ illis redderent rationem, & rex non ſuſtineret moleſtiam. Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas; quia ſpiritus Dei amplior erat in illo. Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum*: &c. Baltaſſar novit amiſſurum eſſe regnum: videtur hoc minùs lamentabile. Quòd autem jactura fiat conſiliarii prudentis, & fidelis (qualis Daniel erat: *Eò quòd fidelis eſſet*, &c.) mœſtius eſſe judicabis. Propterea lacrymabili voce loquitur Darius; non ita Baltaſſar. Heroëm ſapientiâ præditum, ſibi miniſtrantem perdere triſtiſſimum quid eſt prudenti principi. Taliter *acceptus eſt regi miniſter intelligens*; &c.

Danie. 5. 29.

D. Hieron. to. 5. com. in Danie. ib.

Danie. 6. 20.

Maldon. in com. ib.

Danie. 6. 2. & 4.

Ib n. 43

DELIBATIO II.

Miniſtris perperam agentibus munus commiſſum rex indignatur juſtè.

20. *Iracundiam ejus ſuſtinebit.* Ex aliis refert Salazar per inutilem intelligi, *qui impudentia ſua, & perfricta fronte herum in ſe concitat, ac laceſſit: hi enim potiſſimum iram, & ſtomachum dominis movere ſolent.* Occaſione hujus expoſitionis, aliqua notabimus, quæ pertinent ad miniſtros haud quidem imperitos ad muneris executionem; ſed improbos. Favet nobis Verſio Pagnini: *Et ira ejus erit contra eum qui pudore eum afficit.* Verecundiam gignit principi recto magiſtratus, cujus improbitas dedecus

Apud Salaz. in Prover. 14. 35. *Pudendum regibus eſt, miniſtrum abuti poteſtate illorum ad fines malos.*

Verſ. Pagnin. hîc.

dedecus inurit monarchæ. Unde quidam rex ait apud Caſſiodorum: *Noſtra ſic probatis, ſi juſta redicitis. Amate quod nos glorificat. Sit velle veſtrum, quale videtis noſtrum eſſe propoſitum.... Peculiare de vobis aliquod vectigal exigimus: ut ſicut vobiſcum familiariter miſcemus affatus, ita &* (alia lectio habet: *Ut*) *noſtra opinio ſpecialiter à vobis mereatur affectum.* Inter alia, quibus condecoraris, non exiguum locum vendicat electio laudabilium amicorum; ſicut econtrariò ſubis dedecus ex eo, quòd in amicis nequam tu complaceas: arguitur enim exinde ſimilitudo morum. Non eſt exemptus ab hac regulâ quiſquam principum: nam & miniſtri quidam ſuperiores ejus amicitiâ potiuntur aliquando. Appoſitè S. Thomas à Villa nova: *Hoc in rege primum, maximum, & potiſſimum, amicus bonorum, iniquorum inimicus: magna nota inuritur regi, ſi quis ejus amicus aut conſiliarius malus eſt.* Pudet regem, quòd adminiſter abutatur ejus poteſtate pro malo fine perficiendo.

Caſſiod. l. 6. var. c. 17. juxta fi.

S. Thom. à Villa no. ſer. Dom. 19. poſt Pentecoſ. med.

21. Miſerta populi ſui cladem venit Eſther ad regem Aſſuerum ſemel atque ruſſus. Et ſecundâ jam die cor aperuit illi mœſtum: poſtulans, ut machinatio furens Amani contra vitam Judæorum diſſolveretur. Non adhuc protulerat querelam adversùs Aman expreſſis verbis. Interrogavit illam Aſſuerus, inquiens: *Quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?* Advertendum quod ex commentatore Sanctio refert, & approbat. M. Celada. *Bene* inquit ille. *notat Sanctius, quod cum nuper dixiſſet Eſther, ſe & populum ſuum addictos morti & direptioni, ubi Rex nunc audivit Amanum eſſe cruentæ cladis authorem, in mentem illi ſtatim venit decretum, quod proximis diebus ab eo Amanus poſtulaſſet de perdendo quodam populo*, &c. Hoc poſito, notabam, regem, cum Eſther nominaſſet Aman, ei non retuliſſe, dicentem: Fateor quod Aman impetravit à me decretum ad hoc, ut periret quidam populus; quem tuum eſſe prorſus ignorabam: hoc illuſus præſtiti. Non talia dixit: poteſtatem, quam donaverat Amano pro perditione populi, diſſimulavit. Sed quare ſic egit cum dilectâ conjuge? Fortè puduit eum, quòd Aman (de quo nuper audierat Eſtherem dicentem: *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman.*) poteſtate regis abuteretur ſic, ut odio ſuo morem gereret. Prudentiſſimus utique pudor eſt, ſi reges verecundantur, dum regiâ manu miniſter abutens perpetrat mala.

Eſth. 7. 5.

M. Celad. in com. Lit. ib.

Eſth. 7. 6.

22. *Qualiter no ceat ſuffragium ferens contra mentem.* Præter pudorem ſupradictum accedit etiam damnum, quod ex iniquo miniſtro princeps patitur. Malus conſiliarius obſtaculum ponit gloriæ regnantis; ut econtra bonorum conſiliis, quia floret Reſpublica, monarcha glorificatur. Prodeſt legere Campanum Epiſcopum. *Quod tandem*, ait, *conſilium à malis expectandum eſt; niſi ut bonis ſe præbeant oppugnatores; & ſint impedimento quicquid ad gloriam, ad decus, ad honeſtatem decernatur?* Denuo ſit exemplum Romanum Imperium: quod florentiſſimè viguit, quandiu bonorum conſiliis directum eſt; at ſuccedentibus conſiliariis iniquis, per inteſtina prælia ſublatum fuit. Idem Campanus: *Parati erant*, inquit, *olim Cenſores Romæ, qui peſſimum quemque ſenatu pellerent, qua dignitate & officio quid ſanctius? Floruiſſe illorum Rempublicam videmus, quandiu bonorum conſilia valuerunt. Poſteaquam verò ad nefarios perducta res eſt, orta civiles diſcordiæ, bellaque inteſtina, rem atque imperium ſuſtulerunt.* Legimus Philippum ab Athenienſibus exegiſſe viros in urbe ſapientiores, ut ſpoliatam conſiliis faciliùs non levi ſubjugaret ſervitute. Ad Campanum iterum redibo. Sic refert: *Philippus Alexandri pater cum opprimere Athenienſium libertatem ſtatuiſſet, dari ſibi ſapientiores urbis poſtulavit, ut eorum conſiliis ſpoliata civitas, faciliùs in diſcrimen & ſervitutem traheretur.* Duo ſunt igitur, multis omiſſis, de quibus pendet regis incolumitas: nempe conſiliarii, tum probi, tum principis amici: ſimulque procul abeſſe de regio latere conſultorem ſuffragium ferentem contra judicium proprium rectum. Politicus inquires, qualenam ex his magis noxium regnanti ſit: defectuſne conſultoris amici necnon & ſapientis; an præſentia conſiliarii loquentis adversùs id, quod novit expedire? Si mihi litem decidere fas eſt, dicerem, plus nocere poſteriorem. Majus detrimentum accipiet moderator ex dicto ſuffragantis contra mentem ſuam; quàm ex carentia ſapientis & amantis conſulti.

Campan. Epiſc. l. de geren. magiſtr. longe ante med.

Id. m ib. infra.

Idem ib. infra.

David ex Abſalomi quondam impietate factus miſerrimus, declinans ejus furorem prodiit ab urbe. Cum aſcendeeret montis faſtigium, occurrit ei Chuſaï, dolorem ſuum apertè ſignis lamentabilibus perhibens. Dixit ad eum David: *Si veneris mecum, eris mihi oneri. Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Abſalom: Servus tuus ſum, rex: ſicut fui ſervus patris tui, ſic ero ſervus tuus: diſſipabis conſilium Achitophel.* Notum eſt, quam verus amicus eſſet iſte Davidis. Gloſſa Ordinaria ex Chryſoſtomo: *Chuſi vir probus, & David amicus, ſuam in eo* (fortè legendum: *In eum*) *amicitiam perpetuo conſervavit in hac mutatione temporum*: &c. Quod autem ſapiens eſſet, notavit Liranus, dicens: Diſſipabis, *id eſt diſſipare poteris per tuam ſapientiam* &c. Valde notatu dignum exiſtimo, Davidem in afflictione poſitum noluiſſe deferre ſecum virum iſtum; cujus amico ſapientique conſilio potuit frui temporibus adverſis. Nonne vel unius amantis defectus multî ponderis eſt in ferendis tribulationibus? quare ſic dimittit illum ad Abſalom? Judicavit filium rebellem adhibiturum ad conſiliandum ſibi Chuſaï: de cujus amicitia David confidebat, intruſo regi locuturum adversùs id quod expediebat eidem. Majus hinc detrimentum Abſalomo venturum credidit, quàm ſibi de carentia ſapientis amicique; licet ejus poſſet conſiliis uti dum tribulabatur. Noſtræ cogitatiunculæ non parum favet eventus: nam Chuſaï, cum ſciret, utile conſilium præſtitiſſe Abſalomo Achitophelem; oppoſito modo ſuffragatus eſt. Lege Scripturam

2 Reg. 15. 33. 34.

Ex Chryſoſt. Gloſſ. Ord. ib. ad n. 31.

Liran. ib. ad n. 34.

turam ibi c. 17. 7. 14. Maximè nocivus eſt principi conſulens contra mentem quod expediens nequaquam eſt.

24. *Punitio conſultoris mali.*

Quid accidet, ſi conſiliarius principem alioquin juſtum impellat ſuaſionibus ad malum? O quoties rectus moderator perſuadetur à conſultore nequam, ut ea quæ dura ſunt ipſe decernat! Incerti verba dono. *Conſiliariorum impetus* (ait ille quicumque) *ſæpe abripiunt bonos, & moderatos principes, ut aliquid durius decernant.* Pernicies abrupta manat ex conſiliis iniquis. Aqua fateor ſapientia: ſed per nequitiam infecta veneno, tantum abeſt à nutriendo corpus myſticum Reipublicæ, quòd ipſam perdit miſerabiliter. Ammianus: *Ubi conſiliis impiis jura prætenduntur, & leges; ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta.* Ex hac radice regnis, fateor, imminent exitia: ſed princeps peculiariter ſibi timeat hoc medio perire; non minùs, quàm ſi panis infectus veneno propinaretur ſibi non ignaro. Quòd nomine panis venire queat conſiliarius perpendat; ut non obliviſcatur qualiter ipſis indigeat. *Princeps*, ait Quidam, *ſibi perſuadeat, conſiliariis æquè ac ſibi pane, quo veſcitur opus eſſe, idque ut veritatis adeundæ ſibi copia ſit.* Equidem panis analogia probat quàm rex egeat conſultoribus: at nocivi nimium ſunt per nequitiam toxicati. Fit ex prædictis, principes prudentes magis ad plectendos illos attendere, qui malum præbuerunt ei conſilium; quàm ad puniendum ſeditioſum populum.

Incert.

Ammian. l. 26.

Frideric. Fur. de conſil. & conſiliar. princip.

25. Danic. 14. 29.

Miſſus eſt Daniel in lacum leonum; ſed illæſus divinâ virtute prodiit. Darius tunc juſſit, accuſatores Vatis in eumdem lacum detrudi. Meritas dedere pœnas. At, cùm tempore Cyri Propheta rurſus leonibus traditus eſt ob ſeditionem populi, quæ regem compulit, non legimus, ſeditioſos irruentes in monarcham fuiſſe punitos. Eccur non? Attende quantùm diſtet caſus uterque. Cyrus à nullo conſilium ſuſcepit, ut innocentem leonibus objiceret: per violentiam res contigit. *Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem.* Cum autem Darius regnaret, per malum conſilium principes & ſatrapæ moliti ſunt Danieli necem: propoſuerunt enim regi, quòd ſcriberet decretum, ut nemo quicquam poſtularet uſque ad triginta dies à quocumque Deo vel homine præter quàm ab ipſo Dario. Ad illud: *Tunc principes & ſatrapæ ſurripuerunt regi* ait Dionyſius Carthuſianus: *Id eſt, latenter ac deceptoriè impia ſuggeſſerunt*, &c. Conſilium illud iniquum præſtiterunt homines, quorum erat recta principi conſulere. Meritiſſimè fuerunt capite plexi Cornelius Alapide: *Re enim*, ait, *examinata, intellexit res hoſtes Danielis ſibi impoſuiſſe, & doloſè edictum extorſiſſe, ut Danielem ſibi fidiſſimum & utiliſſimum è medio tollerent.* Cum ſeditioſo populo Cyrus diſſimulatione prudenter uſus eſt; quamvis adversùs regiam ipſius perſonam auſi fuerint irruere. Darius autem cum improbis conſulentibus judicavit agendum toto rigore juſtitiæ. Peſtilens adeo eſt conſiliarii malum ſuffragium, quòd prudentes principes illorum iniquitatem non conniveant.

Dion. Carth. com. in Danic. c. 6. art. 78.

Alap. in Danic. 6. 24.

Tuetur princeps honorem proprium, cùm judices iniquos non relinquit impunes: non enim ſolummodò reges culpantur qui promovent ad præturas viros nequam; ſed etiam qui poſtea factos iniquos patiuntur: nam & iſtorum, qui rectè fuere promoti, cum poſt declinaverunt ad iniquitatem, improba facta referuntur ad regnantem: quia vel fortè punitur iſte per hocipſum; vel eſt in cauſa quòd operentur malè per conniventiam, qua non eos amovet à juriſdictione. Tam primi generis, quàm ſecundi judices non probos forſan alicui videbitur, ex identitate rationis, aliqualiter comprehendiſſe D. Iſidorum Hiſpalenſem, cum ait: *Ad delictum pertinet principum, qui pravos judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam ſicut populi delictum eſt, quando principes mali ſunt; ſic principis eſt peccatum, quando judices iniqui exiſtunt.* Omitto quòd ſubditi frequenter tribuunt regibus quidquid perperam judices operantur. Et quid mirum ita contingat etiam principibus culpâ vacantibus; cum perſæpe non judicetur, ipſum Rempublicam bene tueri, ſi miniſtri probitate carent? Virtus principis eſt velut in corpore ſanitas capitis. Hæc non ſufficit ad totum corpus tutandum; niſi membra fungantur munere ſuo. Accommodè Guicciardus: *Ut ad corpus tuendum non ſatis eſt ſi caput ſit ſanum, ſed & membra munere ſuo fungi neceſſe eſt: ſic non eſt ſatis principem ipſum culpâ vacare, niſi in miniſtris debita diligentia, & virtus proportione reſpondeant.* Vellem reges cunctos ad hæc vigilantiſſimos. Attamen exactos valde cerno pro deponendo magnate, quem ſaltem leviter ſuſpicantur elevari taliter, ut fiat regulus; & antea conniventer præteribant ejus malefacta circa judicandum. Non ita congruit. Principaliùs attendant principes ad iniquitates, quas præfectus exercuit in munere ſuo; non autem illis præcipuæ curæ ſit eum deponere propter ſuperbiam, quam ex poteſtate concepit.

26. *Rex in præfecto deponendo quid attendere debeat.*

S. Iſid. Hiſp. l. 3. ſentent. c. 54.

Guicciar. l. 6.

Imitentur monarchæ ſummum Regem: de quo Sanctiſſima Virgo: *Depoſuit potentes de ſede*, &c. Contradicere videtur dicto Deiparæ quod legimus in libro Job: *Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens.* Apparens antinomia non modicè torquebit expendentem. Solutioni præmitto Carthuſianum ad præfata verba Mariæ. Depoſuit potentes de ſede, *non de quibuſcumque potentibus dicitur hoc, cum Job dicat*, Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens: *ſed de potentibus ſua poteſtate vitioſè utentibus, de quibus ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico*, ſedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites &c. In quibus verbis lector advertat, vel Carthuſianum poſuiſſe, *Dicat*, pro, *Scribat*; vel hìc errorem librariorum irrepſiſſe, cum ſupra citata verba non ſint Jobi, ſed Eliu. Pro quorum intelligentia legere proficit S. Brunonem Aſtenſem: qui ait in commen-

27. Luc. 1. 52. Job. 36. 5. Dion. Carth. in Luc. prox. ſup. Eccli. 10. 17.

S. Brun. Aſt. com. in Iob. prox. ſup.

tario: *Cum*, inquit, *Deus potens ſit, non propter potentiam, ſed propter impietatem potentes abjicit, ſalvat enim potentes, ſed non ſalvat impios.* Componitur ergo locus uterque facilè. Deponit utique Deus potentes; non tamen purè propter poteſtatem; ſed propter nequitiam. Erudimini qui judicatis terram. Poteſtas præfecti non eſt crimen: quid igitur præpoſitus ideo tantùm abjicietur à præfecturâ, quia potentiſſimus eſt, & rebellionis contra ſe periculum ſomniavit princeps? Non ejus potentia, ſed iniqua facta clamant pro vindictâ regis æquitatem ſectantis.

28. *Quàm Deo placeat feſtinata punitio regentis patrantis malum.*

Audivere ſæpius reges, cunctandum ad ſupplicia. Non eſt hæc univerſalis regula. Cum agitur de magiſtratu nequam deponendo, penitus abjiciatur mora: quoniam hic affert contagium ſubditis, quos adminiſtrat non rectè. Quid, quæſo, fieri congruit in hac re circa ſæculares præfectos (qui liberiùs operari ſolent) cum circa nonnullos eccleſiaſticos ſimilia loquatur Humbertus? *Debet*, inquit, *major Prælatus hujuſmodi peſtiferos Prælatos viriliter, & feſtinanter deponere, habens præ oculis exemplum illius divitis, qui ſtatim ut audivit de villico ſuo, quod bona ſua diſſipaſſet, dixit ei: Jam amplius non poteris villicare* &c. Ut moderator ſupremus negligentiam vitet in correctione judicum, præ oculis habeat quàm ſit meritorium apud Altiſſimum illos afficere juſto ſupplicio. Legat Petrum Bleſenſem; qui ſic ſcribebat olim ad regem Angliæ: *Quod ſi ferre vultis manipulos juſtitiæ in conſpectu magni & diſtricti Judicis, oportet, quod veſtri regni judices diſtrictiſſimè judicetis, ut terror & reverentia regiæ majeſtatis eos ad ſalutaria excitet, quos gehennale incendium, & pœna infinibilis prævis deputata judicibus non deterret.* Deo valde placet feſtinata mali regentis punitio: ſi verò pœnæ motatur inflictio, quamvis non injuſtè differatur, non ita complacet in eâ.

Humbert. l. 3 de mo. prompt. &c. ſer. 81. med.

Petr. Bleſ. ep. ad regem Angl. 95. fi.

29. Nume 25. 11. 12. 13.

Ad luxuriam cum filiabus Moab declinavit Iſraëliticus populus. Iſtius principes præcepit ſuſpendi vindex æquiſſimus Dominus. Nulli dubium eſt, quòd Moyſes fuerit executus hoc Altiſſimi juſſum. Poſt eodem capite refertur, quòd, cum Phinees fuiſſet intuitus unum ex Hebræis in troeuntem ad ſcortum Madianitidem, necavit eumdem. Vide quantî Deus fecerit zelum ipſius. *Zelo meo commotus eſt contra eos, ut non ipſe delerem filios Iſraël in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi quam ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo*, &c. Hæſitabam ſcire cupiens, quare Dominus oſtenderit facere ſe tantî zelum Phinees in ejus facto complacens; de Moyſe verò, cum ſuſpendit principes, verba ſimilia non legamus? Ante dubii ſolutionem, ſupponendum primò, tam principes illos, quàm Zambri per Phinees occiſum, regimen aliquod adminiſtraſſe. De prioribus nomen ipſum principum id inſinuat: ſed addo S. Petrum Damianum. *Quid eſt*, ait, *quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum præpoſitos vindicatur? ſubditi delinquunt, & principes in patibulis ſuſpenduntur; ſcilicet alius eſt, qui peccat, alius ille, qui vapulat.* Quod autem Zambri fulgeret aliquâ poteſtate, ne dubites. Textus ait: *Erat autem nomen viri Iſraëlitæ, qui occiſus eſt cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.* Supponendum ſecundò, ſupradictos principes erga laſciviam populi non fuiſſe criminis expertes; quamvis id Scriptura non aſſerat. Ita puniti fuere, quia muneri ſuo defecerant, non corripiendo ſubjectos. Hugo Cardinalis, etſi dubitanter loquatur: Tolle cunctos principes, *id eſt duces tribuum, quos ſuſpendi præcipit fortè quia non corripuerant ſubditos*: &c. Nunc dubium ſolvam. Dominus circa Moyſis factum complacentiam verbo non indicavit, quia Moyſes, ut principes illos è medio tolleret, non adeo properaſſe legitur; licet negligens haud fuerit: nequaquam hoc præſtitit, niſi poſt præceptum Dei. Phinees autem zelus à Domino verbis inſinuatur multî ductus: eo quòd non monitus à Deo, nec factâ morâ luxuriam ducis puniverit in flagranti delicto. Hugo Cardinalis: *Et ſurgens Phinees ingreſſus poſt eum invenit eos coeuntes, & confodit eos gladio in locis genitalibus.* Prudens hæc atque fervoroſa feſtinatio, qua punitus eſt vir clarus regimine, ſed peccato fœdus, arriſit juſtitiæ divinæ multùm. Recogitent oportet imperantes, ipſos æquitatis Altiſſimi nobiles miniſtros extare. Si meditatus fuerit hoc eorum quilibet, apud illum erit acceptus miniſter exercens inculpatè munus publicum; & econtrariò *iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit.*

S. Petr. Damian. l. 4. ep. 15. longe ante ſi.

Numer. 25. 14.

Hug. Card. ib. ad n. 4.

Idem ib. ad n. 6.

DELIBATIO III.

Expenditur prudentia D. Joſephi: qui tamquam miniſter acceptus extitit in terris Principi ſummo.

30.

PRovidentiam perfectiſſimam Deus probavit in electione miniſtrorum ad intentos fines conſequendos. Pro diverſitate munerum delegit Sanctos ad varia, dotibus præditos: alios quidem ſic; alios verò ſic. Congruum erat, ut ad maximî ponderis negotium, juſtum præſcius deſtinaret; quem noverat futurum eximiè præclarum. Hinc excellentiæ clareſcunt Sanctiſſimæ Deiparæ Sponſi: qui non ſolùm ad miniſtrandum Reginæ cœli, ſed ad Incarnationis effectus quadamtenus coadjutorem deſignavit Omnipotens. De illo quædam adjicere nunc abs re non erit; cum noſtri verba dogmatis acceperit Rodolphus ut retuli ſupra. *Tamen*, ait, *non niſi intelligens & prudens ſervus Chriſto regi placere poteſt, dicente Domino*: Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, &c? Non longiùs ab his diſcedo; cum de S. Joſepho dixerit Bernardus: *Fidelis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus*

Rodolph. in Prov. 14. 35.

S. Bernar. hom. 2 ſuper Miſſus.

minus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutrimentum, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fideliſſimum. Non præteribo tamen S. Joannem Chryſoſtomum; qui ait: *Vides quia Joſeph non ad conjugium Mariæ erat electus, ſed ad miniſterium ejus?* Nequaquam ſpatiabor vela pandens in D. Joſephi laudes, ne multum à pronuntiato Salomonis abeam: ſiſtam in ejus prudentiâ commendandâ. Viſitur hæc in pluribus Mariæ Sponſum exornans.

Chryſoſt. to. 2. hom. 2. oper. imperfec. in Matth. ante fi.

31. *Generoſus, ne judicet contra caſtitatem alterius, quid agat?* Chryſoſt. prox ſup. hom. 1. longe ante fi.

Primum ſit illius prudentiæ teſtimonium in eo quòd non malè de Virgine judicaverit, cùm gravidam intellexit. Meditare verba rurſum Doctoris aurei. Proponit is Deiparentis dictum ad Joſeph: *Vivit Dominus, neſcio unde ſit hoc.* Jam ſubdit: *Quo audito, timuit valde Joſeph, & ex parte credidit in ea aliquid eſſe divinum. Nec enim timuiſſet, niſi ex parte aliquatenus credidiſſet.* Et infra: *Magis credebat caſtitati ejus, quam utero ejus: & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat. Poſſibilius eſſe credebat mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare.* Duo detinuere Joſephum, ne judicium ferret contra Virginis puritatem: ſcilicet ſuamet viri caſtitas; necnon & pudicitia Mariæ. Circa priorem ſufficiat huc trahere verba S. Iſidori Peluſiotæ. *Quemadmodum*, inquit, *ſinceri atque ardentes pudicitiæ amatores ex ſuæ caſtitate de aliis etiam, quamvis minimè tales ſint, puras ſententias ferunt, nec impudicum quemquam eſſe arbitrantur*: &c. Argumentum à fortiori deſumptum inſtituere pronum eſt ita: Quomodo proclivis erit caſtus inſignis, ut inhoneſtum cenſeat puritate fulgentem; ſi neque laſcivum indicat facilè talem? De hoc ſatis. Ad aliud venio motivum; ſcilicet Mariæ caſtimoniam, quam Joſephus noverat: & idcirco ſe continuit, ne putaret adulteram. Generoſitas animo prudenti ſuadet nequaquam de aliis temerariè cenſere; potiùs ad munditiem attendere perſonæ, cujus res agitur, ne ferat judicium adversùs illius honorem.

S Iſid. Peluſ. l. 3. ep. 307.

32. Adhuc expoſitione donabimus hiſtoriam Suſannæ. Senes illi, qui ſerâ libidine ducti ſollicitaverunt eamdem; cum illa non acquieverit ipſis, exclamarunt adversùs eam. Cum audiſſent famuli clamorem irruerunt per poſticum. Vide quid ſequatur. *Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſervi vehementer: quia numquam dictus fuerat ſermo hujuſcemodi de Suſanna.* Dionyſius Carthuſianus ibi: *Et ideo etiam erubuerunt, quia hucuſque ſemper bonum de domina ſua teſtimonium præſtiterunt, & eam magnificè laudaverunt: ſicque erubuerunt, quod tam contraria ſuis verbis evenerunt.* Videtur inde colligi, ſervos credidiſſe, Suſannam eſſe ream. Non ſimiliter de propinquis exiſtimo: nam ejus innocentiam illos agnoviſſe puto, motus à ſequentibus. Adducta fuit in judicium Suſanna: propinqui lacrymis ora proluebant. Interlinearis, & Cardinalis Hugo v. *Sui* habent, *Propinqui.* Carthuſianus verò ſcribit ſic:

Danie. 13. 27.

Dion. Carth. ib.

Gloſſ. Interlin. & Card.

Flebant ergo ſui, & omnes qui noverant eam, *notitiâ approbationis, id eſt, qui eam innocentem noverunt, fleverunt ex compaſſione.* Hæc innocentiæ cognitio videtur in propinquis præſertim fuiſſe. Modò quæram. Quare ſervi crediderunt, ad turpitudinem dominam ſuam declinaviſſe; propinqui verò non ita judicarunt? Leve dubium. Famuli juxta ſervilem conditionem generoſos nimis animos nequaquam præ ſe ferebant. De propinquis autem Suſannæ ſi loquamur, eorum generoſitas credibilis eſt: non modica: nam, cum de Suſannæ viro legamus: *Ad ipſum confluebant Judæi, eò quòd eſſet honorabilior omnium.* De propinquis matronæ quod dixi probabilitate non vacat. Ergo generoſis inſigniter animus non eſt in honorem alienum judicium ferre; ſed mentem frenant animadvertentes perſonæ, de qua tractatur, innocentiam præteritam. Hinc Joſephi patet ingenuitas inclyta; utpote qui Davidicæ ſtirpis erat proles. Mundam noverat ille Virginem: proinde, quamvis oppoſitum ſignificaret alvus tumens; intellectum in judicando continuit generosè timens.

Hug. in Danie. 13. 33.

Danie. 13. 4.

33. *Sapiens non amat nimiam velocitatem in judicando.*

Itaque ſapientiam D. Joſephi miremur in eo dum ſententiam detinet mentis erga materiam ſubjectam. Quidam ſunt (contra quos alibi non pauca dicebam) qui tunc exiſtimant ſe ſapientiſſimos, cum ſinunt intellectum ſuum poſt indicia præcipitem ferri; quaſi non haberent illum in poteſtate propria. Non ita ſapiens. Fatuam novit ille ſuperbiam; qua judicant homines occulta, reſervata Dei ſapientiæ. Dixit Auguſtinus, equidem ſapientiſſimus: *De manifeſtis ergo judicemus; de occultis verò Deo judicium relinquamus*: &c. Reponunt ad iſta ſcioli, cùm eorum petulanti judicio temerario volumus obſtare: Manifeſtum eſt hoc, quod cenſemus; de rebus occultis nos haud ingerimus. Hæc illi, dum cogitationes alienas, cordiſque decreta non exteriùs manifeſtata judicant. Stultè ſuperbiunt iſti: difficile quippe nimis eſt alterius mentem diſcernere. S. Joannes Chryſoſtomus: *Imo magis verò in diſcutiendo & perquirendo aliena commiſſa labor eſt, & judicare de alterius mente ſumma difficultas.* In Suſannæ ſervis paulò priùs notabam, citò credidiſſe piaculum de pudicâ dominâ ſuâ. Quid ergo tuus intellectus, qui munus principis exercet in humani compoſiti parvâ republicâ, fidem adhibet ſenſibus, qui ſervorum exhibent officia? Sapiens eorum fallaciam cavet, ac errorem vitat non amans velocitatem in judicando.

S. Aug. to 4. l. 2. de ſer. Dom. in mon. longe poſt med.

Chryſoſt. to. 5. l. 1. de compunctio. cor. med.

34. Evangelicus Vates olim de Chriſto Domino prænuntiabat ſic: *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus*, & infra: *Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet*: &c. Commentatur Sanctius: *Neque enim illum externa rerum ſpecies decipiet, qua humani ſæpe capiuntur, & falluntur oculi.* Et infra: *Sed neque ſecundum auditum aurium arguet; quia ſæpe omnino fallit*, &c. Mirandum valde, quod, cum

Iſaï. 11. 2. 3.

Sanct. in com. ib.

divinus Meſſias, utpote verus Deus, futurus eſſet immunis à deceptione quacumquè, dicatur adhuc non judicaturus conformiter ad ea documenta, quæ præſtarent oculi; nec arguiturus fore ſecundùm propriarum informationes aurium ! Quid ſpecialiter in oculis & auribus reperitur, ut à judicio Meſſiæ fuerint excludendi teſtes hi, ſcilicet aures & oculi ? Dicerem, ideo nominatim ſenſus iſtos duos excludi, quia ſunt in percipiendo nimis agiles inter alios. Cumque celeritas nimia pro judicandis factis alienis non congruat ſapienti; de Meſſia, ſuper quem Iſaias prophetavit requieturum ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, aſſeruit etiam : *Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet* : &c. Inde perpendas velim D. Joſephi ſapientiam : qui cum cerneret conjugem ſacro pondere gravem, nõ leviter fidit luminibus propriis, ut impuram decerneret apud ſemetipſum.

35. *Arduum eſt contentum eſſe remedio ſecreto circa damnum publicum honoris proprii.*

Secundum eſto ſignum prudentiæ Sponſi Virginis almæ; quod cum adhuc myſterii neſcius anxiaretur, voluit occultè dimittere Sponſam. Occulto remedio decrevit honori proprio, ſimul & alieno conſulere. Virginem retinere non ſinebat anxietas orta de ſuſpicione ſuâ; tradere verò judiciali diſcuſſioni renuebat pietas : medium tenuit prudenter. S. Joannes Chryſoſtomus : *Propterea igitur & Joſeph tantam philoſophiam mentis oſtendit. Neque enim aut in judicium tradidit ſponſam, aut ipſe ſaltem ei manifeſtum uteri exprobravit tumorem, ſed tantummodò à ſe illam ſeparare conatus eſt*, &c. Et infra : *Joſeph ſuſpicione cruciatus eſt*, &c. Hinc inde trahebantur Joſephi præcordia : nam erat in ambiguitate poſitus. Oportuit ad rem tantam conſultores adhibere tres : juſtitiam, pietatem, atque prudentiam. Hugo Cardinalis : *Erat ergo in ambiguo : quia poterat res eſſe bona, & poterat eſſe mala.* Et infra : *Notantur tria circa Joſeph : ſcilicet juſtitia, pietas, & prudentia. Juſtitia notatur in hoc, quod volebat innocentem ſervare ab infamia. Pietas, quia nolebat eam traducere, id eſt propalare, id eſt publicè adulteram promulgare. Prudentia, quia volebat eam occultè dimittere.* Virum ſanguinis claritate felicem torquet nimis tacere, nec proprium decus verbo tueri. Comes Odo ad regem ſuum ſcribens legitur : *Si me*, inquit, *& honorem meum defendendo aliqua tibi ingrata commiſi, feci hoc laceſſitus injuriis, & neceſſitate coactus. Quomodo enim dimittere poſſum & non defendam honorem meum ? Deum & animam meam teſtor quod magis eligerem honoratus mori, quàm diſhonoratus vivere.* Sic virum nobilem tranſverberant quæ pertinent ad honoris damnum. Si Virgo puriſſima torum conjugale violaſſet, poterat hoc aliquâ viâ divulgari : ſic Joſephi decus periret. Unde vicit rem arduam ejus prudentia, cum obtinuit ab eodem contentum eſſe remedio ſecreto circa materiam ſubjectam. Arduitatem hujus victoriæ comprobabo perpendens factum Apoſtoli Pauli.

Chryſoſt. to. 2. hom. 4. in Matth. longe ante med.

Hug Card. in Matth. 1. 19.

Comes Odo ep. 96. inter epiſtolas Fulber. Epiſc.

36. Miſſus fuit in carcerem Gentium Doctor & Silas. Poſtea, cum eos dimitti juſſiſſent magiſtratus, legimus, Paulum dixiſſe verba ſequentia : *Cæſos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt ? Non ita : ſed veniant, & ipſi nos ejiciant.* Nonne Paulus hic eſt ille, qui mundi ſic deſpiciebat honorem, ut pro nihilo duceret ? Certè dixit ſcribens ad Corinthios : *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, ... per gloriam, & ignobilitatem ; per infamiam, & bonam famam*: &c. Igitur quomodo nunc occultè dimitti recuſat, quia publicè fuerat cæſus ? jam Apoſtolus, exemplar humilitatis, adeo magnî facit honorem ſæculi, quòd voluerit compellere magiſtratus ad ejus innocentiam facto declarandam ? Abſit ut elationis damnemus Paulum. Sed nulla ratio cogebat in iſto caſu rem ſuſtinere tam arduam. Et quam ? Erat quippe durum, quòd, cum injuria facta fuiſſet ei publica, remedium, ut ita dicam, offenſæ foret ſecretum. Difficulter patitur vir ingenuus, ejus honorem perire palam; ac poſt ei conſuli per occultum factum. Superavit Joſephus prudentiâ ſuâ difficultatem iſtam : nam licet ipſius honos periclitaretur, ſi Virgo defeciſſet in fide tori, crimenque divulgaretur ipſo nolente; contentus nihilominus erat occultâ dimiſſione Sponſæ.

Actor. 16. 37. 38.

2 ad Cor. 6. 4. 8.

37. *Durum eſt, amantem offenſum aliquando querelam non proponere offenſori dilecto.*

Tetigi proximè ſupra n. 34. verbis utens Chryſoſtomi, circumſtantiam deliberationis hujus; qua Joſeph Virginem occultè dimittere voluit, non equidem ſpernendam. Cenſuiſſe videtur S. Doctor, Joſephum de motivo ſollicitudinis mœſtæ nihil Virgini dixiſſe; quamvis non ſatis id exprimat. Adde quòd forſan, cùm D. Hieronymus notat ſilentium Joſeph, ut inde laudem B. Virginis eruat; putavit quòd omnino ſic tacuerit, ut nec Sponſæ quidquam dixerit circa rem iſtam. Tu videris, lector. In memoriam reducemus verba Doctoris eximii, ſatis nota. *Quomodo*, inquit, *Joſeph cum crimen celaret uxoris, juſtus ſcribitur ? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt quod Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat; celat ſilentio cujus myſterium neſciebat.* Fateor, hominis animum ſæpiſſimè ſilentio roborari. Lege Guarricum Abbatem. *Spiritum*, ait, *hominis diſciplina ſilentii nutrit, format, & roborat : & quanto occultius, tanto tutius & ſalubrius incrementum præſtat.* Et mox : *Sed nec à vobis occultatum eſt hoc myſterium fratres mei, quorum experientia & confeſſio teſtis mihi eſt, quomodo quietus & modeſtus ſpiritus ſub ſilentio roboretur, pingueſcat & floreat : quomodo econtrario per verba velut quadam paralyſi diſſolvatur & defluat*, &c. Roborari per ſilentium viri prudentis animum non diffiteor : agnoſco regulam; ſed ſuas admittit exceptiones. Cœteris prætermiſſis unam adnoto. Cum ſe vera dilectio ſuſpicatur læſam, ita ſilere, quòd nec amato verbum querulosum proferat : hæc, inquam, taciturnitas non robur adjicit; ſed vires cordis infringit. Attamen perfectus amor offenſus, aliquando nihil ad offendentem dilectum profert querelæ, ne contriſtet illum. Duriſſimum eſt hujuſmodi ſilentium.

S. Hieron. to. 9 l. 1. in Matth c. 1.

Guarric. Abb. ſer. 3 de Annunt. med.

Oſtium

38. Oſtium ſponſæ Canticorum dilectus pulſavit, inquiens: *Aperi mihi ſoror mea*, &c. Excuſavit illa ſe frivolè. Tandem ſurrexit: patefecit januam; ſed Sponſus abierat. *Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque tranſierat.* Sponſæ culpam ſugillat acriter S. Thomas à Villa nova dicens: *O ingrata, o miſera & cæca, ſic reſpondes dilecto tuo, Deo tuo? itane contemnis Creatorem, & amatorem tuum?* Et poſt pauca: *Surrexit anxia ut aperiret dilecto: at ille declinaverat, atque tranſierat: juſtè quidem, cum tam protervè & indignè fuerit ab ipſa deſpectus.* Mirabar, amatorem tenerrimum, ſcientem, aſſurrecturam fore ſtatim ſponſam, ut oſtium aperiret, abiiſſe tam citò, quòd ipſum non invenerit illa! Quem ſuaſit multus amor ut veniret, cur non detinuit ampliùs? Prudenter abiit amans offenſus: q. d. ſi à ſponſa repulſam paſſus expectavero venientem, ut januam reſeret; mihi reſtat unum de duobus eligere: vel ipſam reprehendere, vel tacere querimoniæ cauſam. Primum nollem, ne mœſtam reddam quam diligo. Secundum; nempe quòd cum fuerit læſus meus amor, queſtus non proponam ipſi dilectæ circa receptam injuriam (noſtro more loquimur) duriſſimum eſt: non hoc ſilentium apud amatam patiar: abibo potiùs, mediam tenens viam inter extrema duo. Vix fert amor offenſus à dilecto perfectiſſimus, non proponere coram ipſo querelam. Et hoc vicit prudentia D. Joſephi: colligitur ex dictis quippe quòd, cum ſuam læſionem ſuſpicaretur; nequaquam Virgini dilectiſſimæ propoſuit eam.

Canticor. 5. 2

Ib. n. 6.

S. Thom. à Villa no ſer Dom. 17 poſt Pentec. longe ante fi.

39. *Magis Deo placet obediens ei cæco prudenter modo.* Tertium prudentiæ S. Joſephi documentum eruamus ex eo quòd, cùm Angelus, apparuit ei dicens, ut accipiens puerum & Mariam fugam caperet in Ægyptum; nec certum deſignavit ei tempus, quo moraturus erat ibi; non curioſus inquiſivit à cœlesti legato, quomodo per fugam puellus eripiendus eſſet à diſcrimine, cum veniſſet populum ſalvare ſuum: nec percontatus eſt quando revertendum foret ab Ægypto. Notiſſima ſunt huc facientia verba S. Joannis Chryſoſtomi. *Quæ*, ait, *cum audiſſet Joſeph, nequaquam paſſus eſt ſcandalum: neque dixit: Incerta iſta res eſt, ac prorſus ambigua: tu paulo ante dicebas, quia ſalvabit populum ſuum; & nunc ſeipſum quidem non poteſt de periculis liberare. Aut ſi poteſt, quid nobis eſt opus labore, ac tranſmigratione longinqua? .... neque curiosè reverſionis tempus inquirit, quod utique ab Angelo non ſignatè fuerat expreſſum.* Obedientiæ perfectio quæſtiones iſtas non curat. De illa, quæ præſtatur homini dixit S. Bernardus: *Perfecta verò obedientia eſt maximè in incipiente indiſcreta: hoc eſt non diſcernere quid vel quare præcipiatur: ſed ad hoc tantum niti, ut fideliter & humiliter fiat, quod à majore præcipitur.* Cum iſta legis de obedientibus viro mortali; quid cogitas putandum circa perſolvendam obedientiam immortali Deo? Curioſitas vitanda circa judicia Dei. S. Joannes Climacus: *Non caret periculo, ſi quid inquiramus, quod ſupra nos eſt. Judicium Domini de nobis arcanum & inexplicabile eſt.* Et mox: *Cor rectum ab omni curioſa rerum varietate liberum eſt, & in navigio innocentiæ ſecurè navigat.* Magis Deo placet igitur præſtans obedientiam eidem cæco feliciter & prudenter modò: minùs arridet quidquam inquirens attinens ad executionem præcepti Domini.

Chryſo. to 2. hom. 9. in Matth. ante med.

S. Bernar. l de vit ſolit. longe poſt prin.

S. Ioa. Clim. in ſcal. gr. 26. p. 2. longe poſt prine.

Adhuc in ſacrificio rationalis victimæ, quam Deus olim poſtpoſitâ dilectione paternâ ſibi juſſit immolari, nunc aliquid nobis relinquitur meditandum. Non inficiaberis, utrumque, parentem ſcil. ac gnatum, à Domino promeruiſſe munerari. De genitore manifeſtiſſimum hoc eſt: de Iſaac verò ne dubites, audiens D. Joannem Chryſoſtomum. *Neque reluctatus eſt*, inquit, *neque factum ægrè tulit, ſed ceſſit & obtemperavit his quæ à patre facta ſunt* &c. His poſitis. Notabam quòd, cum obſtitiſſet Angelus, ne gladio traderet Abraham filium; & hic pro genito ſubſtituiſſet arietem in holocauſtum, cœleſtis miles, Dei nomine loquens dixit ad eum: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli*; &c. Haud tamen Angelus hoc loco quidquam de præmiando cœlitus Iſaac locutus fuit. Quare ſic? Ad alia themata dubium iſtud non ſemel audiſti diſſolvi. Nunc ad præſens dicam. Abrahamus accipiens mandatum Domini, nihil penitus curioſè quæſivit; & præſertim admîrabilis fuit ejus obedientia, quoniam ſciſcitatus non eſt an ſuſcitandus eſſet, ad hoc ut ex eo pater ſuſciperet progeniem: promptâ voluntate necnon & ſecum ſuperfluas ratiocinationes omiſit inſtituere, Chryſoſtomus idem: *Voluntatem*, inquit, *& mentem diſce, qua faciebat mandata citra ratiocinationem curioſam.* & antea dixerat S. Doctor: *In tam gravi præcepto non cogitabat, non ratiocinabatur ſecum, cur hoc?* Longè differenda non erat præmii repromiſſio cœleſtis Abrahæ facto: qui modò prudentiſſimè cæco juſſum Dei conatus eſt exequi. Ut autem videas, Iſaacum aliter ſe geſſiſſe, memento, Deum repræſentari per Abraham. S. Bruno Aſtenſis: *Allegoricè autem*, inquit, *Abraham, qui pater multarum gentium, vel pater excelſus interpretatur, Deum Patrem ſignificat*, &c. Pergebant ſimul Abraham, atque chara proles: & Iſaac interrogavit parentem: *Ubi eſt victima holocauſti?* Quamvis in hac interrogatione minimè ſit reprehenſibilis; tamen Dominum in Abrahami figura ſic percontatus Iſaac, aliquid obedientiæ ſuæ detrahere viſus eſt. Fortaſſis ideo, cum promiſſa fuerit remuneratio patri; non tunc de præmiando gnato quidquam expreſsè dictum legimus ibi O qualiter enituit obedientia D. Joſephi! Monitum ſuſcepit, ut accipiens puerum & Mariam ſecederet in Ægyptum. Non inquiſivit quomodo ſtaret id cum eo quòd Virginis Filius foret ſalvaturus populum ſuum: nec ſtatim ſcire cupiit quandiu moratu-

40.

Chryſoſ. to. 1 hom. 47. in Geneſ. poſt med.

Geneſ. 22. 16. 17.

S. Ioa. Chryſ. prox. ſup. ante fi. & ibid. longe poſt princ.

S. Brun Aſt com. in Geneſ. c. 22.

Geneſ. 22. 7.

rus foret in Ægyptiacâ regione. Prudenter ſummi Principis diſpoſitioni ſubdidit arbitrium atque mentem iſte magni conſilii coadjutor ; in quo valde complacuit Altiſſimus : novimus enim , quòd *acceptus eſt regi miniſter intelligens* : quæ verba de rege Chriſto Domino ſupra notavimus , in aliquo ſenſu forſan accipi valere.

DELIBATIO IV.

Defertur nimis nobilitati. Periculum faſtigium tenentis per dilectionem regis. Princeps gaudet ut ad ejus arbitrium aulici ament quem amat ; perſequantur quem perſequitur. Diſcrimen affert miniſtro haberi dominum regni. Moderator attendat ſapientiæ ſui vicem gerentis.

41. *Reges magis deferunt nobilitati , quàm merito.*

Acceptus. In hoc priori noſtræ paræmiæ verbo ſubjiciam aliquid ; eam ſumens in eo ſenſu , quo poteſt intelligi de acceptatione coram rege Chriſto Domino ; de quo delibatione ſuperiori. Rem notiſſimam liceat offerre lectori ; quamvis periculum non ſit , quòd ſono vocis deceptus Deum putet acceptatorem perſonarum. Iſtarum acceptationem abeſſe procul à Domino , haud indiget probatione. Non tamen reprehendas notationem iſtam veluti ſuperfluam : ſciens Apoſtolorum Principem illam non omiſiſſe : dixit enim : *In veritate comperi , quia non eſt perſonarum acceptor Deus :* &c. Adde Primaſium. *Hoc* , inquit , *totum agit , ut oſtendat , apud Deum prærogativam generis non valere , nec eum perſonam alicujus accipere , quod his vult firmare exemplis* , &c. Non ita mos eſt monarchis aliquibus : qui nimis deferunt nobilitati ; minùs autem attendunt merita. Fateor , claritatem ſanguinis conducere , quò ſpem bonam concipiat elector , præſumens , eligendum, ſi genere ſit ingenuus , fore præſtaturum recte munus injunctum ; ne propriæ nobilitati degenerem notam inurat. Sed æquitas non patitur , ut ſola progenitorum commendabilium ſeries numeretur in ſeligendo miniſtrum ; & ejus morum vituperabilium ratio non habeatur. Proximè datus Primaſius acceptatorem perſonarum judicat eum , qui *invenit aliquid in perſona , quod honore , vel miſericordia ſit dignum.* Etiam in eleemoſynæ largitione vitanda perſonarum acceptio : quantò plùs in diſtributivâ juſtitiâ ? De ſtipis donatione loquens D. Baſilius ait : *Ne anteponas amicum alieno neceſſitatem ſuam corrigi petentem , vult te conſolatorem eſſe egentium,non perſonarum acceptatorem , non cognato dantem , peregrinum verò repellentem.* Si de miſericordiæ factis hoc dicitur ; quid erit in iis,quæ pertinent ad juſtitiæ ſtateram ? Sed reges non ſemel in diſtribuendis honoribus magis largâ manu donant nobilitati perſonæ , quàm ejus merito.

Actor.10 34.

Primaſ. in Ep. ad Rom. c.9.a n.7.

Idem ib.

S Baſil hom. 21. inter var. longe poſt princ.

42. Non ſemel Aſſuerus affecit honore Mardochæum. Primùm juſſit ut veſtibus regiis indutus,equo vectus, diadema geſtans deferretur per plateam , viro maximo clamante : Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. Functione peractâ,regreſſus eſt Mardochæus ad januam palatii: proindeque veroſimile , depoſuiſſe veſtes regias : nam de his dixit Lira : *Quibus nulli licet uti niſi regi.* Nonne tibi videtur hic honos ei ſimilis, quem accipit in theatro perſonam regis agens? Contigit poſtea labi de faſtigio proſperitatis Aman apud Aſſuerum. Denuo fuit exaltatus Mardochæus : vide quàm aliter. *Tulitque rex annulum,quem ab Aman recipi juſſerat , & tradidit Mardochæo.* Et infra : *Mardochæus autem ; de palatio & de conſpectu regis egrediens , fulgebat veſtibus regiis , hyacinthinis videlicet & aëreis , coronam auream portans in capite , & amictus ſerico pallio atque purpureo.* Quàm diverſimodè nunc & priùs condecoratus eſt Mardochæus ! Supra velut ſcenicus rex ornamenta depoſuit ; non ita verò poſtea. Quæro. Quid cauſæ fuit ut à rege primum ſuſceperit honorem ? Ex hiſtoria ſacra liquet , ideo ſic muneratum, quia vitam debuit Aſſuerus eidem. Cum expenderem , ipſum poſt majus accepiſſe decus , dubitabam præſtiteritne Mardochæus novum aliud principi beneficium ; vel aliquid magnum egerit in obſequium Reipublicæ. Nullum vidi fundamentum , ut hoc aſſeramus. Cur ergo liberalior in eum extitit nunc Aſſuerus , quàm fuerat antea ? Manifeſtum eſt hoc. Priùs honore perſolvebat meritum ejus , qui vitam regi ſervaverat ; poſtea largiori evexit eumdem:quoniam patruum novit eſſe reginæ ; quod ignorabat Aſſuerus , quando fecit eum publicè deferri per Aman. Regio ſanguini perſonnæ multum detulit ; minus autem largitus eſt ipſius merito. Sic evenit apud ſæculi principes non infrequenter.

Lira ib.ad n. 8.

Ib.c.8.v 15.

43. *Qui per dilectionem regis venit ab ſuma , vergit ad ruinam.*

Eſt. Non legimus apud Vulgatum, *Erit*; fortè ne quis putaret , conſtantiſſimam eſſe durationem benevolentiæ cujuſque principis erga miniſtrum intelligentem. Et prudens , & imprudens , qui gratiam regis obtinuerunt , pendent in ancipiti. Quamvis hoc non clamarent experientiæ , ratio doceret : non eſſet enim cur exciperemus benevolentiam regalem ab inſtabilitate communi rebus terrenis ; de qua ſapienter Nazianzenus : *Circulus quidam fratres in rebus eſt humanis.* Et infra : *Nihil eſt immobile , nihil planum , nihil per ſe ſufficiens , nihil ſibi in finem uſque ſimile , non lætitia , non triſtitia , non divitiæ , non paupertas , non fortitudo , non infirmitas , non humilitas, non potentia, non præſentia, non futura , non noſtra, non aliena , non parva , non magna , non quæcumque quis enumerare poſſet.* Peculiariter affabilitate regis fruentes lapſui patent : nam ob levia multoties iraſcuntur ii, qui ſceptra tenent: imo nonnunquam per hoc excandeſcunt, quod gratificare debuerant. Ægidius : *Leviſſimas* , inquit , *ob cauſas potentia ſævit. Aliquando etiam officiis exaſperatur.* Eximius amor principis in perſonam privatam & benemeritam poterit eam ſic extollere , quòd ſolio reſidens illam exæquet ſibi ; ſed non ipſam à diſcrimine ruinæ turam conſtituet.

D Gregor. Nazia. or.15. ante med.

Ægid. l.de reg princ.

conſtituet. Imo cum volat ſublimius, tunc ſæpius declinat in occaſum: dum augmenta capeſſit ampliora, pronum eſt ut etiam nomen amittat, quo multùm clarus erat.

44. Vidit Mardochæus per quietem ænigma duplex Eſtheris: parvum nempe fontem, qui crevit in fluvium & maximum: necnon ſolem exoriri. Poſtea ſuccedentibus proſperis circa filios Iſraël, dixit ille: *Parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucem ſolemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit: Eſther eſt, quam rex accepit uxorem, & voluit eſſe reginam.* Non dubites, etiam ſimilitudine ſolis expreſſam fuiſſe reginam in præfato ſomnio. M. Celada ſic habet in commentario litterali: *Eſther poſtea ad Perſarum regnum aſſumpta, ſoli pulchrè adſimilatur*; &c. Tantummodo nunc eſt animus inveſtigare proportionem ſolis & fluvii cum Eſtere. Plures omitto: dicam ad rem noſtram. Sol mox atque tetigit meridianum verticem, incipit ad occaſum declinare. Deinde fluvius ibi maximè plurimis exundat aquis, ubi ſe mittit vel in aliud majus flumen, vel in æquor, & nomen proprium deperdit. Sic felicitas ortum habens ab amore monarchæ, tunc declinandi ſumit initia, cùm elevata fuit in apicem: tunc nomen amittit, cùm augetur ampliùs. Divina ſapientia cupiit reginam inſtruere per Mardochæum perfectè (quamvis ipſa non ignoraret quàm ſint omnia terrena caduca) proſperitatem nixam dilectione regiâ, licet extollat felicem ad æqualitatem cum principe; non tamen ejus fortunam, quantumlibet meritô ſtabilitam reddere conſtantem: imo ſummitatem ejus velut exordium eſſe ruinæ: per quam non tantùm poteſtas, qua fulget fortunatus, diſpareat; ſed etiam hic nomen deperdat. Conſultò factum eſt, ut hoc loco non apud Salomonem de futuro legamus: *Acceptus erit*; ſed: *Acceptus eſt.*

Eſth. 10. 6.

M. Celad. in com. litt. ib.

45. *Regi.* Quantumvis in parabola Sapientis, quam nunc minutatim expendimus, tantùm ſermo fiat de regis acceptatione, qua proſequitur miniſtrum intelligentem; nihilominus experientiâ frequenti multorum compertum habetur, etiam aulicis acceptum eſſe virum ejuſmodi: vel corde veraci diligant illum; vel ſaltem quoàd externa ſigna, quandiu felix ipſe, benemerituſque regi placet. Obvia ſunt in hiſtoriis exempla quamplurium: qui dum regis gratiam tenuerunt, colebantur ab aliis reverenter. Vix eſt qui non geſtiat principium affectui morigerari: nec ignorant ſubditi quantùm arrideat moderatori cultus exhibitus ei, quem ille delegit in amicum familiarem, ac regiminis adminiſtrum. Hunc locum poſſedit apud Tiberium Imperatorem Seianus. Hic apud Senatores & Romanam plebem celebrabatur ab ipsô monarchâ tamquam laborum ſodalis, quos affert imperantibus majeſtas. Curſim de more ſuo narrat hoc Tacitus, inquiens: *Ut ſotium laborum, non modò in ſermonibus, ſed apud Patres & populum celebraret.* Non per hujuſmodi laudem Tiberius faciebat ſatis amori Seiani ſui; ſed ejus ſoli ſimulacra publicè permittebat; & imaginem ipſius in ſignis militaribus exprimi. Tacitus idem: *Colique per theatra, & fora effigies ejus, interque principia legionum ſineret.* Hos & alios fructus gratiſſimos parit amicitia principis. At cum cadere cœpit coram illo, miſer exponitur aulicorum odio. Rex ipſe, qui prius gaudebat quòd acceptus ſſet eis; poſtea mutatus in hoſtem vellet ut aulæ ſectatores adverſarentur eidem.

Solent reges gaudere quòd arrideat aulicis ille, quẽ diligunt; ecõtra verò, ſi odio poſt habeant eumdem.

Tacit. l. 4. annal.

Idem ib.

46. Poſt victoriam celebrem, quam de Gigante reportavit in funda lapideque David, legimus in libris Regum: *Poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis univerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul.* Mirum eſt, famulos regis invidiâ percuſſos non indicari; ſcientes, paſtorem evectum ad honorem bellicum. Plebis acceptationem omitto: quæro tantùm, cur non famuli Saulis tunc inviderunt Davidi? Pervia quidem eſt hujuſmodi quæſtioni ſolutio. Fortè dicet aliquis, eos protunc neſciviſſe quòd rex Davidem non rectis oculis aſpiceret propter muliebrem cantum, quo ſibi fuit antelatus: & cum ſoleant aulici voluntatem propriam nutui regali contemperare, placebat eis David, quia putabatur acceptus monarchæ. Ulteriùs perge mecum. Profugus David aberat, ejuſdem Saulis iram declinans. Vide quid rex ingratus ad ſervos, qui ſecum aderant, protulerit: *Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eò quòd ſuſcitaverit filius meus ſervum meum adverſum me, inſidiantem mihi uſque hodie.* Quæres modò Nonne cùm David conſtitutus fuit à Saule ſuper viros belli, jam ex livore diſplicebat eidem? Ita: nam invidentia ſumpſit exordium de triumphali cantilenâ fœminarum, quam præcinebant eâ die, qua necavit hoſtem Iſraëlis in duello: unde jam non rectis oculis illum Saül aſpiciebat priùs, quàm eum ad prædictum promoveret honorem. Ergo quare non curavit, ut etiam regii famuli forent animo ſaltem adverſarii Davidis? Poſtea verò ſatis inſinuavit (ut ex proximè citatis verbis colligitur) cupere ſe quòd ejuſdem ſervi miniſtrarent odio ejus, quo Davidem proſequebatur, adjutorium? Reſpondeo. Primùm non adhuc plenè fortaſſis detexerat Saül odiſſe David; cum & illum promoviſſet ad militare decus, & ipſum deſponſare velle filiæ ſuæ ſignificaret: imo duo hæc ſigna videbantur oſtendere, Davidem acceptum Saüli. Proinde nolebat ut aulici forent adverſarii viro, quem exiſtimabant acceptum regi ſuo. Poſtea, cùm jam apertus Davidis inimicus erat, optabat, ut ſui morigerarentùr ſibi, gerentes hoſtilem animum contra Davidem. Sic reges amant arbitrio ſuo parere famulantes; ut iſtis diſpliceat qui principibus ingratus eſt; econtrariò placeat qui fuerit acceptus iiſdem ſaltem putativè; nedum ſi verè.

Ib. c. 22. 8.

47. *Miniſter.* Etſi maximam acceperit poteſtatem à principe vocatus ad munus publicum; nequaquam oblivioni tradat, ſe non dominum extare, ſed miniſtrum. Alienâ luce fulget iſte, velut aſtrum participans lumen à ſole. Regibus ingratum,

Periculoſum eſt quòd miniſter habeatur ut regni dominus.

&

& Reipublicæ nocivum est, si non tamquam delectus ad serviendum gerat seipsum: imo potestatem regalem usurpet; solùm non auferens principi nomenclaturam regiam: sic, ut asseverari de illo queat quod scripsit olim de quodam Cornelius Tacitus: Nempe, *vim Principis amplecti, nomen remittere.* Potiùs imitetur eos, qui celsitudinem potestatis obtinentes, præstant se mediocribus æquales. Apud Cassiodorum reperi laudem cujusdam Quæstoris; de quo sic ibi rex Theodoricus: *Cum potestatis nostræ gratiâ ditaretur, morum magis laude contentus, mediocribus se potius exæquabat.* O virum digniſſimum, quòd ejus nomen præfectorum cathedris inscriberetur auro! Rara sunt exempla similia: tamen accipe Cassiodorum commendatum ab eodem rege. *Nullo quippe*, ait, *ut plerisque moris est, elatus favore fortunæ, in cothurnum se magnæ potestatis erexit.* Adminus contineant se ministri, ne dominari velint; expendentes quale discrimen subeat qui potestate regis utens in administratione publicâ, vel dominium præ se fert, vel saltem existimatur illud exercere, quin regni solium conscendat.

Tacit. l. 4. annal.

Rex Theodoric. apud Cassiod. l. 5. var. c. 3.

Idem apud eumdem. l. 1. var. c. 4.

48. Historiam Josephi Patriarchæ, pro moralibus fertilissimam notationibus, versavi sæpius: permittat lector, ut expensionem adjiciam postremam. Tandem factus ille præpositus in Ægypto, patrem suum Jacob advocari curavit per fratres. Hi *nuntiaverunt ei, dicentes: Joseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Quæ jam sequuntur attende. *Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.* Qualis fuerit hic stupor in genitore, susceptô felici nuntiô, collige de Ruperti dictis. Quasi de gravi somno evigilans, *inquit: qualis enim astat, qui de gravi somno repente percitus evigilat? Attonitus utique & stupidus ad intelligendum vel respondendum, segnis, & hebes præ mortuis sensibus.* Suspicor, Jacobum non solius lætitiæ magnitudine sic fuisse perturbatum. Conjector, mixtum exultationi timorem cor ejus commovisse: quoniam non ignorabat senex, quàm sit inconstans regum benevolentia; necnon extare passim ruinæ proxima culmina potestatum: ac potuit metuere dilecto filio suo, ne mutatâ fortunæ vice fieret miser. Accedit quòd Jacobus cum denique vidit Josephum exhilaratus est valde; non tamen legitur incidisse tunc in stuporem. Unde videtur inferri, quòd præter hilaritatem, qua profusus est audiens gnati sortem prosperam; simul dedit metui locum pectus ejus. Replicabis. Et cur non simili formidine concussus fuit Mardochæus patruus Estheris, cùm agnovit, eam elevatam ad matrimonium Assueri fuisse; per quod accepit regium diadema? Multa disparitas inter Josephum reperitur & Estherem. Hæc jure conjugali regnabat; ille verò nixus gratiæ Pharaonis ascendit ad præfecturam. Nimis periculosum est hoc secundum: & ita fortè censuit Jacob, dum audivit à filiis Joseph in Ægypto dominari. *Joseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Dominii nomen in ministro satis est odiosum; consequenter & aleæ plenum. Habeat ergo se præpositus à rege, non veluti dominus quidem; sed ut *minister.*

Genes. 45. 26.

Rupert. l. 9. in Genes c. 14.

49. *Principalius curæ sit principi sapientia gerentis vicem suam, quàm fidelitas.*

Intelligens. Multæ sunt utique dotes; per quas omnibus numeris absolutus constituitur vir ad munia Reipublicæ selectus: ex quibus benevolentiâ principis dignus extat. Imago regnantis est quædam: illius vicem gerens in re sibi commissa. Plurima sunt hujusmodi picturam reddentia pulchram: quæ deducenda sunt ex notatis alibi circa monarcham perfectum: nam quæ diximus in exemplari, facilè trahuntur ad imaginem. Oportet, ut hoc regium simulachrum faciem ita vendicet compositam in contraria; quòd à sinistris positos respiciat severè; constitutos autem à dextris benignè. Hoc arte fieri novum non est in illis imaginibus, quæ describuntur penicillo: nec minus efficiet prudentia, quam valuit ars invenire. Sinistram ergo tenentibus, hoc est perperam operantibus asperum exhibeat vultum illa principis imago; dextram verò promerentibus, id est, qui rectâ viâ tendunt, humanissimam faciem ostendat. Collum nec sit nimis depressum; nec erectum valde: hoc est, minister non ita cunctis demittat seipsum, quòd à sibi commissis despiciatur; nec per superbiam elatus provocet odia. Brachia ne sint oblonga nimiùm: quasi diceremus: Non extendat potestatem suam ad sibi negata. Manus à sordibus avaritiæ puras habere congruit; pedes autem celeres, ut non moretur quæ citò sunt exequenda. Vestes denique fortiter præcinctas ostendat; id est non utatur domûs propriæ sumptu superfluô. Sed inter hæc, aliaque præcipuè venit meditanda sapientia ministri: quæ debet esse quidem acceptissima regi. Sic legimus apud Cassiodorum, sapientiam honorationes promereri, quòd ibi dicatur: *Sapientia est, quæ honores meretur, totum aliud extrinsecus venit. Sola est prudentia, quæ rebus omnibus præponitur, quando in homine feciliter invenitur.* Frequentissimum est apud sæculi monarchas attendere præsertim, ut ab ipsis electus ad aliquod ministerium fidelitatem sit servaturus; & minùs de sapientia curant ejusdem. Non ita convenit Reipublicæ. Principaliùs curæ sit principi sapientia gerentis vicem suam, quàm fidelitas.

Cassiod. l. 6. var. c. 10.

50. Rex regum destinaverat Petrum in Ecclesiæ suæ principem. Conveniens erat, ut ejus fides non deficeret. In istâ conservanda lego quid præstaviſſe Dei Filius Dei Filius dixerit: De Patre Spiritu sanctoque nihil habemus.. Redemptor, inquam, noster ait ad Apostolorum Principem: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua:* &c. En unica Trinitatis Persona suam exprimit sollicitudinem circa fidem Apostoli servandam. Scire cupis quantò plùs perhibuerit se Deus erga sapientiam Petri sollicitum? Recogita, qualiter se tota Trinitas aperuerit incumbentem ad hoc ut Christi Vicarius eâ sapientiâ polleret, quæ summum decebat Pontificatum. De cœlo docuit eum Pater: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,*

Luc. 22. 32.

Matth. 16. 17.

meus, qui in cœlis eſt. In terris Verbum aſſumptâ carne magiſtrum ſe præbuit ejuſdem. Spiritus denique ſanctus docuit illum abundè: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. Quis inficiabitur, Dei Filium incarnatum potuiſſe Petrum docere cuncta, quæ didicit is à primâ ſecundâque Perſona? ut quid igitur doctrina, quam Simon acquiſivit, non ſoli tribuitur Chriſto Domino? Sic factum eſt, ut videas quanta Dei ſollicitudo fuerit in replendo ſapientia Petro, qui munus tantum erat exerciturus. Non æquali pacto curantem legimus expreſsè Deum de ſtabilitate fidei Simonis: nam ut non deficeret, ſolum curaviſſe Redemptorem ſcribitur diſertis verbis. Principes terræ ſequantur ſummum Regem, ut non potiſſimùm de fidelitate præfectorum ſatagant; ſed principaliter ad eorum ſapientiam honoribus fovendam animadvertant. Et cum in illorum aliquo viderint coruſcare mentis fulgorem, ſit illis acceptiſſimus *miniſter intelligens.*

Ioan. 14. 26.

DELIBATIO V.

Ira dirior adverſus inſontes amore laſcivo. Contagioſa regis ira injuſta, & inutilis. Oneroſum probo regi quod inutile bono publico. Ambitionis patientia coram regibus.

51. *Iracundia dirior eſt adversùs inſontes, quàm laſcivus amor.*

IRacundiam ejus Agnoſco, Salomonem in præſenti verſiculo de principis irâ juſtâ loqui: nam illius exhibet mentionem, quam ſuſtinebit inutilis miniſter. Sed anſam exinde ſumam, ut aliquid loquar adversùs injuſtam regis iram. Etiam in privatis hominibus, quàm tetrum ſit iracundus monſtrum, nemo non capit; cum tamen haud omnia poſſint opere complere, quæ perſuadet ipſis iræ furor. Quid erit ubi ſumma poteſtas & iracundia copulantur? Vel de ſolis privatorum iracundiis, vel generatim loquens, dixit S. Joannes Chryſoſtomus: *Melius eſt cohabitare beſtiæ, quam iracundo: nam illa quidem ſi cicuretur, ſervat ſuam legem, illum autem quoties placueris, iterum exaſperatur.* Minùs eſt execrandum, quòd occaſione datâ per injuriam, excandeſcat qui paſſus eſt eam, & furibundus exeat animus in vindictam. Longè magis ferinum eſt quòd adversùs inſontes iracundia præceps debacchetur. Innocentes peculiariter aggreditur ira: nam hæc paſſio tyrannica nimis eſt. Fateor, S. Joannem Climacum verbis mox referendis aliorſum tendere; ſed nobis liceat eis ad præſens abuti. *Vinciatur*, inquit, *ergo iracundus animus veluti tyrannus nexibus manſuetudinis, & longanimitatis flagro tundatur, adeoque per charitatem ſanctam ad tribunal rationis ſiſtatur*, &c. Ut affectus iracundiæ perpendatur juxta ferociam ſuam adversùm inculpatos, erit opportunum conferri cum amore laſcivo: qui necnon ferus eſt, ut innoxios lædat. Exiſtimo, quantumlibet ferociat libidinoſa dilectio, diriorem eſſe cordis iram, ut noceat inculpabilibus. Dictum ſtabilietur exemplo.

Chryſoſt to. 3. hom. 6. in Act. prope fi.

S. Joann. Clima. in ſcal. gra. 8. juxta fi.

Duos componamus Herodes: alterum, qui necavit puellos; alium qui decollavit Baptiſtam. Secundum reprehendit inceſtuosè luxuriantem Joannes, libertate ſanctâ pugnans pro virtute. Non tamen illum interfecit, niſi concurrentibus ad hoc homicidium Herodiade, necnon & ejus filia. Quinimo Textus ait: *Herodias autem inſidiabitur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum*, &c. Notum eſt qua ratione ſublata fuerit è medio vita Præcurſoris. Placuit Herodi puella ſaltans: juravit ille donaturum quidquid poſtulaſſet. Monente matre, petiit Joannis caput: & ſic neci tradidit Herodes innocentem. Aliter ſe geſſit Herodes alter. Nullo ſuadente, vel poſtulante, juſſit occidi pueros, criminis prorſus incapaces. Solitum eſt regibus, qui per viam tendunt ſiniſtram durius accipere correptionem delicti ſui. Quapropter mirabar, quòd non Herodes mox atque fuit à Joanne reprehenſus, interemerit eum; rex alius verò juſſerit occidi culpâ vacuos infantes adeo furenti decreto. Proclivis eſt via, qua penitus admirationem depoſui. Non legimus, Herodem, cùm fuit correptus à Baptiſta propter inceſtum iram concepiſſe: novimus tamen, regem amore turpi vulneratum: quæ paſſio nonnunquam haud eſt adeo ferox in reſiſtentes inculpatos. Atrocior quandoque præcipitatur iracundia contra inſontes. Herodes infanticida, cum fuiſſet illuſus à Magis in eo quòd non renuntiaverunt ei de recens gnato puero, quem viderant, percitus eſt irâ. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus*, &c. Quidni furioſè prorueret in puerorum innocentum cædem? Ecce quantùm circa damnum inſontum præcellat amori laſcivo furor iracundus, dum regalia pectora fortiter exurit. Inde licebit inferre quantùm ſit atrocior ira cæteris paſſionibus malis, quas vincit crudelitate luxurioſus amor.

52.

Marc. 6. 19. 20.

Matth. 2. 16.

O quàm grande malum eſt injuſta regis ira; quæ fulmina jacit in ſubditos! Regales inimicitiæ terribiles utique ſunt eis, qui parent ſceptra tenenti: non ſolùm quia pugnant cum ipſis principes inæquali marte; ſed quoniam utplurimum quidquid odientes iſti decernunt, juſtum putant: & ferè nullus eſt, qui reſiſtat regnantis hoſtilitati; favens miſero, quem rex odit. Agnoſco, iram & odium differre; ſed in multis mehercle ſunt pares. Ariſtoteles dixit: *Par quædam odii etiam ira dicenda eſt*, &c. Plurima parit injuſta furor hic dum quatit imperantem. Scripſit Incertus, *Iracundia in principe acerbitaſque naturæ cum deformis, tum etiam periculoſa: multa enim injuſtè peragit, & præcipit.* Hæc agnovit apprimè politicorum Princeps, cum in principatibus electivis repellendum eſſe

53. *Contagioſa ſolet eſſe principis ira.*

Ariſtot. l. 7. de Rep. c. 10.

Incert. in ſylva apoph. polit.

docuit virum iracundum, ne ſolium aſcendat. *Iracundus*, inquit Tacitus, *& ſævus princeps, quamvis ſtrenuus, minimè tamen eligendus.* Minus foret noxium iſtud regis vitium, ſi non contagioſum exiſteret. Sed hoc lethale virus à principe dimanat in magnates, à magnatibus ad mediocriter potentes; ſerpitque lues: nam regis malefacta veluti permiſſionem videntur involvere geſtorum ſimilium: & ſic in legis modum firmantur barbara dictamina; quæ ſpirant exitium illorum, qui viribus carent ut ſe tueantur. In principis irâ contagium crede.

Tacit. l. 1. annal.

54. Regnabat Ozias, & majeſtatem geſtis laudabilibus condecorabat. Sed in malum declinans ita ſuperbiit, ut officium ſacerdotale voluerit arripere, thus adolens coram Domino. Reſtiterunt ei ſacerdotes: at ille minatus eſt eiſdem. Non moram traxit ſuperbi regis pœna: leprâ fuit percuſſus; quam retinuit ad mortem uſque. *Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus in domo Domini* &c. Procedentibus annis regnavit Oziæ nepos Achaz; de quo legimus: *Non fecit rectum in conſpectu Domini ſicut David pater ejus: ſed ambulavit in viis regum Iſraël*, &c. Nihilominus haud legitur eum factum fuiſſe leproſum, puniente Domino. Fateor, ſupplicium non evaſiſſe; minimè tamen per lepram dedit pœnas. Myſterium inveſtigabam in lepræ flagello, quo vapulavit Ozias; & occurrit menti proportio verberis hujus cum Oziæ facto. Iram concepit ille contra ſacerdotes: *Iratuſque Ozias*, &c. Temporibus illis in populo Dei quivis leproſus expellebatur ab hominum communi conſortio: & ſic factum eſt cum Oziâ rege, prout Scriptura refert: *Habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini.* Eo quòd ſic flagellata fuerit ira regis, oportuit eâ divinitus ultione feriri, propter quam ſepararetur à multis, quibus poterat iracundia per imitationem communicari: nam contagioſum eſt iræ ſcelus in regibus.

2. Paralip. 26. 19.

Ib. c. 28. 1. 2.

Ibid. c. 26. 21.

55. *Nil ſibi commoditatis princeps credat in ira injuſta reperiri.*

Adhuc principibus diſſuadere conabor hoc piaculum: quærens ab eis, quid utilitatis ab iræ paſſione reportent? Alia ſunt regum delicta, de quibus referunt non exigua commoda: nam per avaritiam replent æraria: per iniqua tributa continent populos, ne rebellionem cogitent: & ſic de aliis. At verò quid lucrantur ex eo quòd iraſcantur facilè? Primò nequaquam per hoc oſtendunt majeſtatem ampliorem. Seneca dixit: *Regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia, non ex majeſtate eſt.* Secundò. Nullus monarcha reputet, non tot habiturum hoſtes inter ſubditos proprios, cum eum agnoverint irâ paſſim corripi: quin potiùs ex hoc fiet ut à pluribus habeatur odio. Cordubenſis idem: *Regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti ſunt, & propinqui, & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt.* Deinde non exiſtimet princeps, ab ira promanaturam ipſi gloriam. Sciunt omnes quid poſſit: unde nihil de novo glorioſum conſequitur ex eo, quòd irâ ſuadente perniciem exequatur alienam. Ad Senecam redi. *Nulla regi gloria eſt ex ſæva animadverſione: quis enim dubitat poſſe? At contra maxima, ſi vim ſuam continet, ſi multos iræ alienæ eripuit, neminem ſuæ impendit.* Poſtremò ne ſeipſum rex fallat, credens, per iram corroborari fortitudinem propriam. Tantum abeſt id à verò, quod muliebre vitium dicatur ira. Fortaſſis hoc inſinuit cum ſale Plinius, notans imperatorem Domitianum: de quo ſic habet: *Superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore*, &c. Concludam, nil commoditatis in irâ principis reperiri; quod imminuat illius vitii malum.

Senec. l. 1. de clement. c. 7. fi.

Idem ib. c. 8 fi.

Idem ib. c. 17. fi.

Plin in paneg. Traja.

56. Sententiam quamdam Salomonis expendamus ad hoc inſtitutum. Ait ille: *Indignatio regis, nuntii mortis: & vir ſapiens placabit eam.* Exponit Cornelius Alapide: *Id eſt, Rex ille, qui ob leves cauſas indignari & in ſuos ſævire ſolet*, &c. Sed quia Commentator hic aliò tendit, adde Carthuſianum ibidem: *Id eſt*, inquit, *inſinuatio interfectionis mox futuræ ei contra quem Rex indignatur.* Dubitabam, quare non Salomon potiùs dixerit: Indignatio regis mors eſt? cur magis contulit indignationem regiam cum nuntiantibus mortem? Fortaſſe, quoniam in morte plures inveniri valent: de quibus nonnihil dixi ſupra fl. 37. delib. 2. At ex nuntiatione mortis, ordinariè loquendo, nullum provenit emolumentum nuntiantibus. Ita meditari poſſumus, in hoc indignationem regis aſſimilari nuntiis interitûs; quòd ex irâ principis nullus manat proventus. Et eſto quòd inde plura naſcerentur; Adhuc turpiſſimum foret, hominem, qui Reipublicæ potiùs vivit quàm ſibi, miſcere ſimultates privatas cum publico juriſdictionis exercitio. Claudant periodum verba Theodorici regis. *Fœdum eſt*, inquit, *inter jura publica privatis odiis licentiam dare, nec ad arbitrium proprium judicandus eſt inconſultus fervor animorum. Iniquum quippe nimis eſt, quod delectat iratum. Furentes juſta non ſentiunt: quia dum commoti animo in vindictam ſæviunt, rerum temperantiam non requirunt.*

Prov. 16. 14.

Alap. in com. ib.

Dion. Carth. ibid.

Rex Theodoric. apud Caſſiod. l. 4. var. c. 10.

57. *Oneroſum eſt principi recto quod inutile bono publico.*

Inutilis. Hucuſque diximus de malâ regis irâ: cupientes indomitam principum iracundiam continere potentiâ rationis, quæ non adulatur ulli. Sed quia noſter Parœmiaſtes hîc loquitur de juſtâ contra miniſtrum inutilem irâ principis; aliquid ſubjiciam de hac. Quid hoc loco ſignificetur per verbum, *Inutilis*, notavit Cornelius, inquiens: Inutilis *hîc vocatur inſipiens & imprudens, ideoque damnoſus & noxius, utpote regem pudefaciens.* Ut principes dijudicent inter miniſtros quiſnam ſit utilis, vel inutilis, non ad perſonam regiam debent attendere; ſed ad Rempublicam: nam decet illos commodo publico ſollicitudinem impendere. Bene Theodoricus: *Decet principem curare, quæ ad Rempublicam ſpectant augendam*: &c. & Idem alibi: *Publicæ utilitatis ratione commoniti, quæ nos cura ſemper libenter oneravit*, &c. Onus diadematis agnoſcebat rex iſte; ſed lubens portabat ſollicitudinis

Alap. in Prov. 14. 35.

Rex Theodoric. apud Caſſiod l. 1. var. c. 6. & 17.

licitudinis pondus, quia delectabatur in emolumentis publicis: quod apertè probant ejus verba sequentia. *Quanto*, inquit, *magis in utilitate Reipublicæ delectamur expendere, ubi quicquid tribuitur, donantis utilitas duplicatur?* Totus degit suis bonus princeps: unde necnon animi levamenta sunt eidem onerosa; nisi tunc bono publico serviant. Scimus quantum sit cordis levamen, quod accipit regium pectus ex amici fidi societate. Nihilominus etiam hic erit sollicito regi ponderosus, cum (etiam citra culpam inutilis est ei muneri, quod occasio postulat in obsequium regni.

Idem apud eumdem l. 2. var. c. 5.

58. Contemptâ pietate filiali superbus Absalom ad eas redegit angustias miserum patrem, ut congruum fuerit isti de regiâ civitate prodire, quò rebellium declinaret hostilitatem. Cum David ascenderet summitatem montis, occurrit ei Chusai, per externa signa satis demonstrans dolorem de regis fortunâ sinistrâ: nam erat amicus ei: *Chusai amico David* &c. Non semel demirabar, quod rex noluerit ut secum pergeret iste, quem sibi fidelem noverat. Temporibus adversis multùm prodest amici consortium. Lego tamen Davidem loquentem sic ad Chusai: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Quid est hoc? Onerosus esset amicus diligenti? Jam alibi memini, circa dimissionem hujus amici Davidis, aliquid notavisse pro diverso themate: nunc ad illud, quod præ manibus est, verba regis proximè citata librabo, præmissô commentariô Cardinalis Hugonis; qui sic habet: Eris mihi oneri *quia nesciebat pugnare.* Tempus erat, quo publicum bonum arma poscebat & pugnam. Chusai Davidis amicus erat verus: attamen extabat ineptus bellando. Quamvis ergo dilectus atque diligens, cum adest infortunato, plurimùm alleviet adversitatis pondus; tamen quia David rex erat probus, ac non tam sibi, quàm regno consulebat, & noverat, amicum prædictum inutilem ad bellum, judicavit hominem sibi protunc onerosum: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Sic persuadet regi commendabili prudentia curare de Republicâ, quòd vir alioqui prudens, dato quòd non inserviat muneri publico pro temporis varietate, reputetur *inutilis.*

2. Reg. 15. 37.

Ib. n. 33.

Hug. Card. ib.

59. *Quanta soleat esse coram regibus ambitiosi patientia.* *Sustinebit.* Ad finem hîc notanda venit ambitiosa tolerantia quorumdam: qui, cum sint ad regiminis functiones exercendas inutiles, & ideo quia perperam illas agunt, experiantur iracundiam regis; non propterea deserunt curias: imo tolerant principis iras, & contendunt in munere suo permanere; quin & ad majora vocari. Multarum simia virtutum est ambitio: peculiariter imitari conatur patientiam. De illa dixit Blesensis: *Cupienti enim animo nil grave videtur, nihil ambitioso difficile: ideoque ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis.... Charitas omnia suffert pro veritate: ambitio pro vanitate.* Quàm bene picturatam imaginem patientiæ coloret ambitio, colligere poterunt in litteris humanioribus periti: memores quanta libenter antiqui tulerint sapientes, cùm injurias passi fuerunt. Sed hujusmodi patientiæ falsitatem detexit optimè D. Cyprianus, inquiens: *Patientiam se sectari Philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quam & falsa sapientia est.* Hoc unum fatebor modò: scilicet quandoque benemeritum patientiâ destitui, qua ferat principis aspera verba; cum ambitiosus econtrariò nec verbum audeat regi proferre coram, dum accidunt infausta. Ambitiosi tolerantia notatu digna.

Petr. Blesens. ep. 14.

S. Cyprian. l. de bon. patron. post pr.

60. Post Saülis mortem, hujus domum regebat Abner, inserviens Isboseth ejus filio. Propter factum quoddam vituperabile displicuit isti velut audax Abner: sed hic principis correptioni respondit audacter. *Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saül patris tui, & super fratres & proximos ejus, & non tradidi te in manus David, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie?* Necnon insuper eidem principi minatus est, prout ibi post videre licet. Gradum faciamus ad Estheris librum. Sæpe versavimus ad varia Mardochæi celebrem proclamationem; qua publicè dante voce Aman, ille condecoratus fuit. *Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat:* &c. Quid tunc Aman; qui Mardochæo, sicut prædictum est, famulatus fuit? Proposuitne coram rege querelam, eo quòd ipsum coëgerit inservire tam humili ministerio? vel saltem extra conspectum positus Assueri, de hoc in propatulo questus est? Textus ait: *Aman festinavit ire in domum suam, lugens & operto capite.* Nunc Abner & Aman mutuò componamus. Hic publicè tacet; quamvis infaustum satis ei contigerit? ille verò reponit in faciem Isboseth irata verba? Respondeo. Ambitiosus erat Aman; Abner autem benemeritus. Benemeritus non tulit verba principis; quæ nihil sunt ampliùs, quàm articulatus aër; sed ambitiosus, licet ad famulatum venerit Mardochæi prædictum jussu regis; tolerantiam exercuit, ne vel in conspectu regio, vel ad minus absens publicè verbum proferret queruloſum. Quid non ambitio *sustinebit?*

2. Reg 3. 7. 8.

Esther. 6. 11.

Ib. n. 12.

Ad coronidem hujus tomi ventum est cùm plures alios requirebat opus inceptum: at ætatis pondere gravata manus cogitur deponere calamum. Lectoribus impiis nec verbum dicam, ne jam frustranea loquar: piis autem dico gratum vale, nunc abutens D. Petri Chrysologi verbis. *Angusto sermone res latissimas, non ut voluimus, aperire potuimus: sed scientiæ vestræ, intellectui vestro lata sunt, quæ in sermone nostro videntur angusta:* Desiderio vobis inserviendi facere satis optabam: quod cum perficere non potuerim, sisto gradum: cupiens magis artem bene moriendi totus addiscere.

S. Petr. Chrysol. ser. 5. ad fi.

Finis. Laus Altissimo: *quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.*

OPERIS MEDULLA

QUINQUE PARTES CLAUDENS ET aperiens.

Pars prior ſeriem titulorum indigitat.
Secunda, Biblica teſtimonia,
Tertia, copiam pro concionibus,
Quarta, doctrinam SS. Patrum, & priſcorum Sapientum.
Quinta, ſententias è ſacra Scriptura confirmatas.

SERIES TITULORUM.

FLOS I. Filius ſapiens, doctrina patris: qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur. Paginâ 1

DELIBATIO I. Laudes obedientiæ. p. 3

2. Fructus obedientiæ victoria, quies, humilitas, ſecuritas. 6

3. Damna quædam propriæ voluntatis. 9

4. Peccatoris multimoda ſurditas. 13

5. Vitetur propria voluntas: ſapientia vera ut plurimùm non corrumpitur: docens ſæpe docetur: contra doctrinæ, monitorumque ſpretores. 16

FLOS II. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. 19

DELIB. 1. Jejunium cuſtodit ab ira Dei, à diabolo, à peccatis, ab hoſtibus. 20

2. Gula mala quædam. 24

3. De cuſtodia intellectûs. 26

4. De cuſtodia cordis. 30

5. Vigiliæ vires. Detractionis timor. Homo ſibi hoſtis. Animæ juſti cuſtodia. Animam quidâ habent ut non ſuam. 32

6. De conſiderationis fructu; meditatione verborum; miſericordia Dei quæ latet in flagello; & maliloqui timore. 35

FLOS III. Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. 39

DELIB. 1. Otii mala quædam vult & non vult piger. 40

2. Virtutum quædam bona vult & non vult piger. 43

3. De quibuſdam Dei donis animæ collatis. 46

4. Bonorum ſæculi parcitas inops. 49

5. Peccatoris ſtupiditas, & cæcitas ligans. De radicibus terrenis: virtutis cum anima ſimilitudine: Deo vocante, atque donante. 53

FLOS IV. Verbum mendax juſtus deteſtabitur: impius autem confundit, & confundetur. 57

DELIB. 1. Objurgatur adulatio. 59

2. Odit juſtus mentiri. 62

3. Execratur probus audire mendacia. 65

4. Abominatur juſtus audire detrahentes. 68

5. Deteſtatur juſtus peccato detractionis maculari. 71

6. Mendax confundit & confundetur. 74

7. Varia de mendaciis operis & linguæ. 78

FLOS V. Juſtitia cuſtodit innocentis viam: impietas autem peccatum ſupplantat. 83

DELIB. 1. Protectio, quam juſto præbet virtus in ſpiritualibus. 85

2. Quædam peccati damna. 88

3. Deceptiones aliquot peccati contra peccatorem. 91

4. De fruſtrato conatu impii: præſervatione à peccato: diffidentia ſancta juſti: deſpectione propriorum operum bonorum. Deus quàm offenditur eò quòd contemnatur ut pater. Dæmonem quærimus. Cavete. 95

FLOS VI. Eſt quaſi dives, cum nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit. 99

DELIB. 1. Sæculo renuntiantes divites verè ſunt: & rem arduam perficit abdicans temporalia. 102

2. Pauperes verè ſunt mundialium bonorum poſſeſſores, qui nec ſuicontenti vivunt, nec illis utuntur. 105

3. Quare ſit prudens dives, opibus in tacito qui gaudet ille ſinu. 108

4. Inconſtantia utriuſque fortunæ, ditis & indigæ. 112

5. Dives ferè nihil habet præter jactantiam, & ejus anima quaſi bipartitur. De paupere ſuperbo nihil poſſidente; divitiarumque fugacitate. 115

6. Rarus dives humilis. Juxta cor ſuum quis eſt dives, vel pauper. Divitiarum levitas, ac periculum; & quomodo vincitur iſtud. 118

FLOS VII. Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet. 121

DELIB. 1. Deſcribuntur quatuor catenæ peccati, de quibus virtus redimit virum juſtum. 124

2. Similitudines eleemoſynarii cum redimente ſeipſum. 127

3. Dat cenſus honorem; pauper ubique jacet. 130

4. De

De virtutum armis non dimittendis : oblivione felicium circa legem naturæ : metuente hominem ; non Deum : feliciumque timore. Dives nocebit aliquis, non proderit. 133
5. Pauper præteritur. Alterius comminata paupertas deseritur. Pauper superbus quàm abominabilis. Metus plus movet, præsentiâ mali. Adversitas quosdam nutrit. 136
FLOS VIII. Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. 140
Delib. 1. Radices variæ contentionum de primatu. 142
2. Aliqua notantur circa propriæ voluntatis consilium superbum. 146
3. Deus impugnatur cum afficiturinjuriâ humilis. Sapientis cum stulto contentio terribilis. Discordiis opera cessant. Amici jactura quanta. Dissensionum præcipitium. 150
4. Humilitas, honor. Attende rerum exitus. De malo amico. Erratur aliquando per consilia plurium. De consilio regi præstando. 153
FLOS IX. Substantia festinata minuetur : quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. 156
Delib. 1. Notantur aliqua de cupiditate divitiarum, & hujus pœna. 159
2. Increpatur ambitio festinantium ad honores ecclesiasticos. 192
3. In virtute novitii ne festinent in discretè ad perfectionis apicem, & magisterium spirituale. 195
4. Opes volant ad rapinas. Hereditariæ dissipantur. Prodigi supplicium quoddam. Punitio per delectabile Aliquos aliena experientia non retrahit à voluptate. 198
5. Nullum tempus ineptum virtuti : prosequendum semper, Deo comite. Avari labor. Justus ad temporalia dormiat. 201
FLOS X. Spes, quæ differtur, affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens 205
Delib. I. Gemitus animæ diligentis, & spe de cœlestibus anxiæ. 205
2. Ligni vitæ, scil. Filii Dei, fructus aliquot in Empyrei paradiso. 209
3. Spei mundanæ torsiones. 213
4. Desiderii, speique cruciatus. Sperata maximî fiunt ; possessa minoris æstimantur. De curantibus bona corporalia quasi animæ bonæ. 216
5. Desideria sine radicibus. Avaritiæ contentio. Magnî fiunt corporalia : quorum imperfecta possessio. Felicitatis morosæ lætitia. 220
FLOS XI. Nuntius impii cadet in malum : legatus autem fidelis sanitas. 223
Delib. I. Legatus fidelis Gabriël Archangelus annuncians adventum Filii Dei, qui salus est, factus est sanitas orbis terrarum. 224
2. Legatus fidelissimus Præcursor Domini. 229
3. Culpa docentium ad malum ; dirigentium in via salutis meritum. 232
4. Regis peccatum imitatur subditus. Dolor inflati regio favore, si minuitur iste. Fidelitas exponentis vitam pro bonò communi. Legatus regius quid habebit præ oculis ? 235
FLOS XII. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam : qui autem ac quiescit arguenti glorificabitur. 209 *
Delib. 1. Miseranda peccatoris egestas. 210 *
2. Peccator ignominiosus est coram Deo, justisque necnon diabolo. 213 *
3. Sanctorum Apostolorum exempla, qui Magistri verbis acquiescentes, à nobis glorificari promerentur. 216 *
4. Paupertatis dolor sine opprobrio. Supplicii cognitio. Odium veritatis. Dolet valde superbus reprehendi. 220 *
5. Humilitas acquiescentis reprehensori : præsertim si factum existimabas bonum, vel arguens malus est, seu argueris injustè Dominus multî facit acquiescentem increpanti. 223 *
FLOS XIII. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. 227 *
Delib. I. Amicitiæ bonæ lucra spiritualia. 228 *
2. Amicitia cum peccatore nociva. 231 *
3. Exempli boni, malique vires. 235 *
4. Virtutis fastigium quære, noncontentus necessariis. Imitare justum. Laus data per malè operantem. Fallitur judicium etiam proborum. 238
5. Malo non est verus amicus. De prodigo, qui donat iniquo, non autem pauperi. De justo curante utilitatem malorum ; ac de peccatore scandalum præbente. 241
FLOS XIV. Peccatores persequitur malum : & justis retribuentur bona. 244
Delib. I. Fuga peccatoris frustranea persequente peccato & supplicio. 246

2. Peccatores persequitur MALVM { emoria criminis, micitia fallax, abor frustraneus, indicta judicis, etus insipiens } 249

3. Justis retribuentur BONA { enignè, cyter, umeratim, ffluenter. } 252

4. Justis retribuentur bona, quæ propter Deum dimisere. 256
5. Timeat peccator felix. Reprehenditur præsumens dilationem supplicii. Peccatum destruit hominem. Præmium Dei attendat justus. Deus largè remunerat opera, quæ justus sepelit. 259
FLOS XV. Bonus relinquit hæredes filios & nepotes : & custoditur justo substantia peccatoris. 263
Delib. 1. Eremitarum bonus magister & parens Paulus reliquit heredes filios & nepotes ; hereditate in fideicommissum tradita Magno Antonio. 264
2. Religionum genitor optimus Augustinus heredes instituit Canonicos, Eremitas, & Militares. 268
3. Patriarcha Benedictus ditavit hereditate genitos & natos ab ipsis. 271
4. Inclytus Minorum Progenitor bona sua divisit in tres filiorum Ordines. 275
5. Ad majorem Dei gloriam S. Ignatius posteris legavit messem animarum pretiosam. 279
6. Dives frequenter impius. Paterna dilectio pobatur sollicitudine. Glorioſum est esse patrem pauperum ; & ad justi manus venire bona peccatoris. Qualiter dæmon possideat malum. 282
FLOS XVI. Multi cibi in novalibus patrum : & aliis congregantur absque judicio. 285
Delib. 1. Fructus ex novali S. Dominici. 287
2. Fructus ex novali montis Carmeli, sub cultoribus B. Elia propheta, sanctâque virgine Theresia. 290
3. Fructus ex novali S. Mauri Abbatis. 294

4. Fructus ex novali S. Gregorii Magni. 297
5. Fructus ex novali S. Joannis Dei. 301
6. Non plus cupiens abundat. Voluptuosi labor; & quando hunc agnoscat. De paupere honorando. Dives congregando nimium, quodammodò dispergit. 304
FLOS XVII. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. 307
DELIB. 1. De correctione subditorum. 309
2. Dei non punientis ira; & castigantis amor. 312
3. De patre negligente circa filii correctionem; & magistro non corripiente discipulos. Hi nobiliter nascuntur à præceptore. De patre sollicito circa filiorum educationem. 315
FLOS XVIII. Justus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insatiabilis. 319
Fructus Eucharisticus.
DELIB. 1. Expenditur Dei clementia in altari circa pœnitentem justificatum. 320
2. Stabilitas in bono suadetur pœnitenti post sacram communionem. 324
3. Anima justi per esum Corporis Domini repletur dulcedine. 328
4. Justus per sacram Eucharistiam repletur sapientiâ. 331
5. Anima justi per sacramentum Corpus Christi constanti fortitudine imbuitur in vitæ pugnâ. 335
6. Quid accipiat à Sacramento Eucharistiæ spes nostrâ. 339
7. Justus per sacratissimam communionem abundat honore. 342
8. Anima Deo chara per sacram Eucharistiam repletur pace. 345
9. Ex Eucharistia mæstis consolatio, diligentibus lætitia, de certamine victoria, de captivitate libertas. 348
10. Observanda quædam, ut effectus Eucharistiæ sacræ prædicti contingant nobis & maneat. 352
Ad caput 14. Proverb.
FLOS XIX. Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet. 355
DELIB. 1. Ecclesiæ priora fundamenta divinus jecit sponsus in conceptione B. Mariæ, 357
2. Immaculatæ conceptionis B. Virginis excellentia perpenditur ultra. 361
3. Virgo Maria ædificavit Ecclesiam exemplo humilitatis in Purificatione suâ. 365
4. Dei Genitrix ædificavit Ecclesiam cooperans redemptioni. 369
5. Quantum Ecclesiæ domus B. Virgini debeat circa provisionem cœlestis alimoniæ 373
6. Ædificium Ecclesiæ roboravit Sanctissima Deiparens exemplo fortitudinis. 376
7. Strenuitas B. Virginis in dolendo post Christi mortem. 379
8. Circa dolorem Dei Genitricis absentis nonnihil adnotatur. 383
9. Mater amantissima Virgo domum Ecclesiæ spei columnis fulcit. 386
10. Beneficentia Mariæ sanctissimæ perpenditur. 390
FLOS XX. Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. 393
DELIB. 1. Insolentia malorum in contemnendo justo. 395
2. Exhortationes aliquot ad contemnendas irrisiones malorum. 398
3. Proventus patientiæ sustinentis opprobria. 401
4. Infamia peccatoris. 405
5. Respiciens retro similatur retrogredienti. Despectus propriæ virtutis, ac trepidatio justi. Amoris fiducia. Malus sæpe dux timor. 408
6. Discrimen honoris in benemerito non modicum. Humilitatis arma. De quærente satietatem in temporalibus. Ad scelera infamia currunt aliqui potiùs. Gravis morbus sedentis in peccato. 412
FLOS XXI. Quærit derisor sapientiam, & non invenit: doctrina prudentium facilis. 415
DELIB. 1. Juvenum levitas increpatur circa jacturam temporis. 418
2. Sæpe quærit homo sapientiam ubi non est. 421
3. Qualiter Deus quærendus. De procrastinantibus, & laudabilitate virtutis; oculis mentalibus claudendis, & contemptu rei ducentis ad spiritualem ruinam. 425
4. Docendo doceris; & quò doctior, magis sollicitas scire. Peccatoris ignorantia. Auditores quidam reprehenduntur. 428
FLOS XXII. Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum errans. 431
DELIB. 1. Agnoscat sapiens vitam seu viam suam. 432
2. Suadetur agnitio propria. 436
3. Attende tibi, de cæterorum factis non cures. 439
4. Iter ad cœlum sciens inquire. Per invia tendens ad bonum laudatur. Complenda sunt opere bona, quæ nosti. Et justus maculâ non caret. Humilitas viri perfecti. 442
5. Judicium humanum reprehenditur. Nescius est qui miseriam suam computat felicitatem. Clementiâ dignus non est qui sibi parcens, aliena facta damnabilia notat. 445
FLOS XXIII. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. 449
DELIB. 1. Lacrymarum pœnitentis animæ dulcedo. 450
2. Justi lacrymæ, quas elicit gloriæ desiderium sæpe mœrorem tollunt: qui de consortio collacrymantium non parùm in dolente minuitur. 453
3. Duplex corde pavidus. De humana scientia & tribulationibus &c. 457
4. Gratior voluptas est post mœrorem. Magna quandoque lætitia, cui mœror comes. Gaudia ne dicas nostra; sed tristitiam. De sociis felicium. Gravis injuria Salvatoris, quòd habeatur ut extraneus. 459
FLOS XXIV. Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. 463
DELIB. 1. Avari, & prodigi viam liberalitatis falsò tenere se putant. 464
2. Contra superiores, qui tyrannidi vacant, ac si viam recti regiminis tenerent. 467
3. Calles nimiæ fiduciæ, indiscretique timoris boni videntur, & mali sunt. 471
4. Putant aliqui rectâ viâ progredi detrahentes proximo sub specie zeli. 474
5. Adversùs eos, qui fœdantur invidia, quasi tenerent viam æmulationis. 478
6. In exitibus viarum inferni conferuntur supradicti perditi viatores. 481
FLOS XXV. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. 484

DELIB.

DELIB. 1. Terrenum gaudium ſugillatur. 486
2. Expenditur quibus mixta doloribus aliquot gaudia ſint. 488
3. De luctu ſalutari. 491
4. De facie læta juſti. Nonnihil adversùs adulatores. Notándum circa dolorem abditum: & erga dormientem ſub verbere Dei. Miſcentur mœror atque lætitia. 494
5. Gaudii brevitas, & integritatis ejus defectus. Plorantur mala ficta. Supplicium peccatoris euntis ad illud. 498
FLOS XXVI. Sapiens timet, & declinat à malo: ſtultus tranſilit, & confidit. 501
DELIB. 1. Timor dæmones & vitia fugat. 503
2. Generatim ad exercendas virtutes Dei timor favet. 506
3. Superbæ confidentiæ malum expenditur. 509
4. Appellatio fatui dura multis. De timore ſerotino, & ejus, qui metuit ſolùm dum tribulatur. Quidam Deum timent, quaſi non timerent. Peccator dicatur mortuus. 511
5. Redarguitur fiducia ſui; & laudatur ſapiens diffidentia de prudentiâ propriâ. Medium omiſſum à nobis ad quoſdam fines, poſt inutiliter quæritur aliquando. Nonnihil adversùs iram. Potiùs amplectimur media mala cognita ut illicita. 514
FLOS XXVII. Impatiens operabitur ſtultitiam: & vir verſutus odioſus eſt. 517
DELIB. 1. Impatientis quædam ſtultitiæ. 518
2. Remedia contra impatientiam propriam. 521
3. Remedia contra impatientiam alienam. 524
4. Patientiæ laudes. 527
5. Aliqui videntur patientes, & non ſunt. Quandoque reſiſtendo accendimus iram alienam. De quibuſdam erroribus iratorum. 530
FLOS XXVIII. Poſſidebunt parvuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcientiam. 533
DELIB. 1. Alphabeti ſpiritualis prima pars. 535
2. Secunda pars alphabeti ſpiritualis. 538
3. Alphabeticæ doctrinæ tertia pars. 541
4. Alphabeti moralis quarta pars. 544
5. Quidam diligunt peccata tamquam poſſeſſiones. Vacuitas quorumdam magnorum apud ſæculum. Ignorantia præſumentium ſcire. Doctus addiſcere curat. Magiſterium ſine virtute non eſt quid magnum. 547
FLOS XXIX. Jacebunt mali ante bonos: & impii ante portas juſtorum. 550
DELIB. 1. Mali ceciderunt ante Divum & inclytum Dei militem Sebaſtianum gloriosè. 551
2. Coram Stephano cecidere mali pro ipſius triumpho. 555
3. In conſpectu flammarum D. Laurentii ruentes impiorum diſparuere tenebræ. 558
4. Triumphus D. Luciæ. 561
5. Bina laurea D. Catharinæ fortis & ſapientis. 564
6. Jacet in oculis Dei ſuperbus: juſti altitudo. Manſuetudinis vires. Boni compaſſio de perſecutore. Quàm glorioſum ut coram vivente juſto cadat hoſtis. 567
FLOS XXX. Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit: amici verò divitum multi. 569
DELIB. 1. Inopem execrantes increpantur. 571
2. Detegitur perſonata facies amicorum, qui divitem circumſtant. 573
3. Quàm fidi ſint Angeli beati divitum ſpiritualium, hoc eſt amicorum amici. 576
4. Deſpectus à filiis doloroſus. Gaudium ditis de contemptu pauperis. Qui pauperem præterit, Deum orat? Amici vocantur ad ſcelus. Non ad numerum æſtimandi, ſed ad pondus. 579
FLOS XXXI. In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes. 582
DELIB. 1. Tres hoſtes animæ timore Dei proſternuntur. 584
2. Timens Deum ſtrenuus eſt ad ardua, patiens in adverſis, æquanimis ad fortuita. 587
3. Ne confidas gratiæ potentum, æqualium amicitiis, opum abundantiæ; ſed in Domino. 590
4. Timor ſtimulus amoris. Magis Deo placet robore. Confidendum Domino flagellanti. Comparantur timens Deum, & metuens temporalia mala. Fortitudini miſceatur timor. 593
5. Timor magiſter. Largiùs remuneratur pater in filiis. Deus flectitur nomine patris. Sperans in Domino vigilet. Conſervatio beneficii quantam poſtulet operam. 596
FLOS XXXII. Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis. 600
DELIB. 1. Analogia virtutis & fontis aliquot ſimilitudinibus fulcitur. 601
2. Diſſimilitudines aliquot inter virtutem & fontem. 604
3. Fons lacrymarum. 608
4. Multiplex vita ſpiritûs per virtutem. 611
5. Lacrymarum vis. Timoris illuminatio. Juſtus redit ad actum virtutis, quo ſanatus eſt. Peccator meditetur ſe proximum gehennæ. Minus morte timetur infernus. 615
FLOS XXXIII. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis. 618
DELIB. 1. Partes boni principis ex parte notantur. 620
2. Iniqui principis aliquot mali fructus, & radices iſtorum. 623
3. Ex multitudine populi, quam traxit ad ſe levatus in cruce Redemptor, gloria Principis ejuſdem. 627
4. In multitudine populi Chriſtiani gloria Principis Apoſtolorum. 630
5. Rex fidat protectioni divinæ: attendat ad negotia pauperum. Quis rex indignus regio nomine? De malorum congregatione; regiſque nobilitate decreſcente. 634
FLOS XXXIV. Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. 637
DELIB. 1. Tractantur in ſenatu, cui prudentia præeſt, aſſidentibus humilitate, cognitione propriâ, memoriâ peccati, charitateque, dubia quædam pro rectâ gubernatione cordis manſueti. 639
2. Sub ænigmate medici præſcribit prudentia medicamina, quibus ab injuriis icta patientia ſanetur. 642
3. Gubernantur à pudentia patientis oculi, aures, lingua, manus. 646
4. Impatientis ſtultitiæ quædam. 649
5. Alleviatur malum parato. Patiens vincit ſine pugnâ. Impatiens quandoque timet. Alioqui non ſe vindicantes, dicunt potuiſſe ulciſci; putantes contumelioſum ſibi hoc tacere. Redarguitur vindicta citra culpam. 652
FLOS XXXV. Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia. 655
DELIB. 1. Optimus prælatus deſcribitur ænigmate

mate cordis. 656
2. Sanitas cordis ex quatuor qualitatum ſymmetriâ, morali conſideratione libratur. 660
3. Hominem internum corrumpit invidia totum. 663
4. Quietis ab exterioribus utilitas. Necat animas qui non illuminat, cum debeat. Delictum ſacerdotis eſt ſcandaloſum. Labimur facilè; ſurgimus difficilè. Rarò virtute carens illam facit magni. 667
5. Sugillatur invidia. 671
FLOS XXXVI. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. 673
DELIB. 1. Adversùs oppreſſores pauperum. 675
2. De eleemoſyna. 678
3. Eleemoſynæ qualitates quædam. 681
4. Flagitium divitis violenti pauperibus: Et quid, ſi egeat illis. Qualiter æſtimet Chriſtus Dominus pauperem. De hujus calumniâ. 685
5. Gloria Dei ex auxilio pauperis. Miſericors plus accipit, quàm donat. Diſcrimen vanæ gloriæ in occulto. Quàm appretiet Chriſtus Dominus pauperem. Eleemoſynarius attendat in ſola cœleſtia. 688
FLOS XXXVII. In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem juſtus in morte ſuâ. 691
DELIB. 1. Rationes aliquot, propter quas multi nimis diligunt vitam refelluntur. 692
2. Mortis utilitates. 695
3. Exempla Sanctorum quorumdam morientium confidenter, & cum gaudio. 698
4. Proſequor tituli præcedentis materiam. 701
5. Miſerum eſt puniri pro ſubditorum culpis. Increpantur mittentes radices in caducis. Spesin Deo locata vicem gerit poſſeſſionis. Deo placet juſti ſpes de morte. 705
FLOS XXXVIII. In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. 707
DELIB. 1. In corde Apoſtoli Pauli ſapientia requievit, & indoctos erudivit. 708
2. In pectore S. Thomæ Aquinatis requievit ſapientiæ ſol. 712
3. In mellifluo corde S. Bernardi prædulciter ſapientia manens promanavit ab ipſo 715
4. Sapientia cœleſtis requieſcens in arcâ teſtamenti, hoc eſt in D. Antonio Luſitano. 718
5. Abſcondens virtutem ſuam laudatur: congruit illam juſtum neſcire. Cave nimium amorem ſapiendi. Solitudo in frequentia. Quò plus ſapis, amplius deſideras. 721
FLOS XXXIX. Juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum. 724.
DELIB. 1. De pietate principum in Deum. 725
2. Regnorum infelicitas aliquando prodiit ab injuſtitia regum erga eccleſiaſticos. 728
3. Increpantur quædam exactiones tributorum. 731.
4 Sugillantur iniqui judices. 734.
5. Virtutem recuſant aliqui, ſi reſpergatur amaritudine. De peccatore laudante virtutem. Superbiâ regna marcent. Dolor de adverſitate poſt magnam ſortem. Regni ſupplicium ob peccatum regis. 737
FLOS XL. Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit. 739
DELIB. 1. Benevolentiâ princeps complectatur miniſtros peritiâ cæteriſque dotibus præditos. 741
2. Miniſtris perperam agentibus munus commiſſum rex indignatur juſtè. 743
3. Expenditur prudentia D. Joſephi: qui tamquam intelligens miniſter acceptus extitit in terris Principi ſummo. 746
4. Defertur nimis nobilitati. Periculum faſtigium tenentis per dilectionem regis. Princeps gaudet ut ad ejus arbitrium aulici ament quem amat; perſequantur quem perſequitur. Diſcrimen affert miniſtro haberi Dominum regni. Moderator attendat ſapientiæ ſui vicemgerentis. 750
5. Ira dirior adversùs inſontes amore laſcivo. Contagioſa regis ira injuſta, & inutilis. Oneroſum probo regi quod inutile bono publico. Ambitionis patientiæ coram regibus. 753

ELENCHUS BIBLICUS,

PAGINÆ SACRÆ

Loca diſtribuens, quæ vel enucleantur, vel intermiſcentur.

Numerus primus deſignat Flores, ſecundus marginem;

GENESIS.

C.1.2. TEnebræ erant ſuper faciem abyſſi: fl. 23. n.17

C.2.8. Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formaverat. fl.5.n.41

10. De loco voluptatis &c. ib.

17. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. fl.12.n.17

C.3.6. Comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. fl.n.13.35

8. Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. fl.7.n.21. fl.14.n.30. fl.26.n.44

10. Eò quòd nudus eſſem: fl.7.n.21

12. Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. fl.12.n.37. fl.13. n.35

13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: ſerpens decepit me & comedi. fl.14.n.18

14. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. fl.9.n.50

16. Mulier quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. fl.17.n. 23

19. In ſudore vultus tui veſcêris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es & in pulverem reveteris. fl.12. n.17.fl.22.n.21. fl.28.n.49

22. Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam. & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. fl.18.n.73

C.4.3. Et Caïn agricola. fl 39.n.57

9. Reſpondit: Neſcio. Num cuſtos fratris mei ſum ego? fl.12.n 37.fl.35.n.28

12. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. fl.12.n.37.

14. Ecce ejicis me hodie à facie terræ, fl.35. n.52

15. Nequaquam ita fiet, 12.37

26. Iſte cœpit invocare nomen Domini. fl.9. n.34.

C.5.22. Ambulavit Henoch cum Deo. fl.20.n.3

C.6.7. Pœnitet enim me feciſſe eos, fl.3.n.7

9. Cum Deo ambulavit. fl.20.n.3

12. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram, fl.39.n.59

C.8.11. At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo: intellexit ergo Noë quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram. fl.18.n.49

C.11.7. Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquiſque vocem proximi ſui. fl.8.n.40

8. Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras & ceſſaverunt ædificare civitatem. ib.

C.12.1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi. fl.11.n.45

2. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. ib.

C.13.8. Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus. fl.8.n.16

9. Ecce univerſa terra coram te eſt recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. ib.

C.14.18. At verò Melchiſedech rex ſalem, proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, fl.18.n.37

29. Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit cœlum & terram: ib.

C.15.1. Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis. fl.5.n.47. fl.29.n.94. fl.14.n.38. fl.31.n.14

2. Domine Deus, quid dabis mihi? fl.24. n.22.

3. Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus hæres meus erit. ib.

7. Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam. fl.19.n.94

8. At ille ait: Domine Deus, unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam? ib.

C.16.5. Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet, judicet Dominus inter me & te. fl.27.n.10

8. Dixit ad illam: Agar ancillam Saraï, unde venis? & quò vadis? quæ reſpondit: à facie Saraï dominæ meæ ego fugio. fl.3.n.49

C.17.15. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. fl. 5 n. 47
16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium &c. ib.
17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius; & Sara nonagenaria pariet? ib.
C.18.1. In ipſo fervore diei. fl. 19.n.54
6. Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. ib.
12. Riſit occultè, dicens: poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? fl.15. n.47
13. Dixit autem Dominus ad Abraham. Quare riſit Sara, dicens: Num verè paritura ſum anus? ib.
14. Numquid Deo quidquam eſt difficile? ibi.
21. Deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam. fl. 39. n. 44
C.19.8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos & abutimini eis ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei. fl. 32.n.28
9. Recede illuc: Et rurſus: Ingreſſus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? te ergo ipſum magiſquam hos affligemus. ib.
15. In monte ſalvum te fac. fl.20.n.50
26. Reſpiciensque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. ib.
C.20.6. Dixitque ad eum Deus: Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris: & ideo cuſtodivi te ne peccares in me, & non dimiſi ut tangeres eam fl.5.n.45
7. Nunc ergo redde viro ſuo uxorem. fl. 6. n. 21
C.22.3. Abiit ad locum quem præceperat ei Deus. fl.18.n.63
7. Ubi eſt victima holocauſti? fl. 40.n.40
16. Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me. ib.
17. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, &c. ib.
C. 25.31. Cui dixit Jacob; Vende mihi primogenita tua fl.19.n.62
33. Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Eſau, & vendidit primogenita. ib.
C.26.1. Orta autem fame ſuper terram poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech regem Paleſtinorum in Gerara. fl. 6.n.37.
16. Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. ib.
20. Sed & ibi jurgium fuit paſtorum. Geraræ adverſus paſtores Iſaac, dicentium: Noſtra eſt aqua, fl.6.n.27
21. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, &c. ib
27. Quid venisti ad me hominem quem odistis, & expulistis à vobis? ib.n.37
31. Juraverunt ſibi mutuò: dimiſitque eos Iſaac pacificè in locum ſuum, ibid.
C.27.11. Noſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: fl. 4 n.86
12. Si attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere. &c. ib. & fl.19. n.62
27. Stratimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: fl.18.n 45
16. Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. fl.15.n.55
28. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. ib. & fl. 18.n.71
29. Et ſerviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum, fl.18 n.71
33. Benedixique ei, & erit benedictus. fl. 18.n.45
38. Cumque ejulatu magno fleret, fl.25. n. 30
39. Dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper. fl. 18.n.71. fl.25.n.30
40 Erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo ſervies: ib.
41. Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob, fratrem meum. fl. 24. n. 50. fl. 26.n.60.
42. Ecce Eſau frater tuus minatur ut occidat te. fl. 7. n.63
46. Dixitque Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob uxorem de ſtirpe huius terræ, nolo vivere. fl.27. n.34.
C.28.12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam. fl. 19.29
13. Et Dominum innixum ſcalæ &c. ib.
16. Terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo. fl. 9 n.62
15. Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, &c. fl.34 n.24
17. Pavenſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & porta cœli. fl. 15.n.39. fl.26.n.30. fl. 31. n. 24
C.29.17. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decorâ facie, & venuſto aſpectu. fl. 23.n. 15
22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. fl.4.n.86
23. Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum. ib.
26. Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. fl.4.n.86
31. Videns autem Dominus quod deſpiceret Liam, aperuit vulvam ejus, ſorore ſterili permanente. fl.6.n.23.
C.30.1. Da mihi liberos, alioquin moriar. fl.25.n.28
C.31.3. Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum fl.7.n.53.
9. Tulitque Deus ſubſtantiam patris veſtri, & dedit mihi. fl. 9.n.14.
12. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. fl.6.n.23
13 Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti Lapidem, & votum voviſti mihi. Nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ. ib.

24. Cave ne quidquam aſperè loquaris contra Jacob. fl. 27. n. 28

27. Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? fl. 34 n. 58

29 Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. fl. 29. n. 11. fl. 34. n. 58

36. Tumenſque Jacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, &c? fl. 27. n. 28

37. Et ſcrutatus es omnem ſuppellectilem meam? ib.

44. Veni ergo & ineamus fœdus: fl. 29. n. 11.

C. 32. 7. Timuit Jacob valde: & perteritus diviſit populum qui ſecum erat, fl. 7. n. 63

11. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo: fl. 13. n. 21. ff. 32 n. 30.

24. Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo uſque manè. fl. 29. n. 19.

26. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. fl. 19. n. 96

29. Benedixit ei in eodem loco. fl 9. n. 62

30. Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. fl. 7. n. 63. fl 15. n. 39. fl 32. n. 30

C. 33. 1. Elevans autem Jacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros: fl. 7 n. 63

3. Ipſe progrediens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater ejus. ib.

4. Currens itaque Eſau obviam fratri ſuo, amplexatus eſt eum: ſtringenſque collum ejus & oſculans flevit. fl 13. n. 23

5. Parvuli ſunt quos donavit mihi Deus ſervo tuo fl. 27. n. 28

8. Ut invenirem gratiam coram Domino meo. ib.

10. Si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius. ibid.

13. Noſti Domine mi, quòd parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum: quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. fl. 13. n. 23

14. Præcedat Dominus meus ante ſervum, ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia ejus, ib.

15. Oro te, ut de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocii remaneant viæ tuæ. fl. 13. n. 23.

C. 34. 2. Adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem. fl. 26. n. 56.

4. Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe, inquid, mihi puellam hanc conjugem. fl. 26. n. 56

13. Reſponderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis: fl. 31. n. 34. fl. 1. n. 37

25. Arreptis, duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis, fl. 1. numero. 37. fl. 27. n. 12

26. Hemor & Sichem pariter necaverunt, fl. 1. n. 37. fl. 26. n. 56. fl. 27. n. 12

30. Turbatis me, & odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. nos pauci ſumus: illi congregati percutient me & delebor ego, & domus mea. fl. 1. n. 37.

31. Reſponderunt: Numquit ut ſcorto abuti debuere ſorore noſtra? ibi. & fl. 27. n. 12.

C. 35. 5. Cumque profecti eſſent, terror Dei invaſit omnes per circuitum civitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. fl. 29. n. 11

C. 37. 2. Accuſavitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. fl. 4. n. 56

3. Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos fl. 35. n. 56.

4. Videntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filiis amaretur oderant eum nec poterant ei quidquam pacificè loqui. fl 6. n. 43

14. Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. fl. 35. n. 56

22. Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem: ſed projicite eum in ciſternam hanc, fl. 8. n. 28

27. Melius eſt ut venumdetur Iſmaëlitis, & manus noſtræ non polluantur: ib.

34. Sciſſisque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore. fl. 18. n. 45. fl. 25. n. 56

35. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. fl. 19. n. 84

C. 39. 8. Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: fl. 32. n. 18

9. Nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? ib. & fl. 27. n. 52

C. 41. 6. Ait: Confiteor peccatum meum: fl. 32. n. 22.

10. Iratus rex ſervis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi juſſit in carcerem &c. *ib.*

12. Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem ducis militum famulus cui narrantes ſomnia: fl. 32. n. 22

13. Audivimus quidquid poſtea rei probavit eventus. ib.

37. Placuit Pharaonis conſilium & cunctis miniſtris ejus. fl 22. n. 57

39. Numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero? ib.

40. Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni ſolio te præcedam. ib. & fl. 31. n. 30

56. Creſcebat autem quotidie fames in omni

terra : aperuitque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames. fl. 24.n.16

C.42.4. Benjamin domi retento à Jacob, qui dixerat fratribus ejus : Ne fortè quidquam patiatur mali : fl.35.n.56

9. Exploratores estis : ut videatis infirmiora terræ veristis. fl.20.n.58

17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. ib.

18. Facite quæ dixi, & vivetis : Deum enim timeo. ib.

21. Locuti sunt ad invicem : Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos non audivimus: fl.8.n 28. fl.18.n.11

24. Avertitque se parumper, & flevit: fl.18.n.11

38. Frater ejus mortuus est, fl.19.n.92

C.43.18. Ibique exclamiti, dixerunt mutuò : propter pecuniam, quam retulimus priùs in saccis nostris, introducti sumus : ut devolvat in nos calumniam, & violenter subjiciat servituti, & nos, &c. fl.18.n.59

30. Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit. fl.10.n.55

C.44.11. Deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. fl.27.n.30

12. Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin. ib.

15. Cur sic agere voluisti ? ib.

17. Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi ad patrem vestrum. fl.18.n.59

32. Ego propriè servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, &c. ib.

C.45.1. Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus : unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. fl.26. n.27

2. Elevavitque vocem cum fletu : quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. ib. & fl.16.n.88

3. Et dixit Patribus suis: Ego sum Joseph adhuc pater meus vivit : fl.19.n.88

7. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis. fl.31.n.30

18. Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, fl.7.n.37

20. Omnes opes Ægypti, vestræ erunt ibid.

26. Quo audito Jacob, quasi de gravi somne evigilans, tamen non credebat eis fl.23.n.43

26. Nuntiaverunt ei, dicentes : Joseph filius tuus vivit : & ipse dominatur in omni terra Ægypti fl.40.n.48

28. Ait sufficit mihi si adhuc filius meus vivit. fl.23.n.43

C.46.33. Cumque vocaverit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum ? fl.7.n.37

34. Respondebitis: Viri pastores fumus servi tui ab infantia nostra usque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in Terra Gessen : quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium. ib. & fl.6.n.43

C.47.3. Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri. fl.7.n.37

6. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros peccorum meorum. fl.31.n.30

8. Quot sunt dies annorum vitæ tuæ ? fl 21.n.17

11. Joseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Rameses, ut præceperat Pharao. fl 31.n.30

23. Accipite semina, & serite agros, fl.24. n.16

24. Ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis ; quatuor reliquas permitto vobis &c. ib.

C.48.7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel &c. fl.19.n.92

22. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorthæi in gladio & arcu meo. fl.15.n.65

C.49.6. In furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. fl.1. n.37

7. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël. ib.

22. Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum. fl.35.n.34.

23. Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. ib.

29. Ego congregor ad populum meum : fl. 37.n.15

C.50.10. Celebrantes exequias planctum agno atque vehementi, impleverunt septem dies. fl.19.n.84

EXODUS.

C.1.9. Ecce, populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est. fl.24.n.20

10. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur : & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. ib.

C.2.24. Audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob. fl.24.n.20

25. Et respexit Dominus filios Israël, & cognovit eos. ib.

C.3.3. Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. fl.26. n.44

6. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. ib.

8. Sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa &c. fl.18.n.99. fl.24.n.20

10. Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël de Ægypto. fl.1.n.39

11. Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto ? ib.

&

& fl.31.n.22

16. Ego ſcio quòd non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, niſi per manum validam fl.31.n.58

21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cum egrediemini, non exibitis vacui: fl.6.n.53

22. Sed poſtulabit mulier à vicina ſua & ab Hoſpita ſua, vaſa argentea & aurea, ac veſtes: ponetisque eas ſuper filios & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum. ibid.

C.4.2. Reſpondit: Virga. fl.28.n.31

6. Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis. fl.29.n.63

10. Non ſum eloquens ab heri nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. fl.38.n.9

12. Doceboque te quid loquaris. ib.

13. At ille: obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. fl.1 n.39.

14. Iratus Dominus in Moyſen, ait: ib. & fl.38.n.9. fl.31.n.22

16. Ipſe loquetur pro te ad templum, &c. fl.31.n.22

17. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna. fl.28.n.31

22. Filius meus primogenitus Iſraël. fl.2.n. 30. fl.36.n.11

23. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut ſerviat mihi; fl.36.n.11

31. Et credidit populus. Audieruntque quòd viſitaſſet Dominus filios Iſraël, & quòd reſpexiſſet afflictionem illorum, & proni adoraverunt. fl.19.n.102

C.5.2. Quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus & dimittam Iſraël: neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. fl.24. n.26

13. Cur ita agis contra ſervos tuos? fl.24. n.46

16. Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injuſtè agitur contra populum tuum. ib.

21. Videat Dominus & judicet quoniam fætere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos. fl.3.n.33. fl.10. n.45.8. fl.34.n.46

C.6.1. Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejiciet illos de terra ſua. fl.16.n. 25. fl.24 n.26

6. Ego Dominus qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute: ac redimam in brachio exceſſo, & judiciis magnis. fl.16.n.25

C.10.22. Extenditque Moyſes manum in cœlum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus. fl.3. n.53. fl 35.n.58

23. Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat: ib.

C.11.2. Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, mulier à vicina ſua, vaſa argentea, & aurea fl.31.n.n.38

3. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis. ib.

C.12.8. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, &c. fl.18.n.27

11. Calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter: fl.18.n.109

12. Et tranſibo per Terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum &c. ib.n.27

13. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero Terram Ægypti. fl.17.n.99

23. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere fl.2 n.14

32. Abeuntes benedicite mihi. fl.10.n.19

33. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. ib.

34. Tulit igitur populus conſperſam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, poſuit ſuper humeros ſuos. fl. 2.n.18

35. Fecerunt filii Iſraël ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. fl.36.n11

34. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios. ib. & fl.31.n.38

38. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, &c. fl.23.c.19

C.13.17. Cũ igitur emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtiim quæ vicina eſt: reputans ne fortè pœniteret eum ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & reverteretur in Ægyptum. fl.31.n.38

18. Sed circumduxit per viam deſerti, &c. ibid.

21. Dominus autem præcedebat eos ad oſtentandam viam, per diem in columna nubis. fl.18.n.63

C.14.10. Viderunt Ægyptios poſt ſe: & timuerunt valdè: clamaveruntque ad Dominum, fl.10.n.19

11. Et dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto? ib. & fl.14.n.52

13. Nolite timere: fl.14.n.52

14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. fl.7.n.51

24. Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: ib.

52. Et ſubvertit rotas curuum, ferebanturque in profundum, Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. ib.

27. cumque extendiſſet Moyſes manũ contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus

nus in mediis fluctibus. fl. 7. n. 23

31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus. fl. 14. n. 52

C. 15. 3. Dominus quasi vir pugnator, fl. 19. n. 45

9. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. fl. 10. n. 19

25. Ibi constituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum, fl. 36. n. 11

26. Dicens: si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, &c. ib.

C. 16. 2. Murmuravit omnis congregatio filiorũ Israël contra Moysen & Aaron in solitudine. fl. 3. n. 33. fl. 8. n. 36

4. Egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: fl. 36. n. 33

6. Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: fl. 3. n. 33

7. Et manè videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia murmuratis contra nos? ib. & fl. 27. 20

8. Dabit vobis Dominus vesperè carnes edere, & manè panes in saturitate: eò quòd audierit murmurationes vestras quibus murmurati est contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos estis murmur vestrum, sed contra Dominum. fl. 3. n. 33. fl. 8. n. 36

18. Nec qui plus collegerat habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus: sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt. fl. 36. n. 33

19. Nullus relinquat ex eo in manè. ib.

20. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque manè, & scatere cœpit vermibus, atque computruit. fl. 19. n. 60

32. Imple Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, &c. ib.

C. 17. 6. Percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. fecit Moyses ita &c. fl. 18. n. 51

11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. fl. 2. n. 14

12. Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis. ib.

13. Fugavitque Josue Amalec, & populum ejus in ore gladii. ib.

14. Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriã Amalec sub cœlo. fl. 28. n. 21

C. 18. 18. Stulto labore consumeris &c. fl. 12. n. 35

19. Audi verba mea atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, &c. fl. 1. n. 39

21. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, ib.

22. Qui judicent populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò judicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere. fl. 8. n. 22

24. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. fl. 1. n. 39

25. Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones & quinquagenarios, & decanos. fl. 8. n. 22

C. 20. 19. loquere tu nobis, & audiemus: fl. 1. n. 11. fl. 26. n. 24

20. Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis. fl. 26. n. 24

C. 23. 7. Mendacium fugies. fl. 4. n. 26

C. 27. 20. Ut ardeat lucerna semper. fl. 35. n. 40

21. In tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. fl. 35 n. 40

C. 31. 15. In die septimo sabbatum est, requies sancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. fl. 39. n. 49

C. 32. 1. Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. fl. 24. n. 28

10. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. fl. 2. n. 10. fl. 17. n. 21

11. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, &c? ib.

12. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. fl. 2. n. 10

14. Placatus est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversùs populum suum. fl. 17. n. 21

27. Occidat unusquisque fratrem, & amicũ, & proximum suum. fl. 24. n. 28

29. Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio. fl. 15. n. 28

30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Pecastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quomodo quivero eum deprecari pro scelere vestro. fl. 17. n. 21

31. Aut dimitte eis hanc noxam, fl. 34. n. 14

32. Aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. ib.

C. 33. 21. Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram. fl. 10. n. 6

22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: ib.

23. Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. ib.

C. 34. 16. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: fl. 2. n. 42

LEVITICVS.

C. 8. 10. Tulit & unctionis oleum quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua. fl. 19. n. 52

11. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa

ejus

ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo. ib.

12. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit. ib.

C.19.10. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. fl.7.n.29

C.23,22. Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. ib.

C.24.2. Præcipe filijs Israël, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter, fl.35. n.40

3. Extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. ib.

C.25.23. Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis fl.9.n.46

C.26.13. Confregi catenas cervicum vestrarú, ut incederetis erecti. fl.7.n.17

17. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his qui oderunt vos, fugietis, nemine persequente. fl.2.n.40

41. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: fl.12.n.7

C.27.2. Homo qui votum fecerit, spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. fl.17.n.45

8. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit. ib.

NUMERI.

C.11.4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis flagravit desiderio; sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? fl.3.n.25

6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. fl.18.n.105

11. Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? fl.35.n.10

12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, &c.? ib.

16. Quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri: fl.40.n.13

17. Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. ib. & fl.12.n.35

C.12.7. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: fl.35. n.50

8. Ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. ib. & fl.4.n.54

16. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? fl.2.n.52

10. Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. fl.29.n.67

13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus obsecro sana eam. ib.

C.14.5. Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. fl.27.n.8

6. Qui & ipsi lustraverant terram, scinderunt vestimenta sua, fl.1.n.19

7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra quam circuivimus, valdè bona est. ib.

9. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum Terræ hujus, & c. ib.

11. Usquequò detrahet mihi populus iste? fl.27.n.8

24. Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam. fl.1.n.19

C.15.33. Obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini. fl.39.n.49

34. Qui reclusserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. ib.

C.16.3. Cumque stetissent adversum Moysen & Aaron, dixerunt: sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini? fl.4.n.14. fl.8.n.22

4 Quod cum audisset Moyses cecidit pronus in faciem: fl.4.n.14

15. Iratusque Moyses valdè, fl.27.n.8

41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. fl.26.n.34

46. Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum ut roges pro eis: jam enim egressa est ira à Domino, & plaga desævit. fl.35.n.16

C.17.5. Quem ex his elegero, germinavit virga ejus: & cohibebo à me quærimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. fl.27.n.8

8. Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. fl.19.n.98

C.20.11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ, &c. fl.18.n.51

25. Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. fl.19.n.52

26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi. ib.

C.25.11. Zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. fl.40.n.29

12. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, ib.

13. Et erit tam ipsi quàm semini ejus pactũ sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit &c. ib.

14. Erat autem nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filiu Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis fl.40.n.21

C.33.55. Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanſerint, erunt vobis quaſi clavi in oculis, &c. fl.25 n.16

DEUTERONOMIUM.

C.5.5. Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus. fl.27.n.20

C.6.10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Jacob: & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non ædificaſti, fl.2.n.22

11. Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxiſti, ciſternas, quas non fodiſti vineta & oliveta, quæ non plantaſti, ib.

12. Et comederis, & ſaturatus fueris: fl.2.n.22

13. Cave diligenter, ne obliviſcaris Domini, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo ſervitutis. ib.

C.9.21. Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, fl.7.n.25

C.17.17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, fl.2.n.42

C.21.18. Si genuerit homo filium contumacem & protervum, fl.1.n.59

16. Qui non audiat patris aut matris imperium, ib.

20. Dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, fl.1.n.59

21. Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, &c, ib.

C.31.14. Ecce prope ſunt dies mortis tuæ: fl.26 n.50

16. Ecce tu dormies cum patribus tuis, ib.

C.32.10. Circumduxit eum, & docuit: & cuſtodivit quaſi pupillam &c fl.22.n.45

11. Aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis. fl.31.n.58

18. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. fl.5.n.51

19. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia provocaverunt eum filii ſui & filiæ. ib.

22. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. fl.24.n.60

29. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. fl.22.n.45

C.33.3. Omnes ſancti in manu illius ſunt: & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. fl.38 n.23

13. De benedictione Domini Terra ejus, de pomis Cœli, fl.19.n.25

19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juſtitiæ. Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, fl.7.n.65

28. Oculus Jacob in terra frumenti & vini, fl.10.n.53

29. Quis ſimilis tui populo, qui ſalvaris in Domino? ſcutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. fl.9 n.58

C.34.6. Et ſepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: fl.30.n.35

16. Non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem fl.16.n.39

JOSUE.

C.7.20. Reſponditque Achan Joſue, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic feci. fl.39.n.47

21 Abſcondi in terra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. ib.

23. Auferenteſque de tentorio tulerunt ea ad Joſue, & omnes filios Iſraël, projeceruntque ante Dominum, ib.

C.23.1. Poſtquam pacem dederat Dominus Iſraëli, ſubjectis in gyro nationibus univerſis, fl.22.n.29

14. En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, ib.

JUDICES.

C.6.11. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, fl.31.n.48

12. Apparuit ei Angelus Domini, & ait: ib.

16. Dominus tecum virorum fortiſſime. fl.31 n.48

14. Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quòd miſerim te. ib.

C.7.16. Diviſitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. fl.29.n.45

21. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululantesque fugerunt: ib.

22. Et nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes, Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant, ib

C.9.9. Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? fl.8. n.20. fl.32.n.12

11. Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusque ſuaviſſimos, & ire ut inter cætera ligna promovear? fl.32.n.12

15. Quæ reſpondit eis: ſi verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite. ib. & fl.21.n.31

C.14.4. Parentes autem ejus neſciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſtiim. fl.34.n.44

16. Quæ fundebat apud Samſon lacrymas, & querebatur dicens: Odiſti me, & non diligis: idcirco problema, quod propoſuiſti filiis populi mei, non vis mihi exponere. fl.23.n.16

17. Quæ ſtatim indicavit civibus ſuis. ib.

18. Si non araſſeris in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem meam. fl.31.n.36

19. Iratusque nimis aſcendit in domum patris ſui: ib. & fl 34.n.44

20. Vxor autem ejus accepit maritum unum de amicis &c. fl 34.n.44

C.16.20. Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam, fl.5.n.36

Elenchus Biblicus.

I. *REGUM.*

C.1.15. Nequaquam, inquit, ô domine mi: nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque & omne quod inebriare poteſt, non bibi, effudi animam meam in conſpectu Domini. fl.3. n.55

28. Ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. fl.16.n.31

C.2.7. Dominus pauperem facit & ditat, fl.36. n 6.

23. Et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo? fl.17.n.31

24. Nolite filii mei: non enim bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini. ib.

25 Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos. fl.1.n.49.

31. Ecce dies veniunt,& præcindam brachium tuum,& brachium domus patris tui,ut non ſit ſenex in domo tua. fl.37.n.51

32. Et videbis æmulum tuum in templo, in univerſis proſperis Iſraël. ib.

C.3.12. In die illa ſuſcitabo adverſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum ejus: incipiam, & complebo.fl.37.n.51

18. Indicavit itaque ei Samuël univerſos ſermones, ib.

C.4.3. Reverſus eſt populus ad caſtra: dixeruntque majores natu de Iſraël: Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſtiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum.fl.19. n.104

11. Arca Dei capta eſt: duo quoqe filii Heli mortui ſunt, Ophni & Phinees. fl.1.n.49

18. Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de Sella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt. fl.19.n.104

C.5 3. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotii altera die,ecceDagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. fl.18. n.29

4. Rurſumque manè die altera conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.ib. & fl.18.n.55

9. Illis autem circumducentibus eam fiebat manus domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat &c. ib. n.97

C.6.9. Et aſpicietis: Et ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, minimè: ſciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, ſed caſu accidit. fl.2.n.66

C.8.3. Declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. fl 1 n.59. fl 39.n.29

5. Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut judicet nos,&c. ib.

20. Erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos,& pugnabit bella noſtra pro nobis. fl 29.n.39.

C.10 4. Cumque te ſalutaverint, dabunt tibi duos panes, &c. fl.39.n.33

6. Inſiliet in te ſpiritus Domini & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. fl. 17. n.13

7. Quando ergo evenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, ib. & fl.39.n.33

24 Ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus,quòniam non ſit ſimilis illi in omni populo. fl. 35. n.11

27. Filii verò Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ib. & fl. 34. n.20

C.11.7. Invaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt quaſi vir unus. fl.33.n.11

8. Et recenſuit eos in Beſech: fueruntque filiorum Iſraël trecenta millia: virorum autem Juda triginta millia. ib.

12. Et ait populus ad Samuëlem: Quis eſt iſte qui dixit: Saül nam regnabit ſuper nos? Date viros,& interficiemus eos. fl.34. n. 20

C.12.3. loquimini de me coram Domino,& coram Chriſto ejus, utrùm bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. fl. 34. n.12

C.15.9. Et pepercit Saül, & populus, Agag, & optimis gregibus &c. fl 1.n.35

11. Pœnitet me quòd conſtituerim Saül regem.fl.3.n.37

23. Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis rex.fl 1. n.35. fl.37.n.25

27. Et converſus eſt Samuël ut abiret: ille autem aprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt. fl.39 n 21

28. Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. ib.

32.Siccine ſeparat amara mors? fl. 7.n.15

C.16.2. Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni fl.22.n.37

13. Directus eſt ſpiritus Domini à die illa in David, & deinceps: fl.17.n.13

15. Dixeruntque ſervi Saül ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te. fl. 35. n.54

23. Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül. & leviùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. fl 22. n.17

C.17.25. Virum ergo qui percuſſerit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, &c.fl.10.n.23.

26. Quis enim eſt hic Philiſtæus incircumciſus, qui exprobravit acies Dei viventis? fl. 14. n.58

27. Referebat autem ei populus eundem ſermonem, fl.10.n.23

28. Quòd cum audiſſet Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus eſt contra David, & ait: quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto? ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: fl.34.n.42.

34. Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: fl.17.n.12.

35. Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: ib.

36. Leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus: erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis. fl.5.n.12

39. Dixitque David ad Saul: Non poſſum ſic incedere, quia non uſum habeo. fl.19.n.46

Ib. Et depoſuit ea, fl.20.n.62

40. Et tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit: & proceſſit adverſum Philiſthæum. ib.

51. Videntes autem Philiſthiim, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt. fl. 29.n.19

54. Arma vero ejus poſuit in tabernaculo ſuo. fl.26.n.40

55. De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, ſi novi. fl.21.n.17

56. Et ait rex: Interroga tu, cujus filius ſit iſte puer. ib.

58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ô adoleſcens? ib.

C.28.4. Expoliavit ſe Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, uſque ad gladium & arcum ſuum, & uſque ad balteum. fl.13.n.15

5. Poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis univerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul. fl. 40.n.46

7. Præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia. fl.10.n.23. fl. 24 n.56. fl.29.n.19.

8 Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte: dixitque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum? fl. 24.n.56. fl. 27.n. 56. fl. 34.n. 20. & n.24

9. Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die illa, & deinceps. fl.33.n.35

10 Poſt diem autem alteram, invaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ: David autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies. ib.

15. Cœpit cavere eum. fl.27.n.56

17. Tantummodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini. fl.29.n.39

C.19.5. Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraëli: vidiſti, & lætatus es. fl.35.n.54

C.20.27. Cur non venit filius Iſai, nec heri, nec hodie, ad veſcendum? fl.4.n.30

28. Reſponditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixè, ut iret in Bethlehem. ib.

29. Et ait: Dimitte me, quoniam ſacrificium ſolemne eſt in civitate, unus de fratribus meis accercivit me. ib.

22. Reſpondens autem Jonathas Sauli patri ſuo, ait: Quare morietur? quid fecit? fl. 1.n.43

C.21.1. Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum? fl. 34.n.36.

4. Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus? fl.36.n.29

6. Dedit ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem. fl.18.n.57

7. Doeg Idumæus potentiſſimus paſtorum Saul. fl.11.n.37

11. Percuſſit Saul mille, & David decem millia. fl.16.n.55

12. Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth. ib.

13. Et immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, ib.

14. Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me? fl.16.n.55

15. An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, ut fureret me præſente? hiccine ingredietur domum meam? ib.

C.22.8. Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eò quòd ſuſcitaverit filius meus ſervum meum adverſum me inſidiantem mihi uſque hodie. fl.14.n.46. fl.24.n.42. fl. 40.n.46

10. Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi. fl.27.n.36

14. Reſpondenſque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus ſervis tuis, David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua? fl. 1.n.46

C.23.17. Tu regnabis ſuper Iſraël, & ego ero tibi ſecundus, fl.8.n.18

C.24.5. Præcidit oram chlamydis Saul ſilenter. fl.32.n.14

6. Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul. ib.

10 Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te? fl.1.n.43 fl.4.n.64. fl.24.n.42

11. Cogitavi ut occiderem te ſed pepercit tibi oculus meus, dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia chriſtus Domini eſt. fl.34.n.32

17. Cum autem compleſſet David loquens ſermones hujuſcemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua eſt filii mi David? fl.4.n.64

Ib. Et levavit Saul vocem ſuam, & flevit: fl. 26.n.18

18. Dixitque ad David: Juſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. fl.22.n.27. fl.24.n.42. fl.29.n.18

21. Et nunc quia ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël: fl.22.n.27

22. Jura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. ib.

C.25.8. Quod

C.25.8. Quodcumque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David.fl. 30.n.17

10. Ait: Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? hodie increverunt ſervi qui fugiunt Dominos ſuos.fl.12.n.41

13. Accingatur unuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis accinctuſque eſt & David enſe ſuo: & ſecuti ſunt David quaſi quadringenti viri: porrò ducenti remanſerunt &c. 34.n.56

17. Ipſe eſt filius Belial, ita ut nemo poſſit ei loqui. fl.13.n.53

19. Viro autem ſuo Nabal non indicavit.ib.

21. Verè fruſtra ſervavi omnia quæ hujus erant in deſerto, ib.

28. Malitia ergo non inveniatur in omnibus diebus vitæ tuæ.fl.12.n.55

31. Non erit tibi hoc in ſingultum,& in ſcrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te ultus fueris: ib.

36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei convivium in domo ejus, quaſi convivium regis, & cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis & non indicavit ei verbum puſillum aut grande uſque manè.fl. 13.n.53.fl.36.n.39

37. Diluculò autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.fl.13.n.53

38. Percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt. fl.12.n.55

39. Benedictus Dominus, qui iudicavit cauſam opprobrii mei de manu Nabal, & ſervum ſuum cuſtodivit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. fl. 36.n.39

44. Saul autem dedit Michol filiam ſuam, uxorem David.Phalti filio Lais, fl.20.n.10

C.26.2. Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Iſraël, ut quæreret David in deſerto Ziph. fl.26.n.18

15. Quare ergo non cuſtodiſti Dominum tuum regem? ingreſſus eſt enim unus de turba, ut interficeret regem, fl.13.n.13

19 Si autem filii hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini: qui eiecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade,ſervi diis aliis alienis.fl. 20.n.24

C.30.11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, fl. 18. n.19

15. Potes me ducere ad cuneum iſtum? ib.

16. Qui cum duxiſſet eum, ecce illi diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ, ib.

C.31.2. Dixitque Saul ad armigerum ſuum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum. fl.11.n.37.fl.37.n.25

5. Quod cum vidiſſet armiger ejus, videlicet quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo. fl.13.n.37

II. REGUM.

C.1.24. Filiæ Iſraël ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.fl. 19.n.86

C.3.6. Cum ergo eſſet prælium inter domum Saul & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul.fl.2.n.68

7. Dixitque Iſboſet ad Abner: fl. 40.n.60

8. Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Iſboſeth, ait: Numquid caput canis ego ſum adverſum Iudam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul Patris tui, & ſuper fratres & proximos ejus, non tradidi te in manus David, & tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie?ib.

12. Miſit ergo Abner nuntios ad David pro ſe dicentes: Cujus eſt terra? fl.2.n.34

Ib. Fac mecum amicitias, fl.8.n.42

13. Optimè: ego faciam tecum amicitias: ibid.

Ib. Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies,& videbis me fl.29.n.57

16. Sequebaturque eam vir ſuus, plorans &c. fl.20.n.10

21. Surgam, ut congregem ad te Dominum meum regem omnem Iſraël, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua. fl.13.n.13. fl. 39. n.17

29. Veniat ſuper caput Joab, & ſuper omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane. fl.8.n.42

32. Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias. ib.

33. Plangenſque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner.fl.39.n.57

38. Dixit quoque rex ad ſervos ſuos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Iſraël? fl. 29. n.57

39. Ego autem adhuc delicatus,& unctus rex: fl.33.n.n.17

C.4.8. Et attulerunt caput Jſboſeth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Iſboſeth filii Saul inimici tui, fl. 13. n.13

C.5.3. Percuſſit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem ſuper Iſraël.fl.33.n.17

7. Cepit autem David arcem, fl 33.n.17

9. Et ædificavit per gyrum à Mello & intrinſecus.ib

12. Et cognovit David quoniam confirmaſſet eum Dominus regem ſuper, Iſraël,& quoniam exaltaſſet regnum ejus ſuper populum ſuum Iſraël. ib.

C.6.16. Cumque intraſſet arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem David ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo.fl.20.n.10

21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum

ejus ,. & præcep't mihi ut eſſem dux ſuper populum Domini i Iſraël fl. 39.n.17.

22. Eſ ludam , & vilior fiam pluſquàm factus ſum : ib.

C.8.1. Percuſſit David Philiſthiim , & humiliavit eos & tulit David frenum tributi de manu Philiſthiim, fl. 39. n. 35.

C.11.15. Scribens in epiſtola : Ponite Uriam ex adverſo belli , ubi fortiſſimum eſt prælium : & derelinquite eum , ut percuſſus intereat. fl.11 n.39

16. Igitur cum Joab obſideret urbem , poſuit Uriam in loco ubi ſcribat vires eſſe fortiſſimos.ib.

27. Et ceciderunt depopulo ſervorum David, & mortuus eſt etiam Urias. Hethæus.ibid.

C.12.4. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem parcens ille ſumere de ovibus & de bobus ſuis , ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis, & præparavit &c. fl. 36.n.41.17.

17. Tu es ille vir : ib.

4. Dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum : non morieris. fl. 7.n.21. fl.21.n.21.fl.22.n.59.

14. Blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc , filius , qui natus eſt tibi , morte morietur. fl.22.n.37.fl. 24. n. 22.

C.13.5. Cui reſpondit Jonadab : Cuba ſuper lectum tuum , & langorem ſimula : cumque venerit pater tuus ut viſitet te , dic ei: Veniat , oro, Thamar ſoror mea, ut det mihi cibum , fl 8.n.50

12. Noli frater mi,noli opprimere me , neque hoc fas eſt in Iſraël : noli facere ſtultitiam hanc. fl.27.n.52.

13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum , & tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſraël : ib.

14. Prævalens viribus oppreſſit eam , & cubavit cum ea. fl.3.n.13.

20. Nunc ſoror tace , frater tuus eſt : neque affligas cor tuum pro hac re. fl.27.n.48.

21. Cum autem audiſſet rex David verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filii ſui , quoniam diligebat eum , quia primogenitus erat ei. fl. 17.n. 33

26. Dixitque ad eum rex : Non eſt neceſſe ut vadat tecum. fl. 24 n.12

27. Coëgit itaque Abſalom eum , & dimiſit cum eo Amnon ,&c. ib.

28. Obſervate cum temulentus fuerit Amnon vino , & dixero vobis : Percutite eum , & interficite : nolite timere : ego enim ſum qui præcipio vobis: roboramini , & eſtote viri fortes. fl.25.n.58.

29. Fecerunt ergo pueri Abſalom adverſum Amnon , ſicut præceperat eis Abſalom. fl.8.32

32. Ne æſtimet Dominus meus rex , quòd omnes pueri fiilii regis, occiſi ſint : Amnon ſolus mortuus eſt , quoniam ore Abſalom erat poſitus , ex die qua oppreſſit Thamar ſororem ejus..fl.18.n. 50

C.14.2. Lugere te ſimula , & induere veſte lugubri , & ne ungaris oleo , ut ſis quaſi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum. fl. 25.n. 42

13. Quare cogitaſti hujuſcemodi rem contra populum Dei,& locutus eſt rex verbum iſtud , ut peccet , & non reducat ejectum ſuum ? fl.11.n.9 fl.36.n.41.

14. Omnes morimur , quaſi aquæ dilabimur in terram , quæ non revertuntur : fl.33 n. 47.

20. Ut verterem figuram ſermonis hujus, ſervus tuus Joab præcepit iſtud : fl.36.n.41.

16. Tu autem domine mi rex, ſapiens es ſicut habet ſapientiam Angelus Dei , ut intelligas omnia ſuper terram fl.8.n.54.fl.38.n.13

21. Ecce placatus feci verbum tuum : vade ergo, & revoca puerum Abſalom. fl. 38. n.13

26. Quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur , quia gravabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico. fl. 21. n.41

29. Miſit itaque ad Joab , ut mitteret eum ad regem , qui noluit venire ad eum .Cumque ſecundò miſiſſet , & ille noluiſſet venire ad eum , fl.27.n.48

30. Dixit ſervis ſuis : Scitis agrum Ioab juxta agrum meum , habentem meſſem hordei: ite igitur , & ſuccendite eum igni.ib.

32. Miſi ad te obſecrans ut venires ad me, & mitterem te ad regem , & diceres ei : Quare veni de Geſſur ? melius mihi erat ibi eſſe: obſecro ergo ut videam faciem regis: quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ , interficiat me. fl.10.n.34.fl.34.n.26

C.33. Oſculatuſque eſt rex Abſalom. ib.

15.2. Manè conſurgens Abſalom , ſtabat juxta introitum portæ , & omnem virum qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium , vocabat Abſalom ad ſe, & dicebat : De qua civitate es tu? fl.22.n.31

3. Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti. ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege.22.n.31.fl.33.n 53

4. Quis me conſtituat judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium , & juſtè judicem ? fl.33.n.53

6. Solicitabat corda virorum Iſraël.fl.22.n.31.

13. Toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalom.fl.11.n37

14. Surgite, fugiamus : neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom , 4.n.28

15. Dixeruntque ſervi regis ad eum : Omnia quæcumque præceperit Dominus noſter rex , libenter exequemur ſervi tui.ib.

33. Si veneris mecum , eris mihi oneri. fl.40. 23. & n.58

34. Si autem in civitatem revertaris , & dixeris Abſalom : ſervus tuus ſum, rex : ſicut fui ſervus patris tui , ſic ero ſervus tuus: diſſipabis conſilium Achitophel. fl.40.n.23

37. Chuſai amico David &c.ib.n.58

C.16.3. Remanſit in Ieruſalem , dicens : Hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum patris mei. fl.34.n.26

4. Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth. ibi.

6 Omnis autem populus , & univerſi bellatores , à dextro & à ſiniſtro latere regis incedebant. fl.1.n.27

7. Ita

7. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. fl.2.n.68. fl.12.n.41
8. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saül: quoniam invasisti regnum pro eo, ib.
11. Dimititte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: fl.12.n.41. fl.34.n.16
12. Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus, bonum pro maledictione hodierna. ib.
16. Salve rex, salve rex. fl.4.n.18
18. Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israël, & cum eo manebo. ib.
23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: fl.21.n.23. fl.8.n 26

C. 17.6. Hujusce-modi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? fl.21.n.23
7. Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. fl.4.n.18. fl.21n.23
23. Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam & in civitatem suam: & dispositâ domo sua, suspendio interiit, fl.8.n.26

C.18.5. Præcepit rex Joab, & Abisai, & Ethai, dicens: servate mihi puerum Absalon. fl.26. n.52. fl.34.n.50
33. Sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon? fl.19.n.72. fl.22.n.29

C.19.18 Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset jordanem, fl.2.n.68
19. Dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es domine mi rex de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo. ib.
20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis. ib.
28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: fl.34.n.26
30. Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacificè in domum suam. ib.

C.24.4. Obtinuit autem sermo regis verba Joab, & principum exercitus: fl.8.n.32. fl.26. n.52
10. Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valdè in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis. fl.26. n.52. fl.32.n.52
13. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te prosequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua: Nunc ergo delibera, fl.33.n.51
18. Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi. fl.18.n.83. fl.36.n.21

C.15. Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum. fl.17.n.3
6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valdè. ib.

C.22. Ego ingredior viam universæ terræ: fl.37. n.13
9. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos. fl.26. n.54. fl.34.n.16

C. 35. Dicens: Postula quod vis ut dem tibi. fl.18.n.67
7. Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. fl.8.n.48. fl.26.n.54. fl.38.n.11
11. Non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: fl 18.n.67. fl.38.n.11. fl.39.n.41
12. Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. fl. 32. n. 48. fl.38.n.11
13. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, & gloriam, fl. 39. n. 41
14. Si autem ambulaveris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. fl.2.n.32. fl.39.n.41
28. Audivit itaque omnis Israël judicium quod judicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium. fl.39.n.45

C.55. Cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, fl.39.n.11
7. Lætatus est valdè, & ait: Benedictus Dominus Deus hodiè, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. ib.
12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: fl.32.n.47

C.8.5. Immolabant oves & boves absque æstimatione & numero. fl.18.n.67
18. Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benefecisti, hoc ipsum mente tractans. fl.14.n.58
66. Profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde &c. fl.25.n.40

C.10.1. Sed regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. fl.2.n.34. fl.24.n.54
3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat: fl.24.n.54
5. Et holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. fl.39. n.53. fl.24 n 54
6. Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audivi in terra mea, fl.2.n.34
7. Et non credebam narrantibus mihi, &c. fl.4.n.66. fl.24.n.54.

C.11.1. Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitas, & Ammonitidas, Idumæas

& Sidonias, & Hetæas: fl. 2. n. 42
2. De gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingrediemini ad eas, ib.
4. Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos: fl. 1. n. 49
5. Sed colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum ib.
11. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, dissumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. ib. & fl. 33. n. 25
12. Verumtamen in diebus tuis non faciam, fl. 1. n. 49
26. Jeroboam quoque filius Nabath Ephrathæus, de Sareda servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua: levavitque manum contra regem. fl. 33. n. 15
30. Apprehendensque Athias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. fl. 39. n. 21
31. Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. ib.

C. 12. 6. Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus cum adhuc viveret, & ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? fl. 8. n. 30
13 Respondit que rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, ib.
14. Et locutus est eis secundùm consilium juvenum, ib.

C. 13. 2. Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui tunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. fl. 12. n. 45.
6. Ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. ib.

C. 14. 30. Fuitque bellum inter Roboam & Jeroboam cunctis diebus. fl. 33. n. 25

C. 17. 1. Si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba. fl. 12. n. 29
4. Et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi. ib.
9. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. ib.
14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecytus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. fl. 36. n. 55
18. Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? fl. 16 n. 47

C. 18. 1. Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. fl. 12. n. 29
2. Ivit ergo Elias, ib.
17. Tunc es ille, qui conturbas Israël? fl. 16. n. 47
18. Non ego turbavi Israël, ib.
40. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi. fl. 15. n. 28

C. 19. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei. fl. 18. n. 61. fl. 37. n. 35
5. Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. fl. 12. n. 29
6. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: ib. & fl. 19. n. 56
7. Surge, comede: grandis enim tibi restat via. fl. 28. n. 39
8. Ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. ib.
9. Quid hîc agis Elia? fl. 19. n. 106
10. Quærunt animam meam ut auferant eam. fl. 18. n. 61
ib. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, fl. 34. n. 14
11. Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, fl. 10. n. 6
13 Quid hîc agis Elia? fl. 19. n. 106
14 Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: fl. 34 n. 14

C. 21. 7. Grandis authoritatis es, & bene regis regnum Israël. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ. fl. 12. n. 23. fl. 33. n. 14
8. Scripsit itaque literas ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth. fl. 12. n. 23
15. Locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam Naboth &c. fl. 11. n. 29
18. Surge & descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam: fl. 11. n. 31
19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. ib. n. 29. & 31
23. Sed & de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. ibid. & fl. 24. n. 22
24. Si mortuus fuerit Acab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. fl. 11. n. 29
27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite fl. 25. n. 36
29. Nonne vidisti humiliatem Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. ibidem.

C. 22. 22. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. fl. 4 n. 40
37. Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam, sepelieruntque regem in Samaria, fl. 11. n. 29

IV. *REGUM.*

C. 1. 10. Si homo Dei sum, fl. 37. n. 35
12. Si homo Dei ego sum, ib.
15. Descende cum eo, ne timeas. ib.

C.2.12. Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus. fl.35.n.10

14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ. & dixit: Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc atque illuc, & tranſiit Eliſeus. fl.16.n.33

C.3.13. Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? fl.12. n.21

14. Dixitque ad eum Eliſæus: Vivit Dominus exercituum in cujus conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Joſaphat regis judæ erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. ib.

C.4.1. Servus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſervus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. fl.12.n.21

2. Quid vis ut faciam tibi? dic mihi, quid habes in domo tua? ib.

18. Cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſores, fl.22.n.13

19. Ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo. ib.

20. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua uſque ad meridiem, & mortuus eſt. ib.

43. Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent & ſupererit. fl.36 n.55

44. Poſuit itaque coram eis: qui comederunt, & ſuperfuit &c. ib.

C.5.1. Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit ſalutem Syriæ: erat autem vir fortis & dives ſed leproſus. fl.25.n.26

20. Vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. fl.9.n.16

29. Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas. ib & fl.10.n.49

27. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. ib.

C.9.33. Præcipitaverunt eam, aſperſusque eſt ſanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. fl.24.n.22

35. Cumque iſſent, ut ſepelirent eam, non invenerunt niſi calvariam, & pedes & ſummas manus. ib. & fl.11.n.29

C.19.32. Hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio: fl.5.n.43

33. Per viam, qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. ib.

34. Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum fl.39.n.13

35. Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. fl.5.n.43

C.20.6. De manu regis Aſſyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem iſtam propter me, & propter David ſervum meum fl.39.n.13

9. Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? fl.21.n.11

11. Reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. ib.

C.22.2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris ſui: non declinavit ad dexteram, ſive ad ſiniſtram. fl.39.fl.15

11. Scidit veſtimenta ſua. ib.

13. Ite & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo, & ſuper omni juda, de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt: magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos: quia non audierunt patres noſtri verba libri hujus, ut facerent omne quod ſcriptum eſt nobis. ib.

C.24.17. Et conſtitnit Matthaniam patruum ejus pro eo: impoſuitque nomen ei Sedeciam. fl.15.n.23

20. Iraſcebatur enim Dominus contra Jeruſalem & contra Judam, donec projiceret eos à facie ſua: receſſitque Sedecias à rege Babilonis. fl.33.n.23

C.25.9. Et ſuccendit domum Domini, & domum regis: & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſit igni. fl.33.n.23

10. Et muros Jeruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, ib.

I. *PARALIPOMENON.*

C.21.1. Conſurrexit autem ſatanas contra Iſraël, & concitavit David ut numeraret Iſraël, fl.14.n.18

17. Nonne ego ſum, qui juſſi ut numeraretur populus? ib.

30. Nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. fl.26.n.16

C.29.17. Populum tuum, qui hîc repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. fl.2.44

18. Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, patrum noſtrorum, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat. ib.

19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum ut cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat univerſa: & ædificet ædem: cujus impenſas paravi. ib.

II. *PARALIPOMENON.*

C.1.12. Divitias autem & ſubſtantiã & gloriam dabo tibi, fl.39.n.41

C.13.7. Porrò Roboam erat rudis, & corde pavido, nec potuit reſiſtere eis. fl.37.n.25

C.25.8. Quòd ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus. fl.10.n.33

9. Dixitque Amaſias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Iſraël. ib.

C.26.19 Iratusque Ozias, tenens in manu thurribulum ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus in domo Domini. &c. fl.40 n.54

21. Habitabit in domo ſeparata plenus lepra, ob

ob quam ejectus fuerat de domo Domini. ib.

C.28.1. Non fecit rectum in conſpectu Domini ſicut David pater ejus : fl.40.n.54

2. Sed ambulavit in viis regum Iſraël. ib.

I. ESDRÆ.

C.17. Rex quoque Cyrus protulit vaſa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Jeruſalem, & poſuerat ea in templo Dei ſui.ib.

II. ESDRÆ.

C.1.4. Cumque audiſſem verba hujuscemodi, ſedi, & flevi, & luxi diebus multis: jejunabam. & orabam ante faciem Dei cœli. fl.26 n.48

11. Sit auris tua attendens ad orationem ſervi tui,& ad orationem ſervorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum : ib.

C.2.8 Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. fl.16.n.25

18. Et indicavi eis manum Dei mei, quòd eſſet bona mecum, ib.

TOBIAS

C.1.21. Cum reverſus eſſet rex Sennacherib,fugiens à Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filiis Iſraël, fl.24.n.20

Ib. Tobias ſepeliebat corpora eorum. fl.34. n.22

22. At ubi nuntiatum eſt regi, juſſit eum occidi,& tulit omnem ſubſtantiam ejus. ib.

23. Tobias verò cum filio ſuo & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. ib.

C.2.1. Cum eſſet dies feſtus Domini & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ, fl 36.n.35

2 Dixit filio ſuo : Vade,& adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, ut epulentur nobiſcum. ib.

3 Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus: ib.

5. Cumque occultaſſet corpus, manducavit panem cum luctu & tremore, fl.36.n.35

16. Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & & ſepulturas faciebas ? fl.20.n.14.

17. Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui : ib.

21. Videte, ne fortè furtivus ſit, fl.16.n.17.

22. Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, ib. & fl.20.n.14 fl.27.n.46

C.3.1. Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, fl 34 n.22

9. Amplius ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum. fl.27.n.40

10. Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ : fl.27.n.40

24. In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei : fl.20.n.30

25. Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël ut curaret eos ambos, fl.27.n.40

C.5.14. Cum redieris, reſtituam tibi mercedem tuam. fl.30.n.37

17. Genus quæris mercenarii, an ipſum mercenarium qui cum filio tuo eat ? ib.

24. Numquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum. fl.9. n.24

25. Sufficiat enim nobis paupertas noſtra, ut divitias computaremus hoc, quòd videbamus filium noſtrum.fl.16.n.17

C.6.9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabantur. fl.35. n.24

22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, fl.31. n.10

C.12.5. Rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. fl 30.n.37

6. Tunc dixit eis occultè : Benedicite Deum cœli, ib.

14. Miſit me Dominus ut curarem te, fl.35 n.24

JUDITH.

C.5 24. Nunc ergo mi domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum : aſcendamus ad illos, fl.8.n.52

25. Si verò non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis : ib.

28. Ut ergo agnoſcat Achior quoniam fallit nos, aſcendamus in montana; & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio tranſverberabitur : ib.

C.7.16. Melius eſt enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quàm moriamur, fl.10.n.41

17. Ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, & ſit finis noſter brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate ſitis ib.

23. Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino miſericordiam. ib.

C.8.6. Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabata, & neomenias, & feſta domus Iſraël. fl.2.n.16

7. Erat autem eleganti aſpectu nimis, fl.3. n.31

12. Non eſt. iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. fl.5.n.23.

29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum. ib.

33. Uſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum. fl.19.n.100

C.9.14. Da mihi in animo conſtantiam, ut contemnam illum; & virtutem ut evertam illum. fl.29.n.41

C.10.3. Omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe. fl 3 n.31

4. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem,

C.12.1.Conſtituit quid daretur illi de convivio ſuo. fl.2.n.16

2. Cui reſpondit Judith, & dixit : Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio.

ib. & fl.5. n. 23.

10. Vade, & ſuade Hebræam illam, ut ſponte conſentiat habitare mecum. fl. 3. n.13

11. Fædum eſt enim apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo tranſeat. ib

C.13.8. Pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. fl.5.n.17.

9. Cumque evaginaſſet illum apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora. ib.

20. Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, fl.2.n.16.fl.5. n.17.fl.19.n.27

C.26.24. Erat autem populus jucundus ſecundùm faciem ſanctorum, & per tres menſes &c. fl. 22.n.fl.25.n.40

ESTHER.

C.2.15. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur fl.20.n.54

17. Aclamavit eam rex plus quàm omnes mulieres, ib.

C.4.16. Ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti & periculo. fl.27.n.22

C.5.11. Expoſuit illis magnitudinem divitiarum ſuarum, fl.30.n.21

14. Jube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè regi ut appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei conſilium, ib.

C.6.9. Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare fl.40.n.42

11 Tulit itaque Aman ſtolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat: fl.40.n.60

Ib. Hoc honore condignus eſt, quemcumque rex voluerit honorare. fl. 18. n. 77

12. Aman feſtinavit ire in domum ſuam, lugens & operto capite. fl.11.n.41.fl. 40. n.60.

13. Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio, & uxor ejus: ſi de ſemine Judæorum eſt Mordochæus, ante quem cadere cæpiſtis, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conpectu ejus. fl. 11. n. 41. fl. 30. num.21.

C.7.3. Si inveni gratiam in oculis tuis ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro. fl.32.n.38

5. Quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? fl. 32. num. 38. fl. 40. n.21

6. Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman. fl.40.n.21

7. Iratus ſurrexit, & de loco convivii intravit in hortum arboribus conſitum. fl. 32. n.38.fl 34.n.48

8. Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea. fl.11.n.41.fl. 34.n.48

C.8.1. Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman adverſarij Judæorum. fl 15.n.69

Ib. Confeſſa eſt enim ei Eſther quòd eſſet patruus ſuus fl.18.n.77

2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi juſſerat, & tradidit Mardochæo: ib. & fl.40.n.42

3. Nec his contenta, procedit ad pedes regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus peſſimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri. fl.32. num. 38.

4. At ille ex more ſceptrum aureum protendit manu; quo ſignum clementiæ monſtrabatur: ib

8. Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet, regis nomine, ſignantes litteras annulo meo. ib.

15. Mardochæus autem de palatio & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aereis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. fl.18.n.77.fl 40.n.42.

C.10.6. Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem ſolemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit, Eſther eſt, quam rex accepit uxorem, & voluit eſſe reginam. fl.40.n.44

14. Tuſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum &c. fl.15.n.69

C.15.8. Roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis, triſtem celabat animum, & uimio timore contractum. fl. 20.n.54.fl.25.n.42

10. Cumque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, &, in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput fl.5.15.fl.20.n.54.fl.27.n.22

11. Feſtinus ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: fl.20. n.54

12. Quid habes Eſther? Ego ſum Frater tuus noli metuere. ib

13. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. fl. 34.n.48

18. Cumque loqueretur, rurſus corruit, & pene exanimata eſt. fl,1.n.5

19. Omnes miniſtri ejus conſolabantur eam fl.5.n.13

IOB.

C.1.5. Cumque in orbem tranſiſſent dies convivij, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis Dicebat enim: Ne forte peccaverint filij mei, fl.24.n.12

8. Numquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, rectus ac timens

Deum, & recedens à malo? fl.2.n.60
9. Numquid Job fruſtra timet Deum? ib
11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. ib
21. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. fl.17.n.29
C.2.3. Numquid conſiderat ſervum meum Job: quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? fl.n.60
8. Teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. fl.29.n.63
9. Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere. fl.27.n.46
10. Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? ib. & fl. 34. n.16
11. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod acciderat ei, venerunt ſinguli de loco ſuo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur. fl.4.n.82
12. Cumque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, fl.29.n.63
13 Videbant enim dolorem eſſe vehementem. fl.19.n.90
C.3.5. Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis, fl.5.n.38
19. Parvus & magnus ibi ſunt, & ſervus liber à Domino ſuo. fl.37.n.23
20 Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine anima ſunt? ibi. n.27
24. Antequam comedam ſuſpiro: & tamquam inundantes aquæ, &c. ib
C.4.2. Si cæperimus loqui tibi, forſitan moleſtè accipies, ſed conceptum ſermonem tenere quis poterit? fl.4.n.82
5. Nunc autem venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es fl.19. n.90
6. Ubi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? ib.
8. Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metuunt eos, fl. 25.n.44
9. Flante Deo periſſe, ib
C.5.7. Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum. fl.23.n.29
13. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, fl 21.n25
15. Porro ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. ib. & fl.36.n.19. fl.37.n.37
16. Et erit egeno ſpes, fl.37.n 57
C.6.21. Nunc veniſtis: & mòdo videntes plagam meam timetis. fl.30.n.11
22. Numquid dixi: Aſſerte mihi, & de ſubſtantia veſtra donate mihi? ib
27. Super pupillum irruitis, & ſubvertere nitimini amicum veſtrum. fl.4.n.24
28. Verumtamen quod cæpiſtis explete: præbete aurem, & videte an mentiar. ib
C.10.8. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu: fl.19.n.17
20. Dimitte ergo me, ui plangam paululum dolorem meum fl. 25. num. 56. fl. 34. n.34
C.13.37. Veſtigia pedum meorum conſideraſti: fl.5.n.49.
C.15.16. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem? fl.35. n.46
C.16.11. Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis. fl.36.n.47
17. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. fl.34.n.34
23. Ecce enim breves anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non revertar, ambulo. fl.26.n.36
C.17.3. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet cantra me. fl. 3.n.19.
14. Putredini dixi: Pater meus; & mater mea, & ſoror mea, vermibus. fl.n.49
C.19.2. Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus. fl.4.n.58
3. En, decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me. ib
17. Orabam filios uteri mei fl.30.n.39
19. Abominati ſunt me quondam conſiliarii mei: fl 4.n.58
C.20.12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abſcondet illud ſub linqua ſua. fl.25. n.10
14. Panis ejus in utero illius verteturin fel aſpidum intrinſecus. ib.
C.21.12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. fl.3.n.99
24. Viſcera ejus plena ſunt adipe, fl 28.58
C.27.18. Ædificavit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit umbraculum fl.19.n.20
19. Dives cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. fl.6. n.45
20. Apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas. ib.
C.28.13. Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra &c. fl.35.n.47
16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonicho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. fl.22.n.51
17. Non adequabitur ei aurum vel vitrum, ib
C.29.3. Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris? fl 28.n.18
4. Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, fl. 26.n.36
5. Et in circuitu meo pueri mei? fl 15.n.67
9. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperimponebant ori ſuo. fl.3 n.10
16. Pater eram pauperum: fl.15.n.67
21. Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium. meum, fl.28.n.43
22. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. ib
23. Expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant queſi ad imbrem ſerotinum. fl.7.n.41
24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, fl.28.n 43
25. Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus

mus: cumque ſederem quaſi rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. fl.7.n.39

C.30.15. Redactus ſum in nihilum: abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum: & velut nubes pertranſiit ſalus mea. fl.10.n.47

29. Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. fl.13.n.37

C.31.16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. fl. 36. n.39

17. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: ib.

22. Humerus meus à junctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. ib.

C.32.1. Omiſerunt autem tres viri iſti reſpondere Job, eò quòd juſtus ſibi videretur. fl.34.n.28

12. Donec putabam vos aliquid dicere, conſiderabam: ſed, ut video, non eſt qui poſſit arguere Job, & reſpondere ex vobis ſermonibus ejus. ib.

C.36.5. Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens. fl.40.n.27

C.42.7. Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, fl.8.n.36

10. Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis ſuis. fl.34. n.16

PSALMI.

Pſ.1.1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. fl. 20. n.68

Pſ.3.6. Ego dormio, & ſoporatus ſum. fl. 11. n.7.p.fl.37.n.39

Pſ.4.2. In tribulatione dilataſti mihi. fl.23. n.24

Pſ.5.10. Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt. fl. 4. n. 38. & n.48

11. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, ibid.

Pſ.6.7. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Lacrymis meis ſtratum meum rigabo. fl.32. n. 32

Pſ.8.6. Gloria & honore coronaſti eum: fl.11. n. 11

Pſ.9.19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis. fl.36.n.9

24. Quoniam laudator peccator in deſideriis animæ ſuæ: fl.4. n.22

Pſ.11.9. In circuitu impii ambulant: fl.14. n.14

Pſ.17.5. Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me: fl.37.n.43

6. Dolores inferni circumcederunt me: ib.

28. Quoniam tu populum humilem ſalvum facies: & oculos ſuperborum humiliabis. fl.6.n.59

Pſ.24.7. Delicta inventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. fl.21.n.21

11. Propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. fl.20.n.64

13. Anima ejus in bonis demorabitur: fl.6. n.73

16. Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego: fl.6.n.65

21. Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te. ib.

Pſ.30.16. Eripe me de manu inimicorum meorum, fl.36.n. 19

19. Muta fiant labia doloſa. ib.

Pſ.31.4. Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. fl.5. n.35

7. Erue me à circumdantibus me. fl. 5. n. 29

8. Intellectum tibi dabo, ib.

Pſ.32.17. Fallax equus ad ſalutem: fl. 28. n.28

Pſ.34.8. Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum. fl.26. n.32

13. Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo convertetur. fl. n.26. fl.28.n.35

15. Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi. fl.19.n.76

16. Tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione: fl.20.n.6

17. Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam. fl.19.70

Pſ.36.4. Delecta re in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. fl.18.n.33

7. Subditus eſto Domino, & ora eum ibid.

20. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati: deficientes, quemadmodum fumi deficient: fl.20. n. 48

Pſ.37.3. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi fl.34.52

13. Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitatem & dolos tota die meditabantur. ib. n.36

14. Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum. ib. & fl.27.n.38. fl.34.n.52

18. Quoniam ego in flagella paratus ſum: fl.34.n.52

Pſ.38.2. Dixi: Cuſtodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. fl.2.n.56. fl.4. n.80

6. Subſtantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens fl.22.n.23

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: fl.2.n.56

12. Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus: verumtamen vanè conturbatur omnis homo. fl 23.n.39

Pſ.41.3. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? fl.23.n.23

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: ib.

6. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? ib.

Pſ.43.16 Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. fl.4. n.84

17. A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis. ib.

Pſ.44.9. Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus &c. fl.15.n.16

Pſ.48.13. Homo cum in honore eſſet, non intelſexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus. fl.38.n.1

16. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. fl.7.n.55

17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo: ib.

19. Confitebitur tibi cum benefeceris ei. fl. 17. n. 25

20. Introibit uſque in progenies patrum ſuorum: & uſque in æternum non videbit lumen. ib.

21. Homo cum in honore eſſet, non intellexit: ibid.

Pſ.49.18. Si videbas furem, currebas cum eo: fl.20.n.66

20. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, ibid.

Pſ. 50. 5. Iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper fl.6.n.33. fl.14.n.14

Pſ.51.4. Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua: ſicut novacula acuta feciſti dolum. fl.27.n.36

Pſ.54.10. Præcipita Domine, divide linguas eorum: fl.8.n.44.

16. Veniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viventes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. fl. 26.n.50

Pſ.58.6. Non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem. fl.20.n.64

7. Convertentur ad veſperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. ibid.

Pſ.61.11. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. fl.6.n.73

Pſ.68.8. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. fl.4. n.70.

9. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. fl.30.n.17. fl.23. n.51

10. Opprobria exprobrantium tibi, cecideruntſuper me. fl.23.n.51

Pſ.70.20. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas: & converſus vivificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me: fl.19.n.70

Pſ.72.14. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. fl.34.n.30

16. Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me: fl.22.n.23

Pſ.77.17. Et appoſuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt in inaquoſo. fl.10.n.45

18. Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis: ut peterent eſcas animabus ſuis. ib.

19. Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? fl.18.n.105.

21. Ideo audivit Dominus, & diſtulit: ib.

30. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum: fl.18.n.105

31. Et ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorũ, & electos Iſraël impedivit. ib.

48. Et tradidit grandini jumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni. fl.28.n.55

65. Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. fl.34.n.36

66. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit illis. ib.

Pſ.79.2. Qui regis Iſraël, intende: qui deducis velut ovem Joſeph. fl.20.n.26

5. Domine Deus virtutum, quòuſque iraſcêris ſuper orationem ſervi tui? ib.

7. Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris & inimici noſtri ſubſanaverunt nos. ib.

Pſ.80.9. Iſraël ſi audieris me, fl.1.n.11

Pſ.81.5. In tenebris ambulant: fl.22.n.32

6. Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes. fl.8.n.46. fl.20.n.59

Pſ.82.14. Deus pone illos ut rotam: fl.14.n.26

17. Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine. fl.20.n.40

Pſ.85.1. Quoniam inops & pauper ſum ego. fl. 2.n.56

2. Cuſtodi animam meam, ib.

11. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum. fl.2.n.46. fl.26.n.26

Pſ.87.5. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, fl.37. n.23

6. Inter mortuos liber, ib.

16. Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria. fl.30.n.19

Pſ.88.11. Tu humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum. fl.1.n.27

38. Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, fl.19.n.12

Pſ.93.17. Niſi quia Dominus adjuvit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. fl.32.n.56

18. Si dicebam: Motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine adjuvabat me. ib.

Pſ.96.4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: fl. 25.n.18.

Pſ.98.3. Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile & ſanctum eſt. fl.39.n.19

4. & honor regis judicium diligit. ib.

Pſ.100.2. perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. fl.40.n.17

3. Facientes prævaricationes odivi. Non adhæſit mihi. fl.14.n.44

4. Cor pravum: declinantem à me malignum noſcebam. ib.

5. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. fl.4.n.52

6. Occuli mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. fl.33.n.36. fl.40.n.17

7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum. fl.36.n.36

Pſ.101.1. Oratio pauperis, fl.15.n.35

10. Quia cinerem tanquam panem manducabam & potum meum cum fletu miſcebam. fl.25.n.48. fl 39.n.57

11. A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me. fl.39.n.57. fl.37.n.27

12. Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui. ib.

22. Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jeruſalem. fl. 15.n.35.
23. In conveniendo populos in unum, & reges ut ſerviant Domino. ib.
Pſ.104.19. Eloquium Domini inflammavit eum: fl.15.n.58
24. Et firmavit eum ſuper inimicos ejus, fl.2. n.48
25. Convertit cor eorum ut odirent populum ejus: & dolum facerent in ſervos ejus. ib. & fl.35.n.32
38. Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos. fl. 35.n.32
Pſ.106.39. Et pauci facti ſunt: fl.23.n.57
40. Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in invio, & non in via. ib.
Pſ.107.10. Mihi alienigenæ amici facti ſunt. fl. 14.n.44
Pſ.109.4. Tu es ſacerdos in æternum &c. fl.26. n.22
Pſ.113.5. Quid eſt tibi mare quòd fugiſti: &c. fl.33.n.45
Pſ.114. 3. Tribulationem & dolorem inveni: fl.20.n.12
Pſ.116.2. Confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. fl.26.n.22
Pſ.118.22. Auferà me opprobrium, & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſivi. fl.20.n.12
13. Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua. fl.5.n.28
80. Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis,ut non confundar. fl.4.n.70
100. Super ſenes intellexi: fl.32.n.46
120. Confige timore tuo carnes meas: fl.31. n.16
144. Intellectum da mihi,& vivam.fl.32.n.46
147. Prævenì in maturitate,& clamavi: fl.20 n.20
176. Erravi, ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum, fl.2.n.30
Pſ.119. 2. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. fl.4.n.46
5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: fl 37.n.39
Pſ.125.2. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione fl.26.n.26
6. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. fl.23. n.21
Pſ.126.5. Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis, fl.10.n 37
Pſ.129. 6. A cuſtodia maturina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino. fl.31.n.36
Pſ.138.17. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. fl.11.n.11
Pſ.140.2. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: fl.28.n.35
3. Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labiis meis.fl.13.n.59
9. Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi & à ſcandalis operantium iniquitatem. ib.
Pſ.141.2. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum: fl.3. n.55
3. Effundo in conſpectu ejus orationem meam, fl 3.n.55
8. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti, donec retribuas mihi. fl.37.n.23
Pſ.142.1. Quando perſequebatur eum Abſalòn. filius ejus. fl.1 n.27
3. Perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam. Collocavit me in obſcuris ſicut mortuo ſæculi: ib.
Pſ.147.12. Lauda Jeruſalem Dominum: fl.18. n.81
14. Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te, ib.

PROVERBIA.

C.2.10. Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. fl.4. n.20. fl.18. n.39
11. Si dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, fl.13.n.57
15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. ib.
16. Pedes enim illorum ad malum currunt,& feſtinant ut effundant ſanguinem. fl 13.n. 57. fl.20.n 65
C.2.3. Si enim ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ. fl 1.n.53
4. Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: ib.& fl.38.n.25
5. Tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies: fl.38.n.25
6. Quia Dominus dat ſapientiam: & ex ore ejus prudentia, & ſcientia. ib. & n.23
14. Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: fl.20.n.42
15. Quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum. ib.
C.3.3. Miſericordia & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, fl.36.n.53
9. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: fl.14.n.42. fl.16.n 66
10. Et implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. fl.14.n. 42
C.4.19. Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi cotruant. fl.15.n.25
20. Fili mi, auſcultà ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. ib. n.27
21. Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: ib.
C.5.15. Bibe aquam in ciſterna tua, & fluenta putei tui: fl.36.n.31
16. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. ib.
C.6.6. Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam: fl.3n.17. fl.28.n.15.n.53
11. Et veniet tibi quaſi viator, egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus. fl.6.n.49
C.9.1. Sapientia ædificavit ſibi domum excidit columnas ſeptem. fl.15.
3. Miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis: ib.
4. Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: ib.
5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum &c. fl.15.n.53
6. Relinquite infantiam,& vivite,& ambulate

per vias prudentiæ. ib.
7. Qui erudit derisionem, ipse iujuriam sibi facit: fl. 10.n.20
C.11.14. Salus autem, ubi multa consilia. fl.34. n.7.
18. Seminanti autem justitiam merces fidelis. fl.14.n.60.
C.12.16. Fatuus statim indicat iram suam: fl. 26.n.58
C.14.21. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. fl.31.n.52
C.15.1. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. fl.27.n.27
5. Cogitationes autem impiorum eradicabuntur. fl.10.n.46
C.16.10. Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. fl.17.n.15
14. Indignatio regis, nuntii mortis: fl.27.n. 24. fl.40.n.56
C.19.7. Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo. fl.30 n.15
28. Os impiorum devorat iniquitatem. fl.14. n.12
C.21.28. Vir obediens loquetur victoriam. fl.1. n.21
C.23.1. Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appositа sunt ante faciem tuam: fl.2.n.58. fl.18.n.21. fl.25.n.24
2 Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ibid.
5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum. fl.9. n.44
C.24.25. Qui arguunt eum, laudabuntur: fl.20. n.20
C.25.12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem fl.13 n.19
C.26.13. Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus: fl.3.n.23
14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo ib.
C.27.3 Grave est saxum, & onerosa a rena: sed ira stulti utroque gravior. fl.26.n.58
7. Anima saturata calceabit favum: fl.2 n.28.
9. Unguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur. fl.13.n.17
21. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. fl.32.n.25
C.28.3. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. fl.7.n.61. fl.30.n.41
27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam, fl.9. n.47.fl 30. n.13
C.29.5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. fl.30.n.25.
9. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. fl.8.n.38
15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.fl.1.n.8. fl.17 n.39
C.30.1. Verba congregantis filii Vomentis. fl. 32.n.48
2. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. ib.
8. Vanitatem & verba mendacia longè fac à me. fl 4.n.26. fl.6.n.61
Ib. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: fl.25.n.20
9. Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? fl.6.n.61
16. Ignis verò nunquam dicit: Sufficit. fl.36. n.47
18. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: fl.37.n.19
19. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia. ib.
C.31.1. Erudivit eum mater sua. fl.21.n.45

ECLESIASTES.

C.1.12. Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Jerusalem, fl.21.n.45.
13. Et proposui in animo quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. ib.
15. Stultorum infinitus est numerus. fl.13.n.51
16. Et præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici. fl.28. n.61
17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, fl.28.n.61. fl.32.n.47
C.2.9. Sapientia quoque perseveravit mecum. fl.16.n.70
10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate fruetur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. ib. & fl.28.n.45
11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, nihil permanere sub sole. fl.16.n.63.& 64 fl.16.n.70
C.4.4. Contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est. fl.6 n.39
C.7.18. Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. fl. 9.n.54
39. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. fl.15.n.3
C.9.15. Inventus est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. fl.21.n.27.
C.10.10. Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia. fl.38.n.53
11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. fl.24. n.41
16. Væ tibi terra, cujus rex puer est, fl.17.n.11
18. In pigritiis humiliabitur contignatio, fl. 17.n.11

C.11.9. Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum : & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium fl.25.n.14

C.12.1. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & apropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent : fl.21.n.13

CANTICA.

C.1.2. Adoleſcentulæ dilexerunt te. fl.10.n.10
3. Trahe me : poſt te curremus &c. ib.
4. Nigra ſum, ſed formoſa, filia Jeruſalem, fl.20.n.38
5. Poſuerunt me cuſtodem in vineis : vineam meam non cuſtodivi. fl.22.n.34
6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam &c. fl.19.n.23. & n.108
7. Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, fl.19. n.108. fl.20.n.38
12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter nbera mea commorabitur. fl.10.n.108
14 Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. fl.19.n.13. & n.108

C.2.2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. fl.13.n.39
8. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles : ib.n.43
10. En dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. fl.16.n.59
12. Flores aparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit : vox turturis audita eſt in terra noſtra : fl.35.n.26
13. Ficus protulit groſſos ſuos : vineæ florentes dederunt odorem ſuum. fl.35.n.26

C.3.3. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea, vidiſtis ? fl.19.n.37
5. Adjuro vos filiæ Jeruſalem, per capreas, cervosque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. fl.35.n.38
6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. ib.
11. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, fl.33. n.49

C.4.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. fl.19.n.21
8. Veni de Libano ſponſa mea, veni de libano, veni : coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de monribus pardorum. ib.n.31.fl. 16.n.59
13 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. fl.19.n.19. & n.25
13. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. ib.n.25

C.5.1. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. fl.18.n.101
2. Ego dormio, & cor meum vigilat : vox dilecti mei pulſantis : Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum eſt rore, & cincini mei guttis noctium. fl.18.n.101 fl.19.n.31. fl.40.n.38
3. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? fl.18.n.101
4. Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus. fl.5. n.15. fl.31.n.40
5. Manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. fl.5.n.15
6. Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat, atque tranſierat. fl.40. n.38
8. Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. fl.19.n.37
9. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulchertima mulierum ? fl.20.n.38.fl.21.n.33
14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthiis fl.16.n.13
17. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum ? quò declinavit dilectus tuus ? & quæremus eum tecum. ibid.

C.6.1. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum &c. fl.21.n.33
4. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. fl.20.n.52
9. Quæ eſt iſta, quæ progidietur quaſi aurora conſurgens, &c. fl.19.n.15

C.7.1. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis ! fl.20.n.52
2. Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis. fl.19.n.48
4. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. fl.32.n.36
8. Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus : fl.33.n.31

SAPIENTIA.

C.1.5. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate. fl.14.n.12
11. Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, fl.4.n.54

C.2.1. Cogitantes apud ſe non rectè : fl.21.n.19
Ib. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, fl.22.n.19
6. Venite ergo, fruamur bonis quæ ſunt, & utamur cratura tanquam in juventute celeriter. fl.21.n.19
7. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus : & non prætereat nos flos temporis. fl.22.n.19
8. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant : nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. fl.22.n.19
21. Hæc cogitaverunt, & erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. ib.

C.4.1. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate : fl.29.n.43
2. Et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. ib.

C.5.3. Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes,

&c

& præ anguſtia ſpiritus gementes: fl.24. n.66

Ib. Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. fl. 20.n.22

4. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ib. & fl.1.n.56. fl.24.n.66

6. Ergo erravimus à via veritatis, fl.24.n.66

7. Ambulavimus vias difficiles, fl.20.n.3

8. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? fl.6. n.55

C.6.13. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. fl.21.n.8

14. Prævocupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. ib.

C.10.1. Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, fl 33.n.29

13. Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum: deſcenditque cum illo in foveam, fl.13.n.25

14. Et in vinculis non dereliquit illum, ib.

C.11.11. Illos autem tamquam durus rex interrogans condemnaſti. fl.28.n.33

24. Sed miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam: ib.

C.15.2. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: & ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati. fl.31.n.44

C.16.21. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebat: & deſerviens unioſcujusque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur. fl.18.n.31

29. Ingrati enim ſpes tamquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tamquam aqua ſupervacua. fl.26.n.38

C.17.2. Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fl.3.n.55

5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, ib.

ECLESIASTICUS.

C.1.16. Initium ſapientiæ, timor Domini, fl.26. n.28

20. Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, ib.

C.2.14. Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. fl.23.n.33

15. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo: ib.

C.3.20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: fl.1. n.25

21. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. ib.

C.4.35. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos. & opprimens ſubjectos tibi. fl 17.n 16

C.6.10. Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit &c. fl.18.n.20

13. Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende. fl 30.n.27

14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum invenit theſaurum. ib.

15. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. ib. n.23. & n.47

16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum. fl 30.n.23

36. Si videris ſenſatum, evigila ad eum & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. fl. 38. n.57

37. Cogitatum tuum in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. ib.

C.7.4. Noli quærere à domino ducatum, neque à rege cathedram honoris. fl.20.n.32

31. In tota anima iua time Dominum, fl.31. n.16

C.10.9. Quid ſuperbit terra & cinis? fl.6.n.57. fl.38.n.11

10. Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet. fl.6.n.57

15. Initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. fl.20.n.44

16. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, ib.

17. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. fl.40.n.27

18. Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. fl.39.n.55

26. Noli deſpicere hominem juſtum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem fl.20.n.49

31. Fili in manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum. ib. n.32

32. Peccantem in animam ſuam quis juſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam? fl.20.n.46. fl.35.n.48

C. 12.10. Non credas inimico tuo in æternum: fl.18.n.18

C.13.4. Dives injuſtè egit fremet: pauper autem læſus tacebit. fl.36.n.43

19. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi. fl.13.n.51

20. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimilis ſui ſociabitur. ib.

C.14.17. Ante obitum tuum operare juſtitiam: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum. fl.39.n.51

C.15.9. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: fl.4.n.42

C.18.25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatem paupertatis in die divitiarum. fl.6.n.47

26. A manè uſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei ibid.

C.20.17. Fatuo non erit amicus, fl.13.n.51

C.24.5. Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. fl 19.n 27

42. Rigabo hortum meum plantationum, fl.32.n.32

C.25.3. Tres ſpecies odivit anima mea, & aggravor valdè animæ illorum: fl.4.n.34

4. Pauperem ſuperbum: divitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum. ib.

C.47.12. Stul

C.27.12. Stultus ſicut luna mutatur. fl.38.n.33
C.28.14. Si ſuſſlaveris in ſcintillam, quaſi ignis exardebit: & ſi expueris ſuper illam, extinguetur: fl.27.n.50
C.29 13. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: fl.3.n 27
C.30.7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, fl.17.n.37
C.31.24. Somnus ſanitatis in homine parco dormiet uſque manè, & anima illius cum ipſo delectabitur. fl.2.n.24
36. Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. fl.18.n.95
37. Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus. ib.
C.34.16. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: fl.26.n.23
C.38.20. Et ſubſtantia inopis ſecundùm cor ejus fl.6.n.67
C.39.16. Adhuc conſiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus ſum. fl.38.n.33
C.40.13. Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur, fl.3.n.45.fl.7.n.61
C.42.12. Omni homini noli intendere in ſpecie: & in medio mulierum noli commorari: fl.25.n.14
C.44.1. Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. fl.15.n.9
C.46.1. Qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, fl.33.n.19
C.47.21. Et inclinaſti femora tua mulieribus: poteſtatem habuiſti in corpore tuo, fl.2. num.42
27. Et dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo, gentis ſtultitiam, fl.28.n.61
28. Et imminutum à prudentia, Roboam, ib.
C.50.5. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus eſt gloriam in converſatione gentis: & ingreſſum domus & atrii amplificavit. fl.33.n.19
C.51.38. Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo. fl.9.n.54

ISAIAS

C.1.2. Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. fl.36.n.13
23. Pupillo non judicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. ib.
24. Propter hoc ait Dominus Deus exercitum fortis Iſraël: Heu, coſolabor ſuper hoſtibus meis, ib.
30. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua. fl.14. num. 56
31. Et erit fortitudo veſtra, ut favilla ſtuppæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur utrumque ſimul, & non erit qui extinguat. fl.14.n.56.
C.3.4. Et dabo pueros principes eorum, fl.28. n.57
C.6.3. Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. fl.28.n.37
5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, fl.18.n.13.&.n.15
6. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. fl.18.n.13 fl.19.n.58
7. Et tetigit os meum, 19.n.58
Ib. Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. ib.
8. Ecce ego, mitte me. fl.38.n.17
10 Oculos ejus claude: fl.25.n.16
C.9.6. Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: fl.33.n.35
Ib. Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, fl.11.n.7
7. Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitia, à modò & uſque in ſempiternum: fl.33.n.35
20. Et declinabit ad dexteram, & eſuriet: & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur: fl.12.num.9
C.11.1. Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. fl.19. n.41
2. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, fl.10.n.34
3. Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet: ib.
C.14.4. Sumes parabolam iſtam contra regem Babilonis, & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum? fl.39.n.31
9. Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum. ib.
10. Univerſi reſpondebunt, & dicent tibi Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. ib.
32. Dominus fundavit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi ejus. fl.12. n.13
C.23.4. Non parturivi, non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. fl.19.n.68
C.24.8. Ceſſavit guadium tymphanorum, quievit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. fl.25.n.12.
11. Deſerta eſt omnis lætitia: tranſlatum eſt gaudium terræ. fl.19.n.78
12. Relicta eſt in urbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas. ib.
13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: ib.
C.25.8. Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, fl. 22.n.15
C.26.2. Aperite portas, & ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem. fl.11.n.23
17. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua Domine num.46
C.32.16. Et habitabit in ſolitudine judicium, & juſtitia in Charmel ſedebit. fl.16.n.23
17. Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum. ib.
18. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, ib.
C.36.5. Super quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? fl. 10 n.29
6. Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægiptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus & perforabit eam: ſic Pharao rex

Ægypti omnibus, qui confidunt in eo. ib.
C.38.3. Flevit Ezechias fletu magno. fl.22. n.17
12. Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum. fl. 23.n.41
Ib. Præcisa est velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: fl. 22. num. 17
13. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic &c. fl.31.n.56
C. 39.7. Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatis regis Babylonis. fl.23.n. 41
8. Et dixit: Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis. ib
C 40.3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri fl. 11.n 23
8. Verbum autem Domini nostri manet in æternum. fl. 26.n.22
21. Numquid non annuntiatum est vobis ab initio? fl. 7.n.49
C.41.17 Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos. fl.29.n.19
18 Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ib
C.42.2 Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. fl.1.n.45
C.44.22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: fl.18.n.15
C.45.1. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem ejus Gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo januas, portæ non claudentur. fl.39.n.23
4. Assimiliavi te, & non cognovisti me. ibid.
5. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognovisti me: ib.
C.46.8. Mementote istud, & confundamini: redite prævaricatores ad cor. fl. 14. num. 22
C.47.10 Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te. fl.2.n.30
11. Veniet super te malum, & nescies ortum ejus: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: ib.
C.49.18. Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. fl.3.n.59.
C.50.6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. fl.4.n.84
7. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar. ib.
11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. fl.25 n.46
C.51.13. Et oblitus est Domini factoris tui, fl. 24.n.30. fl.25. n.46
14. Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, ib.
C.52.2. Excutere de pulvere, consurge; sede Jerusalem: solve vincula colli tui captiva filia Sion. fl.5 n.21.
7. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, fl. 11. n.33
C.53.9. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: fl. 15.n.63
C.55.1. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emitte, & comedite: venite emite absque argento, fl 11.n.19
C.57.1. Justus perit, & non est qui recogitet in corde suo: fl.37.n.29
2. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua ib.
C.58.1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, fl. 1. n.45. fl.24. n.36. fl.38. n.17. & n.43
Ib. Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. fl.24 n.36
2. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt. fl.3.n.19 fl.21 num 35
7. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum, fl.7.n.33.
8. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, fl.38.n.17
9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, fl.7.n.7
11. Eris quasi hortus irriguus, fl.19. n.25
12. Et ædificabuntur in te deserta sæculorum fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. fl.1.n.23.
C.59.17. Indutus est vestimentis ultionis, fl. 2. num.64
19 Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui ab ortu solis, gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit: fl. 26 n.46
C.65.19. Et exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: fl.14.n.32

IEREMIAS.

C.1.6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. fl.1.n.55 fl.38.n.9. & n.41
7. Noli dicere: Puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandavero tibi, loquêris. fl. 38.n.41. & n.9.
9. Ecce dedi verba mea in ore tuo: fl.1.n.55
17. Ne formides &c. fl.38.n.42
C.2.13. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, fl. 9. num.60

22. Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. fl. 31. n. 54. fl. 32. n. 34

24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eam. fl. 32. n. 34

26. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël, ipsi & reges eorum, principes, & sacerdotes, & prophetæ eorum, fl. 4. n. 72

C. 3. 4 Ergo saltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: fl. 31. n. 54

5. Numquid irascetis in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti. ib.

20. Sed quomodo si comtemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël, dicit Dominus fl. 34. n. 30.

21. Vox in viis audita est, ploratus & ululatus filiorum Israël: Quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. ib.

C. 4. 14. Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? fl. 32. n. 34

18. Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. fl. 12. n. 11

22. Sapientes sunt ut faciant mala, fl. 21. n. 46.

C. 6. 16. Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. fl. 14. n. 20

24. Audivimns famam ejus dissolutæ sunt manus nostræ tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. ib.

C. 7. 8. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; fl. num. 31

9. Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis. ib. & fl. 10. n. 31

10. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas. ibid.

11. Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? fl. 10. n. 31

12. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël: fl. 1. n. 47

16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, fl 2. num. 54.

Ib. Et non obsistas mihi: quia non exaudiam te. ib.

19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus; nonne semetipsos in confusionem vultus sui? ib.

24. Abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis mali: fl. 1. n. 31

C. 8 10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus: quia à minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: fl. 9. n. 18

C. 15. 13. Divitias tuas & thesauros in direptionem dabo gratis, fl. 7. n. 57

17. Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. ib.

C. 17. 11. Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, fl. 6. n. 65

C. 18. 12. Qui dixerunt: Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. fl. 3. n. 41

C. 20. 7. Seduxisti me Domine,, & seductus sum: fortior me fuisti, & invaluisti: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. fl. 20. n. 28

9. Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius: ib.

Ib. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens. ib.

C. 22. 13. Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cenacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei. fl. 36. n. 15

18. Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Iuda: Non plaugent eum: Væ frater & væ sorror: non concrepabunt ei: Væ Domine, & væ inclyte. ib.

25. Et in manu Nabuchodonosor Babilonis, fl. 33. n. 55

30. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: ib.

C. 23. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit rex, fl. 33. n. 35

C. 50. 2. Dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum. fl. 4. n. 68

THRENI.

C. 1. 2. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: fl. 19. n. 76.

Ib. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. fl. 14. n. 24

C. 3. 18. Et dixi: Periit finis meus, fl. 19. n. 76

19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis. ib. n. 80

20. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. ib.

51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. ib.

EZECHIEL.

C. 3. 1. Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. fl. n 38. 45.

2. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo: ib.

C. 12. 22. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israël, dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio? fl. 14. n. 54

23. Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam proverbium istud: neque vulgò dicetur ultra in Israël: ib.

C. 16. 33. Dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. fl. 24. n. 10.

38. Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli. ib.

C.17.5. Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine ut firmaret radicem ſuper aquas multas: in ſuperficie poſuit illud. fl.,7.n.53

C.18.7. Panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento: fl.7 n.31

C. 8.5. In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem: & elevatum eſt cor tuum in robore tuo. fl.22 n.39

11. Fili hominis leva planctum ſuper regem Tyri: ib

23. Et immittam ei peſtilentiam, & ſanguinem in plateis ejus: ib.

C.19.6. Pro eo quòd fuiſti baculus arundineus domui Iſraël. fl.10.n.29

7. Laceraſti omnem humerum eorum: & innitentibus eis ſuper te comminutus es, ib.27

C.36.1. Tu autem fili hominis propheta ſuper montes Iſraël, & dices: Montes Iſraël audite verbum Domini: fl.16.n.43

C.37. 3. Neque polluentur ultra in idolis ſuis, & abominationibus ſuis, & cunctis iniquitatibus ſuis: & ſalvos eos faciam de univerſis ſedibus, in quibus peccaverunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. fl.5.n.31

24 Et ſervus meus David rex ſuper eos, fl. 16.n.43

25. David ſervus meus princeps eorum in perpetuum. fl.26.n.22

C.47.5. Et menſus eſt mille, torrentem, quem non potui pertranſire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari. fl.6.n.71

6. Et dixit ad me: Certè vidiſti fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis. ib.

DANIEL.

C.1.3. Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio & tyrannorum, fl.15.n.53

4. Ut doceret eos litteras, ib.

8. Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit Eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur. ib

10. Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coævis veſtris, condemnabitis caput meum regi. fl.20.n.58

C.2.14. Tunc Daniel requiſivit de lege atque ſententia, ab Arioch principe militiæ regis, fl.2.n.62.

15. Cum ergo rem indicaſſet Arioch Danieli, ib

16. Daniel ingreſſus rogavit regem, ut tempus daret ſibi ad ſolutionem indicandam regi. ib

30. Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me plus quam in cunctis viventibus, ſacramentum hoc revelatum eſt: fl.22.n.53

38. Tu es ergo caput aureum fl.33.n.59

39. Et poſt te conſurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ terræ. ib.

40. Et regnum quartum erit velut ferrum. fl. 33.n.59

42. Et digitos pedum ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidũ, & ex parte contritum. ib.

46. Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem, & Danielem adoravit, & hoſtias & incenſum præcepit ut ſacrificarent ei. fl.40. num.51

C.3.22. Porro viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. fl.29. n.47

49. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus, in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, fl.18.n.13. fl 30.n.33.

50. Et fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, fl.30 n.33

91. Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit, fl. 29.n.47

92. Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. fl.29. n.47. fl. 30. n.33

93. Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſervi Dei excelſi, egredimini, & venite. fl.40.n.15

C.4.10. Et ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit. fl.38.n.15

11. Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus: fl.28.n.51. fl.38.n.15

12, Veruntamen germen radicum ejus in terra ſinite, fl.28.n.51

22. Donec ſcias quòd dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud. fl.29.n.49. fl.36.n.21

24. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis. fl. 7.n.26. fl. 36.n.21. fl.38.n.15

26. Poſt finem menſium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. fl.29. n.49

27. Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ fl.29.n.51

28. Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex Regnum tuum tranſibit à te, ib

30. Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abjectus eſt, ib

C.5.6. Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. fl.26.n.20

17. Ad quæ reſpondens Daniel, ait coram rege: Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da. fl.15.n.69

22. Tu quoque filius ejus Baltaſſar, non humiliaſti cor tuum, cum ſcires hæc omnia: fl.29. n.51

29. Tunc jubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo ejus: & prædicatum eſt de eo quòd haberet poteſtatem tertius in regno ſuo. fl.40.n.19

C.6.2. Principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut ſatrapæ illis redderent rationem, & rex non ſuſtineret moleſtiam. fl.40.n.9

3. Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas: quia ſpiritus Dei amplior erat in illo. ibid.

4. Eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inveniretur in eo. ib.
Ib. Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: unde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem ut invenirent Danieli ex latere regis: fl.24.n.58. fl.40.n.19
10. Feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua: & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, fl.15.n.24
12 Quod prævaricari non licet. fl.31.n.32
18. Et abiit rex in domum ſuam, & dormivit incænatus, cibique non ſunt allati coram eo, inſuper & ſomnus receſſit ab eo. ib.
19. Tunc rex primo diluculo conſurgens, feſtinus ad lacum leonum perrexit. ib.
20. Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus eſt eum: Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putasne valuit te liberare à leonibus? fl.40.n.19
22. Deus meus miſit Angelum ſuum, & conclusit ora leonum, fl.10.n.39
C.7.9. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accenſus. fl.32.n.15
C.8.5. Sine manu conteretur. fl.37.n.27
C.10.11. Daniel vir deſideriorum, fl.10.n.39
12. Noli metuere Daniel: ib.
17. Et quomodo poterit ſervus Domini mei loqui cum Domino meo? ib.
19. Noli timere vir deſideriorum: pax tibi: confortare, & eſto robuſtus fl.10.n.39
20. Et ait: Numquid ſcis quare venerim ad te? & nunc revertar ut prælier adverſum principem Perſarum. fl.30.n.33
C.12.10. Eligentur & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi: fl.32.n.16
C.12.4. Ad ipſum confluebant Judæi, eò quòd eſſet honorabilior omnium. fl.40.n.32
22. Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi undiqne: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. fl.32 n.18
27. Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſervi vehementer: quia numquam dictus fuerat ſermo hujuscemodi de Suſanna. fl.14.n.46. fl.40.n.32
33. Flebant igitur ſui, & omnes qui noverant eam. fl.40.n.32
42. Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, fl.34. n.38
43. Tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt adverſum me. ib.
46. Mundus ego ſum à ſanguine hujus. fl.39. n.43
50. Dixerunt ei ſenes: Veni, & ſede in medio noſtrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. fl.40.n.11
C.14.3. Rex quoque colebat eum, & ibat per ſingulos dies adorare eum: fl.39.n.43
24. Dominum Deum meum adoro: quia ipſe eſt Deus vivens: iſte autem non eſt Deus vivens. fl.14.n.50
28. Dixerunt cum veniſſent a regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. fl.31.n.3
29. Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehementer: & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem. ib. & fl.40.n.25
36. Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel ſerve Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. fl.36.n.23. & n.51
37. Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. fl.36.n.51
39. Venit ergo rex die ſeptimo ut lugeret Danielem: & venit ad lacum, fl.31.n.32

OSEA.

C.8.1. In gutture tuo ſit tuba, &c. fl.38.n.43
C.9.16. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſicata eſt: fructum nequaquam facient. fl.35.n.55
C.10.5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit ſuper eum populus ejus, & æditui ejus ſuper eum exultaverunt in gloria ejus quia migravit ab eo. fl.1.n.33
6. Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi ultori: confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua. ib.
7. Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ. ib.
C.12.1. Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat. fl.10.n.35
4. Et invaluit ad Angelum, & confortatus eſt: flevit, & rogavit eum: fl.32.n.30

AMOS.

C.5.12. Quia cognovi multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra: fl.36.n.15
16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere. fl.25.n.32. fl.36.n.15
17. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus. fl.36.n.15
C.6.3. Qui ſeparati eſtis in diem malum: fl.24. n.62

ABDIAS.

C.un.2. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valdè. fl.29.n.60
4. Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. ib.

JONAS.

C.1.15. Et tulerunt Jonam, & miſerunt in mare: & ſtetit mare à fervore ſuo fl.14.n.16
C.2.5. Et ego dixi: Abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum. fl.31.n.46
7. Sublevabis de corruptioe vitam meam, Domine Deus meus. fl.27.n.14
C.3.7. Et clamavit & dixit in Ninive ex ore regis & principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, & peccora non guſtent

quidquam : nec paſcantur, & aquam non bibant. fl.2.n.12

C.4.4. Putasne bene iraſceris tu ? fl.27.n.14

9. Putasne bene iraſceris tu ſuper hedera ? Et dixit : Bene iraſcor ego uſque ad mortem. ib.

10. Tu doles ſuper hed eram, in qua laboraſti, neque feciſti ut creſceret : quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit. fl. 24.n.24.

11. Et ego non parcã Ninivi civitati magnæ, ibid.

MICHÆAS.

C.6.10. Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, fl.6.n.29

HABACUC.

C.2.5. Qui dilatavit quaſi infernus animã ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimpletur : & congregabit ad ſe omnes gentes, fl.3.n.47

9. Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ib.n.43

SOPHONIAS.

C.3.11. In die illa non confundêris ſuper cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adjicies exaltari amplius in monte ſancto meo. fl.9.n.26

AGGÆUS.

C.1.6. Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum. fl.16.n.68

9. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus : & intuliſtis in domum, & exufflavi illud : ib.

ZACHARIAS.

C 4.7. Educet lapidem primarium, & exequabit gratiam gratiæ ejus. fl.19.n.12

C.8.5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis, fl.22.n.46

12. Vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum : fl.14.n.42

C.9.16. Lapides ſancti elevabuntur ſuper terram ejus. fl.3.n.51

C.12.12. Et planget terra : familiæ & familiæ ſeorſum, familiæ domus David ſeorſum,& mulieres eorum ſeorſum : ib.

MALACHIAS.

C.4.2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus : fl.18.

n .93

I. *MACHABÆORUM.*

C.2.28. Et fugit ipſe, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque hebebant in civitate. fl.15.n.43

II. *MACHABÆORUM.*

C.7.9. Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis : fl.29.n.36

39. Tunc rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudeliùs deſævit, indignè ferens ſe deriſum. ib.n.37

C.9.4. Superbè locutus eſt ſe venturum Jeroſolymam, & congeriem ſepulchri Judæorum eam facturum. fl.37.n.17

MATTHÆUS.

C.2.9. Supra, ubi erat puer. fl.28.n.23

13. Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : Surge & accipe puerum, & matrem ejus & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dicam tibi. fl.32.n.10

16. Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè, & mittens occidit omnes pueros, fl.34.n.50.fl.40.n.52

C.3.7. Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira ? fl.11.n.24

9. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. fl.32.n.44

10. Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur,& in ignem mittetur. fl.14.n.28

15. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei : Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. fl.16.n.45

16. Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe. fl.11.n. 15. fl.19.n.39

17. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. fl. 19.n.39. fl.38.n.49

C.4.3. Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. fl.16.n.14. fl.38.n 49

11. Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. fl.11.n.15

19. Et ait illis : Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. fl.1.n.29. fl.9. n.40

21. Et procedens inde, vidit alios fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos. fl.10.n.25

C.5.44. Benefacite his qui oderunt vos : & orate pro perſequentibus,& calumniantibus vos: fl.29.n.28

45. Ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt : qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos : & pluit ſuper juſtos & injuſtos. ib.

C.6.3. Te autem faciente eleemoſinam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua : fl.36. n.59. fl.38.n.51

6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito : fl.15.n.24

C.7.17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. fl.33. n.39

18. Non poteſt arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. ib.

C 8.19. Et accedẽs unus ſcriba, ait illi: Magiſter,

ſequa

te, quocumque ietis. fl.3.n.21
24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operietur fluctibus, ipse vero dormiebat. fl.23.n.37
26. Quid timidi estis modicæ fidei? fl.13.n.32
C.9.6. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralitico: Surge, fl.3.n.29
9. Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens, secutus est eum. fl.32.n.24. fl.36. n.37
10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. fl.32.n.24
12. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. fl.4.n.60
15. Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt. fl.16.n.41
29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: secundùm fidem vestram fiat vobis. fl.26 n.12
37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. fl.15.n.59
38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. ib.
C.10.10. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: fl.22. n.47. fl.32.n.20
12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes Pax huic domui. fl:11.n.35
13. Et si quidem fuerit illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. ib
14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. fl.22.n.47
16. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. ib. n.48. fl.27. n.54
28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. fl.31.n.14
29. Nonne duo passeres asse væneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? fl.28.n.41
41. Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. fl.14.n.40
C.11.3. Tu es, pui venturus es, an alium expectamus? fl.11.n.21
7. Quid existis in desertum videre? fl.21.n.49
8. Quid existis videre? ib.
9. Sed quid existis videre? ib.
19. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis. fl.13. n.55
29. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: fl.19.n.38
C.12.15. Curavit eos omnes: fl.1.n.47
17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam propheram, dicentem: ib.
18. Ecce puer meus, quem elegi, fl.1.n.45
19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: ib.
C.13.44. Præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. fl.18. n.65
48. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. fl.24.n.62
C.14.1. Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu: fl.37.n.21
2. Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. ib.
28. Domine, si tu es, jube me ad te venire super apuas. fl.23.n.45
29. Et ipse ait: Veni. & descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. ib.
32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. fl.29.n.25
C.15.12. Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? fl.12.n.53. fl.39.n.37
14. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. fl.11.n.27
15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edisce nobis parabolam istam. fl.10.n.8. fl. 12.n.23
16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? fl.12.n.34
23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimite eam: quia clamat post nos. fl.20.n.30. fl.34.n.60
26. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. fl.12.n.31
27. Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. ib.
28. O mulier, magna est fides tua: ib.
C.16.17. Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non relevabit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. fl.38.n.21. fl.40. n.50
18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, fl.15.n.29. & n.35. fl.38.n.21
19. Tibi dabo claves regni cœlorum. & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumpue solveris super terram, erit solutum & in cœlis. fl.1.n.18. fl.9.n.28. fl.15.n.35
22. Absit à te, Domine: non erit tibi hoc. 12.n.26. fl.37. n.41
23. Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. fl.8.n.34. fl.12.n.26. fl.26. n.22. fl.31.n.26
24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. fl.13.n.41
C.17.4. Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. fl.8.n.34
19. Propter incredulitatem vestram. fl.11.n.30
23. Magister vester non solvit didrachma? fl. 4.n.30 fl.12.n.53. fl.39.n.37
24. Etiam. fl.4.n.3
Ib. Prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? fl.39.n.37. & n.30
25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesu

Ergo

Ergo liberi ſunt filii. fl.39.n.39
26. Ut autem non ſcandalizemur eos, vade ad mare, fl.12.n.53
Ib. Eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te. fl.11.n.13.fl. 19.n.35. fl.33.n.14 fl.39.n.37
C.18.1. Quis, putas, major eſt in regno cœlorum? fl.12.n.33
3. Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. ib.
9. Bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, fl.5.n.49
10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt. fl.30.n 29
C.19.20. Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, fl.24.n.64
21. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, ſequere me. fl 36.n.37
25. Quis ergo poterit ſalvus eſſe? fl.4.n.4
26. Apud homines impoſſibile eſt: apud Deum poſſibilia ſunt, ib.
28. Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, fl.15.n.30. fl.38.n.27
C.20.1. Exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam. fl.1.n.18
6. Quid hîc ſtatis tota die otioſi? fl.3.n.11
9. Qui circa undecimam horam venerant, &c. ib.
10. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ſinguli ſingulos denarios. ib.
11. Et accipientes murmurabant adverſus patrem-familias, fl.3.n.11
22. Neſcitis quid petatis. fl.35.n.36
24. Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. fl.27.n.16
25. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: &c. ibid.
27. Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. ib.
28. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, fl.27.n.16
C.21.12. Cathedras vendentium columbas evertit: fl.29.n.65
13. Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. ib.
C.22.9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias, fl.7.n.57
15. Ut caperent eum in ſermone. fl.4.n.32
18. Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? ib.
C.23.1. Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, fl.12.n.51
3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: ib.
8. Vos autem nolite vocari Rabbi. unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem fratres eſtis. fl.17.n.35. fl.18.n.89
9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram. unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. fl.17.n.35
10. Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus. fl.12.n.51. fl.28.n.63
11. Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. fl.12.n.51
28. Vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. fl.4.n.32
33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? ib.
C.24.30. Tunc parebit ſignum filii hominis in cœlo: fl.28.n.17
C.25.5. Moram autem faciente ſponſo, fl.13.n.43
24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti: fl.3.n.27
25. Et timens, abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt. ib.
26. Serve male, & piger, ib.
34. Venite benedicti Patris mei, fl.36.n.45
35. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ib. n.57
40. Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. ib. & n.45. fl.8.n. 46. fl.19.n.35
42. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: fl.7.n.2
C.26.7. Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. fl.32.n.54.
8. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc? fl.24.n.44
9. Potuit enim iſtud vænumdari multo, & dari pauperibus. ib.
15. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? fl 18.n.23
22. Contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine? ib.n.91. fl.22.n.35
30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. fl.28.n.27
36. Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem. fl.10.n.17
37. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe. ib.
40. Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum? fl.2.n. 50. fl.5.n.37. & n.39
41. Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. fl.2.n.50. fl.10.n.17
43. Et venit iterum, & invenit eos dormientes: fl.5.n.37. fl.17.n.19
45. Dormite jam, & requieſcite: fl.5.n.39
50. Amice, ad quid veniſti? fl.3.n.35. fl.14. n.24
52. Converte gladium tuum in locum ſuum. fl.17.n.19. fl.31.n.42
53. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum? ibid.
64. Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti, verumtamen dico vobis, modò videbitis filium hominis ſedentem à dexteris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. fl.39.n.25
65. Tunc Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſ-

blaſphemiam : fl.19.n.23
70. Ne ſcio quid dicis.fl.22.n.55
75.Flevit amarè. fl.23.n.12
C. 27.3. Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſeniori-bus, fl 10.n. 49
4. Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.fl.6.n. 33.fl.n.22
14. Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.fl.21.n.29
19. Nihil tibi, & juſto illi; multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.fl 29 n.55
23. Ait illis præſes : Quid enim mali fecit? ib. n.23
24. Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis. fl.5.n.7 fl.27.n.24.fl,29.n.23
64. Ne fortè veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi : ſurrexit à mortuis. fl.4. n.36
C. 28.12. Congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, fl.4.n.36
13. Dicentes : Dicite quia diſcipulis ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. ib.
17. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam dicentem: fl.23.n.15
18. Vox in Rama audita eſt ploratus & ululatus multus : Rachel plorans filios ſuos, &c. ib.
19. Euntes ergo docete omnes gentes, fl.18. n.47.
20. Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis ib.

MARCUS.

C.1.24. Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene: veniſti perdere nos. ſcio qui ſis, ſanctus Dei.fl.4 n.50
25. Et comminatus eſt ei Ieſus, dicens : Obmuteſce, & exi de homine ib. & fl.26.n.12
C.4.24. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.fl.14.n.36
38. Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens : fl:33.n.43
Ib. Magiſter non ad te pertinet, quia perimus? fl. 31.n.46
40. Necdum habetis fidem ? ib.
C.5.30. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat : Quis tetigit veſtimenta mea ? fl.16.n.15
32. Circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. ib.
33.Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe venit & procedit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.ib.
39. Quid turbamini, & ploratis ? puella non eſt mortua, ſed dormit. fl.18.n.17
41. Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha cumi, quod eſt interpretatum : Puella (tibi dico) ſurge. ib n.17.
43. Dixit dari illi manducare. ib.
C.6.7. Et vocavit duodecim : & cœpit eos mittere binos, fl.9.n.38
9. Sed calceatos ſandaliis, fl.22.n.47
19. Herodias autem inſidiabatur illi : & volebat occidere eum, nec poterat.fl.40.n.52
20. Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libeter eum audiebat. ib.& fl.37.n.21.fl.17. n.47.fl.15.26
25. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.fl.16.n.10
30. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.fl.39.n.37
31. Ait illis : Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi : & nec ſpatium manducandi habebant. fl.23.n.13. fl.38.n.55
33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc : & prævenerunt eos.fl. 38.n.55
C.7.21. De corde hominum malæ cogitationes procedunt, fl.4.n.40
22. Nequitiæ, dolus, &c. ib.
33. Et apprehendens eũ de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus : fl.26.n.12
C.10.17. Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam ? fl.14.n.45.fl.33.n.37
18. Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus. ib.
20. At ille reſpondens, ait illi : Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute mea.fl.6.n.17
21. Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me. ib. & fl. 32.n.24
Ib. Ieſus autem intuitus eum dilexit eum, fl. 33.n.37
22. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens maltas poſſeſſiones.ib.
23. Quam difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt ? fl.6.n.19
26. Magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos : Et quis poteſt ſalvus fieri ? ib.
38. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? fl.13.n.41
C.11.30. Baptiſmus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus ? fl.21.n.51
C.14.4. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes : Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt ? fl.24.n.44
5. Poterat enim unguentum iſtud vænumdari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. ib.
6. Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? fl.36.n.49
C.15.32. Et qui cum eo crucifixi erant convitiabantur ei.ff.29.n.17
43. Audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſus. 4.n.28
46. Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone, fl.15.n.14. fl.32.n.54
47. Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph, aſpiciebant ubi poneretur. fl.28.n.29
C.16.7. Sed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, fl.30.n.31
8. Nemini quidquam dixerunt : timebant enim. ib.

LUCAS.

C.1.6. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes &c.fl. 29.n.50
15. Erit enim magnus corã Domino: fl.28.n.36
16. Et multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum: fl.29.n.33
17. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute

virtute Eliæ: ut convertat corda in partum filios,& in credulos ad prudetiã juſtorũ, ib
34. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? fl. 19.n.33
35. Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.ib.n.50
52. Depoſuit potentes de ſede, fl.40.n.27
68. Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemtionem plebis ſuæ: fl.19.n.44.fl.28.n.25
76. Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: fl.11.n.19
77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, ib. & fl 38.n.19
C.2.10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo:fl.38.n.47
11. Quia natus eſt vobis hodie ſalvator qui eſt Chriſtus Dominus,in civitate David.ib.
12. Invenietis infántem pannis involutum, fl.15.n.14
13. Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum,& dicentium: ib.n.49
14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. fl.28.n.37
18. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt:& de his,quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. fl. 36.n.17
47. Stupebam autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus. fl.38.n.31
49. Neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? fl.19.n.66
51. Deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.ib.
C.3.2. Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium, in deſerto.fl.9.n.42 fl.15.n.26
3. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum,ibid.
15 Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne,ne forte ipſe eſſet Chriſtus: fl.11.24
C.4.22. Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph? fl 38.n.31
24. Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. ib.
29. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorũ erat edificata,ut præcipitarent eum.ib.
41. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: fl.26.n.14
C.5.13.Et extendens manum, tetigit eum, dicens. Volo: mundare.fl.26.n.12
C.6.12. Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.fl.33.n.43.
30. Omni autem petenti te, tribue: fl.36.n.9
38. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.fl.14.n.34
C.7.13. Noli flere.fl.23 n.25
38. Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, fl. 21.n.41
39. Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, &c.fl.28.n.53
50. Dixit autem ad mulierem: fides tua te ſalvam fecit: vade in pace. fl.20.n.36
C.9.22. Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum,& ſcribis, & occidi.fl.27.n.18
23. Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.fl.1.n.14
24. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam ſuam propter me,ſalvam faciet illam. ib.
26. Nam qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris,& ſanctorum Angelorum.fl.12.n.19
31. Viſi in majeſtate: fl.15.n.45
32. Evigilantes viderunt majeſtatem ejus, fl. 25.n.50
33. Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ,neſciens quid diceret.fl 8.n.34.fl.22.n.55
34. Facta eſt nubes,& obumbravit eos:& timuerunt,intrantibus illis in nubẽ.fl 25.n.50
54. Dixerunt: Domine vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? fl. 12.n.28.fl.18.n.25.fl.27.n.18.fl.34.n.60.fl. 35.n.22
55. Et converſus increpavit illos,fl.12. n.28
Ib. Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.fl.34.n.60.fl. 27.n.18
56. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. ib.
C.10.3. Ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. 15.n.59
4. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, fl.36.n.49
16. Qui vos audit,me audit: & qui vos ſpernit.fl.36.n.49
19. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes,& ſcorpiones,& ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit fl.10.n.12
20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſũt in cœlis.ib.
21. In ipſa hora exultavit ſpiritu ſancto, & dixit:Confiteor tibipater, Domine cœli & terræ,quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.fl.23.n.45
C.11.15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit demonia fl.16.n.49
21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea quæ poſſidet. fl.15.n.71
C.12.7.Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.fl.14.n.34
14. Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos? fl.24.n.14
15. Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt,ex his quæ poſſidet.ib
19. Et dicam animæ meæ: Anima,habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.fl.2.n.26.fl.22.n.19
20. Dixit autem illi Deus: ſtulte,hac nocte animam tuã repetunt à te:fl.22.n.19.fl.32.n.58
21. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. fl.2.n.25
37. Tranſiens miniſtrabit illis.fl.18.n.74

49. Ignem

49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? fl.28.n.55

C. 14.15. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.fl.3.n.57

Ib. Pauperes, ac debiles, & claudos introduc huc.fl.7.n.57

23. Et ait Dominus servo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, fl.3.n.57

C.15.12. Dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.fl.35. n.30

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. fl.9.48.fl.25n.38

15. Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. fl.25n.38

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. fl.9.n.48

17. Dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo! ib. & fl.25.n.38

18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te: fl.25.n.38

23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: 6.n.35

24. Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, &c. ib.

25 Erat autem Filius ejus senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam & chorum: ib.

28. Indignatus est autem, nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. ib. & fl. 27.n.24

29. Ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hædum ut cũ amicis meis epularer: fl. n.35.fl.9.n.52.fl.18.n.53 fl.35.n.30

30. Sed postquam Filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.fl.6. n.35.fl 9.n.52.fl.18. n.53

31. Omnia mea tua sunt: fl. 6.n.41

C.16.8. Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. fl.21.n.46 fl. 22. n.36

9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. fl.13.n.52.fl.30.n.3

21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mẽsa divitis, & nemo illi dabat.fl.2.n.20

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. fl.30.n.35

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu ejus: 24.n.68

25. Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, fl.24.n.n.18

26. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ib.n.68

27. Rogo ergo te pater ut mittas eum in Domum patris mei.fl.13. num.33 fl.24.num. 38.fl.32.n.58

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.fl.28.n.38.fl.13.n.33.fl.32.n.58

29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & prophetas: audiant illos.fl.13.n.33

30. Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. fl.32.n.58

31. Si Moysen & prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. ib. & fl.24.n.38.fl.13.n.33

C.17.31. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retro. fl.20.n.50

32. Memores estote uxoris Lot. ib.

C.18.18. Magister bone, quid faciens vetam æternam possidebo? fl.13.n.47

19. Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.ib.

C.19.38. Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.fl.17.n.34.fl.29. n.59

39. Magister, increpa discipulos tuos. ib.

41. Videns civitatem flevit super illam, fl.16. n.37.fl 25.n.34

C.20.16. Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit. fl.29.n.59

C.22.17. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.fl.18.n.87

24 Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. ib. & fl.8. n.24

27. Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.fl.13.n.47

32. Ego autem rogovi pro te ut non deficiat fides tua: fl.3.n.29.fl.40.n.50

Ib. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. fl.9.n.42 fl.24.n.32

34. Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. fl.24.n.32

36. Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.fl.32.n.20

49. Domine, si percutimus in gladio? fl.35.n.22

50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. ib.

51. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. fl.26.n.12

54. Petrus verò sequebatur à longe.fl.35.n.20

61. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis: fl.25.n.34

62. Et egressus foras Petrus flevit amarè.fl.23. n.17. & n.19. & fl.25 n.34

C.23.4. Nihil invenio causæ in hoc homine.fl. 13.n.27

7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, ib.

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.fl.39.n. 25.fl.21.n.29

10. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum.fl.39.n25

12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. fl.13.n.27

34. Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. fl.33.n.34

43. Hodie mecum eris in paradiso. fl.37.n.43

50. Vir bonus & justus: fl.4.n.28

C.24.17. Qui sunt hi sermones, quos confertis

ad invicem ambulantes,& eſtis triſtes?fl.18. num.91.

21. Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël? fl.28. n. 69

31. Et aperti ſunt oculi eorum, ib.n.103

32. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & apperiret nobis Scripturas? ib.

41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit Habetis hîc aliquid, quod manducetur? fl.18.n.91

49. Et. ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto.fl.31.n.20

51. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. fl.12. n.27

52. Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno; ib.

IOANNES.

C.1.26. Ego baptizo in aqua: fl.21.n.51

36 Ecce Agnus Dei.fl.11.n.17

37. Et audierunt eum deo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum. ib.

41. Invenimus Meſſiam. fl.11.n.21

45. Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. ib.

C.2.1. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ib.fl.19.n.56

10. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. ib.

C.3.2. Hic venit ad Ieſum nocte, fl.26.n.42

C.4.14. Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons &c.fl.29.n.12

19. Domine, video quia Propheta es tu.fl.38. n.29

25. Scio quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. fl.11.n.17

26. Dicit ei Ieſus: Ego ſum qui loquor tecum. ib.

29. Nunquid ipſe eſt Chriſtus? ib.

31. Rabbi, manduca fl.32.n.40

32. Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. ib.

34. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. ib. & fl.23.n.13.

47. Rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: fl.28.n.53

49. Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus. ib.

50. Vade, filius tuus vivit. ib.

C.5.8. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.fl.22.n.33

11. Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.fl.20.n.36

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? fl.22.n.33

14. Dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. fl.7.n.35.fl.20.n.36

16. Propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato.fl.24.n.46

19. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed &c. fl.22.n.33

C.6.10. Facite homines diſcumbere. fl.36.n.25.

11 Diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. ib. n.33

13. Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant. ib.

15. Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.fl. 20.n.60.

71. Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? fl.13.n.29.& n.49

72. Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim. ib.n.29

C.7.37. In noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.fl.38.n.29

45. Venerunt ergo miniſtri ad pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? ib.

46. Reſponderunt miniſtri: Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.ib.& fl.29 n.21

C.8.40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, fl.12. n.43

48. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? fl.4.n.50.

50 Ego autem non quæro gloriam meam: fl. 37.n.31

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo. fl.27. n.32

C.9.24. Dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. fl. 4. n.62

25. Dixit ergo eis ille: ſi peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò video. ib.

28 Maledixerunt ergo ei, ib.

33. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam. fl.21.n.47

34 Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? ib. & fl.4.n.62

35. Cum inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? fl.4. n.62

36. Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum? ib.

37. Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. ib.

C.10.41 Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum. fl.29.n.33.fl. 37.n.21

C.11.11. Lazarus amicus noſter dormit: fl.11. num.17

13. Dixerat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitatione ſomni diceret. ib

21. Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus: fl.12.n.31

26. Credis hoc? ib.

27. Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. ib.

39. Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat

fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim. fl.1.n.41
51. Quòd Jeſus moriturus erat pro gente, fl. 29. n 23
52 Et non tantùm pro gente, ſed ut &c. ib.
C.12.3. Maria autem accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & extерſit pedes ejus capillis ſuis: fl.32.n. 54. fl.36.n.49
4. Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: fl.24 n.44
5. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis - ib.
10. Cogitaverunt autem principes ſacerdotũ, ut & Lazarum interficerent: fl.5.n.19
11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum. ib.
24. Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; fl.14.n.60. fl19.n.48
25. Ipſum ſolum manet. Si autem mortuum multum fructum affert. ibid.
26. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. fl.13.n.19
34. Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? fl.26.n.22
35. Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum, lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendãt: ibid.
46. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. fl.19 n.50
C.13.7. Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea. fl.27.n 16
12. Scitis quid fecerim vobis? fl.18.n.41
13. Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim. fl.13. n.47. fl.16. n.27.fl.33.n.37
14. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes. fl.16.n.27
15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. ibid.
21. Unus ex vobis tradet me. fl.18.n.55
26. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. fl.16.n.11
27. Et poſt buccellam, introivit in eum ſatanas. Et dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citiùs. fl.18.n.25
28. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei. ib.
30. Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuò. ib. n.23
31. Cum ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt filium hominis: fl.19.n.29
36. Domine, quò vadis? Reſpondit Jeſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequêris autem poſtea. fl.13.n.45. fl.29. n.35
C.14.3. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, fl.37.n.59
4. Et quò ego vado, ſcitis, & viam ſcitis. fl. 22.n.41
26. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, fl.40.n.50
28. Si diligeritis me, gauderitis utique, quia vado ad patrem: fl.18.n.35
C.15.1. Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. fl.33.n.39
2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum & omnem qui fert fructũ, purgabit eum, & fructum plus afferat. ib.
14. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. fl.13.n.11
15. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. ib.
16. Poſui vos ut eatis, & fructum &c. fl.38 n.40
C.16.5. Et nunc vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? fl 22.n.41
16. Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. fl.10 n.8
18. Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur. ib.
20. Triſtitia veſtra verteretur in gaudium. fl. 23.n.47
21. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerũ, jam non meminit preſſuræ propter gaudiũ, quia natus eſt homo in mundum. fl.14.n.20
22. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. fl.23.n.47
C.17.1. Pater venit hora, clarifica filium tuum, fl.37.n.31
13. loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. fl.25.n.54
24. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: fl.15.n.51
C.18.4. Sciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? fl.18.n.58
6. Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. fl.29.n. 21. & n.65
8. Si ergo me quæritis, ſinite hosabire. fl.19. n.37
11. Mitte gladium tuum in vaginam. fl.32. n.20
35. Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? fl.29.n.23
C.19.10. Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? fl.29.n.23
11. Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. ibid.
20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: fl. 35. n.58
21. Noli ſcribere, Rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum. ib.
25. Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, &c. fl.19.n.74
32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. fl.36. n.43
33. Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ib.
38. Rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathæa, (eò quòd eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu. fl.4 n.28

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. fl.16. n.39

42. Ibi ergo propter Paraſcevem Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum. ib.

C.20.15. Mulier, quid ploras? quem quæris? fl.23.n.25

17. Dicit ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, fl.25.n.52

19. Pax vobis. fl.31.n.20

21. Pax vobis. ib.

22. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum: ib.

27. Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. fl.23.n.17

C.21.5. Pueri numquid pulmentarium habetis? fl.38.n.39

6. Mittite in dexteram navigii rete; & invenietis. Miſerunt ergo: & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. ib. & fl.16.n.35

17. Dicit ei tertiò: Simon Joannis, amas me? fl.38.n.27

18. Amen amen dico tibi: cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. fl.1.n.14. fl.37.n.41

19. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. fl.1.n.14

21. Domine, hic autem quid? fl.22.n.35

22. Quid ad te? ib.

ACTA APOSTOLORUM.

C.1.10. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, fl.19.n.82. fl.28.n.29

11. Quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, ib.

2.2. Et factus eſt repente de cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, fl.31. n.20

3. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum fl.16.n.21

4. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, ib.

6. Convenit multitudo, & mente confuſa eſt, fl.15.n.49

13. Alii autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti. fl.4.n.74. fl.20.n.18

14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri judæi, & qui habitatis Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. fl.20.n.18

15. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, ib.

C.3.2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa: ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. fl.12.n.15. fl.30. n.42

8. Et exſiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. fl.10.n.51

15. Authorem verò vitæ interfeciſtis, fl.4. n.76

17. Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam, feciſtis ſicut & principes veſtri. ib.

C.4.34. Nequeenim quiſquam egens erat inter illos, quot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, fl.6.n.15

35. Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. ib.

C.5.3. Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? fl.4.n.74

5. & factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt. ib.

C.6.9. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano. fl.29.n.20

10. Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. ib.

15. Viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli. fl.37.n.37.

C.7.54. Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. fl.29.n.22

55. Cum autem eſſet plenus ſpiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dexteris Dei. fl.37.n.37.

59. Clamavit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. fl.29.n.26

C.9.5. Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris, fl.24.n.34

6. Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere? ib.

15. Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte, fl.38.n.37

26. Cum autem veniſſet in Jeruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus. fl.13.n.49. fl.16.n.29

C.10.10. Et cũ eſuriret, voluit guſtare. fl.33.n.47

34. In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: fl.40. n.41

44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. fl.10.n.51

46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. ib.

C.12.10. Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo. fl.14.n.48

12. Conſideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, ib.

C.13.10. O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. fl.4. n.16

11. Eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, ib.

45. Videntes autem turbas Judæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes. fl.4.n.16

46. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. ib.

Elenchus Biblicus.

C.16.17. Clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, fl.32.n.26
20. Hi homines conturbant civitatē nostram cum sint Judæi: ib.
21. Et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. ib.
29. Petitoque lumine, introgressus est: & tremefactus procedit Paulo & Silæ ad pedes: fl.29.n.15
37. Cæsos nos publicè, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, fl.40.n.36
38. Et ipsi nos ejiciant. ib.
C.17.16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. fl. 29.n.53
32. Cum audissent autē resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. fl.1.n.57. fl.20.n.18
33. Sic Paulus exivit de medio eorum. fl.20. n.18
C.18.1. Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: fl.1.n.57
6. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad gentes vadam. ib.
9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: ib.
10. Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te, fl.1.n57
C.19.15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? fl.12.n.25
C.20.26. Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. fl. 35. n 42
C.21.12. Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam. fl.16.n.19
13. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ib.

EPISTOLA AD ROMANOS.

C.1.21. Sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: fl. 28.n.56
C.2.1. Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui judicas. fl.4.n.76
C.6.18. Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ. fl.32.n.40
C.8.7. Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. fl.2.n.38
22. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. fl.10.n.14
26. Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. fl.15.n 20
C.11.29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. fl.3.n.37
32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur. fl.28.n.32
C.12.21. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. fl.34.n.54
C.13.4. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. fl.39.n.27
C.14.17. Non est enim regnum Dei, esca &c. fl.3.n.24
C.15.14. Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. fl.29.n.13
17. Habeo igitur gloriam &c. ib.

EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

C.1.14. Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizavi, nisi Crispum & Caïum: fl.15.n.61
15. Ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. ib.
23. Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; fl.33.n.32
C.3.11. Fundamentum enim nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. fl.5.n.55
18. Nemo se seducat: ib.
Ib. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. fl.16. n.54
C.5.3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, fl.15.n.41
5. Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit &c. ib.
C.6.12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. fl.34.n.12
C.7.10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: fl.13.n.31
C.9.22. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos fl.38.n.37
26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi &c. fl.31.n.18
27. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. ib. & fl.38.n.35
C.10.4. (Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus) fl.18.n.51
12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. fl.9.n.36
13. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, fl.22. n.49
17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. fl.18.n.89
C.11.24. Et gratias agens fregit, ib. n.85. & n.107
C.15.9. Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. fl. 35.n.44
56. Stimulus autem mortis peccatum est: fl. 5 n.35
57. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. fl.29.n.31

EPISTOLA II. *AD CORINTHIOS.*

C.1.8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. fl.22.n.49

C.2.15. Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt: fl.21.n.37

C.6.4. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, fl. 40.n.36

8. Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: ib.

10. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: fl. 27.n.15

C.10.10. Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: fl. 20.n.16

C.11.3. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. fl.3.n.9

C.12.5. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor &c. fl.29.n.13

7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphiſet. fl.31.n.28

8. Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me: ib.

21. Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam &c. fl.16.n.19

EPISTOLA AD GALATAS.

C.1.13. Supra modum perſequebatur Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, fl.35.n.44

C.2.14. Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaïcè: quomodo gentes cogis Judaïſare? fl.12.n.49

C.4.26. Quæ eſt mater noſtra. fl.23.n.22

C.5.22. Fructus autem ſpiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, fl.1.n.51

23. Manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, ib.

C.6.1. Hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. fl. 38.n.14

17. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. fl.27.n.42

EPISTOLA AD EPHESIOS.

C.2.15. Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, fl.22.n.25

16. Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. ib.

C.3.1. Ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, fl.37.n.22

C.4.32. Donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis. fl.17.n.17

C.5.14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, fl.3.n.15

20. Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri. fl.17.n.27

C.6.4. Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. fl.17.n.5

12. Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus. fl.33.n.29

14. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, fl.7.n.47

16. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: ib.

17. Et galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus, ib.

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

C.1.9. Et hoc oro ut claritas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: fl.19.n.21

10. Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti, ib.

23. Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: fl.37.n.45

C.2.7. Formam ſervi accipiens, fl.16.n.43

8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. ib. n.45

12. Itaque chariſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. fl.31.n.28. & n.50

C.3.6. Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, fl.35.n.44

8. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, fl.31.n.18

12. Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: fl.28.n.63

13. Quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens me ipſum. fl.9.n.56

14. Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. ib.

15. Siquid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit. fl.23.n.35.

C.4.1. Gaudium meum & corona mea: fl.29. n.33

11. Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe. fl.16.n.61

12. Scio & humiliari, ſcio & abundare; (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & eſurire? & abundare, & penuriam pati. fl.15. n.28. fl.16.n.61

13. Omnia poſſum in eo, qui me confortat; fl.31.n.28

EPISTPLA AD COLOSSENSES.

C.1.24. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis,

bis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia: fl.37.n.33

C.3.3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. fl.29.n.5

8. Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. fl.7.n.19

9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, ib.

10. Et induentes novum, ib.

12. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiã: fl.27.n.26

13. Supportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit, ita & vos. ib.

23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus: ib.

24. Scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis. fl.27.n.26

EPISTOLA I. *AD TIMOTHEUM.*

C.1.13. Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. fl.24.n.48. fl.35.n.44

C.3.1. Fidelis ſermo: Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. fl.9.n.32

C.6.11. Tu autem ô homo Dei hæc fuge: fl.16. n.53

12. Certa bonum certamen fidei, fl.34.n.54

EPISTOLA II. *AD TIMOTHEUM.*

C.1.11. In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter gentium. fl.28.n.63

12. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem. fl.37.n.47

C.3.10. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, fl.16.n.57

C.4.7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. fl.9.n.56

8. Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: fl.37.n.47

EPISTOLA AD TITUM.

C.2.7. In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. fl.35 n.8

8. Verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. ib.

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

N. 21. Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies. fl.1.n.16

22. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis. ib.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

C.3.13. Ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. fl.5.n.36

C.4.14 Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum filium Dei: fl.17. n.17

C.7.19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: fl.36.n.33

C.8.13. Quod autem antiquatur & ſenescit, prope interitum eſt. fl.22.n.16

C.9.4. Et arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, fl.19.n.60

C.12.12. Remiſſas manus, & ſoluta genua, erigite, fl.7.n.19

13. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ib.

EPISTOLA JACOBI.

C.1.9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; fl.6.n.69. 15.n.12

10. Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. ibid.

11. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet. fl.6.n.69

13. Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. fl.24.n.54

23. Quia ſi quis auditor eſt verbi, non & factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: fl.22.n.11

24 Conſideravit enim ſe, & abiit & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. ib.

C.2.19. Tu credis quoniam unus eſt Deus: Bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. fl.31.n.12

23. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. ib.n.14

C.3.1. Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis. fl.21.n.43

2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. fl.4.n.78. fl.21.n.43

6. Univerſitas iniquitatis. fl.4.n.78

C.4.11. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut judicat fratrẽ ſuum, detrahit legi, & judicat legem. fl.4.n.44

15. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, fl.28.n.34

C.5.2. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. fl.6.n.31

3. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: ib.

4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. fl.36.n.42

11. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, fl.17.n.29

EPISTOLA I. *PETRI.*

C.2.2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutẽ. fl.32.n.42. fl.33.n.44. fl.18.n.39

21. in hoc enim vocati estis : quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. fl.13.n.31
23. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur : ib.
25. Conversi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. fl.18.n.43

C.4.14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. fl.20.n.34

C.5.8. Vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret : fl.22.n.25

EPISTOLA II. *PETRI.*

C.2.7. Et justum Lot &c. fl.32.n.28
8. Aspectu enim, & auditu justus erat : ib.
19. Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis : à quo enim, quis superatus est, hujus & servus est. ib. n. 40

C.3.15. Charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, fl.38.n.8
16. Sicut enim in omnibus epistolis, ib.

I. *EPISTOLA* ℣OANNIS.

C.4.17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii : fl.20.n.56

C.5.3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus : & mandata ejus gravia non sunt. fl.21.n.39
4. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. ib.
7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : fl.11. n.43

APOCALYPSIS.

C.1.5. A Jesu Christo, qui est testis fidelis, fl.11. n.43
12. Et conversus vidi septem candelabra aurea : fl.35.n.12

C.3.4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua : & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. fl.18.n.79
15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus : &c. fl.35.n.18
16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. ibid.
21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : fl.18.n.74

C.4.8. Requiem non habebant die ac nocte, fl.35.n.11
9. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, fl. 15.n.45
10. Procidebant viginti-quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, fl.15.n.45. fl.18. n.75

C.5.4. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus &c. fl.32.n.50
5. Ecce vicit leo de tribu Juda, ib.
6. Et vidi : & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tamquam occisum, ib.
8. Et viginti-quattuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : fl.15.n.22
9. Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus : quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo &c. Ind. Con. ser. Fer. 5. in Cœna Dom. n.1.

C.6.10. Et clamabant voce magna, dicentes : Usquequò Domine (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ? fl.1. n.16
11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, ib.
12. Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus : fl.15.n.57
15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium : fl.28.n.47
16. Et dicunt montibus, & petris : Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni : ib.
17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : ibid.

C.12.10. Nunc factus est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus : fl.33.n.41

C.14.4. Hi sunt, qui mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno : fl. 15.n.47
5. Et in ore eorum non est inventum mendacium : fl.4.n.38

C.18.1. Vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam : & terra illuminata est à gloria ejus. fl.33.n.42

C.19.3. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. fl.14.n.19
12. Et in capite ejus diademata multa, fl.10. n.21. fl.33.n.49
14. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. fl.10 n.21

C.20.2. & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum &c. fl.5.n.53

C.21.4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : fl.22.n.15

C.22.26. Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina. fl.19.n.15
20. Etiam venio citò : Amen. Veni Domine Jesu. fl.10.n.6

LABOR INUTILIS.

EX CONTENTIS IN HOC VOLUMINE; PRÆTEREA Nonnullis additis, offertur

COPIA PRO CONCIONIBUS DE TEMPORE, Beatæ Virginis,

ET SANCTORUM SOLEMNITATIBUS,

ET

ALIIS ECCLESIASTICIS FUNCTIONIBUS.

PRO SERMONIBUS de Tempore.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS,

THEMA.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate. Luc. 21.

ARGUMENTUM.

Arcus cœlestis.

Bed. l. 6. in Luc. c. 88. fl.

BEDA: *In potestate & majestate visuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem ejus tantò districtiùs sentiant, quantò nunc cervicem cordis ad ejus patientiam non inclinant.*

Reprehendendùm non est quod in meditatione diei vindictæ proponamutauquam signum iridem, quæ posita fuit à Domino quondam in testimonium pacifici fœderis universi nõ delendi rursus per diluvium. Nã si Christus Dominus, mitissimus agnus, apparebit in extremo judicio leo; quid mirum quod ut hominum corda piè terreamus consideratione judicii finalis, assumamus iridem, signum benevolum fœderis amici? De hac scribit Ansbertus: *Potest autem peririn, quæ (ut dictum est) arcus vocatur, geminum Mediatoris nostri judicium, quo mundum examinat, intelligi.* Iridis colores graphicè pingit Cæsarius frater Nazianzeni: *Est autem iris triformis. Nam partim quidem rubra, partim cærulea, partim instar herbæ viridis est, &c.* In colore rubro supplicium expende, quia sanguineus: in cæruleo præmium cæleste: quia cœlum color imitatur iste: in viridi spem hominum de misericordia Dei jam in illa die sublatam ab hominibus, et velut in cœlum collectam.

Ansber. l. 5. in Apoc.

Cæsar. dial. 2. Longe ante fi.

Post incendium horribile, tuba personabit, convocans ad judicium. S. Thomas à Villa nova: *Omnibus igitur flagranti illo incendio consumptis subito, & in cinerem redactis, è cœlo missus tuba canet Arcangelus, id est, in assumpto corpore validissima voce clamabit, cujus vocem audiet totus orbis, & quæ in abisso sunt animæ:* &c. Poterat equidem istius tubæ sonitus, nunc mentis consideratione perceptus, nos à morte culpæ suscitare; sed obsurdescimus; quamvis damnationem æteruam plurium certò noscamus jam executioni datam. Surdus est peccator, ut percipiat exemplum punitionis alienæ. fl. 1. n. 46. Jam non adeo miror ad horribilis tubæ sonum, à concionatore propositum quotannis, aures peccatoris claudi? cum hic vocatus etiam beneficiorum clamoribus (quæ suave sonant) ad bonum se præbeat surdum. Imo plùs iniquus obsurdescit ad beneficia Dei, quàm ad minas. fl. 1. n. 44

S. Thom. à Villano. ser. 1. Dom. 1. Advent. longe postmed.

1.

2.

Non hæreas requirens quomodo tantam iniquorum capiet multitudinem unica vallis. Locus erit, ut adsint. Et nota, multos, quos vides improbos & magnos apud rectè sentientes non adeo spatiosum implere locum, ut judicas. Aliqui in sæculo magni, verè sunt parvi. fl. 28. n. 36

3.

Instituetur judicium. Nõ unicus erit accusator: sed inter istos conscientia munus hoc aget, sic ut valde confundantur impii: confusio quippe conscientiæ propriæ præcellit externas adeo quòd illas despicere valeat is, quem sua conscientia non confundit. fl. 4. n. 69. Non omittas attamen cogitatione revolvere quanta sit futura tunc malorum confusio de pudore, quo perfundentur cum aperta fuerint eorum damnabilia facta coram orbe toto. Confundit plùs culpa cum detegitur, quàm ejus publica punitio. fl. 4. n. 72. Confusio tantum est malum, ut ad insensibilia videatur extendi. fl. 4. n. 69

4.

5.

6.

Quo refugiet ea die sceleslus? an ad intercessionem sanctorum? vel saltem ad B. Virginem; quam frequenter compellamus refu-

Idem sup. gium peccatorum ? S. Thomas à Villano. *Non ibi precandi locus, nullus vobis interce-ſſor aſſiſtet, qui pro vobis verbum loquatur: non Beata Virgo, non Angelus, non Apoſtolus, non amicus, non etiam qui te genuit pater propitiabitur pereunti. Vnusquisque in ſua juſtitia liberabitur, æquitas indicii quæritur, nemo audebit pro te dicere teſtimonium* Sed forſan aliqui mali tunc levabunt oculos ad Virginem fruſtra. Peccator aliquando ſerò quærit inutiliter medium utile priùs omiſſum. fl. 26. n. 55.

7. Eccleſiaſticorum diſtrictum fiet examen: horum enim criminibus peculiariter Dominus offenditur: quia exteriori ſpecie teſtantur, ſe virtutis viam tenere. Deus aliquando ſe plus offenſum exhibet fictâ volitione boni. fl. 3. n. 18. 8. Accedit quod mala ſacerdotis vita ducit plures ad peccatum Sacerdotis delictum, etiam pœnitentia deletum, facile trahit populos ad peccandum. fl. 35. n. 43. 9.

Prælatorum geſta, vel omiſſa, quibus in culpa fuerunt, ut ſubditi delinquerent, examini ſuberunt, et ultioni divinæ. Miſerabile dictu quod puniaris pro culpis eorum, qui tuæ curæ ſubſunt. fl. 37. n. 50. 10. ſeverè judicabuntur principes, & exponentur ſubſannationi qui priùs majeſtate fulgebant. De pœnis infernalibus quorumdam regum gauderent, ſi daretur, damnati. fl. 39. n. 30. 11.

Et quamvis Deus nunc benigniſſimus exhibeatur erga parvulos; nullus erit in die judicii, quorum ſcelera non puniantur: nam et ſi forſan tibi videbitur hoc alienum à pietate divina, tunc non erit miſerationis tempus. Deus cum puniverit abſque miſericordia, uteturne tunc ira non ſua? fl. 28. n. 46. 12.

Proferetur denique ſententia &c. *Tunc ad verbum ejus dehiscet terra hiatu grandi* L. Thom. à Villano. sup. fi. *ſub malorum pedibus, et deglutiet eos: juſti autem cum ipſo perpetuo regnaturi conſcendent in gloriam:* &c.

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA.

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

ARGUMENTUM.

Paretur ſpiritualis via Domino in terras advenienti.

Euthym. in Matth. 11. Dionyſius. Carthuſ. lib. art. 11. EUthymius ad hunc locum Matthæi: *Via autem Chriſti animæ erant hominum*, &c. Dionyſius Carthuſianus ibi: Qui præparabit viam tuam, *hoc eſt, fidem, doctrinam, & opera virtuoſa, per quæ Chriſtus ingreditur corda hominum, diſpoſitivè inducet in animas populi* &c. Præparavit Joannes viam: præparant etiam nunc animas Deo prædicatores Evangelici. Nihilominus operæ pretium eſt, ut nec non fideles audientes parent viam, id eſt animam ſuam Domino. Druthmarus ad verba thematis: *Joannes enim viam Domino præparavit, quia multis non ſolum prædicavit, ſed et ut in eum crederent (etiam in teſtimonium) baptiſmo baptizavit. Et unusquiſque noſtrum viam Domino præparat, ſi expulſis de corde ſuo vitiorum ſpinis virtutes ibi inſerit.* Druthmar. in c. 11. Matth. c. 3. med.

Igitur ab iſta via, id eſt anima tollantur primò lapides impedientes greſſum. Primum genus lapidum ſunt occaſiones proximæ peccatorum: quibus volunrariè perſeverantibus, quomodo via reddetur pulchra per juſtificationem? fl. 1. n. 24. 2. Nec dicas, impoſſibile tibi propellere prædictas occaſiones criminum: quoniam Deus aliquando indignatur, ſi vocanti reſpondeas: Non poſſum; non autem, ſi clarè nolle ſignifices. fl. 3. n. 56. Secundum genus lapidum ſunt actus et habiius ad impœnitentiam ſpectantes. Habitu, inquam illos, quorum durities ad inſtar ſilicum reſiſtit, ſcindere curabis adhibitio dilectionis igne. Difficultatem fateor. Labimur facile; ſurgimus difficulter. fl. 35. n. 45. 3.

Non tantum lapides è via dimovendi ſunt; ſed ejus mundandæ ſordes. Peccata gravia, quibus inquiratur anima, ſatage deleri per confeſſionem ſtatim: non ut quidam, quos pœnitet citò de levi peccato; non ita de graviſſimo. fl. 32. n. 23. ſed non ideo contemnas peccata modica: aliquando quippe minima ſollicitius vitanda ſunt, quam magna. fl. 5. n. 22. 4. 5.

Abundanter decidente pluvia, ſolent viæ præcipites lavari. Anima tua via quidem eſt ſurſum tendens: hoc eſt, per divinam providentiam ad cæleſtem beatitudinem ordinara. Utinam hæc via diluatur imbre lacrymarum. Meditare S. Antonii Ulyſſiponenſis verba. *Dat*, inquit, *Dominus pluviam, cum germen compunctionis infundit.* S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 4. Advent. poſt. med. Non ſolum abluetur ſupradicta via lacrymis: illis etiam rigata germinabit flores virtutum quæ ſpinas priùs proferebat vitiorum. 6. In ipſo peccati loco facient fletus germinare virtutem. fl. 32. n. 31. Et ſic ploratu pulchrescet anima. fl. 23. n. 14. 7.

Poſt animæ tuæ munditiem abſolutione ſacramentali ſuſceptam non te pigeat infandum renovare dolorem: ſic enim opportunum eſt, ut reincidentiam caveas: quam vitare non omnibus facile juſtis. Aliquando animæ cuſtodia juſtæ difficilior eſt, quàm peccatricis. fl. 2. n. 55. 8. Sterne deinceps in via Regi venturo floſculos exercitiorum ſpiritualium. Nec dedignabitur humilis proprios actus virtutum in ſemita projicere, nolens eos conculcare pedibus ſuis, hoc eſt, affectibus. Juſtus opera ſua bona plantis terit, & mittit poſt dorſum. fl. 5. n. 48. 9.

Advertendum tamen, ſimul evellendas radices, quas miſerant ibi plantæ noxiæ; ne repullulent iterum, & ſentes, ut antea, producant: nec enim ſunt miſcenda virtuoſis actibus crimina. fl. 32. n. 41. 10.

Frequenter eoſdem ſpirituales flores renova: quin etiam hoc moneo de actibus illis piis, quibus ab infirmitate peccati ſanus factus es. Juſtum non tædet ad eumdem 11.

dem actum virtutis regredi, quo ſanatus fuit à peccatis. ib.n.53. Nemo putet, ſibi ſatis virtute, quas operatus eſt: proſequatur ultra. fl.9.n.55.

DOMINICA. III. ADVENTUS.

THEMA.

Vox clamantis in deſerto: Joan.1.

ARGUMENTUM

Audi quid ſalvatoris nunc ad te clamantis reſonet echo.

GLoſſa interlinearis ad verbum, *Vox*, ait: *Verbi incarnati.* Multifariam Deus homines vocat. Zacharias Epiſcopus: *Vocat Dominus per ſe, vocat per Angelos, per Patriarchas, per Apoſtolos, per miracula, per flagella. Nemo contemnat venire, ne dum vocatus excuſat, cum voluerit intrare, non valeat.* Adhuc ad peccatorem clamat in deſerto: nam S. Antonius ait: *Secundò dicitur deſertum cor humanum, quia derelictum eſt ab Angelis, & à beneficiis, id eſt beſtialibus cogitationibus inhabitatum.* &c. Mihi videor in hoc deſerto cordis echo vocis Domini reſonare ſic.

Zachar. Epiſc. l. 3. inunum ex 4. c. 125.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. 3 Dom. 1. Quadrag.

Ut te quærerem adveni. Veni.
Quid à memoria tua ſuſtulit beneficium mei adventus. Ventus.
Quid quæris à mundo vergente jam in occaſum? Caſum.
Vocantem cum non audias, cur denuo clamo? Amo.

1. Ad primam echo reſpondebit aliquis, non parum ſibi fidens: jam ad Chriſtum per actus virtuoſos acceſſi. Peccator ad ſalvatorem accedat quotidie &c. fl.12.n.14.

2. Non autem ſe gerat ut quidam, qui ſic affirmant, ſe velle ſequi Dominum, quod nec aſſerere, nec id negare videantur fl.3. 3. n.20. Si verò Deum vocantem non ſequitur homo, quò tendit? Fortè nec ipſemet peccator ſciet huic interrogationi reſponſum adhibere. fl.3.n.48.

Ad ſecundam echo. Imitantur ventum bona temporalia: quibus inhiantes mortales obliviſcuntur Conditorem; qui venit 4. in terras, ut offerret æterna. Mundi bona non tantum prætereunt, ſed evaneſcunt. ib. n.38. Oportet igitur ad hoc ut mundum vincas (qui te retrahere conaturà Domino, cui tantum debes collatum beneficium) quod, ſicut ne ventus noceat infirmis oculis lumina clauduntur; ita mentis oculos 5. claudas; quò non lædaris mundi ventô. fl. 21.n.38. Ab iſtâ doctrina longe ſunt poſiti qui fruſtra volunt ſtabilia reddere, quæ tranſitoria ſunt. Homines contendunt mittere radices in caducis. fl.37.n.52.

Ad tertiam echo. Multi minùs viliter amantes perditè ſæculum, ab eo ſollicitant 7. acquirere mundanos honores. Etiam iſti nolentes inquirunt ſibi ruinam Dedecus negotiantur ſibi quidam per viam, qua volunt honorem conſequi. fl.3.n.26. Nec refert quod honore ſolum quæras tibi debitum; & non ultra: quia majus diſcrimen aliquoties ab honore debito venit. fl.20.n. 8. 59. Alii ſunt, qui nihil determinatè quærentes in particulari, mundo militant expectantes ab eo felicitatem. Nec non & iſti 9. demum ruent præcipites. In ſorte proſperâ quandoque magis timendum. fl.7.n.52.

Ad quartam echo. Amat clamore te vocans offenſus Dominus tuâ frequenti repulſâ. O dilectionem ineffabilem! Salvator per beneficentiam in offenſorem quantum cla- 10. ruerit. fl. 29.n.28. Quamvis tamen peccator poſtquam reſtitit, vocetur; non ex hoc beneficio ſumat occaſionem confidendi nimiùm: imo qui Deum graviſſimis peccatoribus viderit benignum, metuat ipſis. fl. 11. 17.n. 20. Et ratio hujus eſt, quia Deus in vocando rurſus peccatorem exhibet affectum paternum: iſtum ſi contemnas, multum periclitaris: quoniam Dominus quan- 12. doque ſe plus oſtendit offenſum ex eo quod ipſum contemnamus ut patrem. fl.5.n.50.

DOMIMICA IV. ADVENTUS.

THEMA.

Omnis mons, & collis humiliabitur. Luc.3.

ARGUMENTUM.

Complanentur montes obſiſtentes adventui ſupremi Regis.

EUthymius: *Deprimitur verò omnis mons & collis, ablato ſuperfluo, puta impietate ac pravitate.* Quinque montes nunc expendam: quorum nimia magnitudo reſiſtit, ut ad hominem veniat ſpiritualiter Chriſtus. Mons primus eſt ſuperbia. Beda: *In adventu igitur Redemptoris valles impletæ, montes vero & colles humiliati ſunt: quia juxta ejus vocem omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* Adde S. Antonium Ulyſſiponenſem ad verba thematis: *Mons ſuperbia eſt in corde. Collis ſuperbia in opere.* Ut ſuperbiam tuam deprimas primum remedium ſit: Cogita quid fueris. fl.22.n.20. Secundum ſit: Memento quòd per ſuperbiam abjectus es in conſpectu Domini. Jacet in oculis Dei qui Levatur in ſuis. fl. 29.n.60. Et ſi fortè de propriâ virtute per ſuperbiam extolleris, imminentis ruinæ metus comprimat relationem. Superbientis de virtute caſus tam propinquus eſt, ut jam cecidiſſe videatur. fl.9.n.35.

Euthym. ad hunc Loc. 5.

Bed. in 3. Luc. 9.

S. Anton. Ulyſſio. ſer. Dom. 4. Advent. 1. 2.

5.

Secundus mons eſt confidentia nimia de ſemetipſo. Hæc peccatoribus eſt valde noxia: dum ſibi perſuadent, tantò ſollicitius à Deo ſe vocandos, quò magis ingrati fuerint eidem. Supplicium timeat acerbum 4. qui putat, eò plùs à Domino ſe quærendum, quò fuerit ingratior. fl.24.n.29. Scio fugiendum eſſe necnon aliud extremum: ſcil. nimiam formidinem de propria dam-

natione futurâ, ne desperes. Attamen amplius periculum datur circa nimiam fiduciam in Deo; quàm circa nimium timorem. fl.24.n.31. Si autem non superbit homo per exorbitantem fiduciam de clementia divina; sed confidit propriis viribus, ridiculum est hoc. Quam sit crassus error natus ex eo quòd homo sibi fidat nimis fl.26. n.51. Per has, ac similes meditationes pulsatus corruet præsumentis confidentiæ mons.

Tertius mons est sapientia carnalis. Æquetur solo, quò recipiat anima tua sapientiam æterni Parentis. Ut ita fiat, amore tuimetipsius poteris uti rectè: curans abjicere mundanam sapientiam, ne per illam sis verè stultus. Sapientia mundi videtur aliquibus auferre usum rationis. fl. 2.n.37. Hoc idem ex alio motivo tibi suade: scil. ne præcipitium experiaris lamentabile. Prosequendus est planctu homo cui sapientia sua ruinam attulit superbiæ. fl. 22. n.38.

Quartus mons est opulentia: quam quis amabit expectans nativitatem Christi regis regum, pannis pauperibus involvendi? S.Bernardus: *Cur & ipse salvator, cujus est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? aut certe cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab Angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis salvator obvolvitur & ponitur in præsepio: quando id manifestè in signum nobis commendatur ab Angelo: hoc, inquit,* vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum. *In signum positi sunt panni tui Domine Jesu: sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur.* Decrescet in aliquibus mons divitiarum sublatis alienis per exactam restitutionem. Melius dicam: Injustus alienis non ditescit. fl. 3.n. 46. Etiamsi præscindamus à non solventibus debita, verum est dicere: Divitiarum pondera negligens abjicere non abundat; & alienis inhiat. fl. 6.n.26.

Quintus mons est ambitio dignitatum: qui deprimetur, si piâ mente perpenderis advenientem Deum factum parvulum propter homines. Ad minus qui non moveris hac meditatione, mortem cogita; non festinabis ad munera publica. fl. 9. n. 27. Si dignitates fugere non deliberas, opta saltem eas tibi longo tempore procrastinari. 2.9.n.29.

S Bernar. ser.4.in Nat.Dom

IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

THEMA.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Joan.1.

ARGUMENTUM.

Cerni faciunt nubila solem.

HUmanis oculis non datur clarum videre luminare majus, maxime verò, si tegatur levi nube. Justitiæ sol, ut intuerentur mortales eum, humanitatis levi nube tectus apparuit: hoc est, assumpto corpore. S.Thomas à Villa nova loquens de cælestis curiæ principibus, ait: *Stupent occeanum infinitum modico vase concluſum, lucidissimum ardentissimumque solem levi nubecula circumvelatum: se mutuo respiciunt expavescentes, neque est præ stupore proferre sermonem. Quam miro divinæ sapientiæ artificio, humanis divina, terrenis cœlestia, abjectis sublimia in hoc natalitio copulatur: quomodo vicissim permixta humilibus cœlestia resplendent?* Quatuor tamen in corpore Domini, Dum Christus nascitur, nubes contemptor. Sit prima, teneritudinis infirmitas: secunda nuditas infantis: tertia, parvitas corpusculi: quarta silentium Verbi.

S. Thom. à Villa no. ser. 1. de Nat.Dom.

Prima nubes, infirmitas, contegit fortissimum. S.Augustinus: *Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* &c. Postea subdit: *Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua:* &c. Infirmitatis nubes non abscondit fidei nostræ quam sit fortis Deus. Christus Dominus fortitudinem exhibuit in ipsa infirmitate assumpta. fl. 11.n.6. Huic puello restant adeunda certamina dura; per quæ nostram redemptionem victor obtinebit. Sed etiam nunc illum crede strenuissimum; ita quòd statim post incarnationem videri posset redemptio nostra consummata. fl. 19.n. 43. Imo sic perhibuit fortem se Deus adversùs dæmonem postquam homo factus est, ut aliquis fortasse percontaretur, inquiens: An Deus inermis contra diabolum ante incarnationem? fl. 19.n.43.

S.Aug.to.in 9.fl 15.in Joann. Longe post princ.

1.

2.

3.

Secunda nubes, puelli nuditas: quam elegit ad utilitatem pauperum, atque divitum. S.Laurentius Novarienſis: *Factus est pauper, ut tam pauperes foveret, quam divites commoveret.* Nota verba S.Vincentii Ferrarienſis: qui loquens de B Virgine simul & sponso suo Joseph ante salvatoris ortum, sic habet: *Dicit historia quod quando Ioseph cum Virgine fuerunt in civitate Bethlehem, non invenerunt hospitium, nec aliquam domum, nec hospitale ubi vellent eos recipere.* Factus est hominum frater Deus per incarnationem; ut ipse dixit ore Chrysostomi: *Volui frater vester fieri, carni propter vos & sanguini communicavi:* &c. sed ingrati mortales illum habuerunt ut alienum. Peculiaris injuria Salvatoris est quod ab hominibus habeatur ut extraneus. fl.23.n.50. Non imitemur illius temporis ingratitudinem sæculi; sed puello sanctissimò condoleamus in tantâ pauperie constituto: quæ non potuit non illum cruciare gravissimè; cum esset Princeps. Paupertas cum nobilitate gravissima crux est. fl. 16.n. 50. Recipiamus eum, quem præstolabatur amor, in cordibus nostris; non ut unius horæ futurum hospitem; sed quasi permansurum apud nos. Nollet Christus Dominus hospitio recipi mora brevi apud sperantem in eum. fl. 28.n.52.

S Laur. Novar.hom 1. longe ante med. S.Vincent. Ferrar.ser. in Nat. Christ.ante med.

S.Joann. Chrysost. tom 5.hom 61.ad pop.

4.

5.

6.

Tertia nubes, parvitas corpusculi; cum potuerit nasci corpus habens jam virile;

quale fuit illud, in quo Protoplaſtus incepit vivere. Sed qui parvulos amabat, parvulus factus eſt, ut accederent ipſi cofidentiùs ad ipſum. Deus multum gloriatur in eo, quòd ad illum accedant parvuli. fl.28. n.22. In corporis infantilis parvulâ menſurâ meminerimus abſconditam Dei magnitudinem infinitam. Chriſtus Dominus conjunxit majoritatem humilitati. fl.28. n.30 Quinimo gloriam plurimam Deus lucratus eſt per ortum ſuum in terris: ita quòd à Chriſti nativitate manantem gloriationem divinam terra non capiat. fl.28. n.36

7. 8. 9.

S. Thom. à Villa No. ſerm. 1. de Nat. Dom longè ante ſi.

Idem ſer. 2. ejuſdem di ei. poſt m. d.

Quarta nubes, Verbi ſilentium. S. Thomas à Villa nova. *Obmuteſcit in gremio, & proditur radiante cælo, abſconditur in ſtabulo, & cæleſtibus hymnis ejus natalitia celebrantur. Et alibi loquens ad principes & potentes, ait: Audite primam ejus lectionem, quam in ſilentio docet, & diſcite ab eo quia mitis eſt, & humilis corde. Addit poſt pauca: O magna cathedra præſepium illud, in quo reſidet divina ſapientia magiſter orbis. Totum ibi legitur Evangelium, quicquid enim ô bone Ieſu poſtea verbo docuiſti, hic ſtatim ortus opere demonſtraſti.* En docet ille ſilens. Sapientiæ non vulgaris eſt docere tacendo. fl.38.n.46 Licet voces non audias, adverte, ſapientem non ex auditu ſolo judicari. Quin potius necnon oculos adhibe. fl.2 n.33 Quantumvis multum de tanti magiſtri doctrinâ ſcias, conare plus adhuc ſapere. Quò magis doctus eſt homo prudens, eò ſollicitat ampliùs acquirere ſapientiam. fl.21.n.44

10. 11. 12.

IN DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA.

Poſtquam comſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer: Luc.2.

ARGUMENTUM.

Circumciſio ſpiritualis.

Bed. l. 1. in 2. Luc. c. 7.

BEda: *Circumciſione quam ſuſcepit, non ſua, quæ nulla errant admiſſa purgavit, ſed noſtræ in ſe naturæ vetuſtatem docuit innovandam, & nunc videlicet eam per ſe à vitiorum labe purgandam, & in noviſſima die ſignificans ab ipſa multifariæ mortalitatis ac mortis peſte penitus eſſe reſtauradam.* S. Bruno Aſtenſis: *Superflua autem & nociva ſola peccata & vitia ſunt. Hæc ab omnibus membris auferantur, & bene totus circumciſus eſt homo. Si oculi non videant vanitatem: ſi aures non audierint detractiones: ſi lingua non fuerit locuta verba otioſa atque mendacium, circumciſa eſt. Hæc eſt vera circumciſio: ſic omnia membra circumcidantur &c.*

S. Bruno. Aſten. l. 4. ſentent. c. 5 ſer. 1. non parum à princ.

Cum itaque Verbū incarnatum circūciſioni ſubjecerit ſemetipſum, ad hoc ut tacitè ſuaderet mortalibus quòd circumciderent ſe totos; id, quibuſdam prætermiſſis, proſequamur. Primò circumcidantur oculi: tollatur curioſitas perſcrutandi facta proximorum; ne per illam decidas in temeraria judicia. fl.22.n.32 Accedit alia ratio: nempe quòd ſcrutari res alienas germinat ſæpe negligentiam circa proprias. ib.n.34

1. 2.

Secundò circumcidantur aures. O quantùm arriguntur à protendentibus illas ad audiendam infamiam alienam! Et forte propriam ortam à peccato non acutè percipiunt. fl.1.n.40. Circumcidenda ſunt etiam impedimenta voluntaria; ratione quorum non auditur quod ſpectat ad honorem proximi. Eò quòd homines præbeant aures malæ proximorum famæ; bonæ minimè præſtant auditum. ib.n.42 Attendas honoris alieni motiva, præteriens apparentiam criminis.

3. 4. 5.

Tertiò circumcidenda lingua. Non imprudens erit ordinans quidquid ſtudii virtutibus impendit ad fugiendum linguæ vitium. fl.4.n.78. Linguæ vitiis carens veluti plenè perfectæ virtutis eſt. ib.n.77

6.

Quartò circumcidi necnon oportet manus: aliter nimis erunt longæ, ponderoſæque. Nimia longitudo, per quam ſuperflua congregas, nequitiæ vicina eſt. Quàm ſimila ſint hæc omnia, *Dives, & Impius*. fl.15. n.62 Multum deinde manuum pondus auferatur per circumciſionem; ne ſint ad eleemoſynam conferendam pauperi moroſæ. Timent aliqui ne poſtuletur ab eis eleemoſyna. fl.30. n.10

7. 8.

Quintò circumcide ventrem; ut ejus exorbitans magnitudo nequaquam te pertrahat in gulam: nam dicet aliquis, hominem plùs deſtrui per eam, quàm per morte. fl.2. n.23. Imò videtur anima helluonis quaſi mortalis. ib.n.25

9. 10.

Sextò circumciſio fiat in pedibus: hoc eſt, ne vagus incedas otioſe per externorū bonorum viam. Quies ab exterioribus prodeſt, ut interiùs aſcendas. fl.35.n.37 Non eſt animus concionatori ſingulis & omnibus perſuadere quòd in deſertis habitent: ſed in ipſa turbarum frequentiâ poteris quieſcere ſolitarius. fl.38.n.54

11. 12.

IN EPIPHANIA DOMINI.

THEMA.

Invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: Matth. 2.

ARGUMENTUM.

Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.

COmmunis eſt ſententia, Magos extitiſſe reges. Unum do pro multis Anſelmū, dicentem: *Nec refertur in Evangelio quot reges fuerunt, ſed numerus eorum ex numero muneris percipitur. Nec ſoli, ſed multis militibus ſtipati veniſſe creduntur, ſed tantum de regibus in Evangelio mentio habe-*

S Anſel. expoſ. in 2 Matth.

tur

tur. Hoc posito, juvat de pietate regum circa Dominum dominantium aliqua notare. 1. Quàm glorioſum eſt Altiſſimo quòd à regibus colatur. fl. 15. n. 34 Venerunt Magi neſcientes ad quem locum tenderent. 2. Rex providentiæ protectionique divinæ confidat. fl. 33. n. 50 Fortè non illi tam longam caperent viam ut debellantes ab aliis poſſeſſas regiones ampliarent coronam. 3. Rex pius non ita cor apponat ut amplificet proprium ſceptrum; quàm ad colendum Deum. fl. 39. n. 16 Fortaſſis Magos iſtos non agnoſceremus, niſi referendum eſſet ab Evangeliſta, quòd adoraverunt eum recens natum. 4. Rex cùm honore proſequitur Dominum, honorat ſe. ib. n. 18 Non legimus quòd cùm Filium Dei procidentes adoravere Magi, milites illi, qui ſocii fuerant in via, juxta datum Anſelmũ, acceſſerint, & ad eorum imitationem adoraverint. Si crimen aliquod reges illi committerent, fortaſſe tunc eos imitarentur ſui. 5. Regis exemplum malum ſectabitur ſubditus. fl. 11. n. 36

Non dedignati ſunt hi reges in Jeroſolymis quærere ubinam eſſet qui natus erat rex Judæorum. Aliorum ductum quærebant, licet ſapientes forent. 6. Sapiens diffidit prudentiæ ſuæ. fl. 26. n. 33 Econtrariò 7. nonnulli, cum fatui ſint, non optant ſcientiam. fl. 28. n. 60 Sed iſtorum quidam 8. propterea neſciunt quia ſe putant ſapientes. ib. n. 58 Hoc in regibus terræ nimis 9. eſt repreheſibile: quorum aliqui putant, excedere ſapientia quoſcumque ſubjectos poteſtati ſuæ. fl. 21. n. 30 Hinc naſcitur, quòd velint judicio ſuo ſic ad unguem ob- 10. temperare mentes aulicorum, quòd ament illum, quem rex diligit & perſequantur quem rex odio habet. fl. 40. n. 45

Nullum habemus fundamentum, quo ducamur ad aſſerendum, ſingulos reges illos attuliſſe proceres regni ſui ſecum: ſed exiſtimatur detuliſſe milites; de quo 11. ſupra D. Anſelmus. E contra reges aliqui magis deferunt nobilitati, quàm merito. fl. 40. n. 41. Adoratione factâ reverſi ſunt reges ad regiones proprias: nec erat congruum quòd ab eis diutius abeſſent; ne, prout ſolent, miniſtri mala patrarent in 12. eorum abſentiâ diuturniori. Pudendum regibus eſt, miniſtrum abutipoteſtate illorum ad fines malos. fl. n. 20

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

THEMA.

Invenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2.

ARGUMENTUM.

Invenitur Salvator in anima juſti ſedens in medio affectuum audiens & interrogans.

S. Doctori Luſitano debes argumentum iſtud. Ad hoc Evangelium ait ille: *Templum dictum quaſi tectum amplum, eſt mens viri juſti: quæ eſt tectum: quia tegit compaſſione neceſſitatem proximi. Amplum cognitione ſui & Dei. In tali templo poſt tale triduum invenitur Ieſus. Sed quid ibi facit? Certè tria. Sedet in medio doctorum, audit, & interrogat. In mente viri juſti ſunt doctores, id eſt mentis affectus: qui docent quid cavendum, quid agendum. In quorum medio Ieſus ſedet: cum mentem pacificat: in mente pacificata quieſcit: quieſcens omnia ſuaviter diſponit.* Hac luce dirigente, proponam quid loquantur ad invicem in anima pia quidam affectus ejusdem ad Creatorem; & quid audiant ab eo. S. Anton. ſer. Dom. hujus.

Doctor primus, Amor inquit: quis dabit mihi ut à creaturis transferar ad conditorem? Dominus reſpondet: Donum Dei eſt quòd ipſius amorem excitet in homine. 1. fl. 38. n. 26 Addidit amori conſolationem, dicens, quòd cùm vita ſit brevis, veniet citò ſtatus beatitudinis: in quo juſti voluntas perpetuò Deum diliget, quin per amorem craturarum interrumpatur amor Dei. Ad hæc repoſuit amor: Cum in terris abſim à te Domine? vix intelligo quomodo 2. ſit breve tempus vitæ. fl. 10. n. 7

Doctor ſecundus, Deſiderium quæſivit ſic: Quod adhibebo remedium, ne dilatione gloriæ torqueat? Dominus reſpondet: ipſa divina dulcedo utcumque guſtata in vita mortali. Plus torquetur dilatione dul- 3. cedinis divinæ qui magis guſtavit eam. fl. 10. n. 5 Adjecit: Ne doleas nimis; cum habeas me protectorem tuum, ne lædaris ab adverſario. Scio (repoſuit amor) ſed ampliùs torquet me quòd à te dividar, quàm formido malorum, à quibus dignaris protegere ſervum tuum. Ampliùs cruciat à dilecto dividi, quàm ab hoſte lædi. fl. 19. n. 87

Doctor tertius, Gaudium loquitur ſic: Quid eſt, Domine, quòd cum adeſſe mihi benignus digneris, adhuc non deſunt mœroris motiva? Dominus reſponſum præſtitit iſtud: Congruit hoc tibi; ne tradas oblivioni quòd verſaris in exilio; & maneat amor patriæ: quo deficiente, degenerabis. Gaudium permanſurum, ſublatis omnibus 5. flendi motivis, reſervatur æternitati. fl. 24. n. 14 Bene (inquit gaudium) ſed experior, quòd etiamnum tribuis quandoque voluptatem ſpiritus magnam; & velociter aufers. Aliquando ſpiritualis delectatio 6. magna mox à domino tollitur. fl. 15. n. 51

Doctor quartus, Timor Deo dicit, ſe formidare lapſum pluries, defectu ductoris viſibilis, in viâ plurimùm ardua. Conſolatur eum Dominus, inquiens: Timor Dei ſupplere valet aliquando magiſtri ſpi- 7. ritualis locum. fl. 31. n. 49 Audiens hæc

timor

hæc timor dixit: ſcis, Domine, me periclitari, ſi pergam ſolus: da ſociam fortitudinem; nam indubium eſt, oportere quòd timor fortitudini miſceatur. fl. 31. n. 47.

Doctor quintus, Robur ſciſcitatus eſt ab incarnata ſapientia, cui colloquebatur: Quandonam à bellis quieſcam ſpiritualibus? Quæſtionem ſolvi ſic audivit: Juſto non niſi per mortem pugna finitur. fl. 37. n. 28. Cum hæc audiret, poſtulavit auxilium à Domino pro cõtinuo prælio ſuperando, dicens: Auxilietur mihi manus tua: novi quippe quòd in ſpirituali bello, nec homo ſine Domino, neque Deus abſque homine pugnant. fl. 9. n. 57.

Doctor ſextus, Contemptus proprius ait: Mihi dubium eſt circa quod illuminari vellem. Cum exercet anima virtutis opus aliquod, rationi conſentaneum eſt ut complaceat in illo; ſed quomodo complacens in opere ſuo, ſe deſpiciet homo? Si ad aliud extremum deflexerit, contemnens factum ſuum laudabile, quia miſcetur imperfectionibus; execrabitur illud quaſi tibi diſplicens; et non ipſum iterabit. Qua ratione vitabitur extremum utrumque? Reſponſo Domini lucem accepit, inquientis: Opus illud bonum ſimul eſt meum (quia per gratiam homini donavi quod illud efficeret) atque tuum, o homo: nam tuum eſt conſentire, vel diſſentire. His poſitis, virtutis actus, prout eſt munus Dei placeat; prout hominis juſti factum, diſpliceat eidem. Juſtus virtutem ſimul, quia bona, magnî facit; &, quia propria eſt; conculcat. fl. 20. n. 51. Accepta doctrina proximè data, contemptus proprius poſtulavit à Domino participationem aliquam humilitatis, quam ſalvator exercuit vivens inter homines. Dixitque: Domine da mihi veſtigiis tuæ humilitatis adhærere: quoniam agnoſco, me non adhuc egreſſum à tyrocinio ſpirituali: nnn autem ignoro quàm ſit humiliter procedendum in virtutis initio. fl. 9. n. 33.

S. Brun. Aſten. expoſ Pſal. 89.

FERIA. IV. CINERUM.

THEMA.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Geneſ.

ARGUMENTUM.

Flos & umbra fructum nobis miniſtrent atque lucem.

DUo perpendamus ænigmata vitæ. Prius erit flos. S. Bruno Aſtenſis: induret, & areſcat, *quod eſt intelligere: Pulvis in pulverem revertatur, & ſola oſſa arida, & ſicca de illo flore, & illa pulchritudine remaneant.* In flore depingitur vitæ noſtræ brevitas. Hominis præſentia ſuper terram tranſit in præteritam velociſſimè. fl. 22. n. 10. Quid refert quòd pulchrè floreat ætas? Adoleſcentiæ anni computentur tanquam dies. fl. 26. n. 35. Imo inventus videtur currere celeriùs, quàm ſenectus. fl. 21. n. 12. Hæc rarò perpendunt adoleſcentes fortunati: frequenter enim ſemetipſos non agnoſcunt. ib. n. 16. Quin etiamſi fortuna proſpera careant, ſolent juvenes abuti donis Dei. ib. n. 18. Et ad iſta reſpondent, donare ſe tempori quod ſuum; & eorum vitam adhuc eſſe in aſcenſu. Meminerint, vitam noſtram aſcendendo deſcendere. fl. 21. n. 14. *Pulvis es*, &c. Pulvis, inquam ſumus; vita noſtra ventus. Dum pulvis flante vento movetur ſurſum, eodem feſtinanter dejicitur.

Secundum ænigma ſit umbra. S. Columbanus: *Ergo umbram videt unuſquiſque vitam ſuam, & à mane uſque ad veſperam, quaſi in quodam ſpeculo vanitatem ſuæ vitæ circumſpicit.* Pergit viator ſplendente ſole: fit ex interjecto proprio corpore ſuper terram inanis umbra: nec eſt in hominis poteſtate quod illa ſit major; ſed conformiter ad ſolis radios longior eſt, vel brevior. Sic vita non ad arbitrium noſtrum extendatur; ſed ab eo ſole divino, qui totum fovet orbem, proinde menſuratur. Notiſſima ſunt iſta: nec tamen otioſum eſt illa memorari; nam ſe gerunt nonnulli, quaſi putarent, vitam extendendam quoad velint. fl. 22. n. 16. Aliqui dicent, ſummam vitæ brevitatem verificati de illis, qui neceſſariis ad ſuſtentationem deſtituuntur, & alia multa ſuſtinent incommoda; non autem de iis, qui deliciantur proſperis, & maxima cura ſollicitant conſervationem vitæ. Sed contra: nam interitus advenit feſtinantiùs quandoque mortalibus, cum tractantur mollius. ib. n. 12.

S. Columbã. 1. 6. poſt princ.

Pulvis es, &c. Pulvis ad ſolis æſtum exurentem ſtat; ad auram refrigerantem forſan diſſipabitur. Animadvertant proſperitate fruentes veritatem relucentem in umbræ poſito ſuperiùs ænigmate. Demus quod ad ſolem poſitus homo ſit, & ſuperaddantur undequaque ſuccenſæ faces, ita quod in medio ſplendorum conſtitutus maneat: umbra corporis ejus evaneſcet. ſic vita felicitatibus reſplendens nonnunquam facilitate majori perit. Homo quandoque facilius interit, ſi proſperitate potitur. fl. 37. n. 16. *Pulvis es*, &c. Pulverem ſi flatus extollat in ſuperiora, proximus eſt ut in terram deſcendat; ſi jaceret, non caderet. Unde nemo putet, certum eſſe, mortem ſuam longe diſtare: &c. ib. n. 18. Imo felix non tantum cogitet mortem ut futuram; ſed ut præſentem. fl. 22. n. 28. Curandum eſt, ne præ amore nimio collocemus in oculis vitam: nam ũbra eſt qua cæcabimur; & ſic, licet vivendi curſum brevé advertamus, nos trademus voluptati. Potiùs dicatur cæcus, quam ſtultus, qui vitæ brevitatem advertens voluptati ſe tradit. ib. n. 18.

FERIA VI. POST CINERES.

THEMA.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: Matth. 5.

ARGUMENTUM.

Amor inimicorum roſa ſepta ſpinis.

ROſa flos eſt pulcherrimus, regius, & medicinalis. Inimicorum dilectio virtutis actus eſt ſpecioſus, honorificus, & perutilis. Roſam colligit manus; & quamvis hæc abſpina feriatur, non indignaris. S. Baſilius Magnus: *Qui ergo roſam affecti ſunt, velut par eſt elegantiæ ſtudioſos* (forte legendum: *Studioſis*) *hi neque ipſis ſpinis ex quibus flos enaſcitur, indignantur. Et audivi quemdam tale quid de ipſis ludentem fortaſſis, aut etiam ſerio dicentem. Quod natura tenues illas ſpinas, ve'ut amatorios quoſdam ſtimulos ejus amatoribus, ad florem produxit, ad majus deſiderium per male ferientes aculeos & tactum agrè admittentes, decerpentes irritans.* Roſam dixerim dilectionem inimicorum: tum quia flos ille, rubore velut igneus, refert amoris flammã: tum quia roſa florum regina dicitur; & regnat inter virtutes charitas. Inimicos quidem ſpinis comparare licet. Sicut igitur vulnerati roſarum ſpinis, minime propterea florem abjicimus indignati; ſic ab hoſtibus læſi, nec iraſcamur, nec florem dilectionis eorum deteſtemur.

S. Baſil. Mag ep. 149.

1. Roſæ pulchritudo nota cunctis eſt. Ita rarus erit, vel nullus, qui malum eſſe dicat ultionem ſumere nolle. ſed adeo propendimus ad vindicandum nos, ut quamvis parcamus vindictæ, jactemus poſſe nos ulciſci. fl. 34. n. 57. Fallimur, ſi pulchram reputamus vindictam. Veritas eſt in oppoſitum.

2. Venerabilior eſt vir propter patientiam,

3. quam ob ſapientiam. fl. 29. n. 41. Potius offenſori benefacere glorioſum eſt. fl. 29. n.

4. 16. Et perſonat altè victoria reddentis bonum pro malo. ib. n. 26.

Roſa florum regina. Dilectio inimicorum eſt quid regium. Sollicitandus eſt honor â

5. patientia veniens. fl. 20. n. 31. Et ita lædentem dilige, quòd, ſi patiatur ille quidquam

6. propter offenſam tibi factam, flectaris pietate. fl. 29. n. 66. Solent reges non paſſim curſare per plateas, ad hoc ut obſervent quid adverſus illos plebecula ſuſurret. Regium imitetur morem animus tuus: verbis offendentis aures claude ſic ut non valeant ad cor tuum pervenire. fl. 24. n. 31.

Principes gaudent valde, ſi quandoque per ſtratagema victus fuit hoſtis abſque prælio. Dilectio tua circa inimicos, regis ad inſtar lætabitur ſimiliter de patientia injuriarum: hujus namque proprium eſt aſſequi victoriam citra pugnam. fl. 34. n. 53.

7.

Roſa tandem eſt ſanitati proficua: nec nõ hoſtium amor commoda multa præſtat. Primum: Deus peculiari curâ ſervat hominem, cum iſte non recordatur iræ motivum. fl. 34. n. 23. Iſtam oblivionem vix aliquando perfectè conſequeris, niſi diligas inimicos, Secundus proventus ex hac dilectione manans eſt, quod ſic per tolerantiam offenſarum fies invulnerabilis ab injuriis. fl. 27. n. 7. Tertius fructus amoris inimicorum erit quod illo ſuadente ſilebis offenſus circa famam: & patientia tacentis convincet innocentiam tuam. ib. n. 43. Dicta fortaſſe tibi non diſplicebunt, cum alteri contra inimicum irato manſuetudinem perſuadere volueris. At aliqui ſunt, qui conſulunt alii patientiam circa rem maximam; & ipſi minus læſi fureſcunt. ib. n. 47.

8. 9. 10. 11. 12.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

THEMA.

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator dixit ei: ſi filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Matt. 4.

ARGUMENTUM.

Induite vos armaturam Dei, ut ad imitationem Ducis noſtri ſtetis adverſus inſidias diaboli.

AD verba thematis D. Joannes Chryſoſtomus: *In eremum quoque ſe patitur abduci; & cum diabolo inire certamen ut unuſquiſque cum fuerit baptizatus, ſi poſt baptiſma majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur, quaſi inſperatum ſibi aliquid obviaverit: ſed permaneat cũcta viriliter ſuſtinendo, utpote quæ ſibi conſequenter contigerint. Idcirco enim accepiſti arma, non ut otieris, ſed ut pugnes.* Quapropter Chriſtianam militiam ſequentibus, præſertim hoc initio jejunii Quadrageſimalis, armatura virtutum eſt accipienda contra diabolum. Ad illud Apoſtoli: *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo,* ait S. Anſelmus: *Quia tam gravis & tam multiplex atque tam periculoſa eſt pugna,* propterea accipite armaturam Dei, *id eſt arma virtutum, quibus ſuos milites Deus armat. Accipite de manu Imperatoris ſummi arma fortia,* ut poſſitis *non cedere præditis hoſtibus, ſed* reſiſtere *fortiter illis* in die malo, *id eſt in ora tentationis, quando velut diem proſperitatis arridere faciunt offerendo delectationem peccati. Vel in die malo, id eſt in tempore quo viget malitia, in tempore impugnationis diabolicæ, in tempore præſentis vitæ quæ tota tentatio eſt.*

S. Joann. Chryſoſt. to. 2. hom. 2. in Matth. in princ.

Ad Epheſ. 6. 13. S. Anſel. in com. ib.

Sumenda primò ſunt humilitatis arma: non enim fruſtra capitibus noſtris impoſuit Eccleſia cinerem. Scito quod inter arma Chriſti Domini connumeratur humilitas; ita quod hæc ſpecialiter reſpexit ad victoriam de diabolo reſportandam. S. Antonius Ulyſſiponẽſis: *Triplex autem fuit armatura Chriſti: ſcil. paupertas, humilitas, ſive vilitas,*

S. Anton. Ulyſſip. ſer. 3 de Apoſt. med.

vilitas, & aſperitas: ad debellandum triplicem hoſtem; ſcilicet mundum per paupertatem: diabolum per humilitatem & vilitatem: & carnem per aſperitatem. Sic & nos armemur humilitate contra malignum. 1. Adverſus dæmonem aptiora ſunt arma, quæ nos humiliant. fl. 20. n. 61. Formidabit Chriſtianum diabolus, cum viderit humilem in abſcondenda virtute propria: nam iſtam voluntariè tegens videtur pluſquam homo. 2. fl. 38. n. 48. Et altiùs aſcendes, ſi tibi placeat humilitas; quamvis proprium decus periclitetur. Humilis perfectè magis complacet in ea ſubmiſſione, qua proprium decus periclitatur. 3. fl. 19. n. 34. Nota primò Salvatoris humilitatem, qua Deitatem propriam latere voluit in eſurie. Nota ſecundò, quod ex humilitate noluit convertere lapides in panes. S. Thomas: *Chriſtus autem contra utrumque primò vitat jactantiam quaſi dicat: Tu vocas filium Dei: ego nomino hominem. Unde* non in ſolo pane &c. Expendenda nec non humilitas, qua reſpondens ad ſecundam tentationem, inſinuavit, nolle ſe frangere præceptum de non tentando Deo.

S. Thom. com. in Matth. 4.

Secundò pugnandum nobis eſt armis jejunii, de quibus Ambroſius: *Ergo fratres abſtinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum jejunia ſine intermiſſione curemus. Hic eſt enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim diabolum poſtea quam quadraginta dies jejunavit, evicit,* &c. Jejuni dæmonem faciliùs vincunt. 4. 5. 6. fl. 2. n. 13. ſæpe jejunium præſervat à culpis. ib. n. 15. Hoc pacto fiet, ut jejunantem dæmon pertimeſcat, quaſi non eſſet indutus carne mortali. fl. 15. n. 17. De diabolo S. Petrus Chryſologus ad hoc Evangelium ait: *ſignum panis petit, qui ſignum jejunii pertimeſcit. ſignum panis petit, ut jejunii tremendum ſibi refugiat ſignũ.*

S. Ambroſ. to. 5. ſer. 36.

S. Petr. Chryſol. ſerm. 13. poſt med.

Deinceps pœnitentiæ ſagittas aſſume, atque confeſſionis arcum. S. Antonius: *Sagittæ Domini ſunt cordis compunctiones quibus miſericorditer vulnerat cor peccatoris, ut contra ſeipſum de peccato indignans ſpiritum ſuperbiæ humiliet.* Et poſt pauca: *In arcu notatur confeſſio.* Adverte ſagittæ pernicitatem; & imitare velocitatem pœnitentiæ: huic enim tarditas multum detrahit. 7. An Deus plùs movetur, ſi convertatur homo celeriter fictè; quam ſi verè ſed moroſè fl. 25. n. 35. Quid ligat peccatorem, ne ſurgat ocyus à peccato? Eo ligatur, quo cæcutit. 8. 9. fl. 3. n. 92. Adde quod ideo quidam improbi delicta non dimittunt, quia diligunt ea, quaſi peccata forent ſuæ poſſeſſiones. fl. 28. n. 54. *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Longe aliter multos dæmon tentat: nempe non ut lapides in panem tranſmutare velint; ſed ut ſeipſos in lapidem vertant præ cordis obſtinatione.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. Dom. 2. Quadrag.

Denique peccatori monendum, quod in ſatisfactionem criminum libenter patiatur injurias, obarmatur patientiæ thorace; de quo S. Odo Abbas: *Per thoracem vero fortitudo patientiæ deſignatur.* Patiens vincit in ſuis impugatoribus dæmonem (cujus arma ſunt iſti) quia manſuetudine proſternuntur 10. adverſarii. fl. 29. n. 64. Ne timeas, defecturum te dum pateris voluntariè: patientia quippe tua corroboratur, cum te ſubmittis. fl. 34. n. 11. Verum eſt poſt patientiam injuriarum reſtare tibi multa prælia: ſed qui non ſe tuetur cum afficitur opprobriis, ad non peccandum in aliis fortis erit. fl. 20. n. 35. Meditare patientiam Domini, qui permiſit ſe à diabolo tentari. S. Joannes Chryſoſtomus: *O incomparabilis Domini patientia, & admirandæ humilitatis exemplum. Tentari à diabolo Dominus patitur, qui tentantem ſe in deſerto jam dudum mortifero ſerpentium morſu percuſſit.* 11. 12. Chryſoſt. tom. 2. hom. 5. ex var. in Matth.

FERIA IV. POST DOMINICAM. I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Matth. 12.

ARGUMENTUM

Peccator excitetur à dormiente Jona.

EXcitetur, inquam, ut in imagine ſua cernat impius qualiter jaceat in ſcelere. Hiſtoriam Jonæ referat concionator quantum ſatis. Addat verba S. Antonii Ulyſſiponenſis. *Navis*, inquit, *iſta caro eſt propria, quæ ſemper te ducit in Tharſis, id eſt, in mundanam lætitiam .... O infelix peccator quomodo potes dormire in tam valida tempeſtate?* De Jona legimus: *Jonas deſcendit ad interiora navis, & dormiebat ſopore gravi.* Sic (& longe gravius) peccator ſomno voluntariè premitur: qui non qualiſcumque ſomnus eſt, ſed lethargus. Et ex hoc agnoſce quam periculoſo morbo laboret qui moratur in crimine. In peccato ſedentis gravior eſt morbus. fl. 20. n. 27. Qui ſomnos capit, aſſimilatur defuncto. Peccator vivens mortuus eſt; juſtus mortuus quaſi vivit. fl. 26. n. 49. Equidem omnipotentiæ facillimum eſt vitafunctum ad vitam corporis revocare. Non dicam quid majus eſſe ſuſcitatione mortui converſionem peccatoris obſtinati: ſed potius addam, quod ad gratiam revocare malum factum velut inſenſibilem, videtur majus opus Dei; quam aliquid ex nihilo producere. fl. 32. n. 43. Non expectet homo quaſi prodigium iſtud experiri tandem in ſemetipſo: nam qui miracula poſtulat, ſæpe *ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ*, qui cum à Domino rebellis fugeret, ſopitus erat, ac tanden demerſus in æquor à beſtia marina devoratus eſt: de qua S. Doctor Luſitanus: *Mare eſt mundus per quem ad iſtud gaudium perventur: ſed frequenter antequam perveniat homo ad gaudium quod affectat, à marina bellua, id eſt, dæmone, devoratur.*

S. Anton. Ulyſſio. ſer. 4. hebdoma. I. Quadrag. Jonæ. 1. 5.

1. 2. 3.

Dormienti ſimilis etiam eſt iniquus in eo, quod tanquam ſomnians it poſt apprehenſionem propriam. Peccator aliquando vadit magis poſt ſuas cogitationes quam poſt bona dilecta. fl. 3. n. 40. Et ſicut ille qui ſomniat ſe comedere, non ideo ſatiatur, ſic improbi

quidam, velut inter duas mensas positi, spiritualem atque mundanam, neutra famen extinguunt. fl. 12. n. 8. somnus iste pec-
6. catoris aliquando supplicium est, & non modicum. fl. 5. n 38. Sed non erit ille somnus ultimum inter supplicia.

Postquam surrexit tempestas Ionas tunc tradidit membra quieti. S. Hieronymus: S. Hieron. com. in Jon. c. 1. *Tempestatem*, inquit, *ignorantibus cæteris contra se sævire cernebat: ideo descendit ad interiora navis: & tristis absconditur: ne qua si Dei vindices fluctus adversum se videret intumescere.* Fortassis ille dixit intra se: cur ego non evadam, si procellam evaserint isti, qui navigant mecum? Similis est Jonæ peccator. Idem S. Doctor ait: Idem. ib. *Somnus Prophetæ & gravissimus sopor, hominem significat erroris sopore torpentem: cui non sufficerat fugisse à facie Dei, nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, & quasi securus dormiret, & profundissimum somnum ronchonare sonaret.* Perdit hominem dicere intra
7. se: Cur ego non evadam à pœna, cum evaserit alter? fl. 5. n. 32. Fallitur multoties qui sic præsumit. Missus est in mare Jonas; & evaserunt cæteri. Instruatur hoc signo præsumptuosus, quoniam *signum non dabitur ei, nisi* &c.

Excitatus est Jonas: peccatorem non pauca suadent ut expergiscatur in pœnitentiam. S. Anton. Ulyssip. sup. S. Antonius Ulyssiponensis: *Nautæ corporis tui excitant te & excitare conantur, ut invoces Deum tuum. An non excitat te dolor capitis? an non cæcuties oculorum? an non debilitas membrorum? Invoca Deum tuum. sed quid debet excitare & dicere? Mitte te in mare, scil. amaræ contritionis*: &c. Unde colliges quod cum doloribus
8. vocamur, afficimur beneficio. Nonnunquam ipsum Dei supplicium, donum est, & amoris opus. fl. 17 n. 22.

9. Jonas non distulit vocatus excutere somnum. Scelestus non differat conversionem. Contra procrastinantes agredi vitæ semitam vide. fl. 21. n. 34. Miserum est, quòd peccator præ pudore non statim surgat, & quærat pœnitentiæ fontem, cujus aquis delicta sepeliuntur; cum Jonas minimè secretum quærens, detexerit crimen suum.
10. Pudor malus valde præpedit ad bonum. fl. 7. n. 20. Econtrariò, pudorem humanum
11. vincere, ne factum virtutis omittas, videtur
12. quid divinum. fl. 16. n. 56. Denique nota, suscitatum à somno prophetam non rursus obdormisse. Ne præsumat peccator semel quæsitus in somno suo, quod iterum dormientem denuo Deus inquiret. fl. 5. n. 36.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5.

ARGUMENTUM.

A planta pedis usque ad verticem non est in peccatore sanitas.

Ruper. l. 5. in Joann. RUpertus: *Rectè quidem, ut à sanctis doctoribus expositum est, hic homo tanto tempore languidus, peccatorem significat scelerum suorum enormitate pressum*: &c. Languet primò sceleratus immersus criminibus, per confidentiam nimiam, ægritudine capitis; nempe superbia: sic, ut mortem oblivioni tradat, quasi mortalis
1. non esset. Superbus videtur nescire se terrenum. fl. 28. n. 48. Opportunum est impio suadere conari qualisnam sit naturæ suæ mortalis conditio. Nec obstat quòd asserat ille frequenter, hæc omnia se pro bè scire: nam omnis iniquus est ignorans. fl. 21.
2. n. 46.

Languet secundò luminibus: & ista cæ-
3. citas quia voluntaria, majus est malum. fl. 25. n. 15.

Sed, nisi ferè lapideus, nunc videt, nunc
4. non videt peccatum à se commissum. fl. 14. n. 13.

Languet tertiò auribus. Frequentissimum est ut surdaster multa percipiat auditu longè aliter atque sunt. Ita morbidus iniquitate, per auditum animæ plura percipit falsò. Virtutis opera nonnunquam audit appellari vulgariter hypocrisim, vel quid aliud vituperabile, qui degit inter malos. Si credidit auditis, corrigat errorem suum: nequaquam propter vana dicta mundanorum omittat operari bene; quamvis de famâ periclitetur. Coronam
5. peculiariter meretur non omittens virtutem cum periculo famæ. fl. 16. n. 58. Alii sunt, quibus apparent pavendæ multum irrisiones, quibus mundus contemnit virtuosos, & opprobria, quibus eos percutiunt linguæ pestilentes. Justum non pudeat prosequi salutis viam, ductum hoc auditus errore: aliter honore carebit apud Altissimum. Honore coram Deo caret ille quem pudet
6. exercere virtutem. 2. 12 n. 18.

Languet quartò humerorum plurimo dolore. Idem est ac si dicerem: Nimis dolet homo de pondere crucis; ad quam ferendam cogitur à sæculo. Afflictiones cor-
7. poris anima vanè dolet nimium. fl. 23. n. 38. Non tam alta mitteremus ex anxietate suspiria, si libraremus pondera, quæ suas
8. ferendo cruces, alii sustinent: sed homo passim de solis malis propriis anxiatur. ib. n. 40. Forte scriptum est in verbis thematis: *Triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* quò recordaremur, hominem illum non doluisse de morbis aliorum qui morabantur apud piscinam.

Languet quinto frequentissimè qui sæculo vivit chiragra, id est avaritia, qua torpet, ne largiatur eleemosynas; cum si manibus expeditus valde pro subveniendo necessitati propriæ. Consultum est succur-
9. rere citiùs indigentiæ alienæ, quam propriæ fl. 36. n. 30. Non detinet avaritia manus quorumdam, ut expendant cum amicis

cis non egentibus ; ad opem verò ferendam pauperi ligantur morbo ſuo. Magno ſupplicio dignus eſt qui largus in amicos, avarus eſt in pauperes. ib.n.38

10. Languet ſextò dolore, ſeu potius voluptate ventris per gulam quandoque malus. Nec mirum quòd loquentes de anima nunc utamur nomine ventris: nam per gulæ vitium anima quaſi videtur corporea. fl.2.n.27

11. Languet pedibus identidem peccator, greſſum non firmans. Nunc oculos intendit aliqualiter, licet imperfectè, ad futura, quò ſe reducat in meliorem frugem: nunc malam conſuetudinem abjicere non deliberans, aſpicit retrorſum. Aſpiciens retro ſimilis eſt retrogredienti. fl.20.n.49

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Præcepit eis Jeſus dicens : Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. Matt.17.

ARGUMENTUM.

Flatus idem unum exinguit ignem, alium accendit.

VAnam glorioſàm ventum eſſe non dubitas. Hic ventus accendit in pluribus flammam dilectionis mundi; reſtinguitque bonum ignem, nempe virtutis amorem. Ab hoc diſcrimine longè diſtabat Filius Dei : tamen ad eruditionem noſtram, præcepto, quod legitur in themate, mortalibus inſinuat, ut vanos plauſus non ament. Dionyſius Carthuſianus : *Hoc, ait, Chriſtus. Primò, ut doceat nos occultare propriam excellentiam, quòuſque in præſenti vivimus ſæculo.* &c. Vanæ gloriæ periculum adeo magnum eſt, ut inſignes juſti Deo gratiam agant, quòd non egerint opus etſi meritorium, ex quo manare potuit gloria mundi. fl.15.n.60 Quinimo contemptum ſuî ſic diligunt pati, quò ſuperbiam conculcent, aliquando ex ipſo quod eſſe potuit illis glorioſæ occaſio, colligant exponere ſe voluntario contemptui. fl.16.n.14

Dionyſius Carthuſ. in c.17.Matth art. 30.

1.

2. Ne rapiaris glorioſæ dilectione, perpende quales nam ſint ex majori parte qui tuæ virtuti plaudunt ; & hinc deduces quàm parvî ducendæ ſint inanes hominum laudes. Præmittenda conſideratio qualitatis

3. plurium laudatorum : nam aliquando plùs miratur in alio virtutem qui non ſectatur eam. fl.39.n.52 Quod cum potiſſimùm ita ſit, ne magni facias commendari per ora malorum : nequaquam per hoc extolleris imo deprimeris. Vileſcit probitas juſti,

4. cum prædicat impius eam. fl.32.n.25 Adde quòd non ſemel qui te laudant miſcent laudibus detractionem de temetipſo. Sciunt ſtudioſi Theologiæ moralis, detractionem tamquam genus (ô genus in viſum : genus exitiale barathri !) in plures dividi ſpecies; quas ex D. Thoma collegit Leſſius de juſt. l. 2.c.11.dub.2.n.8. & inter illas meminit modi cujuſdam detrahendi; nempe ſimulatè vel frigidè laudando : refert Phavorinum dicentem : *Pejus eſt frigidè laudare, quàm apertè reprehendere.* Omiſſis hujusmodi ſic ferientibus induſtrioſè quòd melli venena miſcent ; alii ſunt minùs acuti, qui poſt laudem proximi, vulnerant eum linguâ. Terribilis eſt detractio, cui laus miſcetur. fl.4.n.49 Et ab iſtis vaniſſimè laudatus gaudes ?

5.

Igitur vanam fuge gloriam. Nec inhonoratus abibis: primò quia gloria fugientẽ ſequitur. fl. 20.n.33. Secundò quoniam ipſam gloriam ejuſmodi fugientis humilitas honorat eundem. Humilitas eſt honor. fl.8.n.45. Tertiò, nam quamvis apud ſæculũ careas nomine glorioſo; ſponteque tibi ſumas abjectum, iſto condecoratis : humile quippe nomen voluntariè ſuſceptum decoroſum eſt. fl.16.n.42. Adde quæ dicta ſunt de virtute adſonditâ. fl.35.n.39

6.

7.

8.

9.

Nequaquam exiſtimes vanæ gloriæ diſcrimen tantùm dari, cùm virtus exercetur in aperto : necnon januis clauſis aliquando non vitatur hoc malum. Vana gloria comparatur formicæ ; de quo vide S. Joannem Climacum datum fl.14.n.16. Et quamvis ille conferat vanam gloriam huic beſtiolæ in area ; cum hoc tamen ſtat formicam rodere triticum, non ſolum quandiu eſt in area ventis expoſitum ; ſed etiam in horreo clauſum. Sic de vana gloriâ cogita, nonnũquam occulto virtutis operi nocere. Aliquando majus eſt periculũ vanæ gloriæ cum pauperi donas in occulto. fl.36.n.54

10.

Denique memento ſic virtutem ſæpius per elationem periclitari, ut oportunum ſit multoties, ne tumetipſe cognoſcas factum laudabile, quod exerces. Propterea Deus aliquando curat, ut neſciat juſtus prodigium, cui miniſtrat, ne ſuperbiat. fl. 16.n.54

11.

Convenit juſto noſcere quid operetur mali, neſcire quid agat boni. fl.38.n.50

12.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20

ARGUMENTUM.

Ambitionis quædam ſtultitia.

IMperfectos adhuc extitiſſe diſcipulos eo tempore, quo poſtulatio, de qua in Textu per matrem facta eſt, cunctis notum ſuppono. Quid illi duo concupiverint Apoſtoli, cenſuit S. Joannes Chriſoſtomus, inquiens: *Volebant autem, ut ego conjicio, quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos audierunt, primatum hujus conſeſſus impetrare,* &c. & poſt pauca loquens de Chriſto Domino ait : *Ut ſignificaret, nihil eos pe-*

Chryſoſt. t.2.hom. 66.in Matt.

Bed in ex-pos. hujus Evāge.

tere, ſpiritale, &c. Adde Bedam: *Intelligitur*, inquit, *vel ex reſponſione Domini, vel ex indignatione Apoſtolorum, quod filii matrem, ignorantes menſuram ſuam immodicâ cupiditate accenſi immiſerunt ad grandia poſtulanda.*

Hinc occaſione ſumptâ nonnulla proferemus adverſùs eos, qui dignitates ambiunt: notantes horum fatuitatem; cum Dominus illos duos Apoſtolos neſciviſſe quid peterent aſſeveraverit: *Neſcitis* &c. Igitur ambitioſus ignorat primò quantum ſit malum diſcordia: quam ex ambitione quorundam emergere, facilè deduces è præſenti littera. Matth. 20. 24. *Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus.* Diſcordia præcipitium eſt. fl.8.n.43 Et miror quod contentio non fuerit exorta circa præferentiâ inter duos illos germanos, quis eorum dexteram poſſeſſurus eſſet; non ſiniſtram: quia facilius aliquando concordia reperietur circa primatum inter extraneos, quàm inter fratres. fl 8. n. 17. Ignorat ſecundò promoveri ſollicitans ad jurisdictionem exercendam quantum ſit regiminis onus. Non orirentur rixæ de primatu, ſi adverterent omnes pondus regiminis. fl.8.n.21 Ignorat idem tertiò, culmina dignitatum afferre ſecum ſpirituale periculum: & niſi de ſalute non curet, aliter ambitionem deponeret homo præ metu diſcriminis hujus. Qui meminerit animæ periculi, dignitatē non ambiet. fl.8.n.23. Reſpondebunt aliqui, per honorum ſollicitationem ipſos etiam quærere bonum animæ ſuæ: cum in exercitio recto jurisdictionis poſſint multum corâ Domino promoveri. Verum eſt hoc ſecundum: nam de prima parte prorſus taceo; tu cogita. Nihilominus haud obſtante ratione prædictâ, congruum eſt minimè deſiderare ferverosè prælaturam; quamvis aliquando perdatur meritum. fl.9.n.31

Ignorat quartò dignitatum ſedulus auceps, quòd ſemel evectus ad faſtigium non debet quærere quæ ſunt: nam ſi hoc animadverteret, quieſceret ardor aſcendendi præcelſa. Dignitates non ſollicitabit memor, oportere quòd exaltatus non quærat quæ ſua ſunt. fl.8.n.19. Ignorat quintò, multoties agnoſci per ambitionem ipſam, quòd indignus eſt præfecturâ concupitâ qui venatur eam: ignorat, inquam, hoc ambitioſus: nam ſi noſſet, cum ſit nimius honoris amator, certiſſimum eſt, deſiturū fore à ſollicitatione muneris; ne detegeret proprios defectus. Indignus promoveri curat ad regimen; dignus autem non ita. fl. 32.n.11 Indeque fit, ut cum ſollicitum cernamus ad aſcenſum, intelligamus non dignum. Niſi duo diſcipuli, de quibus in Evangelio, peterent ſedes, non agnoſceremus fortaſſis, quòd indigni tunc fuerint, cùm poſtulabant eas. Ad illud Salvatoris noſtri: *Sedere autem* &c. ait Beda: *Hoc eſt: non eſt meum dare ſuperbis. Hoc enim adhuc erant; ſed ſi vultis illud accipere, nolite eſſe quod eſtis, aliis paratum eſt & vos alii eſtote, & vobis paratum eſt.* Bed. ſup.

Ignorant ſextò quid ambiant illi, qui nimis feſtinantes properant extolli ſubitò ad faſtigia maxima; quin adhuc ad minora munia fuerint provecti. Ignoranter, inquam, id concupiſcunt: honorabilius quippe foret ipſis, quòd gradatim aſcenderent, & non per ſaltum, ſimul admiratione dignum, & riſu. Magis inclytum decus eſt ejus, qui paulatim fertur ad ſumma. fl.9.n.23. Ignorant ſeptimò quidam non unicum ſibi quærentes honorem publicum, ſed potiùs avaritiâ quadam concupiſcentes dignitatum congeriem poſſidere ſimul; etſi quælibet earum totum poſtulet hominem. Iſti quodammodò veniunt à majori ad minus: nam primus honor, tollens abjectionem, forſan exiſtimatur major quàm ſi adderetur honor ſuper honorem. fl.18.n.76

Ignorant octavò qui propriam non attendunt menſuram, ſed ultra merita cupiunt extolli, quòd ſi voti compotes facti fuerint, deficiet in eâ felicitate circūſtantia, quæ maximè condecoraret eamdem: quoniam præcipua circumſtantia honoris eſt, ſuſcipientem eſſe dignum illo. fl.18.n.78. Ignorat nonò deſiderans ideo præponi cæteris, ut nulli ſerviat: neſcit, inquam, quòd quisquis præficitur ſit ſervus. fl.33.n.12. Ignorantes ultimò perpendamus ambitioſos ut plurimùm in eò, quòd ſine patientiæ merito multa patiuntur apud ſæculi principes. fl.40.n.59.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Matth.21.

ARGUMENTUM.

Sterilis facta vinea rationalis germinat ſpinas.

S. Antonius Ulyſſiponenſis: *Gratia divina quemque facit hominem regnare, & vitiis dominari, & regnum Dei vocari, quia impenditur gratioſè: ideo*, Dabitur, *oſtenditur operoſè: ideò*, Genti facienti: *colligitur fructuoſè: ideo*, Fructum ejus. Suppono, moraliter vineam, de qua loquitur Dominus in parabola, typum hominis eſſe. Idem S. Antonius: *Sicut vinea indiget cura multa, ſi debeat fructum facere, ſic homo* &c. *Et ſicut vinea ſuper omnia ligna ſtatim efficitur ſilveſtris ſi non colitur, ſic homo* &c. S. Anton. Ulyſſip. ſer. huius fer. 6. Idem ib.

Quod vinea fructificet pendet à duobus: ab influentiis de cælo præſtitis; & à vinitoris culturâ. Benignè cælum rationalem vineam fovit, atque ditavit, ſic abundater conferens gratiam, ut meritò veniat nomine regni. Cœleſtis abundat pluvia, pervadit hominem, ejus duritie non obſtante. Gratia penetrat interiora, quin obſtet reſiſtentia. fl.28.n.12. Eximium eſt gratiæ donum: ſed infructuoſa vinea ſe gratam

non

non exhibet. Majus Dei beneficium faciliùs traditur oblivioni. fl.28.n.12. Time, ne flagelletur ingratitudo tua per ſuſtractionem gratiæ: cùi ſi gratus eſſes, acciperes dominatum vitiorum, & regnares. *Auferetur à vobis regnum Dei*, &c. Supplicium iſtud, quod infligitur ſubtractione gratiæ, non modicum extat: à pluribus tamen haud noſcitur in ſeipſis tamquam peccati pœna. Peccatorem non agnoſcere, Dei ſupplicium eſſe quod patitur, pœnæ pars eſt. fl.12.n.38

Denegatâ cœleſti pluviâ vineæ rationali; hoc eſt, negatis auxiliis efficacibus, anima fit ſterilis virtutum ſolidarum. Aliqui tamen, licet fructum denique non ferant, tamen videntur verâ virtute floreſcere; ſed falsò mentiuntur ſanctitatem per hypocriſim: quod vitium eſt execrabilis valdè fictio. fl.4.n.73. Hypocritarum nonnulli, quamvis peccato ſerviant, tamen quoniam in unâ vel alterâ virtute boni ſunt, audent ſe ſpirituales magiſtros venditare, cum ſint in illâ virtute merè tyrones. Virtutis initio non feſtinandum nimis. fl.32.n.23. Nam ab indiſcreto fervore non ſemel tranſitur ad crimen grave. fl.35.n.21

Hæc exordia ſunt veluti flores: Dominus vineæ vult illam producere ſolidos fructus: *Dabitur genti facienti fructus ejus.* Qui vineam examinaverit, & nec unum invenerit in ea racemum; fortè dicet vindemiatam à prædonibus fuiſſe, hoc eſt à diabolis. Dæmonem furem agnoſco, & hoſtem: ſed non totum animæ noſtræ damnum projiciendum eſt in hoſtilitatem diabolicam: nam ſæpe nequaquam dæmon venit ad nos; vadimus ad illum. fl.5.n.52. Alium habemus in nobismetipſis hoſtem: ſcil. hominem exteriorem; cujus inimicitia contra hominem internum dirior eſt, quàm fimultas diaboli. fl.22.n.24. Accedit quòd aliquoties loco diaboli (qui tunc non induxit ad hoc ſcandalum præſtandum) homines mali plantant in animæ tuæ vinea ſpinas vitiorum, ducendo te in malum. O quam execrabiles hujusmodi mali duces putandi ſunt! Nonumquam terribiliori ſupplicio feritur ducens ad iniquitatem, quàm ducatum ſequens impii ducis. fl.11.n.28. Alius fortè dicet, vineam cernens fructu vacuam, & foliis virentem, non eſſe pro nunc tempus fructuum. Fallitur. Nullum tempus eſt bonis operibus ineptum. fl.9.n.53

Poſtquam animæ vinea redditur infœcunda, multaque profert ſpineta, videtur ipſis armari ſpinis contra Dominum, expulſo penitus timore Dei. Quidam ſe fortes oſtendunt, ne timeant Deum; & fugiunt ab hominibus abſque cauſa. fl.7.n.50. Notabis ad finem, ſpinas aliquando peccata ſignificare, aliquando verò divitias. Hinc perpendendum, quàm ſoleat ſterilis eſſe theſaurus iniqui, ſpinis conſtans. fl.6.n.28

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet in quibus confidebat. &c. Luc. 11.

ARGUMENTUM.

Spolietur armaturâ vitiorum noſtrorum fortis armatus diabolus, & percutiatur armis virtutum.

NOtum eſt, hunc fortem armatum, de quo Dominus in Evangelio, ſatanam eſſe Theophilactus hîc, loquens in perſona Salvatoris: *Fuit quidem, inquit, ante adventum meum fortis ſatanas, & cuſtodiebat atrium ſuum, hoc eſt, prævalebat & imperabat humanæ naturæ fortiter & ſecurè.* Vereor ne dici poſſit in bono ſenſu, poſt Chriſti victoriam de diabolo, nos aliquatenus illum rurſus obarmaſſe peccatis noſtris quæ quidem ſunt arma diaboli, juxta eumdem Tehophilactum, dicentem: *Omnia ſcil. peccatorum genera, illa enim arma ſunt diaboli*, &c. Fidelis igitur anima curet diabolum ſpoliare prædictis armis: percutiens eundem virtutibus armata. Nam juxta S. Vincentium Ferrarienſem, *ſcutum eſt jejunium corporale quod cuſtodit totum corpus.... galea eſt oratio ſpiritualis, ... lancea eſt confeſſio ſacramentalis qua dæmones vulnerantur.*

Theophilact. in Luc. 11.

Idem ib.

S. Vincent. Ferrar. ſer. hujus Dom.

Difficile prælium Chriſtiano proponitur, in miſerâ ſervitute diaboli poſito diuturnè. Peccatoris à dæmone poſſeſſi rara fuga ab illo: & quæ difficultas in poſſeſſore depellendo. fl.15.n.70. Non eſt attamen impoſſibilis victoria: quia nunc pugnat in nobis ille Dominus exercituum, qui priùs *fortior eo ſuperveniens* pro nobis, conculcavit malignú. Jejunia proſequimur eccleſiaſtica: quibus tam validè protegimur, quòd vereor, ne quis exiſtimet, jejunium quodammodò ſupplere potuiſſe Dei aſſiſtentiam, ſi Dominus auxiliator nobis in hoc bello non adſtaret. fl.16.n.40

Orationis galea ſumatur animosè. Pœnitens orationem dolori miſceat: hoc docebit amor. Orare gemitu docet affectus; quod addiſcere non eſt nimiùm facile. fl.15.n.19. Ab oratione ſurgens, nequaquam diù ceſſes à laudabilibus exercitiis omnino: periculoſum enim eſt otium. Hoc diabolo præbet acceſſum faciliorem ad tentandum. fl.3.n.8. Otium putas voluptuoſam & jucundiſſimam quietem? Potius illud mors eſt. ib.n.14. & ſepultura. ib.n.15.

Confeſſionem ſacramentalem adi, quæ lanceæ munus agit adverſus malignum. Ne tamen tu putes percutiendum à te dæmonem, dum ſacramentaliter confiteris, in eo,

eo, quòd ipſum apud confeſſarium accuſas; excuſando te, quòd illud peccatum commiſeris tentatus à diabolo. Non bonum ſignum veri doloris eſt in peccatoribus excuſare ſemetipſos. 7. Pœnitens accuſat ſe; non autem excuſat ſuaſione dæmonis; impœnitens econtra. fl. 14. n. Fortitudo, quam exerces apprehendens contra diabolum confeſſionis lanceam, vincens temetipſum in aperiendo turpitudinem tuam confeſſario: robur, inquam, iſtud habeat ſocium timorem Dei: nam iſtam formidinem tuam 8. dæmon valdè pavebit. Diabolus aliquando magis fugit à timore Dei, quàm ab amore. fl. 26. n. 11. Eadem fortitudo, de qua ſupra, non tantùm exerceatur in victoria pœnitentis de ſemet circa detegenda præterita ſinceriter ac dolorosè: ſimul adhibendum eſt validum propoſitum non ampliùs peccandi. Segniter cum adverſario communi certamen ineunt illi, qui ſimul utcumque diſplicent de peccatis commiſſis, & actu 9. peccant in alio genere. Pœnitentia illius qui adhuc graviter peccat, non mundat eumdem. fl. 32. n. 33. Necnon infirmi ſunt ad ejusmodi cum antiquo ſerpente certamen illi, qui de peccatis non dolent, niſi cum aliquod eis contigit infortunium; ut ægritudo ſubita gravis, vel aliud temporale malum. Timendum, ne ſit horum in- 10. firma pœnitentia. Ferventiùs aliquando pœnitet eum, qui abjicit voluptatem præſentem; quàm eum, qui dolet poſtquam adverſitate doctus fuit. fl. 25 n. 37

Hæc atque cætera pœnitentiæ requiſita ſervans tuis peccatis, quæ ſunt arma diaboli, ſpoliabis eum, qui *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, quod habitabat an- 11. tea; peccatumque ſic evades: quæ quidem evaſio victoria magna hominis eſt. fl. 5. n. 16 Poſt victoriam, ne deſiſtas à prælio. Percuſſiſti ſemel diabolum lanceâ confeſſionis? Iterum percutte novâ confeſſione criminis ejusdem; quamvis aliud noviter non commiſeris: nam juſto congruit adhuc dolere 12. de peccato præterito. fl. 32. n. 21. Cum armatus erat ille ſceleribus tuis, eum ſpoliaſti feliciter armis, tollens peccata per primam pœnitentiam: eumdem jam hac armaturâ ſpoliatum faciliùs vinces iterum denuò pœnitendo.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: &. Matth. 15.

ARGUMENTUM.

Velut in ſpeculo cernes in lacrymarum aquis maculas, quas anima tua contraxit per linguam.

EXponit Dionyſius Charthuſianus verba thematis ita: Quæ autem de ore procedunt *videlicet verba illicita* de corde exeunt, *id eſt ab intellectu & voluntate cauſantur: quia (ut ait Plato) ad hoc datus eſt nobis ſermo, ut mutuæ voluntatis fiant indicia*, & ea coinquinant hominem *inferendo maculam culpæ*, &c. Ut ejusmodi maculas homo ſimul intueatur atque tollat, quærendum eſt lavacrum lacrymarum. *Verum Chriſtiani lavacrum ſunt lacrymæ*: &c. De lacrymis autem venict animæ pulchritudo. Dion. Carthuſ. in 15 Matth. art 28. Anaſtaſ. Sinai. poſt q. 98. 1.

Vide nævum in oculo ſiniſtro mentis, hoc eſt; in judicio, quo nimis feſtinanter cenſes de proximo tuo, linguâque ſententiam profers. Defectus in hoc ſapientiæ tuæ deprehenditur: ſapiens quippe non 2. amat nimiam velocitatem in judicando. fl. 40. n. 33

Ne habearis ab hominibus cordatis inſipiens, verba lentè conſideranda ſunt. fl. 2. 3. n. 61. Non enim ponderatio levis adhibenda vocibus, quæ *coinquinant hominem*: &c.

Et ſane detractor, ſi majorem conſiderationem apponat, forſan tacebit. fl. 2. n. 59. 4. Detractionis maculam, quam ſibi detractor inurit (niſi jam pœnitet) fortè non agnoſcet in ſeipſo, quamvis animam detractione fœdaverit. Detractor faciliùs noſcit maledicentiæ turpitudinem, ſi proponatur in 5. aliis detrahentibus. fl. 24. n. 41. In aquis autem lacrymarum hoc intueberis optimè & flendo ſerviet oculus corporis oculo mentis cum fœdatur alter per linguam. Iſtam inſipientiæ maculam, quam prædixi, nonunquam auget invidia: nam lividus erat craſsè. fl. 35. n. 27. Quamvis autem 6. livor moretur in corde; tamen per os efflu-it: *quæ autem procedunt* &c.

Deinde videbis in eodem lacrymarum ſpeculo ſordes mendacii nocivi: quæ maculant faciem præ verecundiâ. Pudeat mendacem, quòd videatur iniviſſe cum dæmone ſocietatem: nam aſſerere poſſumus, 7. hominem gubernare mendacium à corde uſque ad os; diabolum verò ab ore deinceps. fl. 4. n. 39. Adeo turpe crede mentiti, quod non te ſolum; ſed ipſam veritatem, quam tuo commiſces mendacio dehoneſtas. Mendacio mixta veritas deperdit pulchri- 8. tudinem. ib. n. 41. Licet hæc ita ſint, non 9. pudet peccatores aliquos in falſitate deprehendi; cum è contrario vereatur juſtus loquens verum apparentiam mendacii. ib. n. 85. In ſpeculo fletuum animam intuere tuam: & pudefies de illis, quæ *de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: &c.*

In præcordiis manens ira jacit in proximos opprobria. En aliud genus maculæ pudendum contraxit facies animæ tuæ. Opprobrio lædere proximum dignum eſt 10. pudore

pudore. fl. 4 n. 57. Exinde conjice quàm turpis reddatur per iram anima tua : quod aliquatenus minimè difficulter cernes in aliis, dum iracundiâ furescunt, si facies
11. illorum attente mediteris. Contemplare turpem faciem irati, ut non iraſcaris. fl. 27. n. 21. Quod in alio rectè perpendis, non cernis in teipso ? Accede ad ſpeculum lacrymarum, & videbis quæ morantur in corde tuo fœda, per os que *de corde exeunt*.

Ne prætereas ſordidam adulationem : qua fortaſſis animam per os commaculaſti : quamvis enim adulator habere ſoleat aliud in ore, quàm in corde ; tamen in aſſentantis pectore moratur ambitio, vel aliud ſcelus, imo & ipſa deliberatio turpis adulandi ; quæ depromit adulatoria verba ; quorum fallaciæ necnon *de corde exeunt*, &c.
12. Quàm fœdum ſit adulari vide fl. 4. n. 13

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Quinque enim viros habuiſti ; & nunc quem habes, non eſt tuus vir : &c. Joan. 4.

ARGUMENTUM.

Anima peccatrix deſponſata ſex viris non legitimis.

MUlier Samaritana ſignificat moraliter animam peccatricem. S. Antonius Ulyſſiponenſis : *Egreditur igitur mulier, id eſt anima infelicis peccatoris de Samaria* &c. Fœmina. de qua S. Joannes in ſacro Textu, nullum habuerat virum legitimum, juxta quoſdam, inter quos numera S. Irenæum : ſcripſit enim : *Samaritanæ illi prævaricatrici, quæ in uno viro non manſit, ſed fornicata eſt in multis impiis*, &c. Alia lectio habet : *In multis nuptiis impiis*, &c. Licet Cardinalis Toletus hîc explicet mentem Irenæi, quaſi voluerit, ſolum primum virum fuiſſe legitimum. Itaque morali ſenſu ſex propono viros animæ peccantis : nempe faſtum, aurum, odium, amorem ſuî, mundanum gaudium, favorem ſæculi.

S. Anton. Ulyſſip. ſer. huius fer.

S. Ireneæ. l. 3. adver. hæres. c. 19. longe poſt princ.

Faſtui ſuo conjungitur peccator elatus per auram fortunæ caducæ : oblivioni tradens, quòd cum à felicitate ceciderit, nihili fiet ejus magnitudo ; quam nunc vix
1. terra capit. Fortunatus æſtimatur plurimî quandiu non decidit ; poſt lapſum ducitur quaſi nihilum. fl. 4. n. 40. Quantò nobiliùs eligeret faſtuoſus humilitatem in conſortem ? Equidem humiles magni ſunt. fl.
2. 1. n. 24. Lenitas, qua Salvator Samaritidem reprehendit verbis præfixi thematis, occaſionem præbet nobis, ut meditemur humilitatem Filii Dei : quam Diſcipuli Domini mirati ſunt in eo quòd cum illa muliere loqueretur divinus Magiſter. Ad illud, quod habetur apud Evangeliſtam ? *Venerunt diſcipuli ejus : & mirabantur, quia cum muliere loquebatur*. ait S. Joannes Chryſoſtomus : *Sed quid mirabantur ? Facilitatem & incredibilem Chriſti humilitatem, quod tam clarus & tanti nominis, & pauperem & Samaritanam mulierem benignè alloqui non dedignaretur* : &c.

Secundus, quem turpiter diligit anima peccatrix, eſt aurum : & huic ſponſo fidem ſervat amanter ; cum è contrariò ſponſus hic eidem fidus non ſit ; quin potiùs inconſtans valdè. Divitiæ naturâ ſuâ recedunt. fl. 6. n 60. Sed rari ſunt qui perfectè noverint earum inconſtantiam. ib. 3.
n. 46. 4.

Imo quamplurimi ſuam veluti beatitudinem conſtituunt in opulentiâ. Falluntur miſerè. Fortè non eſſet adeo fortunata Samaritana ; ſi non laboraret paupertate ; de qua proximè Chryſoſtomus.

Tertius vir animæ peccatricis eſt odium ; quod illa ſibi copulat ardentiſſimè. Quoniam qui ardenter amant facile ſibi ſomnia fingunt ; ſic impatientes quidam augent opprobrium ſuum in phantaſiâ propriâ. fl. 5.
27. n. 11. Ex iſto conjugio animæ cum odio naſcitur filia nequam, ira : quæ diſſipat bona matris, id eſt animæ : nam ordinariè non unum tantum peccatum commit-
6. tit iratus. fl. 26. n. 57. Ut iram propriam compeſcas, expende, ſimul & mirare, quòd licet offenderet Samaritana Deum, cui locutâ fuit ; benignè Dominus ad illam dixit : *Quem habes*, &c.

Quartus vir animæ delinquentis eſt amor ſuî : cum quo ſatis infelix conſortium experitur illa, propterea quòd ſponſus iſte ſuus ferè continuatè ſit amens. Amor pro-
7. prius ita quandoque delirat, ut meritorium videatur homini peccatum. fl. 1. n. 30. Necnon uſu rationis ideo carere videtur hic cæcus animæ improbæ conjux ; quia ſe gerit hoſtiliter in rem dilectam. Homo ſibimet hoſtis. fl. 2. n. 53. Certè homines non-
8 nulli, cum ſint rationales ; in aliquibus tamen videntur intellectu non uti ; quaſi foret iſta res non ſua. Dixit Redemptor ad Samaritanam : *Voca virum tuum*, &c. *Reſpondit mulier, & dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jeſus : Bene dixiſti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuiſti ; & nunc quem habes, non eſt tuus vir* : &c. Quis eſt vir hic non ſuus, & ultimus ? Intellectus. S. Antonius Ulyſſiponenſis introducit Chriſtum Dominum loquentem S. Anton. Ulyſſip. ſup. ad fi.
ſic ad peccatorem : *Acquieſce mihi, vade, voca virum tuum ad me, voca ad me intellectum tuum, voca cor tuum. Quære ipſum diligenter, & veni ad me.*

Quintus vir animæ peccatricis eſt gaudium ſæculi. Iniit anima cum iſto gaudio fœdus conjugale : ſciens, virum iſtum plures occidiſſe jam uxores, id eſt animas. Aliquos non à voluptatis amore penitus
9. retrahit experientia perditi alterius per appetitum. fl. 9. n. 51. Prædictum gaudium vir eſt non legitimè ſuus animæ. Gaudia
10.

10. non apelles noſtra, triſtitiam verò maximè. fl.23.n.46

Sextus vir eſt favor ſæculi blandientis: quem anima non tenens rectum iter, ſic perditè proſequitur amore, quod maximè dolet, ſi turbationem ſaltem levem patiatur dilectus ille ſuus conſors. Inflatus favore
11. mundano nimis dolet, iſtum aliqualiter minui. fl.11.n.40. Huic viro non ſuo (& ſibi quæ ſiti perurgetur ambitionis) haurit aquam anima Samaritanæ ſimilis. Quantò conſultius foret ut illa viro non ſuo nequaquam laboraret; ſed potiùs Deo, vero animarum ſponſo. Quantus extet honor
12. ſecum deferens laborem pro Domino. fl.15. n.29

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Accepit ergo Ieſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Joan.6.

ARGUMENTUM.

Manus extenta ſit eleemoſinarii clarum emblema; quod per quinque digitos explanabitur.

IAm veluti communi conſuetudine firmũ eſt, ut in præſenti Dominica habeatur de eleemoſina ſermo: necnon & Chriſtus Dominus attendit in Evangelio ad hoc ut doctrinam præberet circa pauperum ſubventionem Euthymius: *Iuſſit quidem panes ac piſces afferri, docens quod etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus, eosque ſibi-ipſis præponere. Illi verò, quamquam ſimiliter fame cruciati nihil aliud haberent, ſine ullà tamen contradictione obediunt.* Proponamus ænigma largitatis in egenos. Non illud quæram longiùs: hoc ſit manus ipſamet aperta: quam dum extendis, explicas quinque digitos; quos ad præſens inſtitutum nunc explicabimus.

Euthym. in 14. Marc c. 26.

Primus digitus, Pollex. Apud Calepinum habes quòd antiquitùs qui favebat alicui, premebat pollicem: unde phraſis, quâ fertur uſum fuiſſe Poetam, dum ait:

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Horat. l.1. ep.18.

Igitur non mœſtâ minaceque facie
1. pauperi dones auxilium; ſed ore faventi. non triſti vultu fiat indigenti beneficium. fl.36.n.26. Aliqui ſingulis pauperibus ad poſtulandum ſtipem accedentibus, induunt ſeveritatem judicialem; examinantes de
2. vita & moribus miſeros. Niſi ratio prudens te cogat, ne pauperem rogantem examines an dignus exiſtat. ib.n.28. Pietatis exemplar Chriſtus Dominus, cum indigebant homines illi, *diſtribuit diſcumbentibus:* & apud Matthæum legitur, dediſſe per manus diſcipulorum. *Dedit diſcipulis*

Matth. 14. 19.

panes, diſcipuli autem turbis. Non ſingulos, quorum fuit miſertus, vocavit ad ſe, ne putaret unusquiſque, ad examen adduci.

Digitus ſecundus, Index. Vulgò ſolitum eſt, cum ſilentium ſignificare volumus imponere digitum iſtum ori. Quapropter, ſicut dictus eſt, Index, quia per illum indicamus; & ſalutaris, quia ſalutantes, vel olim utebantur eo, vel nunc utuntur (S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Secundus* index *& ſalutaris, ſeu demonſtratorius, quia eo ferè ſalutamus atque oſtendimus*) cur non licebit nobis hoc digito ſignificare taciturnitatem? Iſta multis eleemoſinam præbentibus perſuadenda, ne verbis feriant indignum, cui donant eleemoſinam. Inter omnes oppreſſiones pau-
3. perum videtur præcipua percutere linguâ miſerabilem. fl.36.n.18. Longe minùs eum premit inopia ſua: quinimo calum-
4. nia pauperis in faciem aliquando majus tormentum eſt pluribus malis. ib. n.46. Reſpondebit aliquis, minimè ſe cum aſperitate loqui ad pauperem animo crudeli; ſed pro illius correctione. Reponam.
5. Correctio ſæpe tunc non eſt adhibenda miſero, cùm benefacis ei; ſed poſtea. fl. 7.n.34. Salvator poſt convivium, *cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Quare fugit? Homines iſti dixerant Salvatorem prophetam: non igitur agnoſcebant, illum eſſe Deum. Haymon Epiſcopus: *Hinc liquidò patet, longe nos aliter credere, quàm turbæ tunc temporis de Chriſto ſentiebant. Quantùm licet errarent tamen errori illorum cum devotione aliquid veritatis ineſſe deprehenditur.* ne cogeretur Dominus eâdem die, qua *diſtribuit diſcumbentibus* opem, eosdem reprehendere, quòd ejus Divinitatem non adhuc agnoſcerent; non expectavit venturos, ſed abiit in montem.

Haymon Epiſ. in expoſ. huius Evang.

Digitus tertius vocatur, Medius: & S. Iſidorus Hispalenſis aſſerit: *Plerumque per eum probri infectatio exprimitur.* Digitus hic aliis conjunctus jam non præ ſe fert probrum; ſed miſericordiæ miniſtrat, qua fers auxilium egeno. Non irridendus
6. eſt pauper: cum neceſſitatem ipſius minuis, ne verecundiam ejus adaugeas. fl. 7.n.32. An illum non credis honorabilem, quem Salvatoris noſtri dicimus imaginem? Pauperem honora, velut ſi res
7. divina quædam, ut ita dicam, foret. fl.16. n.65

S. Iſidor. ſup.

Meditare, Chriſtum Dominum ſic indigentes in Evangelii noſtri caſu condecoraviſſe, ut cum ſatis foret perficere totem rem per manus diſcipulorum, acceperit propriis manibus panes: *Accepit ergo Ieſus panes*: &c.

Digitus quartus vocatur, Annularis: alio nomine, Medicinalis, vocabulo deſumpto à digito quarto ſiniſtræ; de quo fertur illud, quod jam ſubjiciam ex annotationibus additis Divo Iſidoro Hiſpa-

Hiſpalenſi. *Macrob. & Agell. quòd ab eo ſiniſtræ manûs digito nervus quidam tenuiſſimus ad cor uſque pertineat :* &c. Occaſione hinc ſumptâs per hunc digitum reduc in memoriam, ut ex corde, hoc eſt, amantiſſimè ſubvenias pauperi; quaſi teipſum pudeat de miſeriâ, qua verecundatur ille. fl.6.n.58. Si verò miſeratione carens præteris eum rogantem; qua fronte præcaris Deum ut tui miſereatur? fl.30. n.42. Proh dolor: paſſim ſupplices videmus, & audimus inopes: nihilominus ferè cuncti præterimus egenum, quaſi viam facientes. fl.7. n.56. Expende quomodo piiſſimum cor Filii Dei circa turbas afficiebatur amore; cum legas agiſſe gratias, reputantem factum beneficium ſibi. *Et cum gratias egiſſet,* &c. ubi Cardinalis Toletus: *Gratias tertiò egit inquantum homo, pro divino beneplacito, quo tantum miraculum in hominum ſalutem, & ſpiritualem, & corporalem facere decrevit : noſtrum enim bonum Chriſtus reputabat ſibi proprium,* &c.

Digitus quintus appellari ſolet, Auricularis, *pro eo* (ait S. Iſidorus Hiſpalienſis) *quod eo aurem ſcalpimus.* Cum S. Doctor non contempſerit ad hæc minuta deſcendere; ne dedignemur nos advertere quòd, cum digitus hic exercet munus proximè dictum, claudit aurem; quod non fiet, ſi manus extendatur ad pauperem benevolè. Miſer hic eſt legatus æterni Regis: hujus legationi minimè claudas auditum: nam principem offendit qui legatum ejus deſpicit. Pauperem contemnens, Deum ſpernit. fl. 36. n. 48. Replicabis, te nequaquam aures occludere petitioni eleemoſinæ; ſed importunitati nimiæ petentis: qui non contentus largitione panis, poſtulai ſimul alia. Reſpondeo. Si pietate perfectâ movéris, menſura doni ſit voluntas egentis. ib. n.32. A liberalitate Chriſti Domini doctrinam ſume; qui donavit turbæ quantum volebant: *diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.*

an Grial. in notis ad S. Iſid. ſup.

8.

9.

10.

Card. Toler. in c. 6. Joann.

S. Iſidor. Hiſpal. ſup.

11.

12.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò video. Joan. 9.

ARGUMENTUM.

Peccator ad viſum reſtitutus diſcurrit ſapientiâ comite per loca, quibus morabatur dum cæcus erat; demumque templum adit gratias acturus.

S. Vincentius Ferrarienſis: *Chriſtus taliter voluit illuminare cæcum illum; ut daret exemplum cuilibet peccatori cæco qualiter debet illuminari. Nota quomodo quilibet in peccato mortali exiſtens eſt cæcus,* &c. Cæcus, hoc eſt, peccator jam videns, accepit ſodalem ſapientiam cæleſtem: hac pergit comitante. Quæ dixit ad illum, En via recta, quam tenere debueras: illa, quæ tendit per ſiniſtram, te ducebat in perditionem. Vide nunc à longe ubi ſæpius corruiſti; cum id antea voluntariè cæcatus non cerneres. Peccatores aliqui neſciunt ubi corruant; non tamen fatebuntur, ſe perdidiſſe viam. fl.5.n.24

S. Vincent. Ferrar. ſer. hujus ſer.

Poſt hæc occurrit ambulanti puer quidam cæcus. Sapientia dixit ad ſocium: En ſodalis tuus, qui te ducebat cum cæcus eſſes: tu jam vides; ille non adhuc: nam difficilius à ſcelere ſurgit qui ducit alium ad flagitium. fl.11.n.26. Vellem (ait ſapientia) iſtum illuminare; ſed æquum eſt ut puniatur dilatione viſûs in ſupplicium: prætereamus illum. Contingit, alterius ductorem ad ruinam deſtitui ducente ad reſipicentiam propriam. fl.11. n.30. Attamen interrogavit ſapientia conſortem viæ, dicens: Quomodo tu nuper confidebas illi ductori cæco? nonne ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt? Reſpondit pœnitens noſter pudore multo rubens: *Unum ſcio quia cæcus cum eſſem, modo video.*

2.

3.

Cum ſic ille dixiſſet pervenerunt ad forum. Ibi multi jacebant ſeminudi, luminibus carentes, & gemitu dolorem ſuum teſtantes, atque famem. Hi, cum accepiſſent ab aliquibus munera, miſeriamque ſuam donis acceptis fuere conſolati, jam non edebant gemitus. Ingemiſcunt mali; ſed cum primùm evaſerint, obliviſcuntur ſuſpiria. fl.14.n.16. Sciſcitatus eſt pœnitens à ſapientiâ, dicens: Quinam ſunt iſti? Reſponſum dedit illa: Jam non agnoſcis eos, qui fuere quondam tibi comites? Hi ſunt amatores voluptatum: nec ideo dubites de hoc, quia gementes audiviſti: ſæpe quod hominem delectat, punit eumdem. fl. 9.n.49. Aliqui laborantes honeſtè ſuaviùs tranſigunt vitam; quam voluptuoſis incumbentes. fl.16.n.62. Nonne cernis, inquit ſapientia, quomodo lætati ſint illi, dum acceperunt fami ſuæ remedium? Expecta paululiſper, & videbis quàm citò tranſeat illorum gaudium: ecce rurſus ingemiſcentes lacrymantur paupertimi. Videsne? Reſpondit pœnitens: Hæc antea non cernebam, factus iſtorum ſocius; at *cæcus cum eſſem, modò video.* Voluptatum vanitas raro cernitur, niſi poſtquam illæ mittuntur poſt dorſum. fl.16.n.64

4.

5.

6.

7.

Diſcedentrs à foro venerunt ad plateam, quæ proximum ducebat in templum. Occurrerunt pœnitenti quidam, qui cum cernerent eumdem qui cæcus fuerat, & pauperrimus, jam incedebat ornatus pulchro veſtitu, ſubſannaverunt eumdem, & contumelioſa verba jecerunt in ipſum. Ille doluit: nam etiam juſtus, tribulationes quærere ſolens, acerbum exiſtimat opprobria pati propter virtutem. fl.20.n.11. Reprehendit eum, ſapientia ductris illius, quòd ex hoc motivo dolorem concepiſtet; ac addidit: Facis injuriam tihi, dolens alterium opprobrium in te. fl.20. n.19. Tacuit pœnitens. Quoties tamen aliquos habebat obvios; mox ut iſti figebant oculos in eum-

8.

9.

10. dem, jam formidabat, se rursus irridendum ab eis. Timet justus aliquando contemptum vulgi publicum. fl.20.n.17. Oportet imitari cæcum Evangelicum (simbolum peccatoris illuminati) qui non timens contemptum, disertis verbis fassus est cæcitatem suam præteritam, dicens: *Vnum scio, quia cæcus cum essem, modò video.*

Inter hæc venerunt ad templum. Pœnitens ibi grates Domino persolvens de restauratione visûs, orationi devotus tradidit mentem, suspiriis præmissis. Vide fl. 23. n.26. Multum ex oratione gemituque retulit proventum; quasi donaria, quæ Deo sistebat, reverterentur ad offerentem. Bonum opus revertitur in sinum operantis. fl. 28.n.34

11.

12.

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet. Joan.11

ARGUMENTUM.

Animæ spiritualis resurrectio, Lazari suscitatione descripta,

Eric expos. hujus Evan.

ERicus ad hæc verba Domini: *Ipse ergo est resurrectio, & vita, quia per eum resurginus à peccato, ut vivamus justitiæ.* Meditemur, pro anima de peccati sepulchro suscitandâ circumstantias aliquas resurrectionis Lazari: nam S. Thomas à Villa nova, licet antea dixisset: *Qui Deum contemnit, meretur & ipse contemni. Vnde illud verbum toties repetitur, non ut impossibilem, sed ut difficilem quatriduani peccatoris ostenderet curationem.* postea tamen subdit: *Verùntamen si ea duæ in Lazari suscitatatione facta sunt, hujusmodi peccator implere voluerit, poterit & ipse suscitari:* &c. Primùm notat idem S. Præsul sororum preces, & accomodat justis orantibus pro scelerato prædicto. *Sic enim*, ait, *Lazarus sanctarum sororum obsecrationibus suscitatus est. Placet Deo nimis humilitas peccatoris, qui de se penitus diffisus quia indignum exauditione se reputat, alterius suffragia quærit.* A timore Domini solet humilitas ejusmodi provenire; propterea Deo placet valdè hoc exordium Primordia virtutis in timente Dominum sunt ad instar consummationis. fl.26.n.27. Sed advertat peccator, quòd cùm præ diffidentiâ sûî non audet prosè rogare Deum, fortasse putat, extare cor suum timore Dei plenum, & fallitur: quia non adhuc verè Dominum timet; sed vult timere. Quidam adeo sunt imperfectè timorati, quasi Deum non timerent; sed tantùm metuere vellent. fl.26.n. 47. Cura ut veraciter metuas illum, qui licet sit *resurrectio, & vita*, tamen habet claves mortis & inferni.

S. Thom. à Villa No. serm. hujus fer.

Idem prox. sub.

1.

2.

Antequam revocaretur Lazarus ad vitam Dei Filius dixit ut lapis tolleretur: ad quem alludit S. Thomas à Villa nova, cum ait: *Nec tamen facilè abjicitur peccati pondus: grandem tibi violentiam inferre debes, quisquis peccati jugum semel admissum, ab animæ tuæ cervicibus pellere contendis.* Qui nullũ non movebat antea lapidem, ut voluptuosè peccaret, amarissimum judicat, ut amoveat à corde suo lapidem, peccatum ad linguam adducere per confessionem; & antea deglutivit malitiæ amaritudinem, quin gustum offenderet. fl.12.n.10. Difficultatem resurgendi fatemur in peccatoribus quibusdam, quos dicimus in sua nequitia sepultos. Dei magnum opus est educere quosdam à peccato. fl.5.n.30. Sed ne cadat animo qui deliquit: studeat rumpere vincula criminum; recipiatque robur ad perseverandum. Peccatorum catenas confringi valdè conducit ad erigendum hominis animos. fl.7.n.16. Caveat scelestus, ne per nimiam considerationem difficultatis prædictæ decidat in desperationem. Minùs vehemens cognitio magnitudinis culpæ non obstat emendationi; contingit autem quòd vehementissima præcipitat in laqueum. fl.24.n. 33. Spem foveat, intendens oculos in eum, qui dixit: *Ego sum resurrectio & vita:* &c.

3.

4.

5.

6.

Resurgere cupiens à crimine, potius cor apponat ad expendenda solita motiva lacrymarum pœnitentiæ: cum illo ploret, qui priùs quàm excitaret Lazarum, *lacrymatus est.* S. Thomas à villa nova: *Doleat itaque peccator, & lacrymetur, & fremat cum Jesu, ut suscitetur.* Multum reis proficit fletus: nam lacrymæ Deum ex leone reddunt agnum. fl.32.n.49. Videmus passim plures ob temporanea mala nimiùm lacrymosos; raros autem, qui propter commissa peccata liquescant plorantes. Redeat Antistes Valentinus. *Qui enim pro temporalibus incommodis lacrymas nescit, ipse sibi testis est, quia non verè de peccatis dolet.* Quantò majus damnum à gravi scelere patitur homo, quàm possit ab omnibus trãsitoriis detrimentis experiri! Extrinsecùs adveniens clades non tam dura, sicut ipsis peccatis facta destructio. fl.14.n.55. Gratior est mors animæ, quàm corporis. Cum tamen in manu tua non sit à corporali morte resurgere; te poteris à morte spiritûs ad vitam revocare, illo juvante, quem dixisse novimus: *Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

Idem sup.

7.

Idem ib.

8.

Clamavit Author vitæ: *Lazare veni foras.* Et nunc ad pecatorem multipliciter clamat, ut egrediatur à tumulo proprii sceleris. Primus clamor est comminationem pœnæ; quam veluti proponit iniquo missus à Deo timor supplicii. Ne judicet ille quòd in longinqua tempora executio differetur; & sic procrastinet exitum à sepulchro. Peccator, cum Deus minatur, existimet se jam feriri. fl.14.n.27. Non promisit longum spatium ad penitendum segnibus ille, qui dixit: *Etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

9.

Secundus clamor fit à Domino per collata beneficia delinquentibus: per hæc vocantur

10. cantur ad gratitudinem : necnon ad timorem Dei. Peccator aliquando poſt favorem Domini habet potiorem rationem timendi. fl.14.n.51. Tertius clamor eſt per flagellum alterius delinquentis : cujus exprnſione ductus meditari poteſt reus culpæ ſimilîs, imminere ſibi pariter vindictam Dei :
11. ſed peccator ignorat tamquam malum venturum ſibi quòd novit ut alienum. fl.26.n. 31. Et plures adeo longè abſunt ab eo, quòd in alieno capite doceantur; ut poſtquam cernunt reum alterum flagellatum à Deo vindice, tunc imitentur illius delictum, quod non commiſerunt antequam
12. vidiſſent alienum ſupplicium. Aliquando imitatur homo nequitiam peccatoris, non ante punitionem iſtius; ſed poſt. fl.26.n. 33. His & aliis clamoribus vocatus ad reſurgendum impius converſionem ſuam haud moretur.

DOMINICA IN PASSIONE.

THEMA.

Vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam : eſt qui quærat, & judicet. Joann. 8.

ARGUMENTUM.

Schola patientiæ.

D. Gregor. Mag. to.2. hom. 18. in Evang.

S. Gregorius Papa in ea verba Domini : *Ecce idem filius injuriam accipiens gloriam ſuam non quærit. Illatas contumelias Patris judicio reſervat, ut nobis profecto inſinuet, quantum nos eſſe patientes debemus, dum ſe adhuc ulciſci non vult & ipſe qui judicat.* Apperuit patientia ſcholam : ecce diſcipuli ſtudiosè diſcere volentes accedunt : ſcil. amor Dei, fortitudo, ſpes, dolor, innocentia, humilitas : & pro diverſitate genii cujuſque, doctrinam diſtribuebat illis magiſtra.

Ad amorem Dei ſic loquebatur : Scio, totum ſtudii tui conatum ad hoc tendere quòd placeas Deo. Patere libenter offenſas
1. proprias; & placebis. Patientia muta quantum Deo placeat. fl.27.n.39. Tibi difficile non erit hanc lectionem percipere, quia ſoles in tribulationibus gaudere. Feliciter evolas in patiendi gymnaſio : nam celſior
2. tolerantiæ gradus eſt pati cum gaudio. fl. 34.n.17. Ab illo Magiſtro ſummo deſcendit hæc doctrina, quem præceptorem habent mites : quoniam ut æternuo Parenti placeret, quem dilligebat, ita ſubſtinens injurias gloriabatur, ut non aliunde glorificari quæreret in terris. *Vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam :*

Ad fortitudinem deinde patientia ſic eſt elocuta : Putabam te ſic in ſciendo provectam, ut non accederes ac lycæum, ubi tolerantia diſcitur. Sed ſuſpicor, è memoria tibi cecidiſſe quòd Ariſtoteles te vocacavit aggreſſionem terribilium : Tullius verò ſcientiam rerum perferendarum. Terrenis occupata quæ majora ſunt oblivioni tradidiſti. Linque terreſtria : conſurges, & roboraberis patiendo. Tolerando fortificatur juſtus, ſi mens ad ſuperna conſurgat. fl. 23.n.28. Adeo magnum robur accipies, quòd impugnantibus poſſis eſſe terrori.
4. Aliquando timet potens quem odit prudentiâ & patientiâ munitum. fl.27.n.35. Feteor, Judæos non timuiſſe patientiſſimum Dominum; ſed exhonoraſſe : *Vos inhonoraſtis me.* Timerent utique, ſi voluntariam ejus patientiam perfectè noſcerent.

Spem patientia docuit futuros patiendi fructus : commendans ejus memoriæ, qualiter opprobrium ferenti Deus opituletur.
5. fl.20.n.29. Simulque monuit ne per tolerantiæ defectum amitteret dona Dei, ſeque divino ſupplicio exponeret. Æquum
6. eſt, ut donum Dei vertatur in ſupplicium dolenti nimis de contemptu hominum. fl. 20.n.27. E contrariò patiens injuriarum expectare valet ut ejus glorificationem Deus quærat. Audi Salvatorem : *Ego autem non quæro gloriam meam : eſt qui quærat, & judicet.*

Dolorem circa ſubſtinentiam inſtruere non eſt adeo facile. Propterea magiſtra ſapientia diſcipulum iſtum perterrere curavit, ut addiſceret. Dixit ad illum quòd ſi nimius eſſet, ferè mereretur idololatrarum
7. pœnam. Velut idololatriæ genus eſt nimis dolere de contumeliis. fl.20.n.21. Et quâvis dolentes contemni confugiant nonunquam ad orationem; timeat homo, ne Deus
8. iraſcatur ejus orationi, cùm procedit à dolore nimio de contemptu. ib.n.25. Offenſus Redemptor circa honorem, non oravit Patrem, ut offenſores puniret; ſed rem judicio reſervavit illius : *Eſt qui quærat, & judicet.*

Innocentiæ durus videbatur patientiæ ſermo, docentis, congruere quòd ſeipſam non tueretur, ut famæ conſuleret. Audivit
9. attamen rurſus monentem, ut juſtus læſus curaret potiùs non deperdere patientiam,
10. quàm famam. fl.27.n.45. Addiditque, dicens : Innocentia deffenſionem ſuam hominibus non proponat; ſed potiùs Deo. fl. 34.n.37. Exemplum ſumat innocentiſſimi Domini : qui proprias injurias linquebat judicio Patris : *Eſt qui quærat, & judicet.*

Humilitas, optima diſcipula patientiæ, monita ſuſcipiebat ejus libentiſſimè : quamvis unum dederit multis dolentibus inſuave, dum ait : Memorare quòd forſan alium læſeris, & offenſus non præcipitaberis in
11. iram. Qui alium læſit non iraſcatur læſus. fl.34.n.27. Pia magiſtra diſcipulam humilitatem conſolari cupiens inſinuavit ei, qualiter Deus cauſam ageret humilium,
12. cùm offenduntur. Impùgnatores illius, qui ſe præ humilitate non defendit, videntur magis impugnare Deum, quam hominem. fl.8.n.35

Copia pro concionibus.

FERIA IV. POST DOMINICAM. IN PASSIONE.

THEMA.

Dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Joan. 10

ARGUMENTUM.

Fumus ab igne subterraneo sursum ascendit inter flores.

Chrysost. IGnis est odium: fumus invidia: flores verba ficta S. Joannes Chrysostomus: *Nam cum eum circumdederint, & àixerint, Quousque animam perdis? charitate quadam, & discendi desiderio dictum videbatur: animus autem corruptus erat & subdolus.... Modus verò interrogandi, magnum eorum odium indicat,* &c. A corde processit fumus ille per effectus ad exteriora: nam invidia malum cordis est. fl. 35. n. 31. Aliquot similitudines expendamus inter fumum & livorem.

2. Primò fumus est quid satis debile. Perpendatur debilitas invidi. ib. n. 33. Meticulosus non solet aggredi sine comite quemquam: Judæi, cum inviderent Christo Domino; more timentium non oppugnaverunt Jesum singuli; sed pluraliter loquitur Evangelista; Dicebant ei: &c.

3. Secundò fumus est ingratus oculis: invidus est execrabilis pene cunctis hominibus. fl. 35. n. 51. Et si livor prodeat in vitium linguæ, tunc ratione peculiari timet lividus tamquam exosus. Maliloquus quandoque plùs formidat, quàm hostiliter se gerens in opere. fl. 2. n. 67. Utinam sicut alia veretur detractor, sic detractionem proferre timeret. Detractionem ore promere metue. ib n. 51. Et certè justus mortis periculum subibit potiùs, quàm denigrabit alterius honorem. fl. 4, n. 55. At verò Judæi, de quibus in Evangelio, veriti non sunt calumniari Salvatorem, inquientes: *Quousque animam nostram tollis?* Euthymius. Euthym. in Joann. 10. 4 mius: *Sinistrâ mente hoc interrogant, audire volentes, quomodo hoc diceret, ut disputatione ita procedente, magni quippiam rursum de se ipso loqueretur, & occasione, ut dictum est, illum comprehendêdi acciperent.*

7. Tertò fumus denigrat candida. Invidia sic maculat invidentem, ut nonumquam efficiat cum peccato quod erat naturâ suâ bonum. fl. 35. n. 35. Ex naturâ rei bonum erat quærere an Dominus verus esset Messias; isti tamen invidi hoc ipsum inquisivere peccantes.

8. Quartò fumus cùm inter bene picturata miscetur, non ideo minùs fœdus est. lividus quæsito colore non invdiêtis virtutê, sed æmulantis piè, trunculentior existit. fl. 24. n. 49. Præter fictionem, quæ reddit illum abominabilem, accedit alia ratio, cur execremur ipsum, quando tegere satagit livorem apparentiâ bonî: nempe quia tunc difficiliùs noscitur ejus venenum. Invidia 9. quandoque latens agnoscitur difficiliùs, quàm dæmon. fl. 35. n. 53. Bono quæsito colore sic absconderunt invidiam Judæi: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Et fortassis alius, qui falli posset, putaret eos rectâ duci.

Quintò fumus applicatus oculis impedit visum; & provocat lacrymas. Invidus est 10. cæcus est ad gratitudinem; memor ad querelam. ib. n. 29. Non ostante cæcitate, li- 11. vidus acutè cernit in misero splendorem, si relucet in eo. ib. n. 57. In mente judæorum acumen jungebatur cæcitati. Non agnoscebant Christum; & industriosè quærebant occasionem ut comprehenderent illum.

Ultimò fumus insinuat se penetrans interiora domûs. Aliqui, livore suadente, curant aliena rimari, cupientes honorem alterius obfuscare. Curiosus alienorum scru- 12. tator hinc fortè parat viam detractioni. fl. 22. n. 30

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

THEMA.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Unus autem ex ipsis Caïphas nomine, cum esset Pontifex anni ilius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, &c. Joan. 11.

ARGUMENTUM.

Cordis ægritudine totum corpus mysticum ægrotat.

COr est hyeroglyficum consilii ex Pierio. Concilium Judæorum adversùs Christum Dominum ægrotabat malignitate: proinde Respubica vergebat in ruinam; quamvis illi de communi bono curare significarent. Theophylactus: *Vide autem malignitatem Judæorum, populum commovere studentium: quia rationem afferunt, quasi populi multitudo periclitatura esset, & à Romanis perdenda ob tyrannidis suspicionem.* Theophyl. act. in Ionn. 11.

Congruum est uniri mutuò consiliarios ad bonum: sed cum illi mali sunt, & congregantur ad malum, perfecta non est unio. Linguis pluribus loquuntur mali dolos; 1. justis velutos omnibus unû. fl. 4. n. 37. Collegerunt Judæi concilium: sed ex eis Caïphas non multum cohærebat cæteris; cum appellaverit eos nescientes: *Vos nescitis quidquam,* &c. Si minima particula cordis abscindatur, homo totus interit: sic parvulâ discordiâ consiliariorum sæpe bonum publicum perit.

Notandum quòd è multorum consiliis venit frequenter salus Reipublicæ; non tamen sic evenit in materia concilii, de quo narratur in Evangelio præsenti. S. Augustinus: *Temporalia perdere timuerunt,* S. Aug. to. 9 tr. 49. in Joann. &

& vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt : nam & Romani poſt Domini paſſionem & glorificationem, tulerunt eis & locum & gentem expugnando & transferendo : &c. Aliquando finis attingitur rectus abſque conſilio ; & è contra, multis auditis, erratur. fl.8.n.51. A languenti corde, quomodò ſalutifera manabunt ad converſionem corporis ? Infectum conſilium eſt myſticum Reipublicæ cor ægrotans.

Cor ſpiritus vitales non minori ſollicitudine fabricat pro pedibus, quàm pro brachiis. Imitentur conſiliarii cor : attendentes non minùs quid congruat inopibus, quàm potentibus. Ita gloriam regi conciliabunt : nam gloria regis eſt agnoſci, quòd pariter attendit ad negotia pauperum, atque potentum. fl.33.n.52. Qui aderant in concilio Judaïco prætendebant agere ſe de cunctorum bono, quò ſuam honeſtarent iniquitatem : *Venient Romani*, &c.

Cum tribuantur cordi cogitationes, illud eſt ſapientiæ ſedes. Hinc principes inferant, quantum oporteat eligere ſapientes conſiliarios, & illos magnî facere. Conſiliarium ſapientem plurimî faciat rex. fl.40. n.14. Non ita ſe gerunt principes quidam, tædio circa ſcientes affecti : durum exiſtimantes quòd majeſtas ipſorum egeat inſtruentibus ad regimen. Superbi principis non levis eſt pœna cognoſcere quòd indigeat ſuorum ſapientum auxilio. fl.29. n.50. Reges nimis curant de fidelitate conſiliariorum, eo quòd iſtorum congregatio vicem regnantis frequenter agat : & parum de ſapientiâ conſulentium eligendorum ſolliciti ſunt. Principalius curæ ſit principi ſapientia gerentes vicem ſuam, quàm fidelitas. fl.40.n.49. Fortaſſis minus malum veniet à malitiâ conſultorum, quàm ab inſipientia. Caïphas non de nequitia notavit conſiliarios ; ſed potius de neſcientia : *Vos neſcitis* &c.

Cor ænigma veritatis eſt quoniam lingua tunc mentitur, cum difformatur à corde. Si cor, hoc eſt, conſilium veritate careat, Reipublicæ damnum imminet : conſulentes autem, ſi vera proferunt, ſunt regno perutiles. Propterea triſtius eſt regi perdere virum non timentem ipſi dicere verum, quod non placet principi ; quàm regnum amittere. fl.40.n.18. Hinc deducitur primò quantùm noceat regnanti ſuffragium ferens contra mentem propriam : quinimo plùs aliquando nocivum hoc eſt ; quàm defectus conſiliarii ſapientis & amantis. ib. n.22. Deducitur ſecundò qualiter ſit puniendus qui præſtitit conſilium malum. Rex prudens magis attendit ad puniendum eos, qui dedere conſilium iniquum ; quàm ad ſeditioſum populum. ib.n.24

Aliqui ſunt principum à conſiliis, qui ſectantur adulationem : & ideo loquentes juxta beneplacitum regium, deficiunt muneri ſuo ; gratiam ſollicitantes ejus, cui placere cupiunt ambitiosè. Animadvertant ii, quòd qui per dilectionem regis venit ad ſumma, vergit ad ruinam. fl.40.n.43. Et meminerint, cum qui principi veritatem loquitur, ſpreto periculo cadendi, remunerari, providente Deo, nonunquam per favorem ipſius regis. fl.14.n.49. Aliquando metus eſt in cauſa cur non loquantur vera conſiliarii. Pudeat reges, quòd veridicos odio habeant : nam ingratitudo gravis eſt odiſſe vera dicentem. fl.12.n.42

HEBDOMADA MAJOR.

PRO LACRYMIS D. PETRI.

THEMA.

Egreſſus foras Petrus flevit amarè. Luc. 22.

ARGUMENTUM.

Lacrymarum D. Petri dulcis amaritudo, fragilitas valida, velocitas permanens.

CUm paſſim frequentiſſima reperiantur flendi motiva, non omnes flere ſciunt. fl.25.n.31. Quamobrem ſit nobis exemplum flendi laudabiliter Princeps Apoſtolorum ; ne lacrymæ volvantur inanes. Apud Philippum ſolitarium, caro loquitur ad animam : *Petri exemplum tibi propone, qui nihil neglexit, nec diſſolutè egit : nec rem cunctando procraſtinavit : neque propter delictum ſocordiæ indulſit : nec dolorem poſthabuit, quo multo erat opus ob id, cujus gratiâ à divinis ſeptis, & à parte Chriſti illâ deſiderabi i abjectus erat.*

Philipp. Solit. l.1. ad Callinic. c.11. longè ante med.

Primùm diſcamus à D. Petro plorare ſimul cum amarore, dulcedineque. Quamvis Evangeliſta dicat : *Flevit amarè.* non potuit non hæc amaritudo conjungi ſuavitati promananti de meditatione dulciſſimi ſibi Magiſtri. Dionyſius Carthuſianus : Flevit amarè. *id eſt cum præcordialiſſimo cordis dolore ſuum deplanxit peccatum, quod tam dirè negaſſet.* De lacrymarum ſpirituali dulcedine habes fl.32.n.29. Quæ ſuavitas colligitur in fletu dolentium de peccatis, ex eo, quòd lacrymæ penitentium cibus Chriſti ſint. fl.23.n.12. Omiſſis rationibus aliis dulcedinis hujus, unam offero : ſcil. quia lacrymæ preſentiam Dei negotiantur. ib.n.18. *Egreſſus foras Petrus* &c. Cur non potiùs Apoſtolus mox ad benigniſſimum Dominum acceſſit veniam precaturus ? Non longè manet à Deo qui plorat.

Dion. Carthuſ. in Luc. art.48. longe ante fi.

Secundò meditemur quàm fuerint validæ lacrymæ Simonis. Earum potentiæ ratio eſt potiſſima : quia ſupponebant amorem (qui potentiſſimus affectus eſt) : nam lacrymæ ſunt amoris veri probatio. fl.23.n. 16. Hinc pervium eſt meditari quantum conſequantur à Deo lacrymæ. fl.32.n.37. Hoc adeo verum eſt, ut, ſi putares, lacrymis tribuendam animæ ſanitatem, excluſo Chriſto Domino, non multùm Deus curaret errorem tollere. fl.39.n.23. Lacrymæ ſunt adeo potentes, ut culpam tollant ; quæ quidem majus eſt malum, quàm pœna. fl.5.n.22. Lacrymarum efficiam ſciens

Apoſtolus

Apostolus, non ad verba recurrit, quibus indulgentiam exoraret; sed ad fletum: *Flevit amarè.* S. Eligius Noviomensis: *Petrus in pœnitentia sua jam non utitur sermone quo Christum negaverat; ne illi sermoni non crederetur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum. In omni igitur culpa prius flendũ est, & sic deinde precandum: lacrymæ enim tacitæ quodammodò preces sunt. Veniam non loquendo postulant; sed merentur.*

S. Elig. Novom. Epist. hom. 16. juxta fi.

Tertiò denique notanda velocitas lacrymarum D. Petri: quæ colligitur ex verbis Philippi solitarii supra: necnon earumdem permanentia. Quod attinet ad festinationem, recogitemus, Apostolum citò flevisse, ut citò sanaretur. Idem Solitarius: *Qua nocte cecidit, eâdem resurrexit.* Lacrymarum proventus brevî tempore colligitur. fl. 23. n. 20. Et adeo feliciter utiles inveniuntur, ut fletus, qui cœpit ex dolore, nonsemel transmutetur in lacrymas lætitiæ. ib. n. 24. Deinde nonnihil dicam de lacrymarum Principis Apostolorum permanentiâ. Vide quid ex Clemente scribat Dionysius Carthusianus. *Refert autem S. Clemens quod Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quod omni nocte à primo gallorum cantu usque ad horam matutinam stetit in oratione, suam uberrimè negationem deplangens, ita quod facies ejus ex lacrymis videbatur quasi exusta.* Si Petrus vellet breviter fundere lacrymas, & statim abstergere; non egrederetur foras ad plorandum. *Egressus foras* &c. Non illum imitantur quidem lacrymantes diù mala temporalia: quæ dici possunt in aliquo sensu mala putata. Sed nos aliquando ploramus diutiùs mala ficta. fl. 25. n. 55. Alii sunt, qui doctrinam flendi non didicerunt ab Apostolo. Lacrymas fundunt isti solùm quandiu tribulationem patiuntur. Etiam post tribulationem est lacrymandum. fl. 34. n. 33

Philipp. Solit. sup. 9.

10.

Dion. Carthus. sup.

11.

12.

PRO S. LATRONE.

THEMA.

Digna factis recipimus: hîc verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Luc. 23.

ARGUMENTUM.

Dimas quasi furatus est pretiosum thesaurum: in quo reperiebantur argentea lucerna, miræ magnitudinis adamas, auri plurimum, smaragdus pulcherrimus, aureus baculus.

IN hoc thesauro reperta sunt (aperiamus ænigma) cognitio sui: robusta fortitudo: insignis amor Dei: spes virens & vigens: fiducia firma. S. Gregorius Nyssenus de B. Latrone loquens ait: *Animadvertit acutus & ingeniosus fur thesaurum, & nactus occasionem vitam rapuit arte furandi pulchrè atque solerter abusus.* Non aperuit S. Doctor de quo thesauro loquatur: occasionem tamen arripiam, ut hujus pœnitentium exemplaris pium virtutum veluti furtum perpendam. Accepit, inquam, ipse lucernam pretii non exigui: scil. cognitionem propriam, quam habuit occasione timoris Dei. Dimam timuisse Dominum deducitur ex eo, quòd primùm de metu Dei sit locutus, dicens ad supplicii consortem: *Neque tu times Deum,* &c. Cum Dei timorem haberet, scelera sua cognovit apprimè. Timor sanctus homini præstat ut peccati sui cognoscat magnitudinem. fl. 32. n. 51. Non ante supplicium bene cognovit propria delicta; sed postquam traditus est cruci, Peccatum initio videtur minus grave; post flagellum nonunquam gravitas ejus agnoscitur. fl. 5. n. 34. Crucifixus ergo fatetur gesta sua mala: *Digna factis recipimus:* &c.

D. Gregor. Nyssen. or. 2. de SS. Quadraginta Martyr. juxta fi.

1.

2.

Adamantem, id est fortitudinem validam invenit, quam exhibuit in multis. Cæteris prætermissis duo notabimus in eo signa roboris. Primum sit æquanimitas in patiendo, quam insinuavit, inquiens: *Digna factis recipimus*: nam fortitudinem probat æquanimitas in lætis & mœstis. fl. 31. n. 27. Secundum sit exemplo malo socii blasphemantis restitisse, ne sequeretur eumdem: magna quippe vis est exempli nequam. Exemplum malum aliquando major tentatio est, quàm suggestio diaboli. fl. 13. n. 34. Exemplum reprehensibile trahit volentes adeo, quòd si fuerint sodales malus & bonus, bonus imitabitur gressum mali; non è contra. fl. 13. n. 22. Sed fortior adamante Dimas exemplo non fuit victus iniquo: blasphemavit alter; sed ipse laudavit Salvatorem: *Hic vero nihil mali gessit.*

3.

4.

5.

Auri copiam necnon Dimas reperivit, id est, amorem perfectum Dei: quem probavit oratione suâ: *Domine*, &c. Intellexit, Christum Dominum discedere: nec tamen rogavit eum, ut se deferret secum; sed postulavit ut in regno suo positus recordaretur ipsius: *Domine*, &c. Arduum est quòd amor se vincat circa dilectum amittendum. fl. 12. n. 26. Amor etiam ille patet ineo, quòd à servatore postulavit fiducialiter ut sui memor esset; quamvis præ oculis heberet malefacta; quibus meruit olim tradi perpetuis incendiis. *Digna factis recipimus. .... Domine, memento mei,* &c. Quantam generet fiduciam perfectus amor etiam circa maximum timoris motivum. fl. 20. n. 55

6.

7.

Splendet in S. Latronis manu spei smaragdus. An illa pretiosior, quàm quod sperabat ipse? Videtur, plus hominem debere conferenti spem, quàm rem speratam. fl. 19. n. 101. Bene mehercule Dimas expectavit divinam clementiam: qui sibi non pepercit; imo facta sua libens accusavit. Arnoldus de ipso loquitur sic: *Credit & confitetur, testis est innocentiæ Christi: increpat maledicum, nec sibi parcit, sed tantum accusator sui, seipsum adversum se sententiæ veritate prolata, persequitur.* E contrariò clementiam reperire dignus non est qui sibi parcens, aliena facta mala notat. fl. 22.

8.

Arnold. tract. 3. de sept. ver. Dom. ante med.

9.

fl.22.n.58. Non ita Bonus Latro; sed ait: *Digna factis recipimus*: &c.

Aureo baculo nixus est Dimas, ibidem reperto: confidentiâ nempe firmâ; qua suadente dixit: *Domine, memento mei*, &c. Sed cur non amplius postulat, quàm sui memoriam? Quia confidebat ita de benignitate Domini, quòd simul de semetipso diffideret; cum recordaretur humiliter criminum, quæ patraverat. *Digna factis re-*
10. *cipimus*: &c. Fiducia mixta cum diffidentiâ sanctâ Deo placet. fl.5.n.46. Non deerit qui miretur, non dixisse Latronem: Ignosce mihi Domine; sed: *Memento mei* &c. quod aliquam præsumptionis apparentiam videtur præ se ferre. Forsan ita locutus est, ut humilitatem suam ex parte
11. plurimâ tegeret. Fiducia, quæ manat ex amore Dei, humilitatem contegit aliquando sub apparenti præsumptionis umbrâ. fl.37.n.30. Sed à superbia longissimè Dimas aberat: imo supplicationem suam to-
12. tus trepidans obtulit. Trepidatio justi plurimùm provocat Redemptorem ad benignitatem. fl.20.n55.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

THEMA.

Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim. Joan.13.

ARGUMENTUM.

Salvatoris amor hodie thronum ascendit, & solemniter coronatur.

INter cæteros cordis affectus obtinet amor principatum. Dilectio tamen Redemptoris nostri justis de causis distulit ad finem vitæ coronationem suam; quam hodie meditemur peractam sic. Positum erat solium præcelsum, ad quod per tres gradus fiebat ascensus; quibus innitebatur aurea sedes. Erat præstò regalis purpura, simul & adamantina corona; necnon ex eodem lapide sceptrum. Per tres gradus intellige tria, quæ divinus amor veluti pede calcavit: scil majestatis decus, innocentiæ humanam existimationem, & honorem à sapientia venientem. Per sedem auream accipe cor amantium Dei Filium: per sceptrum potestatem amoris Christi: per coronam, perseverantiam dilectionis hujus.

Induit ergo coronandus amor purpuram; quæ regium est insigne. Theodoricus rex, de purpura loquens ait: *Obscuritas rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum* (alibi legitur: *Dominum*) *conspicuum facit: & præstabat humano generi, ne de aspectu principis possit errari.* Sanguineum colorem pro veste regali sibi vindicarunt principes, ut protestarentur, se paratos ad effundendum sanguinem pro suis. Paratissimus erat Filius Dei ad sanguinis effusionem: & ita quòd glorioſum fuit ei pro generis humani redemptione pati.

Theodoric. rex apud Cassiod. l. 1. var. c. 2. post princ.

Joannes in Apocalypsi refert, cum aperuisset agnus librum, seniores concinentes dixisse: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo* &c. Et quid significat apertio libri facta per agnum? Rupertus: *Antequam aperuisset agnus librum, antequam per passionem suam adimplesset veritatem Scripturarum*, &c. Pervium est, hoc posito, dubitare sic: Agnus aperuit librum patiens? & quia passus est redimens homines in sanguine suo, dignus dicitur aperire librum, id est pati? quid est hoc? Dignum potiùs diceres effulgere, decorosèque proclamari. Cur ergo sic loquuntur Seniores? Quia tam glorioſum fuit Christo Domino pati, quòd ipsa passio videatur honorificum præmium passionis ejusdem. Sanguinis effusio quidem extitit amori divino militaris pugna, simul & purpura regalis. Hoc adeo verum est, ut asserere possimus, Christum Dominum per effusionem sanguinis in cruce firmavisse regnum suum in æternum. fl.33.n.34. Appositè Redemptor, cum instabat passio sua, se Dominum expressit. *Vos vocatis* &c.

5. Apoc. 5. 9.

Rupert. l. 4. in Apoc. longe post. princ.

2.

Indutus amor purpurâ thronum incipit ascendere: pede terens primum ejus gradum: hoc est, majestatem Unigeniti Patris humilians in lavandis pedibus discipulorum: de quo S. Augustinus: *Ille discipulorum non manus, sed pedes lavit: & cum se sciret à Deo exisse, & ad Deum pergere, non Domini Dei, sed hominis servi implevit officium.* O qualiter per amorem fuit submissa majestas! Quasi parum esset amantissimo Salvatori se creaturæ quodammodo parem exhibere, semetipsum præstitit in lotione pedum serviliter minorem. Non contenta dilectio Christi Domini paritate, quam erga dilectum solet amor non recusare; voluit hodiernâ luce, Dei Filium officium servile præstare creaturis.

S. Aug. to. 9. t. 55. in Joann. ante fi.

Ad sponsæ fores in Canticis legimus dicentem Sponsum, ut sibi referaret ostium. Illa frivolas excusationes prætendens renuit: de quibus unicam perpendo: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Abiit sponsus. Et cogitabam inquirens, cur non dilectæ responderit: Surge: meum erit diluere pedes tuos? nonne præstitit hoc Apostolis in cœnaculo? quare non etiam sponsæ Canticorum exhibuit officium istud? Quia minùs amabat olim Deus priùsquam fieret homo populum Israël: cujus personam agit sponsa loco citato juxta Liram. Ego dormio. *Hic consequenter ponuntur adversa: populus enim Israël ex abundatia bonorum temporalium declinavit ad idololatriam*, &c. & infra: Lavi pedes meos. *Hoc dicitur secundum æstimationem idolotrantis populi, qui cultum Dei reputabat immundum, & cultum idoli mundum.* At verò post incarnationem longè majora signa dilectionis erga suos Dominus protulit. Itaque tempore legis veteris, cùm Deus minùs amantem populi se demonstrabat, satis fuit, ut se gereret cum eo quasi cum sponsâ: conjugium enim istud secum deferebat, in bono sensu quamdam paritatem. Non adhuc tempus aderat, ut exerceret Sponsus, affectu suadente, mirandam inferioritatem lotionis pedum. Idcirco non semet obtulit ad sponsæ plantas diluendas.

3.

Canticor. 5. 3.

Lir. ib. n. 2. & 3.

Cum autem carne jam indutus erat, non contentus divinus amor, quid Unigenitus Patris per humanitatis assumptionem frater noster factus fuisset (quod æqualitatem nobiscum quadamtenus insinuat) rerum omnium Dominum ad servile ministerium dilutionis pedum adduxit humiliter. Non fuit inopportunum hac die se verum Dominum exprimere, ne dubitaretur. *Vos vocatis*, &c.

4 Sed animadverte, gloriosiorem Christo Domino fuisse humilitatem, quàm patrationem operum mirabilium. fl. 33. n. 32.

Secundus gradus, quem divinus amor misit sub pedibus, cum ascenderet solium, fuit hominum existimatio de sanctitate suâ. Nam, cum soleat amor inter eos, qui moribus pares degunt reperiri; periculum erat, ut aliquæ mentes ita discurrerent: Christus diligit peccatores? Igitur & peccator est. Dei Filius videtur exponere perículo decus propriæ bonitatis, in diligendo

5 peccantes.

6 fl. 33. n. 36. Imo sic in isto gradu semetipsum apud nos extulit amor Dei, quòd se gerat quasi non habendus esset bonus, si nos simus mali. ib. n. 38. Discipulorum improbitas aliquoties reddit suspectam præceptoris bonitatem: nihilominus, quamvis adesset Judas, illum non excipiens Dominus, non recusavit se cunctorum testari Magistrum: *Vos vocatis*, &c.

Tertius gradus ab amore Servatoris proculcatus in ascensu throni, honor extitit Christo Domino veniens de sapientia sua.

7 Sic istum præ dilectione mortalium contempsit, ut potiùs fateretur, se nescire, cum foret omniscius; quam aliquos ex hominibus non amore prosequi. Sponsus Cantico-

Cantic. 6. 10. 11. rum dixit: *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Nescivi:* &c. Exponit S. Justus Epi-

S. Just Orgelitan. Episc. ib. scopus: *Quid nescivit Christus nisi peccatum? Nescivit etiam illos, qui in Evangelio dicunt: Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc (inquit) dicam illis: Amen dico vobis, quia nescio vos:* &c. Quare non magis dixit in Canticis, ipsi non placuisse vineam? sed ait: *Nescivi?* Præ mortalium amore sapientiam exposuit periculo dedecoris. Ne crederes, aliquos hominum ab ipso non diligi; nescivisse dixit.

8 Adde, Filium Dei tam ardenti amore fuisse prosecutum suos, ut habuerit se quasi nesciret propriam dilectionem, qua prosequebatur eosdem, ad hoc ut novos cordis ac-

Joann. 14. 21. cenderet ignes. *Qui autem diligit me diligetur à Patre meo: & ego diligam eum*, &c. An Salvator non amat suos amatores priùs quàm diligatur ab eis? Ita sane. Quid est ergo quòd proponit in præmium amoris eorum dilectionem suam circa illos? fortè nescit eam, qua prosequitur ipsos antequam Redemptorem diligant? Minimè: sed sponte se Dominus gerit ad modum nescientis amorem, quo fertur erga suos dilectores; cupiens novos affectus incrementare: simul & loquitur sic, velut ignorans; ut insinuet, se parvi ducere quòd existimetur indignè sapientia sua. Hujus honorem proculcavit etiam præsenti die: nam hodie se fassus est magistrum discipulorum (*Vos vocatis*, &c.) qui licet fuissent à Domino diù docti, nesciebant adhuc multa: cedit autem in dedecus præceptorum ignorantia discentium.

Per gradus tres prædictos denique nostri Salvatoris amor se levavit ad solium, id est, ad cor discipulorum; in quo requiem quæsivit, & invenit. Sed cum essent illi naturâ suâ mutabiles, quies prædictæ sedis erat mixta curis: non ideo tamen fuit illa minus glorioſa: nam principis est gloria, sedis quietem jungere sollicitudini. fl. 33. n. 14. Attamen, quoniam ea quæ glorioſa 9 sunt in vita mortali, doloribus persæpe miscentur, angebatur Filius Dei perpendens naturalem inconstantiam suorum. Vide 10 quantùm hoc amantem cruciet. fl. 25. n. 27. Quomodo non torqueretur amantissimus, prænoscens, Petrum, quamvis tunc non diffiteretur se discipulum tanti magistri (*Vos vocatis*, &c.) postea negaturum se?

Sedens in throno Assertoris amor arripuit sceptrum in signum potestatis. Et hodie ratione peculiari novimus amorem Christi Domini potentem; cum effecerit maximum inter sua mirabilia, Sacramentum altaris instituens. At fortè quis putabit 11 admirabilius esse, quòd Apostolos nunc instituerit Sacerdotes: valde nanque mirandum quòd per alios operetur prodigia.

Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, &c. Joan. 14. 11. 12. Dubiolum propono. Dum intendebat Salvator suadere consubstantialitatem suam cum æterno Parente, quid ad hoc conducebant opera miraculosa, quæ facturi erant credentes in eum? Non parum ex hoc ejus Divinitas clarescit: nam eximium quid est per alios patrare prodigiosa. S. Thomas ibi: *Q. d. Opera quæ ego facio adeo magna sunt quòd præbent sufficienter argumentum Divinitati meæ: sed si hæc vobis non sufficiant, respiciatis ad opera, quæ per alios facturus sum. Potissimum enim signum magnæ virtutis est: ut homo non solum per se, sed etiam per alios eximia operetur.* In verbis thematis Dominus testatus est Apostolorum se magistrum: *Vos vocatis*, & adeoque se transfundere concupivit amanter in discipulos, ut non sapientiæ tantùm, sed etiam potestatis voluerit esse participes, Mysterium fidei committens eis in munere Sacerdotali. S. Thom. ib. lect.

Demum Salvatoris amor adamantinâ corona semetipsum redimivit: hoc est, egregiâ constantiâ. Sed quia parum foret amorem Domini laudare de permanentiâ; trutinemus, dilectionem Redemptoris erga suos eò perveniſſe, quòd aliquatenus posuisse videtur in manibus eorum perseverantiam suam in diligendo ipsos. *Manete in me: & ego in vobis.* Cardinalis Toletus: *Ut sit sensus: Adhibete omne vestrum studium, ut ego in vobis maneam.* Et infra: *Id est, ea omnia agite, ut hæc unio permaneat, & perseveret, vestri mecum, & mei vobiscum.* Ecce constituit permanentiam suam in manibus discipulorum! 12 Joann. 15. Cardin. Tolet. in com.

PRO SOLITUDINE VIRGINIS DEIPARÆ.

THEMA.

Amaritudine plena ſum. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Threnor. 1.

ARGUMENTUM.

Septem gladii deſolatam transverberavere Deiparam.

Hug. Card. ad Thren. 1. 20.

AD verba thematis Hugo Cardinalis aliorſum: Foris interficit gladius: *id eſt in ſenſibus*.... Et domi: *id eſt in cogitatione*. D. Antonius Ulyſſiponenſis: *Verè in morte Filii ſui ipſa oppreſſa eſt amaritudine. Unde dicitur Thren.* 1. Subverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum. *Unde bene dicitur Maria, quia mare amarum, quia amaritudine replevit eam Dominus.* Itaque ſeptem gladios meditor pectus Virgineum transfixiſſe: nempe, ſilentium, abſentiam, ſpem, memoriam, conſiderationem, amorem, atque deſiderium.

D. Anton. Ulyſſi. ſer. Dom. P. L. longe ante med.

Gladius primus, ſilentium. Cum Dei Genitrix nihil dixerit ad filium ſibi loquentem dum crucifixus eſſet, premente verba dolore multo; verosimile fit, ex eâdem cauſâ poſt Domini ſepulturam ut plurimùm tacuiſſe. Cæteris paribus dolet ampliùs qui tacet. fl. 19. n. 89. Jam non, ut olim, pium edit in illa verba queſtum: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Non curavit ſic loquendo conſolari mœrorem proprium: quia ſuî doloris protunc videtur unicum remedium extitiſſe illud, quod non patiebatur amor: ſcil. cogitare, ſe non genuiſſe talem filium; ne doleret ipſum perdidiſſe. fl. 19. n. 67. Tacet igitur non ſollicitans evacuare dolorem, cujus amaritudine plenam experiebatur ſeipſam. *Amaritudine* &c.

1.

Luc. 2. 48.

2.

Secundus gladius, abſentia. Illuminatiſſima Virginis mens erat: & amator abſens preſſus deſiderio rei dilectæ, ſi mens ejus illuſtratur cælitus, vitâ fruitur, quæ dici poteſt mors. fl. 19. n. 75. Hîc aptari poſſunt verba D. Bernardi; quamvis de B. Maria loquatur ſtante juxta crucem: *Quaſi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat quæ vivens mortua erat.* Multa motiva doloris expendi poſſunt in Virgine ſolitariâ: ſed adeo replet dolor abſentiæ cor amans, ut non videatur reſtare locus alteri dolendo malo. ib. n. 77. Amaror de Salvatoris abſentia ſatis erat, ut arrogare ſibi poſſet Virgo verba thematis: *Amaritudine plena ſum.* quaſi replerum hoc dolore pectus ejus foret adeo, quòd non pateret locus anxietatibus aliis.

3.

D. Bernard de lament. V. M. ad med.

4.

Tertius gladius, ſpes. Virgo quidem expectabat Unigenitum brevî reſurrecturum: ſed aliquando magis torquet ſpes brevis de remedio; quàm diutinum malum. fl. 10. n. 40. *Amaritudine* &c. An in Mariæ pectore non erat ſpes, qua levaretur iſte dolor? totam replebat amaror? Etiam ſpes quam prædixi, pertinet ad amaritudinem.

5.

Quartus gladius, reminiſcentia. Recordabatur Maria dulcedinum, quibus potita fuerat colloquens Gnato, & ipſius præſentiâ fruens familiariter: dolebatque non ſimili dulcedine fruituram, niſi Chriſto Domino poſtea reſurgente. Plus torquetur carentiâ dulcedinis divinæ qui magis guſtavit eam. fl. 10. n. 5. Reminiſcebatur etiam de beneficiis eximiis, quæ ſuſceperat à Salvatore. Amans & gratus anxiatur vehementiùs, cùm ex beneficii memoriâ lamentatur amiſſum benefactorem. fl. 19. n. 85. Multa ſuſceperat de manu Domini munera civitas, quam Jeremias introducit dicentem: *Amaritudine* &c. ſed hocipſum augebat ejus amarorem.

6.

Quintus gladius, conſideratio. Meditabatur Virgo anteactam paſſionem dilectiſſimi Geniti. S. Bernardus loquens de B. Maria poſt ſepulturam Dominicam manente in domo S. Joannis: *Revolvebat modò ſputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas, & flagella, modò crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam ſpineam, modò aceti & fellis pocula, mortem, verba & improperia, modò mortem, mortem autem crucis. Hæc autem cogitando plorabat*, &c. In paſſione Domini latentia perpendebat Virgo ſapienter plura motiva dolendi: quapropter afflictabatur ampliùs. Sæpe magis dolet in adverſis ſapiens, quàm ignorans. fl. 19. n. 69. Inſuper meditatione verſabat quantum gloriæ ſuſcepturus eſſet Chriſtus Dominus ex acerbâ morte. Pugnabat ſecum hîc Mariæ dilectio: nam ſuadebat amor ut in glorioſis effectibus Dominicæ paſſionis complaceret; ac ſimul trahebat cor ejus, ut in tormentis Filii recolendis torqueretur. Diſcerpitur cor prudens, cùm pius amor dolere, & inſimul aliqua recta ratio gaudere præ dilectione ſuadent. ib. n. 71. Ea propter in Virginis interiori domo veluti mortem perpendamus, ad illud Jeremiæ: *Domi* &c. id eſt, in cogitatione.

Idem ib. ad fi.

7.

8.

9.

Sextus gladius, amor. Sicut in diligendo Chriſtum Dominum Deipara cunctos anteceſſit mortales, ita plùs omnibus doluit: & adeo quaſi nemo niſi ſolamet ipſa quidquam perdidiſſet in Salvatoris morte. Amator eximius jacturam rei dilectæ tangentem plures arrogat ſibi ſoli. fl. 19. n. 91. nequaquam dolor amoris minuebatur ex eo quòd oculis corporeis, poſt Dominum ſepultum, non videret ejus plagas: nam animæ luminibus omnes & ſingulæ cauſæ lugendi præſentes aderant, eoquòd amans adſit in abſentia dilecto. fl. 15. n. 40. Non itaque de præterito loquatur, aiens: Foris interfecit crudelitatis gladius Filium, quem diligo; ſed per verba de præſenti dicat: *Foris interficit gladius*, &c.

10.

11.

Septimus gladius, deſiderium. Non illud putes unicum: plura namque perdiderat in Gnito. Quot fuere deſideria, tot patieba-

turictus. Desiderium animæ sanctæ pharetra sagittarum est. fl.10.n.36. Vide tabulam sententiarum V. Mariæ dolor.

SABBATO SANCTO AD NOCTEM.

De curis mulierum piarum pro Dominici Corporis unctione.

THEMA.

Quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, &c. Cant. 3.

ARGUMENTUM.

Imitetur anima devota mulieres illas pias, quarum sollicitudo fuit strenua valde, vigil amanter, & accepta Deo.

Rupert. l. 2. Cant. c. 3. RUpertus ad verba thematis, loquens in persona B. Mariæ: *Isti vigiles me invenerunt, & mulieres, quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum*, &c. Strenuitas mulierum illarum patet ex eo quòd ipsarum dilectio mansit post Christi mortem; ita constans, ut contempto periculo, quod eisdem venire posset à sepulchri custodibus, ad tumulum Domini deliberaverint pergere, quò sacrosanctum Cadaver ungerent. Imitemur earum fortitudinem:
1. constantîa virtutis sit nobis magis curæ, quàm discrimen à temporali hoste. fl.2 n. 43. Illæ diligebant adhuc Salvatorem: quamvis enim per mortem ipse discessisset ab eis; amor eas uniebat Redemptori; quin distantiam tolleret, ut anxiarentur.
2. Anima dum abest & amat, vivit in amato per amorem; & manet in amante, ut crucietur. fl.19.n.79

Amor pavere nescit. Ut sponsa nõ metuat exire per plateas noctu ad quærendũ sponsum, amorẽ ejus non oblivisci tur: *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*: &c. Cupit addere stimulos amori suo; ne metuat in quærendo Christum Dominum temporale damnum. Amor Dei secum defert ejus timorem: propterea non pavet
3. qui diligit eum. Timor Dei timiditatem expellit. fl.31.n.21. Devotæ mulieres timorem Dei probaverunt in eo quòd, ne Deum læderent, nequaquam executioni dederunt intentionem suam quandiu non licebat operari juxta præceptum veteris le-
Luc. 23.56. gis. *Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Timentes Deum, & amantes, haud trepidarunt homines, ne quærerent Salvatorem. Sic ad instar illarum quælibet anima fidelis diligat & quærat: *Quæram quem diligit anima mea*: &c. Hæc de strenuitate sollicitudinis mulierum.

Secundò dicam de ipsarum vigilantiâ. Aliis foret arduum ad tumulum ire Domini, quem milites custodiebant: sed illæ vicerunt arduitatem, non socordes utique,
4. sed vigilantes. Vigili difficultas, dum vincit, est quasi non fuerit. fl.2.n.49. Confidebant in Deo; sed vigilabant. Prudens
5. ita sperat in Domino, quòd vigilat. fl.31. n.55. Non fuisse necessarium existimabis, mulieres tam longam ducere vigiliam,
6. quam supra Rupertus insinuat: Sed congruum est in re virtutis efficere plusquam necesse. fl.13.n.42. Diceres, fuisse satis quòd sponsa domi remanens præstolaretur adventum Sponsi: sed ipsa non contenta sufficienti curâ, dixit: *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*: &c.

Postremò dicebam, extitisse mulierum prædictarum sollicitudinem acceptam Deo. Meritò quidem: non enim ut alii priùs egerant, Dominum quærebant, ut ab eo reciperent aliquid temporale. Sectemur nos ipsarum dilectionem: nam sæpè frustra
7. Deum quærere proponit qui fertur ad hoc ex affectu creaturæ. fl.21.n.32. Accedit, ut gratior foret Altissimo earum sollicitudo sancta, quòd istam & silentio noctis, &
8. clausis foribus abdiderunt. Deus largiùs afficit præmio facta, quæ sub terra sepelit probus, quàm si non esset omnino sepulta. fl.14. n.59. Sponsa per tenebras nocturnas quæsitura sponsum, exire deliberavit; non expectans lucem.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

THEMA.

Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hîc, &c. Marc. 16.

ARGUMENTUM.

Ex horto, quo sepultus fuit Salvator, colligamus amoris perfecti flores: de quibus texentes coronam, imponamus capitibus nostris.

APud nostrates quidam flosculus pulcher satis, nominatur, Amor perfectus: variis coloribus distinctus; inter quos eminent aureus, charitatis ænigma; violaceusque, mœroris emblema. Flores hujusmodi colligamus exultantes postquam desivere mœsta nubila passionis: nequaquam obliviscentes redemptionis beneficium: nam & gaudium post mœrorem ju-
1. cundius est: fl.23. n.42. Et Angelus, quamvis Dominicæ resurrectionis nuntiator fuerit mulieribus; crucifixionem tacere noluit: *Jesum* &c. Non lætemur solo vultu; sed etiam præcordiis. Justi læta facies conformatur cordi. fl.25.n.39. Nec
2. anima pro commodo spirituali frustra nec
3. lætabitur: quoniam aliqua lætitia medium est ad virtutem. fl.2.n.45. Necnon cùm spiritualiter delectamur, Deo placemus. Delectatio in Domino grata Deo est. fl.18.
4. n.32

Amorem erga Christum Dominum colligamus, meditantes ejus dilectionem, qui gavisus est homines ad se trahere per

mor

mortem crucis. Chriſto Domino quàm gratus crucisfructus extiterit homines ad ſe traxiſſe. fl.33.n.20. Hos,& ſimiles meditationum flores legamus ab horto Dominici monumenti: nam & ipſe Jeſus hodie dictus eſt ab Angelo Nazarenus: quod nomen à flore derivatur;cum Paſchaſius dixerit: *Ergo Nazareth non minus germen novellum quam flos campi interpretatur*; &c. De floribus iſtis in ſignum exultationis componamus lauream ſuperimponendam capiti noſtro: ne dicam, in ſignum victoriæ. Sed cum vicerit Salvator; in eo quodammodo vicimus & nos: etenim victoria unius amantis victoria eſt alterius. fl. 29.n.30

Paſchaſ l.2 in Matth.c. 2. ante fi.

DOMINICA IN ALBIS.

THEMA.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Joan.20.

ARGUMENTUM.

Victoria veritatis.

REſiſtebat fortiter mens Apoſtoli Thomæ vero nuntio reſurrectionis: ita ut ut dixerit S. Thomas à Villa nova: *Admiranda durities cui tot fratrum authoritas, & gaudium inſpectum non ſufficit ad fidem.* Poſt monitionem humanam auditum non præbere crimen auget. fl.1.n.48. Cum igitur fortis fuerit Thomæ reſiſtentia; tandem veritate vincente, quando fidem reſurrectionis Dominicæ proteſtatus eſt Apoſtolus, inquiens: *Dominus meus & Deus meus*, triumphum reportavit inſignem Redemptor ab intellectu diſcipuli. Illuſtris eſt victoria ſuperare mentes. fl.29. n.20.

S. Thom. à Villa no ſer in ort. Paſchæ poſt princ.

1.

2.

Valde ſapiens Thomas erat Cyrillo Alexandrino teſte,dum ait: *Idcirco Thomas ſapientiſſimus Salvatoris diſcipulus, teſtantibus de reſurrectione Domini cæteris non credidit*: &c. Hinc ſplendet victoria veritatis, quam propono. Sapientis converſio res magna. fl.29.n.52. Attamen Filius Dei loquens ad illum: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. non ſine fructu verba protulit. Sapiens dum loquitur ad peritos, frequenter ſortitur exitum felicem. fl.28.n.30. Non fuit hoc glorioſum ſoli Chriſto Domino, qui veritas eſt; ſed ipſi Thomæ: nam ſapientis laus eſt prudens mutatio conſilii. ib.n.12

D. Cyril. Alex. l. 12. in Joann. c 57. in princ

3.

4.

5.

Ideo fortaſſis (alia motiva prætermitto) Thomas dubitavit, quia, cum ſapiens eſſet, formidavit haberi citò credens, & conſequenter fatuus. Majoris aliqui faciunt non exiſtimari ſtultos, quàm improbos non judicari. fl.27.n.51. Fortè, inquam, timuit Apoſtolus exiſtimationem fatuitatis. idem ipſe Thomas, qui, dicente Magiſtro, priusquam ſuſcitaret Lazarum: *Eamus ad eum* dixit ſtrenuè condiſcipulis: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Dionyſius Carthuſianus: *Hortabatur Thomas condiſcipulos ad commoriendum pro & cum Chriſto, quaſi paratus & potens ad hoc, non attendens propriam fragilitatem*, &c. Quandoque refugiet exiſtimari fatuus ille, qui vitâ privari non metuit. fl.26.n.41

6.

Joann. 11. 15.16.

Dion. Carthuſ. in Joann. 11. 28.

7.

Sed ſi contenderis, prædictam formidinem de opinione ſtultitiæ non fuiſſe motivum dubitationis Thomæ; dicam: Quidquid ſit de hoc, tribui poteſt illud Apoſtoli dubium infelicitati veritatis apud mentes humanas. Mendacium facilè creditur; verum excipitur dubitanter. fl.4.n.63. Quinimò idem, quod, ſi verum eſt, non credetur; ſi falſum foret, crederetur. ib.n.35. Non humanum accuſes intellectum: qui ſanè multam cum veritate vendicat ſympathiam; ſed voluntatem propriam. Forſan ideo Chriſtus Dominus dixit: *Noli* &c. non autem ait: Crede. Quærimur quòd paſſim ab hominibus decipiamur: & nos ipſi reluctamur veritati. Vigilantiùs cavendum, ne fallamur in ſpiritualibus à nobis, quàm ab aliis.fl.5.n.54

8. 9.

10.

Laudetur attamen D.Thomas: quia tandem flexit mentem propriam, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Prudens nolit inflexibilem ſe gerere. fl.27. n.53. Necnon etiam dignus eſt laude: quoniam à divino reprehenſus Præceptore, mitis acquievit. Vide qualisnam ſit appretiatio divina reprehenſi acquieſcentis. fl.12.n.54

11.

12.

IN DIE ASCENSIONIS.

THEMA.

Dominus quidem IESUS poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Marc.16.

ARGUMENTUM.

Puellus amor commiſcens gaudia fletibus.

FAcilè pueri gaudent ſimul & lacrymantur ex diverſis motivis. Hoc pacto diſcipulorum amor lætabatur de triumpho Domini, dolebatque diſceſſum ejuſdem. S. Vincentius Ferrarienſis: *Cum jam aſcenderes, & Virgo Maria & Apoſtoli & diſcipuli flentes ex una parte præ gaudio de ſuo honore: & ex alia triſtes de ſuo receſſu*: &c. Ineffabilis erat cauſa gaudendi: nec parva circumſtantia gaudii fuit dilatio hujus Dominici triumphi: nam felicitas, quæ moratur lætior eſt. fl.10.n.54. Quæres, cur non felix ille dies per Angelorum harmoniam, & ſonitum de cœlo ſolemnis factus eſt? Ne mortales calumniarentur, quòd Filius Dei, cum Apoſtolos relinqueret in acie pugnaturos, feſtivitatem demonſtrationibus prædictis lætitiæ celebraret. Non congruit fortunato quòd ſua felicitas perſonet. fl.6. n.34. Cum hoc tamen ſtat, quòd aſcenſus in cœ-

S. Vincent Ferrar. ſer. vigil. Aſcens. ante med.

1.

1.

lestia majestatem Domini probat. Non incongrè fuit usus Evangelista nomine, *Dominus* cum ascensionem ejus enarrat.

Lætabantur Apostoli, scientes, Præceptorē suum ascendentē ad cœlos vincere mundū victorem dominum Augustinus meditatus est. *Facta*, inquit, *est ergo victoria domini nostri Jesu Christi cum resurrexit & ascendit in cœlum*, &c. Et licet videatur loqui de victoriâ contra diabolum; perpendamus, etiam vicisse mundum per assensionem. Persecutores Christi gloriam illius curaverunt sepelire, cùm suasere custodibus, ut assererent, cadaver eius à sepulchro fuisse furto sublatum. Hic mendacium per ascensionem, cui tot abfuere testes, eliditur. Sic victus est mundus; cum se victurum putaret. Victoria glorioſor est, si victus confidebat, se victurum. fl. 26. n. 13. p. Notandum tamen, quòd simul vicit, & honoravit eundem: non enim decus modicum est mundi, carnem, quam in eo sibi copulavit divinum verbum, elevatum fuisse ad Patris æterni dexteram. Major est gloria vincere mundum honorando cum, quàm confundendo fl. 15. n. 48.

S. Aug. tom. 10. ser. 174. de temp.

3.

4.

Accedit aliud exultationis Apostolici Collegii motivum in assensione servatoris: nempe, cum ipso spiritualiter elevabantur ad cœlestem Jerosolymam. Augustinus: *Ascensio domini glorificatio nostra est. Ascensionis hodie solemnia celebramus. Si ergo rectè, si fideliter, si devotè, si sanctè, si piè ascensionem domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus.* Quis dubitabit, sanctos Apostolos in ascendendo cum Christo nobis præbuisse tunc exemplum; quamvis manerent corporaliter in mundo? justus exire scit de terra cum præsens adsit. fl. 15. n. 50. sic dominus suos effecit exaltationis illius participes. At dubitabis: An Redemtor magis decoravit creaturam, faciens eam suæ participem humilitatis, quàm gloriæ consortem? Vide fl. 32. n. 9. Hoc unum scio, quòd humilitatem propriam filius Dei plurimi facit, cujus rei sit indicium, quod non absque nutu Domini dicitur Marci verbis, assumptum fuisse; quò sic dissimularetur potestas propria, per quam ascendit non elevatus ab alienâ potentiâ.

Idem ser. 75. de temp.

5.

6.

Nunc dicendum est nobis de cruciatu discipulorum; quo torquebatur amor. Dolor iste multus extitit: utpote qui certabat cum exultatione supradicta. Dolor junctus gaudio plùs ferit. fl. 19. n. 81. Absentiam lugebat amor. Vide ib. n. 83. Unde cum dolorem Apostolorum divinus Magister non ignoraret, atque diligeret eosdem; adeo mirum est quod ab eis discesserit, ut S. Marcus, dum loquitur de recessu Christi Domini, fuerit usus assevera-

7.

8.

tionis particulâ, *Quidem*, quam Syriacus vertit, *Porrò*; quò sic fidem nostram juvaret. Erant Apostoli justi; providenteque Deo meritò gaudebant: attamen in terris nec justo datur integrum possidere gaudium. fl. 25. n. 53. Lætitia permansura, sublatis omnibus flendi motivis, reservatur

9.

10.

11.

æternitati. fl. 22. n. 14. Non ideo tamen putes, modicam hac die fuisse Apostolorum hilaritatem. Imo exultatio magna est illa, cujus comes mœror non extinguit eam. fl. 23. n. 44. Replicabis: Quare non à Domino factum est, ut obliviscentes hodie discipuli rationes mœrendi, lætarentur? Quia non erat cur vim faceret naturæ legi circa mortalium gaudia, quibus fruuntur in hoc exilio. Commiscentur hilaritas & mœstitia valde. fl. 25. n. 47

12.

13.

IN DIE PENTECOSTES.

THEMA.

Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Joann. 14.

ARGUMENTUM.

Divinus ignis urens, fovens, & illuminans.

S. Antonius Ulyssiponensis: *Et nota quòd ignis quattuor habet naturas: urit, purgat, calefacit, illuminat. Similiter spiritus sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat.* Cum Spiritus almus agat in fidelibus munus ignis, exurit mala germina, ut non repullulent: hoc est crimina, quò vitentur nova scelera. Dei potestas plùs ostenditur in evitando peccata mortalium, quàm in condonando. fl. 3. n. 28. Fateor, spiritui sancto necnon tribui candorem animabus præstare. Fortè dices, medium esse contrarium intento fini, exurere, ut sic dealbet: sed novum non est uti Deum mediis ad speciem oppositis fini. ib. n. 30.

S. Anton. Ulyssip. ser. 1 de Pentecos. longe post princ.

1.

2.

Exurit specialiter ignis ille, cùm nobis per punitionem Deus benefacit. Frequentissimè sub punitione latet misericordia Dei. fl. 2. n. 63. Adversitas quippe, Licet quosdam submergat; alios nutrit. fl. 7. n. 64. Veritates istas humana fragilitas multoties ignorat: oportet, ut à spiritu sancto doceatur. *Ille vos docebit* &c

3.

4.

Dicamus nunc aliquid circa divinum ignem ut foventem donis. Aliis omissis, admiremur quòd impedire crimina fatagat per beneficia. Deus ostendit peculiariter amorem curans obviare peccato per donum. fl. 3. n. 34. Cum largitare magis Dominus utitur. solet intendere quod homo cesset à peccato, ib. n. 32. Non tantum necessaria dantur hominibus ad virtutem; sed superabundantia: quod apertissimè divinum testatur amorem. Deus potestatem atque dilectionem applicat, ut suos in perfectione promoveat. fl 16. n. 26. Non solum donat; sed etiam donata conservat. Conservare beneficium postulat specialem operam. fl. 31. n. 57. *Spiritus sanctus quem mittet Pater*, &c. Magnum beneficium Paraclitu

5.

6.

7.

8.

mundo

mundo contulerat in opere incarnationis, cum ſupervenit in Virginem: ſed ut iſtius beneficii conſervarentur effectus, operæ pretium fuit in die Pentecoſtes deſcendere.

De igne divino prout illuminante notabis quædam. Sic noſtra per peccatum eſt natura corrupta, quòd ſit congruum nobis à Deo intellectum donari. fl.5.n.28.
9. Circa multa, quæ jam ſcimus, congruit nos inſtrui. Sapientia humana ſic limitata, ut dici Deo poſſit, nos eſſe docturum quæ ſcimus. fl.23.n34. Ad Apoſtolos dixit Salvator, divinum Spiritum ſuggeſturum eis omnia, quæ fuerant à Dei Filio audituri: *Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Si juſtorum ſapientia, dum in vita mortali manent, eget edoceri;
11. quid exiſtimabimus de peccatore, cujus ſapientia genus eſt ignorantiæ? fl.32.
12. n.47. Unum ex indiciis illuminationis erit, quòd homo cupiat ſcire: ſapiens quippe, cum acquirit ſapientiam reperit cupiditatem ſciendi amplius. fl.38.n.56

PRO SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI.

THEMA.

Caro mea vere eſt cibus: Joannis 6.

ARGUMENTUM.

Quærit anima fidelis: Unde mihi veniet auxilium in ſpiritualium damnorum diſcrimine conſtitutæ? Reſpondet anagramma latens in præfixo themate:

E {CIBO MURUS ARCET EA SE.

Hoc eſt: ab Euchariſtico cibo manat gratia: quæ muniens ut murus animam, arcet per ſe ipſam prædicta damna; quorum timore quatitur.

ARmatur homo per ſacram Euchariſtiam adverſùs artes diaboli, propriam inconſtantiam, timorem inutilem, adverſitates mundanas.

1. Ad primum. Videtur, non eſſe cur timeat inferni vires juſtus eâ die, qua com-
2. municat. fl.18.n.26. Ante ſacram Euchariſtiam dæmon ita cadit, ut afficiatur ignominiâ. ib. n.28. Chriſtus Dominus in
3. Euchariſtiâ majori conatu diſſolvit opera diaboli. ib.n.54. Repellet inſidias diabolicas qui meditatus fuerit, in menſa dæmonis proponi venena ſub colore dapum: at in Euchariſticâ menſâ nobis offertur animæ ferculum: *Caro mea* &c.

Ad ſecundum. Roboratur per Eſcam diviniſſimam inconſtantia mortalium. Per
4. ſacram Euchariſtiam fit homo conſtans. fl. 18. n. 50. Communicans ita perſeveret
5. conſtans in bono quaſi mobilis non eſſet.
6. ib. n. 20. Offenditurne Deus ampliùs à communicante, qui mox illi terga dat; quàm à contemnente communicare? fl.18.
7. n.22. Non congruit dorſum præbere Domino ſtatim poſt communionem, etiamſi vadas ad præſtandum ei obſequium non modicum. ib.n.24. Satage communicare dignè: robur experiêris, quo perſiſtas; nam ſibi proprium eſt roborare: Corpus autem Domini verum eſt alimentum. *Caro mea* &c.

Ad tertium. Timor inutilis in rebus animæ ſolet per ſpem longe propulſari. Indiget ſpes humana, quòd erigatur, roboretur, atque dirigatur. Erigitur ſpes noſtra per 8.
ſacram Euchariſtiam. fl.18.n.60. Et roboratur ut perduret. ib.n.62. Atque reme- 9.
dium eſt, quò dirigatur ſpes humana. ib.n. 10.
68. *Caro mea* &c. Expendet hæc verba Domini ſperans in eo: dicatque fidenter: Quid negabit rectè poſtulanti qui donavit homini ſemetipſum?

Ad quartum. Multùm interturbant ſæpiùs hominem circa ſpiritualem profectum ſæculi perſecutiones. Attamen, cum ſe Dominus in ſacrâ menſâ præſtet adeo familiarem (*Caro mea* &c.) quomodo non aderit in adverſis auxilians? Animos injicit 11.
communio ſacra, quò ſuſtineamus adverſa. fl 18.n.56. Imo poſtquam acceſſit ad convivium Euchariſticum juſtus, optat intre- 12.
pidus adverſitatem, & ſollicitat. ib. n.58

CONCIO II. IN EODEM FESTO.

THEMA.

Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Joan.6.

ARGUMENTUM.

Actus vitæ per ſacram Euchariſtiam exercet virtuoſos intellectus, voluntas, & memoria.

IUxta philoſophos vivere in actu ſecundo eſt agere. Quod attinet ad operationes intellectus: cognitione plurimùm illu-
1. minatur mens per myſterium fidei. Euchariſtia illuſtrat mentem, ut intelligat ipſam.
fl.18.n.40. Sic illuminat, quòd præſentia 2.
manducatioque illius valeant ſuplere doctrinam Dei. ib.n.42. Imo juſtus per lucem 3.
Euchariſticam rectum operabitur etiam cùm neſcit quid agit. fl.18.n.44. Addere poſſumus, animam, quamvis columbæ ſimilis in ſimplicitate ſit, per Euchariſtiã illu- 4.
minari taliter, ut queat prudentem dirigere. ib.n.48. *Sicut miſit me* &c. Comparatio fit inter vitam Salvatoris, & dignè communicantis. Miſſus eſt Chriſtus Dominus à Patre, quò vivens inter homines dirigeret eos ad ſalutem. In hoc imitari poterit quadamtenus homo Redemptorem, per manducationem Dominici Corporis illuminatus.

Secundò. Voluntas poſt communionem ſacram vivit, ſanctas operationes excercens. Laudabiliter deſiderat. Euchariſtia deſide- 5.
rium

excitat communicandi rursus. fl.18.n.28.
Piè gaudet. Meditemur justi lætitiam ex
accepto pane cœlesti. ib.n.36. Denique
perpendamus quantùm delectetur hac
sanctissimâ dape voluntas. Dulcedinem Eu-
charisticam gustat quisque juxta mensu-
ram voluntatis propriæ. fl.18.n.30. Hinc
vide quantùm rapietur cor humanum Eu-
caristica delectatione, si provectum sit in
disciplina salutari. ib.n.34. Comparatio-
nem inter vitam & vitam, de qua proxi-
mè diximus, iterum cogitatione versemus;
tantùm adnotantes hanc disparitatem inter
eas: nempe quòd vita Redemptoris ferè
semper fuit in mœstitia; vita verò dignè
communicantis gaudio delectationeque
perfunditur.

Tertiò de memoriâ dicendum: quæ, si
bene, prout par est, tantum recipis donum,
recordationes haud omittit congruentes.
Primùm recordatur homo gratus ineffabilis
beneficii. Gratiarum actionem oportet ne-
quaquam oblivioni tradere communican-
tem. An Deus magis offenditur per defici-
entes in gratiarum actione circa Eucha-
ristiam, quàm in fide? fl.18.n.104. *Vivo
propter Patrem*: &c. En Salvator, licet ve-
rus Deus, acceptam fatetur vitam suam ab
æterno Parente. Tu vivens per Sacramen-
tum altaris, eximii muneris memor esto.
Deinde reminiscere quantum tibi desit, ut
viam salutis perficias. Communicans non
obliviscatur, sibi restare viam facere per
virtutem in cœlum. fl.18.n.108. Memoria
tua sepeliat, ne cadas animo, præteritos
lapsus (quantum satis est ad non compla-
cendum in eis, nec desperandum de spiri-
tuali profectu) quasi non ceciderit. Per
sacratissimam Eucharistiam sic vivit homo,
quasi nunquam præcesserit mors peccati.
ib.n.16 Et sanè communio sacra te fir-
miorem reddet, ut non retrocedas. fl.18.
n.52

EADEM DIE CONCIO III. VESPERTINA.

THEMA.

*Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appo-
sita sunt ante faciem tuam:* Proverb.23.

ARGUMENTUM.

Cæca fides communicantis manuducit amorem.

S. Augustinus, postquam de mensa Cor-
poris & Sanguinis Domini verba the-
matis exposuit, addit: *Et quid est ad eam
sedere, nisi humiliter accedere? & quid
est considerare & intelligere quæ apponun-
tur tibi, nisi dignè tantam gratiam cogita-
re?* Igitur amor ductum fidei sequatur,
ut ante communionem sacrosanctam, &
post illam, diligenter attendat quæ mente
prudenti recogitare congruum est.

S. Aug.to. 9 tr. 84. in Joann. post princ.

Ante omnia fides amorem nostrum adhuc
imperfectum instruit, ut viam sinistram
relinquat; hoc est ut homo per pœniten-
tiam se præparet, ut munda sit cordis ejus
domus, qua Dominum recipiat. Fortè mi-
nus malum est non aperire januam Deo,
quam illum excipere domo non munda?
fl.18.n.100. Transeundum, inquam, ad
viam dexteram; sed non transeunter, id
est non perfunctoriè, præmittenda præpara-
tio supradicta: quoniâ effectus Eucharistiæ
sacræ parum durabit in eo qui præparatio-
nem transitoriè solum adhibuit. ib.n.102.
Etiam priusquam accedas ad mensam, *di-
ligenter attende* quæ sunt ante faciem tuam
apponenda: nempe mundissimum Corpus
Redemptoris: cujus receptio postulat in
recipiente munditiem exactam.

Pergebant ad convivium Dominicum
fides pariter & amor. Aliquantum pro-
gressi repererunt in via sedentem perseve-
rantiam: quam sibi junxere comitem non
frustra: docuit enim amorem ista quantum
oporteret in bono persistere post acceptio-
nem tanti doni. Communicantis constan-
tia talis extet, ut in eo post communionem
Deus valdè confidat. fl.18.n.18. Sanè cum
Dominus eum admittit ut secum ad
mensam assideat (*quandò sederis* &c.)
multum fidit homini: *diligenter attende*,
ne per inconstantiam hoc ipsum deperdas.
Meritò quidem te pudebit ad vilia peccati
cibaria regredi, postquam Eucharistiâ divi-
nissimâ pastus fuisti: quæ cibus est regum.
ib.n.72. *Quando sederis ut comedas cum
principe*, &c. Cum principibus manducare
non solent ad eandem mensam, nisi prin-
cipes.

Ambulantes in eâdem viâ tres illi viato-
res, fides, amor, & perseverantia, vide-
runt in terra jacentem quemdam. Dixit
amor: Hic est imperfectus timor. Erexit
eum fides, & corroboravit eumdem; ut
cum ipsis iterfaceret. Ille quidem, cum
audisset ab iisdem, eos ad mensam rega-
lem tendere, pene recusabat ire, propter
vestigia macularum, quæ vestis ejus de
peccatis contraxerat. Sed animos injecit
fides reducens in memoriam misericordiam
Filii Dei circa eos, qui verè dolentes præ-
terita crimina diluta per confessionem, ve-
niunt ad sacras epulas. Christus Dominus
attendit benignissimus doloti de peccatis
eorum, qui accessuri sunt ad Eucharistiam.
fl.18.n.10. Imo Deus in Sacramento al-
taris volare videtur, ut quærat pœniten-
tem. ib.n.12. Itaque nequaquam propter
olim commissa delicta pavidus jaceas: ne
tamen superbè præsumas de te; sed potiùs
diligenter attende &c.

Cum incederent socii, duce fide, tristis
ingemuit amor. Quæsivit ab illo perseve-
rantia quidnam doleret? Respondit: Ab-
sentiam. Tunc ait ea: Persiste: nam ad
remedium tristitiæ properamus: Eucharistia
quippe mœstis est consolario. fl.18.n.90.
Post modum occurrit viam facientibus
præsumptio, nimis concitato gradu festi-
nans: & insinuavit, velle se præstare soda-

lem

lem ipſis. At eam propulit mox timor juſſus ab amore: non enim congruebat iſta ſocietas dilectioni: quinimo dilectior
8 & amantior plùs metuit amittere gratiam
9. dilecti. fl.5.n.12. Et præterea multum ſollicitus eſt an ametur à Domino qui diligit eum valdè. fl.10.n.9. *Quando ſederis* &c. Etiam jam poſitus ad mensam Domini, *diligenter attende* quantùm Principi tuo debitor exiſtas; ne deſiſtere velis ab illius militari ſigno ſequendo, quò pugnes adhuc in ſpirituali prælio. Communicanti non
10. ſunt arma deponenda per ſecuritatem præſumptam. Victores efficit Manna diviniſſimum; ſed armatos. fl.18.n.96.

Denique perſeverantia, fides, & amor, ad ſummi regis menſam pervenerunt: ubi poſtquam cibum ſumpſit affectus, gratiis actis, & Dei laudibus perſolutis, regrediens ad ſpiritualia exercitia, quotquot habebat obvios invitabat, ut ad menſam eamdem accederent. Ita credidit, ſe præſtare non modicum obſequium Principi ſupremo: nam iſte gaudet à multis menſam
11. frequentari ſuam, velut ſi per hoc augeretur ejus majeſtas. An dicemus, Chriſtum Dominum amplificari per id, quòd plurimi fideles accedant ad Euchariſtiam? fl. 15.n.54. Noſcens regiam liberalitatem, advocabat multos amor, ut fruerentur eâ. Qui priùs diſcipulus fuerat, jam docebat
12. alios. Juſtus per lucem Euchariſticam conſtituitur magiſter aliorum, & libens proficiet eis. fl.18.n.46

DE SACRAMENTO ALTARIS, CONCIO IV. VESPERTINA.

THEMA.

Altiſſimus creavit de terra medicamenta, &c. Eccleſiaſtici 38.

ARGUMENTUM.

Medicina cœleſtis.

S. Thomas opuſc. c. 1. poſt med.

S. Thomas loquens de inſtitutione hujus myſterii: *Tertia inſtitutionis cauſa eſt cibus hominis. Cibus, inquam, medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem. Quæ tam prava infuſa eſt per primos parentes humano generi, ut eſſet incurabilis, niſi ſubveniretur medicina optima, quam poſſet facere prudentia Dei. Eccli.*38. *Altiſſimus de terra, id eſt de carne Virginis creavit medicinam: & vir prudens non abhorrebit eam.* Salvator, amore ſuadente, voluit non tantùm agere pro curandis infirmitatibus humanis munus medici; ſed etiam exhibuit ſe medicinam: quia medicus multoties medetur longè poſitus ab ægroto; medicamenta vero morboſis applicantur prope.
1. Redemptor elegit in Euchariſtia per communionem benefacere nobis non de longè. fl.18.n.14. Idcirco filius Dei, quò morbos curaret hominum, non Angelicam aſſumpſit naturam; ſed veniens in terram, ſumpſit in illa humanitatem, ad hoc ut medicina facilè reperiretur juxta nos. *Altiſſimus* &c.

Video ſumptam eſſe de carne Virginis medelam per incarnationem; nos autem nunc expendere medicamentum Euchariſticum. Sed reſpondetur, Myſterium fidei quamdam eſſe velut extenſionem incar-
2. nationis; ut eſt vulgò notum. Quin potiùs ad Euchariſtiam videtur ſpecialiter pertinere generis humani reparationem. fl. 18. n.84. Aliquis dicet, hoc Sacramentum præcellere myſterium incarnationis in ſanandis hominibus: quoniam per incarnationem Deus humanam ſalutem operatus eſt per triginta & tres annos, per Euchariſtiam verò citò ſanatur homo. fl. 18.n.92

In themate præfixo mentio fit Euchariſtiæ ſacræ ſub nomine medicamentorum
3. pluraliter: *Creavit de terra medicamenta*, &c. Multa poſſemus proponere mala ſpiritûs, quibus utilis eſt Euchariſtia ſacroſancta, quaſi multiplex medicamentum: aliqua notabo: ut videas quantùm noſtræ ſaluti proficiat Euchariſtia. fl. 18. n. 98. Propter infirmitatem præteritam peccati manent greſſus hominis tremuli: formidat
4. enim adhuc ſupplicium divinum; ſed roboratur communione: recogitans quòd ubi, prout oportet, memoria ſaltem conſervatur Euchariſtiæ, placatur facilè Deus.
5. fl.18.n.82. Alius eſt metus, quo timet homo domeſticum hoſtem, conſtitutus in pugna jugiter interiori. Sed pax interior accepta per communionem ſacram defendit
6. hominem. ib.n.80. Mirum eſt, quòd cum tremores iſti provenerint nobis ex eo quòd terreni ſimus, de terra ſumptum fuerit medicamen trementes confortans. *Altiſſimus* &c.

Cor humanum gravem patitur mœrorem ortum à diffidentia, qua ſæpe laborat ſpes noſtra. Sed Euchariſtia facit nos in ſpe
7. gaudere. fl.18.n.64. Ab ulceribus criminum contraxit anima fœtorem: hoc eſt, infamiam. Hæc reliquit veſtigia quædam: nihilhominus abolentur per honorem, quo Deus afficit hominem, ſe tradens eidem in cibum. Dignè communicans tantum decus
8. accipit, quòd ei ſervire vocari poſſit beneficium. ib.n.70. An videtur conferri plus
9. honoris hominibus in Euchariſticâ menſâ, quàm in cœlis? ib.n.74

Fateor, eſſe duo ſpiritualia vulnera, quæ non ſanantur per Euchariſtiæ medicinam; eoquòd non congruat eorum ſanitas. Primum vulnus eſt amor. Anima dilectione langueat ſponte: nam qui per amorem infirmatur corde, hic jucundatur
10. præcordiis per Euchariſtiam. fl.18.n.94. Secundum vulnus eſt dolor de ſpei dilatione circa beatitudinem. Hic dolor in communicante dignè creſcit: quoniam ad conſpectum Euchariſtiæ noſtra ſpes intenditur. ib.n.66. Spes in Deum tendens di-
11. lata cruciat valdè: ſed remedium non
12. quæritur dolori; nec anxietate iſtâ carere congruum eſt. fl.10.n.13

Copia pro concionibus

REMISSIONES PRO DOMINICA infra Octavam Corporis Chriſti: quibus dirigere tyronem placuit ad ea, quæ dicta ſunt in quatuor ſuprapoſitis concionibus: ex quibus, paucis additis, poterit contexere commentarium ad ſequens

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

Lira ad Luc 14.16.

IBi Nicolaus de Lyrâ moraliter: *Homo Chriſtus fecit magnum convivium, quando inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum.* Sententia ſaltem probabilis eſt, quam putat Maldonatus probabiliorem, parabolam iſtam eamdem eſſe, quæ legitur apud Matthæum c. 22. Quo poſito, jam dubitas, qua ratione dicatur apud Lucam, *Homo quidam*, qui dicitur, Matthæo referente, homo rex? *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Reſpondeo. Supprimitur in Evangelio D. Lucæ nomen regium, & legitur, *Homo quidam:* nam cum ex amore Deus fuerit homo factus; ex hominis vocabulo viſitur ejus dilectio. Signum amoris eſt primò, quòd in Euchariſtia ſacra voluit hominibus benefacere de prope. Vide ſup. conc. 4. n. 1. Secundò quòd videtur Deus volare ad communicaturos, offerens in cibum ſemetipſum. Vide conc. 3 n. 6. Tertiò quòd benigniſſimus attendit Deus dolori de peccatis eorum, qui acceſſuri ſunt ad ſacram Euchariſtiam. ib. n. 5. Quantumvis amor tegat majeſtatem, Deus in Sacramento altaris eſt rex potentiſſimus; cum tot reges habeat convivas. ib. n. 4.

Matth. 22. 2.

Fecit cœnam. hoc nomen, *Cœnam*, denotat hîc agi de nocturno convivio: mos quippe fuit apud antiquos, convivia magnifica noctu fieri. Non abſque myſterio de ſacrâ Euchariſtiâ mentio fit ſub ænigmate convivii nocturni: fortaſſis ne ſtatim poſt menſam diſcedere velint convivæ: ſicut apud homines amici familiares valdè, ſi vocentur ad epulum nocturnum, pluries manent apud invitantem. Vide conc. 1. n. 5. 6 & 7.

Magnam. Cœnæ ſolemnitas Euchariſticæ, magnificentiaque perpendatur; ne inveniaris ad menſam Domini ſine veſte nuptiali. De præparatione ad communicandum habes dicta conc. 3. n. 1. & 2

Et vocavit multos. Salvator gaudet quòd multi accedant ad ſacram communionem; quaſi per hoc amplificaretur. Vide conc. 3. n. 11. Notandum etiam quòd Redemptor cupit unionem fidelium per menſam diviniſſimam. Concordia juſtorum effectus eſt Euchariſticus. fl. 18. n. 86. Et inſuper velut impoſſibiles factæ ſunt contentiones communicantibus. ib. n. 88.

PRO SOLEMNITATIBUS B. Virginis atque Sanctorum

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

THEMA.

Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. 4.

ARGUMENTUM.

Ex D. Vincentio Ferrarienſi; cujus hæc ſunt verba:

S. Vincent Ferrar. ſer. de S. Andr.

Dicam ſex virtutes quas inveni in Evangeliis, & in legenda ſua. Prima eſt ſancta diligentia. Secunda eſt prompta obedientia. Tertia firma confidentia. Quarta fructuoſa ſapientia. Quinta rigoroſa pœnitentia. Ex iſtis beatus Andreas ſingulariter dicitur dives &c.

Idem ib.

Prima virtus, Diligentia. Idem Ferrarienſis de S. Andrea ſic habet: *Ita erat diligens, quod pro temporalibus non dimittebat ſpiritualia, nec è converſo, ſicut faciunt multi.* Victum Apoſtolus per piſcationem requirebat in aquis: quarum natura conſtans non eſt. Inde collige, quòd ejus deſideria circa temporanea non figebant radices in ipſius corde. Deſideria de terrenis radices non figunt in juſto. fl. 10 n. 46. Oppoſitum reperies in ſæculo ſervientibus. Et ô quantùm Deo diſplicet, quòd homines contendant in caducis radices mittere. fl. 37. n. 54. E contrariò Dominus complacet in eis, qui præ oculis habent, nequaquam radicari temporalia firmiter; ſed in aquis fluentibus quæri. Propterea fortè piſcatoriam artem exercentes Filius Dei primùm vocavit: (*Erant enim piſcatores*) quia nequaquam obliviſcebantur, bona ſua non eſſe quidem immobilia; cum tenue lucrum ſollicitarent in aqua.

1.

2.

3.

Secunda virtus, Obedientia. Vocatur Andreas à Salvatore: non tamen tunc per multa docetur ab eo de ſpectantibus ad ſequelam Chriſti Domini: nam hic voluit, ut Apoſtolus ipſi veluti cæcam præſtaret obedientiam, relinquens omnia pro Domino ſequendo. Magis Deo placet obediens ei cæco prudenter modo. fl. 40. n. 39. Dices, Andream in hac obedientia non multum egiſſe cum reliquerit adeo parum. Ne putes, illum rem perfeciſſe modicam: nam etiam in corde ſuo non admiſit amorem habendi multa. Non in ſolis divitibus invenitur amor facultatum: aliquando difficilius eſt pauperi continere ſe ab amore divitiarum; quam diviti relinquere poſſeſſa. fl. 6. n. 18. *Venite* &c. Non primo loco vocatus eſt Matthæus dives; ſed priùs pauperes piſcatores. An fortè difficilius erat pauperibus omnia relinquere; ideoque priores inopes vocati ſûnt, ad hoc ut Matthæus argumento à majori ad minus poſtea ſeipſũ perſuaderet?

4.

Tertia

Tertia virtus, Confidentia. Memorans diem, qua Dominus de quinque panibus duplicique pisce turbam satiavit, sic habet
Idem sup. S. Vincentius Ferrariensis: *Omnes Apostoli erant desesperati, nisi beatus Andreas, qui dixit*: Est puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: &c. *quasi dicere vellet secundùm Chrysostomum: Vos Domine potestis multiplicare. Iste habuit firmam confidentiam.* Frequenter homines mundani confidunt non in Deo; sed in magnitudine suarum
5. facultatum, si possident eas. Imo divites quidam non credunt paupertatem venturam: metuunt, sed confidunt evasuros.
6. fl.6.n.48. Deus nollet, ut in temporalibus bonis confidentiam locaremus; sed in ejus providentiâ. fl.31.37. *Venite* &c. Non abdidit: Et permittam, vos ad exercitium piscandi reverti, quò victum quæratis: nam cupiebat ut ipsius Domini curæ se totum confidenter Andreas committeret.

Idem ib. Quarta virtus, Sapientia. S. Vincentius Ferrariensis: *Quæ est quando ex sapientia non solum seipsum; sed & alios dirigit & gubernat. Sic fecit B. Andreas per suam sapientiam.* Concionatoris erit proponere prædicationes, & conversiones factas à S. Andrea; de quibus in ejus vita. Nota, sapientiam istam virtuosam in Apostolo crevisse per exercitium docendi. Sapientior
7. ut plurimùm redditur qui docet. fl.21.n.
8. 42. Docentis intellectus illuminatur docendo. fl.1.n.54. *Venite* &c. Non dixit: Atque docebo vos. Satis dixisse fuit: Faciam vos fieri piscatores hominum: nam ex officio magisterii majorem lucraturi fuerant sapientiam.

Iqem sup. Quinta virtus, Pœnitentia. S. Vincentius Ferrariensis: *Licet enim esset plenus Spiritu sancto, & non posset peccare mortaliter: ut dicunt sancti Doctores, quòd ex quo Apostoli receperunt Spiritum sanctum, fuerunt ita in gratia confirmati, quod non poterant mortaliter peccare: tamen affligebat se rigorosè: non solum propter se, sed in exemplum aliorum.* Non ita se gerunt quidam, qui virtutem agnoscunt utilem;
9. sed illam recusant dum respergitur amaritudine. fl.39.n.50. Alii sunt, qui præsumunt, se per egregias victorias perveniisse jam ad eximium sanctitatis gradum: ea propter ad arma pœnitentiæ non recurrunt.
10. Armorum spiritûs nullum dimittendum est. fl.7.n.46. *Faciam vos fieri piscatores* &c. Non ait, Venatores: quia piscator amplùs vigilat, quàm venator: dum iste dormit, exercens piscatoriam sæpe laborat adhuc.

Sexta virtus, Patientia Referatur Apostoli martyrium: & notetur circumstan-
S. Bernard. ser. vigil. S Andreæ. tia gaudii B. Andreæ; de quo S. Bernardus: *Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat: tam inaudito à saculis gaudio tripudiabat: cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset: O crux, inquit, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata. Securus & gaudens venio ad te: ita ut & tu exultans suscipias me. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudii?* Meritò notabimus cum D. Bernardo, S. Andream fuisse hominem, ne nobis videatur, illum esse Deum: nam gaudens in tribulatione videtur idem cum Filio Dei. fl.37.n.
11. 32. Sed hyperbole dimissâ, S. Andream ex isto gaudio cognoscamus repletum divino Spiritu: quoniam plenum se Spiritu sancto
12. justus indicat, si propinquus morti faciem præ se fert hilarem. fl.37.n.36.

IN FESTO CONCEPTIONIS IMMACULATÆ DEIPARÆ.

THEMA.

Liber generationis Jesu-Christi. &c. Matth.1.

ARGUMENTUM.

Lux

Immunitatis

Bravium

Excelsum

Reportavit.

S. Antonius: *Liber generationis Iesu-Christi Matthæi* 1. *hic est scilicet Sancta Maria* &c. A Domino permissùm non fuit, ut in hoc libro scriberet Adamus erratum suum, injiciens lituram originarii criminis in ejus priori paginâ; scil. conceptione Virginis: lituram, inquam, ex atramento, quod ministravit nostra Protogenitrix; quæ peccavit, suadente oculorum concupiscentia; quam non ineptè vocabis atramentarium, non longe à phrasi Petri Comestoris, dicentis: *Concupiscentia; enim oculorum, quasi atramentarium scriptoris fert secum plenum vanitatibus: quia quot vanitatibus hominem afficit, tot maculis denigrantibus eum inficit.* Igitur Maria liber est: non maculatus ab Adamo; sed puritate multâ scriptus divini Spiritus calamo. Andreas Cretensis: *Tu verè* (loquitur ad B Mariam) *vivens ille liber scripti in te sine voce spiritalis sermonis, vivifico calamo Spiritus sancti. Tu sola vere scriptus à Deo tomus testamenti novi, quod is olim ad homines est testatus.*

S. Antonin. p.4.tit.15. c.5.

Petr. Comest. ser. 16. longe ante med.

Andr. Cretens. ser.3.in dormit. S. M. longe ante med.

Ut legerentur à nobis in hoc libro mirabilia Dei, perfusus est in primo conceptionis instanti luce perseverantis gratiæ: quæ bravium immunitatis Marianæ reportavit excelsum. Mariam Dominus à peri-
1. culo proximo præservavit originalis culpæ.
2. fl.19.n.18. Præservatio à peccato magnũ est divinæ benignitatis opus. fl.5.n.44. Lux illa gratiæ, per quam liber iste claritate refulsit, extitit eximia. Videturne major jux Mariæ, quam Christi Domini?
3. fl.19.n.14. Libro non dat lux albedinem; sed illam habet ex semetipso. An pulchritudo gratiæ Marianæ videri potest ei connaturalis? ib.n.12
4. Complacere solent scriptores in libris propriis. Et sanè valdè placet Altissimo

Liber ille ſuus, nempe Mariæ. Diſpliceret equidem in Virgine Deus offenſus, dato quòd Adæ peccato macularetur ipſa: ſed in præſervanda Matre ab originali delicto, magis Deus attendit ne Deiparens inquinaretur, quàm ne illa offenderet ipſum. fl. 19. n. 20. Sol diſſipat radiis umbras quæ non lædunt illum.

Complacuit amantiſſimus Dominus in Maria: quoniam originalis immunitas ejus Altiſſimo decus affert. Fortè cadere videretur Salvator, ſi Maria caderet? fl. 19. n. 28. Defectus libri tribui ſolent authori: proinde honori ſuo Deus conſuluit in præcavendo puritatem libri Mariæ. Et quidem amantiſſimum ſe Deus exhibuit Virgini; favens ei quaſi curans de commodo proprio. ib. n. 30. Solem dum ſpargit lucem, non tam dices curare de nobis, quàm de ſplendore ſuo. An in iſtâ præſervatione Deus honorem Mariæ prætulit ſuo? fl. 19. n. 26.

Maria Liber Dei non tantùm accepit in primo conceptionis inſtanti lucem præſervantis gratiæ; ſed etiam uſum rationis. Suarius Granatenſis adducens pro ſe D. Bernardinum Senenſem, ait: *Beata Virgo habuit actualem uſum rationis in primo inſtanti conceptionis*, &c. & infra: *Probabile eſt facultatem utendi ratione datam Virgini in primo inſtanti in ea ſemper duraſſe.* Unde ſatis probabiliter colligitur, cognoviſſe in eodem primo ſuæ conceptionis inſtanti privilegium propriæ ſanctitatis originalis. Mariam in priori puncto conceptionis agnoviſſe, Deum habitare in ipſa per gratiam, immunitatis ejus eſt circumſtantia præclara. fl. 19. n. 22. Ex eo quòd adeo fuerit acceleratus uſus rationis Mariæ, poteſt inferri, quòd à primo conceptionis inſtanti virtutes exercuerit. Gratiſſimum Deo quòd Maria fructus virtutum ediderit maturos cùm primùm plantata fuit. ib. n. 24.

Suar. Gran. t. 1. in 3. p. q. 27. diſp. 3. ſect. 7.

Liber imaginem refert ſcribentis. Apollinaris Sidonius loquens de libro ſuo miſſo ad quemdam Conſtantium, inquit: *Petitum miſimus opus*, &c. & infra: *Commendo igitur varios judicio tuo noſtri pectoris motus, minimè ignarus, quòd ita mens pateat in libro veluti vultus in ſpeculo.* In libro, non ſemel tantùm, ſed multoties author ſemetipſum exprimit. An Maria multiplex imago Dei? fl. 19. n. 16.

Apollin. Sid. l. 7. ep. 18.

Hæc victoria Lucis adversùs tenebras primordialis delicti fuit illuſtris: tum quoniam confidebat malignus quòd Mariam tamquam filiam Adami foret ſuperaturus: (victoria lætior eſt, ſi præſumebat confidens adverſarius) tum etiam quia dæmon victus honorem perdidit. Vincendi modus eſt glorioſus, cum dedecoratur hoſtis. fl. 29. n. 44.

IN FESTO S. LUCIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

THEMA.

Qui invênit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum. Matth. 13.

ARGUMENTUM.

Victoriæ quinque Martyris inclytæ.

VIcit caſtitate carnem: amore proximi divitiarum illecebras: prudentiâ blanditias tyranni: ſapientia magos: fortitudine crudelitatem. Utere verbis D. Gregorii Magni: *Quem profectò agrum vendit is omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cœleſtis cuſtodiam calcat: ut nihil jam quod caro blanditur, libeat; nihil quod carnalem vitam trucidat ſpiritus perhorreſcat.* S. Greg. Pap. to. 2. ho. 11. in Evang.

Vicit, inquam, primò Lucia carnem, ut non ad illicita præcipitaretur. Sed non ſatisfecit ſuo virtutis amori per id, quod ſatis foret ad victoriam non contenta conjugali caſtitate, virgineam elegit. Virtutis faſtigium quærere congruum eſt. fl. 13. n. 40. Inventor theſauri potuit hoc tantùm velle, quòd agri dominus, acceptâ per eum notitiâ de theſauro, donaret illi partem aliquam pro nuntio; retineretque reliquum ſibi. Voluit potiùs totum poſſidere theſaurum: cujus interpretationem refert Paſchaſius ad hoc Evangelium, ſcribens: *Nam alii regnum cælorum opus juſtitiæ interpretati ſunt, quam in ipſo homine quaſi in agro, abſconditum utrumque teſtamentum in Eccleſiæ figuris obumbratum, intellexerunt.* 1

Paſchaſ. l. 7. in Matth. c. 13.

Vicit ſecundò illecebram divitiarum. Ado Epiſcopus: *Omnia ſua (quæ de parentibus ei remanſerant) pauperibus, viduis, orphanis, peregrinis, & Deo ſervientibus diſtraxit*, &c. Non parum ardua repræſentatur humanæ conditioni dimiſſio facultatum. fl. 6. n. 16. Poterat S. Lucia habens præ oculis, bonorum affluentiam eſſe fluxam, ſervatâ moderatione illas poſſidere cautè: ſed adhuc in hoc agnovit illa diſcrimen. fl. 6. n. 70. Et non obliviſcebatur periculum divitiarum, ſi creſcerent: nam eò majus eſt, quò fiunt majores. ib. n. 62. Homo qui theſaurum reperit, ſenſim proceſſit: an timuit periculum, quod ſolet comitari divitias? 2 3 4

Ado Epiſc. in Martyrol.

Vicit tertiò blanditias tyranni: qui dixit ad eam, blandis utens verbis, ut relinqueret vanam Chriſtianorum ſuperſtitionem, & idolis immolaret. En amicus fictus magis cavendus tunc, quàm poſtea, quando factus eſt hoſtis apertus. fl. 30. n. 26. Non alicui dilecto revelaſſe dicitur hominem illum inventionem theſauri. Timuitne direptionem 5

Ribad. in vit. S. Luciæ.

ptionem ejus per amicum perfidum ? Valde timendus amicus fictus : nam plures nihil proficerent adversum te, nisi se fingerent amicos. fl. 31. n. 33

6.

Cum Præfectus experiretur, Luciam nullâ vi dimoveri potuisse, quo deferretur ad lupanar, credidit illam per magicam industriam stetisse immobilem. Vocari fecit nigromanticos, qui maleficia dissolverent : & laboraverunt inaniter; quantumvis totam scientiam adhibuerint artis malignæ. Dubitabam, quare Deus non infatuavit magos illos; ut mox atque venerunt ad S. Luciæ conspectum deperderent quidquid magicum sciebant ? Quare permisit conservari scientiam istorum pessimam ? Quia sapientia peccatoris locum supplicii vendicat aliquando. fl. 2. n. 31.

Idem ib.

7. Nota quod illi sapientes diabolici judicaverunt, S. Luciam esse magam. Calumniator multoties peccat in eo genere, quòd in proximo damnat. fl. 24. n. 45. Non sic se habuit inventor thesauri. Dereliquit in agro thesaurum (quamvis iret ad vendendum quæ possidebat) nec enim judicavit ab alio surripiendum quod furatus ipse non fuerat. Devicit Lucia itaque magos.

8.

9. Vicit illa quintò crudelitatem. Primò namque posita in medio ignis, mansit illæsa. Confusio est mortalium quòd insensibilia Deo suò modò obediant, & homo reluctetur. fl. 29. n. 46. Secundò vicit adeò gloriosè tyrannum Paschasium, quòd ante mortem suam aspexit eum ire vinctum catenis Romam ; ubi accusatus capite plexus

10. est. Aliquando citiùs punitur crimen contra insontem, quàm si lædatur immediatè Deus. fl. 24. n. 48. Sed non mihi suadebo, Luciam de hac ultione gratias egisse Domino ; sed potiùs de concessione sui martyrii. Quàm laudabile sit gratias agere

11. de tribulatione, vide fl. 12. n. 28. Imi-

12. temur D. Luciam : & non solùm Deum laudemus cùm tribuit prospera. ib. n. 24

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis, Joan. 20.

ARGUMENTUM.

Mercator Indiam profectus exponit merces, quas detulit : nempe humilitatem, paupertatem, veritatem, mansuetudinem, sanctitatem, patientiam.

e. Memaphrast. in vit. S. Tho.

HUmilitas. Simeon Metaphrastes : *In hanc*, ait, *ergo regionem magnus ingrediens Apostolus, nullum præ se tulit fastum & arrogantiam : neque elatè aut gloriosè quippiam est locutus : neque aliud fecit superbè, & insolenter ad ostentationem, sed ornatus Christi moderatione, &c.* Humilitatem inter merces computavi : quia similis est divitiis. fl. 15. n. 11. Quantùm congruat humilitas prædicatori. fl. 38. n. 38. *Noli esse*, &c. Et cur non similiter Dominus reprehendit Magdalenam, quia non statim credidit resurrectionem suam ? Magdalena prædicatura non erat ; Thomas verò maximè. Oportuit igitur hunc per correptionem humiliari à Domino coram Apostolis.

Paupertas. Hanc inter merces annumeravi ; quia voluntaria fuit : nam paupertas voluntaria divitiæ sunt. fl. 6. n. 24. Mirum etiam quòd ejus doctrina recepta fuerit, cum pauper esset : quoniam solitum non est honorari pauperem tamquam sapientem. fl. 21. n. 26. Cum Dominus reprehendit Apostolum, non dixit ei : Noli diligere famam de sapientiâ tamquam non citò credens : cum enim ille paupertatem amplecteretur, à multis non erat sapiens reputandus.

Veritas. Mirandum etiam quòd hæc, Thoma prædicante, recepta fuerit per eos, qui erant erroribus dediti. Veritati negabit assensum homo, quamvis inde notam subeat ; & è contra in assentiendo nihil perdat. fl. 4. n. 65. Hæc resistentia veritati fit potiùs à voluntate, quàm à mente. Circa quædam verum est dicere : Veritatem in cor mitte : videbis illam. fl. 5. n. 26. Fortassis ideo Christus Dominus Thoma non dixit : Crede ; sed *Noli esse incredulus*, &c.

Mansuetudo. Simeon Metaphrastes : *Postquam vidit falsam dæmonum religionem eos comprehendisse, & imis eorum animis insedisse, non statim processit ad eos refellendos, non induxit reprehensiones, non tamquam medicamento usus est austeritate.* In mercibus computavi mansuetudinem : quoniam arguentis lenitas est pretiosa fl. 13. n. 28. Prædicatorem induere oportet sæpè benignitatem : quia proponit auditoribus clementiam Dei : congruum non est ut sit perpetuus annuntiator suppliciorum. fl. 24. n. 35. Fortè didicit mansuetudinem Thomas à lenitate, qua Dominus usus est in corripiendo eum, cum dixit : *Noli*, &c.

Metaphrast. supr.

Sanctitas. Justus erat Apostolus : curabat non solo docere verbo ; sed necnon exemplo. fl. 38. n. 34. Aliquando bonum exemplum movet magis, quàm timor supplicii &c. fl. 13. n. 32. Dominus Thomæ non dixit : Prædica fidem resurrectionis meæ, die quâ credidit eam ; sed ait : *Noli esse incredulus*, &c. quia multi fuerant illuminandi per exemplum fidei Thomæ.

Patientia. Validam exhibuit Apostolus tolerantiam subiens martyrium. Attendens ad bona, quæ susceperat à Domino, patientiam suam promovit excellenter. Vide. fl. 34. n. 15. Ex prædictis mercibus quid Thomas emptione acquisivit ? Lapides pretiosos. Ejusmodi fuere necnon & ipsa tormenta : nam in manibus aureis (quales habebat Apostolus) tormenta sunt lapides pretiosi. fl. 16. n. 12.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

THEMA.

Mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, &c Matth. 23.

ARGUMENTUM.

Piſcis habens in ore probatiſſimum argentum, de fluctibus procelloſi maris aſcendit.

LOquens D. Hilarius de piſce, quem cepit D. Petrus, ut ſtatere, quem invênit in ejus ore tributum pro ſe Dominoque ſolveret, ait: *Petro adhæſit beatus ille primus martyr à Domino, qui ore ſuo quadrigeminum denarium continebat: id eſt, Evangelici numeri unitate, Dei gloriam, Dominumque Chriſtum in paſſione contuens, prædicabat. Stephanus igitur primus aſcendit: Stephanus ſtaterem ore continuit,* &c. Piſcis allegoriam proſequar in Protomartyris laudem.

S. Hilar can. 17. in Matt. ante fi.

Piſcis habuit in ore ſtaterem. S. Eucherius aliorſum: *Argentum eloquia divina*; Hoc argento Dux martyrum ſumptus belli fecit: & inter alia vicit feliciter intellectus. Illuſtris eſt victoria ſuperare mentes. fl. 29. n. 20. Et peculiariter ſubigitur à juſto mens adverſarii, dum hic illius innocentiam agnoſcit. ib. n. 22.

S. Eucher. l. form. ſpirit. c 9.

1

2

Unum fuit in Stephani præliis arduum ſpecialiter: nempe quod cum ipſo fuerint auſi diſputare, quos ipſe longè præcellebat. Sapiens tentatione probatur, dum audet congredi cum illo minor eo. fl. 24. n. 53. Mirarer, niſi ſapientia dolorem augeret. Propterea fortè Dominus expreſsè meminit ſapientum, quaſi martyrii circumſtantiam notaret: *Et ſapientes*, &c.

3

Qui erant in concilio Stephanum audientes diſſecabantur cordibus; ille verò gaudebat. Gaudium verum conceditur ſoli juſto. fl. 5. n. 40. Tacetur hoc in themate: ſed ideo quia ſupponitur; cum pretioſa mors martyrum lætitiam ipſis gignat. Sic piſcis gaudenter deglutit hamum. Piſcis, de quo in argumento, per hami vulnus occaſione factâ ſurſum aſcendit. Stephanus per martyrii tolerantiam fuit exaltatus.

4

Ennod. l. 1. carm. hym. 14. fi.

Crucem gemebat carnifex,
Creſcente quem ſubegerat.

Ita cecinit Ennodius de S. Stephano. Virtus

5

oppugnata ſurſum tendit. fl. 32. n. 17. Aliquoties homo fortior in adverſis. fl. 28.

6

n. 50. Et martyribus ipſa reſiſtentium rabies cedit in gloriam patientium. fl. 29.

7

n. 24. Adde quòd juſtus dicendus eſt in alto poſitus etiam cum abjicitur. ib. n. 62. Expende titulos honorificos; quibus futuros martyres Dominus honorat in themate.

8

Piſcis proficuus eſt occidenti piſcatori. Manibus alienis occiſioni cooperabatur Stephani Saulus: ſed orans Protomartyr ô quantùm profecit eidem! S. Auguſtinus: *Cum ſanctus Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſervabat, & tamquam manibus omnium lapidabat.* Et infra: *Si martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Nec verbum queruloſum dixit Stephanus contra Saulum. An quæri per hyperbolem poteſt, utrum Stephanus exceſſerit in hoc patientiam Chriſti Domini; qui dixit ad Saulum: *Quid me perſequeris?* Perfectus patiens læſus abſtinet à queſtu. fl. 27. n. 37. Et injuriâ læſus nonnunquam experietur, ſi taceat, offendentem in melius mutari. fl. 34. n. 19. Sic accidit Stephano circa Saulum. Non idem in aliis occiſoribus evenit: quia non ex ignorantia peccabant; maximè verò Saulus; cujus ignorantiam Stephanus attendebat. Penſandum eſt in adverſante quod te contineat à vindicta; prætereundum quid provocet ad illam. fl. 34. n. 31. Et ô quantum gaudium benefacientis offenſori! fl. 34. n. 39.

S. Aug. t. 10. ſer. 4 de SS.

9

10

11

12

IN FESTO S. P. N. PAULI PRIMI EREMITÆ.

THEMA.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Matt. 11.

ARGUMENTUM.

Palma rationalis.

PAlma, ſcil. Paulus, plantata fuit in valle humilitatis. Omiſſis indiciis virtutis hujus, de quibus. fl. 15. n. 11. Eam ſatis oſtendit ſe recondens in antro: nulli colloquens hominum ante ſuæ mortis tempus. Et præſertim quia ſeſe libens expoſuit periculo quod ejus factum à Chriſtianis reprehenderetur; quaſi recuſaret confeſſionem fidei. Humilis peculiariter eſt laudabilis propterea quòd amplectatur occaſionem accipiendi reprehenſionem de præterito. fl. 12. n. 30. Forſan reprehenderetur ab hominibus id quod erat apparenter vituperabile: ſcil. declinaviſſe perſecutionem; taceretur que ſimul id, quod erat laudabile manifeſtè: ſcil. electio vitæ contemplativæ in ſolitudine ſectandæ. Hoc pati profunda humilitas eſt. fl. 12. n. 32. Juſtum ſponte ſuſtinere quòd putetur malus à bonis, videtur egredi metas humilitatis. fl. 19. n. 38. Paulum autem aliqui viri boni fortaſſis inculpabiliter judicarent, perperam egiſſe recedendo cùm perſecutio graſſabatur.

1

2

3

Elegit Paulus habitare potiùs in domo Dei; nempe ſolitudine; quam in tabernaculis peccatorum. Domo, inquam, Dei: nam ubi ſcalam erigit humilitas, Deus habitat

4

bitat ut in domo propriâ. fl.15.n.38 Notãdum in themate dici: *Invenietis requiem* &c. quin addatur ubinam eam essent reperturi; cum agnoscamus, justum in solo Deo quiescere. Sed cum ibi mentio fiat de humilitate, satis visitur, in ipso Domino requieturos commorantes cum eo: non enim de humilitate sua locutus est utcumque; sed suadere curans ut eam imitarentur. *Discite* &c. S. Anselmus: *Discite* à me, *id est exemplo meo, esse mites, ut non murmuretis, & humiles*, &c.

S. Anselm. com. in Matth. ib.

Per nuditatem trunci palmæ paupertatem accipio D. Pauli: cujus egestatis voluntariæ circumstantia nobilis fuit, quòd propter seipsam adamavit eam; non tantùm sicut aliqui dilexerunt illam ad hoc ut pauperibus de suis facultatibus benefacerent; vel ut alii propter sola vitanda pericula, quæ secum defert sæpiùs opulentia. 5. Paupertatis virtuosæ opus est egregium illam diligere propter seipsam. fl.15.n.13. Acceptissimus ex paupertate summâ Deo Paulus extitit, ut ostendit Omnipotens in eo, quòd ei tot annis miraculosam providerit annonam. 6. Videtur Deus, pluris egenum facere quia pauper est; quàm quia justus. fl.36.n.44. Hinc fit, cum Eremitarum Parens in adeo austerâ paupertate degeret, ut videamus quantùm Dominus in ipso complacuerit. fl.16.n.22. *Discite à me*, &c. 7. Ad paupertatem Evangelicam, humilitatis filiam, Dominus his verbis invitavit: quoniam illud, *Laboratis* referri potest ad opibus acquirendis incumbentes.

Euthym. com. in Matth. 11.

Eutymius ibi: Laboratis *dicit vel in legis difficultatibus, vel in divitiis acquirendis.* Palma similitudinem exhibet hominis terrestriabona despicientis. Euthymius: *Quemadmodum modica illius arboris* (loquitur de palmâ) *pars terræ infigitur, & tota penè à terra in cœlum elevatur; ita & justus cor suum à terrenis in cælum attollit*: &c.

Idem com. in Psal. 91. ante fi.

Palma jugiter virens est ænigma perseverantiæ D. Pauli: qui usque ad ætatem centum tredecim annorum incoluit solitudinem. Euthymius: *Palma quæ vivacior est, & cujus flos nunquam decidit, sed in dulcissimum fructum provenit, cujusque germen non tabescit, sed semper viget.* Non tam securitatem à tyrannide, quàm virtutis constantiam quæsivit in deserto Paulus: propterea radices non fixit in terra. Ut sit virtus constans, oportet radices in terra non 8 figere. fl.3. n.50. Fervorem primitivum Paulus per tot annorum spatia non remisit: sciens, displicere Deo tepiditatem. 9. An Deus magis detestatus in virtute remissum, quàm omnino malum? fl.35.n.17. *Discite à me*, &c. Discentibus congruit perseverare.

Idem prox. sup.

Palma symbolum victoriæ: sed non ideo creavit eam Author naturæ (si foliorum similitudinem cum gladiis attendimus) inermem. 10. Profitemur spirituale bellum: ne deponamus gladium. fl.26.n.39. 11. Ratio sit, quia tepidus in virtute, si graviter semel peccet, corruet secundò. fl.35.n.19. Discrimen agnoscens Paulus, postquam triumphos reportaverat multos, adhuc perstabat pugnans in deserti campo.

Joannes Seresberiensis: *Fertur item quòd ramus ejus palmæ, quæ Græcè dicitur Basile os, avelli non potest si trahatur deorsum: sed si sursum producas, cedit.* Perfectus vir sponte conscendat in cœlestia; descendat quasi violenter in terrena. fl.18.n.20. Paulus totus in contemplationem cœlestium sponte raptus nulla vi memoriæ vel affectûs à solitudine fuit avulsus.

Seresber. l.5. de nug. c.6. post med.

11.

IN FESTO S. MAURI ABATIS.

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?
Matth.19.

ARGUMENTUM.

Maurus, anagrammate: S. Aurum.

S. Eucherius: *Aurum splendor sanctitatis*, &c. Joannes Seresberiensis: *aurum enim imputribile, largum ad dilationem, nec igne, nec tunsionibus incontaminabile* (fortè legendum: *Contaminabile*) *ut pote quod nullam admittit rubiginem, verum & aliorum metallorum custoditivum est, nonne fidem imputribilem, largam & dilatam figurat, charitatem constantem in adversis, moderationem virtutum conservatricem in prosperis?* Aurum statim atque prodit à viscera terræ pretiosum est: Maurus in ætatis flore fulgebat maturitate senili, mortificationibus & oratione perfectus religiosus erat. Quàm Deo placeat offerri sibi teneram ætatem innocentiâ comite. fl.16.n.30.

S. Eucher. l. formul. spirit. c. 8. Joann. Seresber. ep. 158.

1.

Aurum tamen haud splendet, nisi postquam per vim extrahitur à terra, qua latet. sic Maurus humanum splendorem fugiebat. cum eduxit Placidum à lacu, miraculòsè super aquas ambulans, non tribui sinebat ei miraculum à S. Benedicto: dicens, feciſse hoc nescientem quid ageret. Quantùm sancti renuant accipere gloriam de miraculoso eventu. fl.16.n.32. Sed cur Deus disposuit, ut Maurus nesciens hoc operaretur prodigium? Dominus aliquando curat ut nesciat justus prodigium, cui ministrat, ne superbiat. ib.n.34. Si gloriam sæculi vanam diligeret, non posset asserere dereliquisse omnino cuncta.

2.

3.

Cum jussus à S. Benedicto discessisset in Galliam, & ibi quidam de illo dixissent, esse hypocritam & ambitiosum, prodigiorumque simulatorem, isti puniti sunt à Domino. Maurus doluit, & oravit pro illis. O pretiosum charitatis aurum! Ploravit Maurus, horum supplicium videns; cum non ploraverit afflictus propter absentiam Sancti Benedicti. Amans aliquando magis movetur ut doleat exitium adversariorum, quàm amicorum absentiam. fl.16.n.36.

4.

Scimus,

Scimus, aurum purificari plumbo. Sic, ut perficeretur ampliùs virtus Mauri Deus permisit detractionem illam: quæ quidem satis exercuit ejus patientiam: nam detractio peste pejor. fl.4.n.45. Et similis morti. 5. ib.n.47. Adeo patienter toleravit Maurus 6. murmuratorum ictus, ut eorum supplicia petierit à Domino revocari; suscitaveritque unum, quem Deus morte puniverat, & alios duos oppressos à dæmone liberaverit. Non in hoc æquitati divinæ contradixit: sed forte judicavit, non modicè fuisse punitos per ipsum detractionis malum: quia detractio pœna sui est. 4.n.53. 7. In hoc splenduit Mauri charitas aurea.

Putares, D. Maurum saltem ploraturum cùm accepit nuntium de morte illius Antistitis, qui ad S. Benedictum scripserat epistolam, intendens monasterii fundationem; cujus occasione Maurus ivit in Galliam. Sed constans, velut aurum in adversis, persistit; quamvis Episcopus successor noluerit 8. antecessoris propositum persequi. Multum quidem perdiderat per mortem illius 9. Episcopi; cum amici jactura sit magnum doloris motivum. fl.8.n.41. Equidem amicus fidelis non emitur pretio. fl.30.n.22. *Ecce nos* &c. Parum substantiæ reliquerat Petrus: cum tamen dimisisset amicos, multa reliquerat.

Constans in absentia S. Benedicti, non est regressus ad illum, amore suadente: nam oppositum dictabat ratio, ne desisteret ab opere cœpto. Perstitit in hoc haud intendens mundi plausum, & sæculum diligens. Quid ex his duobus magis arduum extitit? vincerene amorem, quo ferebatur in præceptorem Benedictum; ne absentem amaret plùs quàm par erat, derelinquens monasterium ad hoc ut iret ad illum satisfacturus propriis desideriis? an verò dilectione mundi non superari; cum sæculum (dato quod amaret S. Maurum) prosequeretur illum affectu mixto cum odio? Quæstionem solvo pro prima parte: quia 10. magis arduum est non amare plusquam par fuerit diligentem te quàm non vinci dilectione alienâ mixtâ cum odio. fl.6.n.20. *Ecce nos* &c. Apostoli reliquerunt suos, ut sequerentur Dominum: ne amarent plusquàm par erat diligentes eos.

Aurum trahit ad se multos. Ita Maurus 11. exemplo traxit plurimos. Exemplum fortiùs 12. movet mortales, quàm præceptum. fl.13. n.30. Aliquando bonum exemplum magis movebit ad virtutem, quàm spes præmii. ib.n.32. *Quid ergo erit nobis?* Non quæsivit hoc Petrus cùm cœpit vestigia Domini sequi: sed exemplum Salvatoris illum sufficientissimè traxit.

IN FESTO S. SEBASTIANI.

THEMA.

Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Luc.6.

ARGUMENTUM.

Militem suum spiritûs armis obarmatum gratia produxit in aciem.

INduit gratia Sebastianum confidentiæ loricâ: quamvis enim esset Imperatori charus, non ei, sed potiùs Deo confidebat. 1. Prudens non in principis gratiâ confidit, sed in Domino. fl.31.n.29. Noverat ille quòd non semel approximatur magis 2. exitio qui summa potitur gratiâ principum. fl. 25. n. 23. Sciebat quàm dispares in præmiando sint à summo Rege principes terreni. fl. 29. n. 38. Quomodo confidendum est & sperandum in 3. hominis amore; cum beati dicti sint Apostoli futuri cùm odium hominum passi fuissent propter Filium Dei? *Beati* &c.

Vestivit eum thorace timoris Dei. Timor ille quippe mortales præparat ut aggrediantur ardua. fl.31.n.19. Justosque fortiter adjuvat, ne paveant adversa. fl.31. 5. n.23. Thorax iste pulchrè ornatus erat auro 6. charitatis. fl.28.n.28. Amor justum obarmat, ut odio se haberi cernens propter Christum, se beatum putet conformiter ad ejusdem verba: *Beati* &c.

Brachio scutum inseruit patientiæ. O quàm fortis erat hoc umbone protectus Martyr inclytus! Patiens quasi non lædi- 7. tur ab adversario. fl.27.n.35. Alleviatur quippe malum, si priùs quàm contingeret, 8. paratus erat patiens ad illud sustinendum. fl.34.n.51. Ut parati forent Apostoli ad tolerandum odium hominum, divinus Magister locutus est eis de odio, quod passuri erant; ad hoc ut animi præparatione adjuti leviùs postea ferrent illud.

Galeam spei superimposuit capiti: quæ sic firmabatur, quasi jam possideret sperata. Spes justi assimilatur possessioni. fl.28. n.24. *Beati* &c. Beatorum nomen rigoro- 9. sè sumptum congruit possessoribus præmii, jam Deo fruentibus in patriâ: sed Christus Dominus illud tribuit Apostolis in via: fortassis, ut insinuaret certitudinem spei.

Accinxit eum gladiô verbi Dei: per quod insignem victoriâ reportavit à Tran- 10. quillino: de qua fl.29.n.10. *Cum vos oderint homines*, &c. Exosa veritas est persæpe mortalibus, & loquentes eam. Glorioſum Sebastiano fuit efficere quòd aditum inveniret veritas in alieno corde.

Tradidit ejus manui lanceam: hoc est fortitudinem

fortitudinem qua locutus fuit Diocletiano: nam reprehendit illum in faciem: quâ reprehensione vulneravit eum fortiter: quia superbus multùm dolet reprehendi. fl. 12. num. 44. Ex his & aliis factus est sic Sebastianus excelsus; ut Angelus adorari noluerit in ejus præsentia. fl. 29. num. 14.

11.

12.

IN FESTO S. BLASII.

THEMA.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16.

ARGUMENTUM.

S. Blasius gradiens post vestigia Salvatoris.

CHristus Dominus priusquàm prædicaret, cum feris moratus est in deserto. *Eratque cum bestiis*, &c. Blasius *profectus in montem, qui dicitur Argeus, habitat in spelunca, feræque ad eum conveniebant*, &c. Hæc Simeon Metaphrastes. Et postea dum iret vocatus ad Præsidem, plurium in itinere accendit corda. O concionatorem egregium edoctum in schola solitudinis. Eremus doctrinæ cælestis lyceum est; quo nobilis erudiatur prædicator verbi Dei. fl. 15. num. 25. Miraculis multos convertis ad fidem: qui coronabant eumdem. Magistro corona discipuli sunt: ita quòd hæc magis ei videatur congruere, quàm diadema, quod propter justitiam accipiet in gloria. fl. 10. num. 20.

Marc. 1. 13. Metaph. in vit. S. Blas.

1.

2.

Redemptor verba & opera exhibuit. Secutus est eum D. Blasius. Non tantum verbo: sed opere fuit proficuus. Verebatur ne solo doceret verbo, sine exemplo. fl. 38. num. 34. Christus Dominus ultro se tradidit comprehensoribus: sic & Blasius: vocans ministros Præsidis & filios, & fratres. Ita se præstitit, quia prospiciebat fututa, despiciebat præsentia. Futura cogitemus; non verò præsentia tantùm. fl. 28. num. 14. In eo dispar D. Blasius fuit Christo Domino, quòd ante passionem suam, cum jam comprehensus duceretur ad tyrannum lætus erat ipse martyrii tanquam præmii. Martyrii futuri certitudine remuneratur perfectus amor justi. fl. 37. num. 40. Lætabatur, inquam, recogitans, per mortem iterum se ad alterius vitæ charos. ib. num. 14. *Si quis vult* &c. An Christus Dominus reliquit aliquibus locum, ut, si vellent, in aliquo veluti præcederent illum?

3.

4.

5.

6.

Christus Dominus liberè locutus est ad pontificem, & ad Pilatum. Sic. & S. Blasius libertate sanctâ loquendi coram præside fuit unus. Qui desiderat è vinculis dissolvi corporis, appellari potest inter mortuos liber. fl. 37. num. 22. Piæ mulieres Dominum secutæ sunt in via, quæ ducit ad Calvariæ locum. Quid acciderit S. Blasio scribit Simeon Metaphrastes. *Cum verè abduceretur in custodiam S. martyr Blasius, ecce septem mulieres piæ & timentes Deum, eum sequebantur, excipientes sanguinem qui ex ipso distillabat*, &c. Comprehensæ fuerunt: non tamen sacrificaverunt idolis; præcipitarunt statuas in lacum. Graviter superbus Præses hac irrisione vulneratus est: nam superbo majus est malum irrisio; quàm si per libertatem loquendi feriatur durè. fl. 29. num. 36. Aliud tyranni supplicium extitit, quòd tamen in piis mulieribus quàm in S. Blasio frustrarentur conatus ejus. fl. 3. num. 42.

Metaphract sup.

7.

8.

9.

Dominus ambulaverat super aquas. Blasius secutus est ejus gressum: nam projectus in lacum ambulavit super aquam. Et cum invitasset infideles, ut aquas ingrederentur, si putabant à diis, quos adorabant, juvari posse, ingressi sunt sexaginta & octo: qui suffocati perierunt. O quàm glorioſum fuit quòd intra mortalem vitam in conspectu Blasii ceciderint hostes, fl. 29. n. 68.

10.

Angelus Redemptorem confortavit in horto. Necnon & S. Blasio comparuit Angelus, dicens ut veniret ad coronam. Et quare non potiùs Angelus liberavit eumdem? Quia satis glorioſum erat spiritui Angelico ostendere dilectionem erga Blasium in vocatione illius ad coronam. Angelis major gloria quod amorem erga nos ostendant; quàm potestatem in liberandis nobis. fl. 30. num. 32. Exiit à lacu gaudens, ut vitam immolaret pro Domino: justus etenim non de morte, sed potiùs de mortis dilatione conflictatur. fl. 37. num. 38.

11.

12.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

THEMA.

Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11.

ARGUMENTUM.

Ad lucem D. Mathiæ deteguntur sæcularis ambitionis errata.

S. Matahias non ambitiosè dignitatem Apostolicam quæsivit obtrudens se, ut mundani solent; sed passus est ut ejus electio per sortes fieret. Non refugit periculum quòd sors non caderet super illum: ex quo fortasse fieret, ut quidam (alioqui boni) judicarent eum indignum, ideoque non electum à Domino; & propterea nollent ipsius consortium. Justum valde torquet, quòd non uniantur ei, quos bonos agnoscit.

1.

fl. 16. n. 28. Econtrario solitant ambitiosi quærere dignitatum culmina, quò sic existimentur boni. Falluntur: nam plus patet indignitas mali, si tollatur in altum. fl. 20. n. 47. Propterea peccatorem si magnificaveris, non honorabis verè. fl. 20. n. 45. Non se D. Matthias ingessit: quia parvifaciebat spiritum proprium, nec se dignum putabat Apostolatu. fl. 22. n. 48. Nesciunt hæc superbi; sciunt humilitate parvuli. *Abscondisti* &c.

Ut se D. Mathias non ingereret, humilitas ejus meditabatur quantam perfectionem virtutis tenere foret æquum hominem, qui tunc ascenderet ad tam præcelsam dignitatem & quamvis foret sanctissimus, recogitabat, animam sanctitate florentem imperfectiones adhuc habere quas amputet. fl. 35. n. 25. Econtra sæculi servi, dignitatum ambitores, putant se prælatos. At jacet in oculis Dei qui levatur in propriis. fl. 29. n. 60. Quamvis qui sunt ad dignitates indigni non alio fadarentur gravi crimine præter ambitionem; hæc satis: nam comparata cum aliis quibusdam peccatis excellit ea. fl. 9. n. 25.

Non legitur quod S. Mathias electus ad Apostolatum dederit gaudii signa. Apostolatus erat prælatura: sciebat verò quòd subditis datur aliquando requiescere; prælato minimè. fl. 35. n. 11. Nesciunt ista meditari superbi. *Abscondisti* &c. Necnon ambientes obliviscuntur qualem oporteat prælatum agere vitam bonis moribus ornatam; ut subditorum gesta ducat exemplo. Superior inculpatam gerens vitam subditos reddit sibi similes. fl. 35. n. 7.

Aliqui promoveri curant, quia cupiunt ab hominibus accipere præmia laborum. Descipiunt: nam, si justus in exercenda virtute præmium attendit humanum, fortè pro tunc non experietur divinum. fl. 24. n. 57. Non ista D. Mathias: sciebat enim, Deum ita bonum remuneratorem, ut gaudeat ex eo quòd præmia donet. fl. 14. n. 31. Moverat etiam, Dominum cum solvit accelerare. ib. n. 33. De S. Mathia scribit Nicetas Paphlago: *Vehementi denique contentoque boniformis amoris ardore, depulsâ terrenorum omni cupiditate, omnique sæculi hujus excussâ curâ; atque necessariis quidem omnibus velut minimè necessariis spretis, charissimisque relictis velut extraneis, omnium vice unum oppido optabat nanciscì Iesum.*

Nicet. Paphag. or. 12. de S. Matth.

IN FESTO S. THOMÆ AQUINATIS.

THEMA.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Matth. 5.

ARGUMENTUM.

Nubes descendens ad æquor hauriens aquas & effundens.

Descendit hæc fulgida nubes primò per humilitatem: sic enim oportuit, ut implereretur sapientiâ. Valde conducit humiliatio, ut sapientia perduret. fl. 38. n. 10. Humilitas D. Thomæ visitur in eo quòd frater quidam alienigena, cum haberet à prælato electionem socii, nesciens quantus vir Thomas esset, assumpsit eum comitem, ut foras iret ad negotia: qui patienter audivit aspera verba illius, quem comitabatur. Humiliare se minori quanta sit virtus. fl. 16. n. 44. Sed in urbe videntes ipsum aliqui monuerunt alienigenam, ut agnosceret quem secum detulisset: ac ipse cognito errore postulavit à Thoma veniam. Englorificatus est humilis; quantumvis abscondi per submissionem propriam voluerit. *Non potest civitas* &c.

Descendit secundò nubes eadem per obedientiam religiosam: noverat enim quod sub obedientiâ quies (fl. 1. n. 22.) & securitas. ib. n. 28. Thomas erat civitas: urbes autem prdpriè loquendo non custodiunt seipsas: alteri traduntur claves. Ita per obedientiæ perfectam observationem Thomas curabat à prælato custodiri. Descensus iste nubis implevit illam aquâ scientiæ salutaris: nam obedientia mentem illuminat. fl. 38. n. 40.

Notandum quòd primùm civitas hæc oculis hominum abscondebatur, ita ut velut inutilem Thomam habentes appellarent eum bovem mutum. Sic non semel tacens reputatur fatuus à loquacibus. fl. 21. n. 28. Thomas utique silebat cum tacendi tempus erat; quamvis posset virtuosè loqui. Virtutes aliquot accommodandæ temporis opportunati. fl. 32. n. 19. Anima sapientis justi quidem urbs est: quæ, dum tempus adest belli (hoc est in mortali vitâ) nec semper clauditur; nec semper aperitur.

Aliqui putabant illum stultum: sed ipsius eruditioni provisum ita sollicitè de cœlis fuit, ut primò doctrinam acceperit à Virgine Maria. In D. Thomæ parvuli manu fuit inventa charta, in qua erat scripta salutatio Angelica. Lege S. Vincentum Ferrarieusem citatum fl. 38. n. 18. & meditare quantùm sit à Virgine doceri. ib. Etiamque nota peculiarem gloriam Deiparæ de hoc quòd talem docuerit discipulum. ibid. num. 20. Æquum erat ut nubecula Thomæ susciperet aquam doctrinæ à Virgine, quæ mare gratiarum est. Et cum Thomas etiam extet civitas posita supra montem, necnon expende quam cito Maria, quæ sol est, illuminaverit eam.

Salutaribus doctri arum aquis gravida nubes irrigavit sic terram, ut non uni tantum scientiæ Doctor Angelicus profuerit. Notum est ad quanta se libenter extendat ejus librorum splendor. Sapien-

tia de cœlis veniens non unice deservit fini. fl. 38. n. 24. Aquinas urbs est opulenta : solentque civitates insignes utensilibus abundare sic, ut vix quæras aliquid in eis, quòd non invenias. Justum Deus cupit esse proficuum ad plura fl. 38. n. 36. Et ôquantum pro Audioribus meritoriis præmium suscepisse Thomam credendum est ! Id expendatur, quòd aliquando fuit optio D. Thomæ facta, quam esset accepturus pro labore mercedem. Lege S. Vincentium Ferrariensem relatum fl. 38. n. 26. Quasi videtur, voluntarem nostram esse mensuram præmii, quod à Deo recipimus. fl. 14. n. 35.

11.

12.

IN FESTO S. JOANNIS DEI

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c. Luc. 12.

ARGUMENTUM.

Vallis liliorum.

Euthy. com in Luc. 12.

ENthymius ad verba thematis : *Cum præcinctos esse jubet, practicam sive operativam proponit virtutem, cum vero lucernas accendi præcipit, contemplationem.* Utriusque vitæ perfectionem S. Joannes adeptus est; variis virtutum liliis efflorescens. Vallis, in qua germinaverunt fuit humilitas. Hanc eximiè coluit, & insuetum peritet : nam pœnitens talia signa doloris exhibuit, ut habitus fuerit amens (cum potiùs foret amans) & à pueris impetitus quasi mente captus : quod ille sustinebat sine questu. Hæc patientia fuit

1. lilium primum. Humilis non queritur, si humiliatur. fl. 1. num. 26. *sint lumbi vestri præcincti*, &c. A quo ? Patet, unumquemque justum præcingere se : quomodo querelas edet cum seipsum ille per patientiam arctet ?

Lilium secundum, confessio publica peccatorum suorum; quam egit auditâ concione quadam. Sponte velle judicari

Ribad. in vit. S. Joann. Dei. 2. reum à bonis videtur egredi metas humilitatis. fl. 19. num. 38. B. Joannes id non multi ducebat *Sint lumbi vestri præcincti*, &c. Qui præcingit vestes non magni facit quòd propriorum pedum fœditatem alii cernant.

Lilium tertium, fortitudo contra pudorem. Ingressus est lupanar, ut meretrices ad pœnitentiam provocaret. Justi laus est non despicere consortia malorum

Idem ib. 3. ad utilitatem spiritualem delinquentium. fl. 13. num. 54. In themate præfixo non docet Apostolos Dominus, ut lucere curent sicut soles : imo nocturnas lucernas in manibus habere monet : *Lucernæ ardentes* &c. Sol veluti dedignatur umbras; gestans verò manu lucernam in mediis tenebris accedit ad obscuram domum, ut obscuritatem tollat.

Lilium quartum, contemptus famæ sæcularis : qui satis probatur in S. Joanne Dei per illud, quod circa peccatrices publicas diximus proximè. Coronam peculiariter meretur non omittens virtutem spreto periculo famæ. fl. 16. num. 58. Honestatis amore sinens dehonestari, decus egregium à Domino suscipiet in præmium. fl. 14. num. 45. O quali remuneratione Joannes dignus erat : qui sustinuit injurias plures, cum aliquam fœminam peccatricem educebat à domo libidinis ! Non quærebat ille mundi vanum splendorem; cum in propriis manibus haberet bonorum opernm lucernas. Non, inquam, sollicitabat tanquam lucrum laudes hominum, cùm spiritualiter auxiliabatur animabus illis positis in via perditiiouis. Lucrum qui spernit, dum præstat auxilium, non videtur homo. fl. 30. num. 36. Hanc & alias virtutes ejus Dominus muneravit largiter. Omissis nunc reliquis donis, adverte, non modicum esse quòd ipse vocetur Joannes Dei. fl. 16. n. 52.

4. 5. 6. 7.

Lilium quintum, misericordia erga pauperes. Pietatis in egenos tyrocinium posuit cum in Africa laborabat in ædificatione publicâ, recepto stipendio, quo subveniebat cuidam nobili; qui cum duplici filiâ pauperiem gravem sustinebat. Inclytum Ribad. sup. erat hoc opus misericordiæ : quia paupertas juncta nobilitati crux est gravissima. fl. 16. num. 50. Postea quando jam ejus charitas auxilio miserorum incumbebat publicè, mirum est quantam indigorum multitudinem unicus homo non dives foveret : sed qui caret cupiditate bonorum temporalium, quamvis eleemosynam accipiat, abundat. 16. num. 60. Non solum præcingebatur paupertate propriâ; sed etiam illius præcingebat aliorum inopia : neque tamen patiebatur angustias ex indigentiâ suâ; sed ex alienâ. Deo sic placebat hæc D. Joannis in egenos miseratio, quòd Salvator ei apparuerit in formâ pauperis. Vide quàm sit excellens opus Dominum in paupere suscipere. fl. 36. num. 20.

8. 9. 10.

Lilium sextum, strenuitas contra dæmonem : qui, licet, permittente Deo, confringeret ejus corpus, tamen sanctum virum formidavisse non dubitetur. Diabolus plus timere videtur justos, quàm justitiam Dei. fl. 15. num. 36. Multa sunt laudabilia, quæ nescimus de Joanne : quia ejus humilitas occultavit ea. Viri perfecti dum vivunt, ostendunt, se non ambire post facta plausus. 16. n. 38.

11. 12.

INFESTO SANCTI GREGORII PAPÆ.

THEMA.

Vos estis sal terræ....Vos estis lux mundi. Matth. 5.

ARGUMENTUM.

Ob victoriam sui circundatus est D. Gregorius Pontifex triplici corona: quarum ænigna sint illæ tres; quibus redimitur Pontificia tiara.

AMator fuit Magnus Gregorius Abstinentiæ. Hanc primùm numero victoriam sui: quia jejunium magnas illi contulit vires pro spirituali dimicatione. Quid non poterit abstinentia; quæ Deum placere valet? fl. 2. n. 9. Jam non miror quòd
1. eadem conducat haud semel ad victorias de
2. temporalibus inimicis. ibid. n. 17. Ex uno contrario solitum est alterius proprietates
3. agnosci. Gula deprimit hominem. fl. 2. n. 19. Unde libenter infertur, per jejunium nobilitari. *Vos estis lux mundi.* Lux est accidens; ignis autem substantia. Quare non Dominus hoc loco suos decoravit potiùs ignis vocabulo, quàm lucis? Nam parum sic extulit eos: Lux quippe non sumit alimentum; ignis autem nimis est addictus pabulo: si deficiat, extinguitur.

Iterum se vicit Gregorius per humilitatem; cui respondet peculiaris corona. Introduxit morem, quem secuti sunt alii Pontifices in Bullis Apostolicis, nominando seipsum servum servorum Dei. Humile nomen voluntariè susceptum, decorosum est. fl. 16. n. 42. Subditorum se prædicto modo servum dixit. Humiliare se minori quanta
5. sit virtus. fl. 19. n. 32. Aliqui S. Gregorium falsò arguerunt de morte cujusdam Episcopi. Humiliter ipse respondit, hoc
6 veritate destitui. Quanta sit humilitas patientis injustè argui. vide fl. 12. n. 52. Magna quidem est humilitatis excellentia. Priusquam Dominus Apostolos appellaret lucem, vocavit nomine salis: nam lux est creatura fulgens; at verò sal quid abjectum.

Ribad. in vit. S. Gregor. Pap.

Tertiò S. Gregorius vicit insigniter superbiam charitate proximi, tam ardenti, sicut probat casus, quem narravi fl. 16. n.
7i 46. Charitativus veluti se putat homicidam, si non impedivit mortem proximi citra culpam. ib. Charitas, inquam, D. Gregorii sic ardebat, ut probat ejusdem sollicitudo circa pauperes: de quo Beda: *Quidquid pecuniæ habuerat sedulus hoc dispergere, ac dare pauperibus, ut justitia ejus maneret in sæculñ sæculi, & cornu ejus exaltaretur in gloria*: &c. Sciebat piissimus Pontifex qualiter cruciet egentes paupertas involuntaria. fl. 17. n. 36. *Peregrinos quotidie ad mensa adhibebat.* Ecce vides quòd non solùm sublevabat eorum penuriam; sed honorabat illos, faciens ipsos
9. ad mensam propriam sedere. Cibandus est pauper ita ut eleemosinarius ostendat, se non parum eumdem appretiare. fl. 36. n. 24. S. Gregorii viscera liquefiebant in utilitatem proximorum. Salis est liquescere pro commoditatibus alienis. Et ôquam præcellentem coronam servabat illi Do- 10.
minus propter prædictam victoriam charitatis, qua se misericordem præstabat! A discrimine tutum est præmium misericordis in egenos. fl. 14. n 41.

Bed in vit. S. Greg. Mag.

Ex off. Eccles. n. Fest. S. G. M l ct. 5.

Quartò superavit calumniantes. Qui semetipsum vicerat non adeo mirum est quod reportaverit victoriam de calumniatoribus. In verbis thematis Christus Dominus Apostolos non primo loco dixit lucem, sed sal: quoniam lux juxta Philosophos caret contrario; sal autem, ut ita dicam, patitur multa: nam conculcatur in terra, destruitur in aqua, & expellitur ab igne. Meditare qualiter se D. Gregorius habuerit erga calumniatores, de quo Ribadaneira in ipsius vita. Quòd passus 11.
calumniam non de vindictâ cogitet, sed curet calumniatorem docere veritatem, opus divinum dici potest. fl. 16. n. 48. Adeo magnum quid est injuriam sustinere pa- 12.
tienter; quòd pro hac re confugiendum sit ad orationem; cum ad hoc ut eripiaris à morte quandoque sufficiat auxilium humanum. fl. 34. n. 21.

IN FESTO S. JOSEPHI.

THEMA.

Cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Matth. 1.

ARGUMENTUM.

Prudens custos honoris Domini.

DEcus istud Altissimi pendebat hîc ab honore Mariæ: contra quem ut non judicaret S. Josephus, attendit ad sibi notam Virginis anteactam puritatem. Sic 1.
generosi solent: qui ne judicium ferant contra castitatem alterius, considerant ipsius puritatem præteritam. fl. 40. n. 31. Prudentia D. Josephi claruit in subjecta materia: continens mentem propriam, ne citò judicaret circa B. Mariam. Sapiens 2.
non amat nimiam velocitatem in censendo. ib. n. 33. Justitiam celebat S. Josephus: 3.
Cum esset justus &c. & justitia verè dicitur sapientia: sapientis autem est prudentiæ suæ diffidere. fl. 26. n. 53. Cavebat Joseph 4
à judicio temerario: sciebat enim, hoc peccatum esse noc solum infructuosum, sed inexcusabile. fl. 4. n. 75.

Volvit occultè dimittere eam. Ne læderet 5.
Virginis famam, exposuit suam ori nequam. Magnum est hoc virtutis opus. Dei speciali favore dignus est qui, ne alterius famam offendat, exponit se linguæ malæ. fl. 4. n. 61. Ita solicitus erat de servandâ bonâ existimatione Deiparæ, quòd esset

esset contentus occulto remedio, pro damno proprii honoris, quod fortassis imminebat publicum. *Voluit occultè* &c. Arduum est esse contentum remedio secreto circa damnum publicum honoris proprii. fl.40.n.35

6.

Voluit occultè dimittere eam. Sednon scribit S. Matthæus, D. Josephum ad Virginem verba dixisse querimoniæ; cum durum sit aliquando, amantem non proponere querelam dilecto. fl 40.n.37. Cum prudentia conjunxit fortitudinem S. Joseph: quam probavit in eo, quòd qui *voluit occultè dimittere* Virginem dilectam, exponere se deliberavit ad patienda desideria de B. Mariâ post absentiam. Multùm prævalet viribus animi qui desiderium sustinere valuit. Non metuat alterum validiorem se, qui potest desideria ferre. fl.10.n.38. Secundò probatur S. Josephi robur ex eo, quòd proprium dolorem reticuit: nam dolor abditus germinat plures. fl.25.n.43. Tertiò strenuitas ejus visitur in eo, quod paupertatem libenter sustinuit, cum illustris esset. fl.25.n.19

7.

8.

9.

10.

Tandem S. Josephi prudentiam in eo miror, quòd veluti cæco modo præstitit obedientiam Dei voluntati de ferendo puello divino in Ægyptum. fl.40.n.39. Non contrariatur ista quasi cæcitas prudentiæ: nam obedientia mentem illuminat. fl.38.n.40

11.

12.

IN FESTO S. BENEDICTI.

THEMA.

Reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Matth.19.

ARGUMENTUM.

Volatus aquilæ.

VOlatus D. Benedicti primus fuit à scholis Romanis ad solitudinem. Lycæum reliquit sciens, aliquando per amorem sapientiæ mundanæ corruere multos, & in plurima peccata labi fl.2.n.35. Voluit potiùs esse Benedictus quàm bene doctus & malus: advertens, magisterii titulum, sine virtutis perfectione, malum quid non esse. fl.28.n.62. Minus reliquit Petrus; quamvis dixerit: *Reliquimus omnia*, &c. non enim contempsit accquirere sapientiam.

1.

2.

Volatus secundus extitit ab eremo ad monasterium quoddam; cui præfuit rogatus. O quantus honor D. Benedicti, quòd præfuerit subdentibus voluntariè se! fl.11. n. 10. Habitatores istius monasterii regere curavit sanctè: non obliviscens quòd ad prælatum spectat cum dilectione subditorum recordari judicium divinum. fl.15. n.32. Sed quia prædicti subditi non amplectebantur perfectionem regularem, abiit inde Benedictus. Congruit justo deserere sodales malos. 13.n.20. Non recessit quasi non diligeret ipsos; quamvis ei dissimile-

3.

4.

5.

6.

forent moribus: sed quia justus quandoque vellet concordiam servare cum improbo, cum locorum distantiâ. fl.13.n.29. Apostoli dereliquere mundum, *Reliquimus omnia*, quin homines odio haberent

Volatus tertius D. Benedicti discedentis à prædicto monasterio aderemum. Noverat ille quantùm in eremicolis Deus complaceat. fl.16.n.22. *Reliquimus omnia*, &c. Nec tamen Petrus omnia deseruit, ut vitam solitariam profiteretur: non enim congruebat ut cùm reliquit mundum, tam citò complecteretur vivendi rationem sic arduam.

7.

Volatus quartus ad ea monasteria, quæ Benedictus erexit: in quibus provocabat sicut aquila pullos ad volandum. O quàm timebat sub tanto duce posita castra dæmon! Plus iste videtur metuere justos, quàm justitiam Dei. fl.15.n.36. Adversùs D. Benedictum ibi degentem surrexit clericus quidam nomine Florencius: qui non solum percussit linguâ sanctum virum, sed voluit occidere illum; & insuper animas fratrum Benedictinorum necare morte culpæ. Cernens piissimus Pater, illud inventum diabolum potiùs contra personam suam insurrexisse, quàm adversùs filios, transmigravit inde.

8.

Ribad. in vit. S. Benedic.

Ecce volatus quintus. At vindicta divina Florencium occidit, cadente super eum domo. Quod cum sciret S. Benedictus, copiam lacrymarum fudit. Aliquando magis Deo placet compassiva dilectio circa peccantem, quàm zelus justus de punitione illius. fl.34.n.13. Benedictus, qui cum Petro dicere poterat: *Reliquimus omnia*, seipsum ita dereliquit, ut nequaquam amore proprio duceretur ad hoc ut complaceret in adversarii morte.

9.

Volatus sextus ad montem Cassinum, ut contereret idolium Apollinis. Quo peracto, cœpit discurrens per populos illis prædicare veram fidem. Justus aliquando non contentus instructone successiva plurium, curat multos ducere simul ad rectum. fl 38. n.ſt6. Exemplum secutus est D. Benedictus nostri Salvatoris: qui vocavit multos, ut simul doceret eos, de quibus ac de se Petrus ait: *Reliquimus omnia*, &c.

10.

Volantem Benedictum secuti sunt postea regales aquilæ: quæ lubenter amplexæ sunt ipsius regulæ præcepta. Sed exemplum sancti viri fortiùs traxit eos, quàm præceptum. fl.13.n.30. Quæret nonnemo: Quid est gloriosius? quòd ex religione S. Benedicti providerint Summi Pontifices; an quòd ad ipsam venerint reges? Resolve pro secunda parte. Gloriosius est Deo ut ei serviant reges, quàm quod extollat humilem ad potestatem. fl.15.n.34. Videri potest fl.16.lib.3.per totam.

11.

12.

Copia pro concionibus

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.
Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Miſterium incarnationis gloria totius Trinitatis.

PEr anuntiationem reſplenduit Spiritûs divinî largitas in præmiando: nam dignitate Matris Dei (quæ tam ſuperexcellens quid eſt) muneravit merita Virginis; quin renueret aſſumere infirmitatem naturæ noſtræ. An Deus pluris facit haberi largus in donandis præmiis, quàm fortis, & dotens? fl. 14. n. 37. *Spiritus ſanctus* &c. Inviſibiliter ſupervénit Spiritus divinus in Mariam: & ita contexit liberalitatem ſuam. Qua ratione Deus aliquando tegat ſuam largitatem in præmiando? fl. 14. n. 39. Plurimùm quidem exaltavit Mariam: ita quòd nec humilitas dignitatem impediverit; nec dignitas minuerit humilitatem. Fatendum tamen eſt, attendiſſe Deum plùs humilitati Virginis, quàm dignitati. fl. 19. n. 40. Cumque non modica Dei gloria ſit quòd reſpiciat humiles, non liberè dicimus, effulſiſſe Spiritum ſanctum in anuntiatione Virginis. Rupertus: *Ab hoc loco ferè primum ſonuit in auribus noſtris hoc reverendum, & inſigne vocabulum, proprium atque abſolutum, Spiritus ſanctus: ubi Angelus, & ad Mariam*, Spiritus ſanctus, *ait*, ſuperveniet in te, *& ad Joſeph*, Quod enim in ea natum eſt, *inquit*, de Spiritu ſancto eſt. *Quam ob cauſam? niſi quia (quod cum magna reverentia cogitandum eſt) maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt, claruit hic Spiritus Domini, quod verè ſanctus ſit.*

Rupert in Matth. 1.

Nunc de gloriâ Patris, quæ manavit ex incarnationis opere: per quod errata mortalium reſarcire curavit. fl. 11. n. 14. Plus effulſit hac miſeratione, quàm ſplendet puniendo. fl. 28. n. 32. Incarnatione mediante probavit æternus Pater, ipſum eſſe parentem noſtrum: qui titulus Deo tam gratus eſt, ut illum valdè moveat ad pietatem. fl. 31. n. 53. Quamvis Pater adeo ſit glorificatus hoc myſterio; tamen ſic per iſtud exaltavit Mariam, ut poſſit aliquis inquirere, dicens: An venire poteſt in mentem piam, Patrem æternum, comparatione factâ cum Maria, nihil feciſſe in opere incarnationis? fl. 19. n. 49. Attamen oportet continere devotionis ardorem, & fateri quòd incarnatio verè fuit magnum Patris omnipotentis opus; quo ſic eſt exaltatus, ut ideo fortaſſis ab Angelo dictus fuerit Altiſſimus: *Virtus altiſſimi* &c. Andreas Cretenſis: *Voce hac* Altiſſimi *Patris infertur perſona* &c.

And. Cret. or 5. in Annunt. B.M.

Denique dicam de gloria Verbi divini: quod in themate ſignificatur illo nomine *Virtus*. Idem Cretenſis: *Per virtutem verò Altiſſimi, apertè Filium innuit*: &c. Verbum divinum hac die plurimùm gloriatum eſt. An Verbo viſum fuit quòd per incarnationem conſummaverit opus noſtræ redemptionis? fl. 19. n. 43. Quanta gloria Chriſti Domini per hoc quòd fuerit conſecratus ſacerdos in utero B. Mariæ! fl. 19. n. 51. Claruit in aſſumptâ infirmitate necnon fortitudo Chriſti. fl. 11. n. 6. Utere Euthymio: qui explicans verba thematis, ait: *Virtus Dei proteget te*: &c. An Verbum in ventre Mariæ ſumpſit arma, quaſi foret antea inerme? fl. 19. n. 45. Accedit illa gloria Verbi: ſcil. quòd per myſterium incarnationis devenerit in deſponſationem cum Eccleſia. fl. 33. n. 48

Idem ib. 8
9
10
Euthym. in Luc. 1. 11
12

IN FESTO SS. PHILIPI ET JACOBI.

THEMA.

Ego ſum via, & veritas, & vita.
Joann. 14.

ARGUMENTUM.

Stellæ collucentes.

HAbemus apud Danielem: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Loquitur his verbis Angelus de claritate futurâ in ſtatu beatitudinis: nihilominus Philipdus & Jacobus, dum in terris degerēt, meruerunt ſtellæ cognomine decorari.

Danie. 12. 3.

Philippus in ſacris litteris doctus erat. Simeon Metaphraſtes: *Cum autem rectè fuiſſet educatus, & in omni laudabili diſciplina jam inſtitutus eſſet, & eruditus, libros perlegit Moyſaïcos, & quæcumque fuerant prædicta de Chriſto myſteria imbuit* &c. Fuiſſe necnon divitem colligitur ex Niceta, qui de illo ait: *Uno dumtaxat illi verbo*, Sequere me, *ſibi diſcipulum addixit, brevique hac vocula parentum ſtatim amoris vim extinxit. Cognatorum, amicorum, neceſſariorum oblitus affectionis eſt: prædia pecuniæ, omnisque vitæ ſpretus apparatus*, &c. Mirum eſt quòd ſcientiam cum opibus conſervaverit illæſam: quoniam opulentia quodamtenus minuit non ſemel ſapientiam fl. 19. n. 69. Conjunxit egregiè virtuti ſapientiam Philippus: quantumvis multi per ſapientiam corruant. fl. 2. n. 35. Itaque refulgebat Philippus eruditione: ſed in morem ſtellæ fixæ; per quam pateret poſtea pluribus, qui vivebant in tenebris, via: ſcil Chriſtus Dominus, qui de ſe dixit: *Ego ſum via*, &c.

Metaphraſ. in vi. S Philipp. poſt princ.

Niceta. Paphla. or. 7. longe ante med

1
2

S. Jacobo nomen ſtellæ congruit etiam. Nam inerat ei ſanctitas; utpote qui cognominabatur, Juſtus: & ad ſimilitudinem ſtellarum nocte lucentium fulgebat inter caligines eorum, qui luce fidei carebant.

Exemplo

docebat eos. De viribus exempli boni habes fl. 14. n. 32. Jacobus macerabat se jejuniis, vivens in ferè perpetuâ contemplatione. Vir perfectus opere bono cibat spiritum suum. fl. 32. n. 39. Jejunio tamquam viatico Jacobus confortatus, amplexus est viam, id est Christum Dominum, qui dixit: *Ego sum via*, &c.

Philippus paulò postquàm vocatus est à Domino, Nathanaëlem adduxit ad Christum; cum munus animas ducendi soleat esse provectorum. fl. 9. n. 37. Postea quidam Gentiles accesserunt ad Philippum; exposuerunt illi desiderium videndi Jesum. Joann. 12. 22. Joannes ait: *Andreas rursum, & Philipus dixerunt Jesu.* Expende zelum Philippi de salute animarum. Zelus salutis proximorum ambit sanctè vel animam unicam; licet intendat lucrari plurimas. fl. 16. n. 10

Jacobus post Salvatoris mortem zelatorem se necnon præbuit salutis animarum: convertens multas in eâdem urbe qua Dominus crucifixus est. Et mirandum quòd ibidem voluerit immorari, ubi tot erant mali: sed laudabilius est esse bonum inter malos. fl. 13. n. 38. Apostolus uterque sidus erat, ut hominibus involutis caligine monstraretur ille, qui dixit: *Ego sum via, & veritas, & vita*

Philippus cupiit in terris videre Patrem in seipso. Desideium sustinuit inexpletum. Qualiter desideria torqueant habes, fl. 10. n. 38. De Jacobo verò narratur: *Lacrymarum guttas abundanter miscens cum potione* &c. Et credo, vel unum, vel unicum plorandi motivum fuisse desiderium cœlestis patriæ: proindeque jungebatur ejus fletus cum gaudio: quoniam lacrymis manantibus à desiderio beatitudinis jungitur socia lætitia. fl. 23. n. 22. Quidni doleret simul atque lætaretur Jacobus nocens rectam se tenere viam (scil. Christum Dominum sectari) quæ ducit ad perpetuam felicitatem; sed ad istam non adhuc pervenire?

Notandum etiam aliquid est de lacrymis; quas Philippus orans effudit, cum Dominum precaretur, ut infidelium tolleret cæcitatem, qui viperam adorabant. Exauditus est Apostolus: nam compassiva dilectio circa peccantes valde placet Altissimo. fl. 34. n. 13 Noverat, dixisse Christum Dominum de se quòd sit veritas: ea propter anxiabatur, quòd ita miserabiliter apud homines prævaleret mendacium. Item charitatem S. Jacobi meditare dum legis, rogavisse pro inimicis. De illo scribit Eusebius Cæsariensis: *Cæperunt eum urgere lapidibus. Qui dejectus, non solùm mori non potuit, sed conversus, & super genua sua recumbens, dicebat: Rogo Domine Deus Pater, remitte eis peccatum, non enim sciunt quid faciunt.* Sic imitatus est Filii Dei crucifixi pietatem, rogantis ad Patrem pro adversariis. Pluris fit à Domino justus cùm ejus clementiam imitatur. fl. 12. n. 28. Similitudo magna fuit inter S. Jacobum & Redemptorem: non solùm, quia corporali facie valdè similis fuit eidem: sed etiam propter imitationem quæ visitur in illa deprecatione pro inimicis: & insuper quoniam Christus Dominus asseruit: *Ego sum via*, &c. Jacobus autem instruens, munus exhibuit spiritualis viæ.

Sime. Metaph. in vit. S. Jacob. min. post princ. — Eusеb. Cæsar. in vit. S. Jacob min. — Ribad. in vit. S. Jacob. min.

Demum Apostolus uterque vitam pro Domino suo profudit amanter. Philippus ita dissolvi cupiit, ut cum vellent ipsum deponere de cruce (*Festinabant*, inquit Metaphrastes, *autem ut è ligno citò demitterentur.*) renuerit Apostolus. Idem metaphrastes: *Philippus autem eorum repressit conatum. Iam enim ad eum quem desiderabat erat mox migraturus.* De Jacobo verò legimus in cruce posito, sic libenter expectavisse mortem, ut gratias egerit, quòd se Christo similem effecissent in ascendendo crucem. Nicetas: *Tamquam igitur accepti muneris gratiam rependens, quod hac quoque parte Christi palam similem eum effecissent, quod viam facilem brevemque per crucem semitam ac commodum in cœlum iter ei munierant* &c. Justus eligit ut melius vitæ finem, quàm augmenta meritorum cum discrimine. fl. 37. n. 44

Metaphrast. in vit. S. Phlipp. ante fi. — Nicet. Paphlag. or. 6. 12.

IN FESTO S. ANTONII ULYSSIPONENSIS.

THEMA

Juxta ritum concessum pro Regno Portugalliæ.

Vos estis sal terræ.... Vos estis lux mundi. Matth.

ARGUMENTUM.

Arca testamenti.

ARca fuit compacta ex ligni Sethim, quæ sunt imputribilia. Rupertus: *Ligna Sethim imputribilia sunt* &c. In hujus qualitate ligni expende proprietatem veræ sapientiæ: scil. quòd ut plurimùm non degenerat. fl. 1. n. 52. *Vos estis lux mundi.* Lux non corrumpitur. Sic D. Antonii lingua corrupta non fuit: nec materiali corruptione (cum post annorum seriem reperta fuerit incorrupta) nec vitiorum corruptione, quibus infici mortalium linguæ solent. Rupert l. 4. in Exod. c. 5 1.

Intus & foris arca testamenti deaurata fuit. S. Bruno Astensis: *Deauratur autem auro purissimo intus, & foris, quia sapientiæ nitorem quam interius habet,* (loquitur de Ecclesia significata per arcam) *foris quoque prædicando monstravit. Qui enim sibi da tam sapientiam celant, illi intus, & non foris sunt deaurati.* Splendor auri non denegatur languentibus oculis. Prædicator sanctus non fastidit peccatorem. fl. 12. n. 32. Sic D. Antonius libens doctrinæ radios improbis dispergebat. Sal non tantùm sana præservat, sed insipida condit. Lux non tantùm præstat crystallo ut splendeat; sed homini posito in tenebris, ut videat. S. Brun. Astrens. ibi in comment. c. 25. 2.

Arca

Arca prius fuit vacua. S. Antonius per humilitatem quasi vacuabatur. Dissimulavit quondam sapientiam; seque dixit incapacem ad proponendum verbum Dei. Inscium te reputa: doceberis à Domino. fl.38. n.8. Sal comminuitur frequenter, ut comedentis gustui prosit. Ita D. Antonius per submissionem veluti liquefiebat, redactus tamquam ad nihilum. Ribad. in vit. S. Anto.

3.

Conservans humilitatem Antonius primò proposuit verbum Domini ex obedientia jubentis prælati. Multum conducit humiliatio ad sapientiam. fl.38.n.22. Sal condensatur subtus aquam: & hinc extrahitur per eos, quibus hoc incumbit ex officio. Meritò comparantur Apostolici viri sali, pro concionandi munere. Apostolos in textu nostro non dixit Filius Dei lucem cœli; sed mundi: quia in cœlo non fulgebant ex obedientia; in terris autem à Magistro suo jussi resplenduerunt fulgoribus doctrinæ. Antonius velut arca testamenti clausit in seipso legem Dei: sed hanc eructavit à D. Francisco jussus. Qualis Deo gloria, si prædicator expectet ut mittatur ad messem animarum colligendam. fl.15. n.58

4.

5.

Arca percussit infideles olim. Antonius gladio verbi Dei hæreticos insectabatur. O quanti Deus facit honorem suum læsum per scissionem factam ab hæreticis resarciri! fl.15.n.56. Lux erat Antonius: tenebras dissipare curabat.

6.

Arca Dei legem continuit: quæ tam potentes, quàm parvulos dirigebat. Antonius proponebat legem divinam, sinè personarum acceptione. fl.38.n.42. Lux non solas valles illuminat; sed montes etiam.

7.

Coram arca fideles testamenti veteris experiebantur clementiam Domini. S. Antonius exercens munus Evangelicum non feriebat homines, sed vitia. Non sicut alii, qui se probare volunt sapientes per hoc quòd verbo feriant. fl.21.n.24. Sal minimè carnes destruit; sed obstat putredini: lux tollit umbras: nec ferit rem illuminatam.

8.

Arca in templo; quò singuli pro varietate cordium acciperent à Domino quod expetebant: scil. alius dolorum consolationem, alius auxilium, quo defenderetur ab hoste, &c. Sic D. Antonius, ut cunctis prodesset, omnibus se præbebat accomondum in animæ negotiis: ita ut videretur accepisse Spiritum sanctum ad hoc ut pro libito suo uteretur illo ad bonum fidelium fl.38.n.44. Lux accomodat se cunctis: nam dirigit viatorem, alleviat ægrotum &c.

9.

Arca timorem Dei, simul & fiduciam ingerebat hominibus. Antonius non solum terrore docebat. Doctrina timorem ingerens & confidentiam efficacior est, quàm si solùm terreat. fl.24.n.37. Sal habet asperitatem; sed ingerit se blandè: lux lenis

10.

11.

est. Dulcedinem forti grandiloquentiæ connectere, videtur plusquam humanæ sapientiæ proprium. fl.38.n.28. Aliquado noluerunt homines Antonium audire: sed propterea fuit exaltatus miraculo piscium.

12.

Nonunquam sibi plus negotiabitur is, cujus doctrina salubris non recipitur. fl.11. n.34

Quod infra notabo post fi. ser. D. Dominici hic habe dictum.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

THEMA.

Manus Domini erat cum illo. Luc. 1.

ARGUMENTUM.

In S. Ioanne Baptista peregerunt opus egregium quinque digiti manus Dei.

S. Vincentius Ferrariensis: *Sicut manus hominis vel mulieris habet quinque digitos quibus operatur: ideo virtus Christi habet quinque attributa quasi quinque digitos quibus Deus cuncta operatus est. Primum est potentia, secundum sapientia, tertium misericordia, quartum gratia, quintum justitia.* Et infra: *Cum ergo virtus divina operata sit mirabilia & magnas excellentias in beato Ioanne Baptista: ideo dicit thema*: Manus Domini erat cum illo. S. Vincente Ferrar. ser. 3. de Bapt.

Digitus primus, potentia. Divina potestas effulsit in eo, quòd usus fuerit Joanne puello tenerrimo, clauso in utero matris, ut exultatione prædicaret Chrystum Dominum. S. Joannes Chrisostomus: *Nondum nascitur, & saltibus loquitur.... nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur: nondum ducit vitam, & Deum prædicat: nondum aspicit lucem, & solem indicat:* &c. Omnipotentia Dei plùs ostenditur, cùm infirmo utitur instrumento ad rem arduam. fl.16.n.24. Refulget equidem potestas Conditoris ex creatione Angelorum. Sed in Præcursore magis videtur eluceſcre: nam præcurrentis Baptistæ munus videtur aliquid Angelicâ virtute majus. fl.11.n.22 Præcursoris munus Joannes egit, homines ducens ad pœnitentiam. Quale prodigium conversio animarum! fl.29.n.32. Et hinc Dei potestas emicuit per Joannem. Quod ut insinuaretur, jam in ejus nativitate potentiam suam Dominus ostendebat. *Manus Domini* &c. Textus Hebraicus apud Vatablum: *Etenim in ortu suo potentiam suam declarabat Deus.* Chrysost. apud Simeon. Metaphac die. 1. 2. 3. Lect. Hebr. apud Vata. in schol.

Digitus secundus sapientia Dei. S. Vincentius Ferrariensis: *Secundum est sapientia quasi index.* Hæc relucet in suî participatione comunicata Joanni quæ talis fuit, ut aliquando magis illuminaverint mentem verba Joannis, quàm ipsius Christi. fl.11. n.16. Nec splendorem amisit ex eo, quòd Joannes purus esset homo; proindeque de se capax falli & fallere. Imo quæret aliquis an sapientia communicata per manus Baptistæ majoris fiebat, quàm immediatè participata de manu Domini? 11.n.18. *Manus Domini* &c. Cardinalis Toletus: *Manus Domini in Scriptura sacra Dei virtutem, ac potentiam, quæ supra vires hominum operatur significat. Hæc ex variis circumstantiis* S. Vincent. Ferra. sup. 4. 5. Cardin. Tolet. in Luc. 1.

tantiis varios indicat effectus . . . . aliquando est ad prophetandum . . . . aliquando ad Evangelium fructuosè prædicandum. Vide utrum in secundo sensu litterali, vel in accommodatitio verba thematis aptari possint, q.d. manum Domini pro Evangelicâ prædicatione vellet offerre Baptistæ sapientiam.

S. Vincent. Ferrar. sup. Digitus tertius, misericordia. S. Vincentius Ferrariensis: *Tertium attributum est misericordia: quasi digitus medius, qui longior est aliis, sicut misericordia Dei super omnia opera ejus.* Resplenduit Altissimus, ut misericors, in Joanne: per quem locutus est ad peccatores, misericordiâ suadente ut commoveret per Vocem suam 6. illos ad pœnitentiam. Quàm fulgeat nobis Deus miserando! fl. 28. n. 32. Glorificata quidem fuit mediante Præcursore misericordia Dei; sed non sine gloriâ Baptistæ. 7. Dimittebatne Salvator gloriæ suæ partem, quò Joanni tribueretur honor de pœnitentium salute? fl. 11. n. 24. Gratus correspondit Joannes humilians Domino semetipsum. 8. Præcursor non timuit proprium decus imminui; dummodo cresceret honor Christi Domini. ib. num. 20. *Manus domini* &c. S. Bonaventura: *Manus dextera.* Per dextram Dei sumere solemus ipsius pietatem. Favet S. Gregorius Papa. *A dextera*, inquit, *ergo Dei & sinistra Angelorum exer-*
D. Greg. Mag. te 1. l. 2. mor. c. 15 *citus stat, quia & voluntas electorum spiritum divinæ pietati concordat: & reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat.* Misericordiane Domini offerebatur Baptistæ distribuenda mortalibus?

S. Vincent. Ferrar. sup. Digitus quartus, gratia. S. Vincentius Ferrariensis: *Quartum est gratia quasi medicus tangens venam cordis ipsum illuminando ad cognoscendum peccata, & convertendum, & confitendum* &c. *Ioannes* (ait Christianus Druthmarus) *interpretatur gratia Dei, quod nomen illi à Domino*
Druthmar. in Matth. c. 4. *impositum est:* &c. O quale donum mundo collatum Baptista fuit! Eximium donum Dei gratia. fl. 3. n. 36. Præcursor extitit 9. quodammodo gratiæ similis in pugnando cum peccato. Mirabile fuit quòd unicus homo contra multitudinem criminum susciperet hoc bellum, tempore, quo tot peccatores erant in populo Dei. Sed malorum numerosa congregatio computetur quasi pauci forent. fl. 33. n. 56. Et insuper *manus* 10. *Domini erat cum illo* Euthymius ibi: *Virtus ac gratia Dei.*

Euthy. in Luc. S. Vincent. Ferrar. sup. Luc. 3. 9. Digitus quintus, justitia. S. Vincentius Ferrariensis: *Quintum est justitia quasi auricularis: quia minor aliis appareret nunc:* &c. Tamquam Dei minister annuntiavit Joannes divinum supplicium, *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et videtur mirum, quòd agens de supplicio futuro moveret corda; cum plures homines quando pœna jam est præsens, videantur indigere miraculo, ut sibi suadeant, id quod patiuntur, extare punitionem suam. fl. 2. n. 65. 11. Non ignorant isti, Deum esse justum; sed putant, semper Domini vindictam differendam in longinquum tempus: quâ existimatione valde lædit. Deus. fl. 14. n. 53. 12.

IN FESTO SANCTI PETRI APOSTOLI.

THEMA.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Matth. 16.

ARGUMENTUM.

Gemma pretiosa jaspis.

Aret. exposit. in apoc. c. 67. ARetas Episcopus: *Per Iaspidem colore in modum Smaragdi virescentem, verisimile est coryphæum Petrum designari . . . . in eumdem restitutus virorem, & ipse à lethali siti lacrymarum imbribus erutus est, & nos in locum viroris per salutaris aquam baptismatis excepit hospitio.* Gemmæ proprietates hujus aliquot, in Apostolorum Principis laudem, nunc scopus orationis erunt.

Alcaz. in Apoc. 21. tor. 6. §. Alia. De illa scribit Alcazar: *Hac gemmâ nos natura ipsa allicere & invitare videtur; dum eam non in terræ viscera abdit, sed in summa tellure expositam omnibus offert.* Unde pedibus prætereuntium proculcatur. Hic meditor humilitatem D. Petri (qui jaspis est): quam specialiter ostendit in eo, quòd, cum (ut habemus ex Epistola ad Galatas c. 2. 11.) eum de simulatione judaismi Paulus corriperet, *tacuit Petrus* (ait S. Gregorius Papa) *ut qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate.* Putabat Petrus agere se recte in hac simulatione: humilitasque profunda est acquiescere te reprehendenti de re, quam bonam existimabas. fl. 12. n. 48. Feriebat illa reprehensio judicium rationis Petri: reprehensio autem feriens intellectum postulat audientis magnum spiritum, quò feratur æquanimiter. ib. num. 34. Innuere visus est Dominus in verbis pro themate præfixis, quàm foret conveniens dignitati summi Pontificatus humilitas, cum decrevisset ipsum constituere apicem Ecclesiæ, videtur insinuare, ponendum subter Ecclesiam: *Super hanc* &c.

D. Greg. Mag. to. 2. hom. 18. in Ezechie. 1.

Per colorem viridem jaspidis accipiamus virentem fervorem Principis Apostolorum in gerendo munere suo: qui talis erat, ut zelus ejus de salute animarū nunquam sibi 2. faceret satis. fl. 33. num. 46. Certè cum Petrus de Ecclesia curabat, Christus Dominus quiesceee poterat. ibid. num. 42. Hanc 3. sollicitudinem Deus remuneravit in eo, quòd sponte mundus se pedibus Apostoli subjiceret. fl. 33. num. 44. Salvatori quidem restitit mundus; & obedivit spontaneè Simoni! An Petri major gloria, quàm 4. Redemptoris in amplificandâ Ecclesiâ. fl. 33. n. 40. Tanta fuit hæc gloria Vicarii Christi, quòd, ne putaretur Ecclesiæ dominus, fortassis à Filio Dei dictum fuerit: 5. *Ecclesiam meam*, &c.

6.

Ex oculari experientiâ refert Alcazar, quemdam esse jaspidem sanguineis notis respersum. Hîc meditor Apostoli martyrium. O quàm speciosam & gratam Domino suo reddiderunt gemmam emblemata sanguinea, quæ cælavit in eo crudelitas, & amor! De Petri passione quanta gloria Domini. fl. 29. num. 34. Valde Petrus antequam pateretur Deo placuit: sed plùs quia patiebatur. Justus adversitatis tempore crescit. fl. 32. num 15. Imo paternus amor Dei circa Petrum ostenditur ampliùs in eo, Quòd eum permiserit pati. Quàm in dimittendis offensis, quas commisit negando. fl. 17. n. 26.

7.

8.

9.

De circumstantiâ crucifixionis voluntariâ Principis Apostolorum versò capite S. Joannes Chrystomus ait: *Et ad Magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta quidem figura, ut Christus Dominus, sed capite in terram verso, tanquam qui à terra in cælum iter faceres.* Sciebat, per crucem iri ad regnum cælorum. fl. 28. num. 16. Timuit Simon, ne si crucifigeretur ipse voluntariè prorsus eodem modo quo Filius Dei, se Domino suo coæquaret. Justus miscet fiduciam timori. fl. 37. n. 46. Non inoportune timuit suæ passionis tempore; nam timor Dei hominem fortificat. fl. 26. n. 23.

Chrysost. relat. à Sime Metaph. hoc dic.

10.

11.

12.

IN FESTO S. JACOBI MAJORIS, APOSTOLI.

THEMA.

Calicem quidem meum bibetis.
Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Sardonyx.

ARetas in Apocalypsim. Quintum Sardonix. *Per hunc, Iacobum Zebedei ex primis opinamur. Quemadmodum enim lapis hic sanguineum colorem obtendit, hic etiam Beatus ista inchoata, candidâ ac divinâ prædicatione sua, cursu per sanguinem simul cum Magistro suo Christo ad cæleste, ac sempiternæ vitæ plenamque lumine quietem transmittitur.*

Aret. in Apost. c 67.

Tres colores in hoc lapide pretioso dari scribit Plinius: *Glutinatur ex aliis gemmis, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio sumptis*, &c. Per nigredinem (quæ tristitiam præ se fert, & simul constantiæ symbolum fertur) accipio Jacobi firmitatem: qui Redemptori nostro adfuit cum tristis foret usque ad mortem. Exhibuit sic veræ amicitiæ signum: communicans ejus mœrori. *Invenit eos dormientes præ tristitia.* De eâdē gemma dixit Alcazar, inveniri suo tempore paucas. *Ideoque reperiantur paucæ* &c. Amici rari sunt. fl. 30. n. 18. Raritas amicorum partim nascitur ex eo, quòd veros amicos oporteat in mœstis adesse illi, cui junguntur amicitiâ Sed adeo rarum hoc est, ut etiam loquendi modum aliqui mutent cum fors minatur lapsum. fl 30. num. 20. Sociabuntur homines aliqui fortunato, quamvis laborem subeant, infelici verò nequaquam, licet in hoc non laborent. fl. 23. n. 48.

Plin. l. 37. c. 24.

Luc. 22. 44.

1. Alcaz. in Apoc. c. 21 n. 20. not. 15. § Conjectio.

2.

3.

Hinc vide, quàm pretiosus extiterit Jacobus Domino: cui præstitit sodalitium calamitatis tempore. Multùm Deo placet qui mœstum virtutis amplectitur actum. fl. 14. n. 47. Sardonyx etiam à nigro colore sumit venustatem: & Jacobus ab illâ tristitiâ commendatur: cum fidum adeo Salvator illum agnosceret amicum, ut illi concesserit per imitationem sui calicem passionis bibere: *Calicem* &c. & in horto sumpserint ambo simul ex eodem calice mœroris.

4.

Per colorem candidum, quem videmus in prædictâ gemma, sumamus tum B. Jacobi prædicationem (quam supra citatis verbis Aretas vocavit candidam) tum ejus virtutem planè mundissimam. Apostolus hic non solùm in Judæa prædicavit, sed etiam Gentibus. B. Calixtus Papa: *Quemadmodum arcus diversis coloribus refulgens inter nebulas cæli, sic inter adversa ferorum gentilium, ac Iudæorum diversis virtutibus fervens refulsit quasi rosa vernans inter spinas, & lilium florens juxta aquas, sic divinis exemplis efloravit inter gentes.... Radiabat enim in eo divina virtus in vita, in moribus, in prædicatione verbi, in lenitate & mansuetudine spiritûs, in signis & prodigiis, in omni etiam mortificatione carnis; vigiliis jejuniis, præcibusque divinis.* Inde colligitur, quòd acquieverit placito D. Petri circa vocationem Gentium: non ambiens laudem scientiæ, quam aliqui sollicitant eonsequi ex eo, quòd alienæ sententiæ resistant. Frequens etenim est eum sapientem haberi, cui sine livore displicet aliena sententia. fl. 21. num. Lenitatem (de qua supra citatus Pontifex) non dubito Jacobum in reprehendendo vitia servavisse: nam sapiens reprehendit leniter, ne degeneret in superbiam. fl. 38. num. 14. *Calicem* &c. Qui participaturus erat calicem illum, in quo sumendo se Dominus humiliavit Agnus mansuetissimus, præludium, dum viveret, humilitatis & mansuetudinis pretiosè candidæ præmisit. Cum hoc tamen stat quòd pugnavit strenuè. Pontifex nuper citatus: Sagitta *itaque* electa *B. Jacobus fuit, quoniam sicut velox sagitta trahentis eam, adversarium interficit, sic Trinitatem & unitatem Dominicam prædicando, generis humani inimicum in hominibus peremit, & vitiorum aggeres destruxit.*

Beat. Calist. Pap ser. 3. de S. Jacobo

5.

6.

Idem ib.

Candidus etiam extitit D. Jacobus motibus: & candorem istum servabat ante vocationem ad Apostolatum: quamvis non viveret infimâ pressus inopiâ; prout colligitur ex eodem Pontifice, dicente de illo simul ac ejus fratre. *Terrenam patris potestatem contempsere, sed ligandi atque solvendi potestatem accepere. Terrenam hereditatem contempsere, sed cælorum heredes efficiuntur.* Et infra: *Si ergo cuncta dimiserunt, sibique nihil retinuere, quid de nobis erit,*

Idem ser. 2. de S. Jacob.

qui

qui parva dimisimus & omnia possidemus ? Sed Jacobus discrimina vicit, quæ secum affert possessio temporalium superponens ea sibi. fl. 6. n. 72. Et adeo, quod humilis piscatoriam exercebat. Rari sunt, qui cum non indigeant, habeant, se quasi pauperes humiliter. fl. 6. n. 64. Hunc vitæ candorem factus Apostolus perfecit : atque tandem hostiam purissimam se Domino dicavit. *Calicem* &c.

Per colorem rubentem intelligo Jacobi passionem. Ex Apostolis primus honori Filii Dei testimonium dedit : martyrium subiens. O qualiter divinum decoravit Magistrum præcox hîc discipuli fructus ! fl. 29. n. 12. Memorabatur Jacobus cùm adfuit occasio fundendi vitam verba Domini : *Calicem* &c. & judicabat, instantem mortem esse donum Dei. Qui sic se gerit videtur esse totus. fl. 37. n. 34. Non eam timuit; sed expectavit : quod sanè Deo valdè placet. ib. n. 58. Sciebat quòd familiarissima societas cum Domino, qua perfruitus est in vita, mortali, minus esset, nisi Filium Dei per martyrium imitaretur. fl. 13. n. 44.

IN FESTO B. ANNÆ MATRIS DEIPARÆ VIRGINIS.

THEMA.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, Matth. 13.

ARGUMENTUM.

Senectus robusta juvenescens.

Damasce. or. de. Nat. B. Mariæ.

THesaurum appellare possumus Mariam ; agrum verò Annam. Utere S. Joanne Damasceno. *Omnis*, inquit, *creatura epuletur, ac sacra Anna sacrarium rationale laudibus prosequatur : bonum enim thesaurum, quique nullâ vi eripi possit mundo peperit.* Robur corporeum languidum est in ærate senili : sed animæ spiritualis vires nequaquam per decursus annorum senescunt. Anna senex erat. Paphlago : *Quæ virginali sine amplexura expectatur ipsum, qui cælum continet ac Deum, senilibus ulnis nunc stringitur ; seniliaque jam ac materna fugit ubera*, &c. Nihilominus robustè pertulit multa : quorum potentiâ promeruit sic felicitari, quòd Filium Dei nepotem habuerit.

Nicer. Paphlag. or. 14 nat. 8. M.

Idem. 16.

Dives erat Anna : sed carentiam dolebat plus. Nicetas idem loquens de parentibus B. Mariæ : *Hi nimirum, cum virtutis censu (uti dictum est) divites essent, quin & terrenis bonis affluerent ; nempe gregibus, armentisque, ac reliqua omni substantia fulti essent, uno hoc solùm à perfecta felicitate se abesse existimabant ; quòd nempè absque libelis consenuerant : erantque omnia doloris plena*, &c. Parum abest ne dicamus quòd miseriam paupertatis Anna sustinebat : nam dives absque sobole ferè locuples non est. fl. 25. n. 21. Et meritò carantiam filiorum dolet opulentus : nam, licet possit largitionibus animos extraneorum acquirere sibi ; non hæc benevolentia recipientium durabit ut plurimùm post mortem. Diviti mortuo sæpe nullus gratus est. fl. 9. n. 19. Thesaurum possidebat (ut ita dicam) ager parabolæ ; sed illo dives non erat, maximè vero bonis fructibus propriis, si abundabat eis.

Mœrorem de filiorum defectum consolabatur Anna, pauperes velut adoptans in filios : nam, ut quidam historiographus refert, bona sua dividebat illi beati consortes in tres partes : primam expendebant pro sumptu familiæ : secundam insumebant templo & ministrisejus : tertiam distribuebant in pauperes. Gloriosum est paternum exhibere affectum erga pauperes. fl. 15. n. 66. Et quantî faciebat inopes Anna : quæ dispertiebat in eos partem æqualem ei quam Deo dicabat pro templo & ministris ejus. Liberalis donec ostendens, appretiare se multî recipientem. fl. 13. num. 14. Filialem dilectionem exhibebat indigis Anna : quia nequaquam divitias amabat : non possidebatur ab eis : nec enim thesaurus Evangelicus (de quo apud Matthæum) claudebat agrum ; sed contra.

Ribad. in vit. S. Annæ.

Roburetiam probavit. Anna tolerans infœcūditatis exprobrationē; de qua Niceras: *Accedebat & irritans vicinorum exprobratio, ac quantum nec dici potest ægramentis doloris sensum succendebat.* Nec deessent fortè quidam alliàs justi, qui putarent, Annæ sterilitatem promanare de aliquo ejus delicto. Fallitur humanum judicium æpe citra culpam. Aliquando vir nequam justis apparet non malus ; interdum electus probis videtur pessimus. fl. 13. num. 48. Similiter alii forsan existimarent malâ intentione. Quòd si unus calumniaretur, facilè posset invenire socios. Calumniatori junguntur ultrò sæpius alii ; bona loquenti fortè nullus accedet nisi vocatus. fl. 4. num. 81. Quovis modo res accideret (malo, inquam, vel bono animo) meritò dolebat Anna : falsi quippe criminis magnum est opprobrium. fl. 12. num. 40. Potuit illa per arrogatum sibi filium suppositium evadere opprobrium : sed noverat, non mentiendum ad finem bonum. fl. 4. num. 27. Non irascebatur adversùs murmuratores, si aliqui fortè detrahebant ei, sumentes occasionem ab sterilitate ipsius. Despice teipsum : sic non indignaberis contra detractorum linguas. fl. 27. n 19. Ne quò teipsum ab illis tuearis ; proferas dona cælestia, quibus forsan abundas : ea custodi, velut absconditus in agro thesaurus Evangelicus erat S. Hilarius *Legimus & in Evangelio, in agro uberi, atque fœcundo repertum thesaurum, eumque empto agro occultari. Novimus, neque margaritas ante porcos dare oportere. Ergo intelligimus quædam nos cordis projicicndas esse : neque sanctum canibus nostri secreta continere, quæ divulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt.*

Nicet sup.

S. Hilar. exposi. in Psal. 118.

Non solùm validam fortitudinem grandæva perhibuit Anna per tolerantiam ; sed

velut juveneſcens, ut ita dicam, pulchra facta eſt. Anima ſine contumeliis eſt pul-
10. chra, ſi grata Deo, at cùm non timet opprobria, formeſiſſima eſt. fl. 20. num. 37. Sterilitatis infelicitatem dolens Anna recurrit ad Dominum laudans & orans. Dei
11. laus bene cohæret orationi. fl. 15. num. 21. Qua mediante; nec non & in virtutum ſuarum præmium accepit filiam Genitricem Domini. Non tantùm per ejus conceptum & ortum remunerata fuit Anna; ſed etiam per mare gratiarum, quæ
12. confluerunt in Virginem. Parens large muneratur in prole. fl. 31. n. 51.

INFESTO S. IGNATII CONFESSORIS.

THEMA.

Miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Luc. 10.

ARGUMENTUM.

Anagramma: Ignatius: aut ignis.

Bed. l. 3 in Luc. c. 42. AD verba thematis Beda ſcribit: *Bene autem dicitur quod miſit eos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Prædicatores enim ſuos Dominus ſequitur quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis noſtræ habitaculum Dominus venit Verba exhortationis præcurrunt, atque per hæc veritas mente ſuſcipitur.* Sic Dominus veniens ad hominum corda præmiſit Ignatium, aut ignem. Pſal. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* S. Ambroſius ad illud: *Ignem veni mittere* &c. ſic habet: *Non utique illum ignem conſumptorem bonorum, ſed bonæ voluntatis auctorem: qui aurea dominicæ domus vaſa meliorat, fœnum verò conſumit & ſtipulam, ac ſæcularia omnia mundi voluptate concreta, perituraque opus carnis exurit: ignis ille divinus, qui ſlammigerabat in oſſibus prophetarum, ſicut ſanctus Ieremias dicit: Quia factus eſt ſicut ignis ardens: flammigerans in oſſibus meis. Eſt enim ignis Domini, de quo dictum eſt: Ignis ante eum ardebit.*

S. Ambroſ. l. 7. in Luc. c. 12.

Ignis quærit (juxta priſcam philoſophiam) centrum in ſupernis; & evolat flamma, quaſi terrena deſpiciens facilè temporales facultates aſpernatus eſt Ignatius; ita quòd proprias veſtes pretioſas dederit mendico; ſaccum induerit cùm vitæ ſpiritualis tyrocinium poſuit. Nec ille quandiu manebat in ſæculo divitias amabat: utpote qui de ſpoliis hoſtium, cum adhuc militaret, nunquam ſibi quidquam ſumpſit.
2. Imo propria reputabat velut mutuata. fl. 6. num. 52. Quin & præſentia judicabat ut abſentia. fl. 28. n. 44.

Sic multi fiebat à Domino converſus & factus voluntarius pauper, ut poſtquam quatuor menſes elapſi fuerant iſtius quaſi noviciatûs Ignatii; per ſpatium octo menſium, quibus inſuper moratus eſt Manreſæ, Chriſtus Dominus, & B. Virgo pluſquam per triginta vices apparuerint ei. Cæteris paribus, pluris fit à Domine pauper, 3.
quàm dives. fl. 36. n. 56. Anima quippe juſti, ſpretis bonis temporalibus, expedicta Deum ſollicitat uti centum. *Miſit illos binos* &c. Cur miſſos à ſe dividebat; & non potius deferebat ſecum? Ut diſcipulorum probaretur inclinatio dilectionis in Chriſtum Dominum: rerum enim inſenſatarum melius percipimus inclinationem ad centum, quia diſtant ab illo. Dominus utique, licet optimè noſſet diſcipulorum corda, ſic eos exercuit ad eruditionem noſtram: humano mori ſe accommodans, quamvis omniſcius.

Ignis, cum ſit perutilis mundo, nullius valoris eſt apud homines. Ita quondam Ignatius fuit contemptus Manreſæ: necnon in peregrinatione ad Jeroſolymam, & apud Lombardiam. Sed juſti deriſus à malis veniens eſt ſimilitudo improperii; non veritas. fl. 20 n. 21. Nam contumelia non confundit intus juſtum. fl. 4. n. 83. Quinimo 5.
contemptus collocat eum in tuto, ne lædatur à mundo. fl. 16. n. 54. *Miſit illos binos*, 6.
&c. Cur eos ita mittit ſicut agnos ad munus adeo periculoſum? Quia, cum irent expoſiti contemptui; deſpectus ipſe redderet eos ab hoſte ſæculo tutos.

Ignis munus eſt illuminare: Quamvis Ignatius tantô ſplendore ſcientiæ potiretur accepto divinitus Manreſæ (de quo ſcriptores in ejus vita) non dedignatus eſt in- Videri poteſt Ribad. ſup.
ter pueros addiſcere grammaticam, poſt quam humanitus acciperet ſapientiam. Dirigebat animas poſtea diſpergens doctrinam, quam ab humanâ diſciplinâ receperat. Non dedignatur ſapiens impertiri ſplendorem ſuſceptum ab alio; diſſimulando 7.
proprium. fl. 38. n. 32. Aperuit ad juvenes erudiendos gymnaſia: non tam, ut lucem accipientes mentibus docerentur; quàm ut ſic à vitiis ducerentur ad virtutem. Hoc fuit opus divinum. fl. 13. n. 52. Et præſertim quoniam graviora ſæpe ſunt aliqua 8.
peccata inventuris. fl. 21. n. 20. In themate legiſti miſſos diſcipulos ad omnem urbem, quò Dominus venturus erat. Putares, 9.
potiùs fuiſſe mittendos ad ea loca tantùm, ad quæ Salvator non foret iturus. At volebat Redemptor ut ſuâ doctrinâ corda præpararent, ad hoc ut veniens Dominus ingrederetur ea: ſalutaris quippe diſciplina bene præit, ut amplectamur Deum.

Ignis haud maculatur, imo reſplendet, applicatus materiæ non mundæ. Sic operam dans Ignatius exurendis vitiis, nequaquam peccatorum impuritates contrahebat. Mirum eſt hoc: nam deponitur 10.
aliquando criminis horror ex conſortio viri nequam. fl. 13. num. 26. Etiam ſi 11.
crimen ſit occultum participatur ſæpius à ſodali. ibid. num. 36. Diſcipulos miſit binos Dominus, ne ſi ſolum mitteret unumquemque, ſocium is acciperet, à

quo

quo vitia participaret. Sed Ignatius, quamvis iniquorum vicinitatem ex charitate, qua conversionem desiderabat ipsorum, non refugeret, virtutis fulgorem non de-
11. nigravit. In hoc divina sapientia refulsit. fl.13.n.24

IN FESTO S. DOMINICI.

THEMA.

Juxta ritum Ordinis prædicatorum. *Vos estis lux mundi.* Matth.5.

ARGUMENTUM.

Vir totus Dominicus.

QUædam nos possident, quia nimis diligimus ea. Vide S. Gregorium Magnum relatum fl.6.n.72. E contrariò S. Dominicus à nullo bono temporali possidebatur; sed à solo Deo. Nemo lucem numerat inter bona sua; ipse autem lux erat.

Non illum possedit mundus per adulationem. Dixit, se minori spatio temporis habitare Carcasonæ, quam Tolosæ propterea, quòd Tolosæ multùm honorabatur; è contra verò Carcasonæ persecutionem sustinebat & inhonorabant eum. Prudenter
1. equidem: nam in adulatione audita complacere signum est aliqualis defectûs in usu rationis. fl.4.n.19. Etiamsi præ humilitate justus adulationem sub plantas mittat,
2. caveat: nam adulator & sub pedibus positus aliquoties discrimen affert. fl.30.n.24. Cum Tolosæ datus honor Dominico involveret (pro ut est verosimile) laudes aliquot hominum malorum, non illum
3. spontaneè recipiebat vir sanctus. Laus procedens à malè operante digna non est quòd recipiatur benevolè. fl.13.n.45. *Vos estis lux mundi.* Vana laus ventus est: non amabat eam qui lux erat, nam timebat extingui.

Quin potiùs diligebat contemptum.
4. Vide quæ dicta sunt circa ruptionem habitûs D. Dominici fl.14.n.15. Insignes humiles ex ipso, quod illis esse posset occasio vanæ gloriæ, eruunt aliquid in quo semetipsos exponant contemptui. ib. Cum S. Dominicus foret lux, non ambiebat illustrari per honorem inanem sæculi: nec enim lux minor splendere facit majorem. Gloriam Deo reservabat, quia totus Dominicus erat: quasi crederet, se furtum committere, si gloriam acciperet mundanam.

Non ejusdem spiritum possidebit caro. Quin potius carnis afflictiones amabat. Ita suadet illa trina flagellatio quotidiana: prima pro se, secunda pro bono proximorum, tertia pro animabus purgatorii: catenaque sanè de lapidibus pretiosis & auro contexta: nam tormenta lapides pretiosi sunt ei, qui manus habet aureas fl.14.n.12. Accedit quòd instantem sibi mortem appellavit seu felicitatem suam, seu viam ad illam: quia non permisit ejus anima dominari sibi corpus; hostemque suum computavit. Propterea cum proximus esset interitui, reprehendit flentes ille, qui proximorum delicta fleverat. Vide fl.14.n.18. Qui mortem suam sic lætus præstolabatur dolores eam comitantes videbatur facere nihili. Quantò plùs despexisse credendum est vitæ mortalis tribulationes? imo de illis esse gavisum? Et meritò: nam tribulatio peculiare signum est præsentiæ divinæ. fl.26.n.36

Incidit in manus hæreticorum, qui mortem ei afferre decreverant. Illi percontati sunt: Quid ageres, si te vellemus occidere? Respondit imperturbatus: Rogarem enixè quòd non festinanter me necaretis; sed sensim. Præveniebat patientiam ocasioni, sic respondens. Vide fl.34.n.29. Assuetus gaudio de tribulationibus, exultanter expectavit postea mortem: qua restituebat Creatori spiritum suum totum Dominicum. non etenim per obitum extinguebatur ita lux mundi; sed in altiorem locum transferebatur; ut per ejus vitæ recordationem exinde mundo fulgeret.

In paupertate similis fuit luci: nam lux non vestimentum, non alimentum possidet. Hominem Dominicum nequaquam divitiæ habuerunt velut suum. Illas tamquam oculis clausis præteribat. Sapienter equidem: nam congruit justo cernere transitoria;
9. quasi dormiret ad temporalia. fl.9.n.61. Nihilominus eisdem temporalibus oculis, quos Dominicus divitiis amanter intuendis claudebat, vigilabat ne opum amor intraret ad cor ejus postquam sæculum reliquerat. Etiamqui dereliquit omnia ut sequeretur Christum Dominum periclitatur circa
10. avaritiam. fl.24.n.13. Paupertatem Evangelicam suas existimabat esse divitias. Hoc
11. aliqui tunc norunt, cum experti sunt afflictionem à pecuniis manantem. fl.16.n.13. Paupertatem Evangelicam suas existimabat esse divitias. Hoc aliqui tunc norunt, cum experti sunt afflictionem à pecuniis manantem. fl.16.n.16. Sicut alii sunt in opulentiâ pauperrimi; sic Dominicus erat in paupertate dives. Secundùm cor hominis ipse judicandus est vel opulentus, vel pauper. 6.n.66.

Concio hæc non difficulter aptari potest Evangelio, quod hac die recitaretur ab utentibus Missali Romano. Thema: *Lucernæ ardentes* &c. Ingenioso concionatori pudet ob oculos ponere cuncta.

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

THEMA.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Joan. 12.

ARGUMENTUM.

Præludia victricia pugnæ.

IN eodem capite Joannis, ex quo sumptum est hoc Evangelium, narratur Chris-

ti Domini triumphus, quem præmisit passioni suæ. Laurentius etiam in hoc secutus est Salvatorem, quòd antequam pateretur præludium fecit victoriale. Ministrabat ille Redemptori, quia justus erat. Beda: *Omnis enim quicumque bene agit, Christo ministrat.* Et ut gressus ejusdem tendentis ad passionem sequeretur, triumphavit ante martyrium. *Si quis mihi ministrat, me sequatur:* S. Joannes Chrisostomus: *Operum sequelam ac imitationem exigit.*

Bed. com. in Joann. 12.

Chrysost. in cum loc.

Non unicum, sed multiplex fuit S. Laurentii triumphale præludium. Primum extitit superare tyrannidem in S. Xisto martyre; cujus passio præcessit: nam Laurentius diligebat sanctum Pontificem: propterea vicit in illo vincente. Victoria unius amantis est victoria alterius. fl.29.n.30.

1.

Nec aliquis putet, non fuisse arduam S. Laurentio victoriam istam: quoniam ab amato dividi multam postulat fortitudinem fl.12.n.26. Imo plùs cruciat à dilecto dividi, quàm ab hoste lædi. fl.19.n 87. Christus Dominus priusquam subiret mortem, voluntariè divisus est à suis. *Sinite hos abire.* atque dolorem discipulorum passus est in ipsis, vivens in eis tamquam verus amans. Magister Domini Laurentius aliqualiter imitatus est eum. *Si quis* &c.

2.

3.

Præludium secundum. Traditus fuit Laurentius Hippolyto, ut custodiret eum: & ipse misit illum in carcerem. Sed martyr vicit in bono malum, convertens eum ad fidem. Personat altè victoria reddentis bonum pro malo. fl.29.n 26. Quid gloriosius D. Laurentio? cæcisne restitueje visum; an illuminare Hippolytum? Solve pro secundô. Vide ib.n.32. Sed quare cum vivente Laurentio voluit Hyppolytus publicè fateri se Christianum, detentus est ab illo? Vide fl.29.n.34. Etiam in hoc D. Laurentius quadamtenus Redemptorem secutus fuit: qui cum posset Petrum ad hoc roborare ut cum ipso pateretur simul, dixit ei: *Sequêris autem postea.* Hippolytus enim post secutus est Laurentium per martyrium.

4.

5.

6.

Joan. 13. 36

Præludium tertium. Liberalitas martyris, Ecclesiæ thesauros distribuens, vicit avaritiam tyrannorum: quorum opulentia inhiabat ad eorum rapinam. Mos divitiarum est in avaris volare ad rapinas, quibus nutriuntur. fl.9.n.43. Insignis fuit hæc Laurentii largitas: cum enim foret vicinus morti, patet quòd non intendebat hujus misericordiæ retributionem temporalem à Domino recipere. Eleemosinam præbens attendat sola cœlestia. fl.36.n.58. O quanta gloria Domini manavit ex hac Laurentii miseratione in pauperes! Major gloria Dei videtur indigenti misereri te mediante, quàm efficere miraculum. ib.n.50. *Si quis mihi ministrat*, &c. Laurentius in dispergendo pauperibus agebat ministrum Christi: ministrans Ecclesiæ sponsæ redemptoris in distributione thesaurorum ejus. Imitabatur autem Dominum: qui sic spiritualiter egenorum misertus est, ut factus inops fuerit ad hoc ut nostram sublevaret inopiam

7.

8.

9.

Præludium quartum. Superavit Laurentius elati nnem tyrannorum per honestum ludibrium; de quo fl.29.n.36. Nec existimes indignum viro sancto moderatores ita subsanare: meritò namque peccator apud justum contemptibilis est. fl.12.n.20. Doluere ludibrium Imperatores. Majus est superbo malum irrisio; quàm si per libertatem loquendi feriatur. fl.29.n.36. Contemnebat S. Laurentius temporalia bona: & isto contemptu pugnavit acriter. Bona temporalia contemnentes præliantur adversùs mundum acriùs hac despectione; quàm sæculum eisdem bonis. fl.15.n.42

10.

11.

12.

IN FESTO S. BERNARDI.

THEMA.

Juxta ritum Ordinis Cisterciensis.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super Candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Matth.5.

ARGUMENTUM.

Pia velut contentio inter Deum & Bernardum: istum nempe cupientem sub humilitatis modio latere; Deum verò super candelabrum constituente.

DE adolescentia S. Bernardi narrat Alamanus Episcopus: *Suavissimis ornatus moribus, acri ingenio prædictus, acceptabili pollens eloquio: magnæ spei adolescens predicabatur.* Postea scribit: *Perpendens quod vulgo dicitur non esse tutum diu cohabitare serpenti, fugam meditari cepit, Videbat enim mundum & principem ejus exterius sibi multa offerentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes,* &c. Mundum fugâ declinare consultius est: fl.6.n. 22. Expertus erat, sæculum contra virtutem gerere inimicitiam: & hæc ei abominabilis erat. Vide fl.4.n.15. Ideo deliberavit latére mundum. Alamanus: *Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, & eo adhuc tempore absconditam, ac pene nullam, intentione ibi moriendi à cordibus & memoria hominum, & spe deliteſcendi & latendi tamquam vas perditum; Deo aliter disponente,* &c.

Alaman. Episc. in vit. S. Bernard. longe post princ. §cnm autem. & § sequent.

13

1.

Idem ib. valde infra. § Anno post princ.

14

Sed quia gloria fugientem sequitur (fl. 20.n.33.) etiam à sæculo fuga triumphalis extitit: quoniam ingressus est Cistercium cum sociis plusquam triginta; velut spoliis à mundo superato sumptis: nam super candelabrum jam positus erat à Domino, factus dux comitum. Non hinc ipse gloriam venabatur; sed amabat humiliari: credens, apud multos habendam esse deliberationem suam tamquam leve consilium ætaris non maturæ. Sic judicatam fuisse per plures arbitror, cum legamus Alamanum dicentem de Gerardo fratre

Idem sup. § Secundus. in princ.

tre S. Bernardi : *Levitatem reputans, obſtinato animo ſalubre conſilium, &*
4. *fratris monita repellebat.* Deo placet quærens illum, quin timeat ab hominibus malè judicari. fl.19. n.36. Lucerna quidem non ideo ſplendet, quia placet oculis hominum : quinimo eos qui lucernæ ſunt, & non aucupantur humanos plauſus, Deus ponit ſuper candelabrum, ad hoc ut refulgeant.

Idem ib. louge ante med. & infirmabatur. ante fin. Elevatus ad concionandi munus D. Bernardus adhuc ſub humilitatis modio latebat. Alamanus: *Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat : ut licet objectus eſſet elegiſſet in domo Dei, uberius tamen fructificaret quàm plures alii in ſublime porrecti: & lucens amplius illuſtraret Eccleſiam velut de ſub medio ſuæ humilitatis, quàm multi ſuper candelabra conſtituti.* Dulcedinem forti grandiloquentiæ jungebat in dicendo.
5. Hoc videtur plus quam humanæ ſapientiæ proprium. fl. 38 n.28. Lucerna fortiter tenebras diſſipat, & ſimul oculis eſt ſuavis. Omnibus verba prædicantis Bernardi placebant. Rarum eſt hoc : imo
6. frequenter, dum loquitur ſapiens, ejus dicta ſorciuntur apud ſolos peritos exitum [felicem. ib. n. 30. Lux lucernæ non tantùm videntibus amabiliseſt; ſed etiam cæcis : nam ſummopere cupiunt illam cernere poſſe.

Sic in candelabro fulgens D. Bernardus,
7. tamen ad humilitatis modium ſe colligebat : alienas expoſitiones divinæ Scripturæ complectebatur. Sapiens non dedignatur diſpergere ſplendorem ſuſceptum ab alio, diſſimulando proprium. fl.38.n.32. Nota
8. quomodo D. Bernardi ſapientia ſeſe aptabat ſingulis. Juſtum Dominus cupit eſſe proficuum indiferenter ad plura in genere ſuo. ib.n.36. Sic ad lucem unicæ lucernæ in una domo plures excercent opera varia. Humilitatis modium non relinquens Bernardus flagellabat ſe poſt concionem ;
9. quaſi veritus ne verbo doceret, non exemplo. fl.38.n.24

Sublatus fuit ad candelabrum prælaturæ : cujus incumbens oneri, mellifluus eſſe non deſtitit : fuit ejus in regendo mira
10. ſuavitas. Competit ſuperiori lenitas ; non autem ſonitus vehemens. fl.17.n.16. Mul-
11. tum laudabilis ejus fuit ſollicitudo circa ſubditos. Oportet, gubernantem providere de futuris. ib.n.12. Charitate paternâ complectebatur ſubjectos. Prælatus doleat
12. de malis ſubditorum. fl.35.n.9

Sub themate Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te : Matth. 19. poterit concionator eamdem proponere concionem, ſecundùm conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ.

Poſt n.2. Profuturus erat mundo S. Bernardus : cur ergo reliquit illum cum Apoſtolis ? Quia vellet illi prodeſſe charitas qua mortales complectebatur ; dummodo per humilitatem abſconderetur quaſi ſervus inutilis.

Poſt n.4. Qui raptus amore proprio vereturhominum judicia dum rectè operatur, adhuc non perfectè reliquit omnia ; cum non abnegaverit ſemetipſum.

Poſt n.6. Sequebatur utique Bernardus cum apoſtolis Chriſtum Dominum ; cujus dicta ſæpe non placuerunt hominibus. At, quaſi diſcipulus foret ſupra Magiſtrum, lege de Bernardi ſermonum acceptatione dictum Alamani relatum fl.38.n.30. in princ.

Poſt n.9. *Secuti ſumus te* : &c. Duplici ter ſecutus eſt communem Præceptorem Bernardus : verbo, & exemplo : ſic multum lucratus eſt in præmium dilectionis Dei, qua reliquit omnia.

Poſt n.10. Jam Dominus promiſerat Petro Pontificatum : propterea fortè quaſi volens accomodare ſe futuro muneri, ſollicitus erat de cæteris Apoſtolis, cum dixit : *Reliquimus omnia*, &c.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

THEMA

Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Luc.6.

ARGUMENTUM.

Sacrificium quadruplex.

SAnctũ Bartholomæum apud Metaphraſtem alloquens ait Joſeph: *Te quidem laudationibus extollere vellem, ſed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor* : &c. Hæc ille : quid ego ? Sacrificia quattuor edicere delibero ; quæ Domino ſacravit Apoſtolus. Joſeph apud Metaphr.

I. *Sacrificium thuris.*

Hoc eſt oratio Pſal. 140. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo : elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* De S. Bartholomæo dixit S. Vincentius Ferrarienſis : *Audite ſingulare de eo quod de nullo alio legitur. Nam ita erat devotus quòd dicit hiſtoria quòd orabat centies flexis genibus per diem & centies per noctem.* Non legimus an ſemper oraverit in occulto ; ſed vel ſemper vel ex magna parte ſecreto loco fundebat orationem : ſciens quòd videtur magis aproximari Deo qui preces mittit ad ipſum in occulto. fl. 15.n.23, *Erat pernoctans in oratione Dei.* Hugo Card : *Item nocte oravit : quia nox ſecretior, ideo orationi aptior.* Pſal.140.2. S.Vincent. Ferr. ſer. de S.Barth. 1. Hug Card. in Luc.6.

Erat Apoſtolus in oratione frequens, quaſi timeret non exaudiri niſi ſic eam frequentaret. Noverat quòd etiam juſtus non caret maculâ (fl.22.n.46.) ideo fortaſſe verebatur non exorare quod poſtulabat à Domino. Perſeverabat etiam ; quia, cum opus bonum ſit velut anima bene operantis (fl.3.n.54.) animam ſuam cupiebat in manibus habere jugiter, juxta illud Pſal: *Anima mea in manibus meis ſemper* : ubi Euthymius *Animam inquit meam in ma-* 2. 3. Pſal.118. 109. Euty. in com.ib.

bus tuas ſemper trado, teque ut illius cuſtodem, protectorem, ac moderatorem ſuſcipio; atque ideo legis tuæ oblitus non ſum, ne forteſſis caderem. Nota perſeverantiam Salvatoris in oratione: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Vbi Cardinalis Tolet. *Integrâ nocte Chriſtus homo Patrem orat pro eis,* &c. Hanc orandi perſeverantiam Bartholomæus imitatus eſt.

Card. Tolet. in Luc.

II. Sacrificium laudis.

Non dubito: quòd in binâ centuplici oratione poſitus Apoſtolus Deo laudes, vel ſemper vel pluries offerebat. Sed quæro. Tempus, quod in iſtis inſumebat, quare non continuatum Domino conſecrabat? & potiùs orationi vacabat per multiplicatas repetitiones? Reſpondeo primò. corde ſubmiſſus advertebat, laudem noſtram, ſi comparetur cum infinita laudabilitate Dei, tenuem eſſe. Proinde ceſſabat à laude, veluti dicens: Quid eſt hoc ad tam laudabilem Dominum? Sed iterum ad laudandum eum regrediebatur: expendens complacere Deum in tenui laude noſtrâ. fl.28. n.26. Reſpondeo ſecundò Sic ab Spiritu ſancto docebatur, in contemplatione perfectionum Altiſſimi nunc moram facere devotam per ſpatium temporis aliquod; non ceſſare: quò prudenti conſideratione meditaretur vitæ noſtræ miſeriam; cum nec ſpirituales voluptates in viatore ſint perennes. 4. delectatio magna ſpiritualis aliquando 5. mox à Domino tollitur. fl.25.n.51. Imo 6. laudabile gaudium quandoque tunc perit, cum ſuſcepit majus incrementum. ib.n.49. Poterat Chriſtus Dominus efficere quòd ipſi dum oraret, lux effulgeret: ſed *erat pernoctans in oratione Dei.* Forſan ita factum eſt, ut occaſio daretur nobis meditandi, quòd ſicut oculis corporis nec ſemper tempus eſt nocturnum, nec diurnũ ſemper; ita juſto dum vivit neque jugis dulcedo ſpiritualis conceditur, neque perpetuò tollitur.

III. Sacrificium paupertatis.

S. Vincentius Ferrar. *Dicatur hîc miraculum, quod fecit in India de curatione filiæ regis à dæmonio: & quomodo rex miſit ſibi tot pecunias, & nihil inde voluit recipere.* Paupertas ejus Evangelica pecunias oblatas recuſans, eas litavit Conditori. Nota quòd rex ille vocavit Apoſtolum (dum non erat adhuc ad fidem converſus) ad hoc ut filiam ſuam crueret à temporali malo; non autem ut ab eo inſtrueretur ipſe de veritate catholicâ: gratumque ſe propter genitæ curationem exhibuit. Magnî fiunt quæ ſpectant ad corpus; non ita quæ ſunt animi. fl.10.n.50. Sed Bartholomæus renuit accipere donum. Sciebat quòd bonorum temporalium imperfecta poſſeſſio eſt. fl.10.n.52. Humilis erat: vitavit periculum ſuperbiendi occaſione pecuniarum: nam jactantia tam vicina eſt opulentiæ, ut ſint ferè ſynonimæ. fl.6.n.54. Humilis, inquam, erat; ſed in monte ſanctitatis poſitus divitias tranſitorias contemnebat. *Exiit in montem orare,* &c. Beda ibi: *Qui bene orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curæ ſublimioris aſcendit. Qui verò divitiis, aut de honore ſæculi, aut certè de inimici morte ſollicitus obſecrat, ipſe in infimis jacens, viles ad Deum preces mittit.*

S.Vincent. Ferra. ſup. longe ante 7. 8. 9.

Bed. com. in Luc. 6.

IV. Sacrificium ſanguinis.

Erat pernoctans in oratione Dei. Nox ita deſignavit noctem adverſitatis. Hugo Card: *Item in nocte oravit: quia in nocte adverſitatis recurrendum eſt ad ſuffragium orationis.* Fortè ſic Dominus inſinuavit quòd Apoſtolos, quos electurus erat, parabat ipſe ad tribulationes patiendas. Fuit illuminatus Evangelicâ luce Polymius rex prædictus, ac duodecim urbes regni ejus. Laudabatur (ut eſt veroſimile) D. Bartholomæus. Hac laude cruciabatur hoſtis malignus: nam odii proprium eſt torqueri per illius laudem, quem execratur odiens. fl.26.n.58. Idcirco diabolicâ nequitiâ factum eſt, ut Polymii frater Aſtiages Apoſtolum necaverit. Sed ipſe gratus Domino, ſemetipſum obtulit in holocauſtum. Excellentiùs tolerat attendens ad bona, quæ recepit à Deo. fl.34.n.15. Et cum ſacrificii litatio ſit functio gratis animis feſtiva, cum gaudio vitæ finem aſpexit; quaſi huic lætitiæ non miſceretur amaritudo. fl.37.n. 48. Joſeph citatus, non equidem negans, fuiſſe D. Bartholomæum excoriatum, ſed affirmans eſſe crucifixum, ait: *Ad crucem dum beatus ille accederet, totus gaudio perfuſus: Salve, inquit, Crux, per quam humanum genus gaudio affectum eſt.*

Hug. Card. ſup. 10. 11. 12. Joſeph. in laudat. D. Barth. ſup.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

THEMA.

Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Matth.9.

ARGUMENTUM.

Infirmus à cœleſti medico ſanatus.

S. Petrus Chryſologus: Non eſt opus, *inquit*, ſanis medicus, ſed malè habentibus. *Ecce quare ad Matthæum venerat Chriſtus, ut avaritiæ curaret vulnera, ut ſaniem ſanaret uſuræ.* Primò Dominus intellectum curavit Matthæi, curans ut agnoſceret, divitias, quibus incubabat priùs, eſſe nihil. Avarus ambabus manibus collaborat in vacuum. fl.9.n.59. Unde divites aliqui verè ſunt egeni. fl.3.n.44. Errorem ſuum agnovit S. Matthæus, quò putabat, opes eſſe magnâ dignas appretiatione. Chryſologus: Et ſurgens ſequutus eſt eum. *Generoſus animus, qui ſic ea quæ magna putarat,*

D. Petr. Chriſol. ſer 28. 1. 2. Idem ſer. 29.

putarat, facile, & quasi nulla contempsit: &c.

Laborabat etiam ejus mens fortè superbiæ morbo: nam splendor opum hominem evehit apud alios. & quamvis officium
3. publicani Judaïcus abominaretur populus; tamen divitem sæpe magnî faciunt abomi-
4. nantes eum. fl.7.n.36. Etiam neque petens, nec accipiens tunc aliquid à divite, colit eumdem. ib.n.38. Erant insuper in
Metaphr.in comen. rerum gest.S. Matth. D. Matthæo quædam, ex quibus forsan gloriabatur superbè. Simeon Metaphr. *Erat priùs publicanus, pecuniæque exactor & ratiocinator, ut qui in omni scientia & arte esset versatus: ingeniique acumine & rerum experientiâ primum obtineret locum inter publicanos.* Fortassis Matthæum falsis homines laudibus extollebant, & ipse falsitatem imaginatione propriâ incrementabat. Mendacia, quibus nos fallunt creaturæ, sæpè crescere facimus. fl.10.n.22.
Metaphr. prox.sup. Vide quid post factum sit illuminante gratiâ. Metaphrastes: *Relinquit teloneum: relinquit autem socios, simul verò relinquit splendorem omnem & magnificentiam*: &c. Magnâ miseratione prosecutus fuit Matthæum Dominus: non expectavit ab ægro vocari tamquam medicus morborum animæ; sed respexit prius ad hoc quòd indigebat medico. *Non est opus* &c. *Ecce quare ad Matthæum* &c.

Ardebat ipse febri cupiditatis: & frustra
6. quærebat fluentium divitiarum torrente sitim extinguere: nam potiùs ægritudo sic augebatur. Divitias congregans congregat
7. cupiditates. fl.3.n.42. Imò dives nimiùm congregando quodammodo dispergit. fl. 16.n.67. Tandem agnovit Matthæus quomodo febris illa tollatur: nam ad illam venit Christus Dominus medicus optimus, ut in misericordia pauperum erogare Apostolus pecunias. Ad illud Textus in Evangelio præsenti: *Misericordiam volo*, &c.
Chrysol. ser.18.ad fi. Chrisologus habet sic: *Misericordiam voluit, ut Matthæus quod tulerat per misericordiam, in misericordias prorogaret*: &c. Hanc
8. vidit Matthæus esse verè diræscendi viam: nam misericors plùs accipit quàm donat pauperi. fl.36.n.52

Dicet aliquis contra. Sicut *non est opus valentibus medicus*, ita non egent sani medicamento. Ut quid ergo D. Matthæus, jam liber à febri cupiditatis, eleemosinis utebatur ut animæ suæ remedio? Respondeo Eleemosyna remedium est etiam præservativum, ne rursus incidas in avaritiam. Et sane trepidabat S. Matthæus ne cuperet iterum divitias: agnoscens quàm graviter Deum offenderit per avaritiam. Sed ne rursus amor alieni cor ejus ingrederetur, est verosimile quòd antequam largitiones faceret in egenos; restituit quod ipse debebat:
9. nam eleemosyna de alienis facienda non est.
S.Vincent. Ferra.ser. de S. Matt. fl.36.n.36. S. Vincentius Ferrar. de D. Matthæo loquens ait: *Debetis credere quòd fecit præconizari: si tenebatur alicui quomodocumque per usuram vel injustitiam, quod satisfaceret omnibus.* Postea D. Matthæus
10. non sola vilia donabat miseris, ut quidam solent: nam sciebat, eleemosinam dandam de melioribus. fl.36.n.34. Non ideo putes quòd adhuc illa meliora magnî faciebat: imo contemnebat ea, quæ fuerant occasio spiritualiis ruinæ. fl.21.n.40. Curabat Apostolus per largitiones pro criminibu præteritis facere satis, & memorans anti, quam vitæ suæ rationem formidabat. Timere proprium est cordis justi. fl.5.n.14. 11.

IN FESTO SS. ANGELORUM CUSTODUM.

THEMA

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, &c. Matth.

ARGUMENTUM.

Socius viatoris non viator.

Haym. hom.in hoc Evan. AD verba thematis Haymon Episcopus: *In hoc loco discimus, quia unusquisque fidelium Angelum ob sui custodiam deputatum habet, qui eum & à tentationibus defendit, & in virtutibus juvat* &c.

Licet Angeli custodes nostri jam viatores non sint, sed in termino stabiliter permaneant, eos Deus nobis associari fecit, ut per eorum custodiam feliciter conficiamus viam peregrinationis nostræ. Sodalis, qui jungitur debili viatori, congruit ad hoc ut optimum præstet iter facienti consortium, quòd extet prudens, amicus, & validus. Angeli custodes prudentiam exercent illuminando mentes nostras per excitationem
Est communis sententia, de qua videri potest Arriag.to.2. in 1.p.disp. 22. à n.39. specierum ad bonum. Inter alia nos excitant ad cogitandum in prosperitate quòd peccator aliquando post primum gaudium punitur cum tenderet ad secundum. fl.14. n.15. Exordiis felicitatum cõfidimus nimis: quas experti sunt multi, miserabiliter 1.
in ærumnas trãsmutari. Sed Angelus custos, 2.
ut prudens, attendit magis exitum rei, quã initium. fl.8.n.47. Propterea curat ut homini veniant in mentem ea quibus persuadeatur, in prosperitate vivere cautè fl.28 n.18 3.

Sic officii munus exhibet socius vigil: miserans peculiariter illos, qui se felicissimos putant, cum verè miseri sint: quippe 4.
felicitatem summam existimans homo quod est miseria, nescius est. fl.22.n.54.

Sollicitat hoc pacto custos Angelus animæ bonum; quæ sæpissimè periclitatur cùm fortuna ridet: nam felices
5. obliviscuntur multi præcepta legis naturæ, quæ recordabantur infelicitate premente. fl.7.n.48 Lex naturæ jubet, ne contemnatur superbè proximus. Istam legẽ quasi tradunt quidam sic, ut oporteat moneri de contemptu pusillorum vitando. addito motivo, quod habetur in themate: *Angeli eorum* &c.

Amici nomen optimè covenit custodibus
6. Angelis, nam amicus est animi custos. Vide S. Gregorium M. datum fl.13.n.11. Et quia verus amor in afflictionis tempore potissimum visitur; Angelus custos magis de nobis est sollicitus in adversis, quàm in gaudiis. fl.30.n.30. Amicitiam probat absentia. Quapropter custos Angelus non omnino semper est nobiscum velut perpetuò affixus ad latus. At ejus amor 4.

in absentiâ plus elucet. fl.30.n.28. Cum sit laudabilis fructus amicitiæ quandoque non peccare, ne displiceas amico bono (fl 13. n.12.ne committere delictum audeas,ut non in incurras displicentiâ tui custodii Angelo.

S.Bernard. ser.12 Psal. Qui habitat

S. Bernardus: *In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente,quod vidente me non auderes.* Etsi hominibus malis, quos amicos nominas, non placeas, quin imiteris eorum crimina; potiùs Angelo tuo placere stude non peccando. Pluris faciendus amicus iste, quàm ille. Solent ii sectari

9. lucrum; Angelus verò lucra mundi non quærit. fl.30.n.36. Quomodo mundanas quærent utilitates qui felicitate fruuntur æterna? *Semper vident faciem Patris*, &c.

Multùm validus est Angelus custos, ut eruat hominem à malis. At persæpè non faciet ut hostibus pessimis careas, & in amicos transmutentur, quin fiant boni: nec

10. enim est utile diligi ab iniquis; sed non amari. fl.2.n.47. Multoties Angelus custos in miseriâ te positum non eripiet; quia

11. tibi sic est oportunum:nam in luce degit miser; prosper autem vivit in umbrâ. fl.37. n.26. Nec ideo te miserum non amat.

12. Angeli sanè valdè afficiuntur erga illos, qui vivunt abjecti. fl.30 n.34. Non fit in themate mentio de Angelis custodibus potentum, sed pusillorum: dixit enim Dominus: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angli eorum* &c. Euthymius: *Qui hominibus quidem pusilli videntur propter abjectionem,& simplicitatem, verè tamen magni sunt propter virtutem.*

Euthy.in Matth.18.

IN FESTO S. FRANCISCI.

THEMA.

Invenietis requiem animabus vestris.
Matth.11.

ARGUMENTUM.

Mercator cupiens à tumultu negotiationis quiescere, valedicens mercaturæ fundos emit quattuor: deliberans filiis relinquere stabilem hæreditatem.

PRimus fundus, quem pretio relictarum opum D. Franciscus comparavit, extitit paupertas. Hujus virtutis amor claruit in cedendo bonis paternis coram Episcopo Assisinate: quia reliquit ea, quæ possidebat

1. in spe: solent quippe sperata bona temporalia multùm rapere cor humanum. fl.10. n.40. Quamobrem non in divitiis credatur esse requies vera, cum torqueantur avaritiâ sperantes ulteriùs ditari; sed in Christi Domini jugo. *Invenietis* &c.

Fructificavit pauperi feliciter ille fundus, præter alia, securitatem ab eo livore, quo sæculum adversùs divitem solet propter opulentiam exardescere. Vanitatem diligunt qui ditescendi studio colligunt

2. materiam invidiæ. fl.6.n.38. Ac licet opulento socium se jungat mundus: cum tamen ditem prosequatur livore, prudenter S. Franciscus mundum fugâ reliquit. Invidî societatem noli, quamvis fœderatus illi

3. sis,& ipse ingerat se. fl.6.n.32. Inter mundi liventis fluctus inquietudo reperitur procellosa; in Salvatoris discipulatu quies. *Invenietis* &c.

Secundus fundus extitit humilitas: quem Franciscus tradidit malis cultoribus, qui scil. contemnebant eum. Ab illis non vo S. Bonaven. luntariè donantibus fructum collegit. S. in vit. S. Bonaventura: *Abjecto pavore, versus civi-* Franc. *tatem Assisii iter aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à sensu, luto platearum & lapidibus impetebant, & tamquam insano & dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem*

4. *Domini nullâ fractus aut immutatus injuriâ, ut surdus in omnibus pertransibat.* Virtute carens ratus est qui faciat illam magnî. fl.35.n.47. Illa popularis tempestas non inquietudinem adducebat animo servi Domini: quippe jam alibi quietem invenerat animæ suæ. *Invenietis* &c.

Cum prædicti cultores damnabiles agrum voluntariæ demissionis Franciscî colere contemptu multò priùs desiissent,non ideò fundum permisit ille manere sine colono. Nequaquam sanam voluntatem propriam conculcans, intellectum suum subjiciebat non perfectis viris tantùm, sed imperfectis. Idem ib. D. Bonaventura: *Hoc summum ejus desiderium extitit,quoad vixit, ut quareret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, parvulis & grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervernire valeret.* Imo, si forsan inter illos imperfectos aliqui numerabantur homines improbi,

5. non dedignatum puto Franciscum ab eis instrui: nam humilium est à malis etiam hortatum suscipere. fl.22.n.50. De cœlesti sapientiâ viri sanctissimi circa sacrarum Idem ib. litterarum intelligentiam dixit S. Bonaventura: *Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita.* Vir sapiens ab aliis quærebat quomodo perveni-

6. ret melius ad perfectionis apicem! Iter ad cœlum interroga, quamvis agnoscas. fl. 22.n.40 An existimas, Redemptorem verbis illis: *Invenietis requiem* &c.insinuavisse discipulis, inventuros requiem, qua circa profectum virtutis quiescerent? Non ita credas.

Tertius fundus patientia. Hanc exercuit fortiter adhuc tyro, ferens patris furorem; Idem ib. de quo S. Bonaventura: *Omni miseratione subtractâ, protractum, domî primò verbis, deinde verberibus, & vinculis angit. Ipse autem ad exequendum Domino quod ceperat,promptior & validior reddebatur,illud Evangelicum verbum:* Beati qui persecutionem patiuntur &c. Longissimè B. Franciscus ab impatientiâ tunc erat. Non oblivisebatur quantùm filii sint parentibus debitores: & qui memor est beneficii,post 7. terga mittit injuriam. fl.33.n.25

Aliquis arguet: Quomodo stat cum istâ fortitudine tolerantiæ quòd post quam collectam de pannis venalibus pecuniam sacerdoti cuidam ad reparationem ecclesiæ

ecclesiæ pius obtulisset, adveniente genitore latitavit. Refert S. Bonaventura: *Quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, & eorum præsentiret adventum, dare locum iræ volens, in quadam occulta fovea se abscondit*: &c. Respondeo. Idem ib.

8. Mitis, qui recedit ab irato, decus non amittit, sed lucratur. fl.27.n.31. Non solùm acquisivit Franciscus honorem per tolerantiam; sed occasione iracundiæ paternæ, cui cessit mansuetus, accepit animæ requiem. *Invenietis* &c.

Quartus fundus, mortificatio, quàm in victu & vestitu, aliisque permultis amplexus est. Vitavit sensuum delectationes 9. damnabiles: agnoscens quòd illæ sunt in ore melleæ; sed in corde fel. fl.25.n.9. Memor erat, amanti Deum non congruere sedem quò delectabilium illecebris per- 10. fruatur: sed à voluptatibus transitoriis divertendum. fl 25.n.13. Non in istis quiescit qui cupit illam requiem, de qua Dominus: *Invenietis* &c.

Fundos istos filiis reliquit S. Franciscus: ditans eos exemplis. Ipsis minimè temporalem censum legavit, quem non possidebat: sed in mortis positus vestibulo, sollicitudinem exhibuit eis paternam. S. Bona- idem ib. ventura: *Omnibus fratribus tam præsentibus, quàm absentibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit.* Et infra: *Ego verò ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes* 11. *commendo*. Paterna dilectio magis probatur sollicitudine de filiis, quàm censu relicto. fl.15.n.64. Præcipuè curavit ut humilitatis agellum non distraherent, vendentes eum sæculo; sed propriis manibus, hoc est operibus colerent: nam suos fratres vocari 12. voluit minores. Et quidem hyperbolicè dici potest, videri beatos addiscere humilitatem ex ordine Minorum. fl.15.n.44.

Alia videri possunt ibi à n.42. ad 51

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

THEMA.

Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Job.30.

ARGUMENTUM.

Tempestas in portu.

COndoleamus illis; qui finita navigatione mortalis vitæ, portum appulere purgatorii: longè quidem à patriâ positum, sed à mundanis tutum flatibus. Nihilominus ibi dolorum fluctibus quatiuntur. Nam, cum duplex anchora firmaret eos, hoc est, bina spes animos injiciat eisdem; tamen ex anchoris una fallax animæ navem deseruit (illa scil. spes, quam in hominibus olim posuerant ut modo juvarentur ab ipsis) alterâ solâ relicta; scil. spe qua beatitudinem præstolantur. Fefellit, inquam, plures animas ex illis, quas Dominus tradidit purgatrici flammæ, vana spes; qua ducti quondam credebant, se per suffragia fore juvandos à charis amicis, & saltem à sanguine junctis, postquam ad ignes purgatorios irent. Quid refert quòd homo dum vivit ac læta sorte fruitur, multitudinem suppetet amicorum? Amici 1. non ad numerum æstimandi sunt; sed ad pondus. fl.30.n.46. Fortassis istos, quos de more vulgi deceptus homo priùs putabat veros amicos, postea vivens adhuc fuerat expertus non fideles circa minora. Sed adhuc expectabat, ut erga se fidelitatem post mortem exercerent; memores necessitatis, qua nunc animæ comprimuntur, 2. dum torquentur in purgatorio. Deceptus in re minori vir adhuc fidem expectat ab eodem fraudulento corde ad maxima. fl.31. n.35. Igitur animæ possent abuti verbis Jobi dicentes: *Expectabam* &c.

Non dubito, quosdam ex amicis, quos in mundo reliquerunt, antea per consilium (vel aliter) animabus non paucis fuisse cooperatos ad malum, cujus pœnas istæ modò luunt. Attamen illi non ideo moventur ad benefaciendum ipsis, ut à damno, quod peccantes incurrerunt, eruantur. Amicus malus consulet ad peccandum, quin 3. postules; & post non adjuvabit, ut ortum à scelere detrimentum non patiaris. fl.8. n.49. Conjector, aliquas earum, quandiu non experiuntur, se propter amicorum de suffragiis oblivionem voluntariam in carcere pœnali detineri, conservare prædictam spem de sibi ferendis auxiliis, & reputare fidos amicos eos quibuscum versabantur antea. An & hoc earum supplicii 4. pars est? Quòd amici nomine donet homo perfidum, aliquando supplicium exat. fl. 14.n.23. Errore per experientiam sublato, dolentes uti valent verbis Jobi: *Expectabam* &c.

Nitetur quandoque deceptoria spes hæc in eo quòd mortui viventibus testamento bona sua reliquerint; atque legando largiter eosdem fecerint opulentos. at quotidianum vitium divitibus est ingratitudo. Faciliùs à divite metues nociturum, quàm 5. prudenter sperabis ut prosit. fl.7.n.54. Etiamsi prodigi sint ut repleant iniquos; avari sunt ut animabus auxilientur in egestate constitutis; & videbunt errorem, post- 6. quam imprudenti donatione consumpserint illud, quo valerent egenti justo subvenire fl.13.n.52. Ingratitudinem proximè dictam nequaquam præcavebant illi testatores: imo propterea liberalitatem in suis ultimis voluntatibus exercuerunt ad extraneos, ut beneficio monente recordarentur benefactorũ, auxiliantes eisdem per suffragia. O spem vanam & non gratis emptam, quæ nunc frustratione punitur! Emens 7. pecuniâ spem in homine positam, justè flagellatur factâ expectatione irritâ pretioque perdito. fl.10.n.32. Possent (esto quòd hoc Deus ipsis permisisset) animæ dolorosæ, nobis visibiliter apparentes, hujus flagellationis tormentum proponere, dicentes: *Expectabam bona*, &c. Sed fortassis aliquæ permanent in spe quã dixi nuper &

8. conticent Sperantes in hominibus vulnerantur ſæpius, tegentes vulnus. fl. 10. n. 26

Frequenter defuncti, cum forent interitui proximi ſperabant à conſanguineis in purgatorio juvamen afferri. Sed mirandum non eſt, quod carne ſanguineque per obitum depoſitio, in ſuperſtitibus frigeſcat amor carne ſanguineque nixus; cum animæ prædictæ ſint pauperes. Aliquando
9. magis eſt admirationi pauperem ab extraneo contemni, quàm à conſanguineo. fl. 30. n. 14. Expende quantùm anima genitoris torqueatur experta quòd filius non ſubveniat, ei; ſed eam contemnat ingratus. Pater inops multùm dolet à filiis deſpici.
10. fl. 30. n. 38.

Igitur animæ illæ, quæ deſeruntur in purgatorii pœnis à conſanguineis & amicis, ad nos clamant: proponentes caſſatam ſpem, quam in prædictis conſtituerant: *Expectabant bona*, &c. Neceſſitas
11. cogit miſerum ut in alienis quærat pietatem deſertus à ſuis. fl. 30. n. 16. Sanctum eſt & ſalubre pro ipſis & earum ſociis orare ut à peccatis exolvantur. Hoc novimus omnes: at illud veſtris autibus inculcamus,
12. quaſi neſciretis: opere quippe non complens quæ novit, hæc eadem videtur ignorare. fl. 22. n. 44.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

THEMA.

Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. Matth. 25.

ARGUMENTUM.

Certamina floris fœni, necnon & heliotropii cum roſâ candidâ.

FOEni flos in prælto monte poſitus, ab Alexandrinâ roſâ provocatus fuit ad pugnam. Hoc eſt, ſuperba tyranni majeſtas à D. Catharina dejici tentatur ad vallem humilitatis eorum, qui per fidem & opera ſequuntur Salvatorem. Virginem armabat ſapientia; Maximinum ſuperbia. Sapiens & fortis mulier adiit eum: & prudenter loquens, ut illum ab inanium deorum cultu dimoveret, ita conſuluit hoc ei, quòd inſinuaret, ut ipſemet ad veritatem ſe dirigeret. *Oportebat quidem (inquit) ô Imperator, te ex teipſo tuam videre deceptionem, quòd hominum in quos cadit interitus, ſimulacris, tamquam diis, offers ſacrificia*: &c. Non ſemel congruum eſt, ut regi conſilium præbens, illi ſimul inſinuet ut ipſe dirigat ſe. fl. 8. n. 53. Corticem Evangelicæ parabolæ non egrediar. Hîc nota, prudenter non ornaviſſe lampades fatuarum; ſed iſtas exemplo forſan moviſſe, quo de ſuis lampadibus ornandis curarent. *Surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas.*

Refert. Metaph. in vi. S. Cathar. 1.

Nihilò per monitum ſalutiferum factus eſt melior Maximinus. At nolens victum ſe tacitè faſſus eſt, cum timuerit ſapientiam Catharinæ: quantumlibet ſuſpicer, Imperatorem iram concepiſſe propterea quòd fœmina loqui ſic auſa fuerit ad imperatoriâ potentiâ fulgentem. Ira quandoque ſocia timoris. fl. 34. n. 41. Metaphraſtes: *Cum itaque Imperatori ſuſpecta fuiſſet libertas martyris, timeretque ne ſe undique circumſiſteret & implicaret demonſtrationibus*, &c. Si Maximinus ob ſanctam libertatem Catharinæ tunc fuit indignatus internè (quod videtur ex verbis colligi Metaphraſtis: *Ipſe quidem nec eam tantùm audire ſuſtinet*, &c.) percontari poſſemus ab eo quid offenſæ paſſus eſt à virgine? Sed hoc non inquiramus: ira quippe fingit offenſas proprias. fl. 34. n. 47. Magis equidem ſtultum ſe præſtitit Imperator fatuis virginibus: nam iſtæ non ſignificarunt abhorrere ſe à colloquio prudentum; quinimo ſatis indicatur, cunctas in eâdem fuiſſe domo. *Surrexerunt omnes virgines illæ*, &c. 2. Idem. ib. 3.

Ceſſit attamen tyrannus in refugiendo certamen cum D. Catharina: remiſit hoc ſapientibus imperii ſui. Miraberis quòd ſuperbia dederit manus Catharinæ; quæ de ſeipsâ ad Imperatorem humiliter: *Sum pulvis & lutum, efficta in hanc formam*, &c. Admirationem depone. Vicit illa ſe per humilitatem: & cedit iniquus non ſemel cùm cernit juſtum ita fortem ut vincat ſemetipſum. fl. 22. n. 26. Idem. ib. 4.

Poſtquam ſapientes victos (de quibus infra) Catharina reddidit per martyrium victores; *Maximinus eam blanditiis aggreditur illicere*, &c. O machinam terribilem! Magis conſtantia requiritur, ut contemnas malè blandientem; quàm ne vincaris à feroce. fl. 29. num. 40. Reſtitit virgo martyr, non minùs immota, quàm poſt cùm ventum eſt ad verba crudeliſſima. Digna quidem erat acerbo ſupplicio bellua ferox coronata: quæ ſic ſub ſpecie juſtitiæ crudelitatem exercuit. fl. 24. n. 21. Non extincta fuit per hanc immanem tenebrarum poteſtatem lampas fidei, quam prudens virgo ſollicitè curabat meritis additis exornare. *Ornaverunt lampades ſuas.* Idem. ib. 5. 6.

Occaſione D. Catharinæ converſa fuit ad fidem Imperatrix. Necnon illuminati ſunt veritatis luce Porphyrio dux exercitûs, cum ducentis militibus. In converſione Imperatricis oſtendit Author gratiæ, quòd, ſicut illuminavit Maximini dimidium (hoc eſt uxorem ejus) ita poſſet convertere totum. fl. 29. n. 54. En martyr non ſolam propriam lampadem ſervavit accenſam, & ornavit; ſed aliorum lampades prorſus extinctas (id eſt fidei lumine deſtitutas) accendit feliciter. Ita victrici pede prottrivit florem fœni; ſuperbiam nempe tyranni: ſeu, quò loquar accommodatiùs argumento ſuprapoſito, roſa velut ſpinis in tela verſis cum lancinavit cum 7.

Imperatricis

Imperatricis & Porphyrionis conversiones multùm doluerit Imperator.

Nunc ad pugnam veniamus ejusdem rosæ cum heliotropii flore: cujus ænigmate depingo sapientum elationem: qui se putabant veritatem sequi, velut flos ille phœbum; sol quippe veritatis emblema circumfertur. Virginem aggressus est præcipuus eorum verbis turgentibus: contemptum Christianæ disciplinæ corde ferens. Fruſtra sanè teritur tempus in docendis contemptoribus doctrinæ. fl. 1. n. 56. Sed non ita contigit fœminæ sapientissimæ. Oratorem illum ita vicit, ut opinione Gentilium, qui spectatores aderant agonis, ipse dedecus incurrerit superatus. Vincendi modus peculiariter glorioſus est cum dedecoratur hostis. fl. 29. n. 44. sic patet quàm fatuus dici posset hic Orator antequam lucem veritatis à D. Catharina susciperet. Sanè similari poterat virginibus fatuis: de quibus Doctor Angelicus: *Vel sic: Fatuæ sunt qui divertunt à Deo per malam intentionem & non rectam, vel per falsam doctrinam.*

D. Thom. com. in Matth. 25.

Oratores alii videntes eum, qui primas obtinebat inter ipsos, victum, formidaverunt congredi sermone cum S. Catharina. Quomodo Catharinæ vox terrorem non incuteret iisdem, si vox ista potest æquiparari clamori mediâ nocte sonanti, de quo legitur in parabola? D. Thomas scribit sic: *Secundùm Origenem est planior littera. Quia si ad præsentem vitam referantur: quando sit clamor per prædicatorem vel internam inspirationem, tunc surgunt à negligentia.* Timuerunt, inquam, Oratores. Ad victoriæ plausum conducit quòd ex eâ timorem conceperit hostis. fl. 29. n. 18. Quantò plausibilior hic triumphus, cum fuerint hostes in amicos transmutati? Rogaverunt ii Catharinam, ut pro veniâ peccatorum suorum Deum precaretur. Difficilis est venia peccantis ex superbiâ de sapientiâ. fl. 2. n. 29. Sed martyr consolata fuit eos; & spe confortatos dimisit ad martyrium: quod susceperе læti; quasi dum tradiri sunt flammis ingrederentur beatitudinem. Spes in Domino similatur possessioni. fl. 37. n. 26.

Idem ib.

8. 9. 10. 11. 12.

CONCIONES VARIÆ

IN SOLEMNITATE MONASTICÆ PROFESSIONIS.

THEMA.

In medio Ecclesiæ aperiet os ejus, &c. Eccli. 15.

ARGUMENTUM.

Anima confixa cruci Dominicæ tribus aureis clavis.

PRimus clavus obedientia configit amorem proprium. Aurum istius clavi sic est pretioſum apud Altissimum, quod obedientia similatur martyrio. fl. 1. n. 13. In obedientiæ voto præcipuus gradus non est subjicere se prælato prohibenti vitare malum; sed ita crucifigi, quòd opera bona contra superioris arbitrium non exercere polliceatur qui se Deo mactat. In re virtutis non est sequenda propria voluntas. fl. 1. n. 50. Et notandum contingere non semel quòd factum ex voluntate aliena Deo placeat id, quòd, si fieret ex propriâ, non placeret. fl. 1. n. 38. An valet accidere quòd sit propter voluntatem propriam diabolicum illud opus, quod ortum habuit ab amore Dei? fl. 8. 33. *In medio* &c. S. Antonius Ulyssip; *Moraliter medium Ecclesiæ est Religio.* Os religioſi debet esse clausum per mutam obedientiam; & reserari tunc ad bona cùm Deus per prælatum aperuerit illud.

S. Anton. Ulyssip. ser. 1. de Evangelistis.

2. 3. 4.

Secundus clavus paupertas transverberat affectum divitiarum. O quantô clavus hic habetur in pretio coram Deo! Pauper apud omnium Dominum, quia nimis pretioſus, nullo videtur pretio compensari. fl. 7. n. 44. Hæc appretiatio talis est, quòd peculiariter uti filios computet Omnipotens pauperes. fl. 36. n. 10. Quapropter ad hoc ut indicet illos diligere, libens quandoque dimittet aliquid ad gloriam suam spectans. fl. 36. n. 16. O ter felicem animam: quæ terrena contemnens eligit in cælestibus habitare. In cælestibus, inquam, non congregatio viventium sub obedientiâ, quadamtenus est æmula cælorum. fl. 1. n. 17. *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus*, &c. Ad multa solet os aperiri: sed frequentiùs ad ejiciendum aerem ex corde cùm respiramus. Aeri simillima sunt bona transitoria. Qui se Deo consecrat, os aperit, ut aerem cordi nocivum foras mittat per votum paupertatis; & vitam spiritualem servet: quæ perpetuæ quodammodò proœmium est.

5. 6. 7. 8.

Tertius clavus Castitas transfigit carnem ita cum spiritu, quòd eam ad spiritualem conditionem quasi transire faciat. Unde caro per castitatem confixa, hyperbolicè dici potest tamquam altera hominis anima. Anima casta videtur à Christo Domino æstimari quasi duplex. fl. 10. n. 24. Quinimo virgines tanti fiunt à Deo, quasi nihil priùs fructificaverit ei genus humanum. fl. 15. n. 46. Parcus dixi clavum castitatis aureum: illa quippe multùm superexcedit temporales opes: hæ nanque sunt velut hominis indumenta; castitas autem opulentia est invisceratа casto. fl. 15. num. 15. Hic spiritualis thesaurus valde conducit ad sumptus faciendos in virtuoso bello. Pugnat castus jugiter; sed puritas in acie fulget coronata. fl. 29. n. 42. *In medio Ecclesiæ* &c. Aperitur os ad extinguendum ignem. Vitia, quæ nos impetunt flammæ similia sunt: & qui se Domino dicat, ignem curat extinguere, votum castitatis emittens.

9. 10. 11. 12.

Vide *Obedientia. Voluntas.*

IN NATALITIO PRINCIPIS HEREDIS REGNI.

THEMA.

Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. In involumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Sap. 7.

ARGUMENTUM.

Sub ænigmate recens nati puelluli regnantes erudiantur in aliquibus quæ spectant ad politicum regimen.

CONvenimus ad agendas gratias Conditori pro nativitate desideratissimi principis: qui donante Rege regum hereditabit sceptrum: ex qua regii parentes ejus meritò cum subditis universaliter exultant: & præcipuè, quia timebant priùs ne, si regalis expectatio de filio nascituro frustraretur, & solium transiret ad exteros, Thren. 5. 2. diceretur postea lacrymabiliter: *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad* 1. *extraneos.* Ordinariè loquendo non congruit regno princeps alienigena. fl. 33. n. 20. In themate meminit Salomon de terra genitrice communi mortalium: *In similiter factam decidi terram*, &c. Deus efficere poterat ut nequaquam regna terræ moderarentur Adamides: quia captivi facti sunt in primo Parente per peccatum; sed potius Angelici spiritus in humanâ formâ regna gubernarent. At congruum judicavit ut hominibus moderaretur homo: quoniam qui subsunt accedent confidentiùs ad illum, qui secum matrem sortitur communem; nempe terram.

Et quoniam donis Dei solemus edoceri; cùm gratias agimus pro natali principis nostratis, operæpretium erit ex infantuli conditionibus aliquot satis notis eruere doctrinam circa quædam, quæ pertinent ad artem regnandi. Primò nota phrasim Salomonis: *In similiter factam decidi ter-*
Lorin. in lap. 7. 3. *ram*, &c. quam postquam expendit Lorinus, ait: *Morem etiam testantur fuisse Varro, ac Festus natum infantem in terra nudum sternere, ac Opem deam, quæ & ipsa terra est, implorare.* Et infra: *Non sinitur quidem infans exiens cadere; caderet ipse tamen, & pro illa consuetudine quasi cecidisset, statuebatur humi. Propterea nascentes dicebantur absolutè in terram cadere*, &c. Quod Gentilibus mos erat, quasi puerum instruerent ad colendam falsam divinitatem, Christicolæ meditemur erga Deum verum: scilicet oportere, principes ante omnia se præstare pios in cultu Dei.
2. Expectari potest quòd rex in Deum pius exercebit rectè munus regendi populum. fl. 39. n. 10. Hinc regnum prosperabitur; & econtra defectu bene factorum regnantis ibit in deterius. Aliquando propter unum crimen principis imperium longe protensum patitur multa. fl. 39 n. 58. 3.

Secundò notandum est, puellum (quidquid sit uteum respiret in utero matris) statim atque prodit, aerem respirando sumere. Salomon inquit: *Ego natus accepi communem aerem*, &c. ubi citatus Commentator: *Agit hoc loco Author de respiratione aeris externâ, & cùm jam ab utero secretus est fœtus.* Cùm respiramus, attrahitur aer ad mensuram necessitatis; non ad voluptatem. Sic ea, quæ reges accipiunt sibi per tributa, non voluptate, sed necessitate mensurentur. fl. 39. n. 32. & cum necessitas abierit, tributum cesset. ibid. num. 34. Idem ib. 4. 5.

Tertiò meditanda fragilitas fœtûs cùm exit in lucem. Salomon dixit: *In similiter factam decidi terram*, non quòd ceciderit; sed quoniam præ debilitate cunctis nascentibus communi potuit cadere. Liranus ib: *Puer enim nascens in terram caderet, nisi acciperetur ab obstetrice, vel ab* Lir. ib. *alia persona vicem ejus supplente.* Princeps hoc mente versans (*Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.*) nequaquam propriis viribus fidat; in cælo collocet fiduciam. Deus vellet ut princeps regni protectionem attribueret Sanctis. fl. 39. n. 12. Non ideo tamen omittat media temporalia pro rectâ moderatione sceptri. Longum foret hîc enumerare cuncta. Memoror illud tantùm, quod attinet ad prudentem electionem præpositorum atque judicum: & aliquatenus quiescet, cum invenerit ministros optimos. fl. 40. n. 16. 6. 7.

Quartò ad illud: *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Animadvertas, infantem dolenter vagire post ortum statim; non tamen irasci. Nil commoditatis principes reperiri credant in irâ injustâ. fl. 40. n. 55. Imo non parum damni multoties inde tam regi, quàm subjectis provenit. Et insuper non semel iracundia regnantum participatur à potentibus: contagiosa quippe solet esse regis ira mala. ib. n. 58. 8.

Quintò ad sequentia verba: *In involumentis nutritus sum, & curis magnis.* Video, nimias esse frequenter matres & nutrices in blanditiis, quibus fovent sollicitæ recenter exortum. Hinc occasione sumptâ meminerit princeps adulatorum verbis non circumveniri: sicut paucorum dierum infans, qui audit, quasi non audiret, se 10. vocari florem, adamantem, ducem, atque similia fœmineis vocibus. Quâ ratione rex moveri possit ne decipiatur fictionibus adulatoris vide fl. 25. n. 4. Vigilandum circa materiam subjectam valde: nam adulator etiam cum aliàs bono ducitur fine, cæcat adulatum. fl 4. n. 17. Cæcat, inquam, non tantùm ad hoc ut credat assentatori; sed ut peccatum committat: nam adulatio fomentum est delicti. fl. 4. n. 21. 9. 11. 12.

IN

IN PUBLICIS PRECIBUS AD POSTULANDAM PLUVIAM TEMPORE SICCITATIS.

THEMA.

Non dixerunt in corde ſuo : Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluviam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo ; plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis. Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc : & peccata veſtra prohibuerunt bonum à nobis. Jerem. 5.

ARGUMENTUM.

Avis cum dormiret in proprio nido ſonantibus tonitruis, demum expergefacta fugit ad varia loca fruſtra : denique requiem invenit in templo.

DE ſuperbo ſequentia verba dixit S. Antonius Ulyſſiponenſis : quæ trahi poſſunt ad quemcumque peccatorem in ſuâ nequitiâ ſuperbè perſeverantem. *Nota*, inquit, *quòd nidus tria habet in ſe : plumis mollibus interiùs componitur ; duris & aſperis exteriùs conſtruitur, in incerto loco vento expoſito collocatur ; ſic vita ſuperbi quamdam mollitiem, id eſt carnalem delectationem habet interiùs : ſed ſpinis & lignis aridis, id eſt operibus mortuis eſt circumdatus exteriùs. In incerto loco, vento etiam vanitatis expoſito collocatur, quia neſcit an ſero, an mane de medio tollatur.* In hoc vitæ præſumentis nido, dum tonitrua perſonant (hoc eſt, minæ de venturâ per ſiccitatem fame) dormit iniquus in ſecuritate fallaci ; licet is cum cæteris aquarum cæleſtium prohibitione flagelletur. Dormite ſub verbere Dei eſt incrementum ſupplicii fl. 25. n. 45. Neſcit malus, ſe per hunc ſomnum puniri : non ideo tamen ita verberatur leviter ; quinimo, cæteris paribus, majus eſt ſupplicium quando peccator neſciens vadit ad illud. fl. 25. num. 55. Dormientes in obſtinationis quiete ſomnolentiâ ; ſed videntes multi nequam ſiccitatis malum præſens *non dixerunt in corde ſuo : Metuamus* &c.

S Anton. ſer. Dom. Quinquag.

1.

2.

Avis tonitruo tandem ſuſcitatur è ſomno : fugit ad arundinem ſoliditate carentem. Hoc eſt his, quæ dixi. minis aliquantùm excitatus peccator confugit ad inanem pœnitentiam fictam : nec enim omne tædium peccatorum eſt vera pœnitentia : nam impœnitentes aliquos tædet proprii cordis. fl. 14. n. 21. Iſti protulerunt ore tenus ; ſed *non dixerunt in corde ſuo : Metuamus* &c. Alii timent equidem futurum famis detrimentum ; non verò Deum, quem peccatis provocarunt. Timor hic pœna criminis eſt. fl. 14. n. 29. Etiam hi *non dixerunt in corde ſuo : Metuamus Dominum Deum noſtrum*, ſed venturam famem.

3.

4.

Avis ab arundine fugiens ad fontem, nec ibi permanens, nidum repetit, quem reliquerat. Hoc eſt, in tribulatione quam patimur, nonnulli denique verè pœnituerunt ; ſed citò reincidentes reverſi ſunt ad malitiæ nidum : quapropter extitit eorum pœnitentia quaſi nunquam extitiſſet. Reincidentia facit ut reſurrectio peccatoris à crimine ſit quaſi non fuerit. fl. 5. n. 18. Ecce compungimur his auditis : brevî tamen duret apud quoſdam illuminatio, quam doctrina præbet. fl. 25. n. 17. Ad vomitum reverruntur peccatores quidem : & illa de ſceleribus pœnitudo tam parvo tempore durans, inſinuat, eos non credidiſſe, quòd propter eorum delicta, ſed tantùm proximorum, cœlum factum eſt ferreum. Iſtis inculcandum eſt quòd propter ipſorum nequitias prohibetur pluvia, meſſiſque deficiet : *Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc : & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis.*

5.

6.

Volat rurſus avis pertertita : quærens columbarum conſortium, ſed fruſtraneè. Id eſt accedit peccator in tempore tribulationis ad juſtos : ductus vanâ ſpe quòd mutabit vitam, quin de præteritis pœniteat. Quandoque ſatis eſt quòd ad juſti fores accedat malus, ad hoc ut bonus pecet ; iniquus autem non ideo meliorabitur. fl. 32. num. 27. Etiam qui ſic ſe gerunt mali *non dixerunt in corde ſuo : Metuamus* &c.

7.

Poſtremò tranſvolavit ad templum metuens avis, ac ſolatium invenit. Ita conſulendum peccatori, Deum ſerìò quærere conſtanter, ut eripiatur à venturo malo, ſimul & formidine ſuâ. Templum accedat, ſecum deferens pudorem commiſſi delicti, propter quod, & aliorum ſimilia nos Dominus percutit. Videtur Deus adverſari ſolummodò peccatori quandiu non eum pudet peccati. fl. fl. 12. n. 6. Pudori jungatur firma in Domino confidentia, etiam dum vapulatio perſeverat. Confidamus in Deo, necnon quia flagellat. nos. fl. 31. num. 43. Confidentiam lacrimis rigare curemus : iſtæ quippe corrigunt voluptatis errores præteritos. fl. 25. n. 29. Orationi ſociemus abſtinentiam : hæc etenim docet agnoſcere manum Dei. flagellantis. fl. 2. n. 11. Poſtquam expiaverimus propria delicta, defleamus proximo ridentes in diebus luctûs : nam lacrymabilis eſt peculiariter qui ſe flebilem ignorat. fl. 25. n. 33.

8.

9.

10.

11.

12.

IN ORATIONE SOLEMNI TEMPORE BELLI, CUM VOCATUR AD ARMA.

THEMA.

Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & majorem quàm tu habeas adverſarii exercitus multitudinem, non timebis eos : quia Dominus Deus tuus tecum eſt, &c. Deuteron. 20.

ARGU

Copia pro concionibus

ARGUMENTUM.

Hoſtilis tubæ clangor.

CUm fortitudo ſit mediocritas in metu & confidentiâ ex Ariſtotele dato fl. 31. n. 47. diſcernendum eſt nunc dum expeditio bellica præ manibus eſt, quam formidinem oporteat à cordibus noſtris propelli; quam verò ſuaderi congruat, & retineri. Pellatur bellatorum, qui nos invadunt, vanus timor. *Non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt.* &c. 1.
Timor aliquis adeo perniciosus eſt, ut illius comparatione plures hoſtes dici valeant 2. quaſi nemo. fl. 2. n. 39. Imo timor inutilis aliquoties magis inducit homines in periculum. fl. 7. n. 22. Potentes armis & multitudine, fateor, ſunt adverſarii: ſed attende quid legas in Deuteronomio: *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos*, &c. Si Deus pro nobis, quid illi, niſi levis aer? Tuba reſonat inimica: ſed quid eſt 3. illius cauſa ſoni? Fractus aer. Quidam timor commovet magis quàm præſens mali cauſa. fl. 7. n. 62. Potiùs Deum timeamus: 4. quoniam ſæpe timor hominis dux eſt malus; non autem ſic timor Dei. fl. 20. n. 57. Hic timor erit à nobis complectendus: quô poſito judicabimus, Deum nobis auxiliari, proindeque metum imprudentem, quô trepidamus hoſtes, propulſabimus: *Non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt*, &c.

Sed advertendum primò, ne duplici corde rogemus Deum pro donando nobis 5. adjutorio: nam duplex corde frequenter pavidus eſt. fl. 23. num. 32. Duplici quidem corde perhibentur ii, qui ſimul publica detrimenta, quæ Reipublicæ metuunt, lamentantur; & peccata promerentia communem cladem non deſerunt. Advertendum ſecundò, timorem Domini radicandum eſſe præcordiis perſeveranter: non ut in quibuſdam cernimus; qui tantùm 6. Deum timent dum tribulatio durat fl. 26. n. 45. Ne ſit metus, quô Deum reformidas, ut is qui aliquibus contingit ex clangore tubæ, ceſſanteque ſonitu deſinit. Advertendum tertiò ne deluſus putes, verum eſſe Dei timorem illum qui, purè tremiſcit ſtragem ab adverſario. Domini ve- 7. rus timor ingerit confidentiam; prior autem ſæpe diffidere ſuadet. Timens tempotalia damna, diffidit nonnunquam de protectione divinâ; timens verò Deum loquitur confidenter. fl. 31. n. 45. Pulſa proinde longe trepidatione fragili de gladiis adverſantium, & roboratis per pavorem Domini exercitum cordibus noſtris, dicat unuſquiſque animæ ſuæ: Clangor inimicæ tubæ per flatum ſuperbiæ ſonat inanem: time cuncta Potentem; *non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt.* &c.

Ad fiduciam de victoriâ conſequendâ confirmandam proderit expendere, juſtitiam belli nobis faventem. Rex adverſarius injuſtè nos aggreditur: ſui ſequuntur ejuſdem juſſa, neſcientes injuſtitiam ipſis. Sed ſubditus etiam neſciens peccatum regis, ejus voluntati ſerviens, quodammodo videtur illius imitari latens malum. fl. 11. n. 38. Ne credas, habituros exitum felicem. Prudentia ſæculi deligit ſæpe media, quæ pariunt oppoſitum finem. fl. 22. 36. Econtra rex noſter in oppreſſione, qua ſollicitus eſt pro nobis, piè Deum præ oculis habet, ac timet offenſum Dominum per crimina quædam ſuorum, licet eorum commiſſio nequaquam ei valeat imputari. fl. 39. n. 14. Dicamus ergo confidenter principi noſtro: *Non timebis* &c. 8. 9. 10.

Audis tubæ militaris **horribilem ſonitum**, quo te **contrarius** terret exercitus? Forte ſtrepitus **ille vehemens** te vetat audire **clamorem plebis miſerandæ regni**, quod **nos oppugnat**: patiuntur enim oppreſſiones belli comites. Non eſt cur timeamus **manum armatam**; cum potiùs miſeratione digni ſint eorum plures. O miſerum populum oppreſſum graviter ſub colore boni publici. Vide fl. 24. num. 19. Satius eſſet eorum regi, ut quæ ſua ſunt amplificare ſtuderet, ac non invaderet aliena: quoniam ſæpe majus nomen aſſequitur rex ampli- 12. ficans Rempublicam propriam, quàm debellans hoſtes. fl. 33. n. 18. 11.

IN CELEBRATIONE CAPITULI REGULARIS.

THEMA.

Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini veſtri, & eum ponite ſuper ſolium patris, ſui & pugnate pro domo domini veſtri. 4. Reg.

ARGUMENTUM.

Statera.

AD præfixa verba Humbertus: *Et nota, quod licet iſtud verbum ſit Jehu zelantis pro domo Achab, tamen viri ſpirituales & litterati ſlent hoc verbo, pro ſuo beneplacito, ad alia uti, ſcilicet ad informationem electorum, qui habent de Eccleſia providere.* Humber. l. 2. de modo promp. cud. cer. tr. 2. cer. 8. ad fi.

Eligentium prudentia ſtatera fidelis eſt. Nullus, etiam captus mente, curavit ignem librare; qui leviſſimus eſt. Non admittatur ad ſtateram electorum ambitio: quæ quidem ignis eſt, atque levitatis indicium. Quomodo credemus judicii pondere gravem illum, qui dignitatem ambit 1. ſibi? Non ambiret, ſi noſceret onus aprimè. Sublimitas aliena, ſi mente cogitatur, multoties invidetur; non ita, ſi bene Idem. ib. perſpiciatur. fl. 24. n. 57. *Eum ponite ſuper ſolium patris ſui*, &c. Humbertus: *Quartum in hoc quod dicit, ponite eum ſuper ſolium, non ipſe ſe ponat.* Alius ignis eſt amor eligendorum ad eligentes: quæ 2. dilectio nequaquam in ſtatera venit electionis

ctionis ponderanda. Non est verus amor electoris erga malum. Vide fl. 13. num. 50. Caveant ii, qui reliquis suffragantibus proponunt eligendos, nam oportet eligere filium Dei, hoc est virum probum, *De filiis domini vestri*, ubi Humbert. idem: *Scilicet Domini Dei: non de filiis diaboli.* Idem. ib.

3. Apage horribilem amicitiam. Non minùs ab istis factionibus abhorreant cæteri suffragatores: amicos enim advocant aliqui dum volunt operari malè. fl. 30. n. 44. Conscientiæ propriæ recta dictamina sequantur; non autem alienæ regulas errantes; quæ regularem concordiam scindunt, & bono subditorum adversantur. Humbertum non relinquam. *Tertium*, ait, *in hoc quod dicit, qui vobis placuerit, non aliis scilicet, secundùm propriam conscientiam.*

In statera prudenti sunt appendenda cuncta, de quibus consurgit dignus prælaturâ. 4. Considerandum est ingenium promovendi: nam, si stultus gubernat, dissipatur Respublica. fl. 33. n. 24. 5. Sed ætatis maturitas aliquando principalior est pro judicando, quàm scientia multa. fl 40. n. 10. Igitur omnia circumspicienda sunt ab electione, ut qui pensatis cunctis judicatus fuerit melior eligatur. *Eligite meliorem*, &c. Citatus Humbertus: *Secundum in hoc, quod dicit, meliorem, non minus bonum.* Idem. ib.

Alia statera traditur electo: quam sumens justitiam exerciturus est in sibi commissos. In hoc munere vitandum est imponere nimiùm ponderis in librâ: quomodo enim sic erit æqua ponderatio? Aliquando 6. pejus est nimium jus exercere, quàm sine correctione dimittere peccantes. fl. 24. n. 23. Quidam sunt, qui circa minima furescunt; prætereuntes maxima. Error similium notatur fl. 27. n. 13. 7. Hi furiosi potiùs duces militiæ videntur, quàm ecclesiastici præpositi; sed pugnant pro iracundiâ suâ, non pro domo Dei. *Pugnate pro domo domini vestri.* Humbertus: *Quintum, & sextum in hoc quod dicit, & pugnate pro domo domini vestri, vos scilicet, & ipse.* Idem ib.

Non pauci reputare videntur postquam in dignitate constituti sunt, stateram sibi fuisse traditam, ut mercaturam exerceant, hoc est commoditatum suarum curam 8. agant. Ille dignus est superioris titulo, qui spernit quæ sua sunt pro bono communitatis. fl. 33. n. 10. Non ei pugnandum pro utilitatibus propriis: *Pugnate pro domo domini vestri.* Aliqui de præfectis oscitantes in correctione subjectorum, prætendunt, mundum pati mala senectutis incurabilia, propterea que se non posse reducere subditos ad observantiam legum. Multum damnabilis est hæc excusatio. Ab 9. ipsâ Dei manu supplicium timeat prælatus iniquus, prætendens iniquitatem suam excusare per impossibilitatem pugnandi pro lege. fl. 24. n. 27. Nonnulli conantur errores in regimine commissos colorare per consuetudinem, quasi foret legitima; cum 10. sit potiùs corruptela. Acerbè puniri meretur superior insistens iniquæ consuetudini. fl. 24. n. 25. *Eum ponite super solium patris sui*, &c. Constitutus in solio, memoretur quid boni fecerit in eodem positus pater ejus, hoc est antecessor; omittat verò mala: nec enim propterea prædecessoribus injurius erit.

Errata prædicta, cum pluribus, quæ dimisi, nascuntur sæpius ab electione minimè ritè factâ. Quapropter supremus prælatus (consultoriè, vel diffinitivè, juxta varios Congregationum ritus) nominans eligendos, omittat charos inutiles. Quantumlibet eos amicissimos expertus fuerit, omnino rejiciat: sibi reputans onerosos, 11. eoquòd utiles non sint bono publico. fl. 40. n. 57. Inertes isti præfecti minores plurimùm nocivi sunt congregationibus. Aliquoties plus nocet superior in eo, quod omittit; quàm dæmon in eo, quod sæpius 12. efficit. fl. 17. n. 10. Deponunt hi stateram, & in utramque dormiunt aurem; cum sit illis injunctum pugnare; non otio torpere. *Pugnate.* &c.

PRO EADEM FUNCTIONE
CONCIO II.

THEMA.

Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris, &c. Actor. 1.

ARGUMENTUM.

Eligentium precationi vox de cœlo respondet per unicum verbum: Dignior.

Doctrinâ conspicuus,
Justitiâ pollens,
Benitor amans,
Negligens superflua,
Judicaturus rectè
Obstans criminibus,
Remissionem cavens.

Doctrinâ conspicuus. Eligantur ii, qui doctrinâ, scilicet prudentiæ regulis imbuti sint: nam oportet aliquando, prælatum quasi divinare. fl. 17. n. 14. Si magister promoveatur ad prælaturam, animadvertat, se speciali jure magisterium erga subditos exerciturum fore; quapropter dedecus incursurum, si negligat eos increpationibus dirigere. Magister dehonestatur, 2. si non increpet discipulos. fl. 17. n. 34. Et cum præposituræ cathedra multùm distet ab eâ, quam docens tenuit in scholis, Dominum oret pro directione suâ. Dubitabit persæpe, quô tramite pergendum sit: postulet ab Omniscio, dicens: *Ostende, quem* &c.

Justitia pollens. Assumantur justitiâ, hoc est virtute prædicti: nam subditos hortaturi sunt; & qui nuper deliquit graviter, 3. mali festinatur alios hortetur. fl. 10. n. 41.

Si tollitur malus in altùm, ne dubites quòd *ibi* in deterius; Etiamsi jam evectus eadem committat, quibus inquinabat se priùs: nam præter substantiam criminis addetur scandali gravis circumstantia; quæ non est leviter execranda. Cæteris paribus, 4. peccat graviùs delinquens ita, quòd occasionem præbeat alteri peccandi. fl. 13. n. 56. Scelera multa, quæ tunc in electo patebunt, nunc latent per simulationem indigni. Meritò, ne devolvantur ad non benemeritos ecclesiastica munera consulimus eum, qui scrutatur corda: *Tu Domine*, &c.

Genitor amans. Patris officium superior suis præstat. Ne sit igitur nimiùm severus. 5. Quandoque reprehensibilior prælati nimia severitas, quàm ejus remissio. fl. 17. num. 18. Non tamen ad hoc ut unum extremum fugiat, aliud sectetur: hoc est, ut vitet furentem austeritatem, ne declinet ad ignaviam. Nec enim hoc genitoris est: nam 6. pater in correctione filiorum remissus gerit se cum eis quasi cũ extraneis. fl. 17. n. 30. Sed quis dignoscet qualisnã sit futurus post suã promotionẽ qui nunc diligitur? Multi quippe modò leones in rebus privatis, postea cùm pugnandum erit ex officio pro Dei mandatis, & bono communi, transformantur in columbas imbelles; alii, qui dum potestate carent, mitissimi sunt agni; cùm posthac exhibere datur patris ministerium, transfigurantur in tigres. Quis ergo noverit quod in plurium visceribus jam latet fortassis in animi præparatione? *Tu Domine*, &c.

Negligens superflua. Dilectionem subditorum, qualẽ habere congruit prælato, non exercebit qui se nimis dilexerit: ac in vineâ spirituales fructus minimè colligere satagetpersolvendos Altissimo; sed temporales congregabit sibi: quod sanè pudore dignum. Prælatus de temporalibus non su- 7. mat plusquam necessaria. fl. 35. num. 13. Rogemus itaque Dominum in electionibus his, ut parvulas vineas colonis tradat optimis; qui reddant ei proventus animarum: *Tu Domine*, &c.

Judicaturus rectè. Satis arduum est sententias ferre servatâ bene iudicandi normâ pro correctione reorum, iis qui non in forensibus educati sunt; sed in chori sequela, 8. quietudineque religiosâ cubiculi. Maturè procedendum in damnatione delinquentis. fl. 39. n. 38. Et quoniam testes multi vel 9. barbarè deponunt, vel dolosè; si fas est, crimen priùs oculis appareat, quàm reus damnetur. fl. 39. n. 46. Non solis auribus fidat superior deliberaturus circa prædicta; suum cor, si rectum est, consulat. Sed quis electorem docebit, an is, de cujus electione cogitat, eô corde polleat, quale requiritur pro judicandi munere? *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende*, &c.

Obstans criminibus. Laudabile quidem est, superiorem perpetrata crimina plectere; sed laudabilius antequam fiant impedire. Si conniveas initiis malis obviare, cum sic perdas eos, qui tuæ sunt curæ commissi, nequaquam asseratur, ex amore te connivere. Non obstans principiis facti peccaminosi (quod incumbit illi cavere, ne ser- 10. pat virus) non dicatur hoc omisisse quia diligebat peccantem. fl. 17. n. 32. Vigilans in subjectâ materiâ, providus adhibet media vitando sceleri suorum: quia reputat illud tamquam delictum proprium. fl. 17. 11. n. 36. Non hoc præstabit perfectè prælatus, nisi cor ejus afficiatur erga subditos charitate. Cum agitur de dignorum electione, quomodo corda hominum inscrutabilia dignoscemus, examinantes an charitatis igne sint accensa? *Domine*, &c.

Remissionem cavens. Quamplurimi præpositorum insinuant, se per socordiam erga criminosos, piè sollicitare bonum pacis. Non superiores istos Dominus elegit. *Ostende, quem elegeris* &c. Præfecti videant, quòd aliquando facillimè de concordiâ nascitur peccatum. fl. 24. n. 11. 12.

Quædam alia vide in tabula sententiarum v. *Iudex. Prælatus. Rex. Subditus.*

PRO FESTIVITATIBUS B. Mariæ, quæ celebrantur sub aliquo titulo Virginis, ex iis quæ pertinent ad ipsam prout hominibus benefica, concio generalis.

ARGUMENTUM.

Mille clypei pendent ex ea.

NUllum thema præmitto, quoniam solemnitates istæ non ubique sibi fixum diem, vel Evangelium vendicant. Numerabo tantùm decem clypeos, omissis aliis, quibus protegit nos Deipara.

Clypeus 1. Meritum Dei Genitricis: quod offert summo Remuneratori, ut illius intuitu Dominus misereatur nostrî. Pia Mater cupit, merita sua munerari per bona, quæ nobis ejus intercessione donantur. Unde fit, quòd veniens mortalibus favor me- 1. diante Maria, pene videatur eis de justitiâ debitus. fl. 11. n. 8.

Clypeus 2. Ejus misericordia. Deus equidem infinitè misericors est. Majorne misera- 2. tio Virginis? Devotioni permittatur aliquid audere. An plus fidendum protectioni Mariæ, quàm Deo protegente? fl. 19. n. 93.

Clypeus 3. Liberalitas Reginæ cælorum. Amica largitatis corda præstant beneficia 3. miseris auxiliando; sed Dei Mater & hominum non tantùm benefacit cùm fert indigentibus adjutorium; sed non semel etiam benefica piis est, cùm non eis favet auxiliatrix. fl. 19. n. 111.

Clypeus 4. Ejusdem prudentia. Virgo prudentissima novit, persæpe congruere 4. differri quod postulamus. Quamobrem pluries cunctatur in rogando pro nobis, & ipsâ mora proficit. fl. 19. n. 109.

Clypeus 5. Pulchritudo, qua speciosa super solem Domino placet. Ex qua fit, ut

meritò

meritò dicamus ei: Filius tuus nihil negans te honorat. Et ſpecialiter Deus complacet in pulcherrimâ pro pterea quòd amet illa, bonorum ſpiritualium ſuorum quo-
5. dammodò nos eſſe participes. Maria plurimùm divino ſponſo arridet per hoc, quòd ipſa velit, bonum ſpirituale ſuum ab homin. bus participari. fl. 19. n. 107.

6. Clypeus 6. Poteſtas, qua fulget Imperatrix præcelſa. Mala nobis immiuent undique; jugiter nos pericula terrent. Ad Mariæ tamen umbram poteſt homo ſecurus quieſcere. fl. 19. n. 105.

Clypeus 7. Fortitudo Davidicæ Turris: quæ nos etiam defendit contra temporales
7. adverſarios. Maria præſidium adverſus hoſtes. fl. 19. n. 103.

Clypeus 8. Amor erga filios Adam verè maternus: qui tam perfectus eſt, ut nos reddere videatur (hyperboli parce) velut
8. idem cum ipsâ. fl. 19. n. 99. Nos in ſuis viſceribus portat per pietatem: & fœtus in utero reputatur unum quid cum matre.

Clypeus 9. Spes, quam nobis confert ipſius benevolentia: qua firmiter præſtolamur, neceſſitatibus occurrentibus fore nobis orantibus ab ea ſubveniendum. Fateor quantùm præ dolore contriſtentur expectantes multi quæ cælitus illis tribus deſiderant. Attamen hîc mæror frequenter ceſſat cùm per Virginem ſperamus aſſequi
9. deſideratum: nam lætam adducit ſæpiùs umbra Mariæ. fl. 19. n. 97.

Clypeus 10. Confidentia, quam ex protectione Deiparæ ſuſcipimus. Oratio noſtra, ſi fiat animo diffidenti, non parum titubat; & ipſa trepidatione diſcrimen fruſtrationis auget. Hoc periculum multoties tollitur ex eo quòd preces fundamus recurrentes ad mediatricem Virginem. Qualis hominibus in rogando confidentia veniat
10. ex Maria. fl. 19. n. 95.

Quæſtio valet excitari, quidne ſit Mariæ beneficentiâ majus: an exiſtere noſtrum refugium in adverſitatibus, dum vita manet? an in hora mortis protegere? Videtur quòd hoc ſecundum ſit principalius: nam pavor, qui circumſtat morientes, acerbum valde quid eſt. Mortis formido quandoque morte durior. fl. 37. num. 24. Ni-
11. hilominus viri perfecti plures aliter judicabunt: conſentes, benignitatem potiorem Dei Genitricis, qua refovet Adamides, in eo conſiſtere quòd illos adjuvet ad tolerandas fortiter curriculi vitalis miſerias. Anxietates vitæ nonnunquam juſtus exiſtimat acerbiores doloribus mortis. fl. 37. n. 12.

12. Si pro qualibet ex dictis B. Mariæ celebritatibus exponatur adorationi fidelium Euchariſtia ſacra; videre poteris tabulam ſententiarum V. Maria n. 4.

IN SOLEMNI GRATIARUM ACTIONE PRO BELLICA VICTORIA.

THEMA.

Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: &c. Exod. 15.

ARGUMENTUM.

Cecidit ex palma cupiens colligere triumphalem ramum.

GRates hodie ſacrantur Altiſſimo de ſorte victrici; qua ſuperbiam eorum, qui contrà nos injuſtè dimicaverunt, Domino largiente, contrivimus. Ipſorum conatus hoſtiles prætextum ſuſcepere zeli de bono propriæ Reipublicæ. Laudabilis eſt amor boni communis, dummodo ſerventur ea quæ debent attendi. Sed zelus bonus degenerat aliquando. fl. 24. n. 43. Fortaſſis 13
adverſario regi prius quàm bellum contra nos inire deliberaret, aperuerunt aliquot ejus conſultores injuſtitiam prælii hujus, & ipſe præſumens deſpexit conſilium rectum. Superbus aliquando bonum conſultorem honorat; ſed honorem vertit in contemptum. fl. 8. n. 29. Elatio temerè ſolet ad ardua tendere, quin ab aliis deterreatur: & 23
aſcenſu præparat ſibi nolens ruinam: velut qui celſam audet conſcendere palmam; non credens monentibus de futuro lapſu. Sic fortè ſibi fidens dixit hoſtis: *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

Spem vincendi nos primò collocavit adverſarius in fortunâ ſuâ; qua debellaverat fortunatè priùs alios. Sed quid eſt vulgò dicta fortunæ præter vanitatem? Igitur debili nitebatur fundamento, propterea corruit in acie. Qui figit pedem in ſpe vanâ, 31
ruet. fl. 26. n. 37. Aſcendens palmam truncos non invenit, quibus utatur velut gradibus: quapropter ſæpe labitur impellente nullo. Quid mirum, quòd ruerit præceps inimicus, inflatus animo; cum non ſolum proprii tumoris vento propelleretur ad caſum; ſed Omnipotens flatus dejecerit eumdem? *Flavit ſpiritus tuus,* &c. Secundò malè firmabatur inimicus noſter in pec- 40
caminoſo, quo putabat ſibi deberi quod jure belli conſequi tentavit. Perperam fidit in crimine ſuo malus; cum ſit peccatoris proprius metus. fl. 10. n. 30.

Copias auxiliares advocavit gentis exteræ: quibus confidebat præ multitudine bellorum nos opprimere; ſed ipſi, quibus nitebatur ei nocuerunt, vel fugientes, vel militarem diſciplinam nequaquam ſervantes. Unde valemus aſſerere, vulneratum fuiſſe hoſtem per illos. Quò magis conten-

5. tiosus collocas in creatura ſpem fortiùs, magis ab iſtâ vulneraris. fl. 10. num. 28. Aſcenſor palmæ, quò plùs fortiter amplectitur manibus arborem, eò feritur in palmis duriùs per ipſum corticem. *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Pugnantes contra nos evaginaverunt haud ſolum gladium ſuum; ſed etiam alienum. Gratias tibi referimus ô Domine: quia *Flavit ſpiritus* &c.

Cuncta Potens, ac bella conterens proſtravit eos. Laudemus Dei providentiam: 6. quæ relucet cadente peccatore. fl. 28. n. 40. Juſto flagello percuſſi fuere: cujus non 7. modica pars extitit exultatio noſtra. Mali ſupplicium non ſemel eſt felicitas ejus, qui Deo placet. Vide fl. 24. n 67. Punitus eſt rex eorum dedecore peculiari: nam cùm exercitûs proprii perditione regnum ſuum 8. deterioravit, à nobilitate propriâ non parum decidit. In eâ menſurâ decreſcit regis nobilitas, in qua regnum deterioratur. fl. 33. n. 58. Augeri percupivit armis (aſcendens per ardua, ſicut ille, qui geſtit ex palmæ vertice legere victorialem ramum) ſed bello cecidit; cum dixiſſet: *Dividem* 9. *ſpolia, implebitur anima mea*: &c.

Nonnunquam, Deo puniente, cupido minuntur facultates eo medio, quo putavit illas augere. fl. 9. n. 13. Non tantùm bellicos amiſit ſumptus maximos: perdidit necnon apud bene cenſentes nomen regium, eoquòd ſibi ſubjectos tradiderit 10. enſi noſtro. Rex uno ſaltem errore voluntario ſuos perdens, regium nomen amittat. fl. 33. n. 28. Non eſt cur dum proſpero ſucceſſui martis plaudimus, dicat populus noſtratum, ſuperbiam adverſariorum reminiſcens: Dixit rex &c. Suppreſſo regali nomine, canamus Domino gratis: Dixit inimicus: *Perſequar* &c. Video (non ſanè timens) hoſtem non ceſſaturum ab hoc injuſto bello: nam intendens augeri de 11. malè partis, difficilè ceſſabit, quamvis punitus. fl. 10. n. 48. Sed animos erigamus ad futura certamina: ſpe conſtantes, dum gratias agimus de ſuſcepto beneficio. Spes 12. conjungenda gratiarum actioni. fl. 28. num. 38.

IN EXEQUIIS DYNASTÆ PUBLICIS FUNTIONIBUS ILLUSTRIS.

THEMA.

In fine hominis denudatio operum illius. Eccli. 11.

ARGUMENTUM.

In domo clausâ penitus luci diurnæ, noctu accenditur lucerna; patent multa, quæ fuerant per idem abſcondita.

Lir. in Eccli. 11. 29. AD verba thematis Liranus: In fine hominis, *id eſt in morte*, denundatio operum illius, *quia cogneſcuntur certiùs, quam ante*; &c. Pectoris noſtri domus judicio mortalium clauditur ita, quòd non ſolos actus internos alter haud perſpicit clarè; ſed etiam exteriores non intuetur perfectè; cum lateat illum quanam intentione fiant. Denique nox venit, & velut accenſo lumine, multoties aperiuntur laudabilia multa: de quibus firmam ſententiam proferre nequibant homines dum ejus, quem defunctum plangunt, vita permaneret, ſeu flueret.

Honorifica juſta perſolvimus egregii magnatis: qui Reipublicæ munia perfecit laudabiliter. Pro multis erat regi noſtro fidelis adminiſter: & fidelitas iſta peculiariter 1. viſebatur; in contemnendis periculis pro bono communi. fl. 11. n. 42. Forſan (ut ſolet) invida plebs, illo vivente, reputaret, eum per hæc bene geſta proprias utilitates aucupari. Per mortem invidiâ ceſſante, notiſſimum factum eſt oppoſitum. Præ oculis non habebat quod à principe 2. receptutus erat. Vide fl. 11. n. 44. Nequaquam præmia multa cupiebat ambitioſus; anhelus deſiderabat regis obſequio cumulare merita. Vir ſtrenuus aliquando plùs complacet in merito ſuo, quàm de præmio. 3. fl. 10. n. 22. Quis hoc antea crederet? Nullus ferè: ſed *in fine hominis denudatio operum illius.* In caliginoſâ domo potentis exiſtimantur ſæpius inveniri multa pretioſa, quæ ibi non ſunt: accenditur noctu lux; & corrigimus errorem noſtrum. Vitam appellamus diem; cui ſuccedit nox, &c.

Acceptiſſimus erat principi noſtro præclarus Heros Monarcha ſciebat, Reipublicæ negotia bene tractantes fore diligendos à ſupremo gubernatore quaſi partes 4. animæ ſuæ. fl. 40. n. 12. Quis non judicaret, ipſum de gratiâ regnantis exultatione multa perfundi? At is non oblivioni tradebat vitæ brevitatem, qua ſolum (ad ſummum) 5. durante, conſervatur ab optimate regius favor. Prudens felix non tantùm cogitat mortem ut futuram, ſed ut præſentem. fl. 22. n. 28. Unde quamvis inſignis vir exteriori facie lætus palatium frequentaret; pe- 6. ctore triſtia latebant. Sub riſu ſæpe latet in corde mæror. fl. 28. n. 42. Comœdiam vocamus vitam: in qua ſinguli perſonas agunt varias, indumentis, hoc eſt bonis externis diſtinctas. Finitur ſcena, deponuntur veſtes, & apparent ſæpius abſcondita. *In fine hominis* &c. Imaginamur in obſcurâ divitique domo plura pulcherrima ſigna lætitiæ; quæ, ſi lucem adhibeamus, non invenientur.

In primate noſtro demortuo non modicum decus eſt, quòd apud regni moderatorem non ſolùm vivus extitit, ſed adhuc mortuus eſt in pretio magno; quinimo 7. poſt obitum longe majori potitur appretiatione. Paſſim contingit, poſt fata notius eſſe quantû valeat vir commendabilis. fl. 29. 8. n. 56. Solitum eſt benemeriti viventis laudem taceri, de mortuo verò proferri falſam. fl. 37. n. 20. Non ſic in procere noſtro: qui veraciter collaudabatur vivens; & poſt interitum non falsò laudatur.

Populi commendationem promeruit ille primò, quoniam exercens ad regis nutum

varias

varias functiones, continuit manum potentem: nequaquam reputans dominari ſe populo; ſed principi miniſtrare. Mente retinebat, periculoſum eſſe, quòd regius miniſter habeatur ut regni dominus. fl. 40.
9. n. 47. Ipſius mentem iſta cogitantem plures fortaſſis aliter, cum inter vivos ageret, cenſebant: ſed *in fine hominis* &c. Accenditur lux; ac noſcuntur penetralia domus tenebroſæ.

Promeruit ſupradictam laudem ſecundò per laudabilem prudentiam: quæ primâ facie videri potuit aliquibus aſtutia. Quo non obſtante, prudentiam piorum uti ad bonum aſtutis mediis, quæ malis via ſunt
10. ad peccata, magnum quid eſt. fl. 22. n. 42. Nil refert erroneè judicari virum recto calle pergentem, cùm ſpectatores interpretantur ejus facta ſiniſtrè. *In fine hominis* &c. Defectu lucernæ diu judicabis in opaca domo fœda multa contineri: quod revocabis judicium, ſi nocturno tempore ſuccendas facem.

Promeruit os populi tertiò, quia non oppreſſit pauperes. Præcordiis retinebat quàm ſit magnum flagitium inferre miſero vim. fl. 3 .n. 40. Promeruit hocipſum quartò per largitatem prudentem; non autem prodigam, prout aliquibus mos eſt ſub titulo ficto liberalitatis. Recordabatur, multùm diſplicere Deo prodigalitatem pallio tectam virtutis. fl. 24. n. 9.



SYLLABUS DOCTRINÆ Sanctorum Patrum, & priſcorum Sapientum.

A

Aaron.

AARON aliquando figura Chriſti; aliquando præſulum eccleſiaſticorum. Radul. fl.9.n.24

Aaronis ſacerdotii præeminentia. Iſid. Hiſp. fl.19.n.52

Aaron figura Chriſti Domini. Iſych. ibidem.

Abdias.

Abdias prophetavit adverſus Idumæos. Theodoret. fl.29.n.61

Ablactatio.

Ablactationes tres diſtinguunt aliqui relati per Hug.Cardin.fl.16.n.31

Abraham.

Abraham ſperabat, filium reſurrecturum eſſe mox. Brun. Aſt.fl.18.n.63

Abraham cur petierit ſignum Geneſ. 15.8. Rupert. fl.19.n.94

Abrahæ obedientia. Chryſoſtom. fl.40.n.40

Abraham ſignificat Deum Patrem. Brun. ib.

Abraham quin offenderet fidem, dubitavit an verè naſciturus ei foret Iſaac. Cajetan. fl. 5.n.47

Abſalom.

Abſalomi auſus temerarius. Angelom. fl.22. n.31

De Abſalom vindictam ſumpſerunt inſenſibilia. Chryſoſt. fl. 25.n.58

Abſtinentia.

Vide *Adam. Corpus. Gula. Iejunium.*

Achab.

Achabi ſupplicium cur dilatum fuerit. Gloſſ. Ord. ex. Theodoret.fl.11.n.31

Achabi pœnitentia fuit ficta. Hug. Card. fl. 25.n.36

Vide *Iezabel.*

Actuum loca.

Act.4.34. Neque enim quiſquam egens &c. exponit Hug. Card.fl.6.n.15.

Act.3.8. Exiliens ſtetit,&c. Chryſoſt. fl.10. n.51

Act. 3.2. Claudus ex utero &c. quid ſignificet. Lir. fl.12.n.15

Ibid. porta Specioſa, quid? Hug. Card. ib.

Act.19.13. Adjuro vos &c. Chryſoſt. fl.12. n.25

Ib.n.15. Vos autem &c. Idem ib.

Act. 2.2. Vehementis &c. Hug. Card. fl.16. n.21

Act. 2.13. Muſto &c. Chryſoſt. fl.20.n.18

Vide *Ananias. Petrus.*

Adam.

Adam cupiit experiri rem, cum videret Hevam non fuiſſe mortuam, quamvis comediſſet. Auguſt. fl.5.n.33

Graviùs peccavit comedendo fructum prohibitum, quàm Heva. Ambroſ. ib.

Adamo quare Deus dixerit pulverem eſſe. Arnoldus. fl.12.n.17

Adam qualis ante culpam; & qualis poſt. Anaſt. Sinaï. ib.

Adæ miſerabilia verba, quibus excuſavit peccatum ſuum, digna provocare miſericordiam Dei. Chryſoſt. fl.12.n.37

Adamum decepit diabolus per mulierem. Rupert. fl.13.n.35

Eum non credidiſſe Hevæ, ſed paruiſſe ſociali neceſſitudine, noluiſſeque ab ejus conſortio dirimi nec in communione peccati, dixit Auguſt. ib.

Adæ inſipientia in abſcondendo ſe. Chryſoſt. fl.14.n.30

Adam in ſtatu innocentiæ princeps. Barceph. Severian. & Proſp. fl. 18.n.73

Contemptus abſtinentiæ quanta ei abſtulerit.Proſp. ib.

Adam aliquando ignoravit, ſe factum ex pulvere. Barceph. fl.22.n.21

Adamus culpam rejecit in mulierem. Chryſoſt. fl.22.n.59

Adæ caſum miratur Arnold. fl.24.n.52

Adam fugit medici manus. Cabaſil. fl.26.n.43.

Adæ locutus eſt intus diabolus ut ſuperbiret; aliter non tam facilè caderet. Rupert. fl.28. n.49

Adamum Deus quæſivit, ut ille ſeipſum inveniret, ac ſciret quid perdidiſſet, quid meruiſſet. Rupert. fl.32.n.52

Adæ timor dicitur perverſus à Ruperto. ib.

Adami principatûs magnitudo. Chryſoſt. fl. 33.n.29

Vide *Heres. Status innocentiæ.*

Adoleſcens Adoleſcentia.

Adoleſcentibus quàm utilia litterarum ſtudia. Maphe.fl.15.n.52

Quàm ſit amabilis juvenis caſtè ſobriéque vivens. Chryſoſt. fl.16. n.30

Adoleſcentiæ mala quædam. Ambroſ. fl.21. n.12.

Adoleſcentiâ nihil mobilius; ſenectute nihil inſidioſius. Petrar. fl.21.n.14

Adoleſcentiæ plerumque annexa eſt vanitatis amentia. Olympiod. ib.n.16

Adoleſcentia quàm ſit indomita ad cuſtodienda præcepta Dei & proclivis ad vitia. Remig. fl.21.n.20

Adoleſcentes credunt, ſe perventuros ad ſenectutem.

nectutem. Philipp.Solit.fl.22.n.16.
Adoleſcentes confidenter peccantes reprehendit.Smaragd.fl.26.n.35.
Juvenum levitas & vita. Nicola. ibid. num. 34
Adoleſcentium vana figmenta. Baſil. M.fl 26. n.37
In iuventute victa libido ſæpe redintegrat pugnam in ſenectute,ac vincit. Iſidor. Peluſ.ib.n.39
Adoleſcens, de quo Marc.10.17.erat ſuperbus, & acceſſit ut tentaret Dominum. Hieron.fl.33.n.37
Ipſe avarus extabat. Euthym.ib.
Flos ætatis dum loquimur areſcit. Juventus quàm ſit in periculo mortis. Petrar.fl.13. n.18
Vide *Societas.*
Adverſitas.
Adverſitate cogente, Deum nominamus; non ſic in proſperis. Lactant.fl.7.n.48.
Afflictæ animæ Deus adeſt. Nazianz. fl. 23. n.36
Caſtigatio eſt quid ſalutare. Euthym. fl.25. n.39
Afflictionibus gaudendum. Od. Clun. fl.23. n.44
In mediis triſtibus lætari mirabile quid eſt. Chryſoſt. ib.
Adverſitas quandoque ſignificatur per noctem Iſidor. Hiſpal. fl.28.n.18.
Mentes, quæ proſperitate mollirentur, adverſitatibus dureſcunt. Greg. Mag. fl. 28. num.50
Afflictionum reminiſci proficit ut molleſcat dura & inſenſibilis anima. Doroth. fl.32. num.42
Ad procellas & turbines mundi nulla ſit nobis trepidatio: imo nec ad mortem. Cyprian. fl.37.n.40
Tangunt animos ſubitæ res & inexpectatæ. Thucyd fl.39.n.56
Adverſitas aſſimilatur aquæ marinæ. Greg. Mag. fl.25.n.49
Vide *Anima. Hyems. Mundus. Peccator. Tribulatio.*
Adulatio. Adulator.
Adulatio depravat auditum. S. Anton. fl. 1. 42
Adulatio moleſta eſt. Iſidor. Peluſ. fl.4. num. 13.
Adulator laudat abſurdiſſima. Idem ib.
Adulatori non placet virtus. Sereſber. ibid. num.15
Adulatio ventus peſſimus, & valde nocivus. Bleſ.fl.4.n.16
Adulator peior corvo.Epicterus.ib.n.17
Adulationes velut peſtes animæ. Paulin. ibid. num.20
Feriunt vulnere dulci. Idem.ib.
Adulatio ſolet eſſe peccato alieno quod flammæ oleum. Ex Beda Zachar. fl. 4.n.21
Blandiri ut noceas,diaboli eſt. Chryſoſt. ibid. num.22
Adulatio vitiorum adjutrix.Tulli.ibid.
Adulationem conſequuntur perniciosæ amicitiæ. Claud. fl.12.n.42
Adulatur nemo pauperi. Ambroſ. fl.30.n,6
Adulatio quantùm moveat ad iniquitatem & impœnitentiam. Brun.Aſt. fl.30.n.6
Magis lædit deſides, quàm vituperatio.Chryſoſt.fl.29.n.24
Adulationes molliri videtur eſſe ignaviæ.Ambroſ.ibid.
Adulatores potentum reprehenduntur. Agapet.fl.40.n.18
Vide *Dives.*
Ægyptii. Ægyptus.
Ægyptiorum primogenitos diabolus percuſſit. Rupert.fl.n.14
Ægyptii mortui ſuper littus maris Rubri quid ſignificent. Lir.fl.7.n.23
Ægyptii interfecti per columnam in Rubro mari quid deſignent. Bed. ib.
Ægyptii ſignificant divites&potentes mundi. Anton. ib. n.51
Ægyptum Rupert. videtur intellexiſſe infernum. fl.18.n.27
Per Ægyptum Bed. accipit mundum. fl. 3. num.53
Ægyptii perſequentes Iſraelem, cum egreſſus eſſet ab Ægypto, ſignificant peccata.Idem. fl.33.n.45
Aer.
Vide *Deus.*
Æſtas.
Æſtas aliquando ſumitur pro proſperitate. Bleſ.fl.3.n.44
Ætas.
Vide *Senectus.*
Affliction.
Vide *Adverſitas. Felicitas. Fortitudo Mundus. Patientia. Tribulatio. Vita.*
Agar.
Agar quid ſignificet. Auguſt.fl.3.n.49
Aggæi loca.
Agg. 1. 6. In ſacculum pertuſum. Remig. fl. 16. n.68
Ibi n.9.Exſufflavi illud: Idem ib.
Agricultura.
Agricultura neceſſitas & utilitas. Iſidor.Peluſ. fl.16.n.2.
Aliena.
Vide *Cognitio ſui.*
Amalec.
Amalec ſignificat diabolum. Iſidor. Hiſpal. fl.3.n.14
Amana.
Vide *Canticorum loca.*
Ambitio.
Ambitio monet repere, ſuperbia volare: altera nidum, altera foveam parat. Bernard. fl.9.n.23
Feſtinatio quorumdam ut aſcendant. Seresber. ibid.
Ambitio omnium cauſa malorum, bene conſtituta conatur avertere. Iſidor. Peluſ.ibid. num.25
Ambitionis remedium eſt cogitatio judicii finalis. Laur. Juſt.fl.9.n.27
Miſerum eſt quòd ambiat homo promoveri, cum Chriſtus Dominus fugerit à regnando. Humber. ib.n.29
Affectantes dignitatem utinam rem conferrent cum eis, qui eas experti ſunt. Idem. ibid.
Ambitioſo nihil videtur difficile. Bleſ. fl. 40. num.59
Ambitio ſimia charitatis. Idem ib.

Ambroſius.

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Ambrosius.

Ambrosius laudatus à Bernardo. fl. 3. num. 46

Ambulare.

Ambulare quid significet. Eucher. fl. 30. num. 3.

Amans.

Amantis sollicitudo. Anonymus. fl. 19. num. 18

Vide *Amicitia. Amor. Anima. Amicitia. Amicus.*

Hostis familiaris maximum periculum. Petrar. fl. 2. n. 47

Amici falsi pertrahunt ad scelera : propter quæ post persequuntur atrocius, quàm cæteri. Incertus. ib.

Ad amicitiam quidam non sunt admittendi. Aelred. fl. 8. n. 41

Amicitiæ cum homine datur quidam gradus, ex quo transitur ad amicitiam cum Deo. Idem. fl. 13. n. 10

Amicitia spiritualis inter bonos oritur à similitudine morum & studiorum. Idem. ib.

Amicus veritatis est rectæ amator actionis. Greg. M. ib. n. 11

Amicus animæ custos dicitur apud eumdem. fl. 13. n. 11

Amicitia quædam datur inimica nimis. Augustib. n. 20

Amicitia præstetur peccatoribus à justo velut medicina eorum; non ut corruptio viri boni. Prosp. fl. 13. n. 20

Amicitia vera non datur nisi inter bonos. Aelred. ib. n. 28

Non amat hominem qui diligit iniquitatem. Incertus. fl. 13. n. 50

Amicitia vera & mutua non nisi inter virtuosos habetur. Carthus. ib. n. 51

Amicitia præferenda opibus, honoribus, potestatibus ; non tamen honestati. Ambros. fl. 14. n. 43

Amicus ad quæstum factus instabilis est : bona diligit, non hominem. Bles. fl. 16. n. 8

Amico reconciliato non fidendum sine formidine de opposito. Carthus. fl. 18. num. 18

Amicum explorat paupertas. Aelred. fl. 23. num. 48

Amicitia pauperis invidiâ vacat. Ambros. fl. 3. n. 3

Amicitiæ pretiositas. Idem. ib.

Amici, qui fiunt à mensa, viles. Chrysost. ibid.

Amicitiæ raritas. Petrar. fl. 30. n. 7. Seresber. ib. n. 18

Amici à socio disparitas. Isidor. Hispal. ibid.

Amicitia vera nascitur ex benevolentia ; ficta ex beneficio. Idem. 16. n. 20

Amici veri non lucri causâ diligunt : nec tempori serviunt ; aliter negotiatores sunt. Basil. Imperat. & Bles. fl. 30. n. 22

Amicitia vera fructus constituit in seipsâ suos; non in spe proventus. Bles. ib.

Amicum admissurus proba intentionem ejus ; ne mercatorem accipias pro amico. Bles. ib. n. 26

Amicitiæ pauperum solidiores. Idem fl. 30. n. 26

Amicus interdum non cognoscitur in absentiâ. Petrar. ibid. num. 28

Quidam putant, amico favendum esse in malis operibus. Aelred. fl. 30. n. 44

Amicorum raritas perantiqua est. Petrar. ib. num. 46

Amicitia corde radicatur, revelatur ore, comprobatur opere. Anton. ib.

Amicitia sequens marsupium, plena faude. Aelred. fl. 33

Amicus amico, frater fratri fidem non servat. Petr. Abb. ib.

Inter hostes aliquando tutior eris, quàm inter eos, qui videntur amici. Chrysost. ibid.

Vide *Adulatio. Amor. Benevolentia. Concordia. Consilium. Dives. Experientia. Lacrymæ. Pilatus. Propinquus. Societas.*

Amor.

Amor sui nimius causa peccatorum. Plato. fl. 1. n. 30

Amore peccans servus est peccati. Apud Zachariam. fl. 2. n. 51

Amor quidam passio animæ vocantis. Chrysost. fl. 3. n. 12

Amor humanus asperitatem habet mixtam dulcedini. Salvian. fl. 6. n. 20

Amor discretus amat personas, & persequitur vitia. Laur. Just. fl. 8 n. 49

Amor longas non sustinet moras. Thom. à Villano. fl. 10. n. 5

Infinitam esse virtutem odia vicisse beneficiis, dixit Valerian. fl. 16 n. 36

Amoris indicium dolor. Laur. Just. fl. 19. num. 83

Amorem conservat recordatio benignitatis dilecti. Perr. Cellen. fl. 19. n. 87

Quantus defectus amoris proximi reperiatur apud homines. Hierony. fl. 23. n. 40

Si vis amari, ama. Gers. fl. 25. n. 27

Amor sui oculatus est ad aliqua ; ad alia cœcus. Etmund. fl. 26. n. 31

Amor hominum est occultum odium Dei. Bles. fl. 29. n. 40

Amor inflammatus in Deum fortis est in amittendis, & non appetendis temporalibus. Augustin. fl. 31. n. 1

Nihil est tam ferreum, quod non amoris igne vincatur. Idem ib.

Amor erga Deum, res pretiosa. Thom. à Villano. fl. 38. 26

Amor erga Deum est magnum præmium justi. Leo. ib. n. 48

Vide *Anima. Dives. Homo. Pater.*

Amos.

Amos 5. 16. Vocabunt agricolam &c. Rupert. fl. 25. n. 32

Ananias.

Ananias Act. 5. punitus est, quia sectatus vanam gloriam; mentitus est Spiritui sancto. Hierony. fl. 4. n. 74

S. Andreas.

S. Andreas minor ætate Petro annunciavit ei de Christo invento. Zachar. 11. n. 21

Vide *Ioannes Baptista. Petrus.*

Angeli.

Cur locuti Apostolis Ascensionis die. Bed. fl. 18. n. 82

Angeli adoraverunt Christum Dominum post tentationes diaboli. Druthmar. fl. 11. num. 15

Angeli

& priſcorum Sapientum.

Angeli quare miſſi fuerint ad Apoſtolos, in die Aſcenſionis. Fulgent. ſl. 12. n. 27

Angeli adminiculantur humanæ ſaluti. Victor Antioch. ſl. 29. n. 14

Curant ignorantias noſtras. Cyrill. Jeroſolym. ib.

Angelis placet labor humanus ille, cujus intentio eſt ſpiritualis. Bernard. ibid. num. 38

Angelus, qui apparuit mulieribus die Reſurrectionis deſcribitur à Gregor. Niſſe. ſl. 29. num. 69

Non venit ut aperiret ſepulchrum; ſed poſtquam Dominus reſurrexit. Hieron. ib.

Angeli diligunt nos propter ſe: quia ſuæ civitatis excidium ſubſtitutis nobis reparandum. Bleſ. ſl. 30. n. 28. De amore Angelorum vide Ber. ſl. 14. n. 43

Angeli ſuſtinent patienter injurias, quas inferimus eis, dum illorum cuſtodiæ refragamur: & læſi mitiùs compatiuntur nobis. Petr. Comeſt. ib.

Nobis amiciſſimi. Thom. à Villano. ibid. num. 32

Angelorum Laudes. Mich. Synſell. ib.

Angelus non excuſſit totam flammam fornacis Babylonicæ. Carthuſ. ſl. 30. num. 33

Angelorum tutela erga animas egredientis à corpore Vincent. Ferrar. ib. n. 34

Angelorum auxilium circa animam tentationibus impugnatam. Nil. ib. n. 30

Angeli nos diligunt, quia catelli ſumus Domini. Bernard. ſl. 30. n. 36

Angeli dicuntur domini noſtri ab eodem. ibid.

Angeli aſtiterunt Chriſto Domino crucifixo. Cellenſ. ſl. 33. n. 30

Angelus non tam ad conſolationem Danielis, quàm Habacuc detulit iſtum ferentem prandium in Babylonem. Carthuſ. ſl. 36. n. 52

Vide *Chriſtus Dominus. Danielis loca. Gabriel. Ioannis loca. Matth. loca. Pœnitens. Piſcina. Puſillus. Raphael.*

Anima.

Animæ ſenſus myſtici. Baſil. Mag. ſl. 1. num. 40

Animæ damna non lugemus. Chryſoſt. ſl. 2. num. 8

Anima revertere cupiens ad Deum non eſt omnino relicta. Bernard. ib. n. 30

Anima quantum diligat carcerem corporis. Caſſiod ſl. 7. n. 8

De morbis corporis plùs agimus, quàm de morbis animæ. Chryſoſt. ſl. 10. n. 50

Anima juxta diverſa munia ſortitur varia nomina. Iſidor. Hiſpal. ſl. 18. n. 6

Anima pia & ſancta ſignificatur per vas, in quo ſervabatur manna. Cyrill. Alexand ib. n. 55

Duo loca ſunt in anima, in quibus Dominus poteſt habitare: intellectus & affectus. Hug. Card ib. n. 103

Anima ſurgit & aperit Sponſo. Gregor. Hyſſen. ſl. 20. n. 38

Anima fit virgo fide, ſpe, & charitate. Auguſt. ib n. 56

Anima temporalibus dedicta multa quærit, & in nullo quieſcit. Laur. Juſt. ib. n. 63

Animæ languor ſpiritualis ex amore. Hug. Gard. ſl. 21. n. 33

Animæ dictæ ſunt à quibuſdam idola corporum. Nicet. ſl. 23. n. 9

Anima redditur à peccatis veluti craſſa & adverſitate attenuatur. Euthymi. ibid. num. 39

Anima Deum valde amans; ſuper omnem carnificinam libera volitat. Auguſt. ſl. 31. num. 2

Mentis noſtræ ædificium ſuſtinent prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia. Gregor. Mag. ſl. 32. n. 7

Animæ pulchritudo gemina, innocentia & humilitas. Bernard. ib. n. 35

Animæ ſunt quodammodo ſenſus. Ambroſ. ib. n. 43. & Laur. Juſt. ſl. 35. n. 37

Anima geſtit evadere corporis ergaſtulum. Ambroſ. ſl. 37. n. 38

Animæ ſitis de gloria. Nyſſen. ibid. num. 44

Anima, quæ ſe non liberavit à mundi curis, non poteſt perfectè vel Deum amare, vel diabolum odiſſe. Guigo. ib. n. 54

Anima juſti ſedes ſapientiæ. Paſchas. ſl. 38. num. 4

Vide *Adverſitas. Comedere Corpus. Lacrymæ. Mors. Paradiſus. Peccator. Pulchritudo Societas. Vultus.*

Animalia.

Animalia quattuor Apoc. quomodo ex licet Anton. ſl. 15. n. 45

Animalium brutorum cum de ſeipſis movere nos poteſt ad ſollicitudinem ſalutis. Baſil. Mag. ſl. 28. n. 14

Exemplum formicæ nos inducere valet ut agamus de recondendo pro futuro ſæculo. Idem. ib.

Animus.

Vide *Virtus.*

Anna.

Mater Samuelis quo ſenſu dedicaverit ſpiritualiter ſeipſum templo. Chryſoſt. ſl. 16. n. 31

Anni.

Vide *Vita.*

S. Antonius Eremita.

Dicitur pellicanus à Brun. Aſt. ſl. 15. num. 17

Mortem lætus aſpexit, & prope illam vidit Angelos. Athanaſ. ſl. 37. n. 36

Apis.

Apum induſtria. Ambroſ. 3. n. 17

Vide *Sapientia. Virginitas.*

Apocalyſis loca.

Apoc. 14. centum quadraginta quattuor millia quid ſignificent. Bed. ſl. 4. n. 38

Apoc. 22. 20. Etiam &c. Andreas Cæſar. ſl. 10. n. 6. & Rupert. ib.

Cap. 22. 2. Et folia ligni &c. Andr. Cæſar. ſl. 10. n. 15.

Cap. 6. 4. Equus rufus &c. Brun. Aſtenſ. ibid. num. 18

Cap. 19. 11. Equus albus &c. Anſel. & Primaſ. ib. n. 21

Ibidem n. 14. Et exercitus &c. Anſbert. ib.

Cap. 1. n. 3. Teſtis fidelis &c. Idem. ſl. 11. num. 43

Cap. 19. n. 3. Et fumus &c. Aribert. ſl. 14. num. 19

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Cap. 5. 8. Citharas, & phialas aureas &c. Andr. Cæsar. & Ansel. fl. 15. n. 22
Cap. 4. n. 10. Seniores quid significent. Hug. Card. fl. 15. n. 45
Cap. 6. 12. Sol sicut saccus &c. Od. Clun. ibid. num. 57
Cap. 22. n. 16. Stella & Brun. Astens. fl. 19. num. 15
Cap. 1. 17. Cecidi &c Ansbert. ib. n. 32
Cap. 11. Non lædetur à morte secunda, &c. Ansbert. fl. 24. n. 8
Cap. 5. n. 5. Vicit &c. Rupert. & Hug. Card. fl. 32. n. 50
Ibidem. n. 6. In medio seniorum &c. Hug. Card. ibid.
Cap. 5. 4. Ego flebam &c. Primas. fl. 32. num. 50
Cap. 12. n. 10. Potestas Christis ejus: Hug. Card. fl. 33. n. 41
Cap. 19. n. 12. diademata quid significent. Brun. Ast. ib. n. 49
Cap. 3. n. 15. calidus & frigidus quomodo intelligantur. Greg. Mag. fl. 35. n. 18
Ibidem. n. 16. Incipiam te evomere &c. Abb. Daniel. ib.
Cap. 16. 8. Æstus & ignis quid. Ansbert. ibid. num. 53
Cap. 5. Aperire librum quid significet. Rupert. Ind. Conc. ser. fer. 5. in Cœna Dom.
Vide *Animalia. Fumus.*

Apostoli.

Apostolorum oculi in horto opprimebantur negatione vicinâ. Bed. fl. 5. n. 37
Apostoli decem inviderunt duobus, qui sedes desideraverunt. Euthym. fl. 8. n. 18
Apostoli duo submiserunt matrem, ut sedes postularet pro eis. Idem. ib.
Apostoli erant velut præfecti circum regem, ac stellæ cursum facientes cum sole. Isidor. Pelus. fl. 10. n. 16
Apostolos humiliter natos & illitteratos cur elegerit Christus Dominus. August. fl. ib. n. 51
Apostoli Matth. 26. n. 22. contristati sunt: timentes, ne forent ipsi tradituri Magistrum. Leo Pap. fl. 18. n. 91
Tempestas Matth. n. 8. 24. solam naviculam, in qua erant Apostoli, quassabat. Bed. fl. 23. n. 37
Navis illa significavit Ecclesiam. Chrysolog. ib.
Apostoli in cœnaculo non plenè cognoscebant Magistri disciplinam circa humilitatem. Rupert. fl. 27. n. 16
Tempestas, in qua laborabant apud Matthæum, significavit sæculi motus. Hilar. fl. 29. n. 25
Vide *Angeli. Christus Dominus. Filii Zebed. Paulus. Spiritus sanctus.*

Aqua.

Aqua significat populos. Grg. Mag. fl. 28. n. 34
Vide *Justus.*

Aquila.

Aquilam dicitur probare pullos ad solem. Refert Ambros. fl. 18. n. 48
Aquila significat Deum in Deuteronomio. Radul. fl. 19. n. 103
Vide *Avis.*

Aquilo.

Vide *Peccator.*

Arca.

Vide *Justus.*

Arma spiritualia.

Vide *Virtus.*

Armiger.

Armiger, qui se necavit mortuo Saule, fuit Doeg. Ex Hieronymo Glos. Ord. fl. 11. n. 37

Assuerus.

Vide *Christus Dominus.*

Astutia.

Astutia quæ sit bona, quæ mala. Basil. Mag. fl. 1. n. 52
Astutia sæpe sumitur in bonam partem. August. fl. 28. n. 10
Vide *Prudentia.*

Athenienses.

Athenienses doctos convertit Paulus disputatione simplici. Ambros. fl. 29. n. 53

Avaritia avarus.

Avaritiæ conflictus cum pigritiâ, ex August fl. 3. n. 23
Avarus comparatur vulturi, cum reservat filiis. Anton. fl. 6. n. 5
Avarus est idololatra. Remig. ib. n. 8
Avari quærentes plura, & vix audentes uti possessis, sunt quasi pauperes. Carthus. ib. n. 24
Aurum sepultum apud avarum est simile reliquæ terræ. Apud Cassiod. ibid.
Avaros comparat hydropicis Plato. fl. 6. num. 26
Avaritia non quiescit: contemnit omnem castigationem: est morbus insanabilis. Isidor. Pelus. ibid.
Avarus rapax peior est latrone. Chrysost. ibid. n. 28
Avarus cunctis fastidio est. Idem. ibid.
Avarus, cæcus. Laur. Just. fl. 6. n. 48
Avaritiam sequitur diffidentia divinæ providentiæ; timor anxius paupertatis. Idem. ib.
Avaritiæ obedientia nihil inconcussum dimittit. Pecuniæ amori vilis est omnis affectus. Laur. Just. fl. 7. n. 54
Avarus ubi multa acquisivit, plura cupit, nunquam sibi terminum statuens. Basil. Mag. fl. 9. n. 2
Fœnus pecuniæ, funus est animæ. Tristia sunt hæc incrementa. Leo Pap. ibid. n. 3.
Avarus hydropico similis. Incertus. ib.
Ne misceantur divitiæ lacrymis alienis, quibus consumentur. Nazianz. fl. 9. n. 4
Avari divitiæ, quasi aqua putei, quæ non hauritur. Anton. ib. n. 10
Avaritia comparatur fluvio. Ambros. ib. num. 13
Avarus nescit amare se. Columban. fl. 9. num. 17
Avarus similis volucribus carnivoris. ib. num. 15
Avarus quodammodò exhibet pecuniæ fidem, spem, & amorem. Incertus. fl. 9. n. 21
Avari deveniunt ad inopiam. Cyprian. ib. n. 47
Avari dant sibi pœnam. Chrysost. ib. n. 49
Avaritia invida, vilis, extenuat affectu quod censu abundat. fl. 9. n. 50
Avarus fodit cisternam dissipatam. Hug. Car. ibid. n. 60

Avaritia morbus permanens in varias, & hærens viſceribus. Tull. 10. n. 48
Avaritiæ impudentia, & quòd ſit diſſenſionum cauſa: ac de aliis avari qualitatibus. Theophil. fl. 15. n. 2
Avaritia quorundam ſenum notatur. Bleſ. ibid. num. 6
Avarus alienorum cuſtos, ſe redigit in ſaccum: parat aliis; negat ſibi. Chryſol. ibid. n. 7.
Avari quidam crudéliores contra ſe, quàm unus hoſtis adversùs alterum. Salvian. fl. 16. num. 9
Multi inhiantes ad habenda plura, perdiderunt neceſſaria. Iſidor. Peluſ. ib. n. 60
Avarus, lucri cupidus, etiam pro exiguo ſpiritualiter perire non metuit. Leo Pa. fl. 18. n. 8
Nullum juſtitiæ veſtigium eſt in corde, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum. Idem. ibid.
Cupiditas eſt ſimilis igni: creſcit injecto pabulo. Incertus. ib. n. 9
Avarus nemini fidelis, aut amore dignus. Sereſber. fl. 24. n. 59
Vide *Bona temporalia. Cupiditas. Divitiæ. Prodigus.*

Audacia.

Vide *Pudor.*

Audire.

Vide *Memoria. Veritas.*

Auditor.

Auditor intelligens felicitas ac lætitia dicentis eſt. Hieron. fl 38. n. 20
Auditores quidam notantur. Idem. n. 30

Auguſtinus.

Auguſtinum ferè omnium Religionum fundatorem appellat S. Thom. à Villano. fl. 15 num. 21.
Auguſtinus quantum reverentiæ detulerit Hieronymo. Auguſt. fl. 28. n. 55.
Auguſtini humilitas circa ſapientiam. Idem. fl. 38. n. 56

Avis.

Avis quædam colligit pullos aquilæ projectos. Ambroſ. fl. 19. n. 103

Aulicus.

Aulicus, qui non nimis diù ſectatur aulam, plurimùm ſapit. Apud Sylvium. fl. 4. num. 6
Vide *Adulatio. Ambitio.*

Aures.

Aures cordis. Greg. Mag. fl. 14
Auris ſignificat obedientiam. Eucher. ibid. n. 13. & Baſil. Mag. ib. n. 40
Homo ſurdeſcit dum audit. Hierony. fl. 1. num. 42
Vide *Adulatio. Auditor. Detractio. Surdus.*

Aurum.

Quòd ſit origo malorum. Maphe. fl. 9. num. 43

Auxilium.

Vide *Superbia.*

B.

Beatitudo.

Beatitudinis voluptates deſcribit Maphe. fl. 25. num. 5
Ad beatitudinem aſcenditur per ſcalam humilitatis, paupertatis, Dominicæque paſſionis. Anton. fl. 32. n. 10
Vide *Mundus Peccator.*

Bellum.

Belli duces aliquot, ne videantur ſequi aliena conſilia, amplectuntur ſua duriora. Paul. Jov. fl. 8. n. 3
A bello ſpirituali nemo inmmunis. Laur. Juſt. 19. n. 103
Vide *Vita.*

Benedictini.

Benedictina regula laudatur: & qualiter conformetur vitæ S. Benedicti. Gregor. Mag. fl. 15. n. 31

Benedictio.

Benedictiones Dei mutare in maledictionem quid ſit juxta Hieronymum. fl. 21. n. 18

Beneficium.

Beneficium aliquando lateat ſuſcipientem. Senec. fl. 7. n. 28. præſertim, ſi recipientem pudet. Idem. ib. n. 32
In donis attendendum quid, cui, quando, quare, ubi, &c. Idem fl. 14. n. 59.
Beneficium reddendum eſt attendendo ad circumſtantias loci ac temporis. Senec. fl. 19. n. 109
Quædam negare beneficium eſt. Idem ibid. n. 111
Vide *Amor. Eleemoſyna Ingratus. Inimicus. Miſericordia. Patientia. Pauper.*

Benevolentia.

Benevolentia in conſiliis fidelis, in proſperis læta, in triſtibus mœſta. Ambroſ. fl. 13. num. 16

S. Bernardus.

Fertur quòd flagellabat ſe poſt quam prædicabat. Hug. Card. fl. 38. n. 34

Bona ſpiritualia.

Vide *Bona temporalia. Juſtus. Virtus.*

Bona temporalia.

Bonorum temporalium fugies illecebram conſiderans labilitatem ipſorum. Nil. fl. n. 9
Res corporalis animam non poteſt implere. Sereſber. ib. n. 13
Bonorum temporalium inconſtantia. Chryſoſt. ib. n. 62
Reſiliunt priuſquam adveniant. Idem ibid.
Bona temporalia deſpiciens & habens premit ea ſub dominio mentis: ſi verò nimiè diligit, ſupponit ſe illis. Greg. Mag. fl. 6. num. 72
Bona temporalia petantur à Deo moderatè. Non quæras longum viaticum vitæ brevi. Ambroſ. fl. n. 59
Bonorum temporalium ſectatores, & eorum laborioſæ curæ explicantur exemplo puerorum. Thom. à Villano. fl. 10. n. 29
Bona temporalia non habita deſiderantur; habita faſtidiuntur. Idem ex Gregorio. M. ib. num. 42
Anima pauper divitis eſt domus ornata nudi. Chryſoſt. ib. n. 44
Bona futura prætereunt juſto. Ambroſ. fl. 10 num. 46
Quæ ſuperflua ſunt, putamus neceſſaria; & econtra. Chryſoſt. ib. 50
Eâ ſola poſſeſſio eſt, quæ non ſubeſt humanis tempeſtatibus. Ambroſ. ib. n. 52
Pecuniæ curam ſi projecerit homo in Deum;

& illam, & filios in omni ſecuritate conſtituet. Chryſoſt. fl. 15.n.1
Pecuniæ imperare oportet; non ſervire. Martin ib.n.7
Bona temporalia negligamus, & cæleſtia ſemper cogitemus Columban. fl.16 n.20
Demens eſt qui volvitur in undâ vita præſentis; & ibi pedem figere vult. Greg. Mag fl.26.n.37
Bona temporalia non fallant nos quia jucunda; ſed ſuſpecta nobis ſint, quia ſectatorem ſuum ſpecie capiunt, voluptate perdunt, celeritate deſtituunt. Incert. fl. 28. num.44
Ea faſtidimus præ deſiderio æternitatis. Aug. fl.31.n.4
Quædam vix aliter quàm perdendo cognoſcimus. Petrar.fl.35.n.47
Stupendum quòd nos plus alliciat labor, quàm requies; mors, quàm vita. Laur. Juſt.ib.n.47
Bona mundi tranſeunt quaſi fluenta. Ambroſ. fl.37 n.52
De adverſis in proſpera, & econtra vertitur homo varietate ſcenicâ. Damian.ib.n.52. & ib. n.54
Vide *Avaritia. Cupiditas. Euchariſtia. Juſtus. Mundus. Pecunia. Prodigus. Quies. Senſus. Somnus. Spes. Virtus. Vita.*

C.

Cæcitas. Cæcus.

Cæcitas hominis miſera. Campan. fl.20. num. 43
Peccata propria latent hominem; aliena patent eidem. Maph. ib.
Vide *Chriſtus Dominus. Doctor. Homo.*

Cain.

Cain impudentia, cùm Deo reſpondit. *Neſcio.* Chryſoſto.fl.12.n.37
Ejus magna pœna privatio fructuum. Idem ibid.
Cain cur occiderit fratrem. Greg. Mag.fl. 24. num. 50
Putavit, homicidium ſuum latere Deum. Incert. fl.38.n.28
Caini quædam epicteta mala. Proſp.ib.

Caiphas.

Caiphæ linguâ Deus fuit uſus; quamvis gratia Spiritus pollutum ejus cor non attigerit Theophylact.fl.29.n.23

Callidus.

Callidus quis dicatur. Iſid. Hiſpal. fl. 22. num. 4
Callidi proprietates quædam. Marc. Exercit. fl.22.n.42

Calumnia. Calumniator.

Calumnia graviſſimum quid eſt: deſperationemque ſæpe immittit in puſillanimes. Euthym. fl.4.n.67
Calumniator tribus nocet; ſed calumniâ affectus damnificatur minùs, quàm alii duo. Baſil. Mag. ib.n. 83
Calumnia eſt quid diabolicum. Antioch. fl.7. num.14
Calumnia gravior eſt, quia piè geſta decolorat. Ambroſ.ib.
Calumniæ mala quædam. Thaumat. fl.13.n.29
Vide *Diabolus.*

Cana.

Vide *Chriſtus Dominus. Maria.*

Canticorum loca.

Cant. 1.n.2.& 3. S. Bernard. fl.10.n.10
Cap. 2.num.2. Sicut lilium &c. Idem fl. 14 num.24
Cap. 5. num. 14. Manus &c. Incert. & Anſel. fl.16.n.13
Cap.4.n.8 De capite &c. Angelon. & Gloſſ. Ord.ib.n.59
Quid Libanus ibi ſignificet. Honor. ib.
Cap. 2.n.4. Cellam vinariam, &c. Bernard. fl. 18.n.95
Cap 5.n.1. Comedite &c Micha. Pſell. ibid. num.101
Ibidem n.2, Guttis noctium. Idem ib.
Ibi n. 3. Lavi pedes &c. Angelom.ib.
Cap.1.n.14. Ecce tu pulchra es &c. Rupert.fl. 19.n.13
Cap. 4.n.1. Oculi tui &c. Nyſſen.ib.
Cap.6.n.9. Quaſi aurora &c. Rupert. ibid. num.15
Cap.4.n.12. Fons &c. Idem & Gilbert. ibid. num.19
Cap. 1.n.6. Indica mihi &c. & n.7. Si ignoras &c. Anſel. & Rupert. fl. 19.n.23
Cap. 4.n.12. Hortus &c. Hug. Card. ib. n. 25
Cap. 4.n.7. Tota &c. Gilbert. & Idio. ib.n. 21
Ibidem n.8. Veni coronaberis &c. Greg. Mag. fl.19.n.31
Cap.7.n.2. Acervus &c. Ambroſ. ib.n.48
Cap. 6.n.9. Ut Luna, &c. Rupert. ib.n.50
Cap. 1.n.4. Nigra ſum, &c. Bernard. fl.27. n.27
Cap. 1.n.3. In cellaria ſua: &c. Appon. fl.28. n.9
Cap. 5. n. 7. Cuſtodes ibi quid ſignificent. Angelom. fl. 31.n.40
Sponſæ tremor quid ibi n.4. ſignificet. Idem ibid.
Cap. 7.num. 8. In palmam, &c. Bleſ. fl. 33. n.31
Cap.1.num. 15. Lectulus &c. Angelom. ibid. num 31
Cap. 3. n.11. In diademate, &c. Bernard. ib. num.49
Cap. 2. n.12. Tempus putationis &c. Appon. fl.35.n.26
Ibidem n.13. Vineæ florentes &c. Brun. Aſt. ibid.
Ibi ad putationem invitatur ſponſa. Bernard.ibid.
Cap.3.n.6 Aſcendit per deſertum, &c. Brun. Aſt.fl.35.n.38
Ibidem ſomnus ſponſæ quid. Idem ib.
Cap.5.n.16. Guttur &c. Lucas Abb. fl. 37. num.54

Carmelita.

Carmelitis filiis prophetarum urbes videbantur carceres; & ſolitudo paradiſus. Incert. fl. 16.n.22
Vide *Elias.*

Caro.

Caro famula animæ. Eucher. fl.3.n.6
Carnis etymologia deducitur à Cado. Anton. fl.31.n.15

Carnis tentatio quàm horrida & abominabilis. Idem ibid.
Carnis cum equo feroci ſimilitudo. Philipp. Solit. fl. 31. n. 16
Caro nunc oppugnat animam; nunc adjuvat. Idem ibid.
Vide *Voluntas. Voluptas.*

Caſtitas.

Caſtitas pugnax. Fulgent. fl. 2. n. 16
Eliſeus propter virginitatem, fretus Eliæ manto lote diviſit Jordanem. Alhelm. fl. 16. n. 33
Caſtitatis certamen durum; ac triumphus glorioſus. Laur. Juſt. fl. 29 n. 42
Vide *Virgines.*

Charitas.

Charitas metuit ne perdat juſtus dulcedinem, quam deguſtat. Dorothe. Abb. fl. 5. num. 12
Charitatis ardor jam non eſt in mundo. Thom. à Villano. fl. 7. n. 58
Charitas eſt anima reliquarum virtutum. Cæſar. Arelat. fl. 8. n. 44
Charitatis proximi officium potiſſimum eſt ſalutem ſpiritualem illius quærere. Petr. Abb. fl. 16. n. 10
Charitatis quædam ſigna ſenſibilia. Iſaac Syrus. ib. n. 58
Chriſtas dimicat ut vincat in bono mala. Paſchaſ. fl. 21. 39
Juſtus quaſi ſuam putat fratris ærumnam. Ambroſ. fl. 29. n. 66
Charitatem oportet jungi patientiæ & ſpei. Bernard. fl. 34. n. 15
Charitas non movetur ſpe, nec timore urgetur. Idem ibid.
Vide *Amor. Geneſ. loca. Humilis. Invidus Juſtus. Lacrymæ. Reprehendere. Timor. Verecundia.*

Chriſtus Dominus.

Chriſtus Dominus non omnibus dat omnia. Ambroſ. fl. 3. n. 58
Ejus reſurrectionem agnoverunt cuſtodes ſepulchri. Rupert. fl. 4. num. 36
Illius ſtudium circa inſtruendum cæcum à nativitate. Thom. fl. 4. n. 62
Quid ſignificet locus, in quo Chriſtus oravit proximus comprehenſioni. Ex Beda Zachar. fl. 10. n. 17.
Quare Patrem oraturus tres aſſumpſit Apoſtolos? Thom. & Carthus. ib.
Super Chriſtum Dominum in Jordane venit Spiritus ſanctus, quia putabatur unus è vulgo: & ideo vox Patris inſonuit. Chryſoſt. fl. 11. n. 15
Chriſtus Dominus cognatus noſter propter carnem & ſanguinem. Idem. fl. 12. n. 19
Tributum ſolvit Cæſari, ut omnem impleret juſtitiam. Hieronym. ib. n. 53
Eſt viva lex: legatus Patris: verbis & exemplo ſeminavit verum ac pium cultum. Firmian. fl. 13. n. 31
Vocans Judam diabolum incuſſit metum aliis. Chryſoſt. ib. n. 49
Chriſti Domini liberalitas. Hieron. fl. 14. n. 50
Chriſti teſtamentum in cruce. Ambroſ. fl. 15. num. 33
Chriſtum natum celebraverunt Angeli. Incert. ib. n. 49
Eo patiente cur fuerit ſol obſcuratus. Hieron. fl. 15. n. 37
Bajulantis crucem ſpectaculum grande. Aug. ibid.
Quare ploraverit ſuper Jeruſalem. Theophilac. fl. 16. n. 37
Chriſti humilitas. Ambroſ. Aug. & Laur. hiſt. ibid. num. 45
Chriſtus Dominus in præſepio poſitus paſtorem populorum, pabulumque ſe conteſtatus eſt. Incert. fl. 17. n. 17
Ejus recens nati exinanitione visâ, intolerabilis impudentia eſt hominem tumeſcere Bernard. ib.
Cur acriter Petrum reprehenderit, cum vulneravit Malchum. Chryſoſt. ib. n. 19
Cum ſecundò venit in horto ad Apoſtolos, ut redargueret venit; ſed non tunc eos redarguit. Idem. ib.
Cur ibidem in primo adventu ſpecialiter Petrum reprehendit de dormitione. Humbert. ibid.
Chriſti ſpiritualia dona vocat alas Theodore. fl. 18. n. 93
Chriſtum teneat hoſpitem qui vult agnoſcere Salvatorem. Aug. fl. 18. n. 104
Chriſtus Dominus quare ſe dicat in Apoc. ſtellam matutinam. Brun. Aſt. fl. 19. num. 15
Se puerum exhibuit, ut provocaret amorem. Guarric. ib. n. 20
Figurabatur per Jacob dormientem; & in ſenſu ſpirituali innitebatur ſcalæ. Aug. ibid. n. 9
Chriſti humilitas exhibita in die Purificationis Virginis. Elig. fl. 19. n. 32
Chriſtus donabat eleemoſynas. Aug. ibid. num. 35
Chriſti humilitas ex cordis affectione. Bernard. ib. n. 38
Cur in Jordane vox inſonuerit, & columba venerit. Baſil. Seleuc. fl. 19. n. 39
Chriſti Domini ſacerdotii excellentia. Radulph. ib. n. 51
Chriſti miraculum in nuptiis Cana metro deſcribit Sedulius. fl. 19. n. 56
Chriſto Domino præſente in limbo, feſtus ibi dies. German. 16. n. 81
Cum Chriſto aſcendamus corde. Aug. fl. 22. num. 41
Chriſtus oſtendendo cicatrices vulnerum Thomam ſanavit. Greg. M. fl. 23. num. 17.
Quare Matth. 8. n. 24. dormiebat. Chryſoſt. ibid. n. 37
Non legitur in Evangeliis quòd riſerit. Baſil. M. fl. 25. n. 2
Figuratus per Iſaac. Clem. Alex. ibid. num. 30
Flevit ſuper civitatem: quæ eò magis plangenda erat, quo ſe minimè flebilem agnoſcebat. Laur. Juſt. ibid. num. 34
Fuit à diabolo tentatus ad peccandum. Thom. à Villano. fl. 26. n. 14

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum.

Christi Domini incomparabilis amicitia, incomprehensibilis patientia. Goffrid. 28.n. 12

Ejus humilitas fuit inclinatio miserationis; non evacuatio potestatis. Agobard. ib. n.30

Christus Dominus figuratus est per Isaac & Moysen. Anastas.. Sinaï. ib.n.31

Dicitur, Oriens. Eucher. fl.28.n.36

Quia Deus & homo nascitur, hominibus pax, & Deo gloria canitur. Bed. ib. n.37

Christus Dominus sanans auriculam Malchi nos erudivit ut in persecutores essemus benefici. Chrysost. fl.29.n.8

Christum Dominum qui Joan. 7. voluerunt comprehendere sapientes erant: & eorum sapientia admiranda quòd signis non egerunt; sed crediderunt soli doctrinæ. Idem ib.n.21

Christus Dominus certavit; nobis autem victoriam contulit, & coronam. Idem & Athanas. ib.n.31

Christum Dominum in triúmpho Jerosolymitano laudari tulerunt ægrè Pharisæi. Theophylact. & Leo Imper. fl.29.n.59

Christus stravit comprehensores verbo. Leo Pa.& Cyrill.Alex.fl.30.n.65

Resurrexit horâ nulli hominum cognitâ. Hieron.fl.29.n.69

Habebat in vultu quiddam sidereum: prostravit splendore vultus comprehensores. Idem ib.

Fons est vitæ. Ambros. fl.32.n.9

Humiliavit se ut disceres quid sit humilitas. Idem ib.

Quare fugerit in Ægyptum. Rupert. ib.n. 10

In die Circumcisionis apparuit peccator: & in die Purificationis, servus. Thom. à Villano. fl.32.n.10

Significatus per Assuerum. Hug. Card. ib. n.38

Eripuit à dæmonibus homines, quibus dominabantur. Ansel. fl.33.n.29

In cruce consociavit regnum mundi regno cœlesti. Cellen. ib.n.30

Emit servos malos. Chrysost. ib.n.32

Ambulans super aquam quid significet. Bed. fl.33.n.45

Christi pueri cultus interior, atque dilectio suadetur. Laur. Just. fl.38.n.26

Christi vestis quid. Bed. fl.15 n.57

Erga Christum infantem devotio. Bern. fl. 38.n.26

Vide *Aaron. Angeli. Apostolus. Beatitudo. Crux. David. Deus. Dives. Elias. Eucharistia. Heres. Humilis. Ioseph. Iudas. Maria. Mundus. Patientia. Pauper. Sol. Titulus. Tribulatio. Tributum.*

Christiani.

Christiani quomodo significati fuerunt in casu maris Rubri. Bed. fl. 33.n.45

Vide *Humilitas. Iacob. Iustus.*

Cibus.

Cibus hominis ante peccatum fuerunt olera, & arborum fructus. Orig. fl.32.n.39

Vide. *Comedere.*

Citharæ.

Vide *Apocalypsis loca.*

Claudus.

Claudus, de quo Act. 3.n.2. quid significet. Lir.fl.12.n.15

Cogitatio.

Cogitationi malæ si priùs resistimus, in lapsum operis non incurrimus. Smarag. fl.2. n.59

Cogitatio una valet aliquando separare hominem à Deo. Doroth. fl.10.n.11

Cognati.

Vide *Pauper. Propinqui.*

Cognitio.

Cognitio sine operatione nihil differt ab imaginatione. Maxim. fl.32.n.46

Cognitio sui.

Vires propriæ ponderandæ sunt. Nil .fl.22. n.1

Cogita qualis es, qualis fuisti, & qualis eris. Edmund. ib.n.20

Oculus videt sidera; non autem se: palatus percipit sapores; non autem suum sentit. Cassiod. ib.

Consideratio propriæ utilitatis remedium est contra superbiam. Fr. David. fl.22. n.20

De alienis curiosi negligimus considerare propria. Basil. M. ib.n.30

Hoc notavit in monachis Bernard. ib.

Non desistamus inquirere in nos. Clim. fl. 22 n.42

Circumspice te; non proximos. Basil. M. ib. n.58

Utilitas magna discussionis nostrûm. Columban. fl.23.n.26

Humiliter se cognoscens non facilè detractioni vacat: potiùs accusat sua, quàm aliena. Laur. Just. fl.24.n.39

Molestia corporalis revocat mentem ad cognitionem propriam; è contrariò salus abjicit eam. Greg. M. fl.25.n.25

Multùm profecit qui defectum suum nosse potuit. Primus scientiæ gradus dicitur scire quid nescias. Guarric. fl.28.n. 58

Comedere.

Comedere animæ quid sit: & quid significet suspirare antequam comedatur. Greg. M. fl.23.n.27

Vide *Cibus.*

Comprehensores.

Vide *Christus Dominus.*

Concordia.

Concordiæ justorum pulchritudo. Prosp. fl. 13.n.20

Concordia bonum commune familiæ. Calicr. fl.19.n.8

Optandum est ut boni sint concordes ad invicem & mali ad invicem discordes. Isidor. Hispal. fl.30.n.44

Vide *Amicus. Discordia. Societas.*

Confessio.

Vide *Pœnitens.*

Confidentia.

Confidens in Deo non confidit in auro, vel virtute terrena. Arnob. fl.31.n.29

Aliqui gaudent cum ponunt confidentiam in homine; & quasi desperant de protectione Dei. Sed væ istis. August. ib.

Confidunt in vanitate qui gloriantur in hominum præsidio. A Deo speranda salus.

Prosp.

Proſp. ib. n. 31
Vide *Fiducia. Præſumptio. Protectio. Spes.*
Confuſio.
Vide *Peccator.*
Conſcientia.
Conſcientiæ bonæ teſtimonium excuſatio perfecta eſt. Bernard. fl. 4. n. 59
Conſcientia ſpeculum & vultus eſt animæ. Aelred. fl. 14. n. 13
Memoria delictorum gravat conſcientiam, niſi medicina poſcatur. Ambroſ. ibid. n. 21
In conſcientia ſcribuntur peccata noſtra, velimus, nolimus. Aelred. ib. n. 13.
Conſcientia bona bonus odor. Gilbert. fl. 20. n. 39
Concientia vocatur color à S. Bern. ibidem n. 43
Conſcientia de peccato gravi morbus eſt animæ. Clem. Alex. fl. 25. n. 6
Peccatores erubeſcunt conſcientiam propriam quoties illuſtrantur ſplendore ſuperno. Laur. Juſt. ib. n. 17
Vide *Iudicium. Timor.*
Conſideratio.
Conſideratio eſt arbitra inter neceſſitates & voluptates. Bern. fl. 22. n. 2
Conſilium. Conſultor.
Conſilium capiendum eſt ante opus. Cæſ. fl. 8. n. 10
Conſilium expetere res eſt non mediocriter utilis. Antioch. ib. n. 11
Tractato cum multis quod fieri debeat; quod facturus verò, cum fideliſſimis, vel potius tecum ſolùm. Veget. ib.
Conſilium ſpirituale à quibus ſumendum. Antioch. fl. 8. n. 12
Conſilium poſtulare à minoribus, prudentia eſt. Bleſ. ib. n 14
Conſilium à quopiam expetere, argumentum humilitatis. Antioch. fl. 8. n. 45
Conſilium à quibus deſumendum Lup. Abb. ib. n. 52
Conſulentis malè ſupplicium. Abb. Seren. fl. 11. n. 28
Conſilii natura ſpectanda eſt; non verò qualitas conſulentis obſervanda. Chryſoſt. fl. 12. n. 50
Conſilio antiquorum & ſcientiâ geruntur res magnæ. Tull. fl. 13. n. 16
Conſilia qualia eſſe debeant. Ægid. ib.
Quippe ſe magis credit conſilio benevolentis, quàm ſapientis. Ambroſ. ib.
Conſilium Amici ſemper recens, amœnum. Janſen. fl. 13. n. 17
Conſilium, quod mutari non poteſt, dixit malum Gell. fl. 38. n. 12
Conſiliis impiis jura prætendi, pernicioſum. Ammian. fl. 40. n. 24
Vide *Bellum. Rex.*
Conſtantia.
Mobilis eſto; non levis: conſtans; non pertinax. Martin. fl. 27. n. 53
Vide *Diabolus. Labor.*
Conſtantinus Imperator.
Vide. *Eccleſia. Eceleſiaſticus.*
Conſuetudo.
Conſuetudo quaſi vertitur in naturam. Chryſoſt. fl. 3. n. 54
Facilitas virtutis poſt conſuetudinem. Idem ib. n. 35
Conſuetudo mala deterior diabolo, & valentior. Anaſtaſ. Sinaï. fl. 5. n. 10
Conſuetudine peccata magna & horrenda videntur parva aut nulla. Aug. ib. n. 34
Conſuetudines pravæ, & paſſiones noſtræ ſunt animæ captivitas. Incert. fl. 7. n. 18
Conſuetudo mala quantam vim habeat. Ambroſ. ib. n. 18
Conſuetudo peccandi tollit pudorem. Anſbert. fl. 12. n. 6
Longa conſuetudo catena eſt. Vincent. Ferrar. fl. 13. n. 28
Conſuetudo peccati cæcat. Anton. fl. 21. n. 37
Conſuetudinem inveteratam emendare difficile. Clim. fl. 24. n. 25
Aliquis dixit, conſuetudinem eſſe veluti debitum. Amphiloch. ib.
In ſomno ſumus, dum in carnis voluptate torpemus, & manandi in peccandi conſuetudine. Calixt. Pa. fl. 25. n. 46
Vide *Peccator.*
Conſummare.
Quod imperfectum relinquitur laude dignum non eſt. Lau. Juſt. fl. 20. n. 49
Contemptus.
Quam difficile corrigatur qui contemnit bonum, cum ſit ſciens. Chryſoſt. fl. 1. n. 56
Simplicitas juſtorum contemnitur à tumidis apud ſe. Greg. M. fl. 20. n. 2
Juſtus quomodo ſe gerat contemptus recipiens opprobria. Idem ib. n. 13
Contemptui habentur juſti. Antioch. fl. 20. n. 17
Contemptum dolens oſtendit ſe contemptilem. Guig. ib. n. 19
Contemnuntur à peccatoribus qui deſpiciunt tranſitoria. Carthuſ. ib. n. 21
Irriſiones & objurgationes dixit potionem ſalubrem Clim. fl 34. n. 11
Vide *Humilis. Invidia. Peccator. Virtus.*
Contentio.
Vide *Bellum. diſcordia.*
Contumelia.
Contumeliâ affectus propter Deum honoratur ab illo plurimùm. Chlictove. fl. 14. n. 45
Contumelia quantùm affligat cor. Antioch. fl. 20. n. 17
Contumeliam ſi rides, non es paſſus eam. Chryſoſt. ib. n. 21
Contumeliæ quidam erexit altare. Clem. Alex. fl. 20. n. 23
Contumeliam ſuſcipiens animo imperturbato, cum gratiarum actione protegitur ope divinâ. Antioch. ib. n. 25
Contumelia quàm ſit acerba generoſis. Senec. fl. 26. n. 40
Contumeliâ affecti, dum non ſumus conſcii culpæ, nihil patimur. Chryſoſt. fl. 29. n. 22
Vide *Humilis. Ira.*
Conviciator.
Conviciator inficitur leprâ in corde. Nil. fl. 4. n. 7
Cor.
Cor aliquando ſignificatur nomine ventris. Nyſſe. fl. 18. n. 7

In corde dicitur eſſe ratio. Incert. fl.23. n.7
Cor eſt membrum maximè præcipuum & neceſſarium. Incert.ib.
Cordis auris in auditu ſimul & intellectu eſt. Anſbert. ib.
Corda hominum duriora ſaxis. Ambroſ. fl. 29.n.45
Cordis ſanitas in quibus conſiſtat. Fr. David. fl.35.n.4
Cor mentis ſedes. Nyſſen. fl.38.n.3
Vide *Aures. Lacrymæ. Secretum.*

Corona.

Vide *Sponſi.*

Corpus.

Corpus eſt hoſtis noſter: & non impinguandus. Bern. fl.18.n.1
Corpus bellum ſervile ciet. Gregor. Palam. fl. 23.n.9
Corpus accipit vitam ab anima; anima verò dolores & mœrores à corpore. Baſil. M. ib.n.38
Corpus juſti trahit ab animi fortitudine firmitatem. Paulin. fl.35.2.
In eo latent operum bonorum theſauri. Guarric. ib.
Eſt habitaculum Spiritu ſancto dignum. Clem. Alex. ib.
Corpus eſt velum privans nos lætitiâ beatitudinis. Thom. à Villano. fl.37.n.44
Vide *Anima. Gula.*

Correctio.

Correctionem odio habens amat corruptionem. Humbert. fl.1.n.48
Corrigi non eſt confuſio; ſed repellere corrigentes, in damnum ſalutis. Chryſoſt. ib.
Correctionis modeſtia & humanitas. Nazianz. fl.12.n.5.
Laus acquieſcentis correptioni. Bernar. ib. n.54
Aliquando lædi noſtros à nobis, pietatis eſſe dixit Salvian. fl 17.n.1
Corrigens filium, vel ſervum, caveat ne hoc ipſum in ſemet incorrectum permittat. Remig. ib.n.2
Correptionem & emendatoriam pœnam vocat Aug. eleemoſynam. fl.17.n.8
Emendare potens & negligens conſtituit ſe participem delicti. Greg. M. ib.n.10
Qui malum, cum poſſit, non corrigit, conſors eſt culpæ. Hildebert. fl.39.n. 14
Vide *Contemptus. Humilis. Reprehenſio. Superbia.*

Crux.

Crux ſignificata per duo ligna, quæ colligebat vidua Sarephtana. Anſbert. fl.16.n.22
Crux ſignificata per juniperum, de quo 3. Reg. 19. Rupert. 19.n.106
Crux in cælo quodammodo repræſentatur. Ambroſ. fl.28.n.16
In cœlum deducens ſcala crux eſt. Andr. Cret. ib.n.17
Væ portantibus crucem Chriſti; & non ſequentibus Chriſtum. Bernar. fl.30 n. 40
Crux palma in Canticis. Bleſ. fl.33.n.31
Chriſti Domini vexillum fuit erectum, cum fixus eſt in cruce. Laur. Juſt. ib. n.34
Erat Chriſtus in cruce tamquam rex in ſolio: ſingulis dividebat ſingula. Idem ib.
Crux lignum vitæ, in quo fuit ſublatus in altum botrus, & vita noſtra ſuſpenſa. Sinaï. fl.33.n34
Vide *Angeli. Chriſtus Dominus. David. Cupiditas.*

Cupiditas contrariatur conſilio; ſed non alteri cupiditati. Ariſtot. fl.3.n.1
Res levis, eſt & facilè mutatur. Dion. Halic. ib n.2
Cupiditates avidiſſimas coërcens fortior eſt dejiciente volucres rapaciſſimas. Lactant. Firm. fl.5.n.12
Cupiditas rei familiaris dicitur ærugo ab Ambroſ. fl.6.n.31
In cupiditatibus provoluti ſimilantur ſerpentibus. Clem. Alex. fl.7.n.9
Cupiditas conjuncta dolori. Ariſtot. fl.10. n.38
Cupiditati ſociatur ſtultitia. Sereſber. fl.16. n.69
Cupiditates ſunt inſatiabiles, & familias evertunt. Tull. fl.18.n.3
Niſi fuerit expulſa cupiditas non progrediemur ad virtutem ſummam. Aelred. ib.n.4.
Concupiſcentia plus petit, quàm neceſſitas. Greg. M. ib.n.5
Cupiditate laborantium aliquorum labor improbus, & ſitis. Laur. Juſt. fl.20.n.42
Vide *Avaritia. Aurum. Bona temporalia. Dives. Euchariſtia. Mundialia. Pecunia. Vigilantia. Voluptas.*

Curia.

Curiis ſolent accidere multa in periculum animarum. Humbert. fl.14.n.49
In curia ſunt pauci dicentes veritatem principi, vel magiſtris curiæ. Idem ib.

Curioſitas.

Vide *Cognitio ſui.*

Currere.

Currere quid ſignificet. Eucher. fl.20.n.3

Cuſtodes.

Vide *Chriſtus Dominus.*

D.

Dagon.

Dagonis dorſum deſignavit fugam. Incert. fl 18.n.29
Ejus manus & caput quid. Iſidor. Hiſp. ib. n.55
Vide *Diabolus.*

Daniel.

Quare dictus fuerit vir deſideriorum. Carthuſ. fl.10.n.26
Cur orabat feneſtris apertis contra Jeruſalem. Hieron. fl.15.n.29
Contra Danielem cur ſurrexerit invidia. Idem fl.24.n 58

Danielis loca.

Danie. 1.n.4. Ut doceret &c. Carth. fl.15. n.53
Cap. 4.n.9. Folia ejus pulcherrima, &c. Idem fl.28.n.51
Cap. 3.n.92. Species quarti &c. Hieron. fl.30.n.33
Cap. 12.n.10. Eligentur, & dealbabuntur,

tur, &c. Hug. Card. & Carthuſ. fl. 32. num. 16
Cap. 13. n. 22. Mors mihi &c. Hieron. ibid. uum. 18
Cap. 7. 9. Antiquus dierum &c. Gloſſ. Ord. ex Theodore. fl. 33. n. 15
Cap. 4. n. 24. Eleemoſynis &c. Gloſſ. Ord. fl. 38. n. 15
Cap. 13. n. 46. Mundus ego &c. Carthuſ. fl. 39. num. 43
Cap. 5. n. 29. Jubente rege &c. Hieron. fl. 40. num. 19
Cap. 13. n. 27. Erubuerunt &c. Carthuſ. fl. 40. n. 32
Vide *Angelus.*

David.

Davidis dolor, & patientia in maledictione Semei. Ambroſ. fl. 12. n. 41
David pro injuriâ Nabal vindicatus fuit à Domino. Salvian. fl. 12. n. 55
David figura Chriſti Domini, & aliquorum ſanctorum. Angelom. fl. 13. n. 15
Davidem Saulis promiſſa non alliciebant ad congrediendum cum gigante, niſi conſequenter. Lir. fl. 14. n. 58
David, ut ceſſaret peſtis, erexit altare, ubi Abraham voluit immolare Iſaac. Angelom fl. 18. n. 83
David â Deo inſtructus ad regnum per officium paſtoris. Euthym. fl. 19. n. 46
Proſternens gigantem figura Chriſti Domini. Angelomus ib.
David ex inſidiis Saulis redimitus eſt quadruplâ coronâ. Chryſoſt. fl. 22. n. 27
Davidem. præciditſe oram chlamydis Saul quid ſignificet. Greg. M. fl. 32. n. 14
Davidis cithara virtutem non habebat fugandi diabolum. Iſid. Hiſp. fl. 33. n. 33
David figuravit Chriſtum & cithara crucem. Idem. ib.
Vide *Patientia. Philiſthæi.*

Defendi.

Defendi ambiat qui metuit ſuperari. Melior eſt cauſa, quæ non defenditur, & probatur. Aug. fl. 27. n. 44

Delectatio.

Vide *Cupiditas. Serpens. Voluptas.*

Deſertum.

Vide *Eremus.*

Deſiderium.

Deſideria terrena quantùm dominentur. Bed. fl. 1. n. 14
Deſiderio ardent homines; & vix invenitur qui ſitiat Deo. Aug. fl. 12. n. 10
Sitim humanam non extinguet æquor mundi, quia amarum. Idem. ib.
Deſideria juſtorum parca. Chryſoſt. fl. 14. n. 59
Deſideriis temporalibus æſtuare quàm laborioſum? Nihil appetere quietum. Greg. Mag. fl. 25. n. 11
Vide *Avaritia. Cupiditas. Juſtus.*

Deſidia. Deſidioſi.

Deſidia facit omnia videri difficilia. Chryſoſt. fl. 2. n. 49
Dormientibus ſubducitur panis in pœnam. Idem. fl. 10. n. 11
Deſidioſi quidam ſimiles nautis, quorum navis putruit in portu, quia neglexerunt dare congruo tempore vela ventis. Pinto fl. 21. n. 35
Vide *Fiducia. Negligentia. Præſumptio.*

Deſperatio.

Deſperatio grande malum. Brun. Aſten. fl. 10. n. 13
Pondus peccati. d eprimit deſperantem Chryſoſt. fl. 24. n. 37
Deſperationis malum. Antioch. fl. 24. num. 63
Diabolus aliquando tollit pœnitenti ſpem, aliquando adimit pœnitentiam ſperanti. Fulgent. fl. 37. n. 1

Detractio. Detractor.

Detractio & murmuratio rami inconſiderationis & ſtultitiæ. Antioc. fl. 2. num. 59
Detractionis vinitorum apud Matth. 20. expoſitio. Paſchaſ. fl. 3. n. 11
Detractor comparatur ciniphi, ærugini, & ſerpenti. Bleſ. fl. 4. n. 10
Quærit ſocios complices. Antioch. ib. n. 11.
Odibilis eſt Deo & vitæ. Vitam amittit. Bernard. ib. n. 43
Detractor aſſuetus detractionibus fatetur exciſum ſe à charitate. Laur. Juſt. fl. 4. num. 45
Detractio peſtis. Idem ib.
Detractio apud Deum & homines fœtens. Bleſ. ib. n. 48
Detrahere incipiet, ſi poteſt, qui cœpit invidere. Guarric. fl. 4. n. 49
Detractor & libens auditor diabolum portant in lingua. Incert. ib. n. 49
Detractoris proprium eſt parvas laudes miſcere. Aelred. ib.
Detractio non timenda. Greg. M. fl. 4. num. 51
Datractor perſequendus in utilitatem ejus. Hieron. ib. n. 52
Eſt vorator carnis humanæ. Chryſoſt. ibid. n. 53
Detractoris miſereatur ille, de quo detraxit. Ex Chryſoſt. Anaſt. ib.
Detrahere cauſâ commodi proprii eſt contra naturam: Cull. fl. 4. n. 55
Detractionis vitium reddit hominem vilem. Paulin. ib. n. 57
Si non paſſim crederemus detractoribus, omnes detrahere timerent. Idem ib.
Detractio quam grave peccatum. Hac nihil fœdius. Iſidor. Hiſpal. fl. 4. n. 57
Detractores aſſimilat canibus Idem ibid. n. 81
Detractorum murmur qui placare valet, non ſcandalizet eos. Greg. M. fl. 16. num. 48
Detractor hypocrita depingitur à Bernardo. fl. 24. n. 39
Detractio ſub ſpecie zeli reprehenditur à Laur. Juſt. ib. n. 43
Detrahere cum vis, tua te peccata contineant. Iſidor. Hiſpal. ib. n. 45
Detractio quædam levis de prælato ſignificata per præciſionem chlamydis Saul. Greg. Mag. fl. 32. n. 14
Vide *Calumnia. Cognitio ſui. Conviciator. Juſtus. Lingua. Patientia.*

Deus.

Dei ira dicitur operatio miſericordiæ à Goffr. fl. 2. n. 63

Syllabus doctrinæ ſanctorum Patrum,

Deum time: ſed cum terreris tonitruo, pluviam recipe. Aug. ib.n.64

Voluntas noſtra in Dei poteſtate eſt. Idem fl.3.n.28.

Deus per ea quæ adverſa videntur ſalutem ſervorum ſuorum conſervat. Chryſoſt. ib. n.30

Dei bonitas in creando. Arcop. ibidem num. 34

Deus veluti rogat hominem ne dedignetur amorem. Ibem fl.3.n.34

Excuſat reſiſtentes aliquos. Idem ib.

Quoſdam peccantes non adverſari dixit Stud. ib.

Deo in nobis operante, fit omne bonum, quod facimus. Fulgentius fl.5.n.5.

Deus quo ſenſu dicatur recordari, & obliviſci. Od. ib.n.38

Interdum per potentiam malorum exercet juſtos,& per malos erudit bonos. Incert. fl.12.n.50

Nunc aliquos tolerat, quos damnaturus eſt in æternum. Greg. M. fl.14.n.6

Mora vindictæ divinæ compenſatur gravitate ſuppicii. Valer. Max. ib.

Deus non tantùm ſolvit promiſſum;ſed oſtendit aliquid, quo ſe debitorem conſtituat. Salvian. ib.n.9.

Ipſe præmium virtutis erit. Fulg. fl.14.n. 10

Deus jucundiùs dat, quàm alii accipiunt. Nazianz. ib.n.31

Aliquando remunerat ante laborem. Chryſoſt. ib.n.33

Fidelis in promiſſis adimplendis. Aug.14. n.35

Vult à ſe requiri etiam quod pollicetur. Bernar. ib.n.39

Dei præmia futura ſunt majora deſideriis ſanctorum. Chryſoſt. ib. n.59

Deus aliquando ſupplicium differt, ut effundat iram in fine mundi. Lact. Firm. fl.17. n.20

Quandoque derelinquentes non percuttere ſignum eſt irati Dei. Hieronym. ib.

Deum non punire, quo ſenſu dixerit Clem. Alex. ib.n.22

Dei providentia reſiſtentibus utitur ad fines intentos. Greg. M. fl.n.36

Divinitas figuratur per aërem. Sinaï. fl.28. n.12

Dei ſimilitudo cum ſole. Theophilus ib.n.20

Deus fons eſt. Nyſſ. & Max. ib.n.22

Eſt lumen, quod neque mente comprehendi, neque ſermone exprimi poteſt. Nazianz. fl.28.n.30

Sine Dei providētiâ nihil fit. Caſſiod. ib.40

Dei clementia peccatoribus benefacit, ut ad ſpem divinæ propitiationis mens humana conſurgat. Iſidor. Hiſp. ib.n.46

Opus alienum Deo dicitur perdere quos creavit. Hieron. fl.28.n.46

Deus teneri vult: illum ſe non dimiſſurum, quamvis benediceret ei, dixit Bern. num. 52

Quàm largiter muneret zelatores ſuos. Thom. à Villano. fl.29.n.38

Quandoque citò percuttit, ut conſoletur innocentes. Greg. Mag. ib.n.48

Deo ſe committere debet homo cùm non habet quid facere poſſit. Hug Card. fl.31. n.38

Deus voluit, à nobis agnoſci patris affectum in ipſo. Salvian. ib.n.43

Dei amor: qui cum haberet filium naturalem, eum miſit in terras, ut haberet adoptivos. Aug. ib.n.53

Deum tunc dici propriè regnare, cùm illi fuerint homines voluntate ſubjecti, ait Primaſ. fl.33.n.30

Dei amor præcellit maternum. Laur. Juſt. ib. n.39

Deus vult oblationes hominum propter offerentes. Irenæ. ib.n.38

Gaudet videns mentes noſtras ornatu mundas. fl.33.n.38

Gravior eſt injuria tolerantium injuſta erga Deum, quàm erga tolerantes. Salvian. fl.36.n.12

Sæpè exquirit majori ſeveritate delicta commiſſa in proximos, quàm in ſe. Chryſoſt ib.n.12

Diligit quos mundus deſpectos deſerit. Anton. ib.n.16

Deus non eſt acceptator perſonarum. Primas. fl.40.n.41

Vide *Afflictio. Anima. Chriſtus Dominus. Conſcientia. Euchariſtia. Humilis. Innocentia.*

Deuteronomii loca.

Deuteron. 32,n.19. Provocaverunt eum &c. Brun. Aſt. fl.5.n.51

Cap.33.n.19. Populc &c. Anton. fl.7.n. 65

Ibid.n.29. Populc &c. Idem fl.9.n.58

Ib.n.28. Oculus &c. Idem fl.10.n.53

Cap. 32.n.10. Et docuit: &c. Rupert. fl. 22.n.45

Ib.n.29. Utinam &c. Idem ib.

Ibid. n.22. Devorabitque &c. Rupert. Brun. Aſt. & Greg. M. fl.24.n.60

Cap. 33.n.3. Apropinquant pedibus &c. Gloſſ. Ord. & Hug. Card. fl.38.num.

Vide *Aquila.*

Diabolus.

Diabolus ſanciatus eſt clavis crucis. Hieron. fl.1.n.27

Cum vidit eſurientem Chriſtum Dominum non putavit Deum. Anſel. fl.2. num. 36

Faſtidium ingerit benefactorum, & conſtantiam ægrè fert. Maph. ib.n.43

Facit unam perſonam cum collectione reproborum. Greg. Mag. ib. n.60

Neminem cogit. Sinaï. fl.5.n.10

Fur eſt. Nyſſen. ib.n.14

Non ad omnia peccata noſtra nos impellit. Chryſoſt. ib.n.52

Ante peccatum non permittit videre malum, poſtea maximè, ut præcipitet in deſperationem. Euthym. fl.6.n.33

Noſtris nos armis impugnat. Ambroſ. fl. 10.n.30

Diaboli nomen ſignificat Græcè calumniatorem. Euthym. fl.13.n.29

Diabolus habitat in malis conſcientiis otioſorum. Gerſ. ib.n 34

Aliquando ſignificatur nomine Aquilonis. Eucher. fl.14.n.13

Diaboli tentatione excuſantes ſe notat Aug. ib.n.17
Diabolus fruſtratus diſcedit; & quare. Chryſoſt. fl.15.n.36
Videns intentum libris divinis hominem, fugit velut hoſtem armatum. Damian. ib.
Significatus aliquando per Nabuchodonoſor. Angelom. ib.n.37
Solet inſidias tendere imprudentibus ſub velamine ſanctitatis. Laur. Juſt. fl.18.n. 24
Nullus eſt locus, actio, vel perſona immunis à deceptionibus diaboli. Idem ib.n. 26
Adeſt à latere, cùm tentat juſtos, non à facie vel à tergo. Bern. ib.
Diaboli ſignificati per Dagon. Ruper. fl.18. n.29
Diabolum circumire terram quid. Greg. M. fl.20.n.63
Diabolus dat luſum & riſum, non autem Deus. Chryſoſt. fl.21.n.2
Præcitat quoſdam procraſtinatores. Iſidor. Peluſ. ib.n.34
Deſignatus per ſerpentem. Eucher. fl.22. n.43
Quidam ſunt peregrini cum diabolo. Aug. fl.23.n.50
Diverſis viis ducit multos. Firmian. fl.24. n.7
Curat ut homo negligat videre magnitudinem peccati ante conſummationem illius. Chryſoſt. ib.n.34
Nunquam deſperat noſtram perniciem. Chryſoſt. fl.26,n.13
Eò plures malignos ſpiritus patietur contra ſe homo, quò plura fecerit opera bona. Nil. fl.29.n.1
Diabolus venit ad tentandos filios ſuos; ad filios Dei venire non poteſt. Anton. fl.31. n.3
Diabolo congrediens homo in tentatione, quaſi vermiculus contendens cum Angelo. Francon. ib.n.9
Duellum hominis cum Diabolo pulcherrimum ſpectaculum Angelis & hominibus. Idem ib.
Præſente Chriſto nihil virium poſſidet: tentat fraude circumvenire incautum, terrore fugare pavidum. Idem fl.31.n.9
Diabolo prævalebit qui Deum timet. Antioch. ib.
Diabolus feriendi Jobum vires non ſibi tribuit. Greg. M. fl.31.n.11
Suppliciis ſubjacet, quia noluit timere Deum. Idem. ib.
Quare laudaverit Act. 16.n.17. Paulum. Chryſoſt. fl.32.n.23
Non habet nos ſub eâ ſervitute, qua primùm. Doroth. fl.33.n 29
Ubique retia tendit. Laur. Juſt. fl.35.n.45
Diabolus, ignis. Remig. fl.36.n.47
Vide *Adam. Chriſtus Dominus. Conſuetudo. Deſperatio. Dives. Euchariſtia. Goliath. Invidia. Judas. Maria. Paradiſus. Verbum.*

Didrachma.

Didrachma, de quo Matth. 17. ſolvebatur Deo juxta Hilar. fl.11.n.13

Difficultas.

Præclara non contingunt, niſi magno negotio & morâ temporis. Plin. fl.11.n. 18

Dignitas.

Dignitatis mundanæ faſtigium infelix, ac obnoxium deceptioni. Damian. fl.11.n.5
Non tantâ alacritate currerent homines ad honores, ſi expenderent onera. Bernar. fl.24.n.57
Electi viri, qui diſplicere Deo nolunt, refugiunt dignitates. Greg. M. fl.32. n.11
Vide *Ambitio.*

Diligentia.

In diligentiæ præmium, Deo præſtante, panis abundat. Chryſoſt. fl.9.n.11

Dimas.

Dimas ante converſionem conviciatus fuit Chriſto Domino crucifixo. Hilar. fl.29. n.17

Diſcere.

Vide *Diſcipulus. Docere. Sapientia.*

Diſciplina.

Diſciplinæ ſalutaris laudes. Cyprian. fl.12. n.2
Vide *Concordia.*

Diſcipulus.

Diſcipulus, ſi bonus fiat, eſt filius genitus à corde. Petrar. fl.17.n.34
Diſcipulum qualem eſſe oporteat. Honor. fl. 38.n.6
Diſcipuli eruditio laus docentis. Ennod. ib. n.7
Vide *Auditor. Docere.*

Diſcordia.

Contentioſus aſſuetus ferendis litibus, pacem non habet neque cum domeſticis. Antioch. fl.8.n.8
Cupit ſuæ cogitationi fieri ſatis, & comminiſcitur novitias fraudes. Idem ib.
Diſcordes nihil ad exitum perducunt. Antioch. fl.8.n.39
Diſcordiarum amatores non apellentur membra Chriſti. Baſil. Mag. ib.n.43

Dives. Divitiæ.

Divitum enimæ ſpernunt auditam regni cœleſtis dulcedinem. Bed. fl.2.n.28
Divitiæ pecuniariæ continent incentiva vitiorum, & etiam virtutum. Ambroſ. fl.3.n. 22
Divitiæ non ſatiant. Peluſ. & Gilbert. ib.n. 42
Mundus terra ſitis. Gilbert. ib.
Dives injuſtus & inſolens, miſer eſt, & in mœrore vivit. Clem. Alex. fl.3.n.44
De lacrymis alienis lucrum quærens, & rapto ditefcens, dives non eſt. Ambroſ. ib.n.46
Divitiæ mortis appellantur quæ veniunt ex rapto Valerian. fl.6.n.10
In divitiis laqueus diaboli; in mediocritate gratia Dei. Salvian. ib.n.13
Rarus eſt qui divitias vertat ad animæ commodum. Incert. ib.
Pecuniarum contemptor, & hominum cupiditates deſpiciens videtur eſſe ſupra hominem. Ambroſ. fl.6.n.16
Divitias facilè deſpicit homo cùm habet; difficilè viles æſtimat cùm non habet. Greg. M. ib.n.18

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum.

Divitias tribulos dixit Hermas. ibid. num. 28

Aurum & argentum aliquorum est onus sine fructu. Ambros. fl. 6. n. 30

Divitiæ citò arescunt. Idem ib.

Divitiæ potius ministræ vitii, quàm virtutis. Licentiam afferunt inertiæ. Pelus. ib. num. 32

Disperguntur à vento. De domino in dominum transeunt. Sime. jun. fl. 6. num. 44

Sunt alienæ. Paphnut. ib. n. 52

Opinio fecit divitias esse bonum. Thriver. ibid. n. 54

Divitiæ sic dictæ sunt quia mentem dividunt. Ambros. fl. 6. n. 56

Prætereunt ut aqua fluens. Antioch. ibid. num. 60

Divites pauci servaverunt animi libertatem inter opes. Hildeber. ib. n. 64

Divitiæ nihil. Isidor. Pelus. fl. 6. 69

Divitiarum lubrica possessio est, & instabilis. Hieron. ib. n. 70

Quidam periclitantur propter opes. Idem ibid.

Divites divitiæ tuentur, ne puniantur. Chrysost. fl. 7 n. 5

Divitum inquietudo, quam mavult cupiditas, quàm securitatem à pauperie venientem. Isidor. Hispal. 16. n. 7

Pecuniæ similantur aquæ. Pelus. ibid. num. 10

Opes comparantur umbræ, fumo, ventis Idem. ib.

Dives possidet res pauperum. Chrysost. fl. 7. n. 30

Dives rarò vel nunquam est amicus. Seresb. ib. n. 36

Dives comparatur cedro superexaltatæ; quæ vento frangitur &c. Ambros. fl. 7. num. 38

Deus nescit quis sit amicus ejus. Quidam non sequuntur illum; sed opes ipsius. Laur. Just. ib. n. 70

Divitias habent aliqui non digni vivere. Ex Chrysost. Anast. fl. 9. n. 4

Si multas filiis divitias relinquere vis, dimitte Deo tutelam eorum. Chrysost. ib. num. 5

Divites ne contemnant pauperes. Laur. Novar. ib. n. 6

Divitiæ dum quæruntur fugiunt; dum fugantur accelerant. Seresber. ib. n. 8

Divitiæ per tot manus transierunt: etiam à tuâ transibunt. Ex Bernard. Humbert. fl. 9. num. 12

Diviti posito in tormentis quid prodest, eos quibus benefecit in testamento, recordari ejusdem? Nil. ib. n. 19

Divitis heredes sub tristi vultu sæpe animum lætum occultant. Idem ib.

Divitias parùm appretiant, & expendunt prodigè sæpe qui sine labore consecuti sunt eas. Carthus. & Thriver. fl. 9. n. 45

Divitiarum aliquarum inutilitas. Damian. 10. num. 53

Divites aliqui nutriunt histriones; cum fame crucientur pauperes Christi. Greg. M. fl. 13. num 52

Divitiæ sunt ab hominis naturâ alienæ: veniunt extrinsecùs, & quasi per accidens. Incert. fl 15. n. 8

Divitum fastus in sepeliendis eorum cadaveribus condemnatur ex simplici sepulturâ Christi Domini. Bed. ib. n. 14

Divitiæ sunt indumentum. Paschas. ibid. num. 15

Divitis animæ mala. Chrysost. fl. 15. num. 62

Dives nunquam vel rarò amat proximum. Seresb. fl. 16. n. 8

Divitiæ comparantur undæ. Basil. Mag. ibid. n. 67

Divitiæ ac honores habent annexa contemptum Dei atque dispendium suî Bles. fl. 20. n. 59

Dives habetur sapiens & felix. Seresber. fl. 21. num. 26

Divites quandoque pauperibus magis miseri sunt; eo quod à sapientia longiùs distant. Idem ib.

Ne dicas proprium quod te liberare non valet. Cassiod. fl 23. n. 46

Divitiæ antiquæ deductæ per genus efficiunt nobiles. Apud Cassiod. fl. 25. n. 19

Divites sunt immemores humanæ conditionis. Ambros. fl. 30. n. 1

Dives putat injuriam pati, si à paupere publicè saluretur. Chrysost. ib. n. 2

Dives quò magis habet cupiditatis, eò minimum charitatis. Seresber. 16. n. 3

Divitibus plures gratificantur assentatoriè. Ambros. fl. 30. num. 3. & Bles. ibid. num. 26

Divitiis gaudens, veniens ad paupertatem contristatur. Chrysost. ib. n. 12

Dives timet incurrere pauperiem si multitudini pauperum faveat. Firmian. ibid. num. 12.

Divitiarum lubrica possessio est. Paschas. fl. 31. num. 37

Non à divitiis provenit vita; sed à verâ sapientiâ. Thaumat. fl. 32. n. 45.

Vide *Avarus. Aurum. Bona temporalia. Cupiditas. Invidia. Pauper. Pecunia. Prodigus. Tristitia. Vita.*

Dives epulo.

Dives epulo cernebat Lazarum jacentem. Greg. M. fl. 7. n. 43

Prosequebatur livore Lazarum. Chrysost. ibid.

Lazari miserias audire, videre, sentire contempsit. Idem. fl. 7. n. 43

Divitem epulonem vincimus improbitate. Basil. M. ib.

Dives epulo figura peccatoris. Hug. fl. 13. n. 33

In eo defecerat pietatis visus & auditus. Chrysost. fl. 24. n. 68

Perfectè non puniretur, nisi cognosceret Lazarum quiescentem. Bed. ib.

Dives epulo misericordiam sibi negavit, cùm non exercuit. Chrysol. fl. 30. n. 9

Jaciebat in Lazarum impietatis tela. Idem ibid.

Videbat Lazarum exiens, & revertens. Incert. fl. 30. n. 9

Lazarum frustra suspexit, qui ante videre despiciebat. Chrysost. ib.

Dives epulo, & fratres ducebant pro fabulis minas

minas Scripturarum de futuri ſæculi ſuppliciis. Euthym. fl. 32. n. 58
Vide *Felicitas. Lazarus. Paupertas.*

Docere. Doctor. Doctrina.

Doctores ſancti gubernant Eccleſiam quaſi cymbam. S. Thom. à Villano. fl. 1. num. 29
Docentis accepturus doctrinam. expellat ſuperbiam. Plutar. fl. 8. n. 5
Docendo non omnes apti ſunt. Ambroſ. fl. 9. n. 37
Docens alium debet excellere ſupra illum. Idem ibid.
Sæpe qui ſpiritalia præcepta non agnoſcunt, ſe cordis medicos profitentur. Gregor. M fl. 9. n. 39
Docturus animas cogitet an temerè munus obierit; & vitam præteritam ſuam. Clem. Alex. ibid n. 41
Doctor certaminibus diſcipulorum videtur magis vincere, quàm ſuis. Ambroſ. fl. 10. num. 20
Quàm periculoſum ſit quòd cæcus alios ducat. Chryſoſt. fl. 11. n. 26
Docens quæ expediunt comparatur oculo puro & ſano. Nyſſen. ib. n. 33
Manifeſta breviter percurrenda ſunt, ut moremur in obſcurioribus. Hierony. fl. 20. n. 2
Doctrina per vivam vocem efficacior, quàm ſcripta. Valer. ib. n. 16
Doctrinæ principium eſt in lectione; conſummatio in meditatione. Poth. fl. 21. num. 9
Docuiſſe quod non didicerat dixit Ambroſ. ib. num 42
Omnes egent doceri quandiu vivunt. Idem ibid. n. 44
Doctrina perfecta eſt quæ incutit metum, & declarat amorem. Chryſoſt. fl. 24. num. 37
Doctrina utilis præſtat divitiis. Iſocrat. fl. 26 num. 4n
Doctores ſunt oculi. Angelom. fl. 38. num. 25
Qua intentione magiſter ſit docturus. Notantur quædam, quæ ſequuntur, ſi doceat amore ſolo ſcientiæ. Honor. ibid. num. 7
Vide *Diſciplina. Diſcipulus. Magiſter. Prædicator. Sapientia. Tempus.*

Dolor.

Dolor aliquando interpres malus. Ambroſ. fl. 7. n. 62
Quod apud hominem plus valeat unus dolor, quàm ſolatia, vocavit infamiam Senec. fl. 23. n. 1
Dolor velut ignis quò plùs tegitur, plus accenditur. Bleſ. fl. 25. n. 6
Non ſine dolore vitam hominis invenies; nec voluptatis omnino expertem. Chryſoſt. 25. n. 47
Vide *Amor. Spes. Taciturnitas. Tribulatio.*

Dolus.

Omnis homo doloſè incedit & proximum ſupplantat. Nazianz. fl. 25. n. 41

Donum.

Vide *Chriſtus Dominus.*

Dracones.

Dracones Job. 30. num. 29. deſignant ſuperbos & tyrannos. Brun. Aſt. fl. 13. num. 37

E.

Ebrietas.

Vide. *Gula.*

Eccleſia.

Eccleſia ſignificata per viduam, ad quam miſſus eſt Elias. Anſber. fl. 16. n. 22
Figurata per Magdalenam Ambroſ. ib. n. 65
Repræſentatur per Judith, & Eſther. Iſidor. Hiſp. fl. 20 n. 54
Cum eccleſiis præſtantur æquabilia acquiritur miſericordia Dei. Theodoric. fl. 39. num. 20
Bonus imperator non eſt ſupra, ſed intra Eccleſiam. Ambroſ. ib.
De tehſauris eccleſiaſticis fraudans, in ſortem Judæ non dubitatur deputandus. Agobard. ib. n. 22
Eccleſiaſtica & ſæcularis poteſtas habent ſe ut ſol & luna: quorum hanc præeſſe dici foret contra naturam. Aelred. fl. 9. n. 24
Imperator Conſtantinus recuſavit Epiſcopos indicare. Greg. Mag. ib
Quidam poteſtatem gerentes ſæcularem, eccleſiarum immunitatem lædere moliuntur invidi. Alex. Pa. ib. n. 38
Vide *Eccleſiaſt cus. Eſther. Navis. Prælatus. Sponſa.*

Eccleſiaſtæ loca.

Eccle. 7. num. 29. Vitum &c. Hieron. fl. 15. num. 3
Cap. 2. n. 10. Hanc ratus ſum &c. Thaumat. fl. 16. n. 70
Cap. 10. n. 18. In pigritiis &c. Humbert. & Hieron. fl. 17. n. 11
Cap. 10. n. 16. Væ tibi terra &c. Hieron. ibid. num. 31
Cap. 9. 15. Inventuſque eſt in ea vir &c. Dubitat ſitne parabola, vel hiſtoria Carthuſ. fl. 21. n. 27
Cap. 10. n. 11. Si mordeat &c. explicat de detractore S. Hieron. fl. 24. n. 41
Cap. 2. 10. Quæ deſideraverunt oculi &c. Thaumat. fl. 28. n. 45
Cap. 10. n. 10. Si retuſum fuerit ferrum, &c. Hug. Card. fl. 38. n. 53

Eccleſiaſtici loca.

Eccli. 10. n. 10. Venalem &c. Carthuſ. fl. 6 num. 57
Cap. 38. n. 20. Et ſubſtantia &c. Idem ibid. num. 67
Cap. 29. num. 13. Perde &c. Idem fl. 7. num. 27
Cap. 40. n. 13. Subſtantiæ &c. Janſen. ibid. num. 61
Cap. 51. n. 38. Operamini &c. Carthuſ. fl. 9 num. 45
Cap. 30. n. 7. Colligabit &c. Janſen. fl. 17. n. 37
Cap. 31. num. 36. Vinum &c. Thom. fl. 18. num. 95
Cap. 24. n. 5. Ex ore Altiſſimi &c. Ricard. fl. 19. n. 17
Cap. 7. 4. Noli &c. Carthuſ. fl. 20. n. 32
Cap. 10. n. 31. Da illi &c. Idem. ib.
Cap. 6. n. 16. Amicus &c. Janſen. fl. 30. num. 23

Ibi n.13. Ab inimicis tuis &c. Hug. Card. ib.n.27
Ibi. n.16. Amicus &c. Lucas Tud. fl.30.n. 34
Cap. 6.n.15. Nulla est comparatio &c. Janſen.ib.n.47
Cap. 24.n.42 Rigabo hortum &c. Carthuſ. fl.32.n.32
Cap. 50.n.5. Qui prævaluit &c. Carthuſ. fl.33.n.19
Cap. 10.n.32. Quis honorificavit &c? Idem fl.35.n.48
Cap. 14.n.17. Invenire cibum. Idem fl.39. n.51
Cap. 10.n.18. Radices &c. Janſen. ib.n. 55
Vide *Maria.*

Eccleſiaſticus.

Libertatem Eccleſiaſticam deprimens punitur in ſe, vel in ſobole. Sereſber. fl.39. n.24
Imperatoris Conſtantini pia verba circa tegendos defectus Eccleſiaſticorum. Nicol. Pa. ib. n.28
Miſerabilis eſt inſania ut reges velint ſubjugare ſibi ſacerdotes. An de omni ſacerdote loquatur S. Greg. ib.
Vide *Eccleſia.*

Eleemoſyna.

Eleemoſyna valde confert ad impetrandam miſericordiam Dei. Carthuſ. fl.7.n.26
Eleemoſynarum multitudo non ſufficit ad redimenda cuncta peccata, niſi præponderaverit miſericordiam Deus. Cæſar. Arelat. ib.
Eleemoſynæ pulchra negotiatio. Clem. Alex. ib.n.27
Facienda bonis & malis, amicis & inimicis. Petr. Cœleſt. fl.7.n.34
Pura ſit à probro & contumelia. Peluſ. ib.
Reddit divitias puriores, & ſapidiores quoad internum guſtum, & multiplicat eas. Anton. fl.9.n.10
Eleemoſynarius non indigebit. Cypr. ib.n. 47
Eleemoſynæ fructûs quanta ſecuritas. Chryſoſt. fl.14.n.41
Eleemoſynam quàm largè Deus remuneret. Idem fl.15.n.1.
Eleemoſynam omittens, in loculis tamquam in tumulis vitam pauperum ſepelit. Ambroſ. fl.16.n.46
Datam de juſtis laboribus Deus approbat. Incert. ib.n.66
Eleemoſyna comparatur aquæ. Arnob. fl.30. n.10
Glorioſum eſt egentem fratrem paſcere. Valer. fl.34.n.39
Rapinam arbitrabatur Chriſtus Dominus in alios uſus expendere quod pauperibus deſtinabatur. Thom. fl.35.n.14
Eleemoſynæ largitio præfertur ornatui templorum. Strab. fl.36.n.2
Eleemoſyna religionis officium. Salvian. ib. ib.n.7
Studioſè diligens pauperem, quem largitate ſublevat, oſculatur pedes Chriſti Domini. Greg. M. ib.
Eleemoſynam quomodò poſſit donare qui pauper eſt. Laur. Juſt. & Marc. Eremi. fl. 36.n.8
Eleemoſyna majus quid eſt ſacrificio. Chryſoſt. ib.n.20
De eleemoſynarii corona. Iſaac ib.n.22
Datum pauperi cum animi candore multum gloriæ obtinet apud Deum. Antioch. fl.36.n.28
Eleemoſyna ſit velox. Anton. ib.n.30
Eſt ala jejunii. Sever. ib.
Eſt ſagitta venenata contra diabolum. Vincent. Ferrar. fl.36.n.30
Eleemoſynam parvam dans, cum habeat plura, non eleemoſynam donans dicitur à Chryſoſt. ib.n.32
Aliqui donant, quaſi expuentes faſtidio donum vile. Ambroſ. ib.n.33
Non minus eſt crimen pauperi negare, quàm habenti auferre. Idem ib.
Eleemoſyna ſacrificium. Cypr. fl.36.n.34
Eleemoſynæ figura qualiter apparuerit S. Joanni Eleemoſynario. Leontius ib.
Eleemoſyna ſemen eſt. Aug. ib. & Baſil. M. ibid. n.58
Eleemoſyna ex rapto, crudelitas. Chryſoſt. ib.n.36
Non eſt eleemoſyna quæ ex illicitè acceptis donatur. Greg. Mag. ib.
Donanda ex acquiſito juſtè. Anton. fl.36. n.37
Eleemoſyna debet fieri tantùm indigentibus. Idem ib.n.39
Eleemoſinam tribuens ædificat rationabilem domum Dei. Chryſoſt. ib.n.50
Donans pauperi, das tibi. Chryſolog. & Leo Pap. fl.36.n.52
Eleemoſina torques aurea animæ. Chryſoſt. ib.n.52
Eſt medicina animæ, & lucroſa temporaliter. Anton. ib.n.58
Non anteponendum amicum pauperem alieno petenti, neque cognato donandum repulſo peregrino, dixit Baſil. M. fl.40 n.41
Vide *Avarus. Beneficium. Gloria. Inimicus. Miſericordia. Pauper.*

Elephas.

De elephante dicitur, adorare primo aſpectu Creatorem. Apud Caſſiod. fl.27.n. 54
Elephas non habet cum cæteris animalibus communem uſum volvendi ſe, neque recubandi; ſed arbori nititur; & ruens elevare ſe non valet. Ambroſ. ib.
Læſus ſervat offenſam. Apud Caſſiod. ib.

Elias.

Eliæ ſeveritas 3. Reg. 17. Chryſoſt. fl.12.n. 29
Dei machinis flexus eſt ad humanitatem. Baſil. Seleuc. ib.
Eliam infantulum, tempore quo naſcebatur, pater ejus aſpexit in viſione quadam igne cibari. Epiph. fl.16.n.20
Elias miſſus ad viduam ſignificat Chriſtum Dominum. Anſbert. ib.n.22
Ædificavit domum orationis, in quam alii conveniebant ad pſallendum &c. Incert. ib.
Aſcendens tradidit Eliſeo ſuum Religionis habitum. Incert. fl.18.n.47

Vide *Euchariſtia. Henoch. Regum librorum loca.*

Eliſeus.

Vide *Caſtitas.*

Enos.

Vide *Geneſis loca.*

Eremus.

Solitudinum libertatem & ſecretum ad ſapientiam utilia priſci philoſophi exiſtimaverunt. Eucher. fl. 15. n. 25

Eremi fructus jucundiſſimus quies. Baſil. M. fl. 38. n. 54

Eſau.

Eſau ſignificat populum. Judaicum. Sedul. fl. 6. n. 51

Exarſit in fratrem, quia ſe gemuit minorem eô, quem nativitate præibat. Greg. Mag. fl. 24. n. 50

Eſther.

Eſther ſignificat Eccleſiam. Hug. Card. fl. 32. n. 38

Vide *Eccleſia. Prælatus.*

Euchariſtia.

1. Amor Chriſti Domini in S. Euchariſtiæ inſtitutione.
2. Appellationes Euchariſtiæ.
3. Communicantium humilitas, frequentia communicandi, perſeverantia in bono.
4. Dulcedo Euchariſtica.
5. Effectus Euchariſtiæ.
6. Euchariſticæ figuræ.
7. Liberalitas Euchariſtica.
8. Motiva inſtitutionis.
9. Præparatio ad communionem.
10. Varia de S. Euchariſtia.

1. Amor Chriſti Domini in S. Euchariſtiæ inſtitutione.

Quanta Salvatoris charitas in donatione Euchariſtiæ; & qualis per eam nobis honor. Chryſoſt. fl. 18. n. 70. & n. 89

Per Euchariſtiam Deus confœderavit Eccleſiam ſibi. Alger. fl. 18. n. 84

Chriſtus Dominus in Cœna immolavit ſe, prævenies ſemetipſum. Iſych. ib.

2. Appellationes Euchariſtiæ.

Euchariſtia myſteriorum extremum eſt. Cabaſil. fl. 18. n. 41

Euchariſtia eſt anchora ſpei, & unicum ſolatii noſtri aſylum. Thom. à Villano. ibid. n. 60

Eſt ſacramentum charitatis, vinum ſpei, & aqua fidei. Zachar. ib. 68

Eſt ſacramentum pacis. Thom. à Villano. fl. 18. n. 80

Euchariſtia vitæ myſterium, immortalitatis medicamentum. Guarric. ib. n. 92

Vide *infra* n. 5.

3. Communicantium humilitas, frequentia, Conſtantia.

Fruentes Euchariſtiâ, ſi admittant cupiditates rerum corporalium, digni ſunt acerbo ſupplicio. Cyril. Alex. fl. 18. n. 22

Calicem dæmoniorum bibens, calici Chriſti Domini inſultat, & ejus corpus crucifigit. Ambroſ. ib. n. 20

Credamus nos indignos communione. Abb. Thom. ib. n. 100

Euchariſtiam frequentare quantum oporteat. Cabaſil. fl. 18. n. 108

4. Dulcedo Euchariſtica.

Euchariſticam dulcedinem Deus variis diverſimodè præſtat Thom. fl. 18. n. 30

Euchariſtiæ dulcedo, pretioſitas, puritas, & utilitas. Thom. à Villano. fl. 19. n. 53

5. Effectus Euchariſtiæ.

Movetur animus magis ad Chriſtum Dominum præſentem. Petr. Clun. fl. 15. n. 54

Per Euchariſtiam proteguntur pœnitentes. Alger. fl. 18. n. 10

In ſacro convivio pœnitentes conſequuntur Dei paternos amplexus. Paſchaſ. ib.

quare vitam habeamus in nobis cum ſacram communionem ſumimus. Cyrill. Alex. ib. n. 16

Inenarrabilis eſt unio ſacramentalis inter communicantem & Chriſtum Dominum. Hug. Archiep. fl. 18. n. 18

Cum diabolus videt Chriſtiani labia Domini cruore rubentia, terretur; & quare. Damian. ib. n. 28.

Per communionem ſacram, ſi quid in nobis carnale adhuc eſt, transfertur in ſpiritum, & fit homo ſpiritualis eſca. Paſchaſ. ib. n. 34.

Euchariſticum vinum Sanguinis Domini inebriat mentem amore ſpirituali. Idem. fl. 18. n. 34

Cujus vel ferreum pectus non liqueſcet, dum ſentit Deum ſibi corporaliter unitum per communionem? Laur. Juſt. ibid. n. 36

Aliquot effectus Euchariſtæ. Thom. à Villano. ib. n. 40

Euchariſtia illuminat ignorantiæ tenebras in piè recipientibus. Thom. fl. 18. n. 43

Facit dormire ſomno ligante ſenſus exteriores, ut vigeat interior. Gerſ. ibid. num. 44

Pauperes ſpiritu, contenti hoc ferculo aſpernantur delicias mundi. Cyprian. ibid. num. 46

A mensâ Euchariſtiâ fit homo ſimilis aquilæ. Inſinuat Chryſoſt. fl. 18. n. 48

Confirmat & confortat in vita recta finaliter. Thom. ib. n. 50

Efficit ut anima ſervet quæ acquiſivit. Cabaſil. ib. n. 50

Deus per Sanguinem Euchariſticum ſuam ipſius vitam in homine oriri facit. Idem. fl. 18. n. 51

Euchariſtia tranformat hominem in Deum. Vincent. Ferrar. ib.

Confortat à peccato; & præſervat roborando per gratiam, & repellendo impugnationes dæmonum. Idem ib. n. 52

Diabolus perhotreſcit labia rubentia Sanguine Chriſti: & fugit. Damian. fl. 18. n. 54

Per Euchariſtiam quomodo fideles armentur ad martyrii prælium. Cyprian. nomine Synodi. ib. n. 56

Eſſentiæ hominis commiſceri Sanguinem Chriſti, & illam efficere fortem & mundam, dixit Chryſoſt. ib. n. 58

In Euchariſtia nobis patefactus eſt introitus in cœlum. Cabaſil. fl. 18. n. 66

Communio ſacra magis nos aſtringit Deo, quàm generatio filios parentibus. ib. n. 70

Communio

Communio ſacra reprimit motus malos. Zurph. ib.n.72
Chriſtus in Euchariſtia arbor vitæ. Paſchaſ. fl.17.n.73
Euchariſtiæ effectus. Laur. Juſt. ib.num.80. & n.86
Chriſtus Dominus tribuens Euchariſtiam placat nobis Deum. Cabaſil. ibid. num. 82
Communicantes fiunt per communionem unum corpus Chriſti. Chryſoſt. fl. 18. num.89
Sanguinis Chriſti potus, lavat, ſanat, placat. Thom. ib.n.90
Euchariſtia ſanitas. Petrus Cellen. ibid. num. 93
Lætificat lætitiâ verâ. Druthmar. fl. 18. num.94

6. Euchariſticæ figuræ.

Euchariſtiæ ſacræ quomodo applicet Bed. illud Geneſ.27.n.28. Abundantiam frumenti & vini. fl.15.n.55
Euchariſtia ſignificata per vinum, quem fratres Joſeph biberunt in ejus domo. Paſchaſ. fl. 18.n.11
Adumbrata per calculum; quem Iſai.6. Angelus tulit forcipe de altari. Theodore. ib.n.13
Deſignata pane datô viro Ægyptio 1. Reg. 30.11. hoc eſt, peccatori converſo. Thom. ib.n.19
Euchariſtia repræſentatur per manna. Thom. à Villa no. fl.18.n.29
Figuratur in pane, quem protulit Melchiſedech Geneſ. 14. 28. Aug. & Clem. Alex.16.n.37
Euchariſtiæ fragrantiam ſubodoratus eſt Iſaac in Jacob. Paſchaſ.ib.n.45
Euchariſtia figurata ramo, quem detulit columba dimiſſa per Noe. Gerſ. 18. num. 49.
Significatur per manna. Remig. ib. n. 51. Cyprian. ib.n.55. Paſchaſ. ibid. n. 109 Incert. fl.19.n.60.
Figurata per vitulum in parabola prodigi. Chryſoſt. fl.18.n.53
Repræſentatur 1. Reg.21. panibus datis à ſacerdote. Ambroſ.ib.n.57
Adumbratur convivio, quod Joſeph exhibuit fratribus in Ægypto. Rupert. ibid. 59.
Et cibo, quem detulit Angelus ad Eliam. Paſchaſ.fl.18.n.61
Denotatur nube præcedente populum Iſrael. Drog. ib.n.63
Et in parabola theſauri. Matth. 13. Paſchaſ. ib.n.65
Sacrificiis, de quibus 3. Reg.85. adumbratur. Rupert. fl. 18.n.67
Sanguis Euchariſticus ſignificatus per ſanguinem agni Paſchalis. Idem. ibid. num. 99. & per ipſum agnum. Paſchaſ. ibid. num.109
Euchariſtia figurata panibus confectis à Sara pro hoſpitibus Abrahæ. Ricard. fl.19.n.54
Vide *Effectus.5.*

7. Liberalitas Euchariſtica.

Ex Euchariſtia, tanquam ex mari quiſque repleat ſuum vas, vel magnum, vel parvum. Thom. à Villa no.fl.18 n.30
In ea plenitudinem Divinitatis, & omnes divitias ſuas naturales Deus communicat. Cabaſi.ib.n.66
Sanguis Euchariſticus operatur pretium noſtræ redemptionis. Durand. Abb. ibid. n.98
Vide n.1.4.& 5

8. Motiva inſtitutionis.

Euchariſtia nobis fuit relicta tamquam pignus, ut in abſentia Salvatoris recordaremur ejus. Incert.fl.18.n.35.
Data fuit, ut ſemper commoneamur quòd Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Alger. ib.& Gerard. ibid.n.104.
Rationes aliquot, cur Deus voluerit præbere ſe nobis in Euchariſtiâ. Laur. Juſt. fl.18.n.14

9. Præparatio ad communionem.

Purgandum eſt cor, ut non faſtidias communionem. Laur. Juſt. fl. 18.n. 38
Oportet communicaturum reddere ſe mundum & candidum per multos bonorum operum labores, & per caſtitatem mentis & corporis. Remig.ib.n.100
Non ſatis eſt corporaliter adeſſe menſæ Euchariſticæ. Pachymer. ib.
Ad Euchariſtiam præparatio cum gemitu & compunctione, oratione, & ſi vales, cum lacrymarum imbre. Laur. Juſt.ibid.num. 102
Ante Euchariſtiæ ſumptionem non quieſcat manus à tergendo, nec oculus à rigando, ut ſentiamus dulcedinem. Thom. à Villa no.ib

10. Varia de S. Euchariſtia.

Euchariſtiam ſacram ſumpſiſſe Judam, dicere videtur Auguſtin. fl. 18.n.23
Chriſtus Dominus olim bibit ex calice Euchariſtico. Chryſoſt. ib. n. 43
Euchariſtia conſecrata eſt à Salvatore in caſtello Emaus. Inſinuat Aug.ib.n.69
Quid ſignificet quod Chriſtus Domiuus recumbentibus dedit Euchariſtiam. Irenæ. fl.18 n.75
Euchariſtia geſtat ſignum fraternæ charitatis. Lanfran.ibid.n.88
Si Deus nos liberaret per crucem, & Euchariſtiam non inſtitueret, ſalutem hominum non fore opus divinum, dixit Cellen. ib. n.98
Vide *Cant. loca. Eccli. loca. Iudas. Malach.loca. Maria.n.5. Pſal.loca.*

Excuſatio.

Homo, ſi quid boni fecerit, dicit: Ego egi: ſi verò quid mali, quæret quem acuſet. Aug.fl.14.n.17

Exemplum.

Exempla pereuntium non abſterrent decipientes. Od.Clun.fl.9.n.51
Exempli veterum Patrum effectus boni. Bleſ fl.12.n.26
Exemplis anteponenda ratio ſana. Aug.fl.13. num.4
Exempla malunt homines quam verba. Firmian.ib.n.30
Exempli quanta ſit efficacia. Humbert. fl. 13. n.32
Exemplum malum præbentes ſimplicibus, effundunt ſanguinem innocentem. Arnob. ib.n.56

Vide *Experientia. Scandalum.*

Exodi loca.

Exod. 15. n. 4. Currus &c. Brun. Aſt. fl. 10. num. 19

Cap. 32. 29. Conſecratis &c. Idem. fl. 15. n. 28

Cap. 12. n. 8. Edent carnes &c. Greg. Mag. fl. 18. n. 27

Cap. 12. n. 11. Baculos &c. Bed. ibid. num. 109

Experientia.

Ruina præcedentium admonitio debet eſſe ſequentium. Chryſoſt. fl. 16. n. 33

Experientia proditionis fortè proderit. Petrar. fl. 31. n. 35

Ezechielis loca.

Ezechie. 18. n. 7. nudum &c. Hieron. fl. 7. n. 31

Cap. 12. n. 22. In longum &c. Hug. Card. & Hieron. fl. 14. n. 54

Cap. 36. n. 1. Montes Iſrael, quid ſignificent. Hieron. fl. 16. n. 43

Cap. 37. n. 24. Servus &c. Idem ib.

Cap. 2. n. 9. Manus &c. Cellen. fl. 18. num. 98

Cap. 17. n. 5. Tulit de ſemine &c. Hieron. & Hug. Card. fl. 37. n. 53

F.

Fallacia.

FAllaciæ quorumdam. Laur. Juſt. fl. 38. n. 4

Falſa.

Falſa pro veris approbare error eſt, & pœna. Aug. fl. 22. 38

Vide *Mendacium.*

Fama.

Fama bona bonus odor. Gilbert. & Bernard. fl. 20. n. 39

Stoliditas ambientium famam, ut perpetuò vivant in hominum memoria. Thom. à Villano. fl. 24. n. 55

Fama quantùm valeat pro re bellicâ. Cur. & Tacit. fl. 39. n. 4

Fama non nixa viribus inſtabilis eſt. Tacit. ibid.

Vide *Gloria. Honor. Infamia. Vulgus.*

Fames.

Fames excludit affectum. Incert. fl. 6. n. 7

Familia.

Vide *Concordia.*

Favor.

Gratiæ captator humanæ ponitur ſuper ventum: & ejus merita flatu diſpergantur in nihilum. Bleſ. fl. 11. n. 40

Fel.

Vide *Tobias.*

Felicitas.

Felicitas poſt adverſitatem lætior. Bernard. fl. 10. n. 53

Felicitatem ſuam qui videt nunquam perturbatam, tardus eſt, niſi hinc metum concipiat ne ſimilis ſit diviti epuloni. Lug. fl. 14. num. 51

Iuſtus timet cum ei arridet viſus temporalium. Anton. ib. n 59

Laudem non conſequatur qui per fortunam accepit; ſed qui per pugnam. Peluſ. fl. 18 n. 78

Felicitates quædam temporales laboribus conſtant. Sereſb. fl. 20. n. 41

Felicitate temporali lætus immemor æternæ cæcus indicatur. Laur. Juſt. 22. n. 18

Felicitas falsò exiſtimata per eum, qui ſe reputat ſummè felicem, cum ſit in ſummâ miſeriâ, illum probat ſtultum. Remig. fl. 22. num. 54

Nullus in ſæculo felix eſt ab omni parte. Boet. fl. 25 n. 19

Felicitas humana reſpergitur amaritudinibus. Idem n. 47

Aliqui ſunt felices errore ſuo; alii verſantur in viâ ad felicitatem. Petrar. ibid. num. 53

Latiores videbis quos nunquam fortuna reſpexit, quàm quos deſeruit. Senec. fl. 39 num. 56

Feliciſſimus delicatus eſt ad mala minima. Boet. ib.

Vide *Adverſitas. Bona temporalia. Dives. Fortuna. Gloria. Proſperitas.*

Fides.

Ferè libenter credimus quod volumus. Cæs. fl. 4. n. 35

Fides divina eſt lucerna. Ambroſ. fl. 18. num. 42

Fides eſt auris animæ. Clem. Alex. fl. 21. num. 39

Fides pia ſcutum inexpugnabile. Chryſoſt. fl. 31. n. 13

Difficile credere ſolemus quod non videmus. Ambroſ. fl. 4. n. 35

Vide *Geneſis loca.*

Fiducia.

Fiducia vana peccatoris facit eum in ſceleribus perdurare, ac reddi tardum ad bene operandum. Laur. Juſt. fl. 5. n. 32.

Negligentes recedere ab iniquitatibus, aliquando repentino Dei furore præventi amittunt converſionis tempus. Fulgent. ib. n. 36

Nec multùm confidamus; nec ſimus puſillanimiter diffidentes. Ex Orig. Zachar. ib. num. 46

Vide *Confidentia. Peccator. Præſumptio. Spes. Superbia.*

Filia. Filius.

Filius perditæ vitæ pondus eſt patri. Petrar. fl. 1. n. 3

Filii nec nimiis flagellis, nec nimiâ blanditiâ ſunt educandi. Maph. ib.

Filiæ quantâ diligentiâ ſunt educandæ. Idem ib. n. 5

De filia dictum Auguſti Cæſaris. Petrar. fl. 1. n. 5

Filii non ferant acerbè flagella patris; & cur. Theodul. ib. n. 7

Diviſi ab obedientiâ patris quaſi non ſunt filii. Ricard. ib. n. 9

Qui patri reſtitit experietur filium rebellum. Petrar. fl. 1. n. 9

Filii verbum irreverenter dictum in patrem, acerbius duritie patris. Idem ib.

Filius deſpiciens genitorem reprehenditur ab Ambro. fl. 1. n. 58

Filii erga parentem Imperatorem exemplum laudabile ex Ricard. ib.

Filii boni non ſolent naſci de parentibus malis, vel econtra. Chryſoſt. fl. 15. n. 5

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum.

Filii sunt præmia nuptiarum. Ambros. fl. 25. n. 21

Filiorum sterilitatem dolent divites. Chrysost. ib.

Filii rarò sunt dissimiles parentibus. Idem fl. 28. n. 6

Filii circa parentes amor filialis quàm sit acceptus Deo; & irreverentia quàm execrabilis. Ricard. apud Bles. fl. 30. n. 38

Filius, cujus voluntas à paterna dissentit, videtur denegare patrem. Idem. ib.

Filii crebrò gignuntur dissimiles parentibus. Aurel. fl. 31. n. 57

Vide *Amicus. Divitiæ. Mater. Pater.*

Filii Zebedæi.

Filiorum Zebedæi mater petiit filiis eminentiam temporalem. Thom. fl. 13. n. 41

Duo fratres illi non peccaverunt volentes advocare de cælo ignem contra Samaritanos. Ambros. & Card. Tolet. fl. 35. n. 22

Vide *Apostoli.*

Fœmina.

Fœminarum inconstantia. Petrar. fl. 1. n. 5

Fœminarũ studium circa pulchritudinem artificialem reprehenditur. Clem. Alex. fl. 19. n. 4.

Quam dixerit pulcherrimam fœminam conjugatam idem ib.

Fœmina non permittitur docere in memoriam stultitiæ Hevæ. Humbert. ib. n. 5

Fœminarum prodigalitas sugillatur. Clem. Alex. fl. 19. n. 10

Fœnum.

Fœnum de quo Joann. 6. n. 10, significat voluptatem carnis. Druthmar. fl. 25. n. 6

Fornicatio.

Vide *Luxuria.*

Fortis. Fortitudo.

In adversis nihil esse mali, nisi succumbere animô, dixit Senec. fl. 19. n. 69

Ille fortis est, qui non in se, sed in Deo. Aug. fl. 31 n. 1

Fortis est qui se vincit, adversis non perturbatur, secundis non extollitur, non murmurat contra flagella Dei &c. Laur. Just. ib. n. 6

Fortitudo significata per smaragdum. Anton. ib. n. 19

Tres habet partes: arduorum aggressionem, patientiam in adversis, æquanimitatem in fortuitis. Idem fl. 31. n. 19

Fortitudo animi est, quæ inconcussa permanet; illecebris non resolvitur. Prosp. ib. n. 27

Fortitudo Martyrum venit à gratia Dei. Francon. ib.

Fortitudo est mediocritas in metu & confidentia. Aristot. fl. 31. n. 47

Fortitudinis partes, & illius descriptio. Julian. fl. 34. n. 53

Vide *Timor.*

Fortuna.

Fortunam sequuntur multi fructus: qui primùm dulces amarescunt postea. Seresb. fl. 7. n. 36

Fortuna est vitrea. Marbod. ib. n. 40

Cum prosperè agimus, timeamus: memores simus Adversitatis. Nazianz. ib. n. 52

Illustrem fieri per fortunam minus est, quàm per industriam. Demosthe. fl. 19. n. 7

Fortuna te quiescere non sinet: quantum ad augmentum accesserit, accedet ad metum. Senec. fl. 26. n. 49

Nulli fortunæ creditur minùs benè, quàm optimæ. Idem ib.

Vide *Felicitas.*

S. Franciscus.

S. Franciscus renovavit Ecclesiam triformiter. Bonavent. fl. 15. n. 42

Significatur per Matthiam, de quo 1. Machab. 2. agitur Anton. ib. 43

Fratres.

Vide *Amicus.*

Fraus.

Vide *Dolus. Falsa. Mendacium.*

Fructus.

Vide *Obedientia.*

Fuga.

Fugâ meliùs vincuntur carnalia, & occasionis remotione. Zutphan. fl. 36. n. 6

Fumus.

Fumus Apoc. 19. 3. figura præsentium tribulationum. Ansbert. fl. 14. n. 19

Furtum.

Furtum, Satanæ pecunia est. Quidam apud Greg. Turon. fl. 7. n. 11

Vide *Dives. Eleemosina.*

Futura.

Vide *Bona temporalia.*

G

Gabriel.

Gabriel annuntiavit mundi salutem. Taumat, fl. 11. n. 6

Interpretatur Dei fortitudo. Greg. M. ib.

Nominis, Gabriel, alia interpretatio: Deus & homo. Procl. ib.

Missus est, ut deferret subscriptionem revocationis Adamo. Taumat. fl. 11. n. 8

Missus est ut mulieris ignonminiam mutaret in honorem. Idem ib. n. 10

Et ut dignum Deo thalamum pararet. Idem ib. n. 12

Et ut contraheret sponsalia inter creaturam & Creatorem. Idem fl. 11. n. 14

Ideo missus est Angelus ad anuntiandam incarnationem per quam restauratus est homo, quia per angelum malum incepit generis humani perditio. Bed. ib.

Vide *Maria. n.* 13

Gaudium.

Gaudium de regno Dei apud Bernard. fl. 3. n. 24

Gaudium mundi inconstans Seresb. fl. 14. n. 15

Propinat mundus illecebras dulces; at novissima sunt amara valde. Idem ib.

Gaudium admittendum non est de lætitiâ privatâ, sed de felicitate perpetua. Greg. M. fl. 23. 4

Gaudium bonum est, si habeat motivum congruum rationi. Prosp. ib. n. 10

Ne gaudeas cum benefeceris alicui; sed cum patienter pertuleris adversitatem. Marc. Erem. ib.

Verum

Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & juſtitia teneatur. Incert. fl.23.n.11
Gaudium mundi copulatur triſtitiæ. Chryſoſt. ibid.n.21
Gaudia præſentia ſequuntur lamenta perpetua. Evaneſcat quidquid ex præſenti ſæculo arridet per conſiderationem ignis æterni Maphe. fl.25.n.7
Gaudium à lætitia quando differat apud Remig ib.
Gaudia ſæpe ſunt initia dolorum. Senec. ibid. num.51
Gaudium datum eſt homini, ut gauderet in Deo, & in ſpe felicitatis æternæ. Fr. David. fl.26.n.25
Jucundetur cor noſtrum ut timeat nomen Domini. Aug. ib.n.24
Gaudium poſt mærorem opportunum. Bern. fl.10.n.54
Vide Felicitas. Fortuna. Juſtus. Lacrymæ Lætitia Tribulatio. Voluptas.

Gehenna.

Vide *Infernus.*

Geneſis loca.

Geneſ. 6.n.16. Recede &c. Chryſoſt. fl. 6. n.37
Cap 3.n.8. Vocem Domini &c. Brun. Aſt. fl.7.n.21
Ibidem n.10. Eò quòd &c. Idem ib.
Cap. 4 n.26. Iſte cœpit &c. Rupert. & Aug. fl.9.n.34
Cap. 43.n.30. Erumpebant lacrymæ &c. Rupert. fl.10.n.55
Cap.12.n.1. Egredere. &c. Rupert. fl. 11. n.45
Cap.3.n.19. Pulvis &c. Arnol. fl. 12. num. 17
Cap.3.n.12. Mulier &c. Chryſoſt. ibid. num.37
Cap.2.n.16.& 17. exegiſſe Deum ab homine charitatem, fidem,& ſpem, dixit Rupert. fl.15.n.18
Cap. 28. n. 17. Non eſt &c. Caiet. ibid. num.39
Cap.27.n.29. Serviant tibi &c. Bed. ibid. num.55
Ibidem n.27. Ecce odor &c. Rupert. fl.15. num.55
Ibidem n.28. De rore cæli,&c Bed. ib.
Cap.39.n.6. Nec quidquam &c. Chryſoſt. ib.n.68
Cap.3.16. Multiplicabo &c. Brun. Aſt. fl. 17.n.23
Cap. 27.n.28. Abundantiam frumenti &c. Incert. fl.18.n.71
Cap 39.n.20. Aſer pinguis panis &c. Rupert. ib.n.72
Cap.45.n.2. Elevavitque vocem &c. Rupert. fl.19.n.88
Cap.15.n.8. Unde ſcire poſſum &c? Idem ib.n.94
Cap.19.n.17. In monte ſalvum &c. Idem fl. 20.n.50
Cap.3.n.22. Ecce Adam &c. Rupert. fl. 24. n.52
Cap.30.n.1. Da mihi liberos. &c. Chryſoſt. fl.25.n.28
Cap. 16.n.6. Ecce &c. Idem. fl.27.n.10
Cap.16.n.5. Iniquè &c. Idem ib.
Cap.31.n.24. Cave &c. Chryſoſt. ib.n.28
Cap. 3.n.17. Maledicta terra &c. Severian. fl.28.n.46
Cap. 3.19. Donec revertaris &c. Brun. Aſt. ib.n.49
Cap.28.n.17. Pavenſque &c. Chryſoſt. & Caiet. fl. 31.n.24
Cap.32.n.30. Salva facta eſt &c. Hug. Card. ibid.
Cap.40.n.21. Reſtituitque alterum &c. & ibidem n.22. Suſpendit &c. Rup. fl.32.n. 22.
Cap.45.n.26. Quaſi de gravi &c. Idem fl.40. num.48
Cap.32.n.24. Vir luctabatur &c. Idem. fl. 32.n.27
Cap. 49.n.22. Filiæ &c. Rupert. fl. 35. n. 34
Ibidem nu. 23. Habentes jacula. Idem. ibid.
Cap.4.n.14. Ejicis me &c. Hug. Card. fl. 35.n.53
Cap.18.n.21. Deſcendam &c. Damian. fl. 39.n.44
Vide *Cain. Paſtores.*

Gentiles.

Vide *Eſau.*

Giezi.

Giezi peccata. Lir. fl.9.n.16

Gloria.

Gloriatio eſt quædam inſipientia. Sedul. fl.6. num.7
Gloriatur ſecurè qui teſte conſcientiâ de gloria Conditoris nihil uſurpat. Bern. fl.15. num.60
Gloria vana dicitur naufragium; & comparatur formicæ. Clim. fl.16.n.14
Gloriæ mundanæ cupiditas dilectione juſtitiæ ſuperetur, & amor humanæ laudis cedat erubeſcens amori veritatis. Aug. fl. 19. n.36
Gloria vera putatur ſæpe quæ eſt imago falſa gloriæ. Petrar. fl.20.n.31
Gloria fugientem ſequitur, ſectantem fugit. Chryſoſt. ib.n.33
Gloriam temporalem ambientes repellit adverſitas. Greg. Mag. ib.
Gloriæ mundanæ cupiditas nociva. Nil. fl.32. num.25
Qui de virtutibus extollitur, medicamento vulneratur. Angelom. ib.n.53
Gloriæ mundanæ vanitas. Ambroſ. fl. 35. num.3
Gloriâ vanâ tanguntur aliqui dantes eleemoſynam in occulto. Euthym. fl. 36. num. 54
Gloriari quomodò poſſimus. Bern. fl. 37. num. 30
Gloria laudis humanæ non eſt habenda pro fine operum bonorum. Chromat. fl. 38. num.48
Vide *Ananias. Bona temporalia. Honor. Laus. Mundus. Vana gloria.*

Goliath.

Gigantis arma ſignificant impietatem diaboli. Augelom. fl.20.n.62

Gratia.

Gratia dicitur aqua viva. Radulph. fl. 32. num.2
Vide *Deus. Favor. Fortitudo. Maria.* num.1

Syllabus doctrinæ sanctorum Patrum,

Gratiarum actio.

Quidam confitentur Deo, cùm accidit bonum; si patiuntur damnum, blasphemant Aug. fl. 10. n. 24

Deo gratias agendi motiva apud Bernard. fl. 28 n. 38

Vide *Tribulatio.*

Gratitudo.

Gratitudinem à brutis discere pudeat. Thom. à Villano. fl. 1 n. 44

Sæpe qui retulit gratiam ingratus est, & qui non retulit gratus. Senec. fl. 18. n. 106

Vide *Ingratitudo.*

Gula.

Edax loquitur sine freno. Laur. Just. fl. 2. n. 9

Gulæ malum. Greg. M. ib. n. 15

Gula valde nociva. Isid. Hisp. ib. n. 19

Ebrietas hominem facit velut servum. Basil. M. fl. .n. 19

Gula plures occidit quàm gladius. Franc. Patr. ib. n. 23

Facit hominem pabulum mortis. Basil. M. ib.

Gulam si continueris, habitabis paradisum. Idem fl. 2. n. 23

Gulæ filiæ aliquot. Clim. ib. n. 21

Ebrios videtur fera. Chrysost. ib. n. 25

Ebrietas deformat in homine imaginem Dei. Blesf ib.

Gulæ dediti dant sibi pœnam. Chrysost. fl. 9. n. 49

Corpus non opus habet deliciis atque saturitate. Pelus. fl. 16. n. 5

Dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Od. fl. 24. n. 12

Gulæ mala quædam. Chrysost. fl. 24. num. 19

Restringamus ventrem memoriâ gehennæ. Clim. ib.

Vide *Corpus. Cupiditas. Iejunium. Lingua. Temperantia.*

H

Habacuc loca.

HAbac 2 n. 6. densum lutum quid significet. Greg. M. fl. 2. n. 35

Cap. 2. n. 5. Quasi infernus.... quasi mors &c. Theodore. fl. 3. n. 47

Vide *Angelus.*

Heli.

Heli quare periit. Maphe. & Hieron. fl. 17. n. 31

Heliotropium.

Heliotropii flores gaudere videntur ad ortum solis. Paschas. fl. 28. n. 26

Henoch.

Henoch translatio non abstulit morti jus in genus humanum: & fuit revocatio sententiæ inflictæ Adæ. Chrysost. fl. 13. num. 25

Henoch. habet socium Eliam: & ambo testes erunt pro secundô Christi Domini adventu. Prosp. ib.

Heredes.

Heredes fuimus peccatoris Adami; nunc verò Christi Ambros. fl. 28. n. 54

Vide *Dives.*

Herodes.

Herodes reprehensionem Joannis non ferens, pudorem in iram commutavit, & puniens vinxit eum. Euthym. fl. 12. n. 47

Herodes alius interfecit tres filios suos. Chrysost. fl. 34. n 50

Vide *Pilatus.*

Heva.

Hevæ pertinax superbia in excusatione suâ. Arnold. fl. 14 n. 18

Heva significavit Ecclesiam. Brun. fl. 17. n. 23

Hieronymus.

Vide *Augustinus.*

Homo.

Homo sibi inutilis congregat omnia in suum judicium reus. Hildebert. fl. 2. n. 53

Homo fallitur per varia interna sæpe. Edmund. fl. 5. n. 54

Homo dicitur arbor. Ansel. fl. 14. n. 28. & Fulg. 28. n. 50

Humanum genus tamquam puer eget nutrice subtrahente ipsi gaudia, quæ sunt semina dolorum. Guigo. ib. n. 47

Hominis natura quàm sit cæca. Arnob. fl. 18. n. 44

Hominis opprobrium est putredo cadaveris & vermes. Aug. fl. 19. n. 28

Homo interior sua dicitur etiam habere membra. Euthym fl. 20. n. 35

Homo attendat unde venerit, & erubescat: ubi sit, & ingemiscat: quò vadat, & contremiscat. Bernard. 22. n. 5

Miser homo totus pergens ad exteriora, & interiorum ignarus seducit se. Idem n. 22

In nobis habitant hostis & amicus. Paulin. ib. n. 24

Hominis definitio quædam descriptiva. Campan. fl. 24. n. 5

Homo non præsentit mala sua; maxime verò quædam animalia. Plin. fl. 25. n 57

Caveat falli in regimine suî. Doroth. fl. 26. n. 51

Homo comparatur folio, qui ab arbore cecidi in paradiso. Eucher, fl. 28 n. 40

Homo quomodo sit fœnum. Basil. M. fl. 37. n. 16

Vide *Cæcitas. Cor. Desiderium. Diabolus. Excusatio. Gloria. Justus. Os. Peccator. Peccatum. Terra. Via.*

Honor.

Honor summus & gloria est cedere majestati divinæ, & non reluctari Ecclesiæ authoritati. Bernard. fl. 7. n. 20

Honor verus quis sit. Sime. Jun. fl. 20. num. 31

Non est appetendus honor à malo: & cur Incert. & Guig. ib. n. 47

Honor sæculi decrescit ex eo, quòd ad illum necnon mali conscendant. Eucher. fl. 22. n. 52

Honoris amor in viro nobili. Od. fl. 40. n. 35

Vide *Ambitio. Dignitas. Divitiæ. Gloria. Peccator. Peccatum.*

Hostis.

Acerbum supplicii genus est vivere cum odientibus. Cyrill. fl. 14. n. 23

Vide *Amor. Inimicus. Patientia.*

Humili. Humilitas

Humilis quietcit. Guarric. ſl. 1.n.24

Humilitas ſecurior & altior ſacerdotio. Petr. Abb ib.

Sancti cum agunt fortia, ſemetipſis vilia ſentiunt. Greg. Mag. ſl.5.n.48

Humiles ſtringentes labia ab amore temporalium, inundationes maris quaſi lac ſugunt. Anton. ſl.7. n.65

Ex humilitate & pietate naſcitur charitas. Nil. ſl.8 n.3

Humilis ſolus ſeipſum poſſidet in pace quieti & modeſti ſpiritûs. Guarric. ib.n.13

Humilitas ficta aliud in ore promit; aliud in corde geſtat. Laur. Juſt. ib.n 27

Humilem contumelia non mordet. Cyrill. Alex. ſl.8.n.25

In humilitate habent Chriſtiani gloriam. Aſter. ib. n.45

Humilis poſſidet perfectionem monaſticæ & Angelicæ conſervationis. Joann. Abb. ſl. 9.n.35

Humilitas quàm neceſſaria. Bernard. ib.

Humilitatem reſpuit cor carnale dum gloriam quærit hujus vitæ. Bed. ſl.12.n.19

Humilis cum voluptate & benevolentiâ acceptat correctiones. Antioch ib n.30

Humilitatis veræ indicium eſt non contradicere alteri dicenti te malum. Laur. Juſt. ib. n.46

Humilitas eſt theſaurus. Clim. ſl.15.n.11

Dicitur extrema humilitas unica juſtitia à Simeon. Jun. ib.n.38

Humilium laus Sedul. ib.n.44

Libenter ſe fateri neſcire, dixit Ambroſ. ſl.16.n.6

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia quia fons repletivas vacuum. Aug. ib. n.24

Humilis quis cenſendus ſit Thom. à Villa no. ib.n 32

Humilitas Angelorum & Sanctorum in gloria. Fr. David ſl. 6 n.n.38

Submiſſionem appellat Clim. illuſtrem, quam ſcribens amplexus eſt. ib.n.42

Chriſtianus tunc maximè ſupra omnes eſſe incipit, cum inferiorem ſe omnibus facit. Chryſoſt. ib.n.42

Humilitatis gradus tres diſtinguit Laur. Juſt. ſl.16.n.44

Humiliare nos æqualibus quomodò Chriſtus docuerit. Ambroſ. ib.n.45

Humilitatis ſupremus gradus ex Lau. Juſt. ib.

Humilitas alia eſt, ad quam cogit veritas: alia, quam inflammat charitas. Bern. ſl 19. n.38

Humilitas condimentum eſt bonorum operum. Greg. M. ſl.20.n.51

Humilitatis excellentia. Sime. Jun. ib.

Ejus neceſſitas & utilitas Laur. Juſt. ib.n. 61

Humilitas vexillum Chriſti. Guarric. ſl.20. n.61

Humilitas eſt quædam prudentia occulta. Sime. Iun. ſl.21.n.16

Humiles & contempti ab hominibus in cuſtodiâ Dei ſunt. Greg. M. ſl.19 n.62

Puſilli deſpiciendi non ſunt propter cuſtodes Angelos. Euthym. ſl.30.n.29

Humilium afflictione Deus laceratur. Od. ib. n.42

In ſolis humilibus ſapientia quieſcit. Guarric. ſl. 38.n.10

Sine humilitate ſapientiam quærens relinquetur in tenebris. Laur. Juſt. ib.

Quantò magis homo proficit, tantò ſe immundiorem exiſtimat. Abb. Theon. ib n.34

Humilitas prodeſt ad recipiendam ſapientiam cœleſtem. Anton. ſl.38.n.38

Et ut prædicator fructum faciat utilis eſt idem ib.

Diffidentia ſuî reddit hominem commendabilem. Laur. Juſt. ib n.48

Inſtar pavonis teipſum lateat quod in te eſt virtutis; & ab occulis non recedat quod vitioſum. Dam. ſl.38.n.50

Apertis à laudatore oculis noſtris ad videndas virtutes proprias evaneſcunt. Clim. ib. n.50

Remedium ne nos decipiant laudatores. Idem ib.

Humilitas circa ſapientiam. Aug. ſl.38.n56.

Humiliet ſe minoribus qui gradum ſuæ celſitudinis amat. Sereſb. ſl.39.n.54

Qui recedit ab operibus humilitatis, cadit. Idem ib.

Humilitas novit fugere tribulationem cum delectatione. Anton. ſl.23.n.n.36

Vide *Anima. Beatitudo Chriſtus Dominus. Cognitio ſui. Conſilium. Dignitas. Gloria. Patientia. Prælatura. Reprehenſio. Rex. Timor. Verecundia, Virtus.*

Hyems.

Hyems aliquando ſumitur pro adverſitate Bleſ. ſl.3 n.44

Hypocryſis. Hypocrita.

Hypocrytarum laudes & honores vertentur in fel. Greg. M. ſl.25.n.10

Vide *Detractor. Laus. Mendacium.*

I

Jacere.

JAcere quid ſignificet. Eucher. ſl.20.n.3

Iacob.

Jacob non eſt mentitus cum apud Iſaac dixit ſe primo genitum Theodoret. ſl.4.n.86

Fugiens Labanum quid ſignificet. Brun. Aſt. ſl 6 n.23

Figuravit populum Chriſtianum. Sedul. ib n.51

Jacobi poſt luctam fiducia. Chryſoſt. ſl.7.n. 63

Jacobi ſomnus in via, quid. Greg. M.ſl 9.n. 62

Jacob ſcala quid ſignificet. Rupert. & S. Bened. ſl.15.n.39

Jacobi lucta cum Angelo ſignificavit preces antiquorum Patrum poſtulantium incarnationem verbi Divini. Hailgrin. ſl.19.n 96

Jacob, poſt viſam ſcalam obſtupuit propter magnam miſericordiam Dei Chryſoſt. ſl.31. n.24. Timuit ibi judicium divinum. Cajet. ib.

Jacobi luctatoris lacrymæ quid myſticè. Hug. Card. ſl 32.n.30

Ejus lucta deſignat dulcem animæ luctam cum Deo. Rupert. ib.

Jacobi patientia circa Laban. Incert. fl. 34. n. 44
Vide *Religio.*

Iacobi Apostoli loca.

Jacob. 4. n. 11. Qui detrahit &c. Bed. fl. 4. n. 44
Cap. 3. n. 2. Si quis &c. Idem ibid. num. 78
Cap. 5. n. 23. Divitiæ &c. Lir. fl. 6. num. 31
Cap. 1. n. 9. Glorietur &c. Hug. Card. fl. 15. n. 12
Cap. 5. num. 4. Clamor &c. Thom. fl. 36. n. 43

Iactantia.

Vide *Superbia.*

Iejunium

Jejunii utilitas. Chrysost. & Basil. M. fl. 2. num. 10
Jejunii quoddam genus impositum est Adæ: & quantum perdidit per transgressionem. Chrysost. ib.
Jejunium est utile ad vincendas illecebras. Ambros. ib. n. 13
Nullus vincit spirituale certamen sine jejunio. Greg. M. fl. 2. n. 15
Jejunium expeditus comes viatoribus. Basil. Mag. ib. n. 17
Jejunio dimicatum est adversùs Amalec. Hieron. ib n. 14
Jejunaverunt Hebræi quomodo comederunt manna. Ambros. fl. 2. n. 18
Jejunium etiam utile ad prælium. Idem ibid.
Jejunio delectari pellicanum, fertur. Sic refert Brun. Ast. fl. 15. n. 17
Jejunium reducit hominem ad paradisum. Chrysost. ib.
Jejunii laus. Elig. ib. n. 18
Jejunium saginat animam gratiæ cælesti pinguedine. Damian. fl. 16. n. 40
Cibus parcimoniæ & potus abstinentiæ docet vitia nescire. Ambros. fl. 18. n. 5
Vide *Abstinentia. Adam. Corpus. Gula. Misericordia.*

Jeremiæ loca.

Jerem. 1. n. 6. Nescio loqui &c. Carthus. fl. 1. num. 55
Cap. 2. 6. Per terram sitis &c. Gilbert. fl. 3. n. 42
Cap. 50. n. 2. Confusus est &c. Carthus. fl. 4. n. 68
Cap. 8. n. 10. Heredibus &c. Gloss. Ord. ex Theodore. fl. 9 n. 18
Cap. 2. n. 13. Cisternas &c. Hug. Card. fl. 9. n. 60
Cap. 7. n. 10. Liberati sumus &c. Hieron. fl. 10. n. 31
Cap. 4. n. 18. Ista malitia &c. Carthus. fl. 12. n. 11
Cap. 6. n. 24. Audivimus &c. Carthus. fl. 14. n. 20
Cap. 20. n. 9. Neque loquar &c. Hieron. fl. 20. n. 28
Cap. 2. n. 22. Si laveris te &c. Carthus. fl. 31. n. 54. & Hieron. fl. 32. n. 34
Cap. 3. n. 5. Ecce locuta &c. Cornel. à lap. fl. 37. n. 54
Cap. 2. n. 24. Nullus avertet &c. Carthus. fl. 32. n. 34
Cap. 23. n. 5. Regnabit rex &c. Hieron. fl. 33. n. 35
Cap. 22 n. 30. Virum istum sterilem, Carthus. ib. n 55
Cap. 22. n. 13. Væ qui ædificat &c. Idem. fl. 36. n. 15

Jerico.

Jerico significat mundum. Isidor. Hispal. fl. 18. n. 97

Ieroboam.

Notatur quod 3. Reg. 13. n. 6. non curaverit de sceleris veniâ, sed de sanitate manus. Gloss. Ord. ex Theodore. fl. 12. num. 45

Iezabel.

Jezabel majores pœnas dedit, quàm Achab. & quare. Chrysost. fl. 11. n. 29
Jezabel significat mortem æternam. Ruper. fl. 19. n. 106

Ignis.

Vide *Infernus.*

Ignobilitas.

Quædam abjecta sunt inter laudandum commemoranda. Aster. fl. 8. n. 45

Ignorantia.

Ignorantia graviter culpabilis validissimum venenum est. Petr. Apostolus relatus à Clem. Roman. fl. 5. n. 26
Scire nolens quà possit venire ad vitam judicatur quasi sciens. Clem. Rom. fl. 24. num. 2
Quidam scire contemnunt quæ facere despiciunt. Od. Clun. ib. n. 5
Ignorantia humana magnum pelagus est. Greg. M. ib. n. 48
Vide *Homo. Humilitas. Peccator.*

Impatientia.

Vide *Ira.*

Impietas.

Impietas multiplex numeratur. Primas. fl. 5. num. 9
Impietas rigorosè quid. Basil. M. fl. 29. num. 7

Impudentia.

Impudentia & frontosa temeritas odibilis Deo. Bern. fl. 12. n. 6

Inconstans. Inconstantia.

Inconstantes in bono imitantur corvum dimissum ab arca. Maph. fl. 2. n. 43
Inconstantiæ fluctuatio. Senec. fl. 3. n. 1
Inconstantis desiderium flamma palearum. Anony. ib.
Inconstans est similis cancro. Clim. ibid. num. 2
Inconstantes aliqui velut naves non saburratæ, nullo gubernante. Basil. Mag. fl. num. 48
Inconstantes quidam comparandi sunt mulieribus & parvulis. Ansel. 28. n. 3
Vide *Diabolus. Bona temporalia.*

Infamia.

Infamiæ justæ deste causam. Petrar. fl. 12. num. 4
Vide *Contumelia. Detractio. Fama. Honor.*

Infelix.

Infelix carere solet amico. Seresber. fl. 36. num. 2
Vide *Adversitas. Felicitas. Fortuna. Fortitudo. Tribulatio.*

& priſcorum Sapientum.

Infernus.

Inferni ignis expers lucis eſt. Anony. fl. 6. n. 32

Inferni major timor eſt quàm mortis. Euſeb. Pamph. fl. 37. n. 7.

Vide *Luxuria. Mundus. Peccator. Tribulatio.*

Ingratitudo. Ingratus.

Ingratus ad accepta beneficia, indignus eſt ut accipiat alia. fl. 15. n. 21

Vide *Gratitudo.*

Inimicus.

Inimico frequenter benefaciens, tandem mollit illum. Incert. fl 7. n. 29

Inimico benefacere glorioſa victoria eſt. Thom. à Villano. fl. 29. n. 26

Inimico indigenti ſubvenire laudatur. Valerian. & Peluſ. fl. 34. n. 39

Etiam cum implacabili fœdus ineundum eſt, ſi detrimentum inde pietati non inferatur. Peluſ. fl. 39. n. 26

Vide *Amor. Hoſtis. Mundus. Veritas.*

Injuria.

Injuriam ferre optabilius, quàm inferre. Incert. fl. 4. n. 51

Injurias Dei diſſimulare impium eſt; in propriis eſſe patientem, laudabile. Chryſoſt. fl. 12. n. 28

Injurias conniveamus: ſæpe nec illas fateri nobis factas expedit; nedum vindicare. Senec. fl 20 n. 19

Injuriam potiùs infert opinio noſtra, quàm aliena labia, vel manus. Nihil. fl. 20. num. 19

Injurias non ferens quomodò ſe dicere audebit imitatorem Chriſti; cum potiùs exhibeat ſe inimicum ejus? Sime. Jun. 20. num. 23

Injuriam nemo patitur in animâ, niſi ſeipſum afficiat injuriâ. Chryſoſt. fl. 33 n 26

Injuriarum memoria quàm exitioſa. Nil. fl. 34. num. 23

Qualiter faciat ream divino judicio animam injuriarum memoria. Idem & Euſeb. ibid.

Quanta ſit res cor expurgare ab omni injuriarum memoriâ. Antioch. ibid. num. 24

Injuriæ & injuriarum contumeliæ conſtituuntur per imbecillitatem patientium illas. Chryſoſt. fl. 34. n. 35

Injuriarum recordatio impedit rationem. Nil. ib. n. 41

Vide *Contumelia. Detractio. Infamia. Ira. Patientia. Vindicta.*

Innocens. Innocentia.

Innocentia eſt oblatio non modica facta Deo Firmia. fl. 7. n. 28

Innocens quinam ſit. Qui ſibi nocet, cui miſero parcet? Aug. fl. 5. n. 7

Vide *Anima. Virtus.*

Inquietudo.

Vide *Peccator.*

Inſidiator.

Qui vicino inſidiatur, qui quotidie nititur fines alienos arrodere, &c. dicitur vulpes ab Ambroſ. fl. 8. n. 7

Intellectus.

Melius foret rationis compotem non eſſe illi, qui amore veri caret. Bernar. fl. 5. n. 28

Intellectum dixit vitam Bernard. fl. 16. num. 54

Vide *Homo.*

Invidia. Invidus.

Diabolus quia invidit, detraxit. Guarric. fl. 4. n. 49

Invidia quàm mala ſit. Baſil. M. fl. 6. num. 34

Ab invido quomodo cavebis? Thom. à Villano. ib.

Invidus comparatur baſiliſco. Idem ibid. Charitatem averſatur. Chryſol. fl. 6. num. 36

Ejus familiaritas vitanda. Baſil. M. ib.

Invidia comitatur divitias. Lippoma. ib. num. 38

Invidet cupidus. Greg. M. fl. 6. n. 40. & Chryſol. ib. n. 41

Invidus unus ſufficit evertere unum populum. Nemini parcit: detrahit amico. Thom. à Villano. ib. n. 42

Invidetur citò virtuti. Ambroſ. fl. 6. num. 43

Invidia humilitate reprimitur. Idem ib.

Invidi ſimilantur ſenibus, quia non poſſunt videre cominus. Anton fl. 8. n. 16

Invidia nonnunquam in propinquis & fratribus. Baſil. M. ib. n. 17

Invidi rident facta meliorum. Incert. fl. 20. num. 6

Invidiæ mala. Laur. Juſt. ib. n 44

Invidet miſero nemo. Aug. fl. 21. n. 37

Falſi juſti verum invident. Aug. fl. 24. num. 49

Invidia acerba eſt & truculenta. Iſidor. Peluſ. ibid.

Invidiæ remedia quædam. Zutpha. fl. 26. n. 17

Invidia ſimilatur vermi ligni, & tineæ veſtis. Antioch. fl. 35. n. 1

Is, cui invidetur, à Domino protectus, mirè promovetur ac proficit. Idem ib.

Invidia parum, vel nihil offendit eos, quibus invidetur; invido verò affert ingens detrimentum. Greg. Preſb. ib. n. 5

Invidus pingitur à Baſil. M. fl. 35. n. 5

Invidia cœca eſt. Liv. ib. n. 6

Aliquando per augmentum gloriæ ceſſat fumus invidiæ. Plutar. ib.

Ibi nulla invidia, ubi nulla felicitas. Idem fl. 35. n. 6

Invidia diabolicum peccatum eſt: commodi nihil habens; nec boni præter quàm quòd torquet invidentem. Thom. à Villano. ibid. n. 27

Primùm corrumpit eum, à quo generatur. Chryſoſt. ib.

Totum hominem interiorem putreſcere facit & tabeſcere, ſicut febris ethica. Bed. fl. 35. n. 27

Magnas vires habet ad cœcandas mentes. Chryſoſt. ib.

Invidus beneficiis non placatur; ſed accenditur. Baſil. M. ib. n. 29

Invidia ſuorum carnifex corda corrumpit. Chryſol. fl. 35. n. 31

Invidiæ radix amor privatus. Anton. ib.

Invidiâ pereunt etiam acta fortia virtutum ante oculos Dei. Greg. M. ib. n. 33

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum

Invidus facilè vincitur ab omnibus & antea ſuperatur ab affectionibus propriis. Chryſoſt.fl.35.n.33

Invidiæ peſtis perdit quidquid boni operis vireſcit in homine. Incert. ib.n.35

Et ærugo tineaque. Idem ib.

Invidus domeſticum habet tortorem.Chryſola fl.35.n.49

Invidia cum tabefecerit mentem, cuncta bene geſta petdit. Greg. M.ib.

Invidia pluſquam fera immaniſſima. Andron. ib.n.51

Invidia eſt intemperies diabolica, vixque ullam admittit medelam. Antioch. fl. 35. num.51

Facilè invidos accuſamus; difficile eſt nullatenus invidere.Chryſoſt.ib.

Invidus à cœtu fidelium exterminandus.Idem ibid.

Invidiæ latenti nullus medebitur homo. Proſp.fl.35.n.53

De invidia naſcitur hominem eſſe bilinguem, ac duplici mente, qnaſi mare ſcopulos tegens aquâ. Baſil. M. ib.n.55

Invidia ſolos miſeros ignorat.Bleſ. ibid. num. 57

Vid *Detractio. Prodigus. Superbia.*

Ioab.

Joab intellexit, puniendum populum ob numerationem illius factam à Davide.Hug. Card.fl.33.n.51

Ioannes Baptiſta.

Joannis Baptiſtæ lans, quatenus lucernæ. Ambroſ. & Chryſoſt.fl.11.n.16

Joannis duo diſcipuli audientes eum, ideoque ſecuti Jeſum, expenduntur. Chryſoſt. ib. n.17

Joannis humilitas:& qualiter extulerit Chryſtum Dominum. Euthym.ib.n.20

Quare miſerit è vinculis duos diſcipulos ad Salvatorem. Idem.fl.11.n.21

Hoc factum videns turba putavit, Joannem dubitare de Chriſto. Hieron.ib.

Succendebat ſentes criminum, excidebat arbores infructuoſas, complanabat colles, erigebat convalles : Evangelico ſemini novalia præparabat. Chryſoſt. ibid. num. 22

Venit ad Jordanem, quia ſordes Judaicæ indigebant flumine. Chryſol. fl.12.num. 22

Joannes apponebat medicamenta vulneribus. Cyrill. Jeroſoly.ib.

Baptiſta more medici præfiniebat ſalutaria pharmaca. Incert. fl.11.n.24

Non relaxabat peccata. Paſchaſ. ibid.num. 25

Joannes Baptiſta puellus patri ſuo vocem reddidit Ambroſ. fl.29.n.33

Mirabatur quòd venirent ad pœnitentiam qui occiderant prophetas. Euthym.ib.

Reprehendit Herodem tamquam prædicator Evangelii. Incert. ib.n.35

Venit Spiritus ſanctus ſupra Salvatorem,ut perſpicuum foret,vocem Patris non intelligendam de Joanne. Chryſoſt. fl. 38. n.49

Ioannes Apoſtolus.

Joannes fuit ſponſus nuptiarum Cana juxt. Rupert.fl.10.n.25

Joannis laudes. Aldhel. ib.

Joannis & Jacobi deſiderium ſedium veniſſe fortè à tentatione diaboli, dixit Paſchaſ. fl.35.n.56

Eorumdem petitionem iſtam ſuppoſuiſſe in eis amorem cæleſtis gloriæ, ſenſit Idem ibid.

Petrum voluerunt excludere. Thom.ib.

Joanni Evangeliſtæ in Calvariæ monte dolor verba prohibuit. Bernar. fl. 19. num. 89

Ejus ibidem fletus amarus. Idem.ib.

Ioannis loca.

Joann. 21. 18. Cum eſſes junior, &c. Rupert fl.1.n.14

Cap. 16.n.16. Modicum &c. Bed. fl. 10. num.8

Cap.11.n. 21. Domine &c. Theopylac. fl.12.n.31

Cap.8.n 40.Hominem, qui veritatem &c. Rupert.ib.n.43

Cap.15.n.14.Vos amici &c. Euthym.fl.13. n.11

Cap.15.n.15 Vos &c. Idem ib.

Cap.6.n.67.qui abierunt retro diverterunt ad crimina. Cyril. Alex. ibid. num. 29

Cap. 13,n.36. Non potes &c. Hug. Card. fl.13.n.45

Cap.17.n.24. Ut ubi ſum ego &c. Thom. fl.15.n.51

Ibidem n. 11. Ego ad te &c. Card. Toler. ibid.

Cap.13. n.27. Quod facias &c. Aug. fl. 16. num.11

Ibidem n.28. Nemo &c. Carthuſ.fl. 18. num. 25

Joannis Epiſt.1.c.4.n.17. In hoc perfecta &c Aug.fl. 20.n.56

Joannis 21. n.22. Tu me ſequere. Idem fl. 22. n.35

Joann. 20.n. 15. Quid ploras ? Thom. fl. 23 n.25

Cap.20.n.17.Noli me &c. Ambroſ. fl. 25 n.52

Cap. 12.n.13.Hæcloquor &c.Euthym. ib. n.54

Cap.8.n.59.Exivit &c. Theophylac. fl.27. n.32

Cap.4.n.47. Rogabat &c. Chryſoſt. fl.28. n.53

Cap.19.n.11. Non haberes &c. Euthym. fl.29.23

Cap.13.n.31. Nunc clarificatus &c. Orig. ib.n.29

Ibidem n. 38. Animam tuam &c.Aug.ib.num. 35

Cap.20.n.22.Accipite &c. Cyril. Alex. & Ambroſ.fl.31.n.20

Cap. 20.21.Pax vobis. Rupert.ib.

Cap.15.n.2. Omnem palmitem &c. Cyril. Alex.fl.33.n.30

Cap.6.n.10.Diſcumbere.Thom.fl.36.num. 25

Cap.17. n. 1. Clatifica filium &c. Cyrill. Alex.& Euthym.fl.37.n.31

Cap.14.n.3.Iterum venio, Carthuſ.ib.num. 59

Cap.7.n.46. Numquam ſic & Hug. & Bed. fl.38.n.29

Ibidem n. 37. Clamabat, &c. Theophylac. ibid.
Cap. 15. n. 16. Poſui &c. Anton. fl. 38. num.

Iob.

Job erat in honoribus non faſtuoſus. Thom. fl. 7. n. 39
Jobus generosè ſuſtinens & cum gratiarum actione, laudatur à Chryſoſt. fl. 17. num. 29

Iobi loca.

Job 1. n. 9. Numquid Job fruſtra &c? Greg. M. fl. 2. n. 60
Cap. 19 n. 3. Non erubeſcitis &c. Thom. fl. 4. n. 38
Ibidem num. 19. Abominati &c. Titelman. ibid
Cap. 4. n. 2. Si cæperimus &c. Thom. ibid. n. 82
Cap. 13. n. 27. Obſervaſti &c. Od. fl. 5. n. 49
Cap. 21. n. 16. Non ſunt in manu &c. Greg. M. fl. 6. n. 72
Cap. 27. 18. Sicut cuſtos &c. Thom. fl 9. n. 20
Cap. 30. n. 15 Abſtuliſti &c. Bed. fl. 10. num. 47
Cap. 30. n. 29. Frater &c. Brun. Aſt. fl. 13. n. 37
Cap. 29. n. 16. Pater eram &c. Greg. M. fl. 15. n. 67
Cap. 10. n. 8. Manus tuæ &c. Idem fl. 19. n. 17
Cap. 4. n. 8 Seminant dolores, &c. Greg. M. fl. 25. n. 44
Cap. 10. n. 20 Dolorem meum &c. Thom. ib. n. 56
Cap. 29. n. 3. Lucerna ejus &c. Philipp. fl. 28. n. 19
Ibidem. n. 24. Si quando &c. Greg. M. ib. num. 43
Cap. 40. n. 15. Herbas &c. Od. Clun. ibid. n. 48
Cap. 21. n. 24. Plena ſunt &c. Idem fl. 28. n. 58
Cap. 1. n. 19. Concuſſit &c. Greg. M. fl. 32. num. 7
Cap. 15. n. 16. Qui bibit &c. Thom. fl. 35. n. 46
Cap. 28. n. 13. Neſcit homo &c. Bed. fl. 35. n. 47
Cap. 21. n. 32. Humerus &c. Brachium &c. Greg. M. fl. 36. n. 59
Cap. 6. n. 11. Aperuerunt &c. Bed. ibid. num. 47
Cap. 3. n. 20. Quare miſero &c. Hug. Card. fl. 37. n. 27
Cap. 36. n. 5. Deus potentes &c. Brun. fl. 40. n. 27
Cap. 3. n. 24. Antequam &c. Od. & Greg. M. fl 22. n. 27
Vide *Dracones.*

Ioelis loca.

Joel 1. num. 19. Ignis &c. Remig fl. 36. num. 47

Ionas.

Jonæ fuga quid ſignificet. Hieron. fl. 14. num. 16
Ceſſatio tempeſtatis miſsô Jona in æquor expenditur ab Hieron. ib.
Jonas cur recuſaverit prædicare Ninivitis. Idem fl. 27. num. 14

Iona loca.

Cap. 3. n. 7. Homines, & jumenta, &c. Rupert. fl. 2. n. 12
Cap. 2. n. 8. Cum anguſtiaretur &c. Hieron. fl 27. n. 14
Cap. 4. num. 10. Super hederam, &c. Hug. Card. ib.

Ionathas.

Jonathas filius Saul typus quorumdam juſtorum Angelo. fl. 13. n. 15

Iordanis.

Ex alveo Jordanis duodecim lapides auferri fecit Joſue. Paſchaſ. fl. 32. n. 44
Vide *Chriſtus.*

Ioſeph.

Joſephi zelus juſtitiæ & puritatis amor in accuſatione fratrum. Rupert. fl. 4. n. 56
Joſeph non accuſavit Ægyptiam, quia juſtus. Ambroſ. ib.
Figuravit Chriſtum Dominum. Iſid. Hiſpal. fl. 14. n. 24
Joſephi germanorum pœnitentia. Aug. fl. 18. n. 11
Joſeph fugiens relicto pallio figura ſalvatoris. Rup. fl. 19. n. 27
Ex triplici ratione plùs dilectus à patre. Theodore. ib. n. 92
Joſephus ponens in carcere fratres benevolentiam probavit erga eoſdem. Chryſoſt. fl. 20. n. 58
Joſephum fecit magnum pœdor, ferrum &c. Idem. fl. 22. n. 57
Ejus prudentia in donando fratribus. Ambroſ. fl. 24. n. 17
Joſeph an conſtituerit aliquos fratres magiſtros pecorum Pharaonis. Lippoma. fl. 31. n. 30
Joſeph. horruit culpæ contagium. Ambroſ. fl. 32. n. 18
In ſtatu proſperitatis non obliviſcebatur ſe ſervum emptitium. Rup. fl. 33. n. 13
Vide *Euchariſtia. Geneſis loca.*

S. Ioſeph.

S. Joſephi laudes Bernar. fl. 40. n. 30. Chryſoſto. ib. n. 35. Idem ib. n. 37. & n. 39
Magis credebat caſtitati Mariæ, quàm oculis propriis. Chryſoſt. ib. n. 31

Ioſeph Barſabas.

Vide *Mathias.*

Ira. Iracundia.

Iracundiam in ſe ſuperans fortiter vincente leonem. Firmia. fl. 5. n. 12
Iræ quidam vitioſi partus. Philipp. Solit. fl 26. n. 57
Inter iratum & inſanum quàm parum. Martin. fl. 27. n. 1
Iræ conjuncta eſt ægritudo: proinde rationi locum non relinquit. Ariſtot ib.
Quæ fiunt per iram negavit Ariſt. fieri ab invitis. Idem ib.
Iratus imitatur canem, qui mordet lapidem. Doroth fl. 27. n. 2
Ira ſpoliat hominem nomine hominis. Firmianus, ib.
Impatientiæ mala quædam. Incert. ib. num. 3. & n. 4
Iracundiſſimi ſenatoris exemplum: qui non ferebat clientem conſentientem ſibi in omnibus. Petrar. ib. n. 6

Ira fraternum amorem oblivioni tradit imo paternum & filialem. Basil. m. fl 27.num. 9
Ira vehemens ignis est. Chrysost. ib. num. 13
Ira gravis est magistra peccati. Ambros. ib. n.15
Ira mentis quietem subtrahit: & claudit habitationem divini Spiritûs. Greg. M. fl.27. n.15
Iratus depingitur à Basil. M. & Anton. ib.n. 21
Obturetur os tuum, ne contumeliam rependas contumeliæ. Ambros. ib.n.37
Superbia suadet ut acceptâ injuriâ non taceas. Greg. M fl.27.n.39
Qui citò movetur injuriâ facit se dignum videri contumeliâ. Ambros. ib.n 43
Iracundi cogitationes comparantur flexibus obliquis leonis in vivario. Antioch. fl.27. n.49
Ira & indignatio oriuntur ab stultitia. Idem ib.n.51
Iratus describitur. Humber. fl.34.n.3
Ira febri similis & draconi. Idem ib. num.8
Amat in publicum diffundi. Incert. ib. n.9
Magnas concitat tempestates. Firmian. fl. 34.n.9
Stultus ad ultionem succenditur irâ; sapiens maturitate consilii ac moderationis eam extenuat & expellit. Abb. Joseph. ib.n.10
Ira est initium insaniæ. Tull. ib.
Iram dixit occulti odii recordationem, seu memoriam injuriarum. Clim. fl.34.n.23
Iracundus comparatur aquæ ventîs motæ. Nil. ib.n.41
Aliquot mala impatientiæ. Ficin. ib.num. 43
Iracundi precatio thus fœtidum. Nil. fl.34. n.43
Iracundiâ superveniente discedit Spiritus sanctus. Herm. ib.
Iratus ebrio similis: ignorat se, præsentesque, omnes offendit. Basil. Mag. ib. n. 45
Non senem reveretur, non virtutem, non propinquitat m, non beneficia, non dignitatem. Idem fl.34.n.45
Insania brevis est ira Idem ib.
Iræ modus exceditur: finguntur offensæ. Petrar. ib.n.47
Irati aliqui nescientes quibus commoveantur, exedunt seipsos & affligunt. Incert. fl.34. n.47
Iratus similis est homini sagittâ percusso, & illam cordi proprio infigenti. Doroth. ib. n 49
Irati comparantur pueris à Chrysost. ib.num. 55
Irati redarguuntur, qui attendunt ad ultionem, ne derideantur. Ridiculi sunt isti. Idem ib. n.57
Neminem posse sine turbatione mentis irasci, dixit Tull fl.34.n.59
Ira subtrahit intelligentiæ lucem. Franc. Patric. ib.
Levissimas ob causas sævit potens. Ægid. fl.40.n.43
Melius est cohabitare bestiæ, quàm iracundo. Chrysost. ib.n.51
Iracundus animus velut tyrannus. Clim. fl. 40.n.51
Ira in principe, acerbitasque naturæ deformis & periculosa. Incert. ib. n.53
Iracundus & sævus princeps non eligendus. Tacit. ib.
Vide *Defendi. Impatientia. Injuria. Patiens. Rex.*

Isaac.

Isaac figurat spem. Paschas. fl.10.n.1
Isaaco facta revelatio circa benedictionem, quam dederat Jacobo. Aug. fl.18 n.45
Isaac obedientia. Chrysost. fl.40.n.40
Vide *Abraham. Eucharistia.*

Isaiæ loca.

Isaï. 58.n.2. Apropinquare &c. Hieron. fl. 3.n.20
Ibidem n.1. Quasi tuba &c. Idem fl.1.num. 45
Cap. 55.n.1. Omnes &c. Clem. Alex. fl. 3.n32
C. 50.n.6. & 7. Hieron. fl.4.n.84
C. 52.n.2. Excutere &c. Filia Sion &c. Carthus. fl.5.n.21
Cap. 58.n.9. Si abstuleris &c. Hieron. fl. fl.7.n.17
Cap. 40.n.21. Numquid &c? Idem ib. n. 49
Cap. 9.n.6. Deus, fortis, &c. Bernar. fl 11. n.7
Cap. 26.n.2. Aperite &c. Hug. Card. ib. n.23
Cap. 9.n.20. Declinabit &c. Carthus. fl. 12.n.9
Cap. 14.n.32. Fundavit Sion &c. Aelred. ib.n.13
Cap. 65.n.19. Et exultabo &c. Carthus. fl.14.n.32
Cap. 53.n.9. Dabit impios &c. Hug. Card. fl.15.n.63
Cap. 32.n.16. In Charmel sedebit. Incert. fl.16.n.23
Cap. 6.n.5. Vir pollutus &c. Rupert. fl. 18.n,13. & Hieron. ib.n.15
Cap. 44.n.22. Delevi &c. Idem ib.
C. 41.n.17. & 18. Hieron. fl.19.n.19. & ad ibidem n.18. Hug. Card. ib.
Cap. 11.n.1. Egredietur virga &c. Bernar. ib.n.41
Cap. 6.n.6. Calculus &c. Incert. & Sinaï. fl. 19.n.58
Cap. 24.n.11. Deserta &c. Hieron. ib.n. 78
Cap. 38.n.12. Quasi tabernaculum &c. Hug. Card. fl.23.n.41
Cap. 51.n.14. Non interficiet &c. Carthus. fl.24.n.30
Ibidem n.13. Obitus es &c. Idem ib.
Cap. 24.n.8. Cessavit &c. Hug. Card. fl. 25.n.12
Cap. 6.n.10. Oculos ejus &c. Idem ib.n. 16
Cap. 45.n.7. Faciens pacem &c. Hieron. ib.n.55
Cap. 9.n.6. Principatus &c. Hieron. fl. 33.n.35
Cap. 26.n.20. Intra &c. Idem fl. 35.n. 39
Cap. 1.n.24. Heu &c. Rupert. fl.36.n. 13

Ibidem n. 23. Sequuntur retributiones &c. Idem ib.
Cap. 57.n.2. Veniat pax &c. Hug. Card. fl.n.29
Iſmaël.
Iſmaël quid ſignificet. Aug. fl.3.n.49
Iſraëlitæ.
Iſraëlitæ in Ægypto quid repræſentent. Bed. fl.3.n.52
Vbi & quando ſignificaverint pœnitentes & pauperes ſpiritu. Antou. 7.n.65
Petierunt ſuis animabus eſcas carnales. Ex Caſſiod. Brun. fl.10.n.44
Judæi ex invidia voluerunt ut crucis titulus mutaretur. Cyrill. Alex. fl.35.n.58
Judas.
Judas recepit ſacram Euchariſtiam. Chryſoſt. fl.3.n.35
Judæ durities. Idem ib.
Judas judicavit ſe dignum morte. Maxim. fl. 6.n.33
Maluit perdere ſe, quàm denarios perire. Drog. fl.9.n.22
Judam Chriſtus vocavit amicum quantum eſt de ſe. Thom. fl.14.n.24
Judas Dominum tradidit quaſi vile mancipium. Hieron. fl.18.n.23
Quare non dixit: Vobis Jeſum tradam? Euthy. ib.
Judam poſt communionem celeriter diabolus egit præcipitem. Cyril. Alex. ib.n.23
Judæ pedes Chriſtum Dominum priùs laviſſe, dixit Euthym. fl.18.n.55
Judæ converſionem Salvator expectabat in ſupremâ nocte Cœnæ. Idem ib.
Judam con accepiſſe communionem ſacram tenet Hilarius fl.18.n.91
Judas ferre non potuit patientiam Domini. Ambroſ. fl.29.n.29
Euchariſtiam accepiſſe, dicere videtur Aug. ib.
Vide *Chriſtus. Euchariſtia. n.10*
Judicium. Judex.
Judicia bonorum virorum negligere, vel arrogantiæ, vel diſſolutionis eſt. Ambroſ. fl. 8.n.29
Judicii ſententia proferenda non eſt ex ſuſpicionibus. Facundus fl. 17.n.14
Circa proprium judicium nemo ſe patitur vinci. Ambroſ. fl.38.n.12
In hac re ſtudium vincendi parit litem. Idem ib.
Judicii iniquitas parit mala publica. Agell. fl.39.n.42
Judicium non præcipitandum. Damian. ib. n.44. Greg. M. ib. & num.48. Agapet. ib.
Quædam ſpectantia ad formam judicii. Peluſ. fl.39.n.46
Ad judicandum quales eligendi. Campan. fl.40.n.2. & Caſſiod. ib. n.3. Syneſ. ib. n.7
Judex prudens appellari poteſt lumen rerum celatarum. Athalaric. fl.39.n.46
Judex non accipiat perſonas. Bleſ. fl.40.n.5
Multitudo judicum proborum reddit lætam faciem publicam. Theodoric. ib.n.9
De judicum ætatis maturitate vide Sereſber. ib.n.10
Senatum apellavit Plutarchus cor. Idem fl.40.n.12
Non ſufficit regem culpâ vacare; miniſtros verò non. Guicciar. ib.n.26
Laborioſum eſt aliena commiſſa judicare? cenſere de alterius mente perdifficile. Chryſoſt. fl. 40.n.33.
Periculoſum eſt inquirere quod ſupra nos eſt. Clim. ib.n.39
Vide *Lingua. Rex. Timor.*
Judicium divinum.
Fidelis ita debet vivere, quaſi ſemper divino judicio debeat præſentari. Paſchaſ. fl.14.n.28
Latro malus ſimilis eis qui erunt in judicio finali ad ſiniſtram; latro vero bonus futuris ad dexteram. Aug. fl.15.n.33
Ad judicium divinum concurrentia qualem timorem incutiant. Anton. fl.20.n.56
Anima juſti optat judicii diem. Aug. ib.
Judicium Dei eſt nobis arcanum & inexplicabile. Clim. fl.40.n.39
Vide *Iacob.*
Judicium temerarium.
Quid laboris habet non judicare proximum? Chryſoſt. fl.4.n.65
Judicia hominum non timeat qui vitæ ſuæ teſtem habet in cœlo. Greg. M. ib.n.69
Judicamus alios ex malâ diſpoſitione, quæ in nobis eſt. Doroth. ib.n.76
Mentium proximorum profunda conſilia curiosè rimantes ambulant in tenebris; & putant ambulare in meridie. Laur. Juſt. fl.22.n.32
Caſti ferunt ſententias bonas de caſtitate aliorum Peluſ. fl.40.n.31
De occultis judicium Deo relinquamus. Aug. ib. n.33
Judicum loca.
Judic. 9. arbores recuſantes principatum quid ſignificent. Lir. fl.8.n.20
Judith.
Judith reportavit trophæum ſervatæ caſtitatis. Ambroſ. fl.3.n.31
Judith caſto vultû prius dimicavit, quàm ferro; & monilibus vulneravit hoſtem. Aug. ib.
Judith an revelaverit præſbiteris totum ſuum propoſitum. Hug. Card. fl.8.n.52
Judith victoriæ: caſtitatis & ſanguinis. Damia. fl.29.n.41
Vide *Eccleſia.*
Juſtitia.
Juſtitia generatim ſumpta multis partibus conſtat. Paſchaſ. fl.5.n.1
Juſtitia impia eſt humanæ fragilitati non ignoſcere. Ambroſ. fl. 24.n.21
Expedit eis qui præſunt regimini, relaxare rigorem juris. Laur. Juſt. ib.n.23
Juſtitia vera virtutû omnium fons eſt. Incert. fl.39.n.3
Vide *Avaritia. Deus. Judicium. Regnum. Virtus*
Juſtus.
Juſtus examinat quotidie ſuos actus. Greg. M. fl.2.n.56
Juſtorum dulcedo. Bed. fl.3.n.4. & Anton. ib. n.7
Juſtorum fervor. Bellarm. ib.
Juſtus mavult ſe accuſare, quàm alium deformare. Ambroſ. fl.4.n.61
Juſto nihil poteſt accidere triſte. Thom. à Villa no. fl.5 n.40

Juſti ex donis conſolantur : putantes cum incertitudine quòd amore digni ſunt ; ſed ex ſubſtractis à Deo metuunt oppoſitum. Guarti. 10. n. 9
Juſtorum puritas mentium ſimilatur criſtallo. Incert. ib. n. 20
Juſtorum bella. Ambroſ. ib. n. 23
Juſtus ordinatiſſimus aſſimilatur horologio. Thom. à Villano. fl. 10. n. 35
Juſtorum deſideria ſunt pœnæ innocentum. Greg. Mag. ib. n. 36
Juſtus comparatur lapidi quadro. Smargd. ib. n. 45
Juſtus aſſimilatur victori hoſtium. Macar. fl. 12. n. 26
Laudabile eſt eſſe bonum inter malos. Greg. M. fl. 13. n. 38. & Bernar. ib. 39
Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe non appetit. Bernar. ib. n. 40
Ceſſatio tendendi in virtute invenitur initium vitii. Nyſſe. ib. n. 42
Juſtus non ſit mediocribus contentus. Hieron. ib. 43
Juſti vita appellatur beata : nec de opinionibus hominum æſtimanda. Ambroſ. fl. 13. n. 48
Juſtus abſolutè dici ſolet qui omnigenam virtutem exercet. Chryſoſt. fl. 14. n. 8
Sis quodammodo ambitioſus coram Deo : quia ſplendidam retribuit mercedem. Baſil. M. ib. n. 37
Juſtorum triſtitia mutatur in perpetuam lætitiam. Radulph. fl. 14. n. 47
Juſtus coram hominibus deſpectus. Anton. ib. n. 59
Juſtus non incurvatur ad terrena : totus erigitur ad cæleſtia. Laur. Juſt. fl. 15. n. 8
Juſti nativitas ; victoriaque de mundo : Didym. ib. n. 42
Juſtus quomodò colat agrum animæ ſuæ. Ambroſ. fl. 16. n. 50
Electi ſpecialiter pertinent ad poſſeſſionem Dei. Thom. ibid. num. 52. & Incert. ib. n. 53
Juſtus quomodo ſciat ſine divitiis abundare. Chryſoſt. ib. n. 61
Citra profectum proficit quiſquis alteri, cum poteſt, non prodeſt ſpiritualiter. Hildeber. fl. 18. n. 46
Juſtus dicitur rex. Ex Caſſiod. Brun. ib. num. 72. & Rupert. ib.
Juſtis inimicitiæ diſſimilium non deſunt. Leo & Chryſoſt. fl. 20. n. 15
Juſto quomodo omnia cooperentur in bonum. Bernar. fl. 22. n. 42
Juſtus deſignatur per bovem & ovem. Radulph. fl. 25. n. 29
Juſti ſignificantur per aquam. Greg. M. fl. 28. n. 34
Juſti ſimul ſunt montes & convalles. Proſp. ib. n. 48
Juſti vita ſignificatur nomine ligni. Od. Clun. ib. n. 50
Juſtus quò plura bona fecerit opera, eò plures experietur contra ſe homines malos. Nil. fl. 29. n. 1
Gaudent ad invicem juſti bonis alterutrius : & incremento diteſcunt proprio, dum profectu lætatur alieno. Leo Pa. ibid. num. 30
Nullus juſtus bonus eſt ſibi ſoli. Idem. ib. n. 3
Ferè cuncta quæ ſunt in juſto ſalutifera ſunt. S. Thom. à Villano. fl. 34. n. 5
Juſti mens arca teſtamenti. Angelom. fl. 35. n. 40
Juſtorum prope mortem firma ſpes, & gaudium divinum. Areop. fl. 37. n. 2
Mors juſtorum nuncupatur ſomnus. Incert. ibid. n. 3
Juſtis cuncta proſunt ; etiam mors. Proſp. ib. num. 8
Juſto lata ſunt quæ aliis triſtia. Baſil. M. fl. 37. n. 36
Vide *Amicus. Bellum. Chriſtus Dominus. Cogitatio. Contemptus. Contumelia. Corpus. Deſiderium. Detractio. Diabolus. Dignitas. Felicitas. Injuria. Innocentia. Mors. Mortificatio. Opera. Pœnitentia. Præſumptio. Quies. Societas. Somnus. Tentatio. Timor. Vigilia. Virtus. Vitium.*

Iuventus.

Vide *Adoleſcentia. Vita.*

L

Laban.

Laban ſignificat mundum. Brun. Aſt. fl. 6. n. 23. Bed. ib. n. 51
Labam per providentiam Dei timens quæſivit fœderari cum Jacob. Chryſoſt. fl. 13. n. 21

Labor.

Labores videntur nulli conſiderato fructu. Chryſoſt. fl. 1. n. 20
Labor anchora mentis. Nil. fl. 3. n. 3
Occupatio honeſta valet ad reſiſtendum diabolo. Humber. ib. n. 8
Labor ex parte naſcitur ab ignorantia præmii. Ambroſ. fl. 22. n. 23
Labor infructuoſus, quo quiſque ſibi cauſa pœnarum, quàm ſit durus. Adem. fl. 25. 57
Labores diſſipant deſperationem cogitationum, ſuperſeminant pœnitentiæ fiduciam, & miſericordias Chriſti publicant. Nil. fl. 34. n. 15
Laborem fugit mens illecebris delinita. Ambroſ. fl. 39. n. 50
Vide *Cupiditas. Difficultas. Diligentia. Felicitas. Mundus. Tribulatio.*

Lacryma.

Lacrymæ prodeunt vulnerata cordis venâ. Rupert. fl. 19. n. 84
Flent aliqui fletu Babylonio, & gaudent gaudio Babylonis. Aug. fl. 22. n. 14
Lacrymæ vocantur ſacrum & divinum pabulum. Maphe. fl. 23. n. 12
Lacrymæ pœnitentis ſunt Deo thymiamatis inſtar. Peluſ. ib. n. 14
Lacrymæ dicuntur ſanguis animæ. Radul. fl. 23. n. 16
Lacrymæ, quas elicit peccati dolor, & virtutum amor, valde conglutinant hominem Deo. Chryſoſt. ib. n. 18
De lacrymis Davidis Hilar. ib. n. 19
Lugentes colunt luctum quaſi agrum. Nil. fl. 23. n. 20
Lacrymis irrigantur ſemina bona. Fulgent. ib. n. 20

Rigant animam, ſicut aqua terram. Anton. ib.n.21
Pariunt lætitiam. Chryſoſt. fl. 23.n.21
Lacrymas habet etiam lætitia: & pietas excitat fletum. Ambroſ. ib.n.24
Fletus non poteſt eſſe diuturnus in dolore privato, ſi univerſorum eſt affectibus conſecratus. Ambroſ.ib.n.30
Aliqui flentes largiter dici poſſunt laborantes potius, quam multum lacrymantes. Clim.fl.25.n.8
Lacrymis tuis etiam largis non credas, quandiu non ab omnibus peccatis repurgaris. Idem. ib.
Lacrymæ compunctionis extinguunt ignem delectationis. Cellen.ib.n.29
Quàm neceſſariæ ſint lacrymæ pœnitentiæ. Simeon.jun.ib.
Lugere jubet charitas proximos, qui flenda committentes nolunt, vel negligunt, vel neſciunt flere ſe. Laur. Juſt.fl.25.n.33
Lacrymarum fontes rigant orationem. Chryſoſt. fl.32.n.29
Lacrymarum aliquot effectus. Cellen.ib.
Mirandum quomodò luctus contineat incluſam lætitiam. Clim.ib.
Mirum ingenium Dei, quòd lacrymæ abſorbeant omne crimen, & ſic peccatum damnetur de peccato. Cellen.fl.32.n.31
Seminatæ in vita mortali lacrymæ germinant quod metetur exultanter. Sinai. ib. n.22
Lacrymæ lavant. Ambroſ.ib.n.33
Plorans,& peccare non deſinens haud mundatur; & faeit ſordidas lacrymas ante oculos Dei. Zachar.ib.
Lacrymæ non ſinunt proximari ſordidas cogitationes animæ compunctæ. Maph. fl.32. n.33
Exorant lacrymæ Dei clementiam. Antioh. ib.n.37
Lacrymarum preces meliores, quàm verborum. Goffrid.ib.
Lacrymarum quædam elogia. Cellen. fl.32. n.49
Lacrymæ panis amantium. Deum. Nil. fl.34. n.33
Lacrymæ radunt rudera, ſanant animum, reconciliant Deo, redimunt à peccatis.Chryſoſt.fl.35.n.23
Sine lacrymis virrutes aut non veniunt, aut non diu vivunt. Cellen.ib.
Lamentari propter ſeparationem, & converſationem diuturnam, dixit abſurdum Baſil. M. fl.37.n.14
Vide *Anima Chriſtus Dominus. Peccator. Sponſa. Vita.*

Lætitia.

Lætitia poſt mœrorem comparatur aquæ poſt ſitim.Chryſoſt.fl.23.n,42
Vide *Gaudium. Juſtus. Lacrymæ. Mundus. Voluptas.*

Laquei.

Laquei undique. Guig.fl.2.n.9

S. Laurentius.

D. Laurentii fortitudo. Leo Pa. fl.29. num. 33

Laus. Laudare.

Laudari volunt cuncti. Salvian. fl. 1. num. 11
Laudis humanæ appetitus eſt ſcabies virtutis: & quàm nocivus ſit aliquibus victoribus ſpiritualiter. Arnold. fl.4.n.3
Quàm ſit hominibus communis ex Poëta, refert. Aug.ib.n.4
Laudare damnabilia nocivum. Od.Clun.ibid. num.6
Laus eſt medicamentum neceſſarium hominibus. Clem. Alex. fl 12.n.32
Si hîc laus quæritur, in cœlo remuneratio perditur. Ambroſ. fl.14.n.57
Solus laudabilis bene laudatur: & laudabilis non eſt qui laudis cupidus extat.Guig. fl.20.n.45
Hypocritæ laudes ambiunt. Incert. ib.
Rapiunt laudem virtutis. Radul. ib.
Cum laudatur qui non eſt bonus, non ille laudatur,ſed alius; imo ipſe vituperatur. Guig.fl.20.n.47
Laudes Deo dignas tribuere non poſſumus: ſed an ideo non laudabimus? Cyrill. Jeroſolym.fl.28.n.26
Laudes alienæ torquent aliquos. Baſil.M.fl.29. n.58
Laus humana turpis concupiſcentiæ radix. Marc. erem. fl.32.n.25
Vide *Detractio. Gloria.*

Lazarus.

Lazarum quo fine Judæi cogitaverunt interficere.Thom.fl.5.n.19
Lazarus ſignificat peccatorem conſuetudinarium. Bed.ib.
Lazari tota caro componebatur in ſcenam pietatis. Chryſol. fl.7.n.43
Lazarus figurat animam plenam ulceribus, jacentem in januis ſenſuum. Anton. fl.10. n.43
Lazarus quantas pertulerit tentationes,conferens miſeriam ſuam cum proſperitate ditis. Greg.M.fl.3.n.9
Vide *Dives epulo.*

Legatus.

Legatorum quorumdam avaritia. Humbert. fl. 11. n.3
Legati nomen inviolatum. Cæſ.ib.n.4
Pernicioſa ſæpe tractantur ſub ſpecie legationis. Comin.ibid.
Legati oculi ſunt & aures regnorum.Guicciar. fl.11.n.4
Inter legatum & oratorem differenria. Iſid. Hiſp.ib.n.5
De legatis bonis ac malis agit Bernard. ibid.

Lenitas.

Vide *Prælatus.*

Leo.

Leo terretur, ſi coram eo flagellatur catellus. Maphe.fl.32.n.49

Levitas.

Vide *Conſtantia.*

Levitici Loca.

Levit. 26.n.17.Fugietis &c. Iſych. fl.2. num. 40
Cap.26 n.13. Confregi &c. Idem fl.7.num. 17
Cap.21. n. 20. Si albuginem. Radul. fl. 8. num.5
Cap. 25 n.23.Terra &c. Idem fl.9.n.46

Lex.

Lex quæ adverſatur æquitati, non eſt lex ſed

oppreſſio. Laur. Juſt. fl. 24. num. 21.
Vide *Princeps.*
Lbanus.
Vide *Canticorum loca.*
Liberalitas.
Non omnis largus liberalis eſt. Ambroſ. fl 24.n.9
Mediocritas tenenda inter prodigalitatem& avaritiem. Martin. ib.n. 13. & Ambroſ. ib.n.15
Liberalitas nobis commendatur per convivium turbæ Joann 6. exhibitum, Cyrill. Alex. fl. 36. n. 33
Vide *Avarus. Beneficium.*
Libertas.
Vide *Servus.*
Libido.
Vide *Adoleſcens. Caſtitas.*
Lignum.
Ligni vitæ fructûs qualitates. Glyc. fl. 10. num.4
Limbus Patrum.
Vide *Chriſtus Dominus.*
Lingua.
Linguæ mala quædam. Incert.fl.2.n.1.& Goffrid.ib.n.2
Linguæ cuſtodia non unica. Incert. ib.n.1. & Euthym.ib.n.2
Etiam linguâ peccatur tacendo. Humbert. fl.2.n.3.& Ambroſ.ib
Lingua per ſobrietatem alligetur. Laur. Juſt. ib.n.9
Lingua clavis pectoris, teſtimonium cordis. Fulgent.fl.4.n.8
Tribunal intra os. Idem ib.
Maliloquus non eſt gratus. Valerian. ibid. num.9
Lingua malitioſa excedit omne venenum.Idem fl.4.n.9
Linguæ crudelitas. Guarric. ib.n.10
Loquendi libertas impudens comparatur febricuidam; cujus incendium non ferentes alii ſe proripiunt. Antioch.ib.n.12
Linguas habent aliqui bifurcatas. Anton. fl.4. n.37
Levior prodit lingua quod levis conſcientia concipit. Greg. M.ib.n.75
Linguâ nulla pars corporis ad nocendum promptior, nec ad frenandum difficilior. Petrar. fl.4.n.77
Linguæ procacis affectus germinat mala, perdit bona. Antioch. ib.n.79
Linguarum diviſionem ſolus Deus facere potuit. Rupert. fl.8.n.40
Linguâ utendum parce; & cur. Nil. fl. 23. num.2
Lingua cuſtodienda, & non ſolum cor.Laur. Juſt.fl.34.n.37
Lingua ferro fortior; veneno violentior. Valerian. fl. 36.n.46
Vide *Detractio.*
Lot.
Lot exponendo filias non attendit peccatum ſuum perturbatus. Aug.fl.32.n.28
Lucæ loca.
Luc. 16.n.21. Nemo illi dabat: &c. Carthuſ. fl.2.n.20
Cap.22.n.32.Rogavi. &c. Incert.fl.3.n.29
Cap.14.n. 21. paterfamilias deſignat Deum Patrem.Incert. ib.n.57
Cap. 22. n. 32. Aliquando converſus &c. Theophylact.fl.9.n.42
Cap.10.n.19. Virtutem inimici &c. Euthym.fl.20.n.12
Cap.16.n.20.Mendicus &c. Anton. ibid. n.44
Cap.15.n.14. Facta eſt fames &c.Ambroſ. fl.12.n.8
Cap.9.n. 26. Hunc. Filius hominis erubeſcet &c. Theophylact fl.12.n.19
Cap.24.n.52. Cum gaudio &c.Carthuſ.ib. n.27
Cap.9.n.54. Vis dicimus &c? Euthym. ib. n.28 & Hug.Card.fl.35.n.60
Cap.16.n.29.& 31.Hug. Card.fl.13, num. 33
Cap.18.n.19. Quid me? Ambroſ. ib. num. 47
Cap.12.n.7. Capilli &c. Carthuſ. fl. 14. n.34
Cap. 6.num.38. Eadem quippe &c. Bed. ibid.
Cap.3.n 3.Regionem Jordanis &c.Cardin. Tolet.fl.15.n.26
Ibidem n. 2. Factumeſt &c. Ambroſ. ibid. & Gloſſ.Ord.ex Bed.ib.
Cap.9.n. 31. In majeſtate: Carthuſ. fl. 15. n.45
Cap.11.n.11. Fortis armatus &c. Cardin. Tolet.ib.n.71
Cap.24.n.21. Nos autem ſperabamus &c. Theophylact.fl.18.n.69
Cap.22.n.17. Accepto calice &c. Aug. ib. n.87
Cap.1.n-34. Quomodo &c? Bernard.fl.19. n.33
Ibidem n.68. Benedictus &c. Euthym. ibid. n.44
Cap. 17. n. 31. Qui fuerit in tecto, &c. Druthmar.fl.20.50
Cap. 10.n. 21. Confiteor &c. Chryſoſt.fl. 23.n.45
Cap.22.n.32. Confirma &c. Incert. fl. 22. n.32
Cap. 16.n.28. Habeo enim &c. Theophylact.fl.14.n.38
Cap.13.vir à Dæmone liberatus quid figuret. Ex Bed. Gloſſ.fl.26.n.12
Cap.9.n.55. Neſcitis &c.Incert.& Carthuſ. fl.27.n.18.
Cap. 15. n. 28. Pater. &c. Euthym. ibid. n.24
Cap.1.n.15.Erit enim &c. Ambroſ. fl. 28 num.7
Cap.1.n. 68. Viſitavit &c. Bed. ibid. num. 25
Cap.2.n.14. Gloria &c. Card.Tolet. ibid .n.37
Cap. 12.n.49. Ignem. &c. Hieron. fl. 28 n.55
Cap.1.n.15. Erit enim &c. Euthym. ibid. n.56
Cap. 20.n.16. Abſit. Theophylact. fl. 29. n.59
Cap.24.n.49. Quoadúſque induamini &c. Euthym.fl.31.n.20
Cap.7.n.12. Defunctus &c. Anton.fl.32. n.8
Cap.22.n.36 Emat gladium. Theophylact. ib.n.20

Cap.16.n.27. Rogo &c. Euthym.fl. 32. n. 58
Cap. 12.n.20. Hac nocte &c. Card. Tolet. ibid.
Cap.4.n.32. Omnes teſtimonium &c. Carthuſ & Incert. fl.38.n.31
Cap.23. n. 9. Nihil illi reſpondebat. Bed. fl.39.n.25
Cap.1.n. 52. Depoſuit potentes &c. Carthuſ.fl.40.n.27

S. Lucia.

Luciæ laus. Comeſtor.fl.29.n.42. Aldhelm. ib. n.44

Luctus.

Vide *Triſtitia.*

Luna.

Luna quando ſolem obnubilet. Nicet. fl. 28 n.20
Lunæ eclypſis quomodo fiat, Idem ib.
Luna aliqualem habet lucem propriam. Ambroſ.fl.38.n.33.
Symbolum eſt mentis à Deo illuſtratæ. Angelo.ib.n.48

Luſus.

Vide *Diabolus.*

Luxuria.

Luxuriæ origo otium. Chryſoſt. fl. 3. num. 12
Luxuriæ pellitur ardor recordatione gehennæ. Cæſar. Arelat.fl.31.n.15

M.

Machabæorum loca.

MAchab.12.n.28. Reliquerunt &c. Lir. fl.15 n.43
Ibidem Et fugit &c. Ex Raban. Gloſſ.Ord. ibid.

Magdalena.

Magdalenam tacentem defendit Chriſtus Dominus. Bern.fl 20.n.36
Quare Luc 7. Magdalena capillis uſa fuerit. Incert, & Bed.fl.21.n.41
Quomodò imitanda. Ambroſ.ib.
Magdalenæ famulatum Dei Filius dedignatus non eſt, cum illa fuit uſa capillis pro linteo, oculis pro catino. Cyprian. fl. 23. n.13
Viſo Salvatore redivivo, mirum eſt quòd non expiraverit præ gaudio. Thom à Villano. ib.n.25
Silentio exaggeravit peccata ſua. Comeſt. fl.25.n.38
Amoris igne incendit peccati rubiginem. Greg.M.ib.
Magdalenæ Marthæque diſparitas erga convivium, Aug.fl.25.n 52
Magdalena lavit lacrymis proprias maculas. Rupert.fl.32.n.54
Ejus unguentum apud Matthæum quid ſignificet Hilar.ib.
Magdalena dives fuit. Thom. à Villano.fl. 36. n.49
Ipſa & Martha cœnam, de qua Joann. 12. paraverunt. Theophylact.ib.
Vide *Eccleſia.*

Magi.

Magi, qui venerunt ex Oriente, reges erant. Cyprian.fl.28.n.23

Magiſtratus.

Indigentia civium penuria eſt boni miniſtri: qui lætus eſſe nequit, niſi cives communiter gaudentes audiat, exemplo Caſſiodori fl.11.n.42
Magiſtratum oportet exuere ſeipſum, & civitatis publica, & aliorum privata arbitrari ſui juris. Campan.ib.n.44
Vide *Rex.*

Magiſtri.

Magiſtri plus diligendi parentibus, & quare. Honor. fl. 21.n.9
Circa magiſtri ſententiam diſcipulus non ferens aſſenſum fixum, errat ſæpe. Simeo. Jun.ib n.11
Diſcipuli candidi eſt recipere doctrinam præceptoris abſque nimiâ curioſitate; de quibuſdam verò interrogare. Euthym. ibid.
Magiſtri nomen quàm ſit honorabile. Caſſiod. fl.38.n.7
Vide *Diſcipulus. Docere.*

Magnanimitas.

Magnanimitatis menſura eſt nec timidum eſſe hominem, nec audacem. Martin. fl.31. n.47
Magnanimitas eſt effectiva magnorum beneficiorum. Ariſt.ib.

Mala.

Mala minuuntur præſcientiâ. Greg.Mag. fl.21. num.4
Malum reputatur duplex in eo, qui non ſentit illud. Euſeb Pamphil.fl.26.n.31
Vide *Adverſitas. Dolor. Fortitudo. Mundus. Patiens. Peccator. Tribulatio.*

Malachiæ loca.

Malach.4.n.2. Sanitas &c. Theodore.& Cellen.fl.18.n.93
Cap.2.n.2. Maledicam &c. Hieron. fl.21. n.18

Malitia.

Vide *Peccatum.*

Manna.

Manna ſapiebat juxta deſiderium. Bed. fl. 18. n.31
Vide *Euchariſtia.* n.6

Manſuetudo.

Vide *Patiens. Verba.*

Manus.

Manus ſignificat opera. Aug.fl.20.n.42. Greg. M.fl.3.n.54

Marci loca.

Marc. 1. num. 24. Quid nobis &c? Hilar.fl.4. n.50
Marc 10. num. 20. Hæc. omnia &c. Bed.fl.6. n.17
Ibid.n.26. Quis poteſt &c? Clem.Alex.ibid. n.19
Cap.6 num. 7. Binos &c. Hug. Card.fl.9. n.38
Cap.5.n. 30. Quis tetigit &c? Chryſol. & Bed.fl.16.n.15
Cap.14.n.4. Quidam indignè &c. Aug.fl.24. n.44
Cap.10.n.18. Nemo bonus, &c. Hilar.fl.33. n.37
Ibidem n. 21. Dilexit &c. Euthym.ib.
Cap.14.n.6. Sinite eam, &c. Baſil. Seleuc. fl.36.n.49
Cap.6.n.31. Venite &c. Victor fl.38.n.55.

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum

Margarita.

Vide *Matth. loca.*

Maria sanctissima.

1. Appellationes Mariæ.
2. Celsitudo Mariæ.
3. Conceptio.
4. Dolores.
5. Maria circa sacram Eucharistiam.
6. Figuræ Mariæ.
7. Humilitas.
8. Lux.
9. Maria ut Mater Dei.
10. Mariæ nomen.
11. Mariæ protectio & liberalitas.
12. Mariæ Purificatio.
13. Mariæ sapientia.
14. Varia de Maria.

1. *Appellationes Mariæ.*

Maria fons veri luminis. Damascen. fl. 19. n.12

Filia & ancilla æterni Patris. S. Franc. ibid. n.16

Fons signatus. Rupert. ib.n.19

Fons spiritus æterni. Ephrem fl. 19. num. 19

Fons vicem speculi supplens Maria: quæ videndam faciem Patris, id est Filium, exhibuit. Ricard. ib.n 19

Maria virgo prudentissima, & animatum templum. Dei Aug.ib.n.20

Maria cœlum Thaumat.fl.19.n.25

Charta pura. Nysse.ib n.43

Terra benedicti: quæ dissolvit præjudicium originalis peccata, & germinavit panem Angelorum. Guarric. ibid. num. 47

Templum, & arca testamenti. In ea Deus immolatus. Ildephon.fl.19.n.51

Tabernaculum Dei habens Sanctum sanctorum. Arnold.ib.n.52

Maria vitis. Bonavent.ib.n.59

Maria mensa. Andre. Cret. fl.19.n.61

Et firmamentum credentium. Thaumat.ibid. n.95

Fons gratiæ divinæ. S. Laur. Just. ib. num. 102

Thronus Filii Dei. Bonavent.& Cret. fl.19. n.112

2. *Celsitudo Mariæ.*

Non est in mulieribus similis Mariæ. S. Franc.fl.19.n.16

Maria Seraphinis sublimior effecta est. Damasc. ib.n.26

Maria proximam & intimam Deo dixit Bernard.ib.n.30

3. *Conceptio Mariæ.*

Maria immunis ab originali culpâ. Idio.fl. 19. n.21

Vide *Appellationes*, n.1

4. *Dolores Mariæ.*

Mariæ fortitudo juxta crucem. Amed. fl. 19. n.63

Mors Christi Domini fuit illi amarior morte. Idem ib.

Maria non valens ire ad sepulchrum, dicere potuit: Nuntiate dilecto &c. Bernard. ib. n.46

Cupiebat Salvatoris tormenta suscipere in se: & hoc tolerabilius illi foret. Georg. Nicomed.fl.19.n.64.& 65

Dolores, quibus caruit pariens tulit in passione Redemptoris, Lacerum reparturiens. Domasc.ib.n.67

Tempore passionis quæ fuerat gloriosa. Mariæ, facta sunt ingloria: & amara quæ dulcia. German.ib.n.67

Mariæ fortitudo juxta crucem: & qualiter intendebat in salutem generis humani. Ambros.19.n.71

Quò magis diligebat, plùs doluit. Amed. ibid.

Dolentem describit passionis tempore Idem. ib.n.76

Maria tempore passionis plena amaritudine. German.fl. 9.n.78

Dolebat perdidisse sponsum, filium, & patrem. Bern.ib.n.83

Mariæ piæ considerationes de passione Salvatoris in hujus infantiâ. Revel.D.Birg.fl.19. n.89

Mariæ dolor sine mixtura consolationis. Antonin.ib.n.91

In Calvariæ monte dolor ei verba prohibuit. Bern. fl.19.n.89

Ejus ibi fletus amarus. Idem ib.

5. *Maria circa sacram Eucharistiam.*

In utero B. Virginis formatus est cibus Eucharisticus. Thom. à Villano fl. 19. n.53

Maria nutrix panis cælestis. Ildephon.ib.

In ejus utero paratus est cibus Eucharisticus. Vincent. Ferrar.ib.n.55

In nuptiis Cana postulans miraculum à Filio, intendebat in sacram Eucharistiam, Irenæ.fl.19.n.56

Velut cælitus veniens defluxit Eucharistiam Ecclesiæ. Maxim.ib.

6. *Figuræ Mariæ.*

Maria figurata per Judith. Hug. Card.& Gilber. Episc.fl.19.n.27

Significata per scalam Jacob. Bonavent.ib. n.29 & Andr.Cret.ib.n.106

Designata per Saram. Bernadin. Sen. ibid. n.54

Adumbrata per partem forcipis, de quo Isai. 6.6. Sinai.fl.19.n.58

Præsignata in Rebecca. Bern. ibid. num. 62

Significatur in rubo. Idem ibid. num. 94

Signatur per auroram, de qua Angelus ad Jacob in Genesi. Hailgrin. fl. 19. num. 96

Signata per virgam Aaron. Isid. Hisp. ib. n.98

Figurata in arcâ testamenti. Method. ibid. n.104

Adumbrata per Thecuitam, de qua 2. Reg. 14. Antonin.fl.11.n.9

Maria virga Aaron; & virga de radice Jesse. Bonavent fl.38.n.20

7. *Humilitas Mariæ.*

Mariæ humilitas in Purificatione. Elig. & Vincent. Ferrar fl.19.n.32

Vide *Purificatio.* n.12. hîc.

8. *Lux Mariæ.*

Maria in sua nativitate surrexit ut aurora. Rupert. fl.19.n.15

Quomodo

Quomodo impleverit auroræ officium. Anony. ib.
Maria omni lapide pretioſo pretioſior, & ſplendore ſolis clarior. Philipp. Abb. ib. n.16

9. *Maria ut Mater Dei.*

Mariæ ſubdebatur Deus. Bernar. fl. 11. n. 10
De Maria noluit carnem ſumere Deus, niſi conſentiret illa. Guilhel. ib.n.12
A Maria ſumpſit Filius Dei pecuniam, quam pro nobis redderet Patri. Thom. à Villa no.ib.
De Maria Dominus prodiit, quaſi radius de ſtella. Albert. M. fl.19.n.14
Maria meruit eſſe Mater Dei. Aug. ib.
In utero Mariæ compoſitus eſt noſtræ libertatis libellus: fabrefacta ſunt arma: Deus ſacerdos factus eſt. Procl. ib.n.42
Mariæ venter arvus. Idem fl. 19.n.42
In utero Mariæ diſruptum eſt peccati chirographum. Baſil. Seleuc. ib.n.43
Princeps paciſ cudit in utero Virginis arma, quibus diabolum interemit. Procl. ib.n.45
Excellentia maternitatis Dei. Anſel. fl.19. n.67
Quàm religioſum fuit honorari Matrem à Filio crucifixo. Ambroſ. ib.n.85

10. *Mariæ nomen.*

Mariæ nomen de theſauro Divinitatis. Damian. fl.11.n.8
Mariæ nomen quanta conferat piis mentibus. Francon. fl.19.n.97

11. *Mariæ protectio & liberalitas.*

Maria quam ſit meritis potens ad placandam iram Judicis. Aug. fl.19.n.30
In Chriſto Domino peperit Chriſtianos. Goffrid. ib.n.57
Maria hominibus eſt ſtella, lumen, conſolatio, gaudium. Francon. ib.n.93
Donavit nobis fiduciam intrandi paradiſum; dolorem fugavit. Thaumat. fl.19. n.95
Maria famoſa propter virtutes; famoſior propter beneficia. Bonavent. ib.n.103
Mariæ miſericordia & poteſtas. Amed. ib.
Quàm ſit benefica. Leo Imp. fl.19.num. 105
Vberitas Mariani fontis. Francon. ibid.n. 107
Ad Mariam erigatur ſpes noſtra. Laur. Juſt. ib.n.102

12. *Mariæ Purificatio.*

Cur Maria voluit purificationi ſubjicere ſe. Thom. à Villa no. fl.19.n.34
Id egit ex amore: qui fecit eam apparere nigram oculis ignaris. Vincent. Ferrar. ib. n.38
Quomodo Maria oraverit Patrem, offerens Unigenitum die purificationis. Thom. à Villa no. ib.n.40
Vide *Humilitas Mariæ n 7*

13. *Mariæ ſapientia.*

Mariam & pœnitentiæ, & religionis Chriſtianæ magiſtram dixit Ignatius Martyr. fl. 19.n.11
Ad Mariam introduxit Gabrielem, dicentem, cur ab ea percontetur: Quomodo fiet &c? Bernar. ib.n.33
Mariæ ſapientia. Idem ib. n.69
Maria facta eſt Apoſtolorum magiſtra. Ricard. fl.38.n.19
Præfuit Collegio Apoſtolico. Flavi. Dext. ib.

Varia de Maria.

Sine Maria nihil eſt refectum. Damian. fl. 11.n.8
Maria Eccli. 24.5. loquitur. Ricar. fl.19.n. 17
Cum Mariam laudamus, laus ad Filium pertinet: & è contra. Bernar. ibidem n. 28
Piæ meditationes circa verbum, *Fiat*, à Virgine prolatum. Thom. à Villa no. ib. n.49
Maria candidior inter Martyres. Ildephon. fl. 19.n.63
Grande & ſuave vulnus accepit. Bernar. ib. n.73
Mariæ labor & verecũdia cum ivit in Ægyptum. Chryſol. fl.32.n.10
Vox Mariæ quid præſtiterit Baptiſtæ in utero matris. Guarric. fl.18.n.19
Vide *Canticor. Iſai. & Luc. loca.*

Martyres.

Martyres velut ſcopuli repellentes undas maris. Chryſoſt. fl. 10.n.19
Martyrum epitecta quædam honorifica. Nazianz fl.29.n.18
Martyrum eloquentia. Leo Pap. ib. num. 33
Martyres quomodo expugnaverint reges atque dæmones. Appon. ib.n.68
Vide *Fortitudo.*

Mater filiorum Zebedæi.

Vide *Filii Zebedæi.*

Matres.

Matres nimis indulgentes in filios. Maph. fl. 1.n.8
Quid oporteat monere filios. Ambroſ. ib.

Matrimonium.

Matrimonii neceſſitudo maxima cunctarum. Rupert. fl.29.n.54

Mathathias.

Mathathias quomodo interpretetur. Anton. fl.15.n.43
Significat juſtum religioſum. Idem ib.

S. Mathias.

Super Mathiam deſcendit radius: & Joſeph omiſſus regratiatus eſt Chriſto Vincent. Ferrar. fl.8 n.24

Matth. loca.

Matth. 26.n.41. Ut non intretis &c. Hieron. & Hilar. fl.2.n.50
Cap. 25.n.26. Serve male, &c. Thom. fl. 3.n.27

Cap. 26.n.50. Amice &c. Paſchaſ. ib.n. 35
Cap. 17.n.23. Quæ fuerit mens exactorum. Idem fl.4.n.30
Cap. 9.n.12. Non eſt opus &c. Euthym.ib. n.60
Cap. 6.r.17. Cum jejunas, &c. Comeſt. ib.n.78
Cap. 26.n.45. Dormite &c. Aug. & Theophylac. fl.5.n.39.
Cap.16.n.22. Abſit &c. Bed. ib.
Cap. 5.n.29. Si oculus &c. Hieron. ib.n. 49
Cap. 22.n.9. Ite ergo &c. Zachar. fl.7.n. 57
Cap. 25.n.40. Fratribus meis &c. Thom. fl.8.n.46
Cap. 15.n.15. Ediſſere nobis &c. Euthym. fl.10.n.8. Hieron. fl.13.n.1
Ibidem n.16. Adhuc & vos &c? Thom. fl. 10.n.8. & Paſchaſ. fl 12.n.34. & Theophylact. ib.
Cap.10.n.13. Pax veſtra &c. Thom & Anſel. fl.11.n.35
Cap. 16.n.23. Vade &c. Chryſoſt. fl.12. n.26. & Hieron. fl.26.n.22. & Euthym. fl.31.n.26
Cap. 15.n.27. Etiam &c. Paſchaſ. fl.12. n.31
Cap. 8.n.25. Domine &c. Baſil. Seleuc. ib.n.32
Cap. 18.n.3. Niſi &c. Theophylact. fl.12. n.33
Cap. 23 n.3. Quæcumque &c. Ex Hieron. Zachar. ib. n.51
Ibidem n.10. Magiſter. &c. Thom. ib.nu. 51
Ibidem n.11. Qui major &c. Thom. fl.12. n.51
Cap. 17.23. Dixerunt ei: &c. Paſchaſ. & Hieron. ib.n.53
Cap. 20.n.22. Poteſtis &c? Euthym. & Theophylact. fl.13.n.41
Cap. 11.n.19. Juſtificata &c. Hilar. fl. 13.n.55
Cap. 26.n.50. Amice &c. Thom. fl.14.n. 24
Cap.6.n.6. Clauſo &c. fl.15.n.24
Cap. 16.n.18. Et ego &c. Thom. ib.num. 30
Cap. 9.n.38. Rogate &c. Thom. ib. num. 59
Cap. 26.n.25. Numquid ego &c? Hieron. fl.16.n.11
Cap. 9.n.15. Tunc jejunabunt. Rupert. ib.n.41
Cap. 3.n.15. Omnem juſtitiam. Anſel. ib.n.45
Cap. 23.n.8. Nolite &c. Euthym. fl.17.n. 35
Ibidem n.9. Patrem &c. Thom. ib.
Cap. 13.n.46. Pretioſa margarita, &c. Anſel. fl 18.n.65
Cap. 26.n.17. Vbi vis &c? Hug. Card. ib.n.103
Cap. 8.n.24. Motus magnus &c. Bed. fl. 23.n.37 & Paſchaſ. fl.31.n.46
Cap. 19.n.26. Apud homines &c. Chryſoſt. fl.24.n.64
Cap. 2.n.18. Rachel. plorans &c. Rupert. fl.25.n.15. & S. Thom. ib.
Cap. 4.n.3. Si filius &c. Anſel. fl.26.n. 14. Paſchaſ. fl.38 n.49
Cap. 20.n.24. Indignati ſunt &c. Carthuſ. fl.27.n.16
Cap. 10. n.16. Sicut ſerpentes, &c. fl.27.n.54
Cap. 24.n.30 Signum filii hominis &c. Hug. Card. fl.28.n.16
Cap. 6.n.26. Pater veſter &c. Paſchaſ. ib.n.24
Cap. 26.n.30. Hymno. &c. Euthym. ib. n.27
Cap. 10.n.29. Paſſeres, de quibus ibi, quid ſignificent. fl.28.n.41
Cap. 23.n.10. Nec vocemini magiſtri: &c. Paſchaſ. ib.n.63
Cap. 18.n.10. Angeli &c. Carthuſ. fl.30. n.29
Cap. 10.n.9. Nolite poſſidere &c. Ambroſ. fl.32.n.20
Ibidem n.10. Neque virgam: Idem ib.
Cap.3.n.9. De lapidibus &c. Paſchaſ. ib. n.43
Cap. 16.n.18. Portæ &c. Idem ib.n.55
Cap. 14.n.25. Ambulans &c. &c. Bed. fl. 33.n.45
Cap. 15.n.23. Dimitte &c. Paſchaſ. fl.34. n.60
Cap. 21. n.16. Ex ore infantium &c. Chryſoſt. fl.36.n.17
Cap. 6.n.3. Neſciat ſiniſtra &c. Paſchaſ. ib.n.54. & Hug. Card. fl.38.n.51
Cap. 25.n.35. Eſurivi &c. Idem fl.36.n. 57
Cap. 16.n.23. Scandalum &c. Euthym. fl. 37.n.41
Cap. 17.n.25. Ergo liberi &c. Paſchaſ. fl. 39.n.39
Vide *Apoſtoli. Detractio. Joannes Evangeliſta. Petrus.*

Mediocritas.

Vide *Virtus.*

Memoria.

Memoriæ theſauro niſi reponantur quæ legis vel audis, nihil prodeſt legiſſe vel audiſſe. Ambroſ. fl.25.n.17
Vide *Amor. Conſcientia. Injuria.*

Mendacium. Mendax.

Mendacium hominis. Ambroſ. fl.2.n.33
Omne opus malum cogitatum mendacium ducem habet. Aug fl.4 n.2
Mendax non creditur cùm dicit verum. Doroth.ib.n.5
Mendacium tenebræ. Clictove. ibidem num. 23
Mendacium tantò odiſſe debemus quantò amamusveritatem. Aug. fl.4.n.25
Non mentiendum nec pro æternâ hominis ſalute. Idem ib.n.27
Mendacium datur etiam in rebus. Brun. Aſt. ib.n.32
Mendacium tranſit inſtar fluminis. Hieron. fl.4.n.37
Malignitas eſt diabolica delectari in mendaciis quia fallunt. Gerſ. ib.n.39

Malitia perſequentium veritatem Dei tranſit ſicut fumus. Incert. ib.n.41
Mentitur qui vult videri quod non eſt. Iſid. Hiſp fl.4.n.73
Non mentitur qui deceptus loquitur. Idem ib.n.75
De mendacio ſuo aliqui placent & applaudunt. Clim. ib.n.85
Vide *Fallacia. Falſa. Homo. Odium. Veritas.*

Mercenarius.

Vide *Pauper.*

Metus.

Vide *Peccatum. Timor.*

Milites.

Militum ſæculi, & ſpiritualium diſparitas quædam. Ferrand. fl.29.n.38
Vide *Religioſi. Timor.*

Mina.

Vide *Spes.*

Miſericordia. Miſericors.

Miſericordiam quomodo petit à Deo magnam qui nec ſecundùm parvam miſeretur proximi? Chryſoſt. fl.30.n.42
Miſericordiam non exercent aliqui diſpergentes dona famulis, amicis, conſanguineis. Thom. à Villa no. fl.36.n.38
Miſericordia incenſum. Chryſol. ib. n.50
Miſericors propriè maximéque eſt qui non divulgat miſerias eorum, quibus benefacit. Peluſ. fl.36.n.54
Sine miſericordia jejunium non aſcendet in conſpectum Dei in odorem ſuavitatis. Chryſol. ib.n.50
Vide *Eleemoſina. Pauper.*

S. Monica.

S. Monicæ laus. Maph. fl.19.n.2

Mora.

Vide *Amor*
Morbus interrumpit complacentiam circa vitam. Eugen. fl.25.n.25
Vide *Peccatum.*

Mors.

Mortis tempus nullâ repellitur arte. Thaumat. fl.4.n.47
Mors ſæpe vocatur ſomnus. Aug. fl.11. num. 7.
Mors datur quædam ſpiritualis, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius, & ſublevat animam. Bernard. fl.18 n.21
Mortis memoria ſuadetur. Eugen. fl. 22. n.10
Mors domat ſuperbiam. Rupert. ibidem n.21
Mortis memoria imprimenda menti. Hug. Eterian. ib. n.28
Mortis cogitatio quàm utilis. Columban. fl. 23.n.26
Mortem corporis omnes timent; ſpiritualem pauci. Julian. fl.32.n.57
Mors utilis juſto & peccatori. Tit. fl.27. n.7
Mors facta eſt inſtrumentum, per quod tranſiretur ad vitam. Iulian. ib.n.9
Mors quotidianis caſibus nobis imminet. Od. ib. n. 12
Mortem non eſſe mortem, ſed remedium; benignum, dixit Philipp. Solit. fl.13. n.20
Si mors nihil noceat animæ, bonum eſt. Ambroſ. ib.
Per mortem liberamur à carcere. Petrar. ib.n.22.
Mors grave quid non eſt iis, quibus gravis eſt ejus timor. Ambroſ. fl.37.n.24
Tollit ſomnia vitæ. Chryſoſt. ib.n.26
Vitam ſuam qui dolet claudi, quietem odit. Petrar. ib.n.28
Juſto quare de morte gratulandum. Julian. fl. 37.n.34
Mors juſti pretioſa. Baſil. M. ib.n.36
Iuſti appropinquantes morti Deum laudant & implentur voluptate. Areop. ib. n.44
Juſti mors lucrum maximum. Ambr. fl.37. n.46
Mors ſanctorum eſt in lætitia, ſpeque certâ. Areopag. ib. n.48
Mortem vocat bonum Ambroſ. ib num. 58
Mors abſolvit omnes: quod non delectet multos, infirmitatis noſtræ vitium eſt. Idem fl.37.n.20. Idem ib. n.22
Vide *Adoleſcens. Anima. Iezabel. Iuſtus, Sancti. Vita. Voluptas.*

Mortificatio.

Mortificatos exiſtimat ſepultos Odo Clun. fl. 16.n.54

Moyſes.

Moyſes narrans, ſe mortuum, ſepultumque inſpectante nemine, prophetavit de ſeipſo. Phil. fl.16.n.39
Moyſes recuſabat legationem ex verecundiâ. Hieron. fl.38.n.9
Vide *Prædicator. Prælatus.*

Mulieres.

Mulieres volentes ungere ſacroſanctum Chriſti Domini Cadaver, nihil magnum de illo ut oportebat, cogitabant. Chryſoſt. fl.28.n.29
Vide *Fœmina. Filia. Matres.*

Mundani. Mundialia. Mundus.

Mundialia tenebræ. Laur. Juſt. fl.3.num. 38
Inanitatem mundi putamus ubertatem. Gilbert. ib.
Mundialia tranſeunt ſicut aqua & pereunt. Hieron. ibid.
Sumptu ſuo anima format imagines rerum creatarum: quas amat valde. Aug. fl.3. n.40
Mundum diligens abjicit ſe. Aelred. fl.5 n.3
Omnia, quæ ſunt in mundo, tibi fraudulenter prophetant. Anton. ib.n.54
Mundus amator fallax. Bleſ. fl.6.n.20
Mundus mare. Brun. Aſt. ib. n.46
Mundi maris aquæ inundationes, amaræ. Anton. fl.7.n.65
Mundus nullum ex amatoribus ſuis duxit ad perfectum, nec reddidit voti compotem. Sereſber. fl.14.n.15
Qui voluerit eſſe inimicus hujus mundi, conſtituitur amicus Dei: & quos mundus rejicit ut abortivos, Chriſtus ut filios chariſſimos ſuſcipit. Clichtov. ibidem n. 43
Mundi gloriâ & pompâ clariùs emicat ſol gratiæ. Anton. ib.n.59

Mundus nihil habet tam pretiosum, ut valeat comparari paupertati Sanctorum. Guarric. fl.15 n.13
Mundus est domus Dei. Thom. à Villano. ib. n.48
Mundi finis calamitates quædam. Hyppol. fl. 19 n.78
Mundani velut fatui & mortui de futuro non cogitant, præsentia sectantes. S. Laur. Just. fl.22.n.18
Mundi lætitia periculosa: securitas casibus plena jucunditas laqueis impedita. Chrysost. fl.25.n.8
Mundi dulcedinem quis non contemnet inhians dulcedini vitæ futuræ? Aug. fl. 31. num.4
Mundus est agon certaminum plenus. Ambros. ib.n.13
Expulsô mundi timore serviendum Domino timore gehennæ. Zachar. ib.n.14
Dementia est amare pressuras & lacrymas mundi, & non festinare ad æterna gaudia. Cyprian. fl.37 n.4
Illius est velle diutiùs in mundo manere, quem decipit mundus. Idem ib.
Mundus videbitur angue pestilentî nocentior, si cogitemus dolores, pricula, &c. Maphe. ib n.12
Quidquid in hoc mundo lætum & sublime cernitur, vanum est: habetur difficilè, ac amittitur citò. Greg. M. fl.37.n.52
Res humanæ vertuntur in circulo. Nihil in eis immobile, vel planum, vel per se sufficiens. Nazianz fl.40.n.43
Vide *Anima. Bona temporalia. Desiderium. Deus. Dives. Jerico. Ignobilitas. Justus. Laban. Pax. Quies. Vita.*

Murmuratio.

Vide *Conviciaoor. Detractio. Lingua.*

N.

Nabuchodonosor.

NAbuchodonosor factus amens vixit inter bruta. Hierony. fl.12.n.39
Nabuchodonosori quare dilatum fuerit supplicium per tot menses. Hieron. fl. 29.n.49
Vide *Diabolus.*

Navis.

Navis in qua Christus Dominus dormiebat Marc. 4. significat Ecclesiam. Chrysost. fl.33.n.43
Naviculam fundabat fides Petri. Ambros. ibid.
Vide *Apostoli.*

Necessitas.

Necessitas humilem reducit ad sublime, & excelsum demittit. Nil. fl.30.n.16
Necessitate palliamus voluptatem. Gregor. Mag. fl.3.n.56
Vide *Populus.*

Negligentia.

Negligentiæ torpor dicitur aliquando somnus. Od. Clun. fl 3.n.52
Vide *Desidia. Fiducia. Judicium. Peccator.*

Nicodemus.

Nicodemi strenuitas in tradendo sepulturæ Christum Dominum. Epiph. fl. 29. num. 42
Ejusdem rubor olim. Carthus. & Euthym. ibid.

Nix.

Nix quomodo fiat. Honor. fl.28.n.34

Nobilis.

Vide *Detractio. Divitiæ.*

Noe.

Noe cur addixerit servituti Chanaan propter peccatum Cham. Ambros. fl.17.n.36

Nomen.

Nomina rerum confundi solent. Pelus. fl. 24. num.3

Numerorum loca.

Numer. 12.n.8. Quare &c. Rupert. fl.2. num. 52
Cap.15.n.34. Nescientes &c. Lir. fl. 39. n.49
Cap.11.n.17. Auferam &c. Aug. fl 40.num. 13
Cap.25.n.4. Tolle &c. Hug. Card. ib.num. 29

O.

Obedientia.

OBedientia dicitur martyrium. Antioch. fl.1.n.13
Obedientis oratio quantùm valeat. Laur. Just. ib.n.15
Obediens velut est in statu cælesti. Humbert. ibid.n.17
Videtur ferè immortalis. Apud Climac. fl.1. n 17
Obedientiæ triumphus inclytus. Humbert. & Greg. Mag. ib.n.20
Obedientiæ quies. Laur. Just. ib.n.22
Obedientia paritur ab humilitate. Joann. Abb. fl.1.n.24
Obedientia custodit. Humbert. ibid. num. 28
Obediens est negotiator Dei. Idem ib.
Obedientiæ laudes. Climac. & Humbert. fl.38. n.40.
Obedientia perfecta (maximè in incipientibus) non discernat quid, vel quare præcipiatur. Bernat fl.40.n.39.
Vide *Aures. Honor. Subditus. Voluntas.*

Objurgatio.

Vide *Contemptus. Prælatus. Reprehensio.*

Oblivio.

Oblivio comparatur morti. Od. fl. 5.n.38

Occasio.

Occasionem proximam nolentis dimittere verbis & lacrymis. S. Thomas à Villano. non credebat. fl.7.n.24
Occasio proxima est catena. Idem ib.
Occasio peccati fugienda. Idem fl. 21. num. 40
Occasio peccati vitanda. Chrysost. fl.34.num. 11

Oculus.

Videre non est crimen; sed cavendum ne sit origo criminis. Ambros. fl.25.n.13
Oculorum præstantia. Nyssen. fl. 34. num. 31
Oculi duces corporis. Angelom. fl. 38. num. 25

Vide *Doctor. Viſus.*

Odium.

Odium parit ſæpe mendacium. Goffri. fl.4. num.5

Vide *Hoſtis. Inimicus. Patiens. Superbia. Timor.*

Odor.

Vide *Conſcientia. Fama.*

Opera.

Opera bona aliquando in Scriptura ſignificantur per pedes. Remig. fl. 12.16

Opera noſtra ſunt vineæ noſtræ, quas excolimus. Greg.Mag. fl.22.n.34

Opera ſine fide infirma ſunt Theophil. fl. 28. n.62

Opera ſine cognitione ſunt velut idolum ſine anima. Maxim.2.32.n.47

Præſtabilior eſt ſapientia, quæ non ſplendet ſermone, ſed opere. Nazianz. fl.39. n.52

Vide *Conſummare. Iuſtus. Labor. Manus. Verba. Virtus.*

Opinio.

Opinio ſæpe diſtat à re. Peluſ. fl.6.n.54.

Vide *Divitiæ. Paupertas.*

Oratio.

Oratio ſignificata thure apud Radulph.fl.15. n.19

Orantes in eccleſiis dixit ſocios Angelorum Chryſoſt. fl.15.n.24

Vide *Deus. Lacrymæ. Miſericordia. Patientia.*

Os.

Oris nomine hominem interiorem appellat Ambroſ.fl.12.n.11

Oſee loca.

Os 12. n. 1. Paſcit ventum, & Hug. Card. fl.10.n.35

Cap. 2.n.4. Flevit, &c. Idem 2.32.num. 30

Cap. 9.n 16. Radix eorum &c. Hieron. & Theodore.fl.37.n.55

Cap.8.n 1.In gutture &c. Hieron. fl. 38. n.43

Otioſus. Otium.

Otioſus villa abſque muro. Humbert. fl. 3. num 8

Otioſi religioſi deſcriptio. Laur.Juſt. ib.num. 10

Otioſus cadaver. Eric. Putean. & Bernard.ib. n.14

Otium ſine litteris mors & ſepultura.Sereſber. fl.3.n.16

Vide *Amor. Deſidia. Lux.*

P.

Palma.

PAlmarum quaſdam mares, quaſdam fœminas dici refert. Baſil. Mag.fl. 15.num. 15

Paradiſus.

Homo in paradiſo in ſtatu innocentiæ non haberet frigus; nec experiretur intemperiem ætatis. Iſidor. Hiſpal.2.5. n.41

In paradiſo fuit diabolus. Ambroſ. ibid.

Paradiſus ſignificat animam juſti. Idem ib. & Barceph. fl.33.n.23

Paralyticus.

Paralyticus piſcinæ propter peccata incidit in languorem. Carthuſ.fl.7.n.33

Parvulus.

Parvulus malitiâ quinam ſit. Anſel. fl. 28. num. 3

Paſſiones.

Vide *Temperantia.*

Patiens. Patientia.

Per patientiam poſſidemus noſipſos. Greg. Mag.fl.2.n.37

Patientia conſocianda ſpei. Paſchaſ. fl. 10. num.1

Vincit qui cedens malitiæ videtur vinci. Ambroſ.12.n.52

Patientia in adverſis & contumeliis diſcenda à Chriſto Domino. Laur. Juſt. fl. 16. n.58

Patientiæ qualis fructus. Greg. Mag. & Sime. Jun.fl.20.n.29

Patientiæ victoria, fortitudo, gloria. Iſidor. Hiſpal. fl.20.n.31

Patientiæ laudes. Incert.ib.n.35

Mala hominum portet in terrâ hac alienâ qui ſui cupit bonis in terra viventium. Greg. Mag.fl.22.n.6

Per patientiam differt vir bonus à malo, & ſapiens à ſtulto.fl.27.n.7

Non offendi per injuriam eſt in poteſtate noſtrâ.Chryſoſt. ib.n.7

Patientia ſuadetur per conſiderationem paſſionis Chryſti Domini. Iſidor. Hiſpal. ibid. n.17

Quomodo quis evadat ſuperior iræ. Nil. fl.27.n.19

Qui recolit patienda perpetraſſe, erubeſcit non parcere peccatis alienis. Laur.Juſt.ib. n.23

Patientiam nutriunt præmiorum exempla. Idem ib. n.23

Patienti quid faciendum, ſi experiatur, nec lenire poſſe iratos verbis mitibus, neque retribuendo beneficia pro contumeliis. Victore.fl.27.n.31

Patientia eſt adamas, medicina & clypeus: quo utens lædi non poterit, niſi prius dimicet contra ſe. Humbert.ib.n.35

Patienti ſerviunt æſtas, & hyems, & omnia adverſa mundi. Laur. Juſt.ib.n.37

Patientia glorioſum efficit hominem. Idem fl.27.n.41

Patientia Davidis.Ambroſ.ib.n.43

Patientiam ſuadent aliqui; cum ſint impatientiſſimi.Bernar.ib.n.47

Patiens ferens injuriam, inferentem ſanciat animi ſui magnitudine tamquam telo: & aliquando mutabit illum. Peluſ. fl. 29. num.3

Perſecutorum duritiam deflere, laudabile.Diadoch.ib.n.8

Virtutes per patientiam confirmantur.Bleſ. ib.n.8

Certa viriliter vincens beneficiis aggreſſorem. Thom. à Villano. fl.9.n.16

Alienus furor vigorem perdit, ſi ſolus inſanit. Valerian.ib.n.24

Patiens vincit perſecutorem promptitudine paſſionis. Nazianz.fl.30.n.64

Sapientis & optimi viri eſt non adverſarium tollere, ſed certamen. Lactan. Firmian. fl.34.n.2

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Quidam volunt esse patientes tantùm cùm non fuerint ab aliis irritati. Humber. ib. num. 3

Convicia bene toleramus cum recurrimus ad memoranda peccata nostra. Greg. Mag. ib. n. 11

Patientia donatur in tribulationibus ad mensuram humilitatis. Joann. Abb. fl. 34. num. 11

Mansuetudinis & vincendæ iræ primum tyrocinium est verborum compressio, Climac. ib. n. 19

Qui magno animo tulit injuriam superavit cum laude. Chrysost. ib.

Is admiratione magnâ dignus est. Doroth. fl. 34. n. 19

In oratione aut contemplatione repertus facilè fert convicium immobilis. Idem ibid. n. 21

Ad patientiam conducit recordari, si quid boni tibi priùs contulerat offensor; & afflictiones, quas tu aliis intulisti. Christi. ib. n. 25

Si quis tibi detraxit, expende si tu similiter aliis feceris. Idem fl. 34. n. 27

Patientiam exerce ante occasionem. Nil. ibid. n. 29

Si non vis injuriam pati, claude os & aures. Valerian ib. n. 35

Mansuetus dicitur quasi manu consuetus: id est patiens & mitis. Ex Cassiod. Brun. fl. 34. n. 39

Patiens, qui præsentia non timet, ac futura cogitat, nescit trepidare ubi non est timor. Incert. ib. n. 41

Mansuetus pretiosus Deo, templum Spiritus sancti. Nil. ib. n. 43

Patientiæ gradus quosdam distinxit. Humbert. fl. 34. n. 51

Non exeas in prælium, & vicisti. Chrysost. 16. n. 53

Vide *Iacob. Impatientia. Injuria. Ira. Rebecca. Voluptas.*

Pater æternus.

Vide. *Christus Dominus.*

Patres.

Patres nihil recusant laboris propter filios. Maphe. fl. 1. n. 2

Quàm sit utilis institutio bona filiorum. Idem ibid.

Aliqui parentes magis curant de servis instituendis bene, quàm filiis. Chrysost. ib. num. 3

Pater cùm filium cædit unâ manu, tenet alterâ. Anton. fl. 1. n. 7

Quomodò amare debeat filium. Salvian. ibid.

Pater abdicans filium reprehenditur ab Ambros. ib. n. 58

Nec vultu lædendus est pater. Idem. ibid.

Paterni amoris effectus. Laur. Just. fl. 15. num. 64

Patres reprehenduntur providentes de opibus pro filiis; & negligentes de illorum educatione. Xenoph. fl. 16. n. 7

Pater filios bonis moribus instruens ditat eosdem. Salvian. fl. 17. n. 3

Patrum quorundam remissio in corripiendis filiis. Greg. Mag. ib. n. 4. Chrysost. ib. n. 6

Pater laudans filium non rectum necat eumdem. Damian. ib. n. 32

Patres providentes filiis multa, nullus verò Deum. Chrysost. fl. 29. n. 10

Aliqui filiis perditionem carò emunt; salutem spiritualem neque gratis accipere volunt. Idem ib.

Aliqui genitores trahere volunt secum filios ad infernum. Laurent. Just. fl. 29. num. 10

Multos filios habens habet unde veluti sæpius mori possit. Petrar. ib.

Patres diligunt filios plusquam se; ac diliguntur ab eis valde tepidè. Idem. fl. 30. num. 38

Patrum amor in filios quasi transformat eos. Laur. Just. fl. 31. n. 51

Parentes non ita curent de reliquenda filiis hereditate, quòd sibi concilient æternam damnationem. Salvian. fl. 15. n. 4

Patris quasi membra sunt filii. Marsil. fl. 16. num. 7

Filiæ curam qualem suadebat Hieron. fl. 17. num. 7

Filii sunt in bono instituendi ab infantia. Humbert. ib. n. 9

Pueri à teneris annis bene sunt educandi. Pelus. ib. n. 38. Bles. ib. n. 39

Vide *Amicus. Correctio. Divitiæ. Filius. Ignobilitas.*

Paulus Apostolus.

Pauli sancta libertas cum increpavit Petrum. Ansel. fl. 12. n. 49

Pauli humilitatem notat Idem. fl. 15. num. 61

Paulus sic amabat ut in propriis malis non doleret; videns autem lacrymantes doluerit. Chrysost. fl. 16. n. 19

Paulus quàm dispar à Saulo. Aug. fl. 22. num. 49

Paulum cur Deus excæcaverit. Chrysost. fl. 38. num. 8

Paulus arbitrum suum subdidit alieno. Idem ibid. num. 12. Præfertur arcæ Noe. idem ib. n. 38

Pauli mansuetudo. Idem ib. Humilitas. Chrys. fl. 29. n. 13

Pauli sollicitudo in proximos. Chrysost. fl. 38. n. 16

Pauli epistolæ retia salutis: lingua tuba Christi. Procl. ib. n. 17

Vide *Petrus.*

Pauli loca.

Ep. ad Ephes. 5. n. 14. Surge qui dormis, &c. Aug. & Ansel. fl. 3. n. 15

Ad Roma. 11. num. 29. Sine pœnitentia &c. ex Aug. Gloss. Ord. ib. n. 37. Ambros. ibid.

Ib. c. 1. n. 21. Obscuratum &c. Aug. fl. 5. n. 22. & Ambros. fl. 28. n. 59

Ep. 1. ad Cor. 3. n. 11. Fundamentum &c. Ansel. ib. n. 55

Ib. n. 18. Nemo &c. Idem ib.

Ep. ad Colossen. 3. n. 9. Expoliantes vos &c. Ansel. fl. 7. n. 19

Ep. ad Hebræ. 12. n. 12. & n. 13. Soluta genua erigite, & gressus &c. Rom. fl. 7. n. 19

Ep. ad Ephes. 6. n. 14. State &c. Sedul. ibid. n. 47

Ep.1.ad Cor.10.num.12. Exiſtimat ſtare,&c. Chryſoſt.fl.9.n.36
Ep. ad Philipp.3.n.13. Obliviſcens,&c.Ambroſ.ib.n.56
Ep.ad Rom. 8. num. 22. Scimus enim &c. Thom.fl.10.n.14
Ib.n. 26. Poſtulat &c. Primaſ. fl. 15. num. 20
Ep. ad Philipp. 4.n.6. Cum gratiarum &c. Thom.ib.n.21
Ep.1.ad Cor.5.n.3. Præſens &c. Idem ibid. n.41
Ep.2.ad Cor. 12.n.21.Et lugeam &c.Chryſoſt.fl. 16.n. 19
Ep.1.ad Cor.3.n.18.Stultus fiat &c. Guarric. fl.16.n.54
Ep.ad Epheſ.4.n. 32. Deus in Chriſto &c. Anſel.fl.17.n.27
Ibid. c. 5. n.20. Gratias agentes &c. Idem. ibid.
Ep.1. ad Cor. 11.n.24. Gratias agens &c. Idem fl. 18 n.85
Ep. ad Epheſ.22.n.15. Faciens pacem &c. Primaſ. fl.22.n. 25
Ep. 1. ad Timoth.1. n.13. Blaſphemus &c. Anſel.fl.24.n.48
Ep. ad Coloſſen.3.n.13. Sicut & Dominus &c.Idem fl.27.n.26
Ibid. n. 24. Scientes &c. Ambroſ.ib.
Ep. ad Galat.6.n. 17. Nemo mihi &c. Anſel.ib.n.42
Ep.1.ad Cor.14.n. 20. Malitiâ parvuli &c. Idem fl. 28.n.3.
Ep. ad Roma. 1.n. 21. Dicentes &c. Chryſoſt.ib.n.59
Ep. ad Philipp.3.n.12. Non quod jam &c. Anſel.ib.n.63
Ep. ad Coloſſen. 3.n. 3. Mortui enim eſtis &c. Anſbert. fl.29.n.5
Epiſt.ad Roman. 15. n. 17. Habeo igitur gloriam &c. Thom.ib.n.13
Ep.ad Philipp.3.n. 8. Exiſtimo &c. Chryſoſt.fl.31.n.18
Ibid. Ut Chriſtum &c. Anſel.ib
Ep.1.ad Cor.9.n.26. Non quaſi in incertum &c.Anſel.ib.
Ib.num. 27. Ne forte &c. Aug.fl.31.num. 18
Ep. 2.ad Cor.12.n.7.Stimulus &c. Rom. ib.n.28
Ep. ad Epheſ. n.12. Principes, & poteſtates,&c. Anſel. fl.53 n.29
Ad Philipp.2.n. 9. Deus exaltavit &c. Remig.ib.n.31
Ep. 1. ad Cor.1.n.23.Judæis quidem ſcandalum &c.Anſel.ib.n.32
Ib. cap. 6. n. 12. Omnia &c. Idem fl. 34. n.12
Ep. ad Roma.12. n. 21. Vince in bono &c. Remig.ib.n.54
Ep.1.ad Timoth. c.6.n. 12. Certa bonum certamen &c.Anſel.ib·
Ep. ad Tit. c.2.n.8. Qui ex adverſo &c. Chryſoſt.& Thom.fl.35.n.8
Ep. ad Coloſſen. c. 1. num. 24. Adimpleo ea, quæ deſunt &c. Chryſoſt.fl.37.num. 33
Ep.ad Philipp.1.n.23.Coarctor &c. Anſel. ib.n.45
Ep. 2. ad Timoth. c. 1. num. 12. Depoſitum meum &c. Ambroſ. ibid. num. 47.
Ep. 1. ad Cor.c.9. n.27. Caſtigo &c. Anſel. fl.38.n.35
Ib. Ne forte &c. Primaſ. ib.
Ep.2.ad Cor.c.6.n. 10. Quaſi &c. Thom. fl.22.n.35

Paulus 1. eremita.

Pauli primi eremitæ præconium ex D. Althel. fl.15.n.15
Paulus dicitur pellicanus à Bruno. Aſt. ibid. n.17

Panper. Paupertas.

Pauperum mendicorum mendacia movebant ad majorem miſericordiam. Chryſoſt. fl. 4. n.34
Pauperem ſuperbum quis ferat ? Aug. fl. 6. num.3
Pauperes afflictos quàm abominentur homines· Nazianz.ib.n.4
Si pauper appellaris, id non te perturbet : quia non eſt probrum. Baſil. Mag.ib.
Paupertas involuntaria quantùm cruciet. Chryſoſt. fl.6.n.9
Paupertas Chriſtiana & voluntaria dives eſt. Guarric.ib.n.14
Generosæ & ſinceriter amantis animæ argumentum eſt nihil mundi poſſidere velle. Antioch. ib.n.10
Ad conditionem Angelorum accedit qui ſtudio rerum divinarum recedit ab affectione materialium. Areop.fl.6.n.50
Pauper ſuperbus, æſtuans amore divitiarum, numeratur inter divites pravos. Od. Clun. ib.n.54
Paupertatem opinio malum fecit. Thriver. ibid.
Paupertas quid prodeſt ei, qui voluerit eſſe ſuperbus ? Cæſar. Arelat.fl.6.n.58
Pauper cupidus divitiarum talpæ ſimilis. Radulph.ib.
Pauperes ſunt qui divitias habentes contemnunt eas, & paupertatem amant. Edmund. ib.n.67
Pauperes tutiores. Chryſoſt. fl.7.n.6
Paupertas cuſtodit limen pauperis. Petrar. ibid.
Pauperes voluntarii viventes in ſanctitatis operibus renunciato ſæculo, colebat ut imagines Chriſti; & non aliter quàm ejus membra ſuſpiciebat Salvian. ib.n.12
Pauperes quaſi mediis procellis poſiti obruuntur fluctibus. Idem fl.7.n.13
Pauper caret jurgiis, & ſecurus eſt : non timet Cæſarem. Sereſber.ib.
Pauperes non ſunt durius increpandi, niſi magnitudo exceſſus exigat. Carthuſ. ibid. n.34
Paupertate ſcies quinam ſit verus amicus.Laur. Juſt.fl.7.n.40
Pauperem vitant aliqui velut feram, & abominantur ejus calamitatem.Nyſſen.ib.num. 42
Pauperes deſpicit mundus ; & magnifiunt à Deo & Angelis. Thom. à Villano. ib. num 44
Pauper eſt ſimulacrum Dei. Lactant. Firmian. fl 7.n.45
Pauperem averſamur & præterimus, formidantes infelicitatis ejus participes fieri. Baſil.Mag.ib.n.56

Syllabus doctrinæ sanctorum Patrum,

Pauperibus offerenda consolatio. Greg. Mag. ib.n.58

Pauperes aliqui tam superbi; ut contra Deum timeant. Incert. fl.7.n.6

Pauper superbus condemnatur plusquam superbus dives. Isidor. Hispal. ib.

Paupertas vocatur probrum; sed non est. Aster. fl.8.n.45

Pauperes, amici animarum, & medici vulnerum internorum. Laur. Novar. fl. 9. num. 6

Paupertatis nimius timor parit pauperiem. Apud Joann. Episc.n.7

Paupertas invita malum insatiabile Chrysost. fl. 12.n.1

A paupertate distinxit egestatem; & hanc turpem vocat Isidor. Hispal.ib.n.3

Pauperem non posse operari bona dixit Aristot.ib.

Multi malunt vivere malefici, quàm officio. Tull. fl.12.n.3

Paupertatem vocat martyrium Blesi.ibid.num. 36

Paupertas gloriosa. Ambros. ibid. num. 40

Pauperum personæ non attendendæ: sed Christus loquens in illis. Laur.Novar.fl.13. num.24

Non paupertas virtus est, sed amor paupertatis Bernard fl.15 n.13

Paupertas voluntaria thesaurus. Chrysost. fl.16.n.6

Paupertas vel generosissimum prosternit animum. Idem ib.n.50

Pauperes appellavit Ambrosius pedes Christi. ib.n.65.

Pauper quocumque modo se habeat coram divite, malè tractatur ab eo, verbo, vel opere. Basil. Mag. fl.30.n.1

Non audet salutare divitem publicè. Chrysost.ib.n.2

Pauperes aspernantur & oderunt alqui: ac de cognato inope verecundantur. Carthus. ib. num.4

Pauperes quamvis sordidi atque fœtentes non sunt contemnendi. Laur. Just fl. 30.n.8

In ipsis considerandus est Christus. Ibidem ibid.

Paupertas luxuriosa criminosior est: & miser nugax, majoris invidiæ. Salvian. ib. num. 40

Væ pauperibus superbis. Bernar. ib.

Quare jaceant pauperes ad fores ecclesiarum. Chrysost. fl. 30 n 43

Pauperum raptores Deum lædunt in egeno. Od. Clun. fl 36. n.2

Pauper magis Dei templum est, quàm materialia. Ex Chrysost. Anast.ib.

Pauperum neglectores appellant Chrysost. actores ib.n.3

Paupertatis excellentia. Idem ib.

Erga pauperes amor divinus. Blesi. fl. 36. num.5

Christus Dominus cum Pauperibus loquebatur, edebat, ambulabat. Thom. à Villano.ib.

Quare Deus disposuit ut invenirentur in Ecclesia justi pauperes. Leo Pap. & Cæsar. Arelat ib.n.6

Pauperes bonos & malos cur Deus permittat esse commixtos. Valerian. fl. 36.n.9

Eleemosynarius non attendat cui dat. Idem ibid.

Contra irridentes pauperem, & præcipitantes infirmum. Ambros. ibid. num. 10

Deus refovetur in suis; & gravatur in eis. Od fl.56.n. 0

Brutis est immanior qui rebus nullius momenti addictus, negligit pauperes: imo nocivus est eisdem. Chrysost.ib. num. 14

Pauper ab inopia vulneratus excipiendus benignè. Idem ib.n.18

Contra dantes exiguum cum contumelia. Notarat feritas nihil donantium præter convicia & maledicta. Pelus fl.36.num. 24

Pauperibus respondendum leniter, & pro viribus præbendum. Idem ib.

Largitas, & sermo comis in pauperem. Greg Mag.ib.

Pauperi donandum cum magnanimitate, & lætitiâ vultûs. Isaac. Syr. fl. 36. num. 26

Dona cum gaudio mentis, securus de mercede Remig.ib.

Non discernas pauperem à divite; dignum ab indigno. Isaac. Syr. ib.n.28

Da animo candido; non vacillans cui donare debeas, cui non. Antioch fl.56.num. 28

Scorta multo vestiens auro; nudum nec induens tenui veste venià dignus non est. Chrysost.ib.n.38

Liberalis in parasitos & adulatores reprehenditur, qui cùm danda est eleemosyna, timet paupertatem. Idem ib.

Pauperes etiam spoliant pauperiores. Idem. fl.36.n.40

Divites qui spoliant pauperem similantur piscibus majoribus deglutientibus minores. Basil.Mag.ib.

Paupertas utilis universo. Chrysost. ib. num. 42

Pauperibus mercenariis non solvere mercedem, qualis iniquitas. Bed. fl. 36. num. 43

Non discutias valde cui benefacias. Malo eleemosynam donare geminata virtus est. Thom.à Villano.ib.n.44

Mala subveniens quia homo est, justum nutrit. Greg.M.ib.

Cave fastidire pauperes ut viles. Pelus. fl.36.n.48

Illos mittit ad nos Deus. Quo fulmine rem dignam agit qui repellit, & injuriâ lacessit eos! Chrysost.ib.

Pauperes voluntarii dicuntur martyres. Luc. Abb.ib.n.50

Pauper etiamsi virtute sit præditus, ridiculus est; sed non utentibus ratione. Chrysost. fl.36.n.56

Paupertas magistra continentiæ, fortitudinis, & sapientiæ. Idem ib.

Apud Christum Dominum pretiosus est titulus paupertatis. Blesi.ib.

Paupertas cupiditatum opulentia est: contemptus divitiarum vera magnitudo animi. Clem.Alex.fl.6.n.12

Vide

Vide. *Adulatio. Amicitia. Beatitudo. Beneficium. Divitiæ. Eleemoſyna. Gloria. Infelix. Juſtus. Miſericordia. Neceſſitas.*

Pax.

Pax triplex hominis. Thom. fl. 18. n. 80

Pax datur quædam, quam Deus odit. Bleſ. fl. 24. n. 11

Pax mundi gerit bellum cum domo Dei. Poth. fl. 39. n. 26

Pax iſta noſtrum bellum eſt. Idem ib.

Vide *Concordia. Diſcordia. Euchariſtia.* n. 1. & 10

Peccator.

Peccator ſignificatur per Lazarum. Clicthove. fl. 1. n. 41

Peccatoris durities. Thom. à Villano. ib. num. 44.

Peccator amore ſæculi fit unum cum terra, tamquam deſponſatus ei. Incert. fl. 2. num. 41

Peccatoris debilitas, & acidia. Bellar. fl. 3. num. 7

Peccamus etiam pro levibus, nihil continentibus neceſſitatis, vel voluptatis. Chryſoſt. fl. 4. n. 65

Peccatoris confuſio cùm legit, vel audit mandata Dei, quæ vivendo contempſit. Incert. ib. n. 71

Peccatores eligunt ad fruendum ea, quæ perimunt ſalutem. Bleſ. fl 5. n. 3

Anima peccato ſordida non veretur ſordidari. Thom. à Villano. ib. n. 22

In peccatis torpeſcere, dormire eſt. Eucher. ib. n. 37

Peccator negligens curare commiſſa ſolet impleri malitiâ uſque ad ſummum. Thom. à Villano. fl. 5. n. 52

Per ſocordiam devenit ad multa peccata. Chryſoſt. ib.

Peccator ſervus eſt tot dominorum tyrannorum, quot vitiorum. Cellen. & Incert. fl. 7. n. 16

Peccatoris inquietudo. Guarric. fl. 8. num. 13

Peccatoris procraſtinantis quantum periculum. Nazianz. fl. 9. n. 53

Peccator quando patitur adverſa quomodo conſoletur mediâ voluptate. Greg. M. fl. 10. n. 26

Peccator dicitur pulvis. Od. Clun. ib. num. 46.

Peccatores non odio proſequimur; ſed vitia. Aug. fl. 11. n. 32

Malè agere non deſinens eſt pauper. Anſbert. fl. 12. n. 14

Peccator in conſpectu ſancti computatur pro nihilo. Hierony. ib. n. 20

Peccator quaſi malè formatum numiſma. Iſichi. ib. n. 22

Diabolus æſtimabat peccatorem vile mancipium. Ambroſ. fl. 12. n. 24

Peccator duos habet patres; & mali homines ſunt fratres ejus. Hug. Card. fl. 13. n. 33

Peccator cum peccat recedit à ſe; cum convertitur redit ſe ſibi. Ambroſ. fl. 14. n. 11

Peccatores aliquando ſignificantur nomine Aquilonis. Eucher. ib. n. 13

Peccator delinquendo fugit à ſe. Aug. ib. n. 21

Cor ejus elongatur ab eo per pravas cogitationes. Greg Mag. 14. n. 22

Paccatoris fructus mox ut manu carpitur exſiccatur. Laur. Juſt. ib. n. 25

Peccatori ſæpe Deus lætitiam & abundantiam uſurpatam relinquit, quoniam ſcit, in æternum eſſe damnandum. Arnobi. ib. n. 51

Peccare & præſumere de clementiâ Dei & exponi pelago juſtitiæ illius. Gregor. Mag. fl. 14. n. 53

Propriis paſſionibus anima punitur in vindictam Dei. Thom. à Villano. ib. n. 55

Peccatoris conſuetudinarii mala quædam deſcribit Aelred. fl. 15. n. 70

Peccatores varii ſignificati per tres mortuos, quos Redemptor ſuſcitavit. Bed. fl. 18. n. 17

Peccator ambulat in vacuum. Od Clun. fl. 20 num. 8

Viæ peccatoris diviſæ. Idem. ib

Peccator putat ſtultitiam quidquid pertinet ad ſalutem. Carthuſ fl. 20. n. 21

Peccatores aliqui vitiorum tenui vento rapiuntur ut palea. Thom. à Villano ib. n. 65

Peccator quamvis multa ſciat, eſt ignorans. Iſaac Monach. fl. 22. n. 44

Peccator obduratus pœnitebit ſerò infructuoſè. Fulgent. fl. 24. n. 7

Peccator ſignificatur per Naaman. Hug. Card. fl. 25 n. 26

Nihil mirum eſt quemquam ægrotare; ſed morbum flocci pendere. Philipp. Solit. fl. num. 25

Ut mortuus plangendus eſt qui nec terretur minis, nec verberibus emmendatur. Laur. Juſt. ib. n. 45

Peccatores nunquam deſiſtunt peccata peccatis addere. Idem fl. 26. n. 9

Peccator jacet exanimis in feretro. Ambroſ. ib. n. 49

Peccatorum ignorantia. Laur. Juſt. ib. n. 51

Malè agere eſt male pati. Chryſoſt. fl. 29. n. 22

Peccatoris converſio plus eſt quàm ſuſcitatio mortui. Greg. M. ib. n. 32

Peccator immiſcens ſe opinioni hominum, admirationi, honori, & ſimilibus adhibet ſibi ligna quibus comburitur. Guig. ib. n. 36

Peccator ſtultè pro modica voluptate gloriam perdit, gehennam incurrit. Thom. à Villano. fl. 31. n. 17

Peccator ſequeſtrat ſe à Deo. Areop. ib. n. 44

Dei pietas ad ſanandos peccatores. Aug. ib.

in Dei protectione commorari pax pulchra eſt & ſecuritas ſempiterna. Guatric fl. 31. n. 45

Peccator propalans aliis crimen ſuum ſignificatur defuncto filio viduæ, quem ſuſcitavit Dominus. Anton. fl. 32. n. 8

Peccator omnis reus eſt & vinctus. Rupert. ib. n. 22

Peccator quandoque auditâ veritate non placatur, ſed magis accenditur. Chryſoſt. ib. n. 27

Peccatoris juſtificatio ſuperminentiam cæleſtis operationis oſtendit. Laur. Juſt. fl. 33. num. 38

Graviſſimus omnium eſt hoſtis qui peccat. Ambroſ. fl. 34. n. 13

Peccatoris mors ſimilis morti pecudum. Aſter. fl. 37 n. 3

Miſerabilior eſt qui alium ad lapſum provocat. Climac. fl. 39. n. 6

Peccatoris fatuitas. Athalaric. ib. n. 14

Syllabus doctrinæ sanctorum Patrum,

Peccatoris cæcitas qui mavult servire peccato cum labore, quàm Deo cum incunditate. Thom. à Villano. fl.23.n.56

Vide *Amicus. Amor. Anima. Bona temporalia. Conscient a. Consuetudo. Contemptus. Cupiditas. Deus. Diabolus. Dives. Epulo. Fiducia. Homo. Inconstantia. Jonas. Lazarus. Mors. Munus. Occasio. Peccatum. Rhamnus. Societas. Timor. Virtus. Voluntas.*

Peccatum.

Peccati servitus. Petrar. & Bernar. fl. 1. uum. 32

Peccatum ex malitiâ gravissimum. Anton. fl.2. n.51

Deus quantùm curet extinguere malitiam. Chrysost. fl.3.n.28

Peccatum palliamus necessitate. Greg. Mag. fl.3.n.55

Peccare ad faciendam misericordiam non est misericordia. Idem. fl.4.n.32

Peccata nobis officiunt, adversa provocant, arcent prospera. Chrysost. fl.5.n.4

Peccatum commissum poterat cohibere nos ne rursus laberemur in idem denuo. Idem ib. n.11

Pauci vident, se puniri permissione peccati. Aug. ib.n.22

Nihil malum esse dicendum nisi peccatum. Abb. Theodor. fl.5.n.22

Peccatorum vis interimit peccatorum S. Petrus relatus à D. Clement. Rom. ib.n.26

Peccati Deique servus nequit esse homo simul. Ambros. ib.n.28

In peccato stare quàm impium! Chrysost. fl.5.n.30

A locis præbentibus occasionem peccati fugiendum est velut à flagro. Clim. fl. 6. n.22

Peccati servitus est servitus servitutum. Cellens. fl.7.n.16

Peccatum potest auferre honorem; non verò dare. Nil. fl.11.n.4

Peccatum ignominia est. Chrysost. fl.12.num. 16

Peccati vilitas. Ambros. 16.n.24

Peccatum nunquam esse sine pœna dixit Remig. fl.13.n.7

Facilius est aliquem maculare, quàm lavare, vel retrahere à malo. Gers. ib.n.22

Peccata quædam significantur pulvere pedum. Rupert. fl.16.27

Peccati servitus. Rupert. fl.18.n.99

Peccatum significatum per Pharaonem. Idem. ibid.

Peccatum dicitur tenebræ. Anast. Sinai. fl.19. n.12

Peccati originalis effectus miserabiles multi. Cassiod. ib.n.22

Peccati effectus quidam horribiles. Laur. Just. 2.20.n.7

Peccata sæpe tribuuntur laudi. Ambros. ibid. n.11

Peccati malum, sicut ebrietatis damnum, solet serò cognosci. Chrysost. ib.n.39

Peccatum laboriosum indignum veniâ. Idem fl.20.n.41

Non peccare est impossibile; in peccato perseverare iniquissimum. Brun. Ast. ib.n.67

Peccatum mors animæ. Bernar. fl.22.n.13

Nemo est qui non habeat vitia & virtutes. Pelus. ib.n.46

Peccata vocantur portæ inferi à Zachar. Episc. fl.24.n.1

Quot peccata sunt gravia, tot sunt viæ ad inferes. Clemens Alex. ib.n.59

Vulneri vetusto & neglecto caliu obducitur, & fit insanabile. Bern. fl.26.n.10

Peccata remittendi potestas quàm augusta. Ambros. fl.31.n.20

Nihil in vitâ metuendum sicut peccatum Laur. Just. fl.32.n.3

Peccata sunt in aliquibus causa morborum. Macar. fl.37.n.6

Vide *Cæcitas. Cogitatio. Conscientia. Consuetudo Cupiditas. Desperatio. Diabolus. Mendacium. Mors. Occasio. Peccator. Præsumptio. Pudor. Pulvis. Remedium. Societas. Superior. Supplicium. Vanitas. Verecundia. Virtus. Vitium. Voluptas.*

Pecunia.

Pecunias custodiunt aliqui velut si forent ipsi immortales. Chrysost. fl.36.n.32

Vide *Avaritia. Aurum. Bona temporalia. Cupiditas. Divitiæ. Doctrina. Stater.*

Pedes.

Vide *Opera.*

Pellicanus.

Vide *Jejunium. Paulus. 1. eremita.*

Pentecostes.

In die Pentecostes sonitus comprehendit majorem orbis partem. Chrysost. fl.15. n.49

Perdix.

Perdicis furantis ova alterius avis, & educentis pullos, qui postea linquunt eam, similitudo applicatur quibusdam divitibus à Hieron. fl.6.n.63

Periculum.

Vide *Laquei.*

Perfectio.

Vide *Justus. Virtus.*

Perfectus vir.

Perfectum virum nullum esse dixit Marc. eremit. fl.4.n.78

Vide *Justus. Virtus.*

Persecutio.

Vide *Justus. Patiens. Tribulatio.*

Perseverantia.

Quid prodest incepisse, nisi recto fine concludas. Damian. fl.8.n.47

Vide *Constantia.*

Pertinacia.

Vide *Constantia. Discordia.*

Pestis.

Pestis tempore punitus est Israel, quia peccavit David. Hug. Card. 8.n.32

Petrus Apostolus.

Petri magnus amor. Bed. fl.5.n.39

Petrum amor & ignorantia fuaserunt ut Matth.16. resisteret Chrysti Domini morti. Paschas. 8.n.34

Eo loco tentatus est à dæmone. Idem ib.

Ejusdem verba Matth.17. Faciamus &c. tendebant ad impediendam Christi passionem: & ex magno amore dicta sunt. Chrisost. ib.

Quomodo remedium quæsiverit sui erroris. Paschas. ib.

Petro traditæ claves aditus æterni. Hilar. fl.9. n.28

Petro & Andreæ quomodo mutaverit Salvator artem piscatoriam. Paschas. ib.n.40

Petrus Matth. 16. oſtendit amorem, fidei firmitatem, reverentiamque pietatis. Idem. fl.12.n.26
Petrus gloriabatur quod non haberet argentum nec aurum. Ambroſ.ib.n.40
Petri humilitas in objurgatione factâ per Paulum. Anſel. ib.n.49
Petri amor cùm deſideravit fieri tabernacula. Paſchaſ.fl.13.n.45
Tunc putavit gloriam ſanctorum eſſe in hoc mundo.Thom.ib.
Volebat ſequi Chriſtum cùm interrogavit: Quovadis? Idem.fl.13.n.45
In monte transfigurationis fuit indignus reſponſo. Idem ib.
In Petro abſcindente auriculam quid myſteriis.Paſchaſ.fl.17.n.29
Intendebat percutere Malchum ad mortem. Thom. ib.
Petrus in monte tranſfigurationis putavitne ſe carne ſolutum? Paſchaſ.fl 22.n 55
Frigus mentis erat cùm ſe calefaciebat Petrus. Ambroſ. fl.23.n.17
Petrum in atrio Pontificis non potuiſſe diù ſtare in fide, nec agere poſt lapſum pœnitentiam dixit Paſchaſ. fl.22.n.19
Petri mira cum Domino perſeverantia. Idem ibid.
Petro adfuit dextra Domini, ut erigeret lapſum. Leo Pa.fl.23.n.19
Petrus lacrymatus eſt, quin quòd fuderit preces legatur. Elig.fl.25.n.30
Petri magnus amor.cum eduxit gladium. Chryſoſt.fl.31.n.42
Exiſtimavit eſſe tunc tempus vindictæ Theophylact.fl 32.n.20
Petrus ſpeculum Pontificium,& forma. Incert. Et Leo Pa.fl.33.n.40
Homo ſanctitatis turbas fluſtibus errorum merſas invitat, & multitudinem concludit ad fidem reti doctrinæ. Chryſoſt. ibid.
Petrus & Paulus oculi corporis myſtici Domini. Nicet ib.n.42
Petri dulcedo, potentia,& ſapientia. Bernar. fl.33 n.44
Petri & Pauli doctrina, exempla & miracula. Laur. Juſt.ib.
Petri miſericordia & itinera.Damian.ib. n.46
Stans in cœlo exercet in nos munus paſtoris. Leo Pap.fl.33.n.46
In cruce poſitus conſolabatur populum flentem;& myſterialiter loquebatur ei.Lin. ibid.
Viſio Angelorum cum coronis tunc temporis.Idem ib.
Petrus Actor. 10.n.10.non eſuriviſſe corporalem cibum, ſed ſalutem hominum dicitur ab Ambroſ.fl.34.n.47
Lacrymas afflictorum ſiccis oculis præterire nunquam poterat.Idem ib.n.48
Petrus in atrio Pontificis frigeſcebat mente. Ambroſ.fl.35.n.20
Mirabilis eſt in eo quòd ſecutus Dominum fuerit, quamvis à longe. Bed.ib.
Petrum ferendo Malchum peccaviſſe Auguſtinus ſenſit. ib.n.22
Petro martyrium prædicere Chriſtum Dominum fuit ſignum amoris in eum. Chryſoſt. fl.37.n.41
Petrum de Chriſti Divinitate non ſolùm Pater,ſed etiam Filius & Spiritus ſanctus docuerunt. Druthmar. fl. 38.n.21
Petrum dicit Spiritus ſancti filium Idem ib.
Vide *Andreas. Navis. Stater.*

Petri loca.

Ep.1.c.4.n.14. Si exprobramini &c. Thom. fl.29.n.34
Ib. c. 2.n.2. Lac concupiſcite &c. Bed. fl. 32. n. 42

Pharao.

Vide *Peccatum.*

Phariſæi.

Phariſæorum quædam mala apud Chryſol. fl.24.n.51

Phialæ.

Vide *Apoc.loca.*

Philiſtæi.

Philiſthæorum fuga poſt victoriam Davidis de gigante deſcribitur à Baſilio Seleuc.fl.29. n.19

Pietas.

Pietas dicitur & erga Deum,& erga parentes. Aug.fl.5.n.50

Pigritia.

Vide *Avaritia. Deſidia. Negligentia. Otium.*

Pilatus.

Pilatus peccavit etiam tempore quo lavit manus.Leo Pa.fl.5.n.7
Quo fine remiſerit Chriſtum Dominum ad Herodem. Zachar. Epiſc. fl.13.n.27
Pilati amicitiam cum Herode diabolus copulavit.Theophylact.ib
Pilati uxoris ſomnium fuit opus providentiæ.Idem.fl.29 n.55
Ipſa credidit in Chriſtum. Luci. Dext.ib.

Piſcina.

Piſcinæ quinque porticus quid apud Rupert. fl.22.n.33
Angelus deſcendebat inviſibiliter ad piſcinam. Bed.fl.35.n.24
Suggerebat aquæ vim ſanandi. Idem & Chryſoſt.ib.
Angelus iſte ſignificavit Chriſtum Dominum. Anton.ib.
Aqua piſcinæ ſignificavit lacrymas. Hug. Card.fl.35.n.24

Piſcis.

Vide *Stater.*

Pœna.

Vide *Correctio.Correptio. Suppicium.Timor. Pœnitens. Pœnitentia.*
Diluens peccata lacrymabili ſatisfactione, lavat manus.Ex Caſſiod.Brun.fl.12.n.12
Nec pœnitentia deſerat ſperantem,nec ſpes pœnitentem. Fulgent.ib.
Pœnitens non ſolùm à malis deſiſtat;ſed bona faciat.Chryſoſt.fl.14.n.8
Anima confeſſionis atuica, eâ ut freno coercetur à peccatis.Ex Clim.Anaſt.fl.15.n.54
Pœnitentium orationibus delectatur Deus. Rupert.ib.n.55
Pœnitentiæ difficultas in juſtis provectis,qui lapſi ſunt ad ima vitiorum. Anſel. fl. 32. n.13
Nunquam præſumas, te ſufficienter pœnituiſſe.Aelred.ib.n.11
Pœnitentia dicitur nitrum & herba fullonis ab Hierony.fl.32.34

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Pœnitentiæ ſacramentum lavacrum eſt, & ſecunda tabula poſt naufragium. Carthuſ. ibid.

Pœnitens offerre ſe debet ad ſupplicium divinum hîc, ut evadat æternum: nec expectare tempus, ſed occurrere divinæ indignationi. Ambroſ. ib. n. 51

Pœnitentia noſtra facit Angelos exultare. Bernar. fl. 37 n. 15

Vide *Deſperatio. Euchariſtia.* n. 5. *Peccator. Peccatum.*

Pontificatus.

Vide *Prælatus.*

Populus.

Multitudo neceſſitati potiùs paret, quàm rationi; & pœnis, quàm honeſtati. Ariſtot. fl. 14. n. 1

Ex populi delicto contingit, principes eſſe malos. Iſid. Hug. fl. 40. n. 26

Vide *Princeps. Rex.*

Porta.

Porta Specioſa, de qua Actor. 3. n. 2. ſignificat Chriſtum Dominum. Hug. Card. fl. 12. n. 15.

Potens. Poteſtas.

Multi habent in poteſtate alios; pauci verò ſe. Senec. fl. 22. n. 26

Vide *Eccleſia. Eccleſiaſticus. Reſpublica. Rex.*

Prædicatio. Prædicator.

Prædicatores dicuntur oculi. Incert. fl. 1. num. 4

Prædicatis ſancta cur divinitus ſubtrahatur ab aliquibus. Greg. M. fl. 11. n. 30

Prædicationis defectus comparatur defectui pluviæ. Humbert. ib.

Prædicator comparatur medico. Aug. & Greg. M. ib. n. 32

Digni ſunt honore pedes evangelizantium pacem. Ambroſ. fl. 11. n. 33

Prædicatores ſancti gradiuntur ſuper hominum corda. Idem ib.

Prædicatoris meritum. Humbert. ibid. num. 34

Prædicatoris verba pluvia ſunt. Bernar. fl. 12. num. 5

Prædicatores quidam ſignificantur per Moyſen & Prophetas, de quibus Luc. 16. 29. Hug. Card. fl. 13. n. 33

In prædicatore quæ requirantur. Humbert. fl. 15. n. 56

Prædicatorum claritas aliquando ſignificatur in Scriptura nomine ſolis. Od. Clun. ibid. n. 57

Prædicatio ignis eſt. Anſbert. ib. n. 58

Sanctorum prædicationes comparantur pluviis. Idem ib.

Prædicatio eſt inaudita, quæ verberibus exigit fidem. Greg. M. fl. 24. n. 35

Prædicatores appellantur nubes. Proſp. fl. 29. n. 12

Vocantur fontes. Hieron. ib.

Difficultas aptè concionandi ad multitudinem adeo variam. Nazianz. fl. 38. num. 30

Prædicator egregius minas non timet poteſtatum ſæculi. Greg. Mag. ib. n. 42

Vide *Auditor. Diſciplina. Docere. Humilis.*

Prælatura. Prælatus.

Prælati religioſorum ſignificati paſtoribus Lot & Abraham, de quibus Geneſ. 13. Hug. Card. fl. 8. n. 16

Prælati aſcendunt ad munus, non pro ſe; ſed pro aliis Greg. Mag. ib. n. 19

Prælatio eſt onus importabile, niſi Deus juvet. Vincent. Ferrar. ib. n. 21

Ejus terribilem obligationem ambiunt multi. Thom. à Villano fl. 8. n. 21

Angelus unam cuſtodit animam; Prælatus multas. Idem ib. n. 23

Prælatorum adminiſtratio periculoſior cæteris. Bernard. ibid.

Prælati facti aliqui perdunt uſum boni operis, quem antea tenebant. Greg. Mag. fl. 9. num. 31

Magiſterium paſtorale temerè ſuſcipitur ab imperitis. Idem ib. n. 39

Nil utilius & ſecurius, quàm volentes præeſſe volentibus. Nazianz. fl. 11. n. 10

Sublimitate conſtitutus acceptet conſilium minoris, licet peccatoris. Brun. Ad fl. 12. n. 35

Prælati juſtitia ſine compaſſione, crudelitas; compaſſio ſine juſtitiâ, puſillanimitas. Laur. Juſt. fl. 13. n. 18

Prælatus redditurus eſt Deo rationem de omnibus juciciis ſuis. Benedict. fl. 15. num. 31

Subditorum debet eſſe mater, non dominus. Bernar. ib.

Prælati debitum quàm periculoſum. Idem. ibid.

Aliqui prælati defectu veræ dilectionis agentes incautè calamum quaſſatum confringunt. Humbert. fl. 15. n. 32

Prælato fiet judicium duriſſimum. Idem ibid.

Prælatus religioſorum ſignificatus per Moyſen. Lira. fl. 16. n. 25

Prælatus, qui ſubditum non corripit neque caſtigat, eum magis odiſſe quàm diligere comprobatur. Carthuſ. fl. 17. n. 10

Omiſſio correctionis quale damnum pariat. Humbert. ib. n. 11

Prælatus oratione & curâ ſubditos cuſtodiat. Greg. Mag. ib. n. 12

Prælati lenitas ad imitationem Dei. Laur. Juſt. fl. 17. n. 16

Prælati boni quomodò contemplentur portas Bethlehem. Bed. ib. n. 17

Prælati lenitas quædam neceſſaria, quædam diſſoluta. Bleſ. ib. n. 18

Turpe eſt quòd Prælatus corripiat cum irâ & auſteritate. Idem fl. 17. n. 18

In Prælato valde reprehenſibilis eſt ſomnus pigritiæ. Humbert. ib. n. 19

Quis eſt qui ſic ſubditum tractet, ſicut vellet ſe tractari, ſi ſubderetur? Sereſber. fl. 24. n. 23

Summum Pontificatum vocavit Gregorius M. exilium ſibi datum pro culpis. ibid. n. 60

Prælati quidam locum humilitatis mutant in elationem dominationis: domini videri appetunt, ſe patres eſſe minimè recognoſcunt. Idem ib. n. 61

Inter prælatum & eccleſiam ſuam datur ſpirituale matrimonium. Humbert. fl. 33. n. 48

Prælatus malus eſt ſicut exemplar libri corruptum, ex quo tranſcribuntur alii cum ſimili corruptione. Idem fl.35.n.7
Prælatus ſciat mores, affectiones, vitam, ac tentationes ſubditorum: infirmantibus medeatur,& condoleat.Laur.Juſt.ib.n.9
Prælatorum bonitas eſt ſubjectum regula. Greg.Mag.ib.n.7
Prælatus habeat oculos pervigiles, ſimilis animalibus Apocalypſis. Idem fl.35.n.11
Occaſione Pontificatus perdidiſſe gaudia quietis doluit ſanctè Idem ib.
Prælati comparantur lucernis, eccleſiæ verò candelabris. Brun.Aſt.ib.n 12
Prælatos tenaciter poſſidere reddituos opulẽtos, pernicioſum illis, odibile Deo, fraternæ dilectioni contrarium.Laur. Juſt. fl. 35. num. 13
Sugillantur expendentes patrimonium pauperum in ſuperfluas pompas. Idem ibid.
Prælati, quorum deſidia, imperitia, adulatione quidam pereunt, ſunt interfectores animarum. Gildas ib. n. 41. Chryſoſt. & Greg. Mag.ib.n.42
Prælatus quomodo reddet rationem de ſe atque ſubditis? Laur.Juſt.fl.37.n.50
Prælatus major citò deponat malos prælatos inferiores.Humbert.fl.39.n.28
Vide *Aaron. Ambitio. Correctio. Detractio. Dignitas. Iudex. Magiſtratus. Princeps. Rex Superior.*
Præmium.
Vide *Deus. Iuſtus.Patientia.Rex.Virtus.*
Præſumptio.
Uſque ad ultimum vitæ ſpiritum nullo tempore ſit ſecurus de ſe qui cupit ſalvari. Dorothe.fl.10.n.11
Quidam volunt videri catholici ex eo quòd alios judicent malos.Nazianz. fl.21.n. 22
De miſericordia Dei non eſt præſumendum ſuperbè. Remig.fl.24.n.29
Reproborum ſecuritas deceptoria naſcitur ex eo quòd non experiantur ſupplicia. Anſbert.fl.26.n,3
A præſumptione nos revocat præceptum. Dei. Aug.fl.26.n.31
Anima præſumptuoſa noſcit aliquando malum pertinens ad alterum; quod ignorat circa ſemetipſum.Etmun.ib n.30
Infidelis fiducia eſt, & maledictionis capax,cùm in ſpe delinquimus: nec iſta dicatur fiducia; ſed inſenſibilitas quædam. Bernar.fl.31.n.5
Dæmones curant ut moliatur homo quæ perficere non valet in virtute. Antioc. fl.35.n.21.& vide Maphe.ib.
Æſtimatio ſui & confidentia dicitur ventus corrumpens monachi fructus apud Maphe.fl.37.n.1
Vide *Ambitio. Doctor. Fiducia. Peccator.Protectio. Sapientia. Spes. Superbia. Princeps.*
Principis boni vita præſcribit bonitatem;mala verò quaſi lex flagitiorum. Incert. fl.11. n.38
Principis cujuſdam egregium dictum: nempe quòd ſi contra leges aliquid juberet, non obediretur illi. Peluſ.ib.n.42
Privata ſtudia excluſerat à ſe intentus bono publico Theobald.Rex apud Caſſiod. ibi n.44
Principem aliqua latent, quæ ſubditis innoteſcunt. Bleſ.fl.21.n.30
In principum palatiis omnia fragilia & plena periculis.Quidam apud Aug.fl.25. n.23
Principum mos eſt nolle habere potiorem. Xiphilin.fl.29.n.50
Principis amicus poſſeſſio eſt valde digna rege. Syneſ.ib.n.56
Princeps bonus dolet cum punit culpas. Sereſber.fl.35.n.15
Princeps non habet ſiniſtram. Idem ib.
Vide *David.Magiſtratus. Prælatus. Quies. Superior. Tyrannus.*
Prodigalitas. Prodigus.
Prodigi Evangelicæ parabolæ reditum credidit frater damnum ſuum. Chryſol. fl. 6. n. 41
Prodigi hujus frater quid ſignificet. Euthym. fl.9.n.48.fl.18.n.53
Frater idem degeneravit animo: ſed parens non omiſit eſſe illi patrem. Chryſol. fl. 9. n.52
Prodigalitas quàm deteſtabile vitium.Sereſber. fl.24.n.59
Prodigi pater ſignificat Deum.Bed.fl.27.num. 24
Vide *Dives.*
Proditio.
Vide *Experientia.*
Prophetæ.
Vide *Prædicator.*
Proſperitas.
Proſperitas aliquando ſignificatur per diem. Iſid. Hiſp. fl.28.n.18
Proſperitas virtutes enervat, vites effeminat, oculos mentis excæcat, vitalem ſpiritum ſuffocat.Petr. Comeſt.ib.n.19
In quo ſimiletur alis formicæ. Idem ib.
Proſperitas periculoſior eſt animo, quàm adverſitas corpori.Remig. fl.34.n.33
Iratum puta Deum,cùm tua proſperitas fert in peccando cogitationes iniquas & conſilia. Idem fl.37.n.26
Proſperitas comparatur aquæ fluviali. Greg. Mag. fl.25.n.49
Vide *Adverſitas. Æſtas. Fortuna. Gloria. Mundus.Peccatum.*
Protectio.
Nemo putet, aliquando tam magnum fore quòd ſibi ſufficiat. Sine protectione Dei nihil.Aug.fl 31.n.7
Proverbiorum loca.
Cap. n. 4.Sicut theſauros &c. Carthuſ.fl.1. n.53
Cap. 23.n.1.& 2.Quando ſederis&c. Aug. fl.2.n.58.Hug.Card.ib.& fl.18.n.21
Cap.25.num.16. Mel. & Bernar. fl. 4.n.4
Cap. 13. n. 8. Redemptio &c. Aug. fl.6. num. 3
Cap.28.n.3. Vir pauper &c. Carthuſ.fl.7. num.61
Cap.25.n.12. Inauris &c. Idem.fl.13.num. 19
Cap.19.n. 28. Devorat iniquitatem. Idem fl.14.n.12
Cap.3.num.9.Honora&c. Bed. ibid. num. 42

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Cap. 11.n.18. Seminanti &c. Carthuſ. ib. n. 60

Cap 8.n. 8. Oſes ſuperbæs, &c. Guarric. fl 15.n.13

Cap. 9.n.1. Columnas ſeptem. Hug. Card. ib.n.53

Ib. n.6. Relinquite &c. Idem ib.

Ibid. n 7. Injuriam &c. Carthuſ. & Bed. fl.20 n.20

Cap 4.n.25. Qui arguunt &c. Janſen. ib.

Cap. 2.n.15. Infamas &c. Carthuſ. & Hug. Card. ib.n.42

Cap. 14.n.13. Riſus &c. Salon. fl.25.n. 5

Cap. 27.n.3. Grave &c. Carthuſ. fl.26. n.57

Cap. 14 n.19. Ante portas &c. Hug. Card. fl.29.n.66

Cap. 19.n.7. Fratres &c. Carthuſ. fl.30. n.15

Cap. 29.n.5. Homo qui &c. Idem ib. n. 25

Cap. 30.n.1. Filii Vomentis. Hug. Card. fl.32.n.48

Cap. 14.n.10. Quid ibi per vitam carnium, quid per oſſa ſignificetur. Greg. M. fl.35.n.33

Cap. 5.n 15. & 16 Bibe &c. Deriventur &c. Janſen fl.36.n.31

Cap. 3.n.3. Miſericordia &c. Carthuſ. ib. n.53

Cap 2.n.4. Quaſi pecuniam, &c. Janſen. fl.38.n 25

Cap. 16.n.14. Indignatio regis, &c. Carthuſ fl.40.n.56.

Cap. 1.n.16 Pedes &c. Idem fl.13.n.57

Providentia.

Vide *Deus.*

Proximus.

Vide *Charitas. Eleemoſyna.*

Prudens. Prudentia.

Prudentia illuminat rationem. Proſp. fl.21. n.4.

Examinat conſilia, nec facili crudelitate fertur. Martin. ib.

Prudens fallere nonvult: falli non poteſt. Idem ib.

Prudentiæ principium eſt velle ſequi quod utile. Clem. Alex. fl.21.n.10

Sapiens rite dici non poteſt qui prudens non eſt, nec è contrario. Proſp. ib.

Prudentiæ cum virtute nexus. Ariſtot. ib.n. 46

Prudentes vel iuprudentes quinam ſint. Plat. fl.22.n.7

Prudentia carnis generat mortem, & ſtulta eſt. Ambroſ. ib.n. 8

Prudentia cernimos non excedat ſuos. Martin. fl.34.n.6

Prudentiæ quædam epitheta. Smaragd. ib.

Prudens cavet mutabilitatem: ſed accomodat ſe rerum ſori. Laur. Hiſt. fl.38.n.6

Prudentiæ ſapientiæque nexus. Proſp. fl.40. 1

Prudentiæ laus. Caſſiod. ib. n.49

Psalmorum loca.

Vide *Aſſumam. Sapientia. Tempus.*

P. 8.n.2. Dixi cuſtodiam &c. Eutym. fl.2. n.56

Ib. ſuper tit. Idem ib.

Pſ. 85. ſuper tit. Idem ib.

P. 72. n.18. Dejeciſti &c. Greg. M. fl.3.num. 26

Pſ. 55.n.8. Pro nihilo &c. Thom. à Villa no. ib.n.36

Pſ. 5.n.10. & 11. Non eſt in ore &c. Linguis ſuis &c. Bellar. fl 4.n 38

Pſ. 119.n.2. Domine libera &c. Idem ib. n. 46

Pſ. 38.n.2. Cuſtodiam vias &c. Idem ib. n. 80

Pſ. 43.n. 6. & 17. Verecundia &c. A voce &c. Hieron. 14.n.84

Pſ. 118.n.5. Væ meæ, &c. Ex Caſſiod. Brun. fl.5.n 8

Ib. n.73. Da mihi intellectum, &c. Ambroſ. ib.n. 8

Pſ. 31.n.7. & 8. Hieron. ib.n.29

Pſ 31.n.4. Converſus ſum &c. Bellar fl.5. n.35

Ib Conſigitur ſpina. Hug. Card. ib.

Pſ. 50.n.5. Iniquitatem &c. Brun. Aſt. fl.6. n 53

Pſ. 67.n.23. Convertam &c. Brun. Aſt. ib. n.46

Pſ. 17.n.28. Oculos &c Bellar. ib.n.59

Pſalm. 24. num. 16. Unicus &c. Remig. fl 6. num.65

Pſ. 118.n.134. Redime &c. Ambroſ. fl.7.n. 14

Pſ. 54.n.10. Præcipita &c. Bellar. fl.8.n.44

Pſ. 81.n.6. Ego dixi &c. Hieron. ibidem, n. 46

Pſ. 119. Heu mihi &c, Aug. Gloſſ. Ord. & ex Caſſiod Brun. fl.10 n.7

Pſ. 125.n.6. Euntes ibant, &c. Fulgent. ib.n. 18

Pſ. 126.n.5. Qui implevit &c. Brun. ib. n. 37

Pſ. 3.n.6. Ego dormivi, &c. fl.11.n.7

Pſ. 138.n.17. Nimis honorificati &c. ex Caſſiod. Brun. fl.11 n.11

Pſ. 8.n.6. Gloria & honore &c. ex Hieron. Idem ib.

Pſ. 30.n.14. Factus ſum &c. Brun. fl 12.n. 40.

Pſ. 11.n.9. In circuitu &c. Idem fl.13.n.8. & Bellar. fl.14.n.14

Pſ. 140.n.3. Pone Domine &c. & n.9. A ſcandalis &c. Bellar. fl.13.n.59

Pſ. 50.n.5. Peccatum meum &c. Idem fl. 14. n.14

Pſ. 107.n.10. Mihi alienigenæ &c. Genebrar. ib.n.44

Pſ. 44.n.9. Myrrha &c. Arndb. fl.15.n.16

Pſ. 101.n.12. & 23. Ut annuntient &c. Euthym. ib.n 35. & ad n.23. Hug. Card. ib.

Pſ. 104.n.19. Eloquium &c. Anſbert. fl.15 n.58

Pſ. 102. n.17. In filios &c. Aug. ib.n.66

Pſ. 131.n.15. Viduam &c. Anſber. fl.16. n.22

Pſ. 48.n.20. Et uſque &c. Bellar. 17.n.25

Ib. n.21. Homo, &c. Idem ib.

Pſ. 56 n.2. Alarum tuarum &c. Remig. fl.18. n.12

Pſ. 48.n.10 Confitebitur &c. Bellar. & Aug. fl.17.n.15

Pſ. 22.n.5. Menſam &c. Thom. à Villa no. fl. 18.n.26
Pſ. 36.n.4. Delectare &c. Hieron. ib.n.32. Bellar. ib.n.33
Pſ. 36.n.7. Subditus &c. Euthym. ib.n.33
Pſ. 80.n.17. De petra, &c. Thom. fl.18.n. 64
Pſ. 147.n.12. Lauda Jeruſalem &c. Brun. ib. n.80
Ib. n.14. Qui poſuit &c. Euthym. ib
Ibidem Adipe frumenti &c Lir. fl.18.n. 80
Pſ. 77.n.21 Diſtulit &c. Aug. ib.n.105
Pſ. 77. n.24. Panem cæli &c. Incert. fl.19. n.60
Pſ. 34.n.17. Reſtitue &c. Eutym. ibidem n. 70
Pſ. 70.n.20. Tribulationes &c. Bellar. ib.
Pſ. 34.n.15. Ignoravi. Euthym. fl.19.num. 70
Pſ. 88.n.38. Thronus &c. Bonavent. ib.n. 112
Pſ. 118.n.1. Ambulant. &c. ex Caſſiod. Brun. fl.20.n.3
Ib n.45. Ambulabam &c. Eucher. ibid. n.3
Pſ. 114.n.3. Tribulationem &c. Hieron. ib. n.12
Pſ. 118. n.22. Aufer &c. Aug. & Bellar. fl. 20.n.12
Pſ. 79.n.5. Quouſque &c ? Bellar. ib. num. 26
Pſ. 34.n.13. Oratio mea &c. Idem ib. & Euthym. fl.28.n.35.
Pſ. 79.n.2. Velut ovem Joſeph. Idem fl.20. n.26
Pſ. 34.n.14. Quaſi proximum, &c. Bellar. ib.
Pſ. 37.n.8. Lumbi &c. Baſil. M. ibidem n. 40
Pſ. 82.n.17. Imple &c. Brun. ib.
Pſ. 36.n.20. Ut honrificati &c. Hierony. & Od. fl.20.n.48
Pſ. 24.n.11. Propitiaberis &c. Aug. ibid.n. 64
Pſ. 58.n.7. Circuibunt &c. Idem ib.
Pſ. 49.n.20. Sedens &c. ex Caſſiod. Brun. fl.20 n.66
Ib.n.18. Si videbas &c. ex eodem idem ib.
Pſ. 1.n.1. Non ſedit &c. Ambroſ. ib.68
Pſ. 125.n.6. Portantes &c. ex Caſſiod. Brun. fl 23.n.21
Ib. n.5. Qui ſeminant &c. Hug. Card. ib.
Pſ. 41.n.6. Quare triſtis &c.? Bellar. ib.
Ib. n.4. Fuerunt &c. Hug Card. fl.23.n. 23
Ibid. n.3. Quando veniam &c ? Bellar. ib.
Pſ. 68.n.10. Opprobria &c. Idem ib.n.51
Ib.n.9. Extraneus &c. Aug. fl.23.n.51
Pſ. 96.n.4. Illuxerunt &c. Idem fl.25.num. 18
Pſ. 101.n.10. Initium &c. Euthym. fl.26.n. 4.
Pſ. 125. Argumentum quodnam ſit Bellar. fl. 26.n.26
Pſ. 85 n.11. Lætetur &c. Euthym. ib.
Pſ. 34.n.8. Veniat &c. Idem ibidem num. 32
Pſ. 54. n.16. Veniat mors &c. Belar. ib.num. 50
Pſ. 37.n.14. Tamquam ſurdus &c. Bellar. ib. n.50
Pſ. 32.n.17. Fallax &c. ex Caſſiod. Brun. fl. 28.n.18
Pſ. 5.5. Mane &c. Aug. fl.29.n.4
Pſ. 77.n.48. Poſſeſſionem &c. Idem fl.28. n.55
Pſ. 90.n.7. Cadent &c. Appon. fl.29.n 68
Pſ 87.n.19. Notos &c. Euthym. fl.30.n.19
Pſ. 118.n.120. Confige &c. Brun. fl.31.num. 16
Pſ. 129.n.6. A cuſtodia &c. Hilar. & Bernard, ib.n.56
Pſ. 6.n.7. Lectum meum &c. Hug. Card. Od. & Anton. fl.3232
Pſ. 118.n.144. Intellectum &c. Aug. ib.n. 46
Pſ. 93.n.17. Niſi quia &c. Bellar. & Aug. ib. n.56
Ib. n.18. Motus &c. Bellar. ib.
Pſ. 106.n.39. Pauci &c. Proſp. fl.33.n.57
Ib. n.40. Effuſa &c. Bellar. ib.
Pſ. 72.n.14. Caſtigatio &c. Hug Card. fl. 34.n.30
Pſ. 77.n.65. Tamquam dormiens &c. Bellar. ib.n.36
Pſ. 37.n.14. Non audiebam &c. Ambroſ. ib. & Euthym. ib.n.52
Pſ. 37.n.3. Sagittæ &c. Bellar. fl.34.n.52
Pſ. 104.num.25. Convertit &c. Proſp. fl.35. num.2
Ib. 38. Lætata &c. Idem ib.
Pſ. 9.n.19. Quoniam non &c. Euthym. fl. 36.n.9
Pſ. 30.n.16. Eripe &c. Idem ib.n.16
Ib. n.19. Muta &c. Idem ib.
Pſ. 17.num.5. Dolores &c. Bellar. fl.37.num. 13
Pſ. 87.n.6. Inter mortuos &c. Idem ib. num. 23
Pſ. 141.n.8. Educ. &c. Idem ib.
Pſ. 3.n.6. Soporatus &c. Bellar. fl.37.num. 39
Pſ. 119.n.5. Incolatus &c. idem ib.
Pſ. 44.n.6. In corda &c. Thom. à Villa no. fl.39.n.16
Pſ. 98.n.3. Confiteantur &c. Bellar. ib.num. 19
Ib. n.4. Judicium diligit. Hug Card. ib.
Pſ. 81.n.6. Ego dixi &c. ex Caſſiod. Brun. fl.20.n.59
Pſ.77.18. Ut peterent &c. Idem ex eodem. fl. 10.n.45

Pudor.

Pudoris damnabilis epitheta quædam mala. Bernar. fl.7.n.20
Diabolus injicit quemdam pudorem poſt peccatum: & ante illud excitat audaciam. Cabaſil. fl.26.n.43
Cavendum ab utroque. Idem n.3
Vide *Conſuetudo. Impudentia. Infamia. Verecundia.*

Pueri.

Vide *Filius.*

Pulchritudo.

Pulchritudo animæ quæ ſit. Clemens Alex. fl.20.num.37. Nyſſen. ib.n.38
Vide *Anima. Virtus.*

Pulvis.

Syllabus doctrinæ ſanctorum Patrum,

Pulvis.

Pulvis pedum Apoſtolorum quid ſignificet. Anſel. fl.22.n.47

Purificatio.

Vide *Maria.n.12.*

Puſillus.

Vide *Humilis.*

Q

Queſtus.

Vide *Religioſus.*

Quies.

Quies ſæpe habitat in imo. Petrar. fl.33.num. 14

Quies populi commendat regem. Theodoric. apud Caſſiod. ib.

Quies ab exterioribus meditari cœleſtia cogit. Bernar. ib.n.37

Vide *Humilis. Somnus.*

R

Radices.

Radices quæ evellendæ.Barl. Epiſc. fl.3.num. 50

Raphaël.

Raphaël interpretatur Medicina Dei. Greg. Mag. fl.11.n.6

Ratio.

Ratio præfert quædam, quæ ſenſus poſtponit. Od. fl.16.n.9

Vide *Cor. Exemplum. Intellectus.*

Rebecca.

Rebecca interpretatur: Patientia. Paſchaſ. fl. 10.n.1

Regere ſe.

Vide *Homo.*

Regnum.

Ubi leges franguntur. non dicatur eſſe regnum.Chryſoſt. fl.39.n.1

Regna ſuos habent limites; ad quos ubi pervenerint, retrocedunt. Lipſi. ib.n.4.

Regna confirmat æquitas; injuſtitia diſſolvit Ambroſ.ib.n.40

Vide *Princeps. Respublica. Rex. Tributum.*

Regum librorum loca.

L.3 cap.10.n 5. Non habebat &c. Hug. Card. fl.4.n.66

Ib. Cap. 21.n.8. Scripſit itaque &c. Lir. fl. 12.n.23

Ib. cap.17.n.18. Quo ſenſu vidua dixerit, Eliam interfeciſſe filium ejus. Hug. Card. fl.12.n.47

L.1. cap. 10.n.6. Prophetabis &c. ex Theodore. Gloſſ. Ord. fl.17.n.13

Ibid. n.7. Fac quæcumque &c. Lir. ib.

L. 2.cap.1.n.24. Veſtiebat vos &c. Angelom. fl.19.n.86

L.1. cap.24.n.10. Quare audis &c.? Chryſoſt.fl.24.n.42

L.3. cap.10.n.7. Non credebam &c. Hug. Card. ib.n.54

L.1. cap.11.n.12. Quis eſt iſte &c? Gloſſ. Ord. fl.34.n.20

L.2. cap.16.n.4. Tua ſint &c. Eadem ib. n.26

L.1. cap.18.n.8. Quid ei ſupereſt, &c? Lir. ib.n.42

L.2. Cap.14.n.13. Quare &c? Alap.fl.36.n. 41

L.4. cap. 19.num.34. Protegamque &c. Glyc. fl.39.n.13

Ib. cap.22.n.11.Scidit &c.Hug.Card.ibid. n.15

L.1. cap. 10.n.7. Quando ergo &c. Rupert. ib n.33

L.3. cap.8.n.1. Frenum &c. Hug. Card. & Lir. fl.39.n.35

L.3. cap.3.n.28. Timuerunt &c. Hug. Card. ib.n.45

L.2. cap.15.n.33. Eris mihi &c. Idem fl. 40.n.58

L.1. cap.15 n.32. Siccine &c? Idem fl.37 n.15

Vide *Eccleſia. Elias. Goliath.*

Reincidentia.

Reincidens committit multas tranſgreſſiones in uno peccato. Anton.fl.5.n.18

Vide *Peccator Peccatum.*

Religio.

Religiones traxiſſe ortum à cœtu primitivorum fidelium, dixit Lira. fl.6.n.15

Religionem vocat puteum Hug. Card. ib.n. 27

Religioſi clauſtri honorifica nomina ex Laur. Juſt. fl.15.n.23

Scala Jacob. ſignificat vitam clauſtralem. Hug.Card ib.n.25

Vita monaſtica gloria eſt Eccleſiæ. Iſaac Syr. fl.16.n.25

Vide *Religioſus.*

Religioſus.

Religioſi & perfecti viri vocantur exploratores à S. Thom. à Villa no. fl.1.n.19

Religioſum non eſſe illum qui queruloſus eſt, dixit Abb. Paſt. ib.n.26

Militum regularium S. Jacobi Ordinis laus. Tho. à Villa no. fl.15.n.27

Templariorum laus ex Bernar. ib. n.29. & Petr. Abb. ib.

Incluſores de quibus 4. Reg. 24.15. ſignificant clauſtrales. Hug. Card. ib.n. 37

Felicitas viventium in religione ſanctâ & aureâ paupertate, præcedit gloriam regum. Bleſ fl.15.n.48

Religioſi ſignificati per Iſiaël. Lir. fl.16.n.25

Monachus dicitur altare Domini. Nil. ib. n.26

Tepido abrenuntianti mundo tardiùs veniet ſerenitas conſcientiæ, charitatisque libertas. Aelred.fl.35.n.17

Vide *Otium. Præſumptio. Religio.*

Remedium.

Remedia ſint quotidiana. Ambroſ. fl.32.n. 53

Reprehendere. Reprehenſio.

Reprehendi nullus vult. Salvian. fl.1.n.11

Reprehenſio miſceatur pietati. Radulph. ib. n.12

Quid cogitare congruat illum, qui reprehendit alterum. Zachar. Epiſc. fl.4.n.1

Stultum eſt non flere proprium peccatum, ac ſolum attendere alienum. Smaragd. ib.

Acquieſcens reprehenſionibus æquanimiter non recedit à catalogo ſapientum. Damian. fl.12.n.5

Reprehenſio quibus hominibus neceſſaria. Clem. Alex. ib.n.32

Repre-

Reprehenſionem aliqui putant gladium percuſſionis. Greg. Mag. ib. n. 44
Reprehenſiones abſque causâ factæ qualiter inſerviant ad coronam notavit quidam apud Climac. ib. n. 48
Reprehendebat quaſi amicus & rogans D. Bernardus quemdam. fl. 13. n. 18
Reprehenſio ſit miſericors, ne tui videaris oblitus. Anſel. fl. 38. n. 14
Vide *Humilis*.

Reſpublicæ.

Reipublicæ ſtatus felix vel infelix nude dicendus. Polyb. fl. 23. n. 58
Reſpublica quibus reddatur pia, & præſtans re bellicâ. Halic. fl. 39. n. 2
Clades publicæ à peccatis. Lipſi. ib.
Reipublicæ mala falsò aliquando putantur venire propter peccata principis. Chryſoſt. ib. n. 8
Quandoque ſubditi puniuntur ob peccara regum; aliquando verò è contrario. Bleſ. fl. 39. n. 9
Reſpublica patitur ſæpe propter delicta paucorum. Lipſi. ib. n. 42. Bleſ. ib. n 58
Beata Reſpublica, quam vel regit ſapiens, vel ſtudioſus ſapientiæ. Apud Boetium Plato. fl. 40. n. 5
Vide *Princeps. Regnum. Rex. Sapiens. Tyrannus.*

Rex.

Regum quorumdam nimium ſatellitium videtur cuſtodia reorum. Plato. fl. 33. n. 2
Rex aſſecutus affectus omnium ſubditorum non indiget cuſtodibus. Sereſber. ib.
Regum præconium eſt quies populi, diſpoſitioque tranquilla, & agrorum ubertas. Apud Caſſiod. ib.
Regna ſublimantur beneficiis: & creſcit rex ſubditos amplians. Apud eumdem. fl. 33. n. 2
Regnorum duæ columnæ ſunt juſtitia & potentia. Engelbert. ib. n. 3
Regem ut imperium augeat jubet amor mutuus inter eum & ſubditos. Cæſ. apud Sueton. ib.
Rex bonus non differt à bono patre. Xenoph. fl. 33. n. 4
Rex curet ut in Republica à non convenientibus abſtineatur, & convenientia abundent. Plutar. ib.
Rex cor eſt reipublicæ. Incert. ib. n. 5
Non minus rex curet à ſuis diligi quàm ab hoſtibus metui. Tacit. ib.
Regis magnitudo ſtabilis eſt ſi omnes tam ſupra ſe, quàm pro ſe ſtare ſciunt. Marſil. fl. 33. n. 6
Regis ſævitia bellum eſt. Senec. ib. n. 7
Iſta reddit cives ignavos. Patric. ib. n. 8
Sed nonumquam à paucis & bonis evertitur dominatus ejusmodi. Halic. fl. 33. n. 8
Regem non decet inexorabilis ira: non multùm eminet ſuper eum, cui ſe exæquat iraſcendo. Senec. ib. n. 9.
Regis nobilitas proveniens de ſapientia, juſtitia, bonis moribus. Beata terra, cui rex hujusmodi præeſt. Salon. ib.
Regum & magiſtratuum utilitas in ſubditorum commodis poſita eſt. Palæolog. fl. 33. n. 10
Rex eſt ſervus æquitatis & utilitatis publicæ Petrar. & Sereſber. ib. n. 12
Populi culpa frequenter redundat in regem. Bleſ. ib.
Regem commendant boni mores Reipublicæ, concordiaque magiſtratuum. Apud Caſſiod. fl. 33. n. 14
Regnum dicitur integerrimum, ſi nuſquam fuerit imminutum. Apud eumdem ib. n. 16
Regem commendat augmentum Reipublicæ. Apud eumdem ib.
Regalius eſt condere urbes quàm demoliri. Incert. fl. 33. n. 18
Regii virtus animi non minùs in pace valeat, quàm in bello. Saluſt. ib.
Rex dicitur baſis columnæ. Greg. M. ib. n. 20
Regem qui non ſaginare gregem ſuum, ſed ab eo ſaginari vult, vocat coquum Syneſ. fl. 33. n. 20
Regiæ virtutis morbus eſt ſua tyrannis. Idem ib. n. 22
Rex advena vix benevolus erit. Comin. ib.
Rex ſtolidus & imperitus eſt clades populi. Idem fl. 33. n. 24
Regi turpe non imperare humaniter. Archit. ib. n. 26
Rex bonus amat libertatem populi; improbus verò ſervitutem. Ambroſ. ib. n. 28
Rex non dans operam juſtitiæ privat ſe honore majeſtatis. Sereſber. fl. 33. n. 28
Imperatores Chriſtiani ex quo dicantur felices Aug. ib. n 50
Regis domus debet eſſe templum Dei, ſpes bonorum, miſerorum præſidium. Marſil. ib. n. 52
Rex quis reputandus ſit. Syneſ. fl. 33. num. 54
Prædicatum ſummè regium eſt eſſe regem ſui. Idem ib.
Reges proſequuntur odio Reſpublicas. Guicciard. ib. n. 56
Rex non tyrannus pugnat pro legibus & libertate populi. Sereſber. ib.
Rex attendat bono communi. Pachym. & Herodo. fl. 39. n. 5
Regum lapſus pœna populorum eſt. Ambroſ. ib. n. 6
Regium eſt ornamentum concurſus omnium virtutum. Syneſ. ib. n. 10
Regis pietas laudatur. Idem fl. 39. n. 10
Abſque pietate regis nihil eſt exercitus &c. Sozomen. ib.
Regibus difficilis eſt humilitas: ſine hac, & diſcretione, charitateque non ſubſiſtit principatus. Sereſber. ib. n. 12
Principi commendatur humilitas. Idem fl. 39. n. 12
Regem eſſe remiſſum circa malefactores, impium dixit Athalaricus. ib. n. 14
Regem oportet eſſe devotiſſimum ac timentem Deum, atque humilem. Thom. à Villano. ib. n. 16
Non ſtatum, ſed fidem ampliare zelet. Idem fl. 39. n. 16
Regibus commendatur cultus Dei Agapet. ib. n. 18
Regis eſt gloria tranquillitas ſubjectorum. Theodoric. ib. n. 20
Poteſtas, ſæcularis nihil novit de vita &

virtutibus theologicis. Bernard. fl.39.n. 26
Rex non ſpoliet unum ad hoc ut alteri donet. Thom.à Villano.30
Reges minus expendant, quàm accipiunt de redditibus ſuis. Idem.ib.
Malè gubernantium regum ſupplicia. Chryſoſt.fl.39.n.30
Fiſci nimium augmentum nocivum eſt. Theodoric.ib.n. 32.
Cum populo male agitur cùm cogitur alere libidinem primatûm. Thriver. ib.
Populus exhauſtus à rege contemnet eum. Plutar. 39.n.32
Regem honorat qui vult ei ſervare illa, per quæ diligitur ejus dominium, & non minuitur poteſtas ac excellentia. Bertran. ib.num. 38
Rex ſuperbiens contra Deum quomodo puniatur. Sereſber. ib n.54
Rex Subditorum ſpeculum eſt. Unus nævus in principe plus videtur ac nocet, quàm magnum vitium in privato. Thom. à Villano. fl.39 n.58
Regis juſtitiæ laudes. Laur. Juſt. ibid. num. 40
Rex quomodo pluſquam homo eſſe debet. Thom. à Villano. ib.n.58
Utilis eſt regis amor in magiſtratus. Athalaric.fl.40.n.12
Magiſtratus bonus ſolatium regis eſt. Idem ibid.
Rex illiteratus conſiliarios Litteratos ſectetur. Sereſber. ib.n.14
Regis amici veri non ſunt qui laudant omnia ejus dicta. Agapet.fl.40.n.18
Rex patiatur ſibi contradici pro æquitate. Caſſiod.ib.
Regi nota inuritur, ſi conſiliarius aut amicus ejus malus eſt. Thom. à Villano. ibid. num. 20
Rex non mniùs eget conſiliariis, quàm pane. Frideric.fl.40.n.24
Ex principis peccato contingit judices eſſe. Iſidor. Reſp.ib.n.26
Rex judicet diſtrictiſſimè judices. Bleſ.ib.num. 28
Regi vociferatio, verborumque intemperantia non ex majeſtate eſt. Senec. fl. 40.n.55
Nulla regi gloria de ſævitiâ; multa verò ſi plures eripuit iræ alienæ; neminem ſuæ tradidit. Idem.ib.
Regem decet curare augmentum Reipublicæ. Theodoric.ib.n.47
Nomen regis non ex purpurâ & aliis extrinſecis tribuendum. Agath. fl. 33. num. 58
Vide *Conſilium. Curia. David. Eccleſia. Eccleſiaſticus. Humilitas. Ira. Populus. Princeps. Regnum. Reſpublica. Sapiens. Tributum. Tyrannus.*

Riſus.

Riſus aliquot affert ſpiritui mala. Ephrem. fl.25.n.1
Vide *Chriſtus Dominus. Diabolus.*

Roboam.

Roboam putabat ſe valentiorem patre ſuo. Lir.fl.8.n.30

Roſa.

Spinæ conjunctæ cum roſa quod inſinuent. Baſil.Mag.fl.28.n.42

Ruina.

Vide *Exemplum. Experientia.*

S.

Salomon.

SAlomonis ſapientia quando & quare fuerit imminuta. Thaumat.fl.16.n.70
Salomon quo ſenſu voluerit amplius ſcire. Carthuſ. fl. 21.n.45

Salus.

Salutem impedire, eſt perſequi Salvatorem. Bernar. fl.4.n.43
Salus moralis perfecta quid ſit. Salvian.fl.35. num.4

Samſon.

Samſon videtur accepiſſe revelationem circa conjugium cum. Thamnathæa. Lir. fl. 34. n.44

Samuel.

Samuel fuit ſacerdos. Aug. & Angelom.fl.39. n.21
Vide *Anna.*

Sancti. Sanctus.

Sancti in patria quomodo lætentur de geſtis in viâ. Bernar.fl.20.n.22
Sanctos qui diligit, imitetur. Chryſoſt.fl.13. n.44. Laur. Juſt.ib.n.46
Sanctorum exempla colligenda. Thom.à Villano.fl.15.n.9
Sancti & caſti ſignificati per elephantem. Honor.fl.22.n.43
Sanctum facit amor atque timor Domini. Bernar.fl.28.n.28
Sancti poſt mortem meliùs vivunt. Theofrid. Abb.fl.37.n.8
Sancti quomodò ſolliciti ſint de nobis. Thom. à Villano.ib.n.14
Sanctos precemur: ſimus tamen vigiles. Chryſoſt. fl.39.n.12
Vide *Anima. David. Humilitas. Jonathas. Juſtus. Virtus.*

Sanitas.

Vide *Cor. Salus.*

Sapiens. Sapientia.

Sapientia & prudentia non in ſolis litteris. Caſſiod.fl.1.n.6
Sapiens qui ſit. Peluſ.ib.
Sapientiæ nimius amor inebriat quoſdam. Anſel.fl.2.n.31
Sapientia mundana quàm fucata. Ambroſ. ib. n.33
Sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, Bleſ.ib.n.35
Doctrina ſordidum ſapiens dicitur lutum. Greg.Mag.ib.
Sapiens ſapientiâ carnali vivit cupiditatibus carnis. Ambroſ. fl.2.n.35
Sapientia mundi, cæcitas. Leo Pa. ib. num. 37
Sapientia carnis reddit hominem non hominem. Anſel.ib.n.38
Sapiens eſt ſibi medicus. Ambroſ. fl. 8. num. 53
Sapientia donum cæleſte. Petrar. fl. 15. num. 53
Sapiens cupit ſcientiam transfundere: doc cer. gaudet, ut doceat. Senec.fl.18.n.46

Sapientiæ contemptus multum habet ſtultitiæ. Humbert. fl.21.n.3.
Sapientiæ jactatores volunt potius neſcire; quàm diſcere. Sereſber.ib.n.6
Sapientiæ jejunus eſt qui virtutem poſtponit eruditioni.Lup.ib.n.7
Studentibus tria ſunt neceſſaria: natura, exercitium, & diſciplina. Poth. fl. 21. n.8
Omnis homo deſiderat ſapere. Ariſtot. ib. n.22
Multi volunt videri docti quia reprehendunt alios.Nazianz.ib
Quorumdam ſciolorum facundia canina.Hieron.fl.21.n.24
Quidam inflati ſapientiâ humanâ conantur judiciis Dei reluctari. Greg. M. ib. num. 25
Sapientia ſæculi quaſi vinum. Angelom. ibid. n.28
Sapientia lux eſt cordis. Firmian. fl. 22.n.3
Quis dignè nominetur ſapiens. Iſaac. ibid. num.4
Sapientiæ mundanæ mala quædam. Anton. & Ambroſ.ib.n.36
Sapientia humana inflat, & facit. ſtultum coram Deo.Carthuſ.fl.22.n.38
Quid ſciendum. Iſid. Hiſp. ibid. num. 40
Sapientia eſt prudentia; ſed non omnis prudentia eſt ſapientia. Clem. Alex. ibid.n.50
Sapientiam ſecundum naturam poſſident pauper & dives,nobilis & ignobilis. Laur.Juſt. fl.22.n.56
Sapientia ſignificatur aure. Eucher.ib.
Sapientia humana extollit. Baſil. Mag. fl. 26. num.8
Sapientia nullius momenti eſt ſi abſit à Deo. Idem.ib.
A ſapientibus carnalibus putatur ſtultum quod innocenter agitur. Greg. Mag. ib. n.41
Sapientiam proficuam & ſalutarem deſideremus à Deo; non illam vanam philoſophorum. fl.28.n.4
Scientia perfecta eſt multa agere bona: de illis non quærere laudem; ſed inutilem ſervum æſtimare ſe coram oculis Dei. Iſidor. Hiſpal.ib.n.11
Neque te putes omnia ſcire;nec omnia neſcire.Firmian.ib.n.60
Scientia ſine opere infirma eſt.Theophil. ibid. n.62
Sapientis finis in loquendo eſt adverſariis imponere ſilentium. Greg.Mag.fl.29.n.20
Sapiens uno Deo minor.Aug.ib.
Sapientia non eſt in ſolius utilitatem ſapientis. Leo Pap.ib.n.33
Sapientem ab indoctis tantum differre, quantum Deus ab hominibus dixit Demades. fl.29.n.52
Sapientes velut reges habentur hominum: & eorum præcepta quaſi oracula deorum.Hieron.ib.
Sapientes difficilè ducuntur ad fidem Dei. Idem ibid.
Sapientia & prudentia quomodò differant.Remig. fl.38.n-1
Sapientia diſtributa ſuſcipit incrementum, & niſi publicetur,elabitur. Hildebert.ib.n.2
Excellentiâ ſapientiæ.Humbert.& Nazianz. ib.n.5
Contra eos qui facilè ſe putant ſapientes Nazianz.ib.
Orandum ut nobis aperiantur clauſa. Caſſiod. & Sime. Jun.fl.38.n.22
Sapientia,ſcientia,& prudentia quomodò differant,Rodolph.ib.n.23
Sapientiæ forma apis eſt. Eucher.ib.n.28
Non altè ſapiendum.Ambroſ.fl.38.n.52. & Anſel.ib.
Sapientiam non plenè recipit, niſi qui ſe contendit abſtrahere penitus à carnalibus actionibus. Greg.Mag.ib.n.54
Quantò plùs quis proficit in virtutibus atque ſapientia, tantò plùs proficere cupit. Carthuſ.ib.n.57
Sapientiæ laus. Theodoric. fl.40.n.14
Sapientes quantùm profint Reipublicæ. Campan.ib.n.22.
Sapientia meretur honores: quædam alia extrinſecùs veniunt. Caſſiod.ib.n.49
Vide *Anima. Cognitio ſui. Dives. Humilis. Intellectus. Prudens. Reſpublica.*

Sapientiæ loca.

Cap.10.n.13.A peccatoribus &c.Janſen.fl.13. n.25
Cap.1.n 5.Corripietur &c.Aug.fl.14.n.22
Cap.5.n. 3. Similitudinem improperii. Hug. Card.fl.20.n.22
Cap.11.n. 24. Miſereris omnium &c. Idem fl.28.n.33
Cap.4.n.1.O quam pulchra &c. Idem fl.29. n.43

Sara.

Sara quid ſignificet. Aug. fl. 3.num. 49

Saul.

Saul prophetavit.Ex Theodore. Gloſſ.Ord. fl.17.n.13
Saul contentus eſſe debuit laude mulierum: nempe quod percuſſerit mille.Chryſoſt.24. n.56

Scala Jacob.

Vide *Chriſtus. Dominus. Maria. Religio.*

Scandalum.

Scandalum dantes quæ pœna maneat.Paſchaſ. fl.13.n.56.Iſidor.Peluſ.ib.n.58
Vide *Detractio. Exemplum.*

Scientia. Scire.

Vide *Cognitio ſui. Ignorantia. Sapientia.*

Sciolus.

Vide *Sapientia.*

Scriba.

Scriba,de quo Matth.8.19.juxta.D.Hilarium interrogavit an ſecuturus eſſet. fl.3.n.21

S. Sebaſtianus.

S. Sebaſtianum invenere vivum qui ſepelire volebant.S.Vincent.Ferrar.fl.29.n.18
Occurrit vivus Imperatoribus.Idem.ib.

Secretum.

Secretum cordis ſignificari ſolet per lectum, cubile, ſtratum.Od.Clun.fl.23.n.2

Securitas.

Securitas placet magis ei, qui timuit. Bernar. fl.10.n.54
Vide *Mundus. Præſumptio. Vigilantia.*

Sedere.

Sedere quid ſignificet. Eucher.fl.20.n.3

Senectus. Senes.

Senectutis prudentia.Ariſtot.fl.40.n.10
Vide *Adoleſcens. Apocalypſis loca. Conſilium. Judicium.*

Syllabus doctrinæ Sanctorum Patrum,

Senſus.

ſus quaſi putei & barathra, in quæ cadunt ſi ſunt addicti ſenſibilibus. Nil. fl. 35. n. 37

Vide *Anima. Quies.*

Sepulchrum.

Sepulchrum Domini lectulus floridus in Canticis. Angelom. fl. 33. n. 31

Vide *Dives.*

Serpens.

Serpens decipiens Hevam typus eſt delectationis. Ambroſ. fl. 9. n. 50

Serpens habet cor juxta caput. Anſel. fl. 27. n. 54

Serpentum aliquorum induſtria. Paſchaſ. ib.

Servitus. Servus.

Servi quidam liberi; & econtra. Petrar. fl. 1. n. 32

Vide *Peccator. Peccatum.*

Silentium.

Vide *Tacere. Verba.*

Simplicitas.

Vide *Contemptus.*

Simulatio.

Simulatio poſtulat ingenium ſubtile. Od. Clun. fl. 29. n. 6

Vide *Aſtutia.*

Sitis.

Vide *Deſiderium. Felicitas.*

Societas.

Societatis bonæ utilitas; & malæ damnum. Iſidor. Hiſpal. fl. 13. n. 2

Societatem nectit ſimilitudo morum. Incert. ib. n. 9

De ſocietate bonorum naſcitur erubeſcentia, qua frenamur à multis malis. Humbert. fl. 13. n. 12

Societas cum malis impedit plurimùm ſequelam Chriſti. Maphe. ib. n. 20

Societate malâ ſuperatur ad peccandum qui reſiſtebat priùs. Iſidor. Hiſpal. ib. n. 24

Mala ſocietas catena eſt: quæ ſi non daretur, multi ad paradiſum irent. Vincent. Ferrar. fl. 13. n. 28

Socii mali quomodo tentent adoleſcentulos. Amphilochi. ib. n. 36

Societate malâ juſtum non corrumpi quid Angelicum eſt Guig. ib. n. 54

Sæpe malus non mutatur per conſortium boni; ſed pervertit illum. Greg. Mag. fl. 32. n. 27

Vide *Amicitia. Juſtus. Peccatum.*

Sol.

Solis ortus & occaſus memorat nobis quotidie interitum ſæculi. Salon. fl. 28. n. 44

Solis depingit incarnationem Verbi divini. Thom. à Villano. fl. 28. n. 52

Vide *Chriſtus Dominus. Prædicator.*

Somnus.

Somnus bonus contemnentis bona temporalia. Remig. fl. 35. n. 38

Somnus abeſt ab eo, qui nimis amat temporalia. Idem ib.

Vide *Deſidia. Mors. Peccator.*

Syphoniæ loca.

Cap. 3. n 11. Non confunderis &c. Theodore. fl. 9. n. 26

Spes.

Spei gloriæ jucunditas. Thom. à Villano. fl. 5. n. 40

Spei nulla dulcedo. Petrar. fl. 10. n. 2

Spes bonorum ferri leviùs facit incommoda præſentia. Chryſoſt. ib. n. 3

Spes bonorum remedium eſt malorum. Laur. Juſt. ib.

Spes magnum ornamentum Eccleſiæ. Brun. Aſt. fl. 1. n. 13

Spes temporalium eſt anchora, quæ multos traxit in exitium; & incolumes evaſiſſent, ſi abjicerent eam. Petrar. ib. n. 18

Spei de temporalibus anxietas & fallacia. Idem ib. n. 34

Quomodo longa ſpes faciat longum eſſe tempus. Aug. ib. n. 40

Spem vocat baculum Niſſen. fl. 12. n. 12

Spei præmii vis. Macar. & Laur. Juſt. fl. 14. n. 4

Spei motivum miſcendum minis. Peluſ. ibid. n. 20

Spes anchora in procellis tentationum. Laur. Juſt. fl. 19. n. 101

Spei effectus. Idem & Incert. ib.

Spe levemur cùm pondere doloris afficimur. Greg. M. fl. 23. n. 28

Quantò quis per ſpem ſuſtollitur, tantò minuit afflictionem. Idem ib. n. 29

Spes temperanda metu. Agobard. fl. 24. n. 33

Spe bonâ differt peritus ab imperito. Chilo apud. Maphe. fl. 28. n. 8

Spei noſtræ robur, & quædam ſperantis authoritas confidentia eſt. Ambroſ. ib. n. 24

Spes confidentiam parit: probatio ſpem. Idem. 2. 31. n. 8

Sperandum eſt in Domino, quantumvis ille flagellet acriter. Bleſ. ib. n. 43

Spem excitat cogitare Deum eſſe patrem noſtrum. Antonin. ib. n. 53

Spes ſine timore ſtulta præſumptio. Goffrid. fl. 31. n. 55

Spes roborat. Sereſber. fl. 34. n. 15

Spes vera comprobatur, quam merita comitantur. Laur. Juſt. fl 37. n. 5

Spes timori jungatur. Anton. ib. n. 46

Vide *Deſperatio. Deus. Geneſis loca. Iſaac. Maria. Patientia. Pœnitentia. Præſumptio.*

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus apparuit per ignem. Bed. fl. 16. n. 21

Spiritum ſanctum nutritium noſtrum dixit. Aelred. fl. 38. n. 44

Spiritus ſanctus plura donat iis, quos illuminat. Baſil. Mag. ib.

Eum vocat ſcribam. Idem ib.

Dicitur aqua. Remig. ib.

Apoſtolos corouavit linguis igneis, in quarum ſpecie ſedit ſuper illos. Cyrill. fl. 38. n. 45

Reddidit Apoſtolos zelo ſuccenſos, & verbo eruditos. Bed. ib.

Vide *Chriſtus Dominus.*

Sponſa.

Sponſæ ſollicitudinem in quæreudo Sponſum deſcribit Thom. à Villano. fl. 10. n. 5

Sponſæ oſtium quid. Incert. fl. 18 n. 101

Ejus dolor in abſentia ſponſi. Gilbert fl. 19. n. 75

Sponſæ oculi dicuntur ſicut piſcinæ propter lacrymas. Greg. Mag. fl. 33. n. 15

Sponſæ quanta gloria aſſimilari Sponſo, & ferre opprobrium Chriſti. Laur. Juſt. fl. 27. n. 37

Inter cruces, labores & mortes diligit ſponſum. Thom. à Villa no. fl.34.n.17.
Vide *Canticorum loca.*

Sponſus.

Sponſi quondam quare coronam geſtabant in ſolemnitate nuptiali. Chryſoſt.fl.33.n.49
Vide *Canticorum loca.*

Stater.

Stater inventus à Petro in ore piſcis, fuit miraculosè creatus. Paſchaſ. fl.11.n.13

Status innocentiæ.

Ejus felicitates aliquot. Nil. fl.35.n.52

Stella.

Stella Magorum fuit Angelus juxta Theophylact. fl.28.n.23. & Cæſar. fl.38.n.47

Stephanus.

Stephani laus in confutandis erroribus. Nicet. & Nyſſen. fl.29.n.20
Stephanus per veram ſapientiam vicit falſam. Nyſſen. ib.21
Aſpiciebat ſævientes tamquam fratres. Idem ib.n.24
Stephani victoria de Saulo. Fulgent ib. num. 26
Stephanum non ſenſiſſe lapidum ictus dixit Ambroſ. fl.34.n.18

Sterilitas.

Sterilitas unde veniat. Nazianz. fl.12.n.38

Struthiones.

Struthiones Job 30.n.29. ſignificant hypocritas. Brun. Aſt. fl.13.n.37

Studia.

Vide *Adoleſcens. Sapientia.*

Stultitia. Sultus.

Stultus improbus, implacabilis, & incorrigibilis. Janſen. fl.8.n.38
Vide *Felicitas. Gloria.*

Superbia. Superbus.

Superbia privatio divinæ humanæque cognitionis. Maxim. fl.2.n.29
Per ſuperbiam à virtutibus venit pernicies. Radulph. ib.
Inter ſuperbos non datur amor. Maphe. fl.8.n.3
Ex ſuperbia & jactantia naſcuntur odium & livor. Nil. ib.n.3
Superbus aliquis intolerabilis cædit omnes. Macar. ib.n.4
Superborum aliquot impœnitentia. Antioch. fl.8.n.6
Vix eſt qui ſe non plurimùm aliquâ ſaltem ex parte valere non putet. Maphe. ib.n.9
Superbia eſt comes invidiæ. Aug. ib. n.25
Superbia devorat opera ſuperbi tamquam ignis. Anton. fl.8.n.20
Quid nequius, quàm de ſe confidere & præſumere? Laur. Juſt.ib.n.31
Superbi ſunt aliqui poſt ſpretum ſæculum. Bernard. ib.n.33
Præſumptuoſi mores aliquot. Laur. Juſt. fl.8.n.37
Nihil ſuperbo inſanius. Chryſoſt. ib.
Nitens ad altiora, non ſentiens humiliter de ſe, cadit à ſe. Bernar. fl.9.n.35
Superbia quoſdam præcipitat. Aug. ib.
Confidens viribus propriis cadit quamprimùm. Chryſoſt. ib.n.36
Superbos vera non corrigunt. Greg. Mag. fl.12.n.4
Aliqui ſuperbi erubeſcunt notari peccatores. Idem ib.
Opinio inflata de ſeipſo dicitur unicum pecatum à Simeone Junio. fl.15.n.38
De ſuperbia naſcitur vana gloria & invidia. Od. Abb. fl.20.n.44
Superbus communiter eſt invidus atque detractor. Arnold. fl.24.n.52
Quantò quis ampliora quæſierit, tantò magis ad inferiora labitur. Anſel. fl.25.n.50
Anima ſuperba ſerva timiditatis eſt. Climac. fl.26.5
Omnis timidus eſt obnoxius vanæ gloriæ; ſed non omnes timoris expertes ſunt humiles. Idem ib.
Qui tumeſcit intus, deprimit ſe. Greg. Mag. fl.28.n.56
In Dei oculis jacent qui apud ſuos & proximorum oculos per inanis gloriæ appetitum tument. Idem fl.29.n.60
Ne putemus nos ſufficere nobis ad regimen noſtrum. Expugnatur citò qui duce caret. Dorothe. fl.34.n.7
Vide *Ambitio. Chriſtus Dominus. Cognitio ſui. Diſcordia. Doctor. Humilis. Iudicium. Mors. Pauper. Rhamnus. Verecundia.*

Superior.

Superioris vitia frequenter imitantur ſubditi. Sereſber. fl.11,n.36
Vide *Magiſtratus. Prælatus. Princeps. Rex.*

Supplicium.

Supplicii alieni exemplum quantùm poſſit. Oroſi. fl.1.n.46
Supplicium non ſentire via prona eſt ad malum. Maxim. fl.2.n.11
Per quæ quis peccat, per hæc punitur Laur. Juſt. fl.9.n.47
Nemo putet, fortuitò accidere plagas & flagella. Nazianz. fl.12.n.38
Fit nobis oneri quòd nos latet cauſa noſtræ percuſſionis. Greg. Mag. ib.
Culpæ comes pœna. Lipſi. fl.14.n.1
Supplicium fert peccatoribus auxilium. Proſp. ib.n.5
Vide *Correctio. Correptio. Peccatũ. Populus. Reſpublica. Surdus.*
Surdus unde dicatur. Anton. fl.1.n.4
Vide *Verba.*

Suſanna.

Suſannæ ſilentium, quo loquebatur Deo, ruebaturque opinionem caſtitatis. Ambroſ. fl.27.n.43

Suſpicio Suſpicioſus.

Vide *Amicitia. Iudicium.*

T

Tacere. Taciturnitas.

NImis taciti cum patiuntur injuſta, plerumque magis dolent. Greg. Mag. fl. 25.n.43
Tacere quandoque ſuadet diabolus. Gerſ. fl. 2.n.7
Silentii decorum unde ſumatur. Baſil. Mag. ib.
Tacere qui neſcit quod expedit, nũquam ſciet fari. Laur. Juſt. fl.38.n.3

Fidus mysteriorum interpres tacendo plus prædicat. Ambros. ib.n.46
Silentii laus. Guarric. fl.40.n.37
Vide *Sapiens. Susanna. Verba*

Temeritas.

Vide *Præsumptio.*

Temperantia.

Temperantia, quæ transcendit per actiones humanas, mentem informat, restinguit ardorem passionum. Ambros. fl.9.n 9
Sobrius sermones suos priùs examinat. Laur. Just. fl.2.n.9

Tempestas.

Vide *Apostoli. Templa.*

Templorum amator domus est Spiritûs sancti. Agobard. fl.39.n.22

Tempus.

Tempus, quô scribimus, ac morum præcepta damus, videtur non elabi; sed teneri. Maphe. fl.21.n.5
Nihil sic inhæret humano pectori, quod tempore non evanescat. Hildebert. fl.27. n.33
Tempori qui cedit, honestè cedit. Lipsi. fl. 32.n.19
Prudens accomodat se tempori rerumque varietati. Senec. ib.
Vide *Difficultas.*

Tenebræ.

Tenebræ Ægypti quid significent. Bed. fl.3. n.53 *Tentatio.*
Nostrum est referare portas; Domini verò confortare. Arnob. fl.18.n.81
Deus quomodo tentet amicos. Catharin. fl. 22.n.49
Tentationes probant animam velut ignis aurum, nauclerum tempestas &c. Basil. Mag. ib.n.56
Si numquam tentaris, numquam probaris. Aug. fl.24.n.54
Tentantur electi dupliciter; nempe terroribus, & blandimentis. Drogo fl.29.n.41
Vide *Caro. Diabolus.*

Tepiditas.

Vide *Virtus. Voluntas.*

Terra.

Terra ante peccatum non producebat horrida & infructuosa. Raban. fl.29.n.46
Terra obedivit suo modo Creatori; reluctatur autem ei terreus homo. Ambros. ib.
Vide *Peccator.*

S. Thomas Apostolus.

Vide *Christus Dominus.*

S. Thomas Aquinas.

Creditur Thomam accepisse à Virgine Maria chartam, in qua legebatur Angelica salutatio. Vincent. Ferrar. fl.38.n.18
Illi apparuit B. Maria. Idem ibid. n.20
Recurrebat ad orationem cùm disputare volebat, & quando sibi occurrebant dubia. Idem n.22
Doctus fuit ab Angelo, & à SS. Petro & Paulo. Idem ib.
Qualiter orabat S. Thomas ante studium. Vincent. Ferrar. fl.38.n.24
Cum esset puer, ex ejus facie vidit quidam procedere radios illuminantes orbem. Idem ib.
Puer Jesus apparuit super librum officii Sacramenti altaris compositi à S. Thom. Idem ib.n.26

Threnorum loca.

Cap.4 n.6. & major effecta est &c. Paschas. fl.3.n.19
Cap.3. n.51. Oculus &c. Hug. Card. fl. 19.n.80 *Thus.*
Vide *Oratio.*

Timiditas.

Vide *Gaudium. Superbia. Timor.*

Timor.

Mala dum timentur plùs terrent, quàm venientia molestent. Diog. fl.2.n.39
Timiditas est corruptio judicii. Hieroch. ib.
Timidi magis periclitantur in bello. Salust.ib.
Timor inter horribilia maximo terrore percellit. Xenoph. fl.2.n.67
Mala sentiens, & alia timens assimilatur homini correpto per torrentem. Phil. Hebr. ib
Timor justi Bernar. fl.5.n.14
Timor Domini, aqua. idem ib.
Non peccantem præ timore pœnæ vocat inimicum justitiæ. Aug. fl.7.n.22
Formidant aliqui solùm quod vident. Greg. Mag. ib. n.50
Timor aliquando interpres malus. Ambros. ib.n.62
Verus Dei famulus timet solum Deum. Climac. fl.10.n.30
Qui Deum non timet fugit sæpe umbram propriam. Idem ib.
Timorem filialem Dei procedentem ex amore explicat. Bles. fl.13.n.26
Timens judicem hominem, reus, timens Deum, sanctus. Brun. fl.14 n.2
Qui peccavit aliquando semper ante oculos defert pœnam; non timet conscientiâ bonâ pollens. Tulli ib n.3
Timoris utilitas, & necessitas. Basil. Mag. ib. n.7
Stultum est timere quod vitare non potes. Martin. fl.14.n.29
Mens prava sit undique trepida. Greg. Mag. ib.
Optimum est posito in alto quòd timeat. Bles. fl.18.n.36
Timere Deum est servare mandata. Od.Clun. fl.20.n.5
Timor dei implet hominis hydriam spiritualem usque ad summum. Bernar ib.n.53
Timor Deo acceptus est, qui cum amore maximo & pia spe conjungitur. ex Cassiod. Brun. ib.
Qui castè Deum timet, non timet alium. Guarric. fl.20.n.55
Homo timore vocatur, amore justificatur Bernard. ib.
Contempto Deo timemus homines post peccatum. Chrysost. ib.n.57
Timor Dei custos innocentiæ. Cyprian. fl. 26.n.1
Pietas timore inchoatur, charitate perficitur. Aug. ib.n.2
Diversitas rigorosè loquendo inter timidum atque timentẽ. Isid. Hispal. ib.n.5.
Timor in januis optimus custos; & paventaculum fugans dæmones atque peccata. Anton. fl.26.n.11
Animam divino timore confixam non evellet ventus tentationum veluti quercum. Chrysost. fl.26.n.11

Timor ſine ſpe præcipitat in deſperationem. Greg. Mag. ib. n. 13
Timor Dei ſuſtentat animum virtutibus ornatum. Nil. ib. 15
Timor natus de conſcientiâ peccatorum tormentum eſt. Hug. Card. fl. 26. n. 19
Timor virtutes ducit, dirigit, & cuſtodit. Anton. ib. n. 2. 1
Per timorem homo provehitur ad perfectionem charitatis. Antioch. ib. n. 21
Timere diſcat qui timere nonvult. Aug. fl. 16. n. 23
Timor aliquis pertinet ad fortitudinem. Albert. Mag. & Greg. Mag. ib.
Timor generans humilitatem, manſuetudinem, patientiam, & lætitiam. Aug. & Bernar. ib. n. 25
Timor introducit abundantiam bonorum ſpiritualium ac virtutum. Laur. Juſt. fl. 26. n. 27
Timor reverentialis eſt glorioſus. Vincent. Ferrar. ib. n. 29
Anima timorata quieſcit in tribulationibus & delectatur. Videt ſcalam erectam &c. &c. Anton. ib. n. 30
Timore vocamur, amore juſtificamur. Audiat peccator quod timeat, ut illuminatus videat quod diligat. Bernar. fl. 26. n. 43
Timor ſine fine ſtudet timere, ne quid paveat præter Deum. Incert. ib. n. 45
Excitat virtutes, ne rubigine conſumantur. Laur. Juſt. ib. n. 47
Timor rationabilis eſt cognatus modeſtiæ, familiaris ſapienti. Sereſber. fl. 26. n. 53. Bed. ib. n. 55
Qui metui multis eſt, multos facit inimicos. Xenoph. fl. 27. n. 55
Per timorem ſurgimus ad pietatem: per pietatem ducimur ad ſcientiam. Greg. Mag. fl. 26. n. 19
Timor inter homines odium gignere ſolet. Tull. fl. 30. n. 10
Timore majori contemnimus minorem. Aug. fl. 31. n. 4
Timor Dei eſt armatura tuta. Chryſoſt. ibid. n. 13
Timor Dei fortis & rigidus non facilè ſuadetur, non leviter ſuperatur. Thom. à Villano. ib. n. 17.
Timor murus & turris. Chryſoſt. fl. 31. num. 21
Fortitudinem gignit. Laur. Juſt. ibid. num. 19
Timens Deum non erit obnoxius timiditati. Scholiaſt. ad Clim. id. n. 21
Quod ſupra homines time; non terrebunt te: time gehennam, & mortem non curabis. Aug. fl. 31. 23
Timor eſt anchora cordis. Greg. Mag. ib. num. 25
Sæpe mens juſti altiùs trepidat, ut magis ſecura ſit. Idem ib.
Aliquando pavet ne quod patitur nunc ſit initium damnationis. Greg. Mag. fl. 31. n. 25
Timore dempto nihil rectè peragi poteſt. Athanaſ. ib. n. 28
Timor Dei omnis eſt in amore. Incert. ib. num. 39
A timore Dei incipiat qui pertingere cupit ad culmen virtutum. Laur. Juſt. fl. 31. n. 39
Timor introducit charitatem. Idem ib.
Sancti viri poſtquam perverſa ſubigunt, metuunt ſua bene geſta. Greg. Mag. ib. n. 41
Tremens humiliter ſermones Domini templum Dei eſt. Hieron. fl. 31. n. 41
Timor Dei ſi ad momentum diſcedat à domo mentis, quantus cogitationum clamor & affectionum ignis accendatur; qui eo redeunte compeſcitur. Laur. Juſt. ibid. num. 49
Timor fundamentum ſalutis. Maphe. fl. 32. num. 2
Sapiens ſemper in compunctione, ſemper in metu eſt. Cæſar. ib. n. 4
Perfecti, ſicut boni filii, timent ne offendant oculos Dei. Salon. ib.
Timoris quædam ſimilitudines cum aqua. Bernar. fl. 31. n. 5
Timor Dei lucerna cordis. Smarag. ibid. num. 51
Vide *Cogitatio. Diabolus Fortuna. Iudicium divinum. Juſtus. Mundus. Peccatum. Securitas. Spes. Superbia.*

Titulus crucis Domini.

Poſitus ad ignominiam ceſſit in honorem. Thom. fl. 35. n. 58

Tobias.

Tobiæ ſenioris meritum in relinquendo prandium propter cadaver inſepultum. Aug. fl. 14. num. 48

Tobiæ loca.

Cap. 8. n. 3. Apprehendit dæmonium, &c. Bed. fl. 31. n. 10
Cap. 6. num. 9. Fel. valet &c. Lir. fl. 35. num. 24

Tormenta.

Vide *Adverſitas Deſiderium. Dolor. Labor. Patientia. Timor. Tribulatio.*

Tribulatio.

Tribulatio carnis levat mentem ad ſuperna. Greg. Mag. fl. 14. n. 19
Tribulationes patiens gratias agat. Nil. fl. 16. n. 12. Antioch. fl. 17. n. 26. Anſel. ibid. num. 27. & Joann. Portar. ib. n. 28
Flagellum miſericordiæ exponitur à Bleſ. fl. 17. n. 22
In tribulationibus gloriantur qui perfectè Chriſtiani ſunt. Agobar. fl 18. n. 58
Tribulationis magnæ dolor aliquando vetat lacrymas & vocem. Peluſ. fl. 19. n. 89
Tribulatio confert ad coguoſcendum divina. Anton. fl. 22. n. 56
Tribulatio eſt auxilium miſſum à Domino. Bleſ. fl. 23. n. 6
Gaudendum de multitudine tribulationum. Nil. ib.
Tribulationes dulceſcunt à dolore de peccatis. Bleſ. ib. n. 8
Tribulationis effectus aliquot. Thom. à Villano. fl. 25. n. 45
Tribulationes faciunt nos modeſtos. Chryſoſt. fl. 26. n. 45
Tribulationes quis non feret metuens gehennam? Aug. fl. 31. n. 4
Tribulatio revocat hominem ad Deum, & ad ſe; quem elongaverat proſperitas mundana. Bleſ. fl. 32. n. 15

Tribulatio est ignis. ex Aug. Sedul. ibid. num. 16
Virtus infestata fit clarior. Chrysost. ibid. 17
Tribulati proponant sibi exemplum passionis Christi Domin. Laur. Just. fl. 34, n. 18
Persecutionum cessatio quænam afferat damna. Chrysost. fl. 35. n. 19
In tribulationibus quare gloriandum. Ambros. 37. n. 32. Damian. ib.
In tribulationibus propter Christum toleratis quare gratulandum. Cypian. ib. num. 34
Vide *Adversitas. Labor. Patientia.*

Tributum.

Tributum cessat cum cessaverit causa. Abulen. & Theodori. fl. 39. n. 34
Gratum sit regi, subjectos pendere tributum sponte. Cassiod. ib. n. 36
Tributum est merces gubernationis. Theodul. ibid.
Tributum cui salvator persolverit. Paschas. fl. 39. n. 37
Vide *Didrachma. Stater.*

Tristitia.

Tristitia sæculi, & tristitia secundùm Deum quid sint. Primas. fl. 2. n. 45
A tristitia de sæculi bonorum amissione cor muniendum. Guarric. ib.
Amaritudini animi non aliter quàm diabolo resistendum. Bernard. ib.
Contra tentationem hanc valet lætitia spiritûs. Humbert. ib.
Tristitia divitem facit egenum; pauperem verò bis infelicem. Jansen. fl. 6. n. 67
Datur luctus bonus; & luctus malus. Druthmar. fl. 18. n. 90
Tristitiæ effectus datus est homini ad multa perutilia animæ. Fr. David. fl. 23. num. 46
Vide *Gaudium. Iustus. Lacryma. Latitia. Risus.*

Tyrannus.

In tyrannorum vita pessimum quid est illos metuere ipsos quibus fidit. Petrar. fl. 33. num. 8
Vide *Rex.*

V.

Vana gloria. Vanitas.

A Vanitate labimur in iniquitatem. Greg. Mag. fl. 5. n. 20
Vanitas ducit ad gravia delicta. Od. Clun. fl. 9. n. 7
Vide *Gloria. Laus.*

Venter.

Venter voracium deus. Hieron. fl. 7. n. 25
Vide *Cor.*

Verba. Verbosi.

Verba Dei argentum. Ambros. fl. 1. n. 52
Verbo hominibus, Deo conscientiâ satisfacimus. Chrysost. fl. 2. n. 3
Verba propria quomodo examinanda priusquam proferantur. Ambros. ib. n. 6
Nonnunquam diabolus tacere suadet. Gres. ib. n. 7
Diù præmeditandum quid loquendum sit. Paulin. fl. 2. n. 8
Verba non tumultuariè proferenda sed statera mentis examinanda. Ambros. ibid. num. 61
Cavens à verbis malis vix à diabolo vincitur. Humbert. fl. 4. n. 77
Verba examinanda non ad sonum; sed ad pondus. Incert. fl. 21. n. 48
Verbo Dei surdus ferè non differt à bellua. Chrysost. ib. n. 50
Verborum mansuetudo in corripiendo suadetur. Radulph. fl. 38 n. 14
Verba conjungenda operibus. Pelus. ib. hum. 34
Vide *Amicitia.*

Verecundia.

Rubor est color virtutis. Demosth. 4. num. 85
Verecundia sola sæculi debile fundamentum, ut agas de salute animæ. Thom. à Villano. fl. 11. n. 4
Erubescit videri peccator non erubescens peccatum: & aliquando præ verecundiâ spectatoris sequestratur intemperantia. Ambros. fl. 12. n. 1
Verecundia laudabilis est circa malum; reprehensibilis. erga bonum. Greg. Mag. ibid. n. 18
Verecundia quorumdam circa satisfactionem dandam pro injuriâ reprehenditur. Bed. ib. n. 19
Verecundia humanæ quandoque præpedit rectos viros ad loquendum. Idem fl. 16. num. 56
Verecundia quædam pellitur à charitate. Isaac ib. n. 58
Vide *Pudor.*

Veritas.

Veritas parit odium sæpe. Goffrid. fl. 4. num. 5
Veritatis persecutio. Maph. ib. n. 33
Veritatis in dictis splendor. Nyssen. ib. num. 42
Veritas vita. Ambros. fl. 4. n. 63
Veritatis pulchritudo plures latet. Cyrill. Alex. ib.
Indoctiores, qui absque diligenti examinatione sequuntur quodcumque sibi visum fuerit, veritatem rerum rectè intelligere non possunt. Idem. ib.
Veritatis agnoscendæ quædam impedimenta. Boet. ib.
Veritatem prosequuntur inimicitiæ. Claud. fl. 12. n. 42
Offendimur audientes quod nolumus. Idem ib.
Veritatem dicens non est afficiendus injuriâ; sed habendus charus. Pelus. ib.
Veritatem audire nihil est, si non sequatur fructus. Aug. fl. 25. n. 17
Veritas dicenda, quin timeatur hominum multitudo. Hieron. fl. 38. n. 42
Vide *Prædicator. Rex.*

Versutus.

Versutus quis appelletur. Tull. fl. 27. n. 53

Vestis.

Vide *Virtus.*

Via.

Viæ hominis quatuor numerantur. Comest. fl. 5. n. 8

Viæ aliquando ſignificant actus. Ex Caſſiod. Brun.ib.
Via ſua quomodo ſit abſcondita homini. Greg. Mag.fl 21.n.40
Vide *Victus. Vitium.*

Vicini.

Vicini gratia multoties ſupra fraternam dilectionem eſt. Ambroſ.fl.8.n.7

Victoria.

Vide *Juſtus.*

Vigilantia.

Vigilantia facit quòd ardua ſint facilia. Chryſoſt.fl.2.n.49
Quis vigilat? Smaragd.fl.5.n.6
Vigilandum magis eſt juſtis, quàm nihil virtutis habentibus. Peluſ ib.n.14
Oportet animæ oculos circumagere. & ſuſpecta habere jucunda. Baſil. Mag. fl 9. n.61
Nemo ſecurum ſe judicet in ſpiritualibus. Cæſar.fl.32.n.6
Vide *Tentatio.*

S. Vincentius.

S. Vincentii laudes. Aug.fl.37.n.38

Vindicta.

Vindictam ſumens de detractore plus amittit; ſi verò poſcit à Domino vindictam, ſe facit judicem, Deum autem tortorem. Humbert. fl.20.n.27
Vindicans injuriam propriam non commendat eam; ſed auget. Gerſ.fl.27.n.11
Vide *Patientia.*

Vinitores.

Vide *Detractio.*

Virgâ.

Virga Moyſis ſignificat caſtigationem carnis. Lir.fl.16.n.25
Vide *Maria.n.6*

Virgines. Virginitas.

Virgines quomodo recipiantur in cœlis à Chriſto Domino. Venant.fl.10.n.24
Amator pudicitiæ ne ſit mediocribus contentus; ſed perfectas virtutes ſequatur. Hieron.fl.13.n.43
Virginitas theſaurus eſt. Anton. fl. 15. num. 15
Virginum laus. Anſbert. ibid. num. 46. & 47
Virginitatis forma apis eſt. Eucher.fl.38.num. 28
Vide *Caſtitas.*

Virtus.

Virtutis actus quidam vocantur fructus. Anſel. fl.1.n.51
Virtutem mirantur etiam impugnantes. Chryſoſt. fl. 3.n.18
Virtutis ſuavitas quantùm excedat omnem vitæ dulcedinem. Idem ib.n.24
Dulcedinem juſtorum deſpiciunt aliqui, & concupiſcunt voluptates carnales, quas lacrymis emunt. Greg.Mag.ib.n.25
Faciliùs vivitur ſecundùm naturam, quàm contra illam. Quintilian.fl.3.n.56
Virtus antecellit divitias. Nil. fl 5.n.2
Virtutis quanta vis. Firmian.ib.
Bona opera noſtra Deo referamus. Franco. ib.n.5
Virtus comparatur loricæ. Remig. fl. 5. num. 16
Virtutis via quantum ſudoris exhibeat viatoribus. Nazianz.fl.6.n.17
Virtutis arma non abjicienda. Peluſ.fl.7.num. 46
Virtutum divitiæ ſunt immunes ab hoſtibus viſibilibus, ac ſimilibus damnis. Proſp.fl.9. 33
Ad ulteriora ſemper in virtute contendere forſam humanæ naturæ perfectio eſt Nyſſen.ib.n.55
Deus annuit invocanti, & implenti omnia. Peluſ.ib.n.57
Opus juſtitiæ veſtis eſt. Radulph. fl. 12. num. 6
Virtutum defectus valde miſerabile jejunium. Ambroſ. ib.n.8
Virtutum nunquam eſſe ſine præmio dixit Remig. fl. 13.n.7
Virtutis plures viæ. Chryſoſt.fl 15.n.50
Virtutem æſtimatio pendet ex animo. Senec. fl.18.n.106
Præcepta Dei implenda cum feſtinatione. Greg.Mag.fl.19.n.24
Quæ virtus putetur fatuitas à mundi ſapientibus. Idem.fl.20.n.2
Virtutis via recta & plana. Euthym. ibid. num.4
Virtutes aliquando tribuuntur probro, & honeſtas afficitur ludibrio. Ambroſ. ibid.num. 11
Quærens Deum nihil aliud quærit niſi gaudium æternum. Lup.fl.21.n.33
Virtus eſt honorabilis etiam apud hoſtem. Gennad.ib.n.36
Virtutis puritas vocatur odor. Chriſti. Anſel. ib n.37
Servire Deo eſt ars artium. Thom. à Villano. ib.n.46
Extrema linea ſpiritualis pulchritudinis conſiſtit in mediocritate virtutum. Peluſ. fl.23.n.2
Virtus etiam à vitioſis accipit venerationem. Fr. David. fl.24.n.6
Virtutum atque vitiorum confunduntur nomina. Idem & Baſil. Reg.fl.26.n.7
Virtutem colendo ulciſcimur de adverſariis. Peluſ.fl.29.n.22
Virtute nihil fortius. Chryſoſt. fl 32.n.17
Virtutes aliquæ pro tempore loco que mutandæ. Ex Bed Zachar.fl.32.n.18
Nemo repentè fit ſummus. Greg. Mag.ibid. n.23
Virtutes ſanctorum ſignificari ſolent pomis. Anſbert. fl.32.b.39
Virtute aliquâ veraciter pollet qui vitiis ex nullâ parte ſubjacet. Greg. Mag ibid. num. 40
Virtutis opera comparantur arboribus. Paſchaſ.ib.n.53
Virtutum chorus conſentiat. Idem fl. 34. num.1
Tepiditas qualiter Deo diſpliceat. Eſt plena doloris, inferno proxima, & umbra mortis. Bernar.fl.35.n.17
Aliqui ſic ſunt arido corde, ut vix ad bonum compellantur timore gehennæ. Idem ib.n.19
De mediocritate virtutum. Peluſ ib.n.21
Virtutem multoties congruit latere. Incert. & Hieron.2.35.n.39

Syllabus doctrinæ ſanctorum Patrum,

Virtute ſtat Reſpublica meliùs, quàm pecuniâ. Tacit. fl.39.1

Virturem licet non ſequamur, commendamus. Chryſoſt. ib.n.52

Virtutes ſuos vendicare terminos & colores veros, dixit Anton.fl.4.n.31

Vide *Conſuetudo Detractio. Innocentia. Invidia. Juſtus. Lacrymæ. Opera. Perſeverantia. Præſumptio. Quies. Religioſus. Sapientia. Tribulatio. Vitium.*

Viſus.

Homo cæcatur dum videt. Hieron.fl.1.n.42

Vide *Oculus.*

Vita.

Vitam jam ſuis temporibus dixit comœdiam Sereſb.fl.6.n.6

Quod hîc agitur omne pœna & miſeria eſt. Greg. Mag. fl. 10.n.32

Miſeria deſiderantium longam vitam. Idem ibid.

Vita flumen. Baſil.Mag.fl.21.n.12

Vita noſtra non vita, ſed via. Columb. fl. 22. num.5

Electis eſt tempus alienum. Od. Clun. ibid. num.6

Eſt peregrinatio in aliena terra. Greg.Mag. ibid.

Annorum fugacitas. Nicol.fl.22.n.10

Vita fragilitas. Maphe. ib.n.12

Vita vallis lacrymarum. Remig.ib.n.14

Vita tragœdia. Sereſber.ib.n.16

Vitæ terminum nobis non conſtituimus noſipſi; ſed alius. Idem fl.22.n.16

Tot paſſibus tendimus ad mortem, quot horis vegetamur ad vitam. Laur. Juſt.ib.n.18

Vita eſt tempus plangendi. Salon. 2.23. num. 30

In luctu agitur; & cum lacrymis amittitur. Humbert.fl.25.n.31

In vita bellum quócumque te vertas, & quomodò cumque vivendi conditio tibi ſorte data ſit. Thom.à Villano 2.26.n.39

Vita juſtis eſt tempus alienum. Greg. Mag. fl.26.n.41

Volvuntur tempora: dies diem trudit. nox noctem. Campan.fl.28.n.44

In vita nihil durabile. Conſtant. fl. 31. num.47

Vitam mortalem vincit ſplendor immiſſus per myſteria vitæ futuræ, ſicut claritas ſolis abſorbet lumen lucernæ. Cabaſil. fl.32. n.45

Vita præſens eſt imago vitæ: vita futura vera eſt. Ambroſ.fl.35.n.3

Vita humana timenda & cavenda: diligitur, vindicatur à ſtultis & à perditis; contemnitur à ſenſatis. Columban.fl.37.n.12

Inceſſanter à vitâ tranſimus. Vivendi ſpatium decreſcit unde creditur augeri. Greg. Mag.ib.n.18

Indicta nobis eſt pugnandi neceſſitas. Laur. Juſt.ib.n.28

Vitæ amaritudines. Ambroſ.fl.37.n.38

Vide *Adoleſcens. Divitiæ. Laquei. Vitium.*

Vitium.

Vitia quomodo virtutibus miſceantur. Climac.fl.24.n.3

Fruſtra ſeducit ſe qui per viam latam ſe perventurum arbitratur ad vitam. Fulgent. ib.n.4

Vitia quandoque ſe virtutes eſſe mentiuntur, ut venerationi ſint. Fr. David.ib.n.6

Vitia quædam clancularie, quædam apertè nos impugnant. Clem. Alex. fl 24.n.8

Vitia ſi ab agro cordis evelleris; invenies, jugum Domini eſſe ſuave, depoſito onere paſſionum. Aelred.fl.35.n.17

Contra vitia viriliter & ſeverè proſequendum. Zutphan.fl.35.n.25

Quandiu vivimus, de vitiis reſtat quid amputari oporteat. Bernar.ib.& n.26

Vitium, licet operemur, odio habemus. Chryſoſt.fl.39.n.52

Vide *Conſuetudo. Peccatum. Virtus.*

Unguentum.

Vide *Magdalena.*

Voluntas.

Voluntas propria quot mala pariat. Laur.Juſt. fl.1.n.30

Voluntas propria generat amorem ſui. Aelred.ib.

Voluntas propria quàm Deo diſpliceat. Bernar. ib.n.34

Voluntas propria cavenda. Idem ibid. num. 50

Voluntatem aliam carnis, aliam ſpiritûs dixit Chryſoſt. fl.3.n.5

Quædam velis, & poteris Idem ib.

Voluntatem tepidam deſcribit Aug.ibid.num. 18

Voluntatis propriæ furor depingitur à Laur. Juſt.fl.8.n.25

Voluntatem propriam tolle; non erit diſſenſio in mundo. Thom. à Villano.ib.

Voluntas propria velut idololatria. Greg.Mag. ib.n.26

Cum perſtamus in voluntate noſtrâ, nobis inſidiamur ſub prærextu boni, diaboluſque magis operatur. Dorothe. fl.8.n. 33

Voluntas inordinata hominis mali quàm deformis, proterva, & ingrata. Laur.Juſt.fl.13. n.24

Voluntas operatur aliquando ut ancilla & ut libera. Bernar.fl.24.n.27

Vide *Deus.*

Voluptas.

Præterit quod delectat; remanet quod damnat. Cæſar. fl.38

Voluptas hominum quàm ſterilis & incerta. Pœnitudinem parit. Bleſ.fl.5.n.40

Voluptatibus carnis explendis inardeſcens cæcus eſt. Laur. Juſt.fl.6.n.48

Voluptas perverſa feſtinat in id unde poſſit impleri. Bernar.fl.14.n.14

Per voluptates laborioſus tranſitus eſt ad felicitatem. Sereſber.fl.16.n.62

Perfectus eſt qui voluptatem animæ ſibi vendicat, & triſtitiam ſenſus cum patientia ſuſcipit. Maxim.fl.23.n.8

In voluptatibus noſtris ſua reperitur moleſtia. Barceph.2.25.n.3

A voluptate irrationali dolor. Maxim.fl.25. num.4

Voluptas carnis eſt quaſi mel, quod lingitur in ſpinis. Humbert.ib.

Qui ſpiritualiter pugnat, conſiderat dolorem atque moleſtiam provenientes à gula & libidine. Nil.fl.25.n.4

In

In voluptate oculorum vel aurium non eſt requies. Bleſ. n.9
Cupiditatis initia dulcia ſunt; noviſſima verò amara. Sereſber.ib.
Voluptas hamus eſt diaboli, mater peccati, nutrix vermis æterni: quæ ad tempus delinit; poſt amarorem parit. Baſil. Mag. fl. 23. n. 11
Voluptas vix mitigari poteſt in eis qui ſuccubuere ſemel illi. Nil. ib.
Voluptates vanas, breves, & pœnitendas ſuggerit corpus. Senec. ib. n. 49
Voluptas vergit ad dolorem, niſi modum teneat. Idem ib.
Voluptati temporali miſcentur mærores. Baſil. Mag. fl. 28. n. 42
Voluptas deſignata per herbam. Od. ib. num. 48
Voluptas mater eſt mortis. Maxim. fl. 37. num. 10
Nexus inter voluptates & morbos ac dolores. Nil. ib.
Voluptatis admixtio in conceſſis quàm ſit noxia. Hildebert. fl. 39. n. 50
Vide *Beatitudo. Bona temporalia. Conſuetudo. Fœnum. Gaudium. Iuſtus. Labor. Peccator. Vigilantia.*

Vulgus.

Vulgus citra delectum auget famam bonam vel malam. Chryſoſt. fl. 1. n. 40

Vultus.

Vultus animæ ſpeculum. Nil. fl. 25. n. 39. Caſſiod. ib. n. 41

Vxor.

Vide *Pilatus.*

Z.

Zachariæ loca.

Cap. 14. num. 8. In æſtate &c. Bleſ. fl. 3. num. 45
Cap. 9. n. 16. Lapides &c. Hieron. fl. 3. num. 51
Cap. 4. n. 7. Lapidem primarium, &c. Rabbi Hecados. fl. 19. n. 12
Cap. 8. n. 5. & plateæ &c. Remig. fl. 22. num. 46
Cap. 12. n. 12. & 14. exponit Rupert. fl. 23. n. 31

Zelus.

Zeli fervor temperandus. Radulph. fl. 24. num. 43
Zelus aliquando ſignificat amorem; aliquando invidiam. Remig. ib.
Zelus eſt charitas: quomodo? Ambroſ. fl. 34. n. 13
Nullum tale Deo ſacrificium, quale zelus animarum dixit Greg. Mag. ib.
Vide *Detractor. Injuria. Invidus. Reprehendere.*

Zodiacus.

Zodiaci ſigna quare ſic appellentur. Honor. fl. 28. n. 52



Tabula ſententiarum

ALPHABETICA TABULA SENTENTIARUM

S. PAGINÆ TESTIMONIO LUCEM ACCIPIENTIUM.

A.

Abſens. Abſtinentia.

PRæſſus deſiderio rei dilectæ, ſi mens ejus illuſtratur cælitus, vitâ fruitur, quæ dici poteſt mors. fl. 19. n. 75

Adeo replet dolor abſentiæ cor amans, ut non videatur reſtare locus alteri dolendo malo. ib.n.77

Anima dum abeſt & amat, vivit in amato per amorem; ac manet in amante ut crucietur. fl. 19.n.79

Major eſt abſentiæ luctus cùm flet ſolus amor. ib.n.83

Vide *Amans.*

Abſtinens. Abſtinentia.

Abſtinens confidit placare Deum. fl.2.n.9

Abſtinentia docet agnoſcere manum Dei flagellatis.ib.n. 11

Jejuni dæmonem faciliùs vincunt. ib. num. 15

Sæpe jejunium præſervat à culpis. fl. 2. num. 15

Jejunium conducit victoriæ de temporalibus inimicis. ib.n.17

Abſtinentiâ videtur homo immortalis reddi. fl. 15.n.17

Vide *Gula. Jejunium.*

Adoleſcens. Adoleſcentia.

Adoleſcentes evertere à malo per ſtudia dici poteſt opus divinum.fl. 15.n.52

Quàm Deo placeat offerri ſibi teneram ætatem innocentiâ comite.fl. 16.n.30

Videtur juventus currere celeriùs quàm ſenectus.fl.2 .n.12

Adoleſcens fortunatus rarò novit ſemetipſum. ib.n.16.

Solent juvenes abuti donis Dei. ibid num. 18

Quàm graviora ſint frequenter aliqua peccata juventutis. ib.n.20

Adoleſcentiæ anni computentur tamquam dies. fl.26.n.35

Vide *Vita.*

Adverſitas.

Quoſdam ſubmergit; alios nutrit.fl.7.num. 64

Afflictiones corporis anima vanè dolet nimis. fl.23.n 38

Frequenter unuſquiſque de ſolis malis propriis anxiatur. ib.n.40

Aliquoties homo fortior in adverſis.fl.28.n.50

Vide *Gaudium. Sapientia. Tribulatio.*

Adulatio Adulator.

Adulatio ab alio alteri præſtita execrabilis eſt juſto fl.4 n 13

Adulator etiam cum aliàs bono ducitur fine, cæcat adulatum.ib n.17

In adulatione auditâ complacere ſufficit, ut uſu rationis carere videaris. ibid. num. 19

Adulatio fomentum peccati. ib.n. 21

Adulator ſub pedibus poſitus diſcrimen affert. fl. 30.n.24

Vide *Princeps.*

Æmulatio.

Vide *Invidia.*

Æquanimitas.

Vide *Fortitudo.*

Ætas.

Vide *Adoleſcens. Index. Vita.*

Afflictio.

Vide *Adverſitas. Chriſtus. Dominus. Timor. Tribulatio. Virtus.*

Aliena.

Alienorum curioſus ſcrutator hinc fortè parat viam detractioni. fl.22.n.30

Alieni facti ſcrutator incidit in judicium temerarium quandoque.ib.n.32

Scrutatio circa rem alienam germinat ſæpe negligentiam circa propriam. fl. 22. 34

Clementiam reperire dignus non eſt qui ſibi parcens, aliena facta mala notat.ibid. n.58

Vide *Divitiæ.*

Amans.

Dilectior & amantior plùs metuit amittere gratiam dilecti.fl.5.n.12

Amans Deum vix intelligi poteſt quomodo abſit per breve tempus ab illo. fl. 10.n.7.

Multum ſollicitus eſt an ametur à Domino ille qui diligit eum valde.ib.n.9

Amans adeſt in abſentiâ dilecto. fl 15.n. 40

Amans inſignis proximorum plorat alienas culpas; nollet autem ut alii in ejus obſequium flerent. fl. 16. num. 18

Amans aliquando magis moverur ut doleat exitium adverſariorum, quàm amicorum abſentiam. Ib.n.36

Amans & gratus anxiatur vehementiùs cùm ex beneficii memoriâ lamentatur amiſſum benefactorem.fl.19.n.85

Amator eximius jacturam rei dilectæ tangentem plures arrogat ſibi ſoli.ib.n.91

Quantam

quæ firmantur ex Pagina S.

Quantam generet fiduciam perfectus amor etiam circa maximum timoris motivum. fl.20.n.55

Quantùm cruciet amantem dilectum metus alienæ inconstantiæ.fl.25.n.27

Victoria unius amantis est victoria alterius. fl.29.n.30

Durum est, amantem offensum aliquando querelam non proponere offensori dilecto.fl.40.n.37

Vide *Absentia. Amicus. Amor. Dolor.*

Ambitio.

Faciliùs aliquando concordia circa primatum reperietur inter extraneos,quàm inter fratres.fl.8.n.17

Non orirentur rixæ de primatu, si adverterent omnes pondus regiminis. ib.num. 21

Qui meminerit animæ periculi, dignitatem non ambiet.ib.n.23

Ambitio comparata peccatis aliis quantùm excedat aliquando. fl.9.n.25

Mortem cogita; non festinabis ad munera publica.ib.n.27

Ad minus velint longe tempore procrastinari dignitatem qui fugam capere non deliberant.ib.n.29

Congruum est desiderare fervorosè prælaturam,quamvis aliquod meritum deperdatur.fl.9.n.31

Quanta soleat esse coram regibus ambitiosi patientia.fl.40.n.59

Vide *Dignitas. Lucrum.*

Amicitia. Amicus.

Amici jactura dolenda plùs,quàm quòd insurgat novus hostis.fl.8.n.41

Amicus malus consulet ad peccandum, quin postules;postea non instruet ut vites discrimen ortum à scelere.ib.n.49

Nisi rectus fueris, amore verò te prosequi sanctum, non credes? fl.13.n.10

Fructus amicitiæ aliquando est non peccare, ne displiceas amico bono.ibid.num. 12

Effectus consilii, quod tribuit amicus bonus perdurat sæpe. ib.n.16

Malo nullus jungitur amicitiâ veraci?ib. n.50

Quòd amici nomine donet homo virum perfectum, aliquando supplicium est. fl.14,n.23

Amicos propter virtutem voluntariè perdens acquirit providente Deo amicitiam extraneorum.ib.n.43

Amici rari sunt; noti multi. fl. 30. num. 18

Amici fortunatorum mutant modum loquendi cùm sors casura nutat.ib.n.20

Amicum fidelis non emitur pretio.ibid.num. 22

Amicus fictum magis cave, quàm hostem apertum. fl. 30.n.26

Amicos vocant aliqui dum volunt operari malè; non vocaturi cum agunt bona. ib.num. 44

Amici non ad numerum æstimandi; sed ad pondus.ib.n.46

Amici quidam falsi nihil proficerent adversùm te, si statim se detegerent adversarios. fl.31.n.33

Deceptus in re minori homo adhuc fidem expectat ab eodem fraudulento corde ad maxima.ib.n.35

Vide *Societas.*

Amor.

Amor sui sic delirat, ut meritorium videatur homini peccatum. fl.1.n.30

Amor pravus tyrannicè possidet amantem.fl.2. n.41

Non amari ab iniquis utile est. ibid. n.47

Magis arduum non amare plusquam par est diligentem te; quàm non vinci dilectione alienâ mixtâ cum odio.fl.6.n.20

Amplius cruciat à dilecto dividi, quàm ab hoste lædi.fl.19.n.87

Donum Dei est quòd ipsius amorem excitet in homine.fl.38.n.26

Arduum est quòd amor se vincat circa dilectum amittendum. fl.12.n.26

Vide *Absens. Amans. Amicitia. Angelus. Desiderium. Lacryma. Mater. Oratio. Pater. Timor.*

S. Andreas. Apostolus.

Vide fl.37.à n.32

Angelus.

Angelorum amor erga nos in absentiâ magis elucet. fl.30.n.28

Angeli magis curant nobis in adversis adesse, quam in gaudiis. ib.n.30

Angelis major gloria quòd dilectionem erga nos ostendant, quàm potestatem in liberandis nobis.ib.n.32

Angeli exhibent sollicitiùs amicorum officia iis, qui abjecti fuerat dum viverent, quàm potentibus.fl.30.n.34

Angelus in spernendo lucra seipsum detegit. ib.n.36

Anima.

Animam habent aliqui velut non suam. fl.2. n.57

Vide *Absens. Avaritia. Justus. Lacryma. Peccator. Prædicator.*

S. Antonius Magnus.

Vide fl.37. à.n.36

S. Antonius Ulyssiponensis.

Vide fl.38. delib.4.

Argui.

Vide *Humilitas. Reprehensio.*

Arma spiritus.

Vide *Virtus.*

Avaritia. Avarus.

Avarus dives habet animam quasi bipartitam, fl.6.n.56

Quandoque Deo puniente minuuntur cupido facultates eo medio, quo putavit illas augere. fl.9.n.13

Festinationi cupientis ditari respondet sæpe supplicii celeritas.ib.n.15

Avari bona ab heredibus obtineri quandoque supplicium.ib.n.17

Avarus postquam novit animæ damnum veniens à pecuniis, faciliùs loquetur contra se quàm contra illas.fl.9.n.21

Avarus ambabus manibus collaborat in vacuum.ib.n.59

Intendens augeri de malè partis, difficilè cessabit, quamvis punitus. fl. 10. num. 48

Etiam qui reliquit omnia, periclitatur circa avaritiam fl.24.n.13

Tabula ſententiarum.

An punitur avarus in inferno ſeverius, quàm prodigus? ib.n.59

Vide *Dives. Eleemoſyna.*

Audire.

Malus audit acutè infamiam alienam; non ſic propriam ortam à peccato. fl. 1. num. 40

Eo quòd homines præbeant aures malæ famæ proximi; bonæ minimè præſtant auditum. ib.n.42

Plùs obſurdeſcit peccator ad beneficia Dei, quàm ad minas. ib.n.44

Surdus eſt peccator ut percipiat exemplum punitionis alienæ. fl.1.n.46

Poſt monitionem humanam non præbere auditum, crimen auget. ib.n.48

Auditores.

Quidam potiùs accedere videntur ad intuendum concionatorem, quàm ad audiendum. fl.21.n.48

Clariſſima tantùm percipiunt quidam ſcioli auditores. ib.n.50

Quàm citò deſinat in aliquibus illuminatio quam doctrina præbet. fl. 25. num. 17

S. Auguſtinus.

Vide fl.15.delib. 2. *per totam.*

Aulicus.

Vide *Princeps. Rex.*

Aurum.

Vide *Dives.*

Auxilium.

Vide *Lucrum.*

B.

S. Barbara.

Vide fl.37.à n.34

Bellum.

Vide *Maria. Princeps. Virtus.*

S. Benedictus.

Vide fl.15.delib.3

Beneficium.

Vide *Audire. Conſervare. Ingratitudo. Inimicus. Ira. Patientia.*

Benemeritus.

Vide *Iudex.*

S. Bernardus.

Vide fl.38.delib.3.& fl.37. à n.46

Blanditiæ.

Magis conſtantia requiritur, ut contemnas malè blandientem, quàm ne vincaris à feroce. fl.29.n.40

S. Blaſius.

Vide fl.37.à n.40

Bona temporalia.

Bona corporis ita curans ut videatur putare quòd ſint animæ bona, irritat indignationem Dei. fl.10.n.44

Magnî fiunt quæ ſpectant ad corpus; non ita quæ ſunt animi. ib.n.50

Bona temporalia contemnentes præliantur adversùs mundum acriùs contemptu illo, quàm mundus eiſdem bonis. fl. 15.n.42

Veniâ ſe præbet indignum circuiens ut in temporalibus inveniat quod ſatiet. fl.20. n.63

Homines contendunt mittere radices in caducis. fl.37.n.52

Quantùm hoc Deo diſpliceat. ib. num. 54

Bonorum temporalium imperfecta poſſeſſio eſt. fl.10.n.52

Vide *Deſiderium. Dives. Felicitas. Mendacium. Mundus. Pauper. Peccator. Prodigus. Quies. Sapiens. Spes.*

C.

Cadere.

Vide *Deus. Superbus.*

Cæcitas.

Cæcitas voluntaria majus malum. fl.25. num. 15

Calumnia. Calumniator.

Calumniatori junguntur ultrò alii; bona loquenti non accedent niſi vocati. fl. 4. num. 81

Quod paſſus calumniam, & punire potens, id non faciat, ſed curet calumniatores docere veritatem, opus divinum dici poteſt. fl.16.n.48

Calumniator aliquando peccat in eodem genere, quod in proximo damnat. fl. 24. n.45

Vide *Humilitas. Opprobrium. Pauper.*

Carmelus.

Vide fl.16. delib.2.

Caro.

Vide *Timor.*

Caſtitas.

Anima caſta videtur à Chriſto Domino æſtimari quaſi duplex. fl.10.n.24

Caſtitas opulentia eſt inviſcerata caſto. fl. 15. n.15

Caſtitas in acie jam coronata refulget. fl. 29. n.42

Vide *Virgines.*

S. Catharina.

Vide fl.29.delib.5.& v. *Converſio. Sapiens.*

Cautela.

Vide *Proſperitas.*

Charitas.

Charitativus veluti ſe putat homicidam, ſi non impedivit mortem proximi citra culpam. fl.16.n.46

Aliquando magis Deo placet compaſſiva dilectio circa peccantem, quàm zelus juſtitiæ, quo punitur iſte. fl.34.n.13

Vide *Amans. Amor. Eleemoſyna. Patiens. Pauper. Zelus.*

Chriſtus Dominus.

Chriſtus Dominus fortitudinem exhibuit in ipsâ infirmitate aſſumptâ. fl 11.n.6

Peculiaris injuria Salvatoris eſt quòd ab hominibus habeatur ut extraneus. fl. 23. n.50

Chriſtus Dominus conjunxit majoritatem humilitati. fl.28.n.30

A Chriſti nativitate manantem gloriam terra non capit. ib. n. 36

Nollet Chriſtus Dominus recipi hoſpitio per moram brevem apud ſperantem in eum. ib.n.52

Chriſtus Dominus per beneficentiam in offenſorem quantùm claruerit. fl.29.num. 28

Quàm ei glorioſum fuerit pati. Ind. Conc. Fer.5.in. Cæna Dom.n.1

quæ firmantur ex Pagina S.

Christo Domino quàm gratus crucis fructus extiterit homines ad se traxisse. fl.33.n.20
Illi glorioſus fuit ingratos vincere per crucem quàm per miracula ib. n.32
Christus Dominus in diligendo peccatores videtur exponere periculo decus propriæ bonitatis ib.n.36
Christo Domino non vulgarem glorificationem attulit ecclesiæ desponsari. ib.n.48
Vide *Crux. Deus. Eucharistia. Humilitas. Incarnatio. Lacrymæ. Maria. Pauper. Petrus. Timor.*

Cibus.

Vide *Iustus.*

S. Clara.

Vide *fl.37.à n.42*

Clausura.

Vide *Oratio.*

Clementia.

Pluris fit à Domino justus cùm illius clementiam imitatur. fl.12.n.28

Cognati.

Vide *Pauper.*

Cognitio sui

Agnoscit justus quod patitur: an non audet dicere, præ oculis habere quòd sit nihilum? fl.22.n.22

Cognitio.

Vide *Eucharistia.*

Conceptio.

Vide *Maria. n.1.*

Concionator.

Vide *Auditores. Prædicator.*

Concordia.

Vide *Pax.*

Confidentia.

Prudens non in principis gratia confidit; sed in Domino. fl.31.n.29
Confidamus in Domino; etiam quia nos flagellat. ib. n.43
Vide *Deus. Fiducia. Præsumptio. Rex. Sapiens. Timor.*

Confusio.

Confundit plùs culpa cum detegitur, quàm ejus publica punitio. fl.4.n.71.
Confusio tantum est malum, ut ad insensibilia videatur extendi. ib.n.67
Vide *Conscientia.*

Conscientia.

Despiciat externas confusiones ille, quem non confundit conscientia. fl.4.n.69

Conservare.

Conservare beneficium postulat specialem operam. fl.31.n.57

Consideratio.

Aliquando plùs est considerandum quid loquaris, quàm quid agas. fl.2.n.61
Vide *Detractio.*

Consiliarius.

Vide *Rex.*

Consilium.

Aliquando finis attingitur rectus absque consilio; & è contra multis auditis, erratur. fl.8.n.51
Nonnunquam congruit ut regi consilium præbens insinuet simul ei ut ipse dirigat se. ib. n.53
Vide *Amicus. Peccator. Superbia.*

Constantia.

Constantia virtutis sit nobis magis curæ, quàm periculum à temporali hoste. fl.2.n.43
Vide *Perseverantia. Prudens. Virtus.*

Consuetudo.

Acerbè puniri meretur superior insistens iniquæ consuetudini. fl.24.n.25

Contemplatio.

Contemplationi justus præmittat suspiria. fl.23.n.26
Vide *Orare.*

Contemptus.

Frustra teritur tempus in docendis contemptoribus doctrinæ. fl.1.n.56
In tuto positus est apud hostem qui non refugit ab eo despici. fl.16.n.54
Etiam aliqui justi solentes quærere tribulationes, existimant acerbum opprobria pati propter virtutem. fl.20.n.11
Inexcusabilis est contemnens justum patientem; cum ejus malis non opprimatur. ib.n.13
Justum absentem reverentur aliquando qui præsentem contemnunt eumdem. ib. n.15
Quandoque timet justus contemptum vulgi publicum. fl.29.n.17
Sibi facit injuriam dolens alterius in se opprobrium. ib.n.19
Justorum à malis derisus est similitudo improperii; non veritas. ib.n.21
Idololatriæ genus est nimis dolere de contumeliis. fl.20.n.23
Timeat justus ne Deus irascatur ejus orationi cum prodit à dolore nimio de contemptu. ib.n.25
Æquum est ut donum Dei vertatur in supplicium dolenti nimis de contemptu hominum. ib.n.27
Contemne quod fuerit instrumentum spiritualis ruinæ. fl.21.n.40
Vide *Dæmon. Dives. Doctrina. Ira. Iustus. Patientia. Pauper. Peccator. Superbus.*

Contentio.

Vide *Discordia. Superbia.*

Contradictio.

Vide *Iustus.*

Contumelia.

Contumelia non confundit intus justum. fl.4.n.83
Vide *Confusio. Contemptus. Humilis. Opprobrium.*

Conversio.

Conversione uxoris Maximini per D. Catharinam qualiter insinuata fuerit divinæ gratiæ potentia. fl.29.n.54.

Cor.

Vide *Amans. Amor. Dolor. Impœnitens.*

Correctio.

Vide *Audire. Filius. Humilis. Pauper.*

Crudelitas.

Vide *Iustitia.*

Crux.

Per crucem itur ad regnum cœlorum. fl.28.n.16
In cruce Christus Dominus firmavit regnum sum in æternum. fl.33.n.34
Vide *Christus Dominus.*

Tabula Sententiarum

D

Dæmon.

Vide *Diabolus.*

Damnatus.

Vide *Avarus. Dives. Invidia.*

Dedecus

Vide *Fama. Honor Infamia. Peccatum.*

Delectatio.

Delectatio ſpiritualis in Domino quàm grata Deo ſit. fl.18.n.32

Delectatio magna dulcis eſt in ore; fel in corde. fl.25.n.9

Non ſedens videas delectabilia; ſed gradiens tranſi. ib.n.13

Aliquando ſpiritualis delectatio magna mox à Domino tollitur. ib.n.51

Vide *Gaudium. Voluptas.*

Deſertum.

Vide *Eremus. Solitudo.*

Deſiderium.

Plùs torquetur dilatione dulcedinis divinæ qui magis guſtavit eam. fl.10.n.5

Deſiderium juſtorum pharetra ſagittarum eſt. ib.n.36

Non metuat alterum validiorem ſe potens deſideria ſuſtinere ib.n.38

Deſideria de terrenis radices non figunt in juſto. ib.n.46

Vide *Abſentia. Amor. Lacryma.*

Deſperatio.

Deſperantis majus eſt diſcrimen, quàm præſumentis. fl.24.n.63

Detractio. Detractor.

Detractionem proferre time. fl.2.n.51

Detractor, licet ſit dæmoni ſimilis, tacebit forte, ſi majorem conſiderationem adhibeat. ib.n.59

Detractorem abominatur ſanctus quaſi blaſphemum. fl.4.n.43

Detractio peſte pejor. ib.n.45

Similis morti. ib.n.47

Terribilis eſt detractio, cui laus miſcetur. fl.4.n.49

Detractionem cum abominatur juſtus de aliis, non timet ne propter hoc ipſum detractor inſurgat in eum. ib.n.51

Detractio pœna ſuî eſt.n.53

Juſtus mortis periculum ſubibit potiùs, quàm denigrabit alterius honorem. ib. num.55

Detractoris nequitia palliata ſpecie affectus. fl.24.n.39

Detractor faciliùs agnoſcit maledicentiæ turpitudinem, ſi proponatur in aliis detrahentibus. ib.n.41

Vide *Audire. Calumnia. Conſideratio. Fama. Lingua. Mendacium. Opprobrium.*

Deus.

Deus aliquando ſe plùs offenſum exhibet fictâ volitione boni. fl.3.n.18

Dei poteſtas plùs oſtenditur in evitando peccata mortaliũ, quàm in cõdonando. ib.n.28

Deus gaudet vincere culpam, ne cadas, per media ad ſpeciem contraria. ib.n.30

Cùm Deus largitate magis utitur, quandoque ſolet intendere quòd homo ceſſet à peccato. fl.3.n.32

Deus peculiariter oſtendit amorem, curans impedire peccatum per donum. ib.n.34

Deus aliquando indignatur, ſi vocanti reſpondeas: Non poſſum; non autem ſi clarè ſignifices nolle. ib.n.56

Deus menſurat dona temporalia cum proportione ad accipientem. ib.n.58

Deus nonumquam ſe plùs exhibet offenſum propterea quòd fictione utaris ad bonum; quam ex eo quòd per opus virtuoſum tendas ad finem malum. fl.4.n.31

Deus quandoque oſtendit ſe plùs offenſum ex eo quòd ipſum contemnamus ut patrem. fl.5.n.50

Errata hominum, quibus ipſe læditur, Deus reſarcire curat. fl.11.n.14

Videtur ſolùm adverſari peccatori, quandiu eum non pudet peccati. fl.12.n.6

Ita benignus eſt, ut gaudeat cùm præmia donat. fl.14.n.31

Deus cùm ſolvit, acceleſat. ib.n.33

Quaſi videtur, voluntatem noſtram eſſe menſuram præmii, quod à Deo recipimus. ib.n.35

An Deus pluris facit haberi largus in præmiando, quàm fortis & potens? fl. 14.n.37

Qua ratione Deus aliquando tegat liberalitatem ſuam in præmiando. ib.n.39

Dei omnipotentia plùs oſtenditur cùm infirmo utitur inſtrumento ad rem arduam fl. 16.n.24

Deus amorem & poteſtatem applicat, ut ſuos in perfectione promoveat. ib.n.26

Qui Deum graviſſimis peccatoribus benignum viderit, metuat, ipſis. fl.17.n.20

Multoties Dei ſupplicium donum eſt, & amoris opus. ib.n.22

Dei miſeratio circa peccantem ex ignorantiâ. fl.24.n.47

Deum multùm gloriatur in eo quòd ad ipſum accedant parvuli. fl.28.n.22

Quantò plùs nobis effulgeat miſerando, quàm puniendo. ib.n.32

Dei providentia magis lucet cadente peccatore, quàm dum elevatur. ib.n.40

Deus cum puniverit abſque miſericordiâ uteturne irâ non ſuâ tunc? ib.n.46

Deus nollet ut in temporalibus bonis confidentiam locaremus; ſed in ejus providentiâ. fl.31.n.37

Deus valde movetur ad pietatem, ſi vocemus eum nomine parentis. ib.n.53

Sic ſe gerit quaſi non habendus eſſet bonus, ſi nos ſimus mali. fl.33.n.38

Vide *Avaritia. Chriſtus Dominus. Confidentia. Gratitudo. Hæretici. Humilis. Ingratitudo. Innocens. Laus. Oratio. Patientia. Pauper. Prædicator. Præmium. Quærere Deum. Religio. Timor. Tribulatio.*

Diabolus.

Quandoque nos vadimus ad diabolum. fl.5.n.52

Diabolus aliquoties oſtendit ſe contemnere peccatorem. fl.12.n.24

Plùs videtur timere juſtos quàm juſtitiam Dei. fl.15.n.36

Aliquando magis fugit à timore Dei. quàm ab amore. fl.26.n.11

quæ firmantur ex Pagina S.

Vide *Eucharistia n.1.4.7. & 8. Humilis. Justus. Peccator. Timor.*

Diffidentia.

Vide *Prudentia. Sapiens.*

Dignitates.

Dignitates non sollicitabit memor, oportere quòd exaltatus non quærat quæ sua sunt. fl.8.n.19

Magis inclytum decus est ejus, qui paulatim fertur ad summa. fl.9.n.23

Indignus curat promoveri ad regimen; dignus non ita. fl.32.n.11

Vide *Ambitio. Honor. Peccator.*

Dignus.

Vide *Dignitates honor.*

Discipulus.

Vide *Magister.*

Discordia.

Mirum non est, si propter contentionem opus non perducatur ad finem. fl.8.n.39

Discordia præcipitium est. ib.n.43

Vide *Ambitio. Superbia.*

Dives.

Divites aliqui verè sunt inopes. fl.3.n.44

Injustus non ditescit alienis. ib.n.46

Plus arduum repræsentatur homini dimittere facultates ut sequatur Christum, quàm plura mandata Dei servare. fl.6.n.16

Quandoque difficilius pauperi continere se ab amore divitiarum, quàm diviti relinquere possessa. ib. 18

Distribuens bona pauperibus dives est. ib.n.24

Negligens abjicere divitiarum pondera non abundat, & alienis inhiat. fl.6.n.26

Etiam impœnitens aliquando cognoscit erravisse diligendo pecunias ducentes in peccatum. ib.n.32

Vanitas est ditescendi studio colligere materiam livoris. ib.n.38

Persæpe non invidebit diviti pauper; maximè verò loclupes. fl.6.n.40

Divites quidem non credunt paupertatem venturam: metuunt, sed confidunt evasuros. ib.n.48

Justum Deus sæpius patitur serò ditari, ne plùs apud sæculum immorari cupiat. ib. n.50

Rari sunt qui cum non indigeant, habeant se quasi pauperes humiliter fl.6.num.64

Secundùm cor hominis ipse judicandus est vel pauper. vel dives. ib.n.66

Etiam noscens, bonorum affluentiam fluidam esse, subque certâ mensurâ se divitiis committens, pedem retrahat, discrimen agnoscat. ib.70

Divitem sæpe magnî faciunt abominantes eum. fl.7.n.36

Necnon haud petens, vel accipiens tunc aliquid à divite colit eumdem. ib.n.38

Notum est sæpius non sperandum ab opulento quòd prosit; & faciliùs metuetur nocituram ib.n.54

Frequentissimè diviti mortuo nullus gratus est. fl.9.n.19

Copiosus negans eleemosynam fortè videbit errorem istum post donationem donationem prodigè factam non indigentibus. fl.13.n.52

Quàm similia sint hæc nomina, Dives, & impius, frequenter. fl.15.n.62

Honorabile plurimùm est justo suscipere bona, quæ possidebat iniquus adversarius. ib.n.68

Post experientiam afflictionis ortæ de pecuniis, facilè noscitur, paupertatem posse computari pro divitiis. fl.16.n.16

Dives congregando nimium, quodammodò dispergit. ib.n.67

An dives positus in gehenna divitias adhuc amat? fl.24.n.17

Opulentus filiis carens ferè locuples non est. fl. 25.n.21

Divites aliqui non amovent à se pauperem, ut illum sæpius contemnant. fl.30.n.8

Timent nonulli ne postuletur ab eis eleemosina. ib.n.10

Apud quosdam divites infernus & paupertas habentur synonima. ib.n.12

Divites aliqui gaudent cùm pauper adversatur pauperi. ib.n.40

Vide *Divitiæ.*

Divitiæ.

Divitias congregans, congregat cupiditates. fl.3.n.42

Sterilis solet esse thesaurus iniqui. fl.6.n.28

Aurum in manu divitum aliquorum videtur mutasse naturam. ib.n.30

Divitiæ sæpe citò veniunt; citò vadunt. ib. n.44

Vix ullus hominum perfectè novit inconstantiam opum. fl. 6.n.46

Deus vellet quòd sui possiderent facultates datas ab eodem, tamquam mutuatas; non ut proprias. ib.n.52

Pene sunt synonyma, jactantia, & divitiæ. ib.n.54

Divitiæ naturâ suâ recedunt. fl.6.n.60

Divitiarum discrimen ut abeant eò majus est, quò fiunt copiosiores. ib.n.62.

Opulentiæ discrimina vincet qui subterponit eam sibi; non verò se illi. ib.n.72

Opes quasi volant ad rapinas, quibus nutriuntur. fl.9.n.43

Possessiones hereditate paternâ quæsitæ sæpe dissipantur à filiis. ib.n.45

Congruit justo non cernere facultates acquirendas. ib.n.61

Opulentia quadamtenus minuit aliquando sapientiam. fl 16 n.79

Vide *Avaritia. Bona Temporalia. Castitas. Dives. Heredes. Humilitas. Invidia. Pauper. Docere. Doctrina.*

Docentis intellectus illuminatur docendo. fl. 1.n.54

Provectorum tantùm est non associatos exercere munus magistri animarum. fl. 9.n.37

Magistri spirituales si labantur, aliquoties, non assurgunt. ib n.39

Qui graviter peccavit non festinet ad hortandum alios. fl.10.n.n.41

Magistro corona discipuli magis congruere videtur, quàm justi. ib.n.20

Doctrina timorem ingerens & fiduciam efficacior est, quàm si solùm terreat. fl.24.n.37

Tabula ſententiarum

Juſtus vereatur ne ſolo doceat verbo, non exemplo. ib. n.34

Vide *Auditor. Contemptus. Juſtus. Prædicator. Sapiens. Spiritus ſanctus. Tacere.*

Dolor.

Sæpe magis dolet ſapiens in adverſis, quàm ignorans. fl.19.n.69

Diſcerpitur cor prudens cùm pius amor dolere; ſimulque ratio aliqua recta gaudere ſuadent. ib.n.71

Dolor junctus gaudio plus ferit. fl.19.num. 81

Dolet ampliùs qui tacet. ib.89

Dolor abditus germinat plures in operam dante voluptatibus. fl.25.n.43

Vide *Adverſitas. Lacryma. Tribulatio.*

Dolus.

Vide *Amicus. Hypocriſis. Mendacium.*

S. Dominicus.

Vide *fl.16. delib.* 1

Dux.

Vide *Princeps.*

E

Eccleſiaſticus.

ECcleſiaſticum ad reſpondendum cogi coram poteſtate ſæculari, vix tolerabile. fl.39.n.24

Quàm diviſæ ſint ſæcularis, & eccleſiaſtica poteſtas. ib.n.26

Delicta perſonæ ſacræ non ſunt ad regem deferenda. fl.39.n.28

Videtur intolerabile quòd fidelis exiſtimet, virum eccleſiaſticum jure ſubdi tributo regio ib.n.38

Vide *Eccleſia. Sacerdos.*

Electio.

Vide *Dignitas. Peccator. Prælatus. Eleemoſyna Eleemoſynarius.*

A diſcrimine tutum eſt præmium miſericordis in egenos fl.14.n.41

Ciba pauperem, oſtendens quòd illum non parùm appretias. fl.36.n.24

Non triſti vultu fiat indigenti beneficium. ib.n.26

Ne pauperem rogantem (niſi ad id tenearis) examines an dignus ſit. ib.n.28

Citiusne ſuccurrendum neceſſitati alienæ, quàm propriæ? fl.36.n.30

Menſura doni ſit voluntas egentis. ibid.n. 32

Eleemoſyna danda ex melioribus. ibid. num. 34

Non de alieno. 36.n.26

Magno ſupplicio dignus qui largus in amicos, avarus eſt in pauperes. ibidem n. 38

Major gloria Dei videtur indigenti miſereri per manum tuam, quàm efficere miraculum. ib. n.50

Miſericors plus accipit, quàm donat pauperi. fl 36.n.52

Eleemoſynam præbens attendat ſolum cœleſtia. ib.n.58

Vide *Dives. Gloria. Liberalis. Pater. Pauper.*

S. Elias.

Vide *fl.16. delib.*2

Eremus.

Licæum doctrinæ cæleſtis eſt eremus, quò nobilis erudiatur prædicator verbi Dei. fl.15.n.25

In eremicolis quantum Deus complaceat. fl.16.n.22

Vide *Solitudo.*

Euchariſtia.

1. Euchariſtia ut ſic.
2. Ad Euchariſtiam præparatio.
3. Euchariſtia ut roborans.
4. Euchariſtia erga pœnitentes.
5. Euchariſtia ut illuminans.
6. Euchariſtiæ dulcedo.
7. Euchariſtiam recipienti quædam attenden la poſt communionem.
8. Euchariſtici effectus varii.

1. *Euchariſtia ut ſic.*

An dicemus, Chriſtum Dominum amplificari per hoc quòd multi fideles accedant ad Euchariſtiam? fl.15.n.54

Redemptor in Euchariſtia voluit per communionem benefacere nobis de prope. fl.18.n.14

Euchariſtia cibus eſt regum. ib.n.72

Vide *Maria. n.4.*

2. *Ad Euchariſtiam præparatio.*

Fortè minus malum non aperire januam Deo, quàm illum excipere domo non mundâ. fl.18.n.100

Effectus Euchariſtiæ ſacræ parum durabit in eo, qui præparationem tranſeuntes præmiſit. ib.n.102

3. *Euchariſtia ut roborans.*

Videtur non eſſe cur timeat inferni vires juſtus eo die quo communicat. fl.18.n.26

Ante ſacram Euchariſtiam dæmon ita cadit, ut afficiatur ignominiâ ibid. num. 28

Per ſacram Euchariſtiam fit homo conſtans. ib.n.50

Communio ſacta firmiorem reddit hominem, ut non retrocedat. fl.18.n.52

Animos injicit, quò ſuſtineamus adverſa. ib.n.56

Poſtquam acceſſit ad convivium Euchariſticum optat quandoque homo adverſitatem, & ſollicitat. ib.n.58

Erigitur ſpes noſtra per ſacram Euchariſtiam. fl.18.n.60

Et roboratur ut perduret ib.n.62

Victores efficit Euchariſtia; ſed armatos. ib.n.96

4. *Euchariſtia erga pœnitentes.*

Chriſtus Dominus attendit benigniſſimus dolori de peccatis eorum, qui acceſſuri ſunt ad ſactam Euchariſtiam. fl.18.n.10

Deus in Sacramento altaris volare videtur, ut quærat pœnitentem. ib.n.12

Per ſacram Euchariſtiam ſic vivit homo, quaſi nunquam præceſſerit mors peccati. fl.18.n.16

Qualiter Deus confidat pœnitenti poſt communionem ſacram. ibidem num. 18

5. *Euchariſtia ut illuminans.*

Euchariſtia illuminat intellectum, ut ipſam intelligat. fl.18.n.40

Præſentia & manducatio Euchariſtiæ ſacræ

ſacræ ſupplere poteſt doctrinam Dei. ib.n.42

Juſtus per lucem Euchariſticam rectum operabitur etiam cùm neſcit quid agit. ib.n.44

Conſtituitur per eam magiſter aliorum, & libens proficiet eis. fl.18.n.46

Anima quamvis columbæ ſimilis in ſimplicitate, per Euchariſtiam illuminatur ita, quòd poſſit prudentem dirigere. ib. n.48

6. Euchariſtiæ dulcedo.

Dulcedinem Euchariſticam guſtat quiſque juxta menſuram voluntatis propriæ. fl. 18.n.30

Quantùm rapiatur cor juſti delectatione Euchariſticâ. ib.n.34

Jucunditas juſti per communionem ſacram. fl.18.n.36

Euchariſtia mœſtis conſolatio. ib.n.94

7. Euchariſtiam recipienti quædam attendenda poſt communionem.

Communicans ita perſeveret conſtans in bono, quaſi mobilis non eſſet. fl.18.n. 20

Offenditurne Deus ampliùs à communicante, qui mox illi terga dat; quàm à contemnente communicare? ib.n.22

Non congruit dorſum præbere Domino ſtatim poſt communionem; etiamſi vadas ad præſtandum ei obſequium non modicum. ib.n.24

An Deus magis offenditur per deficientes in gratiarum actione circa Euchariſtiam; quàm in fide? fl.18.n.104

Communicans non obliviſcatur reſtare ſibi viam per virtutem in cœlum. ib.n. 108

8. Euchariſtici effectus varii.

Euchariſtia deſiderium excitat communicandi rurſus. fl.18.n.38

Chriſtus Dominus in Euchariſtia majori conatu diſſolvit opera diaboli. ibid. n. 54

Euchariſtia ſacra nos efficit in ſpe gaudere. ib.n.64

Ad conſpectum Euchariſtiæ noſtra ſpes intenditur & extenditur. fl.18.n.66

Euchariſtia remedium eſt, quò dirigatur ſpes humana. ib.n.68

Dignè communicans tanto fruitur honore, quòd ei ſervire vocari poſſit beneficium. ib.n.70

An videtur conferri plus honoris hominibus in Euchariſticâ menſâ, quàm in cœlis? fl.18.n.74

Pax interior accepta per Euchariſtiam defendit hominem ib. n.80

Ubi memoria ſaltem conſervatur Euchariſtiæ, placatur facilè Deus. ibid. num. 82

An ad Euchariſtiam ſpecialiter pertinet hominum reparatio? fl.18.n.84

Concordia juſtorum effectus eſt Euchariſticus. ib.n.86

Velut impoſſibiles factæ ſunt contentiones communicantibus. fl.18.n.88

Euchariſtia citò ſanat. ib.n.92

Quantùm noſtræ ſaluti profuerit Euchariſtia. ib.n.98

Excuſatio.

Vide *Pœnitens.*

Exempla.

Exemplum fortius mortales trahit, quàm præceptum. fl.13.n.39

Aliquando bonum exemplum magis movebit ne pecces, quàm pavor mortis, timor ſupplicii, ſpesque præmii. ibid. n. 32

Exemplum malum aliquando major tentatio eſt, quàm ſuggeſtio diaboli. ib.n.34

Cæteris paribus, peccat graviùs delinquens ita, quòd occaſionem præbeat alteri peccandi ib.n.56

Majus diſcrimen adeſt in ſcandalum præbente, quàm in peccatore contra ſemetipſum. ib.n.58

Vide *Rex. Socius. Voluptas.*

Experientia.

Vide *Amicus. Dives. Voluptas.*

F

Fama.

FAmam propriam aliquoties non tuetur juſtus, conſulens alienæ. fl.4. num. 59

Speciali favore Dei dignus eſt qui ne alterius famam læderet, expoſuit ſe linguæ malæ. ib.n.61

Coronam peculiariter meretur non omittens virtutem cum periculo famæ. fl. 16.n.58

Prudentia non invidentis alteri famam expenditur. fl.24.n.55

Vide *Detractio. Gloria. Honor. Infamia. Indicium humanum. Laus.*

Favor.

Favore inflatus regio nimis dolet, iſtum aliqualiter minui. fl.11.n.40

Vide *Rex.*

Felicitas. Felix.

Non congruit fortunato quòd ſua felicitas perſonet. fl.6.n.34

Felix æſtimatur plurimi quandiu non decidit; poſt lapſum nihili fit. fl.7. num. 40

Felices obliviſcimur præcepta legis naturæ; quæ recordabamur infelicitate premente. ib.n.48

In ſorte proſperâ multoties magis timendum. ib.n.52

Felicitas, quæ moratur in adveniendo, lætior eſt. fl.10.n.54

Felicitatem ſummam exiſtimans illud quod eſt miſeria, neſcius exiſtit. fl.22.n.54

Vide *Adverſitas. Infelix. Invidia. Mors. Socius.*

Fervor.

Vide *Juſtus. Virtus.*

Fictio.

Vide *Amicus. Hypocriſis. Mendacium.*

Fidelitas.

Fidelitas erga regem peculiariter viſitur in exponendâ

expendendâ vitiâ pro bono communi, fl. 11. n. 42

Fides.

Vide *Amicus. Mendacium. Veritas.*

Fiducia.

Perdit hominem dicere intra ſe : Cur ego non evadam à pœna, cum evaſerit alter ? fl. 5. n. 32

Ne præſumat peccator ſemel quæſitus in ſomno, quòd rurſus dormientem Deus iterum inquiret. ib. n. 36

Fiducia mixta cum diffidentia ſancta Deo placet. ibin. 46

Fiducia, quæ manat ex amore Dei, humilitatem contegit aliquando ſub apparenti præſumptionis umbrâ. fl. 37. n. 30

Vide *Confidentia. Deus. Peccator. Præſumptio. Rex. Timor.*

Filius.

Filius peccans poſt correctionem patris, provocat iram Dei. fl. 1. n. 58

Vide *Dives. Divitiæ. Pater.*

Fortitudo.

Aliqui ſe fortes oſtendunt ne timeant Deum, & fugiunt ab hominibus abſque causâ. fl. 7. n. 50

Fortitudinem probat æquanimitas in lætis & mœſtis. fl. 11. n. 27

Vide *Euchariſtia. Timor.*

S. Franciſcus.

Vide fl. 11. *Delib.* 4. *Et infra. Minorum Ordo.*

Fraus.

Vide *Amicus. Hypocriſis. Mendacium.*

Fructus.

Vide *Labor. Præmium. Virtus.*

Furtum.

Vide *Divitiæ.*

G.

Gabriel Archangelus.

Vide fl. 11. delib. 1.

Gaudium.

Gaudium verum conceditur ſoli juſto. fl. 5. n. 40

Gaudium licitum dimittens propter actum virtutis lugubrem, qualiter gaudio munerari mereatur. fl. 14. n. 47

Gaudium permanſurum, ſublatis omnibus flendi motivis, reſervatur æternitati. fl. 22 n. 14

Gaudia non appelles noſtra; triſtitiam verò maximè. fl. 23. n. 46

Etiam laudabile gaudium ſæpe tunc perit cùm ſuſcepit majus incrementum. fl. 25. n. 49

Nec juſto datur integrum poſſidere gaudium. ib. n. 53

Vide *Delectatio. Dolor. Euchariſtia.* n. 6. *Lætitia. Peccator. Timor. Tribulatio. Vita. Voluptas.*

Gloria.

Inſignes Sancti Deo gratias agunt; quòd non egerint opus, etſi meritorium, de quo manare potuit gloria mundi. fl. 15. num. 60

Quantùm ſancti renuant accipere gloriam ex miraculoſo eventu. fl. 16. n. 32

Gloria ſequitur fugientem. fl. 20. num. 33

Aliquando majus eſt periculum vanæ gloriæ cùm pauperi donas, in occulto. fl. 36. n. 54

Vide *Detractio. Fama. Honor. Humilis. Judicium humanum.*

Gratia.

Comparativè ad gratiam divinam diadema regium, imò creatio noſtra quaſi non videntur dona Dei. fl. 3. n. 36

Gratia Dei penetrat interiora, non obſtante reſiſtentiâ. fl. 28. n. 12

Vide *Favor. Rex.*

Gratiarum actio.

Vide *Euchariſtia.* n. 7. *Gratitudo. Spes. Tribulatio.*

Gratitudo.

Sic eſto Deo gratus, ut non videaris moleſtè ferre quòd ſis adſtrictus debito. fl. 18. n. 106

Vide *Amans. Ingratitudo. Spes.*

S. Gregorius Papa.

Vide fl. 16. delib. 4

Gula.

Helluo ſic dehoneſtatur, ut cum ſuiſmet famulis numeretur. fl. 2. n. 19

Gulæ deditus oſtendit obliviſci, ſe hominem eſſe liberum. ib. n. 21

Videtur, hominem plùs deſtrui per gulam, quàm per mortem. ib. n. 23

Helluonis anima videtur quaſi mortalis ? fl. 2. n. 25

Anima per gulæ vitium videtur corporea ? ib. n. 27

Vide *Abſtinentia. Jejunium.*

H.

Hæretici.

Quadam velut obedientiâ miraculoſâ Deus compenſare curavit honorem ſuum læſum per ſiſcionem Eccleſiæ factam ab hæreticis. fl. 15. n. 56

Heredes.

Heredes & hoſtes aliquando veluti ſynonyma. fl. 9. n. 17

Vide *Deus.*

S. Hieronimus.

Vide fl. 37. à n. 44

Homo.

Homo ſibimet hoſtis. fl. 2. n. 53

Vigilantiùs cavendum ne fallamur in ſpiritualibus à nobis, quàm ab aliis. fl. 5. n. 54

Hominis exterioris inimicitia contra interiorem dirior quàm diaboli. fl. 22. n. 24

Vide *Bona temporalia. Lacrum. Peccator. Vita.*

Honor.

Dedecus negotiantur ſibi quidam per viam, quâ volunt honorem conſequi. fl. 3. num. 26

Major eſt honor antecellere ſubdentes voluntariè ſe. fl. 11, n. 10

Honore coram Deo caret ille, quem pudet exercere virtutem. fl. 12. n. 18

Major videtur honor ſecum deferens laborem pro Domino. fl. 15. n. 29

Præclarus titulus est quòd quis dicatur homo Dei. fl. 16.n.52
Honor tollens abjectionem habetur major, quàm collatus alteri jam valde honorato. fl.18.n.76
Præcipua circumstantia honoris est suscipientem esse dignum illo.ib.n.78
Majus discrimen multoties ab honore debito venit. fl.20.n.59
Arduum est esse contentum remedio secreto circa damnum publicum honoris proprii. fl.40.n.35
Vide *Fama. Gloria. Infamiæ. Judicium humanum. Laus. Mundus. Peccatum. Superbia.*

Hostis.

Vide *Amicus. Inimicus Maria* n. 6. *Patientia. Justus.*

Humilis. Humilitas.

Humiles magni sunt. fl. 1.n.24
Humilis non queritur, si humiliatur.ib.num. 26
Justus opera sua pedibus terit, & mittit post dorsum. fl.5.n.48
Impugnator ejus, qui præ humilitate se non tuetur, an potiùs impugnat Deum, quàm hominem? fl.9.n.35
Humilitas est honor. ib.n.45
In virtutis initio quàm humiliter procedendum. fl.9.n.33
Humilis peculiariter est laudabilis, occasionem quærens accipiendæ reprehensionis de præterito. fl.12.n.30
Egregia humilitas est acquiescere reprehendenti damnabile, tacentique laudabile. ib.n.32
Profundior est humilitas acquiescere reprehendenti quod bonum existimabas. fl.12. n.48
Humilium est à malis etiam hortatum suscipere. ib.n.50
Humilitas quanta patientis injustè argui. ib. n.52
Humilitas est similis divitiis. fl. 15. num. 11
Ubi scalam erigit humilitas, Deus residet ut in domo propriâ. ib.n.38
Humiles insignes aliquando ex occasione vanæ gloriæ eruunt exponere se voluntario contemptui fl.16.n.14
Deus nonnunquam curat ut nesciat justus prodigium, cui ministrat, ne superbiat. ib.n.34
Viri perfecti, dum vivunt, ostendere gaudent, se non ambire post fata plausus. ib.n.38
Humile nomen voluntariè susceptum decorosum est. fl.16.n.42
Humiliare se minori quanta sit virtus ib.num. 44. & fl.19.n.32
Humilis perfectè magis complacet in submissione, quâ proprium decus periclitatur. fl.19.n.34
Justum sponte putari reum à bonis videtur egredi metas humilitatis. ibid. num. 38
Justus virtutem simul, quia bona, magni facit; & quia propria est, conculcat. fl.20.n.51
Contra dæmonem aptiora sunt arma, quæ non humiliant. ib.n.61
An Christus Dominus magis decoravit creaturam, faciens eam suæ humilitatis participem; quàm gloriæ consortem? fl.32.n.9
Quantùm conducat humiliatio, ut sapientia perduret. fl.38.n.10
Vide *Christus Dominus. Fiducia. Gloria. Judicium humanum. Maria.* n.5. *Præmium. Reprehensio. Sapientia. Virtus.*

Hipocrisis.

Aliquando pejor est operis fictio, quàm linguæ. fl.4.n.73
Hypocrisis latet etiam inter gehennæ flammas? fl.24.n.65
Vide *Deus.*

I.

Jejunium.

Jejunium quodammodò videtur supplere posse peculiarem assistentiam Dei. fl.16.num. 40
Vide *Abstinentia. Gula.*

S. Ignatius.

Vide fl.15.delib.5

Ignorantia.

Vide *Deus. Opera.*

Impatiens.

Impatiens ostendit sæpe se timentem; quamvis non timeat. fl.34.n.55
Vide *Ira. Patiens. Vindicta.*

Impœnitens.

Impœnitentes aliquos tædet proprii cordis, in quo peccata cernuntur. fl.14.n.21
Vide *Peccator. Peccatum. Pœnitens.*

Incarnatio.

Statim post incarnationem videri posset redemptio nostra consummata. fl.19. num. 43
An Deus inermis contra diabolum ante incarnationem? ib.n.45
Vide *Christus Dominus. Maria.* n.2. & 7

Indignus.

Vide *Dignitas.*

Infamia.

Honestatis amore sinens dehonestari, decus egregium à Domino suscipit in præmium. fl.14.n.45
Infamiæ non pudet peccatorem quandiu peccat. fl.20.n.39
Magis infamis dicatur qui peccat. laboriosè. ib.n.41
Infamiam culpæ cernimus in aliis, nostram non ita. ib.n.43
Aliqui potiùs ad crimina infamia festinant; quàm ad alia. fl.20.n.65
Vide *Audire. Fama. Honor. Peccatum.*

Infelix.

In luce degit miser; prosper autem vivit in umbra. fl.37.n.26
Vide *Adversitas. Labor. Tribulatio. Virtus.*

Infernus.

Vide *Mors. Peccatum.*

Tabula sententiarum.

Ingratitudo.

Majus beneficium Dei facilius traditur oblivioni. fl. 28. n. 30

Vide *Audire. Gratitudo. Veritas.*

Inimicus.

Gaudium benefacientis offensori quantum exter. fl. 34. n. 39

Vide *Justus. Patientia. Victoria.*

Injuria.

Qui non se tuetur cùm afficitur opprobrio, ad non peccandum in aliis fortis erit. fl. 20. n. 35

Anima sine contumeliis est pulchra, si grata Deo; at cùm non timet opprobria, formosissima est. ib. n. 37

Vide *Contemptus. Contumelia. Opprobrium. Patiens.*

Innocens.

Aliquando citiùs punitur crimen adversùs insontem; quàm si lædatur immediatè Deus. fl. 29. n. 48

Vide *Calumnia. Humilis. Patiens.*

Intellectus.

Vide *Eucharistia.* n. 5. *Obedientia. Peccatum. Reprehensio.*

Invidia. Invidus.

Invidi societatem noli, quamvis fœderatus illi sis, & ipse ingerat se. fl. 6. n. 36

Felix caveat ab alieno livore quorumdam potiùs postquam beneficit eis, quàm priùs. ib. n. 42

Non cessabunt inter invidentes rixæ, nisi dividantur; præsertim si regimine potiuntur. fl. 8. n. 16

Invidus efficit quandoque cum peccato quod erat natura sua bonum. fl. 35. n. 35

Invidus quæsito colore virtutem æmulantis truculentior est. fl. 24. n. 49

Sublimitas aliena, si mente cogitatur, invidetur; non ita fortè, si bene prospiciatur oculis. ib. n. 57

Supplicium est mali quòd in damnatione positus videat justi felicitatem. ibid. num. 67

Crassè lividus errat. fl. 35. n. 27

Oblivioſus est ad gratitudinem; memor ad querelam. ib. n. 29

Invidia malum cordis. ib. n. 31

Debilitas invidî. fl. 35. n. 33

Invidiæ permissio supplicium videtur morte majus. ib. n. 49

Invidus execrabilis cunctis hominibus. ibid. n. 51

Invidia quandoque latens difficiliùs agnoscitur, quàm dæmon. fl. 35. n. 53

Aliquando viro prudenti, qui novit alienam invidiam, non venit in mentem quanta futura sit ejus crudelitas. ib. num. 55

Invidus acutè cernit in misero splendorem, si relucet in eo. ib. n. 57

Vide *Ambitio. Dives. Fama.*

S. Joannes Baptista.

Quandoque magis humanam illuminavere mentem verba Joannis, quàm Christi Domini. d. 11. n. 16

Sapientiane communicata per manus Baptistæ sit majoris, quàm participata immediatè de manu Domini? ib. n. 18

Joannes non timuit proprium decus imminui; dummodo crescceret salvatoris honor. ibid. n. 20

Baptistæ munus in præcurrendo ante Redemptorem videtur Angelicâ virtute majus. fl. 11. n. 22

An dimisit Filius Dei gloriæ suæ partem, quò Joanni tribueretur honor de pœnitentium salute? ib. n. 24

Vide fl. 11. delib. 2

S. Joannes Dei.

Vide fl. 16. delib. 5

S. Joannes Evangelista.

Ejus anima ne reputatur à Domino quasi duplex? fl. 10. n. 24

S. Joseph.

Vide fl. 40. delib. 3

Ira Iratus.

Ordinariè non unum tantùm peccatum committit iratus. fl. 26. n. 57

Aliquando quærit homo remedium iræ; & exponit se periculo damni. fl. 27. n. 9

Quidam impatientes augent opprobrium suum in phantasiâ propriâ. ib. n. 11

Error irascentium propter minima; cum præterierint magna. ib. n. 13

Indignationi statim occurrendum est. fl. 27. n. 15

Convenientissimum est medicamen cogitatio Dominicæ passionis. ib. n. 17

Despice teipsum; sic non indignaberis adversùs detractorum linguas. ib. n. 19

Contemplare turpem faciem irati, ut non irascaris. fl. 27. n. 21

Ad placandam iram propriam congruens remedium est meditari patientiam Dei circa eamdem. ib. n. 23

Ad iram cohibendam magis prodest memorari peccata propria; quàm præmium patientis. ib. n. 25

Ira quorumdam mitigabitur tempore; non autem ratione vel metu. ib. n. 33

Ira quandoque socia timoris. fl. 34. n. 41

Per iram perdes possessum; per mansuetudinem acquires desideratum. ibid. num. 43

Iratus multoties loquitur acerbiùs contra benefactorem, quàm adversùs opprimentum. ib. n. 45

Ira fingit offensas proprias. fl. 34. n. 47

Iratus volens consulere sibi, lædit se. ib. num. 49

Iratus nonnunquam videtur ignorare pietatem Dei. ib. n. 59

Ira dirior est aliquoties adversùs insontes, quàm lascivus amor. fl. 40. n. 51

Vide *Patientia.*

Iudex. Iudicium humanum.

Non semel vir nequam justis apparet non malus; & interdum electus probis videtur pessimus. fl. 13. n. 48

Deo placet quærens illum, quin timeat judicari malè ab hominibus. fl. 19. num. 36

Judicis iniqui superbia proteritur, si ignoscat innocentiam ejus, quem damnare voluit. fl. 29. n. 22

Arduum est innocenti pati, si plebs puniatur ob judicum injustam sententiam fl. 39. n. 42

Cur aliquando à judice timenda non sit irrisio

irrisio sententiæ suæ. ibid. num. 44
Si fas est, crimen priùs oculis appareat, quàm reus damnetur. ib. n.46
Quàm sit maturè procedendum judicibus in damnatione rei.ib.n.48
Ætas provecta principaliter est quandoque pro judicando, quàm scientia multa. fl.40. 10
Ad munera quædam senes eligantur: diligat istos princeps velut partes animæ suæ.ib.n.12
Sapiens non amat velocitatem nimiam in judicando. ib n.33
Vide *Aliena. Ecclesiasticus. Rex.*

Iudicium temerarium.

Judicium temerarium est infructuosum, & inexcusabile. 4.n.75
Generosus, ne judicium ferat contra castitatem alterius, attendit ejus puritatem præteritam. fl.40.n.31

Iustitia.

Acerbiori supplicio dignum est palliari crudelitatem nomine justæ severitatis. fl.24.n.21
Aliquando pejus est prælatum exercere nimium jus, quàm sine correctione dimittere peccantes. ib.n.23
Vide *Iudex.*

Iustus.

Justo non nisi per mortem pugna finitur. fl.37. n.28
Justus eligit ut melius vitæ finem, quàm augmenta meritorum cum discrimine. ib. num. 44.
Gloriam præstolatur miscens fiduciam timori. ib.n.46
Ita lætus mortem aspicit, ut huic lætitiæ non misceatur amaritudo. fl.37.n.48
Justus sæpe non contentus plurium instructione successivà, curat multos ducere simul ad rectum. fl.38.n.16
Justum Deus cupit esse proficuum indifferenter ad plura in genere suo. ib.n 36
An difficilior est animæ iustæ custodia, quàm peccatricis? fl.2.n.55
Justone videtur abominabilior inimicitia mali contra virtutem, quàm blasphemiæ adversus Deum? fl.4.n.15
In spirituali bello nec homo sine Domino, neque Deus absque homine pugnant. fl. 9. n.57
Justus attendit ad incertitudinem salutis majori curâ, quàm ad infestationem diaboli. fl.10.n.11
Præstolatur à Domino remedium, non dolore vacuus. fl.12.n.12
Justi laus est non despicere consortia malorum ad utilitatem spiritualem delinquentium. fl.13.n.54
Justus scit exire de terra, cum præsens adsit, fl.15.n.50
Perfectus vir sponte conscendat in cælestia; descendat quasi violenter in terrena, si oportuerit. fl.16.n.20
Torquet valde justum quòd non uniantur ei, quos bonos agnoscit. ib.n.28
Etiam justus non sine maculâ. fl. 22. num. 46
Perfecti viri spiritum proprium parvi ducunt. ib.n.48
Justi læta facies conformatur cordi. fl.25.num. 39
Justus etiam abjectus, in alto positus est. fl.29. n.62
Glorioſius est quòd in vita mortali ante conspectum justi læsi jaceat hostis. ibid. num.68
Vir perfectus opere bono cibat spiritum suum. fl.32.n.39
Justum non tædet regredi ad eumdem actum virtutis, quô sanatus fuit à peccatis. ibid. n.53
Etiam virtutibus anima florens habet in se quod amputet. fl.35.n.25

Vide *Adulatio. Amicus. Amor. Calumnia. Charitas. Christus Dominus. Clementia. Contemplatio. Contemptus. Dæmon. Delectatio. Desiderium. Detractio. Deus. Dives. Docere. Eucharistia. Fama. Fiducia. Gaudium. Gloria. Honor. Humilis. Inimicus. Judicium humanum. Laus. Lingua. Martyrium. Mendacium. Mors. Oratio. Patientia. Peccator. Pœnitentia. Præmium. Pudor. Societas. Spes. Tempus. Timor. Tribulatio. Virtus. Vita.*

Iuventus.

Vide *Adolescentia. Vita.*

L.

Labor.

Supplicium acerbum est iniquos infructuosè fatigari. fl. 14.n.25
Vide *Adversitas. Patientia. Tribulatio. Virtus. Voluptas.*

Lacrymæ.

Lacrymæ pœnitentium cibus Christi. fl. 23. n.12
Pulchritudo animæ veniens de lacrymis. ib. n.14 & fl.32.n.35
Lacrymæ sunt amoris verî probatio. fl.23.num. 16
Lacrymæ præsentiam Dei negotiantur. ibid. n.18
Lacrymarum proventus brevî tempore colligitur. ib.n.20
Lacrymis manantibus à desiderio cælestis patriæ socia jungitur lætitia. fl.23.n.22
Fletus ex dolore non semel ferè mutatur in lacrymas lætitiæ. ib.n.24
Lacrymas alienas non intuens angitur duriùs. ib.n.30
Lacrymæ corrigunt voluptatis errores. fl. 25. n.29
Non omnes flere sciunt. ib.n.31
Lacrymabilis est valde qui se flebilem ignorat. ib.n.33
Aliquando ploramus diutiùs mala ficta. ibid. n.55
Lacrymarum spiritualis dulcedo. fl. 32. n.29
In ipso peccati loco facient lacrymæ germinare virtutem. ib.n.31
Quantum Ecclesia consequatur à Deo per lacrymas. ib.n.37
Lacrymæ Deum ex leone reddunt agnum. ib. n.49

Lacrymandum etiam post tribulationem. fl. 14. n. 33
Non multùm Deus curaret errorem impedire, si putares, lacrymis esse tribuendam animæ sanitatem, excluso Christo Domino. fl. 35. n. 23

Lætitia.

Lætitia aliqua medium est ad virtutem. fl. 2. 45
Lætitia magna est, cujus comes mœror non extinguit eam. fl. 23. n. 44
Commiscentur hilaritas & mœstitia sic, ut unam ab altera divellere sit arduum. fl. 25. n. 47
Sub risu sæpe latet in corde mœror. fl. 28. n. 42
Vide *Delectatio. Gaudium. Justus. Peccator. Voluptas.*

S. Laurentius.

Vide fl. 29. delib. 3

Laus.

Laus data per malè operantem indigna quòd recipiatur benevole. fl. 13. n. 45
Videtur, Deum plùs gaudere de tenui laude nostrâ; quàm si possemus eum perfectiùs laudare. fl. 28. n. 26
Vilescit probitas justi cùm prædicat impius eam. fl. 32. n. 25
De benemerito viventi laus vera tacetur; de mortuo profertur falsa. fl. 37. n. 20
Vide *Detractio. Fama. Gloria. Honor. Judicium. Oratio. Tribulatio.*

Legatus.

Legatus regius præ oculis non habeat utilitatem, quàm à principe suo recepturus est. fl. 11. n. 44

Lenitas.

Vide *Prælatus.*

Liberalis. Liberalitas.

Liberalis donet ostendens, appretiare se multi recipientem. fl. 13. n. 14
Liberalitas medium tenet inter prodigalitatem & avaritiam. fl. 24. n. 15
Vide *Eleemosyna.*

Lingua.

Maliloquus quandoque plùs timet, quam hostiliter se gerens in opere. fl. 2. num. 67
Linguis pluribus loquuntur mali dolos. justis velut os omnibus unum. fl. 4. n. 37
Non imprudens erit ordinans quidquid studii virtutibus impendit ad fugiendum vitium linguæ. ib. n. 78
Linguæ vitiis carens, veluti plenè perfectæ virtutis est. ib. n. 77
Vide *Consideratio. Detractio. Ira. Mendacium. Opprobrium. Verba.*

S. Lucia

Vide fl. 29. delib. 4.

Lucrum.

Lucrum qui spernit dum præstat auxilium, non videtur homo. fl. 30. n. 36
Vide *Avaritia. Dives. Divitiæ.*

M.

Magister. Magisterium.

Magister dehonestatur, si non increpet discipulos. fl. 17. n. 34
Magister pater est; & per institutionem nascitur homo nobilius. ib.
Magistralis titulus, absque virtutis perfectione, magnum quid non est. fl. 28. n. 62
Magistrum honorant valde præcoces discipuli fructus. fl. 29. n. 12
Vide *Docere.*

Magnitudo.

Aliqui in sæculo magni, verè sunt parvi. fl. 28. n. 56

Malum.

Vide *Peccator.*

Mansuetudo.

Vide *Ira. Patientia. Prælatus. Reprehensio.*

Maria.

1. Mariæ conceptio.
2. Deus erga Mariam.
3. Mariæ dolor.
4. Maria erga Eucharistiam.
5. Mariæ humilitas.
6. Mariæ protectio.
7. Varia de Mariâ.

1. *Mariæ conceptio.*

Mariam Dominus à periculo proximo præservavit originalis culpæ. fl. 19. n. 18
In præservandâ Virgine à peccato magis Deus attendit ne macularetur illa, quàm ne offenderet ipsum. ib. n. 20
Mariam in primo puncto conceptionis agnovisse, Deum habitare in eâ, immunitatis ipsius est circumstantia præclara. ibid. num. 22
Gratissimum, Deo quòd Maria fructus virtutum ediderit maturos cùm primùm plantata fuit. fl. 19. n. 24
Honorem Mariæ Deusne prætulit suo? ib. n. 26
An cadere videretur Salvator, si Maria caderet? ib. n. 28

2. *Deus erga Mariam.*

Amantissimum se Deus exhibuit, favens ei, quasi curans de commodo proprio. fl. 19. n. 30
Excellentia sacerdotii Christi Domini visitur in eo quòd fuerit consecratus in Maria tabernaculo Dei. ib. n. 51
Vide *Mariæ conceptio.*

3. *Mariæ dolor.*

Doluit Maria plùs tormenta Domini, quàm propria fl. 19. n. 63
Oppositum dicet aliquis in laudem Virginis: & quomodo? ib. n. 65
Congruebat in decus amoris Mariæ, hunc sibi mensurare tormenta. ib. n. 73
Vide *Mater.*

4. *Maria erga Eucharistiam.*

An Eucharistiæ mysterium acceleratum fuit mediante Mariâ; fl. 19. n. 53
Quantum Maria similis pani cælesti, quo pascuntur fideles. ib. n. 47
An liberalitas Eucharistica propter Mariam? ib. n. 55
Angelus agnoscit quòd Eucharistiam hominibus donare minus fuit Mariæ. fl. 19. n. 57
An propter Mariam Eucharistia conservatur in Ecclesia? ib. n. 59.

quæ firmantur ex Pagina S.

Maria dabit ut intrepidus accedas ad Eucharistiam.ib.n.61

5. Mariæ Humilitas.

Mariæ magna humilitas in subdendo se minori.fl.19.n.32. & vide fl.16.n.44

Deus plùs attendebat Virginis humilitati, quàm dignitati. fl. 19. n. 40

6. Mariæ protectio.

Mariâ mediante veniens favor penè videtur de justitiâ debitus.fl.11.n.8

An plùs fidendum protectioni Mariæ,quàm Deo protegente ? fl.19.n.93

Qualis hominibus confidentia in rogando veniat ex umbrâ Mariæ.ib.n.95

Umbra Mariæ letam adducit spem. ib.num. 97

Mariâ mediante rogamus Deum tam confidenter, quasi pro Dei Matre precaremur. fl.19.n.99

Mariæ præsidium adversùs hostes. ibid. num. 103

Ad Virginis umbram potest homo securus quiescere.ib.n.105

Maria plurimùm Sponso arridet per hoc,quòd velit,bonum spirituale suum ab hominibus participari.fl.19.n.107

Cùm rogare pro nobis Maria cunctatur, ipsa mora proficit.ib.n.109

Virgo benefica nobis est etiam cùm nobis non adest auxiliatrix.ib.n.111

7. Varia de Mariâ.

Mariæ Purificatio. Vide Mariæ humilitas.

An pulchritudo gratiæ Marianæ videtur ei connaturalis?fl.19.n.12

Videturne major lux Mariæ, quàm Christi Domini? ib. n.14

Estne Maria multiplex imago Dei ? ib.num. 16

An venire potest in mentem piam, Patrem æternum, comparatione factâ cum Mariâ, nihil egisse in opere incarnationis ? fl.19.n.49

A Virgine doceri magnum quid est. fl. 38. n.18

Vide *Absens. Humilis. Incarnatio. Spes. Martyrium.*

Martyrii futuri certitudine remuneratur perfectus amor justi.fl.37.n.40

Mater.

Mater dolens nimis de filio amisso, per hoc tantùm levabitur, quòd se non illum genuisse reputet.fl.19.n.67

S. Maurus Abbas.

Vide fl.16.delib.3

Mendacium.

De mendacio calumniam pati quantùm doleat patiens. fl.4.n.23

Virtutis amator vix unquam se tutum putat à mendacio proferendo.ib.n.25

Non mentiendum ad finem bonum.ib.num. 27

Nec ad liberandum Salvatorem ab humanâ malitiâ, si oporteret, mentiendum foret.ib.n.29

Odit bonus mendacium, quia potens illud est.fl.4.n.33

Idem, quod,si verum est, non creditur; si falsum foret,crederetur. ib.n.35

Mendacium gubernat homo à corde usque ad os;diabolus verò ab ore deinceps.ib.n.39

Mendacio mixta veritas deperdit pulchritudinem.fl.4.n.41

Mendacium facilè creditur; verum excipitur dubitanter. ib. n.63

Mendacii apparentiam veretur justus loquens verum; peccatorem deprehensum in falsitate quandoque non pudet.ib.n.85

Mendacia, quibus nos fallunt creaturæ; sæpe crescere facimus.fl.10.n.34

Vide *Amicus. Deus. Hypocrisis.*

Meritum.

Strenuus aliquando plùs complacet in meritô suo,quàm de præmio.fl.10.n.22

Vide *Justus.Virtus.*

Minister.

Periculosum est quòd regius minister habeatur ut regni dominus.fl.40.n.47

Vide *Fidelitas. Iudex. Legatus.Rex.*

Minorum Ordo.

A Minorum Ordine hyperbolicè dici potest,exemplum sumere beatos humilitatis ? fl.15.n.44

Vide fl.15.delib.4

Minima.

Vide *Peccatum.*

Miser.

Vide *Adversitas. Infelix.*

Misericors.

Vide *Deus. Eleemosyna. Pater.Pauper.*

Monitio.

Vide *Audire. Filius. Reprehensio.*

Mora.

Vide *Amans. Desiderium*

Mors.

Felix non tantùm cogitet mortem ut futuram,sed ut præsentem.22.n.28

Mortem aliqui magis pavent, quam tartarum. fl.32.n.57

Instante morte bonus recogitat,ire se ad alterius vitæ charos. fl.37.n.14

Homo nonnunquam faciliùs interit, si prosperitate fruitur.ib.n.16

Nemo putet,certum esse,mortem suam longe distare : neque tristetur, si venerit ocyus, quàm putaverat.ib.n.18

Qui desiderat è vinculis egredi corporis,dici potest inter mortales liber.fl.37.num. 22

Mortis formido quandoque morte durior. ib. n.24

Mortem formidans exhibet se hominem carne constantem; si reputet illam donum Dei, videtur esse spiritus integrè.ib.n.34

Plenum se Spiritu sancto justus indicat, si propinquus morti faciem præ se fert hilarem.fl.37.n.36

Justus non de morte, sed de mortis dilatione conflictatur.ib.n.38

In morte lætus oportet meditetur mortem Christi Domini.ib.n.42

Vide *Adolescens. Iustus. Laus. Princeps. Vita.*

Mundus. Mundialia.

Mundi bona non tantùm prætereunt; sed evanescunt. fl.3.n.38

Mundum fugâ declinare consultius est. fl. 6. n.22

Majorne gloria vincere mundum honorando eum, quàm confundendo ? fl.15.n.48

Tabula sententiarum.

Ut mundum vincas proficit claudere mentis oculos. fl.21 n.38
Vide *Bona temporalia. Dives. Justus. Mendacium. Pauper. Peccator. Quies Voluptas.*

N.

Negligentia

SOmnus peccatoris aliquando supplicium est, & non modicum. fl.5.n.38
Vide *Peccator. Præsumptio.*

Nobilis.

Vide *Pauper*

Nomen.

Vide *Honor. Humilis.*

O.

Obediens. Obedientia.

Obedientia similatur martyrio. fl.1.n.13
Obediens exauditur citò. ib.n.15
Obedientium congregatio cœlorum æmula. ib.n.17
Obedientis victoria dici valet multiplex: non eget præcone. fl.1.n.20
Sub obedientia quies. ib.n.22
Obedientia securitatem parit. ib.n.28
Confusio est mortalium, quòd insensibilia Deo suo modo obediant, & reluctetur. homo. 29.n.46
Obedientia mentem illuminat. fl. 38. num. 40
Magis Deo placet obediens in cæco prudenter modô. fl.40.n.39
Vide *Religio.*

Occasio.

Cùm occasio proxima tollitur, an tunc deletur peccatum? fl.7.n.24

Oculus.

Vide *Mundus.*

Odium.

Odii proprium est torqueri per illius laudem, quàm execratur odiens. fl.29.n.58
Vide *Amor.*

Offensa. Offensor.

Vide *Inimicus. Injuria. Patientia.*

Opprobrium.

Opprobrio lædere proximum, dignum est pudore fl.4.n.57
Falsi criminis magnum opprobrium: de paupertate veniens contumelia non ita. fl.12.n.40
Vide *Contemptus. Injuria.*

Omnipotentia.

Vide *Deus.*

Opus.

Opere non complens quæ novit, videtur eadem ignorare fl.22.n.44
Vide *Discordia. Humilis. Justus. Meritum. Virtus.*

Orare. Oratio.

Orare gemitu docet amor: quod addiscere non est nimiùm facile fl.15.n.19
Dei laus bene cohæret cum oratione. ibid. n.21
In clausurâ positus & orans videtur magis approximari Deo, quàm rogans in aperto. ib.n.23
Vide *Contemplatio. Patientia.*

Otium.

Otium diabolo præbet accessum facilem ad tentandum. fl.3.n.8
Otium via detractionis. ib.n.10
Incentivum libidinis. ib.n.12
Otium mors est. fl.3.n.14
Et sepultura. ib.n.16

P.

Pater.

PAterna dilectio magis probatur sollicitudine de filio, quàm censu relicto. fl.15.n.64
Major gloria parentum est gerere se tamquam patres pauperum, quàm ut genitores filiorum. ib.n.66
Pater remissus in correctione gnatorum gerit se cum eis quasi cum extraneis. fl.17.n.30
Genitor non obstans initiis facti peccaminosi filii sui, non dicatur, hoc omisisse quia diligebat. ib.n.32
Parens bonis filii peccata reputat veluti sua. ib.n.36
Pater non instituens filium à tenerâ ætate, habet se cum illo quasi cum filio suæ uxoris adulterino. ib.n.38
Insignis est victoria rationis vincentis amorem paternum. fl.29.n.10
Genitor inops multum dolet à filiis despici. fl.30.n.38
Parens largiùs remuneratur ei genitis. fl.31. n.51
Vide *Filius.*

Patiens. Patientia.

Qualiter opprobrium ferenti Deus opitulatur. fl.20.n.29
An sollicitandus est honor à patientia veniens? ib.n.31
Patientiâ roboratur justus, si mens ad superna consurgat. fl.23.n.28
Sustine injurias: ita ferè non percutieris per illas. fl.27.n.7
Blandiloquentia perutile remedium est, ut contineatur alter à furore. ib.n.27
Proximo benefac, ut iracundiam impedias ipsius. ib.n.29
Mitis recedens ab irato lucratur decus. 27. n.31
Patiens quasi non læditur ab adversario. ibid. n.35
Patiens læsus abstineat ab omni quæstu, ibid. n.37
Patientia muta quantùm Deo placeat. fl.27. n.39
Venerabilior est vir propter patientiam, quàm propter sapientiam. ib.n.41
Patientia tacentis convincit innocentiam ejus ib.n.43
Plus curat justus non deperdere patientiam, quàm famam. fl.27.n.45
Quidam patientiam alteri consulunt in re maximâ; & ipsi minùs læsi fortescunt. ibid. n.47
Aliquando magis accendimus iram contra nos, cùm volumus illam extinguere resistendo. ib.n.49

Quandoque

quæ firmantur ex Pagina S.

Quandoque timet potens quem oc[illegible]udentiâ & patientiâ munitum.fl.[illegible].35
Offensori benefacere glorioſum eſt. fl. 29. n.16
Rabies reſiſtentis cedit in gloriam patientis. ib.n.24
Perſonat altè victoria reddentis bonum pro malo.ib.n.26
Manſuetudine proſternuntur adverſarii fl.29.n.64
Inſigniter juſtus non curat de malo proprio;ſi alter patitur quia læſit eum, flectitur pietate.ib.n.66
Patientia corroboratur,cum te ſubmittis.fl.34. n.11
Excellentiùs tolerat attendens ad bona,quæ recepit à Domino.ib.n.15
Celſior patientiæ gradus eſt pati cum gaudio.ib.n.17
Injuriâ læſus nonnunquam experietur, ſi taceat,offendentes in melius mutari.fl.34. n.19
Ut patienter feras injuriam, ad orationem confuge;ut eripiaris à morte quandoque ſufficit auxilium humanum.ib.n.21
Deus peculiari curâ ſervat hominem cùm iſte non recordatur iræ motivum. ibid. n.23
Qui memor eſt beneficii, poſt terga mittit injuriam. fl.34.n.25
Qui læſit alium non iraſcatur læſus. ibid. n.27
Præveni exercitia patientiæ, antequam veniat extrinſecùs occaſio.ib.n.29
In hoſte vide quod te contineat ab ultione. præteri quod provocet ad illam. fl. 34. n.31
Verbis offendentis aures claude ſic ut non valeant ad cor tuum pervenire. ib. n.35
Innocens defenſionem ſuam hominibus non proponat; ſed potiùs Deo fl.34.n.37
Patientiæ proprium eſt aſſequi victoriam citra pugnam.ib.n.53
Vide *Calumnia. Contemptus. Injuria. Ira. Humilis. Inimicus. Mendacium. Tribulatio.*

S. Paulus. Apoſtolus.

Vide fl.38.delib. 1

S. P. N. Paulus primus erenita.

Vide fl.15.delib.1.& fl.37.à n.30

Pauper. Paupertas.

Pauper voluntarius, dives.fl.6 n.14
Pauper ſuperbus,nihil habens,dignus peculiariter eſt,ut dejiciatur.ib.n.58
Te pudeat de miſeriâ pauperis, quâ verecundatur ipſe.fl.7.n.30
Cum neceſſitatem pauperi minuis, ne verecundiam ejus adaugeas ib.n.32
Correctio ſæpe tunc non eſt adhibenda miſero cùm benefacis ei,ſed poſtea.ib.n.34
Aliquando ex contemptu venit quòd non pauperi noceatur.fl.7.n.42
Pauper apud Deum,quia nimis pretioſus, nullo videtur pretio compenſari.ib.n.44
Pauperem ferè cuncti prætereunt quaſi viam facientes. ib.n.56
Aliquando ſatis eſt comminata paupertas cuidam, ut eum relinquant alii ſolum. fl.7.n.58
Pauper ſuperbus quàm abominabilis. ib. n.60
Paupertas involuntaria morte gravior videtur eſſe.fl.17 n.36
Paupertatis virtuoſæ opus egregium eſt illam diligere propter ſeipſam.fl.15.n.13
Paupertas cum nobilitate graviſſima crux eſt. fl.16.n.50. fl.25.n.19
Quamvis eleemoſynam accipiat qui non plus cupit, abundat. fl.16.n.60
Pauperem honora,velut ſi res divina quædam, ut ita dicam,foret.ib.n.65
Quandoque magis admirationi eſt, pauperem ab extraneo contemni, quàm à conſanguineo.fl.30.n.14
Neceſſitas cogit hominem, ut in alienis quærat pietatem, deſertus à ſuis.ib.n.16
Pauperem qui deſpicit, quâ fronte Deum rogat? ib.n.42
Pauperum oppreſſor injurius eſt Deo fl. 36. n.20
Indignus eſt quòd tempore ſupplicii condoleas ei qui pauperem opprimit, & amicum dicit.ib.n.14
Deus aliquando noluit aliquid ad gloriam ſuam ſpectans, ne pauperes opprimerentur.ib.n.16
Inter omnes oppreſſiones pauperum videtur præcipua percutere linguâ miſerabilem.fl.36.n.18
Videtur, amplius eſſe honorare Deum in paupere,cui benefacis, quàm in ſeipſo. ib.n.20
Dona pauperi de propriis.ib.n.22
Divitis inferentis vim pauperi magnum flagitium.fl.36.n.40
Execrandum ſcelus eſt opprimere pauperem,cum ſis dives,& indigeas.illo ib.num. 42
Videtur Filius Dei pluris egenum facere quia pauper eſt,quàm quia juſtus.ib.n.44
Calumnia pauperis in faciem non ſemel majus tormentum eſt pluribus malis. fl.36.n.46
Pauperem contemnens, Deum ſpernit. ibid. n.48
Cæteris paribus,pluris fit à Chriſto Domino pauper,quàm dives.ib.n.56
Vide *Dives. Divitiæ. Eleemoſyna. Gloria. Liberalitas. Opprobrium. Pater. Sapiens. Pax.*

Aliquando faciliùs de concordiâ naſcitur peccatum, quàm de diſſidio.fl.24.n.11
Vide *Euchariſtia.*n.8

Peccator.

Peccatores aliqui ſic affirmant, ſe velle ſequi Chriſtum,ut neque hoc aſſerere,nec id negare videantur.fl.3.n.20
Peccator aliquando magis it poſt ſuas cogitationes, quàm poſt bona dilecta. ibid. num. 40
Quandoque velut neſcit dicere quò tendat fl.3.n.48
Eo religatur,quo cæcutit.ib.n.52
Peccatores quidam ignorant ubi corruant;non tamen fatebuntur, ſe perdidiſſe viam. fl.5. n.24
Difficiliùs à ſcelere ſurgit qui ducit alium ad flagitium.fl.11.n.26
Nonnumquam terribiliori ſupplicio feritur

Tabula ſententiarum

ducens ad iniquitatem, quàm ducatum ſequens impii ducis.ib.n.28

Contingit, alterius ductorem ad ruinam deſtitui ducente ad reſipiſcentiam. ibid. n.30

Peccatores quidam velut inter duas menſas poſiti,ſpiritualem, & mundanam, neutrâ famem extinguunt. fl.12.n.8

Amaritudo malitiæ deglutitur,quin guſtum offendit.ib.n.10

Peccator ad Salvatorem accedat quotidie; ſollicitet remedium, non longe poſitus ab eodem.ib.n.14

Peccator apud juſtum contemptibilis eſt.fl.12. n.20

Peccatorem ſæpe contemnit is,qui eum adjuvat ne contemnatur.ib.n.22

Manens in ſceleribus in caſſum tentat fugere perſecutionem criminis,quod non relinquit: culpa comprehendit eumdem. fl.14.n.15

Impii quidam nunc vident, nunc non vident peccatum commiſſum.ib.n.13

Peccator aliquando punitur poſt primum gaudium, cum tenderet ad ſecundum. ib.n.15

Ingemiſcunt mali,ſed cum primùm evaſerint,obliviſcuntur ſuſpiria.fl.14.n.19

Peccator, cùm Deus minatur,exiſtimet,ſe jam feriri.ib.n.27

Multoties poſt favorem Dei habet potiorem rationem timendi.ib.n.51

Peccatoris à dæmone poſſeſſi rara fuga eſt ab illo: & quæ difficultas in poſſeſſore depellendo.fl.15.n.70

Peccatorem ſi magnificaveris, non honorabis verè.fl.20.n.45

Magis patet indignitas mali, ſi tollatur in altùm ib.n.47

Peccator eſt ignorans. fl.21.n.46

Peccator quandoque neſcit tamquam malum venturum ſibi,quod novit ut alienum.fl.26. n.31

Aliquando imitatur homo iniquitatépeccatoris, non ante ſupplicium iſtius; ſed poſt.ib.n.33

Peccator vivens mortuus eſt; juſtus mortuus quaſi vivit.ib.n.49

Nonnunquam peccator ſerò quærit inutiliter medium proficuum omiſſum. fl.26. n.53

Non ſemel vult potiùs uti medio malo; quàm eo, quod exiſtimat licitum. ib. n. 59

Peccatores nonnulli ſic diligunt peccata,quaſi forent iſta ſuæ poſſeſſiones. fl.28.n.54

Animarum converſio quale prodigium. fl.29.n.32

Peccatorem factum velut inſenſibilem revocare ad gratiam videtur opus Dei majus, quàm aliquid ex nihilo producere. fl. 32. n.43

Peccans,quamvis non ſit depravatiſſimus, cogitet, ſe jam inferno vicinum. ibid. num. 55

Malorum numeroſa congregatio,computetur quaſi pauci forent. fl.33.n.56

Vide *Amicus. Audire. Conſuetudo. Converſio. Deus. Diabolus. Doctor. Fiducia. Homo. Honor. Infamia. Juſtus. Laus. Lingua. Negligentia. Obedientia. Peccatum. Pœnitentia. Prædicator. Pudor. Reinci[illegible]ia. Sapientia. Societas. Stultus. Supplicium. Virtus. Voluptas.*

Peccatum.

Peccatum evadere major eſt victoria,quàm potentem occidere hoſtem.fl.5.n.16

Aliqua de minima ſollicitiùs vitanda ſunt, quàm magna.ib n.20

Non te perterreat punitio,ſed culpa.ib.n.22

Ut viterius peccata, congruum eſt, intellectum à Deo nobis donari.fl.5.n.28

Dei magnum opus eſt educere à peccato delinquentem morosè ib.n.30

Peccatum initio minùs videtur; poſt flagellum nonnunquam gravitas ejus agnoſcitur. ib. n.34

Peccatorum catenas confringi valde conducit ad erigendum hominis animos.fl. .n.16

Peccatum inhonorat hominem coram Deo. fl.12.n.16

Extrinſecùs adveniens clades non tam dura, ſicut ipſis peccatis facta deſtructio. fl.14. n.55

In peccato ſedentis gravior eſt morbus fl. .0.n.67

Minùs vehemens cognitio magnitudinis culpæ non obſtat emmendationi; contingit autem quòd vehementiſſima præcipitat in laqueum.fl.24.n.33

Vide *Amicus. Amor. Conſuetudo. Deus. Exemplum. Juſtus. Occaſio. Peccator. Pœnitentia. Præſervatio. Pudor. Societas. Spes.*

Pecunia.

Vide *Dives. Divitiæ.*

Perfectus vir.

Vide *Juſtus. Tribulatio.*

Perſeverantia.

Aſpiciens retro ſimilis eſt retrogredienti, fl.20.n.49

Vide *Conſtantia. Juſtus. Virtus.*

Pertinentia.

Vide *Prudens. Voluntas.*

S. Petrus de Alcantara.

Vide fl.37.à.n.41

S. Petrus Apoſtolus.

Petrum docendi circa Redemptoris Divinitatem, qualis gloria.fl.38.n.20

De Petri paſſione quanta gloria Chriſti Domini.fl.29.n.34

An Petri major gloria, quàm Salvatoris in amplificandâ Eccleſiâ.fl.33.n.40

Cum Petrus de Eccleſiâ curaret, Chriſtus Dominus quieſcere poterat.ib.n.42

Sponte ſe mundus pedibus Petri ſubmiſit.ib. n.44

Petri zelus de ſalute animarum nunquam ſibi faciebat ſatis.ib.n.46

Piger.

Piger modò claudit januam temporaneis utilitatibus; modo aperit eam.fl.3.n.22

Vide *Negligentia. Otium.*

Pœna.

Vide *Supplicium.*

Pœnitens. Pœnitentia.

Pœnitens accuſat ſe; non autem excuſat ſuaſione dæmonis; impœnitens econtra. fl. 14. n.17

An Deus plùs movetur,ſi pœnitens fictè celeriter convertitur; quàm ſi verè;ſed morosè? fl.25.n.35

Ferventiùs

quæ firmantur ex Pagina S.

Ferventiùs aliquando pœnitet eum ... jicit voluptatem præsentem; q... m; qui dolet postquam infortun... doctus fuit. ib.n.37

Quandoque pœnitet hominem citò de levi peccato; & non ita de gravissimo. fl.32. n.13

Justo congruit adhuc dolere de peccato præterito. ib.n.21

Pœnitentia illius, qui graviter adhuc actu peccat, non mundat eundem. ib.n.33

Labimur facilè; surgimus difficulter. fl.35. n.45

Vide *Conversio. Doctor. Deus. Eucharistia. Lacrymæ. Peccatum.*

Populus.

Vide *Princeps. Rex.*

Potens.

Vide *Patientia. Sanitas.*

Prædicator.

Prædicator justus non fastidit peccatorem. fl.12.n.32

Aliquando sibi plus negotiabitur is, cujus doctrina salubris non recipitur. fl.11.num. 34

Qualis Deo gloria sit, cum rogat aliquis mitti ad messem animarum. fl. 15. num. 58

Prædicator non sit perpetuus annuntiator supplicíorum. fl.24.n.35

Prædicator non illuminans animas, necat eas. fl.35.n.41

Dulcedinem forti grandiloquentiæ connectere videtur plusquam humanæ sapientiæ proprium. fl.38.n.28

Prædicatores Deus cupit, humilitatis exercitia non obliviscí. ib.n.38

Prædicator bonus loquitur sine personarum acceptione quæ feriunt auditores sanctè. ib. n.42

Vide *Docere. Eremus. Magister. Sapiens.*

Prælatura.

Vide *Ambitio. Dignitas.*

Prælatus.

Prælatus nec obliviscatur dilectionem subditorum, neque judicium divinum. fl.15. n.32

Aliquando plus nocet superior in eo, quod omittit; quàm dæmon in eo, quod efficit. fl.17.n.10

Oportet, gubernantem providere de futuris. ib.n.12

Congruit, moderatorem aliquoties veluti divinare, quin divinationem corde claudat. ib.n.14

Superiori competit lenitas; non autem sonitus vehemens. fl.17.n.16

Quandoque reprehensibilior prælati nimia severitas, quàm ejus nimia remissio. ibid. n.18

Ab ipsâ Dei manu supplicium timeat prælatus iniquus prætendens iniquitatem excusare per impossibilitatem pugnandi pro lege. fl.24.n.27

Prælati mali carpuntur. ib.n.61

Prælatus inculpatam agens vitam subditos reddit sibi similes. fl.35.n.7

Doleat de subditorum malis. ib.n.9

Requiescere datur subditis; prælato minimè ib.n.11

Præsul de temporalibus non sumat plusquam necessaria. fl.35.n.13

Nisi ratio cogat, sit velox ad remedia; non ad supplicia. ib.n.15

Miserabile dictu quòd pro culpis eorum puniaris, qui tuæ curæ subsunt. fl. 37 n.50

Vide *Ambitio. Consuetudo. Dignitas. Exemplum. Prædicator. Rex. Subditus.*

Præmium.

Si justus in exercendâ virtute præmium attendit humanum, fortè protunc non experietur Divinum. fl.14.n.57

Deus largiùs afficit præmio facta illa, quæ sub terrâ sepelit probus, quàm si non essent omnino sepulta. ib.n.59

Vide *Deus. Eleemosyna. Honor. Pater.*

Præservatio.

Præservatione ab uno peccato major Dei miseratio est, quàm aliud remitti? fl.5.num. 44

Præsumptio.

Supplicium timeat acerbum qui putat, eò magis à Deo se quærendum, quò plùs fuerit ingratus. fl. 24 n.29

Plus periculi datur circa nimiam fiduciam in Deo, quàm circa nimium timorem. ibid. n.31

Quàm sit crassus error natus ex eo, quòd homo sibi fidat nimis. fl.26.n.51

Vide *Fiducia. Mors. Peccator. Sapientia. Superbia. Supplicium.*

Princeps.

Ampliùs Deus miseretur populum oppressum sub colore boni publici. fl. 24.num. 19

Non semel magis approximatur exitio qui summâ potitur gratiâ principis; quàm si jam indignatum paveat. fl.25.n.23

Princeps qua ratione moveri possit, ne fritione decipiatur adulatoris. ibid. num. 42

Principium terrenorum Deique in præmiando disparitas. fl.29.n.38

Superbi principis pœna non levis est agnoscere, quòd indigeat suorum sapientum auxilio. ib.n.50

Post mortem notius est quantum valeat vir insignis bello. ib.n.56

Vide *Confidentia. Fidelitas. Index. Legatus. Prælatus. Rex.*

Principia.

Vide *Docere. Humilis. Prudens.*

Prodigus.

Quantum Deo displiceat prodigalitas pallio tecta virtutis. fl.24.n.9

Vide *Divitiæ. Eleemosyna.*

Propinqui.

Vide *Pauper.*

Prosperitas.

Prosperitatis tempore cautus ambulet homo fl.28.n.18

Vide *Felicitas Felix. Mors.*

Providentia.

Vide *Deus. Futura. Prælatus.*

Tabula sententiarum.

Prudens. Prudentia.

Prudens magis attendit exitum rei, quàm initium. fl.8.n.47

Prudentia carnis eligit sæpe media, quæ pariunt oppositum finem. fl.22.n.36

Prudentia piorum uti ad bonum astutiâ, quæ malis ad peccatum via, magnum quid est. ib.n.42

Prudens nolit inflexibilem se gerere. fl.27.n. 53

Vide *Fama. Sapiens.*

Pudor.

Pudor malus valde præpedit ab bonum.fl.7.n. 20

Pudorem humanum vincere: ne factum virtutis omittas, videtur divinum quid. fl. 16. n.56

Vide *Deus. Honor.*

Q.

Quærere Deum.

Frustra sæpe Deum quærere proponit qui fertur ad hoc ex affectu creaturæ.fl. 21. num. 32

Reprehenduntur procrastinantes aggredi semitam vitæ. ib.n.34

Iter ad cœlum percontare, quamvis agnoscas.fl.22.n.40

Quæstus.

Vide *Avaritia. Dives. Divitiæ. Lucrum.*

Questus.

Vide *Humilis.*

Quies.

Quies ab exterioribus prodest ut interiùs ascendas. fl.35.n.37

Vide *Obedientia.*

R

Ratio.

Vide *Dolor.*

Redemptio.

Vide *Incarnatio.*

Regens.

Vide *Prælatus. Princeps. Rex.*

Regnum.

Vide. *Princeps. Rex. Superbia.*

Reincidentia.

Reincidentia facit ut peccatoris resurrectio à peccato sit quasi non fuerit.fl.5.n.18

Vide *Pœnitens.*

Religio erga Deum.

Valde gratus Deo qui tuetur honorem illius gladio, & simul obtemperat superiori.fl.15.n.27

Vide *Rex.*

Religiones Eremitarum S. Augustini, Canonicorum regularium & Militarium.

Vide fl.15.*delib.*2.*& pro Militaribus v. Religio erga Deum.*

Religio Minorum.

Vide fl.15.delib.4.

Religio Societatis Iesu.

Vide fl.15.delib.5

Religiosi.

Vide *Eremus. Obedientia. Voluntas.*

Remedium.

Prælatus. Spes.

Remissus.

Vide *Virtus.*

Reprehensio.

Reprehensio ferens intellectum postulat audientis magnum spiritum, quò feratur æquanimiter.fl.12.n.34

Reprehendi quantùm debeat superbus. ibid. n.44

Reprehensi acquiescentis appretiatio divina. ib.n.54

Arguentis lenitas pretiosa.fl.13.n.18

Vide *Humilis. Sapiens.*

Respublica.

Vide *Princeps. Rex. Superbia.*

Rex.

Regis exemplum malum subditus imitatur etiam cum damno proprio. fl. 11. num. 36

Subditus etiam nescius peccatum regis ejus, voluntati serviens, imitatur aliquo modò malum ipsius latens. ib.n.38

Qui regi veritatem loquitur, spreto periculo cadendi, remuneratur providente Deo nonnunquam per favorem ipsius regis.fl.14.n.19

Deo glorioſius est ut ei serviant reges, quàm quòd extollat humilem ad potestatem. fl.15.n.34

Rex, qui te magis diligit aliquando minùs operabitur; ut te liberet. fl. 31. num. 31

Principatu dignus ostenditur qui proprias possessiones contemnit, ut consulat bono communi. fl.33.n.10

Quisquis præficitur, servus est Reipublicæ. ib.n.12

Principis est gloria, sedis quietem jungere sollicitudini.ib.n.14

Tunc rex firmari solium credat, cùm amplificat Rempublicam.ib.n.16

Sepe majus nomen assequitur urbem amplificans, quàm debellans hostes. fl. 33. num. 18

Ordinariè non congruit regno extraneus princeps. ib.n.20

Aliquando rex indigena regno damnum affert, quod non attulisset alienigena. ibid. num. 22

Magis dissipatur regnum, si stultus princeps imperat; quàm per furorem bellicum. fl 33.n.24

Ampliùs rex dehonestatur per malum regimen, quàm per irreverentiam subditorum. ib.n.26

Rex uno saltem errore voluntario suos perdens, regium nomen amittat. ibid. num. 28

Felicitatem suam non in solâ multitudine populi constituat; sed protectioni divinæ fidat. fl.33.n.50

Gloria regis est; agnosci, quòd pariter attendit ad negotia pauperum atque potentum. ib.n.52

Indignus est regio nomine qui malè gubernat populum, quem Deus titulo peculiari possidet ut suum. ib.n.54

In eâ mensurâ decrescit regis nobilitas, in qua regnum deterioratur. fl.33.n.58

Expectari

qu e firm[illegible]r ex Pagina S.

Expectari potest quòd rex [illegible]pius præstabit rectè manus reger[illegible]ulum. fl.39.n.10

Deus vellet, ut princeps regni protectionem attribua Sanctis. ib.n.12

Timeat rex offensum Deum propter peccata suorum; licet ea nequaquam ipsi valeant imputari, ib.n.14

Rex pius non tam cor apponit ad amplificandum sceptrum, quàm ad colendum Deum fl.39.n.16

Cùm honore prosequitur Deum, honorat se. ib.n.18

Damnum regis est pallii partem ab ecclesiastico patiente vim tollere. ibid. num. 20

Deus amicè prosperabit regem non retinentem ecclesiastica bona. ib.n.22

De pœnis infernalibus regis gravantis populos tributis gauderent, si daretur, damnati. fl.39.n.30

Tributum non voluptate regis mensuretur, sed necessitate. ib.n.32

Tributum cesset, cum necessitas abierit. ib. n.34

Qualiter Deus exaltet regem bene judicantem. fl.39,n.40

Aliquando propter unum crimen principis imperium longe protensum patitur multa. ib.n.58

Consiliarium sapientem plurimi faciat rex. fl.40.n.14

Aliquatenus quiescat, cum inveniret ministros optimos. ib n.16

Tristius est regi perdere virum non timẽtem ipsi dicere verum, quod non placet eidem; quàm regnum amittere. ib. num. 18

Pudendum regibus est, ministrum abuti potestate illorum ad fines malos. fl.40. n.20

Magis nocet regenti suffragium ferens contra mentem propriam, quod non expedit; quàm defectus consiliarii sapientis & amantis. ib.n.22

Rex prudens magis attendit ad puniendos eos, qui dedere consilium malum, quam ad seditiosum populum. ib.n.24

Rex in præfecto deponendo quàm debeat attendere mala, quæ patravit in munere suo. fl.40.n.26

Quàm Deo placeat festinata punitio regentis patrantis malum. ib.n.28

Reges magis deferunt nobilitati, quàm meritô. ib.n.41

Qui per dilectionem regis venit ad summa, vergit ad ruinam. fl.40.n.43

Solent reges gaudere quòd arrideat aulicis ille, quem diligunt; econtra vero, si post habeant eumdem odio. ib.n.45

Principaliùs curæ sit principi sapienria gerentis vicem suam, quàm fidelitas. ibid. n.49

Contagiosa solet esse regis ira mala. fl. 40. n.53

Nil commoditatis rex credat in irâ injustâ reperiri. ib.n.55

Onerosum est principi recto quod inutile bono publico. ib.n.57

Vide *Ambitio. Confidentia. Consilium. Ecclesiasticus. Favor. Fidelitas. Judex Legatus. Prælatus. Princeps. Risus.*

Vide *Latitia.*

S.

Sacerdos.

SAcerdotis delictum etiam pœnitentiâ deletum facilè trahit populos ad peccandum. fl. 35.n.43

Quanta Dei gloria sit sacerdotibus donavisse potestatem consecrandi, deducitur ex dictis in Indi. Conc. ser. Fec. 5. in Cœna Dom. n.11

Qualis gloria Christi Domini ex eo quòd consecratus fuerit sacerdos. fl. 19.n.51

Sancti.

Vide *Rex.*

Sanitas.

Quam sit acerbum potenti carere sanitate. fl.25.n.25

Sapiens. Sapientia.

Sapientia vera non degenerat; sed aliquando perditur. fl. 1.n.52

Difficultas veniæ peccantis ex superbia de sapientiâ. fl. 2.n. 29

Sapientia peccatoris locum supplicii vendicat. ib.n.31

Sapientem non ex auditu solum æstimes: oculos adhibe. ib.n.33

Quandoque per amorem sapientiæ mundanæ multi corruunt simul, & in plurima peccata labentur. fl 2.n.35

Sapientia mundi videtur aliquibus auferre usum rationis. ib.n.37

Nonnumquam judicatur sapiens is, cui sine livore displicet aliena sententia. fl. 21. n.12

Prosequere planctu hominem, cui sapientia sua ruinam attulit superbiæ. fl. 22. n. 38

Aliqui se probare volunt sapientes per hoc quòd verbis feriant. fl. 21 n.14

Pauper quandoque non honoratur ut sapiens. ib.n.26

Propter potestatem putant sapientiores aliqui se quocumque subdito suo. ib.num. 30

Sapientior ut plurimùm redditur qui docet. 21.n.42

Quò plùs doctus est homo prudens, eò magis sollicitat sapientiam. ib.n.44

In adversitate ostenditur sapientia. fl. 22.n. 56

Sapientia humana sic limitata, ut dici Deo possit, fore docturum nos ea quæ scimus. fl.23.n.34

Sapiens tentatione probatur, dum audet congredi cum illo minor eo. fl.24.n.53

Diffidit prudentiæ suæ. fl.26.n.53

Quasi reputant mundialia præsentia tamquam absentia. fl.28.n.44

Aliqui propterea nesciunt, quia se putant sapientes. ib.n.58

Sapientissimus addiscere curat; fatuus sæpe non optat scientiam. ib.n.60

Sapientis conversio res magna. 2. 29. num 52

Tabula sente[illegible]arum.

[illegible]ientia peccatoris genus est ignorantiæ. fl.32.n.47

Sapientis laus est mutatio consilii juxta placitum alienum. fl.38.n.12

Sapiens reprehendit leniter, ne degeneret in superbiam.ib.n.14

Multum prodest animi submissio, quò sapientia conquirarur.ib.n.22

Sapientia de cœlis veniens non unico deservit fini.fl.38.n.24

Sapiens dum loquitur ad peritos, sortitur frequenter exitum fœlicem. ib.n.30

Non dedignetur dispergere splendorem susceptum ab alio; dissimulando proprium. fl.38.n.32

Sapiens, dum acquirit sapientiam, reperit cupiditatem sciendi ampliùs. ibid. num. 56

Vide *Dolor. Honor. Humilis. Iudex. Magister. Stultus.*

Scandalum.

Vide *Exemplum.*

S. Sebastianus.

Sebastiano cessit Angelus gloriam, nolens in ejus adorari præsentiâ.fl. 29.n.14

Vide ib.delib.1.per tot.

Senex.

Vide *Iudex. Rex.*

Silentium.

Vide *Dolor. Tacere.*

Societas. Socius.

Justus quandoque vellet concordiam cum locorum distantiâ cum improbo. fl. 13. n.20

Si fuerint socii bonus & malus,bonus imitabitur gressum mali; non econtra. ibid.num. 22

Sapientia Dei peculiariter effulget in tuendo justo ne delinquat, si versatur cum delinquentibus.ib.n.24

Nonnunquam deponitur horror criminis, ut morem geras amico nequam. fl. 13.

Congruit justo deponere malum sodalem. ib.n.28

Difficilius est ut à socio non participetur virus occultum, quàm patens crimen. ib.n.36

Laudabilius est quòd sis bonus inter malos. fl.13.n 38

Minus est velle societatem cum justo, nisi velis eum imitari. ib.n. 44

Multo cum labore sociatur homo fortunato, eidem verò, cùm erat infelix, nec facilem præstabat operam.fl.23.n.48

Aliquando satis est quòd ad justi fores accedat malus ad hoc ut bonus peccet: iniquus autem non ideo meliorabitur. fl.32. n.27

Vide *Iustus.*

Solitudo.

Poteris in turbarum frequentiâ solitarius quiescere.fl.38.n.54

Vide *Eremus.*

Spes.

Spes in Deum tendens dilata cruciat valde; sed remedium non quæritur dolori; nec anxietate istâ carere congruum est.fl.10. n.13

Sperantes in hominibus vulnerantur;& vulnus tegunt.ib.n.26

[illegible]ri contentiosus collocas in creatore fortiùs, magis ab istâ vulnerar[illegible].n.28

Malè videt in crimine suo malus, cum sit proprius peccatoris metus. fl.10.n.30

Emens pecuniâ mundanam spem, justè flagellatur factâ expectatione irritâ, pretioque perdito.ib.n.32

Aliquando magis torquet spes brevis de remedio,quàm diutinum malum.fl.10.n.40

Homo bonum quod sperat maximi facit; cum possidet,jam tanti non æstimat.ibid. n.42

Videtur, plus hominem debere conferenti spem,quàm rem speratam. fl 19.n.101

Qui figit pedem in spe vanâ, ruet. fl. 26. n.37

Spes justi assimilatur possessioni.fl.28.n.24. fl.37.n.56

Spem jungito gratiarum actioni.28.n.38

Spes justi de morte suâ quantùm deo placeat. fl.37.n.18

Vide *Christus Dominus. Desiderium. Eucharistia. Vigilantia.*

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus doctoribus peculiariter sublimibus præbet se velut instrumentum, quo, sicut libuerit, utantur.fl.38.n 44

S. Stephanus.

Vide fl.29.delib.2

Studia litterarum.

Vide *Adolescentia. Sapiens.*

Stultus.

Stultus cum sapiente contendens quàm terribilis.fl.8.n.37

Quandoque refugiet existimari fatuus ille, qui vitâ privari non metuit.fl.26.n.41

Majoris aliqui faciunt stultos non haberi, quàm non existimari improbos. fl. 27. n.51

Vide *Sapiens.*

Subditus.

Subditus aliquando præfertur destinato ad prælaturam fl.1.n.19

Vide *Prælatus, Rex.*

Superbia. Superbus.

Superbus non contentus est quòd ratione convincente voluntas ejus perficiatur;sed cupit ut ex reverentiâ fiat.fl.8.n.25

Nonnunquam ut consentiat alter proposito suo saltem ex parte, minuit quod decreverat, ne sibi resistatur in totum. ib. n.27

Aliquando bonum consultorem honorat, sed honorem vertit in contemptum.ibid. n.29

Superbientis de virtute casus tam propinquus est,ut jam cecidisse videatur.fl. 9.n.35

Superbus animosior est ut contemnat justum, quàm ut dignitatem propriam tueatur. fl.20.n.9

In remedium superbiæ cogita quid fueris. fl.22.n.20

Superbia humana cupit in sciendo pervenire ad impossibile.fl.24.n.51

Superbus videtur nescire se terrenum. fl. 28. n.48

Ei malum est irrisio, quàm si per libertatem loquendi feriatur durè.fl.29.num. 36

Jacet

Jacet in oculis Dei qui i . ib. n.60
Superbiâ regna marcent. fl 39.
Vide *Ambitio. Favor. Humilit. Invidia. Judex. Magnitudo. Pauper. Princeps. Reprehenſio. Sapientia. Supplicium. Superior.*
Vide *Exemplum. Prælatus. Princeps. Rex. Supplicium.*
Sub punitione latet misericordia Dei. fl. 2. n.63
Aliquibus, ut credant eſſe ſupplicium ſuum id quod patiuntur, miraculo videtur eſſe opus. ib.n.65
Non leve ſupplicium eſt impii fruſtrari conatum ejus adversùs alios. fl.5.n.42
Peccatorem non agnoſcere, Dei ſupplicium eſſe quod patitur, pœnæ pars eſt. fl.12.n.38
Qualiter Deus offendatur à ſuperbè credente, ſupplicium ſuum differendum eſſe in longa tempora. fl.14.n.53
Dormire ſub verbere Dei eſt incrementum ſupplicii. fl.25.n.45
Cæteris paribus, majus eſt ſupplicium quando peccator neſciens vadit ad illud. ib.n.55
Vide *Audire. Deus. Peccatum.*

T

Tacere.

Multiloquus tacentem reputat fatuum. fl. 21.n.28
Sapientiæ non vulgaris eſt docere tacendo. fl.38.n.46
Vide *Dolor.*

Tempus.

Temporum oportunitati aliquot virtutes accommodandæ. fl.32.n.19
Vide *Adoleſcentia. Mors. Virtus. Vita.*

Tepiditas.

Vide *Virtus.*

Terra.

Vide *Juſtus.*

S. Thereſia.

Vide *fl.16. delib. 2. à n.24*

S. Thomas Aquinas.

Vide *fl.38. delib.2.*

Timor.

Timor aliquis adeo perniciosus eſt, ut illius, comparatione plures hoſtes dici valeant quaſi nemo. fl 2.39
Timere proprium eſt cordis juſti. fl.5.num. 14
Timor inutilis magis inducit hominem in periculum fl.7.n.22
Quidam timor magis commovet, quàm præſens mali cauſa. ib.n.62
Timor inſipiens pœna ſæpe criminis eſt. fl. 14.n.29
Trepidatio juſti plurimum provocat Redemptorem ad benignitatem. fl.20.n.53
Malus dux eſt ſæpe timor hominis; non ſic timor Dei ib. n.57
Duplex corde frequenter pavidus eſt. fl.23. n.32
Timor Dei punientis eſt remedium contra ſuperbiam. fl.26
Timor pœnæ corrigit
Timor eſt remedium c
Aliquandone corrig occaſione dilection
Timor Dei ſ tificat. ib.
Gaudium tum à time afficit . ib.n.25
Primordia virtutis in ti ſunt ad inſtar conſumm. n.27
Homo pius videtur juxta janua ſitus cùm Deum timet. ib. n.29
Timor ſerotinus peccatoris avertit hon. à Deo; non ita pavor juſti. fl.26.n.43
Aliqui timent Deum ſolùm quandiu tribulatio durat. ib.n.45
Quidam adeo ſunt imperfectè timorati, quaſi Deum non timerent; ſed tantùm metuere vellent. ib.n.47
Timor Dei ſit conjunctus amori. fl.28.num. 28
Timore Dei ſpecialiter vincitur diabolus. fl. 31.n.9
Quàm ſit imbellis dæmon adverſùs timentes Deum. ib.n.11
Deum time, ut in ſpirituali bello non metuas. ib.n.13
Timor Dei non tantùm nos tuetur in carnis prælio; ſed vulnerat eamdem. fl.31.num. 15
Valde prodeſt, ut ſubjiciatur caro. ibid.n. 17
Præparat hominem ad aggrediendum arduа. ib. n.19
Expellit ab homine timiditatem. fl.31.num. 21
Adjuvat juſtum ne timeat adverſa. ibid. n. 23
Timor Dei, quò avertat hominem à ſcelere, nonunquam commiſcetur meditationi pietatis; aliquando verò non ita quando fortificatur cor ut adverſa ferat. ib.n.25
Stimulos addit amori. fl 31.n.39
Quandoque magis Deo placet quàm robur. ib.n.41
Timens temporalia damna non ſemel de protectione Dei diffidit; timens autem Deum loquitur confidenter. ib.n.45
Timor fortitudini miſceatur. fl.31.n.47
Timor Dei ſupplere valet aliquando magiſtri ſpiritualis locum. ib.n.49
Timor ſanctus homini præſtat ut peccati ſui cognoſcant magnitudinem. fl.32.n.51
Vide *Amor. Dæmon. Felicitas. Fortitudo. Ira.*

Tormenta.

Vide *Tribulatio.*

Tribulatio.

In manibus aureis tormenta ſunt lapides pretioſi. fl.16.n.12
Quàm damnabile ſit non laudare Deum, niſi cum benefacit. fl.17.n.24
Clariùs videtur ſe Deus oſtendere patrem in permittendis adverſis, ut proſint, quàm in dimittendo peccata. ib.n.26
Dignior eſt præconio qui adverſitatis tempore gratias agit de tribulatione, quàm gratus de beneficio poſt acceptum remedium. ib.n.28

...a seræ firm...

... divinæ præ-

...ore justus cr...scit. fl.32.n.

...n, si priusquam continge-
...s ad illud ...stinendum. fl.

...bulatione v...ru... idem cum
...37.n.32

...rsitas. Timor. Virtus.
Tributum.
...cclesiasticus. Rex.
Tristitia.
...ide Gaudium. Lætitia.
Tyrones.
Vide Docere. Virtus.

V

Verba.

VErba quantùm consideranda. fl.2.n.61
Vide Consideratio. Lingua. Tacere.
Verecundia.
...ide Confusio. Honor. Pudor.
Veritas.
Veritati negabit assensum homo, quamvis inde notam subeat; & è contra in assentiendo nihil perdat. fl.4.n.65
Circa quædam verum est dicere: Veritatem in cor mitte, videdis illam. fl.5.n.26
Ingratitudo gravis est odisse vera dicentem. fl.12.n.42
Vide Consilium. Mendacium. Rex.
Victoria.
Victoria lætior est, si presumebat confidens adversarius; quàm si timidus caderet. fl.10.n.18
Cedit iniquus non audens contendere cum homine vincente semetipsum. fl.22.n.26
Victoria gloriosior est, si victus confidebat se victurum. fl.26.n.13
Ad victoriæ plausum conducit quòd ex ea timorem conceperit hostis. fl.29.n.18
Illustris est victoria superare mentes. ib.n.20
Vincendi modus gloriosus est cùm dedecoratur hostis. ib.n.44
Vide Amans. Iustus. Mundus. Pater. Peccatum. Vigilantia.
Vigilantia.
Vigili difficultas, dum vincit, est quasi non fuerit. fl.2.n.49
Prudens ita sperat in domino, quòd vigilat. fl.31.n.55
Vide Iustus.
S. Vincentius.
Vide fl.37. à n.38
Vindicta.
Jactamus, posse nos ulcisci; quamvis parcamus vindictæ. fl.34.n.55
Vide Patientia.
Violentia.
Vide Pauper.
Virgines.
Virgines tantî fiunt à Deo, quasi nihil priùs illis fructificaverit ei genus humanum. fl.

...as.
...rtus.

Virtuti, ut sit constans, congruum est radices in terrâ non figere. fl.3.n.49
Opus bonum videtur esse anima bene operantis. ib.n.54
Armorum spiritûs nullum dimittendum est. fl.7.n.46
Nullum tempus est bonis operibus ineptum. fl.9.n.53
Nemo putet sibi satis virtutes, quas operatus est; prosequatur ultra. ibid. num.55
Virtutis fastigium ascendere quære. fl.13.n.40
In re virtutis colligens quæ tantùm putat necessaria, sæpe defectum experitur: multoties qui putatur abundare necessaria solùm possidet. ib.n.42
Virtutis laudabilitatem peccatores ut plurimum non ignorant. fl.21.n.36
Profitemur spirituale bellum: ne deponamus gladium. fl.26.n.39
Bonum opus revertitur in sinum operantis. fl.28.n.34
Virtus opugnata sursum tendit. fl.32. num.17
Virtutis initio non festinandum nimis. ib.n.23
Non est simul cum virtute sumendus culpæ cibus. ib.n.41
An Deus magis detestatur in virtute remissum, quàm omnino malum? fl.35.num.17
Tepidus in virtute, si graviter semel peccet, corruet secundò. ib.n.19
Ab indiscreto fervore non semel transitur ad crimen grave. ib.n.21
Virtus abscondita. fl.35.n.39
Virtute carens rarus est, qui faciat illam magnî. ib.n.47
Voluntariè virtutem abscondens videtur plusquàm homo. fl.38.n.48
Convenit justo noscere quid operetur malî; nescire quid agat bonî. ib.n.50
Virtutem recusant quidam si respergatur amaritudine; licet utilem agnoscant. fl.39.n.50
Aliquando plus miratur in alio virtutem qui non sectatur eam. ib.n.52
Vide Amicus. Constantia. Contemptus. Deus. Gaudium. Honor. Humilis. Iustus. Mundus. Opus. Perseverantia. Præmium. Quærere Deum. Superbus. Tempus.
Vita.
Vita nostra descendit ascensu. fl.21.n.14
Hominis præsentia super terram transit in præteritam velocissimè. 22.n.10
Interitus advenit festinantiùs quandoque mortalibus cùm tractantur molliùs. ib.n.12
Se gerunt nonulli, quasi putarent, vitam suam extendendam quoad vellent. fl.22.n.16
Potiùs dicatur cæcus, quàm stultus qui vitæ brevitatem advertens tradit se voluptati. ib.n.18

Rationaliter

Rationaliter vivi[illegible] [illegible]m-
poraneam conte[illegible]
Vitæ anxietates nonun[illegible] ju[illegible] existimat
acerbiores doloribus mo[illegible]tis. fl.37.n.12
Vide *Adolescentia. M[illegible]s. Virtus.*

Voluntas.

A voluntate propriâ veniens servitus quàm
pudebunda. fl.1.n.32
Quàm severè puniatur peccatum purè
commissum electione propriâ. ib.n.34
Pertinax in voluntate propriâ detestabi-
lior. ib.n.36
Quandoque Deo placet factum ex volun-
tate alienâ; quod non placeret, si fieret
ex propriâ. fl.1.n.38
Sequenda non est in re virtutis propria
voluntas. fl.1.n.50
Crimen ex voluntate propriâ merè com-
missum, valde grave. fl.8.n.31
An aliquando opus nascens ab amore Dei
diabolicum est ob propriam voluntatem?
ib.n.33
Vide *Obedientia.*

Voluptas.

Voluptatem videntur aliqui velle simul &
nolle. 3.n.34
Sæpe quod hominem delectat, punit
eumdem. fl.9.n.49
Aliquo[illegible] non à voluptatis [illegible]
retra[illegible] experientia perd[illegible]
appetit[illegible]um. ib.n.51
Aliquis [illegible]hesté laborans tra[illegible]
vitam [illegible]m voluptuosis in[illegible]
fl.1[illegible]
Voluptat[illegible]itas rarò cernitur, nisi [illegible]
quam il[illegible]mittuntur post dorsum. ibid.n.
64
Voluptas post mœrorem jucundior est. fl.23.
n.42
Voluptas mundana quiescit cum finitur. fl.
25.n.11
Voluptas mala, vel possideatur, vel desidere-
tur, nocebit. fl.37.n.10
Vide *Lacrymæ. Vita. Delectatio. Dolor.
Gaudium.*

Z

Zelus.

Zelus salutis animarum ambit sanctè v[illegible]
cam; licet intendat lucrari plurima[illegible]
n.10
Zelus bon[illegible] generat aliquando. fl.24
Vide [illegible]

FINIS.

FINIS.

ARCHIVO PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
PALENCIA

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL



2.793